Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN OMNES

EPISTOLAS S. PAULI

A P O S T O L I,

ATQUE ETIAM IN

E P I S T O L A M ad H E B R Æ O S:

NEC NON IN

EPISTOLAS CANONICAS.

Hanc Commentariorum poſtremam eſſe recognitionem, ex lectione atque collatione cum prioribus, deprehendet Lector.

CUM

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.



A M S T E L O D A M I,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

JOANNES CALVINUS
SIMONI GRYNÆO
Viro Ornatiſſimo S. D.

MEmini, quum ante triennium de optimo enarrandæ Scripturæ genere inter nos familiariter commentaremur, eam quæ plurimum tibi placebat, rationem mihi quoque præ aliis probatam tunc fuiſſe. Sentiebat enim uterque noſtrum, præcipuam interpretis virtutem in perſpicua brevitate eſſe poſitam. Et ſane quum hoc ſit prope unicum illius officium, mentem Scriptoris, quem explicandum ſumpſit, patefacere: quantum ab ea lectores abducit, tantundem à ſcopo ſuo aberrat, vel certe à ſuis finibus quodammodo evagatur. Itaque cupiebamus ex eorum numero, quibus in hoc laboris genere Theologiam juvare hodie propoſitum eſt, unum aliquem extare qui & facilitati ſtuderet, & ſimul daret operam ne prolixis Commentariis ſtudioſos ultra modum detineret. Quanquam autem ſcio ſententiam hanc non apud omnes receptam eſſe; & eos qui non recipiunt, nonnullis quoque argumentis adduci ut ita judicent: ego tamen dimoveri non poſſum ab amore compendii. Verum quum ita ferat ea quæ hominum ingeniis inſita eſt varietas, ut alia aliis magis arrideant: fruatur hic ſane quiſque ſuo judicio, modo ne quis omnes alios ſub leges ſuas redigere velit. Ita fiet ut neque nos quibus magis placet brevitas, eorum labores vel reſpuamus, vel contemnamus, qui in Sacris libris enarrandis copioſiores ſunt ac fuſiores: & illi viciſſim nos ferant, etiamſi putent nimis preſſos ac conciſos. Ego certe mihi temperare non potui, quin experirer, ecquid poſſet hîc Eccleſiæ Dei mea opera commodare. Neque vero aut me aſſequutum nunc confido illud, quod tunc nobis videbatur eſſe optimum; aut aſſequi me poſſe ſperavi, quum inciperem: verum ita ſtylum temperare conatus ſum, ut videri poſſem animum intendiſſe ad illud exemplar. Quantum profecerim, quia meum non eſt judicare, tibi tuique ſimilibus relinquo æſtimandum. Enimvero quod periculum in hac potiſſimum Pauli Epiſtola facere auſus ſum, conſilium meum obnoxium fore video multorum reprehenſioni. Nam quum tot excellentis doctrinæ viri antehac in ejus explicatione elaborarint, credibile eſt nullum aliis melius aliquid afferendi relictum eſſe locum. Ego vero fateor, tametſi mihi aliquod operæ meæ pretium pollicebar, hac tamen cogitatione fuiſſe me initio deterritum, quod verebar ne incurrerem in famam temeritatis, ſi poſt tot egregios artifices manum huic operi admoverem. Extant in iſtam Epiſtolam multi veterum, multi recentiorum Commentarii. Et ſane nuſquam melius collocare ſuam operam poterant: quando ſiquis eam intelligat, aditum ſibi quendam patefactum habet ad totius Scripturæ intelligentiam. De veteribus ſileo: quibus pietas, eruditio, ſanctimonia, ætas denique tantum authoritatis fecit, ut nihil quod ab ipſis profectum ſit, contemnere debeamus. Ac eos etiam qui hodie vivunt, nominatim omnes commemorare nihil attinet. De iis qui præcipuam

 puam

puam operam navarunt, dicam quod ſentio. Philippus Melanchthon pro ſingulari & doctrina, & induſtria, & dexteritate qua in omni diſciplinarum genere pollet, præ iis qui ante ipſum in publicum prodierant, multum lucis intulit. Sed quia illi propoſitum modo fuiſſe apparet, quæ inprimis eſſent animadverſione digna excutere: in iis dum immoratur, multa conſulto præterit, quæ vulgare ingenium fatigare nonnihil poſſint. Sequutus eſt Bullingerus, qui & ipſe magnam ſuo merito laudem adeptus eſt. habuit enim conjunctam cum doctrina facilitatem qua ſe magnopere approbavit. Tandem Bucerus, lucubrationibus ſuis emiſſis, veluti colophonem impoſuit. Siquidem vir ille (ut noſti) præter reconditam eruditionem, copioſamque multarum rerum ſcientiam, præter ingenii perſpicaciam, multam lectionem, aliaſque multas ac varias virtutes quibus à nemine fere hodie vincitur, cum paucis eſt conferendus, plurimos antecellit: hanc ſibi propriam laudem habet, quod nullus hac memoria exactiore diligentia in Scripturæ interpretatione verſatus eſt. Cum talibus ergo viris velle contendere, ut nimis improbæ æmulationis eſſe confiteor, ita mihi nunquam in mentem venit, vel minimam laudis partem illis præripere. Maneat illis ſalva & gratia, & authoritas, quam ſunt bonorum omnium confeſſione promeriti. Hoc tamen mihi (ut ſpero) concedetur, nihil unquam fuiſſe inter homines tam abſolutum, in quo vel expoliendo, vel ornando, vel illuſtrando non fieret locus ſequentium induſtriæ. De me nihil prædicare audeo, niſi quod judicavi non inutilem fore hanc operam: ad quam ſuſcipiendam nulla me unquam alia ratio, quam publicum Eccleſiæ bonum induxiſſet. Ad hæc, ſperabam fore ut in diverſo ſcribendi genere nulla æmulationis invidia premerer, quæ mihi in primis timenda erat. Philippus enim quod voluit adeptus eſt, ut maxime neceſſaria capita illuſtraret. Multa quæ negligenda non ſunt, dum in illis primis occupatus prætermiſit: noluit alios impedire quin ea quoque excuterent. Bucerus & prolixior eſt quam ut ab hominibus aliis occupationibus diſtrictis raptim legi: & ſublimior quam ut ab humilibus & non valde attentis intelligi facile queat. Nam ad cujuſcunque argumenti tractationem ſe contulit, tam multa illi ad manum ſuggeruntur ab incredibili, qua pollet, ingenii fœcunditate, ut manum de tabula tollere neſciat. Quum ergo alter non omnia ſit perſequutus, alter fuſius ſit perſequutus quam ut exiguo tempore perlegi poſſint: nullam æmulationis ſpeciem habere inſtitutum meum mihi videbatur. Dubitavi tamen aliquamdiu, præſtarétne quaſdam veluti racemationes poſt ipſos aliosque facere, quibus ea colligerem in quibus juvare me poſſe mediocria ingenia arbitrabar: an perpetuum commentarium texere, in quo multa repetere neceſſe foret, quæ aut ab illis omnibus, aut aliquo ſaltem illorum prius eſſent dicta. Verum quia illi non raro inter ſe variant, atque ea re multam præbet difficultatem lectoribus parum acutis, dum hæſitant cujus ſententiæ potius debeant aſſentiri: putavi hunc quoque laborem pœnitendum fore, ſi optimam interpretationem indicando, ſublevarem eos à judicandi moleſtia, quibus non ſatis firmum eſt à ſeipſis judicium; præſertim quum ita omnia ſuccincte perſtringere inſtituerem, ut non magnam temporis jacturam facturi eſſent

lecto-

lectores, apud me legendo quæ in aliis habentur. In ſumma, dedi operam nequis jure conqueratur, multa hic ſupervacua eſſe. De utilitate nihil dico: cujus tamen plus ſe hinc cepiſſe fatebuntur forte non maligni homines ubi legerint, quam ego verbis verecunde ſpondere auſim. Jam quod ab aliis interdum diſſentio, vel certe nonnihil diverſus ſum, in eo me excuſatum haberi æquum eſt. Tantam quidem apud nos venerationem habere debet verbum Domini, ut interpretationum varietate quam minimum à nobis diſtrahatur. Sic enim ejus Majeſtati neſcio quomodo derogatur, præcipue ſi non magno delectu magnaque adhibita ſobrietate id fiat. Atqui ſi contaminari nefas ducitur quicquid eſt Deo dedicatum: ferendus certe non eſt ille qui rem omnium, quæ in terris ſunt, ſacratiſſimam, impuris aut etiam non rite præparatis manibus attrectet. Proinde affinis ſacrilegio audacia eſt, Scripturas temere huc illuc verſare, & quaſi in re luſoria laſcivire: quod à multis jam olim factitatum eſt. Verum animadvertere ſemper licuit, illos ipſos quibus nec pietatis ſtudium deeſſet, nec in tractandis Dei myſteriis religio ac ſobrietas, nequaquam ubique inter ſe conſenſiſſe. Nunquam enim tanto beneficio ſervos ſuos dignatus eſt Deus, ut ſinguli plena perfectaque omni ex parte intelligentia præditi eſſent. nec dubium quin eo conſilio, ut nos in humilitate primum, deinde communicationis fraternæ ſtudio retineret. Ergo quum ſperandum in præſenti vita non ſit, quod maxime alioqui optandum eſſet, ut in locis Scripturæ intelligendis perpetua ſit inter nos conſenſio: danda eſt opera ut nulla novandi libidine incitati, nulla ſuggillandi alios cupiditate impulſi, nullo inſtigati odio, nulla ambitione titillati; ſed ſola neceſſitate coacti, nec aliud quærentes quam prodeſſe, à ſuperiorum ſententiis diſcedamus. deinde ut id fiat in Scripturæ expoſitione: in religionis autem dogmatibus, in quibus præcipue voluit Dominus conſentaneas eſſe ſuorum mentes, minus ſumatur libertatis. Utriuſque ſtudium mihi fuiſſe facile deprehendent lectores. Sed quoniam de me vel ſtatuere, vel pronuntiare meipſum non decet, libenter hanc cenſuram tibi permitto: cujus judicio ſi omnes plurimum jure deferunt, ego nihil non deferre debeo; quo ſcilicet propius mihi ex familiari conſuetudine perſpectus es, quæ cum aliorum exiſtimationem aliquid minuere ſoleat, tuam, quæ aliâs apud omnes doctos præclara eſt, non parum auget. Vale. Argentinæ 15 Calend. Novemb. M. D. XXXIX.

ARGUMENTUM

IN

EPISTOLAM

Ad ROMANOS.

IN prædicanda Epiſtolæ hujus utilitate, neſcio an operæ pretium ſit diutius immorari, tum quod vereor ne meis elogiis haud dubie infra ejus magnitudinem longe ſubſidentibus, nihil quam obſcuretur: tum etiam quod multo magis ipſa primo ſtatim aſpectu ſe proferat, & vera ſpecie melius ſe explicet, quam ullis verbis enarrari queat. Ergo jam ad argumentum ipſum tranſire ſatius fuerit: unde citra controverſiam protinus conſtabit, præter plurimas alias, & eas eximias dotes, hanc ei proprie competere, quæ nunquam pro dignitate ſatis æſtimetur, quod, ſiquis veram ejus intelligentiam ſit aſſequutus, ad reconditiſſimos quoſque Scripturæ theſauros adeundos habeat apertas fores.

Epiſtola tota ſic methodica eſt, ut ipſum quoque exordium ad rationem artis compoſitum ſit. Artificium quum in multis apparet, quæ ſuis locis obſervabuntur, tum in eo maxime, quod inde argumentum principale deducitur. Nam Apoſtolatus ſui approbationem exorſus, ex ea in Euangelii commendationem incidit: quæ quum neceſſario ſecum trahat diſputationem de Fide, ad eam quaſi verborum contextu manu ducente, delabitur. Atque ita ingreditur principalem totius epiſtolæ quæſtionem, Fide nos juſtificari. in qua tractanda verſatur uſqne ad finem quinti capitis. Sit ergo nobis iſtorum capitum propoſita theſis, Unicam eſſe hominibus juſtitiam, Dei miſericordiam in Chriſto: dum per Euangelium oblata, fide apprehenditur. Verum quia homines ſuis vitiis indormiunt & blandiuntur, & falſa juſtitiæ opinione ſe delndunt, ut ſe indigere fidei juſtitia non putent, niſi jam omni confidentia dejecti; rurſum libidinum dulcedine inebriati, atque in alta ſecuritate demerſi ſunt, ut non facile excitentur ad quærendam juſtitiam, niſi Divini judicii terrore perculſi: utrumque exequitur, ut ſuæ iniquitatis eos convincat, & torporem convictis excutiat.

Principio ab ipſa mundi compoſitione damnat ingratitudinis univerſum hominum genus: quod in tanta operum excellentia Opificem non recognoſcant; imo quum agnoſcere cogantur, non eo quo decet honore proſequantur ejus Majeſtatem, ſed ſua vanitate profanent ac violent. Ita omnes rei peraguntur impietatis, quâ nullum eſt magis deteſtandum flagitium. Ac quo magis eluceat, omnes defeciſſe à Domino, recenſet fœda & horrenda facinora, quibus paſſim ſunt homines obnoxii. Quod manifeſto argumento eſt, à Deo degeneraſſe: quandoquidem illa Divinæ iræ ſigna ſunt, quæ non niſi in impiis extarent. Quoniam autem Jndæi & ex Gentibus quidam, dum externæ ſanctimoniæ velo internam nequitiam obtegebant, minime videbantur horum facinorum arguendi, ideoque communi damnatione eximendi putabantur: in illam fictam ſanctitatem ſtylum dirigit Apoſtolus. Et quoniam ſanctulis illis larva detrahi coram hominibus non poterat, eos ad Dei judicium revocat, cujus oculos neque latentes cupiditates fallunt.

Poſtea facta partitione, ſeorſim Judæos & Gentes ad tribunal Dei ſiſtit. Gentibus excuſationem quam prætendebant ab ignorantia, præcidit: quod conſcientia vice Legis illis foret, à qua ſatis ſuperque arguebantur. Judæos, unde defenſionem captabant, urget maxime: nempe à Lege ſcripta, cujus quum transgreſſores oſtenderentur, iniquitatem inficiari non poterant; quando ipſo Dei ore adverſus eos jam pronuntiata erat ſententia. Simul objectionem excipit, quæ ab ipſis facere videri poterat: nempe qnod Dei fœderi, quod eis erat ſanctificationis nota, injuria fiebat, niſi ab aliis diſcernerentur. HIc primum docet, jure fœderis nihil eos præcellere aliis, quando ſnâ perfidiâ ab eo deſciverint. Deinde nequid Divinæ promiſſionis conſtantiæ derogetur, concedit eis aliquem ex fœdere prærogativam: ſed quæ in Dei miſericordia, non ipſorum merito ſita ſit. ideo quod ad proprias dotes attinet manere Gentibus æquales. Tum Judæos & Gentes eſſe omnes peccatores confirmat ab authoritate Scripturæ: ubi etiam nonnihil attingit de Legis uſu.

Ubi plane humanum genus ſpoliavit & virtutis ſuæ fiduciâ, & juſtitiæ gloriâ, Divinique judicii ſeveritate conſternavit, redit jam ad id quod propoſuerat, Fide nos juſtificari: exponens quæ ſit illa fides, & qualiter per eam nobis acquiratur Chriſti juſtitia. His ſubjicit ad finem capitis tertii inſigne epiphonema, ad retundendam humani ſnpercilii ferociam, ne audeat adverſus Dei gratiam ſe efferre. Et ne Judæi tantam Dei gratiam in gente ſua concluderent, eam Gentibus quoque obiter vendicat.

Capite quarto ab exemplo argumentatur, qnod illuſtre, ideoque cavillis nequaquam obnoxium proponit: in Abraham ſcilicet, qui quum ſit pater fidelium, inſtar regulæ & generalis cujuſdam exemplaris eſſe debet. Illum ergo ubi fide juſtificatum eſſe probavit, nobis eandem tenendam viam docet. Atque hic inſerit, ex contrariorum comparatione ſequi, operum juſtitiam evaneſcere, ubi fidei juſtificationi locus datur. Quod Davidis ſententiâ confirmat, qui quum hominis beatitudinem in Dei miſericordia reponat, operibus hoc adimit, ne beatum hominem reddant. Tum quod ante breviter attigerat, fuſius proſequitur, nihil eſſe cur Judæi præ Gentibus ſe attollant, quibuſcum ſit ex æquo hæc illis communis felicitas, quando juſtitiam Abrahæ in præputio contigiſſe Scriptura narrat. Quo loco nonnihil per occaſionem de uſu Circumciſionis annectit. Poſtea ſubjicit, ſola Dei bonitate niti ſalutis promiſſionem: quia ſi in Legem recumbat, nec quie-

tem

tem allatura ſit conſcientiis, in quibus ipſam oportet ſtabiliri, nec ad ſuum complementum unquam perventura. Proinde nt firma ſit ac certa, oportere nos in ipſa amplexanda ſolam Dei veritatem intueri, non nos ipſos: idque imitatione Abrahæ, qui averſam à ſeipſo conſiderationem in Dei potentiam intendit. In fine capitis, quo propius exemplum illud adductum applicet ad univerſalem cauſam, quæ ſunt utrinque ſimilia comparat.

Quintum caput poſt delibatum juſtitiæ fidei fructum & effectum, totum fere in amplificationibus abſumitur, ad rem melius illuſtrandam. Argumento enim à majori ducto, oſtendit quantum jam redempti & reconciliati Deo, expectare ab ejus charitate debeamus: quæ tam effuſa in peccatores ac perditos fuit, nt impertierit nobis unigenitum atque unice dilectum Filium. Poſtea comparationes habet peccati cum gratuita juſtitia, Chriſti cum Adam, mortis cum vita, Legis cum gratia: unde conſtat infinita Dei bonitate mala noſtra, quamvis ingentia, abſorberi.

Sexto capite deſcendit ad ſanctificationem quam in Chriſto obtinemus. Siquidem carni proclive eſt, ſimul ac levem gratiæ hujus guſtum uſurpavit, vitiis ac libidinibus ſuis placide indulgere quaſi jam defuncta foret. Paulus vero contra hic contendit, non poſſe nos juſtitiam in Chriſto percipere, quin ſimul ſanctificationem apprebendamus. Argumentatur à Baptiſmo, per quem in Chriſti participationem initiamur: illic Chriſto conſepelimur, ut nobis emortui, per ejus vitam ſuſcitemur in vitæ novitatem. Sequitur ergo, ſine regeneratione neminem poſſe induere ipſius juſtitiam. Inde exhortationes ad vitæ puritatem ac ſanctimoniam deducit, quæ neceſſario in iis apparere debent, qui à regno peccati in regnum juſtitiæ traducti ſunt, repudiatâ impiâ carnis indulgentiâ, quæ ſolutiorem peccandi licentiam in Chriſto quærit. Brevem quoque mentionem interſerit Legis abrogatæ, in qua abrogatione elucet Novum Teſtamentum, ubi cum peccatorum oblivione, Spiritus ſanctus promittitur.

Capite ſeptimo ingreditur juſtam diſputationem de Legis uſu, qnem velnt digito prius demonſtrarat, quaſi aliud agens: rationem aſſignans cur à Lege ſoluti ſimus, quia non niſi ad condemnationem per ſe valebat. Quod ne in Legis contumeliam vergeret, fortiter ab omni calumnia ipſam aſſerit. Docet enim noſtrâ culpâ factum, ut in mortis materiam cederet quæ in vitam data erat. Simul exponit quomodo per eam peccatum augeatur. Exin tranſit ad deſcribendam Spiritus & carnis luctam, quam in ſe filii Dei ſentiunt quamdiu carcere mortalis corporis circumdantur: ferunt enim concupiſcentiæ reliquias, quibus aſſidue à Legis obſequio ex parte retrahuntur.

Caput octavum plenum eſt conſolationibus, ne auditâ inobedientiâ quam prius arguerat, ſeu potius imperfectâ obedientiâ, perterritæ fidelium conſcientiæ dejiciantur. Verum ne inde ſibi impii blandiantur, primum teſtatur beneficium hoc nonniſi ad regeneratos pertinere, in quibus Dei Spiritus vivit ac viget. Explicat igitur duo: omnes qui Domino Chriſto per ejus Spiritum ſunt inſerti, extra damnationis periculum & aleam eſſe, utcunque onerati ſint adhuc peccatis. Deinde omnes qui in carne manent, expertes ſanctificationis Spiritus, nequaquam eſſe tanti boni participes. Tum poſtea explicat quanta ſit fiduciæ noſtræ certitudo, quandoquidem Spiritus Dei ſuo teſtimonio dubitationem ac trepidationem omnem abigit. Ad hæc, per anticipationem commonſtrat, non poſſe æternæ vitæ ſecuritatem interpellari aut conturbari præſentibus miſeriis, quibus hæc mortalis vita obnoxios nos tenet: quin potius talibus exercitiis ſalutem noſtram promoveri, ad cujus excellentiam ſi conferantur omnes præſentes miſeriæ, nihili reputabuntur. Id Chriſti exemplo confirmat. qui ut primogenitus eſt, principatum tenens in Dei familia, ita prototypus eſt, cui nos omnes decet conformari. Proinde quaſi ſecuris rebus optimam gloriationem attexit, quâ Satanæ potentiæ & machinamentis animoſe inſultat.

Quando vero plerique permovebantur quum viderent Judæos fœderis primarios cuſtodes atque hæredes, à Chriſto abhorrere: quia ſcilicet inde colligebant aut translatum eſſe fœdus ab Abrahæ poſteritate, quæ fœderis complementum aſpernaretur; aut bunc non eſſe illum redemptorem promiſſum, qui genti Iſraeliticæ non melius conſuleret: huic quæſtioni ab initio noni capitis obviare incipit. Præfatus ergo de ſua erga populares dilectione, ne quid ex odio loqui videatur, ſimul benigne commemoratis quibus præſtabant ornamentis, ad tollendum quod ex eorum cæcitate oriebatur offendiculum, molliter delabitur. Ac facit quidem duplex genus filiorum Abrahæ: ut oſtendat non omnes qui ex eo ſecundum catnem deſcenderunt, cenſeri in ſemine, ad participandam fœderis gratiam. Contra, extraneos, ſi per fidem inſerantur, filiorum baberi loco. Cujus rei exemplum in Jacob & Eſau profertur. Proinde hîc nos ad electionem Dei revocat, unde totum negotium dependere neceſſario repntandum eſt. Porro quum hæc electio ſolâ Dei miſericordiâ nitatur, fruſtra ejus cauſa quæritur in hominum dignitate. Ex adverſo eſt rejectio, cujus tametſi certa eſt juſtitia, cauſa tamen Dei voluntate ſuperior non extat. Circiter finem capitis, tum vocationem Gentium, tum Judæorum reprobationem, Prophetarum vaticiniis teſtatam, commonſtrat.

Capite decimo, rurſum à teſtificatione ſui erga Judæos amoris exorſus, exprimit inanem operum fiduciam illis exitii cauſam eſſe. Et ne Legem obtenderent, contra occurrit. Lege quoque nos ad fidei juſtitiam manu duci. Subjungit hanc juſtitiam, Dei benignitate promiſcue nationibus omnibus offerri: ſed ab iis demum apprehendi, quos Dominus ſpeciali gratia illuminarit. Quod autem plures ex Gentibus quam ex Judæis id boni aſſequuti forent, id quoque à Moſe & Jeſaia prædictum commemorat: quorum alter de Gentium vocatione, alter de Judæorum induratione aperte vaticinatus eſt.

ARGUMENTUM.

Hærebat adhuc tamen quæſtio, An non inter Abrahæ ſemen & alias nationes ex Domini fœdere aliquid eſſet diſcriminis. Hanc dum vult ſolvere, primum admonet, ne opus Domini ad oculi aſpectum limitetur: quando ſæpe notitiam noſtram electi prætereunt. Quemadmodum falſus olim fuit Elias, quum putaret religionem inter Iſraelitas interiiſſe, ſuperſtitibus adhuc ſeptem millibus. Deinde, ne conturbemur incredulorum multitudine, quos videmus Euangelium abominari. Demum aſſeverat, in carnali etiam Abrahæ poſteritate reſidere Domini fœdus: ſed penes eos quos Dominus libera electione prædeſtinavit. Tum ſermonem ad Gentes convertit, ne ſua adoptione nimium ferocientes, illis tanquam rejectis inſultent, quando nulla re illos excellent, niſi dignatione Domini: quæ magis humilitatis materia illis eſſe debet. Quin nec illam à ſemine Abrahæ receſſiſſe: quia Gentium fide tandem provocandi ſint Judæi ad æmulationem; ut ita Dominus totum Iſraëlem ſuum recolligat.

Tria quæ ſequuntur capita, parænetica ſunt: ſed varie diſtincta. Duodecimum generalibus præceptis Chriſtianam vitam informat. Decimum tertium bona ex parte in aſſerendo Magiſtratuum jure verſatur. Unde non dubia conjectura colligimus fuiſſe tum quoſdam inquietos, qui libertatem Chriſtianam ſtare non putarent, niſi deturbata civili poteſtate. Verum ne quid videretur imponere Eccleſiæ Paulus præter officia charitatis: hanc quoque obedientiam ſub charitate contineri indicat. Poſtea ſubnectit, quæ nondum recenſuerat, ad inſtruendam vitam præcepta. Proximo capite exhortationem ſuſcipit, eo¡ſeculo in primis neceſſariam. Nam quum eſſent qui ſuperſtitione obſtinatiori inſiſterent obſervationibus Moſaicis, earum neglectum ferre non poterant ſine graviſſima offenſione. Qui in earum abrogatione confirmati erant, ad convellendam ſuperſtitionem, datâ operâ præ ſe ferebant earum contemptum. Utrique intemperie delinquebant. Nam ſuperſtitioſi alios condemnabant, ceu Divinæ legis contemptores: hi viciſſim intempeſtive illorum ſimplicitatem illudebant. Ergo convenientem utriſque moderationem Apoſtolus adhibet: arcens hos quidem à faſtu & inſultatione; illos, à moroſitate nimia. Simul optimam rationem præſcribit libertatis Chriſtianæ, ut intra charitatis & ædificationis terminos conſiſtat: & imbecillis probe conſulit, dum vetat quidpiam attentare reluctante conſcientia.

Decimumquintum incipit à repetitione generalis ſententiæ, veluti totius diſputationis clauſula, ut fortiores robur ſuum conferant ad confirmandos imbecilles. Quoniam autem ex ceremoniis Moſaicis perpetuum diſſidium inter Judæos ac Gentes ferebatur, componit omnem inter eos æmulationem, ſublatâ ſuperbiendi materiâ. Docet enim utriſque conſtare ſalutem ſolâ Dei miſericordiâ: quâ ſubnixi, omnem altitudinem deponere; quâ inter ſe conjuncti in ſpe unius hæreditatis, ultro citroque ſe amplexari, debeant. Poſtremo in Apoſtolatus ſui commendationem digredi volens quæ non parum authoritatis ejus doctrinæ conciliabat, occaſionem ſumit ab excuſatione & deprecatione temeritatis, quod ſibi tam confidenter locum doctoris ſumpſiſſet inter eos. Præterea ſpem adventus ſui nonnullam facit, quam ſe hactenus fruſtra expetiiſſe & tentaſſe in exordio meminerat: idque facit addita ratione quæ ipſum iu præſens remoretur; nempe quia ſibi ab Eccleſiis Macedonicis & Achaicis cura demandata erat perferendæ Jeroſolymam eleemoſynæ, quam ad ſublevandam Fidelium qui illic erant egeſtatem, contulerant. Poſtremum caput totum fere ſalutationibus abſumitur: niſi quod præceptis quibuſdam non contemnendis aſperſum, egregia precatione clauditur.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

PAulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſelectus in Euangelium Dei,

2. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis:

3. De Filio ſuo, qui factus eſt è ſemine David ſecundum carnem,

4. Declaratus Filius Dei in potentia, per Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum, Jeſu Chriſto Domino noſtro:

5. Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum in obedientiam fidei inter omnes Gentes, pro nomine ipſius:

6. Inter quas eſtis etiam vos, vocati Jeſu Chriſti:

7. Omnibus qui Romæ eſtis, dilectis Deo, vocatis ſanctis: gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

1. P*Aulus*] De nomine Pauli ſubticerem prorſus: quando res non ejus eſt momenti quæ dio nos morari debeat: & nihil afferri poteſt quod non ſit apud alios interpretes decantatum: niſi & levi opera ſatisfacere aliis liceret, ſine magno alinrum faſtidio. brevibus enim perſtringetur hæc quæſtio. Qui nomen hoc Apoſtolum ſibi aſciviſſe putant taoquam trophæum ſubjugati Cbriſto Sergii Proconſulis, à Luca ipſo cnnfutantur: *Act. 13. v.7, 9.* qui ante illud tempus ita fuiſſe vocatum oſtendit. Nec mibi ſit veriſimile, fuiſſe illi inditum ex quo Chriſtn nomine dedit. Quod Auguſtino placuiſſe hoc tantum nomine puto, ut argute philoſnphandi occaſionem arriperet, dum ex ſuperbo Saule, parvulum Cbriſti diſcipulum factum differit. Probabilior Origenis ſententia, qui binomium fuiſſe judicat. Nnn enim à ſpecie veri abhorret, nomen Saulis gentilitium illi à parentibus fuiſſe impoſitum quod religionem & genus indicaret: ſuperadditum alterum Pauli, quod jus Romanæ civitatis teſtaretur: quod ſcilicet neque bunc honorem, qui tunc magno æſtimabatur, obſcurari io ipſo vellent: neque tanti ducerent ut Iſraëlitici generis notam induceret. Pauli vero nomen frequentius in epiſtolis ideo forte uſurpavit, quod apud Eccleſias quibus ſcribebat, magis erat celebre & uſitatum, magis gratioſum in Romano Imperio, io ejus cognatione minus cognitum. Neque enim illi negligendum fuit, ut ſupervacuam ſuſpicionem fugeret & odium, qun tunc Judaicum nomen laborabat apud Romanos & provinciales, atque à rabie ſuotum inflammanda abſtineret, ſibique caveret. *Servus Jeſu* &c.] His titulis ſe inſignit, qun doctrinæ auctoritatem conciliet. Idque facit bifariam: primo dum vocationem ſuam io Apoſtolatum aſſerit: deinde ubi eam ab Eccleſia Romana non alienam docet. Utrumque enim magni referebat, ut Dei vocatione Apoſtolus haberetur, ut ſciretur Eccleſiæ quoque Romanæ deſtinatus. Miniſtrum ergo Cbriſti, & ad munus Apoſtoli vocatum ſe dicit, qun ſignificet, non temere ſe illuc irrupiſſe. Continun poſt ſelectum ſe dicit, qun melius confirmet, non ſe quemlibet eſſe ex populn, ſed eximium Domini Apoſtolum. Quo etiam ſenſu à genere ad ſpeciem inferiorem prius deſcenderat: quandoquidem Apoſtolatus miniſterii eſt ſpecies. Nam quiſquis docendi munus ſuſtinet, inter Chriſti ſervos cenſetur: ſed Apoſtoli, gradu honoris inter alios omnes longe excellunt. Selectio autem iſta quam deinde commemorat, finem ſimul & uſum Apoſtolatus exprimit. Voluit enim breviter indicare quorſum vocatus ad iſtam functionem foret. Ergo quod ſe prædicat Servum Chriſti, hoc habuit cum univerſis doctoribus commune. Apoſtoli titulum ſibi vendicando, aliis ſe anteponit: ſed quia nihil auctoritatis meretur qui ſponte ſe ingerit, ſe à Deo inſtitutum admonet. Ita ſenſus erit, Paulum eſſe Chriſti miniſtrum, nec quemlibet, ſed Apoſtolum, idque Dei vocatinne, non temerario conatu. Tum ſequetur clarior explicatio muneris Apoſtolici, nempe quod ordinatus ſit in Euangelii præconium. Neque enim iis aſſentior qui eam de qua loquitur vocationem, ad æternam Dei electionem referuot: ſegregationem intelligunt, vel illam ab utero matris, de qua meminit ad Galatas; vel qua *Gal.1:15.* Gentibus eſſe deſtinatum refert Lucas. Simpliciter enim ſe Deum habere auctorem gloriatur, ne quis eum privata audacia ſibi honorem ſumere putet. Hic obſervandum, non nmnes eſſe verbi miniſterin idoneos, in quo requiritur ſpecialis vocatio. Imo eis qui ſibi maxime idonei videntur, curandum ne ſine vocatione ſe proripiant. Porro qualis ſit Apoſtolorum vocatio, qualis Epiſcoporum, alibi videbitur. Notandum etiam, officium Apoſtoli eſſe Euangelii prædicationem. Unde apparet quam ridiculi ſint iſti canes muti, qui quum mitra tantum & lituo, ac ejuſmodi larvis ſint conſpicui, ſe tamen Apoſtolorum ſucceſſores jactant. Servi nomen nihil aliud quam miniſtrum ſignificat. nam ad officium refertur. Quod ideo dico, ut tollatur eorum hallucinatio qui io vocabulis Servi ſine cauſa philoſophantur, dum antitheſin ſubeſſe putant inter Moſis & Cbriſti ſervitutem.

2. *Quod ante promiſerat* &c.] Quia multum decedit doctrinæ quæ ſuſpecta eſt novitatis, fidem

Euangelii ſtabilit ex vetuſtate: acſi diceret, Chriſtum non in terras ſubitum decidiſſe, aut novum doctrinæ genus & prius inauditum importaſſe: ſiquidem ipſe cum ſuo Euangelio promiſſus ab exordio mundi fuit, & ſemper expectatus. Jam quia fabuloſa eſt ſæpe antiquitas, adjungit teſtes, & eos quidem claſſicos, ad ſuſpicionem omnem eximendam: nempe Dei Prophetas. Tertio addit, eorum teſtimonia rite eſſe conſignata: nempe in Scripturis ſanctis. Ea hoc loco licet colligere quid ſit Euangelium: quod non à Prophetis promulgatum fuiſſe, ſed promiſſum tantum, docet. Ergo ſi Prophetæ Euangelium promittebant, ſequitur, manifeſtato demum in carna Domino, exhibitum fuiſſe. Falluntur ergo qui promiſſiones cum Euangelio confundunt: quum proprie Euangelium ſit ſolenne præconium manifeſtati Chriſti, in quo promiſſiones ipſæ exhibentur.

3. *De Filio ſuo*, &c.] Inſignis locus, quo docemur totum Euangelium in Chriſto contineri: ne quiſquis à Chriſto pedem unum dimoverit, ab Euangelio ſe ſubducat. Nam quum ipſe viva ſit & expreſſa imago Patris: non mirum eſt, eum ſolum nobis proponi ad quem ſe tota fides noſtra applicet, & in quo conſiſtat. Eſt igitur quædam Euangelii deſcriptio, qua deſignat Paulus quid in ipſo ſummatim comprehendatur. In eodem caſu reddidi voces quæ ſequuntur, *Jeſu Chriſto* &c. quia hic contextus magis congruere mihi videbatur. Unde conſtituendum eſt, eum qui in Chriſti cognitione rite profecit, quicquid ex Euangelio diſci poteſt, conſequutum eſſe. Sicut econverſo, qui extra Chriſtum ſapere appetunt, non deſipiunt modo, ſed penitus inſaniunt.

Qui factus eſt &c.] Duo ſunt in Chriſto quærenda, quo ſalutem in ipſo reperiamus: divinitas, & humanitas. Divinitas in ſe continet potentiam, juſtitiam, vitam, quæ per humanitatem nobis communicantur. quare utramque in Euangelii ſumma nominatim poſuit Apoſtolus, quod exhibitus in carne Chriſtus fuit, & in ea Filium eſſe Dei declaravit: quemadmodum & Joannes, poſtquam Sermonem factum eſſe carnem dixerat, ſubjungit extitiſſe gloriam quaſi unigeniti Filii Dei in carne ipſa. *Joan. 1. verſ. 14.* Quod genus & originem Chriſti à Davide atavo ſpecialiter notat, non eſt ſupervacuum: hac enim particula nos revocat ad promiſſionem, ne dubitemus hunc ipſum eſſe qui promiſſus olim fuit. Adeo celebris erat promiſſio facta Davidi, ut conſtet uſu receptum fuiſſe inter Judæos Meſſiam filium Davidis nuncupari. Hoc ergo ad certitudinem fidei noſtræ ſpectat, Chriſtum à Davide eſſe ortum. Addit, *ſecundum carnem*: ut intelligamus ipſum habere aliquid carne ſuperius, quod attulerit è cælo, non autem à Davide ſumpſerit: nempe quod mox ſubjicit de gloria Deitatis. Porro bis verbis non modo veram carnis eſſentiam Chriſto aſſerit Paulus, ſed humanam in eo naturam à divina clare diſtinguit: atque ita refutat impium Serveti delirium, qui carnem affinxit Chriſto ex tribus increatis elementis compoſitam.

4. *Declaratus Filius Dei* &c.] Si mavis, *Definitus*: acſi diceret virtutem reſurrectionis eſſe inſtar decreti quo ſit pronunciatus Dei Filius: ſicuti habetur Pſalm. 2. v. 7. Ego hodie genui te. nam genitura illa ad notitiam refertur. Quanquam autem ſeorſum tria hic ſpecimina divinitatis Chriſti quidam faciunt: per virtutem miracula intelligentes, deinde teſtimonium Spiritus, poſtremo reſurrectionem mortuorum: ego ſimul conjungere malo, & ad unum hæc tria referre hoc modo, Chriſtum eſſe definitum Filium Dei, exerta palam vere cæleſti & eadem Spiritus potentia, quum à mortuis reſurrexit: ſed eam potentiam comprehendi, dum cordibus obſignatur per eundem Spiritum. Cui interpretationi bene ſuffragatur Apoſtoli phraſis: dicit enim declaratum fuiſſe in potentia, quod ſcilicet potentia in eo refulſerit quæ eſſet Dei propria, ipſumque eſſe Deum indubie probaret. Ipſa vero enituit quidem in illius reſurrectione: ſicut alibi idem Paulus, ubi in morte, carnis infirmitatem appamiſſe confeſſus eſt, virtutem Spiritus in reſurrectione commendat. 2 Cor. 13. v. 4. Nobis tamen non innoteſcit illa gloria, donec eam cordibus noſtris idem Spiritus obſignat. Quod autem Paulus una cum admirabili Spiritus efficacia, quam Chriſtus è morte reſurgendo oſtendit, teſtimonium quoque quod ſinguli fideles in cordibus ſuis ſentiunt, comprehendat, vel ex eo patet, quod ſanctificationem nominatim exprimit: acſi diceret, Spiritum, quatenus ſanctificat, ſancire, ratumque facere illud virtutis ſuæ documentum quod ſemel edidit. Scriptura enim Spiritum Dei epithetis notare ſæpe ſolet, præſenti argumento accommodatis. Sic vocatur à *Joan. 14.* Domino Spiritus veritatis, ab effectu de quo illic *verſ. 17.* loquebatur. Porro divina potentia ideo in Chriſti reſurrectione effulſiſſe dicitur, quod ſuapte virtute *Joan. 2.* reſurrexit: ut teſtatus eſt aliquoties. Solvite tem- *verſ. 19.* plum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Nemo tollit *Joan. 10.* animam à meipſo, &c. *verſ. 18.* Nam de morte (cui pro carnis infirmitate ceſſerat) victoriam non precario auxilio, ſed cæleſti Spiritus ſui operatione adeptus eſt.

5. *Per quem accepimus* &c.] Poſt finitam Euangelii deſcriptionem (quam pro muneris ſui commendatione interſeruit) nunc redit ad vocationem ſuam aſſerendam, quam magnopere referebat teſtatam eſſe Romanis. Quod autem Gratiam & Apoſtolatum ſeorſum nominat, eſt hypallage, pro gratuito Apoſtolatu, ſeu gratia Apoſtolatus: quo ſignificat, id totum divinæ eſſe beneficentiæ, non ſuæ dignitatis, quod cooptatus ſit in tantum ordinem. Nam etſi coram mundo nihil fere habet præter diſcrimina, labores, odia, infamiam: apud Deum tamen & ſanctos ejus non eſt vulgaris nec modicæ dignitatis. merito igitur gratiæ loco habetur. Si mavis dicere, Accepi gratiam ut eſſem Apoſtolus, idem erit. Quod dicitur, *Pro nomine:* Ambroſius exponit, quod vice Chriſti conſtitutus fuerit ad Euangelium publicandum: ſecundum illud, Pro Chriſto *2 Cor. 5.* legatione fungimur. *verſ. 20.* Sanior tamen videtur eorum opinio qui Nomen accipiunt pro notitia: quia in *1 Joan. 3.* hoc prædicatur Euangelium ut credamus in nomen *verſ. 23.* Filii Dei. Et Paulus ipſe dicitur organum electum, *Actor. 9.* ut nomen Chriſti portet inter Gentes. *verſ. 15.* Pro nomine ergo, tantundem valet acſi dixiſſet, ut manifeſtem qualis ſit Chriſtus.

In obedientiam fidei &c.] Hoc eſt, Accepimus mandatum Euangelii ad omnes Gentes perferendi cui illæ per fidem obediant. A fine ſuæ vocationis Romanos viciſſim officii admonet: acſi diceret, Meum quidem eſt exequi munus mihi demandatum, quod eſt, verbum annunciare: veſtræ autem partes, auſcultare verbo cum omni obedientia: niſi vultis irritam facere vocationem quam Dominus mihi impoſuit. Unde colligimus, Dei imperio contumaciter reſiſtere, ac pervertere totum ejus ordinem, qui Euangelii prædicationem irreverenter & contemptim reſpuunt, cujus finis eſt nos in obſequium Dei cogere. Hic quoque obſervanda eſt fidei natura: quæ nomine Obedientiæ ideo inſignitur, quod Dominus per Euangelium nos vocat; nos vocanti, per fidem reſpondemus. Sicuti contra, omne adverſus Deum contumaciæ caput eſt infidelitas. In obedientiam fidei malui reddere, quam Ad obediendum. quod poſterius, niſi improprie & figurate, dici non poteſt: quanquam ſemel in Actis legitur. *Act. 6: 7.* Fides enim proprie eſt per quam obeditur Euangelio.

Inter omnes Gentes: in quibus &c.] Non ſatis erat, deſignatum eſſe Apoſtolum, niſi ejus miniſte-

rium

riom diſcipules reſpiceret. Ideo adjungit, patere ſuum Apoſtolatum ad omnes Geotes. Mox apertius Romanorum Apoſtolum ſe vocat, quum ait, comprehendi & ipſos in numero Gentium, quibus datus ſit miniſter. Porro commune babent mandatum Apoſtoli de prædicando Euangelio per univerſum orbem: oeque certis Eccleſiis, ut Paſtores & Epiſcopi, præficiuntur. Paulus autem præter generalem Apoſtolicæ functionis provinciam, Euangelii inter Gentes promulgandi miniſter fuit ſpeciali jure
Act. 9: 6. conſtitutus. Nec obeſt quod vetitus eſt tranſire per Macedoniam, & loqui verbum in Myſia: quod factum eſt, non ut illi, certi fines limitarentur: ſed quia pro tempore alio properandum erat, illic autem nondum maturuerat meſſis.

6. *Vocati Jeſu Chriſti.*] Propiorem rationem aſſignat: quia ſcilicet Dominus jam ediderit in eis ſpecimen quo declaravit ſe ad Euangelii communicationem ipſos vocare. Unde ſequebatur, ſi vocationem ſuam ſtare vellent, non repudiandum eis eſſe miniſterium Pauli, qui eadem Domini electione aſſumptus fuerat. Itaque hanc particulam, Vocati Jeſu Cbriſti, per declarationem accipio, acſi intercederet dictio Nempe. ſignificat vero, eſſe Chriſti participes per vocationem. Nam & in Chriſto à Patre cæleſti eliguntur in filios, qui futuri ſunt æternæ vitæ hæredes: & electi, in ejus, tanquam paſtoris cuſtodiam ac fidem committuntur. *Omnibus qui eſtis Romæ.* Pulchro ordine demonſtrat quid ſit in nobis commendatione dignum. Primum quod nos Dominus ſua benignitate ſuſceperit in gratiam ac dilectionem. Deinde quod vocaverit. Tertio quod vocaverit ad ſanctitatem. quæ demum commendatio locum babet, ſi vocationi noſtræ non deſumus. Hic vero nobis ſuggeritur uberrima doctrina, quam ego breviter perſtringens, ſingulis meditandam relinquo. Certe penes oos ſalutis noſtræ laudem non ſtatuit Paulus, ſed ex fonte gratuitæ Dei & paternæ erga nos dilectionis totam derivat. Hoc enim principium facit, quod nos Deus amet. Quæ porro illi amoris cauſa, niſi mera ſua bonitas? Hinc & vocatio dependet, qua ſuam adoptionem in iis quos prius gratis elegit, ſuo tempore obſignat. Cæterum & hinc colligimus, nullos ſe rite fidelium numero aggregare, quin Dominum ſibi benevolum eſſe certo confidant, licet immeritis ac miſeris peccatoribus: & ejus bonitate excitati, aſpirent ad ſanctitatem. Non enim ad immunditiam nos vocavit, ſed in ſan- 1 Theſſ. 4.
ctificationem, &c. Quum Græca reddi per ſecun- verſ. 7.
dam perſonam poſſent, non vidi rationem mutandæ perſonæ.

Gratia & pax.] Nihil prius optandum quam ut Deum propitium habeamus: quod deſignatur per Gratiam. Deinde ut ab eo proſperitas & ſucceſſus omnium rerum fluat: qui ſignificatur Pacis vocabulo. Nam utcunque videantur arridere omnia: ſi infenſus eſt Deus, benedictio etiam ipſa in maledictionem vertitur. Unicum igitur felicitatis noſtræ fundamentum, Dei benevolentia: qua fit ut vera ſolidaque fruamur proſperitate, & ipſis quoque adverſis rebus ſalus noſtra provehatur. Deinde ex eo quod pacem à Domino precatur, intelligimus, quicquid boni obvenit nobis, divinæ beneficentiæ fructum eſſe. Neque omittendum, quod ſimul à Domino Jeſu hæc bona comprecatur. Merito enim ei redditur hic honor, qui non modo paternæ erga nos benignitatis eſt adminiſter & diſpenſator, ſed omnia cum eo in commune operatur. Proprie tamen voluit notare Apoſtolus, omnia Dei beneficia per ipſum ad nos pervenire. Sunt qui per Pacis vocabulum, conſcientiæ tranquillitatem intelligere malunt: quam ſignificationem interdum ei competere non nego: ſed quum certum ſit, Apoſtolum ſummam bonorum voluiſſe hic perſtringere, prior illa interpretatio quæ affertur à Bucero, multo eſt convenientior. Ergo ſummam felicitatis piis volens optare, ad fontem ipſum (ſicuti nuper) ſe confert, nempe Dei gratiam, quæ una non modo æternam beatitudinem nobis affert, ſed omnium in hac vita bonorum cauſa eſt.

8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum ſuper vobis omnibus,
quia fides veſtra prædicatur in univerſo mundo.
9. Teſtis enim mihi eſt Deus, quem colo in ſpiritu meo in Euangelio Filii ipſius, ut
continenter memoriam veſtri faciam
* Vel, in omnibus. 10. * Semper in orationibus meis: rogans ſi quo modo proſperum iter aliquando mihi
obtingat per voluntatem Dei, veniendi ad vos.
11. Deſidero enim videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum ſpirituale ad vos
confirmandos:
12. Hoc eſt, ad cohortationem mutuo percipiendam in vobis per mutuam fidem, ve-
ſtram atque meam.

8. *Primum quidem.*] Hic exordium incipit, aptiſſimum ad cauſam: ſiquidem rationibus tam à ſua, quam eorum perſona ſumptis, eos ad docilitatem opportune præparat. Ex eorum perſona ratio eſt, quod celebritatem fidei eorum commemorat. innuit enim publico Eccleſiarum præconio eſſe oneratos, ut reſpuere nequeant Apoſtolum Domini, quin præſumptam ab omnibus de ſe opinionem fallant: quod inhumanum, & quodammodo perfidiæ propinquum habetur. Hoc igitur teſtimonium ut merito inducere Apoſtolum debuerat, quo ſecuritate obedientiæ concepta, Romanos pro officio docendos & inſtituendos ſuſciperet: Romanos ipſos viciſſim obligatos tenebat ne ejus auctoritatem ſpernerent. A ſua ipſius perſona ipſos ad docilitatem inclinat teſtificatione ſinceræ ſuæ dilectionis. Nihil autem conſultori efficacius ad faciendam fidem, quam ſi opinionem hanc ſit adeptus, ut putetur nobis ex animo ſtudere ac proſpicere. Primum hoc animadverſione dignum, quod eorum fidem ſic laudat, ut tamen Deo ferat acceptam. Quo docemur, fidem eſſe donum Dei. Nam ſi gratiarum actio, beneficii agnitio eſt: fidem eſſe à Deo fatetur qui de ipſa gratias Deo agit. Quando autem videmus Apoſtolum ſuas gratulationes ſemper à gratiarum actione ordiri: ſciamus nos admoneri, bona omnia noſtra, Dei eſſe beneficia. Quin etiam talibus loquendi formulis aſſueſcere expediat, quibus nos ſemper acrius extimulemus ad agnoſcendum Deum bonorum omnium largitorem: alioſque una ad eandem cogitationem erigamus. Id ſi in minutulis benedictionibus obſervare convenit, multo magis in fide: quæ nec mediocris nec promiſcua eſt Dei gratia. Præterea hic habemus exemplum, quomodo per Chriſtum agendæ ſunt gratiæ: ſecundum Apoſtoli præceptum, ad Hebr. 13. cap. verſ. 15. quemadmodum in ipſius nomine miſericordiam à Patre & petimus & obtinemus. Poſtremo *Deum ſuum* nuncupat. Specialis hæc fidelium prærogativa, quibus ſolis id honoris Deus defert. Subeſt enim mutua relatio, quæ in promiſſione exprimitur, Ero illis in Jer. 30.
Deum: ipſi erunt mihi in populum. Quanquam ad verſ. 22.

Digitized by Google

perſonam quam ſuſtinebat Paulus, reſtringere malo: ut ſit approbatio ejus obſequii quod Domino præſtat in Euangelii prædicatione. Sic Ezechias Deum vocat Jeſaiæ Deum, quum veri & fidelis Prophetæ teſtimonium illi reddere vult, Jeſaiæ 37. v. 4. Sic & Danielis vocatur Deus per excellentiam: quia Daniel purum ejus cultum aſſetuerat.

Dan. 6. verſ. 19.

Ab univerſo mundo.] Proborum hominum præconium erat Paulo inſtar univerſi orbis io æſtimanda Romanorum fide. Neque enim ſincerum vel probabile de ea teſtimonium reddere poterant infideles, quibus execrationi potius erat. Prædicatam ergo in toto orbe fidem Romanorum intelligamus omnium fidelium ore, qui de ipſa recte & ſentire & pronunciare poterant. Quod impiis ne Romæ quidem noſcitabatur hæc exigua & ignobilis hominum manus, nihil id retulit: quando eorum judicium, tanquam nihili, non morabatur Paulus.

9. *Teſtis enim mihi eſt Deus.*] Charitatem ſuam oſtendit ab effectis. Niſi enim vehementer eos amaſſet, non ita ſollicite commendaſſet eorum ſalutem Domino, præſertim vero ſua opera eandem promovere non tam ardenter deſideraſſet. Illa igitur ſollicitudo, illud deſiderium, certa ſunt dilectionis ſigna: quia niſi ab eo oriantur, eſſe nunquam poſſunt. Quoniam autem expedire noverat ad ſtabiliendam prædicationi ſuæ fidem, Romanos de ſua ſinceritate bene eſſe perſuaſos: juramentum adhibuit: neceſſarium remedium quoties oratio, quam firmam ac indubitatam eſſe operæpretium eſt, incertitudine vacillat. Nam ſi juramentum nihil aliud eſt quam Dei atteſtatio ad ſermonis noſtri confirmationem, ſtultiſſime quis inficietur juraſſe Apoſtolum. neque tamen Chriſti interdictum transgreſſos eſt. Unde conſtat non fuiſſe Chriſti conſilium (ut ſuperſtitioſuli Anabaptiſtæ ſomniant) abolere in totum juramenta, ſed potius ad veram Legis obſervationem revocare. Lex autem, permiſſo juramento, perjurium modo & ſupervacuum jusjurandum damnat. Ergo ſi volumus rite jurare, jurisjurandi ſobrietatem ac religionem quæ in Apoſtolis apparet, imitemur. Quo autem formulam iſtam intelligas, ſcito Deum ita appellari teſtem, ut ſimul ultor advocetur, ſi fallimus. quod alibi Paulus exprimit his verbis, Teſtis mihi Deus in animam meam.

2 Cor. 1. verſ. 23.

Quem colo in ſpiritu meo.] Quia profanis hominibus qui Deo illudunt, ejus nomen non minus ſecure quam temere obtendere moris eſt, hic ſuam pietatem commendat Paulus ut fidem ſibi conciliet. Nam apud quos viget Dei timor & reverentia, hi falſo jurare horrebunt. Porro ſpiritum ſuum opponit externæ larvæ. Nam quia multi ſe falſo venditant pro Dei cultoribus, & tales in ſpeciem apparent, teſtatur ſe ex animo Deum colere. Forte etiam od veteres ceremonias reſpexit, quibus ſolis Dei cultum æſtimabant Judæi. Significat ergo, etiamſi exercitium illud non habeat, ſe nihilominus integrum eſſe Dei cultorem: ſicut ad Philip. 3. v. 3. Nos ſumus vera Circumciſio, qui ſpiritu Deo ſervimus, & non gloriamur in carne. Itaque ſe gloriatur Deum colere ſincera animi pietate, quæ vera eſt religio, cultuſque legitimus. Referebat autem (ut nuper dixi) quo majorem haberet certitudinem jusjurandum, ut Paulus ſuam in Deum religionem teſtaretur. Impiis enim perjurium luſus eſt: quod pii gravius mille mortibus exhorrent. Fieri enim nequit quin ubi eſt ſerius Dei timor, talis quoque ſit nominis ejus reverentia. Ergo perinde eſt acſi diceret Paulus, ſcire ſe quanta ſit jurisjurandi ſanctitas & religio, nec ſe temere, ut profani homines ſolent, Deum advocare teſtem. Atque ita ſuo exemplo docet, quoties juramus, talem pietatis ſignificationem dandam à nobis eſſe, ut Dei nomen quod dictis noſtris interponimus, ſuum pondus habeat. Deinde à ſigno probat, quomodo Deum non ficte colat, nempe miniſterio ſuo. Erat enim ampliſſimum illud ſpecimen, eſſe hominem Dei gloriæ deditum qui abnegato ſeipſo, quaslibet difficultates ignominiæ, egeſtatis, mortis, odiorum obire non dubitaret pro exaltando Dei regno. Quidam accipiunt hanc particulam, quaſi voluerit Paulus cultum illum quo ſe proſequi Deum dixerat, ex eo commendare, quod Euangelii præſcripto reſpondeat. certum eſt autem ſpiritualem Dei cultum in Euangelio nobis præcipi. Sed prior interpretatio longe melius quadrat, nempe quod ſuum Deo obſequium addicat in Euangelii prædicatione. Diſtinguit ſe tamen interim ab hypocritis, quibus aliud eſt propoſitum quam Deo ſervire: ut pleroſque ambitio aut aliquid tale impellit, multumque abeſt ut omnes ex animo & fideliter in eo munere ſe gerant. Summa eſt, quod ſincere Paulus in docendi officio verſatur: quia circumſtantia, quod de ſua pietate dixit, ad præſentem cauſam accommodat. Sed hinc colligimus utilem doctrinam, quæ Euangelii miniſtris non parum animi addere debet, quum audiunt ſe cultum Deo gratum & pretioſum impendere, Euangelium prædicando. Quid enim eſt quod eos impediat, ubi Deo ſciunt laborem ſuum placere & probari, ut eximius cultus cenſeatur? Porro Euangelium Filii Dei vocat quo Chriſtus illuſtratur, ſignatus in hoc à Patre, ut dum ipſe glorificatur, Patrem viciſſim glorificet.

Ut continenter.] Majorem exprimit adhuc amoris vehementiam ex ipſa orandi aſſiduitate. Magnum enim erat, nullas preces ad Dominum fundere ubi non faceret eorum mentionem. In quo autem clariorem babeamus ſenſum, ego vocem μνείαν vice nominis accipio: acſi dictum foret, In omnibus meis orationibus, ſeu quoties precibus Deum appello, adjungo veſtri mentionem. Loquitur autem non de qualibet Dei invocatione, ſed de precationibus illis, quibus dum ſancti vacare volunt, ſepoſitis curis omnibus in eas totum ſtudium intendunt. Sæpe enim potuit in hoc aut illud votum ſubito erumpere, ut tamen Romani in memoriam illi non venirent: ſed quoties ex profeſſo & quaſi meditatus Deum orabat, illorum quoque habebat rationem inter alios. De precationibus ergo peculiariter loquitur, ad quas ſancti deſtinato ſe componunt: quemadmodum videmus Dominum ipſum talibus ſeceſſum quæſiiſſe. Simul tamen innuit quam frequens, vel potius continuus in illis fuerit, dum ait indeſinenter ſe incubuiſſe.

10. *Poſtulans ſi quo modo.*] Quia veriſimile non eſt, ejus bonis ex animo nos ſtudere quem non ſimus parati noſtra quoque opera adjuvare: poſtquam ſuam in commendanda eorum ſalute ſollicitudinem prædicavit, nunc addit ſe alio quoque argumento ſuum amorem coram Deo teſtari, poſtulando ſcilicet ut uſui eſſe poſſit. Quare ut habeas plenum ſenſum, lege hæc verba perinde acſi interpoſita eſſet dictio *etiam*, *Poſtulans etiam ſi quo modo* &c. Quum autem dicit, *Proſperum iter in voluntate Domini:* declarat non tantum ſe expectare à Domini gratia proſperitatem viæ, ſed inde æſtimare proſperum iter ſi Domino probatur. Ad quam regulam debent eſſe compoſita omnium vota.

11. *Deſidero enim videre vos,* &c.] Poterat utcunque abſens, eorum fidem confirmare ſua doctrina: ſed quoniam ex re præſenti conſilium ſemper melius capitur, ideo cupiebat potius coram. Finem autem conſilii exponit, ut ſignificet, non ſuo, ſed eorum commodo, profectionis moleſtiam velle ſuſcipere. *Chariſmata ſpiritualia* vocat quas habuit vel doctrinæ, vel exhortationis, vel prophetiæ dotes: quas ſibi ex Dei gratia proveniſſe noverat. Hic eorum donorum legitimum uſum ſcite notavit ſub communicationis verbo. Ideo enim peculiariter unicuique diverſa dona diſtribuuntur, ut inter ſe beni-

gne

gne omnes mutuo conferant, & alii in alios transfundant quæ apud ſingulos ſunt depoſita. Infra 12. verſ. 3. & 1 Corinth. 12. verſ. 81.

Ad confirmandos vos.] Temperat id quod de communicatione dixerat: ne videatur tales eos ducere qui ſint adhuc primis elementis inſtituendi, acſi nondum Chriſto rite initiati eſſent. Dicit ergo ſe in ea parte cupere illis commodare ſuam operam, ubi juvandi ſunt adhuc qui maxime profecerunt. Confirmatione enim indigemus omnes donec in nobis Chriſtus ſolide adoleverit. Epheſ. 4. v. 13. Nec contentus hac modeſtia, ſubjicit præterea epanorthoſin ſeu correctionem, qua oſtendit, ſe ſibi non ita docendi locum uſurpare, quin mutuo ab illis diſcere cupiat. acſi diceret, Sic ſtudeo vos confirmare ſecundum gratiæ modum mihi collatum, ut fidei etiam alacritatem exemplo veſtro capiam: atque ita viciſſim inter nos proficiamus. Vide in quantam moderationem ſe ſubmittat pium pectus, quod non recuſat à rudibus tirunculis confirmationem petere. Neque tamen ſimulanter loquitur. ſiquidem nemo eſt adeo inops in Eccleſia Chriſti, qui non poſſit aliquid in profectum noſtrum momenti adferre: ſed impedimur malignitate ac ſuperbia, quo minus talem ultro citroque fructum colligamus. Is eſt noſter faſtus, ea ſtolidæ gloriæ ebrietas, ut aliis deſpectis ac valere juſſis, ſibi quiſque abunde ſufficere ſe putet. Ego cum Bucero *cohortationem* potius lego quam *conſolationem*: quia melius cum ſuperioribus cohæret.

13. Nolo vero vos ignorare, fratres, quod ſæpe propoſui venire ad vos, & impeditus ſum hactenus: ut fructum aliquem haberem in vobis, ſicut in reliquis Gentibus.

14. Et Græcis, & Barbaris, & ſapientibus, & ſtultis debitor ſum.

15. Itaque, quantum in me eſt, paratus ſum vobis quoque qui Romæ eſtis, euangelizare.

13. *Nolo vos ignorare.*] Quod hactenus teſtatus fuerat, ſe aſſidue poſtulare à Domino, ut eos aliquando inviſere liceret: id quia vanum videri poterat, niſi oblatas occaſiones arriperet, ejus nunc fidem facit. dicit enim, conatum non defuiſſe, ſed facultatem: quia à captato ſæpe conſilio impeditus fuerit. Unde diſcimus, Dominum evertere frequenter ſanctorum conſilia, quo ipſos humiliet, ac tali humiliatione exerceat ad providentiam ſuam reſpiciendam, ut ex ea pendeant: quanquam non proprie depelluntur ſancti ſuis conſiliis, qui nihil ſine Domini voluntate deliberant. Eſt enim illa impietatis audacia, præterito Deo, de futuris conſtituere, perinde acſi in noſtra poteſtate forent: quam aſpere caſtigat Jacobus, cap. 4. v. 13. Quod *ſe prohibitum* dicit, non aliter accipias niſi quia Dominus urgentiora negotia illi objiciebat, quæ omittere non poterat ſine Eccleſiæ jactura. Sic piorum & infidelium impedimenta differunt: quod hi, ſe tum impediri demum ſentiunt quando violenta Domini manu conſtringuntur, ne commovere ſe queant: illi, ad impedimentum contenti ſunt legitima ratione, nec aliquid tentare ſibi permittunt aut præter officium, aut contra ædificationem. *Ut fructum aliquem hab.*] Nimirum de eo fructu loquitur ad quem colligendum Apoſtolos mittebat Dominus: Elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Joannis 15. cap. verſ. 16. Eum quanquam ſibi non colligebat, ſed Domino, ſuum tamen vocat: quia nihil piorum magis proprium quam quod Domini gloriam promovet, cum qua conjuncta eſt tota eorum beatitudo. Sibi autem id contigiſſe inter cæteras Gentes commemorat, quo ſpem concipiant Romani, adventum ejus ſibi non fore otioſum, quem tot Gentes fructuoſum expertæ eſſent.

14. *Græcis, & Barbaris, & ſapientibus.*] Quos per Græcos, & Barbaros intelligat, oſtendit exegeſi: ubi nominat eoſdem aliis epithetis *ſapientes & ſtultos*: pro quibus non male vertit Eraſmus eruditos & rudes: ſed ego ipſa Pauli verba retinere malui. Ab officio itaque ſuo argumentatur, non eſſe ſibi arrogantiæ dandum quod aliquid docendis Romanis ſe valere confideret, utcunque & eruditione & prudentia, & peritis rerum egregie excellerent: quoniam Domino viſum eſſet ipſum ſapientibus quoque obligare. Duo hic ſunt conſideranda: ſapientibus cæleſti mandato deſtinari & offerri Euangelium, quo ſibi omnem hujus mundi ſapientiam ſubjiciat Dominus, ac omne acumen, quodvis ſcientiæ genus, & artium omnium ſublimitatem, hujus doctrinæ ſimplicitati cedere faciat: atque eo magis quod illi in ordinem cum idiotis rediguntur, ac ſic manſuefiunt, ut eos ferant condiſcipulos ſub magiſtro Chriſto, quos antea habere diſcipulos non eſſent dignati. Deinde rudes minime aut eſſe arcendos ab hac ſchola, aut ipſos inani formidine debere refugere. Nam ſi illis debuit Paulus, ac optimæ fidei debitor fuiſſe credendus eſt, perſolvit nimirum quod debebat. Quare hic reperient cujus fruendi capaces erunt. Habent & hic regulam omnes doctores quam ſequantur: hoc eſt, ut rudibus quoque & idiotis modeſte ſe & comiter attemperent. Hinc fiet ut æquiore animo perferant plurimas ineptias, & innumera prope faſtidia devorent, quibus alioqui poſſent ſuccumbere. Sic tamen meminerint ſe ſtultis eſſe obſtrictos, ut eorum ſtultitiam immodica indulgentia non foveant.

15. *Ita quantum in me eſt.*] Concludit quod hactenus dixerat de ſuo deſiderio: Quoniam officii ſui eſſe videret, inter eos Euangelium ſpargere ad fructum Domino colligendum, cupere ſe Dei vocationi ſatisfacere quatenus à Domino permitteretur.

16. Non enim pudet me Euangelii Chriſti: quandoquidem potentia eſt Dei, in ſalutem omni credenti: Judæo primum, deinde Græco.

Habac. 2. verſ. 4. 17. Nam juſtitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt, Juſtus ex fide ſua vivet.

16. *Non me pudet.*] Prolepſis eſt, qua ludibria impiorum ſe non morari prædicit: in qua tamen obiter tranſitum ſibi facit ad commendandam Euangelii dignitatem, ne contemptibile Romanis foret. Innuit quidem, ipſum coram mundo eſſe contemptibile, dum ait ſe non pudefieri. Atque ita jam eos præparat ad ferendam crucis Chriſti contumeliam, ne minoris æſtiment Euangelium, dum ſannis & opprobriis impiorum obnoxium videbunt: ſed ex adverſo demonſtrat quantum habeat excellentiæ apud fideles. Primum ſi magnifieri debet à nobis Dei potentia, ea elucet in Euangelio. Si bonitas digna eſt quæ expetatur & ametur, Euangelium eſt ejus bonitatis inſtrumentum. merito ergo & colendum & honorandum eſt, ſiquidem potentiæ Dei debetur veneratio: quatenus vero ſaluti noſtræ ſervit, amabile nobis eſſe oportet. Obſerva autem quantum verbi miniſterio tribuat Paulus, quum teſtatur

Deum illic ſuam ad ſalvandum virtutem exerere. non enim de arcana aliqua revelatione, ſed vocali prædicatione hic loquitur. Unde ſequitur, eos quaſi data opera reſpuere Dei virtutem, & liberatricem ejus manum procul à ſe repellere, qui ſe à prædicationis auditu ſubducunt. Verum quia non operatur in omnibus efficaciter, ſed tantum ubi Spiritus interior magiſter cordibus illucet: ideo ſubjicit, *Omni credenti.* Offertur quidem Euangelium omnibus in ſalutem: ſed non ubique apparet ejus potentia. Quod autem impiis eſt odor mortis, id non tam ab ejus natura provenit, quam eorum malitia. Salutem unam demonſtrando, omnem aliam fiduciam præcidit. ab unica ſalute illi dum ſe ſubducunt, quandam ſui interitus manifeſtationem in Euangelio habent. Ergo quum Euangelium omnes ad ſalutem indifferenter invitet, proprie vocatur ſalutis doctrina. Chriſtus enim illic offertur, cujus proprium munus eſt ſervare quod perierat. Qui autem ſervari ab eo recuſant, judicem experiuntur. Cæterum paſſim in Scripturis, Salutis vocabulum ſimpliciter opponitur Exitio. Itaque dum nominatur, qua de re agatur videndum eſt. Quum ergo Euangelium liberet à ruina & maledictione æternæ mortis, ſalus ejus eſt vita æterna. *Judæo primum & Græco.* Sub Græcorum nomine Gentiles omnes nunc comprehendit: quemadmodum ex comparatione liquet, in qua ſub duobus membris univerſos homines voluit complecti. Hanc vero gentem veriſimile eſt potiſſimum delegiſſe ad alias nationes deſignandas, quia prima poſt Judæos in Euangelici fœderis communionem aſcita fuerat: deinde quia propter viciniam, & linguæ celebritatem, Judæis notiores erant Græci. Eſt ergo ſynecdoche, qua generaliter Gentes conjungit Judæis in Euangelii participatione: neque tamen Judæos gradu & ordine ſuo depellit, quando erant primi in promiſſione & vocatione. Ideo ſuam illis prærogativam ſervat: ſed Gentiles continuo, licet inferiore gradu, conſortes adjungit.

17. *Juſtitia enim Dei.*] Explicatio eſt & confirmatio ſuperioris ſententiæ, Euangelium ſcilicet eſſe Dei potentiam in ſalutem. Si enim ſalutem quærimus, hoc eſt, vitam apud Deum: quærenda primum eſt juſtitia per quam illi reconciliati, vitam quæ in ſola ejus benevolentia conſiſtit, eo propitio obtineamus. Nam ut à Deo amemur, prius juſtos eſſe neceſſe eſt: quum injuſtitiam odio habeat. Significat igitur, non aliunde nos ſalutem quam ex Euangelio conſequi: quoniam non alibi ſuam nobis juſtitiam Deus patefacit, quæ ſola nos ab interitu liberat. Hæc autem juſtitia, quæ fundamentum eſt ſalutis, revelatur in Euangelio: unde Euangelium dicitur Potentia Dei in ſalutem. Ita à cauſa ad effectum ratiocinatur. Rurſum nota, quam rarum & pretioſum theſaurum in Euangelio nobis Dominus conferat, nempe juſtitiæ ſuæ communicationem. Juſtitiam Dei accipio, quæ apud Dei tribunal approbetur: quemadmodum contra, Hominum juſtitiam vocare ſolet, quæ hominum opinione habetur & cenſetur juſtitia, licet fumus tantum ſit. Non tamen dubito, quin Paulus ad multa vaticinia alludat, ubi paſſim juſtitiam Dei in futuro Chriſti regno Spiritus celebrat. Alii exponunt, Quæ à Deo nobis donatur. Et certe fateor hunc ineſſe verbis ſenſum: Quia nos per Euangelium juſtificat Deus, ideo ſervat. Illa tamen prior notatio videtur mihi magis convenire. Quanquam de ea re non admodum contendo. Plus in eo momenti eſt, quod juſtitiam hanc non in gratuita modo peccatorum remiſſione ſitam eſſe quidam putant: ſed partim quoque in regenerationis gratia. Ego autem nos ideo in vitam reſtitui interpretor, quia nos ſibi gratis reconciliat Deus: quemadmodum poſtea fuſius tractabimus ſuo loco. Pro eo vero quod ante dixerat, *omni credenti*, nunc ait, *ex fide.* Offertur enim juſtitia per Euangelium: & fide percipitur. Et ſubjungit, *in fidem:* quia quantum progreditur fides noſtra, quantumque in hac cognitione proficitur, ſimul augeſcit in nobis Dei juſtitia, & quodammodo ſancitur ejus poſſeſſio. Quum initio guſtamus Euangelium, lætam quidem & exporrectam nobis cernimus Dei frontem, ſed eminus: quo magis augeſcit pietatis eruditio, velut propiore acceſſu clarius ac magis familiariter Dei gratiam perſpicimus. Quod nonnulli veteris ac novi Teſtamenti tacitam collationem ſubeſſe putant, magis argutum eſt quam firmum. Neque enim Patres qui ſub Lege vixerunt, hic nobis comparat Paulus: ſed quotidianum in ſingulis fidelibus progreſſum notat. *Sicut ſcriptum eſt.* Auctoritate Prophetæ Habacuc probat iſtam fidei juſtitiam. Nam ille, ubi de ſuperborum everſione vaticinatur, ſimul addit, juſtorum vitam in fide conſiſtere. Non vivimus autem coram Deo niſi juſtitia: ſequitur ergo, juſtitiam quoque noſtram in fide poſitam eſſe. Ac futurum verbum deſignat ejus vitæ de qua loquitur, ſolidam perpetuitatem: acſi dixiſſet, non fore momentaneam, ſed perpetuo conſtaturam. Nam impii quoque falſa vitæ opinione turgent: ſed quum dicunt, Pax & ſecuritas, repentinus adeſt interitus. *1 Theſſ. 5. verſ. 3.* Umbra igitur eſt, quæ nonniſi ad momentum durat: fides autem ſola eſt quæ vitæ perpetuitatem affert. Unde id, niſi quia nos ad Deum traducit, noſtramque in eo vitam collocat? Neque enim congruenter citaret Paulus hoc teſtimonium, niſi hæc mens Prophetæ eſſet, tunc nos demum ſtare, ubi in Deum fide recumbimus. Et certe vitam piorum fidei non adſcripſit, niſi quatenus damnata mundi ſuperbia, ſe ad unius Dei præſidium colligunt. Non tractat quidem hanc cauſam ex profeſſo: ideoque nullam gratuitæ juſtitiæ mentionem facit: ſed ex fidei natura ſatis conſtat, rite hoc teſtimonium præſenti cauſæ aptari. Præterea ex hac ratiocinatione neceſſario colligimus mutuam fidei & Euangelii relationem. Quia enim dicitur juſtus fide victurus, infert, vitam iſtam per Euangelium percipi. Jam habemus ſtatum, ſeu cardinem principalem hujus primæ partis Epiſtolæ, Sola Dei miſericordia, per fidem nos juſtificari. Nondum quidem hoc ſigillatim expreſſum habemus Pauli verbis: ſed ex contextu poſt facile patebit, juſtiitam quæ in fide eſt fundata, totam Dei miſericordiæ inniti.

18. Revelatur enim ira Dei è cælo, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, veritatem Dei injuſte continentium.

19. Quia quod cognoſcitur de Deo, manifeſtum eſt in ipſis. Deus enim illis manifeſtavit.

20. Siquidem inviſibilia ipſius, ex creatione mundi, operibus intellecta, conſpiciuntur: æterna quoque ejus potentia & divinitas: ut ſint inexcuſabiles.

21. Quoniam quum Deum cognoviſſent, non tanquam Deo gloriam dederunt, aut grati fuerunt: ſed exinaniti ſunt in cogitationibus ſuis, & obtenebratum eſt ſtultum cor eorum.

22. Quum ſe putarent ſapientes, ſtulti facti ſunt.

23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, ſimilitudine imaginis, corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.

18. *Revelatur.*] Jam ex comparatione contrariorum argumentatur, quo probet juſtitiam nonniſi per Euangelium conferri vel obtingere. nam extra hoc, omnes damnatos oſtendit. In ipſo igitur ſolo reperietur ſalus. Ac primum quidem damnationis argumentum adducit, quod quum ſtructura mundi, & hæc pulcherrima elementorum compoſitio debuerit hominem inſtigare ad Deum glorificandum: nemo eſt qui officio ſuo fungatur. Unde conſtat, omnes reos eſſe ſacrilegii, & impiæ ſceleratæque ingratitudinis. Quibuſdam videtur hic eſſe prima propoſitio: ut Paulus à pœnitentia concionem deducat. ſed ego arbitror hic conflictationem incipere: ſtatum cauſæ jam fuiſſe in propoſitione ſuperiori. Conſilium enim Pauli eſt docere ubinam quærenda ſit ſalus. Pronunciavit, non aliter nos eam conſequi quam per Euangelium. Quia autem non libenter hucuſque ſe humiliat caro, ut ſoli Dei gratiæ laudem ſalutis aſſignet, univerſum mundum Paulus reum facit æternæ mortis. Unde ſequitur, recuperandam aliunde vitam, quum in nobis ſimus omnes perditi. Cæterum particulæ bene expenſæ, multum ad ſummam ſententiæ intelligendam facient. Inter Impietatem & Injuſtitiam ita nonnulli diſtinguunt, quod putant priore vocabulo violatum Dei cultum notari: altero, æquitatem in homines. Sed quia ſtatim injuſtitiam illam Apoſtolus ad religionis neglectum refert, nos utrumque de eodem interpretabimur. Deinde, *Omnis hominum impietas*, per hypallagen, pro Omnium hominum, ſive cujus convicti tenentur omnes. Duplici autem nomine res una, hoc eſt, adverſus Deum ingratitudo notatur: quia peccatur in ea bifariam. Ἀσέβεια dicitur quaſi Dei inhonoratio. ἀδικία, quoniam homo, ad ſe transferendo quod Dei erat, honorem Dei inique præripuit. Ira, ἀνθρωποπαθῶς, more Scripturæ pro ultione Dei: quia Deus puniens, præ ſe fert (noſtra opinione) iraſcentis faciem. Nullum ergo motum in Deo ſignificat: ſed tantum ad ſenſum peccatoris, qui plectitur, relationem habet. Eam ubi dicit *è cælo revelari*, quanquam particula *è cælo*, vice epitheti à quibuſdam accipitur, acſi diceretur, Cæleſtis Dei: ego tamen exiſtimo plus ſubeſſe efficaciæ, in hunc ſenſum, Quacunque circumſpectet homo, nihil ſalutis reperiet: quia quam longe lateque cælum patet, effuſa eſt ira Dei in orbem univerſum. *Veritas Dei*, veram Dei notitiam ſignificat. Eam continere, eſt ſupprimere, ſeu obſcurare. unde veluti furti ſubarguuntur. Ubi vertimus *Injuſte*, habet Paulus *In injuſtitia*: quæ Hebraica phraſis idem valet: ſed nos ſtuduimus perſpicuitati.

19. *Quia quod notum eſt Dei.*] Sic appellat quod de Deo cognoſcere fas eſt, vel expedit. Intelligit autem id totum quod pertinet ad gloriam Domini illuſtrandam: vel (quod idem eſt) quicquid nos movere excitareque debet ad Deum glorificandum. Quo verbo ſignificat, Deum, quantus eſt, minime poſſe mente noſtra capi: ſed aliquem eſſe modum intra quem ſe cohibere debeant homines: ſicuti Deus ad modulum noſtrum attemperat quicquid de ſe teſtatur. Delirant ergo quicunque ſcire appetunt quid ſit Deus: quia Spiritus perfectæ ſapientiæ doctor ad γνῶσιν nos non fruſtra revocat. Quo modo autem ſit cognitum, mox ſubjiciet. Atque *in ipſis*, dixit magis quam ſimpliciter, *ipſis*, ad majorem energiam. Tametſi enim Hebraicæ linguæ phraſes paſſim uſurpat Apoſtolus, in qua ב Beth ſæpius redundat: hic tamen videtur voluiſſe indicare manifeſtationem qua propius urgeantur quam ut refugere queant: ut certe eam cordi ſuo inſculptam quiſque noſtrum ſentit. Quod dicit *Deum manifeſtaſſe*, ſenſus eſt, ideo conditum eſſe hominem ut ſpectator ſit fabricæ mundi: ideo datos ei oculos, ut intuitu tam pulchræ imaginis, ad auctorem ipſum feratur.

20. *Inviſibilia enim ipſius.*] Deus per ſe inviſibilis eſt: ſed quia elucet ejus majeſtas in operibus & creaturis univerſis, debuerunt illinc homines agnoſcere: nam artificem ſuum perſpicue declarant. Qua ratione Apoſtolus ad Hebræos, ſecula dicit eſſe ſpecula, ſeu ſpectacula rerum inviſibilium. Non recenſet autem ſigillatim quæ in Deo conſiderari poſſunt: ſed docet ad æternam uſque ejus potentiam & divinitatem perveniri. Nam qui omnium eſt auctor, eum oportet ſine initio eſſe, & à ſeipſo. Ubi eo ventum eſt, jam ſe profert divinitas: quæ niſi cum ſingulis Dei virtutibus nequit conſiſtere, quando ſub ea omnes continentur. *In hoc, ut ſint inexcuſabiles.* Hinc facile conſtat, quantum ex hac demonſtratione homines conſequantur: nempe ut nullam poſſint adferre defenſionem in judicium Dei quin jure ſint damnabiles. Sit ergo hæc diſtinctio: demonſtrationem Dei qua gloriam ſuam in creaturis perſpicuam facit, eſſe, quantum ad lucem ſuam, ſatis evidentem: quantum ad noſtram cæcitatem, non adeo ſufficere. Cæterum non ita cæci ſumus, ut ignorantiam poſſimus prætexere quin perverſitatis arguamur. Concipimus divinitatem: deinde eam quæcunque eſt, colendam eſſe ratiocinamur. Sed hic deficit ſenſus noſter, antequam aſſequatur aut quis, aut qualis ſit Deus. Quare Apoſtolus ad Hebræos, *Heb.* 11.
fidei tribuit iſtud lumen, ut in mundi creatione vere *verſ.* 3.
proficiat. Neque abs re: cæcitate enim impedimur ne pertingamus ad ſcopum. videmus eatenus nequid jam poſſimus tergiverſari. Utrumque eleganter demonſtrat Paulus Actor. 14. v. 17. quum dicit, Dominum in præteritis generationibus reliquiſſe Gentes in ignorantia: neque tamen ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον, quoniam dedit pluvias & ubertatem è cælo. Multum itaque hæc Dei notitia, quæ tantum ad tollendam excuſationem valet, à ſalvifica illa differt cujus meminit Chriſtus Joan. 17. v. 3. & in qua gloriandum eſſe docet Jerem. capit. 9. verſ. 24.

21. *Quia quum Deum cognoviſſent.*] Hic aperte teſtatur, Deum omnium mentibus ſui cognitionem inſinuaſſe: hoc eſt, ſic ſe demonſtraſſe per opera ut illi neceſſario conſpicerent quod ſponte non quærunt, eſſe ſcilicet aliquem Deum: quia neque fortuito extitit mundus, nec à ſe prodiit. Sed notandum ſemper, in quo notitiæ gradu hæſerint, ſicuti nunc ſequitur. *Non ut Deum glorificaverunt.* Concipi Deus non poteſt ſine ſua æternitate, potentia, ſapientia, bonitate, veritate, juſtitia, miſericordia. Æternitas ex eo liquet, quod auctor eſt omnium. Potentia, quod tenet omnia in ſua manu, facitque ut in ſe conſiſtant. Sapientia, ex ordinatiſſima diſpoſitione. Bonitas, quia nihil cauſæ erat cur conderet omnia, neque alia ratione moveri poteſt ut conſervet quam ob illam ipſam. Juſtitia, in adminiſtratione: quia ſontes punit, innocentes vendicat. Miſericordia, quod tanta patientia tolerat hominum perverſitatem. Veritas, ex eo quod immutabilis eſt. Ergo qui conceptam Dei notitiam habet, jam illi laudem debet æternitatis, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ. Ejuſmodi virtutes quum non recognoverint homines in Deo, ſed ſomniarint tanquam inane phantaſma: merito dicuntur illum ſua gloria improbe ſpoliaſſe. Nec ſine cauſa ſubdit, *Gratos non fuiſſe*: quia nemo eſt qui non infinitis ejus beneficiis ſit obæratus. Adeoque vel hoc ſolo nomine ſatis ſuperque nos ſibi obſtringit, quum ſe nobis patefacere dignatur. *Sed exinaniti ſunt in* &c. Id eſt, derelicta Dei veritate, ad ſenſus ſui vanitatem converſi ſunt: cujus omnis perſpicacia inanis eſt, & inſtar fumi dilabitur. Atque ita tenebris obvoluta ſtolida eorum mens nihil rectum percipere potuit: ſed modis omnibus præcipitata eſt in errores & mendacia. Hæc illa eſt injuſtitia quod ſemen rectæ notitiæ mox ſua pravitate ſuffocant, priuſquam in ſegetem emergat.

22. *Quum enim putarent.*] Ex hoc loco argumentum vulgo ſumunt, ut putent Paulo hic negotium eſſe cum Philoſophis, qui peculiariter arrogarunt ſibi ſapientiæ famam. Atque ita procedere orationem putant, ut dejecta magnorum excellentia, ſequatur, neque in ipſo vulgi grege eſſe aliquid laude dignum. Sed videntur illi mihi nimium infirma ratione moti eſſe. neque enim id proprie in Philoſophos competit, quod in Dei cognitione putarint ſe eſſe ſapientes: ſed æque commune eſt gentium, ordinumque omnium. Nemo enim fuit qui non voluerit Dei majeſtatem ſub captum ſuum includere: ac talem Deum facere qualem percipere poſſet ſuopte ſenſu. Non diſcitur, inquam, hæc temeritas in ſcholis, ſed nobis ingenita, ex utero (ut ita loquar) nobiſcum prodit. Conſtat enim hoc malum ſeculis omnibus graſſatum eſſe, ut ſibi in comminiſcendis ſuperſtitionibus nihil non permitterent homines. Hæc igitur arrogantia taxatur: quod quum deberent in humilitate ſua dare gloriam Deo, voluerint apud ſemet ſapere, & Deum ad ſuam humilitatem detrahere. Nam principium illud retinet Paulus, Neminem, niſi propria culpa, à Dei cultu eſſe alienum. acſi diceret, Quoniam ſuperbe ſe extulerunt, juſta Dei ultione fuerunt infatuati. Prompta etiam ratio eſt quæ adverſus illam quam repudio, interpretationem militet: quia non habuit à Philoſophis originem error iſte de affingenda Deo imagine, ſed ipſi ab aliis acceptum ſuo quoque calculo approbarunt.

23. *Et mutaverunt.*] Poſtquam Deum talem finxerunt, qualem carnali ſuo ſenſu apprehendere poterant, longe abfuit quin verum Deum agnoſcerent: ſed fictitium & novum Deum, vel potius ejus loco ſpectrum ſunt fabricati. Id eſt quod dicit, eos mutaſſe Domini gloriam: quia perinde acſi quis ſupponeret alienum partum, ſic à vero Deo receſſerunt. Nec excuſantur eo prætextu, quod Deum nihilominus in cælo habitare credant: lignum non pro Deo habeant, ſed pro ſimulachro. nam hoc ipſum Deo contumelioſum eſt, quod ejus majeſtatem tam craſſe imaginantur, ut ſimulachrum illi adaptare auſint. Atqui talis audaciæ ſcelere nemo eximi poteſt: non Sacerdotes, nec Legislatores: non Philoſophi, quorum maxime ſobrius Plato formam ipſe quoque in Deo veſtigat. Hæc igitur inſania notatur, quod omnes ſibi Deum voluerunt figurare: quod certo arguit craſſas ac ſtultas eorum de Deo phantaſias. Ac primum Dei majeſtatem conſpurcarunt ſimilitudine hominis corruptibilis. Sic enim vertere malui quam cum Eraſmo, *mortalis*: quia non ſolam Dei immortalitatem, hominis mortalitati opponit Paulus: ſed gloriam illam, nullis vitiis obnoxiam, miſerrimæ hominis conditioni. Deinde non contenti tanto flagitio, uſque ad belluas, & eas quidem in ſuo genere fœdiſſimas, deſcenderunt. Ubi clarius etiamnum deprehenditur eorum ſtupor. De his abominationibus habes apud Lactantium, Euſebium, Auguſtinum in lib. de Civitate Dei.

24. Propterea tradidit illos Deus in cupiditates cordium ſuorum in immunditiem: ut ignominia afficerent corpora ſua in ſeipſis.

25. Qui transmutarunt veritatem ejus in mendacium: & coluerunt ac venerati ſunt creaturam ſupra Creatorem, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

26. Propterea, *inquam*, tradidit illos Deus in paſſiones ignominioſas. etenim fœminæ ipſorum transmutarunt naturalem uſum, in eum qui eſt præter naturam.

27. Similiter & viri quoque, omiſſo naturali uſu fœminæ, exarſerunt mutua libidine, alii in alios: maſculi in maſculis fœditatem perpetrantes, & quam decebat, erroris ſui mercedem in ſeipſis recipientes.

28. Et quemadmodum non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobam mentem, ad facienda quæ non decerent.

29. Ut eſſent pleni omni injuſtitia, nequitia, libidine, avaritia, malitia: referti invidia, homicidio, contentione, dolo, perverſitate:

30. Suſurrones, obtrectatores, oſores Dei, malefici, contumelioſi, faſtuoſi, repertores malorum, parentibus immorigeri,

31. Intelligentiæ expertes, inſociabiles, affectu humanitatis carentes, fœdifragi, ſine miſericordiæ ſenſu.

32. Qui quum Dei judicium cognoverint, quod qui talia agunt, digni ſunt morte: non tantum ea faciunt, ſed aſſentiuntur facientibus.

24. *Propterea tradidit.*] Quia clandeſtinum eſt malum impietas: ne adhuc tergiverſentur, oſtendit craſſiori demonſtratione, illos non poſſe elabi quin juſta damnatione teneantur, ſiquidem illam impietatem ſequuti ſunt fructus, unde licet colligere manifeſta iræ Domini indicia. Quod ſi juſta eſt ſemper ira Domini, ſequitur præceſſiſſe quod illos redderet damnabiles. A ſignis ergo nunc urget hominum apoſtaſiam & defectionem: ſiquidem ita ulciſcitur Dominus eos qui ſe ab ipſius bonitate alienarunt, ut in multiplicem perditionem ac ruinam dejiciat præcipites. Ac ſimilitudinem vitiorum quibus laborant, cum impietate comparando, cujus eos ſupra accuſavit, probat eos ita pœnas juſto Dei judicio pendere. Nam quum nihil potius ſit nobis noſtro honore, hæc ſumma eſt cæcitas, ubi non dubitamus in noſipſos eſſe contumelioſi. Quare convenientiſſima eſt poena irrogato divinæ majeſtati probro. id unum exequitur uſque ad finem capitis, ſed variis modis agitat, quod res indigebat multa amplificatione. Hoc eſt igitur in ſumma quod contendit, Hinc apparere, non eſſe excuſabilem hominum erga Deum ingratitudinem, quod certis documentis iram Dei ſævire in ſe produnt. Nunquam enim in tam fœdas cupiditates, belluarum more, provolverentur, niſi infeſtum adverſumque ſibi haberent Dei numen. Quum ergo paſſim abundent peſſimis flagitiis, extare in illis colligit divinæ ultionis teſtimonia. Jam ſi hæc nunquam temere aut inique ſævit: ſed moderationem æquitatis ſemper tenet: inde conſtare innuit quam certum omnibus impendeat, nec minus juſtum exitium. De modo quo Deus hominem in vitium tradit, minime neceſſarium hoc loco texere longam quæſtionem. certum quidem eſt, non ſinendo tantum & connivendo, illum permittere homines prolabi: ſed juſto judicio ſic ordinare, ut tum à propria concupiſcentia, tum à diabolo in ejuſmodi rabiem agantur & ferantur. Ideo *tradendi* voce utitur, ex perpetuo Scripturæ more: quam vocem nimis violenter torquent qui ſola Dei permiſſione in peccatum agi nos putant. Nam ut miniſter iræ Dei eſt Satan & quaſi carnifex, ita non diſſimulatione,

ſed

Digitized by Google

ſed mandato judicis in nos armatur. Neque tamen ideo aut crudelis Deus, aut nos innoxii, quando aperte oſtendit Paulus, nos non aliter addici in ejus poteſtatem, quam ſi tali pœna digni ſimus. Tantum id excipiamus, peccati cauſam à Deo non provenire: cujus radices in peccatore ipſo perpetuo reſident.
Oſea 13. verſ. 9. Illud enim verum eſſe oportet, Perditio tua Iſraël: in me tantummodo auxilium tuum. Quum cordis humani cupiditates cum immunditia conjungit, tacite innuit quos partus cor noſtrum generet, ubi ſemel relictum eſt ſibi. Particula, *in ſeipſis*, emphaſeos non caret: ſignificantius enim exprimit quam profundas & ineluibiles ignominiæ notas corporibus ſuis inuſſerint.

25. *Qui tranſmutarunt.*] Rationem, licet aliis verbis, non tamen diverſam à ſupradicta repetit: quo melius animis infigat. Dum veritas Dei in mendacium mutatur, obliteratur ejus gloria. Juſtum eſt igitur, omni genere ignominiæ eos reſpergi qui & ſuum Deo honorem detrahere, & probrum irrogare conati ſunt. *Et coluerunt.* Ut duo verba uni ſyntaxi adaptarem, ſic reddidi. Idololatriæ flagitium proprie notat. Creaturæ enim dari honor, religionis cauſa, non poteſt quin à Deo indigne & per ſacrilegium transferatur: fruſtraque excuſatur, propter Deum imagines coli, quando hunc cultum non agnoſcit, nec ſibi acceptum fert Deus. Et omnino tunc non colitur verus Deus ſed fictitius, quem ſibi caro ſomniavit. Et quod ſubditur, *Qui eſt benedictus*, in majorem idololatrarum ignominiam dictum interpretor, in hunc ſenſum, Quem ſolum honorari adorarique oportuit, & cui fas non fuit quicquam vel minimum auferri.

26. *Propterea tradidit illos Deus.*] Velut interpoſita parentheſi redit ad id quod prius cœperat de ultione Domini: ac primum ſpecimen affert in horrendo facinore præpoſteræ Veneris: unde conſtat non proſtitutos modo fuiſſe in belluinas cupiditates, ſed infra beſtias prorupiſſe, quum totum naturæ ordinem everterint. Deinde enumerat longam vitiorum ſeriem, quæ cum ſeculis omnibus extiterunt, tum vero paſſim regnabant licentiſſime. Nec refert quod non laborabant ſinguli tanta vitiorum colluvie: nam in vulgari hominum turpitudine taxanda, ſatis eſt ſi ad unum omnes recognoſcere aliquem nævum coguntur. Sic ergo habendum eſt, Paulum hic ea flagitia perſtringere, quæ & ſeculis omnibus vulgaria fuerant, & ea potiſſimum ætate erant paſſim conſpicua. Nam illa quam brutæ pecudes abominantur, ſpurcitia, mirum quantopere tum divulgata eſſet: alia vero, popularia erant. Deinde eum catalogum ſcelerum recenſere, in quo univerſum hominum genus comprehendatur. Nam etſi non omnes vel homicidæ ſunt, vel fures, vel adulteri: nemo eſt tamen qui non deprehendatur aliquo vitio inquinatus. *Paſſiones ignominiæ* vocat, quæ hominum etiam opinione ſunt pudendæ. Reſpondent autem Dei inhortationi.

27. *Quam decuit erroris mercedem.*] Excæcari enim merentur, ut obliviſcantur ſui, nec quid ſibi conveniat videant, qui ad oblatam Dei lucem oculos clauſerunt ſua malignitate, ne gloriam ejus conſpicerent: denique ut cæcutiant in meridie, quos non puduit extinguere (quantum in ſe erat) Dei gloriam quæ ſola nos illuſtrat.

28. *Et quemadmodum non probaverunt.*] Obſervanda in verbis alluſio, quæ æquam peccati & pœnæ relationem eleganter indicat. Quia non probaverunt permanere in Dei cognitione, quæ ſola mentes noſtras ad recte ſapiendum dirigit: perverſam illis mentem dedit Dominus, quæ nihil jam probare poſſet. Quod autem ait non probaſſe, perinde eſt acſi diceret, cognitionem Dei non eſſe perſequutos quo debuerant ſtudio, ſed cogitationem potius ſuam data opera à Deo avertiſſe. Significat ergo eos prava electione prætuliſſe Deo ſuas vanitates: atque ita voluntarium quo decepti ſunt, errorem fuiſſe. *Ut facerent quæ non decent.* Quia unum hactenus ſpecimen illud execrabile propoſuit, quod vulgare quidem inter multos, non tamen omnium commune erat: hic incipit enumerare vitia quorum nemo immunis reperiatur. Nam etſi in ſingulis (ut dictum eſt) non ſimul emineant omnia, ſunt tamen alicujus ex illis conſcii ſibi omnes: ut pro ſe quiſque argui poſſit non obſcuræ pravitatis. Initio quod Indecora vocat, intellige ab omni rationis judicio abhorrentia, & aliena hominum officiis. Mentis enim inverſæ notas profert, quod ſine delectu iis ſceleribus ſe homines obligarunt quæ communis ſenſus reſpuere debeat. Porro in contexendo vitiorum ordine fruſtra laboratur, ut aliud ex alio ducatur: quum id non fuerit Pauli propoſitum, ſed congerere prout quodque primum occurrebat. Quid ſingula ſignificent, breviſſime percurramus. Injuſtitiam intellige, quum violatur inter homines jus humanitatis, non reddendo unicuique quod ſuum eſt. Πονηρίαν, ex Ammonii ſententia reddidi Nequitiam. ille enim πονηρὸν docet eſſe δραστικὸν κακοῦ. Nequitia ergo erit exercitata malitia: vel ſolutior malitiæ patrandæ licentia. Malitia vero, pravitas illa & obliquitas mentis quæ ad noxam proximis inferendam contendit. Poſui libidinem ubi Paulus πορνείαν. neque tamen reclamo, ſi quis Scortationem malit: tam enim cupiditatem interiorem quam externam actionem ſignificat. Avaritiæ, invidiæ, homicidii vocabula non dubiam habent ſignificationem. Sub Contentione, tum jurgia, tum pugnas, tum ſeditioſas motiones comprehendit. Κακοήθειαν, pro qua nos Perverſitatem reddidimus, inſignis ac notabilis improbitas: ubi homo velut obducto callo, in corruptione morum obduruit ex conſuetudine & malo habitu. Θεοστυγεῖς, ſunt haud dubie Deo oſores. Nam ut in paſſivo poſitum dicatur, nulla eſt ratio, quum Paulus hic homines ex vitiis evidentibus reos faciat. Deſignantur ergo ii qui Deum averſantur, cujus juſtitiam ſuis nequitiis obſtare vident. Suſurrones & obtrectatores ſic diſtinguuntur, quod illi clancularii delationibus amicitias bonorum dirimunt, animos ad iracundiam inflammant, innocentes ſugillant, ſerunt diſcordias, &c. Hi ingenita quadam malignitate nullius famæ parcunt: & quaſi maledicendi rabie vexati, merentes ſimul ac immerentes proſcindunt. Ὑβριστὰς tranſtulimus Maleficos: quoniam auctores Latini inſignes injurias, ut ſunt direptiones, furta, incendia, veneficia, quas hic voluit ſignare Paulus, maleficia ſolent appellare. Contumelioſos vocavi, quos Paulus ὑπερηφάνους, quia hoc ſonat Græca dictio. Inde enim eſt nomen, quod tales velut in ſublime evecti, omnes tanquam inferiores contemptim deſpiciunt, neque poſſunt ad æqualitatem ſpectare. Faſtuoſi ſunt, qui inani præſidentiæ vento turgent. Inſociabiles ſunt, qui ab hominum ſocietate conſervanda per iniquitates diſſiliunt, vel in quibus nulla eſt fidei ſinceritas vel conſtantia: quaſi dicas fœdifragos. Sine affectu humanitatis, qui primos quoque naturæ ſenſus erga ſuos exuerunt. Quia miſericordiæ defectum inter ſigna depravatæ humanæ naturæ ponit: hinc colligit Auguſtinus adverſus Stoicos, miſericordiam eſſe virtutem Chriſtianam. *Qui quum Dei juſtitiam.* Quanquam hic locus varie tractatur, hæc mihi expoſitio videtur veriſſima: homines ad effrenem peccandi laſciviam nihil reliqui feciſſe, quod ſublato bonorum & malorum diſcrimine, quæ Deo diſplicere, & juſto ejus judicio damnatum iri noverant, tam in ſe, quam in aliis approbarint. Hinc enim ſummus malorum cumulus, ubi adeo depuduit peccatorem, ut tum ſuis vitiis blandiatur, nec vituperio ſibi verti ſuſtineat: tum eadem in aliis ſuffragiis applauſuque

ſuque foveat. ſic deſperata improbitas in Scripturis
Prov. 2. deſcribitur, Gloriantur quum malefecerint. Item,
verſ. 14. Divaricavit pedes ſuos, gloriata eſt in malitia ſua.
Eze. 16. Nam quem pudet, is adhuc eſt ſanabilis. Ubi autem
verſ. 25. ex peccandi conſuetudine talis impudentia con-
Jer. 11. tracta eſt, ut vitia loco virtutum placeant ac proben-
verſ. 15. tur, nulla amplius ſpes eſt correctionis. Ideo autem
ſic interpretor, quod video Apoſtolum voluiſſe hic gravius aliquid & ſceleratius ipſa vitiorum perpetratione perſtringere. Id quale ſit non intelligo, niſi referamus ad iſtam nequitiæ ſummam, ubi miſeri homines contra Dei juſtitiam, abjecta verecundia, vitiorum patrocinium ſuſcipiunt.

Cap. II.

PRopterea inexcuſabilis es, ô homo, quicunque judicas: in quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim facis dum judicas.

2. Novimus autem quod judicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.

Hæc objurgatio in hypocritas ſtringitur: qui dum externæ ſanctimoniæ officiis perſtringunt hominum oculos, ſecuritatem etiam coram Deo concipiunt, acſi probe illi ſatisfacerent. Paulus ergo poſtquam craſſiora demonſtravit vitia, ne quem juſtum coram Deo relinquat, hoc genus ſanctulos aggreditur qui ſub primo catalogo comprehendi non poterant. Jam planior faciliorque eſt deductio, quam ut mirari quis debeat unde colligat Apoſtolus hanc rationalem. Ideo enim inexcuſabiles facit, quia & ipſi Dei judicium norunt, Legem nihilominus transgrediuntur: acſi diceret, Tametſi non conſentis aliorum vitiis, imo videris ex profeſſo hoſtis ac vindex vitiorum: quia tamen ab illis non es immunis, ſi te vere conſideras, non potes obtendere ullam defenſionem. *In quo enim judicas alterum.* Præter elegantem verborum Græcorum alluſionem *κρίνειν καὶ κατακρίνειν*, notanda eſt exaggeratio qua utitur adverſus eos. Perinde enim valet loquutio acſi diceret, Bis es damnabilis, qui iiſdem obnoxius es vitiis quæ in aliis carpis & accuſas. Nota eſt ſiquidem ſententia, legem ſibimetipſis indicere innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, eos qui ab altero rationem vitæ repoſcunt: nec ulla eſſe venia dignos, ſi eadem admittant quæ ſumpſerint in alio corrigenda. *Eadem enim facis judicans.* Ita eſt ad verbum. Porro ſenſus eſt, Etiamſi judices, nihilominus agis. Et agere dicit, quia non recto ſint animo: quandoquidem peccatum proprie animi eſt. Itaque ſeipſos eo condemnant, quia furem, aut adulterum, aut maledicum improbando, non in perſonas ferunt judicium, ſed in vitia, quæ ipſorum quoque oſſibus adhærent. *Scimus autem quod judicium Dei* &c. Conſilium Pauli eſt, blanditias hypocritis excutere, ne ſe magnum aliquid adeptos putent, ſi vel à mundo laudentur, vel ſe ipſi abſolvant: quia longe aliud examen eos in cælo maneat. Porro quia ipſos interioris impuritatis inſimulat, quæ ut humanos oculos latet, redargui convincique nequeat humanis teſtimoniis, ad Dei judicium provocat, cui nec tenebræ ipſæ ſunt abſconditæ, & cujus ſenſu tangi, peccatoribus, velint nolint, neceſſe eſt. Veritas porro hæc judicii in duobus conſiſtit: quod ſine perſonarum reſpectu, delictum puniet, in quocunque deprehenderit homine: deinde quod externam ſpeciem non moratur, nec opere ipſo contentus eſt, niſi à vera ſinceritate animi prodeat. Unde ſequitur, non obſtare larvam fictæ ſanctimoniæ, quominus vel in occultam pravitatem ſuo judicio animadvertat. Eſt autem Hebraica phraſis, quia Veritas tantundem ſæpe valet Hebræis, atque interior cordis integritas: atque ita non ſolum craſſo mendacio, ſed externæ bonorum operum apparentiæ opponitur. Tunc autem demum expergeſiunt hypocritæ, quum Deus non tantum de fucoſa juſtitia, ſed de occultis affectibus judicium dicitur facturus.

3. Exiſtimas autem, ô homo, qui judicas eos qui talia faciunt, & eadem facis, quod ipſe effugies judicium Dei?

4. An divitias bonitatis ipſius, tolerantiæque, ac lenitatis contemnis, ignorans quod bonitas Dei te ad pœnitentiam deducit?

5. Sed juxta duritiam tuam, & cor pœnitere neſcium, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei,

6. Qui redditurus eſt unicuique ſecundum ipſius opera:

7. Iis quidem, qui per boni operis perſeverantiam, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam:

8. Iis vero qui ſunt contentioſi, ac veritati immorigeri, injuſtitiæ autem obtemperant, excandeſcentia & ira:

9. Tribulatio & anxietas in omnem animam hominis perpetrantis malum, Judæi primum, ſimul & Græci.

10. At gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum, ſimul & Græco.

3. *Exiſtimas autem, ô homo*, &c.] Quoniam præcipiunt Rhetores, ne ante ad vehementiorem objurgationem deſcendatur, quam convictum crimen fuerit: poſſet cuipiam videri inepte hic inſurgere Paulus, qui nondum peracta, quam intendebat, accuſatione, tam acriter invehatur. Verum ſecus habet res. ſatis enim firma probatione ipſos peccati reos peregit: quandoquidem non accuſabat coram hominibus, ſed conſcientiæ judicio arguebat. Hoc autem plane duxit eſſe probatum quod volebat, nempe ſi in ſe deſcenderent, ac divini judicii admitterent examen, non poſſe iniquitatem ſuam inficiari. Nec ſine magna neceſſitate facit, quod tanta ſeveritate atque acerbitate fictam iſtam ſanctitatem objurgat. mira enim ſecuritate id genus hominum in ſe acquieſcit, niſi illi inanis fiducia violenter excutitur. Meminerimus ergo, hanc optimam eſſe convincendæ hypocriſeos rationem, ſi ab ebrietate ſua expergefacta, in lucem divini judicii attrahatur. *Quod effugies* &c. A minori eſt argumentum. Nam ſi hominis judicio obnoxia eſſe flagitia oportet, multo magis Dei, qui judex eſt unicus omnium. Divino quidem inſtinctu feruntur homines ad damnanda ſcelera, ſed hæc obſcura & tenuis eſt duntaxat judicii ejus adumbratio. Valde igitur deſipiunt qui fallere ſe putant judicium Dei, qui ne ſuo quidem judicio alios elabi ſinunt. Nec emphaſi caret, quod jam iterum expreſſit Hominis nomen, ut hominem Deo comparet.

4. *An divitias* &c.] Non mihi videtur hic eſſe

dilemma,

dilemma, quod nonnulli putant: ſed prolepſis. Quoniam enim hypocritæ fere proſpero rerum ſucceſſu inflantur, acſi Domini clementiam ſuis benefactis promeriti eſſent, atque ita magis in Dei contemptum obdureſcunt: occurrit eorum arrogantiæ Apoſtolus: atque argumento à contraria cauſa ſumpto, demonſtrat, non eſſe cur Deum ſibi propitium ab externa proſperitate reputent, quando illi longe diverſum eſt benefaciendi conſilium, quo ſcilicet peccatores ad ſe convertat. Ergo ubi non regnat Dei timor, ſecuritas in rebus proſperis, eſt contemptus ac ludibrium immenſæ ejus bonitatis. Unde ſequitur, graviores pœnas jure daturos quibus in hac vita Deus pepercerit, quia ad reliquam pravitatem acceſſit quod paternam Dei invitationem reſpuerunt. Quanquam autem omnia Dei beneficia, totidem ſunt paternæ ejus bonitatis teſtimonia: quia tamen diverſum ſæpe in finem reſpicit, perperam impii dum ſuaviter & benigne eos fovet, quaſi ei chari eſſent, ſibi in læta fortuna gratulantur. *Ignorans quia benignitas* &c. Dominus enim ſua lenitate nobis eum ſe eſſe oſtendit ad quem converti debeamus, ſi cupimus bene habere: ſimulque fiduciam erigit expectandæ miſericordiæ. Si Dei beneficentia non utimur in hunc finem, abutimur. Quanquam non uno ſemper modo accipienda eſt: ſervos enim ſuos dum indulgenter tractat Dominus, ac terrenis benedictionibus proſequitur, ſuam benevolentiam ejuſmodi ſymbolis declarat, ac ſimul aſſuefacit ad quærendam in ſe uno bonorum omnium ſummam. Transgreſſores Legis dum eadem excipit indulgentia, ſua benignitate vult quidem emollire ipſorum contumaciam: non tamen ſe illis propitium jam eſſe teſtatur, quin potius eos ad reſipiſcentiam vocat. Si quis autem injiciat, Dominum ſurdis canere quamdiu intus corda non afficit: reſpondendum, nihil hic poſſe accuſari niſi noſtram pravitatem. Cæterum in verbis Pauli, malo *deducit*, quam *invitat*: quia illud plus quiddam ſignificat. Neque tamen pro Adigere accipio, ſed pro Manu ducere.

5. *Secundum duritiam tuam*, &c.] Ubi ad Domini monitiones obduruimus, ſequitur impœnitentia: qui vero non ſunt de reſipiſcentia ſolliciti, ii manifeſte tentant Dominum: Et inſignis eſt locus: unde diſcendum eſt quod prius attigi, impios non modo in dies ſibi gravius cumulare Dei judicium quantiſper hic vivunt: ſed etiam ceſſurum illis in condemnationem quicquid donorum Dei aſſidue uſurpant. ratio enim omnium repoſcetur. Quod autem in extremum illis ſcelus merito imputabitur, tunc comperietur, Dei benignitate factos eſſe deteriores, qua ſaltem emendari eos oportuerat. Cavendum ergo ne illicito bonorum abuſu infelicem hunc theſaurum nobis reponamus. *In die iræ*. Sic eſt ad verbum: ſed pro εἰς ἡμέραν, in diem. Nam colligunt impii nunc adverſum ſe Dei indignationem, cujus vis tunc in caput eorum ſe effundet: occultam perniciem accumulant, quæ tunc ex Dei theſauris explicabitur. Dies autem ſupremi judicii, dies iræ vocatur, dum ſermo eſt ad impios: quum dies ſit redemptionis fidelibus. ira & aliæ quælibet viſitationes Domini ſemper impiis deſcribuntur horrendæ & minaces: piis contra, ſuaves & jucundæ. Proinde quoties meminit Scriptura propinquitatis Domini, pios exultare lætitia jubet: dum autem ad reprobos ſe convertit, nihil quam terrorem incutit ac formidinem. Dies iræ, dicit Sophonias 1. v 15. dies illa: dies tribulationis & anguſtiæ: dies calamitatis & miſeriæ: dies tenebrarum & caliginis: dies nebulæ & turbinis. Similia quoque habes Joël. 2. v. 2. Amos vero, 5. v. 18. etiam exclamat, Væ deſiderantibus diem Domini. ad quid eam vobis? Dies illa Domini, tenebræ, & non lux. Porro quum addit vocabulum Revelationis Paulus, innuit quis ille ſit iræ dies, nempe quum Dominus judicium ſuum manifeſtabit: cujus tametſi indicia quædam quotidie præbet, liquidam tamen ac plenam manifeſtationem in eam diem ſuſpendit ac continet. Tunc enim libri aperientur: tunc ſegregabuntur agni ab hœdis, & frumentum zizaniis repurgabitur.

6. *Qui reddet unicuique* &c.] Quia illi cum cæcis ſanctulis negotium eſt, qui bene obtectam putant cordis nequitiam, modo neſcio quibus inanium operum fucis prætexatur: veram operum juſtitiam ſtatuit, quæ ſit coram Deo locum habitura, ne ſufficere confidant ad eum placandum, ſi verba & ſolas nugas vel folia attulerint. Porro in hac ſententia non tantum eſt difficultatis, quantum vulgo putatur. Reproborum enim malitiam juſta ultione ſi puniet Dominus, rependet illis quod meriti ſunt. Rurſum quia ſanctificat quos olim ſtatuit glorificare: in illis quoque bona opera coronabit, ſed non pro merito. Neque id evincetur ex hac ſententia: quæ tametſi prædicit quam mercedem habitura ſint bona opera, nequaquam tamen quid valeant, vel quid illis debeatur pretii pronunciat. Stulta autem conſequentia eſt, ex mercede ſtatuere meritum.

7. *Iis quidem qui ſecundum perſeverantiam.*] Ad verbum, *patientiam*: quo vocabulo plus aliquid exprimitur. Perſeverantia enim eſt, ubi quis conſtanter benefaciendo non fatiſcit: at tolerantia quoque in ſanctis requiritur, qua licet variis tentationibus oppreſſi, ſubſiſtant. Non enim eos expedito curſu ad Dominum pergere Satan permittit: ſed innumeris offendiculis remorari eos, atque à recta via avertere nititur. Quod autem dicit, fideles in bonis operibus perſiſtendo, gloriam & honorem quærere: non ſignificat eos alio aſpirare quam ad Dominum, aut aliquid eo ſuperius præſtantiusve expetere. ſed ipſum quærere nequeunt, quin ſimul ad regni ejus beatitudinem contendant: cujus deſcriptio ſub horum verborum periphraſi continetur. Senſus ergo eſt, Dominum vitam æternam iis redditurum qui bonorum operum ſtudio immortalitatem meditantur.

8. *Iis vero qui ſunt contentioſi.*] Aliquantum confuſa eſt oratio. Primum, ob abſciſſum tenorem: filum enim dictionis requirebat, ut ſecundum collationis membrum priori cohæreret, in hunc modum, Dominus iis, qui per boni operis perſeverantiam gloriam, honorem, immortalitatem quærunt, redditurus eſt vitam æternam: contentioſis autem & immorigeris æternam mortem. Tum ſubnecteretur illatio, Paratam illis quidem eſſe gloriam & honorem & incorruptionem: his autem repoſitam eſſe iram & afflictionem. Deinde quia voces illæ, *Excandeſcentia, ira, tribulatio & anxietas*, duobus membris diverſis applicantur: ſenſum tamen orationis id minime turbat, quo in ſcriptis Apoſtolicis contenti ſumus. Ex aliis enim diſcenda eſt eloquentia: hic ſub contemptibili verborum humilitate, ſpiritualis ſapientia quærenda eſt. Contentio hic pro rebellione ponitur, & pervicacia: quia cum hypocritis confligit Paulus, qui craſſa & ſupina indulgentia Deum ſubſannant. *Veritatis* nomine ſimpliciter regula divinæ voluntatis, quæ ſola veritatis lux eſt, deſignatur. Id enim omnium impiorum commune eſt, ut ſe iniquitati in ſervitutem addicere ſemper malint, quam Dei jugum recipere. at quantamlibet obedientiam ſimulent, non deſinunt tamen Dei verbo contumaciter obſtrepere & obluctari. Siquidem ut veritatem hanc ludibrio habent qui palam ſunt flagitioſi: ita hypocritæ fictitios ſuos cultus illi opponere non dubitant. Porro ſubjicit Apoſtolus, ejuſmodi contumaces iniquitati ſervire: quia nihil medium eſt, quominus in peccati ſervitium mox concedant, qui ſubjugari à Domini Lege noluerunt. Atque hoc quoque juſtum præmium eſt furioſæ licentiæ, quod peccati ſunt mancipia, qui Dei obſequium gravantur. *Excandeſcentia & ira*. Sic vertere cogit me verborum proprietas. Græcis enim id ſignificat θυμὸς, quod Latinis excandeſcentiam notare

tare

tare docet Cicero, Tuſc. 4. nempe ſobitam iræ inflammationem. In aliis ſequor Eraſmum. Obſerva autem ex quatuor quæ recenſentur, duo poſteriora quaſi effectus eſſe priorum. Nam qui Deum ſibi adverſum iratumque ſentiunt, extemplo prorſus conteruntur. Cæterum, quum duobus verbis tam piorum beatitudinem quam reproborum interitum breviter indicare poſſet, utrumque pluribus amplificat: quo magis & efficacius homines percellat iræ Dei metu, & deſiderium acuat obtinendæ per Chriſtum gratiæ. Nunquam enim Dei judicium ſatis metuimus, niſi viva deſcriptione quaſi ſtatuatur ante oculos. Nec ſerio futuræ vitæ ſtudio ardemus, niſi multis flabellis incitati.

9. *Judæo primum.*] Mihi non dubium eſt quin Judæo Gentilem ſimpliciter opponat. quos enim Græcos nunc appellat, eos Gentiles mox dicet. Judæi autem in hujus cauſæ actione præcedunt, qui præ aliis habent Legis promiſſiones & minas: acſi diceret, Hæc univerſalis eſt divini judicii lex, quæ à Judæis incipiet, & comprehendet totum orbem.

Deut. 10. 11. Siquidem non eſt acceptio perſonarum apud Deum.
verſ. 17. 12. Quicunque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege etiam peribunt: quicunque vero in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur.
Matth. 7. 13. Non enim Legis auditores juſti ſunt apud Deum: ſed qui Legem faciunt, juſtifi-
verſ. 21. cabuntur.

11. *Non eſt perſonarum acceptio.*] Hactenus in genere reos in judicium traxit univerſos mortales: nunc vero ſeorſum hinc Judæos, hinc Gentiles arguere incipit: ac ſimul docet, non obſtare quod alios ab aliis ſeparat diſcrimen, quin promiſcue utrique morti æternæ ſint obnoxii. Gentiles defenſionem captabant ab ignorantia: Judæi Legis titulo gloriabantur. Illis adimit tergiverſationem, hos falſa & vana gloriatione ſpoliat. Eſt igitur quædam totius generis humani in duo membra partitio. Nam Judæos ſegregaverat Deus à reliquis: omnium vero Gentium eadem erat ratio. Nunc illud diſcrimen nihil obſtare docet, quominus in eundem utrique colligati ſint reatum. Cæterum Perſona Scripturis uſurpatur pro rebus omnibus externis quæ aliquo in pretio & honore haberi ſolent. Quum ergo legis, non eſſe Deum acceptorem perſonarum, intellige illum reſpicere cordis puritatem, ac interiorem innocentiam: non autem iis immorari, quæ ſolent in hominum æſtimationem venire, genus, patriam, dignitatem, copias, & ſimilia: ut hic acceptio accipitur pro delectu, ac diſcretione inter gentem & gentem. Siquis autem hinc cavilletur, non eſſe igitur gratuitam Dei electionem: reſpondendum, eſſe duplicem hominis acceptionem coram Deo. primam, qua nos ex nihilo vocatos gratuita bonitate cooptat: quum nihil ſit in natura noſtra quod illi probari queat. alteram, qua ubi nos regeneravit, etiam cum ſuis donis amplectitur: ac quam in nobis recognoſcit Filii ſui imaginem, favore ſuo proſequitur.

12. *Qui ſine Lege peccaverunt.*] Priore partitionis loco Gentes aggreditur: quibus tametſi nullus Moſes datus fuerat, qui Legem illis à Domino promulgaret ac ſanciret, id tamen obſtare negat, quominus juſtum mortis judicium peccando ſibi accerſant: acſi diceret, juſtæ peccatoris damnationi non eſſe neceſſariam Legis ſcriptæ notitiam. Vide igitur quale patrocinium ſuſcipiant, qui præpoſtera miſericordia, Gentes Euangelii lumine privatas, ignorantiæ prætextu Dei judicio eximere tentant. *Qui in Lege peccaverunt.* Quemadmodum Gentes, dum ſenſus ſui erroribus feruntur, in foveam præcipites eunt: ita Judæi Legem in promptu habent, qua judicentur. Pronunciata enim jampridem ſententia eſt, maledictos omnes qui non permanſerint in omnibus ejus mandatis. *Deut. 27. verſ. 26.* Pejor itaque conditio Judæos peccatores manet, quibus jam ſua eſt in Lege damnatio.

13. *Non enim auditores Legis.*] Prolepſis, qua antevertit quam afferre Judæi exceptionem poterant. Quia Legem audiebant eſſe juſtitiæ regulam, ſola ejus notitia ſuperbiebant. Eam hallucinationem ut refellat, negat Legis audientiam ſeu intelligentiam quicquam habere ponderis, ut juſtitiam quis ex ea obtendat: ſed proferenda eſſe opera, ſecundum illud, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. *Deut. 4. verſ. 1.* Hoc igitur tantum valet præſens ſententia, Si ex Lege juſtitia quæritur, impleri Legem oportere: quia in operum perfectione poſita eſt Legis juſtitia. Qui hoc loco abutuntur ad erigendam operum juſtificationem, etiam puerorum cachinnis ſunt digniſſimi. Proinde ineptum eſt & extra locum, huc longas de juſtificatione quæſtiones ingerere ad ſolvendum tam futile cavillum. Tantum enim urget apud Judæos Apoſtolus illud, de quo meminerat, Legis judicium: quod non poſſint per Legem juſtificari, niſi Legem impleant. ſi transgediantur, paratam mox eſſe illis maledictionem. Nos vero non negamus præſcribi in Lege abſolutam juſtitiam: ſed quia omnes transgreſſionis convincuntur, quærendam eſſe dicimus aliam juſtitiam. Quin ex hoc loco argumentari licet, neminem operibus juſtificari. ſi enim ii ſoli qui Legem implent, per Legem juſtificantur: ſequitur nullum juſtificari, quia nullus reperitur qui jactare queat Legis complementum.

14. Quum enim Gentes, quæ Legem non habent, natura quæ Legis ſunt faciant, ipſæ Legem non habentes, ſibi ipſæ ſunt Lex:
15. Quæ oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante ipſorum conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus.
16. In die qua judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Jeſum Chriſtum.

14. *Quum enim Gentes.*] Probationem prioris membri nunc repetit. Non enim ſatis habet nos verbo damnare, & juſtum Dei judicium adverſum nos pronunciare: ſed rationibus id evincere apud nos contendit, quo nos ad Chriſti deſiderium amoremque magis excitet. Probat enim, fruſtra obtendi à Gentibus ignorantiam, quum factis ſuis declarent, nonnullam ſe habere juſtitiæ regulam. Nulla enim gens unquam ſic ab humanitate abhorruit, ut non ſe intra leges aliquas contineret. Quum igitur ſponte ac ſine monitore, Gentes omnes ad leges ſibi ferendas inclinatæ ſint: conſtat abſque dubio quaſdam juſtitiæ ac rectitudinis conceptiones, quas Græci [illegible] vocant, hominum animis eſſe naturaliter ingenitas. Habent ergo legem ſine Lege: quia utcunque ſcri-

ptam

ptam Legem non habeant, notitia tamen recti & æqui nequaquam prorſus carent. Neque enim aliter poſſent inter flagitium virtutemque diſcernere: quorum alterum coërcent pœnis, alteram commendant, ac ſuo calculo approbatam præmiis honorant. Naturam oppoſuit Legi ſcriptæ, intelligens ſcilicet Gentibus naturalem juſtitiæ fulgorem illucere, qui Legis vicem ſuppleat, qua Judæi erudiuntur: ut ſint ipſæ ſibi Lex.

15. *Quæ oſtendunt opus Legis ſcriptum.*] Hoc eſt, teſtificantur eſſe inſcriptum cordibus ſuis diſcrimen & judicium, quo inter æquum & iniquum, honeſtum & turpe diſtinguant. Non enim intelligit, inſculptum eorum voluntati ut appetant, & ſtudioſe perſequantur: ſed quia ſic veritatis potentia vincuntur, ut non poſſint non approbare. Cur enim religiones inſtituunt, niſi quia Deum colendum judicant? Cur ſcortari & furari pudet, niſi quia utrumque malum cenſent? Impune ergo ex hoc loco poteſtas voluntatis noſtræ effertur: acſi facultati noſtræ ſubjectam Legis obſervationem diceret Paulus: quum de implendæ Legis poteſtate non loquatur, ſed de notitia. Nec vero Cordis nomen pro ſede affe-
Deut. 29. ctuum, ſed tantum pro intellectu capitur: ut alibi,
vers. 4. Non dedit Dominus tibi cor ad intelligendum. Item,
Luc. 24. Stulti homines & tardi corde ad credendum. Præ-
vers. 26. terea nec ex eo colligendum eſt, hominibus ineſſe plenam Legis cognitionem: ſed quædam duntaxat juſtitiæ ſemina eſſe indita ipſorum ingenio: qualia ſunt quod religiones inſtituunt omnes peræque gentes, adulterium legibus plectunt, & furtum, & homicidium: bonam fidem in commerciis ac contractibus commendant. Sic enim teſtantur non ſe latere, Deum colendum eſſe: adulterium & furtum & homicidium eſſe mala: probitatem eſſe laudabilem. Nec intereſt qualem fingant Deum, aut quot etiam deos fabricent: ſatis eſt quod Deum eſſe intelligunt, & illi honorem cultumque deberi. Non refert an alienæ mulieris, & poſſeſſionis, & cujusvis rei cupiditatem permittant: an ad iram odiumque conniveant: nam quod perpetrare malum eſſe norunt, neque fas erit concupiſcere. *Atteſtante conſcientia & cogitationibus.* Non poterat fortius eos premere quam propriæ conſcientiæ teſtimonio, quæ eſt inſtar mille teſtium. Conſcientia benefactorum ſe ſuſtentant ac conſolantur homines male ſibi conſcii, intra ſe torquentur ac cruciantur. Unde illæ Ethnicorum voces, Ampliſſimum theatrum eſſe bonam conſcientiam: malam vero peſſimum carnificem, ac ſævius quibuslibet furiis impios exagitare. Eſt igitur naturalis quædam Legis intelligentia, quæ hoc bonum atque expetibile dictet, illud autem deteſtandum. Obſerva autem quam erudite deſcribat conſcientiam, quum dicit nobis venire in mentem rationes, quibus quod recte factum eſt defendamus: rurſum quæ nos flagitiorum accuſent ac redarguant. Rationes autem iſtas accuſandi ac defendendi ad diem Domini confert: non quia ſint tunc primum emerſuræ, quæ aſſidue nunc vigent, ac officium ſuum exercent: ſed quia ſint tunc quoque valituræ, ne quis ut frivolas & evanidas contemnat. In die autem poſuit, pro In diem: quemadmodum & prius.

16. *Qua judicabit Deus occulta hominum.*] Appoſitiſſima eſt judicii periphraſis ad locum præſentem: ut ſciant qui ſe libenter in latebras ſtuporis abderent, intimas illas & nunc in receſſu cordis penitus latentes cogitationes, in lucem tunc prodituras. Quemadmodum alibi, dum vult Corinthiis oſtendere quam ni- 1 Cor. 4.
hili ſint humana judicia, quæ in externis larvis reſi- vers. 6.
ſtunt: jubet expectare donec venerit Dominus, qui illuſtret occulta tenebrarum, & patefaciat occulta cordium. Id quum audimus, ſuccurrat nos admoneri, ſi volumus nos vere approbare noſtro judicio, ut ad illam animi ſinceritatem enitamur. Addit, *ſecundum Euangelium meum*: ſignificans ſe doctrinam proferre, cui humani ſenſus, & naturaliter inſiti reſpondeant. Ac Suum appellat ratione miniſterii. Nam penes unum Deum eſt Euangelii edendi auctoritas: ſola diſpenſatio Apoſtolis commiſſa eſt. Cæterum non mirum eſt ſi pars Euangelii dicatur futuri judicii nuncius ac præconium. Nam ſi uſque ad plenam regni cæleſtis revelationem differtur eorum quæ promittit, effectus & complementum: cum extremo judicio neceſſe eſt conjungi. Deinde prædicari Chriſtus non poteſt, niſi aliis in reſurrectionem, aliis in ruinam: quorum utrumque ad diem judicii pertinet. Particulam *per Jeſum Chriſtum*, quanquam aliis ſecus videtur, ego tamen ad judicium refero, in hunc ſenſum, quod Dominus per Chriſtum ſuum judicium exequetur. Eſt enim ille conſtitutus à Patre judex vivorum & mortuorum. quod inter præcipua Euangelii capita ſemper Apoſtoli recenſent. ſic erit plenior ſententia, quæ alioqui frigeret.

infra, 9. 17. Ecce tu Judæus cognominaris, & acquieſcis in Lege, & gloriaris in Deo,
vers. 4. 18. Et noſti voluntatem, & probas eximia, inſtitutus ex Lege:

19. Confidiſque teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui ſunt in tenebris,

20. Eruditorem inſipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis in Lege.

21. Qui igitur doces alterum, teipſum non doces: qui concionaris non furandum, furaris.

22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui deteſtaris idola, ſacrilegium perpetras.

23. Qui de Lege gloriaris, Deum per Legis transgreſſionem dehoneſtas.

Jeſa. 52. 24. Nomen enim Dei propter vos probro afficitur inter Gentes: quemadmodum ſcri-
vers. 5. ptum eſt.
Eze. 36.
vers. 20. 17. *Ecce tu Judæus.*] In vetuſtis quibuſdam exemplaribus legitur εἰ δὲ, ſi vero: quod ſi tam receptum foret, mihi probaretur magis. ſed quoniam major codicum numerus reclamat, & aliter non male conſtare poteſt ſenſus, retineo veterem lectionem: præſertim quum leve ſit particulæ unius momentum. Nunc autem expedita Gentium cauſa, redit ad Judæos: quorum ut omnem vanitatem fortius retundat, permittit illis omnia quibus efferebantur ac inflati erant. deinde quam non ſufficiant ad veram gloriam, demonſtrat: imo in quantum illis cedant opprobrium. Sub Judæi nomine comprehendit omnes gentis prærogativas, quas ex Lege & Prophetis petitas, falſo prætendebat, atque ita Iſraëlitas omnes intelligit, qui omnes tunc promiſcue Judæi vocabantur. Porro quo primum tempore hæc appellatio cœperit, incertum eſt: niſi quod omnino poſt diſperſionem cœpit. Joſephus undecimo Antiquitatum, putat à Juda Machabæo ſumptam: cujus auſpiciis libertas & dignitas populi, quum aliquandiu collapſa & pene ſepulta fuiſſet, reſpiravit. Hanc ſententiam tametſi video eſſe probabilem, ſi qui tamen ſunt quibus non ſatisfaciat, afferam à me quoque alteram conjecturam. Veriſimile mihi certe videtur, quum tot cladibus deformati ac diſſipati forent, ne certam quidem tribuum diſtinctionem potuiſſe retinere.

 Nam

Nam nec ſuo tempore cenſus fieri poterat: nec ſtabat politia, quæ neceſſaria erat ad ordinem ejuſmodi conſervandum: & fuſi palatique habitabant: & rebus adverſis attriti, minus proculdubio ad cognationem ſuam recenſendam attenti erant. Verum ut hæc mihi non concedas: quin tamen impenderet ex tanta rerum perturbatione ejuſmodi periculum, non negabis. Sive igitur in poſterum proſpicere voluerint, ſive accepto jam malo ſuccurrere: puto ſimul omnes ſe ad nomen ejus Tribus contuliſſe, in qua religionis puritas diutius ſteterat, quæ ſingulari prærogativa omnes reliquas anteibat, ex qua Redemptor expectabatur prodituros: ſiquidem hoc erat in rebus ultimis ſuffugium, Meſſiæ expectatione ſe conſolari. Utcunque ſit, Judæorum cognomine ſe fœderis eſſe hæredes profitebantor, quod Dominus cum Abraham & ſemine ejus pepigerat. *Et acquieſcis in Lege, & gloriaris in Deo.* Non intelligit eos acquieviſſe in ſtudio Legis, acſi animum ad ejus obſervationem applicaſſent: ſed potius exprobrat, quod non attendentes quem in finem data Lex fuiſſet, omiſſa obſervationis cura, hoc uno turgerent, quia perſuaſi erant ad ſe pertinere Dei oracula. Similiter de Deo gloriabantur, non qualiter Dominus præcipit per Prophetam, ut apud noſmet humiliati,
Jerem. 9. verſ. 24. noſtram in ſe uno gloriam quæramus: ſed ſine ulla bonitatis Dei cognitione, illum, quo intus vacui erant, apud homines vanæ oſtentationis cauſa peculiariter ſuum faciebant, ac ſe venditabant pro ejus populo. Hæc igitur non cordis gloriatio, ſed linguæ jactantia fuit.

18. *Noſti voluntatem, & probas utilia.*] Intelligentiam nunc coocedit divinæ voluntatis, & utilium approbationem, quam conſequuti erant ex Legis doctrina. Duplex autem eſt probatio: altera electionis, quum id quod bonum probavimus, amplectimur: altera judicii, qua diſcernimus quidem bonum à malo, ſed conatu vel ſtudio minime ſectamur. Sic ergo erant eruditi in Lege Judæi, ut poſſent morum cenſuram eaercere: ſed de vita ſua ad hanc cenſuram exigenda parum erant ſolliciti. Porro quum eorum hypocriſin Paulus exagitet, colligere ex adverſo licet (modo ex genuino affectu procedat judicium) rite demum probari utilia, ubi Deus auditur, nam ejus voluntas qualiter in Lege patefacta eſt, dux & magiſtra veræ probationis hic ſtatuitur.

19. *Confidiſque teipſum.*] Plus etiam illis largitur: quaſi non habeant modo quod ſatis ſit in uſum ſuum, ſed unde alios quoque locupletent. Dat, inquam, tantam illis doctrinæ copiam ſuppetere, quæ in alios quoque redundare queat. Quod ſequitur, *habentem formam doctrinæ*, cauſative accipio: ut ſic reſolvatur, eo quod formam habeas. Ideo enim aliorum ſe doctores profitebantur, quod omnia Legis arcana in pectore ſuo circumferre viderentur. Formæ vocabulum pro exemplari non ponitur: quia Paulus μόρφωσιν poſuit, non τύπον. ſed puto voluiſſe conſpicuam doctrinæ pompam indicare, quæ Apparentia vulgo dicitur. Et certe inanes ejus ſcientiæ fuiſſe conſtat, quam præ ferebant. Cæterum Paulus vitioſum Legis abuſum oblique ſubſannans, ex altera parte indicat, ex Lege petendam eſſe rectam notitiam, ut conſter ſolida veritas.

21. *Qui ergo alterum doces.*] Quanquam ea quæ hactenus recenſuit Judæorum encomia, ejuſmodi erant, ut merito eos exornare poſſent, ſi modo illis non defuiſſent veriora ornamenta: quia tamen medias dotes continebant, quæ & apud impios reſidere, & pravo abuſu corrumpi poſſint, minime ſufficiunt ad ſolidam gloriam. Atqui Paulus non contentus eorum arrogantiam refellere & eludere, quod iis ſolis confiderent, in eorum quoque ignominiam retorquet. Non enim modico probro dignus eſt, qui præclara & eximia alioqui Dei dona non modo inutilia reddit, ſed pravitate ſua vitiat & contaminat. Et perverſus eſt conſultor, qui ſibi ipſe non conſultus, tantum in aliorum commodum ſapit. Unde ergo laudem captabant, id cedere illis in vituperium oſtendit. *Qui concionaris non furandum.* Videtur alluſiſſe ad locum Pſalmi quinquageſimi, Impio dixit *Pſal. 50.*
Deus, Quorſum enarras ſtatuta mea, & aſſumis *verſ. 16.*
teſtamentum meum in os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & projeciſti verba mea poſt te. ſi videas furem, conſentis ei: & cum adulteris portio tua. Quæ objurgatio ut in Judæos olim competebat, qui nuda Legis intelligentia freti, nihilo melius vivebant quam ſi Lege caruiſſent: ita nobis cavendum, ne in nos hodie vertatur. Et ſane nimium in pleroſque congruit, qui raram quandam Euangelii notitiam jactantes, perinde acſi Euangelium vitæ regula non eſſet, in omne genus ſpurcitiæ ſunt diſſoluti. Ne ergo tam ſecure ludamus cum Domino, meminerimus quale impendeat judicium talibus logodædalis, qui verbum Dei ſola garrulitate oſtentant.

22. *Qui deteſtaris idola.*] Scite opponit idololatriæ ſacrilegium, tanquam rem ejuſdem geoeris. Nam ſacrilegium ſimpliciter eſt profanatio divinæ majeſtatis. quod nec Ethnicos quoque Poetas latuit. Hac ratione Ovidius Metamor. 3. Sacrilegum appellat Lycurgum, ob contempta Bacchi ſacra. Et in Faſtis, Sacrilegas manus, quæ numen Veneris violarant. Sed quum Gentes deorum ſuorum majeſtatem idolis affigerent, vocarunt duntaxat ſacrilegium, ſi quis ſurripuiſſet quod templis dicatum eſſet, in quibus putabant ſitam eſſe totam religionem. Sic hodie, ubi pro verbo Dei regnat ſuperſtitio, non aliud ſacrilegii genus agnoſcunt, quam templorum opulentiam ſuppilaſſe: quando nullus eſt Deus niſi in idolis, nulla religio niſi in luxu & pompa. Admonemur autem hic primum, ne parte Legis aliqua defuncti, nobis placeamus, alios contemnentes. Deinde, ne gloriemur adeo de ſublata inter nos idololatria exteriori, ut non interim curemus latentem in animis impietatem à nobis profligare & eradicare.

23. *Qui in Lege gloriaris, Deum per Legis* &c.] Quanquam Deum contumelia afficit quilibet Legis transgreſſor (quando hac conditione nati ſunt omnes, ut juſtitia & ſanctimonia illum colant) jure tamen ſpecialem in hac re culpam Judæis imputat. Quia quum Deum prædicarent ſuum legiſlatorem, vitam autem ſuam componere ad ejus regulam minime ſtuderent, declarabant Dei ſui majeſtatem non magnæ ſibi curæ eſſe, quam adeo ex facili contemnerent. Quomodo & hodie Chriſtum dehoneſtant per Euangelii transgreſſionem, qui de ejus doctrina otioſe garriunt, quam interim effreni ac libidinoſa vivendi forma proculcant.

24. *Nomen enim Dei.*] Ego magis ex Ezech. 36. v. 23. ſumptum puto teſtimonium, quam ex Jeſaia, quandoquidem apud Jeſaiam nullæ ſunt exprobrationes adverſus populum, quibus totum illud Ezechielis caput refertum eſt. Putant autem quidam eſſe argumentum à minori ad majus, in hunc ſenſum, Si ætatis ſuæ Judæos non abs re increpuit Propheta, quod propter eorum captivitatem haberetur ludibrio inter Gentes Dei gloria & potentia, acſi populum quem in protectionem ſuam ſuſceperat, non potuiſſet conſervare: multo magis eſtis Dei probra & dehoneſtamenta, ex quorum peſſimis moribus æſtimata ejus religio male audit. Quam ſententiam ut non refello, ita ſimpliciorem malo: acſi dictum eſſet, Videmus omnia Iſraëlitici populi vituperia in nomen Dei recidere: quia quum Dei populus habeatur & dicatur, Dei nomen veluti fronti inſculptum gerit: unde neceſſe eſt, apud homines Deum, cujus ſe nomine venditant, ipſius turpitudine quodammodo infamari. Eſt autem valde indignum, qui gloriam à Deo mutuantur, ignominiæ notam ſacro ejus nomini aſpergere. nam ſaltem decebat aliam rependere mercedem.

25. Nam

25. Nam Circumciſio quidem prodeſt, ſi Legem obſerves: quod ſi transgreſſor Legis fueris, Circumciſio tua in præputium verſa eſt.

26. Si ergo præputium juſtitias Legis ſervaverit, nonne præputium ejus pro Circumciſione cenſebitur:

27. Et judicabit quod ex natura eſt præputium (ſi Legem ſervaverit) te qui per literam & Circumciſionem transgreſſor es Legis?

28. Non enim qui eſt in aperto Judæus, is Judæus eſt: nec quæ in aperto eſt Circumciſio in carne, ea eſt Circumciſio:

29. Sed qui eſt in occulto Judæus, & Circumciſio cordis in ſpiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo.

25. *Circumciſio quidem prodeſt.*] Per anticipationem diluit quæ rurſum contra excipere in defenſionem ſuæ cauſæ Judæi poterant. Nam ſi fœderis Domini ſymbolum erat Circumciſio, quo Abrahamum & ſemen ejus ſibi in peculium Dominus ſelegerat: inde videbantur non fruſtra gloriari. ſed quoniam omiſſa ſigni veritate, in externa ejus ſpecie hærebant: reſpondet non eſſe cur ſibi quicquam ex nudo ſigno arrogent. Veritas Circumciſionis in promiſſione ſpirituali ſita erat, quæ fidem requirebat. Utrumque negligebant Judæi, tam promiſſionem quam fidem. Stulta ergo erat ipſorum confidentia. Unde fit ut præcipuum Circumciſionis uſum hic prætermittat, dum ſcilicet ſermonem accommodat ad craſſum ipſorum errorem: quemadmodum & ad Galatas. Atque id ſedulo notandum eſt. Nam ſi de tota Circumciſionis & natura & ratione diſſereret, abſurdum eſſet, nullam fieri gratiæ & gratuitæ promiſſionis mentionem. Verum utroque loco, pro cauſæ quam tractat circumſtantia loquitur: ideo tantum eam partem attingit, de qua controverſia erat. Putabant Circumciſionem, per ſe, opus eſſe ad comparandam juſtitiam idoneum. Ergo ut juxta eorum opinionem loquatur, reſpondet, ſi opus ſpectetur in Circumciſione, hanc eſſe conditionem ejus, ut is qui circumciditur, ſe integrum ac perfectum Deo cultorem exhibeat. opus itaque Circumciſionis eſſe perfectionem. Ita & de Baptiſmo noſtro licet loqui. ſi quis ſola Baptiſmi aquæ fiducia fretus, juſtificatum ſe putet, quaſi jam comparata ex opere illo ſanctitate, objiciendus ſit Baptiſmi finis: nempe quod per eum nos Dominus vocat ad vitæ ſanctitatem. Hic ſileretur promiſſio & gratia, quam nobis teſtificatur Baptiſmus atque obſignat: quia nobis negotium eſſet cum iis qui vacua Baptiſmi umbra contenti, quod in eo ſolidum eſt non morantur neque expendunt. Atque id quidem in Paulo animadvertas, ubi de ſignis diſſerit apud fideles & ſine contentione, ea cum promiſſionum ſuarum efficacia & complemento connectere: ubi apud præpoſteros & imperitos ſignorum interpretes ſermonem habet, illic, omiſſa propriæ ac germanæ ſignorum naturæ mentione, totum ſtylum dirigere in illorum pravam interpretationem. Multi autem quia vident Paulum adducere Circumciſionem potius quam aliud Legis opus, arbitrantur eum adimere ſolis ceremoniis juſtitiam. Sed res longe aliter habet: iſtud enim ſemper evenire ſolet, ut qui merita ſua erigere audent adverſus Dei juſtitiam, externis magis obſervationibus ſuperbiant, quam ſolida probitate. Nam quicunque ſerio Dei timore tactus eſt & affectus, nunquam in cælum oculos attollere audebit. ſiquidem quo magis contendet ad veram juſtitiam, eo melius cernet quanto intervallo ab ea diſtet. Phariſæi autem, qui contenti ſunt externa ſimulatione adumbraſſe ſanctitatem, non mirum ſi tam facile ſibi blandiantur. Ideo Paulus, quum Judæis nihil reliqui feciſſet, niſi hoc miſerum ſubterfugium, ut ſe per Circumciſionem juſtificatos jactarent: inanem quoque iſtam perſonam illis nunc detrahit.

26. *Si ergo præputium* &c.] Argumentum eſt validiſſimum: Unumquodque ſuo fine inferius eſt, atque illi ſubordinatur. Circumciſio in Legem reſpicit: ergo infra illam eſſe debet. Plus ergo eſt Legem ſervare, quam Circumciſionem, quæ illius cauſa inſtituta eſt. Unde ſequitur, incircumciſum qui modo Legem ſervet, longe præcedere Judæum Legis transgreſſorem cum arida ſua & inutili Circumciſione. atque ita etiamſi natura ſit pollutus, Legis tamen obſervatione ſanctificabitur, ut præputium illi Circumciſionis vice imputetur. Vocabulum autem *præputii* ſecundo loco proprie accipitur, priore abuſive pro Gentili: res pro perſona. Porro hic neminem ſollicitum eſſe oportet de quibus Legis cultoribus intelligi poſſit quod ait Paulus, quando nullos tales reperire liceat. Simpliciter enim hanc hypotheſin proponere in animo habuit, Si quis Gentilis reperiatur qui Legem obſervet, ejus juſtitiam pluris eſſe in præputio, quam Judæi ſine juſtitia Circumciſionem. Itaque quod ſequitur, *Judicabit is qui natura eſt præputiatus circumciſum:* non ad perſonas, ſed ad exemplum refero. Quemadmodum illud, Regina Auſtri veniet, &c. Item, Viri Ninivitæ ſurgent in judicio. Nam & verba Pauli in eum ſenſum nos deducunt. Judicabit te Gentilis, ait, Legis obſervator, transgreſſorem: quanquam ille incircumciſus, tu literali Circumciſione præditus.

Mat. 12. verſ. 48. Luc. 11. verſ. 31.

27. *Per literam & Circumciſionem.*] Hypallage, pro Circumciſione literali. Neque intelligit eos propterea Legem violare, quod literam habeant Circumciſionis: ſed quia cum illa ſua externa ceremonia, ſpiritualem Dei cultum, pietatem ſcilicet, juſtitiam, judicium, & veritatem, quæ tamen Legis præcipua ſunt, obliterare non deſinant.

28. *Non enim qui in manifeſto* &c.] Senſus eſt, verum Judæum non eſſe æſtimandum vel à carnis progenie, vel à titulo profeſſionis, vel ab externo ſymbolo: neque Circumciſionem, quæ Judæum facit, ſola exteriore figura conſtare: ſed utrumque internum eſſe. Quod autem de vera Circumciſione ſubjicit, ſumptum eſt ex locis compluribus Scripturæ, imo ex communi doctrina: quia paſſim jubetur populus circumcidere cor ſuum, atque id ſe facturum Dominus promittit. Præputium enim non tanquam exigua partis unius corruptio, ſed totius naturæ reſectum fuit. Ergo Circumciſio, totius carnis mortificatio fuit. Quod deinde addit, *Eam in ſpiritu poſitam eſſe, non litera,* ſic accipe: Literam vocat externam ſine pietate obſervationem: Spiritum ceremoniæ finem, qui ſpiritualis eſt. Nam quum totum pondus ſignorum ac rituum à fine pendeat: fine ipſo ſublato, manet ſola litera, quæ per ſe inutilis eſt. Hæc autem eſt ratio loquutionis: quia ubi ſonat vox Dei, quæcunque præcipit, niſi ab hominibus ſuſcipiantur ſincero cordis affectu, manent in litera, hoc eſt, in frigida ſcriptura: ſi vero in animam penetrent, quodammodo in ſpiritum transformantur. Alluſio autem eſt ad diſcrimen veteris & novi Teſtamenti, quod notat Jer. cap. 31. verſ. 33. ubi Dominus ratum & ſtabile fore pronunciat fœdus ſuum, poſtquam viſceribus inſculptum fuerit. Eodem alibi quoque reſpexit Paulus, ubi Legem Euangelio comparans,

2 Cor. 3. verſ. 6.

parans,

parans, illam vocat Literam, quæ non mortua ſolum eſt, ſed etiam occidit: hoc autem, Spiritus elogio inſignit. Porro bis craſſa eorum ſtultitia fuit, qui ex Litera fecerunt genuinum ſenſum, ex Spiritu allegorias.

29. *Cujus laus non ex hominibus.*] Quia defiguntur hominum oculi in ea quæ apparent, negat ſufficere quod humana opinione ſit commendabile, quæ externo ſplendore ſæpe decipitur: ſed oportere Dei oculis ſatisfieri, quibus nec profundiſſima cordis arcana ſunt abſcondita. Ita rurſum hypocritas, qui ſe falſis perſuaſionibus deliniunt, retrahit ad Dei tribunal.

CAP. III.

QUæ igitur prærogativa Judæi, aut quæ utilitas Circumciſionis?

2 Multa per omnem modum: ac primum quidem, quod illis credita ſunt oracula Dei.

Quanquam egregie diſputavit Paulus, vacuam Circumciſionem nihil Judæis conducere: quando tamen inficiari non poterat, aliquod inter Gentes & Judæos diſcrimen, quod eo ſymbolo eſſet à Domino ſignatum: eam vero diſtinctionem cujus auctor erat Deus, inanem & nullius momenti facere, abſurdum erat: reſtabat ut hanc objectionem quoque expediret. Conſtabat quidem ineptam eſſe gloriam, quam inde Judæi captabant. Hærebat tamen adhuc ſcrupus ille, in quem finem eſſet à Domino inſtituta Circumciſio, niſi aliquo fructu eſſet commendabilis. Ergo per antipophoram interrogat, quid Gentili præſtet Judæus? Ac quæſtionis rationem altera interrogatione ſubjicit, quum dicit, *Quæ utilitas Circumciſionis?* Nam illa Judæos vulgari ſorte hominum eximebat: ſicuti Paulus ceremonias maceriam nominat, quæ alios ab aliis ſeparabat. *Epheſ. 2. verſ. 14.*

2. *Multa per omnem modum.*] Id eſt, Omnino multa. Hic incipit ſuam Sacramento laudem tribuere: ſed cujus gratia Judæis ſuperbire non concedat. Quum enim eos Circumciſionis ſymbolo inſignitos fuiſſe tradit, quo filii Dei haberentur: non eos fatetur ſuo aliquo merito aut propria dignitate excelluiſſe, ſed Dei beneficiis. Si ergo in homines reſpicitur, pares aliis eſſe demonſtrat: ſi Dei beneficia conſiderentur, in illis habere docet quo ſint aliis populis conſpicui. *Primum, quia illis credita ſunt.* Nonnulli anapodotum eſſe putant: quia plus proponat quam poſtea explicet. Mihi autem dictio *primum*, non eſſe ordinis nota videtur: ſed ſimpliciter ſignificat Præcipue vel præſertim, hoc ſenſu, Etſi unum iſtud eſſet, quod habent Dei oracula ſibi commiſſa, ſatis valere debet ad eorum dignitatem. Notatu vero dignum eſt, quod Circumciſionis utilitas non locatur in nudo ſigno, ſed à verbo æſtimatur. Hic certe quærit Paulus, quid Judæis conferat ſacramentum. Reſpondet, quia Deus cæleſtis ſapientiæ theſaurum apud eos depoſuerit. unde ſequitur, remoto verbo nihil præſtantiæ reſiduum manere. Oracula vocat fœdus quod Abrahæ primo, ejuſque poſteris divinitus revelatum, poſtea Lege & Prophetis conſignatum ac explicatum fuit. Sunt autem commiſſa illis oracula, ut apud ſe conſervarent quamdiu ſuam gloriam inter eos continere Domino placuit: deinde tempore diſpenſationis, per orbem univerſum publicarent. prius depoſitarii, deinde œconomi. Quod ſi tanti æſtimandum eſt hoc beneficium, dum gentem aliquam verbi ſui communicatione Dominus dignatur: nunquam ſatis deteſtari ingratitudinem noſtram poſſimus, qui tanta vel negligentia, vel inertia, ne dicam contumelia, ipſum ſuſcipimus.

infra, 9. verſ. 5. 3. Quid enim ſi quidam fuerunt increduli? num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? *2 Tim. 2. verſ. 12.*

4. Ne ita ſit: quin ſit Deus verax, omnis autem homo mendax. quemadmodum ſcriptum eſt, Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas quum judicaris. *Joan. 3. verſ. 34. Pſ. 116. verſ. 11. Pſal. 51. verſ. 6.*

3. *Quid enim ſi quidam* &c.] Quemadmodum prius dum Judæos intuebatur nudo ſigno exultantes, ne ſcintillam quidem gloriæ illis permittebat: ita nunc dum ſigni naturam conſiderat, ne illorum quidem vanitate aboleri ejus virtutem teſtatur. Quoniam ergo ſupra videbatur innuiſſe, ſi quid eſſet gratiæ in ſigno Circumciſionis, id totum Judæorum ingratitudine periiſſe: nunc rurſum per antipophoram interrogat quid de eo ſit ſentiendum. Eſt autem hic ſpecies reticentiæ: quia minus exprimit quam velit intelligi. vere enim dixiſſet, bonam gentis partem Dei fœdus abjeciſſe: ſed quia id valde acerbum erat Judæorum auribus, aſperitatem ut mitigaret, quoſdam duntaxat nominavit. *Num incredulitas eorum* &c. Καταργεῖν proprie eſt irritum & inefficax reddere: quæ ſignificatio præſenti ſententiæ aptiſſima eſt. Tractat enim Paulus, non tantum an hominum incredulitas obſtet Dei veritati, quominus firma in ſe ac ſtabilis maneat: ſed an illius effectum ac complementum inter homines ipſos impediat. Senſus igitur eſt, Quum plurimi Judæorum ſint fœdifragi, num illorum perfidia ſic Dei fœdus abrogatum eſt, ut nullum inter eos fructum edat? Reſpondet, non poſſe fieri hominum pravitate ut non conſtet divinæ veritati ſua conſtantia. Proinde utcunque major pars Dei fœdus fefellerit ac proculcarit, ipſum nihilominus efficaciam ſuam retinere, ac vim ſuam exerere: ſi non in omnibus, ſaltem in ipſa gente. Vis autem eſt, ut Domini gratia & in æternam ſalutem benedictio inter eos vigeat. Id autem eſſe non poteſt niſi ubi fide promiſſio recipitur: atque ita confirmatur utrimque mutuum fœdus. Ergo ſignificat ſemper manſiſſe in gente quoſdam, qui in promiſſionis fide ſtantes, ab illa prærogativa non exciderint.

4. *Sit autem Deus verax.*] Utcunque ſentiant alii, ego argumentum eſſe puto à neceſſaria contrarii poſitione, quo Paulus præcedentem objectionem infirmet. Nam ſi hæc duo ſimul ſtant, imo neceſſario conveniunt, ut Deus ſit verax, homo mendax: ſequitur non impediri Dei veritatem hominum mendacio. Niſi enim duo hæc principia inter ſe nunc opponeret, temere paulo poſt, ac de nihilo in refutando abſurdo ſudaret, quomodo juſtus ſit Deus, ſi juſtitiam ſuam ex noſtra injuſtitia commendat. Quare ſenſus minime ambiguus eſt, adeo non everti Dei fidem perfidia hominum ac defectione, ut illuſtrior appareat. *Deum veracem* dicit, non modo quia bona fide ſtare promiſſis paratus ſit, ſed quoniam opere implet quicquid loquitur. ſiquidem dicit, ut imperium mox quoque fiat opus. Contra *homo mendax*, non tantum quia ſæpe fallit datam fidem, ſed quia natura mendacium appetit, ac refugit veritatem. Prius membrum eſt primarium axioma totius Chriſtianæ philoſophiæ. Poſterius ſumptum eſt ex Pſalm. 116. verſ. 11. ubi David nihil

nihil eſſe certi neque ab homine neque in homino conſiſtetur. Inſignis autem eſt hic locus, ac valde neceſſariam conſolationem continet. nam, quæ eſt hominum perverſitas in verbo Dei reſpuendo vel contemnendo, ſæpe in dubium veniret ejus certitudo, niſi ſuccurreret, ab humana veritate non pendere divinam veritatem. Sed quomodo hoc convenit cum eo quod proxime dictum eſt, Ad efficaciam divinæ promiſſionis requiri fidem hominum, quæ illam ſuſcipiat? fides enim mendacio eſt contraria. Videtur quidem difficilis quæſtio, ſed non magna difficultate ſolvitur: nempe quod Dominus per hominum mendacia, quæ alioqui ſunt obſtacula ſuæ veritatis, inveniet tamen illi viam per invia, ut ſuperior evadat, ingenitam naturæ noſtræ incredulitatem corrigendo in ſuis electis, & ſubjugando in ſuum obſequium qui videbantur indomiti. Porro nunc de naturæ vitio diſputatur, non de gratia Dei, quæ vitiis remedium eſt. *Ut juſtificeris.* Senſus eſt, tantum abeſſe ut Dei veritas noſtro mendacio & perfidia deſtruatur, ut inde magis eluceat & emergat. Quemadmodum David teſtatur, ideo quia ipſe peccator ſit, Deum ſemper juſtum & rectum fore judicem quicquid in ſe ſtatuat, omneſque impiorum calumnias, qui juſtitiæ ejus obmurmurare velint, ſuperaturum. *Sermones* Dei intelligit David, quæ in nos profert judicia. Nam quod de promiſſionibus vulgo exponunt, nimis eſt coactum. Itaque particula *ut*, non tantum eſt finalis nec conſequentiam longe petitam notat, ſed illationem valet, hoc ſenſu, Tibi peccavi, proinde jure de me pœnas ſumere tibi licebit. Quod autem in proprio & genuino ſenſu locum Davidis citaverit Paulus, objectio mox addita confirmat, Quomodo integra manebit Dei juſtitia, ſi eam noſtra iniquitas illuſtrat? Fruſtra enim (ut nuper attigi) & intempeſtive hoc ſcrupulo moratus eſſet Paulus lectores, niſi intelligeret David, Deum admirabili ſua providentia, ex hominum quoque peccatis elicere juſtitiæ ſuæ laudem. Secundum membrum Hebraice ſic habet, Et purus in judicando te. Quæ loquutio non alio tendit, quam Deum in omnibus ſuis judiciis laude eſſe dignum, quantumvis obſtrepant impii, ſuiſque querimoniis ejus gloriam odioſe obruere conentur. Sed Paulus Græcam translationem ſequutus eſt, quæ etiam præſenti inſtituto melius congruebat. Scimus enim Apoſtolos in recitandis Scripturæ verbis ſæpe eſſe liberiores: quia ſatis habebant ſi ad rem appoſite citarent. quare non tanta illis fuit verborum religio. Proinde ad præſentem locum hæc erit applicatio, Si quælibet mortalium peccata ſervire oportet illuſtrandæ Domini gloriæ: ipſe autem in ſua veritate potiſſimum glorificatur: ſequitur & humanam vanitatem comprobandæ potius quam evertendæ ejus veritati ſervire. Quanquam autem verbum κρίνεσθαι tam active quam paſſive poteſt accipi: non tamen dubito quin Græci præter mentem Prophetæ tranſtulerint paſſive.

5. Quod ſi injuſtitia noſtra Dei juſtitiam commendat, quid dicemus? num injuſtus eſt Deus qui infert iram? ſecundum hominem dico.

6. Ne ita ſit. nam quomodo judicabit Deus mundum?

7. Si enim veritas Dei per meum mendacium excelluit in ejus gloriam, quid etiamnum & ego velut peccator judicor:

8. Et non (quemadmodum exprobratur nobis, & quemadmodum aiunt quidam nos dicere) Faciamus mala, ut veniant bona? quorum judicium juſtum eſt.

5. *Quod ſi injuſtitia.*] Quanquam extra cauſam principalem eſt digreſſio: neceſſe tamen Apoſtolo fuit eam interſerere: ne malignis anſam maledicendi, quam ultro ſciebat ab illis captari, præbuiſſe ipſe videretur. Nam quum imminerent ad omnem occaſionem diffamandi Euangelii, habebant in Davidis teſtimonio quod arriperent ad ſtruendam calumniam, Si nihil aliud quærit Deus, quam ab hominibus glorificari: cur in eos animadvertit ubi delinquunt, quum delinquendo eum glorificent? Injuſte certe offenditur, ſi cauſam iraſcendi ex eo accipit quod glorificatur. Nec vero dubium eſt quin vulgaris & paſſim trita fuerit hæc calumnia, ut mox iterum dicetur. Ergo Paulo non licuit eam diſſimulanter tranſire. At vero ne quis exiſtimet ſui animi conceptionem ipſum hic afferre, præfatur ſe ſuſcipere impiorum perſonam. Quanquam uno verbo graviter humanam rationem perſtringit, cujus proprium eſſe inſinuat, Dei ſapientiæ ſemper obgannire. non enim ait, Secundum impios, ſed ſecundum hominem. Atque ita ſane eſt: quum omnia Dei myſteria carni ſint paradoxa, tantum habet audaciæ, ut contra inſurgere non dubitet: & quæ non aſſequitur, petulanter inſectari. Quo admonemur, ſi velimus eorum fieri capaces, dandam in primis eſſe operam ut proprio ſenſu vacui, nos in obedientiam verbi totos tradamus & addicamus. *Iræ* vocabulum, quod pro judicio uſurpatur, hic transfertur ad pœnam: acſi dixiſſet, An injuſtus eſt Deus qui ſcelera ulciſcitur, quæ juſtitiam ejus illuſtrant?

6. *Ne ita ſit.*] In compeſcenda blaſphemia non reſpondet directe ad objectionem, ſed ab ejus deteſtatione primum incipit: ne videatur Chriſtiana religio tantas ſecum abſurditates trahere. Atque id aliquanto gravius eſt quam ſi ſimplici refutatione uſus eſſet. ſignificat enim, horrore, non auditu, impiam hanc vocem dignam eſſe. Mox refutationem adjungit, ſed indirectam, ut vocant: neque enim penitus calumniam diluit, ſed tantum reſpondet, abſurdum illud eſſe quod objicitur. Porro ſumit argumentum ab ipſius Dei officio, quo probet id eſſe impoſſibile: *Iudicabit Deus hunc mundum:* ergo injuſtus eſſe non poteſt. quod non à nuda (ut loquuntur) Dei potentia ductum eſt, ſed actuali, quæ in toto operum ejus curſu & ordine refulget: acſi ita diceretur, Dei officium eſt mundum judicare, id eſt, juſtitia ſua componere, & in optimum ordinem reducere quicquid in eo eſt inordinatum. Injuſte ergo nihil deſignare poteſt. Videturque alluſiſſe ad locum Moſis, Geneſ. 18. v. 25. ubi dum Abraham Deum deprecatur ne penitus Sodomam exitio tradat, Non conveniet, inquit, ut tu, qui judicaturus es terram, juſtum perdas cum impio. Neque vero id tuum eſt, aut in te cadere poteſt. Simile eſt quod habetur Job. 34. v. 17. Num ille qui odit judicium, dominari poterit? Nam quod in hominibus ſæpe reperiuntur iniqui judices, id fit quia vel contra jus & fas ſibi uſurpant poteſtatem, vel quia temere illuc evehuntur, vel quia à ſeipſis degenerant. In Deo nihil eſt tale. Quum ergo natura ſit judex, juſtum quoque eſſe oportet, quia ſeipſum abnegare non poteſt. Ergo ab impoſſibili ratiocinatur Paulus, injuſtitiæ perperam accuſari Deum, cui proprium & quaſi eſſentiale eſt, mundum recte gubernare. Quanquam autem ad continuum regimen Dei extenditur hæc Pauli doctrina, ſpecialiter tamen notari ultimum judicium non inficior: quia tunc demum ſolida extabit recti ordinis inſtauratio. Quod ſi directam refutationem cupis, qua ejuſmodi ſacrilegia compeſcantur, ſic accipe, Non hoc fieri injuſtitiæ natura, ut Dei juſtitia magis eluceat:

ſed

ſed Dei bonitate ſuperari noſtram malitiam, ut in diverſum potius quam tendat, finem convertatur.

7. *Si enim veritas Dei per meum mendacium* &c.] Non dubito quin hæc quoque objectio in perſona impiorum proferatur. Eſt enim velut exegeſis ſuperioris: & connectenda fuerat, niſi Apoſtolus indignitate permotus, medium ſermonem abrupiſſet. Senſus eſt, Si ex noſtra falſitate magis perſpicua fit Dei veritas, & quodammodo ſtabilitur, unde plus quoque gloriæ ad ipſum redit: minime æquum eſt ut is pro peccatore puniatur, qui miniſter fuerit gloriæ Dei.

8. *Et non (quemadmodum* &c.] Ecliptica eſt oratio, in qua ſubaudiendum eſt verbum: plena erit ſi ita reſolvas, Et cur non potius dicitur (quemadmodum exprobratur nobis) quod facienda ſint mala, ut eveniant bona? Neque vero hanc impiam cavillationem reſponſo dignatur Apoſtolus: quam tamen optima ratione licebit retundere. Hoc enim tantum prætexit, Si Deus noſtra iniquitate glorificatur, & nihil agere in vita hominem magis decet quam ut Dei gloriam promoveat, peccandum ergo in ejus gloriam. At prompta eſt depulſio, Quod malum per ſe, non niſi malum parere poteſt. Noſtro autem vitio quod Dei gloria illuſtratur, id non opus eſſe hominis, ſed Dei: qui, ut mirus eſt artifex, malitiam noſtram ſubigere, & alio traducere novit, ut præter deſtinatum à nobis finem, eam in gloriæ ſuæ incrementum convertat. Præſcripſit nobis rationem Deus, qua velit à nobis glorificari: nempe pietatem, quæ in verbi obedientia ſita eſt. hos limites qui tranſilit, Deum non honorare, ſed contumelia magis afficere nititur. Quod aliter ſuccedit, Dei providentiæ ferendum eſt acceptum, non hominis pravitati, per quam non ſtat quominus Dei majeſtas evertatur, nedum lædatur. *Quemadmodum exprobratur nobis.* Mirum eſt, quum tam reverenter diſſereret Paulus de arcanis Dei judiciis, eo proterviæ delapſos eſſe hoſtes ad eum calumniandum: ſed nulla unquam tanta fuit religio aut ſobrietas in ſervis Dei, quæ impuras & virulentas linguas compeſcerer. Non ergo novum eſt exemplum, quod hodie doctrinam noſtram (quam eſſe purum Chriſti Euangelium & ſcimus ipſi, & teſtes ſunt nobis omnes tum Angeli, tum fideles) tot falſis criminationibus onerant, ac odioſam reddunt adverſarii. Nihil fingi poteſt magis portentoſum, quam quod impoſitum fuiſſe Paulo hic legimus, quo invidia gravaretur apud imperitos ejus prædicatio. Feramus ergo quod veritatem quam prædicamus, calumniando impii depravant. Nec ideo deſinamus ejus ſimplicem confeſſionem conſtanter tueri: quandoquidem ſatis habet virtutis ad proterenda diſſipandaque illorum mendacia. Cæterum Apoſtoli exemplo malitioſis technis, quantum in nobis erit, occurramus, ne impune maledicant Creatori flagitioſi ac perditi homunciones. *Quorum judicium juſtum eſt.* Quidam active accipiunt, tantum ut aſſentiatur illis Paulus, abſurdum id eſſe quod objectabant, ne putetur Euangelii doctrina cum talibus paradoxis eſſe conjuncta. Sed mihi paſſiva ſignificatio magis probatur. non enim conſentaneum fuiſſet, tantæ improbitati ſimpliciter annuere, quæ potius acerbe redargui meretur: quod mihi facere videtur Paulus. Duplici autem nomine damnabilis fuit eorum perverſitas: primum quibus venire hæc impietas in mentem potuerit uſque ad ipſum aſſenſum: deinde qui traducendo Euangelio, calumniam inde inſtruere auſi fuerint.

9. Quid ergo? præcellimus? Nequaquam: ante enim conſtituimus, tam Judæos quam Græcos, omnes ſub peccato eſſe.

9. *Quid ergo?*] Ex digreſſione ad inſtitutum redit. Etenim ne Judæi forte ſuo jure fraudari ſe exciperent, ubi ea recenſuit dignitatis elogia, quibus ſe ſupra Gentes efferebant: nunc demum abſolvit quæſtionem, an aliqua in re Gentibus præſtarent. Quanquam autem videtur in ſpeciem hæc reſponſio cum ſuperiori nonnihil pugnare, (quia nunc omni dignitate privat eos quibus multam ante tribuerat) nihil tamen eſt diſſidii. Nam privilegia illa quibus eminere confeſſus erat, extra eos ſunt, in Dei bonitate, non proprio ipſorum merito poſita. Hic autem de dignitate eorum quærit, ſi qua gloriari in ſeipſis poſſint. Itaque ſic conſentiunt ambæ reſponſiones, ut hæc ex altera conſequatur. Nam quum prærogativas eorum extolleret, eas in ſolis Dei beneficiis includens, oſtendit nihil eos habere ſuum. unde protinus id quod nunc reſpondet, inferri poterat. Si enim præcipua eorum excellentia eſt, quod depoſita ſunt apud eos Dei oracula: eam autem non habent ſuo merito: ergo nihil illis relinquitur quo in conſpectu Dei ſuperbiant. Nota autem ſanctum artificium, quod quum excellentiam illis aſſereret, in tertia perſona loquebatur. Nunc dum vult omnia detrahere, ſeipſum numero admiſcet, quo effugiat offenſionem. *Ante enim conſtituimus.* Verbum Græcum αἰτιᾶσθαι quod hic uſurpat Paulus, proprie eſt judiciale: ideoque reddere placuit Conſtituimus. Dicitur enim crimen in actione conſtituere accuſator, quod teſtimoniis ac probationibus aliis convincere paratus eſt. Citavit autem Apoſtolus univerſum hominum genus ad Dei tribunal: ut totum ſub unam damnationem includeret. Ac fruſtra quiſpiam objiciat, non hic tantum criminari Apoſtolum, ſed magis probare. nam vera accuſatio non niſi ea eſt, quæ firmis validiſque probationibus nititur: quemadmodum inter accuſationem & convitium alicubi Cicero diſtinguit. Porro Eſſe ſub peccato, tantundem valet ac juſte coram Deo pro peccatoribus damnari, vel teneri ſub maledictione quæ peccatis debetur. Nam ut juſtitia abſolutionem ſecum affert, ita & peccatum ſequitur damnatio.

Pſal. 14. verſ. 1. 10. Sicut ſcriptum eſt, Quod non eſt juſtus quiſquam, ne unus quidem.
11. Non eſt intelligens, non eſt qui requirat Deum.
& 53: 3. 12. Omnes declinarunt, ſimul facti ſunt inutiles: non eſt qui exerceat benignitatem, ne ad unum quidem.
Pſal. 5. verſ. 10. 13. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis doloſe egerunt: venenum aſpidum ſub labiis eorum.
Pſ. 140. verſ. 4. 14. Quorum os execratione & amarulentia plenum.
Pſ 10: 7. 15. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.
Jeſa. 59. verſ. 7. 16. Contritio & calamitas in viis eorum:
Prov. 1. verſ. 16. 17. Et viam pacis non noverunt.
Pſal. 36. verſ. 1. 18. Non eſt timor Dei præ oculis eorum.

10. *Sicut ſcriptum eſt.*] Hactenus rationibus uſus eſt ad homines ſuæ iniquitatis convincendos. Nunc argumentari ab auctoritate incipit: quæ apud Chriſtianos eſt firmiſſima probationis ſpecies, modo uni Deo auctoritas deferatur. Atque hinc diſcant Eccleſiaſtici doctores quale ſuum ſit officium. Nam ſi nullum dogma hic aſſerit Paulus quod non Scripturæ certo oraculo ſimul confirmet: multo minus illud ipſum tentandum eſt iis, quibus nihil aliud eſt mandatum quam ut Euangelium prædicent, quod per Pauli & aliorum manus acceperunt. *Non eſt juſtus quiſquam.* Videtur Apoſtolus, quum libere ſenſum magis adduceret quam verba integra, antequam ad ſpecies deſcenderet, primum generaliter poſuiſſe quæ eſſet ſumma eorum quæ in homine eſſe à Propheta referuntur, nempe juſtum eſſe neminem: poſtea enumeraſſe per partes, fructus ipſius injuſtitiæ. Primus autem eſt quod nemo ſit intelligens. Inſipientia autem mox arguitur, eo quod non requirant Deum. Nam vanus eſt homo in quo non ſubeſt cognitio Dei, quacunque tandem eruditione alias præditus ſit. Imo diſciplinæ ipſæ & artes, quæ per ſe bonæ ſunt, dum hoc fundamentu carent, vanæ redduntur. Additur, *non eſſe qui faciat bonitatem*: quo intelligitur, exuiſſe omnem humanitatis ſenſum. Nam ut optimum mutuæ inter nos conjunctionis vinculum nobis eſt in Dei cognitione (quia ut omnibus communis eſt Pater, optime nos conciliat: extra ipſum vero mera eſt diſſipatio) ita ejus ignorantiam fere ſequitur inhumanitas, dum unuſquiſque, aliis contemptis, ſeipſum amat & quærit. Contra autem ſubjicitur, *guttur eorum ſepulchrum eſſe apertum*, id eſt, voraginem ad homines perdendos. Plus eſt autem quam ſi dixiſſet ἀνθρωποφάγον. quia extremæ eſt immanitatis, tantum eſſe gurgitem hominis guttur, ut totis hominibus deglutiendis & abſorbendis ſufficiat. *Linguas eſſe fraudulentas*, & *labia eſſe veneno ſublita*, eodem ſpectant. Subjungitur, *os eſſe execratione & amarulentia plenum.* quod vitium contrarium eſt ſuperiori. ſed intelligitur omni ex parte ipſos ſpirare malitiam. ſi enim ſuaviter loquuntur, decipiunt, ac ſub blanditiis venenum propinant: ſin depromunt quod habent in animo, illic prodit amarulentia & execratio. Pulcherrima eſt quæ ex Jeſaia ſubditur loquutio, *Contritionem & calamitatem eſſe in viis eorum.* Eſt enim hypotypoſis ſupra modum barbaræ feritatis, quæ quacunque graſſatur, ſolitudinem omnia perdendo vaſtitatemque facit: qua forma Domitianum deſcribit Plinius. Sequitur, *viam pacis ignorare*: quia rapinis, violentiis, injuriis, ſævitiæ & truculentiæ aſſuefacti, nihil amice aut benigne facere noverunt. Poſtremo in clauſula iterum repetitur alio verbo, quod initio diximus: nempe ex Dei contemptu manare quicquid eſt pravitatis. Nam quum ſapientiæ caput ſit Dei timor, ubi ab eo diſceſſimus, nihil rectum vel ſincerum reſtat. Denique ut frenum eſt ad coërcendam noſtram malitiam: ita ſi abeſt, in omnem vitiorum licentiam ſolvimur. Ne cui autem minus appoſite videantur detorta hæc teſtimonia: ſingula è circumſtantiis locorum unde ſunt deſumpta, expendamus. David Pſal. 14: 1. tantam fuiſſe in hominibus perverſitatem dicit, ut Deus ne unum quidem reperire potuerit juſtum, omnes ordine contemplatus. Sequitur ergo, hanc peſtem pervagatam in univerſum genus hominum, quando Dei intuitum nihil latet. Loquitur quidem in fine Pſalmi de Iſraelis redemptione: ſed mox indicabimus qualiter ſancti, & quatenus hac ſorte eximantur. In aliis Pſalmis conqueritur de hoſtium ſuorum improbitate, ubi in ſe ac ſuis typum quendam regni Chriſti adumbrat: quare ſub adverſariis ejus repræſentantur nobis omnes qui alieni à Chriſto, ejus Spiritu non aguntur. Jeſaias Iſraëlem diſerte notat: itaque accuſatio ejus multo magis in Gentes competit. Quid ergo? His elogiis hominum naturam depingi nihil dubium eſt: ut inde ſpectemus qualis ſit homo ſibi relictus: quandoquidem Scriptura tales eſſe omnes teſtatur, qui non ſunt Dei gratia regenerati. Sanctorum nihilo melior foret conditio, niſi emendata eſſet in illis pravitas. Quo tamen meminerint nihil ſe natura differre: in reliquiis carnis ſuæ (quibus ſemper circumdantur) earum rerum ſemina ſentiunt, quæ fructus aſſidue producerent, niſi obſtaret mortificatio: quam Domini miſericordiæ debent, non ſuæ naturæ. Quod porro non omnia, quæ hic recenſentur, vitia in ſingulis eminent, nihil impedit quominus rite ac vere in humanam naturam congerantur: quemadmodum adnotavimus ſupra capite primo, v. 26.

19. Scimus autem quod quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege ſunt loquitur: ut omne os obſtruatur, & obnoxius fiat omnis mundus Deo.

20. Quoniam ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram ipſo: per Legem enim agnitio peccati. *Gal. 2:16.*

19. *Scimus autem.*] Omiſſis Gentibus nominatim ad Judæos applicat elogia illa: in quibus ſubigendis multo plus erat negotii: quod vera juſtitia non minus quam Gentes deſtituti, prætextu fœderis Dei ſe tegebant, acſi hoc illis pro ſanctitate ſufficeret, Dei electione à reliquo mundo fuiſſe diſtinctos. Et quidem effugia profert, quæ ſatis tenebat Judæis prompta eſſe. nam quicquid ſiniſtre in Lege dictum erat contra totum humanum genus, in Gentes reflectere ſolebant: quaſi eſſent ipſi à communi ordine exempti. & erant certe, niſi excidiſſent à ſuo gradu. Ergo ne qua falſa privatæ dignitatis imaginatio eos impediat, & ad ſolas Gentes reſtringant quæ in ipſos promiſcue competunt: Paulus hic antevertit, atque à ſinu Scripturæ demonſtrat, non modo turbæ permiſtos eſſe, ſed peculiariter de ipſis ferri hoc judicium. Ac videmus quidem Apoſtoli diligentiam in refellendis objectis. Quibus enim Lex data eſt, aut quibus inſtituendis ſervire debet, niſi Judæis? Quod ergo de aliis meminit, hoc quaſi accidentale eſt, vel πάρεργον, ut dicunt: ſuis autem diſcipulis præcipue ſuam doctrinam aptat. *In Lege.* Judæos eſſe dicit, quibus Lex ipſa deſtinata erat: unde ſequitur ad eos proprie ſpectare. & ſub Legis nomine Prophetias quoque, atque adeo totum vetus Teſtamentum comprehendit. *Ut omne os obſtruatur.* Id eſt, ut præcidatur omnis tergiverſatio, atque excuſandi facultas. Metaphora à judiciis petita, ubi reus, ſiquid habet ad juſtam defenſionem, vices dicendi poſtulat, ut quæ ſibi impoſita ſunt purget: ſi vero conſcientia ſua premitur, ſilet, ac tacitus expectat ſuam damnationem, ſuo jam ſilentio damnatus. Eundem ſenſum habet illa loquendi forma Job. 36. verſ. 37. Opponam manum meam ori meo. Dicit enim, etiamſi non deſtituatur aliqua excuſationis ſpecie, juſtificandi tamen omiſſa cura, ſe Dei ſententiæ conceſſurum. Proxima particula exegeſin continet. Illi enim os obſtruitur qui ſic irretitus tenetur judicio, ne qua elabi poſſit. Alioqui Silere à facie Domini, eſt tremefieri ejus majeſtate, & quaſi ejus fulgore attonitum obmuteſcere.

20. *Quia ex operibus Legis.*] Opera Legis quæ dicantur, ambigitur etiam inter eruditos, dum alii ad univerſæ Legis obſervationem extendunt, alii reſtringunt ad ſolas ceremonias. Chryſoſtomum, Originem, & Hieronymum, ut in priorem opinionem concederent, movit adjectum Legis vocabulum. Nam in ea adjectione putarunt eſſe peculiarem con-

connotationem, ne de quibuslibet operibus intelligeretur ſermo. Atqui facillima eſt hujus ſcrupi ſolutio. nam quia opera eatenus ſunt juſta coram Domino, quatenus illi cultum atque obedientiam reddere per ea ſtudemus: quo expreſſius detraheret vim juſtificandi operibus univerſis, ea nominavit opera quæ maxime poſſint juſtificare, ſi qua ſint. Lex enim eſt quæ habet promiſſiones, citra quas nullum eſſet operum noſtrorum pretium coram Deo. Vides igitur qua ratione Legis opera expreſſerit Paulus: quia ſcilicet per Legem operibus pretium ſtatuitur. Neque vero id Scholaſticos etiam latuit: quibus ſatis tritum ac vulgare eſt, opera non intrinſeca dignitate, ſed ex pacto meritoria eſſe. Quanquam autem falluntur, quia non vident vitiis ſemper inquinata eſſe opera, quæ meritum illis detrahunt: verum tamen eſt illud principium, ex voluntaria Legis promiſſione pendere operum mercedem. Prudenter ergo & recte Paulus non de operibus nudis diſputat: ſed diſerte ac nominatim *Legis* obſervantiam io medium adducit, de qua proprie quæſtio erat. Quæ autem in ejus ſententiæ patrocinium ab aliis doctis afferuntur, dilutiora ſunt quam oportebat. Circumciſionis mentione, propoſitum eſſe exemplum judicaot, quod ad ſolas ceremonias pertineat. Sed cur Paulus Circumciſionem nominarit, jam expoſuimus. neque enim alii operum fiducia turgent, quam hypocritæ. Scimus autem eos externis modo larvis gloriari. Deinde Circumciſio, illorum opinione, quædam in Legis juſtitiam initiatio erat. ſimul ergo videbatur opus primariæ dignitatis: imo quaſi juſtitiæ operum fundamentum. Quod autem ex Epiſtola ad Galatas pugnant: ubi quum Paulus eandem tractat cauſam, ſtylum tamen ad ſolas ceremooias dirigit: id quoque non ſatis firmum eſt ad obtinendum quod volunt. Certum eſt, Paulo cum iis fuiſſe controverſiam qui populum falſa ceremoniarum fiducia inflabant. Hanc ut decidat, non intra ceremonias ſe continet, nec diſputat ſpecialiter quid illæ valeant: ſed uoiverſam Legem complectitur: qualiter ex locis apparet, qui omnes derivantur ex illo fonte. Talis quoque fuit diſputationis ſtatus quæ habita eſt Hieroſolymis inter diſcipulos. Nos vero non ſine ratione Paulum hic loqui de tota Lege contendimus. nam & nobis abunde ſuffragatur filom diſputationis quod ſequutus eſt hactenus, & deinceps ſequitur: & loci permulti aliter nos ſentire non patiuotur. Eſt igitur ſententia inter primas memorabilis, quod ex Legis obſervatione nemo juſtitiam conſequetur. Rationem ante aſſignavit, & mox iterum repetet: quia omnes ad uoum transgreſſionis convicti, injuſtitiæ per Legem arguuntur. Pognant autem hæc duo inter ſe (ut fuſius videbimus in progreſſu) juſtum operibus cenſeri, & transgreſſionis reum eſſe. Caro ſine aliqua ſpeciali notatione, homioes ſignificat: niſi quod generalius quodammodo ſignificatum videtur præ ſe ferre. Qualiter plus exprimitur, quum quis dicit omnes mortales, quam ſi omnes homines nomioet, ut habes apud Gellium. *Per Legem enim.* A contrario ratiocinatur, non afferri nobis juſtitiam à Lege, quia convincit nos peccati & damnationis: quando ex eadem ſcatebra non prodeunt vita & mors. Quod autem ex contrario Legis effectu ratiocinatur, non poſſe ab ea nobis conferri juſtitiam: ſciendum eſt, aliter non procedere argumentum, niſi tenemus hoc ioſeparabile eſſe ac perpetuum accidens, ut ſuum homini peccatum demonſtrans, ſpem ſalutis præcidat. Per ſe quidem, quia ad juſtitiam inſtituit, via eſt ad ſalutem: ſed obſtat noſtra pravitas & corruptio, ne quid hac parte proficiat. Jam hoc ſecundo addere neceſſe eſt, quiſquis deprehenſus fuerit peccator, eum juſtitia ſpoliari. Nam cum Sophiſtis dimidiam juſtitiam fingere, ut opera ex parte juſtificent, frivolum eſt: ſed nihil hac parte proficit, ob hominis vitioſitatem.

21. Nunc autem ſine Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtimonio comprobata Legis & Prophetarum.

22. Juſtitia, *inquam*, Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes credentes.

21. *Nunc autem ſine Lege juſtitia Dei.*] Dubium eſt qua ratione Dei juſtitiam appellet, quam per fidem obtinemus: ideone quia ſola coram Deo cooſiſtit: an quod eam nobis Dominus ſua miſericordia largiatur. Quoniam utraque interpretatio bene quadrabit, neutra ex parte contendimus. Hanc ergo, quam & homini Deus communicat, & ſolam amplectitur, & pro juſtitia agnoſcit, dicit revelatam citra Legem eſſe, id eſt, ſioe Legis adminiculo: ut Lex pro operibus accepta intelligatur. neque enim ad doctrinam referre convenit, quam mox gratuitæ fidei juſtitiæ teſtem citat. Quod ad ceremonias quidam reſtringunt, paulo poſt inane & frigidum eſſe oſtendam. Reſtat ergo, ut operum merita excludi ſciamus. Ubi etiam videmus quomodo non admiſceat opera Dei miſericordiæ: ſed ſublata & eraſa omni operum opinione, ſolam illam ſtatuat. Neque vero me latet, Auguſtinum ſecus exponere: Juſtitiam enim Dei eſſe putat regenerationis gratiam: & hanc gratuitam eſſe fatetur, quia Domious immerentes Spiritu ſuo nos renovat. Ab hac autem, opera Legis excludit, hoc eſt, quibus homines à ſeipſis citra renovationem conantur Deum promereri. Mihi etiam plus ſatis notum eſt, quoſdam novos ſpeculatores hoc dogma ſuperciliose proferre, quaſi hodie ſibi revelatum. Sed Apoſtolum, omnia ſine exceptione opera complecti, etiam quæ Dominus in ſuis efficit, ex contextu planum fiet. Nam certe Abraham & Spiritu Dei agebatur quo tempore juſtificatum fuiſſe operibus negat. Ergo à juſtificatione hominis non opera tantum moraliter bona (ut vulgo appellant) & quæ fiunt naturæ inſtinctu, excludit, ſed quæcunque etiam fideles habere poſſunt. Deinde ſi illa eſt juſtitiæ fidei definitio, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates: non diſputatur de hoc vel illo genere operum: ſed abolitu operum merito, ſola peccatorum remiſſio juſtitiæ cauſa ſtatuitur. Putant hæc duo optime convenire, Fide juſtificari hominem per Chriſti gratiam: & tamen Operibus juſtificari, quæ ex regeneratiooe ſpiritoali proveniant: quia & gratuito nos Deus renovat, & ejus donum fide percipimus. At Paulus longe aliud principium ſumit: nunquam ſcilicet tranquillas fore cooſcientias, donec in ſolam Dei miſericordiam recumbaot. ideo alibi poſtquam docuit, Deum fuiſſe in Chriſto ut homioes juſtificaret: modum ſimul exprimit, Non imputando illis peccata. Similiter ad Galatas, *Gal. 3:12.*
Legem fidei contrariam, quoad juſtificandi effectum, ideo facit, quia vitam promittat facientibus quod jubet. Atqui Lex non literalem operum larvam duntaxat præcipit, ſed ſincerum Dei amorem. Sequitur ergo, in fidei juſtitia nullum operum meritum admitti. Unde conſtat frivolam eſſe cavillationem, Nos io Chriſto juſtificari, quia Spiritu renovemur, quatenus ſumus Chriſti membra: nos fide juſtificari, quia fide inſeramur in Chriſti corpus: oos gratis juſtificari, quia nihil in nobis Deus inveniat præter peccatum. Nam ideo in Chriſto, quia extra nos: ideo fide, quia in ſolam Dei miſericordiam & gratuitas ejus promiſſiones nos recumbere neceſſe eſt: ideo gratis, quia nos ſibi reconciliat Deus, peccata ſepeliendo. Neque vero ad juſtitiæ initium id reſtringi poteſt, quemadmodum illi ſomniant. nam & illa definitio, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,

Digitized by Google

tates, in Davide locum habuit, quum diu ſe exercuiſſet in Dei cultu: & Abraham poſt triceſimum vocationis ſuæ annum, tametſi rarum ſanctitatis exemplar fuerit, non habet opera quibus glorietur apud Deum: atque ideo, quod promiſſioni credit, illi imputatur in juſtitiam. Et quum Paulus tradit, Deum homines juſtificare, peccata non imputando, concionem recitat quæ quotidie in Eccleſia repetenda eſt. Et illa pax conſcientiæ, quæ operum reſpectu turbatur, non unius eſt diei: ſed in totam vitam durare debet. unde ſequitur, non aliter nos eſſe juſtos uſque ad mortem, niſi quia in ſolum Chriſtum reſpicimus, in quo nos Deus adoptavit, & nunc acceptos habet. Hinc quoque refellitur eorum cavillum, qui falſi nos inſimulant, quia ex Scriptura haberi aſſerimus, nos ſola fide juſtificari, quum particula excluſiva nullibi in Scriptura extet. Atqui ſi & ſine Lege & extra nos eſt juſtificatio: cur non ſolius miſericordiæ cenſebitur? Si ſolius miſericordiæ eſt: ergo ſolius fidei. Particula *nunc*, ſimpliciter adverſative poteſt accipi, ut ad tempus non referatur: quemadmodum ſæpe dicimus, Jam pro Atqui. Si ad tempus referre mavis (quod libenter recipio, ne effugium captare videatur) non tamen ſola ceremoniarum abrogatio intelligenda erit: quia tantum propoſitum fuit Apoſtolo, comparatione illuſtrare gratiam qua ſupra Patres excellimus. Itaque ſenſus erit, Euangelii prædicatione poſt Chriſtum in carne exhibitum, revelatam fuiſſe juſtitiam fidei. Unde tamen non ſequitur ante Chriſti adventum latuiſſe. Duplex enim manifeſtatio hic conſideranda eſt: prior Veteris Teſtamenti, quæ verbo & ſacramentis conſtabat: altera Novi, quæ præter ceremonias & promiſſiones, complementum in Chriſto continet: cui etiam accedit plenior claritas per Euangelium. *Teſtimonio comprobata.* Hoc addit, ne videatur in diſpenſatione gratuitæ juſtitiæ, cum Lege pugnare Euangelium. Quemadmodum ergo negavit, indigere Legis ſubſidio fidei juſtitiam: ita nunc confirmari ejus teſtimonio aſſerit. Quod ſi Lex gratuitæ juſtitiæ teſtimonium reddit: apparet non ideo traditam eſſe, ut homines doceret ſibi per opera juſtitiam comparare. Pervertunt ergo eam, qui in ejuſmodi finem detorquent. Porro ſi probationem hujus ſententiæ deſideras, perſequere ordine ſummam doctrinæ Moſaicæ: & reperies, initio hominem regno Dei dejectum, non aliam habuiſſe reſtitutionem quam in Euangelicis promiſſionibus de Semine benedicto, quo prædicitur conterendum caput ſerpentis, in quo denunciatur benedictio Gentibus. Reperies in præceptis tuæ iniquitatis demonſtrationem: ex ſacrificiis & oblationibus, ſatisfactionem & purgationem diſces eſſe in ſolo Chriſto. Ad Prophetas ſi veneris, reperies luculentiſſimas gratuitæ miſericordiæ promiſſiones. de qua re vide Inſtitutionem noſtram. *Juſtitia*, inquam, *Dei.* Paucis verbis oſtendit qualis ſit hæc juſtificatio: nempe quod in Chriſto reſideat, per fidem vero apprehendatur. Quanquam dum rurſus nomen Dei inculcat, videtur juſtitiæ de qua agitur, Deum facere auctorem, non tantum approbatorem: acſi diceret ab eo ſolo manare, vel ejus originem eſſe ex cœlo, in Chriſto autem nobis patefieri. Proinde quum de ipſa quæritur, hoc ordine eſt procedendum. Primum, juſtificationis noſtræ cauſam non ad hominum judicium referri, ſed ad Dei tribunal, ubi nulla juſtitia cenſetur, niſi perfecta abſolutaque Legis obedientia: quod facile patet ex promiſſionibus & minis. Quod ſi nemo hominum reperitur, qui ad tam exactam ſanctitatem conſcenderit: ſequitur, omnes juſtitia in ſeipſis deſtitui. Tum occurrat Chriſtus oportet: qui ut ſolus juſtus eſt, ita ſuam juſtitiam in nos transferendo juſtos nos reddit. Nunc vides ut juſtitia fidei juſtitia Chriſti ſit. Ut ergo juſtificemur, cauſa efficiens eſt miſericordia Dei: Chriſtus, materia: verbum cum fide, inſtrumentum. Quare fides juſtificare dicitur, quia inſtrumentum eſt recipiendi Chriſti, in quo nobis communicatur juſtitia. Poſtquam facti ſumus Chriſti participes, non ipſi ſolum juſti ſumus, ſed opera noſtra juſta reputantur coram Deo: propterea ſcilicet, quia quicquid eſt in illis imperfectionis, obliteratur Chriſti ſanguine. promiſſiones, quæ conditionales erant, eadem quoque gratia nobis implentur, quatenus opera noſtra, ceu perfecta, remuneratur Deus: quia defectus gratuita venia tegitur. *In omnes & ſuper omnes.* Ad auxeſim diverſis loquendi formis idem repetiit: quo magis exprimeret quod jam audivimus, & ſolam hic fidem requiri, neque diſtingui fideles extraneis notis: adeoque nihil referre Gentilesne ſint, an Judæi.

non eſt ſane diſtinctio.
23. Omnes enim peccaverunt & deſtituuntur gloria Dei.
24. Juſtificati gratis ipſius gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu:
25. Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, in demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem delictorum,
26. Quæ prius extiterunt in tolerantia Dei, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, in hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu.

Non eſt ſanè diſtinctio.] Omnibus ſine exceptione neceſſitatem quærendæ in Chriſto juſtitiæ injungit: acſi diceret, nullam eſſe aliam obtinendæ juſtitiæ viam, neque hoc modo alios, illo alios juſtificari: ſed omnes ſimul per fidem, quia ſunt omnes peccatores: ideoque non habent unde apud Deum glorientur. Pro confeſſo autem ſumit, ubi ventum eſt ad Dei tribunal, quiſquis ſibi peccati conſcius eſt, ſub ignominia ſua jacere confuſum ac perditum: ut nullus peccator Dei conſpectum ferre queat, quemadmodum in Adæ exemplo conſpicimus. Iterum ratione à contrario ſumpta pugnat: unde obſervandum quid ſequatur. Quoniam omnes ſunt peccatores, infert Paulus, defici vel eſſe orbatos juſtitiæ laude. nulla ergo ſecundum ejus doctrinam juſtitia, niſi perfecta & abſoluta. Si qua enim dimidia eſſet, non oporteret omni gloria protinus ſpoliari qui peccator eſſet. quo ſatis refellitur partialis (ut vocant) juſtitiæ commentum. Nam ſi verum eſſet, nos partim operibus juſtificari, partim Dei gratia: non valeret hoc Pauli argumentum, Ideo vacuos eſſe omnes Dei gloria, quia ſint peccatores. Certum igitur eſt, nullam eſſe juſtitiam ubi eſt peccatum, donec maledictionem Chriſtus aboleat. Atque id eſt quod habetur ad Galatas 3. v. 10. Omnes qui ſub Lege ſunt, maledictioni eſſe obnoxios: ab hac vero nos liberari Chriſti beneficio. *Gloriam Dei* accipit pro ea quæ coram Deo locum habet: ut apud Joan. 12. v. 43. Dilexerunt magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Atque ita nos ab humani theatri plauſu ad tribunal cœleſte vocat.

24. *Juſtificati gratis.*] Participium loco verbi poſitum, more Græcis uſitato. Senſus eſt, Quoniam hominibus in ſe nihil aliud reſtat, niſi ut juſto Dei judicio confoſſi pereant: ideo gratis ejus miſericordia juſtificantur. ſuccurrit enim Chriſtus huic miſeriæ, ac ſe fidelibus communicat, ut in ſe uno inveniant omnia quæ illis deſunt. Nullus eſt forte in tota Scriptura inſignior locus ad vim iſtius juſtitiæ illuſtrandam,

dam. Oſtendit enim Dei miſericordiam, cauſam eſſe efficientem: Chriſtum cum ſuo ſanguine, eſſe materiam: formalem, ſeu inſtrumentalem, eſſe fidem à verbo conceptam: finalem porro, divinæ & juſtitiæ & bonitatis gloriam. Quantum ad cauſam efficientem, dicit gratis nos juſtificari, & quidem ipſius gratia. itaque bis expreſſit totum eſſe Dei, nihil noſtrum Satis fuiſſet, gratiam meritis opponere: ſed ne dimidiatam imaginaremur, clarius addita repetitione aſſeruit quod volebat: & uni Dei miſericordiæ ſolidum juſtitiæ effectum vendicavit, quam in partes diſcerpunt Sophiſtæ & mutilant, na ſuam inopiam fateri cogantur. *Per redemptionem.* Materia noſtræ juſtitiæ, quod ſua obedientia Chriſtus Patris judicio ſatisfecit, & vices noſtras ſubeundo, tyrannide mortis, qua tenebamur captivi, nos liberavit. Nam ſacrificii quod obtulit, expiatione, ſublatus eſt noſter reatus. Quo rurſus optime refellitur eorum commentum, qui juſtitiam qualitatem eſſe volont. Nam ſi coram Deo juſti cenſemur, quia pretio redempti: certe aliunde mutuamur quod in nobis non eſt. Et mox clarius exponit Paulus quid iſta redemptio valeat, vel quorſum ſpectet: nempe ut Deo reconciliemur. Chriſtum enim Propitiationem, vel (quod magis placet, ut ſit alluſio ad veterem figuram) Propitiatorium vocat. Quid autem id ſibi vult, niſi nos eſſe juſtos, quatenus Chriſtus nobis Patrem propitiat? Sed jam expendere verba convenit.

25. *Quem propoſuit.*] Quia verbum Græcum προτίθεσθαι, nunc ante decernere ſignificat, nunc in medium proferre: ſi prior expoſitio recipitur, refert Paulus ad gratuitam Dei miſericordiam, quod ordinatus fuerit Chriſtus mediator, qui Patrem nobis ſacrificio mortis ſuæ placaret. Neque enim vulgaris eſt gratiæ commendatio, quod rationem ultro Deus quæſivit, qua maledictionem noſtram tolleret. Et certe locus hic videtur cum illo congruere, Sic Deus
Joan. 3. verſ. 16. dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Quanquam ſi alterum ſenſum amplectimur, eadem maoebit ratio: quod Deus in medium ſuo tempore repræſentavit, quem apud ſe mediatorem decreverat. In voce ἱλαστήριον placet eſſe alluſionem (ut dixi) ad vetus propitiatorium. Id enim re ipſa in Chriſto exhibitum docet, quod illis figurabatur. Quia tamen improbari non poſſit diverſa opinio, ſiquis ſimplicius accipere malit, in medio relinquam. Quod potiſſimum voluit hic Paulus, certo ex ejus verbis evincitur, Deum ſine Chriſto ſemper iratum nobis eſſe: reconciliari nos per eum, dum juſtitia ejus accepti ſumus. Non enim deteſtatur in nobis Deus opus ſuum, id eſt, quod conditi ſumus homines: ſed noſtram immunditiem, quæ lucem imaginis ſuæ extinguit. Eam ubi abſterſit Chriſti ablutio, nos ut purum opus ſuum amat ille & oſculatur. *Propitiatorium per fidem in ſanguine ejus.* Ita magis placet ad verbum retinere quod habet Paulus: ſiquidem mihi videtur uno contextu voluiſſe dicere, propitium nobis Deum reddi ſimulac in Chriſti ſanguine repoſitam habemus fiduciam: quia per fidem in ejus beneficii poſſeſſionem venimus. Sanguinem autem ſolum nominando, non voluit alias redemptionis partes excludere, ſed potius ſub una parte totam ſummam comprehendere: ſanguinem vero nominavit, in quo habemus noſtrum lavacrum. Sic per ſynecdochen tota expiatio notatur. Nam quum nuper dixiſſet pacificatum eſſe Deum in Chriſto, nunc addit fide hunc effectum conſtare: & ſimul quid fides noſtra præcipue in Chriſto reſpicere debeat. *Propter remiſſionem delictorum.* Tantundem valet præpoſitio cauſalis, acſi dixiſſet, remiſſionis ergo, vel in hunc finem ut peccata deleret. Atque hæc definitio vel exegeſis rurſus confirmat quod jam aliquoties monui, non juſtificari homines quia re ipſa tales ſint, ſed imputatione. Duntaxat enim aliis atque aliis verbis utitur, quo evidentius exprimat, nihil in hac juſtitia noſtri eſſe meriti. Nam ſi remiſſione peccatorum eam conſequimur, colligimus extra nos eſſe. Deinde ſi ipſa remiſſio meræ Dei liberalitatis eſt, cadit omne meritum. Quæritur tamen, cur veniam ad præcedentia delicta reſtringat. Quanquam varie exponitur hic locus: mihi probabile eſt, Paulum ad Legales expiationes reſpexiſſe: quæ teſtimonia quidem erant futuræ ſatisfactionis, Deum vero placare minime poterant. Similis locus eſt ad Hebr. 9. v. 15. quod per Chriſtum allata ſit peccatorum redemptio, quæ ſub priori Teſtamento manebant. Neque tamen intelligas, oonniſi ſuperioris temporis delicta Chriſti morte expiata eſſe: quod delirium quidam fanatici ex loco huc inſcite detorto hauſerunt. Tantum enim docet Paulus, uſque ad Chriſti mortem nullum placandi Dei fuiſſe pretium: nec vero id præſtitum vel impletum fuiſſe Legalibus figuris: quare veritas uſque ad tempus plenitudinis ſuſpenſa fuit. Porro eadem eſt eorum ratio quæ nos quotidie reatu obſtringunt: nam unica eſt pro omnibus placatio. Quidam ut abſurdum illud effugerent, dixerunt remitti ſuperiora delicta, ne peccandi in poſterum licentia dari videatur. Et verum eſt, non offerri veniam niſi admiſſis delictis. non quod excidat vel pereat redemptionis fructus, ſi poſtea labimur, ut Novatus cum ſua ſecta ſomniavit: ſed quia hæc eſt Euangelii diſpenſatio, ut judicium iramque Dei peccaturo proponat, miſericordiam peccatori. Cæterum ille quem attuli, genuinus eſt ſenſus. Quod addit, hanc remiſſionem fuiſſe *in tolerantia*, ſimpliciter accipiunt pro manſuetudine, quæ ſcilicet continuerit Dei judicium, nec inflammari in noſtrum exitium permiſerit, donec tandem in gratiam nos reciperet. Sed tacita potius anticipatio eſſe videtur. ne quis objiceret, ſero demum apparuiſſe hanc gratiam, Paulus tolerantiæ ſpecimen eſſe docet.

26. *Ad demonſtrationem.*] Non caret emphaſi hujus membri repetitio, quam data opera Paulus affectavit, quia valde neceſſaria erat. quando nihil homini difficilius perſuadetur, quam ut ſibi omnia derogans, accepta Deo referat. quanquam hujus novæ demonſtrationis data opera fit mentio, ut oculos ad ſpectandum aperiant Judæi. *In hoc tempore.* Quod omnium temporum perpetuum fuit, refert ad diem exhibiti Chriſti: neque immerito. quod enim ſub involucris olim obſcure cognitum fuerat, palam manifeſtavit Deus in Filio ſuo. Ita Chriſti adventus, tempus fuit beneplaciti & dies ſalutis. Omnibus quidem ſeculis juſtitiæ ſuæ teſtimonium aliquod reddidit Deus: ſed ubi Sol juſtitiæ illuxit, longe clarior apparuit. Notanda igitur eſt veteris & novi Teſtamenti comparatio: quia tunc demum revelata fuit liquido Dei juſtitia, quando exhibitus fuit Chtiſtus. *Ut ſit ipſe juſtus.* Definitio eſt illius juſtitiæ, quam dato Chriſto oſtenſam fuiſſe dixit: ſicuti primo capite docuerat parefieri in Euangelio. Duobus autem membris eam conſtare affirmat. Prius eſt, Deum eſſe juſtum, non quidem ut unum ex multis: ſed qui ſolus in ſe omnem juſtitiæ plenitudinem contineat. Neque enim integra & ſolida laus, qualis debetur, ei aliter tribuitur, quam dum ſolus obtinet juſti nomen & honorem, toto humano genere injuſtitiæ damnato. Alterum deinde membrum ſtatuit in juſtitiæ communicatione, dum ſcilicet ſuas divitias Deus apud ſe minime tenet ſuppreſſas, ſed in homines effundit. Ergo in nobis relucet Dei juſtitia quatenus nos fide Chriſti juſtificat. fruſtra enim datus in juſtitiam Chriſtus foret, niſi fruitio ex fide accederet. unde ſequitur, omnes in ſe injuſtos eſſe ac perditos, donec è cælo oblatum fuerit remedium.

27. Ubi ergo gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? operum? Nequaquam: ſed per Legem fidei.
28. Conſtituimus ergo, fide juſtificari hominem ſine operibus Legis.

27. *Ubi ergo gloriatio?*] Poſtquam ſatis ſuperque firmis rationibus homines ab operum fiducia dejecit Apoſtolus, jam eorum vanitati inſultat. Neceſſarium vero erat hoc epiphonema: quoniam in hac cauſa non ſufficeret docere, niſi majore vehementia Spiritus ſanctus ad proſternendam noſtram altitudinem fulminaret. Gloriationem autem haud dubie excluſam dicit, quia nihil poſſumus noſtrum producere, quod Dei ſit approbatione aut commendatione dignum. Quod ſi materia gloriandi eſt meritum, ſive illud de congruo, ſive de condigno nomines, quo homo Deum ſibi conciliet: hic utrumque everti vides. neque enim hic de imminutione vel moderatione agitur: ſed Paulus ne guttam quidem reliquam facit. Deinde ſi per fidem tollitur operum gloriatio, ut non poſſit fides pure prædicari, quin omnia Dei miſericordiæ deferendo, prorſus hominem laude ſpoliet: ſequitur nullis ad juſtitiam conſequendam operibus nos adjuvari. *Operum?* Quomodo Apoſtolus hic negat excludi per Legem noſtra merita, quum antea ex Lege damnationem noſtram oſtenderit? Nam ſi nos omnes morti addicit, quam ex ea gloriam petemus? an non potius gloria omni nudatos probris operit? Verum tunc oſtendebat peccatum noſtrum patefieri Legis judicio, quia omnes ab ejus obſervatione deſcivimus. Hic autem intelligit, ſi juſtitia eſſet in Lege operum, non excluſum iri noſtram gloriam: ſed quoniam ſolius fidei eſt, ideo nihil eſſe nobis arrogandum: quoniam à Deo omnia accipit fides, nihil affert præter humilem inopiæ confeſſionem. Et notanda eſt diligenter fidei & operum antitheſis: in qua ſine adjectione opera univerſaliter ponuntur. Ergo neque de ceremoniis tantum, neque de externa operum ſpecie differit: ſed omnia quæ fingi poſſunt, operum merita comprehendit. Legis quidem nomen improprie fidei tribuitur: ſed hoc Apoſtoli ſenſum minime obſcurat. Intelligit enim quum ad fidei normam ventum eſt, proſterni univerſam operum gloriam; acſi diceret, Operum quidem juſtitiam commendari in Lege, ſed fidei eſſe ſuam Legem, quæ nullam in operibus qualiacunque ſint, juſtitiam relinquit.

28. *Conſtituimus ergo.*] Nunc principalem propoſitionem quaſi jam indubiam colligit, addita etiam explicatione. Multum enim eluceſcit fidei juſtificatio, dum opera nominatim excluduntur. Ideo nulla hodie in re magis laborant noſtri adverſarii, quam ut fides cum operum meritis implicetur. Fatentur quidem juſtificari hominem fide: ſed non ſola: imo penes charitatem vim juſtificationis reipſa locant, utcunque verbo tenus eam concedant fidei. Atqui ſic gratuitam aſſerit hoc loco Paulus, ut palam faciat cohærere nullo modo poſſe cum ulla dignitate operum. Cur opera Legis nominet, ſupra docui: & ſimul oſtendi, ridiculos eſſe qui ad ceremonias reſtringunt. Frigidum etiam commentum eſt, opera Legis pro literalibus accipere, quæ ſine Chriſti Spiritu fiunt. quin potius tantundem valet epitheton, acſi meritoria dixiſſet: quia reſpicit ad mercedem in Lege promiſſam. Quod apud Jacobum habetur, non ſola fide, ſed operibus juſtificari hominem: nihil cum præcedenti ſententia pugnat. Conciliatio potiſſimum ex ratione argumenti pendet, de quo illic Jacobus differit. Neque enim quæſtio eſt, quomodo juſtitiam ſibi coram Deo acquirant homines: ſed quomodo ſe probent juſtos. Refutat enim hypocritas, qui fidei titulo inaniter ſuperbiunt. Craſſus ergo paralogiſmus eſt, non animadvertere Juſtificandi verbum aliud eſſe Jacobo quam Paulo: ſicuti diverſis de rebus tractant. Fidei quoque nomen eſſe æquivocum proculdubio apparet. Duplex iſta homonymia obſervari debuit, ut de re judicium fieret. Neque aliud Jacobum velle ex contextu colligitur, quam hominem ficta vel mortua fide non reddi vel non probari juſtum, niſi operibus juſtitiam ſuam confirmet. qua de re vide Inſtitutionem noſtram.

29. Num Judæorum Deus tantum? annon & Gentium? Certe & Gentium.
30. Quandoquidem unus Deus, qui juſtificabit Circumciſionem ex fide, & Præputium per fidem.

29. *Num Judæorum.*] Secunda propoſitio, juſtitiam illam non magis ad Judæos quam ad Gentes pertinere. Id vero urgeri valde referebat, ut per univerſum orbem locus fieret regno Chriſti. Interrogat ergo non ſimpliciter vel præciſe, an ſit Gentium conditor Deus, quod extra controverſiam notum erat: ſed an non illis quoque ſervatorem ſe velit declarare. Poſtquam enim æquavit totum hominum genus, ac ſub eandem conditionem redegit: ſi quid ſit diſcriminis inter eos, ex Deo eſt: non ex ipſis, qui habent omnia inter ſe paria. Quod ſi verum eſt, Deum ſuæ miſericordiæ velle participes facere omnes populos terræ: ſalus, & quæ ad ſalutem neceſſaria eſt juſtitia, ad omnes extenditur. Quare in Dei nomine hic eſt notatio mutuæ relationis, quæ ſæpe *Jer. 30. verſ. 22.* in Scriptura occurrit: Ego ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum. Nam quod Deus peculiarem ſibi ad tempus populum elegit, illud naturæ principium non tollit, omnes ad imaginem Dei eſſe formatos, & educari in mundo in ſpem beatæ æternitatis.

30. *Qui juſtificat Præputium.*] Quum alios per fidem, ex fide alios juſtificari dixit, videtur oblectatus varietate ſermonis in eadem re indicanda, ut Judæorum ſtultitiam obiter perſtringeret, qui diſcrimen inter ſe & Gentes comminiſcebantur: quum in cauſa juſtificationis nihil prorſus differrent. Si enim ſola fide fiunt homines hujus gratiæ compotes: fides autem in utriſque eſt eadem: ridiculum eſt, in tanta ſimilitudine facere diſſidium. Itaque ſubeſſe in verbis ironiam judico: acſi diceret, Si quis vult habere differentiam Gentilis à Judæo, hanc habeat, quod ille per fidem, hic vero ex fide juſtitiam conſequitur. Niſi forte ita diſtinguere magis placeat, Juſtificari ex fide Judæos, quia naſcuntur gratiæ hæredes, dum jus adoptionis à Patribus ad eos tranſmittitur: Gentes vero per fidem, quia his adventitium eſt fœdus.

31. Legem igitur irritam facimus per fidem? Ne ita ſit: ſed Legem ſtabilimus.

31. *Legem igitur irritam* &c.] Ubi Lex fidei opponitur, ex eo ſtatim quandam repugnantiæ ſuſpicionem caro arripit, acſi alterum alteri adverſaretur. Præſertim vero facile obtinet falſa hæc imaginatio inter eos qui præpoſtera Legis intelligentia imbuti, nihil aliud in ea quærunt quam operum juſtitiam, promiſſionibus omiſſis. Atque hoc nomine peſſime audiebat inter Judæos non modo Paulus, ſed Dominus quoque ipſe: acſi tota ſua prædicatione Legis abrogationem moliretur. Unde illa conteſtatio, Non *Matth. 5. verſ. 17.* veni ad ſolvendam Legem, ſed implendam. Hæc autem ſuſpicio tam ad mores, quam ad ceremonias pertinebat: quia enim Euangelium finem imponit ceremoniis Moſaicis, putatur ad deſtruendum Moſis mini-

miniſterium tendere. Ad hoc, quia omnem operum juſtitiam obliterat, creditur adverſari tot teſtimoniis Legis, ubi affirmat Dominus, ſe juſtitiæ ac ſalutis viam illic præſcripſiſſe. Quare hanc Pauli excuſationem neque de ceremoniis ſeorſum, neque de mandatis (ut vocant) moralibus: ſed in univerſum de tota Lege accipio. Nam Lex moralis vere confirmatur ac ſtabilitur per fidem in Cbriſtum: quandoquidem in bunc finem lata eſt, ut hominem de ſua iniquitate edoctum, ad Cbriſtum adduceret: ſine quo nec ipſa præſtatur, fruſtraque clamat quid factum ſit, nec poteſt niſi cupiditatem magis irritare, quo majorem tandem condemnationem homini accerſat. Ubi vero ad Cbriſtum ventum eſt, primum in eo invenitur exacta Legis juſtitia, quæ per imputationem etiam noſtra fit. deinde ſanctificatio, qua formantur corda noſtra ad Legis obſervationem: imperſectam quidem illam, ſed quæ ad ſcopum collimat. Similis ceremoniarum ratio, quæ ceſſant quidem & evaneſcunt Chriſto adveniente: ſed eo ipſo vere confirmantur. Si enim per ſe æſtimantur, inanes ſunt & umbratiles imagines: tum demum ſolidi aliquid habere deprehendentur, ſi in meliorem finem reſpiciant. In eo igitur eſt ſumma earum confirmatio, quum docetur, veritatem ſuam in Chriſto eſſe conſequutas. Sic ergo & nos meminerimus Euangelium diſpenſare, ut noſtro docendi modo Lex ſtabiliatur: ſed nulla alia firmitate quam fide Chriſti ſuffulta.

Cap. IV.

QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?

2. Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quo glorietur, ſed non apud Deum.

Gen. 15. verſ. 6. 3. Quid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo: & imputatum eſt illi in juſtitiam.

1. *Quid ergo.*] Confirmatio eſt ab exemplo, quæ ſatis firma eſt: quoniam omnia ſimilia ſunt tam in re quam in perſona. Nam & ille pater eſt fidelium, cui nos omnes oportet conformari: & una eſt juſtitiæ obtinendæ omnibus ratio, non plures. Multis aliis in rebus non ſufficeret exemplum ad communem regulam: ſed quia in perſona Abrahæ ſpeculum vel exemplar juſtitiæ, quæ ad totam Eccleſiam communiter pertinet, propoſitum fuit: merito Paulus quod de illo uno ſcriptum eſt, ad totum Eccleſiæ corpus accommodat: ſimul etiam conſtringit Judæos, quibus ad gloriandum nihil erat magis plauſibile, quam ſe jactare Abrahæ filios. Sibi vero plus ſanctitatis quam ſancto Patriarchæ tribuere nunquam auſi eſſent. Nunc ubi conſtat gratis juſtificatum fuiſſe illum, poſteros ejus qui ſibi propriam juſtitiam ex Lege arrogant, pudore victos obmuteſcere neceſſa eſt. *Secundum carnem.* Quia inter hanc particulam & nomen Patris, in contextu Pauli interponitur verbum εὑρηκέναι, hoc modo, Quid dicemus Abraham patrem noſtrum inveniſſe ſecundum carnem? quidam interpretes quæri putant, quid ſecundum carnem adeptus ſit Abraham. Quæ expoſitio ſi placeat, tantundem valebit Secundum carnem, ac naturaliter, vel ex ſeipſo. Probabile tamen eſt epitheti loco Patri conjungi. Præterquam enim quod domeſticis exemplis ſolemus magis affici: nominatim generis dignitas, qua nimium Judæi ſuperbiebant, iterum notatur. Contemptim nonnulli additum boc putant: quo ſenſu alibi carnales vocantur filii Abrahæ, qui ſpirituales non ſunt, nec prorſus legitimi. ego vero exiſtimo, quod Judæis peculiare erat fuiſſe expreſſum: quia excellentius fuit, natura & carnis origine, quam ſola adoptione eſſe Abrahæ filios, modo ſimul fides accederet. Concedit ergo Judæis propius conjunctionis vinculum, ſed tantum ut eos magis promoveat, ne à patris ſui exemplo diſcedant.

2. *Si enim Abraham.*] Epicherema eſt, id eſt, imperfecta ratiocinatio, quæ in banc formam colligi debet, Si Abraham operibus juſtificatus eſt, poteſt ſuo merito gloriari: ſed non babet unde glorietur apud Deum: ergo non ex operibus joſtificatus eſt. Ita membrum illud, *ſed non apud Deum*, eſt minor propoſitio ſyllogiſmi. Huic attexi debet concluſio quam poſui, tametſi à Paulo non exprimitur. Gloriationem vocat, quum licet prætendere aliquid noſtrum, cui merces in judicio Dei debeatur. Eam quum Abrahæ adimat, quis noſtrum ſibi guttam meriti arrogabit?

3. *Quid enim Scriptura dicit?*] Probatio eſt minoris ſeu aſſumptionis, ubi negavit Abrahæ eſſe argumentum gloriandi. Nam ſi Abraham ex eo juſtificatur quod amplectitur fide bonitatem Dei: ſequitur nullam eſſe ejus gloriam, quia nihil ſuum affert, niſi miſeriæ agnitionem quæ miſericordiam quærat. Siquidem pro confeſſo præſumit fidei juſtitiam ſubſidium eſſe & quaſi aſylum peccatori, qui operibus deſtituitur. Nam ſi qua eſſet Legis vel operum juſtitia, in ipſis hominibus reſideret: fide autem, quod ſibi deeſt, aliunde mutuantur: ideoque apte vocatur Imputativa fidei juſtitia. Locus porro qui citatur, ex Geneſ. 15. v. 6. ſumptus eſt: ubi verbum Credendi non ad particulare aliquod dictum reſtringi debet, ſed ad totum ſalutis fœdus & adoptionis gratiam, quam dicitur Abraham fide apprehendiſſe. Refertur quidem illic promiſſio ſeminis futuri, ſed quæ in gratuita adoptione fundata erat. Notandum vero, nec ſalutem ſine Dei gratia, nec ſine ſalute promitti: rurſum nec in Dei gratiam, nec in ſpem ſalutis nos vocari, quin juſtitia ſimul offeratur. Hoc poſito, videre licet eos Theologiæ principia non tenere, qui Moſis teſtimonium à Paulo violenter torqueri putant. quia enim particularis eſt illic promiſſio, rite & probe feciſſe intelligunt, qui crediderit: & eatenus probatum fuiſſe à Deo. Sed in eo falluntur, primum quod non animadverterunt illud Credere ad totum complexum extendi. quare ad unum membrum reſtringi non debebat. Præcipua autem hallucinatio eſt, quod à gratiæ Dei teſtimonio non ordiuntur. Atqui boc agit Deus, ut Abraham & ſuæ adoptionis, & paterni favoris reddat certiorem: ſub quo æterna per Chriſtum ſalus comprehenditur. Quare Abraham credendo, nihil quam oblatam ſibi gratiam amplectitur, ne irrita ſit. Si boc illi imputatur in juſtitiam, ſequitur non aliter eſſe juſtum, niſi quia Dei bonitate confiſus, omnia ab ipſo ſperare audet. Neque enim quid de illo homines ſenſerint, Moſes recitat: ſed qualis apud Dei tribunal habitus fuerit. Abraham ergo in promiſſione oblatam ſibi Dei benignitatem apprehendit, qua ſibi juſtitiam communicari ſentiebat. Hanc promiſſionis & fidei relationem neceſſarium eſt ad ſtatuendam juſtitiam intelligere: quoniam eadem eſt hic inter Deum & nos ratio, quæ apud Juriſconſultos inter datorem & donatarium. Neque enim juſtitiam aliter conſequimur, niſi quia ſicuti Euangelii promiſſione nobis defertur, ita ejus poſſeſſionem fide quaſi cernimus. Quomodo conciliandus ſit Jacobi locus, qui nonnihil contrarius videtur, ſupra adnotavi: & illic fuſius, Domino dante, exponam. Tantum

note-

notemus, eos quibus juſtitia imputatur, juſtificari: quando hæc duo à Paulo tanquam ſynonyma ponuntur. Uode colligimus, non diſputari quales ſint in ſe homines, ſed quo loco Deus ipſos cenſeat. non quod ſeparetur à gratuito Dei favore puritas conſcientiæ & vitæ iotegritas: ſed quia ubi cauſa quæritur cur nos Deus amet, ac pro juſtis agnoſcat, Chriſtum prodire neceſſe eſt qui ſua nos juſtitia induat.

4. Ei quidem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.

5. Ei vero qui non operatur, credit autem in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua in juſtitiam.

4. *Ei qui operatur.*] Operantem vocat, nnn quiſquis bonis operibus addictus eſt: quod ſtudium vigere debet in omnibus Dei filiis: ſed qui ſuis meritis aliquid promeretur. ſimiliter non operantem, cui nihil debetur operum merito. Neque enim fideles vult eſſe ignavos: ſed tantum mercenarios eſſe vetat, qui à Deo quicquam repoſcant, quaſi jure debitum. Et jam prius admonuimus, non hic diſſeri qualiter vitam inſtituere nos oporteat, ſed quæri de ſalutis cauſa. Argumentatur autem à contrariis, Deum non rependere nobis juſtitiam, ut debitam: ſed acceptam ultro ferre. Ac Bucero quidem accedo, qui formam argumentandi indicat non eſſe ſumptam ab uno verbo, ſed ab integra ſententia, in hunc modum, Si quis ſit qui promereatur aliquid opeſe ſuo, res promerita non imputatur illi gratis: ſed ut debita redditur. Fides reputatur in juſtitiam, non quod ullum à nobis meritum afferat, ſed quia Dei bonitatem apprebendit. Ergo juſtitia non debetur nobis, ſed gratis confertur. Nam quia nos precario juſtificat Chriſtus per fidem, ſemper in ea noſtri exinanitionem conſiderat Paulus. Quid enim credimus, niſi Chriſtum eſſe expiationem, ut nos Deo reconciliet? Idem aliis verbis habetur ad Galat. 3. verſ. 11. Quod ex Lege nemo juſtificetur, patet: nam Juſtus fide vivet. Atqui Lex non eſt ex fide: ſed qui fecerit hæc, vivet in ipſis. Quia enim Lex operibus mercedem promittit, inde concludit, fidei juſtitiam, quæ gratuita eſt, cum illa operaria non coovenire. quod non ſtabit ſi fides operum reſpectu juſtificet. Obſervandæ ſunt diligenter iſtæ collationes, quibus omne meritum prorſus expungitur.

5 *Credit autem in eum.*] Plena energiæ periphraſis: qua & fidei & juſtitiæ ſubſtantiam naturamque expreſſit. Clare enim definit, non quatenus meritoria virtus eſt fides, juſtitiam nobis conferre, ſed quatenus Dei gratiam nobis impetrat. Neque enim Deum modo pronunciat datorem juſtitiæ: ſed nos injuſtitiæ damnat, ut noſtræ inopiæ ſuccurrat Dei liberalitas. In ſumma, nemo ad fidei juſtitiam perveniet, niſi qui in ſe erit impius. Nam hæc periphraſis ad circumſtantiam loci aptanda eſt, quod aliena juſtitia nos ornet fides, quum à Deo mendicat. Atque hic rurſus Deus juſtificare nos dicitur, dum peccatoribus gratis ignoſcit, & amore dignatur quibus jure iraſci poterat: dum ſcilicet noſtram injuſtitiam miſericordia ſua abolet.

Pſal. 32. verſ. 2. 6. Quemadmodum etiam David finit beatitudinem hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus:

7. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata:

8. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.

6. *Finit beatitudinem hominis.*] Hinc perſpicimus merum eſſe eorum cavillum, qui opera Legis intra ceremonias limitant: quando nunc opera ſimpliciter & ſine adjecto vocat, quæ prius dicebat opera Legis. ſi nemo inficiari poteſt, ſimplicem & non reſtrictam loquutionem, qualis nunc occurrit, promiſcue de opere quolibet intelligendam: id perpetuo in tota diſputatione valere debet. Nihil enim minus conſentaneum, quam ceremoniis ſolis vim juſtificandi adimi, quum opera indefinite Paulus excludat. Huc accedit oppoſitum membrum, quod Deus homines juſtificet peccatum non imputando. quibus etiam verbis docemur, juſtitiam Paulo nihil eſſe quam remiſſionem peccatorum. Poſtremo hanc quoque remiſſionem gratuitam eſſe, quia ſine operibus imputatur. quod & Remiſſionis nomen indicat. Non enim remittit creditor, cui numeratum eſt: ſed qui nomen ſponte inducit mera liberalitate. Eant nonc qui delictorum veniam ſatisfactionibus redimere docent: à qua Paulus argumentum petit ad gratuitum juſtitiæ donum aſſerendum. Quomodo enim illis cum Paulo conveniet? Aiunt illi, operibus ſatisfaciendum Dei juſtitiæ, quo peccatorum veniam impetremus. Contra hic ratiocinator, juſtitiam fidei gratuitam eſſe ac ſine operibus: quoniam à peccatorum remiſſione pendeat. Vitioſa certe eſſet ratiocinatio, ſi qua in remiſſione peccatorum opera intercederent. Nec minus iiſdem Prophetæ verbis ineptiæ Scholaſticorum diſſipantur, de dimidia remiſſione. Culpa remiſſa, pœnam retineri à Deo nugantur: Propheta autem clamat, non tecta modo peccata eſſe, hoc eſt, in conſpectu Dei ſublata: ſed etiam addit, non imputari. Quomodo conveniat, Deum pœnam eorum expoſcere quæ non imputet? Manet ergo ſalva nobis pulcherrima ſententia, Juſtificari fide, qui gratuita peccatorum remiſſione coram Deo purgatus ſit. Præterea hinc gratuitæ juſtitiæ perpetua in totam vitam duratio colligi poteſt. Nam quum David diuturno conſcientiæ ſuæ cruciatu fatigatus, in hanc vocem erumpat, de experientia certe ſua loquitur. atqui jam per annos complures Deum coluerat. Ergo poſt magnos progreſſus tandem expertus miſeros eſſe omnes qui ad Dei tribunal vocantur: non aliam obtioendæ beatitudinis viam eſſe clamat, quam ſi Dominus nos in gratiam recipiat, peccata non imputando. Ita probe refellitur eorum commentum, qoi fidei juſtitiam non niſi initiale eſſe nogantur, nt deinde fideles operibus poſſeſſionem juſtitiæ retineant, quam nullis meritis adepti ſunt. Quod autem opera interdum dicuntur in juſtitiam imputari, & aliæ quoque beatitudines recenſentur, nihil de Pauli ſententia detrahit. Re-
fert Pſalmus, imputatum eſſe Phinees ſacerdoti Do- *Pſ. 106.*
mini in juſtitiam, quod ſumpto de ſcortatore & me- *verſ. 30.*
retrice ſupplicio, vindicarit opprobrium Iſraëlis. Nempe hominem audimus facinus juſtum ediдiſſe: ſed uno facto perſonam non juſtificari ſcimus. Requiritur enim perfecta, & numeris ſuis omoibus
conſummata obedientia, ut ſonat promiſſio, Qui fe- *Deut. 4.*
cerit hæc, vivet in ipſis. Quomodo ergo imputatur *verſ. 1.*
illi hæc ultio in juſtitiam? Certe juſtificatum prius eſſe Dei gratia oportuit. Qui enim jam Chriſti juſtitia ſunt induti, ii non ſibi modo propitium habent Deum, ſed operibus quoque ſuis, quorum maculæ & nævi Chriſti puritate obteguotur, ne in rationem veniant: unde nullis ſordibus infecta opera, juſta reputantur: non aliter quam ejuſmodi indulgentia placere Deo quodlibet humanum opus palam eſt. Quod

ſi fidei juſtitia unica cauſa eſt cur juſta opera habeantur: vide quam inſulſe arguant, quia juſtitia operibus tribuatur, non ſolius eſſe fidei juſtitiam. Ego autem invictum argumentum oppono contra, injuſtitiæ damnatum iri opera omnia, niſi ſola fide homo
Pſal. 1. verſ. 1. & 128:1. juſtificetur. Simile eſt de beatitudine. pronunciantur beati qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, qui meditantur ejus Legem die ac nocte: ſed quia nemo id præſtat qua decet perfectione, ut Dei mandato ad plenum reſpondeat, irritæ ſunt omnes ejuſmodi benedictiones, donec purificati ac mundati peccatorum remiſſione, beati reddimur: atque ita quidem ut capaces fiamus ejus beatitudinis, quam Dominus ob ſtudium Legis ac bona opera ſervis ſuis pollicetur. Ergo & operum juſtitia, effectus eſt juſtitiæ Dei: & beatitudo ex operibus, effectus beatitudinis, quæ ſita eſt in peccatorum remiſſione. Si cauſa deſtrui ab effectu ſuo nec debet, nec poteſt, importune facturi ſint, ſi ſtudeant fidei juſtitiam per opera evertere. Sed cur non liceat (dices quiſpiam) teſtimoniis illis contendere, operibus hominem juſtificari ac beatum reddi? verba enim Scripturæ non magis ſonant, fide juſtificari hominem, & Dei miſericordia beatum eſſe, quam operibus. Nempe conſideranda eſt hic tam ſeries cauſarum, quam gratiæ Dei diſpenſatio. quia enim locum non habet quicquid pronunciatur de operum vel juſtitia vel beatitudine, niſi unica hæc fidei juſtitia præceſſerit, & ſola partes omnes impleat: hanc erigi ac ſtabiliri oportet, ut illa, tanquam fructus ex arbore, inde naſcatur & emergat.

9. Beatitudo ergo iſta in Circumciſionem modo, an & in præputium competit? Dicimus enim quod imputata fuit Abrahæ fides in juſtitiam.

10. Quomodo igitur imputata fuit? in Circumciſione quum eſſet, an in præputio? Non in Circumciſione, ſed in præputio.

Quia Circumciſionis & præputii tantum fit mentio, inſcite colligunt multi, non aliud in quæſtionem venire, quam non acquiri juſtitiam ex ceremoniis Legalibus. Sed attendere convenit cum quo hominum genere Paulus diſputet: ſcimus enim hypocritas, dum in genere opera meritoria jactant, fucum tamen obtendere in externis larvis. Judæis quoque ſua fuit peculiaris ratio, qui craſſo Legis abuſu, à vera & ſolida juſtitia alienati erant. Dixit Paulus, neminem eſſe beatum niſi quem ſibi Deus gratuita venia reconciliat: unde ſequitur omnes eſſe maledictos quorum opera in judicium veniunt. Jam tenetur caput hoc, non propria dignitate, ſed Dei miſericordia juſtificari homines: ſed nondum id ſatis eſt, niſi peccatorum remiſſio præcedat omnia opera, quorum primum fuit Circumciſio, quæ Judaicum populum initiabat in Dei obedientiam. proinde in eo quoque demonſtrando pergit. Semper meminerimus, Circumciſionem hic tanquam initiale (ut ita loquar) juſtitiæ Legalis opus recenſeri. Neque enim ea Judæi gloriabantur, tanquam gratiæ Dei ſymbolo, ſed quaſi meritoria Legis obſervatione. ideo ſe aliis præferebant, quaſi plus afferrent coram Deo præſtantiæ. Jam videmus non de uno ritu litem agitari: ſed comprehendi ſub una ſpecie quicquid eſt operum Legalium, hoc eſt, quibus deberi poſſet merces: ideo autem præcipue nominari Circumciſionem, quia fundamentum erat Legalis juſtitiæ. Atqui Paulus ex oppoſito contendit, Si juſtitia Abrahæ eſt peccatorum remiſſio, (quod ſecure ipſe pro confeſſo aſſumit) ea autem Abrahæ obtigit ante Circumciſionem: ſequitur ergo, peccatorum remiſſionem non dari præcedentibus meritis. Vides argumentum eſſe ab ordine cauſarum & effectuum. Cauſa enim ſemper effectu ſuo prior eſt. atqui juſtitia fuit in Abrahamo Circumciſione ſuperior.

11. Et ſignum accepit Circumciſionis: ſigillum juſtitiæ fidei quæ fuerat in præputio: ut eſſet pater omnium credentium per præputium, quo ipſis quoque imputetur juſtitia:

12. Et pater Circumciſionis, non iis qui ſunt ex Circumciſione tantum, ſed qui inſiſtunt veſtigiis fidei quæ fuit in præputio patris noſtri Abrahæ.

11. *Et ſignum accepit.*] Per anticipationem oſtendit, non tamen fuiſſe vanam ſuperfluamque Circumciſionem, tametſi non juſtificaret: quandoquidem alium haberet valde præclarum uſum, utpote cujus officium erat juſtitiam fidei obſignare, ac veluti ratam facere. Atque interim à fine ipſo inſinuat, non eſſe juſtitiæ cauſam. Tendit enim ad confirmandam fidei juſtitiam, & eam quidem jam in præputio comparatam: ergo nihil illi derogat aut detrahit. Hic porro habemus inſignem locum de communi ſacramentorum uſu: ſunt enim (teſte Paulo) ſigilla, quibus & Dei promiſſiones cordibus noſtris quodammodo imprimuntur, & ſancitur gratiæ certitudo. Ac tametſi per ſe nihil juvant, Deus tamen qui gratiæ ſuæ inſtrumenta eſſe voluit, arcana Spiritus ſui gratia efficit ne profectu careant in electis. Et quamvis reprobis tantum mortuæ ſint ac inutiles figuræ, vim tamen ſuam & naturam ſemper retinent: quia etſi noſtra incredulitas effectu illorum nos privat, non tamen Dei veritatem labefactat vel extinguit. Quare maneat hoc fixum, ſacra ſymbola eſſe teſtimonia, quibus gratiam ſuam Deus cordibus noſtris obſignat. De Circumciſionis ſymbolo peculiariter iſtud dicendum, repræſentatam illic fuiſſe duplicem gratiam.
Gen. 17. verſ. 7. Pollicitus fuerat Deus Abrahæ ſemen benedictum, ex quo ſalus toti mundo ſperanda erat. Hinc pendebat illa promiſſio, Ero tibi in Deum. Gratuita igitur reconciliatio in Deo, in ſigno illo incluſa fuit. Ex analogia congruebat, ut in promiſſum ſemen reſpicerent fideles. Exigebat viciſſim Deus integritatem ac ſanctimoniam vitæ: ſymbolo indicabat quomodo ad eam perveniretur: nempe ſi in homine circumcideretur quicquid naſcitur in carne, quia tota natura vitioſa eſt. Admonebat ergo Abrahamum externo ſigno, ut ſpiritualiter carnis ſuæ corruptionem circumcideret: quo etiam alluſit Moſes, Deut. 10. v. 16. Quo autem indicaret non eſſe hominis opus, ſed Dei: circumcidi voluit teneros infantes, qui per ætatem nondum exequi poterant id mandatum. Nam ſpiritualem circumciſionem eſſe divinæ virtutis opus, non tacuit Moſes: quemadmodum habes Deuteronomii 30. v. 6. Circumcidet Dominus cor tuum, &c. Prophetæ id ipſum multo clarius poſtea explicarunt. Duæ denique, ut Baptiſmi hodie ſunt, ita olim Circumciſionis erant partes: nempe tam vitæ novitatem, quam peccatorum remiſſionem teſtari. Cæterum quod in Abrahæ perſona Circumciſio poſterior juſtitia fuit, non ſemper in ſacramentis locum habet: ſicut apparet in Iſaac & poſteris: ſed Deus ſemel edere tale ab initio ſpecimen voluit, ne quis externis rebus ſalutem affigeret. *Ut eſſet pater.* Nota quomodo Abrahæ circumciſio fidem noſtram

confirmet

confirmet de juſtitia gratuita: eſt enim obſignatio juſtitiæ fidei, ut nobis quoque credentibus juſtitia imputetur. Atque ita ſingulari artificio in adverſarios retorquet Paulus, quæ poterant ab illis objectari. Si enim ipſa Circumciſionis veritas ac vis eſt in præputio: non eſt cur tantopere ſe evehant Judæi ſupra Gentes. Sed quum dubitatio injici poſſit, Annon ergo exemplo Abrahæ, nos quoque oporteat Circumciſionis ſigillo eandem juſtitiam confirmare? cur eam Apoſtolus prætermiſit? Nempe quia putabat ſatis ex ſuis verbis quæſtionem expediri. Nam ubi admiſſa fuerit hæc ſententia, Circumciſionem valere duntaxat ad obſignandam Domini gratiam: ſequitur hodie nobis eſſe ſupervacuam, qui ſignum habemus ejus loco divinitus inſtitutum. Quia ergo ubi Baptiſmus eſt, nullus jam reſtat Circumciſionis uſus, noluit de eo fruſtra diſceptare quod nequaquam dubium erat, cur ſcilicet in Gentibus fidei juſtitia non obſignetur, ſi ſimilitudinem habent cum Abrahamo. Credere per præputium, eſt Gentes ſua ſorte contentas non interponere Circumciſionis teſſeram. Atque ita præpoſitio διὰ ponitur loco ἐν.

12. *Non iis qui ſunt ex Circumciſione.*] Eſſe hoc loco accipitur pro Cenſeri. Nam carnales Abrahæ filios perſtringit, qui nihil habentes præter Circumciſionem externam, ipſa ſecure gloriantur. Iſtud enim alterum, quod præcipuum eſt, negligunt, ut Abrahæ fidem imitentur, qua una ſalutem ille adeptus eſt. Hinc apparet quam ſollicite diſcernat fidem à ſacramento: non ſolum nequis hoc ſine illa contentus ſit, perinde acſi ad juſtificandum ſufficeret: ſed etiam ut illa ſola partes omnes impleat. Nam dum Judæos qui ſunt circumciſi, juſtificari fatetur: diſerte excipit, modo in fide nuda inſiſtant Abrahæ exemplo. Quid enim ſibi vult fides in præputio, niſi ut oſtendat ſolam nec aliunde adjutam ſufficere? Cavendum ergo ne quis dimidiando, ſimul duas juſtificandi cauſas miſceat. Eadem ratione revincitur ſcholaſticum dogma, de diſcrimine ſacramentorum veteris & novi Teſtamenti: illis enim vim juſtificandi adimunt, his attribuunt. Atqui ſi rite Paulus ratiocinatur, dum Circumciſionem non juſtificare ex eo probat, quòd fide juſtificatus eſt Abraham: apud nos quoque militat eadem ratio: ut negemus Baptiſmo juſtificari homines, quando eadem fide, qua Abraham, juſtificantur.

13. Non enim per Legem promiſſio Abrahæ & ſemini ejus data eſt, ut eſſet hæres mundi: ſed per juſtitiam fidei.

13. *Non enim.*] Jam Legis & fidei antitheſin quam prius attigerat, clarius repetit. quæ diligenter notanda eſt: quoniam ſi nihil à Lege mutuatur fides ut juſtificet, inde intelligimus, nonniſi in Dei miſericordiam reſpicere. Commentum porro eorum qui de ceremoniis hoc dictum eſſe volunt, nullo negotio refellitur: quia ſi quid afferrent opera ad juſtificationem, dicendum potius erat, non per Legem ſcriptam, ſed per legem naturæ. Atqui non ſpiritualem vitæ ſanctitatem opponit ceremoniis Paulus, ſed fidem ejuſque juſtitiam. Summa igitur eſt, Abrahæ promiſſam fuiſſe hæreditatem, non quia Legis obſervatione id eſſet promeritus, ſed quia fide juſtitiam adeptus erat. Et certe (ut mox Paulus ſubjiciet) tunc ſolida demum pace fruuntur conſcientiæ, ubi donari gratis ſentiunt quod jure non debetur. Hinc etiam ſequitur, Gentibus nihilo minus quam Judæis commune eſſe beneficium, cujus cauſa ad utroſque æque pertinet. Nam ſi ſola Dei bonitate fundata eſt ſalus hominum, ejus curſum arcent & impediunt quantum in ſe eſt, qui ab ea excludunt Gentes. *Ut eſſet hæres mundi.* Quum de æterna ſalute nunc agatur, videtur parum tempeſtive Apoſtolus lectores ad mundum transferre: ſed generaliter hoc verbo comprehendit inſtaurationem quæ à Chriſto ſperanda erat. Præcipua quidem fuit vitæ reſtitutio: collapſum tamen totius mundi ſtatum reparari oportuit. Ideo Chriſtum omnium Dei bonorum hæredem Apoſtolus nuncupat ad Hebr. 1. verſ. 2. quia adoptio quam ejus gratia adepti ſumus, hæreditatis poſſeſſionem à qua in Adam excidimus, nobis reſtituit. Quia vero ſub typo terræ Chanaan non modo ſpes cæleſtis vitæ Abrahæ propoſita fuit, ſed plena & ſolida Dei benedictio, jure Apoſtolus dominium mundi ei promiſſum fuiſſe docet. Hujus guſtum quendam in præſenti vita delibant pii: quia utcunque inopiæ anguſtiis ſæpe premantur, quia tamen quæ in eorum uſum creavit Deus, tranquilla conſcientia participant, eoque propitio & volente fruuntur terrenis beneficiis non ſecus ac pignoribus vel arrhis vitæ æternæ, nihil illis obſtat ſua paupertas quominus cælum, terram & mare ſui juris eſſe agnoſcant. Divitias mundi licet ingurgitent impii, nihil ſuum vocare poſſunt: quin potius furto rapiunt, quia cum Dei maledictione uſurpant. Magnum vero piis ſuæ egeſtatis ſolatium eſt, quod tenuiter victitando, nihil tamen alienum furantur: ſed legitimum ex cæleſtis Patris manu demenſum recipiunt, donec plenam hæreditatis ſuæ poſſeſſionem cernant, dum eorum gloriæ ſervient creaturæ omnes. Nam in hunc finem renovabitur & terra & cælum, ut pro ſuo modo ad illuſtrandum Dei regnum in partes accedant.

14. Si enim ii qui ſunt ex Lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, & abolita eſt promiſſio.

15. Nam Lex iram efficit: ſiquidem ubi non eſt Lex, neque etiam transgreſſio.

14. *Si enim qui ſunt ex Lege.*] Ab impoſſibili vel abſurdo arguit, non promiſſam fuiſſe Abrahæ quam à Deo gratiam obtinuit, ex pacto Legali, vel operum intuitu: quia ſi interpoſita eſſet hæc conditio, Deum eos ſolos dignari adoptione qui merentur, vel qui Legem præſtant, nemo confidere auderet ad ſe pertinere. Quis enim tantæ ſibi perfectionis eſt conſcius, ut ſibi hæreditatem ex Legis juſtitia deberi ſtatuat? Exinanita ergo fides eſſet: quia impoſſibilis conditio non modo ſuſpenſas & anxias teneret animas, ſed trepidationem quoque incuteret. ita evaneſceret promiſſionum effectus, quia nihil proſunt niſi fide acceptæ. Quod ſi ad hanc unam rationem auſcultandam adverſatiis noſtris aures eſſent, non magno negotio dirimeretur quod inter nos eſt certamen. Præſumit Apoſtolus pro re indubia, nequaquam Dei promiſſionibus conſtare ſuam efficaciam, niſi certa animi fiducia eas recipimus. Quid autem futurum eſt, ſi Legis obſervatione fundetur hominum ſalus? Conſcientiæ nihil habebunt certitudinis, ſed perpetua inquietudine vexatæ, tandem deſperationi ſuccumbent. Promiſſio inde ipſa ſine fructu evaneſcet, cujus complementum à re impoſſibili pendebit. Eant nunc qui miſeram plebem docent, operibus ſibi ſalutem comparare: quum Paulus diſerte pronunciet, abolitam eſſe promiſſionem, ſi in opera recumbat. Sed apprime cognitu neceſſarium eſt illud: fidem in nihilum redigi, ſi operibus fulciatur. Nam & inde diſcimus quid ſit fides, & qualem oporteat eſſe operum juſtitiam, cui ſecure confidere poſſint homines. Perire fidem docet Apoſtolus, niſi in Dei bonitate ſecure acquieſcit anima. non eſt ergo fides, aut Dei aut veritatis ejus nuda agnitio: ac ne ſimplex quidem perſuaſio quod Deus ſit, quod ver-

bum ejus ſit veritas: ſed divinæ miſericordiæ certa notitia ex Euangelio concepta, quæ pacem conſcientiæ apud Deum ac requiem conciliet. Summa ergo eſt, Quod ſi in Legis obſervatione reponatur ſalus, nullam habere ejus fiduciam animus poterit: imo quæcunque à Deo promiſſiones nobis offerentur, irritæ cedent. Ita deplorati ac perditi ſimus, ſi relegamur ad opera, dum quærenda eſt ſalutis cauſa vel certitudo.

15. *Nam Lex iram efficit.*] Confirmatio proximæ ſententiæ à contrario Legis effectu. Nam quum Lex nihil quam ultionem generet, non poteſt afferre gratiam. Bonis quidem ac integris viam vitæ monſtraret: ſed quatenus vitioſis ac corruptis præcipit quid debeant, præſtandi autem vires non ſubminiſtrat, reos apud Dei tribunal peragit. Quæ enim eſt naturæ noſtræ vitioſitas, quò magis docemur quid rectum ſit ac juſtum, eo apertius noſtra iniquitas detegitur, maximeque contumacia: atque hoc modo gravius Dei judicium accerſitur. *Iram* pro Dei judicio accipe, in quo ſignificatu paſſim occurrit. Qui exponunt iram peccatoris inflammari Lege, quia Legislatorem odit & execratur, quem videt ſuis cupiditatibus adverſari: argute id quidem dicunt, ſed parum apte ad præſentem locum. Paulum enim nihil aliud voluiſſe, quam ex Lege ſolam condemnationem nobis omnibus inſtare, cum verbi communis uſus, tum vero ratio quam mox attexuit, palam facit. *Ubi non eſt Lex.* Secunda probatio, qua id ipſum quod dixerat, confirmatur. Obſcurum enim alioqui futurum erat, quomodo à Lege in nos accenderetur ira Dei, niſi ratio magis appareret. Ea autem eſt, quia cognitione juſtitiæ Dei per Legem percepta, eo gravius peccamus in Deum, quo minus excuſationis nobis ſupereſt. Merito enim graviorem pœnam ſuſtinent, qui voluntatem Dei cognitam aſpernantur, quam qui ignorantia impingunt. Non loquitur autem Apoſtolus de ſimplici juſtitiæ transgreſſione, à qua nemo eximitur: ſed transgreſſionem appellat, ubi animus edoctus quid Deo placeat, quidve diſpliceat, fines voce Dei ſibi definitos ſciens ac volens perrumpit. Atque ut uno verbo dicam, transgreſſio hic non ſimplex delictum, ſed deſtinatam in violanda juſtitia contumaciam ſignificat. Particulam ἐ, quam adverbialiter accipio, alii vertunt Cujus; acſi relativum eſſet pronomen: verum prior lectio melius quadrat, quæ etiam magis recepta eſt. Utramlibet ſequaris lectionem, idem manet ſenſus, Qui Lege ſcripta non eſt inſtitutus, eum, ſi peccet, non eſſe reum tantæ transgreſſionis, quantæ convincitur qui Legem Dei contumaciter infregit ac diſſipavit.

16. Propterea ex fide, ut ſecundum gratiam: quo firma ſit promiſſio univerſo ſemini: non ei quod eſt ex Lege ſolum, ſed etiam quod eſt ex fide Abrahæ, qui eſt pater omnium noſtrum,

17. (Sicut ſcriptum eſt, Quod patrem multarum gentium poſui te) coram Deo cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint.

16. *Propterea ex fide.*] Abſolutio argumenti: quod totum in hanc ſummam poſſis colligere, Si per opera nobis eveniat hæreditas ſalutis, collabetur ejus fides, abrogabitur ejus promiſſio. ſed utramque oportet eſſe certam. ergo per fidem nobis obtingit, ut in ſola Dei bonitate fundata ejus ſtabilitas, certum effectum habeat. Vide ut Apoſtolus fidem ex firma ſtabilique certitudine æſtimans, hæſitantiam ac dubitationem pro incredulitate ducat, qua & fides aboleatur, & abrogetur promiſſio. Et tamen hæc eſt dubitatio, quam Scholaſtici appellant Conjecturam moralem: &, ſi Deo placet, fidei loco ſubſtituunt. *Ut ſecundum gratiam.* Hic primo oſtendit Apoſtolus, fidei nihil proponi præter meram gratiam: & hoc eſſe ejus objectum, ut vulgo loquuntur. Nam ſi ad merita ſpectaret, perperam gratuitum eſſe inferret Paulus quicquid ipſa à nobis impetrat. Iterum aliis verbis repetam, Si gratia eſt quicquid fide conſequimur, jacet omnis operum conſideratio. Sed omnem ambiguitatem clarius dirimit quod proxime ſequitur: nempe tunc demum firmam ſtare promiſſionem, ubi in gratiam recumbit. Hoc enim verbo confirmat Paulus, quamdiu operibus inſiſtunt homines, dubios pendere: quia promiſſionum fructu ſe fraudant. Hinc etiam colligere promptum eſt, gratiam non pro dono regenerationis, ut quidam imaginantur, ſed pro gratuito favore ſumi: quia ut regeneratio nunquam perfecta eſt, ad placandas animas nunquam ſufficeret, nec per ſe ratam faceret promiſſionem. *Non ei quod ex Lege ſolum.* Hæc particula quum alibi ſignificet eos qui præpoſteri Legis zelotæ, illius jugo ſeſe obſtringunt, ac fiducia ejus ſuperbiunt: ſignificat hic ſimpliciter gentem Judaicam, cui Lex Domini tradita fuerat. Nam quicunque Legis imperio devincti manent, eos maledictioni eſſe obnoxios alibi Paulus docet. Ideoque certum eſt à gratiæ participatione excludi. Non ergo ſervos Legis deſignat, qui operum juſtitiæ addicti, Chriſto renunciant: ſed Judæos, qui in Lege educati, Chriſto nomen dabant. Cæterum ut clarior ſit ſententia, ſic reſolve, Non iis tantum qui ex Lege ſunt, ſed omnibus qui fidem imitantur Abrahæ, etiamſi Legem prius non habuerint. *Qui eſt pater omnium noſtrum.* Relativum habet vim cauſalis particulæ. vult enim eo probare, Gentes eſſe hujus gratiæ conſortes, quia eodem oraculo, quo delata eſt Abrahæ hæreditas & ſemini ejus, Gentes in ejus ſemen fuerunt accitæ. Siquidem poſitus dicitur non unius gentis pater, ſed multarum gentium: quo præſignata eſt futura gratiæ propagatio, quæ tunc intra unum Iſraëlem continebatur. Niſi enim ad eos extenderetur benedictio promiſſa, non poterant in Abrahæ ſobole cenſeri. Præteritum verbi tempus, uſu Scripturæ vulgari, notat divini conſilii certitudinem. Nam etſi nihil tunc minus apparebat: quia ſic tamen ordinaverat Dominus, vere dicitur conſtitutus multarum gentium pater. Teſtimonium Moſis parentheſi includatur, quo hæc ſententia cohæreat, *Qui eſt pater omnium noſtrum coram Deo* &c. Neceſſe enim fuit ſimul explicare quæ iſtius cognationis forma eſſet: ne in carnali generatione nimium gloriarentur Judæi. Dicit ergo eſſe *Patrem coram Deo*: quod idem valet acſi nominaret ſpiritualem. Id enim juris non à carne propria, ſed à Dei promiſſione habet.

17. *Cui credidit, qui vivificat mortuos.*] Hoc circuitu declaratur ipſiſſima ſubſtantia fidei Abrahæ: ut ejus exemplo tranſitus quoque fiat ad Gentes. Mirifica enim via perveniendum illi erat ad promiſſionem quam audiebat ex ore Domini, quum nullum ejus ſignum extaret. Promittebatur ſemen ut vegeto ac vivido: at ipſe emortuus erat. ergo oportebat erigi cogitationem ejus in virtutem illam Dei, qua mortuos vivificat. Jam nihil abſurdi eſt, ſi Gentes aridæ alioqui & emortuæ, in communionem inſeruntur. Qui enim ob id gratiæ capaces negat, injuriam Abrahæ facit, cujus fides ea cogitatione ſubnixa eſt, nihil intereſſe an mortuus ſit qui à Domino vocatur ad vitam: cui, dum loquitur, facile eſt ſua potentia mortuos ſuſcitare. Hic præterea typum & exemplar habemus univerſalis noſtræ vocationis, quo nobis ob oculos ſtatuitur ortus noſter, non in primam nati-

vita-

vitatem, ſed ſpem futuræ vitæ: nempe dum à Domino vocamur, ex nihilo nos emergere. Qualeſcunque enim videamur, ne ſcintillam quidem habemus ullius boni, quod nos regno Dei aptos reddat. Ut enim potius idonei ſimus ad audiendam Dei vocationem, emori nos penitus nobiſmet oportet. Hæc eſt vocationis conditio, ut qui mortui ſunt, à Domino ſuſcitentur: qui nihil ſunt, aliquid ejus virtute eſſe incipiant. Vocandi verbum, ad prædicationem reſtringi non debet, ſed more Scripturæ uſitato, pro ſuſcitare capitur: idque ad virtutem Dei magis exprimendum, qui ſolo nutu quos vult erigit.

* vel, ſupra.

18. Qui * præter ſpem ſuper ſpe credidit, ut eſſet pater multarum gentium, ſecundum quod dictum erat, Sic erit ſemen tuum.

18. *Qui præter ſpem.*] Si ita legamus, ſenſus erit, Quum nullum occurreret argumentum, imo quum omnia pugnarent, credere tamen non deſtitit. Et ſane nihil fidei magis adverſum eſt, quam mentes noſtras oculis affigere, ut ex eorum intuitu petamus ſperandi materiam. Poteſt etiam legi Supra ſpem, & forſan magis appoſite: quaſi diceret, ipſum ſua fide longe ſuperaſſe quicquid concipere poterat. Niſi enim furſum alis cæleſtibus evolet fides, ut omnes carnis ſenſus procul deſpiciat, in luto mundi ſemper hærebit. Quum autem Spei vocabulum Paulus in eadem ſententia bis uſurpet: priore loco ſignificat ſperandi argumentum, quod ex natura & carnis ratione capi poteſt: ſecundo loco fidem à Deo datam ſignificat, hoc ſenſu, Quum ſperandi materia non eſſet, tamen ſpe in Domini promiſſionem incubuit: atque ad ſperandum ſatis eſſe putavit, quod Dominus promiſerat, utcunque res eſſet per ſe incredibilis. *Secundum quod dictum erat.* Ita vertere placuit, ut referatur ad Abrahæ tempus. vult enim dicere Paulus Abrahamum, quum ad deſperationem plurimæ tentationes eum impellerent, ne deficeret, animum ad id quod ſibi promiſſum erat convertiſſe, Semen tuum æquabit ſtellas cæli, & arenas maris. Nam conſulto teſtimonium truncatum adduxit, quo nos acueret ad Scripturæ lectionem. Religioſe enim id ubique in citanda Scriptura curant Apoſtoli, ut nos ad diligentiorem ejus lectionem accendant.

19. Ac fide minime debilitatus, non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, centenarius quum fere eſſet: nec emortuam vulvam Saræ.

20. Nec vero in Dei promiſſionem per incredulitatem diſquiſivit: ſed roboratus eſt fide, tribuens gloriam Deo.

21. Ac certo perſuaſus, quod ubi quid promiſit, poſſit etiam præſtare.

22. Ideo & imputatum illi eſt in juſtitiam.

19. *Ac fide.*] Si mavis, altera negatione omiſſa, poteris ita efferre, Nec debilitatus fide conſideravit ſuum ipſius corpus. ſed hoc nihil ad ſenſum refert. Nunc vero propius demonſtrat quid potuerit impedire, imo prorſus avertere Abrahamum à promiſſione recipienda. Semen illi ex Sara promittebatur: quum nec ipſe ad generandum, nec Sara ad concipiendum natura habilis eſſet. Quicquid in ſeipſo ac circa ſe intueri poterat, promiſſionis affectui adverſabatur: Ergo ut locum divinæ veritati faceret, ab iis quæ in conſpectu erant, animum retraxit, & quaſi ſeipſum oblitus eſt. Neque tamen intelligas, omnino non reſpexiſſe illum ad effœtum ſuum corpus: quum Scriptura contra teſtetur, ita ratiocinatum ſecum fuiſſe, Num viro centum annorum naſcetur proles? & Sara quæ nonagenaria eſt, pariet? Sed quoniam omiſſa illa conſideratione, totum ſuum ſenſum Domino reſignavit: dicit Apoſtolus non conſideraſſe. Et ſane majoris conſtantiæ, ab ea re quæ ſe oculis ultro ingerebat, cogitationem diſtrahere, quam ſi nihil tale in mentem ei veniſſet. Effœtum porro fuiſſe Abrahæ corpus ætate ipſa ante Domini benedictionem, ſatis clare probatur tum hic, tum Geneſ. 17. & 18. ut Auguſtini opinio nullo modo ſit admittenda, qui alicubi putat in ſola Sara impedimentum fuiſſe. Nec movere nos debet objectionis abſurditas, quæ ipſum ad eam ſolutionem confugere coëgit. Ridiculum eſſe putat, ut effœtus dicatur Abraham anno centeſimo, qui aliquanto poſt tempore complures liberos ſuſtulerit. Eo enim ipſo magis ſpectabilem potentiam ſuam reddidit Deus, quod qui prius fuerat inſtar marcidi atque aridi trunci, ubi cæleſti benedictione revixit, non modo procreando Iſaac ſufficiat, ſed quaſi in floridam ætatem reſtitutus, aliis poſtea generandis vires habeat. Atqui excipiet quiſpiam, præter naturæ ordinem non eſſe ut vir ea ætate generet. Ut fatear prodigium non eſſe, parum tamen abeſt à miraculo. Deinde cogita quot laboribus, moleſtiis, peregrinationibus, difficultatibus exercitatus tota vita fuiſſet ſanctus ille vir: ac fatendum erit, non magis ætate fractum, quam laboribus attritum exhauſtumque fuiſſe. Poſtremo non ſimpliciter, ſed per comparationem effœtum vocatur ejus corpus. non enim conſentaneum erat, ut qui in flore ac robore ætatis non fuiſſet gignendo idoneus, caſſus virtute nunc demum inciperet. Quod ait, *non fuiſſe debilem fide*, ſic accipe, Non vacillaſſe, aut fluctuatum eſſe, ut ſolemus in rebus ambiguis. Duplex enim eſt fidei debilitas: una, quæ tentationibus adverſis ſuccumbendo, excidere nos à Dei virtute facit: altera, quæ ex imperfectione quidem naſcitur, non tamen fidem ipſam extinguit. Nam nec mens unquam ſic illuminata eſt, quin maneant multæ ignorantiæ reliquiæ: nunquam ſic eſt animus ſtabilitus, quin multum hæreat dubitationis. Cum iis ergo carnis vitiis, ignorantia ſcilicet & dubitatione, aſſiduum eſt fidelibus certamen: in quo certamine fides eorum graviter concutitur ſæpe & laborat, verum ſuperior tandem evadit: ut dici poſſint in ipſa infirmitate firmiſſimi.

20. *Nec vero in Dei promiſſionem.*] Quanquam veterem interpretem & Eraſmum non inſector, verſio tamen mea ratione non caret. Videtur enim Apoſtolus voluiſſe dicere, Abraham non examinaſſe ad incredulitatis trutinam, an præſtare poſſet Dominus quod promittebat. Id proprie eſt diſquirere in aliquid, quum diffidentia illud excutimus, nec volumus niſi penitus diſcuſſum, ubi credibile apparet, admittere. Rogavit quidem quomodo evenire id poſſet: at illa fuit admirantis interrogatio: qualis Virginis Mariæ, dum ab Angelo ſciſcitabatur quomodo futurum eſſet quod nunciabat: & ſimiles. Sancti ergo, dum nuncius illis de operibus Dei affertur, quorum magnitudo captum eorum excedit, in admirationem quidem proſiliunt, ſed ex admiratione mox tranſeunt ad virtutem Dei ſuſpiciendam: impii autem ſciſcitando irrident, & quaſi fabuloſum reſpuunt. Qualiter vides fieri à Judæis, dum rogant Chriſtum quomodo poſſit dare carnem ſuam manducandam. Hac ratione Abraham non reprehenditur quod riſerit, ac quæſierit quomodo viro centum annorum ac nonagenariæ mulieri naſceretur puer, quia in ſuo ſtupore locum nihilominus dabat divini verbi potentiæ. Contra, in Sara ſimilis riſus

& quæſtio reprehenſione non caret, quia vanitatis inſimulabat Dei promiſſum. Hæc ſi applicentur ad præſentem cauſam, patebit non aliam fuiſſe originem juſtificationis Abrahæ, quam Gentium. Sunt ergo contumelioſi in patrem ſuum Judæi, ſi Gentium vocationi, tanquam abſurdæ, reclamant. Nos quoque meminerimus, eandem eſſe noſtram omnium conditionem quæ fuit Abrahæ. Quæ circa nos ſunt, omnia Dei promiſſionibus adverſantur. Immortalitatem pollicetur: nos mortalitate & corruptione circumdamur. Pro Juſtis ſe nos habere pronunciat: peccatis ſumus cooperti. Propitium ſe ac benevolum nobis eſſe teſtatur: indicia externa iram ejus minantur. Quid ergo agendum? Nos ac noſtra omnia clauſis oculis præterire decet, ne quid nos impediat, vel remoretur, quominus Deum credamus veracem. *Sed roboratus eſt.* Opponitur ſuperiori membro, ubi dictum fuerat, non fuiſſe fide debili: perinde acſi diceret, conſtantia firmitudineque fidei viciſſe incredulitatem. Nemo enim ex hac lucta victor evadet, niſi qui arma & robur ex Dei verbo mutuabitur. Quod addit, *Dediſſe gloriam Deo*, in eo notandum eſt, non poſſe Deo plus honoris deferri, quam dum fide obſignamus ejus veritatem: ſicuti rurſum nulla ei gravior contumelia inuri poteſt, quam dum reſpuitur oblata ab ipſo gratia, vel ejus verbo derogatur auctoritas. Quare hoc in ejus cultu præcipuum eſt caput, promiſſiones ejus obedienter amplecti: veraque religio à fide incipit.

21. *Quod ubi quid.*] Quia fatentur omnes Dei potentiam, nihil eximium de fide Abrahæ videtur dicere Paulus: ſed experientia oſtendit nihil magis eſſe rarum vel difficile, quam Dei virtuti tribuere quem meretur honorem. Nullum enim tam exiguum vel leve obſtaculum eſt, quo non arceri ab opere manum Dei fingat caro. Hinc fit ut in minimis quibuſque tentationibus nobis effluant Dei promiſſiones. Extra certamen quidem nemo (ut dixi) Deum omnia poſſe negat: verum ſimulac objicitur aliquid quod curſum promiſſionum Dei impediat, Dei virtutem è ſuo gradu dejicimus. Quare ut apud nos jus ſuum & honorem obtineat, ubi ad comparationem venitur, ita ſtatuere neceſſe eſt: non minus ipſam ad ſuperanda mundi obſtacula ſufficere, quam validus eſt Solis fulgor ad diſcutiendas nebulas. Solemus quidem ſemper excuſare quod nihil Dei potentiæ derogemus, quoties hæſitamus de ejus promiſſis: quia ſcilicet hæſitandi cauſam minime præbeat imaginatio (quæ perverſa & in Deum palam blaſphema foret) liberalius verbo promittere, quam præſtare queat: ſed is quem ſentimus in nobis, defectus. atqui Dei potentiam non ſatis evehimus, niſi putamus noſtro vitio eſſe ſuperiorem. Fides ergo non imbecillitatem, miſeriam, defectum proprium ſpectare debet: ſed attendere toto ſtudio ad ſolam Dei virtutem. Nam ſi juſtitia vel dignitate noſtra niteretur, nunquam conſcenderet ad conſiderandam Dei potentiam. Atque hoc examen eſt incredulitatis, de quo nuper loquebatur: ubi Domini potentiam noſtro modo metimur. Neque enim imaginatur fides Deum poſſe quicquid vult, ut interim ipſum in otio ſedentem relinquat; ſed potius in continuo actu locat ejus virtutem. præſertim vero ad verbi effectum applicat, ut prompta ſit Dei manus ad exequendum quicquid ore protulit. Miror cur Eraſmo relativum maſculinum placuerit: nam etſi non variat propterea ſenſus, propius tamen ad Græca Pauli verba accedere libuit. Scio paſſivum eſſe verbum: ſed modica deflexione mollienda fuit aſperitas.

22. *Ideo & imputatum* &c.] Hinc jam clarius patet cur & quomodo Abrahæ juſtitiam contulerit ſua fides: nempe quia verbo Dei innixus, promiſſam gratiam non repudiavit. Ac ſedulo tenenda eſt, memoriæque commendanda iſta fidei ad verbum relatio. Nihil enim plus conferre fides nobis poteſt, quam à verbo acceperit. Quare non protinus juſtus erit qui generali tantum confuſaque notitia imbutus, Deum veracem eſſe ſtatuet, niſi in promiſſione gratiæ quieſcat.

23. Non eſt autem ſcriptum propter ipſum tantum, imputatum fuiſſe illi:

24. Sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum qui excitavit Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis.

25. Qui traditus fuit propter delicta noſtra, & excitatus propter noſtram juſtificationem.

23. *Non eſt autem ſcriptum.*] Quoniam probatio ab exemplo (ut ſupra admonuimus) non ſemper firma eſt: ne id in quæſtionem veniat, diſerte aſſerit Paulus in Abrahæ perſona editum fuiſſe ſpecimen communis juſtitiæ, quæ peræque ad omnes ſpectat. Locus quo admonemur de capiendo exemplorum fructu in Scripturis. Hiſtoriam eſſe vitæ magiſtram, vere dixerunt Ethnici: ſed qualiter ab ipſis traditur, nemo in ea tuto proficiat: ſola Scriptura ſibi jure vendicat ejuſmodi magiſterium. Primum enim generales præſcribit regulas, ad quas unamquamque hiſtoriam exigamus, quo profectui noſtro ſerviat. Deinde ad liquidum diſcernit quæ facta imitanda, & quæ cavenda. Doctrinam vero, in qua præcipue verſatur, ſibi peculiarem habet: ut providentiam Domini, erga ſuos juſtitiam ac bonitatem, erga reprobos judicia demonſtret. Quod ergo de Abraham recitatur, negat Paulus ejus cauſa duntaxat ſcriptum. Neque enim res eſt quæ pertineat ad ſingularem unius ac certæ perſonæ vocationem: ſed juſtitiæ obtinendæ ratio deſcribitur, quæ una perpetuaque inter omnes eſt; atque id in communi fidelium patre, in quem omnium oculos eſſe intentos decet. Proinde ſi pure ac pie ſacras hiſtorias tractare libet, meminerimus ſic tractandas eſſe, ut ſolidæ doctrinæ fructum inde referamus. Ac partim quidem illæ nos inſtituunt ad formandam vitam, partim ad fidem confirmandam, partim ad timorem Domini excitandum. Ad vitam formandam valebit ſanctorum imitatio, ſi ab illis ſobrietatem, caſtitatem, dilectionem, patientiam, modeſtiam, mundi contemptum, aliaſque virtutes diſcamus. Ad fidei confirmationem faciet Dei auxilium, quod illis præſens ſemper fuit. conſolationem adferet in rebus adverſis protectio, & paterna quam de ipſis ſemper geſſit, cura. Juvabunt nos Dei judicia, & ſupplicia in ſceleratos edita, ſi metum incutiant, qui reverentia & pietate corda noſtra imbuat. Quod autem ait, *Non propter illum ſolum*: eo videtur ſubindicare, partim quoque ſcriptum ejus gratia. Unde quidam intelligunt, in Abrahæ laudem commemorari quid fide adeptus ſit: quia Dominus ſervos ſuos æternæ memoriæ vult eſſe commendatos: ſicut dicit Solomon, nomen eorum fore *Prov. 10. verſ. 7.* benedictum. Sed quid ſi accipias ſimplicius non propter ipſum duntaxat, acſi privilegium aliquod ſingulare foret, quod in exemplum trahere non conveniat: imo ad noſtram inſtitutionem pertinere, quos eadem ratione juſtificari oporteat? Hic certe aptior erit ſenſus.

24. *Credentibus in eum.*] Quid valeant iſtæ paraphraſes, ſupra admonui: nempe eas inſeruit Paulus, ut pro locorum circumſtantia, fidei ſubſtantiam varie deſignent: cujus non ultima eſt pars Chriſti reſurrectio, quæ nobis eſt futuræ vitæ hypoſtaſis. Si dixiſſet ſimpliciter, credere nos in Deum, non ita promptum fuiſſet colligere quid hoc ad obtinendam

dam juſtitiam faceret: ſed dum prodit in medium Chriſtus, & in ſua reſurrectione certum vitæ pignus offert, aperte conſtat ex quo fonte fluat juſtitiæ imputatio.

25. *Qui traditus fuit.*] Pluribus eandem quam proxime attigi, doctrinam proſequitur & illuſtrat. Noſtra enim magnopere intereſt, non modo mentes noſtras ad Chriſtum dirigi, ſed diſtincte monſtrari quomodo ſalutem nobis acquiſierit. Quanquam autem Scriptura, ubi de ſalute noſtra agitur, in una Chriſti morte ſubſiſtit, longius tamen nunc progreditur Apoſtolus. Nam quia ejus conſilium erat, explicatius tradere ſalutis cauſam, duo ejus membra enumerat. Ac primo quidem dicit, morte Chriſti expiata eſſe peccata: deinde ejuſdem reſurrectione partam eſſe juſtitiam. Summa vero eſt, ubi fructum mortis Chriſti & reſurrectionis tenemus, nihil ad implendos omnes juſtitiæ numeros deeſſe. Neque enim dubium eſt quin mortem à reſurrectione ſeparans, ruditati noſtræ ſermonem accommodet: quia alioqui verum eſt, Chriſti obedientia, quam in morte exhibuit, partam fuiſſe nobis juſtitiam: ut etiam proximo capite docebit. Sed quia reſurgendo patefecit Chriſtus quantum morte ſua profeciſſet, hæc quoque diſtinctio ad docendum apta eſt, Sacrificio, quo expiata ſunt peccata, inchoatam fuiſſe ſalutem noſtram: reſurrectione vero demum fuiſſe perfectam. Nam juſtitiæ principium eſt, nos reconciliari Deo: complementum autem, abolita morte vitam dominari. Significat ergo Paulus, ſatisfactionem pro peccatis noſtris in cruce fuiſſe peractam. Nam ut Chriſtus nos in gratiam Patris reſtitueret, reatum noſtrum ab ipſo aboleri oportuit: quod fieri non poterat niſi pœnam, cui ſolvendæ pares non eramus, noſtro nomine lueret. Caſtigatio enim pacis noſtræ ſuper eum, inquit Jeſaias. Traditum vero *Jeſa. 53.*
dicit potius, quam mortuum: quia expiatio ab æter- *verſ. 5.*
no Dei beneplacito pendet, qui hoc modo placari voluit. *Excitatus propter juſtificationem.* Quia non ſatis fuiſſet Chriſtum ſe iræ & judicio Dei objicere, ac debitam peccatis noſtris maledictionem ſubire, niſi ejus quoque evaderet victor, & receptus in cæleſtem gloriam, ſua interceſſione Deum nobis placaret: reſurrectioni, per quam mors abſorpta eſt, vis juſtificandi adſcribitur. non quod ſacrificium crucis, quo reconciliati ſumus Deo, nihil ad juſtitiam contulerit: ſed quia in nova vita hujus gratiæ perfectio clarius apparet. Cæterum non poſſum iis aſſentiri, qui ſecundum hoc membrum ad vitæ novitatem referunt: nam de ea nondum cœpit agere Apoſtolus. deinde certum eſt eodem pertinere utrumque membrum. Proinde ſi juſtificatio renovationem ſignificet: propter peccata fuiſſe mortuum, eo ſenſu dictum eſſet, ut nobis mortificandæ carnis gratiam acquireret. quod nemo concedet. Ergo quemadmodum mortuum dixit propter peccata, quia ſoluta in morte peccatorum pœna, nos à mortis calamitate liberavit: ita nunc dicitur ſuſcitatus ad noſtram juſtificationem, quoniam ſua reſurrectione vitam ſolide nobis inſtauravit. Primum enim manu Dei percuſſus eſt, ut in perſona peccatoris peccati miſeria defungeretur: deinde in vitæ regnum exaltatus eſt, ut juſtitia ac vita ſuos donaret. De juſtificatione ergo imputativa adhuc loquitur: atque hoc ipſum confirmabit quod ſtatim ſequetur proximo capite.

CAP. V.

JUſtificati ergo ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:

2. Per quem acceſſum habuimus fide in gratiam iſtam in qua ſtetimus, & gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei.

1. *Juſtificati ergo.*] Incipit Apoſtolus ab effectis illuſtrare id quod de fidei juſtitia hactenus aſſeruit. Itaque totum hoc caput in amplificationibus poſitum eſt: quæ tamen non minorem vim explicandi, quam confirmandi habeant. Dixerat enim prius, fidem aboleri ſi ex operibus quæritur juſtitia: quia perpetua inquietudo miſeras animas turbabit, quæ nihil ſolidum in ſe reperient. Nunc ex oppoſito docet, quietas & tranquillas reddi, ubi fide juſtitiam adepti ſumus. *Pacem habemus.* Singularis juſtitiæ fidei fructus. Nam ſi quis ab operibus conſcientiæ ſecuritatem petere velit, (quod in profanis & brutis hominibus cernitur) fruſtra id tentabit. Aut enim contemptu vel oblivione divini judicii ſopitum eſt pectus, aut trepidatione ac formidine quoque plenum eſt, donec in Chriſtum recubuerit. ipſe enim ſolus eſt pax noſtra. Pax ergo, conſcientiæ ſerenitatem ſignificat, quæ ex eo naſcitur quod Deum ſibi reconciliatum ſentit. Eam nec Phariſæus habet, qui falſa operum fiducia turget, nec ſtupidus peccator, qui vitiorum dulcedine ebrius, non inquietatur. Quanquam enim neuter apertum bellum videtur habere, quemadmodum is qui peccati ſenſu feritur: quia tamen non vere accedunt ad judicium Dei, nequaquam concordiam cum illo habent. ſtupor enim conſcientiæ, quidam eſt veluti à Deo receſſus. Ideo pax erga Deum ebriæ carnis ſecuritati opponitur: quia hoc primum eſt, ut quiſque ſe ad reddendam vitæ rationem expergefaciat. Nemo autem ſe coram Deo intrepide ſiſtet, niſi gratuita reconciliatione fretus: quia quamdiu eſt Deus, terreri omnes & turbari oportet. Quod validiſſimo argumento eſt, adverſarios noſtros nihil aliud quam ſub umbra garrire, quum operibus arrogant juſtitiam. Nam concluſio hæc Pauli, ex principio illo pendet, ſemper titubare miſeras animas, niſi in Chriſti gratia quieſcant.

2. *Per quem habuimus acceſſum.*] Nam reconciliatio noſtra cum Deo, Chriſto fulta eſt. ipſe enim ſolus eſt dilectus Filius, nos vero omnes natura filii iræ. Sed gratia hæc nobis per Euangelium communicatur: quia eſt miniſterium reconciliationis, cujus beneficio quodammodo inducimur in regnum Dei. Merito itaque in Chriſto certum gratiæ Dei pignus nobis ante oculos Paulus ſtatuit, quo nos ab operum fiducia melius abſtrahat. Et Acceſſus quidem nomine, initium ſalutis à Chriſto eſſe docens, præparationes excludit, quibus ſtulti homines Dei miſericordiam ſe antevertere putant: acſi diceret, Chriſtum nihil promeritis obviam venire, manumque porrigere. Poſtea ſubjicit continuo, ejuſdem gratiæ tenore fieri, ut firma ſtabiliſque ſalus nobis maneat: quo ſignificat, perſeverantiam non in virtute induſtriave noſtra, ſed in Chriſto fundatam eſſe. Quanquam ſimul, quum dicit nos ſtetiſſe, indicat quam altas agere radices debeat in piorum cordibus Euangelium: ut ipſius veritate firmati, adverſus omnes diaboli & carnis machinas ſtabiles conſiſtant. Et hoc verbo fidem non fluxam eſſe aut unius diei perſuaſionem ſignificat: ſed fixam & alte animis inſidentem, ut tota vita perſeveret. Non igitur qui ſubito impetu ad credendum impellitur, fidem habet, ut inter fideles numeretur: ſed qui conſtanter & fixo (ut ita loquar) pede reſidet in ſtatione divinitus ſibi ordinata, ut ſemper Chriſto adhæreat. *Et gloriamur ſuper ſpe.* Hinc nimirum ſpes futuræ

Digitized by Google

vitæ & emergit & exultare audet, quod velut jactis fundamentis in Dei gratia conſtitimus. Seoſus enim Pauli eſt, quamvis nunc in terra peregrinentur fideles, fiducia tamen ſua cælos tranſcendere, ut futuram hæreditatem tranquilli in ſinu foveant. Atque hic evertuntur peſtilentiſſima duo Sophiſtarum dogmata. Alterum quo jubent Chriſtianos eſſe contentos conjectura morali in percipienda erga ſe Dei gratia. Alterum quo tradunt omnes eſſe incertos finalis perſeverantiæ. Atqui niſi & certa io præſens intelligentia, & in futurum conſtans ac minime dubia ſit perſuaſio, quis gloriari auderet? Spes gloriæ Dei nobis per Euangelium affulſit, quod teſtatur nos fore conſortes divinæ naturæ. Quum enim videbimus Deum facie ad faciem, ſimiles ei erimus. 2 Pet. 1. v. 4. & 1 Joan. 3. v. 2.

3. Neque id modo, ſed gloriamur etiam in afflictionibus: ſcientes quod tribulatio patientiam efficiat:

4. Patientia vero probationem, probatio autem ſpem.

5. Porro ſpes non pudefacit: quoniam dilectio Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

3. *Neque id modo.*] Ne quis objiceret per ludibrium, Chriſtianos tamen cum ſua gloria hic miris modis vexari & conteri, quæ conditio longe abeſt à felicitate: objectionem illam prævenit: ac pronunciat, noo tantum nihil impediri pios calamitatibus quominus beati ſint, ſed eorum quoque gloriam inde promoveri. Ad id probandum ratiocinatur ab effectu: & utitur quidem eleganti gradatione, qua tandem concludit, in ſalutem ac bonum noſtrum vergere, quaſcunque patimur ærumnas. Quod autem dicit ſanctos in tribulationibus gloriari, non ita eſt intelligendum acſi res adverſas non extimeſcerent & refugerent, vel nulla earum acerbitate premerentur, ubi incidunt: (nam nec patientia inde naſceretur, niſi eſſet amaritudinis ſenſus) ſed quia dolendo ac gemendo, ingenti tamen conſolatione non carent, quod ſibi indulgentiſſimi Patris manu in ſuum bonum, quicquid ferunt, diſpenſari reputant, merito dicuntur gloriari. Ubicunque enim profectus eſt ſalutis, illic non deeſt gloriandi materia. Hinc ergo docemur quis ſit tribulationum noſtrarum finis: ſi quidem filios Dei præſtare libet. Debeot enim ad patieotiam nos aſſuefacere: ac niſi faciant, opus Domini vanum & irritum noſtra pravitate redditur. Unde enim probat, non obſtare piorum gloriæ res adverſas, niſi quia patienter eas ferendo, Dei auxilium ſentiunt, quod eorum ſpem alit & confirmat? Ergo qui patientiam non diſcunt, male proficere certum eſt. Nec obſtat quod in Scripturis extant quædam ſanctorum querelæ deſperationis plenæ. Nam ad tempus interdum ita ſuos urget Dominus ac conſtringit, ut vix reſpirare illis liceat, ac coolſolationis reminiſci: ſed momento reducit in vitam, quos in mortis caligine prope demerſerat. *2 Cor. 4. verſ. 8.* Ita ſemper in illis adimpletur quod ait Paulus, In omnibus premimur, at non anxii reddimur; laboramus, at non deſtruimur; perſequutionem patimur, at non deſerimur: dejicimur, at non perimus. *Tribulatio patientiam.* Id non ex natura tribulationis, qua videmus bonam hominum partem ad obſtrependum Deo, atque etiam ad maledicendum inſtigari. Verum ubi in contumaciæ locum ſucceſſit interior manſuetudo quæ per Spiritum Dei infunditur, & quæ per eundem ſuggeritur conſolatio: generandæ patientiæ inſtrumenta fiunt tribulationes, quæ in obſtinatis nihil quam indignationem & fremitum excitare queunt.

4. *Patientia probationem.*] Jacobus in ſimili gradatione diverſum videtur ſequi ordinem: quia dicit ex probatione eſſe patientiam. ſed diverſa verbi acceptio intellecta, utrumque conciliabit. Paulus enim probationem accipit pro experientia, quam de certa Dei protectione ſumunt fideles, ubi ejus auxilio freti, omnes difficultates ſuperant: nempe dum patienter ferendo, conſiſtunt ſtabiles, experiuntur quantum valeat Domini virtus, quam pollicitus eſt ſuis ſemper adfuturam. Jacobus eandem vocem uſurpat pro ipſa tribulatione, juxta communem Scripturæ uſum: quia per eas ſervos ſuos probat & examinat Deus. unde & tentationes ſæpe dicuntur. Quantum igitur ad præſentem locum; tunc proficimus ut decet in tolerantia, quum reputamus eam nobis ſtetiſſe Dei potentia, atque ita in futurum ſpem capimus, nunquam Dei gratiam nobis defuturam, quæ ſemper nobis in neceſſitate ſuccurrerit. Quare ſubjicit, ex probatione ſpem oriri: quia ingrati ſumus acceptis jam beneficiis, niſi eorum recordatione ſpem in poſterum confirmamus.

5. *Spes non pudefacit.*] Hoc eſt, habet certiſſimum ſalutis exitum. Unde conſtat, nos rebus adverſis in hunc finem exerceri à Domino, ut his gradibus ſalus noſtra provehatur. Non poſſunt ergo miſeriæ nos reddere miſeros, quæ pro ſuo modo beatitudinis ſunt adminicula. Sic probatum eſt quod dixerat eſſe piis inter medias afflictiones gloriandi materiam. *Quoniam dilectio Dei.* Non refero ad proximum verbum duntaxat, ſed ad totam præcedentem ſententiam: ideo, inquam, tribulationibus ad patientiam nos acui, & patientiam divini auxilii eſſe nobis experimentum, quo ad ſpem magis animemur: quia utcunque premamur, ac jamjam conterendi videamur, non tamen deſinimus divinam erga nos benevolentiam ſentire. quæ uberrima eſt conſolatio, ac multo amplior quam ſi omnia proſpere cederent. Siquidem ut adverſo infenſoque Deo miſera eſt ipſa, quæ videtur in ſpeciem felicitas: ita eodem propitio certum eſt vel calamitates ipſas in proſperum lætumque ſucceſſum exituras. Quandoquidem omnia oportet ſervire arbitrio Creatoris: qui pro ſuo erga nos paterno favore (ut iterum repetet Paulus cap. 8.) omnia crucis exercitia in ſalutem noſtram temperat. Hæc divinæ erga nos dilectionis notitia cordibus noſtris inſtillata eſt per Spiritum Dei. Nam & ab auribus, & oculis, & mentibus hominum abſcondita ſunt quæ præparavit Deus bona cultoribus ſuis: ſolus eſt Spiritus qui poteſt ea patefacere. Et multam habet emphaſim participium Diffuſa: ſignificat enim adeo uberem eſſe divini in nos amoris revelationem, ut corda noſtra impleat. Sic autem per omnes partes effuſa, non modo triſtitiam in rebus adverſis mitigat; ſed quaſi ſuave condimentum, amabiles reddit tribulationes. Datum præterea hunc Spiritum dicit, gratuita ſcilicet Dei bonitate erogatum, non autem redditum noſtris meritis. Quemadmodum probe Auguſtinus adnotavit: qui tamen in expoſitione dilectionis Dei hallucinatur. exponit, nos conſtanter adverſa tolerare, & hac ratione in ſpem confirmari, quia Spiritu regenerati, Deum diligamus. Pia quidem ſententia, ſed nihil ad Pauli mentem. Dilectio enim hic non active, ſed paſſive capitur. & certum eſt, non aliud doceri à Paulo, quam hunc verum eſſe omnis dilectionis fontem, quod perſuaſi ſunt fideles à Deo ſe amari: nec leviter duntaxat hac perſuaſione tincti ſunt, ſed animos prorſus delibutos habent.

6. Chri-

6. Chriſtus enim, quum adhuc eſſemus infirmi ſecundum rationem temporis, pro impiis mortuus eſt.

7. Vix ſane pro juſto quis moriatur: nam pro bono forſan aliquis etiam mori audeat.

8. Confirmat autem erga nos charitatem ſuam Deus, quod peccatores quum adhuc eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.

9. Multo igitur magis juſtificati nunc per ſanguinem ejus, ſervabimur per ipſum ab ira.

6. *Chriſtus enim, quum adhuc.*] In verſione non auſus ſum mihi tantum permittere, ut transferrem, Secundum tempus quo infirmi eramus: qui ſenſus tamen magis placebat. Argumentum autem à majori ad minus hic orditur, quod multis verbis poſtea proſequetur. quanquam orationis filum non adeo diſtinctum contexit. ſed nihil ſenſum conturbabit inordinata orationis ſtructura. Si Chriſtus, inquit, impiorum miſertus eſt, ſi Patri inimicos reconciliavit, ſi hoc effecit mortis ſuæ virtute: multo nunc facilius juſtificatos ſervabit: in gratiam reſtitutos, in eadem retinebit: præſertim quum ad mortem nunc vitæ ejus efficacia accedat. Tempus infirmitatis quidam intelligunt, quo cœpit Chriſtus primum manifeſtari mundo: & infirmos putant vocari homines, qui ſub Legis pædagogia ſimiles eſſent pueris. Ego ad unumquemque noſtrum refero: & tempus notari dico, quod reconciliationem cujuſque cum Deo præcedit. Siquidem ut omnes naſcimur filii iræ, ita in ea maledictione detinemur, donec fiamus Chriſti participes. Et infirmos appellat, qui nihil in ſe niſi vitioſum habent. nam eoſdem continuo poſt impios appellat. Neque vero novum eſt, vocem Infirmitatis hoc ſenſu accipi. Sic pudenda corporis membra, infirma vocat, 1 Corinth. 12. v. 22. & præſentiam corporis infirmam, quæ nihil dignitatis habet, 2 Corinth. 10. v. 10. Atque hæc ſignificatio paulo poſt ſæpius occurret. Quum ergo infirmi eſſemus, id eſt, nequaquam digni vel idonei quos reſpiceret Deus, eo tempore Chriſtus mortuus eſt pro impiis: quia initium pietatis eſt fides, à qua alieni erant omnes pro quibus eſt mortuus. quod etiam competit in vetuſtos Patres, qui juſtitiam ante ejus mortem erant conſequuti. Nam id beneficium à futura ejus morte habebant.

7. *Pro juſto.*] Particulam γὰρ, affirmative, ſeu declarative potius, quam cauſaliter exponere ratio me coëgit. ſententia hoc valet, Rariſſimum ſane inter homines exemplum extat, ut pro juſto mori quis ſuſtineat: quanquam illud nonnunquam accidere poſſit. Verum ut id demus, pro impio tamen mori qui velit, nemo hominum reperietur. Id Chriſtus fecit. Ita eſt amplificatio à comparatione: quia tale beneficentiæ exemplum, quale erga nos Chriſtus edidit, inter homines non extet.

8. *Confirmat autem.*] Quum verbum *συνίστησι* dubiæ ſit ſignificationis, aptius eſt præſenti loco pro Confirmare accipi. Non enim hoc propoſitum eſt Apoſtolo, nos ad gratiarum actionem incitare, ſed fiduciam & ſecuritatem animarum ſtabilire. Confirmat ergo, id eſt, certiſſimam ac ſolidiſſimam erga nos charitatem ſuam declarat, quod impiorum cauſa Chriſto filio non pepercit. In hoc enim apparet ejus dilectio, quod amore non provocatus, ſponte nos prior dilexit, ut ait Joannes. Peccatores hic vocan- *Joan. 3.* tur (ut pluribus aliis locis) qui toti vitioſi ſunt, ac *verſ. 16.* peccato addicti. ut Joan. 9. v. 31. Peccatores non exaudit Deus: hoc eſt, nequam ac ſceleratos homines. Mulier peccatrix, hoc eſt, probroſæ vitæ. Id- *Luc. 7:37.* que melius patet ex antitheto, quod mox ſequitur, *Juſtificati per ejus ſanguinem.* Nam quum hæc duo inter ſe opponat, & juſtificatos dicat qui liberati ſunt à peccati reatu: conſequens eſt, peccatores eſſe eos, qui propter ſua maleficia damnati ſunt. Summa eſt, Si peccatoribus juſtitiam acquiſivit Chriſtus morte ſua, nunc juſtificatos multo magis proteget ab interitu. Atque hoc poſtremo membro comparationem minoris & majoris ad ſuam doctrinam applicat. Neque enim ſatis eſſet partam nobis ſemel ſalutem eſſe, niſi Chriſtus eandem ad extremum incolumem & firmam aſſereret. Id vero nunc contendit Apoſtolus, minime timendum eſſe ne Chriſtus in medio ſtadio gratiæ ſuæ curſum abrumpat. nam ex quo Patri nos reconciliavit, talis eſt noſtra conditio, ut ſuam erga nos gratiam efficacius exerere, & in dies augere velit.

10. Si enim, quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, ſervabimur per vitam ipſius.

10. *Si enim.*] Expoſitio eſt ſuperioris ſententiæ cum amplificatione, ſumpta ex comparatione vitæ & mortis. Inimici, inquit, eramus, quum ad propitiandum Patrem ſe medium Chriſtus oppoſuit. Nunc ſumus amici per ejus reconciliationem: ſi morte id effici potuit, vita multo erit potentior & efficacior. habemus ergo ampla documenta, quæ ſalutis fiduciam animis noſtris confirment. Reconciliatos fuiſſe nos Deo per Chriſti mortem intelligit, quia ſacrificium fuit expiationis, quo placatus eſt Deus mundo: quemadmodum capite quarto docui. Sed videtur hic ſecum pugnare Apoſtolus. nam ſi mors Chriſti, divini erga nos amoris pignus fuit: ſequitur nos jam tunc fuiſſe illi gratos. Atqui nunc dicit inimicos fuiſſe. Reſpondeo, quia Deus peccatum odio habet, nos quoque illi eſſe exoſos quatenus peccatores ſumus: quatenus autem arcano ſuo conſilio nos in Chriſti corpus cooptat, odiſſe nos deſinit. ſed reditio in gratiam nobis ignota eſt, donec fide in eam pervenimus. Itaque reſpectu noſtri, ſemper ſumus hoſtes, donec Chriſti mors ad propitiandum Deum intercedat. Atque hoc duplicis reſpectus diſcrimen notandum eſt. Neque enim aliter gratuitam Dei miſericordiam agnoſcimus, quam ſi conſtet Filio unigenito non pepercisse, quia nos amabat quo tempore inter ipſum & nos diſſidium erat: rurſus beneficium Chriſti morte nobis præſtitum non ſatis ſentimus, niſi hoc nobis initium eſt noſtræ cum Deo reconciliationis, ut perſuaſi ſimus, expiatione peracta, nunc eſſe nobis propitium, qui prius jure infenſus erat. Ita quum receptio in gratiam morti Chriſti adſcribitur, ſenſus eſt, tunc ſublatum eſſe reatum, cui alioqui obnoxii eſſemus.

11. Non ſolum autem: ſed etiam gloriamur in Deo per Dominum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

11. *Non ſolum autem.*] Nunc ad ſummum gradum gloriandi conſcendit. Nam dum gloriamur Deum eſſe noſtrum, quicquid fingi vel optari poteſt bonorum, conſequitur, & ex hoc fonte manat. Non enim ſupremum tantum bonorum omnium eſt Deus, ſed ſummam quoque ac ſingulas partes

in ſe

in ſe continet: factus eſt autem noſter per Chriſtum. Ergo huc fidei beneficio pervenimus, ut nobis ad felicitatem nihil deſit. Nec fruſtra toties reconciliationem inculcat: primum ut diſcamus in Chriſti mortem oculos defigere quoties de ſalute noſtra agitur: deinde ut ſciamus non alibi collocandam eſſe fiduciam, quam in peccatorum expiatione.

12. Quamobrem ſicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, & per peccatum mors: atque ita in homines mors pervagata eſt: quandoquidem omnes peccaverunt

13. (Nam uſque ad Legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputatur, quum non eſt Lex.)

14. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moſen, etiam in eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem prævaricationis Adam, qui eſt figura futuri.

12. *Quamobrem ſicut.*] Nunc eandem doctrinam exaggerare incipit ex comparatione contrariorum. Nam ſi Chriſtus ideo venit ut nos redimeret à calamitate in quam inciderat Adam, ac ſuos omnes ſecum præcipitaverat: non poſſumus clarius perſpicere quid habeamus in Chriſto, quam ubi nobis demonſtratum fuerit quid in Adam perdiderimus. etſi non omnia ſint utrimque ſimilia. Ideo & correctionem Paulus ſubjicit, quæ ſuo loco videbitur: & nos præterea, ſi quid erit diverſitatis, obſervabimus. Nonnihil obſcuram reddit orationem anacoluthos, quia non exprimitur in comparatione ſecundum membrum, quod priori reſpondeat. Sed nos utrumque complanare ſtudebimus, ubi ad eum locum ventum fuerit. *Peccatum in mundum introiit, & per &c.* Obſerva quem hic ponat ordinem. peccatum enim præceſſiſſe dicit: ex eo ſequutam eſſe mortem. Sunt enim qui contendunt, nos ita peccato Adæ eſſe perditos, acſi nulla noſtra culpa periremus, ideo tantum quaſi ille nobis peccaſſet. Atqui diſerte affirmat Paulus, in omnes propagatum eſſe peccatum qui ejus pœnam luunt. Atque id deinde propius urget, quum rationem aſſignat paulo poſt, cur omnis Adæ poſteritas ſubjaceat mortis imperio. Nempe, inquit, quoniam omnes peccavimus. Porro iſtud Peccare, eſt corruptos eſſe & vitiatos. Illa enim naturalis pravitas quam è matris utero afferimus, tametſi non ita cito fructus ſuos edit, peccatum tamen eſt coram Domino, & ejus ultionem meretur. Atque hoc eſt peccatum quod vocant originale. Nam ut Adam prima ſua creatione, tam ſibi quam poſteritati divinæ gratiæ dotes acceperat: ſic à Domino excidens, naturam noſtram in ſeipſo corrupit, vitiavit, depravavit, perdidit. abdicatus enim à Dei ſimilitudine, ſemen niſi ſui ſimile gignere non potuit. Peccavimus igitur omnes, quia naturali corruptione omnes imbuti ſumus: ideoque iniqui ac perverſi. Frivolum enim commentum fuit, quo olim Pelagiani verba Pauli eludere conati ſunt, peccatum imitatione diffuſum eſſe ab Adam in totum humanum genus: quia hoc modo Chriſtus exemplar tantum eſſet juſtitiæ, non cauſa. deinde hic non agi de actuali peccato, colligere promptum eſt: quia ſi reatum quiſque ſibi accerſeret, quorſum conferret Paulus Adam cum Chriſto? Sequitur ergo pravitatem nobis ingenitam, & hæreditariam notari.

13. *Uſque ad Legem.*] Hæc parentheſis anticipationem continet. Quoniam enim non videtur eſſe abſque Lege transgreſſio, dubitari poterat anne ante Legem eſſet peccatum. Poſt Legem fuiſſe, minime dubium erat: tantum hærebat quæſtio in tempore Legem præcedente. Reſpondet igitur, quamvis Deus nondum Lege ſcripta ſententiam tuliſſet, maledictum tamen fuiſſe humanum genus, & quidem ab utero: itaque multo minus abſolvi peccati damnatione eos qui ante Legis promulgationem ſcelerate ac flagitioſe vixerunt. Semper enim fuit Deus cui cultus deberetur, ſemper fuit aliqua juſtitiæ regula. Hæc interpretatio plana eſt adeo ac dilucida, ut contrarias ſatis per ſe refellat. *Peccatum autem non imputatur.* Sine Legis objurgatione, malis noſtris quodammodo indormimus. Et quanquam nos male agere non neſciamus, obruimus tamen, quantum in nobis eſt, ingerentem ſe mali notitiam: ſaltem ſubita oblivione delemus. Dum Lex arguit & objurgat, quaſi vellicando nos expergefacit, ut ſubinde redeamus ad cogitandum Dei judicium. Significat ergo Apoſtolus, qua ſunt homines perverſitate, quum Lege non excitarentur, boni & mali diſcrimine magna ex parte ablegato, ſecure & ſuaviter ſibi indulſiſſe, quaſi nullum eſſet Dei judicium. Alioqui imputata fuiſſe hominibus à Deo flagitia, teſtimonio ſunt ſupplicium Cain, diluvium quo totus orbis abſorptus eſt, Sodomæ clades, & pœnæ ob Abrahamum Pharaoni & Abimelech irrogatæ: poſtremo plagæ Ægyptiis inflictæ. Homines quoque ſibi viciſſim imputaſſe, palam eſt ex tot querimoniis & expoſtulationibus, quibus alii alios iniquitatis inſimulant: rurſum ex apologiis quibus ſtudioſe purgant ſua facta. Unumquemque demum ſibi & mali & boni fuiſſe conſcium, crebra ſunt exempla quæ arguant. ſed ut plurimum ad ſua maleficia connivebant, ut ſibi nihil imputarent in peccatum, niſi coacti. Ideo quum ſine Lege imputari peccatum negat, comparative loquitur: quia ſcilicet ubi nullis Legis ſtimulis punguntur, in ſocordiam ſe demergunt. Hanc porro ſententiam prudenter inſeruit Paulus, ut inde melius diſcerent Judæi quam gravem culpam ipſi ſuſtinerent, quos Lex aperte damnabat. Nam ſi à pœna non fuerunt immunes quos Deus nunquam ad ſuum tribunal reos citavit, quid Judæis fiet quibus Lex ſuum reatum præconis inſtar edicit: imo judicium denunciat? Altera etiam poteſt adduci ratio, cur diſerte dicat peccatum regnaſſe ante Legem, non tamen fuiſſe imputatum: nempe ut ſciamus cauſam mortis à Lege non prodire, ſed tantum monſtrari. Pronunciat igitur ſtatim à lapſu Adæ omnes miſere fuiſſe perditos, quamvis Lege demum patefactus fuerit interitus. Particulam adverſativam *δὲ*, ſi transferas Quanquam, melius fluet contextus: quia ſenſus erit, Licet ſibi indulgeant homines, non tamen effugere Dei judicium poſſe, etiam dum Lex eos non arguit.

14. *Regnavit mors ab Adam.*] Clarius explicat nihil hominibus profuiſſe quod ab Adam uſque ad Legis promulgationem licenter & ſecure laſcivierint, delectu boni & mali valere juſſo: adeoque ſine Legis admonitione ſepulta fuerit peccati recordatio: quia peccatum nihilominus vigebat in condemnationem. Quare tunc quoque mors regnavit: quia judicium Dei opprimere non potuit hominum cæcitas ac durities.

Etiam in eos qui non.] Quanquam hic locus de parvulis vulgo intelligitur, qui nullius peccati actualis rei, originali vitio pereunt: malo tamen communiter interpretari de iis qui ſine Lege peccaverunt. Contexenda enim hæc ſententia eſt cum præcedentibus verbis, ubi dictum fuit, eos qui Lege carebant, non ſibi imputaſſe peccatum. Illi ergo ad ſimilitudinem transgreſſionis Adæ non peccabant:

quia

Digitized by Google

quia non habebaot, ut ille, revelatam certo oraculo Dei voluntatem. Adamo enim vetuerat Domious fructum ſcientiæ boni & mali attingere: iſtis mandatum oullum præterquam conſcientiæ teſtimonium dederat. Voluit ergo Apoſtolus tacite innuere, hac diverſitate ioter Adamum & poſteritatem non fieri ut damnatione eximantur. Interim quoque ſub univerſali catalogo comprehendeotur iofantes. *Qui eſt figura futuri.* Hæc particula poſita eſt vice alterius membri. Videmus etenim duntaxat alteram comparationis partem expreſſam, altera per anacoluthon prætermiſſa. perinde ergo accipias acſi ſcriptum eſſet, Sicut per unum hominem iotravit peccatum in univerſum mundum, & per peccatum mori: ita per uoum hominem rediit juſtitia, & per juſtitiam vita. Quod autem dicit, Adam typum gerere Chriſti, noo mirum eſt: nam etiam in rebus maxime contrariis apparet ſemper aliqua ſimilitudo. Quoniam igitur ut Adæ peccato perditi ſumus omnes, ita Chriſti juſtitia reparamur: Adamum non male vocavit Chriſti typum. Obſerva autem non vocari Adamum peccati figuram, Chriſtum juſtitiæ, acſi tantum exemplo ſuo nobis præirent: ſed alterum cum altero conferri: ne cum Origene perperam hallucineris, & quidem pernicioſo errore. Nam & philoſophice profaneque diſputat de humani generis corruptelis, & gratiam Chriſti non modo enervat, ſed totam fere delet. Quo minus excuſabilis eſt Eraſmus, qui in excuſando tam craſſo delitio nimium laborat.

15. Sed non ſicut delictum, ita & donum. Nam ſi unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum Dei in gratia, quæ fuit unius hominis Chriſti, in multos abundavit.

15. *Sed non ſicut delictum.*] Jam ſequontur epanorthoſeis, id eſt, correctiones nuper allatæ comparationis: in quibus tamen non ita anxie diſcutit Apoſtolus quicquid eſt inter Chriſtum & Adam diſſimile: ſed occurrit erroribus, in quos proclivis alioqui lapſus fuiſſet. Nos vero quod deerit explicationi, attexemus. Quum autem multoties diſcriminis mentiooem repetat, nulla tamen eſt repetio io qua non ſit *ἀνανταπόδοτον*, val ſaltem ellipſis aliqua: quæ ſuot quidem orationis vitia, ſed quibus nihil majeſtati decedit cæleſtis ſapientiæ quæ oobis per Apoſtolum traditut. Quin potius ſingulari Dei providentia factum eſt ut ſub contemptibili verborum humilitate, altiſſima hæc myſteria nobis traderentur: ut non humanæ eloquentiæ potentia, ſed ſola Spiritus efficacia niteretur oostra fides. Nondum autem hic oominatim illam correctionis rationem exponit: ſed ſimpliciter majorem gratiæ pet Chriſtum acquiſitæ amplitudinem eſſe docet, quam contractæ per primum hominem damnationis. Quod Apoſtolum hic oonnulli argumentari putant, haud ſcio an ſatis firmum apud omnes futurum ſit. Non inepte quidem inferri poſſet, Si tantum valuit in multorum perniciem Adæ lapſus, multo magis io multorum bonum efficacem eſſe Dei gratiam: quando in confeſſo eſt, Chriſtum ad ſervandum longe eſſe potentiorem, quam Adamum ad perdendum. Sed quia refelli nequeant, ſiqui accipere citra illationem veliot: utramlibet ſententiam per me liberum ſit eligere. Tametſi quod proxime ſequitur, non poteſt cenſeri illatio: & tamen ejuſdem eſt rationis. Unde probabile eſt Paulum ſimpliciter corrigere, vel exceptione moderari quod de ſimilitudine Chriſti & Adæ dixerat. Nota autem, non hic plures conferri cum multis: (neque enim de hominum multitudine agitur) ſed quum multos perdiderit Adæ peccatum, non minus habituram eſſe momenti Chriſti juſtitiam ratiocinatur ad multos ſervandos. Quod *unius delicto periiſſe* nos tradit, ſic accipe: quia ex ipſo in oos corruptio transfuſa ſit. Neque enim ſic perimus ejus culpa, quaſi extra culpam ipſi ſimus: ſed quia ejus peccatum, peccati noſtri cauſa, exitium noſtrum illi Paulus adſcribit. Peccatum noſtrum voco, quod nobis iogenitum eſt, & cum quo naſcimur. *Gratia Dei, & donum Dei in gratia.* Gratia proprie delicto oppooitur: donum quod ex gratia procedit, morti. Itaque gratia meram Dei bonitatem ſignificat, vel gratuitum amorem, cujus ſpecimen exhibuit in Chriſto, ut oostræ miſeriæ ſuccurreret. Donum autem eſt fructus miſericordiæ qui ad nos pervenit: nempe reconciliatio qua vitam ſumus adepti & ſalutem, juſtitia, vitæ novitas, & quicquid ſimile eſt. Unde perſpicimus quam inſcite gratiam definiant Scholaſtici, dum oihil aliud eſſe volunt quam qualitatem hominum cordibus infuſam. gratia enim proprie in Deo eſt, effectus gratiæ in nobis. Ipſam autem dicit fuiſſe *unius hominis Chriſti*, quia Pater eum conſtituit fontem, ex cujus plenitudine omnes hauriant. Atque ita docet, ne guttam quidem vitæ extra Chriſtum poſſe reperiri: nec aliud eſſe inopiæ noſtræ & defectus remedium, quam ſi ipſe ex ſua abundantia in nos transfundat.

16. Et non ſicut per unum qui peccaverat, ita donum. judicium enim ex uno in condemnationem: donum autem ex multis delictis in juſtificationem.

16. Hæc ſpecialis correctionis ratio, quod ex delicto uno valuit reatus in noſtram omnium damnationem: ſed gratia, ſive potius gratuitum donum, efficax eſt in juſtificationem ex multis delictis. Eſt enim proximæ ſenteotiæ declaratio: quia nondum expreſſerat, quomodo, aut qua in parte Adamum ſuperet Chriſtus. Hoc diſcrimine conſtituto, conſtat impie ſenſiſſe eos qui tradiderunt nihil aliud io Chriſto nos recuperare, quam ut ab originali peccato ſeu corruptione ab Adamo contracta liberemur. Adde quod illa multa delicta à quibus teſtatur nos Chriſti beneficio purgari, non modo intelligenda ſunt quæ unuſquiſque ante Baptiſmum admiſerit: ſed quibus ſancti quotidie novum reatum contrahant, ac quorum merito damnationi ſubjacerent, oiſi continuo gratia hæc ſuccurreret. Quum judicio doοum opponat, prius rigorem ſignificat, ſicut alterum gratuitam veniam. ex rigore enim damnatio eſt, ex venia abſolutio. vel (quod idem valet) ſi jure nobiſcum agat Deus, ſumus omnes perditi: nos autem gratis io Chriſto juſtificat.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis, qui exuberantiam gratiæ & doni juſtitiæ acceperunt, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.

17. *Si enim unius delicto.*] Generalem rurſum correctionem ſubjicit, in quam magis inſiſtit: quia ei nequaquam propoſitum eſt ſingulas partes exequi, ſed præcipuam rei ſummam conſtituere. Antea pronuociaverat, gratiæ vim magis quam delicti exuberaſſe. hinc fideles conſolatur ac confirmat: ſimul excitat hortaturque ad reputandam Dei benignitatem. Hoc enim ſibi vult tam aoxia repetitio: ut Dei

gratia

gratia pro dignitate prædicetur: ut bomines à ſui fiducia ad Chriſtum traducantur: ut ejus gratiam adepti, plena fruamur ſecuritate. unde tandem naſcitur gratitudo. Huc autem ſumma tendit, Quia Cbriſtus Adamum ſuperat: hujus peccatum, illius vincit juſtitia: hujus maledictio, illius obruitur gratia: ab hoc mors profecta, illins vita abſorbetur. Cæterum nec hujus quoque comparationis membra inter ſe reſpondent. diccre enim debuerat, vitæ beneficium magis regnare ac vigere per gratiæ exuberantiam. pro eo dicit, fideles regnaturos: quod tantundem valet: quia regnum fidelium in vita, eſt etiam vitæ regnum in fidelibos. Porro duas hic differentias inter Cbriſtum & Adamum adnotare operæpretium eſt: quas non ideo ſubticuit Apoſtolus quia negligendas cenſeret, ſed quia præſentis argumenti nihil referebat eas cnumerare. Prior eſt, quod peccato Adæ non per ſolam imputationem damnamur, acſi alieni peccati exigeretur à oobis pœna: ſed ideo pœnam ejus ſuſtinemus, quia & culpæ ſumus rei, quatenus ſcilicet natura noſtra in ipſo vitiata, iniquitatis reatu obſtringitur apud Deum. At per Chriſti juſtitiam alio modo in ſalutem reſtituimur. neque cnim ideo oobis accepta fertur, quia intra nos ſit: ſed quod Chriſtum ipſum cum bonis ſuis omnibus, Patris largitate nobis donatum poſſidemus. Itaquc donum juſtitiæ non qualitatem qua nos Deus imbuat, ut perperam quidam interpretantur, ſcd gratuitam juſtitiæ imputationem ſignificat. exponit enim Apoſtolus quid intellexerit per nomen Gratiæ. Altera eſt, quod non ad omnes homines pervenit Chriſti beneficium, quemadmodum univerſum ſuum genus damnatione Adam involvit. Ac ratio quidem io promptu eſt: nam quum iſta quam ex Adam trabimus, maledictio in nos per naturam derivata ſit: oon mirum eſt ſi totam maſſam complectatur. at vero ut in participationem gratiæ Chriſti veniamus, io eum inſeri nos per fidem oportet. Ergo ut miſera peccati hæreditate potiaris, ſatis eſt eſſe hominem: reſidet enim in carnc & ſanguine. ut Chriſti juſtitia fruaris, fidelem eſſe neceſſarium eſt: quia fide acquiritur ejus conſortium. Infantibus peculiari ratione communicatur: habent enim in fœdere jus adoptionis, quo in Chriſti communionem tranſeuot. De piorum liberis loquor, ad quos promiſſio gratiæ dirigitur. nam alii à communi ſorte nequaquam eximuotur.

18. Itaque quemadmodum per unius delictum, in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtificationem, in omnes homines in juſtificationem vitæ.

18. *Itaque quemadmodum* &c.] Oratio eſt defectiva: quæ plena erit, ſi vocabula Condemnationis & Juſtificationis in nominativo legantur: ût certe reſolvere convenit, ſi ſenſum iotegrum habere libet. Eſt autem concluſio generalis ejus comparationis quæ præceſſit. Jam enim omiſſa interjectæ correctionis meotione, illam ſimilitudinem abſolvit, Quemadmodum unius delicto conſtituti ſumus peccatores, ita Cbriſti juſtitiam eſſe efficacem ad nos juſtificandos. Quaoquam non ponit δικαιοσύνην, ſed δικαίωμα Chriſti: ut admoneat, ipſum non ſibi privatim fuiſſe juſtum, ſed juſtitiam qua præditus fuit, latius patere, ut collato ſibi dono fideles locupletet. Commonem omnium gratiam facit, quia omnibus expoſita eſt, non quod ad omnes extendatur re ipſa. nam etſi paſſus eſt Chriſtus pro peccatis totius mundi, atque omnibus indifferenter Dei benignitate offertur: non tamen omnes apprehendunt. Poſſent etiam reperi duæ illæ voces quibus nuper uſus eſt, Judicium ac Gratia, hoc ſenſû, Sicut judicio Dei factum eſt ut peccatum unius io multorum condemnationem manaret, ita gratia in multorum juſtificationem erit efficax. Juſtificatio vitæ (meo judicio) pro abſolutione capitur quæ nobis vitam reſtituit: acſi vivificam diceret. Nam inde ſpes ſalutis, ſi nobis propitius eſt Deus: juſtos autem eſſe oportet, ut ſimus ei accepti. Ergo ex juſtificatione vita.

19. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ſic & per obedientiam unius, juſti conſtituentur multi.

Non eſt tautologia, ſed oeceſſaria proximæ ſententiæ declaratio. nam & unius hominis culpa nos ita reos eſſe oſtendit, ut non ſimus inſontes. Prius dixerat, nos damnari: ſed nc quis innocentiam ſibi arrogaret, ſubjicere etiam voluit, damnari unumquemque, quia peccator ſit. Deinde quum pronunciat, nos Chriſti obedientia conſtitui juſtos: hinc colligimus, Chriſtum, eo quod Patri ſatisfecerit, juſtitiam nobis comparaſſe. Unde ſequitur, juſtitiæ qualitatem eſſe in Chriſto: ſed nobis acceptum ferri quod illi proprium eſt. Simul qualis ſit Chriſti juſtitia interpretatur, quum vocat obedientiam. ubi adnotemus quæſo quid nos afferre in conſpectum Dei oporteat, ſi velimus operibus juſtificari: nempe Legis obedientiam, nec una quidem aut altera in parte, ſed numeris omnibus abſolutam. Nam ſi juſtus ceciderit, noo veniunt in memoriam omnes ejus juſtitiæ priores. Eſt hinc quoque diſcendum, perverſa conſilia placendi Deo captari ab iis qui à ſeipſis excogitant quod illi obtrudant. Vera enim demum ratio eſt ejus colendi, quum ſequimur quod nobis præcepit, & obedientiam ejus verbo præſtamus. Eant nunc qui operum juſtitiam confidenter ſibi arrogaot, quæ non aliter conſtat, quam ſi adſit plena iotegraque Legis obſervatio. atqui hanc nullibi reperiri certum eſt. Colligimus ſimiliter eos deſipere qui conficta à ſeipſis opera Deo venditant, quæ nihilo pluris reputat, quam ſtercora. Obedientia eoim melior quam victimæ.

20. Lex vero intervenit, ut abundaret delictum: ubi vero abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.

21. Quo, ſicut regnavit peccatum per mortem, ſic & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

20. *Lex autem intervenit.*] Hæc quæſtio pendet ex eo quod ante dixerat, ante Legem publicatam peccatum fuiſſe: nam eo audito, illud extemplo ſequebatur, Quorſum igitur opus Lege? Quare neceſſario quoque hæc difficultas ſolvenda fuit: ſed quia tum non erat opportuna longior digreſſio, diſtulit in hunc locum: Ac nunc etiam obiter expedit, interceſſiſſe Legem, ut peccatum abundaret. Neque enim totum Legis officium ac uſum enarrat: ſed partem unam duntaxat attingit, quæ præſenti cauſæ congruebat. Docet enim, ut locus fieret Dei gratiæ, oportuiſſe hominibus ſuum exitium melius pate-

patefieri. Erant quidem naufragi ante Legem: quia tamen in ſuo interitu ſibi videbantur natare, in profundum demerſi ſunt, quo illuſtrior fieret liberatio, quum inde præter humanum ſenſum emergunt. Neque vero abſurdum fuit, Legem hac partim de cauſa ferri, ut homines ſemel damnatos bis damnet: quia nihil juſtius eſt quam modis omnibus adduci homines, imo convictos trahi ut mala ſua ſentiant. *Ut abundaret delictum.* Quomodo hunc locum poſt Auguſtinum exponere ſoleant, notum eſt: quod ſcilicet irritetur eo magis cupiditas, dum Legis repagulis arcetur: quia naturale eſt homini niti in vetitum. Sed ego non aliud incrementum hic deſignari intelligo, quam notitiæ & pervicaciæ. Nam peccatum ſub hominis oculos à Lege ſtatuitur, ut aſſidue cogatur paratam ſibi damnationem cernere. Ita peccatum conſcientiam occupat, quod alioqui à tergo rejectum homines negligerent. Deinde qui prius juſtitiæ fines ſimpliciter transgrediebatur, nunc Lege poſita, contemptor fit divini imperii, ex quo ei innotuit Dei voluntas, quam ſua libidine conculcat. Unde ſequitur, augeri peccatum per Legem, quia tunc ſpernitur auctoritas Legiſlatoris, ac majeſtas imminuitur.

Superabundavit & gratia.] Poſtquam peccatum homines ſubmerſos tenuiſſet, gratia tum opitulata eſt. docet enim, eo melius illuſtrari gratiæ magnitudinem, quod peccato exundante, tam ubertim ſe effundat, ut illud peccati diluvium non ſuperet modo, ſed etiam abſorbeat. Atque hinc diſcendum, non ideo nobis propoſitam eſſe in Lege condemnationem ut in ea maneamus: ſed ut agnita probe noſtra miſeria, ad Chriſtum erigamur, qui miſſus eſt ægris medicus, captivis liberator, afflictis conſolator, oppreſſis vindex. Jeſa. 61. v. 1.

21. *Quo ſicut regnavit.*] Ut peccatum mortis aculeus dicitur, quia nihil adverſus hominem juris mors habet, niſi peccati cauſa: ita vim ſuam per mortem peccatum exequitur. ideo dicitur imperium ſuum per illam exercere. In poſteriore membro eſt ſynchyſis, non tamen ſupervacua. Simplex fuiſſet antitheſis, ſi ita dixiſſet, Ut regnet juſtitia per Chriſtum. Verum non contentus Paulus oppoſuiſſe contraria contrariis, addit gratiam: quo fortius infigeret memoriæ, id totum non noſtri eſſe meriti, ſed divinæ beneficentiæ. Prius dixerat mortem ipſam regnaſſe: nunc peccato regnum tribuit, ſed cujus finis vel effectus ſit mors. Et regnaſſe dicit, præterito tempore: non quod regnare deſierit in iis qui ex carne tantum & ſanguine nati ſunt: ſed ita partitur inter Adam & Chriſtum, ut ſuum utrique tempus aſſignet. Ergo ſimulac vigere in ſingulis incipit Chriſti gratia, cedat peccati & mortis regnum.

CAP. VI.

QUid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet?
2. Ne ita ſit. qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?

1. *Quid ergo dicemus?*] Hoc toto capite diſſeret Apoſtolus, perperam eos Chriſtum diſcerpere, qui gratuitam ab ipſo juſtitiam nobis donari fingunt abſque vitæ novitate. Quanquam ultra progreditur, objiciens, tunc videri gratiæ dari locum, ſi homines in peccato defixi jaceant. Scimus enim nihil magis eſſe proclive, quam ut ſibi caro quovis prætextu indulgeat. deinde calumnias omnes excogitat Satan, quibus gratiæ doctrinam infamet: quod ei non ita difficile eſt. Nam quum humano ſenſui παράδοξον ſit quicquid de Chriſto prædicatur, nihil novum videri debet, ſi audita fidei juſtificatione, caro toties tanquam ad diverſos ſcopulos impingit. Pergendum eſt tamen, nec Chriſtus ideo ſupprimendus, quia multis fit in lapidem offenſionis & petram ſcandali. Qua enim ratione impiis cedet in ruinam, piis viciſſim in reſurrectionem erit. Quanquam importunis quæſtionibus ſemper eſt occurrendum, nequid ſecum abſurdi trahere videatur Chriſtiana doctrina. Porro quod adverſus divinæ gratiæ prædicationem vulgatiſſimum eſt objectum, nunc Apoſtolus exequitur: nempe ſi verum eſt, eo benignius ac largius ſubvenire nobis Dei gratiam, quo majore peccati mole obruimur; nihil nobis magis expedire quam ut in peccati profundum demerſi, novis ſubinde delictis iram Dei provocemus: tunc enim demum magis copioſam nos ſenſuros. quo nihil melius optare licet. Modum autem refellendi poſtea videbimus.

2. *Ne ita ſit.*] Videtur quibuſdam Apoſtolus duntaxat voluiſſe κατὰ δείνωσιν reprehendere tam importunam inſaniam: ſed ex aliis locis patet quam ſit illi familiaris hæc reſponſio, etiam in multa argumentatione: quemadmodum hic quoque valde diligenter objectam calumniam paulo poſt depellet: prius tamen hac deteſtantis particula rejicit, quo lectores admoneat nihil minus eſſe conſentaneum, quam Chriſti gratiam juſtitiæ noſtræ reparatricem vitia noſtra alere. *Qui mortui ſumus peccato.* Argumentum à contrarii poſitione. Nam qui peccat, eum peccato vivere certum eſt: nos mortui peccato ſumus per Chriſti gratiam: falſum ergo eſt, peccato, quod abolet, vigorem dare. Sic enim res habet, nunquam ſine regenerationis dono reconciliari Deo fideles: imo in hunc finem nos juſtificari, ut deinde vitæ puritate Deum colamus. Nec vero nos Chriſtus ſuo ſanguine aliter abluit, ſuaque expiatione Deum nobis reddit propitium, quam dum nos facit Spiritus ſui participes, qui nos in ſanctam vitam renovat. Pluſquam igitur præpoſtera eſſet operis Dei inverſio, ſi occaſione gratiæ quæ nobis in Chriſto offertur, peccatum vires colligeret. Neque enim medicina morbi, quem extinguit, fomentum eſt. Porro memoria tenendum eſt quod nuper attigi, Paulum non hic tractare quales nos Deus inveniat, dum vocat in ſocietatem Filii ſui: ſed quales eſſe nos deceat, poſtquam noſtri miſertus, gratis nos adoptavit. Adverbio enim futuri temporis, qualis juſtitiam ſequi debeat mutatio, oſtendit.

3. Num ignoratis quod quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Jeſum, in mortem ejus baptizati ſumus?
4. Conſepulti ergo ſumus ei per Baptiſmum in mortem: ut quemadmodum ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ſic & nos in novitate vitæ ambulemus.

3. *Num ignoratis.*] Proximam ſententiam, quod ſcilicet peccatum in ſuis interimat Chriſtus, probat à Baptiſmi effectu, quo initiamur in ejus fidem. Nam extra controverſiam eſt, induere nos Chriſtum in Baptiſmo: & hac lege nos baptizari, ut unum cum ipſo ſimus. Jam alterum principium ſumit Paulus, nos in Chriſti corpus tunc vere coaleſcere, ubi mors ejus fructum in nobis ſuum profert. Imo docet hanc mortis ſocietatem, præcipue in Baptiſmo ſpectandam eſſe. Neque enim ablutio ſola illic, ſed

 morti-

mortificatio quoque, & veteris hominis interitus proponitur: unde palam fit, ex quo recipimur in Chriſti gratiam, mortis ejus efficaciam ſtatim emergere. Porro quid valeat hæc cum morte Chriſti ſocietas, continuo ſequitur.

4. *Conſepulti ergo ſumus.*] Jam incipit indicare quorſum illud ſpectet, nos in Chriſti mortem baptizari, tametſi nondum plane explicat: ut ſcilicet nobis emortui, fiamus novi homines. Nam à mortis ſocietate tranſitum merito facit ad vitæ participationem: quia hæc duo inter ſe individuo nexu cohærent, veterem hominem Chriſti morte aboleri, ut ejus reſurrectio juſtitiam inſtauret, noſque efficiat novas creaturas. Et certe quum nobis in vitam datus ſit Chriſtus, quorſum referret nos cum ipſo emori, niſi ut reſurgamus in meliorem vitam? Ideoque non alia ratione, quod in nobis mortale eſt occidit, niſi ut vere nos vivificet. Porro ſciamus Apoſtolum non hic ſimpliciter nos adhortari ad Chriſti imitationem, acſi diceret mortem Chriſti exemplaris vice eſſe, quod Chriſtianis omnibus conveniat imitari. Nam certe altius coofcendit: doctrinam enim profert, ex qua poſtea exhortationem eliciet, ſicuti promptum eſt. Hæc autem eſt doctrina, Quod mors Chriſti efficax eſt, ad nequitiam carnis noſtræ extinguendam ac profligandam: reſurrectio vero, ad ſuſcitandam melioris naturæ novitatem: quodque per Baptiſmum in iſtius gratiæ participationem cooptamur. Hoc ſundamento jacto, exhortari Chriſtianos opportuniſſime licet, ut ſuæ vocationi reſpondere contendant. Adhæc, non refert quod iſta virtus non in omnibus apparet baptizatis. nam ſuo more Paulus, quia ad fideles eſt ſermo, ſubſtantiam & effectum externo ſigno conjungit. Nam ſcimus fide eorum ſanciri & ratum eſſe quicquid Dominus viſibili ſymbolo offert. In ſumma, qualis ſit Baptiſmi rite ſuſcepti veritas docet. Sic ex Galatis quicunque in Chriſto baptizari eſſent, Chriſtum induiſſe omnes teſtatur. *Galat. 3. verſ. 27.* Nimirum ita loquendum, dum ſimul conveniunt Domini inſtitutio & fides piorum. Nunquam enim nuda inaniaque habemus ſymbola, niſi ubi divinæ beneficentiæ energiam noſtra ingratitudo ac malignitas impedit. *Per gloriam Patris.* Id eſt, inſignem virtutem qua ſe vere glorioſum declaravit, & veluti gloriæ ſuæ magnificentiam illuſtravit. Ita ſæpe in Scripturis eximio aliquo elogio inſignitur Dei potentia, quæ ſe in Chriſti reſurrectione exeruit. neque id fruſtra: magnopere enim refert, tam expreſſa incomparabilis Dei potentiæ commemoratione non modo altimæ reſurrectionis fidem, quæ carnis ſenſum longe exuperat, ſed alios quoque fructus quos ex Chriſti reſurrectione percipimus, apud nos magnifice extolli.

5. Nam ſi inſititii facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, nimirum & reſurrectionis participes erimus:

6. Illud ſcientes, quod vetus noſter homo ſimul cum ipſo crucifixus eſt, ut aboleretur corpus peccati, ut non ultra ſerviamus peccato.

5. *Nam ſi inſititii.*] Confirmat verbis clarioribus quod jam poſuerat argumentum. Nam ſimilitudo quam adhibet, nihil jam ambiguum relinquit: quia inſitio non exempli tantum conformitatem deſignat, ſed arcanam conjunctionem, per quam cum ipſo coaluimus: ita ut nos Spiritu ſuo vegetans, ejus virtutem in nos transfundat. Ergo ut ſurculus communem habet vitæ & mortis conditionem cum arbore in quam inſertus eſt: ita vitæ Chriſti non minus quam & mortis participes nos eſſe conſentaneum eſt. Nam ſi inſiti ſumus in ſimilitudinem mortis Chriſti, illa autem reſurrectione non caret: ergo nec noſtra ſine reſurrectione erit. Cæterum bifariam exponi poſſunt verba: vel nos Chriſto inſitos eſſe in ſimilitudinem mortis ejus: vel ſimpliciter inſitos eſſe ſimilitudini. Prior lectio poſceret dativum Græcum ὁμοιώματι, ad modum notandum referri. Nec illam inficior habere pleniorem ſenſum: ſed quoniam altera magis quadrat ſimplicitati dictionis, eam præferre viſum eſt. quanquam parvi intereſt, quum utraque in eundem recidat ſenſum. Chryſoſtomus exiſtimat Paulum dixiſſe ſimilitudinem mortis, pro morte: ut alibi, In ſimilitudinem hominum factus. Verum ego in iſta voce aliquid ſignificantius perſpicere mihi videor. Præterquam quod valet ad inferendam reſurrectionem, videre huc tendere, quod non moriamur inſtar Chriſti, morte naturali: ſed hanc nobis eſſe cum ejus morte coovenientiam: quia ut ipſe morte defunctus eſt in carne, quam à nobis ſuſceperat, ita emorimur in nobis, ut in eo vivamus. Non ergo eadem eſt mors, ſed ſimilis: quia ſpectanda eſt inter præſentis vitæ interitum & ſpiritualem renovationem analogia. *Inſititii.* Magna eſt vocabuli hujus energia, & quæ clare oſtendit Apoſtolum non exhortari tantum, ſed potius de Chriſti beneficio docere. Neque enim quicquam à nobis requirit, quod ſtudio induſtriave noſtra præſtandum ſit: ſed inſitionem Dei manu factam prædicat. Non eſt autem cur ſingulis partibus metaphoram aut comparationem applicare ſtudeas. Nam inter arborum inſitionem & hanc noſtram ſpiritualem occurret ſtatim diverſitas: quod in illa ſurculus alimentum ducit à radice, fructus autem edendi nativam proprietatem retinet: in hac autem non modo vigorem ac ſuccum vitæ à Chriſto trahimus, ſed in ejus naturam ex noſtra demigramus. Verum nihil aliud voluit notare Apoſtolus, quam efficaciam illam mortis Chriſti, quæ in carnis noſtræ interitu ſe exerit: alteram quoque reſurrectionis, ad renovandam in nobis melioris ſpiritus naturam.

6. *Quod vetus homo noſter.*] Vetus homo, qualiter & vetus Teſtamentum, dicitur reſpectu novi. Vetus enim eſſe incipit, quum inchoata regeneratione ſeoſim aboletur. Totam autem naturam ſignificat quam afferimus ex utero, quæ adeo regni Dei capax non eſt, ut interire eatenus oporteat, quatenus in veram vitam inſtauramur. Hunc veterem hominem dicit eſſe affixum cruci Chriſti, quia ejus virtute conficitur. Ac nominatim alluſit ad crucem, quo expreſſius indicaret non aliunde nos mortificari, quam ex ejus mortis participatione. Neque enim iis conſentio, qui crucifixum magis quam mortuum vocaſſe exponunt, quia vivat adhuc ac vigeat aliqua ex parte. Vera quidem eſt ſententia: ſed quæ præſenti loco parum congruit. Corpus peccati quod paulo poſt ſubjicit, non carnem & oſſa, ſed maſſam deſignat. homo enim naturæ propriæ relictus, maſſa eſt ex peccato conflata. Finem abolitionis notat, quum dicit, *Ne amplius ſerviamus peccato.* Unde ſequitur, nos quamdiu ſumus Adæ filii, ac nihil quam homines, peccato ſic eſſe mancipatos, ut nihil poſſimus aliud quam peccare: Chriſto vero inſitos, à miſera hac neceſſitate liberari: non quod ſtatim deſinamus in totum peccare, ſed ut ſimus tandem in pugna ſuperiores.

7. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.

8. Si vero mortui ſumus cum Chriſto, credimus quod & vivemus cum eo:

9. Scientes quod Chriſtus ſuſcitatus ex mortuis, amplius non moritur, mors illi amplius non dominatur.

10. Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.
11. Sic & ipſi exiſtimate voſmet eſſe mortuos quidem peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

7. *Quod enim mortuus eſt.*] Argumentum à mortis proprietate, ſeu effectu. Nam ſi mors abolet omnes vitæ actiones, nos qui peccato mortui ſumus, ab ejus actionibus ceſſare oportet, quas durante ſua vita exercebat. Juſtificatum accipe pro abſoluto, & à ſervitute vindicato. Nam quemadmodum ab accuſationis vinculo liberatur qui abſolvitur ſententia judicis; ita mors ab hac vita nos ſolvendo, ab omnibus ejus officiis nos liberat. Porro quanquam inter homines nuſquam extat tale exemplum, non eſt tamen cur vel inanem eſſe ſpeculationem putes quod hic dicitur, vel animum deſpondeas, quod in eorum numero te non reperias, qui carnem ſuam penitus crucifixerunt. Hoc enim opus Dei non primo quo in nobis inchoatur die ſimul etiam perficitur; ſed paulatim augeſcit, ac quotidianis incrementis paulatim ad finem perducitur. Sic ergo in ſumma habeto, Si Chriſtianus es, oportere in te ſignum apparere communionis cum morte Chriſti; cujus fructus eſt, ut crucifixa ſit caro tua cum ſuis concupiſcentiis omnibus. Cæterum hanc communionem non ideo nullam eſſe ſi reliquias carnis vivere adhuc in te ſentias: ſed meditandum aſſidue ejus augmentum, donec ad metam perventum ſit. Bene enim eſt ſi mortificatur continenter caro noſtra: neque parum profectum eſt, ubi regnum illi ademptum Spiritui ſancto ceſſit. Eſt altera mortis Chriſti communicatio, de qua loquitur Apoſtolus cum ſæpe alias, tum 2 Corinth. 4. nempe crucis tolerantia, quam ſequitur & vitæ æternæ conſortium.

8. *Si vero mortui ſumus.*] Hoc non in alium finem repetit, niſi ut declarationem ſubjiciat, quæ poſtea ſequitur, Quod Chriſtus ſemel excitatus, jam non moritur. quo docere vult, hanc vitæ novitatem tota vita eſſe Chriſtianis perſequendam. Nam ſi Chriſti imaginem in ſe repræſentare debent & mortificatione carnis, & ſpiritus vita: illam ſemel in perpetuum fieri, hanc perpetuo durare neceſſe eſt. Non quod uno momento emoriatur caro in nobis, ſicuti nuper diximus: ſed quia retrocedere in ea mortificanda non liceat. Si enim in cœnum noſtrum revolvimur, Chriſtum abnegamus: cujus niſi per vitæ novitatem conſortes eſſe non poſſumus, ſicut ipſe vitam incorruptibilem agit.

9. *Mors illi amplius non dominatur.*] Videtur innuere, ſemel dominatam Chriſto fuiſſe mortem. Et ſane quum ſe pro nobis in mortem dedit, quodammodo permiſit ſe ac ſubjecit ejus poteſtati: ea tamen conditione, ut impoſſibile eſſet ejus doloribus ipſum vinctum detineri, ſuccumbere, vel abſorberi. Itaque dominium ejus ad momentum ſubeundo, in æternum ipſam deglutivit. Quanquam ſimplicius loquendo, mortis dominium ad voluntariam mortis conditionem refertur, cui finem impoſuit reſurrectio. Summa eſt, Chriſtum, qui nunc Spiritu ſuo fideles vivificat, vel ſuam illis vitam arcana virtute è cœlis inſpirat, mortis imperio exemptum fuiſſe quum reſurrexit, ut ab eodem immunes ſuos omnes reddat.

10. *Peccato mortuus eſt ſemel.*] Quod dixerat, nos Chriſti exemplo in perpetuum à mortis jugo ſolutos eſſe, nunc ad ſententiam ſuam accommodat: quod ſcilicet tyrannidi peccati amplius obnoxii non ſimus: idque demonſtrat à finali mortis Chriſti cauſa, quia ſcilicet mortuus eſt ut peccatum extingueret. Porro in forma loquendi notandum eſt quid Chriſto conveniat. Neque enim dicitur peccato mortuus, ut peccare deſineret, qualiter ubi de nobis ſermo eſt, accipi oportet: ſed quia mortem obiit peccati cauſa, ut ſe ἀντίλυτρον ſtatuens, vim & jus peccati in nihilum redigeret. Dicit autem ſemel perfunctum eſſe, non modo quia æterna redemptione per unicam oblationem parta, factaque peccati per ſuum ſanguinem purgatione, fideles in æternum ſanctificavit: ſed ut in nobis quoque mutua ſimilitudo reſpondeat. Etſi enim mors ſpiritualis continuos in nobis progreſſus habet: ſemel tamen proprie mori dicimur, dum Chriſtus ſuo ſanguine nos Patri reconcilians, Spiritus quoque virtute ſimul regenerat. *Quod autem vivit.* Sive Apud Deum, ſive In Deo exponas, in eundem recides ſenſum: ſignificat enim vivere in regno Dei immortali & incorruptibili vitam nulli jam mortalitati obnoxiam: cujus figura in regeneratione piorum apparere debet. Hic memoria repetendum eſt ſimilitudinis nomen. Neque enim in cœlo nos dicit victuros, ſicut illic Chriſtus vivit; ſed vitam novam, quam à regeneratione in terra degimus, cœleſti ejus vitæ facit conformem. Et quod debere nos peccato mori ad ejus exemplum docet, non ita convenit ut eadem mors poſſit dici. peccato enim morimur, quum moritur in nobis peccatum: aliter Chriſtus, qui moriendo peccatum profligavit. Jam vero quod prius dixerat, credere nos vitam fore nobis communem, Credendi verbo ſatis oſtendit, ſe de Chriſti gratia concionari. Nam ſi tantum officii moneret, hæc erat loquendi ratio, Quando ſumus Chriſto commortui, cum eo ſimiliter vivendum eſt. Verbum autem Credendi, denotat hic tractari fidei doctrinam, quæ in promiſſionibus ſit fundata: acſi dictum eſſet, Statuere debent fideles ita ſe Chriſti beneficio ſecundum carnem eſſe mortuos, ut vitæ novitatem idem Chriſtus ad finem uſque continuet. Futurum vero tempus in verbo Vivendi, non ad ultimam reſurrectionem pertinet: ſed ſimpliciter notat perpetuum vitæ novæ curſum, quamdiu in mundo peregrinamur.

11. *Sic & ipſi exiſtimate.*] Additur jam illa quam attigi analogiæ definitio. Nam quod Chriſtum ſemel peccato mortuum eſſe, & æternum Deo vivere dixerat, utrumque ad nos accommodans, quomodo nunc vivendo moriamur admonet: nempe ubi peccato renunciamus. Sed illam quoque partem non omittit, ubi ſemel fide amplexi ſumus Chriſti gratiam: licet tantum inchoëtur carnis mortificatio in nobis, hoc tamen ipſo peccati vitam extingui, ut deinde ſpiritualis novitas, quæ divina eſt, perpetuo duret. Niſi enim peccatum ſemel uſque in finem in nobis occideret Chriſtus, parum firma & ſtabilis eſſet ejus gratia. Senſus ergo verborum eſt, Sic rem habere in vobis reputate, Ut ſemel Chriſtus in peccati interitum mortuus eſt, ſic ut in poſterum peccare deſinatis, ſemel vos eſſe mortuos: imo quotidie pergendum in ea mortificatione quæ in vobis cœpta eſt, donec peccatum penitus extinguatur. Ut Chriſtus excitatus eſt ad incorruptibilem vitam, ita vos Dei gratia renatos eſſe, ut totam vitam in ſanctitate & juſtitia traducatis: quando æterna eſt, ſemperque vigebit hæc, qua renovati eſtis, Spiritus ſancti virtus. Cæterum retinere malui Pauli verba, *in Chriſto Jeſu*, quam cum Eraſmo vertere, *per Chriſtum*: quia illo modo melius exprimitur inſitio illa quæ nos unum cum Chriſto facit.

12. Ne ergo regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ut illi obediatis in cupiditatibus ſuis.

13. Neque exhibeatis membra veſtra, arma injuſtitiæ peccato: ſed exhibeatis voſmetipſos Deo, tanquam ex mortuis viventes: & membra veſtra, arma juſtitiæ Deo.

12. *Ne ergo regnet.*] Exhortationem nunc ordititur, quæ ſponte conſequitur ex ea doctrina quam tradidit de noſtra cum Chriſto ſocietate, Tametſi peccatum in nobis reſidet, tamen abſurdum eſſe ut ad exercendum regnum ſuum vigeat: quia ſupra ipſum eminere debet virtus ſanctificationis, ut vita noſtra teſtetur nos vere eſſe membra Chriſti. Nuper admonui vocem Corporis non pro carne & cute & oſſibus accipi, ſed pro tota hominis maſſa, ut ita loquar. Id certius colligere licet ex præſenti loco: quia alterum membrum quod mox ſubjiciet de corporis partibus, ad animam quoque extenditur. Sic autem craſſe Paulus terrenum hominem ſignificat. facit enim naturæ noſtræ corruptio, ut nihil origine noſtra dignum ſpiremus. Sic etiam Deus, Geneſ. 6. verſ. 3. dum conqueritur hominem non ſecus ac brutas pecudes carnem eſſe factum, nihil illi niſi terrenum relinquit. *Joan. 3. verſ. 6.* Eodem ſpectat illud Chriſti, Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Nam ſi quis excipiat, aliam eſſe animæ rationem: in promptu eſt ſolutio, Ut nunc ſumus degeneres, animas noſtras terræ affixas eſſe, & ſic corporibus addictas, ut à ſua præſtantia deſciverint. Denique natura hominis corporea vocatur, quia privatus cæleſti gratia, quædam eſt fallax tantum umbra, vel imago. Adde quod hoc corpus à Paulo per contemptum vocatur mortale, ut doceat totam hominis naturam ad mortem & exitium inclinare. Jam vero peccatum appellat primam illam pravitatem animis inſidentem, quæ nos ad peccandum impellit: ex qua proprie maleficia & flagitia omnia ſcaturiunt. Inter ipſum & nos ſtatuit medias concupiſcentias: ut illud ſit loco Regis, concupiſcentiæ ſint velut edicta & imperia.

13. *Neque exhibeatis membra veſtra.*] Ubi ſemel peccatum in animo regnum occupavit, omnes noſtri partes continuo in ejus obſequium applicantur. Quare hic regnum peccati deſcribit à conſequentibus, quo melius oſtendat quid præſtandum ſit nobis, ſi ejus jugum excutere volumus. Similitudinem autem petit à re militari quum membra noſtra vocat Arma: perinde acſi diceret, Quemadmodum miles arma ſemper habet parata, ut in uſum conferat quoties à ſuo duce juſſus fuerit: illis nunquam utitur niſi ex ejus nutu: ita Chriſtiani debent reputare omnes ſui partes arma eſſe ſpiritualis militiæ. ſi ergo ulla ſui parte ad pravitatem abutuntur, peccato merent. Atqui ſacramentum militiæ, Deo & Chriſto dixerunt, quo obſtricti tenentur. decet igitur eos procul eſſe ab omni commercio caſtrorum peccati. Viderint hic quo jure Chriſtianom nomen faſtuoſe obtendant, quorum ſingula membra, tanquam Satanæ proſtibula, in omnem fœditatem perpetrandam parata ſunt. Contra nunc jubet ut nos totos ſiſtamus Deo: nempe ut ab omni vagatione mentem atque animum coërcentes, in quam nos abſtrahunt carnis cupiditates, unius Dei nutum intueamur, ad excipienda ipſius juſſa ſimus intenti, ad exequenda ejus mandata ſimus accincti: membra quoque noſtra illius arbitrio deſtinata ſint ac conſecrata: ut nihil quam ejus gloriam ſpirent omnes animæ ac corporis noſtri facultates. Et ratio additur, quia non fruſtra Dominus, abolita priore vita, in aliam nos creavit, quam actiones debent comitari.

14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia.
15. Quid ergo? peccabimus, quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia? Abſit.
16. Neſcitis quod cui exhibuiſtis vos ſervos in obedientiam, ejus ſervi eſtis cui obeditis: ſive peccati, in mortem: ſive obedientiæ, in juſtitiam?
17. Gratia autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati: obediſtis vero ex animo typo doctrinæ, in quem traducti eſtis.
18. Manumiſſi vero à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.

14. *Peccatum vobis non dominabitur*: &c.] In recitandis ac refellendis expoſitionibus quæ nullam habent aut exiguam veri ſpeciem, immorari non eſt neceſſe. Una eſt quæ cæteris probabilius ſuſtineri queat: quæ ſcilicet dictionem Sub Lege, accipit pro Subjectum eſſe Legis literæ, quæ animum non renovat: ut rurſum Sub gratia eſſe, tantundem valeat ac Spiritu gratiæ à pravis cupiditatibus liberatum eſſe. ſed neque ipſa mihi ſimpliciter probatur. Nam ſi recipimus hunc ſenſum, quorſum illa quæ ſtatim ſequitur, interrogatio pertinebit: Peccabimusne quia non ſumus ſub Lege? Nunquam certe quæſtionem ejuſmodi ſubjeciſſet Apoſtolus, niſi intellexiſſet, nos à Legis rigore eſſe abſolutos, ne amplius ſummo jure Deus nobiſcum agat. Quare non eſt dubium quin hic aliquam ab ipſa Domini Lege manumiſſionem indicare voluerit. Verum omiſſa contentione, exponam breviter quod ſentio. Videtur primum mihi hic eſſe conſolatio: qua fideles confirmantur, ne in ſtudio ſanctimoniæ deficiant ob imbecillitatis ſuæ ſenſum. Exhortatus erat ut omnes ſuas facultates in obſequium juſtitiæ applicarent. At quum circumferant carnis reliquias, neceſſe eſt eos aliquantum claudicare. Proinde ne infirmitatis ſuæ conſcientia fracti, animos deſpondeant, tempeſtive occurrit, interpoſita conſolatione ex eo petita, quod jam non exiguntur eorum opera ad ſeverum Legis examen, ſed benigne ac indulgenter ea Deus accepta habet, remiſſa impuritate. Jugum Legis ferri non poteſt, ut non frangat vel atterat ferentes: reſtat ergo ut fideles ad Chriſtum confugiant, ac vindicem libertatis ipſum implorent. ipſe autem ſe talem exhibet. Nam ideo Legis ſubiit ſervitutem, cui debitor alioqui non erat, ut eos qui ſub Lege erant redimeret, *Galat. 4. verſ. 5.* quemadmodum ait Apoſtolus. Ergo Non eſſe ſub Lege, ſignificat non tantum mortua litera nobis præſcribi quod nos in reatum addicat, quia ad præſtandum ſimus impares: ſed etiam obnoxios nos amplius non eſſe Legi, quatenus exigit perfectam juſtitiam, edicta morte omnibus qui ab ulla parte declinaverint. Sub Gratiæ nomine ſimiliter intelligimus utramque redemptionis partem: hoc eſt, remiſſionem peccatorum, qua juſtitiam Deus nobis imputat: & ſanctificationem Spiritus, per quem ad bona opera nos refingit. Particulam adverſativam exiſtimo poſitam pro rationali, quod non eſt infrequens: acſi dictum eſſet, Qui ſumus ſub gratia, ideo non ſumus ſub Lege. Nunc ſenſus erit perſpicuus. Vult enim nos conſolari Apoſtolus, ne animis fatiſcamus in ſtudio bene agendi, propterea quod multas imperfectiones adhuc in nobis ſentiamus. Utcunque enim peccati aculeis vexemur, non poteſt tamen nos ſubigere, quia Spiritu Dei ſuperiores reddimur: deinde in gratia conſtituti, ſumus liberati à rigida Legis exactione. Hic porro intelligendum eſt quod pro confeſſo præſumit Apoſtolus, omnes qui gratia Dei deſtituti ſunt, Legis jugo conſtrictos, ſub damnatione teneri. Atque adeo id à contrario arguere licet, homines quamdiu ſub Lege ſunt, peccati dominio ſubjacere.

15. *Quid ergo?* &c.] Quia Dei myſteriis perpetuo carnis ſapientia obſtrepit, neceſſario ſubjicit hanc prolepſin. nam quum Lex, bene vivendi ſit regula, & moderandis hominibus data ſit: putamus ea ſoluta, protinus corruere omnem diſciplinam, frangi repagula, nullum denique manere delectum aut diſcri-

diſcrimen boni & mali. Atqui in eo fallimur, quod Legis abrogatione aboleri putamus quam Deus in Lege commendat juſtitiam: quum hoc ad recte vivendi præcepta minime trahendum ſit, quæ Chriſtus confirmat ac ſancit potius quam abrogat. Atque hæc quidem propria ſolutio eſt, nihil aliud quam maledictionem tolli, cui extra gratiam obnoxii ſunt cuncti mortales. Sed Paulus quamvis id diſerte non exprimat, oblique tamen oſtendit.

16. *Abſit: neſcitis* &c.] Non nuda eſt rejectio, ut quidam putaverunt, quaſi malit talem quæſtionem deteſtari quam refutare. ſiquidem continuo poſt ſequitur confutatio à natura contrariorum, in hunc fere ſenſum, Inter Chriſti & peccati jugum plus eſt diſſidii, quam ut ferre ſimul utrumque quis poſſit. Si peccamus, peccato nos addicimus in ſervitutem: atqui contra redempti ſunt à tyrannide peccati fideles, ut Chriſto ſerviant: ergo impoſſibile eſt peccato manere devinctos. Sed argumenti hujus ſeriem ut à Paulo digeſta eſt, propius excutere præſtabit. *Cui obeditis.* Hoc relativum habet vim rationalis particulæ: ut ſæpe fit. Quemadmodum ſiquis dicat, Nullum eſt flagitii genus quod non cadat in parricidam, qui ſcelus omnium extremum, & immanitatem prope belluis ipſis exhorrendam in ſe admittere non dubitarit. Eſtque ducta Pauli ratio partim ab effectis, partim à natura correlativorum. Primum enim, ſi obediunt, ſervos eſſe colligit: quia obedientia teſtatur jus præcipiendi habere, qui in obſequium ſuum ita cogit. Hæc ab effectu ſervitutis eſt ratio: ex qua naſcitur altera illa, Si vos ſervi, ergo viciſſim penes ipſum eſt dominium. *Sive obedientiæ.* Improprie loquutus eſt. nam ſi partes partibus reddere voluiſſet, dicendum erat, Sive juſtitiæ in vitam. Sed quum inverſio verborum nihil impediret intellectum rei, maluit per nomen Obedientiæ exprimere quid eſſet juſtitia. in qua tamen metonymia eſt, quia pro ipſis Dei mandatis accipitur. Quod autem ſine adjecto poſuit hoc nomen, indicavit ſolum utique Deum eſſe, cujus imperio conſcientiæ ſubjaceant. Ideo enim obedientia, etiam ſuppreſſo Dei nomine, ad Deum nihilominus refertur, quia multiplex eſſe non poteſt.

17. *Gratia autem Deo.*] Applicatio eſt ſimilitudinis ad præſentem cauſam: in qua, quum admonendi tantum eſſent, ſe jam non eſſe peccati ſervos, adjungit gratiarum actionem: primum quo doceat non eſſe id proprii meriti, ſed ſingularis Dei miſericordiæ: ſimul ut ab ipſa gratiarum actione diſcant quantum ſit Dei beneficium, eoque magis ad peccati deteſtationem animentur. Agit autem gratias non ejus temporis reſpectu quo fuerunt peccati ſervi, ſed pro liberatione quæ ſequuta eſt, dum eſſe deſiverunt quod prius erant. Hæc vero tacita prioris ſtatus cum præſenti comparatio, emphaſim continet. calumniatores enim gratiæ Chriſti perſtringit Apoſtolus, dum oſtendit, ea ceſſante, totum humanum genus captivum teneri ſub peccato: ſimul autem ac ſe illa exerit, ceſſare peccati regnum. Hinc colligere licet, non ideo manumitti nos à ſervitute Legis, ut peccemus: quia Lex non ante ſuum dominium perdit, quam Dei gratia nos ſibi vindicat, ut juſtitiam in nobis inſtauret: ideoque impoſſibile eſt, peccatu nos ſubeſſe, quum in nobis regnat Dei gratia. Diximus enim prius, ſub hoc nomine contineri Spiritum regenerationis. *Obediſtis ex animo.* Hic etiam aeternæ literæ arcanam Spiritus virtutem ex oppoſito confert Paulus: acſi diceret, Chriſtum intus animos formare melius, quam ſi Lex minando & terrendo cogeret. Hoc modo diluitur calumnia illa, Si nos à Legis ſubjectione Chriſtus liberet, afferre peccati licentiam: quandoquidem non ad effrenem laſciviam ſuos emittit, ut ſine modeſtia exultent tanquam equi per campos ſoluti: ſed traducit ad legitimam vivendi rationem. Quanquam vero Eraſmus Formam vertere maluit poſt veterem Interpretem, ego Typum relinquere coactus ſum, qua voce uſus eſt Paulus: niſi quis forte Exemplar malit. nam mihi expreſſam juſtitiæ imaginem videtur deſignare quam cordibus noſtris Chriſtus inſculpit. Ea autem reſpondet Legis præſcripto, ad quod actiones omnes noſtras formari decet, ut ne vel ad dextram, vel ad ſiniſtram deflectant.

18. *Manumiſſi vero à peccato.*] Senſus eſt, Abſurdum eſt ut poſt manumiſſionem quis in ſervitutis conditione maneat: ſtatum enim libertatis quem accepit, tueri debet. non ergo convenit, ſub peccati imperium vos redigi, à quo per Chriſti manumiſſionem liberati eſtis. Argumentum à cauſa efficiente. Sequitur quoque alterum à cauſa finali, Ideo exempti eſtis à peccati ſervitute, ut in regnum juſtitiæ tranſiretis; itaque peccati oblitos penitus eſſe convenit, & totum animum ad juſtitiam convertere, in cujus obſequium traducti eſtis. Obſervandum quomodo nemo poſſit juſtitiæ ſervire, niſi Dei potentia & beneficio prius à peccati tyrannide liberatus. Quemadmodum Chriſtus ipſe teſtatur, Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis. *Joan. 8. verſ. 36.* Quæ igitur erunt noſtræ præparationes ex virtute liberi arbitrii, ſi principium boni eſt ab iſta manumiſſione, quam ſola Dei gratia peragit?

19. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: quemadmodum exhibuiſtis membra veſtra ſerva immunditiæ & iniquitati, in iniquitatem: ſic & nunc exhibete membra veſtra ſerva juſtitiæ, in ſanctificationem.

19. *Humanum dico.*] Humanitus ſe loqui dicit, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad formam: ſicuti Chriſtus apud Joan. 3. v. 12. terrena ſe offerre dicit, quum tamen de cæleſtibus myſteriis diſſerat, ſed non tam magnifice ut ferebat rerum dignitas, quod ſe ad captum rudis & tardi populi ſubmitteret. Sic autem præfatur Apoſtolus, quo melius demonſtret nimis craſſam & improbam eſſe calumniam, ubi fingitur libertas à Chriſto parta licentiam peccandi dare. Simul etiam admonet fideles, nihil magis abſurdum eſſe, vel etiam turpe ac pudendum, quam ſpiritualem Chriſti gratiam terrena manumiſſione apud ipſos minus valere. Acſi diceret, Poſſem ex comparatione juſtitiæ & peccati oſtendere quanto ferventius vos rapi oporteat in illius obſequium, quam huic ſitis obſequuti: verum ut aliquid condonem veſtræ infirmitati, comparationem ejuſmodi omitto. Ut tamen agam vobiſcum ſumma indulgentia, hoc certe poſſum merito poſtulare, ne frigidius ſaltem vel negligentius colatis juſtitiam, quam peccato paruiſtis. Subeſt autem reticentiæ ſpecies, quum plus aliquid volumus intelligi, quam verbis exprimamus. Nihilominus enim eos hortatur ad obedientiam juſtitiæ tanto ſtudioſius obeundam, quanto dignior illa eſt cui ſerviatur, quam peccatum: tametſi videatur minus verbis poſtulare. *Quemadmodum exhibuiſtis.* Hoc eſt, quum præſto antehac fuerint omnes veſtri partes ad obſequium peccati, facile inde apparuit quam miſere vos ſibi mancipatos & addictos teneret carnis veſtræ pravitas. Nunc ergo peræque alacres ac prompti ſitis ad capeſſendum Dei imperium: nec minor ſit nunc ad bene agendum ſtrenuitas, quam olim fuit ad peccandum. Non obſervat quidem ordinem antitheſeos in aptandis utrimque partibus: quemadmodum 1 Theſſal. 4. v. 7. immunditiem ſanctitati opponit. ſenſus tamen ejus patet. Primum duas ſpecies ponit, Immunditiem & Iniquitatem: quarum prior caſtitati & ſanctimoniæ opponitur: altera ad injurias ſpectat, quibus læduntur proximi. Deinde no-

men Iniquitatis bis repetit diverſo ſenſu. priore enim loco rapinas, fraudes, perjuria, & omne genus injurias ſignificat: ſecundo univerſalem vitæ corruptionem: acſi ita poſitum eſſet, Proſtituiſtis membra veſtra perpetrandis operibus iniquis, ut iniquitatis regnum in vobis vigeret. Juſtitiam pro lege & regula juſte vivendi poſitam interpretor, cujus finis eſt ſanctificatio: ut ſcilicet pure ſe fideles in Dei cultum conſecrent.

20. Quando enim ſervi fuiſtis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.

21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in iis, de quibus nunc erubeſcitis? ſiquidem finis eorum, mors.

22. Nunc vero manumiſſi à peccato, Deo autem in ſervitutem addicti, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem: finem vero, vitam æternam.

23. Stipendia enim peccati, mors: donum vero Dei, vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

20. *Quando enim ſervi fuiſtis.*] Repetit adhuc illam, cujus mentionem prius fecerat, inter juſtitiæ & peccati jugum diſcordiam. ſunt enim res adeo contrariæ, peccatum & juſtitia, ut qui alteri ſe devovit, neceſſe ſit ab altero diſcedere. Id autem facit ut dum ſeorſum inſpiciuntur, clarius appareat quid ſit ab utroque ſperandum. Diſcretio enim majorem affert lucem conſiderandæ uniuſcujuſque rei naturæ. Hinc ergo peccatum ſtatuit, illinc juſtitiam. Tum poſito diſcrimine, oſtendit quid utrimque conſequatur. Meminerimus itaque Apoſtolum à contrariis adhuc argumentari, hoc modo, Quamdiu peccati fuiſtis ſervi, emancipati eratis à juſtitia: nunc verſa ſorte, ſervire vos juſtitiæ decet, quia eſtis à peccati jugo liberati. Liberos juſtitiæ vocat, qui nullo obſequii freno tenentur ad colendam juſtitiam. Hæc eſt carnis licentia, quæ ſic nos à Dei ſubjectione manumittit, ut diabolo mancipet. Miſera ergo & maledicta libertas quæ effreni, vel potius rabioſo impetu in exitium noſtrum exultat.

21. *Quem ergo fructum* &c.] Non poterat gravius exprimere quod volebat, quam appellando eorum conſcientiam, & quaſi in eorum perſona pudorem confitendo. Pii enim ſimulatque illuminari incipiunt Chriſti Spiritu & Euangelii prædicatione, totam vitam præteritam, quam extra Chriſtum egerunt, damnabilem libenter agnoſcunt: ac tantum abeſt ut conentur excuſare, ut potius eos ſui pudeat. Quin etiam hanc ignominiæ ſuæ recordationem perpetuo in animum revocant, quo ſic pudefacti, verius ac propenſius coram Domino humilientur. Nec otioſum eſt quod dicit, *Nunc erubeſcitis*: innuit enim quam cæco noſtri amore laboremus, dum peccatorum tenebris ſumus obvoluti, qui tantas in nobis ſordes non reputemus. Sola eſt lux Domini, quæ poteſt oculos noſtros aperire, ut perſpicere queant latentem in carne noſtra fœditatem. Ille igitur demum Chriſtianæ philoſophiæ primordiis imbutus eſt, qui ſibi ſerio diſplicere, ac ſuæ miſeriæ verecundia confundi bene didicit. Tandem à conſequenti apertius etiamnum indicat quantum erubeſcere debeant, quum intelligant ſe fuiſſe in præcipitio mortis & ruinæ propinquos: imo jam mortis portas ingreſſos, niſi Dei miſericordia retracti eſſent.

22. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem.*] Quemadmodum duplicem peccati finem ante poſuit, ita nunc juſtitiæ. Peccatum in hac vita malæ conſcientiæ tormenta affert, deinde æternam mortem. Juſtitiæ præſentem fructum colligimus, ſanctificationem: in futurum ſperamus vitam æternam. Hæc, niſi ſupra modum ſtupidiſſimis, debent odium horroremque peccati, juſtitiæ vero amorem ac deſiderium animis noſtris ingenerare. Quod autem [illegible] quidam interpretantur Vectigal, non puto eſſe ex mente Apoſtoli. Nam etſi verum eſt, nos pendere pœnam mortis peccato, non tamen verbum illud alteri membro conveniet, cui aptatum eſt à Paulo. nam vita non dicetur tributum juſtitiæ.

23. *Stipendia enim peccati.*] Sunt qui putant odioſe notari quam maligna ſolvatur merces peccatoribus, dum Paulus mortem obſoniis comparat. quæ vox apud Græcos accipitur interdum pro cibariis militaribus. Potius videtur oblique perſtringere cæcos eorum appetitus, qui peccati illecebris exitialiter ſe ineſcant, non ſecus ac hamo piſces. Simplicius tamen erit pro ſtipendiis accipere: nam certe mors reprobis plus ſatis amplum eſt præmium. Eſt autem concluſio & quaſi epilogus proximæ ſententiæ. neque tamen fruſtra aliis verbis idem iterum repetit: ſed terrore duplicato magis deteſtabile reddere peccatum voluit. *Donum vero Dei.* Falluntur qui hanc propoſitionem ſic convertunt, Vita æterna eſt donum Dei: quaſi juſtitia ſit ſubjectum, donum Dei ſit prædicatum. quia nihil ad antitheton ille ſenſus pertineret. Verum ut jam docuit, peccatum nonniſi mortem parere: ita nunc ſubjungit, quod donum iſtud Dei, noſtra ſcilicet juſtificatio & ſanctificatio, vitæ æternæ beatitudinem nobis afferat. Vel ſi mavis, quemadmodum mortis cauſa peccatum eſt, ita juſtitia qua per Chriſtum donamur, vitam æternam nobis reſtituit. Interim tamen hinc certiſſime colligeretur, ſalutem noſtram Dei gratiæ, meræque beneficentiæ totam eſſe. Poterat enim alioqui dicere, ſtipendium juſtitiæ eſſe vitam æternam, ut membrum membro reſponderet: ſed videbat, donum Dei eſſe quo eam conſequimur, non meritum noſtrum. Atque id quoque donum non unum nec ſimplex eſſe: nam Filii juſtitia induti, Deo reconciliamur, & Spiritus virtute in ſanctitatem regeneramur. Ideoque addidit, *in Chriſto Jeſu*, quo nos ab omni propriæ dignitatis opinione avocaret.

Cap. VII.

NUm ignoratis fratres (ſcientibus enim Legem loquor) quod Lex dominatur homini quamdiu vivit?

2. Nam viro ſubjecta mulier, viventi viro alligata eſt per legem: quod ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt à lege viri.

3. Proinde vivente marito, ſi alteri viro conjuncta fuerit, adultera vocabitur: quod ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege, ne amplius ſit adultera ſi alteri nupſerit.

4. Itaque fratres mei, vos quoque mortui eſtis Legi per corpus Chriſti: ut poſthac alterius ſitis, ejus qui ex mortuis ſuſcitatus eſt: ut fructificemus Deo.

Tametſi quæſtionem de abrogatione Legis ſufficienter (ut in brevi) ſolverat: quia tamen & difficilis eſt, & multas ex ſe alias generare poterat, copioſius adhuc proſequitur quomodo Lex ſit nobis abrogata: deinde oſtendit quanto id noſtro bono fiat: quia dum nos ſibi devinctos extra Chriſtum tenet, nihil aliud quam damnare poteſt. Ac ne quis ex eo Legem ipſam criminetur, objectiones carnis excipit ac refutat: ubi locum inſignem de uſu Legis eleganter tractat.

1. *Num ignoratis.*] Sit generalis propoſitio, Legem non in alium finem latam eſſe hominibus, quam ut præſentem vitam moderetur: apud mortuos nullum ei ſupereſſe locum. cui poſtea hypotheſin ſubjiciet, nos illi eſſe mortuos in Chriſti corpore. Alii intelligunt, tamdiu manere Legis imperium ad nos conſtringendos, dum ipſius uſus viget. Sed quoniam ſententia hæc obſcurior eſt, neque tam proprie quadrat hypotheſi quæ ſtatim ſequetur: eos ſequi malo, qui de viri non Legis vita dictum accipiunt. Ac interrogatio quidem plus energiæ habet ad certitudinem ejus quod dicitur, aſſerendam. Oſtendit enim illud nemini eorum vel novum, vel ignotum: ſed in confeſſo peræque eſſe inter omnes. *Scientibus enim Legem loquor.* Hæc parentheſis eodem eſt referenda, quo propoſitio: acſi diceret, ſibi compertum, non tam Legis imperitos eſſe ipſos, ut de eo dubitarent. Quanquam autem de omnibus ſimul legibus poſſet utrumque intelligi: de Lege tamen Dei, de qua nunc quæſtio agitatur, ſatius eſt accipere. Quod putant quidam Legis ſcientiam tribui Romanis, quia ſuo imperio & jure bonam orbis partem regerent, puerile eſt. Nam partim Judæos, vel alios hoſpites, partim homines plebeios & obſcuros alloquitur. Imo Judæos maxime reſpicit, quibuſcum negotium erat de Legis abrogatione. Ne vero captioſe ſecum agi putent, vulgare ac omnibus notum principium ſumere ſe oſtendit, cujus minime ignari eſſent, qui educati à pueritia fuerant in Legis doctrina.

2. *Nam viro ſubjecta mulier*, &c.] Simile adducit, quo probet nos à Lege ita eſſe ſolutos, ut nihil in nos imperii proprie ac ſuo jure amplius retineat. Tametſi autem aliis rationibus probare id poterat: tamen quia optime congruebat ad rem illuſtrandam exemplum conjugii, vice confirmationis ſumptam inde ſimilitudinem inſeruit. Cæterum ne quis conturbetur, quod inter ſe comparata membra non omnino reſpondent: præmonendi ſumus, Apoſtolum data opera voluiſſe exigua inverſione deflectere aſperioris verbi invidiam. Debuerat dicere, ut ordine ſimilitudinem contexeret, Mulier poſt mortem viri ſoluta eſt à conjugii vinculo: Lex quæ locum habet mariti erga nos, mortua eſt nobis: ergo ſumus ab ejus poteſtate liberi. Sed ne offenderet Judæos verbi aſperitate, ſi dixiſſet Legem eſſe mortuam, deflexione eſt uſus, dicens nos Legi eſſe mortuos. Nonnullis quidem videtur argumentari à minori ad majus: quia tamen vereor ne id coactius ſit, priorem intellectum, qui ſimplicior eſt, magis probo. Totum ergo argumentum in hanc ſeriem dirigendum eſt:

Mulier viventi viro per legem ſubdita eſt, ut tranſire ad alium non poſſit: poſt viri mortem ſoluta eſt ejus legis vinculo, ut libere quem velit ſibi inducat maritum.

Tum ſequitur applicatio:

Lex velut maritus noſter fuit, ſub cujus jugo detinebamur, donec nobis mortua eſt.

Poſt Legis mortem Chriſtus nos aſſumpſit, id eſt, à Lege ſolutos adjunxit ſibi.

Ergo Chriſto è mortuis ſuſcitato copulati, adhærere ei ſoli debemus: atque ut æterna eſt Chriſti vita poſt reſurrectionem, ita poſthac nullum futurum eſt divortium.

Porro Legis nomen non eodem ubique ſenſu hic ponitur: ſed nunc jus mutuum conjugii, nunc imperium mariti cui ſubjicitur mulier, nunc Moſis doctrinam ſignificat. Ac tenendum quidem eſt, Paulum eam duntaxat partem, quæ propria eſt Moſis miniſterio, hic attingere. Nam quatenus decem præceptis tradidit Deus quid rectum ſit, vitamque noſtram inſtituit, nulla ſomnianda eſt nobis Legis abrogatio: quia vigere perpetuo debet Dei voluntas. Itaque diligenter meminerimus, non eſſe hanc à juſtitia quæ in Lege docetur, ſolutionem: ſed à rigida exactione, & ea quæ inde ſequitur, maledictione. Non ergo bene vivendi regula quam Lex præſcribit, abrogata eſt: ſed qualitas illa quæ libertati per Chriſtum partæ opponitur, nempe dum ſummam perfectionem requirit: & quia non præſtamus, conſtringit nos ſub æternæ mortis reatu. Cæterum quia nolebat hic decidere quale eſſet jus conjugii: non fuit ſollicitus de recenſendis cauſis quæ mulierem à viro liberam faciant. Itaque perperam hinc peteretur certa doctrina.

4. *Per corpus Chriſti.*] Primum Chriſtus erecto crucis trophæo, triumphavit de peccato: quod ut fieret, oportuit conſcindi chirographum quo tenebamur obligati. Chirographum illud Lex eſt, quæ dum vim ſuam exercet, peccato nos obæratos reddit: ideoque vocatur peccati virtus. Hujus ergo chirographi inductione liberati ſumus in corpore Chriſti, dum cruci affixum eſt. Sed ultra progreditur Apoſtolus, nempe ſolutum fuiſſe Legis vinculum, non ut noſtro arbitrio vivamus, ſicuti mulier vidua ſui juris eſt dum in cœlibatu degit: ſed alteri marito nos jam eſſe devinctos: imo de manu (quod aiunt) in manum à Lege ad Chriſtum nos tranſiiſſe. Interea ſententiæ duritiem mitigat, quum dicit Chriſtum ut nos inſereret in ſuum corpus, à jugo Legis nos liberaſſe. Nam etſi Chriſtus ultro Legi ſe ad tempus ſubjecit, non tamen æquum eſt Legem ei dominari. Porro libertatem quæ ſibi propria eſt, ſuis quoque membris communicat. Itaque nihil mirum ſi Legis jugo eos eximit, quos ſibi copulat ſacro nexu, ut unum ſint cum eo corpus. *Ejus qui ſuſcitatus eſt.* Jam diximus Chriſtum in Legis vicem ſubſtitui, ne qua extra ipſum fingatur libertas, neve quis à Lege divortium facere audeat, ſibi nondum mortuus. Hac vero periphraſi uſus eſt, ad notandam vitæ æternitatem, quam à reſurrectione adeptus eſt Chriſtus: ut ſciant Chriſtiani copulam hanc fore perpetuam. Porro de ſpirituali conjugio Chriſti cum Eccleſia, clarius ad Epheſios cap. 6. *Ut fructificemus Deo.* Cauſam finalem ſemper adjungit, ne quid licentiæ quiſpiam carni ſuæ & ejus concupiſcentiis hoc prætextu indulgeat, quod à Legis ſervitute nos aſſeruit Chriſtus. nam ſecum nos Patri in ſacrificium obtulit, & in hunc finem nos regenerat, ut vitæ novitate fructificemus Deo. Scimus autem quos à nobis fructus poſtulet cœleſtis Pater, nempe ſanctitatis & juſtitiæ. Nec vero id libertati noſtræ derogat, ſi Deo ſervimus. imo ſi volumus tanto Chriſti beneficio frui, poſthac non licet niſi de promovenda Dei gloria cogitare, cujus cauſa nos Chriſtus aſſumpſit: alioqui manemus non Legis modo, ſed peccati mortiſque mancipia.

5. Quum enim eſſemus in carne, affectus peccatorum qui ſunt per Legem, in membris noſtris operabantur ad fructificandum morti.

6. Nunc vero ſoluti ſumus à Lege, mortui ei in qua detinebamur: ut ſerviamus in novitate Spiritus, & non in vetuſtate literæ.

5. *Quum enim eſſemus.*] A contrario dilucidius adhuc oſtendit quam perperam Legis zelotæ ſub ejus imperio adhuc detineant fideles. Quamdiu enim dominatur ac viget literalis Legis doctrina abſque Chriſti Spiritu, non cobibetur carnis laſcivia, ſed potius ebullit. unde ſequitur non ſtabiliri juſtitiæ regnum, niſi dum nos Chriſtus à Lege manumittit. Simul Paulus admonet quæ opera nos deceant ſolutos à Lege. Quamdiu ergo jugo Legis detinetur homo, aſſidue peccando, nihil quam mortem conciliare ſibi poteſt. Si Legis ſervitus ſolum peccatum generat, ergo manumiſſio, quæ contraria eſt, ad juſtitiam debet tendere: ſi illa ad mortem ducit, ergo hæc ad vitam. Sed ipſa Pauli verba expendamus. Dum ejus temporis ſtatum deſcribere vult, quo Legis imperio ſubjacebamus, dicit nos in carne fuiſſe. Unde intelligimus, eos omnes qui ſub Lege ſunt, nihil aliud inde conſequi, quam ut externo ejus ſpiritu feriantur ipſorum aures ſine fructu & efficacia: quandoquidem Dei Spiritu intus deſtituti ſunt. Itaque neceſſe eſt penitus eos vitioſos ac perverſos manere, donec ſanando morbo melius remedium ſuccedat. Et nota formulam Scripturæ uſitatam, In carne eſſe, pro eo quod eſt, ſolis naturæ dotibus eſſe præditum, ſine ſingulari gratia qua electos ſuos Deus dignatur. Porro ſi totus hic vitæ ſtatus in vitio ponitur, apparet nullam animæ noſtræ partem naturaliter integram eſſe: nec aliam vim eſſe liberi arbitrii, niſi ut pravos affectus tanquam jacula in omnes partes emittat. *Affectus peccatorum qui ſunt per Legem.* Hoc eſt, Lex in nobis excitabat pravos affectus, qui ſuam efficaciam in omnibus noſtri partibus exerebant. nulla enim pars erat quæ non ſerviret pravis affectibus. Hoc eſt Legis opus, ſi non acceſſerit interior ille magiſter Spiritus, corda noſtra magis accendere, ut in tales cupiditates ebulliant. Sed obſerva hic Legem conferri cum vitioſa hominis natura: cujus perverſitas ac libido, quo magis juſtitiæ repagulis coërcetur, eo furioſius erumpit. Addit rurſus, quamdiu affectus carnis ſub Lege dominabantur, eos fructificaſſe morti, ut Legem oſtendat per ſe exitialem fuiſſe. Unde ſequitur eos deſipere, qui mortiferam ſervitutem tantopere appetunt.

6. *Nunc vero ſoluti ſumus à Lege.*] Suum à contrariis argumentum perſequitur, Si Legis vinculum adeo nihil ad carnem frenandam valebat, ut peccandi incitamentum magis foret: ideo nos ſolvi neceſſe eſt, ut peccare deſinamus. Si ideo à Legis ſervitute ſumus manumiſſi ut Deo ſerviamus: perperam faciunt, qui inde captant peccandi licentiam: perperam loquuntur, qui docent laxata eſſe hoc modo concupiſcentiis frena. Nota ergo, nos tum à Lege ſolvi, quum ab ejus rigida exactione & maledictione abſolutos, Spiritu ſuo nos imbuit Deus quo in viis ſuis ambulemus. *Mortui ei.* Hæc pars rationalis eſt, vel potius modum ſubindicat quo liberati ſumus: videlicet dum Lex eatenus eſt nobis abrogata, ne intolerabili ejus onere premamur: vel ne inexorabilis ejus rigor nos maledictione obruat. *In novitate Spiritus.* Spiritum literæ opponit, quia antequam ad Dei voluntatem voluntas noſtra per Spiritum ſanctum formata ſit, non habemus in Lege niſi externam literam: quæ frenum quidem externis noſtris actionibus injicit, concupiſcentiæ autem noſtræ furorem minime cohibet. Novitatem vero Spiritui attribuit, quia in locum veteris hominis ſuccedit: ut litera vetus dicitur, quæ interit per Spiritus regenerationem.

7. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per Legem: concupiſcentiam enim non noveram, niſi Lex diceret, Non concupiſces.

8. Occaſione autem ſumpta, peccatum per mandatum effecit in me omnem concupiſcentiam.

7. *Quid ergo dicemus?*] Quoniam dictum eſt, nos à Lege liberari oportere, ut in Spiritus novitate Deo ſerviamus: videbatur hoc hærere vitium in Lege, quaſi nos ad peccatum impelleret. Atqui quum illud ſupra modum abſurdum ſit, jure refellendum ſuſcepit Apoſtolos. Quum autem rogat an peccatum ſit, intelligit an peccatum ſic generet, ut illi imputari ejus culpa debeat. *Sed peccatum non cognovi.* Peccatum ergo in nobis, non in Lege reſidet: quia ejus cauſa eſt prava carnis noſtræ cupiditas: in ejus vero notitiam venimus ex agnitione juſtitiæ Dei quæ nobis in Lege declaratur. Neque vero intelligas, nullum prorſus haberi diſcrimen inter æquum & iniquum ſine Lege: ſed nos vel nimis eſſe hebetes in videnda noſtra pravitate, vel dum nobis adulamur, prorſus reddi ſtupidos: quemadmodum etiam ſequitur, *concupiſcentiam enim.* Declaratio eſt igitur ſuperioris ſententiæ: in qua demonſtrat ignorationem peccati de qua loquutus erat, in eo fuiſſe ſitam quod concupiſcentiam ſuam non animadvertebat. Conſulto autem in una ſpecie inſiſtit, in qua maxime regnat hypocriſis, cui ſemper annexa eſt ſupina indulgentia & ſecuritas. Nunquam enim ita judicio privantur homines, quin ſuum apud eos diſcrimen retineant externa opera. imo coguntur etiam ſcelerata conſilia & ſimiles conatus damnare: quemadmodum facere nequeunt, quin rectæ voluntati ſuam tribuant laudem. Sed vitium concupiſcentiæ occultius eſt, ac profundius reconditum: quo fit ut nunquam in rationem veniat, quamdiu judicant ex ſuo ſenſu homines. Neque vero expertem ejus ſe fuiſſe jactat: ſed ita indulgebat ſibi, ut latens illud in corde vitium non reputaret. Nam quum ad tempus deceptus foret, quando juſtitiam non credebat impediri concupiſcentia: tum demum intellexit ſe eſſe peccatorem, dum vidit concupiſcentiam Lege prohiberi, qua nemo hominum vacuus eſt. Dicit Auguſtinus, hoc verbo totam Legem complexum eſſe Paulum: quod, modo probe intelligatur, verum erit. Nam ubi Moſes oſtendit à quibus cavendum ſit, ne proximum offendamus: ſubjicit interdictum concupiſcentiæ, quod ad illa omnia referendum eſt. Non dubium eſt quin ſuperioribus præceptis damnaſſet quoſcunque pravos affectus animi noſtri concipiunt: ſed multum inter deliberatam voluntatem intereſt, & appetitus quibus titillamur. Hoc igitur ultimo præcepto tantam à nobis integritatem Deus exigit, ut nulla nos vitioſa cupiditas ad malum ſollicitet, utcunque non accedat conſenſus. Ideo dixi Paulum hic altius conſcendere quam ferat communis hominum captus. Nam politicæ quidem leges conſilia ſe, non eventus punire clamant. Philoſophi etiam ſubtilius tam vitia quam virtutes locant in animo: ſed Deus hoc præcepto ad concupiſcentiam uſque penetrat, quæ voluntate occultior eſt. itaque vitii loco non cenſetur. Nec tantum apud Philoſophos veniam obtinuit, ſed hodie acriter contendunt Papiſtæ, in regenitis non eſſe peccatum. Atqui Paulus ſe reatum ſuum deprehendiſſe ex hoc latente morbo dicit. unde ſequitur, quicunque eo

labo-

Digitized by Google

laborant, minime eſſe excuſabiles, niſi quatenus culpam Deus ignoſcit. Tenenda interim eſt illa diſtinctio inter pravas libidines quæ ad conſenſum uſque perveniunt, & concupiſcentiam quæ ſic corda titillat & afficit, ut in medio impulſu ſubſiſtat.

8. *Occaſione autem ſumpta.*] A peccato ergo & carnis corruptione naſcitur quicquid mali eſt: in Lege eſt tantum occaſio. Quanquam autem videri queat de excitatione modo loqui, qua per Legem inſtigatur cupiditas noſtra, ut in majorem ebulliat inſaniam: tamen ad cognitionem præcipue refero, acſi dictum foret, Detexit in me omnem concupiſcentiam: quæ dum lateret, quodammodo nulla eſſe videbatur. Neque tamen inficior quin acrius à Lege exſtimuletur caro ad concupiſcendum, atque etiam hoc modo ſe in lucem proferat: quod & Paulo accidere potuit. Sed quod de manifeſtatione dixi, contextui videtur magis convenire. Continuo enim ſubjicit,

Sine Lege enim peccatum eſt mortuum.
9. Ego autem vivebam ſine Lege aliquando. adveniente autem mandato, peccatum revixit.
10. Ego autem mortuus ſum, & deprehenſum eſt à me, mandatum quod erat in vitam, cedere in mortem.
11. Peccatum enim, occaſione ſumpta per mandatum, abduxit me à via, & per illud occidit.
12. Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.

Sine Lege enim peccatum.] Clariſſime exprimit quem ſenſum habeant ſuperiora. Perinde enim eſt acſi diceret ſepultam eſſe ſine Lege, peccati notitiam. Eſtque ſententia generalis, cui mox exemplum ſuum accommodat. Quamobrem miror quid in mentem venerit interpretibus, ut verterent in præterito imperfecto, acſi Paulus de ſe loqueretur: quum facile ſit videre, illum à propoſitione univerſali voluiſſe incipere, deinde rem explanare ſuo exemplo.

9. *Ego autem vivebam.*] Vult innuere, fuiſſe tempus quo ſibi, vel apud ſe peccatum mortuum erat. Neque vero eſt intelligendum quod fuerit exlex aliquo tempore: ſed iſtud Vivebam, habet propriam connotationem: quia abſentia Legis faciebat ut viveret: hoc eſt, inflatus juſtitiæ ſuæ fiducia, vitam ſibi arrogaret, quum tamen eſſet mortuus. Quo clarior ſit ſententia, ſic reſolve, Quum aliquando eſſem ſine Lege, vivebam. Dixi autem emphaticum eſſe hoc verbum, quia juſtum ſe fingendo, vitam quoque ſibi arrogabat. hic ergo eſt ſenſus, Quum ſepoſita Legis cogitatione peccarem, ſic ſopitum erat peccatum quod non obſervabam, ut prope mortuum videretur. Ego contra, quia peccator mihi non videbar, acquieſcebam in me, putans mihi domi eſſe vitam. Nam mors peccati, vita eſt hominis: rurſum vita peccati, mors hominis. Verum quæritur, quod fuerit illud tempus quo per Legis ignorantiam, ſive (ut ipſe loquitur) abſentiam, ſibi confidenter vitam arrogaret. Certum enim eſt, fuiſſe eruditum à puero in doctrina Legis: ſed illa erat literalis theologia, quæ ſuos diſcipulos non humiliat. Nam ſicut alibi dicit, velum interpoſitum eſſe ne
2 Cor. 3. verſ. 14. lucem vitæ in Lege conſpiciant Judæi: ſic etiam ipſe quantiſper Spiritu Chriſti vacuus velatos habuit oculos, ſibi in externa juſtitiæ larva placuit. Legem ergo abſentem vocat, quæ tametſi ob oculos obverſaretur, non afficiebat tamen eum ſerio judicii Domini ſenſu. ſic obtecti ſunt velamine hypocritarum oculi, ut non videant quantum exigat præceptum iſtud quo vetamur concupiſcere. *Adveniente autem mandato.* Sic advenientem è converſo Legem nunc vocat, quæ vere intelligi cœpta ſit. Illa ergo peccatum excitavit quaſi à mortuis: quia detexit Paulo quanta pravitate ſcaterent intima cordis ſui, & ſimul ipſum occidit. Meminerimus ſemper de ebria confidentia ipſum loqui, in qua deſident hypocritæ dum ſibi adulantur, quia ad peccata ſua connivent.

10. *Et deprehenſum eſt à me.*] Duo hic dicuntur, Quod præceptum viam vitæ nobis demonſtret in Dei juſtitia: ideoque datum ſit, ut Legem Domini obſervantes, vitam æternam aſſequamur, ſi non obſtaret noſtra omnium pravitas. Cæterum quia nemo eſt noſtrum qui Legi obtemperet, quin potius pedibus ac manibus præcipites volvimur in eam à qua nos revocat, non poteſt afferre niſi mortem. ſic diſtinguendum inter Legis naturam & vitium noſtrum. Unde ſequitur, quod Lex vulnus lethale in nobis infligit, accidentale eſſe: quemadmodum ſi morbus incurabilis remedio ſalubri magis exacerbetur. Fateor quidem accidens eſſe inſeparabile, ideoque Le- 2 Cor. 3.
gem alibi Evangelii reſpectu vocari miniſterium mortis: verſ. 7.
ſed hoc tamen fixum manet, non ſuapte natura nobis eſſe noxiam, ſed quia ejus maledictionem corruptio noſtra provocat & accerſit.

11. *Abduxit me à via.*] Verum quidem eſt, quamvis nos lateat Dei voluntas, nec præluceat ulla doctrina, totam hominum vitam vagam & erroribus plenam eſſe: imo donec viam recte vivendi Lex monſtret, nihil quam errare poſſumus. Sed quia tunc demum errorem ſentire incipimus, ubi Dominus alta voce nos coarguit: merito dicit Paulus, ubi peccatum à Lege detegitur, nos à via abduci. Ergo verbum ἐξαπατᾶν non de re ipſa, ſed de notitia exponi debet: quia ſcilicet ex Lege palam fit quantum à recto curſu diſceſſerimus. ideo neceſſario vertendum fuit, à via abducere: quia hinc peccatoribus qui ſecure antea pergebant, tædium & diſplicentia ſui, dum ſe ad mortem properaſſe intelligunt, poſtquam peccati fœditas à Lege in medium producta eſt. Porro nomen Occaſionis iterum inculcat, ut ſciamus Legem per ſe non eſſe mortiferam, ſed aliunde id contingere, & eſſe quaſi adventitium.

12. *Itaque Lex quidem ſancta.*] Quidam in vocibus Legis & Mandati putant eſſe geminationem: quibus ita aſſentior, ut ſtatuam ſubeſſe nonnihil energiæ: hoc eſt, Lex ipſa & quicquid Lege præcipitur, id totum ſanctum eſt; ergo ſumma dignitate reverendum: juſtum, ergo nullius injuſtitiæ inſimulandum: bonum, ergo omni vitio purum ac vacuum. Sic ab omni criminatione Legem vindicat, ne quis in eam conferre auſit quod à bonitate, juſtitia, ſanctitate ſit alienum.

13. Quod ergo bonum eſt, mihi in mortem ceſſit? Abſit. imo peccatum, ut appareat peccatum, per
bonum operatur mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

13. *Quod ergo bonum eſt.*] Hactenus ſic Legem ab omnibus calumniis aſſeruit, ut dubium tamen adhuc reſtaret ſitne illa cauſa mortis. Imo hic perplexæ hærent humanæ mentes, qui conveniat ex ſingulari Dei beneficio nihil quam exitium nos referre. Huic ergo nunc objectioni reſpondet, negans ex ea eſſe mortem, quamvis ejus occaſione nobis à peccato inferatur. Tametſi autem videtur hæc reſponſio pugnare in ſpeciem cum eo quod prius dixit, ſe deprehendiſſe mandatum quod in vitam datum erat, in mortem cedere: nihil tamen pugnat. Antea ſiquidem intelligebat, noſtra pravitate fieri ut Lege abutamur in noſtrum exitium, contra quam ferat ejus natura: hic autem negat eſſe mortis materiam, ut illi mors imputari debeat. 2. ad Corinth. 3. v. 7. liberius de Lege loquitur, ubi vocat mortis adminiſtrationem. Verum id facit ut in contentione fieri ſolet, non Legis naturam, ſed falſam adverſariorum opinionem reſpiciens. *Imo peccatum*, &c. Salva aliorum pace, ſic legendam arbitror ut poſui: itaque hunc eſſe ſenſum, Quodammodo juſtificatur peccatum antequam detegatur à Lege: quum vero Legis occaſione revelatur, tunc vere accipit peccati nomen: eoque magis ſceleſtum, atque (ut ſic loquar) peccatorium tunc apparet, quod inverſam Legis bonitatem in perniciem noſtram convertit. Valde enim peſtiferam rem eſſe oportet, quæ efficiat ut quod alioqui ſalubre eſt natura, noxam afferat. Senſus eſt, oportuiſſe per Legem detegi peccati atrocitatem: quia niſi peccatum immani quodam vel enormi (ut loquuntur) exceſſu prorumperet, non agnoſceretur peccatum. Exceſſus hic eo ſe violentius profundit, dum vitam convertit in mortem. Itaque tunc excuſationi locus tollitur.

14. Scimus enim quod Lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venditus ſub peccato.
15. Quod enim operor, non intelligo. ſiquidem non quod volo, hoc ago: ſed quod odi, hoc facio.
16. Si vero quod nolo, hoc facio: conſentio Legi Dei quod ſit bona.
17. Nunc vero non jam illud operor ego, ſed quod habitat in me peccatum.

14. *Scimus*

14. *Scimus enim quod Lex.*] Nunc propius committere inter ſe Legem & hominis naturam incipit, ut clarius intelligatur unde mortis vitium emergat. Deinde exemplum proponit hominis regenerati: in quo ſic carnis reliquiæ cum Lege Domini diſſident, ut ſpiritus ei libenter obtemperet. Sed initio (ut diximus) nudam naturæ & Legis comparationem proponit. Quum nullum ſit in rebus humanis diſſidium majus, quam ſpiritus & carnis: Lex ſpiritualis eſt, homo carnalis. Quæ igitur convenientia naturæ hominis cum Lege? nempe quæ luci cum tenebris. Porro quod Legem ſpiritualem vocat, non tantum eo ſignificat requirere interiores cordis affectus, ut nonnulli exponunt: ſed pro ratione antitheti, habet oppoſitam ſignificationem cum verbo Carnalis. Priores illi ſic exponunt, Lex ſpiritualis eſt: hoc eſt, non pedes tantum & manus ligat, quoad externa opera: ſed cordis affectibus impoſita eſt, ſincerumque Dei timorem exigit. At hic antitheſis expreſſa eſt inter carnem & ſpiritum. Porro ex contextu ſatis patebit, & jam ante etiam aliqua ex parte fuit oſtenſum, ſub carne comprehendi quicquid afferunt homines ex utero. Caro autem vocantur homines quales naſcuntur, & quamdiu ſuum ingenium retinent: quia ut vitioſi ſunt, ita nihil ſapiunt vel ſpirant niſi craſſum & terreſtre. Spiritus contra, corruptæ naturæ inſtauratio vocatur, dum nos Deus ad imaginem ſuam reformat. Inde autem loquendi ratio, quia Spiritus donum eſt quæ in nobis refingitur novitas. Quare doctrinæ Legis integritas vitioſæ hominis naturæ opponitur. ſenſus eſt igitur, Lex cæleſtem quandam & Angelicam juſtitiam requirit, in qua nævus nullus appareat, ad cujus munditiem nihil deſideretur: ego autem carnalis homo nihil poſſum quam illi adverſari. Illa autem Origenis expoſitio, quæ tamen ante hoc tempus multis arriſit, indigna eſt quæ refutetur. Legem ſpiritualem à Paulo vocatam dicit, quia non ſit literaliter intelligenda Scriptura. Quid iſtud ad cauſam præſentem?

Venditus ſub peccato.] Hac particula declarat quid valeat per ſe caro. Natura enim non minus ſervus eſt peccati homo, quam empta mancipia quibus heri, non ſecus ac bobus vel aſinis, pro libidine abutuntur: ſic prorſus agimur peccati imperio, ut tota mens, totum cor, omnes actiones in peccatum propendeant. Coactionem ſemper excipio: ſponte enim peccamus: quia peccatum non eſſet, niſi voluntarium. Sed addicti ſumus ita peccato, ut nihil ſponte poſſimus quam peccare: quia malitia quæ in nobis dominatur, huc nos rapit. Quare hæc ſimilitudo non coactam (ut loquuntur) aſtrictionem ſonat, ſed voluntarium obſequium, cui nos ingenita ſervitus addicit.

15. *Quod enim operor, non intelligo.*] Nunc deſcendit ad exemplum magis particulare hominis jam regenerati: in quo utrumque quod intendit, clarius apparet: nempe & quanta ſit diſcordia inter Legem Dei & hominis naturam, & quomodo nequaquam ex ſe mortem Lex generet. Siquidem quum homo carnalis tota animi propenſione in libidinem peccandi ruat, videtur ita libera electione peccare, ut ſit in poteſtate ejus moderari ſibi: ut hæc opinio perniciosiſſima apud omnes fere invaluit, hominem naturali facultate poſſe utrumlibet eligere, citra divinæ gratiæ auxilium. at vero dum voluntas fidelis hominis Spiritu Dei ad bonum agitur, illic perſpicue patet naturæ pravitas quæ obſtinate reſiſtit & nititur in adverſum. Ergo aptiſſimum in homine regenerato exemplum eſt, unde cognoſcas quantum ſit naturæ noſtræ diſſidium cum Legis juſtitia. hinc etiam alterius membri demonſtratio aptius petitur, quam ex nuda humanæ naturæ conſideratione. Lex enim, quia in homine penitus carnali ſolam mortem parit, facilius illic inſimulatur: quia dubium eſt unde vitium proveniat. In homine regenerato fructus ſalutares profert: unde apparet, per carnem tantum obſtare quominus vivificet: tantum abeſt ut à ſeipſa mortem generet. Quo igitur tota hæc diſputatio fidelius ac certius intelligatur, notandum eſt, hoc certamen de quo loquitur Apoſtolus, non prius extare in homine, quam Spiritu Dei fuerit ſanctificatus. Nam homo naturæ ſuæ relictus, totus ſine repugnantia in cupiditates fertur. Quanquam enim impii ſtimulis conſcientiæ lancinantur, neque ita ſibi blandiri poſſunt in ſuis vitiis, ut non aliquem amaritudinis guſtum ſentiant: non poſſis tamen inde colligere, aut malum ab iis odio haberi, aut bonum amari. Tantum ſic eos torqueri Dominus permittit, ut judicium ſuum aliqua ex parte illis demonſtret: non vero ut aut juſtitiæ amore, aut peccati odio afficiat. Hoc itaque inter eos ac fideles eſt diſcrimen, quod illi nunquam ita excæcati ſunt & indurati animis, quin, ſi appellantur de ſuis facinoribus, proprio conſcientiæ judicio illa damnent. Etenim non plane eſt extincta in illis intelligentia, quin æqui & iniqui differentiam habeant. interdum etiam propter mali ſui ſenſum horrore concutiuntur, ut quandam in hac vita damnationis ſpeciem ſuſtineant. nihilominus toto ex corde peccatum illis placet: ideoque in ipſum incumbunt ſine vera affectus repugnantia. Illi enim conſcientiæ aculei quibus punguntur, potius ex judicii contradictione naſcuntur, quam ex contrario voluntatis affectu. Pii contra, in quibus cœpta eſt Dei regeneratio, ſic diviſi ſunt, ut præcipuo cordis deſiderio ad Deum ſuſpirent, cæleſtem juſtitiam expetant, peccatum oderint: ſed rurſum carnis ſuæ reliquiis in terram retrahantur. Itaque dum ſic diſtrahuntur, vim ipſi naturæ ſuæ faciunt, & ſibi fieri ab ipſa ſentiunt. Neque judicio rationis tantum coacti peccata ſua damnant: ſed quia ſerio cordis affectu ea abominantur, & in iis ſibi diſplicent. Hæc eſt lucta Chriſtiana de qua Paulus ad Galatas loquitur, inter carnem & ſpiritum. *Galat. 5. verſ. 17.* Proinde bene dictum eſt, hominem carnalem totius animi conſenſu ac conſpiratione in peccatum ruere: diviſionem vero ſtatim tum incipere primum, ubi à Domino vocatus eſt, ac Spiritu ſanctificatus. Regeneratio enim inchoatur tantum in hac vita: reſiduum carnis quod manet, corruptos ſuos affectus ſemper ſequitur, atque ita pugnam contra Spiritum movet. Imperiti qui non reputant qua in re verſetur Apoſtolus, aut quam agendi œconomiam teneat, putant hominis naturam hic deſcribi. Et ſane talis eſt apud Philoſophos deſcriptio humani ingenii. Verum Scriptura longe altius philoſophatur, quia videt nihil in corde hominis remanſiſſe præter perverſitatem, ex quo Adam imagine Dei ſpoliatus eſt. Ita Sophiſtæ, quum liberum arbitrium definire volunt, vel æſtimare quid valeat naturæ facultas, in hunc locum inſiſtunt. Atqui Paulus (ut jam dixi) non hic proponit nudam hominis naturam: verum qualis & quanta ſit fidelium infirmitas, ſub perſona ſua deſcribit. In communi errore aliquandiu verſatus Auguſtinus: verum loco propius excuſſo, non tantum retractavit quod male docuerat, ſed libro ad Bonifacium primo, multis validis rationibus contendit, non aliter quam de renatis poſſe exponi. Et nos operam dabimus, ut ita eſſe lectores perſpicue agnoſcant. *Non intelligo.* Significat ſe opera, quæ ex infirmitate carnis admittit, non agnoſcere ut ſua: quoniam ea deteſtatur. Itaque non prorſus male Eraſmus Probandi verbum poſuit: ſed quia ambiguum eſſe poterat, verbum Intelligendi retinere malui. Unde colligimus, recto judicio ſic conſentaneam eſſe Legis doctrinam, ut ejus tranſgreſſionem quaſi rem brutam repudient fideles. Quia vero fateri videtur Paulus, ſe aliter docere quam Lex præcipiat, decepti fuerunt multi interpretes, qui putarunt eum ſumpſiſſe alienam perſonam: hinc ille vulgaris error, deſcribi

ſcribi

ſcribi hoc toto capite ingenium bominis non regeniti. Atqui Paulus ſub tranſgreſſione Legis omnes piorum lapſus iotelligit, qui nec Dei timorem, nec ſtudium recte agendi illis excutiunt. Itaque negat ſe facere quod Lex exigit, quia non præſtat omoibus numeris, ſed quodammodo ſatiſcit io ſuo conatu. *Siquidem non quod volo.* Ne iotelligas iſtud perpetuum in eo fuiſſe ut nihil boni unquam implere potuerit: ſed queritur duntaxat, ſe, quod cupit, non poſſe præſtare, ut ea qua decet alacritate bonum perſequatur, quia tenetur quodammodo alligatus: rurſum, deficere in quo minime vellet, quia carnis imbecillitate claudicat. Non facit igitur bonum quod vult pium pectus, quia non juſta ſtrenuitate inſiſtit: facit malum quod non vult, quia ſtare deſiderat, & labitur, vel ſaltem vacillat. Cæterum iſtud velle & nolle, ad ſpiritum referre oportet, qui primas in fidelibus tenere debet. Eſt quidem & ſua carni voluntas: ſed Paulus quod præcipuo cordis affectu appetebat, vocat voluntatem: quod cum eo pugnabat, id vocat ſuæ voluntati contrarium. Hinc vero colligere licet quod diximus, Paulum hic de fidelibus diſſerere, in quibus viget aliqua Spiritus gratia, quæ illuſtret ſanæ mentis conſenſum cum juſtitia Legis: quia io carnem non cadit peccati odium.

16. *Si vero quod nolo, facio: conſentio Legi.*] Id eſt, dum cor meum in Lege acquieſcit, & oblectatur ejus juſtitia (quod certe fit ubi tranſgreſſionem odio habet) in eo ſentit ac fatetur Legis bonitatem: ut ſatis, vel experientia docente, convincamur, Legi nihil mali eſſe imputaodum: imo ſalutarem hominibus eam fore, ſi in recta puraque corda iocideret. Hic autem conſenſus non eſt accipiendus qualem audimus in impiis, quorum ſuot voces, Video meliora, proboque, Deteriora ſequor. Item, Quæ oocitura, ſequar: fugiam, quæ profore credam. Illi enim coacti faciunt, quod ſubſcribunt in Dei juſtitiam, à qua ſunt alioqui prorſus aliena voluntate: at pius ſerio quoque & promptiſſimo pectoris deſiderio coofentit: quia nihil mallet quam in cælum evolare.

17. *Non jam operor illud.*] Non eſt deprecatio ſe excuſantis, acſi culpa vacaret: quomodo multi nugatores juſtam defenſionem habere ſe putant qua tegant ſua flagitia, dum in carnem ea rejiciunt: ſed eſt teſtificatio quam longe diſſentiat à ſua carne, ſpirituali affectu. tanto enim ſpiritus fervore feruntur in Dei obedientiam fideles, ut carnem ſuam abnegent. Porro hic locus palam evincit, nonniſi de piis qui jam regeniti ſunt, Paulum diſputare. Quamdiu enim manet bomo ſui ſimilis, quantus quantus eſt, merito cenſetur vitioſus. Atqui Paulus hic ſe negat totum à peccato occupari, imo ab ejus ſervitute ſe eximit: acſi diceret, in aliqua tantum animæ ſuæ parte reſidere peccatum, qoum ipſe ſerio cordis affectu nitatur & aſpiret ad Dei juſtitiam, reque ipſa demonſtret Legem Dei ſe intus inſculptam geſtare.

18. Novi enim quod non habitat in me (hoc eſt, in carne mea) bonum. Siquidem velle adeſt mihi: ſed ut perficiam bonum, non reperio.

19. Non enim quod volo, facio bonum: ſed quod nolo malum, id ago.

20. Si vero quod nolo, ego id facio: non jam ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

18. *Non enim.*] Dicit nullum in ſe bonum habitare, quantum ad naturam. Idem ergo hoc valet acſi dictum foret, In me, quatenus ex me. Prima enim oratione damnat ſe totum pravitatis, quum fateatur nihil boni in ſe babitare: deinde correctionem ſubjicit, ne ſit contumelioſus in Dei gratiam, quæ ipſa qooque in eo habitabat, ſed pars carnis non erat. Atque bic rurſum confirmat, ſibi oon de quolibet homine ſermonem eſſe, ſed tantum de fideli, qui propter carnis reliquias & gratiam in ſeipſo diviſus eſt. Quorſum enim iſta correctio, niſi pars aliqua à vitio immunis foret? ideoque non carnalis. Nomine Carnis ſemper comprehendit omnes humanæ naturæ dotes, ac omnino quicquid in homine eſt, excepta ſpiritus ſanctificatione. Quemadmodum Spiritus vocabulo, quod illi opponere ſolet, ſignificat partem animæ quam Spiritus Dei à malitia repurgatam ſic refinxit, ut in ea refulgeat Dei imago. Utrumque igitur nomen, nempe tam Carnis quam Spiritus io animam competit: ſed alterum qua parte eſt regenerata, alterum qua naturalem adhuc affectum retinet. *Velle adeſt mibi.* Non intelligit ſibi nihil eſſe præter ineſficax deſiderium: ſed efficaciam operis negat reſpondere voluntati; quia remoram injicit caro, ne exacte faciat quod facit. Sic etiam accipe quod ſequitur, Facere malum quod non vult; quia non modo impedit ſua fideles caro, ne celeriter currant: ſed opponit etiam multa obſtacula ad quæ impingant. non faciunt igitur, quia non implent qua decet alacritate. Proinde hoc Velle cujus meminit, fidei promptitudo eſt, dum pios format Spiritus ſanctus, ut præſto ſint, ſuaque membra exhibere ſtudeant ad præſtandum Deo obſequium. quia vero impar eſt facultas, ſe reperire negat Paulus quod optandum eſſet, nempe boni deſiderii effectum. Eodem ſpectat quæ proxime ſequitur confeſſio, Eum non facere bonum quod cupit, ſed potius malum quod non vult: quia ſcilicet fideles quamlibet recte animati ſint, propriæ tameo infirmitatis ſibi conſcii, nullum à ſe opus proficiſci culpa vacuum cenſent. Nam quum Paulus non de paucis delictis piorum bic agat, ſed in genere totum vitæ eorum curſum deſignet, colligimus optima eorum opera ſemper aliqua vitii macula fœdari: ut nulla ſperanda ſit merces, niſi quatenus illis Deus ignoſcit. Tandem repetit illam ſententiam, quatenus præditus eſt cæleſti luce, juſtitiæ Legis ſe fidum eſſe teſtem ac ſubſcriptorem. Unde ſequitur, ſi nobis conſtaret pura naturæ integritas, Legem non fore mortiferam: nec vero per ſe adverſam homini qui ſana mente præditus, à peccato abhorret. verum ſanitas à cæleſti medico eſt.

21. Reperio igitur Legem volenti mihi facere bonum, quod mihi malum inſideat.

22. Conſentio enim Legi Dei ſecundum interiorem hominem:

23. Video autem alteram legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me reddentem legi peccati quæ eſt in membris meis.

21. *Reperio igitur.*] Hic quadruplicem legem fingit Paulus. Legem Dei quæ ſola proprie ſic nuncupatur, quia eſt juſtitiæ regula, qua vita noſtra recte formatur. Huic conjungit legem mentis, ſic appellans propenſionem fidelis animæ ad obedientiam divinæ Legis: quia eſt quædam noſtri cum Lege Dei conformatio. Ex adverſa parte opponit legem injuſtitiæ: ac ſic alluſione quadam appellat imperium quod habet iniquitas tam io homine nondum regenerato, quam in carne hominis regenerati. Nam & tyrannorum jura, utcunque iniquiſſima ſint, leges tamen dicuntur abuſive. Huic legi peccati

reſpon-

reſpondere facit legem membrorum, hoc eſt, concupiſcentiam in membris ſitam: propter eam quam habet cum iniquitate ſymphoniam. Quod ad primum membrum ſpectat, quia nomen Legis in proprio ſenſu accipiunt multi interpretes, ſubaudiunt [illegible] vel διὰ. atque ita vertit Eraſmus, per Legem; acſi dixiſſet Paulus ſe Lege Dei magiſtra & duce deprehendere ingenitum ſibi vitium. Verum ut nihil ſubaudias, bene fluet ſententia, fideles dum ad bonum nituntur, quandam in ſe tyrannicam legem reperire: quia eorum medullis & oſſibus infixa ſit vitioſitas Legi Dei adverſa & repugnans.

22. *Conſentio enim Legi Dei.*] Hic ergo vides qualis ſit in piis animis diviſio, ex qua oritur illa concertatio ſpiritus & carnis, quam Auguſtinus alicubi eleganter vocat luctam Chriſtianam. Lex Dei ad juſtitiæ rectitudinem hominem vocat: iniquitas, quæ eſt velut lex tyrannica Satanæ, ad nequitiam inſtigat. Ad divinæ Legis obedientiam fert ſpiritus: caro in contrariam partem retrahit. Homo ita variis voluntatibus diſtractus, jam quodammodo duplex eſt: ſed quoniam principatum debet tenere ſpiritus, illa præcipue ſeſe parte cenſet ac æſtimat. Ideo Paulus ait, ſe captivum à carne ſua vinciri, quia quod titillatur adhuc pravis concupiſcentiis & commovetur, id coactio eſt reſpectu ſpiritualis deſiderii quod prorſus reſiſtit. Cæterum notanda eſt diligenter acceptio interioris hominis & membrorum: quam plurimi quum male intelligerent, ad hunc ſcopulum impegerunt. Interior igitur homo, non anima ſimpliciter dicitur, ſed ſpiritualis ejus pars quæ à Deo regenerata eſt: Membrorum vocabulum reſiduam alteram partem ſignificat. Nam ut anima eſt pars excellentior hominis, corpus inferior: ita ſpiritus ſuperior eſt carne. Hac ergo ratione, quia ſpiritus locum animæ tenet in homine: caro autem (id eſt corrupta & vitiata anima) corporis: ille interioris hominis, hæc membrorum nomen obtinet. Alio quidem ſenſu capitur exterior homo, 2. ad Corinth. 4. v. 16. ſed præſentis loci circumſtantia, quam poſui interpretationem neceſſario exigit. Interior autem vocatur per excellentiam, quia cor & reconditos affectus poſſidet, quum appetitus carnis vagi ſint, & quaſi extra hominem. Vel certe perinde eſt acſi quis cælum terræ conferret: nam contemptim Paulus Membrorum appellatione deſignat quicquid in homine apparet, ut arcanam renovationem melius oſtendat ſenſus noſtros latere ac fugere, niſi quoad fide apprehenditur. Jam quum lex mentis haud dubie ſignificet affectum rite compoſitum, perperam ad homines nondum regenitos torqueri hunc locum patet. Tales enim mente privatos eſſe docet Paulus, quia eorum anima à ratione degenerat.

24. Miſer ego homo! quis me eripiet à corpore mortis hoc?
25. Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Itaque idem ego mente ſervio Legi Dei: carne autem legi peccati.

24. *Miſer ego.*] Claudit diſputationem exclamatione vehementiæ plena, qua docet non modo luctandum cum carne noſtra eſſe, ſed aſſiduo gemitu deplorandam apud nos & coram Deo noſtram infelicitatem. Non quærit autem à quo ſit liberandus, quaſi dubitans, ut increduli qui non tenent unicum eſſe liberatorem: ſed vox eſt anhelantis, ac prope fatiſcentis, quia non ſatis præſentem opem videat. Ideo & verbum Eripere poſuit, quo exprimeret ad hanc liberationem opus eſſe non vulgari Dei potentia. *Corpus mortis* vocat maſſam peccati, vel congeriem ex qua totus homo conflatus eſt: niſi quod in eo tantum manebant reliquiæ, quarum vinculis captivus detinebatur. Pronomen τούτου, quod ego cum Eraſmo ad corpus retuli, morti quoque apte congruit: ſed eodem fere ſenſu: quia docere voluit Paulus apertos eſſe filiis Dei oculos, ut naturæ ſuæ corruptionem, & mortem quæ inde naſcitur, prudenter à Lege Dei diſcernant. Cæterum Corporis appellatio eadem eſt quæ Externi hominis ac Membrorum: quia Paulus vitii originem hanc eſſe notat, quod homo à creationis ſuæ lege deſcivit, atque ita carneus & terreſtris factus eſt. Nam etſi adhuc brutis animalibus excellit, vera tamen præſtantia ei adempta eſt: & quod reliquum manet, innumeris corruptelis eſt refertum: ut merito ejus anima, quatenus degener eſt, dicatur in corpus tranſiiſſe. Sic etiam
Gen. 6: 3. Deus apud Moſen, Non amplius litigabit Spiritus meus cum homine, quia ipſe etiam caro eſt: ubi hominem ſpirituali excellentia ſpolians, pecudibus probroſe comparat. Inſignis vero eſt hic Pauli locus ad conterendam omnem carnis gloriam, docet enim, perfectiſſimos quoſque, quamdiu in carne ſua habitant, miſeriæ eſſe addictos, quia morti ſunt obnoxii: imo dum ſe penitus excutiunt, nihil in ſua natura præter miſeriam ipſis occurrere. Porro ne corpori indulgeant, ſuo exemplo ad anxios gemitus eos Paulus extimulat: jubetque quamdiu in terra peregrinantur, mortem appetere, tanquam unicum mali ſui remedium. atque hic rectus eſt finis expetendæ mortis. Profanos enim ſæpe deſperatio ad idem votum impellit: ſed præſentis vitæ faſtidio magis quam ſuæ iniquitatis tædio mortem perperam appetunt. Adde quod fideles quamvis ad verum ſcopum colliment, non tamen effreni impetu feruntur ad mortem optandam, ſed Dei arbitrio ſe ſubjiciunt, cui vivere & mori nos oportet. quare non fremunt indignatione adverſus Deum, ſed ſuas in ejus ſinum anxietates ſuppliciter deponunt: quia non ita in miſeriæ ſuæ cogitatione ſubſidunt, quin acceptæ gratiæ memores, dolorem lætitia temperent: quemadmodum ſequitur.

25. *Gratias ago.*] Hanc ergo gratiarum actionem continuo ſubjecit, ne quis eum in ſua querimonia Deo contumaciter obſtrepere putaret. Scimus enim quam proclivis ſit etiam in juſto dolore ad murmur vel impatientiam lapſus. Etſi ergo Paulus ſortem ſuam deflens, ad exitum ſuſpirat: ſimul tamen fatetur ſe acquieſcere in Dei gratia. Neque enim ſanctos, dum ſuos defectus examinant, quid jam à Deo acceperint, oblivíſci decet. Porro hæc cogitatio ad frenandam impatientiam, fovendamque quietem ſufficit, receptos ſe in Dei cuſtodiam eſſe, ne unquam pereant: & jam primitiis Spiritus ſe donatos, quæ certam illis ſpem faciant hæreditatis æternæ. Quod ſi promiſſa cælorum gloria nondum fruantur: ea tamen quam adepti ſunt, menſura contenti, nunquam gaudii materia carent. *Itaque idem ego.* Brevis epilogus, quo docet nunquam ad juſtitiæ metam pertingere fideles quamdiu in carne ſua habitant: ſed in curſu eſſe, donec corpore exuantur. Mentem rurſus vocat, non rationalem animæ partem quam celebrant Philoſophi: ſed quæ Spiritu Dei illuſtrata eſt ut recte ſapiat & velit. neque enim ſolius intelligentiæ ſit mentio, ſed conjungitur ſerium cordis deſiderium. Hac porro exceptione fatetur ſe ita eſſe Deo addictum, ut repens in terra, multis ſordibus inquinetur. Notabilis locus ad convincendum illud perniciosiſſimum Catharorum dogma, quod hodie ſuſcitare rurſum conantur tumultuoſi quidam ſpiritus.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

NUlla igitur condemnatio eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu: qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.

2. Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu, liberum me reddidit à lege peccati & mortis.

3. Quod enim impoſſibile erat Legi, eo quod infirmabatur per carnem, miſſo Deus Filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, etiam de peccato damnavit peccatum in carne:

4. Ut juſtificatio Legis impleretur in nobis qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

1. *Nulla* &c.] Ubi certamen ſubjecit quod habent pii cum carne ſua perpetuum, redit ad conſolationem illis valde neceſſariam, cujus antea meminerat: quod tametſi à peccato adhuc teneantur obſeſſi, mortis tamen poteſtati jam exempti ſint, & omni maledictioni: modo non in carne vivant, ſed in ſpiritu. Tria enim ſimul conjungit, imperfectionem qua ſemper laborant fideles, Dei indulgentiam in ea condonanda & ignoſcenda, regenerationem Spiritus: atque hoc quidem poſtremum, ne quis vana opinione ſe lactet, acſi liberatus eſſet à maledictione, carni ſuæ interim ſecure indulgens. Ut ergo fruſtra ſibi blandiatur homo carnalis, ſi de emendanda vita nihil ſollicitus, hujus gratiæ prætextu impunitatem ſibi promittat: ita habent trepidæ piorum conſcientiæ invictum propugnaculum, quod dum in Chriſto manent, ſciunt ſe eſſe extra omne damnationis periculum. Nunc verba expendere operæpretium eſt. *Secundum ſpiritum ambulare* dicit, non qui penitus exuerint omnes carnis ſenſus, ut tota eorum vita præter cæleſtem perfectionem nihil redoleat: ſed qui in domanda & mortificanda carne ſedulo laborant, ut appareat ſtudium pietatis in ipſis regnare. Tales negat ambulare ſecundum carnem: quia ubicunque viget ſincerus Dei timor, carni imperium abrogat, quamvis non aboleat omnes ejus corruptelas.

2. *Lex enim Spiritus vitæ.*] Probatio eſt ſuperioris ſententiæ: quæ ut intelligatur, notanda eſt verborum ſignificatio. Legem Spiritus improprie vocat Dei Spiritum qui animas noſtras Chriſti ſanguine aſpergit, non tantum ut à peccati labe emundet quoad reatum: ſed in veram puritatem ſanctificet. Addit eſſe vivificam: (nam genitivus Hebraico more pro epitheto capitur) unde ſequitur eos qui hominem in litera Legis detinent, morti ipſum addicere. Ex adverſo legem peccati & mortis appellat carnis imperium, & quæ inde conſequitur, mortis tyrannidem. Lex Dei tanquam in medio ponitur: quæ docendo juſtitiam, conferre eam non poteſt: quin potius in peccati & mortis ſervitutem fortioribus vinculis nos aſtringit. Sententia igitur eſt, Quod Lex Dei homines condemnat, id fit quia quantiſper ſub Legis obligatione manent, peccati ſervitute premuntur: atque ita rei ſunt mortis. Spiritus autem Chriſti, dum inordinatas carnis cupiditates corrigendo, legem peccati in nobis abolet, ſimul à mortis reatu nos vindicat. Si quis excipiat, veniam ergo qua ſepeliuntur noſtra delicta, à regeneratione pendere: facilis ſolutio eſt, non aſſignari cauſam à Paulo, ſed modum tradi duntaxat quo ſolvimur à reatu. Negat autem Paulus externa Legis doctrina id nos conſequi, ſed dum Spiritu Dei renovamur, ſimul etiam juſtificari gratuita venia, ne peccati maledictio in nos amplius recumbat. Perinde ergo valet hæc ſententia acſi dixiſſet Paulus, regenerationis gratiam ab imputatione juſtitiæ nunquam disjungi. Legem peccati & mortis non auſim cum quibuſdam accipere pro Lege Dei, quia aſperior videtur loquutio. Quamvis enim peccatum augendo mortem generet, Paulus tamen ab hac invidia conſulto ſupra deflexit. Quanquam nihilo magis eorum opinioni aſſentior qui legem peccati exponunt de carnis concupiſcentia, acſi diceret Paulus, ſe illius eſſe victnrem. Nam paulo poſt ſatis (ut arbitror) patebit de abſolutione gratuita loqui, quæ tranquillam nobis cum Deo pacem conciliat. Legis nomen retinere malui quam cum Eraſmo Jus aut poteſtatem vertere: quia non temere Paulus ad Legem Dei alluſit.

3. *Quod enim impoſſibile erat Legi.*] Nunc ſequitur expolitio, vel illuſtratio probationis, quod ſcilicet Dominus gratuita ſua miſericordia nos in Chriſto juſtificavit: id quod Legi erat impoſſibile. ſed quia maxime inſignis eſt ſententia, ſingulas ejus partes expendamus. De gratuita juſtificatione, vel de venia qua Deus ſibi nos reconciliat, hic tractari, ex poſtrema clauſula licet colligere, ubi adjungit, Qui ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ambulamus. Nam ſi docere vellet Paulus, Spiritu regenerationis nos inſtrui ad vincendum peccatum, quorſum iſta additio? Optime autem convenit, poſtquam gratuitam remiſſionem pollicitus eſt fidelibus, doctrinam hanc ad eos reſtringi, qui pœnitentiam fidei adjungunt, nec abutuntur Dei miſericordia ad carnis licentiam. Deinde notanda eſt cauſæ redditio. docet enim Apoſtolus quomodo gratia Chriſti nos à reatu abſolvat. Jam quod attinet ad verba, τὸ ἀδύνατον Legis, haud dubie pro defectu vel impotentia accipitur: acſi dictum eſſet inventum fuiſſe à Deo remedium, quo Legis impoſſibilitas ſublata fuit. Particulam ἐν ᾧ, quam Eraſmus reddidit, Ea parte qua: quia cauſalem eſſe arbitror, vertere placuit, Eo quod. Quanquam autem apud idoneos linguæ Græcæ auctores forte non occurret talis loquendi forma: quia tamen Apoſtoli paſſim Hebraicas phraſes uſurpant, dura videri non debet hæc interpretatio. Certe ſani lectores concedent expreſſam hic fuiſſe defectus cauſam, ut paulo poſt iterum dicemus. Jam quum Eraſmus principale verbum ſuppleat, mihi videtur aliter contextus optime fluere. Copula καὶ Eraſmum decepit, ut insereret verbum Præſtitit. Ego vero amplificandi cauſa poſitam fuiſſe ſentio. Niſi cui forte magis probetur Græci ſcholiaſtæ conjectura, qui membrum hoc Et de peccato, ſuperioribus connectit, Deum miſiſſe Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & pro peccato. Ego tamen quod putavi ex genuino Pauli ſenſu eſſe, ſequutus ſum. Nunc venio ad rem ipſam. Clare affirmat Paulus, ideo expiata fuiſſe peccata Chriſti morte, quia Legi impoſſibile erat juſtitiam nobis conferre. Unde ſequitur, plus in Lege præcipi, quam præſtando ſimus: quia ſi pares eſſemus implendæ Legi, fruſtra aliunde quæſitum eſſet remedium. Quare abſurdum eſt Legis præceptis vires humanas metiri: quaſi Deus exigendo quod juſtum eſt, ſpectaſſet qualis & quanta facultas noſtra eſſet. *Eo quod infirmabatur.* Ne quis parum honorifice Legem impotentiæ argui putaret, vel hoc reſtringeret ad ceremonias, expreſſit nominatim Paulus defectum illum non à Legis eſſe vitio, ſed carnis noſtræ corruptela. Fatendum enim eſt, ſi quis in ſolidum ſatisfaciat Legi Dei, eum coram Deo juſtum fore. Legem ergo non negat ſufficere ad nos juſtificandos, quantum ad doctrinam, ut pote quæ perfectam juſtitiæ regulam continet: ſed quia juſtitiam illam non

aſſequitur caro noſtra, concidit vel evaneſcit totum Legis robur. Ita refellitur eorum error, vel potius delirium, qui tantum ceremoniis vim juſtificandi detrahi putant: quum Paulus vitium diſerte in nobis ſtatuens, declaret ſe in doctrina nihil requirere. Porro Infirmitatem Legis accipe quomodo ſolet uſurpare Apoſtolus vocabulum ἀσθενείας, non tantum pro modica imbecillitate, verum pro impotentia: ut ſignificet Legem nihil prorſus habere momenti ad conferendam juſtitiam. Vides ergo nos penitus excludi ab operum juſtitia, ideoque ad Chriſti juſtitiam nos confugere, quia in nobis nulla eſſe poteſt. Quod ſcitu in primis neceſſarium eſt: quia Chriſti juſtitia nunquam veſtiemur, niſi prius certo noverimus, propriæ juſtitiæ nihil nos habere. *Carnis* nomen in eodem ſemper ſignificatu ponitur, nempe pro nobis ipſis. Legem Dei ergo inutilem nobis facit naturæ noſtræ corruptio: quia quum vitæ oſtendat viam, in mortem ruentes à præcipitio nos non reducit. *Miſſo Deus Filio ſuo.* Nunc modum oſtendit quo juſtitiam cæleſtis Pater nobis reſtituit per Filium: nempe quia peccatum damnavit in ipſa carne Chriſti: hoc eſt, quaſi deleto chirographo culpam abolevit, quæ nos coram Deo tenebat obſtrictos. Damnatio enim peccati nos in juſtitiam aſſeruit, quia deleto reatu abſolvimur, ut nos Deus juſtos reputet. Sed primum exprimit Chriſtum fuiſſe miſſum, ut admoneat juſtitiam in nobis minime reſidere, quum ab illo petenda ſit: ac fruſtra homines ſuis meritis confidere, qui nonniſi precario juſti ſunt, vel juſtitiam ab expiatione mutuantur quam implevit Chriſtus in carne ſua. Eum vero In ſimilitudine carnis peccati veniſſe dicit: quia tametſi nullis maculis inquinata fuit Chriſti caro, peccatrix tamen in ſpeciem viſa eſt, quatenus debitam ſceleribus noſtris pœnam ſuſtinuit. Et certe in eam velut ſibi obnoxiam, mors exeruit omnes virtutis ſuæ partes. Et quia Pontificem noſtrum ſua experientia diſcere oportuit quid ſit infirmis ſuccurrere: ſubire voluit Chriſtus infirmitates noſtras, ut eſſet ad ſympathiam propenſior: qua etiam in parte apparuit quædam peccatricis naturæ imago. *Etiam de peccato.* Dixi nuper à quibuſdam hoc exponi de cauſa vel fine cur Deus Filium ſuum miſerit, nempe ut pro peccato ſatisfaceret. Chryſoſtomus & plerique poſt eum paulo durius intelligunt, damnatum fuiſſe peccatum de peccato, quia inique & præter meritum vim Chriſto attulerit. Fateor quidem quia juſtus & inſons pro peccatoribus pœnam ſubiit, hoc modo ſolutum fuiſſe redemptionis pretium: ſed ego adduci nequeo ut nomen Peccati alio ſenſu hic poſitum eſſe exiſtimem, quam pro expiatrice victima, quæ אשם dicitur Hebræis, ſicuti Græci κάθαρμα vocant ſacrificium cui maledictio injungitur. Sic idem Paulus, 2. ad Corinth. 5. v. 21. dicit Chriſtum qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis eſſe factum, ut efficeremur juſtitia Dei in illo. Præpoſitio autem περὶ cauſaliter hic ſumitur: acſi dixiſſet, Super illo ſacrificio, vel propter onus peccati Chriſto impoſitum, jure ſuo dejectum fuiſſe peccatum, ne jam nos ſibi habeat obnoxios. Damnatum enim metaphorice dicit, ut qui ex acidunt cauſa: quia Deus in reos amplius non admittit, quibus abſolutio per Chriſti ſacrificium parta eſt. Si dicamus regnum peccati, quo nos premebat, fuiſſe abrogatum, idem valebit oratio. Itaque quod noſtrum erat, ad ſe recepit Chriſtus: ut quod ſuum erat, in nos transfunderet. ſuſcepta enim noſtra maledictione, ſua nos benedictione donavit. Addit hic Paulus *in carne*, quo certior ſit noſtra fiducia, dum videmus peccatum in ipſa natura noſtra fuiſſe devictum & abolitum. ſic enim ſequitur, naturam noſtram vere fieri participem ejus victoriæ: quod etiam mox declarat.

4. *Ut juſtificatio Legis impleretur.*] Qui intelligunt Spiritu Chriſti renovatos Legem implere, commentum à ſenſu Pauli penitus alienum afferunt: neque enim eouſque proficiunt fideles quamdiu peregrinantur in mundo, ut juſtificatio Legis in illis plena ſit vel integra. Ergo hoc ad veniam referre neceſſe eſt: quia dum nobis accepta fertur Chriſti obedientia, Legi ſatisfactum eſt, ut pro juſtis cenſeamur. Perfectio enim quam Lex exigit, ideo in carne fuit exhibita, ne amplius ad nos damnandos vigeat ejus rigor. Sed quia ſuam juſtitiam nullis communicat Chriſtus, niſi quos Spiritus ſui vinculo ſibi conjungit, additur iterum regeneratio, ne putetur Chriſtus peccati eſſe miniſter. ſicuti proclive eſt multis ad carnis laſciviam rapere quicquid de paterna Dei indulgentia traditur: alii autem maligne calumniantur hanc doctrinam, acſi recte vivendi ſtudium extingueret.

5. Qui enim ſecundum carnem ſunt, ea quæ carnis ſunt cogitant: qui vero ſecundum Spiritum, ea quæ ſunt Spiritus.

6. Cogitatio certe carnis, mors eſt: cogitatio autem Spiritus, vita & pax.

7. Quandoquidem cogitatio carnis, inimicitia eſt adverſus Deum. nam Legi Dei non ſubjicitur: nec enim poteſt.

8. Qui ergo in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

5. *Qui enim ſecundum carnem.*] Diſcrimen hoc carnis & Spiritus affert, non ſolum ut ratione à contrario ſumpta confirmet quod prius dixit, non competere Chriſti gratiam niſi in illos qui Spiritu regeniti, innocentiæ ſtudent: ſed etiam ut fideles opportuna conſolatione ſublevet, ne ſibi multarum infirmitatum conſcii, animos deſpondeant. Quia enim non alios à maledictione exemerat, niſi qui ſpiritualem vitam agunt, videri poterat cunctis mortalibus ſpem ſalutis præcidere. Quis enim reperietur in mundo Angelica puritate ornatus, ut nihil ei cum carne ſit negotii? Neceſſario itaque addenda fuit hæc definitio, quid ſit Eſſe in carne, & ambulare ſecundum carnem. Ac principio quidem, non tam argute Paulus diſtinguit: ſed tamen (ut in progreſſu videbimus) conſilium ejus eſt ſpem bonam facere fidelibus, quamvis adhuc illigati ſint carni ſuæ: modo ne frenum laxent ejus cupiditatibus, ſed Spiritui ſancto ſe regendos permittant. Quum dicit *carnales curare*, vel meditari, *quæ ſunt carnis*, ſe pro carnalibus non habere teſtatur qui ad cæleſtem juſtitiam aſpirant, ſed qui mundo prorſus ſunt addicti. Ideo Cogitandi verbum quod latius patebat, reddidi loco τοῦ φρονεῖν: quo intelligerent lectores, eos demum excludi à filiis Dei, qui dediti carnis illecebris, mentes ſuas & ſtudia ad pravas cupiditates applicant. Jam ſecundo membro fideles ad bene ſperandum hortatur, ſi ſurſum ad meditationem juſtitiæ Spiritu ſe attolli ſentiant. Ubicunque enim regnat Spiritus, ſignum eſt ſalvificæ Dei gratiæ: ſicuti nullum habet locum Dei gratia, ubi extincto Spiritu viget carnis regnum. Cæterum quod ante admonui, breviter hic repeto, In carne, vel Secundum carnem, perinde valet atque Eſſe dono regenerationis vacuos. Tales vero ſunt quicunque in puris (ut vulgo loquuntur) naturalibus manent.

6. *Cogitatio certe carnis.*] Eraſmus, affectum: vetus Interpres, prudentiam poſuit. Atqui quum certum ſit idem eſſe Paulo τὸ φρόνημα, quod Moſes Gen. 6:5.
vocat figmentum cordis, & hac voce comprehendi omnes animæ ſenſus, à ratione & intelligentia uſque ad affectus: mihi nomen Cogitationis melius quadrare

quadrare viſum eſt. Quanquam autem Paulus particula rationali γὰρ uſus eſt, non tamen dubito quin ſimpliciter confirmet. nam hic eſt ſpecies conceſſionis: quia poſtquam breviter definivit quid ſit in carne eſſe, jam ſubjicit quis finis omnes carni deditos maneat. Ita à contrario demonſtrat, non eſſe capaces gratiæ Chriſti quicunque in carne manent: quia ad mortem toto vitæ curſu contendunt ac feruntur. Notabilis autem eſt locus, ex quo diſcimus, naturæ curſu nos ruere in mortem præcipites: quia nihil à nobis concipimus niſi exitiale. Mox vero contrarium membrum oppoſuit, quo doceret, ſi qua pars noſtri ad vitam tendit, Spiritum proferre vim ſuam: quia à carne nulla vitæ ſcintilla manaret. Cogitationem Spiritus, vitam appellat: quia ſit vivifica, vel ad vitam ducat. Pacis vero nomine omnes felicitatis partes Hebraico more deſignat. Quicquid enim agit in nobis Dei Spiritus, ad noſtram beatitudinem ſpectat: fruſtra tamen ideo quis tribuat ſalutem operibus. Quanquam enim Deus ſalutem noſtram inchoat, & demum abſolvit in imaginem ſuam nos refingendo, unica tamen cauſa eſt ejus beneplacitum, quo nos facit Chriſti conſortes.

7. *Quandoquidem cogitatio carnis.*] Subjungit probationem ejus quod poſuerat, nihil ſcilicet exire à ſtudiis carnis noſtræ, niſi mortem: quia hoſtiliter pugnent cum Dei voluntate. Voluntas autem Dei, juſtitiæ regula eſt: unde ſequitur, injuſtum eſſe quicquid ab ea diſſidet: quod ſi injuſtum, ſimul & mortiferum. Jam adverſo & infeſto Deo, fruſtra quis vitam expectet: iram enim ejus mors protinus neceſſario conſequitur, quæ eſt iræ ejus ultio. Atque hic obſervemus, hominis voluntatem divinæ voluntati per omnia adverſari. Quantum enim differt pravitas à rectitudine*, tantum diſſidii nobis cum Deo eſſe oportet. *Nam Legi Dei.* Exegeſis proximæ ſententiæ. declarat enim quomodo cum Dei voluntate belligerentur omnes carnis meditationes: quia non aliunde petenda eſt Dei voluntas, quam ubi eam patefecit. In Lege enim oſtendit quid ſibi placeat: ideo qui rite examinare volunt quam bene cum Deo ſibi conveniat, ſua omnia conſilia & ſtudia ad hanc normam exigant. Etſi enim nihil in mundo agitur niſi moderatrice arcana Dei providentia, hoc prætextu nihil niſi eo approbante fieri dicere, intolerabilis eſt blaſphemia: quod hodie phrenetici quidam cavillantur. Recti enim & iniqui diſcrimen quod palam & diſtincte ante oculos noſtros Lex ſtatuit, in profundo labyrintho quærere, cujus vecordiæ eſt? Habet quidem abditum (ut dixi) ſuum conſilium Dominus, quo univerſa pro nutu diſpenſat: ſed quia incomprehenſibile nobis eſt, ſciamus à nimis curioſa ejus inveſtigatione nos arceri. Maneat interim hoc fixum, nihil ei placere niſi juſtitiam: nec de operibus noſtris judicium recte fieri niſi ex Lege, in qua non ficte teſtatus eſt quid ſibi vel gratum ſit, vel diſpliceat. *Nec enim poteſt.* En liberi arbitrii facultas, quam ſatis evehere Sophiſtæ nequeunt. Certe Paulus diſertis verbis hic affirmat quod ipſi pleno ore deteſtantur, nobis eſſe impoſſibile ſubjicere Legis obedientiæ noſtros affectus. Jactant illi cor in utramque partem eſſe flexibile, modo adjuvetur Spiritus inſtinctu: ac penes nos liberam eſſe boni vel mali optionem, ut ſuppetias tantum afferat Spiritus: noſtrum vero ſit eligere vel reſpuere. Fingunt etiam bonos motus, quibus ſponte præparamur: Paulus contra, duritie & indomita contumacia cor noſtrum turgere pronunciat, ut ad ſubeundum Dei jugum naturaliter nunquam flectatur: neque de uno vel altero affectu diſputat, ſed indefinite loquens, omnes qui ex nobis naſcuntur motus, in hunc faſciculum conjicit. Procul igitur ſit à Chriſtiano pectore illa de arbitrii libertate Gentilis philoſophia. Servum peccati ſe quiſque, ut re vera eſt, agnoſcat, quo per Chriſti gratiam manumiſſus liberetur: alia libertate prorſus ſtultum eſt gloriari.

8. *Qui ergo in carne ſunt.*] Adverſativam particulam δὲ per cauſalem non ſine cauſa expoſuit: ſiquidem colligit ex prædictis Apoſtolus, eos qui ſe carnis libidinibus agendos tradunt, univerſos eſſe Deo abominabiles. Atque hactenus ſententiam illam confirmavit, omnes qui ſecundum Spiritum non ambulant, à Chriſto eſſe alienos, quia vacui ſunt cæleſti vita.

9. Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis: ſi quis vero Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

10. Si vero Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus autem vita eſt propter juſtitiam.

11. Si inquam Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum ex mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter Spiritum *ſuum in vobis habitantem.

* vel, ejus.

9. *Vos autem.*] Generalem ſententiam ad eos quibus ſcribit, per hypotheſin accommodat: non tantum ut ſermonem tanquam proprium ad ipſos dirigens, vehementius afficiat: ſed ut certo colligant ex definitione nuper poſita, ſe ex eorum eſſe numero à quibus Legis maledictionem Chriſtus detulit. Simul tamen explicando quid valeat Spiritus Dei in electis, & quos fructus edat, hortatur eos ad vitæ novitatem. *Siquidem Spiritus Dei.* Correctio appoſite ſubjecta, qua excitantur ut ſeipſos propius examinent, ne Chriſti nomen fruſtra prætendant. Hæc autem eſt certiſſima nota qua diſcernuntur filii Dei à filiis mundi: ſi Dei Spiritu ad innocentiam ac ſanctitatem regenerati ſunt. Quanquam ei videtur non tam fuiſſe propoſitum hypocriſim corrigere, quam ſuggerere gloriandi materiam adverſus præpoſteros Legis zelotas, quibus pluris erat mortua litera, quam interior vis Spiritus, Legem animans. Porro docet hic locus, Paulum hactenus per Spiritus nomen non mentem vel intelligentiam (quæ ſuperior pars animæ vocatur à liberi arbitrii patronis) ſed cæleſte donum notaſſe. Spirituales enim eſſe exponit, non qui proprio motu rationi obtemperant, ſed quos Spiritu ſuo Deus gubernat. Neque tamen dicuntur eſſe ſecundum Spiritum, quia Spiritu Dei pleni ſint, (quod nemini adhuc contigit) ſed quod Spiritum in ſe habeant manentem, utcunque aliquid carnis ſentiant in ſe reſiduum. manere autem non poteſt, quin ſuperiores partes teneat. Notandum enim eſt, à præcipua ſui parte nominari hominem. *Si quis vero Spiritum Chriſti non habet.* Subjungit hoc, ut oſtendat quam neceſſaria ſit in Chriſtianis carnis abnegatio. Regnum Spiritus, eſt carnis abolitio: in quibus non regnat Spiritus, illi ad Chriſtum non pertinent: ergo Chriſtiani non ſunt qui carni ſerviunt. Chriſtum enim à Spiritu ſuo qui divellunt, eum faciunt mortuo ſimulachro vel cadaveri ſimilem. Ac ſemper tenendum eſt illud Apoſtoli conſilium, gratuitam peccatorum remiſſionem à Spiritu regenerationis non poſſe disjungi; quia hoc eſſet quaſi Chriſtum diſcerpere. Id ſi verum eſt, mirum eſt ab Evangelii adverſariis nos arrogantiæ inſimulari, quod Chriſti Spiritum in nobis habitantem agnoſcere audemus. Nam aut Chriſtum abnegare convenit: aut fateri, per ejus Spiritum eſſe Chriſtianos. Horribile ſane auditu, homines ſic à Domini verbo defeciſſe, ut

Digitized by Google

non modo Chriſtianos ſe eſſe jactent abſque Dei Spiritu: ſed fidem quoque aliorum irrideant. atqui hæc Papiſtarum eſt philoſophia. Jam vero hic obſervent lectores, promiſcue Spiritum nunc Dei Patris, nunc Chriſti vocari: non modo quia in Chriſtum, quatenus mediator noſter eſt & caput, effuſa eſt tota illius plenitudo, ut inde ſua in quemque noſtrum portio defluxeret: ſed quoniam idem Spiritus Patris & Filii communis eſt, quorum una eſt eſſentia, & eadem æterna Deitas. Quia tamen nulla nobis oiſi per Chriſtum communicatio eſt cum Deo, prudenter Apoſtolus à Patre, qui longius abeſſe videtur, ad Chriſtum deſcendit.

10. *Si vero Chriſtus in vobis eſt.*] Quod antea dixerat de Spiritu, ounc de Chriſto dicit: quò ſignificatur modus habitationis Chriſti in nobis. nam ut per Spiritum ſibi nos in templa conſecrat, ita per eundem in nobis reſidet. Jam vero quod prius attigimus, nunc apertius explicat, filios Dei non à plena & ſolida perfectione cenſeri ſpirituales, ſed tantum propter inchoatam in illis vitæ novitatem. Eſt autem hic prolepſis, qua occupat dubitationem, quæ alioqui nos vexare poterat. nam utcunque partem noſtri Spiritus occupet, videmus tamen alteram partem adhuc à morte detineri. Reſpondet ergo, vim vivificandi in Spiritu Chriſti ineſſe, quæ ad mortalitatem noſtram abſorbendam valeat. Unde infert patienter expectandum eſſe, dum reliquiæ peccati prorſus aboleantur. Porro ante admoniti ſunt lectores ne per vocabulum Spiritus, animam noſtram intelligant, ſed regenerationis Spiritum: quam Vitam appellat Paulus, non modo quia vivit ac viget in nobis, ſed quia vivificat nos ſuo vigore, donec extincta mortali carne perfecte demum renovet: ſicut è converſo vox Corporis, craſſiorem illam maſſam deſignat quæ nondum Spiritu Dei eſt purificata à ſordibus terrenis, quæ nihil niſi craſſum ſapiunt. nam corpori tribuere peccati culpam, alioqui abſurdum eſſet. Rurſum anima adeo vita non eſt, ut ne ipſa quidem vivat. Senſus ergo Pauli eſt, quamvis peccatum morti nos adjudicet, quatenus in nobis adhuc remanet primæ naturæ vitioſitas, Spiritum tamen Dei eſſe victorem: nec obſtare quod tantum primitiis donati ſumus, quia vel una ejus ſcintilla, vitæ ſemen eſt.

11. *Si inquam Spiritus.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ ſumpta à cauſa efficiente, in hunc modum, Si potentia Spiritus Dei Chriſtus excitatus eſt, ac Spiritus æternam retinet potentiam: eandem in nobis quoque exeret. Sumit autem pro confeſſo, in Chriſti perſona editum fuiſſe virtutis ſpecimen quæ ad totum Eccleſiæ corpus pertinet. Quia autem Deum reſurrectionis facit auctorem, vivificum Spiritum ei aſſignat. *Qui ſuſcitavit.* Periphraſi Deum deſcripſit, quod magis præſenti propoſito quadrabat, quam ſi eum ſimpliciter nomina appellaſſet. Eadem ratione ſuſcitati Chriſti gloriam Patri aſſignat: nam efficacius id erat ad probandum quod intendit, quam ſi tribuiſſet ipſi Chriſto. Objici enim poterat, Chriſtus ad ſe excitandum pollebat ea virtute, à qua procul abſunt omnes homines. Verum ubi dicit, Chriſtum Deus excitavit Spiritu ſuo, quem & vobis communicavit: nihil contra afferri poteſt, quum ſpem certam reſurrectionis ita nobis fecerit. Neque tamen quicquam derogatur alteri ſententiæ, Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum recipiendi eam. A ſeipſo certe ac propria virtute Chriſtus reſurrexit: ſed quemadmodum ſolet Patri tranſcribere quicquid in ſe divinæ virtutis eſt, ita Apoſtolus non improprie ad Patrem tranſtulit, quod fuit in Chriſto maxime proprium opus divioitatis. *Mortalia* porro *corpora* vocat quicquid adhuc reſtat in nobis morti obnoxium: ut mos illj uſitatus eſt craſſiorem noſtri partem hoc nomine appellare. Unde colligimus, non de ultima reſurrectione quæ momento fiet, haberi ſermonem: ſed de continua Spiritus operatione, qua reliquias carnis paulatim mortificans, cæleſtem vitam in nobis inſtaurat. Joan. 10. verſ. 18.

12. Itaque fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem vivamus.
13. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi vero Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.
14. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei ſunt.

12. *Itaque fratres.*] Concluſio eſt præcedentium. nam ſi renunciandum eſt carni, cum ea nihil nobis eſſe debet. Rurſum ſi Spiritum regnare in nobis oportet, ab illius nutu non pendere abſurdum eſt. Oratio Pauli hic eſt defectiva, quoniam alterum antitheti membrum omittit, nos ſcilicet eſſe Spiritui debitores: verum ſenſus non obſcure patet. Habet autem hæc concluſio vim exhortationis: quemadmodum ſemper à doctrina exhortationem ſolet deducere: ſic alibi, Epheſ. 4. verſ. 30. monet ne contriſtemus Spiritum Dei quo obſignati ſumus in diem reſurrectionis. Item, Galat. 5. v. 25. Si Spiritu vivimus, & Spiritu ambulemus. Id autem fit, dum carnalibus concupiſcentiis renunciamus, ut nos juſtitiæ Dei addicamus veluti in ſervitutem. Sic ſane ratiocinandum eſt: non ut blaſphemi quidam ſolent, qui blaterant oſcitandum eſſe, quoniam nihil ſit noſtræ facultatis. Atqui hoc eſt veluti cum Deo belligerari; ſi gratiam ejus oblatam nobis, contemptu ac negligentia extinguimus.

13. *Si enim ſecundum carnem.*] Addit comminationem, quo acrius torporem illis omnem excutiat: qua etiam probe refelluntur qui juſtificationem fidei jactant ſine Chriſti Spiritu. Quanquam ſua ipſorum conſcientia plus ſatis redarguuntur: quia nulla eſt in Deum fiducia, ubi non ſit & amor juſtitiæ. Verum eſt quidem, nos ſola Dei miſericordia juſtificari in Chriſto: ſed æque & iſtud verum ac certum, omnes qui juſtificantur, vocari à Domino ut digne ſua vocatione vivant. Diſcant ergo fideles non in juſtitiam modo, ſed in ſanctificationem quoque amplecti, ſicuti in utrumque finem nobis datus eſt, ne mutila ſua fide eum lacerent. *Si vero Spiritu facta carnis.* Ita temperat ſententiam, ut non dejiciat animum piis, qui ſibi multæ adhuc infirmitatis conſcii ſunt. Nam utcunque peccatis ſumus adhuc obnoxii, nihilo tamen minus vitam nobis promittit, modo carnis mortificandæ ſtudium proſequamur. Neque enim exacte requirit carnis interitum, ſed tantum eniti nos jubet ad domandas ejus libidines.

14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur.*] Probatio eſt ejus quod proxime præceſſit. Docet enim eos demum cenſeri in Dei filiis, qui reguntur ejus Spiritu: quoniam hac nota ſuos Deus agnoſcit. Ita excutitur inanis jactantia hypocritis, qui ſine re titulum uſurpant: & fideles animantur ad indubiam ſalutis ſuæ fiduciam. Summa huc redit, Filii Dei ſunt quicunque Spiritu Dei aguntur: omnes filii Dei, hæredes ſunt vitæ æternæ: ergo certi de vita æterna eſſe debent quicunque aguntur Spiritu Dei. Media autem propoſitio, ſive aſſumptio, prætermiſſa eſt, quia erat indubitata. Cæterum obſervare convenit, eſſe multiplicem Spiritus actionem. Eſt enim univerſalis, qua omnes creaturæ ſuſtinentur ac moventur: ſunt & peculiares in hominibus, & illæ quidem variæ: ſed hic ſanctificationem intelligit, qua nonniſi electos ſuos Dominus dignatur, dum eos ſibi in filios ſegregat.

15. Etenim non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in terrorem: ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater.

16. Ipſe enim Spiritus ſimul teſtificatur ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.

17. Si vero filii, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. ſi quidem compatimur, ut & una glorificemur.

18. Exiſtimo certe non eſſe pares afflictiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur erga nos.

Confirmat nunc illam fiduciæ certitudinem, in qua fideles acquieſcere nuper juſſit, idque à ſpeciali effectu Spiritus: quia non ideo datus eſt ut nos trepidatione jactet, vel anxietate torqueat: ſed potius ut ſedata omni perturbatione, tranquillo in ſtatu mentes noſtras componens, ad ſecuram & liberam Dei invocationem nos excitet. Non ergo ſolum proſeqoitur quod ante attigit argumentum, ſed in altero illo membro quod ſimul conjunxerat, magis inſiſtit, nempe de paterna Dei indulgentia qua ſuis infirmitatem carnis, & vitia quibus adhuc laborant, ignoſcit. Hujus fidem nobis certam fieri docet à Spiritu adoptionis, qui nobis fiduciam precandi non dictaret, niſi gratuitam veniam obſignando. Ac quo eam rem magis illuſtret; duplicem Spiritum ſtatuit: alterum ſervitutis appellat, quem ex Lege concipere poſſumus: alterum adoptionis, qui ex Euangelio eſt. Illum dicit fuiſſe olim datum in timorem, hunc in ſecuritatem bodie dari. Ex tali contrariorum comparatione magis (ut vides) eluceſcit illa, quam confirmare vult, ſalutis noſtræ certitudo. *Heb. 12. verſ. 18.* Eadem comparatione utitur auctor epiſtolæ ad Hebræos, quum ait, nos non acceſſiſſe ad montem Sinai, ubi omnia terrifica ſic erant, ut populus conſternatus quaſi præſenti mortis denunciatione, deprecatus ſit ne verbum ſibi fieret, & Moſes ipſe confeſſus ſit ſe fuiſſe pavefactum: ſed acceſſiſſe ad Sion montem Domini, & civitatem ejus Jeruſalem cæleſtem, ubi eſt mediator novi Teſtamenti Jeſus, &c. Ex adverbio Iterum, colligimus Legem cum Euangelio bic conferri: quia hoc inæſtimabile beneficium ſuo adventu nobis attulit Filius Dei, ne amplius ſervilis Legis conditio nos conſtringat. Neque tamen inde colligas, vel Spiritu adoptionis neminem ante Chriſti adventum fuiſſe præditum: vel quicunque Legem acceperint, ſervos fuiſſe, non filios. Miniſterium enim Legis cum Euangelii diſpenſatione potius confert, quam perſonas cum perſonis. Fateor quidem hic moneri fideles quanto cum ipſis liberalius nunc egerit Deus, quam olim cum Patribus ſub veteri Teſtamento: externam tamen diſpenſationem reſpicit, cujus tantum ratione præcellimus. quia ut præſtantior fuerit Abrahæ, Moſis, & Davidis fides quam noſtra: quatenus tamen in ſpeciem ſub pædagogia eos Deus continuit, nondum ad libertatem quæ nobis patefacta eſt, progreſſi erant. Simul vero notandum eſt, conſulto propter Pſeudoapoſtolos antitheſin ſtatui inter liberales Legis diſcipulos, & fideles quos Chriſtus cæleſtis magiſter non tantum oris ſonitu compellat, ſed intus Spiritu ſuo efficaciter docet. Et quanquam in Lege fœdus gratiæ continetur, ipſum tamen inde removet: quia Euangelium opponens, nihil conſiderat niſi quod erat Legis ipſius proprium, nempe jubere & vetare, mortiſque denunciatione coërcere transgreſſores: adeoque Legem ſua qualitate induit qua ab Euangelio differt. Vel ſi quis ita malit, Legem proponit nudam, quatenus in ea Deus nobiſcum operum reſpectu paciſcitur. Sic igitur de perſonis habendum eſt in populo Judaico: quum Lex promulgaretur, ac poſt eam quoque promulgatam, eodem fidei Spiritu illuminatos fuiſſe pios: ideoque obſignatam fuiſſe eorum cordibus ſpem æternæ hæreditatis, cujus Spiritus arrhabo eſt & ſigillum. Hoc tantum intereſt, quod benignius & largiore manu effuſus eſt Spiritus in regno Chriſti. Quod ſi in ipſam doctrinæ diſpenſationem reſpicias, videbitur tunc primum ſalus certo manifeſtata, quum in carne exbibitus fuit Chriſtus: tanta obſcuritate omnia ſub veteri Teſtamento involuta erant, præut eſt Euangelii perſpicuitas. Deinde ſi Lex in ſe reputetur, nihil quam miſeræ ſervituti addictos, mortis quoque horrore conſtringere homines poteſt: quia nihil boni promittit, niſi ſub conditione: mortem vero edicit in omnes transgreſſores. Quare ut ſub Lege Spiritus ſervitutis erat, qui conſcientiam formidine premebat: ita ſub Euangelio eſt Spiritus adoptionis, qui ſalutis noſtræ teſtimonio animas noſtras exhilarat. Obſerva autem terrorem ſervituti conjungi, quia fieri aliter non poteſt quin Lex miſera inquietudine vexet ac cruciet animas, quamdiu ſuum imperium exercet. Quare illis pacandis non aliud remedium eſt, quam ubi Deus nobis delicta condonans, quaſi pater filiis indulget. *Per quem clamamus.* Perſonam ideo mutavit, ut ſortem omnium ſanctorum communem exprimeret: acſi dixiſſet, Spiritum accepiſtis, per quem vos, ut nos reliqui omnes fideles, clamatis. Habetque mimeſis non minimam emphaſim, quod in perſona fidelium Patris nomen enunciat. Duplicatio appellationis per diverſas voces amplificationem continet. Significat enim Paulus, ita nunc per totum mundum publicatam eſſe Dei miſericordiam, ut promiſcue linguis omnibus invocetur: quemadmodum Auguſtinus obſervat. ergo inter omnes gentes conſenſum exprimere voluit. Unde ſequitur nihil jam differre Græcum à Judæo, quum inter ſe coaluerint. Aliter loquitur Propbeta Jeſaias, denuncians linguam Chanaan omnibus fore communem: eodem tamen ſenſu: *Jeſa. 19. verſ. 18.* quia non externum idioma reſpicit, ſed cordis harmoniam in colendo Deo, & in profitendo vero & puro ejus cultu idem & ſimplex ſtudium. Clamoris nomen ad fiduciam exprimendam poſitum eſt, acſi diceret non dubitanter nos precari, ſed intrepide claram vocem attollere in cælum. Vocabant quidem etiam fideles ſub Lege Deum patrem, ſed non tam libera fiducia, quum procul eos à Sanctuario velum arceret: nonc autem ubi Chriſti ſanguine patefactus eſt nobis ingreſſus, familiariter & quaſi pleno ore gloriari licet nos eſſe filios Dei: unde naſcitur hic clamor. Denique ita impletur Oſeæ vaticinium, Dicam illis, Populus meus vos: illi viciſſim reſpondebunt, *Oſea 2. verſ. 23.* Tu Deus noſter. Nam quo apertior eſt promiſſio, eo etiam major precandi libertas.

16. *Ipſe enim Spiritus.*] Non ſimpliciter dicit teſtem eſſe Spiritum Dei ſpiritui noſtro, ſed compoſitum verbum uſurpat, quod vertere liceret Conteſtatur, niſi aliud Latinis eſſet conteſtatio. Intelligit autem Paulus, ſpiritum Dei tale nobis teſtimonium reddere, ut eo duce & magiſtro, ſpiritus noſter ſtatuat firmam eſſe Dei adoptionem. Neque enim ſponte mens noſtra, niſi præeunte Spiritus teſtimonio, hanc nobis fidem dictaret. Porro eſt bic exogeſis proximæ ſententiæ. nam dum nobis teſtatur Spiritus, nos eſſe Dei filios, ſimul banc animis noſtris fiduciam ingerit, ut Deum audeamus invocare patrem. Et certe quum ſola cordis fiducia os nobis aperiat, niſi de paterno Dei amore Spiritus teſtimonium cordibus noſtris reddat, mutæ ad concipiendas preces linguæ erunt. Tenendum enim ſemper illud principium eſt, Non aliter Deum rite nos precari, niſi ut ore patrem vocamus, ita talem eſſe certo

ſimus in animis noſtris perſuaſi. Cui alterum quoque reſpondet, Non aliter quam Dei invocatione fidem noſtram probari. Itaque non abs re Paulus nos ad hoc examen revocans, tunc demum conſtare oſtendit quam ſerio quiſque credat, ubi ſe precibus exercent qui gratiæ promiſſionem amplexi ſunt. Atque hic egregie refutantur nugæ illæ Sophiſtarum de morali conjectura: quæ nihil aliud eſt quam incertitudo, & animi anxietas, imo potius vacillatio & hallucinatio. Simul reſpondetur eorum objectioni: rogant quomodo Dei voluntatem homo perſpectam habere queat. atqui hæc non humani captus eſt certitudo, ſed teſtimonium Spiritus Dei, ut fuſius tractat in priore ad Corinth. epiſt. unde etiam petenda eſt hujus loci plenior expoſitio. Stat itaque ſententia, Neminem poſſe nominari Dei filium, qui
1 Joan 5. non ſe talem agnoſcat: quæ cognitio, ſcientia ab
v. 19,20. Joanne, ad denotandum certitudinem vocatur.

17. *Si vero filii.*] Argumento ab annexis vel conſequentibus ducto probat, in eo conſtare ſalutem, ſi patrem habeamus Deum. Filiis deſtinata eſt hæreditas: quando igitur nos ſibi in filios Deus adoptavit, ſimul hæreditatem quoque deſtinavit nobis. Deinde ſubindicat qualis ſit hæreditas, nempe cæleſtis: ideoque incorruptibilis & æterna, & qualis in Chriſto manifeſtata fuit: qua manifeſtatione & omnis incertitudo tollitur, & commendatur hæreditatis excellentia, quam participamus cum ipſo Dei Unigenito. Quanquam Pauli conſilium eſt (ut paulo poſt melius liquebit) hæreditatem nobis promiſſam ſplendide extollere, ut ea contenti, fortiter mundi illecebras ſpernamus, & patienter feramus quicquid moleſtiarum nobis in mundo incumbit. *Si quidem compatimur.* Variæ hujus loci ſunt interpretationes: ſed mihi ſenſus iſte præ aliis omnibus arridet, Nos Chriſti cohæredes eſſe, modo ad cernendam hæreditatem, eadem qua ipſe via progreſſus eſt, ipſum ſequamur. Atque ita quod mentionem Chriſti injecit, eo quoque voluit ad hanc cohortationem tranſitum facere, velut bis gradibus: Dei hæreditas ideo noſtra eſt quia in filios, ejus gratia ſumus adoptati: ac ne dubia ſit, ejus poſſeſſio jam Chriſto delata eſt, cujus facti ſumus conſortes. Atqui eam Chriſtus per crucem adiit: ergo & nobis eo modo adeunda eſt. Neque timendum eſt quod verentur quidam, ne ſic gloriæ æternæ cauſam laboribus noſtris tranſcribat Paulus: ſiquidem hæc loquendi formula, Scripturæ inſolita non eſt: ſed ordinem potius quem in ſalute nobis diſpenſanda ſequitur Dominus, quam cauſam denotat. Nam antehac ſatis aſſeruit gratuitam Dei miſericordiam contra operum merita: nunc dum ad patientiam nos hortatur, non diſputat unde nobis proveniat ſalus, ſed quomodo ſuos Deus gubernet.

18. *Exiſtimo certe.*] Tametſi non inepte omnino faciunt qui hoc accipiunt in modum correctionis: malo tamen ad cohortationem amplificandam referre vice anticipationis: ut ſit ſenſus, Neque vero moleſtum eſſe nobis debet ſi ad cæleſtem gloriam nobis per varias afflictiones procedendum eſt, quandoquidem illæ ſi cum magnitudine gloriæ hujus conferantur, leviſſimi ſunt momenti. Futuram gloriam pro æterna poſuit: ſicuti afflictiones mundi vocat, quæ ſubito tranſeunt. Hinc liquet, peſſime intellectum hunc locum à Scholaſticis, ex quo frivolam ſuam diſtinctionem congrui & condigni hauſerunt. Neque enim dignitatem utriuſque confert Apoſtolus: ſed gravitatem crucis tantum elevat, comparatione magnitudinis gloriæ, idque ad confirmandos patientia fidelium animos.

19. Siquidem intenta expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

20. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit ipſam in ſpe.

21. Quoniam ipſa quoque creatura aſſeretur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22. Novimus enim, quod creatura univerſa congemiſcit, & ad hunc diem parturit.

19. *Intenta expectatio creaturæ.*] Patientiæ, ad quam hortatus erat, exemplum nobis e natura docet in ipſis quoque mutis creaturis. ſic enim, omiſſa expoſitionum varietate, hunc locum accipio, Nullum eſſe elementum, nullamve mundi partem, quæ non veluti præſentis miſeriæ agnitione tacta, in ſpem reſurrectionis intenta ſit. Et duo quidem proponit: creaturas omnes laborare, ſpe tamen ſuſtineri. Unde etiam apparet quam immenſum ſit æternæ gloriæ pretium, quod omnia in ſui deſiderium excitare ac rapere poteſt. Porro loquutio iſta, *Expectatio expectat*, etſi paulo eſt inuſitatior, habet tamen convenientiſſimum ſenſum: ſignificare enim voluit, magna anxietate conſtrictas, & magno deſiderio ſuſpenſas creaturas, expectare diem illum qui gloriam filiorum Dei palam exhibebit. Revelationem filiorum vocat, quum ſimiles Deo erimus: quemadmodum Joannes dicit. quamvis enim ſciamus nos eſſe ejus filios, nondum tamen apparuit. 1 Joan. 3. v. 2. Retinui autem Pauli verba, quia mihi audacior quam par ſit, viſa eſt Eraſmi verſio, Donec palam fiant filii Dei: neque tamen ſatis exprimere Apoſtoli mentem. Non enim intelligit patefactum iri Dei filios extremo die: ſed palam tunc fore quam optabilis & beata ſit eorum conditio, ubi exuti corruptione, cæleſtem gloriam induent. Nam ſpem creaturis quæ ſenſu carent ideo tribuit, ut fideles, oculos aperiant ad conſpectum inviſibilis vitæ, quamvis adhuc ſub deformi habitu lateat.

20. *Vanitati enim ſubjecta.*] Declarat expectationis finem à contrario. quia enim creaturæ nunc corruptioni obnoxiæ, non ante inſtaurari poſſunt, quam filii Dei in integrum reſtituantur: ideo ſuam inſtaurationem expetentes, in manifeſtationem regni cæleſtis reſpiciunt. Vanitati ſubjectas dicit, quia non ſolido firmoque in ſtatu permanent: ſed veluti evanidæ & fluxæ, celeri curſu tranſeunt. neque enim dubium quin vanitatem opponat integræ naturæ. *Non volens.* Quum ſenſus nullus inſit talibus creaturis, voluntas certe pro inclinatione naturali accipienda eſt, ſecundum quam univerſa rerum natura in conſervationem ac perfectionem ſuam fertur. invita igitur & repugnante natura vim patitur quicquid detinetur ſub corruptione. Sed ſingulas mundi partes [illegible] tanquam ſenſu præditas inducit: quo magis nos ſtuporis noſtri pudeat, niſi caduca mundi fluctuatio quam conſpicimus, altius nos erigat. *Sed propter eum.* Obedientiæ exemplum in creaturis omnibus proponit, & eam addit ex ſpe naſci: quia hinc Soli & Lunæ ſtelliſque omnibus ad aſſiduum curſum alacritas, hinc terræ ad fructus gignendos ſedulitas obſequii, hinc aëris indefeſſa agitatio, hinc aquis ad fluxum promptus vigor, quia Deus ſuas quibuſque partes injunxit: nec tantum præciſo imperio mandavit quid fieri vellet, ſed ſpem renovationis intus ſimul indidit. Nam in triſti diſſipatione quæ Adæ lapſum ſequuta eſt, ſingulis fere momentis diffluerett tota mundi machina, & ſingulæ partes fatiſcerent, niſi eas aliunde fulciret arcana quædam ſtabilitas. Nimis ergo turpe eſſet, minus in filiis Dei valere arrham Spiritus, quam in mortuis creaturis arcanum inſtinctum. Ergo utcunque alio naturaliter inclinent creaturæ, quia tamen placitum eſt Deo eas ſub vanitatem

redi-

redigere, ejus imperio obtemperant: & quia melioris conditionis ſpem ille fecit, in ea ſe ſuſtentant, deſiderium ſuum differentes, donec promiſſa ſibi incorruptio reveletur. ἀποκαραδοκία eſt quod ſpem illis attribuit, ut prius, velle & nolle.

21. *Quoniam ipſa quoque.*] Oſtendit quomodo in ſpe ſubjecta ſit creatura vanitati: quia ſcilicet futurum eſt ut aliquando eximatur: quemadmodum teſtatur Jeſaias, & Petrus clarius etiamnum modo confirmat. Hinc ſane reputare convenit quam horribilem maledictionem meriti ſimus, quum noſtrorum vitiorum innoxiæ omnes creaturæ à terra uſque ad cœlum pœnas luant. nam quod laborant ſub corruptione, id noſtra culpa fit: ita condemnatio generis humani cœlo ac terræ creaturiſque univerſis impreſſa eſt. Rurſum hinc apparet in quantam gloriæ excellentiam evehendi ſint filii Dei, ad quam amplificandam & illuſtrandam creaturæ omnes innovabuntur. Porro non intelligit conſortes ejuſdem gloriæ fore creaturas cum filiis Dei, ſed ſuo modo melioris ſtatus fore ſocias: quia Deus ſimul cum humano genere orbem nunc collapſum in integrum reſtituet. Qualis vero futura ſit integritas illa tam in pecudibus quam in plantis & metallis, curioſius inquirere neque expedit, neque fas eſt, quia præcipua pars corruptionis eſt interitus. Quærunt arguti, ſed parum ſobrii homines, an immortale futurum ſit omne animalium genus: his ſpeculationibus ſi frenum laxetur, quorſum tandem nos abripient? Hac ergo ſimplici doctrina contenti ſimus, tale fore temperamentum, & tam concinnum ordinem, ut nihil vel deforme vel fluxum appareat.

22. *Novimus enim, quod.*] Eandem iterum ſententiam repetit, quo tranſitum ad nos faciat: etſi vim ac formam habet concluſionis quod nunc dicitur. Ex eo enim quod creaturæ ſunt corruptioni obnoxiæ, idque non appetitu naturali, ſed Dei ordinatione, deinde quod ſpem habent exuendæ olim corruptionis, ſequitur eas congemiſcere inſtar mulieris parturientis, donec liberatæ fuerint. Eſt autem aptiſſima hæc ſimilitudo, ut ſciamus gemitum hunc de quo loquitur, non inanem nec mortuum eſſe: quia tandem fructum lætum ac felicem pariet. Summa eſt, creaturas neque præſenti ſtatu contentas eſſe, neque tamen ita laborare ut ſine remedio tabeſcant: ſed parturire, quia eas manet inſtauratio in melius. Quum autem Congemiſcere dicit, non intelligit ipſas ſimul inter ſe mutua anxietate conſtringi, ſed comites nobis adjungit. Particula Hactenus, vel Ad hunc uſque diem, ad levandum diuturni languoris tædium pertinet. Nam ſi tot ſeculis durarunt in ſuo gemitu creaturæ, quam inexcuſabilis erit noſtra mollities vel ignavia, ſi in brevi umbratilis vitæ curriculo deficimus?

23. Non ſolum autem, ſed ipſi quoque qui primordia Spiritus habemus: nos inquam ipſi in nobiſipſis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri.

24. Spe enim ſalvi facti ſumus: ſpes vero quæ conſpicitur, non eſt ſpes: quod enim conſpicit quis, quomodo etiam ſperet?

25. Si ergo quod non conſpicimus, ſperamus: per patientiam expectamus.

23. *Non ſolum.*] Sunt qui putant Apoſtolum exaggerare hic voluiſſe futuræ noſtræ beatitudinis dignitatem, ex eo quod ardenti deſiderio ipſam omnia expetant: neque ſolum irrationalia, ſed nos quoque Spiritu Dei regenerati. Quæ ſententia defendi quidem poteſt, mihi tamen videtur comparatio eſſe majoris & minoris: acſi diceret, Tanti eſt ipſis quoque elementis ſenſu ac ratione carentibus futuræ gloriæ noſtræ excellentia, ut quodam ejus deſiderio flagrent: multo magis nos qui Spiritu Dei ſumus illuminati, & ſpei firmitudine & ſtudii contentione ad tantam boni magnitudinem aſpirare & eniti convenit. Ac duplicem affectum requirit in fidelibus: nempe ut præſentis miſeriæ ſenſu gravati, ingemiſcant: patienter nihilominus liberationem expectent. Vult enim futuræ beatitudinis expectatione erectos, animi altitudine ſuperare omnes præſentes ærumnas: ut non reputent quales ſint nunc, ſed quales futuri ſint. *Ipſi qui primordia.* Quod alii Primitias interpretantur raram & eximiam præſtantiam, mihi nullo modo placet: ideoque ad vitandam ambiguitatem vertere malui Primordia. Non enim de ſolis Apoſtolis, quemadmodum illi, dictum accipio: ſed de univerſis fidelibus, qui in hoc mundo guttulis duntaxat Spiritus aſperſi, vel certe quum optime profecerunt, certa ejus menſura præditi, à complemento adhuc non parum abſunt. Hæc igitur ſunt Apoſtolo primordia vel primitiæ, quibus integer proventus opponitur. Nam quia nondum plenitudine donati ſumus, non mirum eſt inquietudine nos moveri. Quod autem repetit *nosipſi*, & ſubjungit *in nobiſipſis*, ad epitaſin id facit, quo ardentius deſiderium exprimat. Nec deſiderium modo nominat, ſed gemitum: quia ubi ſenſus miſeriæ, illic & gemitus. *Adoptionem expectantes.* Impropric quidem, ſed non ſine optima tamen ratione adoptio hic vocatur hæreditatis ad quam adoptati ſumus fruitio. Significat enim Paulus, decretum illud Dei æternum, quo nos ſibi ante mundum conditum elegit in filios, de quo nobis per Euangelium teſtatur, & cujus fidem per Spiritum cordibus noſtris obſignat, irritum fore niſi certa ſit promiſſa reſurrectio, quæ illius eſt effectus. Quorſum enim Deus nobis eſt pater, niſi ut terrena peregrinatione defunctos, cœleſtis nos hæreditas excipiat? Eodem ſpectat quæ mox ſubjicitur *corporis redemptio.* Sic enim ſolutum fuit à Chriſto redemptionis noſtræ pretium, ut tamen mors adhuc ſuis vinculis nos ligatos teneat, imo eam intus geſtemus: unde ſequitur, inane ac infructuoſum fore mortis Chriſti ſacrificium, niſi fructus in cœleſti renovatione appareat.

24. *Spe enim ſalvi.*] Alio argumento Paulus exhortationem ſuam confirmat, quia ſcilicet à ſpecie mortis ſalus noſtra ſeparari nequeat: quod probat ex ſpei natura. Nam quum ſpes ad res nondum compertas ſe extendat, & mentibus noſtris rerum quæ abſconditæ ſunt ac procul remotæ imaginem repræſentet, quicquid vel palam cernitur, vel manu tenetur, non poteſt ſperari. Atqui pro confeſſo ſumit Paulus quod negari non poteſt, quamdiu verſamur in mundo, ſalutem noſtram in ſpe ſitam: unde ſequitur, longe ſupra ſenſus noſtros apud Deum eſſe repoſitam. Quod dicit non eſſe ſpem quæ conſpicitur, dura quidem loquutio eſt, ſed quæ ſenſum non obſcurat. Simpliciter enim docere vult, quum ſpes futuri boni ſit, non præſentis, cum aperta poſſeſſione nunquam eſſe conjunctam. Ergo ſi quibus grave eſt ingemiſcere, ordinem à Deo poſitum evertant neceſſe eſt: qui non prius ſuos ad triumphum vocat, quam in tolerantiæ militia exercuerit. Atqui quum Deo viſum fuerit ſalutem noſtram quaſi in ſinu clauſo fovere, nobis expedit in terra laborare, premi, lugere, affligi, imo jacere quaſi ſemimortuos, vel mortuis ſimiles. Nam qui viſibilem ſalutem appetunt, ab ea ſe abdicant, ſpei renunciantes quæ ejus cuſtos eſt divinitus ordinata.

25. *Si ergo quod non conſpicimus.*] Argumentum ab antecedenti ad conſequens: quia ſpem neceſſario ſequitur patientia. Nam ſi moleſtum eſt bono carere quod deſideres: niſi patientia te ſuſtineas ac

ſoleris, deſperatione concidas oportet. ſpes ergo patientiam ſemper ſecum trahit. Ita eſt aptiſſima concluſio, evaneſcere quicquid Euangelium de reſurrectionis gloria promittit, niſi crucem & tribulationes patienter ferendo, præſentem vitam tranſigamus. Si enim vita inviſibilis eſt, mortem oportet habere præ oculis: ſi inviſibilis gloria, ergo præſens ignominia. Itaque ſi vis paucis complecti totum hunc locum, in hanc formam argumenta Pauli digeras, Piis omnibus ſalus in ſpe eſt repoſita: proprium ſpei eſt, futuris & abſentibus bonis intentam eſſe: ergo ſalus fidelium eſt abſcondita. Jam ſpes nonniſi per patientiam ſuſtinetur: ergo non conſummatur ſalus fidelium niſi patientia. Porro habemus hic notabilem locum, quod patientia ſit individua fidei comes. cujus rei in promptu eſt ratio, quia dum melioris conditionis ſpe nos conſolamur, molleſcit ac mitigatur præſentium miſeriarum ſenſus, ne ſint adeo toleratu difficiles.

26. Similiter vero Spiritus etiam coopitulatur infirmitatibus noſtris. non enim quid oraturi ſimus quemadmodum oportet, novimus: verum Spiritus ipſe intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

27. Qui vero ſcrutatur corda, novit cogitationem Spiritus, quod ſecundum Deum intercedit pro ſanctis.

26. *Similiter vero Spiritus.*] Ne exciperent fideles, ſe magis eſſe imbecillos quam ut ferendis tot ac tam duris oneribus pares eſſent, Spiritus ſubſidium illis proponit quod ad ſuperandas omnes difficultates abunde ſufficit. Non eſt ergo cur quiſpiam queratur crucis tolerantiam ſupra ſuas vires eſſe, quando cæleſti virtute roboramur. Et magna eſt vis Græci verbi συναντιλαμβάνεται, quod ſcilicet partes oneris quo noſtra infirmitas gravatur, ad ſe recipiens Spiritus, non modo auxiliatur nobis & ſuccurrit, ſed perinde nos ſublevat acſi ipſe nobiſcum onus ſubiret. Et in voce Infirmitates, pluralis numerus ſuam habet αὔξησιν. nam quia experientia oſtendit, niſi Dei manu fulciamur, innumeras ruinas protinus inſtare: admonet Paulus, etiamſi omni ex parte ſimus debiles, ac variæ infirmitates lapſum nobis minentur, ſatis fore præſidii in Dei Spiritu, ne unquam labefactemur, vel ulla malorum congeries nos obruat. Cæterum hæ Spiritus ſuppetiæ certius nos docent Dei ordinatione ſic fieri, ut per gemitus & ſuſpiria ad redemptionem noſtram enitamur. *Non enim quid oraturi.* Supra de Spiritus teſtimonio loquutus fuerat, quo Deum cognoſcimus nobis eſſe patrem, & quo freti, audemus ut patrem invocare: nunc ſecundum iſtud invocationis membrum iterum repetens, dicit nos ab eodem Spiritu doceri quomodo invocandus ſit, & quid precibus ab eo ſit petendum. Et opportune anxiis piorum deſideriis preces attexuit, quia non ideo ærumnis eos Deus affligit, ut intus cæcum dolorem vorent, ſed ut ſe exonerent precando, atque ita fidem ſuam exerceant. Quanquam autem diverſas hujus loci expoſitiones afferri ſcio, mihi tamen videtur Paulus hoc ſimpliciter velle, cæcos eſſe nos in rogando Deo: quia etſi mala noſtra ſentimus, magis tamen implicitæ ſunt ac confuſæ mentes noſtræ, quam ut recte eligant quid conveniat vel expediat. Si quis excipiat, regulam nobis in verbo Dei præſcribi: reſpondeo, affectus noſtros nihilominus manere tenebris oppreſſos donec eos luce ſua Spiritus dirigat. *Verum Spiritus ipſe intercedit.* Quamvis nondum reipſa vel eventu appareat preces noſtras fuiſſe à Deo exauditas, colligit tamen Paulus in ipſo precandi ſtudio jam lucere cæleſtis gratiæ præſentiam, quia nemo ſancta & pia vota ſponte conciperet. Effutiunt quidem increduli ſuas preces, ſed cum mero Dei ludibrio: quia in illis nihil eſt vel ſincerum, vel ſerium, vel rite compoſitum. Quare bene precandi modum à Spiritu dictari neceſſe eſt: ideo vocat gemitus inenarrabiles, in quo Spiritus impulſu erumpimus, quia ingenii noſtri captum longe excedunt. Interpellare autem dicitur Spiritus Dei, non quod ipſe re vera ſuppliciter ſe ad precandum vel gemendum demittat, ſed quod in animis noſtris excitet ea vota quibus nos ſollicitari convenit: deinde corda noſtra ſic afficiat, ut ſuo ardore in cælum uſque penetrent. Atque ita loquutus eſt Paulus, quo ſignificantius id totum tribueret Spiritus gratiæ. Jubemur quidem pulſare, ſed nemo ſponte præmeditari vel unam ſyllabam poterit, niſi arcano Spiritus ſui inſtinctu nos Deus pulſet, adeoque ſibi corda noſtra aperiat.

27. *Qui vero ſcrutatur corda, novit cogitationem.*] Inſignis ratio ad confirmandam nobis fiduciam, quod à Deo exaudiamur, dum per ejus Spiritum precamur. Noſtra enim vota familiariter ipſe novit, utpote Spiritus ſui cogitata. Et hic verbi Noſſe adnotanda eſt proprietas: ſignificat enim, Deum non ut novos & inſolentes illos Spiritus affectus non animadvertere, vel tanquam abſurdos rejicere: ſed agnoſcere, & ſimul benigne excipere ut agnitos ſibi & probatos. Ergo ſicut nuper teſtatus eſt Paulus, jam Deum nobis auxiliari, dum nos quaſi in gremium ſuum deducit: ita nunc alterum ſolatium adjungit, vota noſtra quorum ipſe moderator eſt, minime fruſtratum iri. Additur etiam continuo poſt ratio: quia nos ita ad arbitrium ſuum conformat. unde ſequitur, irritum eſſe non poſſe quod ejus voluntati conſentaneum eſt, qua omnia reguntur. Hinc quoque diſcamus, primas tenere partes in oratione conſenſum cum voluntate Domini, quem noſtra ipſorum deſideria minime alligatum tenent. Quare ſi orationes noſtras acceptas eſſe Deo volumus, rogandus ipſe ut eas moderetur ad ſuum arbitrium.

28. Novimus autem quod iis qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum: iis ſcilicet qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.

29. Quoniam quos præcognovit, etiam præfinivit conformes imaginis Filii ſui: ut ſit ipſe primogenitus inter multos fratres.

30. Quos vero præfinivit, eos & vocavit: & quos vocavit, eos etiam juſtificavit: & quos juſtificavit, eos etiam glorificavit.

28. *Novimus autem.*] Ex ſupradictis nunc concludit, tantum abeſſe quin ſalutem noſtram remorentur hujus vitæ ærumnæ, ut ſint potius ejus adminicula. Nec obeſt quod illativam particulam poſuit, quum illi non ſit novum adverbia ſic confundere: quanquam hæc concluſio ſimul anticipationem continet. Obſtrepit enim hic carnis ſenſus, minime apparere quod Deus vota noſtra exaudiat, quando eodem ſemper curſu procedunt noſtræ afflictiones. Itaque Apoſtolus occupat, quamvis non ſtatim ſuccurrat ſuis Deus, non tamen eos deſerere: quia miro artificio, quæ videntur incommoda, in eorum ſalutem convertat. Si quis malit ſeorſum legere hanc ſententiam, ut novo argumento contendat Paulus,

non

noo ægre vel moleſte ferendas eſſe res adverſas quæ ſalutem adjuvant, non repugno. Interea non obſcurum eſt conſilium Pauli, Licet promiſcue ſimilibus malis obnoxii ſint electi & reprobi, longum tameo eſſe diſcrimen: quia Deus fideles afflictionibus erudiens, eorum ſalutem procuret. Tenendum vero eſt, Paulum nonniſi de rebus adverſis loqui: acſi dixiſſet, Divinitus ſic temperari quæcuoque ſanctis accidunt, ut quod mundus noxium eſſe putat, exitus utile eſſe demonſtret. Nam tametſi verum eſt quod ait Auguſtinus, peccata quoque ſua, ordinante Dei providentia, ſanctis adeo non nocere, ut potius eorum ſaluti inſerviant: ad bunc tamen locum non pertinet, ubi de cruce agitur. Notandum vero quod pietatis ſummam ſub dilectione Dei complexus eſt: ut re vera inde pendet univerſum juſtitiæ ſtudium. *Iis qui ſecundum propoſitum.* Videtur addita eſſe hæc particula inſtar correctionis: oe quis putaret fideles, quia Deum diligunt, ſuo merito boc conſequi ut tantum ex rebus adverſis fructum percipiant. ſcimus enim ubi de ſalute agitur, libenter homines à ſeipſis incipere, fingereque ſibi præparationes quibus Dei gratiam antevertant. Ergo Paulus quos vocavit Dei cultores, eoſdem prius ab eo fuiſſe electos docet. Certum eſt enim ideo notari ordinem, ut ſciamus, à gratuita Dei adoptione taoquam à prima cauſa pendere, quod ſanctis omnia io ſalutem ſuccedunt. Imo oſtendit Paulus, fideles Deum non prius diligere, Gal. 4: 9. quam ab ipſo vocati ſint: ſicuti alibi admonet, prius Galatas à Deo fuiſſe cognitos, quam ipſum cognoſcerent. Verum quidam eſt boc Pauli, nullis prodeſſe in ſalutem afflictiones, niſi qui Deum amant: ſed æque verum eſt illud Joannis, tunc demum incipere à nobis diligi, ubi nos gratuito amore prævenit. Porro vocatio de qua hic loquitur Paulus, late patet. neque enim ad manifeſtatiooem electionis, cujus paulo poſt fiet mentio, debet reſtringi, ſed ſimpliciter bumano curſui opponitur: acſi dixiſſet Paulus, fideles non ſibi acquirere pietatem proprio motu, ſed Dei manu potius adduci, quatenus eos ſibi in peculium deligit. Propoſiti nomen quicquid ab hominibus fingitur mutuo adferri, diſerte excludit: acſi negaret Paulus, alibi quærendas eſſe electioois noſtræ cauſas, quam io arcano Dei beneplacito: quod melius ex primo ad Ephеſ. capite patet. item 2. ad Tim. primo: ubi etiam antitbeſis hujus propoſiti & juſtitiæ bumanæ diſerte exprimitur. Dubium tameo non eſt quin Paulus ideo bic nominatim dixerit ſalutem noſtram fundari Dei electione, ut tranſitum inde ad id faceret quod protinus ſubjecit, eodem ſcilicet cælеſti decreto nobis deſtinatas eſſe afflictiones quæ oos Chriſto cooſigurent, quo ſalutem noſtram cum crucis tolerantia velut quodam neceſſitatis vinculo connecteret.

29. *Quoniam quos præcognovit.*] Ab ipſo igitur electioois ordine demonſtrat, omnes fidelium afflictiones nibil eſſe aliud quam modum quo Chriſto conformentur: quod ipſum neceſſarium eſſe, antea teſtatus fuerat. Proinde non eſt quod nobis doleat, aut acerbum ac grave ſit affligi: niſi & Domini electionem, qua ſumus præordinati ad vitam, indigne ferimus: niſi gravatim ferimus imaginem Filii Dei in nobis repræſentari, per quam ad cæleſtem gloriam præparamur. Dei autem præcognitio cujus hic Paulus meminit, non nuda eſt præſcientia, ut ſtulte fingunt quidam imperiti: ſed adoptio qua filios ſuos à reprobis ſemper diſcrevit. Quo ſenſu Petrus dicit fideles in ſanctificationem Spiritus fuiſſe electos ſecundum præcognitionem Dei. Quare inſulſe colligunt illi quos dixi, Deum non alios elegiſſe niſi quos ſua gratia dignos fore prævidit. Neque enim Petrus fidelibus blanditur, acſi pro ſuo quiſque merito electus foret: ſed eos ad æternum Dei conſilium revocans, omni dignitate prorſus abdicat. Hoc etiam loco Paulus quod nuper de propoſito attigerat, alio verbo repetit. unde ſequitur, notitiam hanc à beneplacito pendere: quia Deus nibil extra ſeipſum præſcivit quos voluit adoptando, ſed tantum ſignavit quos eligere volebat. Verbum προορίζειν quod Prædeſtinare vertuot, ad circumſtantiam hujus loci refertur: quia Paulus duotaxat intelligit, Deum ita ſtatuiſſe ut quoſcunque adoptavit, iidem Chriſti imaginem geſtarent: neque ſimpliciter dixit, Ut conformes ſint Chriſto, ſed *imagini Chriſti*: ut doceret vivum & conſpicuum exemplar extare in Chriſto, quod omnibus Dei filiis ad imitationem proponitur. Summa porro eſt, gratuitam adoptionem in qua ſalus noſtra conſiſtit, ab hoc altero decreto inſeparabilem eſſe, quod nos ferendæ cruci addixit: quia nemo cælorum hæres eſſe poteſt, qui non ante unigenito Dei filio fuerit conformis. *Ut ſit ipſe primogenitus.* vel, *ut eſſet.* nam utroque modo reſolvi poteſt Græcus infinitivus εἶναι, prius tamen mibi magis probatur. Porro io Chriſti primogenitura hoc tantum notare voluit Paulus, ſi prærogativam obtinet inter omnes filios Dei Chriſtus, merito nobis in exemplar eſſe datum, ne quid detrectemus quod ille ſubire dignatus ſit. Ergo ut cæleſtis Pater jus & dignitatem quam Filio ſuo detulit, modis omnibus teſtetur, vult omnes quos io bæreditatem regni ſui adoptat, ejus exemplo conformes fieri. Quamvis enim diverſa ſit piorum in ſpeciem conditio, ut aliqua eſt inter membra bumani corporis varietas: ſingulis tamen coonexio eſt cum ſuo capite. Itaque ſicut primogenitus familiæ nomen ſuſtinet: ita Chriſtus io ſublimi gradu locatur, non modo ut honore emineat inter fideles, ſed etiam ut communi fraternitatis nota ſub ſe omnes contineat.

30. *Quos vero præfinivit, eos & vocavit.*] Jam ut clariori demonſtratione confirmet quam verum ſit, illam cum Chriſti humilitate conformationem ſaluti nobis eſſe, gradatiooe utitur: in qua docet, ſic cum vocatione, juſtificatione, gloria denique noſtra, cohærere ſocietatem crucis, ut nullo modo ſeparari queaot. Verum quo melius Apoſtoli mentem teneant lectores, memoria repetere convenit quod ante admoooi, verbum Præfiniendi non electionem notare, ſed illud Dei propoſitum vel decretum quo ſuis crucem ordinavit ferendam. eoſdem vero nunc vocatos eſſe docens, ſignificat Deum qood de illis ſtatuit, non tenere penes ſe abſconditum, ſed pateſeciſſe: ut impoſitam ſibi legem æquo & manſueto animo ſuſcipiant. Vocatio enim bic ab arcana electione diſtioguitur tanquam inferior. Ne quis ergo exciperet, quam cuique ſortem Deus attribuerit, minime ſibi conſtare: dicit Apoſtolus Deum ſua vocatione palam teſtari de arcano ſuo conſilio. hoc vero teſtimonium non in ſola externa prædicatione conſiſtit, ſed adjuoctam habet efficaciam Spiritus: quia de electis agitur, quos Deus non voce tantum compellat, ſed intus etiam trahit. Juſtificatio non male ad continuum divinæ gratiæ tenorem poſſet extendi, à vocatione ad mortem uſque: ſed quia hoc verbum in tota epiſtola pro gratuita juſtitiæ imputatione uſurpat Paulus, nulla neceſſitas cogit ab boc ſenſu deflectere. Conſilium enim Pauli eſt, magis pretioſam compenſationem nobis offerri, quam ut afflictiones refugere liceat. Quid autem magis optabile, quam Deo reconciliari, ne miſeriæ noſtræ amplius maledictionis ſigna ſint, neque ad interitum tendant? Ideo mox adjungit, eoſdem glorificari, qui cruce nunc premuntur, ut nibil illis jacturæ afferant ærumnæ & probra. Glorificatio etſi nondum exhibita eſt niſi in Capite noſtro, quia tameo in eo jam quodammodo æternæ vitæ hæreditatem cernimus, gloria ejus tantam gloriæ noſtræ ſecuritatem nobis affert, ut præſenti poſſeſſioni merito æquiparetur ſpes noſtra. Adde quod Paulus ſecundum linguæ Hebraicæ phraſim, præterito tempore in verbis uſus eſt, præſentis loco. Certe minime dubium

dubium eſt continuum actum notari, hoc ſenſu, Quos nunc Deus pro ſuo conſilio ſub cruce exercet, ſimul vocare, & juſtificare in ſpem ſalutis: ut gloriæ ipſorum nihil decedat dum humiliantur. Nam licet eam deforment coram mundo præſentes ærumnæ: coram Deo tamen & Angelis integra ſemper refulget. Hoc ergo ſibi vult hac gradatione Paulus, Non alio pertinere fidelium afflictiones quibus nunc humiliantur, quam ut regni cæleſtis gloriam adepti, ad gloriam reſurrectionis Chriſti perveniant, cum quo nunc crucifiguntur.

31. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?

32. Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non etiam cum eo donaret nobis omnia?

33. Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat.

34. Quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, quin potius etiam ſuſcitatus: qui & in dextera Patris eſt, qui & intercedit pro nobis.

31. *Quid ergo.*] Jam re bene probata, erumpit in exclamationes, quibus exprimit qua magnitudine animi præditos eſſe oporteat fideles, dum res adverſæ ad deſperationem ſollicitant. Docet autem his verbis, in paterno Dei favore conſiſtere invictam fortitudinem, quæ tentationes omnes ſuperet. Nam ſcimus, non aliter judicium de amore Dei vel odio ſolere fieri, quam ea præſentis ſtatus intuitu. Ergo ubi infeliciter res cadunt, mœror animos occupans, omnem fiduciam & conſolationem excutit. Reclamat autem Paulos, principium altius petendum eſſe: ideoqua præpoſtere ratiocinari qui in triſti militiæ noſtræ ſpectaculo ſubſiſtunt. Fateor quidem Dei flagella per ſe iræ Dei ſigna merito cenſeri: ſed quia in Chriſto benedicuntur, jubet Paulus ante omnia paternum Dei amorem à ſanctis apprehendi: ut hoc clypeo freti, ſecure malis omnibus inſultent. Hic enim murus nobis eſt aheneus, Deo propitio nos contra omnia pericula ſecuros fore. Neque tamen intelligit, nihil nobis fore adverſum: ſed contra omne hoſtium genus victoriam promittit. *Si Deus pro nobis.* Hoc eſt præcipuum adeoque unicum fulcrum quod nos in omni tentatione ſuſtineat. Niſi enim habemus Deum propitium, etiamſi arrideant omnia, tamen nulla certa fiducia concipi poteſt. Contra autem, unus illius favor nobis ſatis magnum ſolatium pro omni triſtitia, ſatis validum præſidium adverſus omnes malorum tempeſtates. Atque huc pertinent tot Scripturæ teſtimonia, ubi ſancti ſola Dei virtute freti, contemnere audent quicquid in
Pſal. 23. mundo ſibi adverſum eſt. Si ambulavero in medio
verſ. 4. umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. In Domino confido, quid faciet mihi caro?
Pſal. 56.
verſ. 5. Non timebo millia populi circumdantis me, &c:
Pſal. 3: 7. Nulla enim vel ſub cælo, vel ſupra cælum potentia eſt, quæ brachio Dei reſiſtere queat. Ergo illo defenſore, nulla prorſus timenda eſt noxa. Proinde ille demum veram in Deum fiduciam prodit, qui protectione ejus contentus, nihil ita formidat ut animum deſpondeat. Concutiuntur certe fideles ſæpenumero: ſed nunquam penitus dejiciuntur. Huc in ſumma Apoſtoli conſilium ſpectat, pium animum ſtare interiori Spiritus ſancti teſtimonio debere, non autem pendere à rebus externis.

32. *Qui proprio Filio non pepercit.*] Quia noſtra maxime intereſt, penitus de paterno Dei amore nos ita eſſe perſuaſos, ut in hac gloriatione intrepide ſtemus: ideo pretium noſtræ reconciliationis Paulus in medium adducit, quo confirmet Deum nobis favere. Et ſane hoc inæſtimabilis amoris documentum eſt inſigne ac luculentum, quod Pater Filium impendere in ſalutem noſtram non dubitavit. Ex eo itaque argumentum à majori ad minus ducit Paulus, Quum nihil habuerit ipſo vel charius, vel pretioſius, vel excellentius: nihil quod utile nobis fore provideat, neglecturum. Hic locus admonere nos debet ac expergefacere, quid ſecum nobis afferat Chriſtus ad contemplandas ejus divitias. nam ut eſt pignus immenſæ erga nos charitatis Dei, ita non nudus, aut inanis ad nos miſſus eſt: ſed cæleſtibus omnibus theſauris refertus, ne quid eum poſſidentibus ad plenam felicitatem deſit. Tradere autem hic ſignificat in mortem exponere.

33. *Quis intentabit crimina.*] Prima & ſumma piorum in rebus adverſis conſolatio eſt, certo perſuaſos eſſe de paterna Dei benevolentia: quia hinc & ſalutis certitudo, & tranquilla animæ ſecuritas, qua fit ut dulceſcant res adverſæ, vel ſaltem mitigetur doloris acerbitas. Ergo ad patientiam vix aptior exhortatio afferri poteſt, quam ubi intelligimus Deum nobis eſſe propitium. Ideoque hanc fiduciam Paulus conſolationis facit principium, qua fideles decet adverſus mala omnia roborari. Quoniam autem ſalus hominis, accuſatione primum impetitur, deinde evertitur damnatione: accuſationis periculum priore loco avertit. Unus enim eſt Deus, ad cujus tribunal ſiſti nos oportet. Ille ergo quum nos juſtificet, nullus reſtat accuſationi locus. Non videntur quidem exacte in ſuas partes digeſtæ antitheſes: debuerat enim potius hæc duo membra inter ſe opponere, Quis accuſabit? Chriſtus eſt qui intercedit. Deinde ſubjicere alterum jugum, Quis condemnabit? Deus eſt qui juſtificat. Dei enim abſolutio, condemnationi: & Chriſti patrocinium, accuſationi reſpondet. Sed Paulus non temere alio modo tranſtulit, volens à ſummo uſque ad infimum (ut loquuntur) munire fiducia Dei filios, quæ longiſſime anxietates & metus arceret. Magis ergo emphatice colligit filios Dei non eſſe obnoxios accuſationi quia Deus juſtificat, quam ſi dixiſſet Chriſtum eſſe patronum: quia melius exprimit viam judicio eminus præcluſam eſſe, ubi pronuntiat judex ſe à reatu prorſus eximere, quem ad pœnam volebat trahere accuſator. Secundæ quoque antitheſeos eadem eſt ratio. longe enim abeſſe oſtendit fideles à ſubeundæ damnationis periculo, quum Chriſtus peccata expiando prævenerit Dei judicium, ſuaque interceſſione non mortem ſolum aboleat, ſed oblivione inducat peccata noſtra, ne in rationem veniant. Summa eſt, non ſolum præſentibus remediis, ubi ad Dei tribunal ventum eſt, nos à terrore liberari: ſed Deum longius occurrere, quo melius fiduciæ noſtræ conſulat. Cæterum hic animadvertendum eſt, quod ſemper antehac monuimus, Paulo nihil eſſe Juſtificari, quam Dei ſententia abſolutos pro juſtis haberi. Neque vero difficile eſt in præſenti loco id evincere, ubi argumentatur à poſitione unius contrarii ad alterius deſtructionem: ſiquidem abſolvere, & in reos recipere, contraria ſunt. itaque nullam adverſum nos accuſationem admittet Deus, quia omni culpa nos abſolvit. Nam diabolus certe accuſator eſt piorum omnium: Lex ipſa Dei, & propria etiam conſcientia eos redarguit: ſed apud eum judicem qui eos juſtificat, nihil hæc omnia proficiunt. Nullus ergo adverſarius ſalutem noſtram quatefacere, nedum labefactare poteſt. Porro electos ſic nominat, ut nihil addubitet ſe in ipſorum eſſe numero. Neque id ex ſpeciali revelatione, (quemadmodum Sophiſtæ quidam mentiuntur) ſed ea communi piorum omnium ſenſu. Quod ergo hic de electis dicitur,

unuſ-

unuſquiſque piorum, exemplo Pauli, ad ſe trahat. alioqui non modo frigida eſſet doctrina, ſed penitus mortua jaceret, ſi electionem ſepeliret in arcano Dei conſilio. Sed quum ſciamus, data opera hic proferri quod piorum unuſquiſque ad ſe accommodare debeat, non dubium eſt nos omnes ad vocationis noſtræ examen adduci, ut ſtatuamus nos eſſe Dei filios.

34. *Quis ille qui condemnet?*) Quemadmodum nullus accuſando proficere quicquam poteſt, ubi judex abſolvit: ita nulla reſtat condemnatio, ubi ſatisfactum eſt legibus, & jam eſt pœna perſoluta. Chriſtus autem is eſt, qui ſupplicio nobis debito ſemel defunctus, eo ipſo profeſſus eſt ſe ſubire noſtras vices, ut nos liberaret: qui ergo poſthac damnare nos volet, Chriſtum ipſum revocet in mortem oportet. Ille vero non mortuus eſt tantum: ſed per reſurrectionem mortis victor emerſit, ac de ejus potentia triumphavit. Et plus etiam addit, nempe ipſum nunc ſedere in Patris dextera: quo ſignificatur, ipſum cœli ac terræ dominium obtinere, plenumque rerum omnium arbitrium ac moderationem, ſicut habetur Epheſ. 1. v. 20. Poſtremo ſic ſedere docet, ut ſit perpetuus pro ſalutis noſtræ defenſione advocatus & interceſſor. unde ſequitur, Si quis nos damnare velit, eum non modo irritam facere Chriſti mortem, ſed bellum cum incomparabili ejus virtute, qua eum ornavit Pater, ſummum ei imperium deferens cum tanta virtute, ſuſcipere. Hæc tanta ſecuritas, quæ diabolo, morti, peccato, & inferorum portis inſultare auſit, debet piis omnibus pectoribus inſidere: quia nulla eſt noſtra fides, niſi certo nobis perſuadeamus Chriſtum noſtrum eſſe, & Patrem nobis in ipſo propitium. Nihil ergo peſtilentius, nec magis exitiale fingi poteſt Scholaſtico dogmate de incertitudine ſalutis. *Qui intercedit.* Hoc diſerte addi neceſſe fuit, ne divina Chriſti majeſtas nos expaveſaciat. Quanquam ergo è ſublimi ſolio pedibus ſuis omnia ſubjecta tenet, eum tamen mediatoris perſona Paulus induit; cujus conſpectum horrere abſurdum eſſet, quando non ſolum comiter ad ſe nos invitat, ſed coram Patre deprecator pro nobis apparet. Porro hanc interceſſionem carnali ſenſu ne metiamur. non enim cogitandus eſt ſupplex, flexis genibus, manibus expanſis, Patrem deprecari: ſed quia apparet ipſe aſſidue cum morte & reſurrectione ſua, quæ vice ſunt æternæ interceſſionis, & vivæ orationis efficaciam habent, ut Patrem nobis concilient, atque exorabilem reddant, merito dicitur intercedere.

35. Quis nos dirimet à dilectione Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſequutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?

36. Quemadmodum ſcriptum eſt, Quod propter te morimur quotidie, reputati ſumus tanquam oves mactationi deſtinatæ.

37. Sed in iis omnibus ſupervincimus per eum qui dilexit nos.

35. *Quis nos dirimet.*] Nunc latius illa ſecuritas ad inferiora extenditur. Qui enim perſuaſus eſt de divina erga ſe benevolentia, potis eſt in graviſſimis afflictionibus ſubſiſtere: quæ homines ideo tantopere cruciare ſolent, vel quod ſigna eſſe iræ Dei interpretantur, vel quod arbitrantur ſe à Deo deſtitutos, vel quod nullum exitum expectant, vel meliorem vitam non meditantur, aut aliud ſimile. Animus vero hujuſmodi erroribus purgatus, facile reſidebit & conquieſcet. Porro ſenſus hic verborum eſt, quicquid eveniat, ſtandum nobis in hac fide eſſe, Deum qui nos ſemel amore ſuo complexus eſt, nunquam abjicere noſtri curam. Neque enim ſimpliciter dicit, nihil eſſe quod Deum ab amore noſtri divellat: ſed notitiam vivumque ſenſum amoris quem nobis teſtatur, vult ita in cordibus noſtris vigere, ut in afflictionum tenebris ſemper luceat. Sicuti enim nebulæ quamvis liquidum ſolis conſpectum obſcurent, non tamen ejus fulgore in totum nos privant: ſic Deus in rebus adverſis per caliginem emittit gratiæ ſuæ radios, ne qua tentatio deſperatione nos obruat: imo fides noſtra promiſſionibus Dei tanquam alis fulta, ſurſum in cælos per media obſtacula penetrare debet. Verum quidem eſt, res adverſas iræ Dei ſigna eſſe, ſi per ſe æſtimentur: ſed ubi præceſſit venia & reconciliatio, ſtatuendum eſt, Deum, quamvis nos caſtiget, nunquam tamen miſericordiæ oblivisci. Admonet quidem quid ſimus meriti, ſed non minus teſtatur ſalutem noſtram ſibi eſſe curæ, dum nos ad pœnitentiam ſollicitat. *Dilectionem* vero *Chriſti* nominat, quia Pater in eo ſua quodammodo viſcera nobis aperuit. Quum ergo extra Chriſtum quærendus non ſit amor Dei, merito huc nos revocat Paulus: ut in radiis gratiæ Chriſti, fides noſtra ſerenam Patris faciem conſpiciat. Summa eſt, nullis rebus adverſis fidem hanc labefactari debere: Deo propitio nihil nobis eſſe adverſum. Quod paſſive Chriſti amorem quidam accipiunt, quo à nobis diligitur: acſi Paulus nos inſtrueret ad invictam fortitudinem, commentum hoc nullo negotio refellitur ex toto contextu Pauli. & mox etiam ſcrupulum omnem eximet Paulus, amorem hunc clarius definiens. *Tribulatio? anxietas? an perſequutio?* Pronomen maſculinum quod nuper poſuit, tacitum emphaſim in ſe continet. Nam quum in neutro genere dicere poſſet, Quid nos ſeparabit: maluit perſonam mutis creaturis attribuere, ut totidem athletas committeret nobiſcum in certamen, quot tentationum ſpecies fidem noſtram concutiunt. Porro tria hæc ſic inter ſe differunt, quod tribulatio quodlibet moleſtiæ vel incommodi genus comprehendit: anguſtia vero interior eſt paſſio, dum ſcilicet difficultates nos ad inopiam conſilii redigunt. Talis fuit Abrahæ & Lot anxietas, dum alter uxorem ſuam, alter filias proſtituere coactus eſt: quia deprehenſi & perplexi, exitum non reperiebant. Perſequutio proprie tyrannicam violentiam deſignat, qua filii Dei præter meritum ab impiis vexantur. Etſi autem Paulus item 2 Cor. 4. v. 8. filios Dei στενοχωρεῖσθαι negat, vel in anguſtias redigi, non tamen ſecum diſſidet: quia non ſimpliciter immunes facit ab anxia ſollicitudine, ſed intelligit liberari: ſicuti etiam exempla Abrahæ & Lot declarant.

36. *Quemadmodum ſcriptum eſt.*] Non parum momenti affert hoc teſtimonium ad cauſam: innuit enim tantum abeſſe ut mortis terrore excidere debeamus, ut ſit hoc pene fatale ſervis Dei, mortem habere præ oculis velut præſentaneam. Probabile eſt, in illo Pſalmo deſcribi miſeram populi oppreſſionem ſub Antiochi tyrannide: quia diſerte exprimitur, tam crudeliter in Dei cultores non alia de cauſa ſævitum fuiſſe, quam veræ pietatis odio. Additur etiam præclara conteſtatio, quod ne ſic quidem à Dei fœdere deſciverint: quod in primis à Paulo eſſe obſervatum arbitror. Nec obeſt quod illic queruntur ſancti de calamitate quæ eos præter conſuetudinem tunc premebat. Nam quum innocentiam ſuam prius teſtati, tot malis ſe gravari oſtendant: convenienter inde argumentum trahitur, non eſſe novum quod ſancti præter meritum, impiorum ſævitiæ à Domino permittuntur. Illud autem non fieri niſi ipſorum bono conſtat: quando hoc Dei juſtitia eſſe alienum *Gen. 18.* docet Scriptura, ut perdat juſtum cum impio: quin *verſ. 23.* potius hoc convenire ut rependat iis qui affligunt, *2 Theſſ. 1.* afflictio- *verſ. 6.*

ſlictionem: iis autem qui affliguntur, relaxationem. Deinde pro Domino pati ſe affirmant: Chriſtus autem beatos pronunciat qui patiuntur propter juſtitiam. (Matth. 5. verſ. 10.) Quod autem aiunt ſe mori quotidie, eo ſignificant, mortem ita ſibi impendere, ut talis vita nihil fere à morte diſtet.

37. *Supervincimus per eum.*] Id eſt, eluctamur ſemper, & emergimus. verbum quod Paulus uſurpat, licet Latinis minus uſitatum, retinui. Evenit quidem interdum ut videantur ſuccubuiſſe fideles, & attriti jacere: adeo Dominus ipſos non modo exercet, ſed etiam humiliat. Hic tamen exitus ſemper datur, ut potiantur victoria. Quo tamen recognoſcant unde hæc invicta virtus, iterum repetit quod dixerat. neque enim tantum docet, Deum quia nos diligit, manum ad nos fulciendos ſupponere: ſed eandem illam ſententiam de Chriſti amore confirmat. Atque unum hoc verbum plus ſatis declarat, non loqui Apoſtolum de amoris fervore quo in Deum rapimur, ſed de paterna ipſius Dei vel Chriſti in nos benevolentia, cujus perſuaſio penitus cordibus noſtris infixa, ſemper ab inferis in lucem vitæ nos extrahet, & ſatis ad fulturam noſtram valebit.

38. Perſuaſus enim ſum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque præſentia, neque futura,

39. Neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos dirimere à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Jam ad hyperbolas quoque effertur, quo magis in iis quæ ſentiuntur nos confirmet. Quicquid in vita eſt, ait, vel in morte, quod nos divellere à Deo poſſe videatur, nihil efficiet: imo ne Angeli quidem ipſi ut fundamentum iſtud evertere conentur, nobis nocebunt. Nec obſtat quod Angeli ſunt adminiſtratorii ſpiritus, & in ſalutem electorum deſtinati. (Hebr. 1. verſ. 14.) Nam ab impoſſibili ratiocinatur Paulus: quemadmodum Galat. 1. v. 8. In quo obſervare licet quomodo debeant omnia nobis vileſcere præ Dei gloria: quando & ipſis Angelis abuti fas eſt ad veritatem ejus aſſerendam. Principatuum quoque & Virtutum nominibus Angeli deſignantur: ſic dicti quod ſunt primaria divinæ potentiæ inſtrumenta. Sunt autem additæ iſtæ duæ voces, ut ſi Angelorum nomen humilius ſonaret, iſtis plus quiddam exprimeretur. Niſi ita accipere malis, Neque Angeli, & quæcunque ſunt ſublimes virtutes: qui modus eſt loquendi, ubi de rebus nobis incognitis, & captum noſtrum excedentibus ſermo habetur.

38. *Neque præſentia, neque futura.*] Quamvis hyperbolice loquatur, reipſa tamen aſſerit, nulla temporis longitudine fieri poſſe ut à Domini gratia ſeparemur. quod addere operæpretium fuit: quia non tantum cum dolore quem ex malis præſentibus ſentimus, nobis lucta eſt: ſed etiam cum metu & ſollicitudine, quibus angunt nos quæ impendent pericula. Senſus eſt ergo, non eſſe metuendum ne adoptionis fidem deleat quantumvis diuturna malorum continuatio. Itaque iſtud Scholaſticis non obſcure repugnat, qui neminem de finali perſeverantia certum eſſe nugantur, niſi ſpecialis revelationis beneficio, quod rariſſimum ipſi faciunt. Quo dogmate deſtruitur tota fides: quæ certe nulla eſt, niſi ad uſque mortem, & poſt mortem quoque extendatur. Nos autem contra oportet confidere, quod qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Domini Jeſu.

39. *Quæ eſt in Chriſto.*] Id eſt, cujus Chriſtus eſt vinculum. ille enim Filius eſt dilectus, in quo complacitum eſt Patri. (Matth. 3. verſ. 17.) Proinde ſi per hunc Deo cohæremus, certi ſumus de inflexibili & indefeſſa Dei in nos benevolentia. Hic jam porro diſtinctius loquitur quam nuper, amoris fontem in Patre ſtatuens, à Chriſto autem in nos aſſerens defluere.

CAP. IX.

VEritatem dico in Chriſto, non mentior: teſtimonium ſimul mihi reddente mea conſcientia cum Spiritu ſancto:

2. Quod dolor ſit mihi magnus, & aſſiduus cruciatus cordi meo.

3. Optarim enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis *inquam* meis ſecundum carnem:

4. Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legiſlatio, & cultus, & promiſſiones:

5. Quorum ſunt Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.

Hoc capite incipit occurrere offenſionibus quæ hominum animos divertere à Chriſto poterant: quod Judæi, quibus ipſe ex Legis pacto deſtinatus erat, non modo eum reſpuebant, vel habebant contemptui, ſed magna ex parte abominabantur. Hinc enim alterutrum ex duobus videbatur conſequi: aut divinæ promiſſioni ſuam non conſtare veritatem: aut Jeſum quem Paulus prædicabat, non eſſe Chriſtum Domini, qui Judæis peculiariter promiſſus fuerat. Duplicem hunc nodum optime in ſequentibus ſolvit Paulus. Locum tamen iſtum ſic tractat, ut temperet ab omni in Judæos acerbitate, ne ipſorum animos exulceret: neque tamen pilum eis concedat in detrimentum Euangelii. ſic enim eis ſua ornamenta tribuit, ut nihil prorſus decedat Chriſto. Cæterum quaſi ex abrupto tranſilit ad ejus rei mentionem, ut nullus appareat orationis contextus: & tamen ſic novum ſermonem ingreditur, quaſi jam prius attigiſſet. Hoc ideo facit, quoniam abſoluta doctrinæ tractatione ubi ad Judæos mentem ſuam reflectit, illorum incredulitate tanquam aliquo prodigio perculſus, erumpit in ſubitam conteſtationem, non aliter quam ſi de re prius agitata tractaret: quandoquidem nemo erat cui non ſponte hæc cogitatio mox obreperet, Si hæc Legis & Prophetarum eſt doctrina, qui fit igitur ut tam pervicaciter eam repudient Judæi? Adde quod res paſſim nota erat, quicquid hactenus de Lege Moſis & Chriſti gratia diſſeruit, Judæis magis eſſe exoſum quam ut eorum conſenſu adjuvaretur Gentium fides. Quare neceſſe fuit ſcandalum iſtud tollere, ne Euangelii curſum abrumperet.

1. *Veritatem dico in Chriſto.*] Quoniam iſta inter pleroſque opinio præſumpta erat, Paulum eſſe quaſi juratum ſuæ gentis hoſtem, ut domeſticis quoque fidei nonnihil ſuſpectus foret, acſi defectionem doceret à Moſe: antequam de re propoſita diſputet, præfatione utitur ad præparandos ſibi lectorum animos:

mos: ubi falſa illa mali affectus in Judæos ſuſpicione ſe liberat. Et quia res non indigna erat juramento, contra vero hoc conceptum jam præjudicium ſuam alioqui affirmationem vix credibilem fore proſpiciebat: jurejurando aſſeverat ſe verum dicere. Quo exemplo & ſimilibus (ut primo capite admonui) diſcere nos oportet quæ ſint legitima juramenta: nempe quæ fidem faciant veritati, quæ & cognitu utilis eſt, & alias non crederetur. Particula *in Chriſto*, idem valet ac Secundum Chriſtum. Quod addit *non mentior*, eo ſignificat ſe loqui citra fictionem aut fucum. *Teſtificante mihi mea conſcientia.* His verbis conſcientiam ſuam vocat in judicium Dei, quia Spiritum de ejus ſenſu atteſtatur. Nam hoc conſilio interpoſuit Spiritus nomen, ut melius teſtatum faceret ſe omni prava æmulatione vacuum & purum, duce & moderatore Spiritu Dei, Chriſti cauſam agere. Sæpe contingit ut quis excæcatus carnis affectu (licet non fallat) ſciens & volens lucem veritatis obſcuret. Atque hoc eſt proprie jurare per nomen Dei, illum teſtem advocare ad fidem rebus dubiis adſtruendam: & ſimul nos judicio ejus obligare, ſi mentiamur.

2. *Quod dolor eſt mihi magnus.*] Non caret artificio, quod orationem ita abſcidit, nondum exprimens qua de re loquatur. nondum enim opportunum erat, interitum gentis Judaicæ aperte exprimere. Adde quod ita majorem doloris vehementiam inſinuat, quia defectivæ orationes ut plurimum ſunt patheticæ. Sed mox declarabit doloris cauſam, ubi pleniorem ſinceritatis ſuæ fidem fecerit. Porro quod tantopere Paulum cruciavit Judæorum exitium, quod Deo volente atque ita diſponente accidiſſe noverat: hinc docemur non impedire obedientiam quam Dei providentiæ deferimus, quin ad perditorum hominum ruinam ingemiſcamus, cui tamen ſcimus juſto Dei judicio deſtinatos. Poteſt enim idem animus duplicem hunc affectum recipere: ut quum in Deum reſpicit, libenter perire ſuſtineat quos perdere ille decrevit: quum ad homines cogitationem reflexit, eorum malis condoleſcat. Longe ergo falluntur qui ἀπάθειαν καὶ ἀναλγησίαν in hominibus piis requirunt, ne Dei ordinationi repugnent.

3. *Optarim enim.*] Nullam majorem charitatis vehementiam exprimere poterat, quam hac teſtificatione. hæc enim perfecta demum eſt dilectio, quæ nec mortem pro amici ſalute refugiat. Atqui particula addita, non de temporaneo duntaxat exitio ipſum loqui indicat, ſed æterna morte. Alluſitque ad nomen anathematis, quum dixit, A Chriſto. nam à ſegregando dictum eſt. Quid eſt autem à Chriſto ſegregari, niſi excludi ab omni ſalutis expectatione? Ardentiſſimæ ergo dilectionis fuit documentum, quod non dubitaret Paulus ſibi damnationem imprecari quam videbat Judæis impendere, quo eos liberaret. Nec obſtat quod ſalutem ſuam Dei electione fundatam eſſe noverat, quæ excidere nullo modo poteſt. nam ferventiores iſti affectus ut præcipitanter feruntur, ita nihil aliud intuentur aut conſiderant quam id quo tendunt. Itaque non conjungebat electionem Dei cum voto ſuo Paulus, ſed præterita ejus memoria, totus in Judæorum ſalutem intentus erat. Jam vero quod multi dubitant an licitum fuerit deſiderium, ea dubitatio ſic expediri poteſt: dilectionis hunc eſſe perpetuum limitem ut ad aras uſque procedat. quod ſi ergo in Deo, non extra Deum diligimus: nunquam erit nimius noſter amor. Talis vero fuit iſte Pauli. gentem enim ſuam dum tot Dei beneficiis dotatam cernebat, Dei dotes in ipſa, & propter Dei dotes ipſam amplectebatur. eas quoque dotes perire indigniſſime ferebat: inde fiebat ut in extremum hoc votum confuſo animo erumperet. Sic non recipio eorum opinionem, qui Paulum ſolius Dei, non hominum intuitu hæc dixiſſe putant: nec alis rurſum aſſentior, qui ſine Dei conſideratione, tantum hominum amori dediſſe tradunt: ſed hominum charitatem cum ſtudio gloriæ Dei conjungo. Nondum tamen quod præcipuum erat, explicui, Judæos hic reſpici inſignibus ſuis ornatos, quibus ab humano genere diſtincti erant. Nam fœdere ſuo Deus ita ipſos in ſublime extulerat, ut ipſis cadentibus, labaſceret in mundo fides ipſius Dei & veritas. Fuiſſet enim irritum fœdus cujus perpetua fore dicitur ſtabilitas, quamdiu ſol & luna in cælo fulgebunt: ut magis abſurdum eſſet illud aboleri, quam triſti fœdaque confuſione miſceri totum mundum. *Pſal. 72. verſ. 7.* Quare non ſimplex & nuda eſt hominum comparatio: quamvis enim membrum unum perire quam totum corpus præſtaret; ideo tamen Judæos tanti æſtimat Paulus, quia electi populi perſona, atque (ut vulgo loquuntur) qualitate ipſos induit. quod etiam ex contextu melius liquet, ſicuti mox ſuo loco videbimus. Voces iſtæ, *cognatis inquam meis ſecundum carnem*, quanquam nihil novum ſignificant, plurimum tamen ad amplificationem valent. Primum enim ne quis eum libenter aut ſponte captare putet cauſam diſſidii cum Judæis, ſignificat non ita ſe exuiſſe humanitatis ſenſum, quin moveatur horribili iſto carnis ſuæ interitu. Deinde quum Evangelium cujus erat præco, neceſſe eſſet prodire ex Sion, generis ſui commendationem non fruſtra pluribus verbis inculcat. Nam exceptio Secundum carnem, non extenuandi cauſa, ut alibi (meo judicio) additur, ſed potius fiduciæ. Quanquam enim Paulum abdicaverant Judæi, non tamen ſe ex illa gente oriundum diſſimulat, cujus adhuc vigebat electio in radice, quamvis rami exaruiſſent. De voce Anathematis quæ tradit Budæus, pugnant cum ſententia Chryſoſtomi, qui ἀνάθημα καὶ ἀνάθεμα confundit.

4. *Qui ſunt Iſraëlitæ.*] Hic jam aperta eſt cauſæ redditio, cur tantopere ipſum torqueret populi excidium, ut paratus eſſet ſuo ipſius interitu illum redimere: nempe quia Iſraëlitæ erant. Nam relativum pronomen, cauſalis adverbii loco poſitum eſt. Sic Moſem, quum è libro vitæ deleri cuperet, hæc anxietas torquebat, ne in nihilum redigeretur ſacrum & electum Abrahæ genus. *Exod. 32. verſ. 32.* Ergo præter humanum affectum, alias quoque rationes, & quidem ſuperiores, commemorat, quæ Judæos illi conciliare debuerint: nempe quod Dominus eos quadam veluti prærogativa ſic extulerat, ut eſſent à communi hominum ordine ſegregati. Et hæc dignitatis elogia teſtimonia ſunt amoris. non enim ſolemus adeo benigne loqui, niſi de iis quos amamus. Et quanquam ſua ingratitudine reddebant ſe indignos qui cenſerentur ab iſtis Dei donis, non tamen deſinit illos jure revereri. quo docet, impios non poſſe ita contaminare bonas Dei dotes, quin ſemper merito ſint laudabiles ac ſuſpiciendæ: quanquam illis ipſis qui abutuntur, nihil inde accedat, niſi majus probrum. Quemadmodum autem non eſt committendum ut improborum odio dona Dei in ipſis contemnamus: ita è converſo adhibenda eſt prudentia, ne benigna eorum æſtimatione ac commemoratione ipſos inflemus, multo etiam magis ne laudes noſtræ adulationis ſpeciem præ ſe ferant. Sed imitemur Paulum, qui ſua Judæis ornamenta ſic concedit, ut poſtea declaret omnia ſine Chriſto nihil eſſe. Porro non fruſtra hoc ponit inter eorum laudes quod Iſraëlitæ eſſent. nam id ſummæ benedictionis loco precatus fuerat Jacob, ut nomen ſuum ſuper eos invocaretur. *Geneſ. 48. verſ. 16.* *Quorum adoptio.* Ad hunc ſcopum dirigitur tota Pauli oratio, utcunque defectione ſua Judæi impium cum Deo divortium fecerint, non tamen prorſus extinctam in illis eſſe lucem gratiæ Dei. ſicuti & cap. 3. verſ. 3. dixit, Quamvis illi increduli & fœdifragi eſſent, non tamen eorum perfidia exinanitam eſſe Dei fidem: non modo quia reſiduum ſibi aliquod ſemen ex tota multitudine ſervavit, ſed quia hæreditario jure nomen Eccleſiæ adhuc penes ipſos manebat.

Digitized by Google

manebat. Quanquam autem iſtis omnibus ornamentis jam ſe exuerant, ut nihil prodeſſet vocari Abrahæ filios: quia tamen erat periculum ne eorum culpa vileſceret apud Gentes Euangelii majeſtas, non quid meriti ſint reputat Paulus, ſed eorum fœditatem ac dedecus pluribus oppoſitus velis tegit, donec perſuaſum ſit Gentibus Euangelium ex cæleſti fonte, ex Dei ſacrario, ex gente electa ad ſe fluxiſſe. Nam Dominus præteritis omnibus aliis gentibus eos ſibi in peculium ſelegerat, & in filios adoptaverat, quemadmodum ſæpe apud Moſen & Prophetas teſtatur. nec contentus ſimpliciter filios nominare, nunc primogenitos vocat, nunc delicatos. Exod. 4. verſ. 22., Sic dicit Dominus, Filius meus primogenitus Iſraël. dimitte filium meum ut ſerviat mihi. Jer. 31. v. 9., Factus ſum Iſraeli pater, & Ephraim Jer. 31. verſ. 26. primogenitus meus eſt. Item, Nonne filius mihi pretioſus Ephraim? nonne puer delectabilis? ideo conturbata ſunt ſuper eum viſcera mea, & adhuc miſerebor ejus. Quibus verbis non ſuam tantum indulgentiam erga Iſraël commendare vult, ſed potius vim adoptionis demonſtrare, ſub qua cæleſtis hæreditatis promiſſio continetur. *Gloria* excellentiam ſignificat, in quam populum illum extulerat Dominus præ omnibus reliquis populis: idque cum multis ac variis modis, tum quod in medio ejus habitabat. Nam præter multa præſentiæ ſuæ ſigna, ſingulare ejus ſpecimen in Arca exhibebat, unde & reſponſa dabat, & populum ſuum exaudiebat, ut ſuam in illis adjuvandis potentiam exereret. Qua ratione gloria Dei vocabatur: ut 1 Sam. 4. verſ. 22. Quoniam pacta hic à promiſſionibus diſtinxit, hanc differentiam obſervemus, ut Pactum nobis ſit quod diſertis ac ſolennibus verbis concipitur: habetque mutuam ſtipulationem, nempe fœdus cum Abrahamo ictum: Promiſſiones vero ſint quæcunque in Scripturis ſparſim occurrunt. Nam ubi Deus ſemel fœdus cum veteri populo percuſſit, novis ſubinde promiſſionibus non deſtitit gratiam ſuam offerre. unde ſequitur, promiſſiones ad pactum, tanquam ad unicum caput referri: ſicuti ſpecialia Dei auxilia, quibus favorem ſuum Deus erga fideles teſtatur, ex unico electionis fonte manant. Quia autem Lex nihil aliud quam fœderis illius renovatio fuit, quæ ejus memoriam melius ſanciret, videtur hic legislatio peculiariter ad judicia debere reſtringi. Eſt enim id quoque non vulgare Judaici populi decus, quod Deum habeat legiſlatorem. Nam ſi alii Solonibus & Lycurgis gloriantur: quanto juſtior eſt gloriandi materia de Domino? de quo etiam habetur Deut. 4. v. 32. Per *Cultum* intelligit partem eam Legis, qua legitimus colendi Dei ritus præſcribitur, ut ſunt ceremoniæ & ritus. Nam legitimæ cenſeri debuerunt ex Dei regula: extra quam quicquid homines moliuntur, mera eſt religionis profanatio.

5. *Quorum ſunt patres*]. Nam & hoc alicujus eſt momenti, trahere originem à ſanctis & Deo dilectis viris, quum Deus miſericordiam piis patribus promiſerit erga filios uſque in mille generationes; præſertim vero conceptis verbis, Abrahæ, Iſaac, Jacob, Gen. 17. v. 4. & alibi. Nec refert quod iſtud, ſi à timore Dei & vitæ ſanctimonia ſeparetur, ſit per ſe vanum & inutile: nam idipſum videmus in latria quoque & gloria: tum paſſim apud Prophetas, tum vero præcipue Jeſ. 1: 11. & 60: 1. Item Jer. 7: 4. Verum quoniam iſta cum pietatis ſtudio juncta, aliquo honoris gradu dignatur Deus, inter Judæorum prærogativas merito recenſuit. Nam ideo hæredes dicuntur promiſſionum, quia ex Patribus deſcenderant, Act. 3. *Ex quibus eſt Chriſtus* &c. Qui hoc ad Patres referunt, acſi vellet tantum Paulus dicere ex Patribus Chriſtum deſcendiſſe, nulla id ratione faciunt. Voluit enim hoc encomio claudere gentis Judaicæ excellentiam, quod ab ipſis prodiiſſet Chriſtus. Neque enim nihili æſtimandum eſt, cognatione carnali cum mundi redemptore cohærere. nam ſi honoravit univerſum hominum genus, quum ſe naturæ communione nobis copulavit, multo magis eos quibuſcum habere voluit arctum conjunctionis vinculum. Quanquam ita ſemper habendum eſt, ſi hæc cognationis gratia à pietate ſeparetur, tantum abeſſe ut proſit, ut potius in majorem condemnationem cedat. Porro hic habemus inſignem locum, quod ita duæ in Chriſto naturæ diſtinguuntur, ut ſimul uniantur in ipſam Chriſti perſonam. Quod enim dicit Chriſtum ex Judæis deſcendiſſe, eo declarat veram ejus humanitatem. Particula *ſecundum carnem*, quæ addita eſt, denotat ipſum habuiſſe aliquid carne ſuperius: ubi habetur aperta inter humanitatem & divinitatem diſtinctio. Utrumque vero demum conjungit, ubi dicit eum ipſum Chriſtum, qui ex Judæis ſecundum carnem natus eſt, eſſe Deum in ſecula benedictum. Notandum præterea eſt, hoc elogium nonniſi in unum æternumque Deum competere. Unum enim Deum alibi prædi- 1 Tim. 1. cat, cui debeatur omnis honor & gloria. Qui hoc verſ. 17. membrum abrumpunt à reliquo contextu, ut Chriſto eripiant tam præclarum divinitatis teſtimonium, nimis impudenter in plena luce tenebras obducere conantur. pluſquam enim aperta ſunt verba, *Chriſtus ex Judæis ſecundum carnem, qui Deus eſt in ſecula benedictus*. Nec vero dubito quin Paulus, cui difficilis cum urgenti ſcandalo lucta erat, mentem ſuam conſulto ad æternam Chriſti gloriam extulerit: neque id tam ſua unius cauſa privatim, quam ut aliis ſuo exemplo animum ad emergendum adderet.

6. Neque tamen quaſi exciderit verbum Dei. non enim omnes qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraëlitæ:
Gen. 21. verſ. 12. 7. Nec qui ſunt ſemen Abrahæ, ideo omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.
Hebr. 11. verſ. 18. 8. Hoc eſt, non qui ſunt filii carnis, ii filii ſunt Dei: ſed qui ſunt filii promiſſionis, cenſebuntur in ſemen.
Gen. 18. verſ. 10. 9. Promiſſionis enim verbum hoc eſt, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.

6. *Neque tamen* &c.] Quia voti ſui fervore quaſi in ecſtaſin raptus fuerat Paulus, jam ad ſuas docendi partes redire volens, ſpeciem correctionis adhibet, acſi ſeipſum ex immodico cruciatu colligeret. Et quoniam ex eo quod gentis ſuæ excidium deplorabat, hoc abſurdum ſequi videbatur, fœdus Dei cum Abrahami ſemine percuſſum excidiſſe (non enim poterat ab Iſraëlitis gratia Dei deficere, quin fœdus aboleretur) opportune hanc abſurditatem prævenit: & oſtendit quomodo in tanta Judæorum cæcitate, gratia Dei nihilominus in eo populo conſtanter permaneret, quo ſtaret fœderis veritas. Quidam legunt, Nec vero poſſibile eſt: quaſi Græce eſſet οἷόν τε. ſed quoniam in nullo exemplari lectionem eam reperio, magis probo quod vulgo legitur, Non quod exciderit: in hunc ſenſum, Quod ita gentis meæ exitium deploro, non eo ſpectat, acſi Dei promiſſionem, Abrahæ olim datam, nunc irritam & abolitam putarem. *Non enim omnes* &c. Propoſitio eſt, ſic datam eſſe Abrahæ promiſſionem & ſemini ejus, ut non ad quodlibet ſemen hæc ſpectet hæreditas: unde conſequetur, nihil impedire quo-

quorundam defectionem, quo minus firmum & ſtabile fœdus maneat. Sed quo melius pateat qua conditione Dominus Abrahæ poſteritatem ſibi in peculiarem populum adoptarit, duo ſunt hic conſideranda: promiſſionem ſalutis Abrahæ datam, ad omnes pertinere qui ad eum carnis originem referunt, quia omnibus ſine exceptione offeratur: atque hac ratione jure appellari fœderis cum Abrahamo percuſſi hæredes ac ſucceſſores, ſive (ut Scriptura loquitur) promiſſionis filios. nam quum Dominus voluerit fœdus ſuum non minus in Iſmaële & Eſau, quam in Iſaac & Jacob obſignari, apparet non fuiſſe penitus ab ipſo alienos: niſi forte pro nihilo habeas Circumciſionem, quæ illis Dei mandato communicata fuit: quod ſine Dei contumelia dici *ſupra* 3.2. non poteſt. Atque id erat quod antea dicebat Apoſtolus, eorum eſſe pacta, etiamſi infideles forent. Et Actor. 3. vocantur à Petro filii pactorum, quod eſſent Prophetarum progenies. Alterum eſt, filios promiſſionis proprie nuncupari in quibus ipſius virtus & efficacia extet. Ea ratione hic negat Paulus omnes Abrahæ filios eſſe filios Dei, etiamſi pactum cum illis initum eſſet à Domino: quia pauci in fide teſtamenti ſtabant: quum tamen omnes ſibi eſſe filiorum loco teſtetur Deus ipſe apud *Ezechielem* capite ſexto. In ſumma, ubi totus populus vocatur hæreditas & peculium Dei, ſignificatur cooptatum eſſe à Domino, oblata ſalutis promiſſione, & Circumciſionis ſymbolo confirmata. Sed quia multi eorum ſua ingratitudine adoptionem illam repudiant, ideoque ejus beneficio minime fruuntur, inde emergit inter ipſos altera differentia, dum promiſſionis impletio reſpicitur. Eam ergo impletionem in plurimis Judæorum non apparere, ne cui mirum videatur, Paulus eos eſſe comprehenſos in vera Dei electione negat. Siquis aliis verbis mavult, communis populi Iſraelitici electio non impedit, quo minus inde ſibi deligat arcano ſuo conſilio Deus quos viſum eſt. Eſt quidem hoc illuſtre gratuitæ miſericordiæ ſpeculum, quod Deus cum gente una fœdus vitæ paciſci dignatus eſt: verum ſupereminet magis recondita gratia in ſecunda electione, quæ ad ſolam partem reſtringitur. Quod autem *omnes qui ſunt ex Iſraële*, negat *eſſe Iſraëlitas, & omnes qui ſunt ex ſemine Abrahæ filios*, ſpecies eſt παρονομασίας: quandoquidem in priore membro univerſam progeniem complectitur, altero germanos tantum filios deſignat, qui ſcilicet non degenerant.

7. *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.*] In eo verſatur Paulus, ut oſtendat electionem arcanam Dei ſupra externam vocationem dominari: & tamen cum ea minime pugnare, ſed potius ad ejus confirmationem ac complementum tendere. Utrumque ergo ut ordine demonſtret, priore loco aſſumit, non alligari Dei electionem carnali Abrahæ generationi, neque vero id contineri in fœderis conditione: quod nunc appoſitiſſimo exemplo confirmat. Nam ſi qua debuit eſſe genuina progenies, quæ à pacto non deficeret, id potiſſimum habere locum debuit in iis qui primum gradum obtinebant: verum quum videamus in primis Abrahæ filiis, eo adhuc vivente, recenti promiſſione, alterum à ſemine fuiſſe ſegregatum: quanto id magis in longa poſteritate evenire potuit? Eſt autem oraculum hoc ſumptum ex Gen. cap. 17. ubi Dominus Abrahæ reſpondet, exauditas à ſe fuiſſe ejus preces ſuper Iſmaële: ſed alterum fore in quo reſideat benedictio promiſſa. Unde ſequitur, ſingulari privilegio certos homines ex electo populo eligi, in quibus efficax & rata ſit communis adoptio.

8. *Hoc eſt, non qui ſunt* &c.] Nunc ex oraculo colligit propoſitionem, qua totum ejus propoſitum concluditur. Nam ſi in Iſaac, non in Iſmaële ſemen vocatur, neque hic minus eſt Abrahæ filius quam ille: oportet non omnes carnales filios in ſemine reputari, ſed promiſſionem ſpecialiter in quibuſdam adimpleri, non autem communiter & ex æquo ad omnes ſpectare. Filios carnis appellat, qui nihil habent carnali progenie excellentius: ſicuti filios promiſſionis, qui peculiariter à Domino ſignati ſunt.

9. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt.*] Alterum oraculum adjungit, in cujus applicatione videre eſt quanta diligentia & dexteritate Scripturam tractet. Quum Dominus, inquit, diceret ſe venturum, & ſuſcitaturum Abrahæ filium ex Sara, eo innuebat nondum extare ſuam benedictionem, ſed adhuc pendere. Atqui jam natus erat Iſmaël, quum id diceretur: ergo Dei benedictio extra Iſmaëlem erat. Illud etiam obiter obſervemus, quanta cautione hic progreditur, ne Judæos exacerbet. Primum ergo ſuppreſſa cauſa rem ſimpliciter indicat: deinde fontem aperiet.

10. Non ſolum autem hic: ſed & Rebecca quæ ex uno conceperat patre noſtro Iſaac.
11. Quum enim nondum nati eſſent pueri, nec quidpiam boni aut mali egiſſent: ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret:
Gen. 25. 12. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, Major ſerviet minori.
verſ. 23. 13. Quemadmodum ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.

10. *Non ſolum autem.*] Abſciſſæ ſunt hoc capite ſententiæ aliquot: qualis eſt hæc, *Sed & Rebecca quæ conceperat ex uno patre noſtro Iſaac.* nam in ejus medio deſinit, antequam veniat ad verbum principale. Senſus tamen eſt, non ſolum in Abrahæ filiis poſſe perſpici hanc diverſitatem, quantum attinet ad hæreditatem promiſſionis: ſed multo evidentius documentum extare in Jacob & Eſau. Nam in prioribus cauſari quis poſſet imparem conditionem, quod alter foret ancillæ filius. ſed iſti uterini fuerunt, & quidem gemelli: alter tamen rejicitur, alter cooptatur à Domino. unde conſtat, promiſſionis impletionem non omnibus indifferenter conſtare carnis filiis. Quia autem ad perſonas reſpicit Paulus, quibus Deus teſtatum fecit conſilium ſuum, malui ſubintelligere maſculinum pronomen quam neutrum, ſicut fecit Eraſmus. Senſus enim eſt, non ſoli Abrahæ patefactam fuiſſe ſpecialem electionem, ſed poſtea etiam Rebeccæ, dum gemellos in utero ferebat.

11. *Quum enim nondum nati.*] Jam altius conſcendere incipit: nempe ad indicandam hujus diverſitatis rationem, quam nonniſi in electione Dei poſitam eſſe docet. Hactenus enim paucis verbis notaverat, diſcrimen eſſe inter carnales Abrahæ filios: nempe quamvis omnes in fœderis ſocietatem Circumciſione ſint adoptati, gratiam tamen Dei non eſſe in omnibus efficacem: eos ergo qui fruantur Dei beneficio, eſſe promiſſionis filios. Unde autem id contingeret, vel tacuerat, vel certe obſcure inſinuaverat. Nunc vero aperte cauſam totam ad electionem Dei refert: eamque gratuitam, & quæ minime ab hominibus pendeat: ut nihil ſuperius quæratur Dei bonitate, in ſalute piorum; in reproborum exitio, nihil ſuperius juſta ejus ſeveritate. Sit ergo hæc propoſitio, Quemadmodum gentem Iſraëliticam à reliquis omnibus populis ſeparat fœderis benedictio: ita ejus quoque gentis homines Dei electio diſcernit, dum alios ad ſalutem prædeſtinat, alios ad æternam damnationem. Secunda propoſitio, Ejus electionis non aliud eſt fundamentum quam mera Dei bonitas, atque etiam poſt Adæ lapſum miſeri-

miſericordia, quæ nullo prorſus operum intuitu, quos illi placet amplectitur. Tertia, Dominus in gratuita ſua electione liber eſt & ſolutus ea neceſſitate, ut eandem omnibus gratiam ex æquo impertiat: quin potius quos vult præterit: quos autem vult, aſſumit. Hæc omnia Paulus una clauſula breviter comprehendit, reliqua deinde proſequetur. Porro his verbis, *Quum nondum nati eſſent, aut aliquid boni aut mali egiſſent*, indicat Deum in ſtatuendo diſcrimine non potuiſſe intueri opera, quæ nondum erant. Qui autem contra argutantur, illud nihil impedire quominus ſecundum operum merita electio Dei inter homines diſcernat, quia Deus ex futuris operibus prævidet qui gratia ſua digni vel indigni futuri ſint: non ſunt Paulo magis perſpicaces, ſed in principio theologiæ impingunt, quod debuerat eſſe Chriſtianis omnibus notiſſimum: nempe Deum in vitiata hominis natura, qualis in Eſau & Jacob fuit, nihil poſſe conſiderare quo ad benefaciendum inducatur. Quum ergo dicit utrumque nihil boni aut mali tunc egiſſe, ſimul addendum eſt quod ipſe præſumit: utrumque ſcilicet eſſe filium Adæ, natura peccatorem, nulla juſtitiæ mica præditum. Neque in his explicandis ideo immoror, quod dubia ſit mens Apoſtoli: ſed quia Sophiſtæ ejus ſimplicitate non contenti, elabi hinc frivolis diſtinctionibus conantur, oſtendere volunt Paulum nequaquam ignoraſſe quæ ipſi afferunt: ſed eos potius cæcutire in primis fidei rudimentis. Porro etſi ſola vitioſitas, quæ diffuſa eſt per totum humanum genus, antequam emergat in actum (ut loquuntur) ad damnationem ſufficit: unde ſequitur merito rejectum fuiſſe Eſau, quia naturaliter erat filius iræ: ne quis tamen maneat ſcrupulus, acſi ullius culpæ aut vitii reſpectu deterior ejus conditio fuiſſet, non minus peccata quam virtutes excludi utile fuit. Verum quidem eſt, propinquam reprobationis cauſam eſſe, quia ſumus omnes in Adam maledicti: tamen ut diſcamus in nudo & ſimplici Dei beneplacito acquieſcere, ab hoc quoque intuitu nos tantiſper Paulus ſubducit, donec hanc doctrinam ſtabilierit, Deum in ſuo arbitrio ſatis juſtam eligendi & reprobandi habere cauſam. *Ut ſecundum electionem propoſitum* &c. Singulis prope verbis urget gratuitam Dei electionem: nam ſi opera locum haberent, dicendum erat, Ut operibus conſtet ſua remuneratio. ipſe autem opponit Dei propoſitum, quod ſolo ejus beneplacito (ut ita loquar) continetur. Ac ne ulla de ea re controverſia maneret, ſuſtulit omnem dubitationem, addita altera particula, *ſecundum electionem*: deinde & tertia, *non ex operibus, ſed ex vocante*. Nunc ergo animos propius advertamus ad ejus contextum. Si ex eo ſtabilitur Dei propoſitum ſecundum electionem, quod antequam naſcantur fratres, & aliquid vel boni vel mali deſignent, alter rejicitur, alter aſſumitur: ergo ſi quis velit eorum operibus cauſam diſcriminis tribuere, propoſitum Dei ſic everteretur. Jam quod ſubjungit, *Non ex operibus, ſed ex vocante*: ſignificat non ex parte operum, ſed ſolius vocationis: vult enim omnem operum conſiderationem excludere. Habemus ergo totam electionis noſtræ firmitudinem in ſolo Dei propoſito eſſe concluſam: nihil hic valere merita, quæ nihil niſi in mortem poſſunt: non reſpici dignitatem quæ nulla eſt: verum ſolam Dei benignitatem regnare. Proinde falſum eſt, ac verbo Dei contrarium dogma, Deum, prout unumquemque gratia ſua dignum vel indignum prævidet, ita vel eligere vel reprobare.

12. *Major ſerviet minori.*] Ecce quomodo filios Iſaac adhuc latentes in matris utero Dominus diſcernat. Hoc enim illi reſpondit divinum oraculum: unde ſequebatur, Deum peculiari favore minorem velle proſequi, quem majori denegaret. Tametſi autem iſtud ad jus primogenituræ ſpectabat: in ea tamen ipſa, velut majoris rei typo, declarata fuit Dei voluntas. Atque id videre promptum eſt, ſi reputamus quam parum ſecundum carnem ſua primogenitura Jacobo profuerit. Nam & ob eam periclitatur vehementer, & ut periculum effugiat, domo & patria cedere cogitur, inhumaniſſime tractatur in ſuo exilio: dum redit, trepidus & vitæ dubius ſeſe advolvit ad fratris pedes, ſuppliciter ejus offenſam deprecatur, & nonniſi ejus venia vivit. Ubi dominium ſupra fratrem, à quo vitam precario petere cogitur? Majus ergo quiddam fuit quam primogenitura, quod Dominus oraculo ſuo pollicebatur.

13. *Quemadmodum ſcriptum eſt, Jacob dilexi.*] Certiore adhuc teſtimonio confirmat quantopere valeat ad præſentem cauſam illud redditum Rebeccæ oraculum: nempe quod dominio Jacob & ſervitute Eſau teſtata fuerit ſpiritualis utriuſque conditio. deinde quod Dei benignitate, nullo ſuo merito, hanc gratiam obtinuerit Jacob. Ergo hoc Prophetæ teſtimonium cauſam oſtendit cur primogenituram Jacob detulerit Dominus. Eſt autem ſumptum ex Malachiæ capite 1. ubi Dominus Judæis ingratitudinem exprobraturus, ſuam prius in eos bonitatem enarrat. Dilexi vos, inquit. Et ſubjicit unde ejus amoris exordium, Nonne frater erat Eſau Jacob? acſi diceret, Quid habuit prærogativæ cur fratri à me præferretur? nihil ſane. Erat enim jus æquum, niſi quod naturæ lege, hic qui major natu erat, ſubjici illi debuit: ego tamen hunc aſſumpſi, illum repuli: utique ſola mea miſericordia, nulla operum dignitate inductus. Et nunc vos in populum cooptaram, quo eandem erga ſemen Jacob benignitatem proſequerer: Edomitas vero abjeceram Eſau progeniem. Itaque eo eſtis deteriores, quos memoria tantæ indulgentiæ ad cultum numinis mei incitare non poteſt. Quanquam autem illic etiam commemorantur benedictiones terrenæ, quas Iſraëlitis contulerat Deus: non tamen aliter accipere convenit quam illius benevolentiæ ſymbola. Cæterum ubi eſt ira Dei, illic mors ſequitur: ubi dilectio, illic vita.

14. Quid ergo dicemus? num injuſtitia eſt apud Deum? Abſit.

Exod. 33. verſ. 19. 15. Moſi enim dicit, Miſerebor, cujus miſerebor: & miſerabor, quem miſeratus fuero.

16. Ergo non volentis, neque currentis: ſed miſerentis eſt Dei.

Exod. 9. verſ. 16. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni, In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te potentiam meam, & ut prædicetur nomen meum in univerſa terra.

18. Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat.

14. *Quid ergo dicemus?*] Caro illam Dei ſapientiam audire non poteſt, quin tumultuoſis quæſtionibus extemplo perturbetur, & Deum ad rationem quodammodo vocare contendat. Ideo videmus Apoſtolum, quoties ſublime aliquod myſterium tractat, occurrere multis abſurdis, quibus noverat alioqui occupatum iri hominum mentes. Præſertim vero ubi de prædeſtinatione audiunt homines id quod tradit Scriptura, multis tricis impediuntur. Eſt enim prædeſtinatio Dei, vere labyrinthus, unde hominis ingenium nullo modo ſe explicare queat: atqui adeo importuna eſt hominis curioſitas, ut quo periculoſior eſt cujuſque rei inquiſitio, eo audacius perrumpat: ita ubi de prædeſtinatione ſermo habetur, quia modum ſibi imponere non poteſt, ſua temeritate velut in profundum mare ſtatim ſe demergit. Quod ergo piis remedium erit? an ut omnem prædeſtinationis memoriam refugiant? minime.

Nam

Nam quum nihil docuerit Spiritus ſanctus, niſi quod ſcire noſtra intereſſet: utilis proculdubio erit ejus notitia, quæ modo ſub Dei verbo ſe continebit. Hæc ergo ſit nobis ſancta obſervatio, ne quid de ipſa ſcire appetamus, niſi quod Scriptura docet: ubi Dominus ſacrum os ſuum clauſerit, viam quoque ultra pergendi mentibus noſtris præcludamus. Sed quoniam homines ſumus, quibus naturaliter in mentem veniunt ſtultæ illæ quæſtiones: audiamus ex Paulo quomodo ſit illis occurrendum. *Num injuſtitia eſt apud Deum?* Prodigioſus certe humani ingenii furor, quod injuſtitiæ potius Deum inſimulat, quam ut ſe coarguat cæcitatis. neque enim Paulus procul accerſere voluit quibus lectores turbaret: ſed quaſi è medio ſumpſit impiam dubitationem, quæ ſtatim multis obrepit, ſimulac audiunt Deum de ſingulis ſuo arbitrio ſtatuere. Hæc porro eſt injuſtitiæ ſpecies quam imaginatur caro, quod altero præterito Deus alterum reſpiciat. Hunc ſcrupulum ut ſolvat Paulus, totam cauſam in duo membra partitur: quorum in priore de electis tractat, in altero tractat de reprobis: ac vult ut in illis quidem Dei miſericordiam contemplemur, in his autem agnoſcamus juſtum judicium. Principio ergo reſpondet, dignam execratione eſſe hanc cogitationem, ut injuſtitia eſſe apud Deum credatur: deinde in utramque partem declarat quomodo nulla eſſe poſſit. Antequam tamen ultra progredimur, objectio iſta clare teſtatur, quod alios eligit Deus, alios reprobat, cauſam non alibi quam in ejus propoſito quærendam eſſe. nam ſi in operum reſpectu fundatum eſſet diſcrimen, fruſtra quæſtionem de injuſtitia Dei Paulus moviſſet, cujus nulla poteſt eſſe ſuſpicio, ubi Deus quemque pro merito tractat. Jam & hoc ſecundo loco notare operæpretium eſt, quamvis hanc doctrinæ partem videret non poſſe attingi, quin obſtreperæ voces, atque etiam horribiles blaſphemiæ extemplo contra inſurgerent, libere tamen & ingenue eam protuliſſe: imò non diſſimulat qualis fremendi ac tumultuandi occaſio nobis ingeratur, dum audimus, antequam naſcantur homines, ſuam cuique ſortem arcano Dei arbitrio aſſignari: pergit nihilominus, & ſine ambagibus pronunciat quod ex Spiritu ſancto didicit. Unde ſequitur, minime tolerabiles eſſe eorum delicias, qui in redimendis vel placandis offenſionibus prudentiores Spiritu ſancto videri affectant. Ne in crimen vocetur Deus, illis religio eſt ſimpliciter fateri à libera ejus electione pendere hominum ſalutem vel exitium. Si mentes ſuas à prava curioſitate arcerent, frenarent etiam linguas ſuas ab immodica licentia, probanda eſſet modeſtia eorum & ſobrietas: capiſtrum vero Spiritui ſancto & Paulo injicere, quænam audacia eſt? Vigeat ergo in Eccleſia Dei hæc magnanimitas, ne pios doctores pudeat ſimplici veræ doctrinæ profeſſione, quantumvis odioſa ſit, refutare quaſcunque impii calumnias ingerunt.

15. *Moſi enim dicit.*] Quantum ad electos attinet, non poteſt inſimulari Deus ullius injuſtitiæ: eos enim pro ſuo beneplacito miſericordia dignatur. Et tamen hic quoque reperit caro quod obmurmuret. quia concedere Deo non poteſt ut hunc potius quam illum favore dignetur, niſi in medium prodeat cauſa. Quia ergo abſurdum videtur alios aliis abſque merito præferri, Deo litem intentat hominum protervia, acſi perſonis plus æquo deferret. Nunc quomodo Dei juſtitiam defendat Paulus, videndum eſt. Primo certe non obſcurat, neque involvit quod videbat odioſum eſſe: ſed in eo aſſerendo pergit inflexibili conſtantia. Deinde in quærendis rationibus quæ aſperitatem molliant, non laborat: ſed ſatis habet Scripturæ teſtimoniis impuros latratus compeſcere. Videri quidem poſſet hæc frigida eſſe excuſatio, non eſſe Deum injuſtum, quia miſericors eſt quibus viſum eſt: ſed quia Deo ſatis ſuperque eſt ſua unius auctoritas, ut nullius patrocinio indigeat, Paulo ſatis fuit eum juris ſui ſtatui vindicem. Affert autem hic Paulus reſponſum quod accepit Moſes à Domino, quum pro univerſi populi ſalute deprecaretur. Miſerebor, reſpondit Deus, cujus miſerebor: & commiſeratione proſequar, quem commiſeratione proſequutus fuero. Hoc autem oraculo declaravit Dominus, ſe nemini mortalium eſſe debitorem: gratuitæ eſſe beneficentiæ quicquid illis tribueret: deinde hanc beneficentiam liberam eſſe, ut eam erogaret cui placeret: poſtremo cur certis hominibus benefaciat, ac etiam bene velit, non autem omnibus, cauſam nullam voluntate ſua ſuperiorem poſſe cogitari. perinde enim ſonant verba, acſi dictum eſſet, Cujus ſemel decrevi miſereri, ab eo miſericordiam meam nunquam auferam: & perpetua benignitate proſequar eum cui benignus eſſe ſtatui. Atqui ſic ſupremam impartiendæ gratiæ cauſam aſſignat, voluntarium ſuum decretum: & ſimul innuit, miſericordiam ſuam peculiariter ſe quibuſdam deſtinaſſe. nam & præciſa hæc loquutio extraneas omnes cauſas excludit: ſicuti quum liberam agendi poteſtatem nobis vendicantes, dicimus, Faciam quod facturus ſum. Et diſerte relativum pronomen exprimit, miſericordiam non fore omnibus promiſcuam. hæc Deo libertas eripitur, ubi externis cauſis alligatur ejus electio. In duobus verbis quæ uſurpat Moſes, exprimitur unica ſalutis cauſa: nam חנן eſt gratis & liberaliter vel favere vel beneficium largiri: רחם vero eſt affici miſericordia. Ita conficitur quod Paulus intendit, miſericordiam Dei, quia gratuita eſt, non eſſe adſtrictam, ſed inclinare quo libuerit.

16. *Ergo non volentis*, &c.] Ex teſtimonio illo colligit quod citra controverſiam ſequitur, electionem noſtram neque induſtriæ noſtræ, neque ſtudio, neque conatui eſſe tribuendam: ſed totam ad Dei conſilium referendam eſſe. Ne quis putet, eos qui eliguntur, ideo eligi quia ita promeriti ſint, vel Dei favorem ullo modo ſibi conciliarint: aut denique ullam eſſe in ipſis micam dignitatis qua Deus provocetur. Simpliciter autem accipe, neque in voluntate noſtra, neque in conatu eſſe ſitum (curſum enim pro ſtudio vel contentione poſuit) ut inter electos cenſeamur: ſed totum id divinæ bonitatis, quæ nec volentes, nec conantes, ac ne cogitantes quidem ultro aſſumit. Qui vero ex hoc loco ratiocinantur aliquam ſubeſſe nobis ſtudii vim, ſed quæ per ſe nihil efficiat, niſi miſericordia Dei adjuta, inſulſe id faciunt. Non enim oſtendit Apoſtolus quid ſit in nobis: ſed omnes conatus noſtros excludit. Eſt igitur mera cavillatio quod inferunt, nos velle & currere, quia neget Paulus eſſe volentis aut currentis: quum ipſe nihil aliud voluerit, quam nihil operari, nec voluntatem, nec curſum. Redarguendi tamen rurſum ſunt illi, qui ut dent locum Dei gratiæ, oſcitabundi & deſides manent. nam tametſi proprio ſtudio nihil proficitur, quod tamen à Deo inſpiratur ſtudium efficacia non caret. Non ergo hæc dicuntur quo Spiritum Dei nobis igniculos inſtillantem, noſtra vel pervicacia vel ignavia præfocemus: ſed ut intelligamus, ab ipſo eſſe quicquid habemus: ideoque & ab ipſo diſcamus petere omnia, & ſperare, & accepta referre, cum timore & tremore ſaluti noſtræ incumbentes. Altero ſophiſtico ſed putido cavillo, Pauli ſententiam eludere conatus eſt Pelagius, non eſſe quidem volentis & currentis duntaxat, quia miſericordia Dei adjuvat. Quem non minus ſolide quam argute Auguſtinus refellit: quia ſi ideo electionis cauſa eſſe negatur voluntas hominis, quia non ſola, ſed tantum ex parte cauſa eſt: ſic etiam viciſſim dicere licebit, non eſſe miſericordiæ, ſed volentis & currentis: ubi enim erit mutua cooperatio, reciprocum etiam erit elogium. atqui ſine controverſia hoc poſterius dictum ſua abſurditate concidit: ſtatuamus ergo Dei miſericordiæ ſic adſcribi

eorum ſalutem quos ſervare Deo placet, ut nihil hominis induſtriæ reliquum maneat. Nec multo plus coloris habet, quod nonnulli uno contextu volunt hæc recitari in perſona impiorum. quomodo enim quadrabit, Scripturæ locos, ubi clare aſſeritur Dei juſtitia, ad tyrannidem ei exprobrandam torquere? deinde an conſentaneum erit, quum prompta eſſet ac facilis refutatio, Paulum tacite paſſum eſſe Scripturam craſſo ludibrio haberi? Sed hæc effugia captarunt qui incomparabile hoc Dei myſterium ſuo ſenſu perperam metiebantur. Lautis & teneris eorum auribus aſperior erat hæc doctrina, quam ut Apoſtolo dignam putarent. atqui potius decebat ſuam ipſorum duritiem ad obſequium Spiritus inflectere, ne tantopere craſſis ſuis commentis addicti eſſent.

17. *Dicit enim Scriptura* &c.] Jam venit ad ſecundum membrum, de impiorum rejectione: in quo quia aliquanto plus abſurditatis eſſe videtur, eo magis conatur palam facere quomodo Deus, quos velit reprobando, non tantum ſit irreprehenſibilis, ſed admirabilis in ſua ſapientia & æquitate. Aſſumit ergo teſtimonium ex Exod. cap. 9. verſ. 16. ubi Dominus aſſerit ſe fuiſſe qui Pharaonem excitarit in eum finem, ut dum ille contumaciter divinæ potentiæ reſiſtere niteretur, victus & ſubactus, documento eſſet quam invictum ſit Dei brachium: cui ferendo, nedum frangendo, nulla humana virtus par eſſe queat. En ſpecimen quod edere voluit Dominus in Pharaone. Proinde duo ſunt hic conſideranda, prædeſtinatio Pharaonis in exitium: quæ ad juſtum quidem, ſed arcanum Dei conſilium refertur. Finis deinde illius, qui eſt ut nomen Dei prædicetur. atque in eum præcipue inſiſtit Paulus. Nam ſi ejuſmodi eſt iſta induratio ob quam mereatur Dei nomen prædicari, inſimulari ipſum ullius injuſtitiæ nefas eſt: ex locis contrariorum. Sed quia hunc quoque locum multi interpretes dum mollire conantur, depravant, primo notandum eſt, pro Excitandi verbo Hebraice haberi Conſtitui te: ubi Deus oſtendere volens ſibi Pharaonis contumaciam obſtaculo non fore quominus populum ſuum liberet, non modo à ſe prævisum ejus furorem affirmat, ſibique paratas ejus cohibendi eſſe rationes, ſed ſe conſulto ita ordinaſſe, & quidem in eum finem ut documentum ſuæ potentiæ illuſtrius ſtatueret. Perperam igitur vertunt quidam ſervatum fuiſſe Pharaonem ad tempus, quum de initio potius agatur. Nam quum multa hominibus aliunde occurrant quæ retardent eorum conſilia, & impediant actionum curſum, Deus Pharaonem à ſe profectum dicit, eique hanc impoſitam eſſe perſonam. cui ſententiæ optime reſpondet Excitandi verbum. Porro ne quis imaginetur, quodam univerſali & confuſo motu divinitus actum fuiſſe Pharaonem, ut in illum furorem rueret, notatur ſpecialis cauſa, vel finis: acſi dictum eſſet, ſciviſſe Deum quid facturus eſſet Pharao, ſed data opera in hunc uſum deſtinaſſe. Unde ſequitur, fruſtra jam cum ipſo diſceptari, acſi ad reddendam rationem obſtrictus foret, quum ultro prodeat ipſe in medium, atque hanc objectionem anticipet, reprobos ex arcano providentiæ ſuæ fonte manare pronuncians, in quibus nomen ſuum celebrari velit.

18. *Ergo cujus vult, miſeretur.*] Hic ſequitur concluſio utriuſque membri: quæ in alterius quam Apoſtoli perſona accipi nullo modo poteſt: quia mox communicationem cum adverſario attexit, ubi incipit proferre quæ ab adverſa parte objectari poterant. Itaque minime dubium eſt, Paulum è ſuo ipſius ſenſu hæc loqui, quemadmodum paulo ante admonuimus, Deum ſcilicet pro arbitrio ſuo, quem viſum illi fuerit, miſericordia dignari: in quemcunque libuerit, judicii ſeveritatem ſtringere. Hoc enim vult efficere apud nos, ut in ea quæ apparet inter electos & reprobos diverſitate, mens noſtra contenta ſit, quod ita viſum fuerit Deo, alios illuminare in ſalutem, alios in mortem excæcare: neque ſuperiorem cauſam ejus voluntate inquirat. Inſiſtere enim debemus in iſtas particulas, Cujus vult, & Quem vult: ultra quas procedere nobis non permittit. Cæterum Indurandi verbum, quum Deo in Scripturis tribuitur, non ſolum permiſſionem (ut volunt diluti quidam moderatores) ſed divinæ quoque iræ actionem ſignificat. nam res omnes externæ quæ ad excæcationem reproborum faciunt, illius iræ ſunt inſtrumenta. Satan autem ipſe, qui intus efficaciter agit, ita eſt ejus miniſter, ut nonniſi ejus imperio agat. Corruit ergo frivolum illud effugium quod de præſcientia Scholaſtici habent. Neque enim prævideri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, ſed ejus conſilio & voluntate ordinari. quemadmodum & Solomo docet, non modo præcognitum fuiſſe impiorum interitum, ſed impios ipſos fuiſſe deſtinato creatos ut perirent, Proverbiorum 16. verſ. 4.

19. Dices itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? voluntati ejus quis reſtitit?

20. Atqui, ô homo, tu quis es qui contendas judicio cum Deo? num dicit fictile figulo, Cur me ſic feciſti?

21. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa faciendi aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?

19. *Dices itaque.*] Hic vero præcipue tumultuatur caro, quum audit ad Dei arbitrium referri quod ad mortem deſtinati ſint qui pereunt. Quare Apoſtolus rurſum deſcendit ad anthypophoras, quia videbat impiorum ora non poſſe contineri quin plenis buccis Dei juſtitiam allatrarent. ac eorum quidem affectum eleganter exprimit: nam propria defenſione non contenti, Deum ſuo loco reum ſubjiciunt: deinde poſtquam damnationis ſuæ culpam in eum derivarunt, adverſus tantam ejus potentiam indignantur. Coguntur quidem dare manus, ſed frementes, quod reſiſtere nequeant: ac dominationem tribuentes, tyrannidis quodammodo inſimulant. ſicuti Sophiſtæ in ſcholis ſuis de abſoluta (quam vocant) ejus juſtitia perinde garriunt acſi juſtitiæ ſuæ oblitus, vim ſui imperii, perverſe omnia miſcendo, experiri vellet. Sic igitur hoc loco impii, Quid habet cauſæ cur nobis iraſcatur? quum nos tales formaverit, quum pro ſuo nutu agat quo libuerit: quid aliud, nos perdendo, quam opus ſuum in nobis ulciſcitur? Neque enim noſtrum eſt cum eo belligerare: ut maxime repugnemus, ipſe tamen ſuperior evadet. Ergo & iniquum erit judicium, ſi nos perdat: & effrenis eſt poteſtas qua nunc in nos abutitur. Quid autem ad hæc Paulus?

20. *O homo, tu quis es.*] Quia Græce participium habetur, poteſt etiam legi in præſenti, Qui diſceptas, vel contendis, vel litigas ex adverſo: quia hoc Græca voce exprimitur, in hunc ſenſum, Tu quia es qui diſceptationem cum Deo ſuſcipis? ſed non multum diverſo ſenſu. Hac priore reſponſione nihil aliud quam improbitatem illius blaſphemiæ retundit, argumento ab hominis conditione ſumpto. Alteram mox ſubjiciet, qua Dei juſtitiam ab omni criminatione vindicabit. Hoc quidem patet, nullam Dei arbitrio cauſam ſuperiorem adduci. Quum in promptu ſolutio eſſet, ex juſtis rationibus pendere diſcrimen: cur hoc compendio non uſus eſt Paulus, ſed Dei voluntatem in ſummo gradu locavit, ut nobis pro cauſis omnibus una ſufficiat? Certe ſi

falſa

falſa fuiſſet objectio, Deum reprobare vel eligere pro ſuo arbitrio quos vel favore non dignatur, vel quos gratuito amat, refutatio non fuiſſet à Paulo neglecta. Objiciunt impii, reatu eximi homines, ſi in eorum ſalute vel exitio primas partes tenet Dei voluntas. An negat Paulus? imo ſua reſponſione confirmat, Deum quod viſum eſt de hominibus ſtatuere: fruſtra tamen ac furioſe inſurgere homines ad litigandum, quia figmentis ſuis Deus quamcunque voluerit ſortem jure ſuo aſſignat. Qui vero deſtitutum ratione Paulum ad objurgationem confugiſſe aiunt, gravem Spiritui ſancto contumeliam irrogant. Nam quæ ad Dei æquitatem aſſerendam factura erant, & ad manum illi ſuppetebant, initio producere noluit, quia apprehendi non poterant. Imo & ſecundam rationem ſic temperabit, ut non plenam defenſionem ſuſcipiat: ſed ita Dei juſtitiam demonſtret, ſi religioſa humilitate & reverentia à nobis expendatur. Quod ergo maxime conveniebat, monet hominem ſuæ conditionis, acſi diceret, Quum homo ſis, terram ac cinerem te agnoſcas: cur ergo contendis cum Domino, de re cui intelligendæ nequaquam par es? In ſumma, non quod dici poterat, ſed quod ruditati noſtræ expediebat, attulit Apoſtolus. Fremunt ſuperbi homines, quod Paulus arcano Dei conſilio reprobari vel eligi homines non negans, cauſam nullam afferat: quaſi vero Spiritus Dei ratione deſtitutus obmuteſcat, ac non potius ſuo ſilentio moneat, myſterium, quod non capiunt mentes noſtræ, reverenter adorandum, atque ita curioſitatis humanæ proterviam compeſcat. Sciamus itaque Deum à loquendo non alium in finem ſuperſedere, niſi quia immenſam ſapientiam ſuam modulo noſtro comprehendi non poſſe videt: ideoque infirmitati noſtræ parcens, ad modeſtiam & ſobrietatem nos invitat. *Num dicet fictile.* Videmus huc Paulum ſemper inſiſtere, ut voluntas Dei, quanquam nos lateat ejus ratio, juſta habeatur. Fraudari enim ſuo jure oſtendit, niſi de ſuis creaturis libere ſtatuat quod viſum eſt. Durumq́ hoc multorum auribus videtur. Sunt etiam qui Deum magno probro exponi cauſantur, ſi tale ei defertur arbitrium. Quaſi vero cum ſuo faſtidio meliores ſint theologi, quam Paulus, qui hanc ſtatuit humilitatis regulam fidelibus, ut Dei potentiam ſuſpiciant, non autem æſtiment è ſuo judicio. Appoſitiſſima autem ſimilitudine iſtam cum Deo litigandi arrogantiam reprimit, in qua videtur alluſiſſe potius ad Jeſa. 45. v. 9. quam ad Jere. 18. v. 6. Nihil enim apud Jeremiam docetur, quam Iſraëlem eſſe in manu Domini, ut poſſit propter ejus ſcelera ipſum penitus conterere, non ſecus ac figulus vas teſtaceum. At Jeſaias altius conſcendit, Væ, inquit, qui contradicit fictori ſuo, teſtæ nimirum cum figulo luti contendenti. Numquid dicet lutum figulo ſuo, Quid facis? &c. Et certe non eſt cur ſe teſtaceo vaſi præferat mortalis homo, ubi ſe cum Deo comparat. Neque tamen valde in applicando ad præſentem cauſam teſtimonio illo laborandum eſt, quando Paulus alludere duntaxat ad Prophetæ verba voluit, quo plus ponderis haberet ſimilitudo.

21. *An non habet poteſtatem figulus.*] Ratio cur non debeat figmentum cum fictore ſuo contendere: quia fictor nihil facit niſi ex jure ſuo. Per vocem Poteſtatis, non intelligit ſuppetere virtutem ac robur figulo ut pro libidine agat: ſed optimo jure hanc facultatem ei competere. Neque enim vult Deo aſſerere poteſtatem aliquam inordinatam: ſed quæ merito illi ſit deferenda. Porro in aptanda ſimilitudine hoc conſidera, Quemadmodum figulus nihil luto adimit, quamlibet illi formam dederit: ita quacunque hominem conditione creaverit Deus, nihil ei adimit. Tantum illud memoriâ tenendum, ſpoliari Deum honoris ſui parte, niſi tale in homines imperium ei conceditur, ut ſit arbiter vitæ & mortis.

22. Quid autem ſi Deus volens demonſtrare iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, in interitum apparata:

23. Ut notas quoque faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam?

22. *Quid autem.*] Secunda reſponſio, qua breviter demonſtrat, etiamſi incomprehenſibile ſit hac parte Dei conſilium, elucere tamen inculpatam ejus æquitatem non minus in reproborum interitu, quam ſalute electorum. Non ita quidem rationem reddit divinæ electionis, ut cauſam aſſignet cur hic eligatur, ille reprobetur. Nam & indignum erat, ut quæ arcano Dei conſilio continentur, venirent ſub hominis cenſuram: & myſterium illud inexplicabile futurum erat. Quæ ergo humanam intelligentiam fugiunt, ab iis curioſe excutiendis nos arcet: interim oſtendit, quatenus ſe profert Dei prædeſtinatio, in ea meram juſtitiam apparere. Particulam εἰ δὲ, qua uſus eſt Paulus, perinde accipio acſi dictum eſſet, Quid autem ſi? ut tota hæc oratio ſit interrogativa. nam ita apertior ſenſus conſtabit: eritque reticentiæ ſpecies, in qua ſubaudiendum erit, Quis præterea inſimulare injuſtitiæ queat, aut illi diem dicere? Nihil enim hic apparet niſi rectiſſima æquitatis regula. Verum ſi Pauli mentem aſſequi volumus, ſingula prope verba expendenda ſunt. ſic enim ratiocinatur, Vaſa ſunt in exitium comparata, id eſt, devota & deſtinata exitio: ſunt item vaſa iræ, id eſt, in hoc facta & formata, ut documenta ſint vindictæ & furoris Dei. Ea ſi Dominus ad aliquod tempus patienter ſuſtinet, non diſperdens primo quoque momento, ſed differens paratum illis judicium, idque ad demonſtranda ſuæ ſeveritatis judicia, quo cæteri terreantur adeo horrendis exemplis: item ad virtutem ſuam illuſtrandam, cui ſervire multis modis ea facit: præterea vero quo inde notior fiat & clarius eluceſcat ſuæ in electos miſericordiæ amplitudo: quid in hac diſpenſatione reprehenſione dignum? Cæterum quod reticet, unde ſit illud quod vaſa ſunt in exitium apparata, non eſt mirum. aſſumit enim ex ſuperioribus, cauſam in æterno ac inexplicabili Dei conſilio abſconditam eſſe: cujus juſtitiam adorare magis quam ſcrutari conveniat. Vaſa autem generali ſignificatu pro inſtrumentis poſuit: quoniam in omnibus creaturis quicquid eſt actionis, eſt veluti divinæ virtutis miniſterium. Optima ergo ratione vocamur nos fideles miſericordiæ vaſa, quibus Dominus inſtrumentis utitur ad miſericordiæ ſuæ oſtenſionem: reprobi autem vaſa iræ, quandoquidem ſerviunt illuſtrandis Dei judiciis.

23. *Ut etiam notas faceret divitias gloriæ.*] Ego quoniam in iſtis duabus particulis καὶ ἵνα, non dubitabam eſſe ὕστερον πρότερον: quo melius cohæreret hoc membrum cum ſuperiore, verti, *Ut notas quoque faceret* &c. Eſt autem ſecunda ratio quæ gloriam Dei in reproborum interitu manifeſtat, quod ex eo luculentius divinæ bonitatis erga electos amplitudo confirmatur. Quid enim iſti ab illis differunt, niſi quod ex eadem exitii voragine à Domino liberati ſunt? idque non proprio aliquo merito, ſed gratuita ejus benignitate. Ergo fieri non poteſt quin magis ac magis commendetur immenſa illa clementia erga electos, quum reſpicimus quam miſeri ſint omnes qui ejus iram non effugiunt. Gloriæ vocabulum, quod bis hic repetitur, interpretor poſitum pro

miſericordia Dei, μετωνυμικῶς: quia præcipua ejus laus eſt in beneſactis. Sic & Epheſ. 1. verſ. 13. poſtquam docuit nos adoptatos à Deo in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: paulo poſt ſubjungit, obſignatos Spiritu hæreditatis in laudem gloriæ, ſuppreſſo Gratiæ verbo. Voluit ergo ſignificare, electos eſſe inſtrumenta vel organa quibus miſericordiam ſuam exercet Deus, ut nomen ſuum in eis glorificet. Etſi autem in hoc ſecundo membro expreſſius aſſerit, Deum eſſe qui electos ſuos præparat in gloriam, quum prius ſimpliciter dixiſſet, reprobos vaſa eſſe præparata in exitium: dubium tamen non eſt quin utraque præparatio ab arcano Dei conſilio pendeat. Alioqui dixiſſet Paulus, reprobos ſe dedere vel projicere in exitium. Nunc vero ſignificat, antequam naſcantur, jam ſuæ ſorti addictos eſſe.

24. Quos etiam vocavit: nimirum nos, non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus.
Oſe. 2. 25. Quemadmodum & in Oſee dicit, Vocabo populum meum, eum qui non eſt po-
verſ. 23. 1 Petr. 2. pulus: & dilectam, eam quæ non eſt dilecta.
verſ. 10. 26. Et erit in loco ubi dictum eſt eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filii Dei
Oſe. 1. verſ. 10. viventis.
Jeſa. 10. 27. Jeſaias autem clamat ſuper Iſraël, Si fuerit numerus filiorum Iſraël ut arena maris,
verſ. 21. reliquiæ ſervabuntur.
28. Sermonem enim conſummans & abbrevians, quoniam ſermonem abbreviatum
faciet Dominus in terra.
Jeſa. 1:9. 29. Et quemadmodum prius dixerat Jeſaias, Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis
ſemen, inſtar Sodomæ facti eſſemus, & Gomorrhæ eſſemus aſſimilati.

24. *Quos etiam vocavit.*] Ex diſputatione quam hactenus de libertate divinæ electionis habuit, duo conſequebantur: nempe Dei gratiam non ita incluſam eſſe in populo Judaico, ut non ad alias quoque nationes emanare, & in orbem univerſum effundere ſe poſſet. deinde ne ſic quidem alligatam eſſe Judæis, ut ad omnes Abrahæ filios ſecundum carnem, ſine exceptione perveniat. Nam ſi Dei electio ſolo ejus beneplacito fundata eſt: quocunque ſe ejus voluntas converterit, illic electio pariter locum habet. Electione ergo poſita, jam via quodammodo ſtrata eſt ad ea quæ dicere inſtituit tum de vocatione Gentium, tum Judæorum rejectione: quarum altera ob novitatem, abſurde altera prorſus indigna videbatur. Quia tamen hæc poſterior plus habebat offenſionis, illam minus odioſam priore loco tractat. Dicit ergo vaſa miſericordiæ Dei, quæ ipſe in nominis ſui gloriam ſeligit, undique aſſumi: nec minus ex Gentibus, quam ex Judæis. Cæterum in relativo, *Quos*, etſi non plane obſervata eſt à Paulo ratio Grammatices, voluit tamen, velut tranſitu facto, ſubjicere, nos eſſe illa gloriæ Dei vaſa, qui aſſumpti ſimus partim ex Judæis, partim ex Gentibus: ubi à vocatione Dei probat, non eſſe nationis diſcrimen in electione. Nam ſi origo à Gentibus ducta impedimento non fuit quominus nos etiam Deus vocaret, conſtat Gentes minime arceri à regno Dei & fœdere ſalutis æternæ.

25. *Quemadmodum in Oſee dicit.*] Nunc illam Gentium vocationem novam non debere videri oſtendit: utpote quæ Prophetæ vaticinio multo ante fuerit conteſtata. Senſus eſt apertus, niſi quod in accommodando teſtimonio laboratur: ſiquidem Prophetam illic de Iſraëlitis loqui, nullus negaverit. Dominus enim eorum ſceleribus offenſus, poſthac ſibi non amplius fore in populum denunciat. Poſtea conſolationem ſubjicit: & ex non dilectis, facit dilectos; ex non populo, populum. Paulus autem, quod in Iſraëlitas nominatim confertur, ad Gentes conatur applicare. Qui optime hactenus explicarunt hunc nodum, putarunt Paulum ſic voluiſſe ratiocinari: quod poſſet impedimento videri eſſe Gentibus, quo minus participes fiant ſalutis, id quoque fuiſſe in gente Iſraëlitica. quomodo igitur Deus olim Judæos, quos abjecerat & exterminarat, in gratiam benigne recepit, ita & erga Gentes eadem benignitate nunc utitur. Verum quia hæc interpretatio, etſi ſuſtineri poteſt, videtur tamen mihi habere aliquid coactum: cogitent lectores an non hæc ſit aptior, ſi conſolationem illam Prophetæ non Judæis modo, ſed Gentibus datam credamus. Neque enim novum eſt aut inſolens Prophetis, poſtquam Judæis ob ſua flagitia Dei ultionem edixerunt, convertere ſe ad regnum Chriſti, quod in totum orbem propagandum erat. neque id importune. Quando enim iram Dei ita Judæi peccatis ſuis provocarunt, ut repudiari ab ipſo mereantur, nulla ſalutis ſpes ſupereſt, niſi ad Chriſtum ſe convertant: per quem fœdus gratiæ inſtauratur, & ſicut in eo fundatum erat, ſic nunc ubi intercidit, renovatur. Et certe quum in rebus deſperatis unicum ſit refugium Chriſtus: nulla ſolida conſolatio afferri miſeris peccatoribus, & iram Dei ſibi imminere cernentibus, poteſt, niſi Chriſto propoſito. Imo hoc, ut monuimus, Prophetis ſolenne eſt, ubi populum divinæ ultionis comminatione perculſum humiliarunt, ad Chriſtum revocare, unicum deſperatorum aſylum. Ubi autem erigitur regnum Chriſti, ſimul ſuſcitatur cæleſtis illa Jeruſalem, in quam cives ex omnibus mundi partibus congregantur. Id vero præcipue valet in præſenti oraculo: nam quum Judæi è familia Dei exterminati eſſent, eo modo redacti erant in vulgarem ordinem, & Gentibus pares facti. Poſt ſublatum diſcrimen, jam Dei miſericordia in omnibus Gentibus promiſcue locum habet. Unde colligimus apte ad cauſam præſentem accommodari Prophetæ vaticinium. in quo Deus, poſtquam Judæos Gentibus æquavit, Eccleſiam ſe ex alienis collecturum pronunciat: ut qui populus non erat, incipiat eſſe. *Populum meum, eum qui non eſt populus.* Hoc dicitur divortii reſpectu, quod jam fecerat Deus cum populo, omni eum dignitate abdicans, ut ex cæteris Gentibus non præcelleret. Tametſi autem quos æterno ſuo conſilio ſibi deſtinavit Deus in filios, hi ſunt & perpetuo filii: Scriptura tamen ſæpe non recenſet inter Dei filios, niſi quorum electio vocatione eſt approbata. Unde etiam nos docet non judicare, ac multo minus pronunciare de electione Dei, niſi quatenus ſe ſuis ſignis manifeſtat. Sic poſtquam Epheſiis oſtenderat Paulus eorum electionem & adoptionem ante mundi creationem apud Deum fuiſſe definitam: aliquanto poſt, fuiſſe quondam alienos à Deo teſtatur. (Epheſ. 2. verſ. 1.) Nimirum pro eo tempore, quo ſuam erga eos dilectionem Dominus nondum oſtenderat: tametſi æterna miſericordia amplexus foret. Ergo hoc loco appellantur non dilecti, quibus iram potius quam dilectionem teſtatur Deus. Porro donec reconciliet adoptio homines Deo, ſcimus iram ejus ſuper totum humanum genus recumbere. Fœmininum genus participii pendet ex Prophetæ contextu. dixerat enim ſibi natam fuiſſe filiam, cui nomen impoſuerat, Non dilecta: ut ſub hoc typo agnoſceret populus Deo ſe exoſum eſſe. Jam ſicuti rejectio cauſa odii fuit, ita amoris initium eſſe docet

Pro-

Propheta, ubi Deus adoptat qui ad tempus extranei fuerant.

27. *Jeſaias autem clamat.*] Ad ſecundam partem nunc progreditur: à qua incipere noluit, ne eorum animos nimis exulceraret. Atque hoc non ſine artificio eſt, quod Jeſaiam clamantem facit, non loquentem: quo ſcilicet majorem attentionem excitet. Porro aperta ſunt Prophetæ verba, ad deterrendos Judæos, ne in carne nimium glorientur. Horrendum enim auditu eſt, quod ex infinita multitudine exiguus tantum numerus ſalutem conſequetur. Nam etſi Propheta poſtquam deſcripſit populi vaſtitatem, ne putarent fideles extinctum prorſus eſſe Dei fœdus, ſpem aliquam gratiæ facit reſiduam: reſtringit tamen eam ad paucos. Sed quia id de ſuo tempore vaticinatus erat Propheta: videndum quomodo ad inſtitutum ſuum Paulus rite accommodet. Sic autem debet, Quum Dominus vellet è captivitate Babylonica populum ſuum liberare, ex immenſa illa multitudine ad pauciſſimos modo liberationis ſuæ beneficium pervenire voluit: qui excidii reliquiæ merito dici poſſent, præ numeroſo illo populo, quem in exilio perire ſinebat. Jam reſtitutio illa carnalis veram Eccleſiæ Dei inſtaurationem figuravit, quæ in Chriſto peragitur: imo ejus duntaxat fuit exordium. Quod ergo tunc accidit, multo certius nunc adimpleri convenit, in ipſo liberationis progreſſu & complemento.

28. *Sermonem enim conſummans & abbrevians.*] Omiſſa interpretationum varietate, mihi germanus ſenſus hic videtur, Dominus ſic & decurtabit & abſcindet populum ſuum, ut videri poſſit quædam veluti conſumptio quod reſiduum erit, id eſt, facies aut veſtigium ingentis ruinæ. Hæc tamen paucitas quæ à conſumptione reſtabit, erit opus juſtitiæ Domini: vel, quod magis placet, ſerviet ad teſtificandam Dei juſtitiam per univerſum orbem. Quia Verbum generaliter in Scriptura Rem ſignificat, Verbum conſummatum ponitur pro Conſummatione. Ubi craſſe hallucinati ſunt multi interpretes, dum nimis argute volunt philoſophari. Finxerunt enim ita vocari Euangelii doctrinam, quia reſectis ceremoniis, breve ſit Legis compendium. Quanquam Conſumptionem potius dici oportuit. Ubi etiam non tantum hic erratum eſt ab interprete: ſed & Jeſaiæ 10. verſ. 22, 23. & 28. v. 22. & Ezech. 11. v. 13. ubi dicitur, Ah, ah, Domine Deus, conſummationem facies reliquiarum Iſraël? quum velint dicere Prophetæ, Reliquiasne ipſas ad ultimam internecionem diſperdes? Atque id propter vocis Hebraicæ ambiguitatem factum eſt. Nam quum verbum כלה tam finire & perficere, quam conſumere ſignificet, non ſatis obſervatum ſuis locis fuit hoc diſcrimen. Neque ad verbum ſic loquutus eſt Jeſaias, ſed poſuit duo ſubſtantiva nomina, Conſumptionem & Definitionem, vel deciſionem. ut mire ſit importuna Hebraiſmi affectatio in Græco interprete. Quorſum enim attinuit ſententiam per ſe lucidam obſcura dicendi figura involvere? Adde quod Jeſaias hic hyperbolice loquitur, dum conſumptionem vocat extenuationem, qualis inſigni aliqua clade fieri ſolet.

29. *Et quemadmodum prius dixerat Jeſaias.*] Aliud ex primo capite teſtimonium affert, ubi vaſtitatem Iſraëlis, pro ſuo tempore Propheta deplorat. Id autem ſi ſemel factum fuit, non eſt novum exemplum. Nihil enim habet prærogativæ populus Iſraël, niſi à parentibus: qui tamen eum in modum tractati fuerant, ut Propheta conqueratur ſic afflictos fuiſſe, ut parum abfuerint ab excidio Sodomæ & Gomorrhæ. Hoc tamen diſcrimen erat, quod pauculi aſſervati erant in ſemen, ad nomen excitandum, ne penitus interiret, ac æterna oblivione deleretur. Deum enim oportuit promiſſionis ſuæ ſemper memorem, ut inter ſeveriſſimas vindictas miſericordiæ locum aliquem daret.

30. Quid ergo dicemus? Quod Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, adeptæ ſunt juſtitiam, juſtitiam autem ex fide.

31. Iſraël autem ſectando legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit.

32. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. offenderunt enim ad lapidem offenſionis.

33. Quemadmodum ſcriptum eſt, Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram offendiculi. Et omnis qui crediderit in eum, non pudefiet. *Pſal.* 118. *verſ.* 22. *Jeſ.* 8:14. & 22:16. 1 *Pet.* 2. *verſ.* 6.

30. *Quid ergo* &c.] Nunc, quo præcidat Judæis omnem occaſionem obmurmurandi Deo, incipit cauſas oſtendere humano captui comprehenſibiles, cur gens Judaica ſic abjecta fuerit. Faciunt autem perperam, ac ordinem invertunt, qui has cauſas ſtatuere & erigere conantur ſupra arcanam Dei prædeſtinationem, quam pro ſuprema cauſa habendam prius docuit. Verum quemadmodum illa cauſis omnibus eſt ſuperior: ita impiorum pravitas & malitia locum materiamque præbet Dei judiciis. Quoniam autem in difficili cauſa verſabatur, utitur communicatione, & velut dubitanter interrogat quid hic dici poſſit. *Quod Gentes quæ non ſectabantur.* Nihil abſurdius, aut minus conſentaneum videbatur, quam Gentes, quæ nulla juſtitiæ cura in carnis ſuæ laſciviis volutabantur, in ſalutis participationem vocatas, juſtitiam obtinere: Judæos contra, qui Legis operibus ſtudioſe incubuerant, ab omni juſtitiæ præmio depelli. Paulus id quod mire paradoxum erat, ita nudis verbis effert, ut addita ratione temperet quicquid inerat aſperitatis: nempe, juſtitiam quam apprehenderunt Gentes, conſtare fide: ideo pendere à Domini miſericordia, non propria hominis dignitate. Studium autem illud Legis quo Judæi tenebantur, præpoſterum fuiſſe, qui juſtificari per opera ſtudebant: ſicque eo contendebant quo pervenire homo non poteſt. Quin & in Chriſtum impingebant, per quem unum ad juſtitiam adipiſcendam patet aditus. Cæterum hoc priore membro propoſitum Apoſtolo fuit meram Dei gratiam evehere, ne alia cauſa in Gentium vocatione quæratur, niſi quia indignos favore ſuo amplecti dignatus eſt. De juſtitia nominatim loquitur, ſine qua ſalus non contingit: ſed Gentium juſtitiam in gratuita reconciliatione poſitam eſſe ſignificat, ex fide manare dicens. Nam ſi quis juſtificatas eſſe fingat, quia fide adeptæ ſint Spiritum regenerationis, longe diſcedet à Pauli mente. Neque enim verum eſſet, apprehendiſſe quod non quærebant, niſi quia gratis vagos & errantes amplexus eſt Deus, juſtitiamque, cujus incognitæ nullum vigere ſtudium poterat, obtulit. Quin etiam notandum eſt, non aliter Gentiles fide juſtitiam eſſe adeptos, niſi quia Deus fidem eorum ſua gratia antevertit. Nam ſi fide priores aſpiraſſent ad juſtitiam, hoc jam fuiſſet eam ſectari. Itaque fides ipſa portio gratiæ fuit.

31. *Iſraël autem ſectando.*] Quod dictu erat incredibile, Paulus libere profert, nihil mirum eſſe ſi Judæi ſtrenue juſtitiam ſectando, nihil profecerint: quia ſcilicet extra viam currendo, fruſtra ſe fatigarunt. Jam priore loco Legem juſtitiæ per hypallagen poſuiſſe mihi videtur pro juſtitia Legis: in repetitione ſecundi membri, alio ſenſu ſic vocaſſe juſtitiæ formam ſeu regulam. Itaque ſumma eſt, quod Iſraël

in

in Legis juſtitiam ioſiſtens, eam ſcilicet quæ io Lege præſcripta eſt, veram juſtificationis rationem noo tenuerit. Elegans autem parooomaſia eſt, quum Legalem juſtitiam in cauſa fuiſſe docet, ut à Lege juſtitiæ excideret.

32. *Non ex fide, ſed quaſi ex operibus.*] Quia vulgo zeli præpoſteri juſta eſſe excuſatio videtur, juſte eos rejici oſtendit Paulus, qui ſalutem ſibi tentant acquirere operum-fiducia: quia fidem, quantum in ſe eſt, aboleot, extra quam nulla ſperanda eſt ſalus. Itaque ſi voti compotes ſorent, talis ſucceſſus veræ juſtitiæ exinanitio foret. Porro vides ut fides & operum merita comparentur, velut res peoitus contrariæ. Quum ergo fiducia operum maximum ſit obſtaculum quo via nobis intercluditur ad juſtitiam conſequendam: neceſſe eſt ut illa valere juſſa, in unam Dei bonitatem recumbamus. Terrere enim merito debet hoc Judæorum exemplum omnes eos qui ad regnum Dei per opera obtinendum contendunt. non eoim opera Legis ceremoniarum obſervationes vocat, ut ſupra oſtenſum fuit: ſed operum merita, quibus fides opponitur, ſolam Dei clementiam utroque (ut ita dicam) oculo reſpiciens, nullo propriæ dignitatis intuitu. *Offenderunt enim in lapidem.* Optima ratione confirmat proximam ſeotentiam. Nihil enim magis abſurdum, quam juſtitia potiri qui eam dejicere conantur. Datus nobis in juſtitiam Chriſtus eſt: eum officio ſuo privare nititur quiſquis operum juſtitiam Deo obtrudit. Atque binc apparet, quoties in operum fiduciam recumbunt bomines ſub inani zelandæ juſtitiæ prætextu, furioſa amentia bellum gerera cum Deo. Cæterum quomodo in Cbriſtum impingaot qui operum fiducia nituntur, non eſt cognitu difficile. Niſi enim peccatores nos agooſcimus, propriæ juſtitiæ inopes ac vacuos, obſcuramus Cbriſti dignitatem: quæ in hoc ſita eſt, ut ſit lumen, ſalus, vita, reſurrectio, juſtitia, medicina nobis omnibus. Quorſum autem iſta omnia, niſi ut cæcos illumioet, damnatos reſtituat, mortuos vivificet, in nihilum redactos exſuſcitet, ſordibus plenos abluat, morbis coofectos curet ac ſanet? Imo ſi quid nobis arrogamus juſtitiæ, cum Chriſti virtute quodammodo luctamur: ſiquidem ejus officium eſt, non minus omnem carnis ſuperbiam conterere, quam laborantes ac ſub onere fatigatos ſublevare ac ſolari. Proprie autem citatum eſt teſtimonium. nam illic denunciat Deus, ſe fore populo Juda & Iſraël in offendiculum, ad quod impingentes corruant. Quum Cbriſtus ille ipſe Deus ſit qui per Prophetam loquebatur, non eſt mirum id nunc quoque in ipſo adimpleri. Et *lapidem offenſionis* vocans Cbriſtum, non mirum eſſe admonet ſi in via juſtitiæ progreſſi non ſint, qui perverſa ſua contumacia impegerint ad offendiculum, quum Deus facilem viam monſtraſſet. Notandum vero eſt, Chriſto boc proprie & à ſeipſo non competere: ſed potius accidentale eſſe ex bominum malitia, ſicuti mox ſequitur.

33. *Et omnis qui crediderit, non confundetur.*] Hoc aliunde ſumptum teſtimonium ad piorum conſolationem ſubjecit: acſi diceret, Quod Chriſtus lapis offeoſionis dicitur, non eſt quod ipſum exhorreſcamus, aut pro fiducia formidinem concipiamur. Io ruinam ſiquidem incredulis poſitus eſt: piis autem in vitam ac reſurrectionem. Ergo quemadmodum vaticinium illud de offenſione & ſcandalo impletur in rebellibus & incredulis: ita aliud eſt quod ad pios dirigitur, oempe ipſum eſſe lapidem ſortem, pretioſum, angularem, firmiſſime fundatum, quo quicunque ſubnixus fuerit, non præcipitabit. Quod autem pro Feſtinare, ſeu præcipitare, Pudefieri poſuit, id habuit à Græco interprete. Certum quidem eſt, illic Dominum voluiſſe ſpem ſuorum confirmare. Ubi autem Domious bene ſperare nos jubet, ex eo ſequitur, non poſſe nos pudefieri. Vide locum 1 Petr. 2. v. 10. huic non abſimilem.

Cap. X.

FRatres, benevolentia certe cordis mei & deprecatio ad Deum ſuper Iſraël eſt in ſalutem.

2. Teſtimonium enim reddo illis, quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

3. Ignorantes enim Dei juſtitiam, & propriam juſtitiam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei ſubjecti non fuerunt.

4. Finis enim Legis, Chriſtus, in juſtitiam omni credenti.

Hinc videmus quanta ſollicitudine ſaoctus vir offenſionibus obviarit. Adhuc enim ut temperet quicquid erat acerbitatis in exponenda Judæorum rejectione, ſuam, ut prius, erga eos benevolentiam teſtatur: & eam ab effectu comprobat, quod ſibi eorum ſalus curæ eſſet coram Domino. Hæc enim affectio ex genuina demum cbaritate naſcitur. Quanquam alia forte etiam de cauſa ſuum erga gentem, ex qua oriundus erat, amorem teſtari coactus eſt: nam à Judæis nunquam recepta fuiſſet ejus doctrina, ſi ex profeſſo ioſenſum ſibi putaſſent: & Gentibus etiam ſuſpecta fuiſſet ejus defectio, quia putaſſent hominum odio à Lege eſſe apoſtatam, quemadmodum proximo capite attigimus.

2. *Teſtimonium enim reddo.*] Hoc ad faciendam amoris fidem pertinebat. fuit enim juſta cauſa cur eos miſericordia potius quam odio proſequi deberet: quum cerneret eos ignorantia tantum labi, non animi pravitate: imo quum videret nonniſi aliquo Dei affectu moveri ad perſequendum Chriſti regnum. Cæterum hinc diſcamus quo nos bonæ noſtræ intentiones abripiaot, ſi illis obſecundamus. Vulgo hæc putatur optima & valde idonea excuſatio, ubi is qui redarguitur, obtendit ſe non malo animo feciſſe. Atque hic prætextus bodie inoumeros detinet, ne ſtudium ad inquirendam Dei veritatem applicent, quod putant excuſabile fore quicquid ignoratione, citra deſtinatam malitiam, imo cum bona intentione deliquerint. atqui nemo eſt noſtrum qui Judæos excuſare ſuſtineat, quod Chriſtum crucifixerint, quod in Apoſtolos immaniter ſævierint, quod Euangelium perdere & extinguere conati fuerint: quum tamen eadem illis defenſio ſuppetat, qua ſecure gloriamur. Faceſſant erga vanæ illæ tergiverſationes de bona intentione: ſi Deum ex animo quærimus, ſequamur viam qua ſola ad eum pervenitur. Melius eſt enim vel claudicare in via, quam extra viam ſtrenue currere, ut ait Auguſtinus. Si religioſi eſſe volumus, meminerimus verum eſſe quod Lactantius docet, eam demum veram eſſe religionem, quæ conjuocta eſt cum Dei verbo. Rurſum tamen, quum videmus eos perire qui bona intentione errant in tenebris, cogitemus nos eſſe mille mortibus digniſſimos, ſi à Deo illuminati, ſcientes & volentes ab ejus via evagamur.

3. *Ignorantes enim Dei juſtitiam.*] En quomodo inconſiderato zelo aberrariot: nempe quod propriam juſtitiam erigere volueruot: quæ ſtulta fiducia ex divinæ joſtitiæ ignoratione provenit. Obſervæ antitheſio Dei juſtitiæ & bomioum. Primo videmus

oppo-

Digitized by Google

opponi inter ſe quaſi res contrarias, & quæ ſimul ſtare nequeunt: unde ſequitur, everti Dei juſtitiam, ſimulac propriam ſtatuunt homines. Deinde ut inter ſe reſpondeant antitheta, non dubium eſt vocari Dei juſtitiam quæ ejus donum eſt: ſicuti rurſum dicitur hominum juſtitia, quam petunt à ſeipſis, vel ſe ad Deum afferre confidunt. Juſtitiæ ergo Dei non ſubjicitur qui vult in ſeipſo juſtificari: quia juſtitiæ Dei obtinendæ principium eſt, abdicare ſe propria juſtitia. Quorſum enim juſtitiam aliunde quærere attinet, niſi quia inopia nos cogit? Diximus autem alibi quomodo Dei juſtitiam fide induant homines: quia ſcilicet imputatur illis Chriſti juſtitia. Porro ſuperbiam qua inflati ſunt hypocritæ, utcunque ſpecioſo zeli fuco tegatur, graviter infamat Paulus, quum dicit eos omnes, quaſi excuſſo jugo, Dei juſtitiæ adverſos eſſe ac rebelles.

4. *Finis enim Legis, Chriſtus.*] Mihi non male quadrare videtur hoc loco verbum Complementi, ſicuti etiam Eraſmus Perfectionem vertit: ſed quia altera lectio omnium fere conſenſu recepta eſt & ipſa quoque non male convenit, liberum per me erit lectoribus eam retinere. Hac ratione occurrit Apoſtolus objectioni quæ contra moveri poterat. Videri enim poterant Judæi rectam viam tenuiſſe, quia in Legis juſtitiam incubuerant: hanc falſam opinionem refellere neceſſe habuit, quod hic facit. Indicat enim Legis præpoſterum interpretem eſſe, qui per ejus opera juſtificari quærit: quoniam in hoc Lex data eſt, quo nos ad aliam juſtitiam manu duceret. imo quicquid doceat Lex, quicquid præcipiat, quicquid promittat, ſemper Chriſtum habet pro ſcopo: ergo in ipſum dirigendæ ſunt omnes partes. Id autem fieri nequit, quin omni juſtitia ſpoliati, peccati agnitione confuſi, ab ipſo uno juſtitiam gratuitam petamus. Unde ſequitur, vitioſum Legis abuſum merito in Judæis reprehendi, qui ſibi ex adminiculo perperam obſtaculum fecerint: imo Legem Dei turpiter mutilaſſe apparet, qui rejecta ejus anima, mortuum literæ corpus arripuerint. Quamvis enim mercedem Lex juſtitiæ ſuæ obſervatoribus promittat: poſtquam tamen omnes in reatum conjecit, novam ſubſtituit in Chriſto juſtitiam, quæ operum meritis non acquiritur, ſed gratis donata, fide recipitur. Ita fidei juſtitia (quemadmodum vidimus primo capite) teſtimonium à Lege habet. Habemus autem inſignem locum, quod Lex omnibus ſuis partibus in Chriſtum reſpiciat: itaque rectam ejus intelligentiam habere nemo poterit, qui non ad hunc ſcopum perpetuo collimet.

5. Moſes enim deſcribit juſtitiam quæ eſt ex Lege, Quod qui fecerit ea homo, vivet *Lev. 18.*
in ipſis. *verſ. 5.*
6. Quæ vero eſt ex fide juſtitia, ſic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cæ- *Exo. 20.* *verſ. 11.*
lum? hoc eſt Chriſtum deducere. *Galat. 3.*
7. Aut, Quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere. *verſ. 12.*
8. Sed quid dicit? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. hoc eſt verbum fidei, *Deut. 30.* *verſ. 12.*
quod prædicamus. *Deut. 30.*
9. Quod ſi confeſſus fueris in ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quod *verſ. 14.*
Deus ſuſcitavit illum ex mortuis, ſalvus eris.
10. Corde enim creditur in juſtitiam, ore fit confeſſio in ſalutem.

5. *Moſes enim &c.*] Ut appareat quantopere inter ſe pugnat juſtitia fidei & operum juſtitia, eas nunc inter ſe confert. comparatione enim magis eluceſcit repugnantia quæ eſt inter res contrarias. Agit autem non Prophetarum oraculis, ſed ipſius Moſis teſtimonio, ob hanc unam cauſam, ut intelligerent Judæi, non eſſe datam à Moſe Legem, quæ ipſos in operum fiducia detineret: ſed quæ ad Chriſtum potius duceret. Nam etiamſi Prophetas ſuæ ſententiæ teſtes citaſſet: hærebat tamen hic ſcrupulus, cur Lex aliam juſtitiæ formam præſcriberet. Hunc ergo optime diſcutit, quum ex ipſa Legis doctrina ſtabilit fidei juſtitiam. Porro quod Paulus conſentientem facit Legem cum fide, & tamen illius juſtitiam hujus juſtitiæ opponit, ejus eſt intelligenda ratio. Lex bifariam accipitur: nunc enim ſignificat univerſam doctrinam à Moſe proditam, nunc partem illam quæ miniſterii ejus propria erat: quæ ſcilicet præceptis, præmiis, & pœnis continetur. Moſes autem in univerſum hoc officii habuit, ut populum de vera pietatis regula erudiret. Id ſi verum eſt, oportuit illum pœnitentiam & fidem prædicare: fides vero, niſi propoſitis divinæ miſericordiæ promiſſionibus, & illis quidem gratuitis, non docetur: itaque oportuit eſſe Euangelii præconem: quod fideliter præſtitiſſe conſtat ex multis locis. Quo populum ad pœnitentiam inſtitueret, docere debuit quæ vivendi ratio eſſet Deo accepta: eam Legis præceptis complexus eſt. Jam quo juſtitiæ amorem populi animis inſtillaret, rurſum iniquitatis inſereret odium, promiſſiones & minæ addendæ fuerunt: quæ præmia juſtis eſſe repoſita, peccatoribus vero horrendas pœnas denunciarent. Nunc populi officium erat conſiderare quot modis eſſet maledictus, & quam procul ab eo eſſet ut poſſet Deum operibus promereri: ita deſperatione propriæ juſtitiæ concepta, ad divinæ bonitatis portum, adeoque ad Chriſtum ipſum confugere. Ille finis fuit Moſaici miniſterii. Jam vero quia Euangelicæ promiſſiones ſparſim tantum leguntur apud Moſen, eæque etiam nonnihil obſcure: præcepta vero & præmia Legis cultoribus conſtituta identidem recurrunt: merito iſta functio proprie ac peculiariter Moſi tribuitur, docere qualis ſit vera operum juſtitia: deinde qualis ejus obſervationem remuneratio, qualis tranſgreſſionem ultio maneat, oſtendere. Hac ratione Moſes ipſe cum Chriſto confertur apud Joannem: ubi dicitur, Legem à Moſe eſſe datam, à Chriſto gratiam & veritatem fuiſſe adimpletam. *Joan. 1. verſ. 17.* Ac quoties ita reſtricte accipitur Legis nomen, tacite opponitur Moſes Chriſto: ideoque tunc videndum eſt quid Lex ab Euangelio ſeparata, in ſe contineat. Quod ergo hic de juſtitia Legis dicitur, referre convenit, non ad totam Moſis functionem, ſed ad partem iſtam quæ peculiariter quodammodo ei commiſſa fuit. Nunc ad verba ipſa venio. *Moſes enim deſcribit.* Paulus habet γράφει: ſed eſt aphæreſis, pro Deſcribere. Eſt autem locus ex Levitici 18. v. 5. ubi Dominus vitam æternam pollicetur iis qui Legem ſuam ſervaverint. Sic enim Paulum quoque accepiſſe vides, non de temporali modo vita, quod nonnullis placet. Paulus autem ſic inde arguit, Quum nemo juſtitiam à Lege præſcriptam conſequatur, niſi qui exacte omnes ejus partes impleverit: ab ea autem perfectione omnes homines ſemper longe abfuerint: fruſtra quis ad ſalutem hac via contendat. perperam ergo fecit Iſraël, qui Legis juſtitiam ſperavit ſe poſſe adipiſci, à qua omnes excludimur. Vide quomodo à promiſſione ipſa arguat, nihil eam nobis prodeſſe, propter conditionem ſcilicet impoſſibilem. Quam ergo futilis argutiæ eſt, promiſſiones Legales citare, ad ſtatuendam operum juſtitiam? Cum iis enim manet nos certa maledictio: tantum

abeſt

abeſt ut inde ad nos ſalus perveniat. Quo putidior eſt ſtupiditas Papiſtarum, quibus ſatis eſt ad probanda merita, nudas promiſſiones arripere. Non fruſtra, inquiunt, vitam ſuis cultoribus promiſit Deus: ſed interim non vident, ideo promiſſam eſſe, ut omnibus mortis terrorem incuteret ſuarum transgreſſionum ſenſus: atque ita defectu ſuo coacti, ad Chriſtum confugere diſcerent.

6. *Quæ vero eſt ex fide juſtitia.*] Hic locus ejuſmodi eſt, qui lectorem non parum torquere poſſit: idque duabus de cauſis. Nam & improprie videtur à Paulo detortus, & verba ipſa in alienum ſenſum commutata. ſed de verbis poſtea videbimus: prius animum advertamus ad applicationem. Locus eſt enim Deuteronomii 30. verſ. 12. ubi (quemadmodum in ſuperiore) de Legis doctrina loquitur Moſes: Paulus autem ad Euangelicas promiſſiones trahit. Hic nodus ſic bene expedietur: Moſes facilitatem illic oſtendit perveniendi ad vitam, quia jam Dei voluntas Judæis occulta non eſt, nec longe diſſita, ſed ſub aſpectum poſita. Si de ſola Lege ſermo eſſet, frivolum fuiſſet argumentum, quum nihilo ſit factu facilior Lex Dei ante oculos poſita, quam ſi procul abeſſet. Ergo non Legem ſolam deſignat, ſed totam in genere Dei doctrinam, quæ Euangelium ſub ſe comprehendit. Verbum enim Legis per ſe, nunquam in corde noſtro eſt; ac ne minima quidem ejus ſyllaba, donec per fidem Euangelii inſeritur. Deinde etiam poſt regenerationem, verbum Legis proprie in corde noſtro eſſe non dicetur: quia perfectionem requirit, à qua longe fideles quoque ipſi diſtant. At verbum Euangelii in corde ſedem habet, etiamſi cor non impleat. nam imperfectionis ac defectus veniam offert. Ac omnino Moſes illo capite (quemadmodum & quarto) inſignem Dei benevolentiam populo commendare ſtudet, ex eo quod eum in ſuam diſciplinam & magiſterium ſuſceperat: quæ commendatio à nuda Lege ſumi non poterat. Nec obſtat quod illic Moſes de vita ad Legis regulam formanda concionatur: nam cum gratuita fidei juſtitia conjunctus eſt regenerationis Spiritus. Itaque alterum ex altero colligit: quia Legis obſervatio ex Chriſti fide. Nec dubium eſt quin hæc ſententia ex illo principio pendeat, Circumcidet Dominus cor tuum: quod paulo ante poſuerat eodem capite. Quare nullo negotio refelluntur, qui Moſen illic de bonis operibus agere dicunt. Fateor id quidem eſſe verum: ſed abſurdum eſſe nego, Legis obſervationem ex ſuo fonte, hoc eſt, ex fidei juſtitia deduci. Nunc quærenda eſt verborum explicatio. *Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet* &c. Moſes cælum & mare nominat, tanquam loca remotiora, & homini aditu difficilia. Paulus autem, perinde acſi aliquid ſpiritualis myſterii lateret ſub his vocibus, ad mortem & reſurrectionem Chriſti trahit. Si quis iſtam interpretationem nimis coactam & argutam eſſe cauſetur, intelligat non fuiſſe Apoſtolo propoſitum, Moſis locum anxie tractare: ſed ad præſentis cauſæ tractationem duntaxat applicare. Non ergo ſyllabatim recenſet quid ſit apud Moſen: ſed expolitione utitur, qua inſtituto ſuo teſtimonium Moſis propius accommodat. Ille de locis inacceſſis loquutus erat: Paulus ea loca expreſſit, quæ & ab aſpectu noſtro maxime omnium ſunt abſcondita, & fidei tamen noſtræ reſpicienda ſunt. Quare ſi per amplificationem vel expolitionem hæc dicta accipias, non poteris dicere quod Paulus violenter aut importune detorſerit Moſis verba: ſed potius fateberis, citra ullam ſenſus jacturam, eleganter ad vocabula Cæli & Maris alluſiſſe. Simpliciter ergo nunc verba Pauli enarremus. Quia duobus fundamentis ſalutis noſtræ ſecuritas incumbit, dum & acquiſitam nobis vitam intelligimus, & mortem devictam: utroque per verbum Euangelii fidem ſuffultam eſſe docet. Chriſtus enim moriendo, mortem abſorbuit: reſurgendo, vitam in poteſtatem ſuam accepit. Jam Euangelio mortis ac reſurrectionis Chriſti beneficium nobis communicatur: ergo non eſt quod ultra quidpiam appetamus. Itaque ut conſtet fidei juſtitiam abunde ad ſalutem ſufficere, duo illa membra contineri ſub ea docet, quæ ſola ad ſalutem deſiderantur. *Quis ergo aſcendet in cælum?* tantundem valet, acſi dicas, Quis ſcit an nos hæreditas illa æternæ & cæleſtis vitæ maneat? *Quis deſcendet in abyſſum?* acſi dicas, Quis ſcit an mortem corpoream ſequatur etiam ſempiternus animæ interitus? Utramque dubitationem docet eſſe fidei juſtitia ſublatam: nam altera Chriſtum è cælo deduceret, altera è morte reduceret. Chriſti enim in cælum aſcenſio fidem noſtram de æterna vita ſic firmare debet, ut Chriſtum pene ipſum è cælorum poſſeſſione detrahat, qui dubitat an cæli hæreditas parata ſit fidelibus, quorum nomine & cauſa illuc ingreſſus eſt. Similiter quum inferorum horrores ſubierit ut nos inde liberaret, revocare in dubium an adhuc huic miſeriæ obnoxii ſint fideles, eſt irritam facere ejus mortem, & veluti abnegare.

8. *Sed quid dicit?*] Negativa oratio quam hactenus retulit, ad tollenda fidei obſtacula pertinet: reſtat ergo ut rationem tradat obtinendæ juſtitiæ, in quem finem ſubjungitur affirmatio. Quod autem interrogatio interponitur, quum poſſent uno contextu omnia ſimul dici, id excitandæ attentionis cauſa factum eſt. Simulque docere voluit quam latum ſit inter Legis & Euangelii juſtitiam diſcrimen: quum illa ſe procul oſtendens, ab acceſſu cunctos mortales arceat: hæc autem prope ſe offerens, ad ſui fruitionem familiariter nos invitet. *Prope eſt verbum.* Porro hoc notandum eſt, ne ambagibus abductæ hominum mentes à ſalute aberrent, verbi metas illis præſcribi, intra quas ſe contineant. Perinde enim eſt acſi juberet uno verbo contentas eſſe, & moneret in hoc ſpeculo contemplanda eſſe cælorum arcana, quæ & aciem oculorum perſtringerent ſuo fulgore, & aures obſtupefacerent, & mentem ipſam redderent attonitam. Itaque inſignem ex hoc loco conſolationem percipiunt fideles animæ de verbi certitudine: quod ſcilicet in eo non minus tuto acquieſcant, quam in præſentiſſimo rerum aſpectu. Deinde notandum eſt, proponi verbum à Moſe, in quo ſtabilis & tranquilla ſalutis fiducia nobis conſtet. *Hoc eſt verbum fidei.* Merito id aſſumit Paulus: nam Legis doctrina pacatam ac tranquillam conſcientiam minime reddit: nec ei ſuppeditat quibus contentam eſſe oporteat. Interim tamen non excludit reliquas verbi partes, ac ne præcepta quidem ipſa Legis: ſed vult ſtatuere peccatorum remiſſionem pro juſtitia, etiam citra exactam obedientiam quam Lex requirit. Sufficit ergo ad pacandas mentes & ſtabiliendam hominum ſalutem, Euangelii verbum: quo non jubemur operibus juſtitiam promereri, ſed gratuito oblatam fide amplexari. Verbum autem Fidei, pro verbo Promiſſionis, hoc eſt, pro ipſo Euangelio, μετωνυμικῶς dictum: quoniam relationem habet cum fide. Subaudienda enim eſt antitheſis qua diſcernitur Lex ab Euangelio: atque ex hac diſtinctionis nota colligimus, ſicuti Lex opera exigit, Euangelium nihil aliud poſtulare, niſi ut fidem afferant homines ad recipiendam Dei gratiam. Particula iſta, *Quod prædicamus*, ideo adjecta eſt, ne quis ſuſpicaretur Paulum à Moſe diſſidere. Teſtatur namque in Euangelii miniſterio ſibi cum Moſe optimam eſſe conſenſionem: quandoquidem ille quoque non alibi quam in gratuita promiſſione divinæ gratiæ, felicitatem noſtram locaverit.

9. *Quod ſi confeſſus fueris.*] Hic quoque alluſio eſt magis, quam propria aut genuina interpretatio: nam veriſimile eſt Moſen Oris vocabulo per ſynecdochen uſum eſſe, pro facie ſeu conſpectu. At non dedecuit Apoſtolum alludere ad nomen Oris, in hunc modum, Quando coram ore noſtro verbum

ſuum

ſuum proponit Dominus, proculdubio nos ad confeſſionem ejus vocat. Ubicunque enim eſt verbum Domini, illic debet fructificare: fructus autem, oris eſt confeſſio. Quod autem fidei confeſſionem præponit, eſt anaſtrophe Scripturis ſatis familiaris. Melior enim ordo futurus erat, ſi præmiſſa cordis fiducia, oris confeſſio ſubjecta foret, quæ ex ea naſcitur. Rite vero Dominum Jeſum fatetur, qui ſuis eum virtute ornat, talem agnoſcens, qualis à Patre datus eſt, ac in Euangelio deſcribitur. Quod vero diſerte tantum reſurrectionis fit mentio, non ita accipere convenit, quaſi mors nullo loco eſſet: ſed quia Chriſtus reſurgendo omnes ſalutis noſtræ numeros implevit. Etſi enim morte peracta eſt redemptio & ſatisfactio, per quam Deo ſumus reconciliati: victoria tamen adverſus peccatum, mortem, & Satanam, reſurrectione parta fuit. Hinc etiam & juſtitia, & vitæ novitas, & ſpes beatæ immortalitatis. Ideoque una reſurrectio ſæpe nobis ad ſalutis fiduciam proponitur, non ut nos à morte abducat, ſed quia mortis effectum & fructum teſtatur: denique mortem in ſe continet reſurrectio. Qua de re aliquid attigimus 6. capite. Adde etiam quod Paulus non hiſtoricam modo requirit fidem, ſed in ipſa reſurrectione complectitus ejus finem. Tenendum enim eſt quorſum Chriſtus reſurrexerit: nempe quod in eo excitando conſilium Dei Patris fuerit nos omnes in vitam reſtituere. Quanquam enim poteſtas Chriſto fuerit à ſeipſo recipiendæ animæ: hoc tamen opus Deo Patri Scriptura plerumque adſcribit.

10. *Corde enim creditur in juſtitiam.*] Hic locus nos adjuvare poteſt ad intelligendam fidei juſtificationem. nam oſtendit inde nobis juſtitiam obtingere, quod Dei bonitatem in Euangelio nobis oblatam amplectimur: hinc ergo ſumus juſti, quod Deum nobis in Chriſto propitium eſſe credimus. Verum obſervemus, fidei ſedem non in cerebro eſſe, ſed in corde: neque vero de eo contenderim, qua in parte corporis ſita ſit fides: ſed quoniam Cordis nomen pro ſerio & ſincero affectu fere capitur, dico firmam eſſe & efficacem fiduciam, non nudam tantum notionem. *Ore fit confeſſio in ſalutem.* Mirum videri queat cur non ſalutis noſtræ portionem fidei tribuat, toties antehac teſtatus, ſola fide nos ſalvos fieri. Sed ex eo colligi non debet, confeſſionem ſalutis noſtræ cauſam eſſe: tantum ſignificare voluit quomodo ſalutem noſtram Deus perficiat: nempe dum fidem, quam pectoribus noſtris indidit, emergere per confeſſionem facit. Imo ſimpliciter voluit notare quæ ſit fides vera, ex qua hic fructus emanat, ne quis inanem fidei titulum pro ea prætenderet: nam cor ita debet accendere ſtudio gloriæ Dei, ut flammam ſuam extra egerat. Et ſane qui eſt juſtificatus, ſalutem jam obtinet: non ergo minus corde ad ſalutem creditur, quam ore fit confeſſio. Vides ſic diſtinxiſſe, ut juſtificationis cauſam ad fidem referret: deinde oſtenderet quid ad ſalutem conſummandam ſit neceſſarium. Neque enim corde credere quis poteſt, quin ore confiteatur: & neceſſitas quidem eſt perpetuæ conſequentiæ, non quæ ſalutem confeſſioni adſcribat. Cæterum viderint quid reſpondeant Paulo, qui nobis hodie imaginariam quandam fidem faſtuoſe jactant, quæ ſecreto cordis contenta, confeſſione oris velut re ſupervacanea & inani, ſuperſedeat. Nimis enim nugatorium eſt, aſſerere ignem eſſe, ubi nihil ſit flammæ neque caloris.

11. Dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in eum, non pudefiet. *Jeſa. 28.*
12. Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci: unus enim Dominus omnium, dives in *verſ. 16.*
omnes qui invocant eum.
13. Quiſquis enim invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Joël. 2. verſ. 23. Actor. 2. verſ. 21.*

11. *Dicit enim* &c.] Poſtquam cauſas notavit cur Judæos merito Deus repudiaſſet, redit ad Gentium vocationem aſſerendam: quæ pars eſt altera quæſtionis in qua nunc verſatur. Quoniam igitur viam oſtenderat qua ad ſalutem homines pervenirent: & ea quidem non minus Gentibus quam Judæis communis ſit ac expoſita: nunc addito primum ſigno univerſali, ad Gentes illam aperte protendit, deinde Gentes quoque nominatim in eam vocat. Repetit autem quod jam adduxerat teſtimonium ex Jeſaia, ut ſententia plus habeat auctoritatis: ſimul ut pateat quam bene editæ de Chriſto prophetiæ cum Lege conſentiant.

12. *Non enim eſt diſtinctio.*] Si ſola fiducia requiritur, ubicunque reperta fuerit, illic ſe viciſſim proferet Dei benevolentia in ſalutem: nullum ergo hic erit diſcrimen gentis aut nationis. Et addit firmiſſimam rationem: nam ſi is qui mundi totius eſt creator & opifex, omnium hominum eſt Deus: omnibus benignum ſe exhibebit à quibus pro Deo agnitus & invocatus fuerit. Nam quum immenſa ſit ejus miſericordia, fieri non poteſt quin ſe in omnes effundat, à quibus expetita fuerit. *Dives* hic active accipitur, pro benigno & benefico. Ubi notandum, Patris noſtri opulentiam largitate non minui: ideoque nihil nobis decreſcere, quamlibet alios multiplici gratiæ ſuæ affluentia locupletet. Non eſt ergo cur invideant alii aliorum bonis, perinde acſi quid ipſis propterea deperiret. Tametſi vero ſatis valida erat ratio iſta, Prophetæ tamen Joëlis oraculo eam confirmat: quod expreſſa particula univerſali, omnes pariter includit. Verum ex circumſtantia multo melius cognoſcent lectores huc congruere quod pronunciat Joël: tum quia de Chriſti regno illic vaticinatur: tum etiam quod præfatus iram Dei horribili modo exarſuram, in medio ejus ardore ſalutem pollicetur omnibus qui nomen Domini invocaverint. Unde ſequitur, uſque ad mortis abyſſos penetrare Dei gratiam, ſi modo illinc expetatur, ut minime arcenda ſit à Gentibus.

14. Quomodo ergo invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo vero in eum
credent de quo non audierint? quomodo autem audient abſque prædicante?
15. Quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur? quemadmodum ſcriptum eſt, *Jeſa. 52.*
Quam pulchri pedes annunciantium pacem, annunciantium bona! *verſ. 7.*
16. Sed non omnes obedierunt Euangelio. Jeſaias enim dicit, Domine, quis credidit *Nah. 1. verſ. 15.*
ſermoni noſtro? *Jeſa. 53.*
17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. *verſ. 1. Joan. 12. verſ. 38.*

Non occupabo hic diu lectorem referendis ſimul ac refellendis aliorum opinionibus. ſit ſalvum cuique judicium: mihi vero libere proferre liceat quod ſentio. Ut ergo intelligas quorſum pertineat hæc gradatio, principio conſidera fuiſſe mutuum nexum inter Gentium vocationem & Pauli miniſterium, quo inter ipſas defungebatur: ut ab unius approbatione, alterius quoque approbatio penderet. Jam

neceſſe erat Paulo Gentium vocationem extra dubium ſtatuere, ſimul ſui miniſterii rationem reddere, ne videretur gratiam Dei perperam diſpergere, quod panem filiis Dei deſtinatum, illis ſubduceret, ac canibus erogaret. Utrumque ergo ſimul facit. Sed orationis filum quomodo cohæreat, non bene intelligetur, donec ſingulæ partes ordine enarratæ fuerint. Perinde valet hæc progreſſio acſi diceret, Tam Judæi quam Gentes, nomen Dei invocando, ſe in ipſum credere eo ipſo declarant: quoniam vera nominis Dei invocatio non poteſt eſſe, quin recta ejus cognitio præceſſerit. Porro fides ex verbo Dei naſcitur: verbum autem Dei nullibi prædicatur, niſi ſpeciali Dei providentia & ordinatione. Ergo ubi Dei invocatio, illic eſt fides: ubi fides, præceſſit ſemen verbi: ubi prædicatio, illic Dei vocatio. Jam ubi vocatio ita efficax & fructuoſa, illic clarum & indubitatum ſignum eſt divinæ benevolentiæ. Inde tandem conſtabit, Gentes non eſſe à regno Dei excludendas, quas in ſalutis communionem Deus aſciverit. Nam ut fidei cauſa apud eas eſt prædicatio Euangelii: ita prædicationis cauſa eſt Dei miſſio, qua voluit in hunc modum eorum ſaluti conſulere. Reliqua nunc ſeorſum expendamus.

14. *Quomodo invocabunt.*] Vult hic conjungere Paulus invocationem cum fide: ut ſunt profecto res inter ſe conjunctiſſimæ. Qui enim Deum invocat, ſe quaſi ad unicum ſalutis portum recipit: & quod certiſſimi refugii genus eſt, velut filius in optimi atque amantiſſimi patris ſinum ſe confert, ut ejus cura protegatur, indulgentia ac charitate foveatur, benignitate ſublevetur, virtute fulciatur. Id facere nemo poterit qui non ante de paterna Dei erga ſe benevolentia tantam perſuaſionem animo conceperit, ut ab ea quidvis auſit expectare. Ergo qui Deum invocat, in eo præſidium ſibi eſſe repoſitum confidat neceſſe eſt. Siquidem de ea invocatione hic loquitur Paulus, quæ Deo approbatur. Nam hypocritæ quoque invocant, ſed non in ſalutem, quia ſine ullo fidei ſenſu. Unde apparet quam nihil ſapiant omnes Scholaſtici, qui Deo ſe dubitanter offerunt, nulla fiducia ſubnixi. Longe aliter Paulus, qui illud tanquam confeſſum axioma ſumit, non poſſe nos rite precari, niſi de ſucceſſu certo perſuaſos. Neque enim fidem implicitam hic deſignat, ſed eam certitudinem quam de paterna ejus benevolentia concipiunt animi noſtri, ubi per Euangelium reconciliat nos ſibi, & in filios adoptat. Hac ſola fiducia nobis ad eum patet aditus: ut etiam docetur Eph. 3. E converſo autem collige, illam eſſe demum veram fidem, quæ Dei invocationem ex ſe parit. fieri enim nequit ut qui Dei bonitatem guſtavit, non etiam perpetuo ad eam votis omnibus aſpiret. *Quomodo in eum credent de quo* &c. Summa eſt, nos quodammodo eſſe mutos donec ad precandum nobis ora aperiat Dei promiſſio. quem etiam ordinem demon-

Zach. 13. verſ. 9. ſtrat apud Prophetam, his verbis, Dicam illis, Populus meus eſtis vos: & ipſi mihi dicent, Tu Deus noſter. Neque enim eſt noſtrum, qualem libuerit Deum fingere. Legitima ergo ejus cognitio habenda eſt, qualis in ejus verbo proponitur. Siquis vero Deum ex proprio ſenſu bonum concipiat, non erit certa nec ſolida fides, ſed inſtabilis & fluxa imaginatio: proinde ad rectam Dei cognitionem verbum requiritur. Verbum non aliud hic poſuit, quam quod prædicatur, quod hæc ordinaria ſit quam ejus diſpenſandi inſtituit Dominus, ratio. Si quis porro inde contendat, Deum hominibus ſui notitiam aliter non poſſe inſtillare quam inſtrumento prædicationis, negabimus illud fuiſſe ex mente Apoſtoli, qui tantum in ordinariam Dei diſpenſationem reſpexit, non autem ejus gratiæ legem præſcribere voluit.

15. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?*] Hoc ſpecimen eſſe & pignus divini amoris ſignificat, ubi gentem aliquam Euangelii ſui prædicatione dignatur: neque ullum eſſe ejus præconem, quem non peculiari ſua providentia ſuſcitarit. quare non eſſe dubium quin Deus nationem eam viſitet, in qua Euangelium annunciatur. Quia autem hic nequaquam de legitima cujuſque vocatione agit Paulus, ſupervacuum foret hic longiorem de ea ſermonem habere. Tantum hoc tenere ſufficiat, non fortuito pluere Euangelium ex nubibus, ſed per manus hominum afferri quo divinitus miſſum eſt. *Quemadmodum ſcriptum eſt, Quam ſpecioſi.* Sic in rem præſentem teſtimonium iſtud convenit applicare, Dominus ſpem liberationis populo ſuo facturus, inſigni encomio eorum adventum ornat, qui lætum hujus rei nuncium afferrent. Eo igitur ipſo declaravit, non minori in pretio habendum eſſe Apoſtolicum miniſterium, per quod æternæ vitæ nuncius nobis adfertur. Inde autem ſequitur à Deo eſſe: quandoquidem nihil eſt in mundo deſiderabile nec laude dignum, quod non ab ejus manu proficiſcatur. Cæterum hinc quoque diſcimus quantopere expetenda res ſit bonis omnibus, & quanti æſtimanda Euangelii prædicatio, quæ ſic ore Domini commendatur. Neque enim dubium eſt, magnifice Deum præfari de incomparabili hujus theſauri pretio, ut ad eum cupide expetendum expergefiant omnium mentes. *Pedes* pro adventu accipe, per metonymiam.

16. *Sed non omnes obedierunt Euangelio.*] Iſtud nihil ad eam argumentationem pertinet quam Paulus in hac gradatione perſequi voluit. Ideo neque in concluſione quæ mox ſequetur, tale quicquam repetet: ſed operæpretium fuit Paulo hoc quoque interſerere vice occupationis, ne quis ex eo quod dictum erat, verbum ſemper ordine fidem præcedere, non ſecus ac ſemen prius eſt ſegete, reciprocum argumentum ſtrueret, atque inferret fidem ſequi ubicunque eſt verbum. nam ita potuiſſet Iſrael gloriari, qui nunquam verbo fuerat deſtitutus. Oportuit ergo & hoc in tranſitu indicare, multos vocari, qui tamen electi non ſunt. Locum autem adducit ex Jeſa. 53. verſ. 1. ubi Propheta oraculum illud præclarum de Chriſti morte & regno editurus, cum admiratione præfatur de credentium paucitate, quæ talis ei in ſpiritu apparebat, ut exclamare coactus ſit, Domine, quis credidit auditui noſtro, id eſt, ſermoni quem prædicamus? Nam quum Hebræis nomen שמועה paſſive Sermonem ſignificet: Græci ἀκοὴν, Latini Auditum, improprie quidem, ſenſu tamen non ambiguo reddiderunt. Jam videmus cur obiter hæc exceptio interpoſita fuerit: ne quis ſcilicet fidem neceſſario ſequi putaret ubicunque viget prædicatio. Rationem tamen poſtea notat, quum addit, Brachium Domini cui revelatum eſt? Significat enim non aliter extare verbi profectum, niſi dum Spiritus ſui luce Deus affulget. atque ita ab externa hominis voce diſtinguitur interior vocatio, quæ ſola efficax eſt, & ſolis electis propria. Unde facile liquet quam ſtulte quidam ratiocinentur, promiſcue electos eſſe omnes, quia univerſalis eſt ſalutis doctrina, & promiſcue omnes ad ſe Deus invitat. Neque enim promiſſionum generalitas ſola & per ſe communem omnibus ſalutem facit: quin potius eam ad electos reſtringit peculiaris iſta revelatio, cujus meminit Propheta.

17. *Ergo fides ex auditu.*] Ex concluſione videmus quid ſpectaverit Paulus in ſerie illa contexenda: nempe ut oſtenderet, ubicunque eſt fides, Deum illic electionis ſuæ ſignum jam ante prodidiſſe. Deinde quod benedictionem ſuam per Euangelii miniſterium effuderit, ut mentes fide illuminaret, ac ex ea quoque ad nominis ſui invocationem inſtitueret, in qua omnibus ſalus promittitur: hoc modo teſtatum eſſe, Gentes in partem æternæ hæreditatis à ſe admitti. Eſt autem notabilis locus de efficacia prædicationis: quoniam ex ea fidem naſci teſtatur. Confeſſus nuper quidem eſt, per ſe nihil proficere: ſed ubi

Domino

Domino operari placet, hoc inſtrumentum eſt potentiæ ipſius. Et certe vox hominis uſque in animam penetrare ſua virtute nequaquam poteſt: & nimium extolleretur mortalis homo, ſi diceretur vim habere nos regenerandi: lumen etiam fidei ſublimius quiddam eſt, quam ut humanitus conferri poſſit. Verum hæc omnia non obſtant quin Deus per hominis vocem efficaciter agat, ut ejus miniſterio fidem in nobis creet. Præterea notandum eſt, non alia quam Dei doctrina fidem fundari. Neque enim ex qualibet doctrina fidem oriri tradit Paulus, ſed nominatim ad Dei verbum reſtringit: quæ reſtrictio abſurda foret, ſi in hominum placita recumbere fides poſſet. Quare faceſſant oportet omnia hominum commenta, ubi de fidei certitudine agitur. Hoc modo etiam concidit Papale illud phantaſma fidei implicitæ, quod fidem à verbo avellit: ac multo magis execranda illa blaſphemia, ſuſpenſam manere verbi fidem donec eam fulcait Eccleſiæ auctoritas.

18. Sed dico, numquid non audierunt? Quin imo In omnem terram exivit ſonus *Pſal. 19.*
eorum: & in fines orbis verba eorum. *verſ. 5.*
19. Sed dico, numquid non cognovit Iſraël? Primus Moſes dicit, Ego ad æmulatio- *Deut. 32.*
nem provocabo vos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo vos. *verſ. 18.*
20. Jeſaias autem audet, & dicit, Inventus ſum à non quærentibus me: conſpicuus fa- *Jeſa. 65.*
ctus ſum iis qui me non interrogabant. *verſ. 1.*
21. De Iſraël autem dicit, Quotidie expandi manus meas ad populum contumacem & *vel, non*
contradicentem. *credentem.*

18. *Sed dico, numquid non aud.*] Quandoquidem ex prædicatione imbuuntur hominum mentes Dei notitia, quæ ejuſdem Dei invocationem ex ſe generat: reſtabat hoc quærendum, an Gentibus non eſſet annunciata Dei veritas. nam quod repente ſe ad Gentes contulerat Paulus, in ea novitate non levis erat offenſio. Quærit ergo an Deus nunquam ante ad Gentes vocem ſuam direxerit, & doctoris officio functus ſit erga totum mundum. Porro ut communiter ſcholam omnibus apertam eſſe doceat, in quam undique diſcipulos ſibi Deus colligeret, Prophetæ teſtimonium adducit ex Pſal. 19. verſ. 5. quod parum in ſpeciem videtur ad rem facere. Propheta enim non de Apoſtolis illic loquitur: ſed de mutis Dei operibus, in quibus ita evidenter elucere dicit Dei gloriam, ut dici poſſint habere ſuam quandam linguam ad Dei virtutes narrandas. Fecit hic Pauli locus, ut allegorice totum Pſalmum exponerent veteres, quos etiam ſequuta eſt poſteritas. Ita ſine controverſia ſol tanquam ſponſus è thalamo egrediens, Chriſtus fuit: Apoſtoli autem cæli fuerunt. Quos major tenuit religio, & qui ſe modeſtius geſſerunt in Scripturæ interpretatione, exiſtimant quod proprie de cæleſti architectura dictum erat, Paulum ad Apoſtolos per alluſionem tranſtuliſſe: verum quia animadverto ſervos Domini majore ubique reverentia tractaſſe Scripturas, neque adeo licentioſe huc illuc flexiſſe: non poſſum perſuaderi Paulum ſic abuſum eſſe iſto loco. Accipio igitur ejus citationem in proprio & germano Prophetæ ſenſu, ut tale ſit argumentum, Deus jam ab initio mundi ſuam Gentibus divinitatem manifeſtavit: etſi non hominum prædicatione, creaturarum tamen ſuarum teſtimonio. Nam etſi Euangelium tunc inter ipſas ſilebat: totum nihilominus cæli & terræ opificium loquebatur, ac præconio ſuo auctorem celebrabat. Apparet ergo Dominum, etiam pro eo tempore quo fœderis ſui gratiam in Iſraële continebat, non tamen ita ſui notitiam Gentibus ſubduxiſſe, quin aliquam ſemper illis ſcintillam accenderet. Propius quidem electo populo ſe tunc manifeſtavit, ut merito domeſticis auditoribus conferri potuerint Judæi, quos ſacro ſuo ore familiariter docebat: quia tamen Gentes quoque eminus cælorum voce alloquebatur, hoc præludio oſtendit velle ſe illis etiam tandem innoteſcere. Cæterum cur Hebraicum nomen קו Græcus interpres φθόγγον reddiderit, neſcio. Lineam enim nunc in ædificio, nunc in ſcriptura ſignificat. Hoc quidem loco quia certum eſt idem bis repeti, mihi probabile eſt, cælos induci tam ſcripto quam voce diſſerentes de potentia Dei ad totum humanum genus. Nam Exeundi verbo admonet Propheta, doctrinam hanc, cujus cæli ſunt præcones, non incluſam eſſe anguſtiis unius terræ finibus, ſed perſonare uſque ad ultimas orbis plagas.

19. *Sed dico, numquid non cognovit Iſraël?*] Hæc adverſæ partis objectio ex comparatione minoris & majoris ſumpta eſt. Ratiocinatus eſt Paulus, Gentes à Dei notitia non eſſe prohibendas, quum ſe illis ab initio Deus, licet obſcure tantum & per involucra patefecerit, vel ſaltem dederit aliquem ſuæ veritatis guſtum. Quid ergo de Iſraële dicendum erit, qui longe alia doctrinæ luce illuminatus fuerat? Qui fit enim ut homines exteri & profani ad lucem procul ſibi monſtratam accurrant; ſanctum vero Abrahæ genus familiariter perſpectam reſpuat? Semper enim tenenda eſt illa diſtinctio, Quæ gens eſt tam inclyta, ut deos ſibi appropinquantes habeat, ſicut Deus tuus hodie ad te deſcendit? Ergo non abs re quæritur, cur non Legis doctrinam qua imbutus erat Iſraël, ſequuta fuerit cognitio. *Primus Moſes dicit.* Probat Moſis teſtimonio, ſi Gentes Deus Judæis præferat, in eo nihil eſſe abſurdi. Locus ex celebri illo Cantico deſumptus eſt, ubi Deus Judæis perfidiam exprobrans, hanc ſe vindictam ſumpturum denunciat, ut eos ad zelotypiam provocet, Gentibus in fœdus receptis: quia deſciverant ipſi ad fictitios deos. Vos, inquit, me ſpreto & abjecto, jus meum & honorem ad idola tranſtuliſtis: ego ut hanc injuriam ulciſcar, viciſſim ſubſtituam in locum veſtrum Gentes, & quod hactenus vobis dedi, illis tranſcribam. Id autem ſine populi Judaici repudio fieri non potuit. Nam inde æmulatio cujus meminit Moſes, quod gentem ſibi conſtituit Deus ex non gente, & novum populum de nihilo ſuſcitat, qui locum unde Judæi fuerant depulſi, occupet, quemadmodum relicto vero Deo illi ſe idolis proſtituerant. Quod autem Chriſti adventu non defecerant Judæi ad craſſam illam & externam idololatriam, nihil ad eos excuſandos facit: quandoquidem ſuis figmentis profanaverant totum Dei cultum: imo tandem Deum Patrem in Chriſto unigenito Filio ſibi patefactum abnegarunt, quod eſt ultimum impietatis genus. Obſerva *gentem ſtultam & non gentem* idem valere: quia extra ſpem vitæ cæleſtis nulla proprie eſt hominum eſſentia. Porro vitæ initium & origo ex luce fidei eſt. Itaque ſpiritualis eſſentia ex nova creatione fluit: quo ſenſu fideles vocat Paulus Dei opus, ex quo regeniti ſunt ejus Spiritu, & ad ejus imaginem reformati. Jam ex nomine Stultitiæ colligimus, quicquid ſine Dei verbo ſapiunt homines, meram eſſe vaſtitatem.

20. *Jeſaias autem audet, & dicit.*] Quoniam hoc vaticinium aliquanto clarius eſt, quo majorem attentionem excitet, plenum fiducia eſſe præfatur: acſi diceret, Non figurate nec perplexe Prophetam

Digitized by Google

fuiſſe loquutum, ſed planis & perſpicuis verbis Gentium vocationem aſſeruiſſe. Quæ autem paucis verbis interpoſitis hic ſeparavit Paulus, uno contextu apud Prophetam habentur capite 65. verſ. 1. ubi Dominus venturum tempus pronunciat, quo gratiam ſuam convertat ad Gentes: & rationem ſtatim ſubjungit, tædium contumaciæ Iſraëlis, quæ nimia diuturnitate ſacta ſibi eſſet intolerabilis. Sic ergo loquitur, Qui de me antea non interrogabant, ac nomen meum negligebant, nunc quæſierunt me: (præteritum pro futuro, ad denotandam vaticinii certitudinem) qui me non quærebant, præter ſpem & votum invenerunt. Scio à quibuſdam Rabbinis perverti totum hunc locum, acſi promitteret Deus facturum ſe ut à ſua defectione reſipiſcant Judæi. Sed nihil clarius eſt quam de alienigenis haberi ſermonem: quia mox in contextu ſequitur, Dixi, ecce adſum populo in quo nomen meum non eſt invocatum. Haud dubie ergo futurum denunciat Propheta, ut nova adoptione recipiantur in Dei familiam qui prius alieni fuerant. Illa eſt ergo Gentium vocatio, in qua tamen generalis typus elucet vocationis omnium fidelium. Siquidem nemo eſt qui Dominum præveniat: ſed omnes ſine exceptione, gratuita ejus clementia, à profundiſſima mortis abyſſo eripimur: ubi nulla ejus cognitio, nullum colendi ejus ſtudium, nullus denique veritatis ejus ſenſus.

21. *De Iſraël autem* &c.] Subjicitur cauſæ redditio, cur Deus ad Gentes tranſeat: quia ſcilicet gratiam ſuam videt inter Judæos eſſe ludibrio. Sed quo melius intelligant lectores, ſecundo membro notari populi excæcationem, diſerte admonet Paulus electo populo exprobrari ſuam malitiam. Ad verbum quidem eſt, Dicit ad Iſraël: ſed phraſin Hebraicam imitatus eſt Paulus: quia ל ſæpe pro מן capitur. Dicit autem ſe ad Iſraëlem manus expandere, quem & verbo aſſidue ad ſe invitabat, & omni benignitatis genere allicere non ceſſabat. His enim duobus modis utitur ad homines vocandos: quandoquidem ſic benevolentiam illis ſuam demonſtrat. Præcipue tamen de contemptu doctrinæ conqueſtus eſt: qui eo magis deteſtabilis eſt, quo inſignius paternam ſollicitudinem exerit Deus, verbo ad ſe homines invitans. Ac valde emphatica loquutio eſt, eum manus expandere: quia ſalutem noſtram per verbi ſui miniſtros procurans, non ſecus manus nobis porrigit, quam ſi pater filium gremio blande excipere paratus, brachia etiam extenderet. *Quotidie* autem dicit: ne cui mirum videatur, ſi defatigatus ſit illis benefaciendo quum ipſa aſſiduitate nihil proficeret. Eadem eſt figura quæ habetur apud Jeremiam 7. verſ. 13. & 11. verſ. 7. ubi ait ſe mane ſurrexiſſe ut illos admoneret. Porro duobus aptiſſimis nominibus infidelitas deſignatur. Siquidem participium ἀπειθοῦντα vertere libet Præfractum aut rebellem. neque tamen Eraſmi & veteris Interpretis translatio prorſus diſplicet, quam ad marginem appoſui. Sed quum Propheta pervicaciæ populum accuſet, deinde addat Errare per vias non bonas: non dubito quin Græcus interpres Hebraicum סורר exprimere voluerit duabus vocibus, populum immorigerum aut rebellem primum vocans, deinde contradicentem: quia in eo ſe prodidit contumacia, quod populus indomito faſtu & amarulentia ſanctas Prophetarum monitiones obſtinate reſpuit.

Cap. XI.

DIco igitur, Num abjecit Deus populum ſuum? Abſit. Etenim ego Iſraëlita ſum, ex genere Abrahæ, tribu Benjamin.

2. Non abjecit Deus populum ſuum quem præcognovit. An neſcitis in Elia quid Scriptura dicat? quomodo appellet Deum adverſus Iſraël, dicens,

1 Reg. 19. verſ. 10 3. Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua diruerunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

1 Reg. 19. verſ. 18. 4. Sed quid dicit ei Oraculum? Reſervavi mihiipſi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu imagini Baal.

5. Sic ergo & hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſuperſunt.

6. Quod ſi per gratiam, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non eſt gratia. ſi vero ex operibus, jam non eſt gratia: alioqui opus jam non eſt opus.

1. *Dico igitur*, &c.] Quæ hactenus de Judæorum cæcitate & obſtinatione diſſeruit, eo ſpectare videri poterant, acſi Chriſtus adventu ſuo Dei promiſſiones alio tranſtuliſſet, Judæis ab omni ſalutis expectatione exterminatis. Illam itaque objectionem hoc loco prævenit: & quod de repudiatis Judæis prius tradiderat, ita moderatur, ne fœdus olim cum Abrahamo initum, nunc abrogatum quis putet: aut ejus memoriam Deo ſic intercidiſſe, ut Judæi nunc alienati ſint penitus ab ejus regno, quemadmodum ante Chriſti adventum Gentes. id vero negat, ut certe falſum fuiſſe mox oſtendet. Nec vero in hoc vertitur quæſtio, jurene an injuria populum Deus repulerit. Nam proximo capite probatum fuit, quum præpoſtero zelo populus repuliſſet Dei juſtitiam, juſtas ſuperbiæ ſuæ pœnas dediſſe, merito fuiſſe excæcatum, ac tandem fœdere excidiſſe. Jam ergo in diſputationem non venit abdicationis ratio: ſed alia de re exoritur certamen, quamvis talem Dei vindictam fuerit promeritus, an fœdus quod Deus cum Patribus olim pepigit, ſit abolitum, quod ulla hominum perfidia labefactari abſurdum eſſet. Principium enim illud retinet Paulus, quum gratuita ſit adoptio, & in ſolo Deo non in hominibus fundata, firmam & inviolabilem ſtare, qualiſcunque hominum incredulitas ad eam abolendam conſpiret: hic nodus ſolvendus eſt, ne credatur Dei veritas & electio ex hominum dignitate pendere. *Etenim ego Iſraëlita.* Antequam in cauſam ingrediatur, obiter exemplo ſuo probat quam abſurdum ſit putare illam gentem à Deo derelictam. Ipſe enim ab ultima origine Iſraëlita erat, non proſelytus, aut in Iſraëlis politiam recens inſitus. Quum ergo inter ſelectiſſimos Dei ſervos merito cenſeretur, documento erat, Dei gratiam in Iſraële reſidere. Concluſionem ergo veluti probatam aſſumit, quam tamen juſta tractatione poſtea explicabit. Quod ſupra Iſraëlitæ titulum, ſe Abrahæ ſemen vocat, & tribum quoque ſuam exprimit, eo pertinet ut habeatur pro germano Iſraëlita. ſicuti ad Philippenſes 3. v. 4. Nam quod ad commendationem miſericordiæ Dei valere quidam putant, oriundum fuiſſe Paulum ex ea tribu quæ propemodum exciſa fuerat, coactum videtur, ac longe petitum.

2. *Non abjecit.*] Reſponſio eſt negativa, & cum moderatione. Apoſtolus enim præciſe negando rejectum eſſe populum, ſecum ipſe pugnaſſet. Verum correctione adhibita, tale rejectionis genus eſſe docet, quo Dei promiſſio irrita non reddatur. Ita diſtribuitur reſponſio in duas partes: quod Deus nequaquam

Digitized by Google

quam contra fœderis ſui fidem univerſam Abrahæ progeniem abjecerit: neque tamen extet adoptionis effectus in omnibus carnis filiis, quia præit arcana electio. Ita generalis rejectio efficere non potuit, quin ſalvum maneret aliquod ſemen: ipſum enim viſibile populi corpus ſic abdicatum fuit, ut nullum ex ſpirituali Chriſti corpore membrum exciderit. Si quis roget annon Circumciſio Judæis omnibus commune fuerit gratiæ Dei ſymbolum, ut in ejus populo cenſeri debuerint: prompta eſt reſponſio, quia vocatio externa per ſe inefficax eſt ſine fide, merito incredulis adimi honorem quem oblatum reſpuunt. Ita manet ſpecialis populus, in quo Deus conſtantiæ ſuæ ſpecimen exhibet: firmitatis vero originem deducit Paulus ab arcana electione. Neque enim hic fidem reſpicere dicitur Deus, ſed propoſito ſuo conſtare, ne populum abjiciat quem præcognovit. Atque hic rurſus notandum eſt quod prius admonui, Præcognoſcendi verbo non intelligi ſpeculationem neſcio quam, qua præſciverit Deus qualisquiſque futurus eſſet: ſed beneplacitum, quo ſibi delegit in filios qui nondum nati, ejus gra-
Gal. 4: 9. tiam in ſe inſinuare non poterant. Ita ad Galatas dicit cognitos fuiſſe à Deo, quia ſuo favore eos antevertit, ut ad Chriſti notitiam vocaret. Nunc tenemus, quamvis univerſalis vocatio fructum non proferat, non excidere tamen Dei fidem, quin ſemper Eccleſiam conſervet quamdiu ſuperſtites manent electi: quia licet Deus totum populum promiſcue ad ſe invitet, non tamen intus trahit niſi quos novit eſſe ſuos, & quos Filio dedit: quorum etiam fidelis uſque in finem erit cuſtos. *An neſcitis*. Quum tam exiguus eſſet eorum numerus qui ex Judæis Chriſto crediderant, fieri vix potuit quin ex paucitate colligerent, rejectum eſſe totum Abrahæ genus: atque obreperet cogitatio hæc, in tam deformi ruina nullum extare gratiæ Dei ſignum. Nam quum adoptio ſacrum vinculum eſſet, quo filii Abrahæ ſub Dei fidem collecti retinebantur: niſi illa defluxiſſet, populum miſere & infeliciter diſſipari, nullo modo probabile fuit. Hoc ſcandalum ut avertat Paulus, appoſitiſſimo exemplo utitur. Nam tempore Eliæ talem fuiſſe vaſtitatem commemorat, ut nullus jam ſupereſſet Eccleſiæ conſpectus. & tamen quum nullum extaret gratiæ Dei veſtigium, ſic quaſi in ſepulchro latuiſſe Dei Eccleſiam, ut mirabiliter ſervata fuerit. Sequitur ergo, perperam eos facere qui Eccleſiam ex ſenſu ſuo æſtimant. Et ſane ſi eximius ille Propheta, qui uſque adeo luculento Spiritu præditus erat, quum voluit ſuo judicio recenſere Dei populum, ita deceptus eſt: quid nobis eveniet, quorum ſumma perſpicacia, ſi cum illo conferimur, mera eſt hebetudo? Quare nequid temere hic ſtatuamus: ſed potius infixum cordibus noſtris maneat, arcana Dei providentia foveri Eccleſiam quæ nulla oculis noſtris apparet. ſimul veniat in mentem, ſtulte & ſuperbe facere eos qui numerum electorum ſenſus ſui modulo definiunt. Nam habet Deus modum ſibi non difficilem, nobis abſconditum, quo electos ſuos mirabiliter cuſtodiat, ubi omnia perdita videntur. Hoc autem animadvertant lectores, quod Paulus temporis ſui ſtatum diligenter cum vetuſta Eccleſiæ conditione tum hoc loco, tum etiam alibi comparat, non mediocriter hoc ad fidei confirmationem valere, dum reputamus nihil hodie nobis accidere quod non olim experti ſint ſancti Patres. ſcimus enim quam gravis machina ſit ad turbandos infirmos animos, novitas. Quod ad particulam, *In Elia*, in verſione retinui Pauli phraſim: quia tantundem valere poteſt, atque In hiſtoria, vel in rebus geſtis Eliæ. quamvis mihi magis probetur, Paulum Hebraico more ſic loquutum: quia ב quod Græco ἐν reſpondet, ſæpe pro De accipitur. *Quomodo appellet Deum adverſus Iſraël.* Id certe argumento eſt, quanti fecerit Elias Dominum, qui pro ejus gloria non dubitaverit ſe adverſarium gentis ſuæ conſtituere, eique imprecari extremum interitum, quod putaret in ea religionem & cultum Dei interiiſſe. Sed in eo fallebatur, quod totam gentem, ſe uno excepto, ejus impietatis damnabat, quam volebat tam ſevere vindicari. Porro eo loco quem Paulus citat, nulla imprecatio, ſed nuda conqueſtio habetur. Verum quis ſic conqueritur ut de toto populo deſperet, non dubium quin ita exitio devoveat. Notemus ergo quid prædicaverit Elias: nempe quod quum impietas paſſim invaluiſſet, ac totam pene terram occupaſſet, opinatus eſt ſe relictum eſſe ſolum.

4. *Reſervavi mihiipſi ſeptem millia.*] Utcunque numerum finitum pro indefinito accipias, voluit proculdubio Dominus magnam multitudinem notare. Quando igitur in rebus maxime deploratis tantum valet Dei gratia: ne leviter omnes adjudicemus diabolo, quorum pietas nobis palam non apparet. Simul etiam hoc nobis penitus inſideat, quamvis paſſim graſſetur impietas, & undique ſe ingerat horrenda confuſio: ſub Dei tamen ſigillo manere incluſam multorum ſalutem. Cæterum ne quis hoc prætextu ignaviæ ſuæ indulgeat, ſicuti plerique ex occulta Dei cuſtodia latebras captant ſuis vitiis, obſervare rurſum convenit, ſalvos dici qui integri & impolluti in Dei fide permanent. Ipſa etiam judicii circumſtantia notanda eſt: nempe eos demum ſtare incolumes, qui ne externa quidem ſimulatione corpus ſuum proſtituerint ad cultum idolorum. Illis enim non animi tantum puritatem tribuit, ſed quod etiam corpus ab omni ſuperſtitionis immunditia ſervarint impollutum.

5. *Sic ergo & hoc tempore.*] Applicat exemplum ad ſuam ætatem: & quo faciat omnia ſimilia, reliquias vocat, præ ingenti ſcilicet illo numero cujus ob oculos verſabatur impietas. Quanquam ſimul ad illud quod ante citavit Jeſaiæ vaticinium alludens, in triſti & confuſa deſolatione lucere adhuc Dei fidem oſtendit: quia reſiduum aliquid maneat. Quo certius id confirmet, vocat diſerte reliquias quæ Dei gratia ſuperſtites, Dei electionem eſſe immobilem teſtantur: quemadmodum dicebat Eliæ Dominus, quum in idololatriam diffluxiſſet totus populus, illa ſeptem millia ſe ſervaſſe. unde colligitur, ejus beneficio fuiſſe exempta ab interitu. Neque ſimpliciter gratiam dicit, ſed nunc quoque ad electionem nos revocat, ut diſcamus ab occulto Dei conſilio reverenter pendere. Una igitur propoſitio eſt, paucos ſervari, præut magna eſt eorum copia qui nomen populi Dei ad ſe trahunt. Altera, Dei virtute ſervari, quos nullo meriti reſpectu elegit. nam electio gratiæ, Hebraica forma, pro gratuita ponitur.

6. *Si per gratiam, jam non ex operibus.*] Amplificatio ſumpta ex comparatione contrariorum: ſic enim habent inter ſe Dei gratia & meritum operum, ut qui alterum ſtatuit, alterum evertat. Porro ſi nulla operum conſideratio in electione admitti poteſt quæ non obſcuret gratuitam Dei bonitatem, quam nobis tantopere in ea commendatam voluit: viderint phrenetici quid Paulo reſpondeant, qui cauſam electionis faciunt quam in nobis dignitatem Deus prævidet. Nam ſive futuris, ſive præteritis operibus locum aliquem dederis, reclamabit hæc Pauli ſententia, quæ dicit gratiam operibus nihil facere reliquum. Non hic tantum de noſtra cum Deo reconciliatione diſputat Paulus, nec de mediis vel propinquis ſalutis noſtræ cauſis: ſed altius conſcendit, cur Deus ante conditum mundum quoſdam ſolum elegerit, aliis præteritis. Deum aliunde adductum eſſe negat ad hoc diſcrimen, quam mero ſuo beneplacito. nam ſi quis operibus detur locus, tantundem gratiæ detrahi contendit. Unde ſequitur, operum præſcientiam cum electione perperam miſceri. Nam ſi Deus alios eligit, alios reprobat, prout ſalute dignos vel indignos fore præſcivit: jam

poſita

poſita operum mercede, non regnabit ſola Dei gratia, ſed dimidia tantum ea parte cauſa electionis erit. Nam ſicuti antea Paulus in juſtificatione Abrahæ diſſeruit, ubi rependitur merces, non ultro conferri gratiam: ita nunc ex eodem fonte argumentum ducit, Si in rationem veniant opera, ubi Deus certum hominum numerum in ſalutem adoptat, deberi mercedem: itaque non fore gratuitum beneficium. Tametſi autem hic de electione ſermo eſt: quia tamen generalis eſt ratio qua Paulus utitur, ad totam ſalutis noſtræ rationem extendi debet: ut intelligamus toties pronunciari, nulla eſſe operum merita, quoties ſalus noſtra Dei gratiæ tribuitur: vel potius, ut credamus toties in nihilum redigi operum juſtitiam, quoties gratia nominatur.

7. Quid ergo? quod quærit Iſraël, non eſt aſſequutus: electio autem aſſequuta eſt, reliqui vero excæcati fuerunt.
Jeſ. 6: 9. 8. Quemadmodum ſcriptum eſt, Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut
Mat. 13. non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.
verſ. 14. *Joan. 12.* 9. Et David dicit, Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in offendicu-
verſ. 40. lum, & in retributionem ipſis.
Actor. 28. 10. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.
verſ. 26. *Pſal. 69.* *verſ. 23.*

7. *Quid ergo? quod quærit Iſraël.*] Quia verſabatur hic in difficili quæſtione, quaſi dubitans interrogat. Hac tamen dubitatione voluit certiorem reddere reſponſionem quæ mox ſequitur: innuit enim nullam aliam dari poſſe. ea eſt autem, quod Iſraël in quærenda ſalute fruſtra laboravit: quia præpoſtero ſtudio nitebatur. Tametſi nullam cauſæ mentionem hic facit: ſed quia prius eam expreſſerat, intelligi certe hoc etiam loco voluit. Perinde enim valent ejus verba acſi diceret, Jam mirum videri non debet quod Iſraël ad juſtitiam enitendo nihil profecerit. Inde autem conficitur quod de electione continuo ſubjecit. Nam ſi Iſraël merito nihil eſt conſequutus: quid alii, quorum non erat melior vel cauſa, vel conditio? unde tantum diſcrimen inter pares? hic quis non videat ſolam electionem eſſe quæ diſcriminat? Eſt autem dubia verbi hujus ſignificatio. Nam quibuſdam videtur accipi collective pro ipſis electis, quo inter ſe membra antitheſeos reſpondeant: quorum ſententia mihi non improbatur, modo ſimul mihi concedant, ineſſe aliquid plus huic voci quam ſi dixiſſet electos: nempe ut innueret non aliam fuiſſe obtinendi cauſam quam electionem: acſi diceret, Non qui meritis freti contendunt, ſed quorum ſalus gratuita Dei electione nititur: præciſe enim cum toto Iſraële vel corpore populi reliquias illas confert, quæ ſalvæ erant Dei gratia. Unde ſequitur, non reſidere in hominibus ſalutis cauſam, ſed ex mero Dei beneplacito pendere. *Reliqui vero excæcati fuerunt.* Quemadmodum ſoli electi ab interitu Dei gratia eximuntur, ita quicunque electi non ſunt, eos manere excæcatos neceſſe eſt. Hoc enim vult Paulus, quantum ad reprobos ſpectat, principium ruinæ ac damnationis eſſe ex eo, quod ſunt à Deo derelicti. Quæ adducit teſtimonia, quanquam ex variis potius Scripturæ locis collecta, quam ex uno loco deſumpta ſunt, omnia tamen videntur aliena ab ejus propoſito, ſi ex circumſtantiis ſuis ea propius expendas. Ubique enim videas excæcationem & indurationem commemorari, tanquam Dei flagella quibus jam admiſſa ab impiis flagitia ulciſcitur. Paulus autem probare hic contendit, excæcari, non eos qui ſua malitia id meriti ſint, ſed qui ante mundi creationem reprobati ſunt à Deo. Hunc nodum ita breviter ſolvas, quod origo impietatis quæ ita in ſe provocat Dei furorem, eſt perverſitas naturæ à Deo derelictæ. Quare non abs re Paulus de æterna reprobatione hæc citavit, quæ ex ea prodeunt ut fructus ex arbore, & rivus à ſcaturigine. Impii quidem propter ſua ſcelera, juſto Dei judicio cæcitate puniuntur: ſed ſi fontem exitii eorum quærimus, eo deveniendum erit, quod à Deo maledicti, nihil omnibus factis, dictis, conſiliis ſuis, quam maledictionem accerſere & accumulare poſſunt. Imo æternæ reprobationis ita abſcondita eſt cauſa, ut nihil aliud nobis ſuperſit quam admirari incomprehenſibile Dei conſilium, ſicuti tandem ex clauſula patebit. Stulte autem faciunt, qui ſimulac verbum factum eſt de propinquis cauſis, earum prætextu hanc primam quæ ſenſum noſtrum latet, obtegere tentant: acſi Deus non libere ante Adæ lapſum ſtatuiſſet de toto humano genere quod viſum eſt, quia damnat vitioſum ac pravum ejus ſemen: deinde quia peculiariter ſingulis quam meriti ſunt ſcelerum mercedem rependit.

8. *Dedit illis Deus ſpiritum.*] Mihi non dubium eſt citari hic locum Jeſaiæ quem Lucas in Actis refert ab eo fuiſſe adductum, verbis tamen paululum mutatis. Nec vero hic recitat quæ habentur apud Prophetam, ſed tantum ſententiam colligit, ſpiritu amarulentiæ eſſe divinitus imbutos, ut videndo & audiendo ſtupidi permaneant. Jubetur quidem Propheta obdurare cor populi: ſed Paulus ad fontem ipſum penetrat, quod ſcilicet ſenſus omnes occupet brutus ſtupor, poſtquam in hanc amentiam traditi ſunt homines, ut contra veritatem virulentis ſtimulis ſe acuant. Neque enim vertiginis modo ſpiritum vocat, ſed compunctionis, ubi ſcilicet quædam fellis amaritudo ſe prodit: imo etiam furor in reſpuenda veritate. Arcano autem Dei judicio ſic dementari reprobos pronunciat, ut attoniti, nihil prorſus judicent. Nam quod videndo dicuntur nihil videre, in eo notatur ſenſuum omnium hebetudo. Addit autem de ſuo Paulus, Uſque in hodiernum diem: ne quis excipiat olim impletum fuiſſe vaticinium illud, ideoque perperam ad tempus promulgati Euangelii trahi. hanc objectionem prævenit, ſubindicans non unius tantum dici fuiſſe, quæ illic deſcribitur, excæcationem, ſed cum inſanabili populi pertinacia uſque ad Chriſti adventum duraſſe.

9. *Et David dicit.*] In hoc quoque teſtimonio Davidis facta eſt aliqua verborum commutatio, ſed quæ ſenſum non violat. Sic enim loquitur, Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & pacifica eorum in captionem: de retributione nulla mentio. de rei ſumma ſatis convenit. Illic Vates impiis imprecatur, ut quicquid alioqui eſt in vita optabile & beatum, in ruinam & exitium ipſis cedat. idque per menſam & pacifica deſignat. Deinde in cæcitatem ſpiritus, & virium enervationem eos devovet: quarum alteram oculorum obtenebratione, alteram dorſi incurvatione ſignificat. Porro ad totam fere gentem extendi, mirum non eſt, quum ſciamus non ſolum primores Davidi fuiſſe infeſtos, ſed promiſcuum quoque vulgus fuiſſe adverſum: ut facile appareat, quæ illic leguntur, non in paucos duntaxat, ſed in multitudinem competere. imo ſi reputamus cujus imago fuerit David, facilis etiam erit in oppoſito membro anagoge. Quum ergo hæc imprecatio omnes Chriſti adverſarios maneat, ut cibus illis in venenum convertatur, (quemadmodum videmus Euangelium eſſe illis odorem mortis in mortem) cum humilitate & tremore

Dei gratiam amplexemur. Adde quod quum David de Iſraëlitis loquatur, qui ex Abraham geniti erant ſecundum carnem, & qui tunc primas in regno tenebant, ejus teſtimonium Paulus huc congruenter aptat, ne magnæ partis populi excæcatio, nova aut inſolita videatur.

11. Dico igitur, Num impegerunt ut corruerent? Abſit. Sed eorum lapſu ſalus *contigit* Gentibus, in hoc ut ipſi ad æmulationem provocarentur.

12. Si vero eorum lapſus divitiæ ſunt mundi, & imminutio eorum divitiæ Gentium, quanto magis complementum ipſorum?

13. Vobis enim dico Gentibus, quatenus certe ego Gentium ſum Apoſtolus, miniſterium meum illuſtro.

14. Si quo modo ad æmulationem provocavero carnem meam, & aliquos ex ea ſalvos fecero.

15. Si enim rejectio eorum, reconciliatio eſt mundi: quid aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

11. *Num impegerunt* &c.] Vehementer te impedies in hac diſputatione, niſi obſerves Apoſtolum nunc de tota Judæorum natione, nunc de ſingulis hominibus loqui. Inde enim eſt illa diverſitas: quod nunc Judæos è regno Dei exterminatos fuiſſe tradit, excisſos ab arbore, in exitium Dei judicio præcipitatos: nunc rurſum excidiſſe à gratia negat, quin potius manere io poſſeſſione fœderis, & locum habere in Dei Eccleſia. Ergo ſecundum hanc diſtinctionem nunc loquitur. Nam quum Judæi maxima ex parte Chriſtum averſarentur, ut totam fere gentem occuparet hæc perverſitas, & rari inter eos apparerent ſanæ mentis: interrogat an ita impegerit in Chriſtum gens Judaica, ut de ipſa in univerſum actum ſit, nec ulla ſpes ſuperſit reſipiſcentiæ. Hic merito negat Judæorum ſalutem eſſe deploratam, aut ſic abjectos à Deo, ut nulla reſtitutio futura ſit, vel prorſus extinctum ſit quod ſemel cum illis pepigit gratiæ fœdus: quandoquidem in gente ſemper manebat ſemen benedictionis. Sic intelligendam eſſe ejus mentem ex eo conſtat, quod prius excæcationi conjunxit certam ruinam, ounc ſpem reſurgendi facit: quæ duo in unum minime convenirent. Lapſi ergo ſunt & corruerunt in exitium, qui in Chriſtum obſtinate impegerunt: natio tamen ipſa non concidit, ut neceſſe ſit perditum eſſe, vel à Deo alienum qui Judæus eſt. *Sed eorum lapſu ſalus Gentibus.* Duo hoc loco dicit Apoſtolus, Lapſum Judæorum cecidiſſe quidem Gentibus io ſalutem, ſed in eum finem, ut ipſi quadam zelotypia accenderentur, atque ita de reſipiſcentia cogitarent. Reſpexit certe ad teſtimonium Moſis quod jam citaverat: ubi Dominus minatur Iſraëli, quod quemadmodum ad æmulationem provocatus ab eo fuerat in falſis diis: ita etiam jure talionis, provocabit eum in gente ſtulta. Verbum quod illic habetur, notat affectum æmulationis & zelotypiæ; ubi ſcilicet urimur quum videmus alium nobis anteferri. Ergo ſi conſilium Domini eſt ut ad æmulationem provocetur Iſraël, non ideo cecidit ut præcipitaretur in æternam ruinam: ſed quo Dei benedictio ab eo contempta io Gentes perveniret: quo demum ille quoque excitetur ad quærendum Dominum, à quo defecit. Cæterum non eſt cur in teſtimonii applicatione magnopere ſe fatigent lectores: non enim proprium verbi ſenſum urget Paulus, ſed tantum ad vulgarem & notum morem alludit. Sicuti enim uxorem à marito ſua culpa rejectam accendit æmulatio, ut ſe reconciliare ſtudeat: ita nunc fieri poſſe dicit, ut Judæi quum viderint Gentes in locum ſuum ſubrogatas, repudii ſui dolore tacti, ad reconciliationem aſpirent.

12. *Si vero eorum lapſus.*] Quoniam poſt repudiatos Judæos, Gentes in eorum locum ſubingreſſas eſſe docuerat: ne odioſam redderet Judæorum ſalutem Gentibus, acſi earum ſalus illorum exitio conſtaret: falſam illam opinionem antevertit, ac contrariam ſententiam ſtatuit, nihil magis poſſe conducere ad promovendam Gentium ſalutem, quam ſi maxime apud Judæos floreat ac vigeat Dei gratia. Id ut probet, utitur argumento à minori, Si potuit illorum lapſus Gentes excitare, & eorum imminutio locupletare, quanto magis ipſorum plenitudo? eſt enim illud contra naturam factum, hoc naturæ ordine fieret. Neque vero impedit iſtam rationem, quod verbum Dei ad Gentes permanavit, poſtquam Judæi reſpuendo, veluti evomuerant. Nam ſi recepiſſent, multo plus fructus attuliſſet eorum fides, quam peperit incredulitas iſta occaſione. Siquidem & hinc confirmata foret Dei veritas, quod conſtitiſſet in illis eſſe impletam: & ipſi doctrina plurimos adduxiſſent, quos pertinacia potius avertebant. Magis autem proprie loquutus fuiſſet, ſi lapſui oppoſuiſſet ſuſcitationem. Quod ideo admoneo, ne quis dicendi ornatum hic requirat, aut offendatur iſta dicendi ruditate. Pectus enim, noo linguam ut formarent, hæc ſcripta ſunt.

13. *Vobis enim dico Gentibus.*] Confirmat optima ratione, quod nihil decedat Gentibus ſi Judæi rurſum cum Deo redeant in gratiam. Oſtendit enim ſic conjunctam eſſe utrorumque ſalutem, ut eadem opera promoveri queat. Nam ſic Gentes alloquitur, Quum ſim vobis peculiariter deſtinatus Apoſtolus, ideoque ſalutem veſtram mihi commiſſam ſingulari quodam ſtudio debeam procurare, & quaſi rebus omnibus omiſſis, unum illud agere: officio tamen meo fideliter fungar, ſi quos è mea gente Chriſto lucrifecero. idque erit in gloriam miniſterii mei, atque adeo in veſtrum bonum. Quicquid enim valebat ad illuſtrandum Pauli miniſterium, Gentibus erat conducibile: quarum ſalus, illius erat finis. Utitur autem hic quoque verbo παραζηλῶσαι, quo Moſaicæ prophetiæ eventum, qualem deſcribit, expetant Gentes, ubi intellexerint ſibi eſſe ſalutarem. Deut. 32. verſ. 22.

14. *Salvos fecero.*] Hic obſerva ut verbi miniſter ſervare ſuo modo dicatur, quos ad fidei obedientiam adducit. ſic enim moderari ſalutis noſtræ diſpenſationem oportet, ut totam ejus virtutem & efficaciam penes Deum eſſe ſciamus, eique laudem meritam tribuamus: prædicationem tamen intelligamus inſtrumentum eſſe peragendæ fidelium ſalutis. quod etſi nihil ſine Dei Spiritu promovere queat, illo tamen intus operante, ſuam actionem potentiſſime exerit.

15. *Si enim rejectio.*] Locus hic, quem multi obſcurum ducunt, nonnulli peſſime depravant: ſic intelligi (meo judicio) debet, ut ſit alterum argumentum à minoris & majoris comparatione, in hunc ſenſum, Si tantum potuit Judæorum abjectio, ut Gentium reconciliationi cauſam daret: quanto erit potentior aſſumptio? annon vel à mortuis debebit excitare? Paulus enim ſemper in eo inſiſtit, Gentibus nullam eſſe invidiæ cauſam, acſi Judæis in gratiam receptis, deterior illarum futura eſſet conditio. Quum ergo vitam ex morte, & lucem ex tenebris mirabiliter Deus eduxerit, multo magis ſperandum

randum eſſe ratiocinatur, ut reſurrectio populi quaſi emortui Gentes vivificet. Neque obſtat quod aliqui cauſantur, reconciliationem à reſurrectione non differre, ut nos quidem in præſentia reſurrectionem intelligimus, qua ſcilicet è regno mortis transferimur in regnum vitæ. Nam etſi una res eſt, verbis tamen plus ac minus ineſt ponderis, quod ſatis eſt ad nervos argumenti.

16. Quod ſi primitiæ ſanctæ, etiam conſperſio: & ſi radix ſancta, etiam rami.

17. Si vero ex ramis quidam defracti ſunt, tu vero oleaſter quum eſſes, inſitus es pro ipſis, & particeps factus es radicis & pinguedinis oleæ:

18. Ne contra ramos glorieris. quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.

19. Dices ergo, Defracti ſunt rami, ut ego insererer.

20. Bene: propter incredulitatem defracti ſunt, tu vero fide ſtabilitus es. Ne animo efferaris, ſed timeas.

21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, *vide* ne qua fiat, *ut* & tibi non parcat.

16. *Quod ſi primitiæ.*] Nunc ex comparatione dignitatis Judæorum & Gentium, ſupercilium his adimit, illos quantum poteſt placat. Oſtendit enim quam nulla ex parte præcellant Judæis Gentes, ſi quam propriam honoris prærogativam obtendant: imo ſi ad eam contentionem ventum fuerit, quam procul à tergo relinquantur. In qua comparatione meminerimus, non hominem cum homine, ſed nationem cum natione conferri. Ergo ſi inter ſe comparentur, reperientur in eo pares, quod ſunt utrique pariter filii Adam: id tantum eſt diſſimile, quod Judæi à Gentibus ſunt ſegregati, ut cederent in peculium Domino. Sacro igitur fœdere ſanctificati, & peculiari nobilitate inſigniti fuerunt, qua Gentes pro eo tempore Deus non dignatus eſt: quia autem exiguus fœderis vigor tunc apparebat, ad Abraham & Patriarchas reſpicere nos jubet, apud quos certe non fuit inanis aut irrita Dei benedictio. Ab illis ergo hæreditariam ſanctitatem in omnes poſteros tranſiiſſe colligit: quæ collectio non valeret, ſi de perſonis ageretur, & non potius haberetur promiſſionis ratio. Non enim quia juſtus eſt pater, continuo probitatem ſuam transmittit in filium: ſed quia Dominus hac conditione Abrahamum ſibi ſanctificavit, ut ſemen quoque ipſius ſanctum eſſet: adeoque non in perſonam ejus duntaxat, ſed in totum genus ſanctitatem contulit: inde non male ratiocinatur Apoſtolus, in Patre ſuo Abraham omnes Judæos eſſe ſanctificatos. Porro ad id confirmandum, duas ſimilitudines affert: priorem à Legalibus ceremoniis ductam: alteram vero petitam à natura. Primitiæ enim quæ offerebantur, totam conſperſionem ſanctificabant: ſimiliter à radice bonitas ſucci in ramos diffunditur. atqui eandem habent rationem poſteri cum parentibus unde ducunt originem, quam habet conſperſio cum primitiis, & rami cum arbore. Ergo non eſt mirum ſi in Patre ſuo Judæi ſanctificati ſint. Nihil hic erit difficultatis, ſi ſanctitatem intelligas nihil eſſe aliud quam ſpiritualem generis nobilitatem, & eam quidem non propriam naturæ, ſed quæ ex fœdere manabat. Vere (fateor) dicetur, Judæos naturaliter ſacros eſſe, quia hæreditaria eſt inter ipſos adoptio: ſed nunc de prima natura loquor, ſecundum quam omnes ſcimus in Adam eſſe maledictos. Quare electi populi dignitas, proprie loquendo, ſupernaturale privilegium eſt.

17. *Si vero ex ramis.*] Nunc præſentem Gentium dignitatem attingit, quæ non alia eſt, quam futura ſit ramorum, ſi qui aliunde ſumpti in arborem aliquam nobilem inſerantur. Gentium enim origo erat veluti ex olea ſylveſtri & infrugifera: quia nihil niſi maledictionem in toto ſuo genere reperiebant. Quicquid ergo habent gloriæ, id à nova inſitione eſt, non veteri propagine: non eſt ergo cur de ſuo aliquo decore Gentes præ Judæis glorientur. Adde quod aſperitatem prudenter mitigat Paulus, non dicens totam arboris ſuperficiem excisam, ſed quoſdam ex ramis defractos: ſicuti etiam quoſdam inter Gentes hinc inde carpebat Deus, quos in ſacrum & benedictum truncum inſereret.

18. *Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas.*] Non poſſunt contendere Gentes cum Judæis de generis ſui præſtantia, quin certamen cum ipſo Abrahamo ſuſcipiant: quod eſſet nimis improbum, quum ille ſit inſtar radicis à qua feruntur & vegetantur. Quantum igitur abſurdum fuerit, ramos adverſus radicem ſuperbire: tam abſurdum erit, Gentes adverſus Judæos gloriari; quantum ſcilicet ad generis præſtantiam attinet. vult enim ſemper expendi Paulus unde ſit ſalutis initium. Scimus autem, poſtquam ſuo adventu Chriſtus maceriam diruit, perfuſum fuiſſe totum orbem gratia quam Deus in populo electo ante depoſuerat. Unde ſequitur, Gentium vocationem inſitioni ſimilem eſſe, nec aliter coaluiſſe in Dei populum, niſi quatenus radicem egerant in ſobole Abrahæ.

19. *Dices ergo.*] In Gentium perſona profert quicquid illæ prætendere pro ſe poterant: id autem tale erat, quod adeo inflare illas non deberet, ut potius humilitatis præberet materiam. Nam exectio Judæorum ſi ob incredulitatem facta eſt, Gentium vero inſitio per fidem: quid reſtat, niſi ut Dei gratiam recognoſcendo, inde ad modeſtiam ac ſubmiſſionem formentur? Siquidem iſtud ex fidei natura conſequitur, & proprium illi ineſt, ut dejectionem noſtri generet ac timorem. Sed timorem intellige, qui cum fidei ſecuritate minime pugnet: non enim vult Paulus ut vacillet fides noſtra, aut aliqua dubitatione alternet: tantum abeſt ut conſternari nos aut trepidare velit. Qualis ergo erit timor iſte? nimirum ut in duarum rerum conſideratione verſari nos jubet Dominus, ita duplicem inde affectum generari neceſſe eſt. Vult enim miſeram naturæ noſtræ conditionem à nobis perpetuo reputari: illa nihil quam horrorem, tædium, anxietatem, deſperationem parere poteſt. atque ita ſane expedit proſterni nos penitus ac conteri, quo tandem ad ipſum ingemiſcamus. Cæterum nihil obeſt horror ille à noſtri recognitione conceptus, quin animi noſtri ejus bonitate freti placide reſideant: nihil obſtat tædium illud quominus plena in ipſo conſolatione fruamur: nihil illa anxietas, nihil deſperatio, quin ſolide & lætitia & ſpe apud ipſum potiamur. Itaque hunc de quo loquitur timorem nonniſi faſtuoſo contemptui tanquam antidotum opponit: quia ut quiſque ſibi plus æquo arrogat, nimis ſecurus eſt, & tandem contra alios inſoleſcit: ergo eatenus timendum eſt, ne cor noſtrum ſuperbia inflatum ſe attollat. Sed videtur ſalutis dubitationem injicere, dum cavendum admonet ne illis quoque non parcatur. Reſpondeo, quum hæc exhortatio ad carnem domandam pertineat, quæ ſemper etiam in filiis Dei inſoleſcit, fidei certitudini nihil derogare. Præcipue vero notandum ac memoria repetendum eſt quod nuper dixi, Pauli ſermonem non tam ad ſingulos homines, quam ad totum Gentium corpus dirigi: in quo multi eſſe poterant fruſtra inflati, fidem profitentes magis quam habentes.

tes. Horum cauſa Paulus exciſionem Gentibus non abs re minatur: ut poſtea iterum videbimus.

21. *Si enim naturalibus.*] Validiſſima ratio ad omnem præſidentiam retundendam. nunquam enim Judæorum rejectio venire in memoriam debet, quin nos horrore percellat & concutiat. Quid enim illos perdidit, niſi quod ex ſupina ſecuritate ejus quam adepti erant dignitatis, contemptum divini judicii induerunt? Illis non parcitum eſt, quum eſſent rami naturales: quid ergo fiet nobis ſylveſtribus & extraneis, ſi ultra modum inſoleſcamus? Verum hæc cogitatio, ut ad diffidentiam noſtri nos comparat, ita facit ut fortius Dei bonitati ac tenacius adhæreamus. Atque hinc certius iterum patet, ſermonem communiter ad corpus Gentium dirigi, quia in ſingulos non competeret iſta de qua loquitur, excisio, quorum electio immutabilis eſt, in æterno ſcilicet Dei propoſito fundata. Itaque Gentibus denunciat Paulus, ſi Judæis inſultent, paratam fore mercedem eorum ſuperbiæ, quia iterum ſibi reconciliabit Deus priorem illum populum, cum quo divortium fecit.

22. Vide igitur lenitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te vero lenitatem, ſi permanſeris in lenitate. alioqui tu quoque excideris.

23. Et illi, ſi non perſtiterint in incredulitate, inſerentur. potens enim eſt Deus rurſum inſerere ipſos.

24. Si enim tu ex olea ſylveſtri quæ tibi nativa erat, exſectus es, & præter naturam inſitus es in veram oleam: multo magis hi ſecundum naturam propriæ oleæ inſerentur.

22. *Vide igitur.*] Rem ipſam ob oculos ponendo clarius etiamnum ac luculentius confirmat, quam nulla Gentilibus ſit ſuperbiendi occaſio. Vident in Judæis divinæ ſeveritatis exemplum quod perterrefacere ipſos debet: in ſe vero habent gratiæ & bonitatis documentum, qua excitari debent ad ſolam gratitudinem, & ad Dominum efferendum, non ſeipſos. Hæc igitur verba perinde valent, acſi diceret, Si illorum calamitati inſultas, cogita primum quid fueris: eadem enim Dei ſeveritas tibi imminebat, niſi gratuita ejus lenitate ereptus eſſes. Deinde reputa quid nunc etiam ſis: non enim aliter tibi ſalus conſtabit, quam ſi Dei miſericordiam cum humilitate recognoſcas: quod ſi tui oblitus, inſolenter exultes, manet te eadem in quam prolapſi ſunt, ruina. Non enim ſatis eſt, Dei gratiam ſemel fuiſſe ampleaum, niſi perpetuo vitæ tenore, ejus vocationem proſequaris. De perſeverantia enim ſemper cogitandum eſt iis qui fuerunt à Domino illuminati: nam in bonitate Dei minime permanent, qui poſtquam aliquantum temporis reſponderunt Dei vocationi, tandem regnum cælorum faſtidire incipiunt: ſicque ſua ingratitudine merentur iterum excæcari. Porro non ſeorſum compellat unumquemque piorum (ut ante diximus) ſed Gentes cum Judæis ſimul comparat. Verum quidem eſt, ſingulos ex Judæis propriæ incredulitatis tuliſſe mercedem, quum abdicati ſunt à regno Dei; & quicunque ex Gentibus vocati ſunt, vaſa fuiſſe miſericordiæ Dei: ſed tenendum interea Pauli conſilium eſt. voluit enim Gentes ab æterno Dei fœdere pendere, ut cum electi populi ſalute ſuam conjungerent. Deinde ne Judæorum rejectio offendiculum pareret, acſi irrita eſſet vetus eorum adoptio: voluit pœnæ exemplo terreri, ut reverenter illud Dei judicium ſuſpicerent. Unde enim tanta curioſis diſputationibus licentia, niſi quod ea fere negligimus quæ ad humilitatem merito nos erudire debuerant? Quia autem de ſingulis electis non diſputat, ſed de toto corpore, additur conditio, *Si in lenitate permanſerint.* Fateor quidem, ſimulac Dei bonitate quiſpiam abutitur, dignum eſſe qui privetur oblata gratia: ſed improprie de aliquo piorum hoc ſpeciſliter dictum foret, Deum ejus miſertum eſſe quum eum elegit, ſi modo in miſericordia permaneat. Nam fidei perſeverantia, quæ effectum gratiæ Dei in nobis complet, ex electione ipſa manat. Gentes ergo Paulus aſcitas hac lege eſſe docet in ſpem vitæ æternæ, ut ejus poſſeſſionem ſua gratitudine retineant. Et certe horribilis quæ poſtea contigit totius mundi defectio, quam non ſupervacua fuerit admonitio hæc, luculente teſtatur. Nam quum Deus fere momento ſua gratia longe lateque irrigaſſet, ut floreret ubique religio: paulo poſt evanuit Euangelii veritas, & ablatus fuit ſalutis theſaurus. Unde autem tam ſubita mutatio, niſi quia Gentes à ſua vocatione exciderunt? *Alioqui tu quoque excideris.* Jam tenemus quo ſenſu nunc exciſionem iis minetur Paulus, quos jam prius per Dei electionem inſitos in ſpem vitæ confeſſus eſt. Primum enim, tametſi evenire hoc electis non poteſt, opus tamen habent tali exhortatione, ad domandam carnis ſuperbiam: quæ ut eſt revera contraria eorum ſaluti, ſic merito damnationis formidine terreri debet. Quatenus ergo illuminati ſunt fide Chriſtiani, audiunt ad certitudinem ſuam, ſine pœnitentia eſſe vocationem Dei: quatenus vero carnem circumferunt, quæ laſcivit contra Dei gratiam, hac voce ad humilitatem erudiuntur, Cave ne excidaris. Cæterum tenenda eſt quam adduxi ſolutio, Paulum hic non de ſpeciali cujuſque electione diſſerere, ſed opponere Gentibus Judæos; ideoque his verbis non tam electos alloqui, quam eos qui falſo gloriabantur ſe Judæorum locum occupaſſe. Imo ad Gentiles ſimul verba facit, & totum corpus in commune appellat, in quo multi erant titulo tenus duntaxat fideles & Chriſti membra. Quod ſi de ſingulis hominibus quæritur, qualiter ex inſitione excidi quis poſſit, & qualiter poſt exciſionem rurſum inſeri: propone tibi formam inſitionis triplicem, exſectionis duplicem. Inſeruntur enim fidelium liberi, quibus promiſſio ex pacto cum Patribus inito debetur: inſeruntur qui ſemen Euangelii in ſe quidem concipiunt, ſed quod radicem non ducit, vel ante ſuffocatur quam ad frugem perveniat: tertio loco inſeruntur electi, qui ſcilicet immutabili Dei propoſito illuminantur in vitam æternam. Primi exciduntur, ubi promiſſionem Patribus datam reſpuunt, vel alias ſua ingratitudine eam non ſuſcipiunt. Secundi, quum ſemen exareſcit & corrumpitur. cujus mali periculum quum omnibus immineat, quantum attinet ad ſuam naturam: fatendum eſt hanc admonitionem qua Paulus utitur, ad fideles aliquo modo pertinere, ne ſibi in carnis torpore indulgeant. Sed ad præſentem locum ſufficere nobis debet, eandem quam in Judæos vindictam Deus exercuerat Gentibus denunciari, ſi fuerint ſimiles.

23. *Potens enim eſt Deus.*] Frigidum apud homines profanos argumentum hoc foret. potentiam enim utcunque concedant Deo, quia tamen procul ſpeculantur quaſi cælo incluſam, effectu ſuo ut plurimum eam privant. At quia fideles, quoties Dei potentiam nominari audiunt, quaſi præſens opus intuentur: hanc rationem ſatis putavit valere ad percellendas eorum mentes. Adde quod axioma iſtud pro confeſſo ſumit, Deum ita ultum eſſe populi incredulitatem, ut tamen clementiæ ſuæ non fuerit oblitus: ſicuti alias ſæpe, poſtquam Judæos ſuo

regno

regno abdicaſſe viſus fuerat, iterum reſtituit. Et comparatione ſimul oſtendit, quanto facilius ſit præſentem rerum faciem inverti, quam fuerat conſtitui: nempe quanto facilius eſt ramos naturales, ſi in locum reponantur unde exſecti ſint, ſubſtantiam ducere à ſua radice, quam ſylveſtres & infrugiferos ab aliena. Ea enim proportio erat inter Judæos ac Gentes.

25. Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc (ut ne apud voſmetipſos ſuperbiatis) quod cæcitas ex parte Iſraëli contigit, donec plenitudo Gentium ingrediatur.
Jeſa. 59. 26. Atque ita univerſus Iſraël ſalvus fiet. quemadmodum ſcriptum eſt, Veniet ex
verſ. 20. Sion is qui liberat: & avertet impietates à Jacob.
Jer. 31. 27. Et hoc illis à me teſtamentum, quum abſtulero peccata eorum.
verſ. 33.
Hebr. 8.
verſ. 8.
& 10:16.

25. *Nolo vos ignorare.*] Erigit hic auditores ad majorem attentionem, dum ſe rem alioqui arcanam editurum profitetur. Neque id facit ſine cauſa: vult enim brevi & aperta ſententia hanc valde perplexam quæſtionem concludere: & tamen denunciat quod nemo unquam expectaſſet. Cauſalis autem particula, Ne apud vos ſuperbiatis, indicat quis ſit illi nunc propoſitus ſcopus: nempe ut Gentium inſolentiam compeſcat, ne contra Judæos efferantur. Porro non parum neceſſaria hæc admonitio fuit, ne defectio populi illius ultra modum infirmos turbaret, acſi perpetuo actum eſſet de omnium ſalute. Quanquam eadem hodie non minus nobis utilis eſt, ut ſciamus quaſi annulo obſignatam, latere reſidui numeri ſalutem, quem Dominus tandem ad ſe colliget. Quoties autem deſperationem nobis injicit longior mora, occurrat Myſterii nomen: quo Paulus clare admonet, converſionis modum non vulgarem neque uſitatum fore: ideoque perperam facere qui eum proprio ſenſu metiri tentabunt. Quid enim magis perverſum, quam incredibile ducere quod à ſenſu noſtro remotum eſt? quum ideo vocetur myſterium, quia incomprehenſibile eſt uſque ad tempus revelationis. Porro nobis, ſicut Romanis patefactum eſt, ut fides noſtra verbo contenta, expectatione nos ſuſtineat, donec effectus ipſe prodeat in lucem. *Quod cæcitas ex parte.* Dictionem Ex parte, neque ad tempus ſimpliciter, neque ad multitudinem puto ſpectare: ſed pro Quodammodo poſitam interpretor. qua particula voluiſſe mihi duntaxat videtur temperare verbum alioqui per ſe aſperum. Et Donec, non infert temporis progreſſum vel ordinem, ſed potius valet perinde acſi dictum foret, Ut plenitudo Gentium. Senſus ergo erit, Iſraëlem ita quodammodo excæcavit Deus, ut dum illi Euangelii lucem reſpuunt, ad Gentes transferatur: & illæ quaſi vacuam poſſeſſionem occupent. Itaque hæc cæcitas ſervit Dei providentiæ, ad peragendam quam deſtinaverat Gentium ſalutem. Et plenitudo Gentium pro ingenti concurſu accipitur. neque enim, ut ante acciderat, rari proſelyti tunc ſe ad Judæos aggregabant: ſed talis fuit mutatio, ut ſolidum fere Eccleſiæ corpus Gentes efficerent.

26. *Atque ita univerſus Iſraël.*] Multi accipiunt de populo Judaico, acſi Paulus diceret, inſtaurandam adhuc in eo religionem ut prius: ſed ego Iſraëlis nomen ad totum Dei populum extendo, hoc ſenſu, Quum Gentes ingreſſæ fuerint, ſimul & Judæi ex defectione ſe ad fidei obedientiam recipient: atque ita complebitur ſalus totius Iſraëlis Dei, quem ex utriſque colligi oportet: ſic tamen ut priorem locum Judæi obtineant, ceu in familia Dei primogeniti. Hæc interpretatio mihi convenientior ideo viſa eſt, quod Paulus hic conſummationem regni Chriſti deſignare voluit, quæ in Judæis minime terminatur, ſed totum orbem comprehendit. Et eodem modo ad Galatas cap. 6. v. 16. Iſraëlem Dei nuncupat Eccleſiam ex Judæis & Gentibus pariter compoſitam, populum ita ex diſſipatione collectum opponens carnalibus Abrahæ filiis, qui ab ejus fide deſciverant. *Quemadmodum.* Hoc Jeſaiæ teſtimonio non confirmat totam ſententiam, ſed alterum membrum duntaxat: nempe quod redemptionis participes ſint Abrahæ filii. Nam ſi quis accipiat, promiſſum illis & oblatum fuiſſe Chriſtum, ſed quia repudiarunt, ejus gratia fuiſſe privatos: plus exprimunt Prophetæ verba, nempe aliquem fore reſiduum numerum, qui poſtquam reſipuerit, liberationis gratia fruetur. Neque tamen citat Paulus ad verbum quod apud Jeſaiam legitur: Veniet, inquit, Redemptor Sioni, & qui reſipuerint ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Nec vero nos hac in re plus æquo anxios eſſe convenit. Hoc enim ſpectandum eſt, quam apposite ad ſuum inſtitutum accommodent Apoſtoli quaſcunque ex veteri Teſtamento probationes adducunt: quandoquidem neque aliud voluerunt ipſi quam digito indicare locos, ut lectores ad fontem ipſum dirigerent. Porro in hoc vaticinio tametſi liberatio ſpirituali Dei populo promittitur, ſub quo continentur & Gentes: quia tamen primogeniti ſunt Judæi, quod Propheta denunciat, in ipſis vel potiſſimum compleri oportuit. Nam & quod univerſum Dei populum Scriptura Iſraëlitas nominat, id tribuitur ejus gentis excellentiæ quam Deus aliis omnibus prætulit. Deinde nominatim Sioni venturum dicit qui redimet, antiqui fœderis intuitu. Addit etiam redemptum iri in Jacob qui à transgreſſione ſua reſipuerint: quibus verbis diſerte ſibi vendicat Deus aliquod ſemen, ut redemptio in electa & peculiari gente ſit efficax. Quanquam autem aptius ad propoſitum quadrabat loquutio qua utitur Propheta, *Veniet Sioni*: Paulo tamen religio non fuit translationem vulgo receptam ſequi, ubi dicitur Redemptor proditurus è monte Sion. Eadem eſt etiam ratio ſecundæ partis, *Avertet iniquitates à Jacob.* hoc enim tantum reſpicere ſatis habuit Paulus, quia Chriſti proprium munus eſt reconciliare Deo populum & apoſtatam & fœdifragum, certo ſperandam eſſe aliquam converſionem, ne omnes ſimul intereant.

27. *Hoc illis à me teſtamentum, quum abſtulero.*] Quanquam in proximo Jeſaiæ vaticinio breviter attigerat Paulus Meſſiæ officium, ut Judæos moneret quid maxime ab eo ſperandum foret, conſulto in eundem finem hæc pauca verba ex Jeremia adjecit. Neque enim legitur in priore loco quod accedat. pertinet hoc etiam ad cauſæ quam tractat confirmationem. Quod de populi converſione dixit, in tam obſtinata pervicacia videri poterat incredibile. Tollit igitur obſtaculum hoc, commemorans novum fœdus gratuita peccatorum remiſſione conſtare. Nam ex Prophetæ verbis colligitur, nihil fore Deo amplius negotii cum populo apoſtata, niſi quatenus tam perfidiæ crimen, quam alia ſcelera remittet.

28. Secundum Euangelium quidem inimici propter vos: ſecundum electionem vero dilecti propter Patres.
29. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.
30. Quemadmodum enim vos quoque increduli fuiſtis Deo, nunc autem miſericordiam eſtis conſequuti iſtorum incredulitate: 31. Sic

Digitized by Google

31. Sic & ii nunc increduli facti ſunt, eo quod adepti eſtis miſericordiam: ut ipſi quoque miſericordiam conſequantur.

32. Concluſit enim Deus omnes ſub incredulitate, ut omnium miſereatur.

28. *Secundum Euangelium.*] Quod in Judæis erat deterrimum, oſtendit non eo pertinere, ut ſint propterea Gentibus deſpicabiles. Summum in illis crimen erat incredulitas. Paulus autem docet ita fuiſſe ad tempus Dei providentia excæcatos, ut via Euangelio ad Gentes ſterneretur: cæterum non eſſe in perpetuum à Dei gratia excluſos. Fatetur ergo in præſentia eſſe alienatos à Deo, Euangelii occaſione, ut hac ratione ad Gentes perveniret quæ prius apud ipſos depoſita fuerat ſalus: Deum tamen non eſſe immemorem fœderis quod cum Patribus eorum pepigit, & quo teſtatus eſt ſe æterno conſilio gentem illam dilectione complexum eſſe. atque id egregia ſententia confirmat, quod hæc gratia divinæ vocationis irrita eſſe nequeat. Hoc enim ſibi volunt hæc verba, Dona & vocatio Dei ſine pœnitentia ſunt. Dona & Vocationem poſuit per hypallagen pro Beneficio vocationis: neque etiam de qualibet vocatione intelligi hoc debet, ſed de illa qua poſteros Abrahæ in fœdus adoptavit Deus: quando de hac ſpecialiter erat inſtituta diſputatio. ſicuti nomine Electionis paulo ante arcanum Dei conſilium notavit, quo Judæi olim à Gentibus diſcreti fuerunt. Tenendum eſt enim, non de privata cujuſque electione nunc tractari, ſed de communi adoptione totius gentis, quæ externa ſpecie collapſa videri potuit ad tempus, ſed à radice exciſa non fuit. Quia exciderant ſuo jure & ſalute ſibi promiſſa Judæi, ut ſpes aliqua de reliquiis maneat, contendit Paulus firmum & immutabile ſtare Dei conſilium, quo ſemel ſibi illos in gentem peculiarem eligere dignatus eſt. Si ergo fieri non poteſt ullo modo ut Dominus
Gen. 17. verſ. 7. à pacto illo diſcedat quod cum Abrahamo ſancivit, Ero ſeminis tui Deus: benevolentiam ſuam à Gente Judaica non prorſus avertit. Euangelium non opponit electioni, quaſi inter ſe diſſideant: quos enim elegit Deus, vocat: ſed quia repente præter mundi expectationem publicatum erat Euangelium Gentibus, merito hanc gratiam cum antiqua Judæorum electione confert, quæ tot ante ſeculis manifeſtata fuerat. Electio itaque à vetuſtate nuncupatur, quia Deus præterito reliquo orbe populum unum ſibi delegerat. *Propter Patres* dicit, non quod dilectioni cauſam dederint, ſed quoniam ab illis propagata fuerat Dei gratia ad poſteros, ſecundum pacti formam, Deus tuus & ſeminis tui. Quomodo miſericordiam Gentes obtinuerint Judæorum incredulitate, prius dictum eſt: nempe Deus Judæis infeſtus ob infidelitatem, benevolentiam ad eas ſuam convertit. Quod continuo poſt additur, incredulos fuiſſe redditos, miſericordia Gentibus exhibita, paulo aſperius eſt: nihil tamen continet abſurdi, quia Paulus excæcationis cauſam non aſſignat, ſed tantum ſignificat quod ad Gentes tranſtulit Deus, Judæis fuiſſe ademptum. Porro quod illi ſua incredulitate perdiderant, ne putarent Gentes fidei ſuæ merito ſe adeptos, tantum miſericordiæ fit mentio. Summa igitur eſt, Quia Gentium miſereri voluit Deus, hac occaſione Judæos fidei luce privatos eſſe.

32. *Concluſit enim Deus.*] Pulcherrima clauſula, qua oſtendit non eſſe cur de aliis deſperent, qui ſpem aliquam habent ſalutis. Quicquid enim nunc ſunt, fuerunt ut alii omnes. ſi ſola Dei miſericordia ex incredulitate emerſerunt, ei debent locum etiam apud alios relinquere. Nam Judæos in reatu facit Gentibus æquales, ut intelligant utrique, alteris non minus quam ſibi patere aditum ad ſalutem. Una enim eſt Dei miſericordia quæ ſervat: ea autem ſe utriſque offerre poteſt. Reſpondet igitur hæc ſententia teſtimonio Oſeæ, quod ſuperius citavit, *Supra, 9. verſ. 25.*
Vocabo plebem meam non plebem meam. Porro non intelligit Deum ita excæcare omnes homines, ut ſit illi imputanda eorum incredulitas: ſed ita ſua providentia diſpenſaſſe, ut omnes incredulitatis rei eſſent, quo eos haberet judicio ſuo obnoxios: atque in hunc quidem finem, ut ſalus à ſola ſua bonitate eſſet, ſepultis meritis omnibus. Duo igitur hic intendit Paulus, Nihil eſſe in quoquam homine, cujus merito aliis præferatur, præter meram Dei gratiam: Deum vero in gratiæ ſuæ diſpenſatione non impediri, quo minus eam quibus voluerit largiatur. Emphaſis eſt in verbo Miſereri. Significat enim nullis obſtrictum eſſe Deum, atque ideo gratis ſervare omnes, quia ſint ex æquo perditi. Porro nimis craſſe delirant, qui hinc colligunt omnes fore ſalvos. Paulus enim ſimpliciter intelligit, tam Judæos quam Gentes, non aliunde quam ex Dei miſericordia ſalutem conſequi: ne cui conquerendi materiam relinquat. Certum quidem eſt, omnibus indifferenter expoſitam eſſe hanc miſericordiam, ſed qui eam fide quæſierint.

33. O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ipſius!

34. Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis illi à conſiliis fuit? *Jeſa. 40. verſ. 13.*

35. Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? *Sap. 9: 13.*

36. Quoniam ex illo, & per illum, & in illum ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula. Amen. *1 Cor. 2. verſ. 16.*

33. *O profunditatem.*] Hic primo erumpit Apoſtolus in vocem quæ ex pia operum Dei conſideratione apud fideles ſponte naſcitur. Deinde cohibet obiter audaciam impietatis quæ Dei judiciis obſtrepere ſolet. Quum ergo audimus, O profunditatem, dici non poteſt quantum valere debeat hæc admiratio ad retundendam carnis temeritatem. Poſtquam enim ex verbo ac Spiritu Domini diſputavit, tanti demum arcani ſublimitate victus, nihil poteſt quam obſtupeſcere & exclamare, divitias iſtas ſapientiæ Dei profundiores eſſe, quam ut ad eas noſtra ratio penetrare queat. Si quando igitur ingredimur in ſermonem de æternis Dei conſiliis, frenum iſtud & ingenio & linguæ ſemper injectum ſit, ut quum ſobrie & intra verbi Dei fines loquuti fuerimus, diſputatio tandem noſtra exeat in ſtuporem. Neque enim pudere nos debet, ſi non ſapimus ſupra eum qui in tertium uſque cælum raptus, viderat myſteria homini ineffabilia: neque tamen alium hic finem reperire poterat, quam ut ſe ita humiliaret. Quod quidam ita reſolvunt Pauli verba, O profundas divitias & ſapientiam & cognitionem Dei: acſi nomen βάθος pro communi epitheto poſitum eſſet, divitiaſque exponunt liberalitatem: mihi videtur coactum. Itaque non dubito quin profundas ſapientiæ & cognitionis divitias in Deo extollat. *Quam incomprehenſibilia.* Diverſis verbis, per geminationem Hebræis familiarem, rem eandem exprimit. Nam de Judiciis loquutus, Vias adjungit pro Inſtitutis vel ratione agendi, vel gubernationis ordine. Adhuc autem perſiſtit in ſua exclamatione: in qua quo magis attollit divini arcani altitudinem, eo nos magis ab inveſtigandi curioſitate deterret. Diſcamus ergo nihil de Domino inquirere,

niſi

Digitized by Google

niſi quantum per Scripturas revelavit: quia alioqui in labyrinthum ingredimur, unde non facilis erit receptus. Notandum enim eſt, non de quibuslibet Dei myſteriis hic agi, ſed quæ apud ſe recondita, vult tantum à nobis ſuſpici & adorari.

34. *Quis enim cognovit mentem Domini?*] Hic incipit quaſi injecta manu cohibere hominum audaciam, ne adverſus Dei judicia obmurmurent. Id autem duabus rationibus facit. Prior eſt, quod omnes mortales ad Dei prædeſtinationem proprio ſenſu conſiderandam prorſus cæcutiunt: de re autem incognita nonniſi temere ac perperam diſputari poteſt. Altera, quod nulla eſſe poteſt nobis cauſa de Deo conquerendi, quando nemo eſt mortalium qui jactare queat eum ſibi eſſe debitorem: contra vero omnes ejus benignitati ſunt obnoxii. Hoc itaque clauſtro meminerit unuſquiſquè mentem ſuam continere, ne in prædeſtinationis inveſtigatione ſupra Dei oracula evehatur: dum audimus nihil hic diſcernere plus hominem poſſe, quam cæcum in tenebris. quod tamen minime pertinet ad labefactandam fidei certitudinem, quæ non ab humani ſenſus acumine naſcitur, ſed à ſola Spiritus illuſtratione. Nam & Paulus ipſe alibi, poſtquam teſtatus erat omnia Dei myſteria ingenii noſtri captum longe excedere, mox tamen ſubjicit fideles tenere mentem Domini: quia non ſpiritum hujus mundi acceperint, ſed à Deo ſibi datum; per quem de incomprehenſibili alioqui ejus bonitate edocentur. Ergo ut minime noſtra ipſorum facultate ad percontanda Dei arcana pervenire poſſumus, ita Spiritus ſancti gratia in certam ac liquidam eorum cognitionem admittimur. Jam ſi præeuntem Spiritum ſequi oportet; ubi ille nos deſtituit, illic reſiſtendum eſt, & veluti figendus gradus: ſiquis plus agnoſcere affectet quam ille revelarit, immenſo lucis illius inacceſſæ fulgore opprimetur. Tenenda vero eſt, quam nuper attuli, diſtinctio inter arcanum Dei conſilium & voluntatem in Scriptura patefactam. Quamvis enim tota Scripturæ doctrina, hominis ingenium altitudine ſua ſuperet, non tamen ad eam præcluditur acceſſus fidelibus, qui reverenter & ſobrie Spiritum ſequuntur ducem. ſed alia eſt arcani conſilii ratio, cujus profunditas & altitudo percontando attingi nequit.

35. *Quis prior dedit ei*, &c.] Altera ratio, qua Dei juſtitia validiſſime adverſus omnes impiorum criminationes defenditur. Nam ſi nemo illum ſuis meritis obſtrictum ſibi habet, nullus cum eo expoſtulare jure poteſt, quod remunerationem non accipiat. Qui enim aliquem ad bene ſibi faciendum cogere vult, eum ſua officia, quibus ita de ipſo meritus ſit, proferre neceſſe eſt. Hic ergo Pauli verbis ineſt ſenſus, Non aliter inſimulari injuſtitiæ poteſt Deus, quam ſi dicatur non reddere cuique quod ſuum eſt. Conſtat autem neminem jure ſuo ab eo fraudari, quando nemini eſt obnoxius. quis enim opus aliquod ſuum jactare poteſt, quo ejus gratiam ſit promeritus? Eſt autem notabilis hic locus, quo docemur non eſſe noſtræ facultatis, Deum noſtris benefactis ad conferendam nobis ſalutem provocare: ſed illum gratuita bonitate immerentes prævenire. non enim tantum quid facere ſoleant homines, ſed quid omnino valeant, demonſtrat. Quod ſi probe excutere nos voluerimus, non modo reperiemus Deum nequaquam eſſe nobis debitorem, ſed nos ad unum omnes eſſe illius judicio obnoxios: non modo nullam ab eo gratiam promeritos, ſed æterna morte pluſquam dignos eſſe. Nec vero tantum corruptæ & vitioſæ naturæ reſpectu Deum nihil nobis debere Paulus colligit: ſed ſi integer eſſet homo, negat tamen quicquam afferre coram Deo poſſe, quo ſibi gratiam conciliet: quia ſimulatque eſſe incipit, jam ipſo creationis jure ita eſt opifici ſuo addictus, ut nihil proprium habeat. Fruſtra ergo jus ei ſuum eripere tentabimus, ne libere, prout viſum fuerit, de ſuis figmentis ſtatuat, acſi mutua eſſet accepti & expenſi ratio.

36. *Quoniam ex illo, & per illum.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ. Multum abeſſe oſtendit, ut poſſimus ullo proprio bono gloriari adverſus Deum, quum ipſi ab eo ſimus ex nihilo creati, & in ipſo nunc conſiſtat noſtrum eſſe. inde æquum eſſe colligit ut in ejus gloriam dirigatur. Quam enim præpoſterum eſſet, quas ipſe finxit creaturas, & quas conſervat, alio quam ad illuſtrandam ejus gloriam referri? Non me fugit particulam εἰς αὐτὸν, pro ἐν αὐτῷ interdum accipi, ſed abuſive. Quum autem proprius ſignificatus magis præſenti argumento quadret, eum retinere præſtat quam ad improprietatem confugere. Summa eſt, Præpoſtere everti totum naturæ ordinem, niſi Deus, qui principium eſt rerum omnium, idem etiam ſit finis. *Ipſi gloria.* Propoſitionem velut probatam, nunc confidenter pro indubia aſſumit, quod ſcilicet ubique ſua Domino gloria immobilis manere debeat. Frigida enim erit ſententia, ſi eam generaliter accipias: ſed emphaſis à circumſtantia loci pendet, Deum ſibi jure vendicare merum imperium, & in ſtatu humani generis ac totius mundi nihil extra ejus gloriam quærendum eſſe. Unde ſequitur, abſurdas ac ratione alienas, imo inſanas eſſe cogitationes quæcunque ad detrectandam ejus gloriam vergunt.

CAP. XII.

OBſecro itaque vos, fratres, per miſerationes Dei, ut ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, acceptam Deo, rationabilem cultum veſtrum.

2. Et ne conformetis vos huic mundo: ſed transfiguremini renovatione mentis veſtræ: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & placita, & perfecta.

Poſtquam ea tractavit Paulus, unde neceſſe erat in regno Dei erigendo incipere, ab uno Deo petendam juſtitiam, ab unica ejus miſericordia ſalutem nobis inquirendam, in ſolo Chriſto poſitam nobis eſſe bonorum omnium ſummam, & quotidie proponi: nunc optimo ordine tranſit ad formandos mores. Siquidem ſalvifica illa Dei Chriſtique cognitione, anima quaſi regeneratur in cæleſtem vitam: ſanctis autem exhortationibus ac præceptis vita ipſa quodammodo formatur & conſtituitur. Fruſtra enim componendæ vitæ ſtudium oſtendas, niſi prius omnis juſtitiæ originem hominibus in Deo & Chriſto eſſe oſtenderis: quod eſt ipſos à mortuis excitare. Atque hoc præcipuum eſt Euangelii & Philoſophiæ diſcrimen. Quamvis enim ſplendide & cum magna ingenii laude Philoſophi de moribus diſſerant: quicquid tamen ornatus refulget in eorum præceptis, perinde eſt ac præclara ſuperficies ædificii ſine fundamento: quia omiſſis principiis mutilam doctrinam non ſecus ac corpus capite truncatum proponunt. Nec multum abſimilis eſt docendi ratio in Papatu. etſi enim obiter verba faciunt de Chriſti fide, ac Spiritus ſancti gratia, palam tamen apparet quanto propius ad profanos Philoſophos, quam ad Chriſtum ejuſque Apoſtolos accedant. Quemadmodum autem Philoſophi priuſquam leges ferant de moribus, de fine boni diſſerunt, & fontes virtutum inquirunt, è quibus poſtea omnia officia eruant ac derivent: ita hic principium ſtatuit, è quo omnes ſanctitatis partes deſluunt: nos ſcilicet in

hunc

hunc finem à Domino eſſe redemptos, ut conſecremus illi noſipſos & omnia membra noſtra. Sed ſingula expendere operæpretium eſt.

1. *Obſecro vos per miſerationes Dei.*] Scimus impuros homines quicquid de immenſa Dei bonitate in Scriptura proponitur, ad carnis licentiam cupide arripere. Rurſum hypocritæ, quaſi Dei gratia extinguat pie vivendi ſtudium, ac peccandi audaciæ januam aperiat, ejus notitiam maligne quantum in ſe eſt obſcurant. Atqui docet hæc conteſtatio, donec probe teneant homines quantum debeant miſericordiæ Dei: nunquam ſerio affectu eum colere, nec ſatis acriter ad ejus timorem & obedientiam ſtimulari. Papiſtis ſatis eſt ſi coactum neſcio quod obſequium terrendo extorqueant. Paulus autem ut Deo nos non ſervili metu, ſed voluntario hilarique juſtitiæ amore devinciat, ejus gratiæ qua continetur noſtra ſalus, dulcedine nos allicit: ſimulque ingratitudinem exprobrat, niſi tam benignum ac liberalem Patrem experti, viciſſim nos ei totos dicare ſtudemus. Atque eo plus efficaciæ habet Paulus dum ſic exhortatur, quo alios omnes magis antecellit in gratia Dei illuſtranda. Cor enim pluſquam ferreum eſſe oportet, quod ea quam ſuperius poſuit, doctrina non accendatur in amorem Dei, cujus tam effuſam in ſe benignitatem ſentiat. Ubi ergo ſunt qui omnes ad vitæ probitatem exhortationes ſublatas putant, ſi in ſola Dei gratia hominum ſalus ponitur: quum nullis præceptis, nullis ſanctionibus ſic pia mens ad obſequium Dei formetur, ut ſeria divinæ in ſe bonitatis meditatione? Simul hic Apoſtolici ſpiritus lenitatem videre eſt, quod admonitionibus & amicis obſecrationibus quam rigidis juſſis agere maluit apud fideles: quia hac via ſe plus noverat inter dociles profecturum. *Ut ſiſtatis corpora veſtra.* Hoc ergo principium recti ad bona opera curſus eſt, ſi intelligamus nos eſſe Domino conſecratos. inde enim ſequitur, ut vivere nobis deſinamus, quo omnes vitæ actiones deſtinemus in ejus obſequium. Itaque duo ſunt hic conſideranda. Primum nos eſſe Domini: deinde eo ipſo ſacros eſſe oportere, quia hoc Dei ſanctitate indignum eſt, ut illi quippiam offeratur non prius conſecratum. Hoc poſito, ſimul ſequitur, ſanctitatem tota vita eſſe meditandam: nec ſpecie ſacrilegii carere, ſi ad immunditiem relabimur: quoniam id nihil aliud eſt quam rem ſanctificatam profanare. Ubique autem ſervatur magna verborum proprietas. Principio dicit, Corpus noſtrum oportere offerri in ſacrificium Deo: quo inſinuat nos jam non eſſe noſtri juris, ſed penitus in Dei poteſtatem tranſiiſſe. quod aliter fieri non poteſt, niſi ut nobis renunciemus, atque adeo nos abnegemus. Adjunctis deinde epithetis declarat quale oporteat eſſe illud ſacrificium. *Vivum* enim appellans, ſignificat ea lege nos Domino immolari, ut mactata in nobis priore vita, in vitam novam excitemur. In nomine *ſanctitatis* notat illud de quo diximus, ſacrificii proprium: tum enim demum rata eſt hoſtia, ubi ſanctificatio præceſſit. Tertium epithetum, quum rite compoſitam eſſe vitam admonet, ubi hanc noſtri immolationem ad Domini placitum dirigimus: tum raram conſolationem nobis adfert, quod docet gratum acceptumque Deo eſſe noſtrum ſtudium, ubi nos innocentiæ ac ſanctitati devovemus. Corpora autem non vocat oſſa tantum & cutem, ſed totam maſſam qua conſtamus: & eo quidem nomine uſus eſt, quo melius deſignaret omnes noſtri partes per ſynecdochen. Nam membra corporis ſunt exequendis actionibus inſtrumenta. alioqui requirit à nobis integritatem non corporis modo, ſed animæ quoque & ſpiritus, ut primæ Theſſal. 5. v. 23. Quod jubet nos ſiſtere, in eo alluſio quidem eſt ad Moſaica ſacrificia, quæ ad altare tanquam in Dei conſpectum exhibebantur: ſed tamen eleganter oſtendit quam promptitudinem afferre debeamus ad excipienda Dei juſſa, quo illis ſine mora obſequamur. Unde colligimus nihil quam miſere errare & vagari cunctos mortales, quibus non eſt propoſitum Deum colere. Jam etiam habemus quæ ſacrificia commendet Paulus Chriſtianæ Eccleſiæ. unico enim ſacrificio per Chriſtum Deo reconciliati, ipſius gratia facti ſumus omnes ſacerdotes, ad nos noſtraque omnia Dei gloriæ dedicanda. Sacrificium expiationis nullum relinquitur, neque erigi poteſt, ſine inſigni crucis Chriſti contumelia. *Rationabilem cultum veſtrum.* Ego hanc particulam additam exiſtimo, quo præcedentia melius applicaret ac confirmaret; acſi dictum eſſet, Exhibete vos in ſacrificium Deo, ſi Deum colere in animo habetis. nam hic eſt legitimus colendi Dei ritus, à quo qui diſcedunt, perverſi ſunt cultores. Quod ſi tum demum rite colitur Deus ubi ad ejus præſcriptum facta omnia noſtra exigimus, faceſſant omnes commentitii cultus, quos ipſe merito abominatur, quando pluris illi obedientia eſt quam victimæ. Arrident quidem hominibus ſua inventa, inanemque ſapientiæ ſpeciem (ut alibi dicit Paulus) oſtentant: ſed audimus quid ex oppoſito pronunciet cæleſtis Judex per os Pauli. Cultum enim rationabilem vocando, quem ipſe præcepit, quæcunque tentamus præter verbi ejus regulam, ut ſtulta, inſipida, & temere ſuſcepta repudiat.

2. *Et ne conformetis vos huic mundo.*] Vocabulum Mundi quum multas habeat ſignificationes, hic pro hominum ingenio ac more capitur, cui non ſine cauſa conformari nos vetat. nam quum totus mundus in maligno ſit poſitus, nos exuere convenit quicquid habemus hominis, ſi volumus Chriſtum vere induere. Ac ne id dubium ſit, ipſe exponit per contrarium, ubi jubet nos in novitatem mentis transfigurari. Uſitatæ enim ſunt Scripturis iſtæ antitheſes, quibus res clarius exprimitur. Hic autem attende, quæ innovatio à nobis requiratur: nempe non carnis tantum, qualiter hoc nomen interpretantur Sorbonici, pro inferiore ſcilicet animæ parte: ſed mentis, quæ pars eſt noſtri excellentiſſima, & cui principatum attribuunt Philoſophi. Vocant enim ἡγεμονικὸν, & ratio fingitur eſſe ſapientiſſima regina. Verum eam Paulus ex ſolio deturbat, adeoque in nihilum redigit, dum nos mente renovandos docet. Utcunque enim nobis blandiamur, vera tamen eſt illa Chriſti ſententia, Oportere renaſci totum hominem qui velit ingredi in regnum Dei: quandoquidem & mente & corde à Dei juſtitia ſumus penitus alieni. *Ut probetis quæ ſit voluntas.* Hic finem habes cur novam mentem induere nos oporteat, ut ſcilicet noſtris & omnium hominum conſiliis deſideriiſque valere juſſis, in unam Dei voluntatem, cujus intelligentia vera eſt ſapientia, intenti ſimus. Quod ſi ad hoc neceſſaria eſt mentis noſtræ innovatio, ut probemus quæ ſit voluntas Dei: hinc apparet quantopere ipſa Deo adverſetur. Quæ addita ſunt epitheta, ad ejus commendationem pertinent, quo majori alacritate ad ipſam contendamus. Et certe ut in ordinem cogatur noſtra pervicacia, ſolidam juſtitiæ & perfectionis laudem voluntati Dei aſſeri neceſſe eſt. Mundus quæ ipſe fabricavit opera ſibi perſuadet bona eſſe: reclamat Paulus ex Dei mandatis æſtimandum eſſe quid bonum ſit ac rectum. Mundus in ſuis commentis ſibi plaudit ac delicias facit: Paulus autem affirmat, Deo non aliud placere niſi quod mandavit. Mundus ut perfectionem inveniat, à verbo Dei ad novas inventiones delabitur: Paulus in Dei voluntate perfectionem ſtatuens, ſi quis hanc metam tranſgreditur, falſa imaginatione deludi oſtendit.

3. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, cuilibet veſtrum, ne ſupra modum ſapiat præter id quod oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem: ſicuti unicuique diſtribuit Deus menſuram fidei.

3. *Dico enim per gratiam* &c.] Si particulam rationalem non eſſe ſupervacuam putes, non male cohærebit hæc ſententia cum ſuperiori. Quandoquidem enim jam totum ſtudium noſtrum poſitum eſſe voluit in veſtiganda Dei voluntate, proximum erat ut nos ab inani curioſitate abſtraheret. Quum tamen rationalis particula ſæpe apud Paulum abundet, potes & pro ſimplici affirmatione capere: nam & ſenſus ſic optime cooſtabit. Cæterum anteqnam præcipiat, auctoritatem ſibi datam commemorat, ut non aliter ſuæ quam Dei ipſius voci auſcultent. Tantundem enim valent ejus verba acſi dixiſſet, Noo loquor à me ipſo: ſed legatus Dei, quæ mihi mandata ille iojunxit, ad vos perfero. Gratiam (ut prius) vocat Apoſtolatum, quo Dei bonitatem in eo commendet, ac ſimul ionuat ſe non irrupiſſe propria temeritate, ſed Dei vocatione aſſumptum. Ergo ita præfando, auctoritatem ſibi comparans, Romanos parendi neceſſitate obſtringit, niſi Deum in miniſtri ſui perſona velint contemnere. Præceptum deinde ſequitur, quo & nos retrahit ab earum rerum inveſtigatione, quæ nibil quam tormentum ingeniis afferre queant, nullam vero ædificationem: & prohibet ne ſibi quis plus ſumat, quam ferat captus & vocatio: ſimulque admonet ut ea tantum cogitemus ac meditemur, quæ nos ſobrios & modeſtos reddere poteruot. Sic enim intelligere malo, quam ſecundum, quod Eraſmus vertit, Ne quis ſuperbe de ſe ſeotiat: quia & hic ſenſus eſt aliquanto à verbis remotior, & ille melius quadrat orationis cootextui. Particula iſta, *præter id quod oportet ſapere*, declarat quid in priore vocabulo ὑπερφρονεῖν voluerit: nos ſcil. modum ſapiendi excedero, ſi io iis de quibus non eſſe ſollicitos convenit, nos occupamus. Ad ſobrietatem vero ſapere, eſt iis ſtudiis intentum eſſe quibus ad modeſtiam inſtitui te ac erudiri ſentias. *Unicuique ut diviſit Deus.* Anaſtrophe, ſeu vocum inverſio, pro Quemadmodum unicuique. atque bic quidem exprimitur ratio illius ſobriæ ſapientiæ quam commemorat. Quando enim diſtributio gratiarum varia eſt, ita ſibi optimum quiſque ſapiendi modum ſtatuit, dum ſe intra collatam ſibi à Domino fidei gratiam continet. Ergo ſuperflua ſapiendi affectatio non eſt modo in rebus ſuperfluis ac cognitu inutilibus: ſed etiam in iis quarum utilis alioqui eſt intelligentia: ubi non reſpicimus quid nobis datum ſit, ſed temeritate atque audacia menſuram intelligentiæ excedimus. quam importunitatem inultam non ſinit Deus: videre enim eſt ut plurimum quibus deliriis circumferantur qui ſe ſtulta ambitione ultra conſtitutos ſibi fines efferuot. Summa eſt, Hanc rationalis noſtri ſacrificii partem eſſe, ubi ſe quiſque manſueto ac docili ſpiritu regendum ac flectendum Deo præbet. Porro quum fidem bumano judicio opponens, nos à placitis noſtris cohibeat, menſuram ſimul conſulto adjungit, ut ſe bumiliter contineant fideles io ſuo quoque defectu.

4. Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra vero omnia non eandem habent actionem:

5. Sic multi unum ſumus corpus in Chriſto, membra mutuo alter alterius.

6. Habentes autem dona ſecundum gratiam nobis datam, differentia: ſive prophetiam, ſecundum analogiam fidei:

7. Sive miniſterium, in miniſterio: ſive qui docet, in doctrina:

8. Sive qui exhortatur, in exhortatione: ſive qui largitur, in ſimplicitate: ſive qui præeſt, in ſtudio: ſive qui miſeretur in hilaritate.

4. *Quemadmodum enim.*] Jam illud ipſum quod de limitanda ſecundum fidei menſuram cujuſque ſapientia poſuerat, ab omnium fidelium vocatione confirmat. Vocati enim ſumus hac lege, ut tanquam in unum corpus coaleſcamus: quandoquidem eam quæ eſt ioter bumani corporis membra ſocietatem ac connexionem inter omnes ſuos fideles ioſtituit Chriſtus: & quia in tantam unitatem per ſe homines convenire non poterant, illius conjunctioois vinculum ipſe factus eſt. Quia ergo quæ in corpore humano viſitur ratio, in fidelium quoque ſocietate eſſe debet: ea ſimilitudine adhibita probat quam neceſſarium ſit ſingulos cooſiderara quid ſuæ naturæ, quid captui, quid vocationi conveniat. Porro hæc ſimilitudo quum varias babeat partes, præcipue boc modo ad præſentem cauſam eſt applicanda: quod ut diſtinctas babent facultates membra unius corporis, diſtinctaque omnia, nullum vero membrum aut omnes ſimul facultates tenet, aut aliorum munera ad ſe trabit: ſic & nobis varias diſpenſavit dotes Deus, qua diſcretione qnem inter nos ordinem ſervari volebat, inſtituit: ut ſecundum facultatis ſuæ modum ſibi quiſque temperet, neque in alienas ſe ingerat partes: neque unus omnia ſimul habere expetat, ſed ſorte ſua contentus, libenter ab alienis vicibus uſurpandis abſtineat. Quum tamen diſertis verbis notat communionem quæ inter nos eſt, ſimul etiam innuit quantum ſtudium eſſe debeat in commune corporis bonum conferendi quas ſinguli obtinent facultates.

6. *Habentes dona ſecundum.*] Non ſimpliciter de fovendo inter nos fraterno amore nunc concionatur Paulus: ſed modeſtiam commendat, quæ optimum nobis eſt temperamentum totius vitæ. Cupit ſibi quiſque tantum ſuppetere, ut nulla fratrum ope indigeat. atqui boc mutuæ communicationis vinculum eſt, dum ſibi nullus ſufficit, ſed ab aliis mutuari cogitur. Fateor ergo non aliter conſtare piorum ſocietatem, niſi dum ſua quiſque menſura contentus, fratribus impertit quæ accepit dona, & viciſſim alienis doois juvari ſe patitur. Sed Paulus in primis retundere voluit quam ſciebat hominibus ingenitam eſſe ſuperbiam: ac ne quiſque ægre ferat non omnia ſibi data eſſe, admonet non ſine optimo Dei conſilio ſingulis diſtributas eſſe ſuas partes: quia ad communem corporis ſalutem expediat, neminem donorum plenitudine ſic eſſe inſtructum, ut fratres ſuos impune ſpernat. Hic ergo præcipuum habemus ſcopum quo tendit Apoſtolus, non omnia omnibus convenire, ſed ita eſſe diſtributa Dei dona, ut finitam ſinguli portiooem habeant: atque ſuis donis in Eccleſiæ ædificationem conferendis ſic oportere intentos eſſe ſingulos, ut nemo derelicta ſua functione io alienam tranſeat. Hoc enim pulcherrimo ordine, & bac veluti ſymmetria, incolumitas Eccleſiæ continetur: ubi pro ſe quiſque io commune ſic confert quod à Domino accepit, ut alios non impediat. Hunc ordinem qui pervertit, cum Deo pugnat, cujus ordinatione eſt inſtitutus. Differentia enim donorum non ab hominum placito nata eſt, ſed quia in eum modum gratiam ſuam diſpenſare Domino viſum eſt. *Sive prophetiam.* Nunc ſpecies quaſdam in exemplum proferendo, demonſtrat quomodo in ſua quiſque facultate, veluti io ſtatione conſervanda, occupari debeat. Siquidem ſuos ſingula dona fines propoſitos habent, à quibus declinare, eſt dona ipſa corrumpere. Quod autem oratio eſt aliquantulum perturbata, ſic poterimus contexere, ut binc concluſio incipiat, Qui ergo prophetiam habet, eam exigat ad analogiam fidei: qui miniſterium, eo utatur ad docendum, &c. Hunc ſcopum qui intuebuntur, intra ſuos fines ſe rite continebunt. Cæterum locus hic varie accipitur. ſunt enim qui prophetiam intelli-

telligunt divinandi facultatem, quæ circa Euangelii primordia in Eccleſia vigebat: ut Dominus regni ſui dignitatem atque excellentiam modis omnibus tunc commendare voluit. Et quod additur, *Secundum analogiam fidei*, referendum ad omnia membra putant. Ego vero eos ſequi malo qui latius extendunt hoc nomen ad peculiare revelationis donum, ut quis dextre ac perite in voluntate Dei enarranda munus interpretis obeat. Itaque prophetia hodie in Chriſtiana Eccleſia nihil fere aliud eſt quam recta Scripturæ intelligentia, & ſingularis ejus explicandæ facultas, ex quo veteres prophetiæ omnes, & omnia Dei oracula in Chriſto & Euangelio ipſius ſunt conclusa. Hoc enim ſenſu poſuit Paulus, quum diceret,
1 Cor. 14. vers. 5. Volo vos linguis loqui: magis autem ut prophetetis.
1 Cor. 13. vers. 19. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Neque vero apparet, Paulum hic admirabiles tantum gratias illas recenſere voluiſſe, quibus Euangelium ſuum principio nobilitavit Chriſtus: quin potius videmus ordinarias tantum dotes, & quæ perpetuo in Eccleſia manent, referri. Neque mihi etiam ſatis ſolida videtur ratio quæ objicitur, fruſtra id dictum fuiſſe Apoſtolum iis qui per Spiritum Dei non poterant Chriſtum dicere anathema. Nam quum
1 Cor. 14. vers. 32. alibi teſtetur, ſpiritum Prophetæ Prophetis eſſe ſubjectum: & jubeat priorem qui loquebatur, tacere, ſi cui ſedenti revelatum fuerit: eadem ratione admonere hic poteſt eos qui in Eccleſia prophetant, quo ſuas prophetias ad fidei normam conforment, necubi aberrent à linea. *Fidei* nomine ſignificat prima religionis axiomata, quibus quæcunque doctrina deprehenſa fuerit non reſpondere, falſitatis convincetur. In reliquis membris minus difficultatis ineſt. Qui miniſter eſt ordinatus, inquit, miniſtrando munus ſuum exequatur: nec ſibi, ſed aliis in eum gradum ſe aſſumptum putet: acſi diceret, Munus ſuum impleat vere miniſtrando, ut ſuo titulo reſpondeat. Sicuti mox doctoribus ſub nomine Doctrinæ ſolidam ædificationem commendat, hoc ſenſu, Qui doctrina pollet, ejus finem eſſe ſciat ut Eccleſia vere erudiatur: atque id unum meditetur, ut Eccleſiam reddat ſua doctrina doctiorem. Doctor enim eſt qui Eccleſiam verbo veritatis format & inſtituit, qui exhortandi virtute pollet, finem hunc reſpiciat ut efficaciter hortetur. Habent autem iſta officia multam inter ſe affinitatem atque etiam connexionem: non tamen ideo deſinunt varia eſſe. Exhortari quidem nemo poteſt, niſi cum doctrina: non tamen is qui docet, protinus exhortandi dote præditus eſt. Jam nemo prophetat, vel docet, vel exhortatur, quin miniſtret: ſed ſatis eſt ſi eam ſervemus diſtinctionem quam & in Dei donis conſpicimus, & aptam cognoſcimus Eccleſiaſtico ordini.

8. *Qui largitur in ſimplicitate.*] Ex iſtis poſterioribus membris clare perſpicimus, hic nobis demonſtrari quis ſit legitimus donorum Dei uſus. Per μεταδιδόντας, de quibus hic loquitur, non eos intelligit qui largiuntur de ſuo: ſed Diaconos, qui publicis Eccleſiæ facultatibus diſpenſandis præſunt. Per ἐλεοῦντας autem, viduas & alios miniſtros, qui curandis ægrotis ſecundum veteris Eccleſiæ morem præficiebantur. Sunt enim functiones duæ diverſæ, erogare pauperibus neceſſaria, & ſuam illis tractandis operam impendere. Cæterum prioribus aſſignat ſimplicitatem, qua ſine fraude aut perſonarum acceptione, fideliter ſibi commiſſa adminiſtrent: ab his obſequia vult exhiberi cum hilaritate, ne moroſitate ſua (quod evenire plerumque ſolet) gratiam officiis detrahant. Ut enim ægrum vel alio quovis modo afflictum nihil magis ſolatur, quam ubi videt alacres ac promptos ad opem ſibi ferendam animos: ita ſi triſtitiam cernat in eorum vultu à quibus juvatur, id in contumeliam ſuam accipiet. προϊσταμένους tametſi proprie nuncupat eos quibus mandata erat Eccleſiæ gubernatio, (erant autem illi Seniores, qui aliis præibant ac moderabantur, vitæque cenſuram exercebant) quod tamen de illis dicit, extendi in univerſum ad præfecturas omne genus poteſt. Neque enim aut parva ab iis ſollicitudo requiritur, qui omnium ſecuritati conſulere, aut parva ſedulitas ab iis, qui pro ſalute omnium noctes dieſque excubare debent. Quanquam temporis illius conditio non de quibuslibet præfectis Paulum loqui oſtendit, quia tunc nulli erant pii magiſtratus: ſed de Senioribus, qui morum erant cenſores.

9. Dilectio ſit non ſimulata: ſitis averſantes malum, adhærentes bono.
10. Fraterna charitate ad vos mutuo amandos propenſi, alii alios honore prævenientes.
11. Studio non pigri, ſpiritu ferventes, tempori ſervientes.
12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes, in oratione perſeverantes.
13. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.

9. *Dilectio ſit* &c.] Nunc de particularibus officiis concionaturus, à charitate quæ eſt vinculum perfectionis, opportune auſpicatur. De ea vero, quod plurimum neceſſe erat, præcipit, ut abſterſis fucis omnibus, ex pura animi ſinceritate oriatur. Eſt enim dictu difficile quam ſint ingenioſi omnes fere homines ad fingendam quam vere non habent, charitatem. Neque enim aliis modo mentiuntur, ſed ſibimet quoque imponunt, dum ſibi perſuadent, non male abs ſe amari quos non modo negligunt, ſed reipſa abjiciunt. Itaque Paulus non aliam eſſe charitatem hic pronunciat, quam quæ ſit omni ſimulatione vacua: ſibi vero facile quilibet teſtis eſſe poteſt, an nihil habeat in receſſu cordis quod charitati adverſetur. Voces *boni* & *mali*, quæ ſequuntur ſtatim in contextu, non habent generalem ſignificatum: ſed pro malitioſa iniquitate qua nocetur hominibus, malum poſuit: bonum autem pro benignitate qua ipſi juvantur. Eſtque antitheſis Scripturæ uſitata, ubi vitia primum prohibentur, deinde commendantur virtutes. In participio ἀποστυγοῦντες neque Eraſmum, neque veterem Interpretem ſequutus ſum, qui verterunt, Odio habentes. Atqui (meo judicio) plus quiddam exprimere Paulus voluit: & vehementia in verbo Averſandi melius oppoſito membro reſpondet, ubi non modo beneficentiæ dare operam, ſed etiam adhærere jubet.

10. *Fraterna charitate* &c.] Nullis verbis ſatisfacere ſibi poteſt in exponendo ejus dilectionis ardore, qua nos mutuo complecti debemus. Nam & fraternam vocat, & ejus affectum στοργὴν, quæ Latinis mutua eſt inter cognatos pietas. Et ſane talem eſſe oportet, qua filios Dei proſequamur. Id quo fiat, præceptum ſubjungit ad retinendam benevolentiam valde neceſſarium, ut honorem pro ſe quiſque fratribus deferat. Nullum enim eſt ad alienandos animos efficacius venenum, quam ubi quis contemni ſe putat. Quod ſi per honorem omne genus officii intelligere placet, non valde repugno: illa tamen prior interpretatio mihi magis probatur. Quia ſicuti fraternæ concordiæ nihil magis contrarium eſt quam contumelia ex faſtu, dum ſe quiſque aliis poſthabitis effert: ſic optimum amoris fomentum eſt modeſtia, qua fit ut quiſque honorem aliis habeat.

11. *Studio non pigri*, &c.] Hoc præceptum nobis datur, non modo quia vitam Chriſtianam actuoſam eſſe oportet: ſed quia ſæpe præterita utilitate noſtra, operas noſtras impendere fratribus convenit: neque

iis ſemper bonis, ſed ſæpe indigniſſimis & ingratiſſimis. Denique quia in plurimis officiis noſtri obliviſci nos oportet, niſi nobis inſtemus, & excutere diligenter contendamus omnem ignaviam, nunquam poterimus ad Chriſti obſequium eſſe vere expediti. Quod autem additur, *ſpiritu ferventes*, exprimit quomodo prius illud aſſequamur. Caro enim inſtar aſini ſemper torpet, ideoque ſtimulis opus habet: ſolus autem eſt ſpiritus fervor qui pigritiam noſtram corrigit: ergo benefaciendi ſedulitas zelum requirit, quem Spiritus Dei in cordibus noſtris accenderit. Cur ergo, dicet quiſpiam, ad hunc fervorem nos Paulus hortatur? Reſpondeo, quanquam Dei donum eſt, has tamen partes injungi fidelibus ut torpore excuſſo flammam divinitus accenſam concipiant: ſicuti ut plurimum contingit Spiritus impulſum noſtra injuria ſuffocari & extingui. Eodem pertinet etiam tertium, ut Tempori ſerviamus. Nam ut breve eſt vitæ curriculum, ſtatim effluit bene agendi opportunitas: quo nos alacrius ad officium properare decet. Sic alibi jubet Paulus redimere tempus, quia dies mali ſunt. Poteſt etiam eſſe ſenſus, ut noverimus tempori nos accommodare: qua in re multum momenti poſitum eſt. Sed mihi videtur Paulus ceſſationi opponere quod ſervire tempori præcipit. Porro quia in multis vetuſtis exemplaribus legitur κυρίῳ, licet videri poſſit primo intuitu extraneum, prorſus rejicere non audeo. Quod ſi lectio illa placet, non dubito quin Paulus, quæ fratribus præſtantur officia, & quicquid alendæ charitati ſervit, referre voluerit ad Dei cultum, quo plus animi adderet fidelibus.

12. *Spe gaudentes.*] Sunt & hæc tria inter ſe conjuncta, ac quodammodo videntur pertinere ad illud, Tempori ſervientes. Ille enim ſe tempori optime accommodat, & occaſione utitur ad ſtrenue currendum, qui in ſpe vitæ futuræ gaudium ſuum reponit, & tribulationes patienter ſuſtinet. Utcunque ſit (neque enim valde refert ſive conjungas, ſive ſepares) primum vetat nos acquieſcere in præſentibus bonis, atque in terra rebuſque terrenis lætitiam noſtram conſtituere, perinde acſi illic ſita nobis eſſet felicitas: ſed in cælum mentes erigere jubet, quo ſolido plenoque gaudio perfruamur. Si gaudium noſtrum futuræ vitæ ſpe continebitur, inde naſcetur patientia in rebus adverſis: quia gaudium illud nullus doloris ſenſus opprimere poterit. Itaque duo hæc mutuo inter ſe nexu cohærent, gaudium ex ſpe conceptum, & in rebus adverſis tolerantia. Neque enim ad crucem ferendam ſe quiſquam placide & quieto animo ſubmittet, niſi qui extra mundum ſuam felicitatem quærere didicerit, ut ſpei conſolatione, crucis acerbitatem mitiget ac leniat. At quia utrumque viribus noſtris longe eſt ſuperius, orationi inſtandum, ac continenter rogandus Deus, ne animos liqueſcere ac in terram excidere, aut rebus aſperis frangi ſinat. Porro non tantum ad preces nos ſtimulat Paulus, ſed diſerte perſeverantiam exigit: quia nobis continua eſt militia, & quotidie ſurgunt varii inſultus, quibus ſuſtinendis impares eſſent etiam fortiſſimi quique, niſi ſubinde novum vigorem colligerent. Cæterum ne fatigemur, optimum eſt remedium precandi aſſiduitas.

13. *Neceſſitatibus ſanctorum* &c.] Redit ad officia charitatis, quorum præcipuum eſt iis benefacere à quibus minimum remunerationis expectamus. Quoniam itaque fere fit ut ii maxime contemnantur, qui præ aliis egeſtate preſſi ſunt, & auxilio indigent (quia putantur perdita eſſe quæ apud eos collocantur beneficia) ſingulariter ipſos nobis commendat Deus. Tunc enim demum vere charitatem noſtram approbamus, ubi non alio quam exercendæ benignitatis reſpectu, juvamus egenos fratres. Jam ejus charitatis non ultima ſpecies eſt hoſpitalitas, id eſt, benevolentia & liberalitas quæ peregrinis exhibetur: quia illi maxime omnium ſunt deſtituti, quod à ſuis procul abſunt: ideo hanc nominatim nobis commendat. Videmus ergo, eo unumquemque nobis majori curæ eſſe debere, quo magis ab hominibus vulgo negligetur. Obſerva etiam loquendi proprietatem in eo quod dicit communicandum eſſe neceſſitatibus: quo innuit, oportere ita nos ſublevare fratrum inopiam, acſi nobiſipſis ſuccurreremus. Sanctos autem ſpecialiter juvare præcipit. nam tametſi ad univerſum hominum genus extendere ſe debeat charitas noſtra, ſingulari tamen affectu debet amplecti domeſticos fidei, qui arctiori nobiſcum vinculo conjuncti ſunt.

14. Benedicite iis qui vos perſequuntur: benedicite, & ne malum imprecemini.
15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.
16. Mutuo alii in alios ſenſu affecti: non arroganter de vobis ſentientes, ſed humilibus vos accommodantes. Ne ſitis apud voſipſos prudentes.

14. *Benedicite* &c.] Hoc ſemel admonitum lectorem volo, ne in ſingulis præceptis certum ordinem ſcrupuloſius quærat: ſed contentus ſit ſparſa hic habere brevia præcepta, quibus ad omnes ſanctæ vitæ partes formetur: & ea quidem deducta ex illo principio quod initio capitis poſuit Apoſtolus. ſtatim præcipiet de non retaliandis quæ nobis inferuntur injuriis: hic aliquid etiamnum difficilius requirit: nempe ne quid mali imprecemur hoſtibus noſtris: ſed proſpera omnia illis & optemus, & à Deo precemur, utcunque nos vexent ac inhumaniter tractent. quæ manſuetudo quo eſt obſervatu difficilior, ita intentiore ſtudio ad eam eſt enitendum. Nihil enim jubet Dominus in quo non requirat noſtram obedientiam. Nec admittenda eſt ulla excuſatio, ſi eo ſenſu vacui ſumus, quo voluit nos Dominus ab impiis & ſeculi filiis differre. Ardua res eſt, fateor, & naturæ hominis penitus contraria: ſed nihil tam arduum quod non virtute Dei ſuperetur, quæ nobis nunquam deerit, modo ne ipſam invocare negligamus. Et quanquam vix unum reperias, qui tantos in Lege Domini progreſſus fecerit, ut præceptum iſtud impleat: nemo tamen filium Dei jactare ſe poteſt, aut Chriſtiani nomine gloriari, qui non animum iſtum ex parte induerit, & cum affectu adverſo quotidie pugnet. Dixi hoc eſſe difficilius quam remittere vindictam ubi quis læſus fuerit. Quidam enim licet manus contineant, neque etiam agantur nocendi libidine, cuperent tamen aliunde hoſtibus ſuis accidere cladem vel damnum. Quod ſi etiam uſque adeo placati ſunt, ut nihil optent mali: vix tamen centeſimus quiſque ſalvum eſſe cupit à quo accepit injuriam. imo audacter bona pars ad imprecationes proſilit. Deus autem verbo ſuo non tantum manus coërcet à maleficiis, ſed amarulentos quoque affectus in animis domat: neque id modo, ſed etiam vult de eorum ſalute eſſe ſollicitos qui nos injuſte vexando, ſibi exitium accerſunt. In verbo εὐλογεῖν deceptus fuit Eraſmus: quia non animadvertit, diris & maledictionibus opponi. Paulus enim Deum in utroque vult tolerantiæ noſtræ eſſe teſtem, ut non modo in votis noſtris frenemus iracundiæ impetum, ſed veniæ deprecatione teſtemur nos dolere hoſtium noſtrorum vicem, dum ſponte pereunt.

15. *Gaudete cum gaudentibus*, &c.] Generalis ſententia tertio loco ponitur, ut mutuo affectu ſe fideles complexi, alii aliorum fortunam ſibi communem eſſe ducant. Partes autem vel ſpecies priore

loco

loco enumerat, ut gaudeant cum gaudentibus, fleant cum flentibus. Sic enim fert veri amoris natura, ut lugere cum fratre ſuo quiſque malit, quam ejus luctus ex deliciis vel otio procul deſpicere. Summa ergo eſt, ut nos viciſſim alter alteri, quantum licet, accommodemus: & quæcunque acciderit fortuna, quiſque alterius ſenſum in ſe transferat, ſive condolendum ſit rebus aſperis, ſive proſperis gratulandum. Et ſane felicitatem fratris non excipere cum gaudio, invidiæ eſt: non triſtari ſi male habet, inhumanitatis. Sit ergo ea inter nos ſympathia, quæ ad affectus omnes nos ſimul conformet.

16. *Non arroganter de vobis ſentientes.*] Significantius Græce loquitur Apoſtolus, & magis appoſite ad antitheſin. Non alta, inquit, cogitantes. quo intelligit, non eſſe hominis Chriſtiani ambitioſe adſpirare ad ea quibus alios antecellat, neque altos ſpiritus gerere: ſed modeſtiam potius & manſuetudinem meditari. Hac enim coram Domino excellimus, non ſuperbia, aut fratrum contemptu. Præceptum opportune ad ſuperiora additum. nihil enim magis eam de qua dictum eſt, unitatem ſcindit, quam dum nos efferimus, & quo emergamus ad ſuperiorem locum, ſublimius quiddam ſpiramus. Vocem *humilibus* in neutro genere accipio, ut antitheſis ita compleatur. Hic ergo damnatur omnis ambitio, & quæ ſub magnanimitatis nomine ſe inſinuat animi elatio. ſiquidem præcipua fidelium virtus moderatio eſt, vel potius ſubmiſſio, quæ honorem ſemper malit aliis cedere quam præripere. Huic affine eſt quod ſubjicitur. nihil enim magis animos inflat quam propriæ prudentiæ opinio. Vult ergo ut ea depoſita, alios quoque audiamus, eorumque conſiliis morem geramus. Nam quod [illegible] Eraſmus vertit Arrogantes, coactum eſt ac frigidum: quia bis idem ſine ulla vehementia repeteret Paulus. At vero iſtud aptiſſimum eſt arrogantiæ ſanandæ remedium, non ſibi nimium ſapere.

17. Nemini malum pro malo rependentes: providentes bona coram omnibus hominibus.

18. Si fieri poteſt, quantum eſt in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes.

19. Non voſmet ipſos ulciſcentes, dilecti: ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim, Deut. 32. verſ. 35.
Mihi vindictam: & ego rependam, dicit Dominus.

17. *Nemini malum reddentes.*] Nihil prope ab eo differt, quod paucis interjectis ſequitur: niſi quod plus eſt vindicta, quam iſtud compenſationis genus de quo nunc agit. Nam & malum pro malo interdum reddimus, etiam ubi non exigimus injuriæ talionem: quemadmodum ſi maligne accipimus eos qui nobis non benefaciunt. Solemus enim æſtimare cujuſque in nos merita, vel certe merendi facultatem, ut apud eos quibus jam ſumus obligati, vel à quibus aliquid ſperamus, collocemus noſtra officia: rurſum vero ſi quis opem ſuam quum ea indigeremus, nobis denegarit, par pari (quod aiunt) referentes, ubi opus fuerit, non magis adjuvemus eum quam ab eo ſumus adjuti. Sunt & alia ejuſmodi exempla in quibus malum pro malo redditur ſine manifeſta ultione. *Providentes bona.* Non diſplicet quod vertit Eraſmus, Provide parantes: verbum tamen verbo reddere placuit. Quia ſuis quiſque commodis plus æquo intentus eſt, vel ad cavenda damna providus, aliam curam & attentionem videtur Paulus exigere. Summa eſt, dandam ſedulo eſſe operam ut noſtra probitate omnes ædificentur. Ut enim neceſſaria eſt nobis conſcientiæ innocentia coram Deo: ita famæ integritas apud homines non eſt negligenda. Nam ſi Deum in bonis noſtris operibus glorificari convenit, tantundem decedit ejus gloriæ, ubi nihil laude dignum in nobis homines conſpiciunt. Neque vero tantum obſcuratur Dei gloria, ſed contumelia etiam illi inuritur: quia quicquid peccamus, in Evangelii opprobrium imperiti trahunt. Cæterum quum jubemur comparare apud homines bona, ſimul notandum eſt quo fine. non enim finis eſt ut nos ſuſpiciant ac laudibus ferant (hanc enim cupiditatem ſollicite arcet à nobis Chriſtus, quum jubet nos excluſis omnibus hominibus Deum unum teſtem benefactorum noſtrorum admittere) ſed ut ſublatis in Deum animis, laudem illi referant, ut exemplo noſtro ad juſtitiæ ſtudium excitentur, ut denique bonum ſuaveque ex vita noſtra odorem percipiant, quo ad Dei amorem alliciantur. Quod ſi ob Chriſti nomen male audimus, ne ſic quidem deſinimus inter
2 Cor. 6. verſ. 8. homines bona providere: ſed tunc impletur illud, quod habemur tanquam mendaces, & tamen ſumus veraces, &c.

18. *Si fieri poteſt, quantum eſt in vobis.*] Tranquillitas, & ſic compoſita vitæ ratio quæ nos omnibus amabiles reddat, non vulgaris eſt dos hominis Chriſtiani. Huic ſi ſtudere volumus, non modo ſumma æquitate, ſed ſumma etiam commoditate ac facilitate morum præditos eſſe oportet: quæ non modo æquos ac bonos conciliet, ſed improborum animos inflectat. Eſt enim hic adhibenda duplex cautio: ne ſic gratioſi eſſe affectemus, ut recuſemus quorumlibet odia ſuſcipere pro Chriſto, quoties ita neceſſe fuerit. Et ſane videre eſt nonnullos, qui quum ob morum ſuavitatem animique tranquillitatem ſint omnibus amabiles, habeant tamen Evangelii cauſa vel propinquiſſimos ſibi valde infeſtos. Deinde ne facilitas in aſſentationem degeneret, ut vitiis hominum, pacis retinendæ ſtudio, blandiamur. Quoniam ergo id non ſemper obtineri poterat, ut pax nobis conſtaret cum omnibus, duas particulas exceptionis loco attexuit, *Si fieri poteſt, & quantum in vobis eſt.* Iſtud porro ex pietatis & charitatis officio nobis erit æſtimandum, ut pacem non violemus, niſi alterutro coacti. Sic enim fovendæ pacis ſtudio multa tolerare, delictis ignoſcere, comiter remittere ſummum juris rigorem convenit, ut ſimus, quoties ita poſtulat neceſſitas, ad bellum acriter gerendum animoſi. Neque enim fieri poteſt ut Chriſti militibus æterna ſit pax cum mundo, cujus princeps eſt Satan.

19. *Non voſmetipſos ulciſcentes, dilecti.*] Malum quod hic corrigit, gravius eſt illo ſuperiore, cujus nuper meminit, ut admonuimus: utrumque tamen ex eodem oritur fonte: nempe ex immodico noſtri amore, ac ingenita ſuperbia, quæ facit ut vitiis noſtris benigne indulgeamus, alienis autem ſimus inexorabiles. Quoniam ergo morbus ille furioſam ulciſcendi libidinem omnibus fere ingenerat, ubi vel minimum tacti ſunt: hic præcipit, quamlibet graviter læſi fuerimus, ne tentemus ipſi vindictam, ſed eam Domino permittamus. Et quoniam non facile frenum admittunt qui ſemel correpti ſunt hoc impotenti affectu, blanda appellatione quaſi manum injicit ut nos retineat, dum nomine appellat *dilectos.* Hoc ergo eſt præceptum, Ne injurias factas aut ulciſcamur, aut ulciſci appetamus. Additur ratio quia dandus eſt locus iræ. Dare autem locum iræ, eſt permittere Domino judicandi facultatem, quam ei præripiunt qui vindictam aggrediuntur. Quare ſi Dei vices uſurpare nefas eſt, neque vindicare licet: quia ſic Dei judicio antevertimus, qui has partes ſibi ſervatas voluit. Simul etiam innuit, & Deum habituros vindicem, qui patienter ejus auxilium expectant: & eos qui præoccupant, non relinquere locum Dei auxilio. Cæterum non hic modo prohibet, ne manu

Digitized by Google

ipſi noſtra vindictam exequamur, ſed ne cor noſtrum tentetur ejuſmodi cupiditate. ſupervacuum itaque eſt hic diſtinguere inter publicam & privatam vindictam. Nihilo enim plus excuſationis habet qui opem magiſtratus malevolo animo & ultionis cupido implorat, quam ſi à ſeipſo ulciſcendi artes comminiſcatur. Imo ne ſemper quidem à Deo poſtulanda ultio eſt, ut mox videbimus: quia ſi ex privato affectu erumpant vota noſtra, & non ex puro Spiritus zelo, non tam Deum nobis judicem ferimus, quam miniſtrum facimus pravæ noſtræ cupiditatis. Non aliter ergo datur locus iræ, quam ubi quietis animis expectamus opportunum liberationis tempus: optantes interea ut qui nobis moleſti nunc ſunt, reſipiſcendo amici fiant. *Scriptum eſt enim, Mihi vindictam.* Probationem adducit ſumptam ex cantico Moſis, Deuter.32.v.35. ubi Dominus ſe hoſtium ſuorum ultorem fore denunciat. Hoſtes autem Dei ſunt quicunque ſervos ejus ſine cauſa divexant. Qui tangit vos, inquit, tangit pupillam oculi mei. hoc igitur ſolatio contenti ſimus, quod neque impune evadent qui moleſtiam nobis immerentibus faceſſunt: neque nos patiendo magis obnoxios vel opportunos faciemus injuriis malorum: ſed potius Domino, qui unicus eſt vindex & liberator noſter, locum dabimus ad opem ferendam. Quanquam ne à Deo quidem vindictam inimicis noſtris imprecari fas eſt: ſed orandum ut convertantur, quo amici fiant. quod ſi pergunt in ſua improbitate, idem illis eveniet quod reliquis Dei contemptoribus. Neque vero hoc teſtimonium ideo citat Paulus, quaſi poſt illatam injuriam protinus excandeſcere, atque prout tulerit carnis impetus, votis expoſcere liceat ut Deus noſtrarum injuriarum ſit ultor. Sed primo vindictam exigere noſtrum non eſſe docet, niſi velimus Dei partes nobis arrogare: deinde ſignificat non eſſe timendum ne ferocius inſultent improbi, ſi nos patienter ferre viderint: quia non fruſtra vindicandi munus ſibi Deus ſumit.

20. Itaque ſi eſurit inimicus tuus, paſce illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres in caput ipſius.

21. Ne vincaris à malo, ſed vincas bono malum.

20. *Itaque ſi eſurit.*] Jam oſtendit quomodo præcepta de non vindicando, & malo non rependendo, vere impleamus: nempe ſi non modo abſtineamus ab inferenda injuria, ſed iis quoque benefaciamus qui nobis ſunt injurii. Eſt enim illa quædam obliquæ talionis forma, ubi ab iis qui nos læſerunt, beneficentiam avertimus. Sub nomine *cibi & potus*, omnia officiorum genera intellige. Quantum ergo fert tua facultas, quacunque in re vel opibus tuis, vel conſilio, vel opera inimicus indigebit, illi adeſſe debes. Inimicum præterea noſtrum vocat, non quem ipſi odio proſequamur, ſed qui nobiſcum inimicitias exerceat. Quod ſi juvandi ſunt ſecundum carnem, multo minus adverſis imprecationibus eorum ſalus oppugnanda eſt. *Carbones ignis congeres.* Quia non libenter oleum & operam perdimus, oſtendit quis inde conſequatur fructus, dum humanitatis officia conferimus in noſtros inimicos. Carbones autem alii interpretantur exitium quod in caput inimici regeritur, ſi beneficiis proſequemur indignum, ac ſecus quam de nobis promeritus eſt, nos geremus: quia hoc modo duplicabitur ejus culpa. Aliis magis placet intelligere quod animus ejus ad nos redamandos allicitur, dum ſe adeo benevole tractari videt. Ego ſimplicius accipio, quod animus ejus frangetur in alterutram partem. Nam certe beneficiis aut emollietur hoſtis, aut ſi tanta atrocitate erit ut nihil manſueſiat, uretur tamen, & æſtuabit teſtimonio conſcientiæ, quæ ſe obrutam ſentiet benignitate noſtra.

21. *Ne vincaris à malo.*] Videtur hæc ſententia confirmationis loco poſita. Nam hic nobis omnino certamen eſt cum perverſitate: eam ſi retaliare conamur, confitemur nos ab ea victos: contra ſi bonum pro malo reddimus, eo facto prodimus invictam animi conſtantiam. Et ſane hoc eſt pulcherrimum victoriæ genus, cujus fructus non animi tantum conceptione, ſed re quoque ipſa ſentitur: ſucceſſum eorum patientiæ dante Domino, quo meliorem ne optare quidem poſſint. Contra, qui malum malo vincere tentabit, hoſtem forte ſuum malitia vincet, ſed in ſuam ruinam: quia ſic agendo, diabolo militat.

CAP. XIII.

OMnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ vero ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ.

2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui vero reſtiterint, judicium ſibi accerſent.

1. *Omnis anima* &c.] Quod locum hunc tam diligenter in Chriſtianæ vitæ inſtitutione tractat, inde apparet majori aliqua neceſſitate ad id coactum: quam quum perpetuo ſecum ferat Euangelii prædicatio, illo maxime ſeculo afferre potuit. Sunt enim ſemper tumultuoſi ſpiritus, qui regnum Chriſti non bene extolli credunt, niſi aboleantur omnes terrenæ poteſtates: nec libertate per ipſum data ſe frui, niſi quodvis humanæ ſervitutis jugum excuſſerint. Judæos tamen præ aliis hic error tenuit, quibus indignum videbatur ut progenies Abrahæ, cujus florentiſſimum ante adventum Redemptoris regnum fuerat, ipſo jam manifeſtato maneret in ſervitute. Erat etiam aliud quod non Judæos magis quam Gentes à ſuis Principibus alienaret: quod non modo pietate omnes abhorrebant, ſed infeſtiſſimis animis religionem perſequebantur. Eos ergo agnoſcere pro legitimis dominis ac principibus abſurdum videbatur, qui regnum Chriſto unico cæli & terræ Domino moliebantur eripere. His cauſis veriſimile eſt inductum fuiſſe Paulum ut intentiore cura magiſtratuum poteſtatem confirmaret. Et principio quidem generale præceptum ponit, quo in ſumma comprehendit quod dicturus eſt: ſubjungit deinde quæ ad ejus præcepti expoſitionem ac probationem faciunt. *Poteſtates ſupereminentes* vocat, non ſupremas, quæ ſummum imperium obtineant: ſed quæ excellant ſupra reliquos homines. Subditorum ergo reſpectu, non mutua inter ſe comparatione ſic vocantur magiſtratus. Ac ſane hoc verbo mihi videtur Apoſtolus voluiſſe tollere frivolam hominum curioſitatem, qui ſæpe ſolent inquirere quo jure adepti fuerint poteſtatem qui rerum potiuntur: ſatis autem nobis eſſe debet quod præſunt. Non enim conſcenderunt ſua ipſi virtute in hoc faſtigium, ſed manu Domini ſunt impoſiti. Quum vero *omnem animam* nominat, eo quamlibet tollit exceptionem, ne quis immunitatem captet communis ſubjectionis. *Non enim poteſtas eſt*, *niſi*

niſi à Deo. Ratio cur debeamus ſubjecti eſſe magiſtratibus, quod Dei ordinatione ſunt conſtituti. quod ſi ita placet Domino mundum gubernare, Dei ordinem invertere nititur, adeoque Deo ipſi reſiſtit, quiſquis poteſtatem aſpernatur: quando ejus qui juris politici auctor eſt, providentiam contemnere, bellum cum eo ſuſcipere eſt. Porro intellige à Deo eſſe poteſtates, non qualiter & peſtilentia, & fames, & bellum, & cæteræ peccatorum pœnæ ab ipſo eſſe dicuntur: ſed quia ipſe ad legitimam rectamque mundi adminiſtrationem eas inſtituerit. Nam etſi tyrannides ac dominationes injuſtæ, quum plenæ ſint ἀταξίας, non ſunt ex ordinata gubernatione: ipſum tamen jus imperii, in humani generis ſalutem à Deo ordinatum eſt. Itaque quum & bella arcere, & cæteris noxiis remedia quærere liceat: Apoſtolus magiſtratuum jus & imperium tanquam humano generi utile, ſponte & libenter à nobis ſuſcipi & coli jubet. Quas enim Deus infligit pœnas hominum peccatis, non proprie ordinationes vocabimus, ſed quæ conſulto media ſtatuit ad legitimum ordinem ſervandum.

2. *Qui vero reſtiterint.*] Quia reſiſtere Deo nemo poteſt niſi in ſuam perniciem, minatur non impune laturos quicunque Dei providentiæ hac in parte ſe oppoſuerint. Cavendum ergo ne in hanc denunciationem incurramus. Neque vero per Judicium, pœnam duntaxat intelligo quæ à magiſtratu infligitur, acſi dicere voluiſſet, in eos jure animadverti qui in poteſtatem inſurgunt: ſed quamlibet Dei ultionem, quovis modo tandem exigatur. Docet enim in genere, qualis eos finis maneat qui certamen cum Deo ſuſcipiunt.

3. Principes enim non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis ergo non timere poteſtatem? bene fac, & habebis laudem ab ea:

4. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si vero quid mali feceris, time: non enim fruſtra gladium gerit. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram adverſus eos qui male agunt.

3. *Principes enim.*] Nunc ab utilitate quoque Principum obſervantiam nobis commendat. Itaque particula rationalis γὰρ, ad primam propoſitionem referenda eſt, non ad proximam ſententiam. Hæc porro eſt utilitas, quod Dominus hac ratione voluit bonorum tranquillitati proſpectum, improborum autem coërcitam proterviam: quibus duabus rebus continetur incolumitas generis humani. niſi enim malorum furori obviam eatur, & ab eorum libidine protegantur innocentes, omnia protinus peſſum ibunt. Si ergo unicum iſtud remedium eſt quo ab interitu vindicetur humanum genus, diligenter à nobis conſervari debet, niſi velimus nos profiteri publicos humani generis hoſtes. Quod autem addit, *Vis non timere poteſtatem? bene fac:* eo innuit nullam eſſe rationem cur à magiſtratu abhorreamus, ſi quidem boni ſimus: imo hanc tacitam eſſe malæ conſcientiæ & pravum aliquid machinantis teſtificationem, ſi quis jugum illud excutere à ſe aut amoliri velit. Cæterum hic de vero & quaſi nativo magiſtratus officio loquitur: à quo tametſi non raro degenerant qui principatum tenent, nihilominus deferenda illis eſt obedientia quæ Principibus debetur. Nam ſi malus Princeps flagellum eſt Domini ad puniendа populi delicta, illud fieri vitio noſtro cogitemus, quod eximia Dei benedictio nobis vertatur in maledictionem. Ideoque non deſinamus bonam Dei ordinationem revereri: quod facile factu erit, ſi nobiſipſis quicquid mali in ipſa erit, imputemus. Ergo hic docet in quem finem inſtituti ſint à Domino magiſtratus: cujus etiam effectus ſemper extaret, niſi culpa noſtra corrumperetur tam præclara & ſalubris inſtitutio. Quanquam ne ſic quidem unquam abutuntur ſua poteſtate Principes, bonos innocenteſque vexando, ut non in ſua tyrannide ſpeciem aliquam juſtæ dominationis retineant: nulla ergo tyrannis eſſe poteſt, quæ non aliqua ex parte ſubſidio ſit ad tuendam hominum ſocietatem. Hic quoque duas partes notavit, quibus etiam Philoſophi conſtare ſenſerunt bene ordinatam Reipublicæ adminiſtrationem, bonorum præmia, & animadverſionem in ſceleratos. *Laudis* vocabulum latam ſignificationem hic habet, more Hebraico.

4. *Dei enim miniſter eſt in bonum.*] Hinc & magiſtratus diſcere poſſunt qualis ſit ſua vocatio. Non enim ſua cauſa dominantur, ſed publico bono: neque effreni potentia præditi ſunt, ſed quæ ſubditorum ſaluti ſit obſtricta. denique Deo & hominibus in ſuo principatu ſunt obligati. Nam quia à Deo legati ſunt, & negotium ejus agunt, rationem illi ſunt reddituri. deinde miniſterium quod illis demandavit Deus, ſubditos reſpicit: quare illis quoque ſunt debitores. Admonentur autem privati, hoc eſſe divinæ benignitatis, quod adverſus ſceleratorum injurias, Principum gladio defenduntur. *Non enim fruſtra gladium.* Altera pars functionis magiſtratuum, quod debent malorum petulantiam vi comprimere, qui legibus ſponte regi ſe non patiuntur: & pœnas ſumere de eorum flagitiis, quas Dei judicium requirit. Nam gladio armatos diſerte pronunciat, non ad inanem modo ſpeciem, ſed quo maleficos feriant. Deinde *vindex in iram*, perinde valet acſi dictum eſſet, Exequutor iræ Dei. Id autem probat ab uſu gladii quem illis Dominus in manum tradidit. Inſignis locus ad jus gladii comprobandum. nam ſi Dominus magiſtratum armando, gladii quoque uſum illi mandavit: quoties ſontes capitali pœna vindicat, exercendo Dei ultionem, ejus mandatis obſequitur. Contendunt igitur cum Deo qui ſanguinem nocentium hominum effundi nefas eſſe putant.

5. Itaque neceſſe eſt ſubjici, non modo propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

6. Propterea enim tributa quoque ſolvitis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc incumbentes.

7. Reddite ergo omnibus quod debetur. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

5. *Itaque neceſſe eſt ſubjici.*] Quod initio præceperat de præſtanda magiſtratibus obedientia, nunc per modum collectionis repetit: ſed cum expolitione, quod illis ſit obediendum, non humanæ tantum neceſſitatis cauſa, ſed ut Deo quoque pareamus. *Iram* enim poſuit pro ultione quam repoſcere poſſent magiſtratus ob dignitatis ſuæ contemptum: acſi dixiſſet, non ideo cedendum eſſe, quia reſiſtere potentioribus & armatis impune non liceat: quemadmodum tolerari ſolent injuriæ quæ propulſari nequeunt: ſed ſponte obeundam hanc ſubmiſſionem, ad quam verbo Dei obſtringitur conſcientia. Ergo etiamſi exarmatus eſſet magiſtratus, quem impune laceſſere & contemnere liceret, nihilo magis

eſſe

eſſe id tentandum, quam ſi pœnam ſtatim imminere cerneremus. Non enim privati eſt hominis abrogare imperium ei quem Dominus cum poteſtate nobis præfecit. Tota autem hæc diſputatio eſt de civilibus præfecturis. Itaque fruſtra inde ſacrilegam ſuam tyrannidem ſtabilire moliuntur qui dominatum in conſcientias exercent.

6. *Propterea enim tributa quoque.*] Per occaſionem de tributis mentionem ingerit, quorum rationem deducit ab ipſo magiſtratuum officio. Nam ſi eorum ſunt partes, proborum tranquillitatem tueri ac conſervare illæſam, ſceleratiſque improborum conatibus ſeſe opponere: id facere non poſſunt niſi potentia & firmis præſidiis adjuti. Jure ergo penduntur tributa, ad ſuſtinendos tam neceſſarios ſumptus. Cæterum de modo vectigalium ſeu tributorum non eſt præſentis loci fuſius differere. neque noſtrum eſt vel Principibus præſcribere, quantum in res ſingulas impendant, vel eos ad calculum vocare. Meminiſſe tamen eos decet, quicquid habent à populo, velut publicum eſſe bonum, non privatæ libidinis ac luxuriæ inſtrumentum. Videmus enim in quos uſus deſtinet Paulus quæ penduntur tributa, nempe ut ad ſuorum defenſionem præſidiis inſtructi ſint Reges.

7. *Reddite ergo omnibus quod debetur.*] Videtur mihi Apoſtolus hic ſummatim velle comprehendere quibus in rebus ſita ſint ſubditorum erga magiſtratus officia: nempe ut ipſos in pretio ac honore habeant: ut eorum pareant edictis, legibus, judiciis: ut tributa & vectigalia perſolvant. Sub nomine *timoris*, obedientiam ſignificavit: per *vectigalia & tributa*, non portoria modo & indictiones, ſed alios quoque reditus. Confirmat autem hic locus quod prius dixit, parendum eſſe Regibus & quibuslibet præfectis, non quia cogimur, ſed quia Deo gratum eſt obſequium. Non enim modo timeri vult, ſed voluntaria quoque obſervantia coli.

8. Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. qui enim diligit alterum, Legem implevit.

9. Illud enim, Non mœchaberis, Non occides, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud præceptum, in hoc ſermone comprehenditur, Diliges proximum ſicut teipſum.

10. Dilectio proximo malum non infert. Plenitudo Legis eſt dilectio.

8. *Nemini quicquam debeatis.*] Sunt qui dici iſtud non ſine ironia putent: acſi reſponderet eorum objectioni Paulus, qui gravari Chriſtianos contenderent, quod ipſis alia quam dilectionis præcepta injungerentur. Et certe non nego quin ironice poſſit accipi: ut iis qui nullam aliam quam dilectionis legem admittunt, concedat ſuum poſtulatum: ſed alio ſenſu. Ego tamen ſimpliciter accipere malo, quia exiſtimo, Paulum iſtam de magiſtratuum poteſtate præceptionem, ne cui infirma videretur, voluiſſe ad dilectionis legem referre: acſi dixiſſet, Quum poſtulo ut Principibus pareatis, non aliud requiro quam quod ex lege dilectionis debent præſtare omnes fideles. Nam ſi bonis bene eſſe vultis (quod quidem nolle eſſet inhumanum) debetis ſtudere ut leges ac judicia valeant, ut legum præſides populum habeant obſequentem, quorum beneficio tranquillitas omnibus conſtat. Ergo violat charitatem ſi quis ἀναρχίαν inducit, quam ſtatim conſequitur rerum omnium perturbatio. *Qui enim diligit alterum, Legem implevit.* Conſilium Pauli eſt, omnia Legis mandata revocare ad dilectionem, ut tum ſciamus nos rite obtemperare mandatis quum dilectionem ſervamus: idque ut nihil oneris ſubire detrectemus quod ad charitatem ſervandam faciat. Ita optime confirmat quod præcepit de obedientia magiſtratui deferenda, in quo poſita eſt non minima pars charitatis. Cæterum hic impediuntur nonnulli, neque ſatis extricare ſe queunt ex hac difficultate, quod Paulus docet impletam eſſe Legem, ſi proximum diligamus: quia hoc modo nulla fit mentio cultus Dei, quem omitti minime decebat. Sed Paulus in totam Legem non reſpicit: tantum de officiis loquitur quæ nobis erga proximum demandantur à Lege. Et ſane illud verum eſt, impleri totam Legem quum proximos diligimus: quoniam vera erga homines charitas nonniſi ex Dei amore fluit, atque ejus eſt teſtimonium, ſicuti effectus. Cæterum Paulus hic tantum meminit ſecundæ tabulæ, quia de ea tantum erat quæſtio: acſi dixiſſet, Defunctus eſt ſuo officio erga totum mundum, qui proximum diligit ſicuti ſeipſum. Nugatorium vero eſt Sophiſtarum cavillum, qui ex hac ſententia elicere conantur operum juſtificationem. Non enim tradit Paulus quid faciant vel non faciant homines, ſed ſub conditione loquitur quam nullibi adimpletam reperias. Nos autem quum dicimus, non juſtificari homines operibus, non negamus quin Legis obſervatio vera ſit juſtitia: ſed quia nemo eam præſtat, neque unquam præſtitit, dicimus omnes ab ea excludi, ac propterea unicum eſſe in Chriſti gratia aſylum.

9. *Illud enim, Non mœchaberis.*] Hinc colligi non poteſt quæ præcepta in ſecunda tabula contineantur: quando etiam in fine ſubjicit, Et ſi quod eſt aliud præceptum. Omiſit enim mandatum de parentibus honorandis. videri tamen abſurdum poſſit, præteritum fuiſſe quod maxime ad rem pertinebat. Sed quid ſi ideo tacuerit, ne argumentationem ſuam obſcuraret? Sed ut id non auſim aſſerere, ita video nihil hic deeſſe ad id quod intendebat: nempe ſi omnibus præceptis nihil aliud ſibi voluerit Deus, quam ut nos ad charitatem inſtitueret, modis omnibus enitendum ad eam nobis eſſe. Et tamen lector non contentioſus facile agnoſcet, Paulum ex ſimilibus probare voluiſſe, huc tendere totam Legem, ut mutua inter nos colatur charitas: hoc vero ſubaudiendum eſſe quod tacitum reliquit, non ultimam fovendæ pacis & fraterni amoris conſervandi partem eſſe obedientiam erga magiſtratus.

10. *Dilectio proximo malum non infert.*] Ab effectu demonſtrat, ſub charitate contineri quæ illis omnibus præceptis traduntur. Qui enim vera charitate præditus erit, nunquam ei in mentem veniet fratres lædere. Quid aliud tota Lex vetat, quam ne proximo aliquam noxam inferamus? Porro hoc ad præſens inſtitutum accommodari decet. Nam quum magiſtratus pacis & æquitatis ſint præſides: qui ſuum cuique jus ſalvum eſſe cupit, & omnes ab injuria tutos vivere, is ordinem magiſtratuum quantum in ſe erit tuebitur. Politiæ vero hoſtes, nocendi libidinem produnt. Quod autem repetit, complementum Legis eſſe dilectionem, intellige (ut prius) de ea Legis parte quæ hominum ſocietatem ſpectat. Prior enim Legis tabula, quæ eſt de cultu Dei, minime hic attingitur.

11. Hoc etiam, quum noverimus tempus, quia hora eſt qua jam è ſomno expergiſcamur. (nunc enim propior eſt ſalus noſtra, quam quum credidimus.)

12. Nox

12. Nox progreſſa eſt, dies vero appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.

13. Sicut in die, decenter ambulemus, non comeſſationibus, neque ebrietatibus, neque cubilibus, neque laſciviis, neque contentione, neque æmulatione:

14. Sed induamini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne agatis ad concupiſcentias.

11. *Hoc etiam*, &c.] Nunc alium exhortationis locum ingreditur: quia ſcilicet nobis veluti ſub auroram micare cœperunt vitæ cæleſtis radii, nobis agendum eſſe quod agere ſolent qui in media luce atque hominum conſpectu verſantur. Diligenter enim cavent illi ne quid fœdum aut indecorum admittant: quia ſi quid deliquerint, obnoxios ſe fore vident nimis multis teſtibus. Nos vero qui ſemper in conſpectu Dei & Angelorum ſtamus, & quos Chriſtus verus Sol juſtitiæ ad ſui conſpectum invitat, multo magis decet ab omni turpitudine cavere. Summa ergo verborum hæc eſt, Quum ſciamus opportunum jam adveniſſe tempus quo è ſomno expergiſcamur, abjiciamus quicquid eſt noctis: excutiamus omnia tenebrarum opera, quandoquidem ipſæ tenebræ jam diſcuſſæ ſunt: & lucis operibus incumbentes, ambulemus quemadmodum in die decet. Quæ interpoſita leguntur, parentheſi ſunt includenda. Porro quoniam hic allegoria eſt, notare operæpretium eſt quid ſingulæ partes ſignificent. *Noctem* vocat ignorationem Dei, qua quicunque detinentur, veloti in nocte errant ac dormiunt. Duobus enim iſtis malis laborant infideles, quia cæci ſunt, ac ſtupidi. ſtuporem vero iſtum paulo poſt per ſomnum deſignat, qui eſt (ut ille dicit) imago mortis. *Lucem* nominat divinæ veritatis revelationem, per quam Sol juſtitiæ Chriſtus nobis exoritur. *Expergiſci* ponit, pro Accingi & comparari ad obeunda quæ Dominus à nobis requirit obſequia. *Opera tenebrarum*, pro turpibus & flagitioſis: quia nox (ut inquit ille) pudore vacat. *Arma lucis*, pro honeſtis actionibus & ſobriis & caſtis, quibus ſolet dies deſtinari. Et Arma potius quam Opera, quoniam Domino militandum eſt. Cæterum ioitio particula, *Hoc etiam*, ſeorſum legenda eſt. Pendet enim ex ſuperiore doctrina: ſicuti Latine dicimus Adhæc, vel Præterea. Tempus dicit fidelibus eſſe cognitum, quia Dei vocatio & viſitationis dies novam vitam & oovos mores poſtulat, quemadmodum exegetice mox addit horam eſſe ſurgendi. Eſt enim non χρόνος, ſed καιρὸς, qua voce notatur occaſio, vel tempus opportunum. *Nunc enim propior eſt ſalus noſtra.* Hic locus varie ab interpretibus torquetur. Multi *credendi* verbum ad Legis tempus referunt, acſi diceret Paulus, Judæos credidiſſe antequam in medium prodiret Chriſtus; quod tanquam durum & coactum repudio. & certe doctrinam generalem ad exiguam Eccleſiæ partem reſtringere, abſurdum eſſet. Ex toto illo cœtu ad quem ſcribit, quotuſquiſque Judæus fuit? Ergo in Romanos oon competeret hic ſermo. Deinde noctis & diei comparatio ſcrupulum hunc (meo judicio) diſcutit. Mihi ergo videtur ſimpliciſſima hæc eſſe ſententia, Nunc propior ſalus nobis adeſt, quam eo tempore quo credere cœpimus: ut ad tempus referatur quod fidem præceſſit. Mediam enim ſignificationem quum adverbium iſtud habeat, hæc Apoſtoli propoſitio longe eſt convenientior: ut ex ſequentibus patet.

12. *Nox progreſſa eſt, dies vero appropinquavit.*] Hæc eſt occaſio cujus nuper meminit. Quanquam enim nondum in plenam lucem recepti ſunt fideles: merito tameo auroræ comparat futuræ vitæ notitiam, quæ nobis per Euangelium affulget. Neque enim Dies hic, ſicuti aliis locis, pro fidei luce ponitur, (alioqui noo diceret appropinquaſſe tantum, ſed adeſſe, imo jam lucere tanquam in medio progreſſu) ſed pro beata illa cæleſtis vitæ claritate cujus initia in Euangelio jam cernuntur. Summa huc redit, Simulac vocare nos incipit Deus, perinde atque ex primo diei exortu colligimus plenam Solis lucem inſtare, debere nos iotentos eſſe ad Chriſti adventum. Noctem ergo progreſſam eſſe dicit, quia non ita obruimur denſa caligine ut increduli quibus nulla vitæ ſcintilla apparet, ſed ſpes reſurrectionis ob oculos per Euangelium eſt poſita. Imo lumen fidei, ex quo plenum cæleſtis gloriæ fulgorem prope adeſſe cognoſcimus, excitare nos debet ne torpeamus in terra. Cæterum paulo poſt, ubi jubet tanquam interdiu in luce ambulare, eandem metaphoram non continuat, quia præſentem ſtatum diei confert, in quo nobis affulget Chriſtus. Sed diverſis modis nunc ad futuræ vitæ meditationem, nunc ad reverentiam conſpectus Dei hortari nos voluit.

13. *Non comeſſationibus*, &c.] Tria vitiorum genera hic poſuit, quorum unumquodque deſignavit duobus nominibus: intemperiem & luxuriem in victu: libidinem veneream & quæ ei conjunctæ ſunt ſpurcitiæ: invidiam & contentionem. Si hæc tantum in ſe turpitudinis habent, ut ea perpetrare carnales quoque homines in hominum oculis pudeat: nos ab iis perpetuo abſtinere convenit, qui in luce Dei verſamur, etiam quum ab hominum conſpectu ſumus ſubducti. In tertio jugo quanquam æmulationem contentio præcedit, dubium tamen noo eſt quin Paulus monere voluerit, ex hoc fonte emergere lites & certamina: quia dum quiſque eminere appetit, alii aliis invident. Utriuſque vero mali cauſa eſt ambitio.

14. *Sed induamini Jeſum Chriſtum*, &c.] Metaphora hæc valde eſt Scripturis uſitata in iis rebus quæ ad hominem vel ornandum vel deformandum faciunt: quorum utrumque in veſtimentis cernitur. Nam & fœda laceraque veſtis hominem dehoneſtat, & decora puraque multum illi conciliat gratiæ. Induere autem Chriſtum, hic ſignificat virtute Spiritus ejus undique nos muniri, qua idonei ad omnes ſanctitatis partes reddamur. Sic enim inſtauratur in nobis imago Dei, quæ unicum eſt animæ ornamentum. Reſpicit enim Paulus ad vocationis noſtræ finem, quia Deus nos adoptans, in corpus unigeniti Filii ſui inſerit, & quidem hac lege, ut nos abdicantes priore vita, fiamus in ipſo novi homines. Quare etiam alibi fideles dicit Chriſtum induere in Bapti- Gal. 3:17.
ſmo. *Et carnis curam.* Quamdiu carnem noſtram circumferimus, ejus curam non poſſumus in totum abjicere: ſic enim in cælis eſt converſatio noſtra, ut in terra peregrinemur. Curanda ſunt igitur quæ ad corpus pertinent, ſed non aliter quam peregrinationis adminicula, non autem ut patriæ nos oblivisci faciant. Dixerunt etiam profani homines, Naturæ pauca ſufficere: appetitus vero hominum eſſe inexplebiles. Neceſſe ergo eſt, quiſquis carnis ſuæ deſideriis ſatisfacere cupit, non modo diffluere, ſed in vaſtum & profundum gurgitem immergi. Paulus deſideriis frenum injiciens, hanc omnis intemperantiæ cauſam eſſe admonet, quod nemo ſobrio vel legitimo uſu contentus eſt: ideo ſtatuit hunc modum, ut ſerviamus neceſſitati carnis noſtræ, non libidini indulgeamus. Ita fiet ut præſenti ſeculo utamur tanquam non utentes.

CAP. XIV.

Cap. XIV.

EUm vero qui fide eſt imbecilla, ſuſcipite, non ad diſceptationes quæſtionum.
2. Qui credit, veſcatur quibuſvis: qui autem infirmus eſt, olera edit.
3. Qui edit, non contemnat eum qui abſtinet: & qui abſtinet, eum non condemnet qui edit: Dominus enim illum ſuſcepit.
4. Tu quis es qui judicas alienum ſervum? proprio domino ſtat vel cadit. ſtabit vero: potens eſt enim Deus efficere ut ſtet.

1. *Eum vero.*] Nunc tranſit ad præceptum Eccleſiaſticæ inſtitutioni apprime neceſſarium: ut qui in doctrina Chriſtiana majores fecerint progreſſus, rudioribus ſe accommodent, roburque ſuum conferant ad ſuſtinendam eorum infirmitatem. Sunt enim in Dei populo aliqui debiliores, qui niſi tractentur magna manſuetudine ac clementia, concidunt animis, & tandem à religione alienantur. Quod illo etiam ſeculo potiſſimum contigiſſe, veriſimile eſt: ſiquidem miſtæ erant ex Judæis ac Gentibus Eccleſiæ: quorum alii Moſaicæ Legis obſervationibus diu aſſueti, & à pueris innutriti, non facile ab illis diſcedebant: alii quum nihil tale didiciſſent, inſuetum jugum refugiebant. Quoniam autem prompta eſt homini inclinatio ab opinionum diverſitate ad rixas & contentiones, oſtendit Apoſtolus quomodo inter ſe conſiſtere queant ſine diſſidio qui ſic opinionibus variant. Præſcribit autem optimum modum, ut qui robuſtiores ſunt, operam impendant infirmis ſublevandis: & qui magis profecerunt, ſufferendis rudibus. Neque enim, ſi nos præ aliis confirmat Deus, robur confert quo imbecilles opprimamus: nec Chriſtianæ ſapientiæ eſt, inſoleſcere ultra modum, alioſque contemnere. Hac ergo ratione ſermonem ad peritiores & jam confirmatos dirigit, qui quo ampliorem à Domino gratiam acceperunt, eo magis obſtricti ſunt ad proximos juvandos. *Non ad diſceptationes quæſtionum.* Defectiva eſt oratio: quoniam verbum quod poſſet ſenſum implere, deficit: nihil tamen aliud velle conſtat, quam ne fatigentur infirmi importunis diſceptationibus. Tenenda vero eſt, quam nunc tractat, hypotheſis. quia enim multi ex Judæis adhuc in Legis umbris hærebant, fatetur quidem hoc in illis eſſe vitioſum, ſed ad tempus veniam dari poſtulat: quia durius ipſos urgere, fuiſſet labefactare eorum fidem. Quæſtiones ergo contentioſas vocat, quæ mentem nondum ſatis compoſitam perturbant, vel implicant dubitationibus. Quanquam longius hoc extendere convenit, nempe ad quaſvis ſpinoſas & ſalebroſas quæſtiones, quibus inquietantur ac conturbantur imbecilles conſcientiæ citra ædificationem. Videndum itaque eſt quibuſnam quæſtionibus ferendis quiſque ſit idoneus, & attemperanda ſingulis ſecundum captum ſuum doctrina.

2. *Qui credit, veſcatur quibuslibet.*] In diverſa lectione quid ſequutus fuerit Eraſmus, non video. Mutilam enim ſententiam reddidit, quum plena ſit in verbis Pauli: & pro articulo relativo improprie poſuit, Alius quidem credit. Nec illud aſperum aut coactum videri debet, quod infinitivum pro imperativo accipio: quoniam iſta loquendi formula Paulo uſitatiſſima eſt. Credentes ergo appellat qui certitudine conſcientiæ ſunt præditi: his permittit indifferentem rerum omnium uſum. Interim olera edit infirmus, & ab iis abſtinet quorum non putat uſum licere ſibi. Si vulgata lectio magis placet, ſenſus erit, iniquum eſſe ut qui libere omnibus veſcitur, quia ſibi licere credit, ad eandem normam exigat teneros adhuc in fide & debiles. Nam Ægrotos exponere (ut quidam fecerunt) ridiculum eſt.

3. *Qui edit, non contemnat.*] Prudenter & appoſite utrimque vitiis occurrit. Hoc enim vitio laborant qui ſunt firmiores, ut eos qui inanibus ſcrupulis detinentur, tanquam ſuperſtitioſulos deſpiciant, atque etiam irrideant: contra hi vix ſibi cavere à temerariis judiciis queunt, ut non damnent quod non aſſequuntur. quicquid ergo fieri contra ſuum ſenſum cernunt, illud malum eſſe putant. Illos ergo à contemptu dehortatur, hos à nimia moroſitate. Ratio autem quam addit, quia pertinet ad utrumque hominum genus, utrique membro aptanda eſt. Quum vides, inquit, hominem illuminatum Dei cognitione, ſatis teſtimonii habes quod à Domino aſſumptus ſit: eum ſi vel contemnis vel damnas, rejicis quem Deus amplexus eſt.

4. *Tu quis es qui alienum ſervum* &c.] Quemadmodum inciviliter, imo ſuperbe inter homines facias, ſi alienum ſervum adigere ad tuas leges velis, & omnia ejus facta ad arbitrii tui normam exigere: ita nimium tibi ſumis, ſi quid in ſervo Dei condemnas, quia tibi non placet. Non enim tuum eſt, illi præſcribere quid faciat, & quid non faciat: neque illi neceſſe eſt ad tuam legem vivere. Quod autem judicandi facultas nobis adimitur, tam ad perſonam, quam ad facta pertinet. In quibus tamen multum eſt differentiæ: hominem enim, qualiſcunque ſit, debemus arbitrio Dei relinquere. De factis ejus non licet quidem ſtatuere ſecundum noſtram ipſorum æſtimationem, ſed ex verbo Dei. Judicium vero quod à verbo ſumitur, neque humanum eſt, neque alienum. Vult ergo hic Paulus nos ab omni judicandi temeritate arcere, in quam incidunt qui de hominum factis audent pronunciare extra Dei verbum. *Proprio domino ſtat vel cadit.* Acſi diceret, Hæc poteſtas proprie domini eſt, quod ſervus facit, vel improbare, vel acceptum habere: itaque injurius eſt domino, qui ad ſe rapere eam conatur. Quod autem addit, *Stabit vero*, eo non tantum jubet nos à condemnando abſtinere, ſed etiam ad clementiam & humanitatem hortatur, ut ſemper bene ſperemus de eo in quo cernimus aliquid Dei. quandoquidem ſpem nobis fecit Dominus, quod eos confirmare ad plenum velit, & ad perfectionem uſque adducere, in quibus opus gratiæ ſuæ inchoavit. Nam quod argumentatur à Dei potentia, non ſimpliciter id facit, acſi diceret, poſſe id facere Deum ſi vellet: ſed connectit Dei voluntatem cum potentia, more Scripturæ. Neque tamen definit hic aliquid perpetuum, quaſi neceſſe ſit ſtare uſque in finem quos ſemel Deus erexit: ſed tantum admonet ut bene ſperemus, judiciaque noſtra in hanc partem inclinent: ſicut etiam alibi docet, Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in finem. *Philip. 2. verſ. 6.* In ſumma, oſtendit Paulus quo propendeant eorum judicia in quibus viget charitas.

5. Hic quidem diem præ die æſtimat: ille autem peræque æſtimat omnem diem. Unuſquiſque ſententiæ ſuæ certus ſit.
6. Qui curat diem, Domino curat: qui non curat diem, Domino non curat. Qui veſcitur, Domino veſcitur: gratias enim agit Deo. & qui abſtinet, Domino abſtinet: & gratias agit Deo.

5. *Hic*

5. *Hic quidem.*] Nuper de religione in ciborum delectu loquutus erat: nunc alterum exemplum addit de diſcrimine dierum. utrumque autem ex Judaiſmo erat. Siquidem quum Dominus inter cibos diſcernat in Lege ſua, & quoſdam immundos eſſe pronunciet, quorum uſu interdicit: quum dies præterea feſtos & ſolennes indicat, eoſque obſervari præcipiat: Judæi à pueritia enutriti in doctrina Legis, non poterant deponere dierum reverentiam quam ab initio conceperant, & cui tota vita aſſueverant: non audebant cibos attingere, à quibus tamdiu abborruerant. Quod iis opinionibus imbuti erant, infirmitatis erat: nam aliter ſenſiſſent, ſi certa illis ac liquida Chriſtianæ libertatis notitia conſtitiſſet. Ab eo autem ſe abſtinere quod putabant ſibi illicitum, id erat pietatis: quemadmodum audaciæ fuiſſet ac contemptus, ſi quid repugnante conſcientia tentaſſent. Hic ergo optimam moderationem Apoſtolus adhibet, quum jubet quemque ſui conſilii eſſe certum: quo intelligit tantum oportere eſſe obedientiæ ſtudium in Chriſtianis, ut nihil agant, quod non exiſtiment vel potius certi ſint placere Deo. Ac omnino tenendum eſt, hoc recte vivendi principium eſſe, ſi pendeant homines à Dei nutu, nec ſibi dubio & vacillante animo vel digitum movere permittant: quia fieri non poteſt quin ad contumaciam ſtatim proſiliat temeritas, ubi longius progredi audemus quam perſuaſi ſumus nobis licere. Siquis objiciat, errorem ſemper eſſe perplexum, ideoque non poſſe infirmis certitudinem conſtare quam requirit Paulus: in promptu eſt ſolutio, talibus ignoſci, modo intra ſuum modulum ſe contineant. Neque enim aliud voluit Paulus quam cobibere immodicam licentiam, qua fit ut plurimi quaſi fortuito ſe ingerant ad res dubias & incognitas. Hunc ergo delectum requirit Paulus, ut omnibus noſtris actionibus præeat Dei voluntas.

6. *Qui curat diem, Domino curat.*] Quum certum eſſet Paulo, ea ignoratione Chriſti provenire dierum obſervationem, non eſt credibile talem ab eo corruptelam in totum defendi: & tamen ita videntur ſonare verba, nibil delinquere qui diem obſervat. nam Deo nibil acceptum eſſe poteſt niſi bonum. Ergo ut ejus mentem teneas, diſtinguere neceſſe eſt inter opinionem quam de obſervandis diebus quis conceperit, & obſervationem ipſam cui ſe adſtringit. Opinio enim ſuperſtitioſa eſt: neque id negat Paulus, qui & jam infirmitatis nomine eam damnavit, & ſtatim apertius damnabit. Quod autem is qui tenetur ea ſuperſtitione, violare diei ſolennitatem non audet, illud approbatur Deo: propterea quod nihil audet dubia conſcientia ſuſcipere. Quid enim faceret Judæus, qui nondum adeo profecit ut dierum religione ſit liberatus? habet verbum Domini quo commendatur dierum obſervatio. Neceſſitas illi imponitur per Legem: abrogatio nondum illi perſpecta eſt. Nihil ergo ſupereſt, niſi ut ampliorem revelationem expectans, contineat ſe intra modum captus ſui: nec ante beneficio libertatis fruatur, quam fide illud amplexus ſit. Sic & de eo ſentiendum eſt qui ab immundis cibis ſibi temperat. Nam ſi ita perplexus veſceretur, illud non eſſet è manu Dei beneficium accipere, ſed rebus vetitis manum injicere. Utatur ergo aliis quæ ſibi permiſſa putat, & modum intelligentiæ ſuæ ſequatur. Sic gratias aget Domino: quas agere non poſſet, niſi perſuaſus eſſet, Dei beneficio ſe fuiſſe paſtum. Ideo non erit aſpernandus, tanquam Dominum hac ſua ſobrietate & pia timiditate offendat. Nec vero, ſi dicamus infirmi hominis modeſtiam Deo probari, non quia meretur, ſed per indulgentiam, in eo quicquam erit abſurdi. Cæterum quia nuper exegit mentis certitudinem, ne quiſque ſuo arbitrio temere hoc vel illud ſervandum ſuſcipiat: videndum eſt annon hortetur hic potius quam affirmet: quia melius hoc modo contextus fluet, Cuique ratio facti ſui conſtet, quia reddenda erit apud cæleſte tribunal ratio. nam ſive quis veſcatur cibo, ſive abſtineat, debet in utroque Deum reſpicere. Certe nihil, tam ad cohibendam judicandi licentiam, quam ad corrigendas ſuperſtitiones, aptius eſt, quam dum citamur ad Dei tribunal: ideoque prudenter Paulus judicem ſingulis proponit, ad cujus nutum referant quicquid agunt. Nec obſtat affirmativa loquutio: quia continuo poſt ſubjicit, Neminem ſibi vivere aut mori. ubi non recitat quid faciant homines; ſed quid debeant facere præcipit. Nota autem quod dicit, tunc nos Domino veſci, & abſtinere, quum gratias agimus. Proinde ſine gratiarum actione impurus eſt uſus, & impura abſtinentia. Unicum eſt nomen Dei, quod dum invocatur, nos noſtraque omnia ſanctificat.

7. Nemo enim noſtrum ſibiipſi vivit, & nemo ſibi moritur.

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. ſive vivimus ſive morimur, Domini ſumus.

9. In hoc enim & mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, & revixit, ut vivis dominetur ac mortuis.

7. *Nemo enim noſtrum* &c.] Confirmat nunc ſuperiorem ſententiam, ratione ex toto ad partem ducta, Non eſſe ſcilicet mirum, ſi particulares vitæ noſtræ actiones in Dominum reſpicere debeant, quum ipſa quoque vita in ejus gloriam tota conferenda ſit. Tunc enim demum rite compoſita eſt Chriſtiani hominis vita, ubi Dei voluntatem pro ſcopo habet. Quod ſi referre ad ejus arbitrium debes quicquid agis, nefas eſt omnino quippiam aggredi quod putes illi diſplicere: imo quod non perſuaſus ſis illi placere. *Domino vivere*, hic non ſignificat, ut cap. 6. verſ. 8., ejus Spiritu vegetari: ſed ad ejus arbitrium ac nutum ſe comparare, & in ejus gloriam ſua omnia deſtinare. Nec Domino vivendum eſt modo, ſed etiam moriendum: hoc eſt, tam mors quam vita, illius arbitrio permittenda. Addit optimam rationem, quia *ſive vivimus ſive morimur, illius ſumus*. Nam inde ſequitur, illum habere jus in vitam ac mortem noſtram. Hujus doctrinæ uſus late patet. ſic enim Deo aſſeritur imperium vitæ & mortis, ut ſua cuique conditio tolerabilis ſit, tanquam jugum ab eo impoſitum. æquum enim eſt ut ſtationem cuique ſuam & curſum aſſignet. Atque hoc modo non ſolum vetamur temere hoc vel illud aggredi Dei injuſſu, ſed nobis in omnibus moleſtiis & incommodis tolerantia præcipitur. Siquando igitur à rebus adverſis reſiliat caro, veniat nobis in mentem, eum qui liber non eſt nec ſui juris, jus & ordinem pervertere, niſi à Domini ſui nutu pendeat. Hoc etiam modo, vivendi & moriendi regula nobis traditur, ut ſi vitam per continuas ærumnas & languores nobis proroget, non tamen appetamus migrare ante tempus. Quod ſi repente in medio ætatis flore nos revocet, ſemper parati ſimus ad diſceſſum.

9. *In hoc enim & mortuus eſt Chriſtus.*] Confirmatio eſt rationis quam proxime poſuerat. quo enim probaret vivendum eſſe & moriendum Domino, dixerat, nos, *ſive vivimus ſive morimur*, in Chriſti poteſtate eſſe. Nunc oſtendit quam merito hanc ſibi poteſtatem in nos Chriſtus vindicet, quum eam tanto pretio ipſe acquiſierit. Nam mortem pro

ſalute

Digitized by Google

ſalute noſtra obeundo, dominium ſibi acquiſivit, quod nec morte ſolveretur: reſurgendo autem, totam vitam noſtram in peculium accepit: morte igitur & reſurrectione ſua promeritus eſt ut tam in morte quam in vita, gloriæ nominis ſui ſerviamus. Quod hic habetur, *Reſurrexit & revixit*, perinde valet atque per reſurrectionem novum vitæ ſtatum ei fuiſſe partum. Et quia vita quam nunc obtinet, mutationi obnoxia non eſt, æternum quoque ejus eſſe in nos imperium.

10. Tu vero quid judicas fratrem tuum? aut etiam tu quid contemnis fratrem tuum? Omnes enim ſiſtemur ad tribunal Chriſti.

Jeſa. 45. verſ. 23. 11. Scriptum eſt enim, Vivo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

12. Unuſquiſque igitur de ſe rationem reddet Deo.

13. Quare ne amplius judicemus alius alium: ſed hoc judicate potius, ne lapſus occaſio detur fratri, aut offendiculum.

10. *Tu vero.*] Quoniam omnium noſtrum vitam ac mortem Chriſto addixerat, inde tranſitum facit ad mentionem judicii quod Pater illi una cum cæli ac terræ dominio detulit. Unde colligit importunam eſſe audaciam, ſi quis judicium ſibi in fratrem uſurpat: quando hac licentia Chriſto Domino eripitur poteſtas quam ſolus à Patre accepit. Sed primum *fratris* nomine coërcet iſtam judicandi libidinem. Si enim fraternæ ſocietatis jus inter nos ſtatuit Dominus, æqualitatem ſervari oportet: importune ergo faciet alius quilibet, judicis perſonam ſibi aſſumens. Deinde ad unicum illum Judicem nos revocat, cui non ſolum adimere ſuam poteſtatem nemo poteſt, ſed ne ejus quidem tribunal effugere. Quam igitur abſurdum eſſet inter homines, ſi reus qui in ſubſellio jacere debet, involaret in tribunal judicis: tam abſurdum eſt Chriſtianum hominem judicandæ fraternæ conſcientiæ licentiam ad ſe trahere. Tale fere eſt argumentum Jacobi cap. 4. v. 11. Quod qui fratrem judicat, judicat Legem: qui vero judicat Legem, non Legis eſt obſervator, ſed præſes. Contra vero inquit, Unus eſt Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere. *Tribunal*, pro judicandi facultate Chriſto attribuit: qualiter vox Archangeli (*1 Theſſ. 4. verſ. 16.*) qua citabimur, Tuba nominatur alibi: quia ſuo velut clangore, omnium mentes aureſque percellet.

11. *Scriptum eſt enim, Vivo ego.*] Hoc Prophetæ teſtimonium non tam ad probationem ſententiæ illius de judicio Chriſti, quæ indubitata erat apud omnes Chriſtianos, citaſſe mihi videtur, quam ut oſtenderet judicium illud ſumma cum humilitate & ſubmiſſione omnibus eſſe expectandum: quod verba quoque ſonant. Prius ergo ſuis verbis teſtatus eſt, penes Chriſtum unum eſſe judicium in omnes homines: nunc Prophetæ verbis demonſtrat, oportere illius judicii expectatione omnem carnem humiliari: quod per genuflexionem notatur. Cæterum quanquam in illo Prophetæ loco Dominus in genere prædicit fore ut illuſtretur gloria ſua apud omnes gentes, ac majeſtas ſua ubique emineat, quæ tunc inter pauciſſimos, velut in obſcuro aliquo mundi angulo, deliteſcebat: tamen ſi propius expendimus, palam eſt ejus rei complementum non extare nunc, neque unquam extitiſſe in hoc mundo: neque vero ejus rei in poſterum ſpes eſt. Non aliter nunc regnat in mundo Deus, quam per Euangelium: nec aliter rite honoratur ejus majeſtas, quam ubi ex verbo agnita ſuſpicitur. Atqui ſemper habuit Dei verbum hoſtes ſuos qui pervicaciter reſtiterunt: & contemptores, qui ludibrio illud velut rem ludicram ac fabuloſam habuerunt. hodie quoque multi tales ſunt, & perpetuo erunt. Hinc apparet inchoari quidem in præſenti vita vaticinium iſtud; ſed à ſua perfectione abeſſe, donec dies ille ultimæ reſurrectionis illuxerit, quo proſternentur omnes Chriſti hoſtes, ut fiant ſcabellum pedum ejus. Porro id quoque fieri non poterit, niſi in judicium ſederit Dominus: ergo bene accommodavit teſtimonium hoc ad tribunal Chriſti. Eſt etiam inſignis locus ad ſtabiliendam fidem noſtram de æterna Chriſti divinitate. Deus enim eſt qui illic loquitur, & Deus ille qui gloriam ſuam alteri non ceſſurum ſemel pronunciavit. (*Jeſa. 42. verſ. 8.*) Jam ſi in Chriſto adimpletur quod uni ſibi illic vindicat, ipſe proculdubio ſe in Chriſto manifeſtat. Et ſane illius prophetiæ veritas tunc palam apparuit, quum ex orbe univerſo populum ſibi collegit Chriſtus, atque in numinis ſui cultum, Euangeliique obedientiam redegit. Quo reſpexit Paulus Philip. 2. verſ. 9. quum diceret, Deum Chriſto ſuo nomen dediſſe, in quo flectatur omne genu. ad plenum autem conſtabit, ubi ad judicandos vivos & mortuos tribunal conſcenderit: quemadmodum illi à Patre datum eſt omne judicium in cælo & in terra. In verbis Prophetæ eſt, Omnis lingua jurabit mihi: ſed quum ſpecies divini cultus ſit juſjurandum, nihil ſenſu variat quod hic habet Paulus, *Confitebitur.* Voluit enim ſimpliciter affirmare Dominus, cunctos homines non modo agnituros ſuum numen, ſed confeſſionem obedientiæ edituros & ore & externo corporis geſtu, quem per genuflexionem deſignavit.

12. *Unuſquiſque igitur.*] Concluſio hæc ad humilitatem ac ſubmiſſionem nos revocat. unde etiam ſtatim infert, *Ut ne judicemus alter alterum*: quia nobis fas non eſt judicandi vices uſurpare, quos ſubeundi pariter judicii & reddendæ rationis manet neceſſitas. Ex varia autem ſignificatione verbi Judicare, eleganter deduxit antanaclaſin. Priore enim loco vetat ne judicemus condemnando: altero jubet ut judicium omne rationis conferatur ad vitandam offenſionem. Oblique enim perſtringit malignos iſtos cenſores, qui huc conferunt totum ſuum acumen, ut aliquid ad carpendum inveniant in fratrum vita. Ideoque jubet potius ad cavendum intentos eſſe, quia ſuo neglectu ſæpe fratres ſuos vel præcipitant, vel impellunt in aliquod offendiculum.

14. Novi & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, nihil commune per ſe eſſe: niſi qui exiſtimat aliquid eſſe commune, ei commune eſt.

15. Verum ſi propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum charitatem ambulas. ne cibo tuo illum perdas pro quo Chriſtus mortuus eſt.

16. Ne veſtrum igitur bonum, hominum maledicentiæ ſit obnoxium.

17. Non enim eſt regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.

18. Qui enim ſervit per hæc Chriſto, acceptus eſt Deo, & probatus hominibus.

14. *Novi &c.*] Quo præveniat eorum objectionem qui hucuſque profecerant in Euangelio Chriſti, ut non diſcernerent inter cibos: quid de cibis ipſis ſentiendum ſit, ſi in ſe conſiderentur, primum demonſtrat: deinde ſubjicit, quid peccari poſſit in circumſtantia uſus. Pronunciat ergo, rectæ ac puræ conſcientiæ nullum cibum eſſe impurum: neque ullum impedimentum eſſe quominus pure utamur, niſi ab ignorantia & errore: quia ſi quis aliquam in cibo immunditiem imaginetur, eo libere uti non poteſt. Sed paulo poſt addit, non eſſe in cibos modo ipſos reſpiciendum, ſed in fratres coram quibus veſcimur. Non enim ſic debemus uſum beneficiorum Dei indifferentem habere, ut non ſit charitati ſubjectus. Perinde igitur valent ejus verba acſi diceret, Scio mundos eſſe omnes cibos, ideoque liberos tibi relinquo, ſino conſcientiam tuam omni ſcrupulo ſolutam, denique à cibis ipſis non te ſimpliciter arceo: ſed ratione ipſorum ſepoſita, volo proximum a te non negligi. *Communem* hoc loco appellat profanum, & quod ab impiis promiſcue uſurpatur: ut opponatur iis quæ peculiariter ſunt ſanctificata in uſum populi fidelis. Dicit ſe noſſe & perſuaſum eſſe de puritate omnium ciborum, quo eam extra dubium ponit. Addit, *in Domino Jeſu*: quia ejus beneficio & gratia conſequimur ut à Domino benedicantur nobis omnes creaturæ; quæ in Adam erant maledictæ. Simul tamen voluit opponere libertatem à Chriſto datam, Legis ſervituti, ne teneri ſe putarent ea obſervatione à qua Chriſtus ipſos liberaſſet. In exceptione quam poſuit, docemur nihil tam purum eſſe, quod non contaminet corrupta conſcientia. ſola enim fides eſt ac pietas, quæ nobis omnia ſanctificat. Infideles autem, ut intus polluti ſunt, ita attactu ſuo inficiunt omnia, Tit. 1. v. 15.

15. *Si propter cibum frater tuus contriſtatur.*] Nunc declarat quot modis uſum bonarum rerum vitiet fratrum offenſio. Ac prima quidem ratio eſt, quod violatur charitas, ſi ob cauſam tam levem frater mœrore afficitur: contrarium enim charitati eſt, alicui doloris cauſam dare. Altera, quod dum vulneratur infirma conſcientia, diſſipatur pretium ſanguinis Chriſti: nam contemptiſſimus frater ſanguine Chriſti eſt redemptus: indignum eſt ergo ut perdatur, quo ventri ſatisfiat. Et nos turpiter nimium cupiditatibus noſtris ſumus addicti, ſi Chriſto cibum rem viliſſimam præferimus. Tertia eſt, quod ſi bona eſt libertas per Chriſtum nobis acquiſita, dare operam debemus ne in hominum maledicentiam incidat, ac merito vituperetur: quod fit ubi importune Dei donis abutimur. Hæ ergo rationes movere nos debent, ne temere ob licentiam noſtram in offenſiones incurramus.

17. *Non eſt enim regnum Dei.*] Jam è converſo docet, poſſe nos citra jacturam abſtinere uſu noſtræ libertatis: quia regnum Dei non ſit in illis rebus poſitum. Nam quæ vel ad erigendum, vel ad conſervandum Dei regnum pertinent, nullo modo ſunt omittenda, quæcunque tandem ſequantur offenſiones. Quod ſi ob charitatem cedere licet uſu ciborum, illæſo Dei honore, ſalvo Chriſti regno, pietate inoffenſa: ferendi non ſunt illi qui ob eos Eccleſiam conturbant. Iiſdem argumentis utitur in priore ad Corinth. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus utrumque deſtruet. Si manducaverimus, non abundabimus. Quibus in ſumma vult oſtendere, cibum & potum res eſſe viliores, quam ut earum cauſa debeat curſus Euangelii impediri. *Sed juſtitia & pax.* Hæc obiter cibo & potui oppoſuit, non ut omnia enumeraret quibus conſtat Chriſti regnum: ſed ut indicaret poſitum eſſe in rebus ſpiritualibus. Quanquam certe paucis verbis ſummam ejus complexus eſt: nempe ut nobis bene conſcii, apud Dominum quieſcamus, ac vero conſcientiæ gaudio fruamur, idque per Spiritum ſanctum in nobis habitantem. Sed tamen (ut dixi) pauca hæc præſenti argumento accommodavit: nam qui veræ juſtitiæ factus eſt particeps, is ſummo & inæſtimabili bono fruitur, nempe tranquillo conſcientiæ gaudio. qui cum Deo pacem habet, quid amplius deſiderat? Quod *pacem* conjungit *gaudio*, mihi videtur modum exprimere ſpiritualis ejus gaudii: quia utcunque torpeant reprobi, vel ſe efferant, non aliter tamen læta & hilaris conſcientia redditur, quam ubi Deum ſibi pacatum & propitium ſentit: nec vero niſi ex illa pace ſolidum gaudium. Quanquam autem operæpretium eſt, ubi de tantis rebus fit mentio, Spiritum auctorem prædicari: tamen hoc loco tacite opponere Spiritum voluit rebus externis: ut ſciamus, abſque ciborum uſu nobis integra conſtare quæ ad Dei regnum ſpectant.

1 Cor. 6. verſ. 13.
1 Cor. 8. verſ. 8.

18. *Qui enim per hæc.*] A conſequenti ductum eſt argumentum: fieri enim non poteſt, ubi quiſpiam Deo acceptus eſt ac hominibus probatus, quin perfecte in ipſo vigeat ac floreat regnum Dei: qui tranquilla placidaque conſcientia per juſtitiam ſervit Chriſto, tam hominibus quam Deo ſe approbat: Ubi ergo eſt juſtitia & pax & gaudium ſpirituale, illic regnum Dei ſuis omnibus numeris eſt abſolutum: rebus ergo corporeis non conſtat. Porro *gratum* hominem Deo eſſe dicit, qui ejus voluntati obſequitur. Hunc probatum hominibus teſtatur, quia non poſſunt non reddere teſtimonium virtuti quam oculis cernunt. Non quod ſemper filiis Dei parcant improbi: imo ubi nulla eſt occaſio, multa in eos probra evomunt, & immeritos infamant fictis calumniis: denique recte facta, maligne interpretando, in vitium detorquent. Sed Paulus hic de ſincero judicio loquitur, cui nulla eſt admiſta moroſitas, nullum odium, nulla ſuperſtitio.

19. Proinde quæ pacis ſunt & ædificationis mutuæ, ſectemur.

20. Ne propter cibum deſtruas opus Dei. Omnia quidem pura: ſed malum eſt homini qui per offenſionem veſcitur.

21. Bonum eſt non edere carnem, nec vinum bibere, nec aliud facere in quo frater tuus concidat, vel offendatur, vel infirmetur.

19. *Proinde quæ.*] Quantum poteſt revocat nos à nuda ciborum conſideratione ad illa majora, quæ primum locum in omnibus actionibus noſtris habere, adeoque illis præeſſe debent. Edendum eſt enim ut vivamus: vivendum ut ſerviamus Domino. Ille autem Domino ſervit, qui benevolentia & comitate proximum ædificat. His enim duobus, concordia & ædificatione continentur fere omnia charitatis officia. Id ne parvi fiat, repetit quam poſuerat ſententiam, cibum corruptibilem rem indignam eſſe cujus cauſa diſſipetur Domini ædificium. Ubicunque enim vel ſcintilla eſt pietatis, illic opus Dei cernere eſt: quod demoliuntur qui ſua importunitate perturbant infirmam adhuc conſcientiam. Notandum vero eſt paci ædificationem ideo adjungi, quia interdum nimis liberaliter alii aliis indulgent, ut plurimum noceant ſuo obſequio. Quare in obſequendi ſtudio tenendus eſt delectus, ſpectandaque utilitas, ut fratri libenter donemus quicquid ad ſalutem ejus juvandam prodeſt. Sicut alibi Paulus admonet, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: mox rationem annectit, quia non omnia ædificant. Neque etiam fruſtra iterum inculcat, *Ne propter cibum*, ſignificans ſe abſtinentiam non exigere,

1 Cor. 10. verſ. 23.

in qua fiat pietatis jactura: ſicuti nuper dixit, quamvis non libere veſcamur quibuſlibet, ſed in fratrum gratiam cedamus ciborum uſu, Dei tamen regnum integrum manere.

20. *Omnia quidem pura.*] Quod omnia eſſe pura dicit, eſt conceſſionis: quod addit, *Sed malum eſt homini qui per offenſionem veſcitur*, eſt exceptionis: acſi diceret, Bonus eſt quidem cibus, ſed mala offenſio. Dati autem ſunt nobis cibi, ut iis veſcamur ſalva charitate: polluit ergo uſum puri cibi, qui charitatem in eo violat. Ex eo infert, bonum eſſe abſtinere ab omnibus quæ in fratrum offenſionem vergant. Tria autem ordine ponit, *corruere, offendi, infirmari*, in hunc ſenſum, Ne fratribus cauſa lapſus præbeatur, imo nec offenſionis, imo nec infirmitatis. Infirmari ſiquidem minus eſt quam impingere vel offendi: & offendi minus quam cadere. Infirmari dicitur, cujus conſcientiæ trepidatio aliqua injicitur: offendi, cujus conſcientia graviori perturbatione concutitur: concidere, qui quodammodo alienatur à ſtudio religionis.

22. Tu fidem habes? apud teipſum habe coram Deo. Beatus qui non judicat ſeipſum in eo quod examinat.

23. Qui vero dijudicat ſi comederit, condemnatus eſt, quia non ex fide. Quicquid vero non eſt ex fide, peccatum eſt.

22. *Tu fidem.*] Quo finem faciat, demonſtrat in quo ſitum ſit bonum Chriſtianæ libertatis: unde apparet, falſo eos jactare libertatem, qui in uſu illius temperare ſibi neſciunt. Dicit ergo, notitiam libertatis, quum fidei ſit, Deum proprie reſpicere. ergo qui ejuſmodi certitudine præditus eſt, eum conſcientiæ tranquillitate coram Deo contentum eſſe oportet: neque opus eſt venire in poſſeſſionem coram hominibus. Sequitur ergo perverſa libidine fieri, ſi infirmos fratres in eſu carnium offendimus: quia nulla ad id neceſſitas nos impellit. Cæterum liquet facile quam perperam à nonnullis detorqueatur hic locus, qui inde colligunt non referre qualiter ſe quiſque gerat in obſervandis ſtultis ac ſuperſtitioſis ceremoniis, modo conſcientia pura apud Deum maneat. Nihil enim minus voluit Paulus, ut contextus ipſe teſtatur: ceremoniæque ad Dei cultum inſtitutæ, pars quoque ſunt noſtræ confeſſionis. Porro qui fidem à confeſſione avellunt, Soli detrahunt ſuum calorem. Paulus vero nihil tale hic tractat: ſed tantum diſputat de libero cibi & potus uſu. *Beatus qui non judicat ſeipſum.* Hic docere vult primum qua ratione legitimus nobis fiat donorum Dei uſus: deinde quantum impedimentum ſit ignorantia, ne imperitos ultra infirmitatis ſuæ modum urgeamus. Sed generalem ponit ſententiam quæ ad omnes actiones extenditur. Beatus, inquit, eſt, qui non eſt ſibi male conſcius: ſi quidem facta ſua rite examinat. Contingit enim pleroſque deſignare peſſima facinora ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo: ſed id fit, quia clauſis oculis temere ſe proripiunt quo fert cæca & furioſa carnis intemperantia. Multum vero inter ſtuporem ac judicium intereſt: qui ergo delectum habet in rebus, ille ſi probe æſtimata re & perpenſa non mordetur malo conſcientiæ teſtimonio, beatus eſt. Nam ſola hæc ſecuritas facere poteſt ut opera noſtra Deo placeant. Hoc modo eripitur inanis excuſatio quam plerique ex ignorantia prætendunt, quum torpore & ſocordia implicitus ſit eorum error. Si enim ſufficeret bona (quam vocant) intentio, ſupervacuum eſſet examen, à quo hic Dei Spiritus hominum facta æſtimat.

23. *Qui vero dijudicat.*] Optime uno verbo expreſſit affectum animi vacillantis, & incerti quid ſit opus factu. Qui enim dijudicat, huc atque illuc alternat, & dubia inclinatione tenetur ſuſpenſus inter varias deliberationes. quum ergo principium boni operis ſit, animi bene ſibi apud Deum conſcii certitudo, & quaſi placida ſecuritas, nihil magis contrarium eſt operum noſtrorum approbationi, quam trepidatio. Utinam vero bene infixa eſſet hominum animis hæc ſententia, nihil aggrediendum, niſi quod certo ſtatueret animus Deo acceptum eſſe. Non ita in multis vitæ partibus tumultuarentur homines, vel nutarent, vel cæco impetu ſe ingererent quocunque eos rapit ſua imaginatio. Nam ſi ad hanc modeſtiam reſtringitur victus noſter, ne quis dubia conſcientia buccellam panis attingat, quanto major in rebus maximis adhibenda eſt cautio? *Quicquid vero non eſt ex fide.* Ratio condemnationis, quod opus quamlibet in ſpeciem præclarum ſit & egregium, niſi recta conſcientia fundatum ſit, peccato imputatur. Neque enim externam pompam moratur Deus, ſed interiorem cordis obedientiam. Ab una illa pendet operum noſtrorum æſtimatio. Porro qualis obedientia eſt, ſi quis ſuſcipit quod non perſuaſus ſit Deo approbari? Ubi ergo dubitatio talis eſt, merito prævaricationis arguitur qui contra teſtimonium conſcientiæ pergit. Fidei vocabulum hic ponitur pro conſtanti animi perſuaſione, & firma (ut ita loquar) certitudine, nec ea qualibet, ſed quæ ex Dei veritate concepta ſit. itaque trepidatio & incertitudo actiones noſtras omnes, quantumvis alioqui ſpecioſas, vitiat. Jam quum pia mens nuſquam certo niſi in verbo Dei poſſit acquieſcere: evaneſcunt hic omnes fictitii cultus, & quæcunque opera in hominum cerebris nata ſunt. Dum enim damnatur quicquid non eſt ex fide, rejicitur quicquid non eſt verbo Dei ſuffultum & approbatum. Quanquam ne id quidem ſatis eſt, verbo Dei approbari quod fecimus, niſi animus perſuaſione illa fretus, alacriter ad opus ſe accingit. Itaque hoc recte vivendi principium eſt, ne mentes noſtræ ſubinde fluctuent, Dei verbo innixos ſecure pergere quocunque vocat.

Cap. XV.

Debemus autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium portare, & non placere nobiſipſis.

2. Unuſquiſque enim noſtrum proximo placeat in bonum, ad ædificationem.

Pſal. 69. verſ. 10. 3. Etenim Chriſtus non placuit ſibiipſi: ſed quemadmodum ſcriptum eſt, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

1. *Debemus autem.*] Ne indignum putarent qui in Dei cognitione plus aliis promoverant, ſibi plus oneris imponi, oſtendit in quem uſum ſit conferendum robur illud quo reliquos excellunt: nempe ad ſuſtinendos imbecilles, ne collabantur. Quemadmodum enim quibus excellentiorem doctrinam contulit Deus, eos inſtituendis rudibus deſtinat: ita quos corroborat, illis commendat fulciendos imbecilles ſuo robore. ſic omnes gratias inter Chriſti membra communicari decet. Quo igitur

quiſque

quiſque confirmatior eſt in Chriſto, eo eſt obſtrictior ſufferendis infirmis. Quod dicit, noo oportere Chriſtianum placere ſibi, ſignificat non oportere ſtudium ſuum dirigere ad ſatisfaciendum ſibi: quemadmodum ſolent qui proprio judicio contenti, alios ſecure negligunt. Et vero ad cauſam præſentem aptiſſima eſt hæc admonitio: quia nihil magis obſequia noſtra impedit vel moratur, quam quod ſibi quiſque plus æquo addictus eſt, ut poſthabita aliorum cura, tantum ſua conſilia vel affectus ſequatur.

2. *Unuſquiſque enim noſtrum.*] Docet hic nos eſſe aliis obligatos: ideo officii noſtri eſſe, illis ſatisfacere & obtemperare: nec ullam eſſe exceptionem quin debeamus nos fratribus accommodare, ubi ſecundum Dei verbum in illorum ædificationem id poſſumus. Duæ ergo hic ſunt propoſitiones: quod noſtro ipſorum judicio non contenti, noſtris cupiditatibus non acquieſcentes, debemus ubique dare operam & contendere, quo fratribus noſtris ſatisfiat. Altera, quod dum volumus nos proximis accommodare, in Deum reſpicere debemus, ut finis noſter ſit illorum ædificatio. Nam major pars aliter placari nequit, quam ſi eorum libidini indulgeas. Quod ſi gratiam apud plurimos inire velis, non tam curanda erit eorum ſalus, quam mos gerendus eorum ſtultitiæ: nec quid expediat reſpiciendum erit, ſed quid in ſuam perniciem appetant. Non ergo ſtudendum eſt ut illis placeas, quibus nihil niſi malum adlubeſcit.

3. *Etenim Chriſtus non placuit ſibiipſi.*] Si æquum eſt, ſervum nihil recuſare quod Dominus in ſe ſuſcipiat, valde abſurdum foret, velle nos eximere ab hac neceſſitate tolerandæ alienæ infirmitatis, cui ſubjecit ſe Chriſtus, quo Rege ac Domino gloriamur. Ille enim omiſſo ſui reſpectu, ſe totum huic ſtudio dedidit. Nam in illum vere competit quicquid canit Vates Pſal. 69. v. 10. Inter alia autem hoc quoque ponit, quod zelus domus Dei ipſum exederit, & opprobria opprobrantium Deo ſuper ipſum ceciderint. Quo ſignificat, tanto fervore gloriæ Dei æſtuaſſe, tanto deſiderio regni ejus promovendi fuiſſe correptum, ut oblitus ſui, hac una cogitatione quaſi abſorberetur: ita ſe Domino devoviſſe, ut diſcinderetur animo, quoties factum ejus nomen patere impiorum maledicentiæ videret. Quanquam ſecunda illa pars, de opprobriis Dei, bifariam intelligi poteſt: vel quod non ſecus fuerit affectus contumeliis quæ Deo inferebantur, quam ſi eas in ſe ipſe pertuliſſet: vel quod non ſecus ipſi doluerit, videre Deo injuriam irrogari, quam ſi ipſe auctor extitiſſet. Quod ſi regnet in nobis Chriſtus, ut in fidelibus ſuis regnare eum neceſſe eſt, hic quoque ſenſus in animis noſtris vigebit, ut quicquid derogat Dei gloriæ, non aliter nos excruciet, quam ſi in nobis reſideret. Eant nunc quibus ſumma votorum eſt, maximos honores apud eos adipiſci, qui probris omnibus Dei nomen afficiunt, Chriſtum pedibus conculcant, Euangelium ipſius & contumelioſe lacerant, & gladio flammaque perſequuntur. Non eſt ſane tutum ab iis tantopere honorari, à quibus non modo contemnitur Chriſtus, ſed contumelioſe etiam tractatur.

4. Quæcunque enim ante ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſunt ſcripta: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

5. Deus autem patientiæ & conſolationis, det vobis idem mutuo cogitare, ſecundum Chriſtum Jeſum:

6. Ut uno animo, uno ore glorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

4. *Quæcunque enim.*] Exempli applicatio eſt, ne quis putaret iſtud nimis longe petitum eſſe, quod ad imitationem Chriſti nos cohortaretur. Imo vero, inquit, nihil eſt in Scripturis quod non ad veſtram eruditionem vitæque veſtræ inſtitutionem valeat. Inſignis locus, quo, dum intelligamus nihil in oraculis Dei contineri inane & infructuoſum, ſimul etiam docemur in Scripturæ lectione proficere ad pietatem, ac vitæ ſanctimoniam. Quicquid ergo in Scriptura proditum eſt, in eo diſcendo elaboremus. Contumelia enim fieret Spiritui ſancto, ſi putaremus illum docuiſſe aliquid, quod ſcire noſtra nihil referat: deinde quicquid illic docetur, ſciamus tendere ad profectum pietatis. Tametſi autem de veteri Teſtamento loquitur, id ipſum tamen de ſcriptis etiam Apoſtolicis ſentiendum eſt. Nam ſi Chriſti Spiritus ubique eſt ſui ſimilis, non eſt dubium quin ſuam doctrinam nunc per Apoſtolos, ut olim per Prophetas, in ſuorum ædificationem attemperaverit. Porro hic optime redarguuntur fanatici ſpiritus, qui jactant vetus Teſtamentum eſſe abolitum, nec ad Chriſtianos quicquam pertinere. Qua enim fronte avertent Chriſtianos ab iis quæ in ipſorum ſalutem à Deo deſtinata teſtatur Paulus? Quod autem addit, *ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*, non omnes partes ejus utilitatis comprehendit, quæ colligenda eſt ex verbo Dei: ſed breviter notat præcipuum finem. In hoc enim præſertim incumbunt Scripturæ, ut ad patientiam comparatos, & conſolationibus firmatos, ad ſpem æternæ vitæ erigant, atque in ejus meditatione retineant. Nomen Exhortationis, pro quo alii Conſolationem reddunt, mihi non diſplicet: niſi quod conſolatio magis quadrat patientiæ, quia hæc ex illa naſcitur. Nam tunc demum rebus adverſis patienter ferendis ſumus compoſiti, dum eas conſolatione Deus temperat. Patientia enim fidelium, non eſt illa durities quam præcipiunt Philoſophi: ſed ea manſuetudo qua nos libenter Deo ſubjicimus, dum guſtus bonitatis ejus paternique amoris, dulcia omnia nobis reddit. Ea ſpem in nobis alit ac ſuſtinet, ne deficiat.

5. *Deus autem patientiæ.*] Ab effectis ſic nominatur Deus, quæ prius Scripturæ attribuebantur, optima quidem, ſed diverſa ratione: ſolus ſane Deus patientiæ & conſolationis auctor eſt, quia utramque cordibus noſtris inſtillat per Spiritum ſuum: verbo tamen ſuo, velut inſtrumento, ad id utitur. Docet enim primum quæ ſit vera conſolatio, & quæ ſit vera patientia: deinde illam doctrinam animis noſtris inſpirat ac inſerit. Porro ubi monuit & cohortatus eſt ad officium Romanos, nunc ad precationem convertitur: quia ſatis tenebat, nullo cum profectu diſſeri de cujuſque officio, niſi Deus quod per os hominis loquutus eſt, intus Spiritu ſuo perficiat. Summa voti eſt, ut eorum animos in veram conſenſionem redigat, ac vere inter ſe conſpirare faciat. Simul etiam indicat quale ſit vinculum iſtius unitatis, dum vult ut conſentiant ſecundum Chriſtum. Miſera enim conſpiratio eſt quæ fit extra Deum: illa autem extra Deum eſt, quæ ab ejus veritate nos alienat. Ac quo magis commendabilem reddat conſenſionem in Chriſto, docet quantopere ſit neceſſaria: quando non vere à nobis glorificatur Deus niſi in ipſius laudem corda omnium conſentiant, & linguæ etiam concinant. Non eſt ergo quod jactet quiſpiam, ſe Deo gloriam daturum ſuo more; tanti enim Deo eſt ſervorum ſuorum unitas, ut inter diſſidia & contentiones gloriam ſuam perſonare nolit. Hæc una cogitatio ſatis cohibere debebat inſanam contendendi rixandique laſciviam, quæ multorum animos hodie nimis occupat.

7. Itaque ſuſcipite vos mutuo, quemadmodum Chriſtus vos ſuſcepit in gloriam Dei.
8. Dico autem Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis, ſuper veritate Dei ad promiſſiones Patrum confirmandas.
Pſal. 18. 9. Gentes autem pro miſericordia glorificare debent Deum: quemadmodum ſcriptum
verſ. 50. eſt, Propter hoc confitebor tibi inter Gentes, & nomini tuo pſallam.
2 Sam. 22.
verſ. 50. 10. Et rurſum dicit, Exultate Gentes cum populo ejus.
Pſal. 117. 11. Et rurſum, Laudate Dominum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.
verſ. 1. 12. Et rurſum Jeſaias dicit, Erit radix Jeſſe, & qui exurget ad imperandum Gentibus,
Jeſa. 11.
verſ. 10. in ipſo Gentes ſperabunt.

7. *Itaque ſuſcipite.*] Redit ad exhortationem, in qua confirmanda ſemper exemplum Chriſti retinet. Neque enim ille unum aut alterum noſtrum, ſed omnes ſimul complexus, ita nos conjunxit, ut fovere nos invicem debeamus: ſi quidem volumus in ejus ſinu permanere. Ita ergo demum confirmabimus noſtram vocationem, ſi non ſeparabimus nos ab iis quibus nos Dominus colligavit. Particula *in gloriam Dei*, vel ad nos modo, vel ad Chriſtum, vel ad ipſum & nos ſimul referri poteſt: quod poſtremum mihi magis placet, in hunc ſenſum, Quemadmodum Chriſtus Patris gloriam illuſtravit, nos omnes in gratiam recipiendo, quum miſericordia indigeremus: ſic nos ad illuſtrandam quoque ejuſdem Dei gloriam, conjunctionem illam ſtabilire ac ſancire decet, quam habemus in Chriſto.

8. *Dico autem Jeſum Chriſtum.*] Nunc oſtendit qualiter non omnes amplexus ſit Chriſtus: ut nihil relinquit diſcriminis inter Judæos ac Gentes, niſi quod Judaicæ genti primo loco promiſſus, ac quodammodo peculiariter deſtinatus fuit, priuſquam Gentibus exhiberetur. Cæterum in eo quod ſeminarium omnium contentionum erat, nihil intereſſe inter utroſque docet: quia utroſque ex miſera diſſipatione collegit, collectos in regnum Patris adduxit, ut fierent unus grex in uno ovili ac ſub uno paſtore. Inde æquum eſſe innuit, ut concordes maneant inter ſe, neque contemnant alii alios: quando neutros Chriſtus contemptui habuit. Prius ergo de Judæis loquitur, ac dicit Chriſtum illis miſſum fuiſſe, quo veritatem Dei adimpleret, promiſſiones Patribus datas præſtando. Hic autem honor vulgaris non eſt, quod Chriſtus cæli terræque Dominus, ut eorum ſaluti inſerviret, carnem induit. Quo enim magis ſe humiliavit eorum cauſa, eo majori honore dignatus eſt ipſos. Atque id tanquam indubium pro confeſſo aſſumit: quo magis mirum eſt, tantam eſſe impudentiam in phreneticis quibuſdam capitibus, ut in carne concludere, & ad præſentem mundum alligare omnes veteris Teſtamenti promiſſiones non dubitent. Nequid excellentiæ præ Judæis ſibi arrogent Gentes, Paulus diſerte pronunciat, quam Chriſtus attulit ſalutem, Judæis ex pacto eſſe propriam: quia ſuo adventu impleverit quod olim Pater Abrahæ pollicitus fuerat, atque ita miniſter illius populi fuerit. Unde ſequitur, antiquum fœdus ſpirituale reipſa fuiſſe, quamvis terrenis figuris annexum eſſet. Complementum enim de quo nunc tractat Paulus, ad æternam ſalutem referre neceſſe eſt. Porro ne quis poſſet cavillari, nepotibus tantum promiſſam fuiſſe ſalutem, quum in Abrahæ manu depoſitum fuit fœdus: expreſſe ipſas promiſſiones Patribus addicit. Ergo aut Chriſti virtus in corporalibus beneficiis continebitur, aut latius quam ad carnem extendebatur fœdus cum Abrahamo percuſſum.

9. *Gentes autem pro miſericordia.*] Alterum membrum, in quo probando, quia dubium erat, plus immoratur. Primum teſtimonium quod citat, ſumptum eſt ex Pſalmo 18. qui refertur 22. cap. lib. 2. Samuelis: ubi proculdubio vaticinium editur de regno Chriſti. Vocationem porro Gentium ex eo comprobat Paulus, quod illic promittitur confeſſio gloriæ Dei inter Gentes. Neque enim poſſumus vere Deum prædicare, niſi inter eos qui laudes ejus exaudiunt, dum à nobis canuntur. Quare ut inter Gentes Dei nomen celebretur, illas oportet donari cognitione, & in communionem populi Dei venire. Ubique enim hoc in Scripturis videas, non poſſe prædicari Dei laudes, niſi in cœtu fidelium, quibus aures ſunt audiendi præconii capaces.

10. *Exultate Gentes cum populo ejus.*] Quod hunc verſum communiter interpretantur perinde atque ex cantico Moſis deſumptum, mihi non placet: quoniam illic Moſes terrere vult potius Iſraëlis adverſarios, ejus magnitudine, quam invitare ad communem lætitiam. Exiſtimo igitur potius è Pſalmo 67. v. 5. petitum, ubi habetur, Exultent & lætentur Gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. Quod autem addidit ex ſuo Paulus, *cum populo Dei*, id fecit explicationis cauſa. Nam illic ſane conjungit Propheta Gentes cum Iſraële, & utroſque pariter ad lætitiam invitat, quæ nonniſi in Dei cognitione conſiſtit.

11. *Laudate Deum omnes Gentes.*] Neque male quadrat locus iſte. Quomodo enim Deum laudarent qui ejus magnitudinem non cognoſcunt? nihilo magis id poſſent, quam nomen ejus incognitum invocare. Eſt igitur appoſitiſſimum vaticinium ad comprobandam Gentium vocationem. Idque ex ratione illic adjuncta melius patet: jubet enim gratias agere pro veritate & miſericordia, Pſal. 117. v. 1.

12. *Rurſum Jeſaias* &c.] Hæc prophetia omnium eſt illuſtriſſima. Illic enim, rebus prope deſperatis, tenues fidelium reliquias conſolatur Propheta, quod ex arido & emortuo trunco familiæ Davidis ſurculus emerget, & ex radice contempta ramus efflorebit, qui populum Dei in priſtinam gloriam reſtituat. Hunc ſurculum eſſe Chriſtum mundi redemptorem, palam eſt ex deſcriptione illic poſita. Subnectit deinde, quod in ſignum Gentibus erigetur, ut ſit illis in ſalutem. Paulum quidem verba hæc differunt à veritate Hebraica. Nam ubi hic legimus Surgit, Hebraica habent Stare in ſignum, quod idem eſt: nempe inſtar ſigni conſpicuum eminere. Pro verbo Sperandi, habent Quærere: ſed vulgatiſſimo Scripturæ uſu, Quærere Deum, nihil eſt quam in ipſum ſperare. His autem in hac prophetia Gentium vocatio confirmatur: ex eo quod dicitur erigendus illis Chriſtus in ſignum, qui inter ſolos fideles regnat: & quod illæ in Chriſto dicuntur ſpem habituræ: quod non fit ſine prædicatione verbi & illuminatione Spiritus. his reſpondet Simeonis canticum. Cæterum ſpes in Chriſtum, teſtimonium eſt ejus divinitatis.

13. Deus autem ſpei impleat vos omni gaudio & pace in credendo: quo abundetis in ſpe per potentiam Spiritus ſancti.
14. Perſuaſus autem ſum, fratres mei, ipſe quoque de vobis, quod & ipſi pleni ſitis bonitate, referti omni cognitione, idonei ad vos mutuo admonendos.

15. Au-

15. Audacius autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte, veluti commonefaciens vos, propter gratiam mihi datam à Deo:

16. Ut ſim miniſter Chriſti erga Gentes, conſecrans Euangelium Chriſti, ut ſit oblatio Gentium acceptabilis, ſanctificata per Spiritum ſanctum.

13. *Deus autem.*] Nunc quoque ſententiam, ut prius, precatione claudit, qua illis à Domino dari optat quicquid præceperat. Unde apparet, Dominum præcepta ſua minime viribus noſtris aut liberi arbitrii facultate metiri: neque etiam ideo præcipere quæ officii noſtri ſunt, ut propria virtute freti ad obſequium nos accingamus: ſed præcipere quæ gratiæ ſuæ auxilio indigent, ut nos ad precandi ſtudium ea ſtimulet. *Deum* vero *ſpei* quum dicit, reſpicit ad proximum verſum: acſi diceret, Ille ergo Deus in quo ſperamus pariter omnes, impleat vos gaudio, id eſt, alacritate conſcientiæ: deinde unitate & concordia, idque credendo: quia ut Deo probetur pax noſtra, pura & integra fide ſimul devinctos eſſe convenit. Siquis ἐν τῷ πιστεύειν, accipere malit poſitum pro εἰς τό: ſenſus erit, ut pacem ſuam conferant ad credendum. Tunc enim rite ad fidem comparati ſumus, quando placidi & unanimes libenter amplectimur quod docet. Rectius tamen eſt, fidem ideo paci conjungi & gaudio, quia vinculum eſt ſanctæ ac legitimæ concordiæ, piique gaudii fultura. Quanquam & Pax intelligi poſſet quam quiſque intus habet cum Deo: ſed contextus ad priorem expoſitionem nos magis ducit. Addit præterea, *Quo abundetis in ſpe*: quia ſic etiam in nobis ſpes confirmatur & augetur. Particula, *Per potentiam Spiritus ſancti*, denotat omnia illa eſſe divinæ benignitatis dona: & vocabulum Potentiæ ſuam habet emphaſim, ad commendandam mirificam iſtam virtutem qua in nobis Spiritus fidem, ſpem, gaudium, & pacem operatur.

14. *Perſuaſus autem ſum.*] Occupatio eſt vel conceſſionis ſpecies, ad placandos Romanos, ſi tot ac tam anxiis admonitionibus ſe perſtringi exiſtiment, atque ita ſibi fieri injuriam. Excuſat ergo quod auſus fuerit doctoris & hortatoris perſonam inter eos ſuſcipere: ac ſe id feciſſe dicit, non quia eorum vel prudentiæ, vel benignitati, vel conſtantiæ diffideret, ſed quia ex officio cogeretur. ſic enim omnem temeritatis invidiam amolitur, quæ in eo potiſſimum eſt, ſi quis ingerit ſe in alienum officium, vel ea tractat quæ ſibi non conveniunt. in quo videre eſt ſingularem ſancti pectoris modeſtiam, cui nihil gratius fuit quam nihili haberi, modo auctoritatem haberet doctrina quam prædicabat. Multum in Romanis erat arrogantiæ, nomen urbis etiam infirmos ex plebe inflabat: ut ægre alienigenam, imo barbarum & Judæum ferrent doctorem. Cum hoc faſtu non vult Paulus ſuo privato nomine certare: ſed eum tamen quaſi demulcendo, ſubigit, quum ſe pro Apoſtoli officio ſuſcipere has partes teſtatur. *Pleni ſitis bonitate, referti omni cognitione.* Duæ monitoris præcipuæ ſunt dotes: humanitas, quæ & illius animum ad juvandos conſilio ſuo fratres inclinet, & vultum verbaque comitate temperet: & conſilii dexteritas, ſive prudentia, quæ & auctoritatem illi conciliet, ut prodeſſe queat auditoribus ad quos dirigit ſermonem. Nihil enim magis contrarium fraternis monitionibus quam malignitas & arrogantia, quæ facit ut errantes faſtuoſe contemnamus, & ludibrio habere malimus quam corrigere. Aſperitas quoque ſi aut in vultu appareat, fructum adimet monitionibus. Porro ut tam humanitatis affectu quam comitate præſtes, non eris tamen ad monendum idoneus, niſi prudentia rerumque uſu polleas. Utramque ergo facultatem tribuit Romanis, illis reddens teſtimonium quod ipſi ſibi ad mutuas cohortationes ſine alterius auxilio ſufficiant. Fatetur enim abundare & benignitate & peritia: unde ſequitur, illos valere ad exhortationem.

15. *Audacius autem ſcripſi vobis.*] Sequitur excuſatio, in qua afferenda ut modeſtior ſit, per modum conceſſionis confidenter ſe feciſſe dicit, quod interpoſuerit ſe in ea re quam ipſi per ſe exequi poterant: ſed audaciam hanc ſe ſumpſiſſe addit, pro muneris ſui neceſſitate, quia ſit Euangelii miniſter in Gentes: ideoque illos præterire non potuerit qui in Gentium numero erant. Sic tamen ſe demittit, ut muneris ſui præſtantiam efferat. Gratiam enim Dei objiciens, qua in gradum honoris evectus fuerat, quod pro munere Apoſtolico gerit, contemni non patitur. Præterea ſe doctoris partes uſurpaſſe negat, ſed monitoris: cujus officium eſt, revocare in memoriam quæ alioqui non ſunt incognita.

16. *Conſecrans Euangelium.*] Sic malo quam quod Eraſmus initio reddiderat, Adminiſtrans. Nihil enim certius eſt quam Paulum hic ad ſacra myſteria alludere, quæ à ſacerdote peraguntur. Facit ergo ſe Antiſtitem vel ſacerdotem in Euangelii miniſterio, qui populum quem Deo acquirit, in ſacrificium offerat: atque hoc modo ſacris Euangelii myſteriis operetur. Et ſane hoc eſt Chriſtiani paſtoris ſacerdotium, homines in Euangelii obedientiam ſubigendo, veluti Deo immolare: non autem, quod ſuperciliose hactenus Papiſtæ jactarunt, oblatione Chriſti homines reconciliare Deo. Neque tamen Eccleſiaſticos paſtores ſimpliciter hic vocat ſacerdotes, tanquam perpetuo titulo: ſed quum dignitatem efficaciamque miniſterii vellet commendare Paulus, hac metaphora per occaſionem eſt uſus. Hic ergo finis ſit Euangelii præconibus in ſuo munere, animas fide purificatas Deo offerre. Quod poſtea correxit Eraſmus, Sacrificans Euangelium, non modo improprium eſt, ſed ſenſum quoque obſcurat. eſt enim Euangelium potius inſtar gladii quo homines Deo in victimas ſacrificat miniſter. Subjungit tales hoſtias Deo acceptabiles eſſe: quod non tantum ad miniſterii commendationem facit, ſed etiam ad eximiam eorum conſolationem, qui ſe conſecrandos tradunt. Jam quemadmodum veteres hoſtiæ externis ſanctificationibus & lavacris Deo dicabantur: ita & iſtæ hoſtiæ conſecrantur Domino per Spiritum ſanctitatis, cujus virtute intus operante ſegregantur ab hoc mundo. Etſi enim ex fide verbi oritur animæ puritas, quia tamen vox hominis per ſe inefficax eſt ac mortua, purgandi munus vere & proprie in Spiritum competit.

17. Habeo igitur quod glorier per Jeſum Chriſtum, in iis quæ ad Deum pertinent.

18. Non enim auſim loqui quicquam de iis quæ non effecit Chriſtus per me, in obedientiam Gentium, ſermone & opere:

19. In potentia ſignorum & prodigiorum, in potentia Spiritus Dei, ut ab Jeruſalem & in circuitu uſque in Illyricum impleverim Euangelium Chriſti.

20. Ita annitens prædicare Euangelium, non ubi nominatus erat Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem:

21. Sed quemadmodum ſcriptum eſt, Ii quibus non annunciatum eſt de eo, videbunt: *Jeſa. 52. verſ. 15.*
& qui non audierunt, intelligent.

17. *Habeo igitur.*] Poſtquam vocationem ſuam in genere commendavit, ut ſcirent Romani verum & indubium eſſe Chriſti Apoſtolum: adjungit nunc elogia quibus ſe munus Apoſtolicum, Dei ordinatione injunctum, non modo ſuſcepiſſe, ſed præclare etiam ornaſſe probet. Simul eriam meminit ſuæ fidelitatis quam in exequenda illa functione præſtiterat. Parum eaim ſuerit nos ordinatos eſſe, niſi vocationi noſtræ reſpondèamus, ac ſatisfaciamus officio. Neque id facit captandæ gloriæ ſtudio: ſed quia nihil erat omittendum qund ejus doctrinæ gratiam apud Romanos & auctoritatem compareт. In Deo igitur, non in ſe gloriatur: quia non alio tendit, niſi ut ſolida laus ad Deum redeat. Quod autem negative tantum loquitur, ſignum quidem modeſtiæ eſt, ſed valet ad fidem iis quæ aſſerere vult faciendam: acſi diceret, Tantam mihi gloriæ materiam veritas ipſa ſuppeditat, ut non ſit mihi opus accerſere falſa & aliena encomia: veris ſum contentus. Forte etiam ſiniſtros rumores, quos ſciebat paſſim à malevolis ſpargi, antevertere voluit: itaque præfatur, ſe nonniſi de rebus probe compertis verba facturum.

18. *In obedientiam Gentium.*] Hæc particula denotat quod illius ſit propoſitum: nempe ut pretium addat ſuo miniſterio apud Romanos, ne profectu careat ſua doctrina. A ſignis ergo commonſtrat, Deum virtutis ſuæ præſentia, ipſius prædicationi teſtimonium reddidiſſe, & quodammodo Apoſtolatum ſuum obſignaſſe: ut nemini jam dubium eſſe debeat quin ſit à Domino conſtitutus ac miſſus. Signa ſunt ſermo & opus & miracula: unde apparet, nomen *operis* latius patere quam *miraculorum*. Tandem concludit, *In potentia Spiritus*: quo ſignificat non potuiſſe hæc fieri, niſi auctore Spiritu. In ſumma, aſſerit, tam docendo quam agendo, vim ſibi ac energiam fuiſſe in prædicando Chriſto, in qua mirifica Dei virtus appareret: deinde acceſſiſſe miracula, quæ veluti ſigilla erant in illius rei certiorem notitiam. Sermonem & opus primo ponit, tum ſpeciem unam exprimit, nempe facultatem edendi miracula. Sic & apud Lucam capitur, ubi dicit Chriſtum fuiſſe potentem ſermone & opere, 24. v. 19.
Joan. 5. verſ. 36. Item apud Joannem, ubi Chriſtus ipſe Judæos ad opera ſua mittit, unde habeant divinitatis ſuæ teſtimonium. Neque miracula ſimpliciter nominat, ſed duobus titulis inſignit. Pro eo autem quod hic dicit *potentiam ſignorum & prodigiorum*, Petrus Act. 2. verſ. 23. habet Virtutes & ſigna & prodigia. Et ſane ſunt teſtimonia divinæ potentiæ ad homines expergefaciendos, ut perculſi Dei virtute, eum mirentur ſimul atque adorent: nec ſignificatione carent, ſed excitant nos ad aliquid de Deo intelligendum. Hic nobilis eſt locus de miraculorum uſu: nempe ut reverentiam obedientiamque Deo apud homines com-
Marc. 16. verſ. 20. parent. Sic apud Marcum legis, Dominum confirmaſſe doctrinam ſubſequentibus ſignis. ſic Lucas in
Act. 14. verſ. 3. Actis narrat, Dominum per miracula teſtimonium reddidiſſe ſermoni gratiæ ſuæ. Quæ ergo gloriam creaturis quærunt non Deo, fidem mendaciis comparant non verbo Dei, diabolica eſſe conſtat. *Potentiam Spiritus Dei*, quam tertio loco ponit, ad utrumque refero.

19. *Ut ab Jeruſalem uſque in Illyricum.*] Ab effectu quoque teſtimonium adjungit: quia profectus qui ex prædicatione ſequutus erat, ſuperabat omnes hominis facultates. Quis enim tot Chriſto colligere Eccleſias poſſet, niſi Dei virtute adjutus? Ab Jeruſalem (inquit) Euangelium propagavi uſque in Illyricum: neque id recta via ad exitum feſtinando, ſed circum circa perluſtrando quæcunque in medio ſunt regiones. Cæterum verbum πεπληρωκέναι quod Implere poſt alios vertimus, ſignificat & Perficere & ſufficere qund deeſt: unde πλήρωμα tam Perfectio dicitur Græcis, quam Supplementum. Ego libenter ita expono, quod Euangelii prædicationem quaſi ſupplendo diffuderit. cœperant enim alii priores, ſed ipſe longius ſparſit.

20. *Ita annitens prædicare Euangelium.*] Quia Paulo neceſſe erat, non modo ſe ſervum Chriſti ac paſtorem Chriſtianæ Eccleſiæ approbare, ſed ſibi vindicare perſonam ac munus Apoſtoli, quo ſibi audientiam apud Romanos faceret: ponit hic propriam ac peculiarem notam Apoſtolatus. Siquidem officium Apoſtoli eſt ſeminare Euangelium ubi nondum prædicatum fuerit: ſecundum illud manda- *Marc. 16.*
tum, Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. *verſ. 15.*
Quod diligenter notare oportet, ne hoc trahamus in exemplum univerſale, quod in ordinem Apoſtolicum ſpecialiter competit. Neque enim vitio vertendum eſt, quod ſucceſſor ſubſtituitur in ejus locum qui Eccleſiam ædificavit. Sunt ergo Apoſtoli veluti fundatores Eccleſiæ: paſtores qui illis ſuccedunt, tueri debent atque etiam amplificare quod ab illis excitatum eſt ædificium. *Alienum fundamentum* vocat, alterius manu jactum. alioqui Chriſtus unicus eſt lapis quo Eccleſia fundatur, 1 Corinth. 3. v. 11. & Epheſ. 2. v. 20.

21. *Sed quemadmodum ſcriptum.*] Confirmat vaticinio Jeſaiæ id quod dixerat de ſigno ſui Apoſtolatus. Nam ille capite 52: 10. quum de regno Meſſiæ loquitur, inter cætera prædicit, oportere in univerſum orbem dilatari: Chriſti ipſius notitiam ad Gentes, quibus antea inauditum fuerat ejus nomen, perferri oportere. Id per Apoſtolos fieri convenit, quibus ſpecialiter datum eſt id mandatum: ergo Apoſtolatus Pauli ex eo fit manifeſtus, quod hæc prophetia in ipſo adimpletur. Perperam hoc ad munus paſtorale trahere quiſpiam contendet: quia ſcimus in Eccleſiis rite compoſitis, ubi pridem recepta fuit Euangelii veritas, Chriſti nomen aſſidue eſſe prædicandum. Hac ergo lege Paulus apud exteros Chriſti adhuc incogniti præco fuit, ut poſt ejus diſceſſum in ſingulis locis eadem doctrina quotidie in ore paſtorum reſonaret. Certum enim eſt Prophetam de regni Chriſti primordiis diſſerere.

22. Itaque impeditus etiam ſæpius fui quominus venirem ad vos.

23. Nunc vero nullum amplius locum habens in his regionibus, deſiderium autem habens à multis annis veniendi ad vos,

24. Siquando in Hiſpaniam proficiſcar, veniam ad vos. Spero enim fore ut iſtac iter faciens videam vos, & illuc à vobis deducar: ſi tamen prius ex parte, veſtra conſuetudine fuero expletus.

22. *Itaque* &c.] Quod de Apoſtolatu ſuo dixerat, nunc etiam alio trahit: ut excuſet quod nunquam ad ipſos acceſſiſſet, quum illis non minus quam aliis fuiſſet deſtinatus. Obiter ergo indicat, ab Judæa in Illyricum uſque Euangelium ſeminando, ſe quendam veluti curſum à Domino injunctum confeciſſe: quo peracto, non negligere ipſos ſtatuerit. Ac ne interea quoque neglectos ſe putarent, eam ſuſpicionem tollit, qui teſtatur deſiderium ſibi jampridem non deſuiſſe. Quod ergo citius non fecerat, id factum erat juſto impedimento: nunc ubi primum per vocationem licet, ſpem illis facit. Ex hoc autem loco infirmum argumentum ducitur profectionis Hiſpanicæ. neque enim protinus ſequitur, ipſum fuiſſe perfunctum, quia ſic animo concepiſſet. De ſpe enim tantum loquitur, qua

frustrari,

fruſtrati, quemadmodum alii fideles, nonnunquam potuit.

24. *Spero enim fore.*] Cauſam attingit cur ad eos venire diu optaverit, & nunc inſtituat: nempe ut ipſos videat, id eſt, ipſorum conſpectu ſermoneque fruatur, & ſe quoque illis exhibeat, pro officii ſui ratione. nam ſub adventu Apoſtolorum, Euangelii quoque acceſſio continetur. Quum dicit, ut *& illuc à vobis deducar*: eo ſignificat quantum ſibi promittat de ipſorum benevolentia: quod eſſe optimum conciliandæ gratiæ genus, antea admonuimus. Nam quo quiſque majorem ſibi fidem haberi audit, eo ſe magis adſtrictum putat: quia turpe inhumanumque ducimus, opinionem de nobis conceptam fallere. Quum autem ſubjungit, *ſi tamen expletus ex parte fuero*, de mutuæ erga eos animi ſui benevolentia teſtatur, de qua perſuaſos eſſe, magnopere intererat Euangelii.

25. Nunc vero proficiſcor Jeroſolymam ad miniſtrandum ſanctis.

26. Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem facere in pauperes ſanctos qui ſunt Jeroſolymis.

27. Placuit, inquam, & debitores ſunt ipſorum. ſi enim ſpiritualibus ipſorum communicarunt Gentes, debent & in carnalibus miniſtrare ipſis.

28. Hoc igitur quum perfecero, & obſignavero illis fructum hunc, proficiſcar per vos in Hiſpaniam.

29. Scio autem quod quum venero ad vos, in plenitudine benedictionis Euangelii Chriſti venturus ſim.

25. *Nunc vero.*] Ne mox adventum ſuum expectent, ac ſibi data verba eſſe putent ſi tardius expectatione ipſorum venerit, prædicit quid negotii habeat in præſentia, quominus profectionem illam ſuſcipere ſtatim poſſit: ſe enim proficiſci Jeroſolymam ad perferendas, quæ ab Achaia & Macedonia collectæ erant, eleemoſynas. Simul tamen ſumpta hinc occaſione delabitur ad commendationem iſtius collationis, quo ipſos quadam inſinuationis ſpecie ad imitationem provocet. Tametſi enim aperte non petit, dum tamen Achaiam & Macedoniam debuiſſe id facere commemorat, ſubindicat quod ſit Romanorum officium qui in eadem erant cauſa. Atque eo
2 Cor. 9:2. ſe reſpexiſſe, aperte ad Corinthios fatetur: Glorior, inquit, de veſtra promptitudine apud omnes Eccleſias, ut veſtro exemplo incitentur. Fuit autem id raræ pietatis, quod quum audirent Græci, fratres qui Jeroſolymis erant laborare penuria, non conſiderarunt quanto locorum intervallo eſſent à ſe disjuncti: ſed ſibi ſatis propinquos ducentes quibuſcum fidei vinculo cohærerent, eorum egeſtatem abundantia ſua ſublevarunt. Notandum eſt *communicationis* nomen quo utitur: optime enim exprimit quo affectu fratrum inopiæ ſuccurrere nos deceat, nempe quia propter corporis unitatem communis & mutua ratio eſt. Pronomen *μοι* non reddidi, quia ſæpe apud Græcos abundat, & hujus loci emphaſim minuere videtur. Ubi vertimus *ad miniſtrandum*, Græce eſt participium Miniſtrans: ſed illud commodius viſum eſt ad mentem Pauli exprimendam. ſe enim excuſat juſta occupatione teneri ne ſtatim feſtinet Romam.

27. *Et debitores ipſorum ſunt.*] Nemo non videt, quod de obligatione hic dicitur, non tam Corinthiorum cauſa, quam propter Romanos ipſos dici. nihilo enim plus Corinthii vel Macedones quam Romani Judæis debebant. Addit obligationis cauſam, quod Euangelium ab illis acceperant: & argumentum ſumit ex comparatione minoris cum majori, quo etiam
2 Cor. 9. verſ. 11. alibi utitur, Non debere videri iniquam aut gravem compenſationem illis qui pro ſpiritualibus carnalia referant, quæ immenſo ſunt viliora. Hoc autem Euangelii pretium oſtendit, quod non miniſtris tantum illius, ſed univerſæ genti, unde miniſtri prodierant, obſtrictos pronunciat. Nota autem verbum *λειτουργεῖν* pro miniſtrare: quod ſignificat munere ſuo perfungi in republica, & onera ſuæ vocationis ſubire: interdum etiam ad ſacra transfertur. Nec dubito quin ſignificet Paulus ſacrificii ſpeciem eſſe, quum de ſuo erogant fideles ad egeſtatem fratrum levandam. Sic enim perſolvunt quod debent charitatis officium, ut Deo ſimul hoſtiam grati odoris offerant: ſed proprie hoc loco ad illud mutuum jus compenſationis reſpexit.

28. *Obſignavero illis fructum hunc.*] Mihi non diſplicet quod hic alluſionem eſſe putant ad veterum morem, qui annulis occludebant quæ volebant in tuto repoſita. Hoc modo fidem ſuam & integritatem Paulus commendat, quaſi diceret ſincerum ſe fore cuſtodem pecuniæ in manibus ſuis depoſitæ, non ſecus acſi obſignatam ferret. Fructus nomine proventum notare videtur, quem ex Euangelii ſatione ad Judæos redire nuper dixit, non ſecus atque ager cultorem ſuum fructificando alit.

29. *Scio autem quod quum venero, in plenitudine.*] Bifariam exponi hæc verba poſſunt: prior ſenſus eſt, quod reperturus ſit Romæ uberem Euangelii fructum: eſt enim hæc Euangelii benedictio, quum bonis operibus fructificat. nam quod nonnulli ad eleemoſynas reſtringunt, mihi non placet. Vel quo magis deſiderabilem faciat ſuum ad eos adventum, ſperare ſe dicit non fore infrugiferum, quia ſit magnam acceſſionem facturus Euangelio, quam *plenitudinem benedictionis* vocat, pro Plena benedictione: quo nomine ſignificat proſperum ſucceſſum & incrementum. Hæc autem benedictio partim ab ejus adminiſtratione, partim ab eorum fide pendebat: ergo non fruſtra ſe venturum ad eos promittit, apud quos non perditurus ſit gratiam ſibi datam, ſed bene collocaturus, qua erant animi alacritate ad recipiendum Euangelium. Prior expoſitio magis recepta eſt, ac mihi etiam magis probatur, quod ſperet adventu ſuo ſe reperturum quod maxime optabat: nempe Euangelium apud eos florere & vigere præclaris ſucceſſibus, quia ſanctitate & omni genere virtutum excellerent. Cauſam enim ſui deſiderii reddit, quia non vulgare ex eorum conſpectu gaudium ſperet quos videbit ſpiritualibus Euangelii divitiis affluere.

30. Obſecro autem vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per dilectionem Spiritus, ut concertetis mihi in precibus veſtris pro me ad Deum:

31. Ut liberer ab incredulis in Judæa, & ut miniſterium meum quod ſuſcipio erga Jeruſalem, acceptum ſit ſanctis:

32. Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei, unaque vobiſcum refociller. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

30. *Obſecro autem vos, fratres.*] Ex plurimis locis ſatis ſcitur quanta invidia flagraverit Paulus in ſua gente ob falſas delationes, quaſi doceret defectionem à Moſe. Noverat quantum poſſint calumniæ ad gravandos innocentes: præſertim apud eos qui inconſiderato zelo feruntur. Accedebat etiam teſtificatio Spiritus, cujus meminit Actor. 20. v. 23. qua ſubinde præmonebatur, ſibi imminere Jeroſolymis vincula & afflictiones. Itaque quo majus cernebat periculum, eo magis permovebatur. Hinc tanta ſollicitudo in commendanda Eccleſiis ſalute ſua. nec miremur tam anxium fuiſſe de vita ſua, in qua tantum Eccleſiæ periculum agi ſciebat. Teſtatur ergo quantopere angeretur pium pectus quæ in hac obteſtatione ineſt vehementia, dum ad nomen *Domini* addit *Spiritus dilectionem*, qua ſe mutuo ſancti complecti debent. Cæterum in tanta trepidatione pergere non deſinit: neque ſic periculum reformidat, quin obire libenter paratus ſit: ſed remediis à Deo ſibi datis ſe inſtruit. Advocat enim Eccleſiæ ſuppetias, ut ejus precibus adjutus, ſolatium inde
Mat. 18. aliquod ſentiat: juxta Domini promiſſioœm, Ubi
verſ. 20. duo aut tres congregati erunt in nomine meo, ibi in
Mat. 18. medio eorum ſum: &, De quacunque re conſenſe-
verſ. 19. rint in terra, eam obtinebunt in cœlis. Et ne defunctoriam eſſe commendationem quis putet, per Chriſtum & per dilectionem Spiritus eos obſecrat. Dilectio autem Spiritus vocatur, in qua nos Chriſtus conjungit: quia non carnis eſt nec mundi, ſed ab ejus Spiritu, qui vinculum eſt unitatis noſtræ. Quum ergo tantum ſit Dei beneficium, fidelium precibus adjuvari, quod ne Paulus quidem, ſelectiſſimum illud Dei organum, ſibi negligendum duxerit: cujus ignaviæ futurum eſt, ſi nos miſelli & nihili homunciones ipſum contemnimus? Cæterum ex talibus locis captare anſam ad interceſſiones ſanctorum mortuorum adſtruendas, nimiæ impudentiæ eſt. *Ut concertetis mihi.* Eraſmus non male reddidit, Ut laborantem adjuvetis: ſed quia loquutio Græca Pauli plus habet energiæ, reddere ad verbum eam malui. Nam & per vocabulum Certaminis, ſignificat quibus anguſtiis premarur: & quum jubet ſibi adeſſe in hoc certamine, docet quem affectum habere debeant preces piorum pro fratribus: ut ſcilicet recipiant eorum in ſe perſonam, acſi in eadem conſtituti eſſent neceſſitate: poſtremo etiam quem habeant effectum, indicat. qui enim fratrem Domino commendat, ille partem ejus neceſſitatis ad ſe recipiendo, tantundem eum ſublevat. Et ſane ſi robur noſtrum eſt in nominis Dei invocatione poſitum, non poſſumus fratres melius confirmare, quam nomen Dei ſuper ipſos invocando.

31. *Ut miniſterium meum erga Jeruſalem.*] Sic ipſum criminando profecerant delatores, ut ſollicitus etiam eſſet ne parum gratum è manibus ſuis eſſet munus, quod alioqui in tanta neceſſitate valde opportunum erat. Atque hinc apparet mirifica ejus manſuetudo, quod non deſinit pro iis laborare, quibus an ſit gratificaturus dubitat. Hunc animum imitari nos oportet, ut neque iis deſinamus benefacere, de quorum gratitudine parum certi ſumus. Et notandum quod *ſanctorum* nomine dignatur, quibus ne ſuſpectus ſit ac ingratus, timet. Sciebat etiam ſanctos quoque poſſe interdum falſis delationibus in ſiniſtras opiniones abripi: & quanquam ſibi injuriam facere ſciat, honorifice tamen de ipſis loqui non deſinit. Quum addit, *ut veniam ad vos*, ſignificat ipſis quoque utilem fore hanc precationem, & eorum referre ut non interficiatur in Judæa. Eodem ſpectat particula *cum gaudio.* Futurum enim erat hoc quoque utile Romanis, eum hilarem & omni mœrore vacuum ad ipſos accedere, quo animoſius magiſque ſtrenue ſuam operam illis impenderet. Ac per verbum *refocillandi*, vel acquieſcendi, iterum oſtendit quam certo ſit de fraterno eorum amore perſuaſus. Particula, *per Dei voluntatem*, admonet quam neceſſe ſit incumbere precibus: quia ſolus Deus vias omnes noſtras ſua providentia dirigit.

32. *Deus autem pacis.*] Ex nota univerſali conjicio, non ſimpliciter eum optare ut Deus Romanis adſit ac faveat: ſed ut ſingulos eorum gubernet. Nam epithetum Pacifici ad præſentem circumſtantiam referri arbitror, ut Deus pacis auctor omnes ſimul contineat.

CAP. XVI.

COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis,

2. Ut eam ſuſcipiatis in Domino, ut dignum eſt ſanctis, & adſiſtis ei in quocunque vobis eguerit negotio. etenim ipſa cum multis affuit, tum etiam mihiipſi.

3. Salutate Priſcam & Acylam cooperarios meos in Chriſto Jeſu:

4. Qui pro anima mea ſuam ipſorum cervicem poſuerunt: quibus non ego ſolus gratias ago, ſed etiam omnes Eccleſiæ Gentium:

5. Et domeſticam eorum Eccleſiam. Salutate Epænetum mihi dilectum, qui eſt primitiæ Achaiæ in Domino.

6. Salutate Mariam, quæ multum laboravit erga vos.

7. Salutate Andronicum & Juniam cognatos meos & concaptivos meos, qui ſunt inſignes inter Apoſtolos: qui etiam ante me fuerunt in Chriſto.

8. Salutate Ampliam dilectum meum in Domino.

9. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto, & Stachyn dilectum meum.

10. Salutate Apellem probatum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli familiaribus.

11. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi familiaribus, hos qui ſunt in Domino.

12. Salutate Tryphœnam & Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem dilectam, quæ multum laboravit in Domino.

13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem illius ac meam.

14. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum his ſunt fratres.

15. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympam, & qui cum his ſunt omnes ſanctos.

16. Salutate vos invicem in oſculo ſancto. Salutant vos Eccleſiæ Chriſti.

1. *Commendo autem vobis* &c.] Bona pars hujus capitis in ſalutationibus conſumitur: quæ quoniam nihil habent difficultatis, ſupervacuum eſſet in illis prolixe immorari. Ego ea tantum attingam quæ nonnullam expoſitionis lucem requirent. Principio commendat Phœben, cui Epiſtolam perferendam dabat. commedant autem primum eam ab officio, quia honeſtiſſimo ac ſanctiſſimo miniſterio in Eccleſia fungeretur: deinde alteram cauſam affert cur illam ſuſcipere, omnibuſque officiis proſequi debeant: quia ſe illa ſemper omnibus piis impenderit. Quia ergo miniſtra eſt Cenchreenſis Eccleſiæ, eo nomine ipſam in Domino ſuſcipi jubet. Et quum addit, *ut dignum eſt ſanctis*, innuit fore indignum Chriſti ſervis ſi nullum ei honorem, nullamque benignitatem exhibeant. Et ſane cum omnia Chriſti membra dilectione complecti, tum vero eos qui publicam in Eccleſia functionem gerunt, & colere, & ſingulari amore atque honore proſequi decet. Deinde quemadmodum illa ſemper officioſa fuit erga omnes, ita ei nunc viciſſim in ſuis negotiis opem auxiliumque ferri jubet. Eſt enim humanitatis, eum qui natura propenſus eſt ad beneficentiam, ſiquando ope aliorum indigeat, non deſtituere. at quo magis animos eorum inclinet, ſe quoque inter eos numerat quibus illa benefecit. Porro miniſterium hoc de quo loquitur, quale fuerit, ipſe alibi docet, 1 Timoth. 5. verſ. 9. Quemadmodum enim ex publico Eccleſiæ ærario alebantur pauperes, ita publico officio curabantur. Ad hanc curationem legebantur viduæ quæ domeſticis oneribus ſolutæ, nullis liberis impeditæ, totas ſe Deo pietatis officiis conſecrare cupiebant. itaque receptæ in hanc functionem, quaſi addictæ & obligatæ erant: ſicuti qui ſuam operam locans, liber ac ſui juris eſſe deſinit. Unde Apoſtolus violatæ

1 Tim. 5. verſ. 12.

fidei arguit eas quæ ſuſcepto ſemel muneri poſtea renunciant. Quia autem in cælibatu vivere ipſas oportebat, vetat allegi minores ſexaginta annis: quia ſcilicet providebat infra eam ætatem periculoſum, imo pernicioſum eſſe votum perpetui cælibatus. Functio illa ſanctiſſima & Eccleſiæ perutilis, labente in deterius rerum ſtatu, in otioſum Monialium ordinem degeneravit: qui tametſi à prima ſua origine vitioſus fuit, ac verbo Dei contrarius, nunc tamen ab illo principio adeo defecit, ut non minus ſit diſcriminis, quam inter ſacrarium aliquod caſtitatis & lupanar.

3. *Salutate Priſcam & Acylam.*] Quæ hic nonnullis teſtimonia defert, partim eo tendunt ut dum in honore habentur qui probi ſunt ac digni, probitas quoque ipſa honoretur, & ii qui prodeſſe plus aliis poſſunt & cupiunt, auctoritatem habeant: partim ut ipſi anteactæ vitæ reſpondere ſtudeant, neque in curſu pietatis deficiant, vel etiam langueſcat pius eorum ardor. Singularis eſt honor quem hic tribuit Priſcæ & Acylæ, præſertim in fœmina. quo magis elucet ſancti viri modeſtia, qui in opere Domini conſortem mulierem nec habere dedignatur, nec fateri erubeſcit. Hæc autem Acylæ ipſius uxor fuit, quam Lucas Priſcillam nominat, Actor. 18. v. 1.

4. *Quibus non ego ſolus.*] Quia vitæ ſuæ non pepercerat Priſca & Acylas pro tuenda Pauli vita, privatim ſe illis gratum eſſe teſtatur. Addit tamen, ab omnibus Chriſti Eccleſiis illis haberi gratiam, ut hoc exemplo Romanos quoque permoveat. Merito autem tam chara & pretioſa cunctis Gentibus fuit vita unius hominis, ut erat incomparabilis theſaurus: quare mirum non eſt ſi ejus conſervatoribus obſtrictas ſe putarint omnes Gentium Eccleſiæ. Quod addit de Eccleſia ipſorum domeſtica, obſervatu dignum eſt. Neque enim ſplendidius ornare potuit eorum familiam quam Eccleſiæ titulo. Nam Congregationis nomen quod Eraſmus reddidit, mihi non placet: plane enim liquet Paulum honorifice ſacro Eccleſiæ nomine fuiſſe uſum.

5. *Qui eſt primitiæ.*] Alluſio eſt ad Legales ceremonias. Quia enim ſanctificantur Deo homines per fidem: qui primum in oblatione locum obtinent, apte primitiæ vocantur. Porro ut quiſque prior tempore ad fidem vocatus eſt, ita honoris prærogativam illi defert Paulus. Verum hoc locum habet, dum ultima primis reſpondent. Et certe non vulgaris dignatio eſt, quum aliquos Deus in primitias deligit. Accedit etiam ex ipſa temporis diuturnitate major & amplior fidei probatio, dum ii qui primi cœperunt, bene currendo non fatigantur. Gratitudinem ſuam iterum teſtatur, dum Mariæ erga ſe officia commemorat. Nec dubium eſt quin laudes iſtas adſcribat, ut quos laudat, Romanis reddat commendatiores.

7. *Salutate Andronicum.*] Quanquam genus & alia quæ ad carnem pertinent, non magni facere ſolet Paulus: quia tamen nonnihil valere poterat conſanguinitas quam cum eo habebat Junia & Andronicus, ut facilius innoteſcerent, hanc quoque laudem non negligit. Plus momenti eſt in ſecundo elogio, dum nominat *concaptivos*: quia inter decora militiæ Chriſti, vincula non ultimo loco cenſentur. Dum tertio loco *Apoſtolos* nominat, hanc vocem non accipit in ſignificatione propria & uſitata, ſed latius extendit ad eos omnes qui non unam tantum Eccleſiam inſtituunt, ſed promulgando ubique Euangelio impendunt operam. Qui ergo ſalutis doctrinam huc & illuc circumferendo, plantabant Eccleſias, eos generaliter vocat Apoſtolos hoc quidem loco. Nam alibi ad primarium illum ordinem reſtringit, quem Chriſtus initio inſtituit in duodecim diſcipulis: alioquin abſurdum eſſet, excellentiam tantum illis adſcribi inter paucos. Jam quia prius Euangelium fide amplexi erant quam Paulus, eos ſibi hoc reſpectu præferre non dubitat.

11. *Qui ſunt ex Narciſſi fam.*] Nimis indignum eſſet, in tam longo catalogo Petrum præteriri, ſi tunc Romæ fuiſſet: atqui fuiſſe oportet, ſi Romanenſibus creditur. Porro ſi in rebus dubiis nihil melius eſt quam probabilem conjecturam ſequi: nemo qui mediocriter judicabit, perſuadebitur verum eſſe quod affirmant. nunquam enim à Paulo fuiſſet omiſſus. Cæterum notatu dignum eſt, nullum hic ex ſplendidis illis & magnificis nominibus audiri, unde colligere liceat illuſtres viros Chriſtianos fuiſſe; quoſcunque enim recenſet Paulus, Romæ obſcuri & ignobiles fuerunt. Narciſſum quem hic nominat, Claudii libertum eſſe puto, multis ſceleribus & flagitiis famoſum. quo magis admirabilis eſt Dei bonitas, quæ in illam impuram domum & omni nequitia flagrantem penetravit: non quod converſus ad Chriſtum fuerit Narciſſus ipſe: ſed hoc magnum fuit, domum quaſi inferis ſimilem, Chriſti gratia viſitari. Quum vero Chriſtum pure coluerint qui ſub fœdo lenone, ſub prædone voraciſſimo & homine corruptiſſimo vivebant, non eſt quod heros expectent ſervi, ſed quiſque pro ſe Chriſtum ſequatur. Imo exceptio à Paulo adjuncta oſtendit diviſam fuiſſe familiam, ut pauci tantum fideles eſſent.

16. *Salutate vos in oſculo ſancto.*] Oſculum, frequens ac pervulgatum benevolentiæ ſymbolum fuiſſe apud Judæos, paſſim ex Scripturis liquet. Apud Romanos minus fortaſſe uſitatum: neque tamen inſolens erat, niſi quod mulieres oſculari non licebat, præterquam ſolis cognatis. Illud tamen in morem tranſiit apud veteres, ut Chriſtiani ante Cœnæ communicationem ſe mutuo oſcularentur, ad teſtandam eo ſigno amicitiam: deinde eleemoſynas conferrent, ut id quod repræſentaverant oſculo, re quoque & effectu comprobarent: quemadmodum apparet ex quadam Chryſoſtomi homilia. Hinc fluxit ritus ille qui hodie eſt apud Papiſtas, oſculandæ patenæ, & conferendæ oblationis. Quorum alterum meræ eſt ſuperſtitionis, ſine ullo fructu: alte-

Digitized by Google

alterum non alio facit, niſi ad explendam Sacerdotum avaritiam, ſi tamen expleri poſſet. Non tamen videtur Paulus ceremoniam hic præciſe exigere, ſed tantum eos hortatur ad fovendum fraternum amorem, quem à profanis mundi amicitiis diſcernit, quæ ut plurimum vel fucoſæ ſunt vel ſceleribus conflatæ, vel retinentur malis artibus, nunquam vero in rectum finem tendunt. Salutem ab Eccleſiis aſcribens, quantum in ſe eſt, mutuo amoris nexu devincire inter ſe ſtudet omnia Chriſti membra.

17. Obſecro autem vos, fratres, ut obſervetis eos qui diſſidia & offenſiones contra doctrinam, quam vos didiciſtis, excitant: & ut declinetis ab illis.

18. Qui enim tales ſunt, Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri: ac per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium.

19. Veſtra quidem obedientia ad omnes permanavit. Gaudeo igitur de vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe ad bonum, ſimplices vero ad malum.

20. Deus autem pacis conteret brevi Satanam ſub pedibus veſtris. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum. Amen.

17. *Obſecro autem* &c.] Nunc adhortationem ponit qua neceſſe habent ſubinde vellicari Eccleſiæ omnes: quia occaſionibus perpetuo imminent Satanæ miniſtri, ad turbandum Chriſti regnum. Duobus autem modis turbationem hanc moliuntur: nam aut diſſidia ſeminant quibus diſtrahantur animi ab unitate veritatis: aut offenſiones ſuſcitant quibus ab amore Euangelii alienentur. Illud fit dum novis & humanitus excogitatis dogmatibus diſſipatur Dei veritas: hoc, dum variis artibus odioſa vel contemptibilis redditur. Quicunque ergo alterutrum faciunt, eos jubet obſervari, ne decipiant, ac incautos deprehendant: deinde vitari, quia noxii ſunt. Nec abs re attentionem hic à fidelibus requirit: quia ſæpe fit noſtra ſocordia vel incuria, ut multum damni Eccleſiæ inferant pravi nebulones antequam illis obviam eatur: deinde mira ſæpe vafritie ad nocendum obrepunt, niſi prudenter conſiderentur. Obſerva autem ſermonem ad eos haberi qui in pura Dei doctrina inſtituti erant: impium enim & ſacrilegum divortium eſt, qui in Chriſti veritate conſentiunt, diſtrahere. ſed impudens calumnia eſt, pacis & unitatis prætextu conſpirationem in mendacia & impias doctrinas defendere. Non eſt ergo cur fucum ex hoc loco faciant Papiſtæ, ad conflandam nobis invidiam: quia non Euangelium Chriſti, ſed diaboli mendacia quibus obſcuratum hactenus fuit, impugnamus ac convellimus: imo clare demonſtrat Paulus, ſe non quælibet diſſidia ſine exceptione damnare, ſed quæ orthodoxæ fidei conſenſum diſſipant. Pondus enim ſubeſt in verbo, *quam didiciſtis*: quia antequam rite edocti eſſent Romani, eos à patriis moribus, majorumque inſtitutis diſcedere oportuit.

18. *Qui enim tales ſunt.*] Addit perpetuam notam qua Pſeudoprophetæ à Chriſti ſervis diſcernendi ſunt, quod gloriam Chriſti minime curant, ſed agunt ventris negotium. Quia tamen doloſe irrepunt, & ſumpta aliena perſona malitiam ſuam occultant, ſimul notat quales ſint eorum artes, ne quis circumſcribatur: nempe quod per blandiloquentiam favorem ſibi conciliant. Habent etiam Euangelii præcones ſuam comitatem & ſuavitatem, verum cum libertate conjunctam, ut neque homines vanis laudibus demulceant, neque vitiis blandiantur: illi autem impoſtores & aſſentatione ſibi animos alliciunt, & vitiis parcunt atque indulgent quo retineant illos ſibi devinctos. *Simplices* vocat qui parum circumſpecti ſunt ad cavendas fraudes.

19. *Veſtra quidem obedientia.*] Occupatio, qua oſtendit non ideo ſe admonere, quaſi maligne de ipſis ſentiat, ſed quod facilis ſit hic lapſus: acſi diceret, Veſtra ſane obedientia paſſim commendatur, ut ſit cur de vobis gaudeam. quando tamen ſæpe hic contingit ſimplicitate labi, velim vos ad malum perpetrandum rudes eſſe ac ſimplices: in bono autem, id eſt, quoties ita expedit ad integritatem conſervandam, vos eſſe prudentiſſimos. Hic videmus quæ ſimplicitas in Chriſtianis laudetur, ne eum titulum prætendant, qui ſtupidam verbi Dei ignorantiam hodie pro ſumma virtute habent. Etſi enim probat in Romanis quod morigeri ſint ac faciles, vult tamen prudentiam ac delectum adhiberi, ne eorum credulitas quibuslibet impoſturis ſit expoſita. Sic ergo illis gratulatur quod expertes ſint malitiæ, ut tamen ad cavendum velit eſſe prudentes. Quod ſequitur, *Deus conteret Satanam*, promiſſio magis eſt ad eos corroborandos, quam precatio. Hortatur enim ut intrepide adverſus Satanam prælientur, brevi fore victores promittens. Victus quidem eſt ſemel à Chriſto, ſed non ita quin bellum aſſidue renovet: promittit ergo ultimam profligationem, quæ non apparet in medio certamine. Quanquam non de ultimo tantum die loquitur, quo plane conterendus eſt Satan: ſed quum tunc Satan velut ſolutis aut ruptis habenis inſolenter omnia miſceret, promittit brevi futurum ut Dominus eum ſubigat, & quaſi eorum pedibus calcandum præbeat. Mox ſequitur precatio, ut gratia Chriſti ſit cum illis: hoc eſt, ut fruantur bonis omnibus quæ nobis per Chriſtum parta ſunt.

21. Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius & Jaſon & Soſipater cognati mei.

22. Saluto ego vos Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, in Domino.

23. Salutat vos Gaius hoſpes meus & Eccleſiæ totius. Salutat vos Eraſtus quæſtor ærarius urbis, & Quartus frater.

24. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis. Amen.

25. Ei vero qui potens eſt vos confirmare ſecundum Euangelium meum: præconium ſcilicet Jeſu Chriſti ſecundum revelationem myſterii, quod temporibus ſecularibus tacitum,

26. Manifeſtatum nunc fuit, & per Scripturas Propheticas, ſecundum æterni Dei ordinationem, in obedientiam fidei ad omnes Gentes promulgatum:

27. Soli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum gloria in ſecula. Amen.

Ad Romanos miſſa fuit à Corintho per Phœben miniſtram Cenchreenſis Eccleſiæ.

21. *Salutant vos* &c.] Salutationes quas adſcribit, partim ad fovendam inter longe diſſitos conjunctionem ſpectant: partim ut agnoſcant Romani fratrum ſuorum ſubſcriptionem in Epiſtola. Non quod

opus

opus habuerit Paulus aliorum teſtimonio, ſed quia non parum juvat piorum conſenſus. Clauditur autem Epiſtola (ut videre licet) Dei laude & gratiarum actione. commemorat enim præclarum illud Dei beneficium, quod Evangelii luce Gentes dignatus ſit: in quo apparuit immenſa & nunquam ſatis prædicata ejus bonitas. Quanquam habet etiam encomium quod ad erigendam ſtabiliendamque piorum fiduciam valeat, ut animis in Deum erectis omnia certo expectent quæ hic ei deferuntur: tum etiam ex ſuperioribus ejus beneficiis ſpem in poſterum confirment. Quoniam autem multa in unam ſententiam colligendo, longam periodum produxit, quæ implicita eſt hyperbato: ſingula membra dividenda nobis ſunt. Primum ſoli Deo tribuit omnem gloriam: deinde ut oſtendat jure ei deberi, obiter commemorat quaſdam ejus virtutes, unde appareat ipſum ſolum omni laude eſſe dignum. Solum ſapientem eſſe dicit: quæ laus dum illi vindicatur, omnibus adimitur creaturis. Quanquam videtur Paulus poſtquam de arcano Dei conſilio loquutus eſt, hoc encomium conſulto attexuiſſe, quo omnes in ſapientiæ Dei reverentiam & admirationem raperet. Scimus enim, ubi in Dei operibus cauſam non reperiunt homines, quam ſit illis proclive obſtrepere. Potentem eſſe Deum ad confirmandos Romanos addens, de finali perſeverantia certiores eos reddit. Atque ut certius in hac potentia acquieſcant, addit eam nobis teſtificatam eſſe Evangelio: ubi vides, Evangelium non promittere nobis tantum præſentem gratiam, ſed afferre quoque nobis certitudinem gratiæ perpetuo duraturæ. Neque enim illic ſolo modo Patrem eſſe in præſentia denunciat Deus, ſed ad extremum fore: imo ejus adoptio ultra mortem porrigitur, quia ad æternam hæreditatem nos ducit. Reliqua ad commendandam Evangelii vim ac dignitatem ſunt poſita. *Præconium Jeſu Chriſti* appellat Evangelium, ut certe Chriſti cognitione tota ejus ſumma continetur: ejus doctrinam, *revelationem myſterii*, quod non modo attentiores ad eam auſcultandam facere nos debet, ſed ſummam ejus venerationem animis noſtris imprimere. Quam autem ſublime ſit arcanum illud, ſignificat, quùm addit fuiſſe ab exordio mundi per tot ſecula reconditum. Non habet quidem turgidam faſtuoſamque ſapientiam, qualem appetunt filii hujus ſeculi, à quibus etiam ideo contemptui habetur: ſed explicat inenarrabiles illos cæleſtis ſapientiæ theſauros, omni ingenio altiores: quos ſi Angeli quoque ipſi cum ſtupore adorant, nemo certe hominum ſuſpicere ſatis poteſt. Neque vero minoris fieri hæc ſapientia debet, quod ſub humili plebeiaque verborum ſimplicitate lateat: quoniam ita placuit Domino, carnis arrogantiam ſubigere. Quoniam autem id nonnullam injicere dubitationem poterat, quomodo tot ſeculis ſuppreſſum iſtud myſterium tam ſubito emerſiſſet: docet non temeritate hominum nec caſu fortuito id eſſe factum, ſed æterna Dei ordinatione: ubi etiam curioſis quæſtionibus, quas movere ſolet humani ingenii protervia, januam claudit. Quicquid enim repente ac præter ſpem acciderit, ex improviſo factum putant: unde ſæpe perperam colligunt, abſurda eſſe Dei opera, vel ſaltem multis perplexis dubitationibus ſeſe impediunt. Paulus ergo, quod nunc repente apparuit, ante mundum conditum à Deo fuiſſe decretum admonet. Cæterum ne quis de ea re controverſiam faciat, quo novitatis inſimulet Evangelium, eoque nomine infamet: allegat Scripturas Propheticas, ubi prædictum erat quod impletum jam cernimus. Adeo enim luculentum teſtimonium reddiderunt Evangelio Prophetæ omnes, ut aliunde melius confirmari requirat. Et hoc modo rite præparavit Deus ſuorum mentes, ne eas nimium percelleret novitas rei inſolitæ. Si quis obiiciat, repugnantiam eſſe in verbis Pauli, quia myſterium de quo teſtatus eſt Deus per Prophetas, tacitum fuiſſe dicit omnibus ſeculis: facilis ſolutio hujus nodi à Petro datur, Prophetas, quum ſedulo de ſalute nobis oblata exquiſierint, non ſibi, ſed nobis miniſtraſſe. 1 Petr. 1. verſ. 12. Itaque Deus tunc loquendo tacuit, quia revelationem earum rerum de quibus vaticinari volebat ſervos ſuos, ſuſpenſam tenuit. Etſi quo ſenſu Evangelium appellet Myſterium abſconditum, cum hic, tum ad Epheſ. 3. v. 9. & ad Coloſſ. 1. v. 26., nec inter doctos quidem plane convenit. Plus quidem firmitudinis habet eorum opinio qui ad Gentium vocationem referunt, quam nominatim ad Coloſſenſes Paulus ipſe attingit. Col. 1:27. Ego vero tametſi unam eſſe illam cauſam fateor, ſolam tamen eſſe non poſſum adduci ut credam. mihi probabilius videtur, Paulum ad alias quoque veteris & novi Teſtamenti differentias reſpexiſſe. Quanquam enim omnia quæ per Chriſtum & Apoſtolos expoſita ſunt, docuerant olim Prophetæ: ea tamen tanta obſcuritate docuerant, præ ut eſt perſpicua hæc Evangelicæ lucis claritas, ut non mirum ſit ſi dicantur latuiſſe quæ nunc palam facta ſunt. Nec vero fruſtra Malachias exoriturum Solem juſtitiæ denunciat; Mal. 4: 2. nec de nihilo Jeſaias prius tam magnificis elogiis extulerat Meſſiæ legationem. denique non abs re Evangelium vocatur Dei regnum: ſed ex re ipſa melius colligere licet, tunc demum apertos fuiſſe cæleſtis ſapientiæ theſauros, ubi Deus per unigenitum Filium, quaſi facie ad faciem, diſcuſſis umbris veteribus, apparuit. Finem prædicandi Evangelii, cujus meminit initio primi capitis, iterum refert, ut Deus in fidei obſequium Gentes omnes cogat.

Generoſo

Generoſo Viro, virtutumque præſtantia magis quam Genere Illuſtri, D. Galleazo Caracciolo, *Marchionis Vici unico filio & legitimo hæredi*, S.

UTinam quo primum tempore in lucem prodiit hic Commentarius, vel mihi ignotus, vel ſaltem probe notus fuiſſet ille cujus nomen huic paginæ hactenus inſcriptum nunc delere cogor. Equidem non vereor ne mihi inconſtantiam exprobret, vel ſibi queratur eripi quod datum fuerat: quando hoc ipſum de induſtria venatus, ut non modo à me privatim alieniſſimus foret, ſed nihil haberet cum Eccleſia noſtra commune, nullam ſibi expoſtulandi cauſam reſiduam fecit. Sed morem meum invitus muto, ut cujuſquam nomen è ſcriptis meis eradam; & doleo hominem è ſpecula in qua locatus à me fuerat, diſceſſiſſe, ne ex animi mei voto aliis præluceat. Cæterum quia in manu mea non eſt ejus mali remedium, ſepultus per me lateat iſte, cujus honori nunc quoque tacendo parcere ſtudeo. Apud te vero Clariſſime Vir, excuſatio quærenda eſſet, cur nunc te in illius locum ſubſtituam, niſi in tua incredibili humanitate & amore erga me tuo omnibus amicis noſtris perſpecto fretus, libere mihi hoc permitterem. Atque, ut ad vota iterum revertar, utinam mihi ante decennium fuiſſes cognitus: nulla enim novandi ratio nunc fuiſſet. Quod ad commune Eccleſiæ exemplum ſpectat, bene habet quod non modo jactura carebit illius quæ nobis ſubducta eſt perſonæ oblivio, ſed longe uberior modiſque omnibus potior in te compenſatio ſuccedet. Etſi enim neque tu plauſum theatri appetis, uno teſte Deo contentus, neque mihi propoſitum eſt laudes tuas narrare: quod tamen cognitu utile eſt ac fructuoſum non prorſus celandi ſunt lectores: hominem primaria familia natum, honore & opibus florentem, nobiliſſima & caſtiſſima uxore, numeroſa ſobole, domeſtica quiete & concordia, totoque vitæ ſtatu beatum, ultro, ut in Chriſti caſtra migraret, patria ceſſiſſe: ditionem fertilem & amœnam, lautum patrimonium, commodam non minus quam voluptuoſam habitationem neglexiſſe: exuiſſe ſplendorem domeſticum, patre, conjuge, liberis, cognatis, affinibus ſe privaſſe: poſtquam autem tot mundi illecebris vale dixit, noſtra tenuitate contentum, frugalem ac popularem vivendi rationem non ſecus colere, atque unumquemlibet ex nobis. Quanquam hæc aliis ita recito, ut privatum quoque uſum minime præteream: nam ſi tuas virtutes hic tanquam in ſpeculo, lectorum oculis ideo ſubjicio, ut ſe ad earum imitationem forment: me, cui propius ſunt perſpectæ, quotidiano & liquido earum intuitu non magis ad vivum affici turpe eſſet. Cæterum quia & ego quantum ad fidei meæ pietatiſque confirmationem valeat tuum exemplum experior, & non vulgarem inde ſe profectum ſenſiſſe mecum fatentur quotquot hic agunt filii Dei: operæpretium fore duxi, ſi mea prædicatione ſimilis longius manaret utilitas. Alioqui inſulſum foret de laudibus hominis, cujus natura & ingenio nihil magis ab oſtentatione remotum fingi poteſt, etiam apud exteros & procul diſſitos verba facere. Itaque ſi complures quibus propter longinquitatem hactenus fuiſti ignotus, hoc admirabili documento propoſito, relictis nidis quibus nimium ſunt affixi, ad imitationem ſe accingent, uberem meæ ſcriptionis fructum adeptus ero. Id quidem inter Chriſtianos pluſquam commune uſitatumque eſſe debuerat, non prædia modo & arces & principatus æquo animo relinquere, ubi aliter Chriſtum ſequi non licet: ſed etiam alacriter libenterque præ ipſo deſpicere quicquid ſub cælis pretioſiſſimum ducitur. Sed, quæ noſtra omnium tarditas eſt vel potius ſocordia, dum frigide multi Euangelii doctrinæ annuunt, vix centeſimus quiſque ejus cauſa, ſi prædiolum neſcio quod poſſideat, ab ipſo avelli ſe ſuſtinet: vix quiſquam, niſi ægerrime, ut minimis commodis renunciet, adducitur: tantum abeſt ut ſe vita abdicare parati ſint, ut decebat. In primis vero cunctos in ſui abnegatione (quod eſt virtutum omnium caput) optarim tui eſſe ſimiles. Mihi enim optimus teſtis es, & ego viciſſim tibi, quam parum nos oblectet eorum conſuetudo, qui tandem oſtendunt, relicta patria, eoſdem quos illic gerebant affectus, huc ſe attuliſſe. Sed quia lectores plura ſecum reputare præſtat quam verbis exprimam, jam me ad preces converto, ut Deus qui te mirifica Spiritus ſui virtute hucuſque animavit, invicta conſtantia ad extremum uſque inſtruat. Nam & quantis certaminibus te exercuerit Deus, me non latet: ex quibus pro tua ſingulari prudentia colligis, duram adhuc & laborioſam militiam tibi reſtare. quam vero neceſſe ſit manum è cælo nobis porrigi, ipſe multis experimentis edoctus, perſeverantiæ donum ultro mecum inde expoſces. Ego vero Chriſtum Regem noſtrum, cui à Patre data eſt ſumma poteſtas, & penes quem depoſiti ſunt omnes ſpiritualium bonorum theſauri, precabor ut incolumem te diu nobis conſervet, in propagationem regni ſui, atque in te de Satana ejuſque factione triumphare pergat. IX. Calend. Febr. M.D.LVI. decem poſt annis quam hic Commentarius primum in lucem prodiit.

IN EPISTOLAM PRIOREM AD CORINTHIOS

ARGUMENTUM.

HUjus Epiſtolæ varia eſt ac multiplex utilitas: multos inſignes locos continet, quorum ipſa quæ deinde ſuo ordine ſequetur tractatio, quam ſint cognitu neceſſarii, patefaciet: adeoque ex ipſo argumento id fere conſtabit: in quo referendo ita ſtudebo brevis eſſe, ut totam ſummam complectar, & ex præcipuis capitibus nullum omittam. Corinthum urbem fuiſſe Achaiæ opulentam & celebrem, nemo ignorat. eam quum L. Mummius ſuſtuliſſet, neque id alia de cauſa, niſi quod propter ſitus commoditatem ſuſpectam habebat: eadem poſtea ejus inſtaurandæ ratio poſteris fuit, quæ diruendæ Mummio fuerat. Fecit autem eadem loci opportunitas ut brevi ſe iterum colligeret. Nam quum ab uno latere Ægæum mare contiguum haberet, ab altero Ionium, eſſet autem ab Attica in Peloponneſum tranſitus: inferendis & exportandis mercibus valde erat idonea. Illic Paulus quum ſeſquiannum docuiſſet, quemadmodum narrat in Actis Lucas: coactus tandem Judæorum improbitate, inde navigavit in Syriam. Abſente Paulo ſubingreſſi erant pſeudoapoſtoli, non qui dogmatibus palam impiis (meo quidem judicio) turbarent Eccleſiam, aut ſanam doctrinam quaſi ex profeſſo labefactarent: ſed qui verborum ſplendore & pompa ſuperbientes, vel potius inani magniloquentia tumidi, Pauli ſimplicitatem, adeoque ipſum Euangelium contemptui haberent: qui ſua deinde ambitione facerent ut variis factionibus ſcinderetur Eccleſia: qui poſtremo ſuſque deque habentes omnia, modo ipſi in pretio haberentur, ſuum magis nomen quam Chriſti regnum & populi ſalutem ſtuderent promovere. Rurſum quum regnarent Corinthi vitia, quibus laborare ut plurimum mercatoriæ urbes ſolent, luxuria, faſtus, vanitas, deliciæ, inexplebilis habendi cupiditas, ambitio: ſic in Eccleſiam quoque ipſam invaſerant, ut valde collapſa eſſet diſciplina. Quin etiam doctrinæ puritas concidere jam cœperat, ut præcipuum religionis caput, reſurrectio mortuorum in dubium vocaretur. Et tamen in tanta omnis generis corruptione perinde ſibi placebant, ac rebus omnibus optime apud ſe conſtitutis. Hæ ſunt uſitatæ Satanæ artes: ſi doctrinæ viam præcludere non poteſt, clanculum ad eam adoriendam obrepere: ſi oppoſitis mendaciis ſupprimere eam non poteſt quin emergat, occultos ad eam diruendam cuniculos ſuffodere: ſi denique alienare prorſus ab ea non poteſt hominum animos, facere ut ab ea paulatim degenerent. Quod autem nebulones illos qui Corinthiorum Eccleſiam turbaverant, non fuiſſe apertos veritatis hoſtes ſentio, id ratione non caret. Videmus ut nuſquam alibi parcat Paulus falſis doctrinis. Breves ſunt ad Galatas, ad Coloſſenſes, ad Philippenſes, ad Timotheum Epiſtolæ. Atqui in illis omnibus non tantum pſeudoapoſtolos exagitat, ſed etiam ſimul deſignat quibus in rebus nocerent Eccleſiæ. Et merito: nec enim tantum admonendi ſunt fideles quos cavere homines debeant: ſed malum etiam quod caveant, illis indicandum eſt. Non eſt ergo mihi credibile, in hac tam longa Epiſtola voluiſſe præterire ſilentio, quod in aliis multo brevioribus diligenter inculcat. Huc accedit, quod multa Corinthiorum vitia, & quidem nonnulla in ſpeciem levia recenſet: ut videatur nihil voluiſſe omittere quod in illis eſſet reprehenſione dignum. Præterea multum alioqui verborum adverſus præpoſteros illos doctores vel garrulos rhetores diſputando, conſumit. Perſtringit eorum ambitionem: reprehendit quod Euangelium in humanam philoſophiam transfigurent: detrahit illis Spiritus efficaciam, quia in verborum ampullis occupati, mortuam tantum literam ſectantur. de pravo aliquo dogmate verbum nullum. Conſtituo igitur fuiſſe tales qui de Euangelii ſubſtantia nihil aperte detraherent: ſed quum arderent prava cupiditate eminendi, puto eos excogitaſſe novum docendi modum à Chriſti ſimplicitate alienum, quo ſui admirationem excitarent. Hoc accidere neceſſe eſt omnibus qui ſe nondum exuerunt, ut ad opus Domini prorſus expediti accedant. Hic primus eſt gradus ad miniſtrandum Chriſto, ut noſmetipſos obliti, de ſola Domini gloria, deque hominum ſalute cogitemus. Deinde nemo ad docendum erit unquam idoneus, niſi qui Euangelii virtutem prius ipſe imbiberit, ut non tam ore loquatur quam cordis affectu. Proinde qui Spiritu Dei renati non ſunt, qui nec ſenſerunt intus Euangelii virtutem, nec ſciunt quid illud valeat, nos oportere novas eſſe creaturas: mortuam habent prædicationem, quæ vivida & efficax eſſe debebat: & ut ſcenæ ſerviant, Euangelium fucando deformant, ut ſit inſtar mundanæ philoſophiæ. Nec vero iis de quibus nunc agimus, id Corinthi efficere difficile fuit. Ducuntur enim fere mercatores externis larvis: & eadem qua alios decipiunt, vanitate ſe lactari non tantum patiuntur, ſed quodammodo gaudent. Ad hæc quum auribus ſint delicatis, ut non ſuſtinent durius objurgari, ita ſi in doctores molliculos inciderint, à quibus blande tractentur, mutuum, eos palpando, quaſi mercedem reddunt. Hoc quidem ubique fieri concedo: ſed in urbibus opulentis & mercatoriis magis commune. Paulus alioqui divinus homo, & in admirandis virtutibus excellens, non tamen externa elegantia nitebat, nec pompa erat inflatus, quo ſe venditaret. Denique ut ſolida Spiritus virtute intus erat refertus, ita nihil oſtentationis habebat: neſciebat blandiri, placere hominibus non curabat. Hunc unum finem habebat propoſitum, ut ſe & aliis omnibus in ordinem redactis, Chriſtus regnaret. Corinthiis argutam magis doctrinam quam fructuoſam appetentibus, Euangelium non ſapiebat: novarum rerum cupidis, jam obſoleſcebat Chriſtus. Aut ſi nondum in iſta vitia prolapſi erant, erant tamen ad tales corruptelas ſponte jam propenſi. Ita facilis erat pſeudoapoſtolis acceſſus ad Chriſti doctrinam inter eos adulterandam. Siquidem adulteratur, quum ita inficitur nativa ejus ſimplicitas, & quaſi fucatur, ut nihil à mundana philoſophia differat. Ergo ut Corinthiorum palato ſervirent, condimentum adhibebant ſuæ prædicationi, quo verus Euangelii ſapor corrumperetur. Tenemus nunc quo conſilio ad hanc Epiſtolam ſcribendam adductus fuerit Paulus: nunc ſingula rerum capita breviter annotando, ſummam argumenti complectar.

A gratulatione incipit, quæ vim habet exhortandi, ut reſpondeant primis ultima: & hoc modo præmollit eos, ut ſe magis dociles præbeant. Verum ſtatim deſcendit ad objurgationem, diſſidia commemorans quibus laborabat eorum Eccleſia. Huic malo dum mederi vult, à faſtu eos ad humilitatem revocat. Nam evertit omnem mundi ſapientiam, ut ſolam crucis prædicationem erigat: ſimul etiam humiliat perſonas, dum circumſpicere ipſos jubet quales potiſſimum Dominus in gregem ſuum adoptarit.

Capite ſecundo prædicationem ſuam in exemplum adducit, quæ humanitus abjecta & bumilis, ſpirituali tamen virtute inſignis fuerat. Ac ioterim ſententiam illam fuſius explicat, cootineri in Euangelio cæleſtem arcanamque ſapientiam: quæ nec ingenii acumine aut perſpicacia, nec toto carnis ſeoſu apprehendatur, nec perſuadeatur rationibus bumanis, nec verborum lenocinio aut pictura indigeat: ſed una duntaxat Spiritus revelatione mentibus hominum innoteſcat, & cordibus obſignetur. Tandem concludit, non tantum à carnis prudentia remotam eſſe Euangelii prædicationem, & in crucis humilitate poſitam, ſed etiam carnis judicio non poſſe æſtimari qualis ſit: idque facit ut à perverſa confidentia proprii ſenſus eos abducat, quo perperam omnia metiebantur.

Initium tertii capitis, hujus poſtremi membri applicationem ad eos continet. Queritur enim Paulus, eos, quia carnales eſſent, vix diſcendis primis Euangelii rudimentis fuiſſe idoneos. Hoc modo verbi faſtidium quo imbuti erant, non ex verbi ipſius vitio, ſed ea eorum ignorantia manare ſignificat: & ſimul tacite admonet, nova mente opus ipſos habere, ut recte judicare incipiant. Poſtea demonſtrat quo loco haberi debeant Euangelii miniſtri: nempe ut ne quid per eorum honorem Dei gloriæ derogetur. Unum eoim eſſe Dominum, omnes eſſe illius ſervos: omnes nonniſi organa eſſe, ipſum ſolum adminiſtrare virtutem, & ab eo ſolidum effectum provenire. Simul & quid illis debeat eſſe propoſitum, oſtendit: nempe ædificare Eccleſiam. Qua occaſione veram propriamque bene ædificandi rationem definit: nempe ut ſolus Cbriſtus ſit fundamentum, & tota ſuperficies fundamento conveniat. Atqoe hic obiter teſtatus ſe prudentem fuiſſe architectum, reliquos admonet ut fioem initio cooforment. Corinthios etiam bortatur ne patiantur animas ſuas profanari vitioſis doctrinis, quum ſint Dei templa: ubi ſuperbam carnis ſapientiam iterum in nihilum redigit, ut ſola Cbriſti cognitio inter fideles emineat.

Initio quarti capitis quale ſit veri Apoſtoli officium, definit. Et quia obſtabat corruptum eorum jodicium quominus talis ab illis agnoſceretur, ipſo repudiato, ad diem Domini provocat. Tum deiode quia propter humilitatis ſpeciem cootemptibilis illis erat, boe ipſum honori ſibi magis eſſe debere quam probro docet. Poſtea ſigna profert unde re ipſa appareat, nec gloriæ ſuæ, nec ventri ipſum ſtuduiſſe, ſed fideliter egiſſe unum Chriſti negotium. Tandem quis ſibi honot à Coriothiis debeatur, concludit. In fine Timotheum commendat, donec ipſe advenerit: ac ſimul denunciat, ſuo advento palam ſe facturum quam nibili ducat inanes illos fumos quibus ſe venditabant pſeudoapoſtoli.

Quinto capite eos objurgat quod inceſtuoſum privigni cum noverca conjugium taciti ferrent. atque in hoc tanto flagitio ſatis cauſæ eſſe admonet cur pudore dejiciantur potius quam ſuperbiant. Inde ad generalem doctrinam tranſitum ſibi facit, ejuſmodi ſcelera excommunicatione viodicanda eſſe, quo peccandi licentia reprimatur, & ne cootagio latius ab uno io alios ſerpat.

Sextum caput partes duas habet præcipuas. Priore invebitur in forenſes contentiones, quibus ſe mutuo vexabant ſub infidelibus, cum magno Euangelii dedecore. Altera reprehendit ſcortandi licentiam, quæ eouſque progreſſa erat, ut propemodum ioſtar rei licitæ haberetur. Et incipit quidem à gravi comminatione: deinde comminationem illam ratiooibus confirmat.

Caput ſeptimum diſputationem continet de virgioitate, conjugio, & cælibatu. Quantum ex Pauli verbis conjicere licet, invaluerat apud Corintbios ſuperſtitioſa opinio, virginitatem eſſe virtutem eximiam, & quaſi Angelicam: ut conjugium tanquam res profana illis vileſceret. Ut errorem huoc tollat, docet unicuique videndum eſſe quid ſibi datum ſit, nec ultra facultatem in hac parte enitendum: non enim unam eſſe omnium vocationem. Itaque qui abſtinere à conjugio poſſint, & quis ejus abſtinentiæ finis eſſe debeat, oſtendit: & rurſum qui ſuſcipere debeant conjugium, & quæ vera ſit matrimonii Chriſtiani ratio.

Capite octavo probibet ne ſe impuris idololatrarum ſacrificiis permiſceant, aut tale quicquam deſignent, unde lædantur infirmæ conſcientiæ. Et quoniam hoc prætextu ſe excuſabant, quod neqoaquam prava aliqua opinione ſe adjuogerent idololatris, quum animo agnoſcerent unum Deum, idola pro inanibus figmentis habereot: hanc excuſationem ſic diluit, quod quiſque fratrum rationem habere debeat: eſſe autem multos infirmos quorum fides tali inſimulatione labefactetur.

Capite nono, ſe nihilo plus exigere ab illis demonſtrat, quam quod ipſe præſtiterit: ne iniquus videatur, legem aliis ferendo quam non ſervet. Reducit enim illis in memoriam, qualiter libertate à Domino ſibi permiſſa ultro abſtinuerit, ne quem offenderet: qualiter in rebus mediis, quo ſe omnibus accommodaret, qoaſi varias formas induerit: ut ſuo exemplo diſcant, non debere ita quemque ſibi eſſe deditum, quin fratribus ſe in ædificationem attemperare ſtudeat.

Jam quia valde ſibi placebant Corintbii, ut initio diximus: initio capitis decimi Judæorum exemplo admonet oe prava ſecuritate ſeipſos decipiant. Nam ſi rebus externis ac Dei donis efferantur, neque Judæis ſimilem gloriandi materiam defuiſſe oſtendit: nihil tamen illis boc totum profuiſſe, quum ſuis bonis aburerentur. Poſtquam hac denunciatione eos terruit, mox redit ad ipſam cauſam quam prius exorſus erat: ac docet quam ſit abſurdum, participes eſſe menſæ dæmooiorum eos qui Cœnæ Domini communicant: fœdam enim & minime tolerandam pollutionem eſſe. Tandem concludit, ſic attemperandas eſſe noſtras omnes actiones, ne cui ſimus offendiculo.

Capite undecimo, conventus publicos à quibuſdam vitioſis inſtitutis repurgat, qoæ Chriſtiano decoro & boneſtati parum congruebant: ac admonet quanta illic gravitas & moderatio ſervanda ſit, ubi ſtamus in conſpectu Dei & Angelorum. Præcipue vero ob perverſam Cœnæ adminiſtrationem eos objurgat. Modom autem corrigendi abuſus qui obrepſerat, ſubjungit: eos ſcilicet ad primam Domini inſtitutionem, tanquam ad unicam certam regulam & perpetuam rite agendi legem revocando. Quoniam autem ſpiritualibus donis abutebantur multi ad ambitionem: capite duodecimo diſſerit in quem finem à Deo conferantur, atque etiam quis rectus ſit & purus eorum uſus: nempe ut mutuum inter nos conferendo, coaleſcamus in unum Chriſti corpus. Hanc doctrinam illuſtrat, adducta corporis bumani ſimilitudine: ubi quum diverſa ſint membra, & facultates variæ, talis tamen eſt ſymmetria & communio, ut quod ſingulis membris datum eſt, io booom corporis univerſi conferatur: charitatem ergo, optimam eſſe moderatricem in hac re.

Hoc vero argumentum capite decimo tertio fuſius proſequitur, & magis illuſtrat. Somma autem buc redit: ad charitatem referri omnia debere. qua occaſione digreditur in ejus laudes, ut ejus ſtudium melius commeodet, atque ad ipſam colendam magis animet Coriothios.

Capite decimo quarto magis ſpecialiter exprimere incipit quid in uſu donorum ſpiritualium peccaverint Corinthii. Et quia tantum apod eos valebat oſtentatio, unam in omnibus ædificationem ſpectandam eſſe docet. Qua ratione propbetiam aliis omnibus præfert, quia ſit utilior: quum pluris linguas æſtimarent Corinthii, tantum propter inanem pompam. Adhæc præſcribit rectum agendi ordinem, ac ſimul

vitium

Digitized by Google

vitium illud reprehendis, quod linguis incognitis perſonabant ſine fructu: & interea doctrina & exhortationes negligebantur, quæ primas ſemper habere debent. Poſtea vetat ne publice doceant mulieres: quia ſit indecorum.

Capite decimo quinto invehitur in errorem valde pernicioſum, quem tametſi vulgo inter Corinthios graſſatum fuiſſe non eſt credibile, quorundam tamen animos ſic occupaverat, ut manifeſto remedio opus foret. Videtur autem de induſtria diſtuliſſe ad finem Epiſtolæ hujus rei mentionem: ne, ſi inde feciſſet initium, aut ſtatim ab exordio ad eam delapſus eſſet, omnes ſe inſimulari putarent: ſpem ergo reſurrectionis adeo neceſſariam eſſe demonſtrat, ut ea ſublata, penitus corruat totum Euangelium. Poſtquam autem ipſam validis argumentis comprobavit, rationem quoque ſubjungit & modum. Plenam denique hujus loci tractationem diligenter exequitur.

Caput decimum ſextum duas habet partes: priore hortatur, ut fratrum Hieroſolymitanorum inopiæ ſuccurrant. Fame tum premebantur, ſæviebant in eos impii: hoc munus injunxerant Apoſtoli Paulo, ut Gentium Eccleſias ad ferendum illis ſubſidium incitaret. Jubet ergo eos repoſitum habere quicquid erogare in animo habuerint, ut ſtatim Jeroſolymam perferatur. Demum Epiſtolam amica exhortatione & gratulationibus claudit.

Hinc colligere licet quod principio dixi, refertam eſſe Epiſtolam utiliſſima doctrina: quia varias de multis præclaris locis diſputationes contineat.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD CORINTHIOS I.

CAPUT PRIMUM.

PAulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Soſthenes frater.
2. Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, una cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in quovis loco, tam ſui quam noſtri:
3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

1. P*Aulus vocatus.*] Hoc agit in omnibus fere exordiis epiſtolarum Paulus, ut auctoritatem gratiamque doctrinæ ſuæ conciliet. Alteram ſibi comparat ex perſona quæ illi à Deo impoſita erat, quia ſit Apoſtolus Chriſti à Deo miſſus: alteram ex eo quod ſuam erga eos quibus ſcribit, dilectionem teſtatur. Facilius enim multo fidem apud nos obtinet, quem putamus nobis ex animo favere, ac ſaluti noſtræ fideliter velle conſultum. Ergo in hac ſalutatione auctoritatem ſibi aſſerit, quum ſe Apoſtolum Chriſti nominat: & quidem à Deo vocatum, hoc eſt, Dei voluntate ordinatum. Duo autem requiruntur, ut quis in Eccleſia audiatur, docendique locum habeat. Nam vocatum eſſe à Deo oportet ad id munus, & in eo exequendo bona fide verſari. Utrumqoe hic ſibi aſſumit Paulus. Nam hoc continet nomen Apoſtoli, ut bona conſcientia pro Chriſto legatione fungatur, & puram Euangelii doctrinam annunciet. Sed quia nemo hunc honorem ſibi uſurpare debet niſi vocatus ſit, adjungit non temere ſe illuc irrupiſſe, ſed à Deo fuiſſe conſtitutum. Diſcamus igitur hæc duo conjungere, quum ſcire volumus quoſnam habere debeamus pro Chriſti miniſtris: vocationem & fidem in officio gerendo. Nam ut nemo jure miniſtri titulum ac dignitatem arrogare poteſt, niſi vocatus: ita vocatum eſſe aliquem non ſufficeret, niſi muneri quoque ſuo ſatisfaciat. Neque enim miniſtros eligit Dominus, qui ſint muta idola, aut vocationis ſuæ prætextu tyrannidem exerceant, aut ſuam libidinem habeant pro lege: ſed præſcribit ſimul quales eſſe debeant, ſuiſque eos legibus adſtringit, denique eligit ad miniſterium: hoc eſt, ne ſint otioſi primum, deinde ut intra officii ſui limites ſe contineant. Proinde ſicut ex vocatione pendet Apoſtolatus, ita re ipſa talem exhibeat neceſſe eſt, qui Apoſtolus vult cenſeri: imo quicunque fidem ſibi haberi, vel audientiam doctrinæ ſuæ fieri poſtulat. Nam quum his rationibus nitatur Paulus ad auctoritatem ſibi vindicandam, pluſquam impudenter fecerit qoi ſine his aliquid eſſe volet. Sed notandum eſt, non ſatis eſſe, ſi quis tam vocationis titulum quam ſuam in exercendo officio fidelitatem obtendat, niſi utrumque re ipſa probet. Nam ſæpe contingit ut nulli faſtuoſius titulis ſuperbiant, quam qui veritate ſunt deſtituti: quemadmodum olim alto ſupercilio Pſeudoprophetæ ſe à Domino miſſos gloriabantur. Et hodie quid aliud crepant Romanenſes, quam Dei ordinationem & ſacroſanctam ſucceſſionem ab ipſis uſque Apoſtolis? Sed poſtea apparet, inaoes eſſe earum rerum quibus inſoleſcunt. Hic ergo non jactantia, ſed veritas quæritur. Quum autem commune ſit bonis ac malis, nomen ſibi aſſumere: ad examen veniendum eſt, ut diſcamus quiſnam vere aut falſo Apoſtolum ſe appellet. Vocationem Pauli teſtatam fecit Deus pluribus oraculis, & miraculis deinde eam confirmavit. Fides inde æſtimanda fuit, ſi puram Chriſti doctrinam annunciabat. Cæterum de duplici vocatione, Dei nempe & Eccleſiæ, vide Ioſtitutionem noſtram. *Apoſtolus.* Tametſi ex etymo nomen hoc generalem haber ſignificatum, & interdum etiam generaliter accipitur pro quibuslibet miniſtris: peculiaris tamen appellatio competit iis qui Domini mandato ad Euangelium toto orbe promolgandum ordinati erant. Referebat

autem eo numero Paulum cenſeri ob duas cauſas: tum quia multo plus illis deferebatur quam aliis Euangelii miniſtris, tum quia ſoli proprie hanc poteſtatem habebant, ut omnes Eccleſias inſtituerent. *Per voluntatem Dei.* Quum libenter ſoleat Apoſtolus acceptum referre Deo quicquid uſquam eſt boni: id tamen præcipue facit in ſuo Apoſtolatu, quo à ſe omnem arrogantiæ ſuſpicionem avertat. Et ſane ut gratuita eſt vocatio ad ſalutem, ita etiam ad munus Apoſtolicum gratuitam eſſe docet Chriſtus, his verbis, Non vos
Joan. 15. verſ. 16. me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Simul tamen tacite innuit Paulus, contra Dei ordinationem pugnare omnes qui ſuum Apoſtolatum ſubvertere conantur, vel eum quoquo modo oppugnant. Neque enim Paulus fruſtra hic honoris titulis ſe jactat, ſed data opera ſuum Apoſtolatum à malignis obtrectationibus aſſerit. Nam quum ſatis probata Corinthiis eſſe deberet auctoritas, ſupervacuum fuit in medium proferre Dei voluntatem, niſi improbi obliquis artibus honoris gradum divinitus datum labefactare conati eſſent. *Et Soſthenes frater.* Hic eſt Soſthenes ille princeps Judaicæ Synagogæ quæ Corinthi erat, cujus meminit Lucas Act. 18. v. 17. Nomen autem ejus ideo addidit, quod merito eum revereri deberent Corinthii, cujus ardorem & conſtantiam in Euangelio noverant: itaque illi nunc Pauli fratrem nominari majori laudi eſt, quam olim principem Synagogæ.

2. *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi.*] Mirum forſan videri queat, cur eam hominum multitudinem vocet Eccleſiam Dei, in qua tot morbi invaluerant, ut Satan illic potius regnum occuparet quam Deus. Certum eſt autem eum noluiſſe blandiri Corinthiis: loquitur enim ex Dei Spiritu, qui adulari non ſolet. Atqui inter tot inquinamenta, qualis amplius eminet Eccleſiæ facies? Reſpondeo, Quum illi dictum
Actor. 18. verſ. 9. eſſet à Domino, Ne timeas, populus hic mihi multus eſt: hujus promiſſionis memorem, id honoris paucis bonis detuliſſe, ut Eccleſiam agnoſceret in magna improborum multitudine. Deinde utcunque multa vitia obrepſiſſent, & variæ corruptelæ tam doctrinæ quam morum, extitiſſe tamen adhuc quædam veræ Eccleſiæ ſigna. Locus diligenter obſervandus, ne requiramus in hoc mundo Eccleſiam omni ruga & macula carentem; aut protinus abdicemus hoc titulo quemvis cœtum, in quo non omnia votis noſtris reſpondeant. Eſt enim hæc periculoſa tentatio, nullam Eccleſiam putare ubi non appareat perfecta puritas. Nam quicunque hac occupatus fuerit, neceſſe tandem erit ut diſceſſione ab aliis omnibus facta, ſolus ſibi ſanctus videatur in mundo, aut peculiarem ſectam cum paucis hypocritis inſtituat. Quid ergo cauſæ habuit Paulus cur Eccleſiam Corinthi agnoſceret? nempe quia Euangelii doctrinam, Baptiſmum, Cœnam Domini, quibus ſymbolis cenſeri debet Eccleſia, apud eos cernebat. Nam etſi quidam de reſurrectione hæſitare cœperant: quia tamen error ille non pervenerat ad totum corpus, non tollitur propterea Eccleſiæ nomen, nec veritas. Tametſi nonnihil vitii obrepſerat in Cœnæ adminiſtrationem, diſciplina & honeſtas valde collapſa erat, contempta Euangelii ſimplicitate oſtentationi & pompæ dediti erant, propter miniſtrorum ambitionem variis ſtudiis ſcindebantur: quia tamen retinebant fundamentalem doctrinam, Deus unus adorabatur apud eos & invocabatur in Chriſti nomine, fiduciam ſalutis in Chriſto collocabant, habebant miniſterium non penitus corruptum; ideo ſimul manebat Eccleſia. Proinde ubicunque extabit integer Dei cultus, & manebit illa fundamentalis doctrina quam dixi: illic ſine difficultate ſtatuamus eſſe Eccleſiam. *Sanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis.* Dei beneficia quibus ornati fuerant, quaſi per ſpeciem exprobrationis commemorat, niſi ſaltem viciſſim gratos ſe præbeant. Quid enim turpius quam Apoſtolum reſpuere, cujus opera in peculium Dei ſegregati fuerant? His interea duobus epithetis declarat quinam habendi ſint inter vera Eccleſiæ membra, & qui ad ejus communionem proprie pertineant. Niſi enim vitæ ſanctimonia Chriſtianum te oſtendas, deliteſcere quidem in Eccleſia poteris, ſed ex ea tamen non eris. Sanctificari ergo in Chriſto oportet omnes qui in populo Dei cenſeri volunt. Porro Sanctificationis verbum ſegregationem ſignificat. Ea fit in nobis quum per Spiritum in vitæ novitatem regeneramur, ut ſerviamus Deo, & non mundo. Nam quum natura profani ſimus, Spiritus nos Deo conſecrat: verum quia id fit dum inſerimur in Chriſti corpus, extra quod nonniſi pollutio eſt, nec aliunde etiam nobis confertur Spiritus quam à Chriſto: merito nos dicit in Chriſto ſanctificari, quando per ipſum Deo adhæremus, & in ipſo ſimus novæ creaturæ. Quod continuo ſequitur, Vocatis ſanctis: ita reſolvo, Sicut vocati eſtis ad ſanctitatem. Poteſt autem bifariam accipi: vel ut Paulus cauſam ſanctificationis dicat eſſe vocationem Dei, propterea quod Deus ipſos elegit; quaſi dixiſſet, ex ejus gratia hoc pendere, non ex virtute hominum: vel ut ſignificet, profeſſioni noſtræ congruere ut ſancti ſimus, quia hic ſit finis doctrinæ Euangelii. Quanquam autem prior ſenſus contextui videtur melius convenire: parum tamen refert utrovis modo accipias, quia duæ iſtæ ſententiæ inter ſe cohærent: ſanctitatem noſtram ex fonte divinæ electionis fluere, & eandem eſſe vocationis noſtræ ſcopum. Tenendum igitur, nos minime propria induſtria, ſed Dei vocatione ſanctos eſſe: quia ipſe ſolus qui natura immundi erant ſanctificat. Ac mihi certe probabile eſt, ubi apertum ſanctitatis fontem quaſi digito Paulus oſtendit, ad gradum altiorem conſcendere, nempe ad Dei beneplacitum, ex quo etiam Chriſtus nobis prodiit. Cæterum ſicuti per Euangelium vocamur ad vitæ innocentiam; ita reipſa adimpleri nobis id oportet, ut vocatio noſtra ſit efficax. Objiciet autem quiſpiam, non fuiſſe tales ex Corinthiis multos. Reſpondeo, infirmos non excludi ab hoc numero: quia opus ſuum Deus inchoat tantum hic in nobis, paulatim vero per gradus & incrementa perficit. Reſpondeo deinde, Paulum conſulto Dei gratiam in illis magis ſpectare, quam propria eorum vitia: ut ſuæ eos ſocordiæ pudeat, niſi reſpondeant ſuis partibus. *Una cum omnibus invoc.* Et hoc commune eſt piorum omnium epithetum. nam quum præcipuum ſit fidei exercitium, invocare Dei nomen, hoc etiam officio præcipue æſtimandi ſunt fideles. Nota etiam quod Chriſtum dicit invocari à fidelibus: quo ejus divinitas comprobatur, quum unum ex primis divini cultus teſtimoniis ſit invocatio. Itaque invocatio hic συνεκδοχικῶς, univerſam fidei in Chriſtum profeſſionem ſignificat: ſicut multis Scripturæ locis pro toto Dei cultu generaliter capitur. Quod exponunt quidam de ſola profeſſione, mihi frigidum videtur, & ab uſu Scripturæ alienum eſt. Jam vero quod iſtas particulas *noſtri* & *ſui* in genitivo poſui, ut ad Chriſtum referantur, quas alii ad locum referentes, per ablativum reddunt, in eo Chryſoſtomum ſum ſequutus. Videbitur forte hoc durum, quia particula, *in loco*, media inferatur: ſed in Græca Pauli oratione nihil aſperitatis habet hæc conſtructio. Cur autem Vulgatæ interpretationi iſtam præferam, hæc ratio eſt, quod ſi de loco exponas, erit non tantum ſupervacua adjectio, ſed inepta. Quem enim locum ſuum vocaret Paulus? Judæam intelligunt: ſed qua ratione? Deinde quem aliorum locum diceret? Reliquas, inquiunt, omnes orbis partes: ſed parum hoc quoque convenit. Hic vero ſenſus quem poſui, optime quadrat: nam quum omnes nominaſſet qui ubique nomen Chriſti Domini noſtri invocant, addidit, Tam ipſorum quam noſtri: ut communem ſcilicet Dominum promiſcue omnibus faceret Chriſtum qui eum invocant, ſive Judæi ſint, ſive Gentiles.

In quovis loco. Hoc præter morem ſuum addidit Paulus: nam in aliis Epiſtolis eos tantum in ſalutatione exprimit, quibus eas deſtinat. Sed improborum calumnias videtur voluiſſe prævenire, ne ipſum confidenter efferri inter Corinthios dicerent, & auctoritatem ſibi arrogare quam in alias Eccleſias ſibi vindicare non auderet. Nam hac quoque nota fuiſſe inique gravatum, mox patebit: quaſi nidulos ſibi componens, lucem fugeret, vel ſe clam ſubduceret a reliquis Apoſtolis. Videtur ergo, ut hoc mendacium refellat, ſe data opera in ſublimi theatro locare, ex quo procul audiatur.

3. *Gratia vobis & pax.*] Hujus precationis expoſitionem petant lectores ex principio Commentarii in Epiſtolam ad Romanos. neque enim libenter eos repetitionibus onero.

4. Gratias ago Deo meo ſemper de vobis, propter gratiam Dei quæ data vobis eſt in Chriſto Jeſu:

5. Quia in omnibus ditati eſtis in ipſo, in omni ſermone & in omni cognitione.

6. Quemadmodum teſtimonium Chriſti confirmatum fuit in vobis.

7. Ut nullo in dono deſtituamini, expectantes revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

8. Qui etiam confirmabit vos uſque in finem inculpatos, in diem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

9. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in communionem Filii ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri.

4. *Gratias ago* &c.] Poſtquam in ſalntatione auctoritatem à perſona ſibi impoſita comparavit, nunc gratiam doctrinæ ſuæ conciliat, amorem erga eos ſuum exponendo. Et hoc modo præmollit eorum animos ad objurgationes patienter audiendas. Amoris vero fidem facit à ſignis poſterioribus, quod perinde oſtendit eorum bonis ſe lætari, acſi collata ſibi foreñt: quod affirmat ſe benigne de ipſis ſentire, & ſpem bonam in poſterum habere. Porro ſic temperat gratulationem, ut nullam in illis præbeat ſe efferendi materiam: quoniam omnia eorum bona refert accepta Deo, ut ſolida laus ad ipſum redeat, quum ejus ſint gratiæ. Quaſi dicat, Ego quidem vobis gratulor, ſed ita ut laudem Deo tribuam. Deum quod ſuum appellat, quid hoc vaſeat, dixi in Epiſtola ad Romanos. Porro ſicut adulari Corinthiis noluit Paulus, ita nec falſo eos laudavit. Quamvis enim non omnes digni talibus encomiis eſſent, & pleraque præclara Dei dona ambitione corrumperent: tamen ipſa, quia per ſe laudem merebantur, contemnere non debuit. Deinde quia in ædificationem omnium conferuntur Spiritus gratiæ, merito eas tanquam communes totius Eccleſiæ dotes recenſet. Sed videamus quid in illis prædicet. *Propter gratiam* &c. Generale hoc eſt: comprehendit enim omne genus bona quæ conſequuti erant per Euangelium. Nomen enim Gratiæ, non favorem Dei, ſed χαρίσματα dona quæ gratuito largitur hominibus, ſignificat. Mox deſcendit ad ſpecies, quum dicit eos ditatos eſſe in omnibus: & quæ ſint illa omnia exprimit, nempe doctrina, & ſermo Dei. His enim divitiis abundare Chriſtianos decet: quæ etiam eo pluris æſtimandæ ſunt nobis, majorique in pretio habendæ, quo magis vulgo contemnuntur. Particulam *in ipſo*, relinquere malui, quam vertere Per ipſum: quia plus expreſſionis & energiæ (meo quidem judicio) habet. Ditamur enim in Chriſto, eo quod ſimus corporis ejus membra, & quatenus in ipſum ſumus inſiti: imo unum cum eo effecti, nobiſcum quæcunque à Patre accepit, communicat.

6. *Quemadmodum teſtimonium* &c.] Secus vertit Eraſmus: nempe, his rebus confirmatum in illis fuiſſe teſtimonium Chriſti, cognitione ſcilicet ac verbo. Sed aliter ſonant verba: quæ ſi non torqueantur, facilem habent ſenſum: nempe quod Euangelii ſui veritatem Deus conſignaverit inter Corinthios, ut certior foret. Dupliciter autem id fieri potuit, vel per miracula, vel per interius Spiritus ſancti teſtimonium. Videtur Cbryſoſtomus de miraculis accipere: ſed ego latius extendo. ac primo quidem certum eſt, confirmari proprie Euangelium apud nos fide: qoia dum fide recipitur à nobis, tunc demum ſignamus Deum eſſe veracem. Etſi autem fateor miracula valere ad ejus confirmationem debere, altius tamen petendum eſt exordium: nempe quod Dei Spiritus arrha & ſigillum eſt. Ego itaque hæc verba ſic expono, Corinthios abundare ſcientia, ſicut ab initio Deus efficaciam apud eos Euangelio ſuo dederat: neque id uno tantum modo, ſed tam interna Spiritus virtute, quam donorum excellentia & varietate, miraculis, aliiſque adminiculis omnibus. Teſtimonium Chriſti, vel de Chriſto, Euangelium vocat, cujus huc ſpectat tota ſumma, ut Chriſtum nobis patefaciat, in quo abſconditi ſunt omnes ſcientiæ theſauri. Si quis active accipere malit, quia Euangelii primarius auctor eſt Chriſtus, ut Apoſtoli nihil aliud ſint quam ſecundarii vel ſubalterni teſtes, non admodum pugnabo: mihi tamen prior illa expoſitio magis placet. Quanquam paulo poſt capite 2. verſ. 1. ſine controverſia active ſumendum eſt teſtimonium Dei: quia paſſivus ſenſus non congrueret. Hic autem alia ratio: imo locus ille meam ſententiam confirmat, quia mox ſubjicitur quale ſit illud, nempe nihil ſcire præter Chriſtum.

7. *Ut nullo in dono deſtituamini.*] ὑστερεῖσθαι, eſt eo carere cujus alioqui indigeas. Intelligit ergo, ſic abundare omnibus Dei donis Corinthios, ut nullius inopia laborent: acſi diceret, Non Euangelii luce tantum dignatus eſt vos Dominus: ſed præclare inſtruxit omnibus gratiis quæ ſubſidio ſanctis eſſe poſſunt, ad progreſſus in via ſalutis faciendos. Chariſmata enim vocat gratias ſpirituales, quæ ſanctis ſunt tanquam ſalutis inſtrumenta. Sed objicitur contra, nunquam ſic abundare ſanctos, quin aliquam gratiarum penuriam ſentiant, ut cogantur ſemper eſurire & ſitire. Quis enim non procul à perfectione abeſt? Reſpondeo, quoniam ſufficienter præditi ſunt neceſſariis donis, nec unquam deficiuntur quin Dominus eorum inopiæ in tempore ſuccurrat: ideo Paulum talem illis opulentiam tribuere. Et ideo addit, *Expectantes revelationem*: quo ſignificat, non talem ſe affluentiam illis affingere, in qua nihil deſideretur: ſed tantum quæ ſufficiet uſque dum ad perfectionem perventum fuerit. Participium vero, Expectantes, ſic reſolvo, Interim dum expectatis. Ita ſenſus erit, Adeo ut nullius chariſmatis ſitis inopes, interim dum expectatis diem perfectæ revelationis, qua Chriſtus ſapientia noſtra ad plenum manifeſtabitur.

8. *Qui etiam confirmabit vos.*] Relativum hoc, non ad Chriſtum, ſed ad Deum pertinet: utcunque remotius ſit Dei nomen. Pergit enim Apoſtolus in ſua gratulatione: ac quemadmodum ſupra declaravit quid de ipſis ſentiret: ita nunc demonſtrat quid ſpei habeat in poſterum: ſimul ut de affectu erga eos ſuo certiores reddere pergat, ſimul ut ipſos hortetur ſuo exemplo ad eandem ſpem capeſſendam. acſi diceret, Etiamſi adhuc futuræ ſalutis expectatione eſtis ſuſpenſi, certos tamen eſſe oportet, quod nunquam

vos deſeret Dominus, ſed potius augebit ea quæ in vobis inchoavit; ut quum dies ille venerit quo ſiſtemur omnes ad Chriſti tribunal, illic reperiamini inculpati. *Inculpatos.* Huoc eſſe finem vocatinnis noEph. 1:4. Col. 1:22. ſtræ docet ad Epheſios & Coloſſenſes, ut appareamus puri & irreprehenſibiles coram Chriſto. Sed ootandum eſt, non perfici io nobis primo die hanc tantam munditiem: quin potius bene agitur nobiſcum ſi quotidie proficiamus in pœnitentia, ſi purgemur à peccatis quæ Deo nos obnoxios reddunt, donec cum corpore mortis exuamus omnes peccati ſordes. de die Domini dicemus capite 4.

9. *Fidelis Deus.*] Quum Scriptura Deum fidelem vocat, ſæpe hoc nomine ſignificat conſtantiam & perpetuum tenorem eſſe in Deo, ut quod cœpit, in finem Rom. 11. verſ. 29. uſque proſequatur: ſicut alibi dicit idem Paulus, Dei vocationem eſſe abſque pœnitentia. Itaque (meo judicio) hujus loci ſenſus eſt, quod Deus ſtabilis ſit in ſuo propoſito. Quum ita ſit, non ergo ludit in ſua vocatione, ſed opus ſuum perpetuò tuebitur. Semper ex præteritis Dei beneficiis debemus in futurum bene ſperare. Sed altius reſpicit Paulus: argumentatur enim, non poſſe abjici Corinthios, quia ſemel vocati ſiot à Domino in Chriſti communiooem. Ut autem ſciamus quid valeat hoc argumentum, primum notemus, ſuam vocationem unicuique pro electionis teſtimonio eſſe debere. Deinde utcunque alter de alterius electione non ita certo judicare poſſit: judicio tamen charitatis ſemper ſtatuendum eſſe, vocari ad ſalutem quotquot vocantur. intelligo efficaciter & cum fructu. Paulus autem hunc ad eos ſermonem dirigebat, in quibus verbum Domini radices egerat, & io quibus extabat aliquis ejus fructus. Siquis objiciat, multos qui ſemel verbum receperunt, poſtea excidere: reſpondeo, ſolum Spiritum unicuique eſſe fidum ac certum teſtem ſuæ electionis, unde perſeverantia dependet. id tameo non obſtitiſſe Paulo quominus judicio charitatis perſuaſum haberet, firmam & inconcuſſam fore vocationem Corinthiorum, utpote in quibus ſigna videbat paternæ Dei benevolentiæ. Hæc porro nequaquam ſpectant ad gignendam carnis ſecuritatem, quam ut nobis Scriptura excutiat, ſæpe nos propriæ imbecillitatis admonet: ſed tantum ad ſtabiliendam in Domino fiduciam. Hoc autem operæpretium erat, ne dejicerent animos, tot delictorum agnitione, quæ poſtea illis ob oculos proponet. Hæc ſumma ſit, Chriſtiani candoris eſſe, bene ſperare de omnibus qui rectam ſalutis viam ingreſſi adhuc ſunt in curſu: utcunque rurſum multis adhuc morbis ſint circumdati. Noſtrum vero unumquemque, ex quo illuminatus eſt Dei Spiritu in Chriſti cognitionem, certo inde colligere debere, ſe adoptatum eſſe à Domino in hæreditatem æternæ vitæ. Nam efficax vocatio fidelibus teſtimonium divinæ adoptionis eſſe debet: interea tamen cum timore & ſollicitudine ambulandum omnibus. De qua re aliquid rurſus cap. 10. attingam. *In communionem.* Hujus loco vertit Eraſmus, In conſortium. Vetus ioterpres, Societatem. Ego autem Communiooem ponere malui, quia vim Græcæ vocis κοινωνίας melius exprimebat. Nam hic finis eſt Euangelii, ut Chriſtus noſter fiat, ac nos in ejus corpus inſeramur. Ubi autem illum nobis poſſidendum donat Pater, ſe quoque ipſum nobis eo communicat: hinc vero manat bonorum omnium participatio. Hoc eſt ergo Pauli argumentum, Quum Euangelio quod fide recepiſtis, aſciti ſitis in Chriſti communionem: non eſt cur timeatis vobis à mortis periculo, facti ejus participes, qui victor mortis emerſit. Summa, Chriſtianus quum ſe intuetur, nonniſi trepidandi materiam habet, vel potius deſperandi: ſed quia vocatus eſt in Chriſti communionem, non aliter de ſe cogitare debet, ubi de fiducia ſalutis agitur, quam de membro Chriſti: ut omnia Chriſti bona ſua faciat. Ita indubiam ſpem finalis (ut loquuntur) perſeverantiæ concipiet, ſi ejus membrum ſe eſſe reputet, qui eſt extra cadendi periculum.

10. Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idem loquamini omnes, & non ſint inter vos diſſidia: ſed apte cohæreatis in una mente & in una ſententia.

11. Significatum enim mihi de vobis fuit, fratres mei, ab iis qui ſunt Chloës, quod contentiones ſint inter vos.

12. Dico autem illud, quod unuſquiſque veſtrum dicat, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, ego autem Chriſti.

13. Diviſusne eſt Chriſtus? numquid pro vobis crucifixus eſt Paulus? aut vos in nomen Pauli baptizati eſtis?

10. *Obſecro autem vos, fratres.*] Hactenus molliter tractavit Corinthios, quia plus nimis delicatos eſſe noverat. Nunc poſtquam eorum animos ad correctionem præparavit, bonum peritumque medicum agens, qui demulcet vulnus quum acre medicamen adhibendum eſt, ſeverius eos tractare iocipit. Quanquam hic quoque multa utitur moderatione, ut adhuc videbimus. Summa autem eſt, Spero equidem Dominum tot in vos dona non fruſtra contuliſſe, quin vos ad ſalutem perducere velit: ſed vos quoque debetis dare operam ne veſtris vitiis tam præſtantes gratiæ inquinentur. Ergo videte ut ioter vos conſentiatis. ego autem conſenſum inter vos non fruſtra requiro: mihi enim nunciatum eſt, vos uſque ad hoſtilem modum diſſidere, fervere inter vos factiones & ſtudia, quæ veram fidei uoitatem ſcindant. Sed quia ſimplici hortatione non ſatis forſan permoti fuiſſent, obſecrationem adhibet: nam eos per nomen Chriſti adjurat, ut quantum ipſum amant, tantum ſtudeant concordiæ. *Ut idem loquamini omnes.* Tribus loquendi formis eos ad concordiam hortatur. primo enim talem inter eos conſenſum requirit, ut una ſit vox omnium: deinde malum tollit, quo unitas ſcinditur ac diſſipatur: tertio rationem exprimit veræ concordiæ, ut ſcilicet mentibus & voluntatibus inter ſe conveniant. Quod ſecundo loco poſuit, ordine primum eſt: ut ſcilicet caveamus diſſidia. nam inde alterum manabit, ut concordes ſimus. tertium vero tandem ſequetur, quod hic primum nominatur, ut tanquam uno ore loquamur omnes: quod apprime optabile eſt, ut fructus Chriſtianæ concordiæ. Notemus ergo, nihil eſſe magis à Chriſtianis alienum, quam inter ſe diſſidere. hoc enim præcipuum eſt religionis noſtræ caput, ut inter nos ſimus concordes: hoc etiam conſenſu ſtat & ſubnixa eſt ſalus Eccleſiæ. Sed videamus quid in Chriſtiana unitate requirat. ſiquis ſubtilius diſtingui ſingula cupiat, vult eos cohærere primum in una mente, deinde in una ſententia, tertio vult eos conſenſum verbis profiteri. Quoniam autem ab Eraſmi verſione noonihil mea diſcrepat: obiter admoniti ſint lectores, Paulum hic uti participio quod res apte & congruenter inter ſe compactas ſignificat. Nam & verbum καταρτίζεσθαι, unde participium illud κατηρτισμένοι deſcendit, proprie Aptari & coadunari ſignificat: quemad-

quemadmodum membra humani corporis optima ſymmetria inter ſe cohærent. Pro Sententia, Paulus habet γνώμῃ: ſed ego hic pro Voluntate accipio, ut ſit integra partitio animæ, & prius quidem membrum ad fidem; alterum ad charitatem referatur. Tunc ergo conſtabit inter nos unitas Chriſtiana, ſi non in doctrina tantum bene conveniat, ſed concordes etiam ſimus in ſtudiis & voluntatibus, atque ita ſimus per omnia unanimes. Quemadmodum primæ
Actor. 2. verſ. 48. Eccleſiæ fidelibus teſtimonium reddit Lucas, quod haberent cor unum & animam unam. Et ſane hoc reperietur ubicunque regnabit Chriſti Spiritus. Quum autem unum loqui jubet, ab effectu melius etiamnum exprimit quam abſolutus eſſe conſenſus debeat, nempe ut ne in ſermone quidem ulla diverſitas appareat. Difficile quidem factu, inter Chriſtianos tamen neceſſarium, à quibus non una tantum fides requiritur, ſed una etiam confeſſio.

11. *Significatum.*] Quoniam generales exhortationes minus afficere ſolent: ſpecialiter ad eos pertinere exponit quod dixerat. Huc ergo ſpectat accommodatio, ut agnoſcant Corinthii, Paulum non fruſtra concordiæ feciſſe mentionem. Neque enim modo à ſancta unitate deflexiſſe eos oſtendit: ſed uſque ad contentiones prolapſos, quæ diſſenſionibus pejores ſunt. Et ne credulitatis nimiæ arguatur, quaſi falſis criminationibus aurem leviter præbuerit: laudat ſuos auctores. quos oportet fuiſſe in optima exiſtimatione, quum tanquam idoneos teſtes adverſus totam Eccleſiam citare ipſos non dubitaverit. Tametſi autem non prorſus certum eſt ſitne loci an mulieris nomen Chloë, mihi tamen magis eſt veriſimile, mulierem fuiſſe. Exiſtimo igitur familiam fuiſſe bene inſtitutam, quæ morbum hunc Paulo indicaverit Eccleſiæ Corinthiacæ, quem ab eo curari optabat. Quod autem poſt Chryſoſtomum ſentiunt plerique, ideo abſtinuiſſe nominibus, ne ipſos gravaret invidia, mihi abſurdum videtur. Nam non quoſdam ex familia dicit hoc ſibi nunciaſſe, ſed potius omnes deſignat: neque vero dubium eſt quin ſe nominari libenter ſuſtinuerint. Porro ne aſperitate nimia exulceraret eorum animos, mitigavit amabili alloquutione reprehenſionem: non qua morbum elevaret, ſed qua magis dociles redderet ad morbi gravitatem agnoſcendam.

12. *Dico autem* &c.] Quidam hic μίμησιν eſſe volunt, quaſi eorum verba Paulus referat. Tametſi autem variant codices in particula ὅτι, ego tamen magis conjunctionem quam articulum relativum eſſe puto, ut ſimplex ſit expoſitio proximæ ſententiæ, in hunc ſenſum, Ideo contentiones inter vos eſſe dico, quia unuſquiſque veſtrum in hominis nomine gloriatur. Sed objiciet quiſpiam, nondum apparere contentionem in his vocibus: reſpondeo, ubi diſſidia vigent in religione, fieri non poſſe quin animi paulo poſt ebulliant ad certamen. Nam ſicut ad nos copulandos nihil eſt efficacius, nihil quod magis animos conſociet ac retineat in pace, quam religionis conſenſio: ita ſiqua in hac parte diſcordia exorta fuerit, neceſſe eſt ut protinus concitentur animi ad pugnam. nec ullis aliis in rebus atrociores ſunt concertationes. Quare merito Paulus tanquam ſufficientem contentionum probationem adducit, quod ſectis & factionibus laborarent Corinthii. *Ego quidem ſum Pauli*, &c. Nominat hic fideles Chriſti ſervos, Apollon qui ejus ſucceſſor fuerat Corinthi, Petrum quoque ipſum: & ſe demum illis adjungit, ne tam propriam cauſam agere videatur, quam Chriſti. alioqui non eſt veriſimile, ullas fuiſſe factiones quæ ſancti conſenſus miniſtris ſtuderent. Sed quemadmodum poſtea ſubjiciet, quod in alios competebat, in ſuam & Apollo perſonam tranſtulit: idque ideo fecit, ut ab hominum reſpectu averſi, rem ipſam melius conſiderarent. Sed excipiet quiſpiam, eos quoque hic recenſeri qui ſe Chriſti eſſe profiterentur. An vero id fuit reprehendendum? Reſpondeo, ita melius exprimi, quanta indignitas ex illis pravis ſtudiis conſequatur, ubi ſumus hominibus addicti: ſiquidem Chriſtum tunc eſſe in parte neceſſe eſt: nec aliud reſtat piis, niſi ut ſe ab aliis ſeparent, ſi non velint Chriſtum abnegare. Quoniam autem locus hic varie torquetur, propius expendere convenit quid hic intendat Paulus. Vult uni Chriſto magiſterium ita aſſerere in Eccleſia, ut ab eo pendeamus omnes: ut unus inter nos dominus ac magiſter nominetur, ne ullum contra hominis nomen opponatur. Qui ergo diſcipulos poſt ſe abſtrahunt ut ſcindant Eccleſiam in ſectas, eos damnat tanquam pernicioſiſſimos fidei noſtræ hoſtes. Sic ergo eminere in Eccleſia homines non patitur, ut in Chriſti dominium invadant: tali in honore illos haberi non ſinit, ut Chriſti dignitati inde vel minimum derogetur. Habendus eſt quidem ſuus Chriſti miniſtris honos: ſunt ipſi quoque ſuo modo magiſtri: ſed hæc ſemper tenenda eſt exceptio, ut Chriſto maneat illibatum quod ipſius eſt, nempe ut unicus nihilominus magiſter ſit ac cenſeatur. Quare hic bonorum miniſtrorum ſcopus eſt, omnes in commune ſervire Chriſto; illi uni imperium, auctoritatem, gloriam aſſerere; ſub ejus vexillo militare, parere illi uni, & alios ejus imperio ſubjicere. Si quis ambitione ducitur, ille jam non Chriſto, ſed ſibi diſcipulos colligit. Hic ergo fons eſt omnium malorum, hæc nocentiſſima omnium peſtis, hoc exitiale Eccleſiarum omnium venenum, quum ſibi potius quam Chriſto miniſtri ſtudent. Summa ſit, Eccleſiæ unitatem hoc uno maxime conſtare, ſi à ſolo Chriſto pendeamus omnes, & ita homines in loco inferiore ſubſidant, ut nihil de ejus eminentia derogetur.

13. *Diviſus ne eſt Chriſtus?*] Hoc intolerabile malum ex Corinthiorum factionibus conſequebatur. ſolus enim Chriſtus regnare in Eccleſia debet. Ac quum hic finis ſit Evangelii, ut per ipſum Deo reconciliemur, neceſſe eſt primum nos ſimul omnes eſſe in eo colligatos. Quum autem pauculi ex Corinthiis, qui aliis erant ſaniores, Chriſtum retinuerint magiſtrum, utcunque omnes ſe Chriſtianos jactarent, ita lacerabatur Chriſtus. Nos enim unum eſſe corpus oportet, ſi velimus ſub eo, tanquam ſub capite contineri. Quod ſi in diverſa corpora ſcindimur, ab ipſo quoque diſſilimus: gloriari ergo ejus nomine inter diſcordias & factiones, eſt ipſum diſcerpere, quod fieri nequit. nam ab unitate & concordia ipſe nunquam diſcedet, quia ſeipſum abnegare non poteſt. Hac igitur abſurditate propoſita, efficere vult Paulus ut intelligant Corinthii à Chriſto ſe eſſe alienos, qui diviſi ſint: tunc enim regnat in nobis, quum ſacroſanctæ conjunctionis vinculum nobis eſt. *Numquid pro vobis crucifixus eſt Paulus?* Duabus validis rationibus demonſtrat quam ſit indignum, Chriſto præripere hunc honorem, ut ſolus ſit caput Eccleſiæ, ſolus magiſter: vel ullam partem ejuſmodi honoris illi ſubducere, quo ad homines transferatur. Prior eſt, nos hac lege redemptos eſſe à Chriſto, ut non ſimus noſtri juris. Hoc ipſo argumento utitur Paulus ad Romanos cap. 14. v. 9. quum dicit, In hoc mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, ut vivis dominetur & mortuis. Illi ergo vivamus & moriamur, quia ſemper ejus ſumus. Item etiam cap. 7. v. 23. hujus Epiſtolæ, Pretio empti eſtis: nolite fieri ſervi hominum. Quum ergo acquiſiti eſſent Corinthii Chriſti ſanguine: redemptionis beneficio quodammodo renunciabant, dum alia capita ſibi accerſerent. Inſignis doctrina quod noſtri arbitrii non ſit addicere nos hominibus in ſervitutem, quum ſimus Domini peculium. Corinthios ergo hic ſummæ ingratitudinis notat, qui ab eo capite ſe alienabant, cujus ſanguine redempti erant: utcunque id facerent inſcienter. Militat porro hic locus adverſus impium Papiſtarum com-

mentum, quo ſuas indulgentias fulcire conantur. Theſaurum enim illum fictitium Eccleſiæ, quem per indulgentias diſpeoſari docent, conſtruunt ex ſanguioe Chriſti & Martyrum. Ita fingunt Martyres promeruiſſe nobis aliquid coram Deo morte ſua, ut iode ad obtinendam peccatorum remiſſiooem auxilium petamus. Negabunt ideo redemptores noſtros eſſe. atqui nihil clarius eſt quam alterum ex altero ſequi. Agitur de peccatoribus cum Deo reconciliandis, agitur de impetranda venia, agitur de placanda ira Domioi, agitur de redimendis offenſis. Hoc fieri partim Chriſti, partim Martyrum ſanguine jactant. faciunt igitur in recuperanda ſalute, Martyres Chriſti ſocios. Hic autem fortiter negat Paulus, alium à Chriſto pro oobis fuiſſe crucifixum. Mortui quidem ſuot Martyres in bonum oostrum: ſed (quemadmodum ait Leo) ut conſtantiæ exemplum ederent, non ut donum juſtitiæ nobis acquirerent. *Aut vos in nomen Pauli baptizati.* Secundum argumentum, quod à profeſſione Baptiſmi ſumptum eſt. Damus eoim ei nomen, in cujus nomen baptizamur: ergo ſumus obſtricti Chriſto, cujus nomine Baptiſmus noſter eſt conſecratus. unde ſequitur, perfidiæ eſſe Corinthiis & deſertionis crimen, ſi ſe hominibus addicaot. Hic Baptiſmi naturam, ſyngraphæ mutui contractus ſimilem eſſe obſerva: nam ſicut eo ſymbolo nos Domious io familiam ſuam recipit, ac populo ſuo accenſet; ita fidem illi noſtram obligamus, ne quem poſthac babeamus alium Domioum ſpiritualem. Proinde ſicuti à parte Dei foedus gratiæ eſt quod nobiſcum paciſcitur, quo remiſſionem peccatorum oovamque vitam promittit: ſic à parte noſtra ſacramentum eſt ſpiritualis militiæ, quo perpetuum illi obſequium pollicemur. Priorem illam partem bic Paulus non attingit, quia locus non ferebat: ſed quum de Baptiſmo agitur, non eſt omittenda. Neque vero tantum ob id deſertionis accuſat Paulus Corinthios, quod relicto Chriſto ad homines tranſeant: ſed foedifragos hoc ipſo fore indicat, niſi hæreant in ſolo Chriſto. Quæritur, quid ſit in Chriſti nomen baptizari. Reſpondeo, hac loquutione non modo indicari Baptiſmum in Chriſti auctoritate fundatum eſſe, ſed ejus quoque virtute ſubniti, & quodammodo in ea conſiſtere: denique hinc pendere totum effectum, quod Chriſti nomen in ipſo invocetur. Sed quæritur rurſum, cur Paulus dicat Corinthios baptizatos in oomen Chriſti: quum præceperit Chriſtus ipſe Apoſtolis baptizare in Pa- *Mat.* 28. *verſ.* 19.
tris & Filii & Spiritus ſancti nomen. Reſpondeo, conſiderandum hoc primo loco in Baptiſmo eſſe quod Deus Pater nos gratuita booitate in Eccleſiam ſuam inſerendo, adoptione in filios recipit. Secundo, quia nulla intercedere nobis coojuoctio cum eo poteſt, niſi intercedente reconciliatione: Chriſto opus eſt, qui ſuo oos ſanguine reſtituat in Patris gratiam. Tertio, quia per Baptiſmum conſecramur Deo, Spiritum quoque ſanctum intervenire oportet: cujus officium eſt, oos facere novas creaturas. quin etiam quod Chriſti ſanguine abluimur, ejus proprium opus eſt: ſed quia neque Patris miſericordiam, nec gratiam Spiritus conſequimur niſi per ſolum Chriſtum, merito & proprium Baptiſmi ſcopum eum vocamus, & ſpecialiter ejus nomine Baptiſmum inſcribimus. Quanquam hoc Patris & Spiritus nomen minime excludit. Quum enim brevi ſumma complecti volumus vim Baptiſmi, Chriſtum ſolum nominamus. quum diſtinctius loqui placet, Patris & Spiritus nomen exprimi debet.

14. Gratias ago Deo meo, quod neminem baptizaverim veſtrum, niſi Criſpum & Caium:

15. Ne quis dicat quod in meum nomen baptizaverim.

16. Baptizavi autem & Stephanæ familiam. præterea neſcio num quem alium baptizaverim.

17. Non enim miſit me Chriſtus ut baptizarem, ſed ut euangelizarem: non in ſapientia ſermonis, ne inanis reddatur crux Chriſti.

18. Nam ſermo crucis iis qui pereunt, ſtultitia eſt: at nobis qui ſalutem conſequimur, potentia Dei eſt.

19. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentium auferam è medio.

20. Ubi ſapiens? ubi Scriba? ubi diſputator hujus ſeculi? Nonne infatuavit Deus ſapientiam mundi hujus?

14. *Gratias ago.*] His verbis taxat acerbiſſime Corinthiorum pravitatem, qua fiebat ut tam ſanctum ac præclarum Baptiſmi miniſterium quodammodo refugiendum eſſet. Juſte quidem & pro muoeris ſui ratione feciſſet Paulus, ſi quamplurimos baptizaſſet. Gaudet tamen aliter accidiſſe, & Dei provideotia factum eſſe agnoſcit, ne inde arriperent occaſionem io ſe gloriandi: vel ne quid ſimile haberet cum ambitioſis illis qui diſcipulos hoc modo aucupabantur. Quid ſi autem baptizaſſet multos? Nihil io eo fuiſſet mali: ſed (quemadmodum dixi) gravis bic ſubeſt exprobratio adverſus Corinthios & eorum pſeudoapoſtolos, quod gaudendum ſit ſervo Domini ab opere bono alioqui & laudabili ſe abſtinuiſſe, ne illis in occaſionem noxæ verteretur.

17. *Non enim miſit me Chriſtus.*] Occupat quod illi forte objici potuiſſet: noo fuiſſe igitur ſuo munere defunctum, quia jubeat Chriſtus Apoſtolos baptizare non ſecus ac docere. Reſpondet igitur, has non fuiſſe præcipuas fuoctionis ſuæ partes: ſibi
Mat. 28. enim docendi munus præcipue eſſe injunctum, cui
verſ. 19. incumberet. Nam quum dicit Chriſtus Apoſtolis,
Marc. 16. Ite, prædicate, & baptizate: Baptiſmum adjungit
verſ. 15. doctrinæ, tanquam acceſſionem dootaxat, vel appendicem: ut ſemper doctrinæ prior locus maneat. Duo tamen bic ſunt obſervanda: quorum alterum eſt, noo bic ſimpliciter oegare Apoſtolum quio baptizaodi mandatum haberet (nam ad omnes Apoſtolos hoc pertinet, Ite, baptizate: & ipſe temere feciſſet vel uoum baptizando, oiſi mandato fuiſſet inſtructus) ſed tantum indicare quid eſſet in ſua vocatiooe præcipuum. Secundum vero, minime hic Sacramenti dignitatem aut fructum extenuari, quemadmodum quidam putaot. Neque enim bic de virtute Baptiſmi quæſtio eſt: nec ideo hanc comparationem inſtituit Paulus, ut quicquam de ea detrahat: ſed quum paucorum eſſet docere, pluribus autem baptizare datum foret: deinde quum multi ſimul doceri poſſent, Baptiſmus autem nonniſi ſingulis ordine poſſet conferri: Paulus qui doceodi facultate antecellebat, inſtabat operi ſibi magis neceſſario: aliis relinquebat quod præſtare commodius poterant. Imo ſi propius expendant lectores omnes circumſtantias, videbunt ſubeſſe tacitam ironiam, qua facete mordentur qui ex labore alieoo ſub prætextu ceremoniæ, gloriolam venantur. Incredibiles fuerant labores Pauli in Eccleſia illa ædificanda: ſupervenerant delicati iſti magiſtri, qui

aquæ

aquæ aſperſione diſcipulos in ſuam ſectam traxerant: Paulus ergo titulum honoris illis concedens, ſe onere contentum eſſe teſtatur. *Non in ſapientia ſermonis.* Anticipatio eſt, qua duplex objectio refellitur. nam & excipere poterant larvati doctores, Paulum qui nulla facundia præditus erat, ridicule jactare ſibi injunctas eſſe docendi partes: ideo per conceſſionem dicit, ſe non creatum eſſe rhetorem, qui verborum ſplendore ſe venditet, ſed miniſtrum Spiritus, qui rudi & plebeio ſermone, muodi ſapientiam in ordinem cogat. Jam ne quis objiceret, prædicatione non minus quam alios Baptiſmo, eum aucupari gloriam: breviter reſpondet, quum ab omni ſplendore remota ſit docendi methodus quam tenet, ac nihil ambitionis ſpiret, non poſſe hoc nomine ſuſpectam eſſe. Atque hinc quoque (niſi me fallit opinio) colligere promptum eſt, quis fuerit præcipuus controverſiæ ſtatus, quam babebat Paulus cum malis & infidelibus miniſtris Corinthiorum: nempe quum turgerent ambitione, quo plebem raperent in admirationem ſui, verborum pompa & humanæ ſapientiæ larva ſe venditabant. Ex hoc ſummo malo duo alia conſequebantur: quod bis quaſi integumentis, Euangelii ſimplicitas deformabatur, & Chriſtus tanquam nova & extranea forma induebatur, ne pura & nativa ejus notitia exteret. Deinde quod converſis ad verborum nitorem & elegantiam, ad acutas ſpeculationes, ad inanem ſublimioris doctrinæ ſpeciem hominum animis, Spiritus energia evaneſcebat: nec quicquam relinquebatur præter mortuam literam: non apparebat Dei majeſtas, qualis in Euangelio elucet, ſed fucus tantum & infructuoſa pompa. Has ergo Euangelii corruptelas ut inſectetur Paulus, tranſitum bic facit ad modum prædicationis ſuæ: quem rectum & legitimum eſſe aſſerit, quum tamen ex diametro cum ambitioſa illorum oſtentatione pugnaret. acſi diceret, Scio quantopere ſibi blandiantur veſtri iſti delicati doctores ſua magniloquentia: ego autem prædicationem meam rudi & craſſo minimeque polito dicendi genere conſtitiſſe, non tantum confiteor, ſed etiam glorior. Sic enim agi oportuit: atque bæc mihi ratio fuit divinitus præſcripta. Sermonis ſapientiam vocat, non λογοδαιδαλίαν; quæ nihil eſt quam inanis loquacitas: ſed eloquentiam veram, quæ conſtat prudenti rerum inventione, diſpoſitione ingenioſa, & elegantia ſermonis. Hanc ſibi defuiſſe teſtatur, quin etiam ſuæ prædicationi neque aptam, neque utilem fuiſſe.

Ne inanis reddatur crux Chriſti.] Quemadmodum ſupra toties nomen Chriſti ſuperbæ carnis ſapientiæ oppoſuit, ita nunc in medium adducit Chriſti crucem, qua faſtum illius omnem ac ſublimitatem dejiciat. Tota enim fidelium ſapientia in Chriſti cruce incluſa eſt: quid autem cruce contemptibilius? Ergo qui vere Deo vult ſapere, neceſſe eſt ut ad hanc crucis humilitatem deſcendat: hoc porro non fiet, quin ſe prius & proprio ſenſu & tota mundi ſapientia abdicaverit. Verum non hic tantum quales eſſe Chriſti diſcipulos, & quam diſcendi viam tenere conveniat, ſed etiam quæ ſit docendi ratio in ſchola Chriſti, tradit Paulus. Exinanita, inquit, fuiſſet crux Chriſti, ſi eloquentia & ſplendore ornata fuiſſet mea prædicatio. Crucem Chriſti bic poſuit pro redemptionis beneficio, quod à Chriſto crucifixo petendum eſt. Doctrina autem Euangelii quæ illuc nos vocat, debet ſapere crucis naturam: ut ſcilicet deſpecta ſit magis & abjecta coram mundo, quam glorioſa. Senſus ergo eſt, quod ſi Paulus philoſophico acumine & dicendi artificio uſus eſſet apud Corinthios, ſepulta fuiſſet efficacia crucis Chriſti, in qua conſiſtit ſalus hominum: quia pervenire ad nos hac via non poteſt. Hic duo quæruntur: numquid hic prorſus damnet Paulus ſermonis ſapientiam, tanquam Chriſto adverſariam; deinde numquid perpetuum eſſe diſſidium Euangelii doctrinæ cum eloquentia intelligat, ut ſimul convenire nequeant: vitiarique Euangelii prædicationem, ſi quis ad eam ornandam eloquentiæ color adhibeatur. Reſpondeo ad prius, valde à ratione eſſe diſſentaneum, ut eas artes in univerſum damnet Paulus, quas conſtat præclara eſſe Dei dona, quibus homines tanquam organis ad bonos uſus adjuvantur. Artes igitur non ſuperſtitioſæ, ſed quæ ſolidam eruditionem continent, veriſque rationibus nituntur, ſicut utiles ſunt & accommodæ communi vitæ bominum, ita non dubium eſt quin à Spiritu ſancto ſint profectæ: & utilitas quæ ex illis percipitur ac ſentitur, non alteri quam Deo accepta referri debet. non eſt ergo quod bic dicit Paulus, in contumeliam artium accipiendum, quaſi pietati adverſentur. Secunda quæſtio paulo plus habet difficultatis: dicit enim exinaniri Chriſti crucem, ſi qua ſermonis ſapientia admiſceatur. Reſpondeo, conſiderandum eſſe quos alloquatur Paulus. Pruriebant Corinthiorum aures ſtulta cupiditate magniloquentiæ: præ aliis ergo ad crucis humilitatem revocandi erant, ut diſcerent nudum Chriſtum & ſimplex Euangelium abſque fuco ullo amplecti. Quanquam hanc ſententiam quodammodo perpetuam eſſe fateor, Chriſti crucem exinaniri non tantum mundana ſapientia, ſed verborum quoque ſplendore. Chriſti enim crucifixi prædicatio ſimplex eſt ac nuda: obfuſcari ergo verborum fuco non debet. Euangelii proprium eſt, mundi ſapientiam ſic in ordinem redigere, ut proprio ſenſu vacui, dociles nos tantum præbeamus, nec aliud ſcire nos putemus, aut etiam appetamus, quam quod Dominus ipſe docet. De ſapientia carnis fuſius mox tractandum erit, qualiter Chriſto repugnet: de eloquentia paucis hic perſtringam quantum locus requirit. Videmus Deum ita ab initio ordinaſſe, ut Euangelium omni eloquentiæ ſubſidio nudum adminiſtraretur. Qui linguas hominum format ad facundiam, non poſſet ipſe diſertus eſſe ſi vellet? quum poſſet, noluit. Cur noluerit, duas potiſſimum rationes invenio. altera eſt, ut in rudi & impolito ſermone magis conſpicua appareret veritatis ſuæ majeſtas: & ſola Spiritus efficacia, abſque externis adminiculis in hominum animos penetraret. Altera vero, ut noſtram obedientiam ac docilitatem melius experiretur, & ſimul ad veram humilitatem erudiret. Solos enim parvulos in ſcholam ſuam admittit Dominus: ergo illi demum cæleſtis ſapientiæ ſunt capaces, qui prædicatione crucis in ſpeciem abjecta contenti, larvatum Chriſtum nequaquam deſiderant. Ideo in bunc finem Euangelii doctrinam attemperari oportuit, ut ab omni faſtu & altitudine abſtraherentur fideles. Quid autem ſi quiſpiam hodie paulo nitidius diſſerendo, Euangelii doctrinam eloquentia illuſtret? an propterea repudiandus erit, quaſi vel eam contaminet, vel obſcuret Chriſti gloriam? Reſpondeo, primum nihil pugnare cum Euangelii ſimplicitate eloquentiam quæ ſine faſtidio illi non tantum cedat & ſe ſubjiciat, ſed etiam tanquam ancilla, dominæ ſerviat. Nam, ſicut ait Auguſtinus, qui Petrum dedit piſcatorem, dedit & Cyprianum rhetorem. Quo ſignificat ambos à Deo eſſe: utcunque alter qui dignitate multo eſt ſuperior, omni dicendi gratia ſit deſtitutus: alter qui ad illius pedes ſedet, facundiæ laude excellat. Hæc ergo eloquentia nec damnanda, nec aſpernanda eſt, quæ non buc ſpectat ut Chriſtianos in externo verborum colore detineat, ut eos inebriet vana oblectatione, ut ſuo tinnitu aures feriat, ut ſua pompa tanquam involucro obruat Chriſti crucem: ſed potius ut ad nativam Euangelii ſimplicitatem nos revocet, ut ipſa ſponte ſe in ordinem redigens, ſolam crucis prædicationem extollat: ut denique tanquam præconis officio fungatur, ad comparandam piſcatoribus illis & idiotis audientiam, qui nihil præter Spiritus energiam gratiæ habent. Deinde reſpondeo,

ſuam

ſuam quoque eſſe Spiritui Dei eloquentiam: ſed quæ nativo magis & proprio, vel potius intrinſeco (ut loquuntur) ſplendore, quam aſcititiis ornamentis luceat. Talem habent Prophetæ, præſertim Jeſaias, David, & Solomon: tali etiam aſperſus eſt Moſes. quin & in ſcriptis Apoſtolorum, etiamſi magis ſint inculta, ejus tamen ſcintillulæ quædam interdum emicant. Proinde ejuſmodi eloquentia Spiritui Dei convenit, quæ non oſtentatione turgeat, nec crepet inanem ſonitum: ſed quæ ſolida ſit & efficax, pluſque ſinceritatis habeat quam elegantiæ.

18. *Nam ſermo crucis* &c.] In hoc priore membro conceſſio eſt. Quoniam enim objicere promptum erat, Euangelium paſſim haberi contemptui, ſi ita nudum & humile proferatur, hoc Paulus ultro concedit. ſed quum addit, id fieri ab iis qui pereunt, ſignificat minime ſtandum eſſe eorum judicio. Quis enim hac mercede Euangelium contemnere velit, ut pereat? Sic ergo reſolvi debet hæc ſententia, Utcunque ſermo crucis, quia non eſt humanæ ſapientiæ commendatione gratioſus, ſtultitia reputetur ab iis qui pereunt: nobis tamen illic ſapientia Dei elucet. Oblique autem perſtringit pravum Corinthiorum judicium, qui quum verborum lenocinio facilè allicerentur ab ambitioſis doctoribus, Apoſtolum inſtructum Dei potentia ad eorum ſalutem, faſtidiebant, hoc tantum nomine, quod in prædicando Chriſto inſiſteret. Quomodo autem ſermo crucis, potentia Dei ſit in ſalutem, diximus Rom. 1. v. 16.

19. *Scriptum eſt enim*, &c.] Melius etiamnum Jeſaiæ teſtimonio confirmat quam indignum ſit hoc præjudicio gravari Euangelii veritatem, propterea quod eam mundi ſapientes ludibrio, nedum contemptui habeant. Patet enim ex Prophetæ verbis quam pro nihilo ducatur eorum ſententia apud Deum. Locus ſumptus eſt ex Jeſaiæ 29. v. 14. ubi Dominus ſe in hypocriſin populi hoc pœnæ genere vindicaturum denunciat, quo peribit ſapientia à ſapientibus, &c. Applicatio autem ad præſentem cauſam talis eſt, Non eſt hoc novum aut inuſitatum, quod ita præpoſtere judicant homines qui videntur alioqui prudentia excellere. nam ita Dominus eorum arrogantiam punire ſolitus eſt, qui proprio ingenio confiſi, duces ſibi & aliis eſſe volunt. Sic olim in populo Iſraëlitico diſſipavit ſapientiam eorum qui duces erant populi. Si in eo populo hoc contigit, cujus ſapientiam debebant admirari reliquæ gentes: quid fiet aliis? Verba tamen Prophetæ cum Pauli verbis conferre, & rem totam preſſius adhuc excutere convenit. Tametſi verbis neutris utitur Propheta, quum dicit, Peribit ſapientia, & prudentia evaneſcet: quæ Paulus in activa convertit, in Dei perſonam transferendo: in ſenſu tamen optime conveniunt. Nam hoc eſt miraculum grande, quod ſe editurum teſtatur Deus, quo attoniti reddantur omnes. Perit ergo ſapientia, ſed Domino deſtruente: ſapientia evaneſcit, ſed inducta à Domino & deleta. Secundum verbum ἀθετεῖν, quod Eraſmus vertit Rejicere, quum ambiguam habeat ſignificationem, & aliquando ſumatur pro Delere, vel expungere, aut obliterare: in hoc ſenſu accipere hic malo, ut reſpondeat verbo Prophetæ, Evaneſcere aut abſcondi. Quanquam hæc mihi validior fuit ratio, quod Rejiciendi verbum rei non congruebat, ſicuti mox patebit. Videamus igitur de ſenſu. Nihil certe aliud vult Propheta, quam nullos amplius fore gubernatores qui juſtam regendi rationem teneant: quia Dominus eos privabit ſano judicio & intelligentia. Quem-
Jeſa. 6. verſ. 10. admodum enim alibi univerſo populo excæcationem minatur: ita hic ducibus, quod eſt veluti oculos ex corpore eruere. Quicquid ſit, magna difficultas hinc emergit, quod nomen Sapientiæ & Prudentiæ in bonam partem accipitur apud Jeſaiam: Paulus autem in contrarium finem citat, quaſi damnetur à Deo ſapientia hominum, quod perverſa ſit: quod reprobetur prudentia, quia ſit mera vanitas. Fateor, ſic quidem vulgo exponi: ſed quum certum ſit, non torqueri per Apoſtolos Spiritus ſancti oracula in alienos ſenſus, malo à communi interpretum opinione diſcedere, quam inſimulare Paulum falſi. Et alioqui genuinus Prophetæ ſenſus Pauli intentioni non male quadrat. nam ſi Domino rectum Spiritum auferente, deſipiunt etiam ſapientiſſimi: quanta fides hominum ſapientiæ habebitur? Deinde quum hæc ſit uſitata Dei ultio, percutere cæcitate eos qui proprio ſenſui addicti, ſibi nimis ſapiunt: nihil mirum ſi homines carnales, dum inſurgunt adverſus Deum, ut ſuæ temeritati æternam ejus veritatem ſubjiciant, ſtulti fiunt, & evaneſcunt in ſuis cogitationibus. Nunc videmus quam apposite hoc teſtimonio utatur Paulus. Hanc fore Dei vindictam pronunciat Jeſaias in eos omnes qui Deum ſuis figmentis coluerint, ut evaneſcat ſapientia à ſapientibus eorum: Paulus ut evanidam nihilique eſſe hujus mundi ſapientiam probet, quum ſe effert adverſus Deum, teſtimonium illud Jeſaiæ adducit.

20. *Ubi ſapiens? ubi Scriba?*] Inſultatio hæc addita eſt ad illuſtrandum Prophetæ teſtimonium. Neque vero hanc ſententiam ex Jeſaia Paulus adduxit, quemadmodum vulgo putant: ſed in perſona ſua loquitur. Locus enim capitis 33. v. 18. Jeſaiæ, quem notant, nihil ſimile aut affine habet præſenti argumento. Nam quum illic Judæis liberationem à jugo Sennacherib promittat, quo melius amplificet tantum Dei beneficium, commemorat quam miſera ſit eorum conditio, qui tyrannide alienorum premuntur. Æſtuare ipſos dicit perpetua anxietate, dum ſibi imminere cogitant ſcribas aut quæſtores, appenſores, deſcriptores turrium. Quin etiam talibus anguſtiis conſtrictos fuiſſe Judæos dicit, ut ipſa recordatione ad gratitudinem excitentur. Falſo igitur creditum eſt, ſententiam hanc ex Propheta ſumptam eſſe. Nomen *ſeculi*, non tantum ad poſtremum, ſed etiam ad alia duo nomina adjungi debet. Vocat autem Sapientes ſeculi, qui non è Dei verbo per Spiritum illuminati ſapiunt: ſed mundana tantum perſpicacia præditi, ejus fiduciæ innituntur. Scribarum nomine doctores ſignificari, communi uſu receptum eſt. Nam quum ספר, narrare & recenſere ſignificet apud Hebræos, & inde deductum nomen ספר, ſit illis liber aut volumen: סופרים vocant homines literatos, & qui in libris verſantur. Qua etiam ratione Sopher Regis, ſæpe pro Cancellario vel Secretario occurrit. Græci porro, Hebraicæ vocis etymon ſequuti, tranſtulerunt γραμματεῖς. Inquiſitores appoſite nominat qui movendis ſcrupis perplexiſque quæſtionibus acumen oſtentant. Ita generaliter in nihilum redigit totum hominis ingenium, ne quid valeat in regno Dei. Nec ſine cauſa tam vehementer in hominum prudentiam inſurgit. dici enim non poteſt quam difficile ſit revellere ex hominum animis perverſam carnis confidentiam, ne ſibi plus æquo arrogent. Id autem jam nimium eſt, ſi vel minimum freti ſua prudentia, judicare à ſeipſis audeant. *Nonne infatuavit Deus* &c. Hic per ſapientiam intelligit quicquid comprehendere poteſt homo, tam naturali ingenii facultate, quam uſu & literis atque artium ſcientia adjutus. Nam mundi ſapientiam, Spiritus ſapientiæ opponit. Proinde quicquid intelligentiæ in hominem cadit abſque Spiritus ſancti illuſtratione, id ſub mundi ſapientia continetur. Eam totam dicit infatuatam eſſe à Deo, hoc eſt, damnatam ſtultitiæ. Hoc intellige fieri duobus modis. nam & mera eſt vanitas quicquid ſcit homo ac intelligit, niſi vera ſapientia fulciatur: & nihilo plus valet ad comprehenſionem ſpiritualis doctrinæ, quam cæci oculus ad colores diſcernendos. Utrumque iſtorum diligenter notandum, quod fumus eſt omnium ſcientiarum cognitio, ubi abeſt cæleſtis Chriſti ſcientia: & homo cum toto ſuo acumine

mine perinde eſt ſtupidus ad intelligenda per ſe Dei myſteria, atque aſinus ineptus eſt ad ſymphoniam. Nam eo modo redarguitur exitialis eorum ſuperbia, qui in mundi ſapientia ſic gloriantur, ut Chriſtum & totam ſalutis doctrinam deſpiciant, beatos ſe putantes ſi in creaturis hæreant: & retunditur eorum ſupercilium, qui proprio ingenio confiſi, in cælum penetrare tentant. Simul etiam ſolvitur illa quæſtio, qui fiat ut quicquid eſt ſcientiæ extra Chriſtum, hic Paulus ita proſternat humi, & quaſi pedibus conculcet, quod conſtat eſſe præcipuum in hoc mundo Dei donum. Quid enim hominis ratione nobilius, qua homo reliquis animantibus præcellit? doctrinæ liberales quantum honoris merentur, quæ hominem ita expoliunt, ut reddant vere humanum? Præterea quantos & quam eximios fructus pariunt? Quis civilem prudentiam, qua reſpublicæ, principatus, & regna ſuſtinentur, non ſummis laudibus extollat? ut de reliquis taceam. Hujus, inquam, quæſtionis ſolutio inde patet, quod non ſimpliciter damnat Paulus aut naturalem perſpicaciam hominis, aut prudentiam uſu & experientia collectam, aut cultum ingenii literis comparatum: ſed hoc totum ad percipiendam ſpiritualem ſapientiam nullius eſſe momenti affirmat. Et certe inſania eſt, ſi vel proprio acumine, vel literarum præſidio quiſpiam fretus, in cælum evolare conetur: hoc eſt, de arcanis regni Dei myſteriis judicare, aut ad eorum cognitionem perrumpere: ſunt enim abſcondita ab humano ſenſu. Notemus ergo reſtringi ad præſentis cauſæ circumſtantiam debere quod de mundanæ ſapientiæ vanitate hic docet Paulus: nempe quod in mundi elementis ſubſidat, in cælum autem minime pertingat. alioqui illud etiam verum eſt, ſine Chriſto vanas eſſe rerum omnium ſcientias, vanumque eſſe hominem qui doctrinis omnibus inſtructus Deum ignoret. Quin etiam hoc quoque vere dicetur, quodammodo profanari hæc præclara Dei dona, ut ſunt ingenii dexteritas, acutum judicium, doctrinæ liberales, linguarum cognitio: quoties in homines impios inciderint.

21. Quoniam enim in ſapientia Dei, non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.

22. Siquidem & Judæi ſignum petunt, & Græci ſapientiam quærunt.

23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam:

24. Ipſis autem vocatis, tam Judæis quam Græcis, Chriſtum Dei potentiam, & Dei ſapientiam.

25. Nam ſtultitia Dei, ſapientior eſt hominibus: & infirmitas Dei robuſtior eſt hominibus.

21. *Quoniam enim non cognovit.*] Erat hic certe legitimus ordo, ut homo ingenita ſibi ingenii luce, ſapientiam Dei in ejus operibus contemplatus, ad ejus notitiam perveniret. Sed quia hominis pravitate hic ordo inverſus eſt, primum vult nos infatuare Deus in nobis, priuſquam erudiat ad ſalutem. deinde pro ſpecimine ſapientiæ ſuæ, ſimulachrum quoddam ſtultitiæ nobis offert. Hanc inverſionem promerita eſt hominum ingratitudo. Sapientiam Dei appellat totius mundi opificium, quod illuſtre ſpecimen eſt ac luculenta demonſtratio ſapientiæ ejus. Deus ergo in creaturis præclarum admirabilis ſuæ ſapientiæ ſpeculum nobis profert, ut quicunque mundum & reliqua Dei opera intuetur, neceſſe habeat, ſi vel ſcintillam unam ſani judicii habet, in ejus admirationem prorumpere. Si ab operum Dei intuitu homines ad veram ejus notitiam dirigerentur, ſapienter Deum cognoſcerent, vel naturali & proprio ſapiendi modo: ſed quia toti mundo nihil ad eruditionem profuit, quod Deus ſapientiam ſuam exeruerat in creaturis: alia via deinde aggreſſus eſt ad homines docendos. Sic vitio noſtro imputandum eſt, quod ſalvificam Dei notitiam non ante conſequimur, quam proprio ſenſu exinaniti. Conceſſio eſt, quod Euangelium ſtultitiam prædicationis vocat, quæ in ſpeciem talis cenſetur iſtis μωροσόφοις, qui falſa confidentia ebrii, nihil verentur ſacroſanctam Dei veritatem inſipidæ ſuæ cenſuræ ſubjicere. Et ſane alioqui humanæ rationi abſurdius nihil eſt, quam audire Deum mortalem, vitam morti obnoxiam, juſtitiam peccati ſimilitudine obtectam, benedictionem ſubjectam maledictioni: ut eo modo redimantur homines à morte, & beatæ immortalitatis participes fiant, ut vitam adipiſcantur, ut abolito peccato regnet juſtitia, ut mors & maledictio abſorbeatur. Nihilominus interea Euangelium ſcimus arcanam eſſe ſapientiam, quæ cælos altitudine ſua ſuperet, & ad quam Angeli quoque obſtupeſcant. Pulcherrimus locus, unde patet quanta ſit humanæ mentis cæcitas, quæ in media luce nihil cernit. Verum eſt enim, hunc mundum theatri inſtar eſſe, in quo nobis Dominus conſpicuam gloriæ ſuæ figuram exhibet: nos tamen, quum tale ſpectaculum nobis ante oculos pateat, cæcutimus: non quia obſcura ſit revelatio, ſed quia nos mente alienati ſumus. nec voluntas tantum, ſed facultas etiam ad eam rem nos deficit. Nam utcunque Deus palam appareat, non alio tamen quam fidei oculo ipſum poſſumus aſpicere. niſi quod tenuem divinitatis guſtum concipimus, qui nos inexcuſabiles reddat. Quod ergo hic Paulus Deum ex creaturis cognoſci negat, intellige non apprehendi puram ejus notitiam. Nam ut tollatur omnibus ignorantiæ prætextus, eatenus in ſchola naturæ univerſali proficiunt homines, ut ſenſu aliquo divinitatis tangantur: ſed qualis ſit Deus, ignorant: imo mox evaneſcunt in ſuis cogitationibus. ita lux in tenebris lucet. Sequitur ergo, non ita mera ignorantia errare homines quin & contemptus, & negligentiæ & ingratitudinis ſint rei. Ut impleatur illud, Deum omnes *Rom. 1.*
noviſſe, non tamen dediſſe illi gloriam: rurſum, *verſ. 21.*
neminem unquam natura duce eo uſque eſſe progreſſum, ut Deum cognoſceret. Si quis Philoſophos objiciat: reſpondeo, in ipſis potiſſimum extare inſigne hujus noſtræ imbecillitatis documentum. Nemo enim illorum reperietur, qui non ex illo cognitionis principio quod dixi, protinus ad vagas & erroneas ſpeculationes delapſus ſit. bona autem ex parte pluſquam aniliter delirant. Quod dicit, ſalvos fieri credentes, ſuperiori ſententiæ reſpondet, Euangelium eſſe Dei potentiam in ſalutem. Et credentes, quorum exiguus numerus eſt, cæco & ſtupido mundo opponens, admonet eorum paucitate nos perperam offendi, quum in ſalutem divinitus ſegregati fuerint.

22. *Siquidem & Judæi ſignum.*] Exegeſis prioris ſententiæ: nempe qualiter Euangelii prædicatio ſtultitia reputetur. Quanquam non tantum explicat, ſed etiam auget, quum Judæos non tantum contemnere, ſed abominari etiam Euangelium dicit. Judæi, inquit, miraculis volunt habere ob oculos divinæ potentiæ teſtimonium: Græci amant quæ commendatione acuminis arrideant humano ingenio. Nos vero Chriſtum crucifixum prædicamus, in quo

nihil

nihil quam imbecillitas, prima ſpecie, & ſtultitia apparet. Judæis igitur offendiculo eſt, quum eum tanquam a Deo derelictum aſpiciunt: Græcis inſtar fabulæ eſt, audire talem fuiſſe redemptionis modum. *Græcorum* nomine non Gentes hic ſimpliciter (meo judicio) ſignificat: ſed eos notat qui liberalibus doctrinis erant expoliti, vel altiore intelligentia pollebant. Quanquam per ſynecdochen alii quoque omnes deinde comprehenduntur. Inter Judæos porrò & Græcos ſic diſtinguit, quod illi quum præpoſtero Legis zelo in Chriſtum impingerent, plena rabie inſaniebant adverſus Euangelium (quemadmodum ſolent hypocritæ, dum pro ſuis ſuperſtitionibus decertant) Græci autem faſtu inflati, tanquam inſipidum contemptui habebant. Quod Judæis vitio tribuit ſignorum appetentiam, non ideo eſt quia ſigna poſtulare ſit per ſe malum: ſed eorum improbitatem notat, quod miracula ſubinde flagitando, Deum quodammodo in ſuas leges adigerent: quod pro craſſa ſua apprehenſione ipſum quaſi palpare vellent in miraculis evidentibus: quod in miraculis ipſis defixi obſtupeſcerent: quod denique nulla illis ſufficerent miracula, ſed novis quotidie abſque fine
2 Reg. 19. inhiarent. Neque enim reprehenditur Ezechias,
verſ. 29. quod ſigno libenter paſſus fuerit ſe confirmari. ac ne
& 20: 8. Gedeon quidem, quod duplex ſignum petierit. Quin
Judic. 6. potius damnatur Achas, quod oblatum ſibi à Pro-
verſ. 13. pheta ſignum recuſarit. Quid ergo peccabant Judæi,
Jeſa. 7. miracula petendo? nempe quia neque in bonum
verſ. 12. finem petebant, neque modum adhibebant, neque illis rite utebantur. Nam quum adjuvari miraculis debeat fides, hoc tantum captabant quomodo manerent in ſua incredulitate. Quum legem Deo præſcribere ſit nefas, illi improbo deſiderio laſciviebant. Quum miracula dirigere nos ad Chriſti & ſpiritualis Dei gratiæ cognitionem debeant, illis erant obſtaculo. Hac etiam de cauſa objurgat eos Chriſtus: Generatio, inquit, perverſa ſignum quærit. Nam nec Marc. 8. verſ. 12.
eorum curioſitati importunoque deſiderio ullus erat modus: & quoties impetraverant miracula, nullus profectus inde extabat.

24. *Tam Græcis quam Judæis.*] Hoc antitheto demonſtrat, quod tam male accipitur Chriſtus, neque ſuo vitio, aut univerſali hominum genio hoc fieri: ſed in cauſa eſſe eorum pravitatem, qui illuminati à Deo non eſſent. Dei enim electos, ſive ex Judæis eſſent, ſive ex Gentibus, nullo offendiculo impediri quominus ad Chriſtum accederent, ut in eo invenirent certam ſalutem. Potentiam opponit ſcandalo, quod ex humilitate oriebatur: ſapientiam ſtultitiæ. Hæc igitur ſumma eſt, Scio Judæorum pervicaciam non moveri niſi ſignis, Græcorum vero faſtum non demulceri niſi inani ſapientiæ ſpecie. Verum hoc nihili facere debemus: quandoquidem utcunque Chriſtus noſter cum crucis ſuæ humilitate Judæos offendat, à Græcis autem derideatur: eſt tamen electis omnibus, ex quacunque ſint gente, tam virtus Dei in ſalutem ad hæc offendicula ſuperanda, quam ſapientia ad excutiendam illam larvam.

25. *Nam ſtultitia Dei.*] Ubi ſic nobiſcum agit Dominus ut videatur ineptire, quia ſapientiam ſuam non profert: quod tamen videtur ſtultitia, omnem hominum ſolertiam ſapientia ſuperat. Et ubi Deus virtutem ſuam occultando infirmiter agere videtur, robuſtior eſt tamen illa quæ putatur imbecillitas, quavis hominum virtute. Semper autem in his verbis notanda eſt quam nuper attigi conceſſio. Nemini enim obſcurum eſt quam improprie vel ſtultitia vel infirmitas Deo adſcribatur: ſed neceſſe fuit talibus ironiis inſanam carnis arrogantiam refutare, quæ Deum omni ſua gloria ſpoliare non dubitat.

* vel, videtis. 26. * Videte vocationem veſtram fratres, quod non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

27. Sed ſtulta mundi elegit Deus, ut ſapientes pudefaciat: & infirma mundi elegit Deus, ut pudefaciat fortia:

28. Et ignobilia mundi & contempta elegit Deus, & ea quæ non erant, ut quæ erant, aboleret:

29. Ne glorietur ulla caro coram Deo.

30. Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio:

Jer. 9: 24. 31. Ut (quemadmodum ſcriptum eſt) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

26. *Videte vocationem.*] Quia modus verbi Græci ambiguus eſt, & contextui non minus bene quadrat indicativus quam imperativus: permitto arbitrio lectoris, utrum malit eligere. Senſus tamen idem utroque modo conſtat: nam dicendo, Videtis, eos appellaret teſtes ceu rei manifeſtæ, & quaſi in rem præſentem adduceret. per imperativum autem excitat quaſi torpentes, ad rem ipſam conſiderandam. *Vocatio* collective poteſt accipi pro multitudine vocatorum, hoc ſenſu, Videtis quales Dominus apud vos vocaverit. Ego tamen huc magis inclino, ut vocandi rationem deſignari putem. eſt autem validiſſimum argumentum: quia inde ſequitur, ſi humilitatem crucis ſpernant, eos quodammodo vocationem ſuam irritam facere, in qua hunc modum tenuerat Deus, ut humanæ tum ſapientiæ, tum potentiæ, tum gloriæ, omnia derogaverit. Tacite ergo eos ingratitudinis inſimulat, quod & Dei gratiam & ſeipſos obliti, Chriſti Euangelium faſtidiant. Quanquam duo ſunt hic obſervanda, quod exemplo Corinthiorum confirmare voluerit verum eſſe quod dixerat: deinde eos admonere voluerit, faſtum omnem prorſus exuendum eſſe, ſi ordinem quem Dominus in ipſorum vocatione tenuerat, probe expendant. Pudefacere ſapientes & nobiles dixit: ea autem quæ ſunt, abolere: apte utrumque. nam evaneſcunt fortitudo & ſapientia ubi pudefiunt: eſſentiam autem aboleri oportet. Electionem pauperum & ſtultorum & ignobilium intelligit, quod Deus eos magnis, & ſapientibus, & nobilibus prætulerit. Non enim ſatis hoc erat ad retundendam carnis arrogantiam, ſi omnes Deus æquaſſet: itaque qui videbantur excellere, eos poſthabuit, ut vere in ordinem ipſos redigeret. Porro inſulſus fuerit qui inde colliget, ſic proſtratam eſſe à Deo carnis gloriam, ut præcluſa ſit ſpes ſalutis magnis & nobilibus. Sunt quidam inepti homines qui hoc prætextu non tantum inſultant magnis, quaſi à Deo ſint abjecti: ſed eos quoque præ ſe deſpiciunt. Sed meminerimus hoc Corinthiis eſſe dictum, qui quum in mundo non adeo eminerent, nihilominus etiam ſine occaſione ſuperbiebant. Deus ergo fortes & prudentes & magnos pudefaciendo, non extollit ad ſuperbiam infirmos & idiotas & abjectos homines: ſed omnes ſimul ad unum humiliat. Proinde qui coram mundo ſunt deſpicabiles, ita ſecum reputent, Quantum à nobis modeſtiæ requiritur, quum ne iis quidem qui glorioſi ſunt coram mundo, quicquam reliquum fiat? ſi Solis fulgor obruitur, quid ſtellis fiet? ſi ſtellarum lumen extinguitur, quid fiet rebus obſcuris?

Hæc

Hæc eo ſpectant, ne, qui vocati ſunt à Domino, quum nullius eſſent in mundo pretii, his Pauli verbis abutantur ad erigendas criſtas: ſed potius illius
Rom. 11. verſ. 20. exhortationis memores, Tu fide ſtas, vide ne animo efferaris, ſed time: cum timore & humilitate ſolliciti ambulent in conſpectu Dei. Cæterum hic non dicit Paulus, nullos eſſe nobiles aut potentes à Deo vocatos, ſed paucos. Finem indicat, ut Dominus contemptibiles magnis præferendo, gloriam carnis dejiceret.
Pſal. 2. verſ. 12. 1 Tim. 2. verſ. 4. Sed idem Deus per os Davidis Reges hortatur ad Chriſtum oſculandum: per os quoque Pauli pronunciat, ſe velle omnes ſalvos fieri; & Chriſtum ſuum omnibus tam parvis quam magnis, tam Regibus quam hominibus privatis eſſe expoſitum. Hujus rei documentum ipſe exhibuit: vocantur ad Chriſtum primo loco Paſtores, ſequuntur tamen poſtea Philoſophi: piſcatores indocti & contempti, ſummum honoris gradum occupant: ſed in eorum ſcholam deinde recipiuntur Reges eorumque Conſiliarii, Senatores, Rhetores.

28. *Ea quæ non erant.*] Similibus verbis utitur capite ad Romanos 4. v. 17. ſed alio ſenſu. Illic enim univerſalem piorum vocationem deſcribens, dicit, nos nihil eſſe antequam vocemur: quod intelligendum eſt de veritate coram Deo, etiamſi aliquid eſſe videamur in oculis hominum: hic autem ad hominum opinionem referri debet *εἶναι* de qua loquitur. quod liquet ex oppoſito membro, ubi dixit hoc fieri, ut quæ ſunt, aboleantur. Nihil enim eſt niſi in ſpeciem: quia revera ſumus omnes nihil. Quæ ſunt igitur, expone, qui videntur: ut reſpondeat hic locus
Pſal. 113. verſ. 7. Pſal. 146. verſ. 8. ſententiis illis, Erigit de ſtercore pauperem, Abjectos in altum extollit: & ſimilibus. Hinc vero liquet quantopere deſipiant, quibus aliquid meriti vel dignitatis eſſe videtur in hominibus, quod ordine antevertat Dei electionem.

29. *Ne glorietur.*] Tametſi *carnis* nomine, hic & multis Scripturæ locis intelligantur univerſi mortales, tamen hoc loco certam notationem habet: nam contemptibiliter Spiritus de hominibus loquendo, eorum faſtum reprimit: ſicut Jeſa. 31. v. 3. Ægyptius caro eſt, & non eſt ſpiritus. Eſt autem memorabilis ſententia, nihil nobis relinqui quo vere gloriemur. in quem finem addita eſt particula, *coram Deo.* Coram mundo enim multi ad momentum falſa gloria ſe oblectant, ſed ea protinus inſtar fumi evaneſcit: quanquam hac voce cunctis mortalibus, ubi in Dei conſpectum ventum fuerit, ſilentium edicitur: ſicuti
Abac. 2. verſ. 20. dicit Abacuc, Obmuteſcat à facie Dei omnis caro. Quicquid igitur meretur aliquam laudem, Deo feratur acceptum.

30. *Ex ipſo vos eſtis.*] Ne quid eorum quæ dicta ſunt, alienum à ſe putent, nunc ad eos adaptat, propterea quod non ſint niſi ex Deo. Nam emphaſis eſt in verbo Eſtis: quaſi dicat, A Deo vobis eſt principium, qui ea quæ non ſunt vocat, præteritis iis quæ videntur eſſe: in Chriſto vero ſubſiſtentia veſtra fundata eſt, ita non eſt quod ſuperbiatis. Neque de creatione tantum loquitur, ſed de ſpirituali eſſentia, in quam renaſcimur per Dei gratiam. *Qui factus eſt nobis à Deo.* Quoniam plerique reperiuntur qui quum recedere à Deo ex profeſſo non velint, aliquid tamen extra Chriſtum quærunt, perinde acſi non omnia in ſe unus contineret: obiter enumerat quibus quantiſque theſauris inſtructus ſit Chriſtus, & ſimul ut exprimat quis ſit in Chriſto ſubſiſtendi modus. Nam dum Chriſtum juſtitiam noſtram appellat, ſubaudienda eſt antitheſis, quod in nobis nihil ſit niſi peccatum: & ſic in aliis. Quatuor porro Chriſto elogia hic adſcribit, quæ totam ejus virtutem, & quicquid ab ipſo bonorum recipimus, complectuntur. Primo dicit, *nobis factum eſſe ſapientiam.* quo intelligit, abſolutam ſapientiæ perfectionem in ipſo nos obtinere: quia ſe in eo Pater nobis ad plenum revelaverit, ne quid præter ipſum ſcire appetamus. Similis eſt locus ad Col. 2. v. 3. In ipſo reconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ: de quo inferius capite proximo plura. Secundo dicit, *nobis factum eſſe in juſtitiam:* quo intelligit, nos ejus nomine acceptos eſſe Deo, quia morte ſua peccata noſtra expiaverit, & ejus obedientia nobis in juſtitiam imputetur. Nam quum fidei juſtitia in peccatorum remiſſione & gratuita acceptione conſiſtat, utrumque per Chriſtum conſequimur. Tertio vocat *ſanctificationem:* quo intelligit, nos alioqui natura profanos, Spiritu ejus regenerari in ſanctitatem, ut ſerviamus Deo. Unde etiam colligimus non poſſe nos gratis juſtificari ſola fide, quin ſimul ſancte vivamus. Iſtæ enim gratiæ quaſi individuo nexu cohærent: ut qui eas ſeparare nititur, Chriſtum quodammodo diſcerpat. Proinde qui per Chriſtum gratuita Dei bonitate juſtificari quærit, cogitet fieri non poſſe, quin ſimul in ſanctificationem eum apprehendat: hoc eſt, ejus Spiritu renaſcatur in vitæ innocentiam & puritatem. Qui autem nos calumniantur, quaſi gratuitam fidei juſtitiam prædicando, à bonis operibus avocemus homines: abunde hinc refelluntur, quod fides non minus regenerationem in Chriſto apprehendit, quam peccatorum veniam. Rurſum obſerva ſic duo iſta Chriſti officia conjungi, ut tamen diſtinguatur unum ab altero: quæ ergo Paulus nominatim diſcernit, perperam confundere non licet. Quarto, *in redemptionem* datum eſſe docet: quo intelligit ejus beneficii nos tam ab omni peccati ſervitute, quam omni miſeria quæ inde manat, liberari. Ita redemptio primum Chriſti donum eſt quod inchoatur in nobis, & ultimum perficitur. Hoc enim ſalutis eſt initium, quod ex peccati & mortis labyrintho extrahimur: interea tamen uſque ad ultimum reſurrectionis diem gemimus deſiderio redemptionis, ut habetur Rom. 8. v. 26. Modus autem ſi quæritur quo Chriſtus in redemptionem nobis datus eſt: reſpondeo, quia pretium ſe conſtituit. Poſtremo, bonorum omnium quæ hic recenſentur, non dimidium aut partem aliquam, ſed complementum in Chriſto quæramus. Neque enim dicit Paulus, nobis datum eſſe in ſupplementum vel adminiculum juſtitiæ, ſanctitatis, ſapientiæ, redemptionis: ſed ſolidum omnium effectum ei ſoli aſſignat. Quoniam autem vix occurret alius in Scriptura locus qui diſtinctius omnia Chriſti officia deſcribat, ex eo quoque optime poterit vis & natura fidei intelligi. Nam quum proprium fidei objectum ſit Chriſtus, quicunque novit quæ ſint erga nos Chriſti beneficia, ille etiam edoctus eſt quid ſit fides.

31. *Qui gloriatur, in Domino.*] En finis cur omnia nobis largiatur Deus in Chriſto: nempe ut ne quid arrogemus nobis, ſed illi omnia deferamus. Neque enim nos ſpoliat Deus, ut nudos relinquat: ſed deinde ſua gloria nos veſtit, hac tamen conditione, ut quoties volumus gloriari, extra nos exeamus. In ſumma, homo redactus apud ſe in nihilum, & agnoſcens nihil boni alibi quam in ſolo Deo eſſe, omiſſo propriæ gloriæ ſtudio, ad unam Dei gloriam promovendam totus adſpiret ac feratur. Atque hoc melius ex Prophetæ contextu patet, à quo Paulus hoc teſtimonium mutuatus eſt: nam illic Dominus poſtquam omnes mortales fortitudinis, ſapientiæ & opum gloria abdicavit, eos in ſola ſui notitia gloriari jubet. Ita autem vult cognoſci, ut ſciamus eum eſſe qui facit judicium, juſtitiam, & miſericordiam. Hæc enim cognitio & fiduciam & timorem ejus in nobis parit. Qui ergo ſic eſt animo compoſitus, ut nihil ſibi arrogando, unum Deum eminere cupiat, qui in ejus gratia acquieſcit, qui in paterno ejus amore totam ſuam felicitatem locat, qui denique contentus eſt uno Deo, ille vere in Deo gloriatur. Vere dico, quia & hypocritæ falſo in eo gloriantur (ſicut teſtatur Paulus Rom. 2. v. 17.) dum vel ejus donis inflati, vel impia carnis confidentia elati, vel ejus verbo abutentes, nomen tamen ejus obtendunt.

Cap. II.

ET ego quum veniſſem ad vos, fratres, veni non in excellentia ſermonis vel ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Dei.

2. Non enim *eximium duxi, ſcire quicquam inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

*vel, duxi pro ſcientia.

1. *Et ego.*] Paulus de ſua docendi ratione dicere aggreſſus, ad generalem prædicationis Euangelicæ naturam mox deſcenderat. iterum nunc ad ſeipſum revertitur, ut oſtendat nihil in ſe contemni, quod non ſit ex propria Euangelii natura, & illi quodammodo adhæreat. Concedit ergo, ſibi non adfuiſſe humanæ vel facundiæ vel ſapientiæ præſidia, quibus inſtructus aliquid effecerit: ſed ex quo ſe deſtitutum iſtis opibus fuiſſe fatetur, inde magis elucere in ſuo miniſterio Dei potentiam ſubinfert, quæ hujuſmodi ſubſidiis non indiguerit. Verum hoc poſterius aliquanto poſt ſubjunget: nunc tantum illo conceſſo quod caruerit humana ſapientia, hoc ſibi interea retinet, quod Dei teſtimonium annunciarit. Tametſi autem Dei teſtimonium paſſive quidam interpretes exponunt: ego tamen non dubito quin ad mentem Apoſtoli magis accommodatus ſit diverſus ſenſus: ut teſtimonium Dei ſit quod à Deo profectum eſt, nempe doctrina Euangelii, cujus ipſe auctor eſt ac teſtis. λόγον αὐτοῦ & κήρυγμα nunc diſtinguit: unde quod prius admonui, confirmatur, non de inani tantum garrulitate eum hactenus loquutum, ſed totum humanæ doctrinæ cultum comprehendiſſe.

2. *Non enim eximium duxi.*] Quum κρίνειν Græcis ſæpe ſignificet ἐκλέγειν, hoc eſt, tanquam pretioſum ſeligere: nemo ſani judicii (opinor) negabit probabilem quam poſui verſionem: modo ne repugnet ſyntaxis. Et tamen ſi vertamus, Nullam ſcientiæ partem in pretio habui, nihil erit aſperum: quod ſi aliquid ſubaudias, non male fluet ſententia, hoc modo, Nihil in meo ſcire, vel ſcientiæ gratia, eximium duxi: quanquam diverſam expoſitionem non prorſus rejicio, quod Paulus affirmet ſe nihil pro ſcientia, vel ſcientiæ loco duxiſſe præter unum Chriſtum. Ita ſubaudienda eſſet Græca præpoſitio ἀντὶ, ut ſæpe fieri ſolet. Cæterum ſive quis non improbet priorem ſenſum, ſive hic poſterior magis arrideat, ſumma huc redit, Quod mihi defuerunt ornamenta ſermonis, quod etiam differendi elegantior ſubtilitas defuit, inde factum eſt, quia non affectavi, imo magis aſpernatus ſum: quia unum illud mihi in pretio erat, ut Chriſtum ſimpliciter annunciarem. Quod addit, *crucifixum*, eo non intelligit ſe nihil prædicare in Chriſto præter crucem: ſed cum ipſa crucis humilitate, Chriſtum nihilominus prædicare. acſi diceret, Non faciet ignominia crucis ut non ſuſpiciam eum à quo eſt ſalus, vel ut me pudeat totam in eo ſapientiam meam includere: illum, inquam, quem propter crucis probrum ſuperbi homines faſtidiunt ac repudiant. Ideo ſic reſolvenda eſt oratio, Nulla mihi ſcientia tanti fuit, ut aliud cognoſcere appeterem quam Chriſtum, licet crucifixum. Facit hæc particula ad αὔξησιν, ut ſtomachum magis moveat arrogantibus illis magiſtris, quibus propemodum ſordebat Chriſtus, quum ex altioris cujuſdam ſapientiæ opinione plauſum captarent. Pulcher locus, unde intelligimus & quid docere debeant fideles miniſtri, & quid nobis diſcendum ſit tota vita, & præ quo nihil non pro ſtercore habendum.

3. Et ego in infirmitate, & in timore, & in tremore multo fui apud vos.

4. Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ ſermonibus, ſed in demonſtratione Spiritus & potentiæ.

5. Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei.

3. *Et ego in infirmitate.*] Pluribus exponit quod jam ante attigerat, nihil ſe habuiſſe in hominum oculis ſplendidum aut excellens, quo magnificeret. Sic autem concedit adverſariis quod quærebant, ut quæ ad extenuandum miniſterii illius honorem facere putabant, in ſummam ejus commendationem ipſe retorqueat. Minore in pretio habendus videbatur, quod tam abjectus erat ac humilis ſecundum carnem: oſtendit in eo melius enituiſſe Dei virtutem, quod nullis humanis adminiculis ſuffultus, tantum potuerit. Reſpicit autem non ſolos illos Thraſones, qui ut acquirerent ſibi nomen, oſtentationi modo ſtudebant: ſed Corinthios qui obſtupeſcebant ad inanes illorum pompas. Itaque iſta commemoratio plurimum habere debuit apud eos efficaciæ. Sciebant Paulum nihil ſecundum carnem attuliſſe quod eum promoveret, vel quo ſe inſinuaret in hominum gratiam: viderant tamen mirabilem ſucceſſum, quem Dominus ejus prædicationi contulerat: quin etiam præſentem Dei Spiritum in ejus doctrina quodammodo oculis perſpexerant. Quum ergo neglecta ejus ſimplicitate, prurirent deſiderio neſcio cujus ſapientiæ magis inflatæ & politioris, externoque colore, imo aſcititio fuco magis quam vivo Spiritu caperentur: nonne ſatis ſuam ambitionem prodebant? Merito igitur primum ſuum ingreſſum reducit illis Paulus in memoriam, ne à Dei virtute quam ſemel experti ſunt, deficiant. *Infirmitatis* nomine generaliter complectitur hic & aliquoties poſtea, quicquid opinione derogare alicui favorem & dignitatem poteſt. *Timor & tremor* effecta ſunt hujus infirmitatis. quanquam bifariam poſſumus exponere hæc duo nomina: vel quod perpenſa magnitudine negotii quod ſuſtinebat, trepidus, nec ſine ingenti ſollicitudine in eo verſatus ſit: vel quod multis periculis circumſeptus, in perpetuo timore & anxietate continua fuerit. Utrumque contextui non male quadrat: ſecundum tamen (meo judicio) eſt ſimplicius. Decet quidem hæc modeſtia ſervos Domini, ut propriæ imbecillitatis conſcii, & ex adverſo difficultatem ſimul & excellentiam tanti muneris ſuſpicientes, reverenter & cum timore illud obeant. nam qui confidenter & præalto ſpiritu ſe ingerunt, vel qui ſecure tanquam oneri pares, verbi miniſterio funguntur, neque ſe, neque rem ipſam norunt. Sed quum hic Paulus timorem infirmitati ſubjungit, & infirmitas ſignificet quicquid eum contemptibilem reddere potuit: conſequens eſt ut hic timor periculis & difficultatibus reſpondeat. At vero talem hunc fuiſſe timorem certum eſt, qui Paulum ab opere Domini exequendo non impedierit, ſicut res teſtatur. Servi Domini nec ita ſtupidi ſunt quin pericula impendentia videant, nec ita ferrei quin illis moveantur. quin etiam affici eos ſerio timore ob duas præcipue cauſas neceſſe eſt: nempe ut apud ſe dejecti, ſe totos in ſolum Deum inclinare & recumbere diſcant: deinde ut erudiantur ad veram ſui abnegationem. Timoris ergo ſenſu vacuus non fuit Paulus:

ſed

ſed ita timori imperavit, ut intrepide nihilominus per media diſcrimina pergeret: ut invicta conſtantia & fortitudine exciperet omnes Satanæ & mundi inſultus: denique ut per omnes remoras eluctaretur.

4. *Et prædicatio mea non in perſuaſoriis.*] Vocat perſuaſoria humanæ ſapientiæ verba, exquiſitam eloquutionem, quæ artificio magis quam veritate nitatur ac pugnet: & ſimul ſubtilitatis ſpeciem quæ hominum mentes alliciat. Et merito humanæ ſapientiæ tribuit τὸ πιθανόν. Verbum enim Domini majeſtate ſua tanquam violento impulſu, nos ad obediendum ſibi cogit: humana autem ſapientia ſuas habet illecebras quibus irrepat, & ſuum quaſi lenocinium quo ſibi conciliet auditorum animos. Huic *demonſtrationem Spiritus & potentiæ* opponit: quam plerique ad miracula reſtringunt: ego autem latius accipio, nempe pro manu Dei potenter ſe modis omnibus per Apoſtolum exerente. Spiritum & potentiam, vel pro ſpirituali potentia καθ' ὑπαλλαγὴν videtur poſuiſſe: vel certe ut per ſigna & effectus exponeret qualiter apparuiſſet in ſuo miniſterio præſentia Spiritus. Et apte nomine ἀποδείξεως vel demonſtrationis uſus eſt. nam quæ noſtra eſt in conſiderandis Dei operibus hebetudo, quum adhibet inferiora organa, quaſi velis quibuſdam obtecta eſt ejus virtus, quominus liquido nobis pateat: in Pauli autem miniſterio promovendo, quia nullum carnis aut mundi adminiculum operabatur, quaſi nuda Dei manus ſe proferebat. certe magis conſpicua erat ejus virtus.

5. *Ut fides veſtra non in ſapientia hominum.*] Eſſe, hic pro Conſiſtere capitur: hoc ergo boni Corinthios habere ſignificat, ex eo quod non humana ſapientia fretus, apud eos Chriſtum prædicaverit, ſed ſola Spiritus virtute, ut fides eorum fundata ſit non in hominibus, ſed in Deo. Si fulta fuiſſet ſolis eloquentiæ viribus Apoſtoli prædicatio, poterat ſubverti majore eloquentia: deinde nemo ſolidam veritatem dixerit, quæ ſplendore orationis nitatur: adjuvari quidem poteſt, ſed niti non debet. Validiſſima autem ſit oportet, quæ ſubſidiis omnibus deſtituta, per ſe ipſa conſiſtit: quare eximia eſt Paulinæ prædicationis commendatio, quod cœleſtis virtus in ea ſic enituerit, ut prævaleret adverſus tot impedimenta, quum nihil haberet à mundo ſubſidii. Reſtat igitur ne ab ejus doctrina patiantur ſe dimoveri, quam Dei auctoritate ſubnixam eſſe agnoſcunt. Cæterum ita Paulus de fide Corinthiorum hic loquitur, ut ſit hæc univerſalis ſententia. Sciamus ergo hoc proprium eſſe fidei, ut in ſolo Deo acquieſcat, non autem pendeat ab hominibus. tantam enim ejus certitudinem eſſe oportet, quæ ne omnibus quidem inferorum machinis impetita concidat, ſed conſtanter duret ac ſuſtineat omnes inſultus. Hoc fieri nequit, niſi certo perſuaſi ſimus, Deum nobis loquutum eſſe, non hominum eſſe figmentum quod credidimus. Quanquam autem proprie in ſolo Dei verbo fidem oportet fundari, non tamen abſurde ſecunda hæc fultura adjungitur, ut ab effectu virtutis agnoſcant fideles profectum eſſe à Deo verbum quod audiunt.

6. Porro ſapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam quidem non ſeculi hujus, neque principum ſeculi hujus, qui abolentur:

7. Sed loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ eſt recondita: quam præfinivit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.

8. Quam nemo principum ſeculi hujus cognovit: ſi enim cognoviſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

9. Sed quemadmodum ſcriptum eſt, Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus iis qui ipſum diligunt. *Jeſa. 64. verſ. 4.*

6. *Sapientiam loquimur.*] Ne videatur ſapientiam deſpicere, ſicut idiotæ & imperiti literas contemnunt barbara quadam ferocia: ſubjicit, ſibi non deeſſe veram ſapientiam, ſed quæ nonniſi ab idoneis judicibus æſtimetur. *Perfectos* vocat, non qui aſſequuti ſint plenam & abſolutam ſapientiam: ſed qui ſano ſint & incorrupto judicio. Nam תמים, pro quo Græci interpretes ſemper τέλειον reddiderunt, Integrum ſignificat. Taxat autem obiter eos quibus non ſapiebat ſua prædicatio: id fieri eorum vitio ſignificat. acſi diceret, Si quibus non placet mea doctrina, illi hoc indicio jam ſatis produnt, ſe depravato eſſe & vitiato ſenſu: quia inter homines ſinceræ mentis & recti judicii, pro ſumma ſapientia ſemper agnoſcetur. Quanquam autem expoſita omnibus fuit Pauli prædicatio, non tamen ſuo pretio æſtimata ſemper fuit. Atque hæc ratio eſt cur ſanos & integros judices appellet, qui doctrinam quæ mundo inſipida erat, veram eſſe ſapientiam pronuncient. Interea *loquendi* verbo ſe luculentum ſpecimen proferre admonet admirabilis ſapientiæ, ne quis rem incognitam jactare objiceret. *Sapientiam quidem non ſeculi hujus.* Per anticipationem iterum repetit quod jam conceſſerat, Euangelium non eſſe humanam ſapientiam: ne quis objiceret paucos eſſe hujus doctrinæ ſuffragatores, quin potius eam ab excellentiſſimis quibuſque ingeniis contemni. Ultro itaque fatetur quod objici poterat: ſed ita ut nihil inde cauſæ ſuæ decedat. *Principum ſeculi hujus.* Principes mundi vocat, qui quacunque dote in mundo excellunt. ſunt enim interdum qui etſi ingenii acumine minus valeant, tamen admirationi habentur ob perſonæ quam ſuſtinent, dignitatem. verum ne his larvis terreamur, ſubjicit Apoſtolus eos aboleri vel perire. Neque etiam convenit ut res æterna pendeat ab eorum auctoritate qui ſunt evanidi & caduci, nec ſibi ipſis perpetuitatem dare queunt: acſi diceret, Quum revelatur Dei regnum, faceſſat mundi ſapientia, & res caduca æternæ cedat. habent enim principes mundi ſuam excellentiam, ſed quæ momento extinguitur. quid hoc ad cœleſte & incorruptibile Dei regnum?

7. *Sapientiam Dei in myſterio.*] Rationem aſſignat cur non magnifiat à mundi principibus Euangelii doctrina: quia myſteriis involuta ſit, & ideo abſcondita. Ita enim ſupereminet humani ingenii perſpicaciam Euangelium, ut quamlibet ſurſum oculos attollant qui præ aliis ingenioſi putantur, ad ejus altitudinem nunquam perveniant: interim tamen quaſi ad pedes abjectum foret, ejus humilitatem deſpiciunt. Ita fit ut quo ſuperbius ipſum contemnunt, abſint ab ejus cognitione longius: imo longa diſtantia remoti, ab intuitu arceantur. *Quam præfinivit Deus.* Quia dixerat Paulus Euangelium rem eſſe arcanam, periculum erat ne hoc audito fideles, difficultate territi, refugerent ac deſponderent animos. Ergo occurrit huic periculo, ac pronunciat deſtinatum nihilominus eſſe nobis, ut eo fruamur: ne quis, inquam, latentem ſapientiam nihil ad ſe pertinere ducat: aut etiam nefas eſſe putet, in eam intendere oculos, quia non ſit humano captui expoſita: communicatam nobis æterno Dei conſilio eſſe docet. Quanquam altius quoque reſpexit: tacita comparatione amplificat gratiam quæ Chriſti adventu patefacta, nos Patribus qui ſub Lege vixerunt, excellentiores reddit. qua de re plura diximus in fine ultimi capitis ad Romanos. Primum autem ab ordinatione Dei

argumentatur: nam ſi Deus nihil fruſtra ſtatuit, ſequitur nos operam non perdituros in audiendo Euangelio quod nobis deſtinavit: ſe enim modulo noſtro attemperat, quum nobis loquitur. Atque huc
Jeſa. 45. verſ. 19. pertinet illud Jeſaiæ, Non in latebris loquutus ſum, neque in obſcuro angulo: non fruſtra dixi ſemini Jacob, Quærite me. Deinde quo amabile reddat Euangelium, & ad ejus diſcendi deſiderium nos alliciat, à fine etiam argumentatur, quod Deus ipſum nobis in gloriam noſtram dederit. qua etiam voce conferre nos Patribus videtur, quos iſto honore non eſt dignatus cæleſtis Pater, quem in Filii ſui adventum diſtulit.

8. *Nemo principum cognovit.*] Si ſubaudias, Proprio acumine, nihilo plus de ipſis aſſeret, quam de vulgo hominum & infimis quibuſque: à ſummo enim ad minimum quid ad eam rem omnes valemus? niſi forte dicamus, potius cæcitatis & ignorantiæ damnari principes quam alios, quod ſoli videntur in mundo oculati & prudentes. Quanquam ego ſimplicius accipere malim, ſecundum frequentem Scripturæ uſum, quæ univerſaliter de iis loqui ſolet quæ ἐπὶ τὸ πολὺ, id eſt communiter accidunt: & univerſaliter etiam negare quæ non accidunt niſi ἐπὶ σπάνιον hoc eſt, perquam raro. Hoc ſenſu nihil abſurdi erat, ſi pauculi quidam præſtantes viri & dignitate inter alios eminentes fuiſſent reperti, qui ſimul pura Dei cognitione præditi fuiſſent. *Si enim cognoviſſent.* Sapientia Dei ad liquidum relucebat in Chriſto, illic tamen principes eam non apprehenderunt: nam ab una parte Chriſto crucifigendo præfuerunt Judæorum primores, ſanctitatis & ſapientiæ opinione præſtantes: ab altera, Pilatus & imperium Romanum. Hoc luculentum eſt documentum extremæ cæcitatis eorum omnium qui non niſi ſecundum carnem ſapiunt. Videri tamen poſſet infirmum hoc argumentum Apoſtoli. quid enim? annon quotidie videmus qui Dei veritatem ſibi non incognitam deliberata malitia oppugnent? Quod ſi oculis non cerneretur tam aperta rebellio, quid eſt tamen aliud, peccatum in Spiritum ſanctum, quam voluntaria adverſus Deum obſtinatio: quum homo ſciens & volens, ejus verbum non modo perſequitur, ſed etiam oppugnat?
Joan. 7. verſ. 28. atque adeo cur ſe Phariſæis & ſimilibus fuiſſe notum teſtatur Chriſtus, quum illis ignorantiæ prætextum tollit & impiæ crudelitatis accuſat, quod ſe fidelem Patris miniſtrum abſque cauſa perſequantur, niſi quia veritatem odio habeant? Reſpondeo, duplicem eſſe ignorantiam: una eſt quæ ex inconſiderato zelo proficiſcitur, neque bonum ſimpliciter rejicit, ſed quia malum eſſe putat. Tametſi autem ignorantia nemo ſic peccat quin reus ſit interea coram Deo malæ conſcientiæ, quia ſemper admiſta eſt hypocriſis, aut ſuperbia, aut contemptus: ſic tamen ſuffocatur interdum judicium & omnis intelligentia in mente hominis, ut nihil præter nudam ignorantiam appareat, non aliis tantum, ſed ipſi etiam. Talis fuit Paulus antequam illuminaretur: ideo enim Chriſtum oderat, & ejus doctrinæ erat infeſtus, quod præpoſtero Legis zelo abripiebatur neſciens: neque tamen vacuus erat hypocriſi, nec purus à ſuperbia, ut eſſet coram Deo excuſabilis: ſed vitia illa penitus ignorantia & cæcitate obruebantur, ut ne ipſa quidem ea animadverteret aut ſentiret. Altera ignorantiæ ſpecies, inſaniæ & vertigini ſimilior eſt quam meræ ignorantiæ: nam qui ſponte inſurgunt adverſus Deum, ſunt veluti phrenetici, qui videntes non vident. Ac omnino ſtatuendum eſt, infidelitatem ſemper eſſe cæcam: ſed hoc intereſt, quod interdum malitiam obruit cæcitas, ut homo tanquam ſtupidus careat omni mali ſui ſenſu; quod in iis locum habet qui bona (ut loquuntur) intentione, hoc eſt, ſtulta imaginatione, ſeipſos decipiunt: interdum prævalet malitia, ut reclamante conſcientia homo in tantum ſcelus furore quodam ruat. Proinde non mirum eſt quod negat Paulus principes mundi Chriſtum fuiſſe crucifixuros, ſi Dei ſapientiam noviſſent. Neque enim ſic noverant Phariſæi & Scribæ Chriſti doctrinam eſſe veram, quin vertiginoſi in tenebris ſuis errarent.

9. *Quemadmodum ſcriptum eſt, Quæ oculus non vidit.*] Locum hunc ſatis inter omnes convenit ſumptum eſſe ex Jeſaiæ 64. v. 4. & quia prima ſpecie clarus & facilis eſt ſenſus, non multum in eo explicando laborant interpretes. Sed propius intuenti duæ ſummæ difficultates occurrunt: prior eſt quod verba quæ hic à Paulo recitantur, cum Prophetæ verbis non conveniunt: deinde quod Paulus teſtimonio Prophetæ contra ejus mentem abuſus videtur. De verbis ergo primum: quia autem ambigua ſunt, varie etiam vertuntur ab interpretibus. Quidam ſic vertunt, A ſeculo non audierunt, nec perceperunt auribus: oculus non vidit Deum præter te, qui ſic faciat expectanti ſe. Alii interpretantur ſermonem dirigi ad Deum, hoc modo, Non vidit oculus, nec auris audivit, ô Deus, præter te, quæ facis exſpectantibus te. Propheta autem ad verbum ſic habet, A ſeculo non audierunt, nec perceperunt auribus, oculus non vidit Deum (vel, Deus) præter te, faciet (vel, præparabit) expectanti ſe. Si אלהים in accuſativo legimus, ſubaudiendum erit relativum Qui. Et videtur prima ſpecie melius congruere Prophetæ contextui hæc expoſitio, propter tertiam perſonam verbi quod ſequitur: at remotior eſt à Pauli mente, cui magis fidendum eſt quam ullis rationibus. Quis enim Spiritu Dei certior aut fidelior erit interpres hujus oraculi quod ipſe Jeſaiæ dictavit, ſicut per os Pauli expoſuit? Ut tamen obviam eamus impiorum calumniis, dico proprietatem Hebraici ſermonis pati ut hic genuinus ſit Prophetæ ſenſus, O Deus, nec oculus vidit, nec auris audivit, ſed tu ſolus noſti quæ facere ſoles expectantibus te. Nec obſtat perſonæ ſubita mutatio, quam ſcimus magis familiarem eſſe Prophetis, quam ut morari nos debeat. Si cui magis arriſerit prior ſenſus, non habebit tamen quo nos aut Apoſtolum accuſet, quaſi à verborum ſimplicitate diſcedamus. Minus enim ſubaudimus quam ipſi: quia coguntur ſimilitudinis notam addere ad verbum Faciat. Quod de aſcenſu in cor hominis ſequitur, tametſi non habetur apud Prophetam, nihil tamen à particula illa, Præter te, alienum ſonat. Nam quum ſoli Deo tribuit hanc notitiam, non tantum corporeos hominum ſenſus, ſed totam quoque mentis facultatem ab ea excludit: quanquam ergo viſum & auditum duntaxat exprimit Propheta, omnes tamen animæ facultates tacite complectitur. Et certe iſta duo ſunt organa quibus earum rerum notitiam concipimus, quæ ad intellectum deinde perveniunt. In participio *diligentibus*, ſequutus eſt Græcos, qui ſimilitudine literæ unius decepti, ſic tranſtulerunt: ſed quia id nihil ad præſentem cauſam ſpectabat, noluit à communi uſu diſcedere: ſicuti paſſim videmus quantum receptæ lectioni concedat. Quare utcunque non eadem ſint verba, nihil tamen eſt diſcrepantiæ. Nunc ad rem venio. illic Propheta commemorans quam præclare ſemper opitulatus ſit Deus in neceſſitate populo ſuo, exclamat, ejus erga pios beneficia ſuperare captum humani ſenſus. Quid hoc ad ſpiritualem doctrinam, dicet quiſpiam, & promiſſiones æternæ vitæ, de quibus hic Paulus diſputat? Hujus quæſtionis triplex eſt ſolutio: nihil enim abſurdi erit, ſi dicamus Prophetam, quum de terrenis beneficiis meminiſſet, hac occaſione evectum ad generalem ſententiam: adeoque ad prædicandam ſpiritualem beatitudinem, quæ repoſita eſt fidelibus in cælo. Malo tamen ſimpliciter Dei gratias intelligere quæ fidelibus quotidie conferuntur. in his ſemper cauſam intueri convenit: non autem oculos in præſentem earum aſpectum defigere. Cauſa porro eſt gratuita Dei bonitas,

qua

Digitized by Google

qua nos in filiorum numerum adoptavit. qui ergo ea rite æſtimare volet, non nuda conſiderabit: ſed paterno Dei amore, tanquam veſte, induet: ac proinde à temporalibus donis ad vitam æternam dirigetur. Poſſet etiam dici, argumentum eſſe à minori ad majus: nam ſi ad metiendas terrenas Dei gratias non pertingit hominis intellectus, quanto minus ad cæli altitudinem perveniet? Sed jam oſtendi quid mihi magis placeat.

10. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.

11. Quis enim hominum novit quæ ad eum pertinent, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo? ita & quæ Dei ſunt, nemo novit, niſi Spiritus Dei.

12. Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed Spiritum qui eſt ex Deo: ut ſciamus quæ à Chriſto donata ſunt nobis.

13. Quæ & loquimur, non in eruditis humanæ ſapientiæ ſermonibus, ſed Spiritus ſancti: ſpiritualibus ſpiritualia coaptantes.

10. *Nobis Deus revelavit.*] Poſtquam concluſit univerſos homines ſub cæcitate, & humanæ menti hoc ademit, ne poſſit ad Deum proprio Marte conſcendere: nunc oſtendit qualiter ab hac cæcitate eximantur fideles: nempe quia Dominus peculiari Spiritus illuminatione ipſos dignatur. Itaque quo eſt humana mens hebetior ad intelligenda Dei myſteria, quo major eſt ejus incertitudo, eo certior eſt fides noſtra, quæ Spiritus Dei revelatione ſuffulta eſt. Atque in eo agnoſcimus immenſam Dei bonitatem, qui vitio noſtro in bonum noſtrum utitur. *Spiritus enim omnia ſcrutatur.* Hoc ad piorum conſolationem additum eſt, quo tutius in revelatione quam habent à Dei Spiritu, acquieſcant: acſi diceret, Sufficiat nobis Spiritum Dei habere teſtem: nihil enim tam profundum eſt in Deo, quo non penetret. Nam id ſignificat hic Scrutari. *Profunditates* intellige non arcana judicia, quorum prohibetur nobis inquiſitio: ſed totam ſalutis doctrinam: quæ fruſtra Scripturis eſſet prodita, niſi mentes noſtras Deus ad eam ſuo Spiritu attolleret.

11. *Quis enim hominum novit.*] Duo hic ſimul docere vult: non aliter poſſe comprehendi Euangelii doctrinam, quam Spiritus ſancti teſtimonio: rurſus eorum qui à Spiritu ſancto tale teſtimonium habent, non minus firmam ac ſolidam eſſe certitudinem, quam ſi manibus palparent quod credunt: quia Spiritus fidus eſt ac indubius teſtis. Hoc probat ſimilitudine ſpiritus noſtri: quiſque enim ſuarum cogitationum conſcius eſt. quid autem in corde cujuſque lateat, alter neſcit. Ita quale ſit conſilium Dei, & qualis voluntas, univerſos homines latet. quis enim ejus conſiliarius fuit? Eſt ergo adytum hominibus inacceſſum: verum ſi ipſe Dei Spiritus nos illuc introducat, hoc eſt, eorum qui alioqui à ſenſu noſtro abſcondita ſunt, reddat certiores, nullus amplius hæſitationi erit locus: neque enim Spiritum Dei fugit quid in ipſo ſit. Cæterum videtur non admodum bene convenire hæc ſimilitudo. nam quum lingua ſit character mentis, communicant inter ſe homines ſuos affectus: ut alii alios ſuarum cogitationum habeant conſcios. Cur non ergo ex Dei verbo comprehendamus quæ ſit ejus voluntas? Nam quod homines ſimulando & mentiendo, ſæpe magis tegunt ſuas cogitationes quam aperiunt: id in Deum non cadit: cujus ſermo certa eſt veritas, & germana ejus vivaque imago. At expendere convenit quouſque extendere voluerit Paulus hanc ſimilitudinem. Interior hominis cogitatio, quam alii ignorant, illi uni eſt perſpecta: eam poſtea ſi aliis patefacit, id non facit quominus ſolus ejus ſpiritus noverit quid in ipſo ſit. Nam fieri poterit ut non perſuadeat: fieri etiam poterit ut non bene exprimat ſenſum ſuum. quod ſi utrumque aſſequatur, id tamen cum altero nihil pugnat: hoc eſt, quominus ſpiritus ejus, unicus ſit verus cognitor. Hoc autem diſcriminis inter Dei & hominum cogitationes intereſt, quod homines alii alios viciſſim intelligunt: ſermo autem Dei, arcana quædam eſt ſapientia, ad cujus ſublimitatem non pertingit humanæ mentis imbecillitas. Ita lux in tenebris lucet, donec cæcorum oculos aperiat Spiritus. *Spiritus hominis.* Nota hic ſpiritum hominis pro anima capi, in qua reſidet vis intellectualis, ut loquuntur. Improprie enim loquutus eſſet Paulus, ſi dixiſſet Intellectum hominis cognoſcere, hoc eſt, facultatem ipſam: non autem animam intelligendi virtute præditam.

12. *Nos autem non ſpiritum mundi.*] Amplificat à comparatione contrariorum certitudinem illam cujus meminerat. Spiritus, inquit, revelationis quem accepimus, non mundi eſt, ut tantum humi ſerpat, ut ſit vanitati obnoxius, ut ambigat, ut variet vel alternet, ut nos ſuſpenſos aut perplexos teneat: ſed eſt à Deo, ac proinde omnibus cælis ſuperior, ſolidæ conſtantiſque veritatis, & ſupra omnem dubitationis aleam poſitus. Locus plus ſatis perſpicuus ad refellendum illud diabolicum Sophiſtarum dogma de perpetua fidelium hæſitatione. Fideles enim omnes dubitare jubent ſint in gratia Dei nec ne: nec aliam ſalutis fiduciam admittunt, quam quæ pendeat à conjectura morali vel probabili. Quanquam dupliciter hic fidem evertunt. nam & dubium eſſe volunt ſimuſne in ſtatu gratiæ: & alteram poſtea dubitationem injiciunt de finali perſeverantia. Hic autem in univerſum pronunciat Apoſtolus, electos Spiritu donatos eſſe, quo teſtificante, certo ſciant ſe adoptatos eſſe ad ſpem æternæ ſalutis. Certe ſi dogma ſuum ſtare volunt, aut electos Spiritu Dei privent neceſſe eſt, aut Spiritum quoque ipſum incertitudini ſubjiciant. Utrumque aperte pugnat cum Pauli doctrina. ergo hanc eſſe fidei naturam ſciamus, ut certum divinæ erga ſe benevolentiæ teſtimonium habeat à Spiritu ſancto conſcientia: quo freta, Deum invocare patrem nihil dubitet. Ita fidem noſtram ſupra mundum Paulus erigit, ut omnem carnis faſtum è ſublimi deſpiciat: alioqui enim trepida ſemper erit ac nutabit: quia videmus quam audacter ſe efferat humanum acumen, cujus faſtum contrario heroicæ magnanimitatis faſtu calcari neceſſe eſt à filiis Dei. *Sciamus quæ à Chriſto.* Scientiæ vocabulum ad exprimendam melius fiduciæ ſecuritatem poſitum eſt. Notemus tamen eam non concipi naturali modo, nec mentis captu apprehendi: ſed totam à revelatione Spiritus pendere. Quæ à Chriſto donata commemorat, ſunt beneficia quæ ex ejus morte & reſurrectione conſequimur: nempe quod Deo reconciliati, & impetrata peccatorum remiſſione, in ſpem vitæ æternæ nos eſſe adoptatos ſcimus, quod ſanctificati Spiritu regenerationis efficimur novæ creaturæ, ut vivamus Deo. Epheſiorum 1. v. 18. dicit, Ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis veſtræ, pro eodem.

13. *Quæ & loquimur, non in eruditis &c.*] De ſe loquitur. nam verſatur adhuc in miniſterii ſui commendatione. Eſt autem præclarum elogium prædicationis ipſius, quod in ea dicit contineri arcanam rerum maximarum revelationem, Spiritus ſancti doctrinam, ſummam ſalutis noſtræ, inæſtimabiles Chriſti theſauros: ut ſciant Corinthii quanti fieri debeat.

beat. Interea redit ad illam ſuperiorem conceſſionem, quod ornata non ſit ullo verborum fuco, quod nulla elegantia niteat: ſed ſola Spiritus ſancti doctrina contenta ſit. Sermones eruditos humanæ ſapientiæ vocat, qui humanam eruditionem ſapiant, ſintque expoliti ad rhetorum normam, vel referti philoſophicis ampullis, ita ut in ſui admirationem rapiant auditores. Sermones autem doctos Spiritus, qui ad ſincerum ſimplicemque ſtylum & majeſtate Spiritus dignum magis ſint compoſiti, quam ad vanam oſtentationem. Nam ut ſuppetat eloquentia, cavendum ſemper eſt ne Dei ſapientia accerſito & profano quodam nitore polluatur. In Paulo autem tale fuit docendi genus, in quo ſola nudaque Spiritus vis abſque externo adminiculo reluceret. *Spiritualibus ſpiritualia.* συγκρίνειν hic pro Aptare poſitum non dubito. Quum enim hæc interdum ſit verbi ſignificatio, ſicut Budæus ex Ariſtotele citat: unde & σύγκριμα, pro conſerto vel coagmentato: longe certe melius quadrat Pauli contextui, quam Comparare vel conferre, ſicut alii reddiderunt. Dicit ergo ſeſe aptare ſpiritualia ſpiritualibus, dum verba rei accommodat: hoc eſt, cæleſtem illam Spiritus ſapientiam temperat oratione ſimplici, & quæ nativam Spiritus energiam præ ſe ferat. Interea perſtringit alios, qui affectata verborum elegantia & ſubtilitatis oſtentatione captant plauſum hominum: tanquam aut ſolidæ veritatis inanes, aut qui ſpiritualem Dei doctrinam indecoro fuco corrumpant.

14. Animalis autem homo non comprehendit quæ ſunt Spiritus Dei. Sunt enim illi ſtultitia: nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter dijudicantur.

15. Spiritualis autem dijudicat omnia, ipſe vero à * nemine dijudicatur.

* vel nullo.

16. Quis enim cognovit mentem Domini, qui adjuvet ipſum? nos autem mentem Chriſti habemus.

14. *Animalis autem homo*] Hominem animalem vocat, non ut vulgo accipiunt, craſſis concupiſcentiis, vel (ut loquuntur) ſenſualitati ſuæ addictum: ſed quemlibet hominem ſolis naturæ facultatibus præditum. Quod ex oppoſito liquet: animalem enim cum ſpirituali confert. Quum per hunc intelligatur is cujus mens illuminatione Spiritus Dei regitur: non dubium quin ille hominem in puris (ut loquuntur) naturalibus relictum ſignificet. Anima enim naturæ propria eſt, ſpiritus vero ex dono eſt ſupernaturali. Redit autem ad id quod prius attigerat. Vult enim offendiculum tollere quod impedire poterat infirmos, propterea quod tam multi Euangelium ſpernerent. Oſtendit nihili faciendum eſſe talem contemptum qui ab ignorantia manat: ideoque obſtaculo eſſe nobis non debere quominus in fidei ſtadio pergamus, niſi forte oculos ad ſolis fulgorem claudere libeat, quia à cæcis non perſpicitur. Eſſet autem magnæ ingratitudinis, quum ſpeciali beneficio Deus quempiam dignatur, illud reſpuere, quia non omnibus commune ſit: quum potius raritas ipſa pretium augeat. *Stultitia ſunt illi: nec poteſt.* Inſipida, inquit, eſt Euangelii doctrina omnibus qui tantum ſecundum hominem ſapiunt. Sed unde hoc? ex eorum cæcitate. quid ergo Euangelii majeſtati decedit? In ſumma, quum ideo Euangelium depriment imperiti, quia ex hominum æſtimatione ejus pretium metiuntur, inde argumentum ſumit Paulus ad extollendam altius ejus dignitatem: docet enim ideo contemni, quia ſit incognitum: ideo autem eſſe incognitum, quia magis ſit reconditum & ſublime quam ut ab hominis mente apprehendatur. qualis ſapientia quæ totam hominis intelligentiam tam longo intervallo ſuperat, ut ne ejus quidem guſtum poſſint capere. Tametſi autem carnis faſtum tacite accuſet hic Paulus, quod ſtultitiæ damnare audent homines quod non aſſequuntur: ſimul tamen quanta ſit humanæ mentis imbecillitas, vel potius hebetudo, oſtendit quum ſpiritualis intelligentiæ capacem eſſe negat. Neque enim humanæ tantum voluntatis contumacia fieri docet ut non pertingat homo ipſe ad ea quæ ſunt Spiritus, ſed mentis quoque impotentia. Nolle homines ſapere ſi dixiſſet, verum quidem iſtud erat; ſed addit, ne poſſe quidem: unde colligimus non in arbitrio cujuſque eſſe fidem, ſed divinitus conferri. *Quia ſpiritualiter dijudicantur.* Hoc eſt, Spiritus Dei, à quo procedit Euangelii doctrina, ſolus eſt verus ejus interpres qui eam nobis patefaciat. Proinde in ea judicanda mentes hominum cæcutire neceſſe eſt, donec Spiritu Dei ſint illuminatæ. Hinc collige, univerſos homines naturaliter Spiritu Dei vacuos eſſe: alioqui non procederet argumentum. Eſt quidem à Spiritu Dei qualecunque hoc lumen rationis quo vigemus omnes: ſed nunc de peculiari cæleſtis ſapientiæ revelatione loquimur, qua filios duntaxat ſuos dignatur Deus. Quo minus tolerabilis eſt eorum inſcitia qui Euangelium communiter ita offerri fingunt, ut promiſcue liberum ſit omnibus ſalutem fide amplecti.

15. *Spiritualis autem dijudicat omnia.*] Poſtquam carnali hominis judicio auctoritatem ademit, nunc ſolos ſpirituales idoneos eſſe judices hujus cauſæ docet: quia ſolus Dei Spiritus ſeipſum agnoſcat, & proprium ejus officium ſit, ſua diſcernere ab alienis: probare quod ſuum eſt, aliis omnibus fidem abrogare. Senſus ergo eſt, Faceſſat hic omne carnis acumen: ſolus eſt ſpiritualis qui tam ſtabilem ac ſolidam habeat myſteriorum Dei notitiam, ut certo diſcernat veritatem à mendacio, doctrinam Dei ab hominum commentis, minimeque hallucinetur. A nemine autem dijudicatur, quia non ſubeſt hominibus fidei certitudo, ut ad eorum nutum labefactari queat: quum Angelis quoque ipſis ſit ſuperior. Nota, hanc prærogativam, non hominis perſonæ, ſed verbo Dei tribui, quod ſpirituales in judicando ſequuntur, & quidem à Deo ſibi cum vera intelligentia dictatum. quæ ubi adeſt, ſupra humani judicii aleam conſtituta eſt hominis perſuaſio. Præterea nota verbum Dijudicandi, quo ſignificat Apoſtolus, non tantum illuminari nos à Domino ad perſpiciendum verum: ſed Spiritu quoque diſcretionis inſtrui, ne inter verum & falſum dubii pendeamus, ſed ſtatuere poſſimus quid fugere & quid ſequi oporteat. Verum hic quæri poſſit, quis ille ſit ſpiritualis, & ubinam reperiatur tanta præditus luce, ut omnibus dijudicandis ſufficiat, quum ſentiamus nos ſemper circumſideri multa ignorantia, errandique periculo eſſe obnoxios: imo quum ſubinde labantur & impingant etiam perfectiſſimi. Solutio eſt facilis, quod non extendat Paulus hanc facultatem ad omnia, quaſi omnes Dei Spiritu renatos eximat à quovis errore: ſed ſimpliciter docere velit, nihil valere carnis prudentiam in judicanda pietatis doctrina: penes unum Dei Spiritum hanc cenſuram & hoc jus reſidere. Quatenus ergo regeneratus eſt quiſque, pro gratiæ ſibi collatæ menſura recte & certo judicat, non ultra. *Ipſe vero à nemine dijudicatur.* Jam expoſui cur nullius hominis judicio ſubjacere dicat hominem ſpiritualem: nempe quia fidei veritas, quæ à ſolo Deo pendet, ac in ejus verbo fundata eſt, non ſtet vel cadat hominum arbitrio. Quod autem poſtea dicet, Spiritum Prophetæ omnis ſubjectum eſſe aliis Prophetis, nihil huic ſententiæ repugnat. quorſum enim

enim illa ſubjectio, niſi quod quiſque Prophetarum aliis auſcultat, nec eorum revelationes deſpicit vel excludit: ut firma tandem maneat, recipiaturque ab omnibus quæ comperta fuerit Dei veritas? Hic vero fidei ſcientiam divinitus acceptam ſupra cæli terræque altitudinem collocat, ne ab hominum judicio æſtimetur. Quanquam ὑπ' οὐδενὸς neutro genere legi poteſt, A nullo: ut de re intelligatur, non de homine. Ita plenior erit antitheſis: ſpiritualem quatenus Dei Spiritu prædiuts eſt, dijudicare omnia, à nulla re judicari: quia nulli humanæ ſapientiæ vel rationi ſubeſt. Atque hoc modo ab omnibus tam decretis quam legibus hominum & cenſuris Paulus pias conſcientias eximeret.

16. *Quis enim cognovit.*] Veriſimile eſt, Paulum reſpexiſſe ad id quod habetur Jeſaiæ quadrageſimo. nam ſicut illic Propheta rogat quiſnam fuerit conſiliarius Dei, qui Spiritum ejus appenderit, vel eum adjuverit tam in mundi creatione quam in aliis operibus, qui denique rationem operum ejus perſpectam habeat: ita hac interrogatione vult docere Paulus, procul abeſſe ab hominum mentibus arcanum ejus conſilium quod Euangelio continetur. Eſt igitur confirmatio ſuperioris ſententiæ. *Nos autem mentem Chriſti.* Incertum eſt loquaturne de fidelibus in univerſum, an de miniſtris duntaxat: uterque enim ſenſus contextui non male congruet. quanquam malo ad ipſum & alios fideles miniſtros ſpecialiter referre. Dicit ergo, ſervos Domini, quod à ſenſu carnis remotiſſimum eſt, Spiritus magiſterio doceri, ut tanquam ex ore Domini intrepide loquantur: quod donum gradatim poſtea ad totam Eccleſiam defluit.

CAP. III.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus, tanquam pueris in Chriſto.

2. Lactis potu vos alui, non ſolido cibo: nondum enim eratis capaces: ac ne nunc quidem eſtis.

3. Siquidem eſtis adhuc carnales. Poſtquam enim ſunt inter vos æmulatio, & contentio, & factiones: nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?

4. Quum enim dicat unus, Ego ſum Pauli: alter vero, Ego Apollo: nonne carnales eſtis?

1. *Et ego, fratres.*] Incipit, quod de carnalibus dixerat, conferre in ipſos Corinthios, ut intelligant ſuo vitio accidere quod crucis doctrina minus ipſis arrideat. Veriſimile eſt, in illis mercatoriis ingeniis plus ſatis confidentiæ & arrogantiæ adhuc tunc hæſiſſe: ut Euangelii ſimplicitatem ægerrime, nec abſque magna difficultate amplecterentur. Unde factum erat ut poſthabito Apoſtolo, & divina prædicationis ejus efficacia, argutis illis doctoribus & oſtentationis plenis, tametſi inanes eſſent Spiritus, magis attenderent. Ergo quo eorum inſolentiam melius retundat, teſtatur illos partem eorum fuiſſe, qui carnis ſenſu obruti, ſpiritualis Dei ſapientiæ capaces non fuerint. Emollit quidem acerbitatem ſuæ exprobrationis, quum Fratres appellat: ſed ſimpliciter tamen illis exprobrat, adeo ſuffocari eorum mentes carnis tenebris, ut hoc ſuæ apud eos prædicationi impedimentum attulerit. Qualis itaque judicii ſanitas, ubi ne ad audiendum quidem adhuc ſunt apti vel comparati? Cæterum carnales non prorſus fuiſſe intelligit, in quibus nulla eſſet Spiritus Dei ſcintilla: ſed qui ſenſu carnis plus nimio adhuc abondarent: ut prævaleret caro Spiritui, & lumen ejus quaſi opprimeret. Tametſi ergo non penitus erant gratia deſtituti, quia tamen plus carnis quam Spiritus in illis extabat, inde *carnales* nominantur. quod ſatis conſtat ex eo qood continuo ſubjungit, fuiſſe pueros in Chriſto: non enim pueri fuiſſent, niſi geniti: hæc autem generatio à Dei Spiritu eſt. *Pueris in Chriſto* Hoc nomen aliquando in bonam partem capitur:
1 Petr. 2. verſ. 2. ſicut apud Petrum, qui jubet nos ſimiles eſſe infantibus nuper genitis. Et in illa Chriſti ſententia, Niſi
Luc. 18. verſ. 17. fueritis ſimiles pueris iſtis, non intrabitis in regnum Dei. Hic autem male ſonat: quia ad intelligentiam refertur. Oportet enim nos malitia pueros eſſe, non ſenſu, ut dicet cap. 14. v. 20. quæ diſtinctio nodum ambiguitatis ſolvit, cui reſpondet illud Epheſior. 4. v. 14. Ne ſimus pueri, qui circumferamur quovis vento doctrinæ, & ludamur hominum fallaciis: ſed creſcamus in dies, &c.

2. *Lactis potu vos alui.*] Hic quæritur num Chriſtum transfiguraverit Paulus pro auditorum varietate. Reſpondeo, ad docendi modum vel formam id potius quam ad doctrinæ ſubſtantiam referri. Chriſtus enim idem lac eſt pueris, & adultis ſolidus cibus: eadem Euangelii veritas utriſque, ſed pro ſuo modo adminiſtratur. Prudentis ergo doctoris eſt, eorum quos docendos ſuſcipit, captui ſe attemperare: ut apud infirmos & rudes ab elementis incipiat, nec altius conſcendat quam ſequi poſſint: ut denique paulatim inſtillet doctrinam, ne largius infuſa ſuperfluat. Sed nihil ominus quicquid cognitu neceſſarium eſt continebunt hæc rudimenta, quam abſolutior doctrina quæ robuſtioribus traditur. Qua de re lege Homiliam Auguſtini in Joan. 98. Ita refellitur fucoſa quorundam excuſatio, qui quum timore periculi aliquid tantum obſcure balbutiant de Euangelio; prætendunt hoc Pauli exemplum. Interea Chriſtum ita procul indicant, & quidem multis involucris tectum, ut ſuos diſcipulos perpetuo detineant in exitiali ignorantia. Taceo quod multas corruptelas admiſcent, quod Chriſtum non modo dimidium, ſed lacerum fruſtulatim oſtendunt, quod craſſam idololatriam non diſſimulant modu, ſed exemplo quoque ſuo confirmant: quod ſi quid boni dixerint, protinus multis mendaciis contaminant. Quam nihil habeant ſimile cum Paulo, ſatis conſtat: lac enim alimentum eſt, non venenum: & alimentum quod educandis pueris aptum ſit & utile, donec augeſcant. *Nondum enim capaces.* Ne ſibi nimium in ſua perſpicacia blandiantur, primum declarat quid initio in illis compererit: deinde ſubjicit, eadem nunc quoque vitia in illis reſidere, quod durius eſt. Debuerant enim ſaltem, Chriſtum induendo, carnem abjicere: atque ita Paulum conqueri videmus de legitimo doctrinæ progreſſu impedito, niſi enim remoram injiciat auditor tarditatis ſuæ culpa, boni doctoris officium eſt ſemper altius conſcendere, donec ad perfectionem ventum fuerit.

3. *Siquidem eſtis adhuc carnales.*] Quamdiu caro, hoc eſt, naturalis vitioſitas, in homine dominatur, ſic occupat ipſius hominis ingenium, ut non ſit ingreſſus ſapientiæ Dei. Quare ſi quid proficere volumus in ſchola Domini, primum eſt ut nos proprio ſenſu & propria voluntate abdicemus. Etſi autem in Corinthiis micabat aliqua pietatis ſcintilla, prævalebat tamen ſuffocatio. *Poſtquam enim ſunt inter vos.* Probatio eſt ab effectis: nam quum ſint fructus carnis æmulatio, rixæ, & factiones: ubicunque ſpectantur, certum eſt radicem illic vigere. Regnabant hæc mala apud Corinthios: hinc ergo convincit eos eſſe carnales. Eodem quoque argumento utitur ad Galatas, Gal. 5:25.
Si Spiritu vivitis, Spiritu etiam ambulate. Nam quum ſpirituales haberi vellent, ad opera eos revocat, quibus abnegabant quod ore profitebantur.

Obſerva autem elegantem ordinem quem hic ſequitur Paulus: nam ex æmulatione naſcuntur contentiones, quæ poſtquam ſemel ſunt inflammatæ, in capitales ſectas ebulliunt: porro mater horum omnium malorum eſt ambitio. *Secundum hominem ambulatis.* Et hinc patet, Carnis vocem non ad inferiores tantum concupiſcentias reſtringi, ſicut fingunt Sophiſtæ, cujus ſedem appellant Senſualitatem: ſed de tota hominis natura prædicari. Qui enim ſequuntur naturæ ductum, Spiritu Dei non reguntur: ii ſecundum Apoſtoli definitionem ſunt carnales, ut caro & hominis ingenium ſint prorſus
2 Cor. 5. ſynonyma: ideoque non fruſtra alibi requirit ut
verſ. 17. ſimus in Chriſto novæ creaturæ.

4. *Quum enim dicat unus.*] Nunc ſpeciem ipſam contentionum exprimit, idque in Corinthiorum perſona, quo plus energiæ habeat deſcriptio: nempe quod quiſque proprio magiſtro gloriaretur, quaſi non unus eſſet omnium magiſter Chriſtus. Porro ubi adhuc reſidet talis ambitio, aut nullus eſt aut exiguus Euangelii profectus. Neque tamen intelligas, palam hoc diſertis verbis profeſſos eſſe: ſed prava ſtudia, quibus dediti erant, perſtringit Apoſtolus. Quanquam probabile eſt, ut fere ambitioſum favorem ſequitur vana garrulitas, verbis præ ſe tuliſſe præpoſterum animi affectum, quum ſuos doctores non ſine Pauli & ſimilium contemptu magnifice efferrent.

5. Quis ergo eſt Paulus, aut quis Apollos, niſi miniſtri per quos credidiſtis? & ſicut unicuique Dominus dedit?

6. Ego plantavi, Apollos rigavit: at Deus incrementum dedit.

7. Ergo neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat: ſed Deus qui dat incrementum.

8. Qui autem plantat & qui rigat, unum ſunt. Porro quiſque propriam mercedem ſecundum laborem ſuum recipiet.

9. Dei enim cooperarii ſumus: Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis.

5. *Quis ergo Paulus.*] Hic incipit tractare quid ſentiendum ſit de miniſtris, & in quem uſum ſint ordinati à Domino. Se autem & Apollon nominat potius quam alios, declinandæ invidiæ cauſa. Quid aliud habent miniſtri omnes, inquit, niſi ut ſua prædicatione vos ad fidem adducant? Hinc colligit Paulus, non eſſe in ullo homine gloriandum: non enim niſi in ſolo Chriſto gloriari permittit fides: proinde qui homines extollunt ultra modum, vera dignitate ipſos ſpoliant. hoc enim præcipuum eſt omnibus, ut ſint miniſtri fidei: hoc eſt, ut Chriſto, non ſibi, acquirant diſcipulos. Tametſi autem videtur hoc modo elevare miniſtrorum dignitatem, non tamen eam infra ſuum ordinem dejicit. Multum enim eſt quod dicit, nos eorum miniſterio fidem percipere. Imo præclare hic commendatur externæ doctrinæ efficacia, dum organum vocatur Spiritus ſancti: & Paſtores non vulgari elogio ornantur quum Deus illis uti miniſtris dicitur ad incomparabilem fidei theſaurum diſpenſandum. *Sicut unicuique.* In Græcis Pauli verbis particula ſimilitudinis poſtponitur, ſed eſt inverſus ordo: ergo ut dilucidior eſſet ſenſus, malui, Sicut unicuique, quam Unicuique ſicut. Cæterum in quibuſdam exemplaribus deeſt particula, ὡς, ac uno contextu habetur, Miniſtri per quos credidiſtis, ſicut unicuique &c. Si ita legamus, hoc poſterius ad explicationem prioris erit additum: ut definiat Paulus quid per miniſtrum ſignificaverit. quaſi diceret, Miniſtri ſunt, quorum opera Deus utitur, non quia propria virtute aliquid valeant, ſed quatenus aguntur ejus manu, tanquam inſtrumenta. Lectio tamen quam poſui (meo judicio) verior eſt: eam ſi ſequamur, plenior erit ſententia: conſtabit enim duobus membris, hoc modo, Primum miniſtri ſunt qui ſuam operam locarunt Chriſto, ut in eum crederetis: deinde nihil habent proprium quo efferantur, quum nec per ſe efficiant quicquam, nec ulla facultate polleant niſi ex Dei dono: & quiſque ad ſuam menſuram, quæ indicat quicquid habent ſinguli, aliunde provenire. deinde quaſi mutuo nexu omnes inter ſe colligat, quandoquidem alii aliorum indigent ſubſidio.

6. *Ego plantavi, Apollos rigavit.*] Similitudine clarius explicat quale fuerit miniſterium illud: qua appoſitiſſime depingitur verbi natura & prædicationis uſus. Ut terra fructum ferat, aratione opus eſt, & ſatione, ac reliqua cultura: verum omnibus peractis, nihil prodeſſet agricolæ labor, niſi Solis influxu, ac magis etiam mirifica arcanaque ſua virtute Dominus è cælo incrementum daret. ergo utcunque non ſit irrita diligentia agricolæ, nec inutile ſemen quod jacit, ſola tamen Dei benedictione proſperantur: quid enim admirabilius quam ſemen putrefactum germinare? Ita verbum Domini ſemen eſt ſuapte natura fœcundum: miniſtri ſunt veluti cultores, qui arant & ſeminant: ſequuntur deinde alia adminicula, ut quum rivuli ducuntur. has quoque partes miniſtri ſuſtinent, dum ſemine in terram jacto, terram ipſam, quantum in ſe eſt, adjuvant, donec producat quod concepit: ſed facere ut labor eorum fructificet, id vero divinæ gratiæ miraculum eſt, non opus humanæ induſtriæ. Obſerva autem hoc loco quam neceſſaria ſit verbi prædicatio, & quam neceſſaria ejus perpetuitas. Nihilo ſane difficilius eſſet Deo terram abſque hominum diligentia benedicere, ut victum ſponte proferret, quam multa hominum ſedulitate, magniſque ſudoribus & moleſtiis elicere, vel potius exprimere ejus proventus: ſed quia Dominus ita ordinavit, ut laboret homo, terra autem ejus culturæ reſpondeat, hoc agamus. Ita nihil Deo obſtat quominus poſſit dormientibus fidem inſpirare, ſi velit, citra hominum operam: ſed aliter decrevit, nempe ut gigneretur fides ex auditu. Qui igitur hoc medio prætermiſſo, ad fidem ſe pervenire confidit, perinde facit acſi agricolæ, abjecto aratro, neglecta ſatione, tota cultura relicta, hiantes à cælo paſtum expeterent. Quod ad continuationem ſpectat, videmus quid hic dicat Paulus: ſationem ſcilicet non ſufficere, niſi novis ſubinde adminiculis provehatur. qui ergo ſemen jam recepit, rigatione adhuc opus habet: nec deſinendum eſt donec ad maturitatem perventum fuerit: hoc eſt, uſque ad finem vitæ. Apollos ergo qui Paulo ſucceſſit Corinthi in verbi miniſterio, dicitur rigaſſe quod hic ſeminaverat.

7. *Neque qui plantat, eſt aliquid.*] Atqui ex jam dictis liquet non eſſe nullius momenti eorum laborem. Videndum ergo cur ſic extenuet Paulus: ac primo quidem notare convenit, dupliciter eum de miniſtris, ſicuti de ſacramentis, ſolere loqui. Nam aliquando miniſtrum conſiderat, ut eſt à Domino ordinatus ad regenerandas primum, deinde paſcendas animas in vitam æternam, ad remittenda peccata, ad renovandas hominum mentes, ad erigendum Chriſti regnum, & Satanæ deſtruendum: & tunc non modo plantandi & rigandi officium illi aſſignat, ſed etiam eum ornat Spiritus ſancti virtute, ne inefficax ſit ejus labor. Ita alibi ſe appellat miniſtrum 2 Cor. 3.
Spiritus non literæ, qui verbum Domini cordibus verſ. 9.
inſcribat. Aliquando autem miniſtrum conſiderat ut

eſt

Digitized by Google

eſt ſervus, non dominus: ut eſt organum, non manus: ut denique homo eſt, non Deus. Et tunc nihil illi præter operam relinquit, & quidem emortuam inanemque actionis, niſi eam Dominus Spiritu ſuo efficacem reddat. Ratio eſt, quia ubi de miniſterio ſimpliciter agitur, non tantum hominem debemus reſpicere, ſed Deum quoque in ipſo agentem per Spiritus gratiam: non quia Spiritus gratia perpetuo ſit alligata verbo hominis, ſed quia ſic in miniſterio à ſe inſtituto potentiam ſuam exerit Chriſtus, ut appareat non fruſtra fuiſſe inſtitutum. Hoc modo nihil ſibi tollit vel derogat quod ad hominem transferatur. neque enim ipſe ſeparatur à miniſtro, ſed potius vis ejus in miniſtro efficax prædicatur. Verum quoniam, qua ſumus pravitate judicii, interdum hac occaſione abutimur ad homines nimium efferendos, diſcernere opus eſt, ad corrigendum hoc vitium: ac ſeorſum quidem ab una parte Dominus, ab altera miniſter collocandus: tunc apparet quam egenus ſit homo in ſeipſo, quantum omni efficacia deſtitutus. Proinde hoc loco ſciamus miniſtros cum Domino conferri, & comparationis hujus cauſam eſſe, quod homines maligni gratiæ Dei æſtimatores, nimium prodigi ſunt in miniſtris extollendis: adeoque Deo præripiunt quod ad ipſos transferant. Quanquam optimum temperamentum ſemper retinet: nam quum dicit *Deum incrementum dare*, eo ſignificat hominum ipſorum laborem non carere ſucceſſu. Eandem & in ſacramentis rationem eſſe, alibi videmus. Tametſi ergo noſtrum laborem in agro ſuo excolendo non reſpuit cæleſtis Pater, nec infructuoſum eſſe ſinit: à ſola tamen benedictione ſua pendere vult ejus ſucceſſum, ut laus integra apud ſe maneat. Quare ſi quid prodeſſe volumus laborando, conando, inſtando, ſciamus nos nihil profecturos, niſi laborem ipſe noſtrum, conatus noſtros, aſſiduitatem proſperet: ut nos & quicquid agimus, commendemus ejus gratiæ.

8. *Qui autem plantat & qui rigat, unum ſunt.*] Alia etiam ratione docet, Corinthios perperam abuti ad ſuas ſectas & factiones doctorum nominibus, qui junctis viribus unum moliantur: neque divelli aut diſtrahi ullo modo poſſint, niſi ut ſimul ab officio deficiant. Unum ſunt (inquit) hoc eſt, ita conjuncti, ut ſeparationem non admittat eorum conjunctio: quia & unus omnibus propoſitus eſſe debet finis, & uni Domino ſerviunt, & in eodem opere verſantur. Ergo ſi fideliter agro Domini excolendo operam ſuam impendant, colent unitatem, & mutua communicatione alius alium juvabit: tantum abeſt ut eorum nomina, vexilla ſint ad excitandas concertationes. Pulcher locus exhortandis ad concordiam miniſtris. Interea tamen oblique perſtringit ambitioſos illos doctores, qui quum diſſidiis cauſam præberent, eo ipſo prodebant ſe non eſſe Chriſti ſervos, ſed inanis gloriæ mancipia: ſe non plantando vel rigando dare operam, ſed potius eradicando & urendo. *Quiſque propriam mercedem.* Hic docet quem in finem reſpicere debeant miniſtri: non ut applauſus populi aucupentur, ſed ut Domino placeant. atque id facit ut ambitioſos illos doctores, qui inebriati mundi gloria, nihil aliud cogitabant, revocet ad Dei tribunal, & Corinthios admoneat quam nihil ſit inanis ille favor, verborum elegantia & vana oſtentatione elicitus: ſimul his verbis, conſcientiæ ſecuritatem præ ſe fert, quod audet judicium Dei, intrepidus expectare. Nam quod ambitioſi homines ſe mundo venditant, id fit quia non didicerunt ſe Deo addicere, nec cæleſte Chriſti regnum ante oculos illis verſatur: ſimul ergo atque Deus in medium prodit, evaneſcit ſtulta illa captandi humani favoris cupiditas.

9. *Dei enim cooperarii.*] Optima ratio. Domini negotium eſt quod agimus, & is eſt cui locavimus noſtram operam: ergo ut eſt fidelis & æquus, non fruſtrabitur nos mercede. quare fallitur qui ad homines reſpectat, aut ab eorum remuneratione pendet. Eximium elogium miniſterii, quod quum per ſe agere poſſit Deus, nos homunciones tanquam adjutores adſciſcat, & tanquam organis utatur. Quod vero Papiſtæ ad ſtabiliendum liberum arbitrium hoc teſtimonio abutuntur, nimis frivolum eſt: neque enim quid valeant homines viribus naturæ, hic docet Paulus, ſed quid per eos Dominus gratia ſua agat. Quod exponunt quidam, Paulum qui operarius erat Dei, collegis ſuis, hoc eſt, reliquis doctoribus fuiſſe cooperarium, mihi durum & coactum videtur: nec vero ulla ratio cogit ad hanc argutiam confugere. Nam Apoſtoli propoſito optime convenit, quum proprium Dei munus ſit, templum ſuum ædificare, aut vineam excolere, eum miniſtros adſciſcere in ſocietatem laboris, per quos ita ſolus ipſe agit, ut tamen in commune cum eo viciſſim laborent. De operum mercede, lege Inſtitutionem meam. *Dei agricultura, Dei ædificatio.* Poſſunt hæc duobus modis exponi: active, hoc ſenſu, Sic hominum labore plantati eſtis in agro Domini, ut ipſe cæleſtis Pater verus ſit agricola, auctor hujus plantationis: ſic ædificati eſtis per homines, ut ipſe ſit verus architectus. Paſſive autem, hoc ſenſu, Quod in vobis excolendis, quod in verbo Dei inter vos ſeminando & irrigando laboravimus, id non fecimus noſtra cauſa, neque ut fructus ad nos perveniret, ſed Domino impendimus noſtrum obſequium: quod ædificare vos ſtuduimus, ad id proprii commodi reſpectu non fuimus impulſi, ſed ut Dei plantatio & ædificium eſſetis. Mihi hæc poſterior interpretatio magis probatur. ſentio enim Paulum voluiſſe hic exprimere, veros miniſtros non laborare ſibi, ſed Domino. Hinc ſequitur, perperam facere Corinthios, qui hominibus ſe addicant, quum jure ſolius ſint Dei. Ac primo quidem Agricolationem vocat, in metaphora jam cœpta perſeverans: deinde ut tranſitum ſibi ad plura faciat, alteram metaphoram aſſumit ab architectura.

10. Ut ſapiens architectus, ſecundum gratiam Dei mihi datam fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat: porro unuſquiſque videat quomodo ſuperædificet.

11. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus.

12. Si quis autem ſuperſtruat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam:

13. Cujuſcunque opus manifeſtum fiet. dies enim manifeſtabit, quia in igne revelabitur: & cujuſcunque opus quale ſit, ignis probabit.

14. Si cujus opus maneat quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet:

15. Si cujus opus arſerit, jacturam faciet: ipſe autem ſalvus fiet, ſic tamen tanquam per ignem.

10. *Ut ſapiens architectus.*] Aptiſſima eſt ſimilitudo, ideoque frequenter in Scripturis occurrit, ſicut paulo poſt videbimus. Hic vero magna confidentia & ſecuritate fidem ſuam prædicat Apoſtolus: ut eam aſſeri neceſſe erat, non modo adverſus improborum obtrectationes, ſed etiam Corinthiorum

rum faſtum, quibus jam ſordere cœperat ejus doctrina. Quo igitur magis eum deprimebant, eo altius aſſurgit, & quaſi è ſummo ſuggeſtu pronunciat, ſe primum fuiſſe apud eos Dei architectum in jaciendis fundamentis, ſapienter ſe exequutum fuiſſe has partes: reſtare ut alii pergant eodem modo, ſuperficiem ad fundamenti normam exigentes. Obſervemus, hæc à Paulo dici, primum in doctrinæ ſuæ commendationem, quam deſpici à Corinthiis videbat: deinde ad reprimendam aliorum inſolentiam, qui eminendi cupiditate novam docendi formam appetebant. Illos ergo admonet ne quid temere attentent in Dei ædificio. Ac duo quidem illis adimit: ne aliud fundamentum jacere audeant, & ne ſuperficiem ſuperſtruant fundamento minus congruentem. *Secundum gratiam.* Diligenter ſemper cavet ne quam particulam divinæ gloriæ ad ſe derivet: refert enim ad Deum omnia, nec ſibi quicquam facit reliqui, niſi quod fuerit organum. Sic autem modeſte ſe Deo ſummittens, oblique perſtringit eorum arrogantiam, qui pro nihilo ducebant, modo eſſent ipſi in pretio, Dei gratiæ tenebras obducere. Subindicat etiam, in illa inani pompa unde æſtimabantur, nullam fuiſſe Spiritus gratiam: ſe vero qui divinitus actus fuerit, à contemptu vindicat.

11. *Fundamentum aliud nemo poteſt.*] Duo ſunt membra hujus ſententiæ, Chriſtum eſſe unicum Eccleſiæ fundamentum, & in Chriſto rite fundatos fuiſſe Corinthios prædicatione Pauli. Nam opus erat ipſos reduci ad ſolum Chriſtum, quibus novitatis ſtudio pruriebant aures. Nec parum intererat, Paulum agnoſci primarium & fundamentalem (ut ita loquar) architectum, à cujus doctrina non poterant diſcedere, quin Chriſtum ipſum relinquerent. Summa eſt, Eccleſiam nonniſi in ſolo Chriſto fundatam eſſe oportet: Paulum his partibus ita fideliter perfunctum fuiſſe apud Corinthios, ut nihil deſiderari poſſit in ejus miniſterio: proinde quicunque ſuccedunt, non aliter poſſe bona fide ſervire Domino, nec audiendos eſſe pro Chriſti miniſtris, niſi illius doctrinæ ſuam coaptare ſtudeant, ac retineant fundamentum quod poſuit. Hinc colligimus, non eſſe fideles operarios ad ædificandam Eccleſiam, ſed potius ejus diſſipatores, qui dum ſuccedunt veris miniſtris, non ſe accommodare ſtudent eorum doctrinæ, ac perſequi quod bene inchoatum eſt: adeo ut prorſus appareat, nihil eos novi operis aggredi. Quid enim pernicioſius, quam fideles probe inſtitutos in pura doctrina, turbare novo genere docendi, ut fundamenti incerti vacillent? Hæc porro eſt doctrina fundamentalis, quam labefactari nefas eſt, ut Chriſtum diſcamus. Chriſtus enim unicum eſt Eccleſiæ fundamentum: at multi ſunt qui nomen Chriſti quum obtendunt, radicitus evellunt univerſam Dei veritatem. Videndum eſt igitur quomodo rite ſuper Chriſtum ædificetur Eccleſia: nempe ſi ipſe ſolus ſtatuitur pro juſtitia, redemptione, ſanctificatione, ſapientia, ſatisfactione, purgatione, vita denique & gloria: aut ſi brevius malis, ſi talis prædicatur, ut intelligatur ejus officium ac virtus, ſicuti habuimus in fine primi capitis. Quod ſi Chriſtus utcunque agnoſcitur, & vocatur nomine Redemptor, interim alibi quæritur juſtitia, ſanctificatio, & ſalus: depellitur à fundamento, & adulterini lapides in ejus locum ſubrogantur: quemadmodum faciunt Papiſtæ, qui omnibus fere ornamentis ipſum ſpoliant, nudum prope nomen illi relinquentes. Longe ergo abſunt tales ut in Chriſto ſint fundati. Nam quum ideo ſit fundamentum Eccleſiæ Chriſtus, quia unica eſt cauſa ſaluris & vitæ æternæ, quia in eo Deum Patrem cognoſcimus, quia in ipſo habemus bonorum omnium fontem: niſi talis agnoſcitur, jam fundamentum eſſe deſinit. Sed quæritur, an Chriſtus pars ſit tantum, aut principium doctrinæ ſalutaris: ſicut ædificii tantum eſt fundamentum. nam ſi ita eſſet, inchoarentur tantum fideles in Chriſto, extra eum abſolverentur: atqui videtur hoc Paulus innuere. Reſpondeo, non eſſe hunc ſenſum verborum: alioqui pugnaret ipſe ſecum, dum alibi Col. 2: 3.
dicit, omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ in ipſo eſſe abſconditos. qui ergo Chriſtum didicit, in tota cœleſti doctrina jam eſt abſolutus. Sed quum miniſterium Pauli ſpectaſſet ad fundandos Corinthios, magis quam ad erigendum inter eos ſummum ædificii culmen: quid egerit duntaxat hic docet, nempe Chriſtum pure fuiſſe à ſe prædicatum. Ideo reſpectu ſui, fundamentum vocat: non tamen à reliquo ædificio propterea eum excludit. Denique non opponit Paulus Chriſti notitiæ ullam doctrinæ ſpeciem: ſed potius relatio eſt inter ipſum & reliquos miniſtros.

12. *Siquis autem ſuperſtruat ſuper fundamentum hoc.*] Perſeverat in metaphora: non ſatis fuerit jactum eſſe fundamentum, niſi tota ſuperficies reſpondeat. nam ut aureo fundamento vilem materiam ſuperjicere, abſurdum eſſet: ita Chriſtum ſuperjectis alienis doctrinis obrui, nefas eſt. Aurum ergo, & argentum, & gemmas, vocat doctrinam Chriſto dignam, & quæ ſit congrua tali fundamento ſuperficies. Porro ne imaginemur hanc doctrinam extra Chriſtum eſſe: ſed potius intelligamus pergendum eſſe in Chriſto, docendo uſque ad ædificii complementum. Ordo tantum ſervandus eſt, ut à generali doctrina & capitibus magis neceſſariis, tanquam à fundamentis, initium fiat: deinde ſuccedant admonitiones, exhortationes, & quicquid ad perſeverantiam, confirmationem, profectum requiritur. Quum hactenus extra controverſiam de Pauli ſenſu conveniat: ſequitur e converſo, per lignum, & ſtipulam, & fœnum, deſignari doctrinam fundamento non conformem: qualis eſt quæ in hominum cerebro fabrefacta, pro Dei oraculis obtruditur. Pura enim verbi ſui prædicatione Eccleſiam ſuam inſtitui vult Deus, non hominum figmentis: qualis eſt etiam quæ nihil ad ædificationem facit, ut ſunt curioſæ quæſtiones, quæ oſtentationi magis vel ſtultæ cupiditati ut plurimum, quam hominum ſaluti ſerviunt. *Quale ſit cujuſque opus*, etiamſi ad tempus lateat, palam fore aliquando denunciat: quaſi diceret, Fieri quidem poteſt ut fallant ad tempus mali operarii, ut minime diſcernat mundus quam fideliter aut fraudulenter quiſque laboraverit: ſed neceſſe eſt tandem extare quod nunc eſt velut tenebris ſepultum: & quod nunc coram hominibus glorioſum, coram facie Dei concidere & pro nihilo haberi.

13. *Dies enim manifeſtabit.*] Vetus tranſlatio habet, Diem Domini: ſed credibile eſt, genitivum illum fuiſſe ab alio quoquam additum explicationis cauſa. certe ſenſus ſine iſta adjectione plenus eſt. Dies enim apte vocatur tempus illud quo diſcuſſis tenebris & caligine, illuſtratur veritas. Ergo denunciat Apoſtolus, non ſemper latere poſſe qui fraudulenter egerint in opere Domini, aut qui ſe fidos geſſerint. acſi diceret, Non ſemper erunt tenebræ, aliquando lux orietur, quæ omnia manifeſtabit. Hunc diem fateor Dei eſſe, non hominum, ſed plus gratiæ habet metaphora, ſi diem ſimpliciter legas: quia ſubindicat Paulus hoc modo, non ſemper bene diſcerni veros Domini ſervos à falſis operariis, quia noctis obſcuritate vitia & virtutes tegantur: ſed noctem hanc non fore perpetuam. cæca enim eſt ambitio, cæcus hominum favor, cæcus mundi applauſus: ſed has tenebras ſuo tempore Deus poſtea diſcutit. Obſerva ut bonæ conſcientiæ fiduciam ſemper oſtendat, & invicta animi altitudine deſpiciat perverſa judicia, primum ut ab ambitioſo favore ad ſinceram judicandi regulam Corinthios revocet: deinde ut ſui miniſterii fidem ſtabiliat. *Quia in igne.* Quia metaphorice loquutus erat Paulus de doctrina: ipſum quoque doctrinæ examen nunc metaphorice Ignem appellat,

lat, ut membra comparationis oppoſita inter ſe cohæreant. Ignis ergo hic eſt Spiritus Domini, qui ſuo examine probat quæ doctrina ſit inſtar auri, & quæ inſtar ſtipulæ. Quo propius ad hunc ignem admota fuerit Dei doctrina, eo magis clareſcet: contra, quæ in hominum capite nata fuerit, protinus evaneſcet, ſicut ſtipula igne devoratur. Videtur etiam ad diem, cujus meminit, eſſe alluſio: acſi diceret, non modo tunc ſplendore ſolis patefactum iri quæ vana ambitio apud Corinthios, tanquam obſcura nox, tegebat; ſed vim ſimul caloris adfore, non modo ad excoquendas & purgandas ſordes, ſed etiam ad omnia vitia exurenda. Nam ut ſe homines acute diſcernere putent, eorum tamen perſpicientia non ultra ſpeciem penetrat, quæ ut plurimum nihil habet ſolidi. Solus eſt dies iſte ad quem provocat Apoſtolus, qui non modo claritate ſua, ſed etiam ignea flamma ad vivum omnia examinat.

14. *Si cujus opus maneat, mercedem accipiet.*] Significat vanos eſſe qui ab æſtimatione hominum pendent, ut ſatis habeant ab hominibus probari: quia tunc operi laus & merces conſtabit, ſi diem Domini ſuſtinuerit. Ergo ad illum diem reſpicere jubet veros miniſtros. Manendi enim verbo admonet, quaſi inſtabiles volitare doctrinas, imo quaſi ampullas ad momentum fulgere, donec ad ſerium examen ventum fuerit. Hinc ſequitur, pro nihilo ducendos omnes mundi applauſus, quorum vanitatem paulo poſt coarguet cæleſte judicium.

15. *Si cujus opus arſerit.*] Quaſi diceret, Nemo ſibi blandiatur propterea quod inter egregios architectos, hominum opinione, cenſeatur. nam ſimulatque illuxerit dies, diſperire oportet totum ejus laborem, niſi Domino probatus fuerit. Hæc igitur regula eſt, ad quam exigi cujuſque miniſterium convenit. Quidam hoc de doctrina exponunt, ut ζημιωθήσεται nihil aliud ſit quam perire: quod deinde proxime ſequitur, referunt ad fundamentum, quia Græce θεμέλιος eſt maſculini generis. Sed non ſatis attendunt ad totum contextum. Paulus enim hoc loco non ſuam, ſed aliorum doctrinam examini ſubjicit. ergo intempeſtive nunc fundamenti fieret mentio. Nuper dixit, igne probatum iri cujuſque opus: poſtea ad partitionem deſcendit, quæ ultra generale illud dictum extendi non debet. Atqui certum eſt, illic Paulum nonniſi de ſtructura quæ fundamento addita erat, loquutum eſſe. Jam in priore membro mercedem promiſit bonis architectis, quorum probatus fuerit labor. Optime igitur quadrat ſecundi membri antitheſis, fruſtratum iri ſperata laude qui ſtipulam, vel lignum, vel paleam permiſcuerint. *Ipſe autem ſalvus fiet*, &c. Paulum de iis loqui conſtat, qui retento ſemper fundamento, fœnum auro, ſtipulam argento, lignum lapidibus pretioſis admiſcent: nempe qui in Chriſto ædificant, ſed propter carnis imbecillitatem patiuntur aliquid humanum, aut per ignorantiam nonnihil ab exacta verbi Dei puritate deflectunt. quales etiam fuerunt multi ex ſanctis, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, & ſimiles: adde etiam ſi libet, ex recentioribus, Gregorium & Bernardum, alioſque ejus notæ, qui quum haberent hoc propoſitum ut in Chriſto ædificarent, à recta tamen ædificandi ratione ſæpe aberrarunt. Tales dicit Paulus ſalvos fieri poſſe, ſed hac lege, ſi Dominus eorum ignorantiam abſterſerit, & repurgaverit eos ab omni ſorde. Atque hic ſenſus eſt iſtius particulæ, *quaſi per ignem.* Vult ergo innuere, ſe illis non adimere ſpem ſalutis, modo libenter faciant jacturam operis, & Dei miſericordia repurgentur, quemadmodum aurum excoquitur in fornace. Porro tametſi purgat interdum ſuos Deus afflictionibus: hic tamen Ignis nomine, Spiritus examen intelligo, quo Dominus ſuorum ignorantiam, qua ad tempus fuerint detenti, corrigit & abolet. Scio quidem multos ad crucem referre: verum meam interpretationem ſanis omnibus judiciis placituram confido. Reſtat ut Papiſtis obiter reſpondeamus, qui ex hoc loco nituntur adſtruere purgatorium. Tranſeunt per ignem peccatores, quibus ignoſcit Deus, ut ſalvi fiant. Ergo ſolvunt ita pœnas Deo, ut ſatisfiat judicio ejus. Omitto infinita eorum commenta de pœnarum modo & redemptione. ſed quæro quinam per ignem tranſeant. Paulus certe de ſolis miniſtris loquitur. Eadem, inquiunt, omnium eſt ratio. Ejus vero rei non noſtrum eſt, ſed Dei judicium. Verum hoc quoque conceſſo, quam pueriliter in Ignis nomine impingunt? Quorſum enim ignis, niſi ad fœnum & paleam conſumendam: aurum autem & argentum probandum? An igne ſui purgatorii diſcerni doctrinas volunt? Quis inde unquam didicit quid differat verum à falſo? Quando etiam erit dies ille, qui lucebit ad manifeſtandum cujuſque opus? an ab initio mundi cœpit, & abſque intervallo durabit uſque in finem? Si figura eſt in vocabulis Stipulæ, fœni, auri, argenti, ſicuti neceſſe eſt concedant: qualis erit membrorum congruentia, ſi in Ignis nomine nihil erit figuratum? Faceſſant ergo tam frivolæ ineptiæ, quæ prima ſtatim fronte abſurditatem ſuam produnt: de genuino enim Apoſtoli ſenſu ſatis jam conſtare arbitror.

16. An neſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?
17. Siquis templum Dei corrumpit, hunc perdet Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.
18. Nemo ſe decipiat. Siquis videtur ſapiens eſſe inter vos: in ſeculo hoc ſtultus fiat, ut fiat ſapiens.
Job. 5. verſ. 13. 19. Sapientia enim mundi hujus, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim, Deprehendens ſapientes in aſtutia ſua.
Pſal. 94. verſ. 11. 20. Et rurſum, Dominus novit cogitationes ſapientum vanas eſſe.
21. Proinde nemo glorietur in hominibus: omnia enim veſtra ſunt.
22. Sive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia veſtra ſunt.
23. Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

16. *An neſcitis.*] Poſtquam doctores admonuit ſui officii, nunc ad diſcipulos ſe convertit, ut ipſi quoque ſibi caveant. Doctoribus dixerat, Vos architecti domus Dei. Populo nunc dicit, Vos eſtis templa Dei: providere ergo veſtrum eſt ne ullo modo polluamini. finis autem eſt, ne ſe hominibus proſtituant. Honorem quidem illis eximium, ſic loquendo defert: ſed quo magis coarguantur. nam quum Deus illos in templum ſibi conſecravit, ſimul conſtituit templi ſui cuſtodes. Sacrilegium ergo eſt, quod ſe addicunt hominibus. Omnes collectim vocat unum Dei templum. nam fidelium unuſquiſque vivus eſt lapis ad extruendum Dei ædificium. Quanquam ſinguli etiam interdum vocantur templa. Paulo poſt eandem ſententiam repetet, ſed alio fine. Nam illic de caſtitate aget, hic autem hortatur eos ut in ſolius Chriſti obedientia permaneat eorum fides. Interrogatio plus habet vehementiæ: nam ſubindicat

de

de re comperta ſe apud eos loqui, dum teſtes eos appellat. *Et Spiritus Dei.* Ratio eſt cur ſint templum Dei: proinde copula in particulam cauſalem reſolvi debet. quod eſt uſitatum: ſicut apud Poëtam, Audieras, & fama fuit. Ideo, inquit, eſtis Dei templa, quia in vobis habitat per Spiritum ſuum: neque enim locus immundus Dei domicilium eſſe poteſt. In hoc loco habemus clarum teſtimonium ad aſſerendam Spiritus ſancti divinitatem. Neque enim ſi creatura eſſet, aut donum tantum, efficeret in nobis habitando, ut templa Dei eſſemus. Et ſimul intelligimus qualiter ſe nobis Deus communicet, ac quo vinculo illi adhæreamus: nempe dum Spiritus ſui virtutem in nos inſundit.

17. *Siquis templum Dei corrumpit.*] Addit gravem comminationem: quia templum Dei ſacroſanctum eſſe oporteat, non impune evaſurum quiſquis illud corruperit. Loquitur autem nunc de illa profanationis ſpecie, quum in Dei locum homines ſe ingerunt, ut in Eccleſia dominentur. Nam ſicut fides puræ Chriſti doctrinæ addicta, alibi vocatur ſpiritualis caſtitas: ſic etiam animas noſtras ſanctificat in rectum & purum Dei cultum. Simul enim atque hominum commentis inficimur, quaſi ſordibus fœdatur Dei templum: quia fidei ſacrificium, quod ſibi uni aſſerit, creaturis tunc offertur.

18. *Nemo ſe decipiat.*] Hic ulcus ipſum digito attingit: ſiquidem inde manabat tota pernicies, quod ſibi nimium ſaperent. Hortatur ergo eos ne ſe decipiant falſa perſuaſione, ſapientiam aliquam ſibi arrogando. quo ſignificat falli omnes qui proprio ſenſu nituntur. Alloquitur autem (meo judicio) tam auditores quam magiſtros. nam illi ambitioſis hominibus magis favebant ac præbebant aures quod faſtidioſum nimis palatum habebant, ita ut Euangelii ſimplicitas illis eſſet inſipida: hi autem tantum oſtentationi ſerviebant, ut aliquo eſſent in pretio. Admonet igitur utroſque, ne quis ſibi placeat in ſua prudentia. ſed qui ſapientem ſe putat, is ſtulteſcat in hoc mundo: vel qui in mundo excellit opinione ſapientiæ, apud ſe ultro ſtultus fiat ſeipſum exinaniens. Porro his verbis non requirit Apoſtolus ut prudentiæ vel nobis à natura inſitæ, vel longo uſu collectæ renunciemus in totum: ſed tantum ut eam redigamus in Dei obſequium, ne quid ſapiamus niſi ex ejus verbo. Hoc enim eſt ſtulteſcere in hoc mundo, vel apud nos, dum malumus Deo cedere, atque amplecti cum timore & reverentia quicquid docet, quam ſequi quod nobis probabile viſum fuerit. Particula *in hoc ſeculo*, valet perinde acſi dixiſſet, Secundum rationem vel opinionem mundi. hæc enim eſt mundi ſapientia, ſi nobis ipſi ad capiendum de rebus omnibus conſilium, ad nos gubernandos, ad inſtituendum quicquid agimus, ſufficimus: ſi non aliunde pendemus, ſi non indigemus alieno ductu, ſed nobis ſumus idonei moderatores. Ex oppoſito igitur, in mundo ſtultus eſt qui propria ratione abdicatus, tanquam clauſis oculis, regi ſe à Domino patitur; qui ſibi diffidens, totus in Dominum recumbit: qui totam ſuam ſapientiam in eo conſtituit: qui docilem ſe & obedientem Deo tradit. In hunc modum neceſſe eſt noſtram prudentiam evaneſcere, quo Dei voluntas ſupra nos regnet: nos exinaniri propria ratione, ut Dei ſapientia impleamur. Quanquam autem vel cum priore membro conjungi, vel ad poſterius trahi poteſt: quia tamen non admodum diverſus eſt ſenſus, libera ſit electio.

19. *Sapientia enim mundi hujus.*] Argumentum eſt à contrariis. Poſitio unius contrarii alterum deſtruit. quum ergo ſapientia mundi, ſtultitia ſit apud Deum: ſequitur non poſſe aliter nos ſapere coram Deo, niſi ſecundum mundum ſtulti ſimus. Jam expoſuimus quid ſignificet per mundi ſapientiam. naturalis enim perſpicacia Dei donum eſt: artes ingenuæ, & doctrinæ omnes quibus prudentia colligitur, Dei ſunt dona, at ſuis limitibus continentur: neque enim uſque ad cæleſte Dei regnum penetrant. quare pediſſequas eſſe oportet, non dominas: imo inanes & nihili reputari convenit, donec verbo Spirituique Dei ſubjectæ prorſus fuerint. Si autem ſe Chriſto opponant, noxias eſſe peſtes: ſi per ſe valere aliquid contendant, peſſima eſſe impedimenta ſeotiendum eſt. Ergo Paulo mundi ſapientia eſt, quæ dominium ſibi uſurpat, neque ſe Dei verbo regi ſuſtinet, aut in ordinem cogi, ut ſe illi prorſus ſubjiciat. Donec itaque eo ventum fuerit, ut homo nihil ſe ſcire agnoſcat, niſi quod à Deo didicerit, ut dejecta propria ratione, ſe tantum directioni Chriſti reſignet: mundo ſapit, Deo autem ſtultus eſt. *Scriptum eſt enim, Deprehendens ſapientes.* Duobus Scripturæ teſtimoniis illud confirmat, quorum prius ex Job. 5. v. 13. ſumptum eſt, ubi Dei ſapientia inde amplificatur, quod nulla mundi ſapientia coram ipſo conſiſtat. Certum eſt autem Prophetam de vafris & aſtutis illic loqui: ſed quia talis eſt ſemper hominis ſapientia abſque Deo, merito Paulus ad hunc ſenſum accommodat, pro nihilo haberi coram Deo quicquid à ſeipſis homines ſapiunt. Secundum eſt ex Pſal. 94. v. 11. ubi David poſtquam uni Deo aſſeruit officium ac poteſtatem omnes docendi, ſubjungit eum cognoſcere omnium cogitationes eſſe vanas. quantivis ergo æſtimentur à nobis, Dei judicio ſunt vanæ. Inſignis locus, ad humiliandam carnis confidentiam, dum ex alto pronunciat Deus, vanitatem eſſe meram quicquid concipit & agitat hominis ingenium.

21. *Proinde nemo glorietur in hominibus.*] Quum nihil ſit homine vanius, quam parum tutum eſt in umbram evanidam recumbere? Bene ergo infert ex ſuperiore ſententia, non eſſe in hominibus gloriandum, quum Dominus ita univerſos homines ſpoliet gloriandi materia. Quanquam hæc illatio ex tota ſuperiore doctrina pendet, ſicut mox patebit. Nam quia ſumus unius Chriſti, merito primatum hominis quo Chriſti gloria minuitur, ſacrilegum eſſe docet.

22. *Omnia veſtra ſunt.*] Subjungit in quo loco & gradu collocari debeant doctores: nempe ne quid derogent unius Chriſti magiſterio. Quia ergo unicus Eccleſiæ magiſter eſt Chriſtus, quia ſolus abſque exceptione audiendus eſt, reliquos dijudicare oportet: quemadmodum etiam Chriſtus ipſe de ſe teſtatus eſt Matth. 23. v. 8. nec alius nobis cum hoc elogio à Patre commendatus eſt, Ipſum audite. Quum *Mat. 17. verſ. 5.* ergo ſolus ipſe auctoritate præditus ſit ad nos verbo ſuo regendos, dicit Paulus alios eſſe noſtros: hoc eſt, nobis deſtinatos à Deo in hunc finem, ut illis utamur, non ut dominationem in conſcientias noſtras exerceant. Ita & eos oſtendit non eſſe inutiles, & in ſuo ordine continet, ne adverſus Chriſtum efferantur. Quæ de morte, vita, & reliquis annectit, hyperbolica ſunt, quantum ad præſentem locum. Verum tanquam à majori ad minus voluit argumentari, hoc modo, Quum nobis Chriſtus vitam & mortem & quicquid eſt, ſubjecerit: dubiumne eſt quin ſubjecerit etiam homines, ut nos miniſterio ſuo juvent, dominatione non premant? Porro, ſi quis inde objiciat, tam Pauli quam Petri ſcripta cenſuræ noſtræ ſubjacere, quandoquidem homines fuerunt, & ab aliorum communi ſorte non eximuntur: reſpondeo, Paulum, dum ſibi & Petro minime parcit, admonere Corinthios, ut hominis perſonam ab officii dignitate & perſona diſtinguant. quaſi diceret, De me, quatenus homo ſum, nolo aliud fieri judicium, quam de homine: ut ſolus Chriſtus in noſtro miniſterio emineat. Cæterum hoc generaliter habendum eſt, quicunque miniſterio funguntur, eos à ſummo ad infimum uſque eſſe noſtros: ut liberum nobis ſit ipſorum doctrinam non amplecti, donec à Chriſto eſſe oſtendant. Probandi enim ſunt omnes,

& tum

& tum demum præſtanda illis obedientia, ubi ſe fideles eſſe Chriſti ſervos demonſtraverint. De Petro autem & Paulo, quia id extra controverſiam eſt, & eorum doctrinam à ſe profectam eſſe Dominus ſatis ſuperque teſtatum fecit: quum pro cæleſti oraculo amplectimur & veneramur quicquid prodiderunt, non tam ipſos quam Chriſtum in eis loquentem audimus.

23 *Chriſtus Dei.*] Hæc ſubjectio ad Chriſti humanitatem refertur. nam carnem noſtram induen-
Philip. 2. verſ. 7. do, ſervi formam & conditionem aſſumpſit, ut Patri ſe per omnia obſequentem præberet. Et certe ut per ipſum Deo adhæreamus, neceſſe eſt Deum illi eſſe caput. Sed notandum eſt quo conſilio hoc Paulus addiderit. Summam enim noſtræ felicitatis in eo conſiſtere admonet, ſi Deo uniamur, qui ſummum bonum eſt: id vero fieri, dum ſub capite colligimur quod Pater cæleſtis nobis præfecit. Eodem ſenſu dicebat Chriſtus diſcipulis, Gaudendum vobis quod Joan. 14. verſ. 28.
vado ad Patrem, quia Pater major me eſt. ſe enim illic medium propoſuit, quo perveniant fideles ad optimum bonorum omnium fontem. Tanto bono privari certum eſt qui à capitis unitate diſcedunt. Quare ad circumſtantiam loci pertinet hic ordo, ut ſe uni Chriſto ſubjiciant qui cupiunt ſub Dei imperio manere.

CAP. IV.

SIc nos æſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores arcanorum Dei.

2. Cæterum in miniſtris hoc quæritur, ut fidelis aliquis reperiatur.

3. Mihi vero pro minimo eſt à vobis dijudicari, aut ab humano die: imo nec meipſum dijudico.

4. Nullius enim rei mihi ſum conſcius: ſed non in hoc ſum juſtificatus. Porro qui me dijudicat, Dominus eſt.

5. Itaque ne ante tempus quicquam judicetis, donec venerit Dominus, qui & illuſtrabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit cuique à Deo.

1. *Sic nos æſtimet.*] Quoniam res erat non parvi ponderis, ita videre pravis factionibus ſciſſam eſſe Eccleſiam ob hominum vel ſtudia, vel odia: ingreditur longiorem adhuc diſputationem de miniſterio verbi. Ac tria quidem hic ordine ſunt conſideranda. primum definit Paulus officium Eccleſiaſtici paſtoris: deinde oſtendit, non ſatis eſſe ſi quis prætendat titulum, aut munus etiam ſuſtineat, ſed fidelem quoque officii adminiſtrationem requiri: tertio, quoniam præpoſterum de ipſo erat Corinthiorum judicium, revocat & ſe & illos ad tribunal Chriſti. Primum ergo docet quo loco habendus ſit quivis Eccleſiæ doctor: in qua parte ſic orationem ſuam temperat, ne aut miniſterii honorem dejiciat, aut plus quam expediat, largiatur hominibus. Utrumque enim valde periculoſum eſt: quod ex miniſtrorum dejectione naſcitur verbi contemptus: ſi autem evehantur præter modum, abutuntur licentia, & laſciviunt adverſus Dominum. Temperamentum autem Pauli hoc eſt, quod miniſtros Chriſti vocat: quo innuit, non proprium negotium ipſos, ſed Domini, qui operam eorum conduxit, agere debere: nec cum imperio Eccleſiæ regimini eſſe impoſitos, ſed Chriſti imperio ſubeſſe: breviter, eſſe miniſtros, non dominos. Quod addit, *Diſpenſatores arcanorum Dei*, eo miniſterii genus exprimit. Quo ſignificat, non latius patere eorum officium, quam ut arcana Dei diſpenſent: hoc eſt, quæ Dominus illis mandaverit, de manu (quod aiunt) in manum hominibus tradant, non autem quod ipſis libitum fuerit. quaſi diceret, Ad hoc elegit ipſos Deus Filii ſui miniſtros, ut per eos cæleſtem ſuam ſapientiam hominibus communicaret: quare non debent ulterius progredi. Oblique autem videtur mordere Corinthios, qui poſthabitis cæleſtibus myſteriis, aliena figmenta nimium cupide ſectari inceperant: ideoque tantum à profana eruditione cenſebant ſuos doctores. Honorificum eſt Euangelii elogium, quod arcana Dei, quæ in eo continentur, nuncupat. Porro quum his myſteriis annexa ſint Sacramenta, tanquam appendices: ſequitur, eorum quoque legitimos diſpenſatores eſſe qui verbo adminiſtrando præſunt.

2. *Cæterum in miniſtris hoc quæritur.*] Quaſi diceret, Non ſatis eſt eſſe diſpenſatorem, niſi recta ſit diſpenſatio: lex autem rectæ diſpenſationis eſt, fideliter in ea verſari. Locus diligenter notandus. videmus enim ut Papiſtæ ſuperciliose hoc tantum prætextu ratum eſſe velint quicquid agunt & docent, quia paſtores vocantur. Atqui tantum abeſt quin Paulus titulo contentus ſit, ut ne juſta quidem vocatio illi ſit ſatis, niſi fideliter in officio ſe gerat qui vocatus eſt. Quoties ergo Papiſtæ pro ſuſtinenda idoli ſui tyrannide, nominis larvam nobis opponent: reſpondeamus, in Chriſti miniſtris plus à Paulo requiri. quanquam Papæ ejuſque ſatellitio non fides tantum in officio deeſt, ſed ipſum quoque miniſterium, ſi rite omnia expendantur. Cæterum non tantum adverſus impios doctores hic locus militat, ſed etiam omnes eos qui aliud habent propoſitum, quam Chriſti gloriam & Eccleſiæ ædificationem. neque enim quicunque vera docet, protinus eſt fidelis: ſed qui Domino ſervire, Chriſtique regnum promovere ex animo ſtudet. nec vero abs re Auguſtinus mercenariis inter lupos & probos doctores medium gradum attribuit. Porro quod Chriſtus à bono diſpenſatore prudentiam quoque requirit, in eo quidem explicatius loquitur quam Paulus: idem tamen eſt ſenſus. Chriſto enim fides eſt conſcientiæ ſinceritas, cui ſanum & providum conſilium accedere oportet. Paulus per fidelem miniſtrum intelligit, qui & ſcienter & recto animo partes boni verique miniſtri implet.

3. *Mihi vero pro minimo eſt.*] Reſtabat ut ſuam fidelitatem in medium proferret, quo inde judicarent de ipſo Corinthii: ſed quia corruptum erat eorum judicium, illo repudiato, ad tribunal Chriſti provocat. Errabant Corinthii quod obſtupeſcebant ad externas larvas, nec veras ac proprias diſcretionis notas intuebantur: magna igitur fiducia perverſum ejuſmodi cæcumque judicium contemnere ſe teſtatur. In quo & pſeudoapoſtolorum vanitatem probe refutat, qui ſolum hominum favorem aucupabantur, ſeque putabant beatos ſi in admiratione forent: & Corinthiorum arrogantiam graviter caſtigat, quæ in cauſa erat ut ita cæcutirent judicando. Sed quæritur quo jure Paulo licuerit non modo repudiare unius Eccleſiæ cenſuram, ſed hominum judicio ſe eximere: nam iſta communis eſt paſtorum omnium conditio, ab Eccleſia judicari. Reſpondeo, boni paſtoris eſſe ſuam tum doctrinam, tum vitam examinandam permittere Eccleſiæ judicio: & hoc eſſe bonæ conſcientiæ indicium, non refugere lucem examinis. Quemadmodum Paulus abſque dubio paratus erat ſubire judicium Eccleſiæ Corinthiacæ, & ad rationem tam vitæ quam doctrinæ reddendam vocari, ſi juſta cognitio illic fuiſſet: quemadmo-

dum ſæpe illis haoc poteſtatem defert, ultroque flagitat ut recte judicare veliot. Sed ubi opprimi ſe iniquis perverſiſque ſtudiis videt fidelis paſtot, nec locum eſſe æquitati aut veritati, humanæ eaiſtimationis ſecurus, Deum appellare & ad ejus tribunal confugere debet: præſertim ubi obtioere hoc nequit, ut ſuſcipiatur vera & legitima cognitio. Ita ergo ſibi ageodum meminetiot ſervi Domini, ſuam doctrinam ac vitam eaigi ad calculum patiantur, imo ultro ſe offerant: ſi quid objectum fuerit, reſpondere ne detrectent. Verum ſi indicta cauſa damuari ſe viderint, & de cauſa inaudita judicium fieri: erigant ad hanc magnitudinem animos, ut deſpectis hominum judiciis, Deum judicem intrepide expectent. Sic olim Prophetas, quia negotium erat cum bominibus præfractis, & qui in illorum perſona Dei verbum deſpicere aoderent, alte aſſurgere oportuit, ut calcarent diabolicam illam cootumaciam, qua tam imperium Dei, quam veritatis lucem obrui palam erat. Si quis autem, quum defenſioni locus pateat, aut certe quum purgatione habeat opus, ſubterfugiendi cauſa ad Deum provocet, in eo non ſuam innocentiam aſſeret, ſed ſummam impudentiam magis prodet. *Aut ab humano die.* Tametſi alii ſecus exponant: mea tamen ſententia ſimplicius boc eſt, ut dicamus metaphorice diem pro judicio accipi: quia & juri dicundo ſtati ſuot dies, & ad certum diem rei citantur. Humanum vocat, ubi non ex veritate neque ex verbo Domini pronunciatur, ſed ex libidine vel temeritate hominum: obi deniqoe non præſidet Deus. Sedeant, inquit, homines ad judicandum, prout libitum fuerit: mihi ſatis eſt quod reſcindet Deus quicquid pronunciaverint. *Imo nec meipſum dijudico.* Senſus eſt, Ego me judicare oon audeo, qui tamen ſum optimus mei cognitor: qualiter ergo vos quibus ego minus ſum perſpectus, me judicabitis? Probat autem quod ſe judicare noo audeat, quoniam utcuoque nullius mali ſibi ſit conſcius, non tamen ideo abſolutus ſit coram Deo. Coocludit ergo, io ſolum Deum competere quod ſibi ſumuot Corinthii. Ego, inquit, ubi me diligenter ſcrutatus ſum, agnoſco mihi non eſſe tam acutos oculos, ut penitus qualis ſim perſpiciam: quare hoc Deo judicandum relinquo, qui ſolus poteſt, & cujus hoc jus eſt proprium: vos qua ratione plus vobis uſurpabitis? Quia autem valde abſurdum foret excludi omne genus judicia, tam ſingulorum de ſeipſis, quam cujuſque de fratre ſuo, aut omnium ſimul de paſtore: intellige Paulum hic non loqui de factis hominum, quæ vel bona vel mala ex verbo Domioi cenſeri poſſunt: ſed de hominis cujuſque dignitate, quæ hominum arbitrio æſtimari non debet. Dei unius eſt ſtatuere quantus quiſque ſit, & quo honore dignus: Corinthii autem, ſpreto Paulo, alios in altum temere efferebant, quaſi eorum foro ſubeſſet ea cognitio, quæ ad ſolum Deum pertinebat. Hic eſt humanus dies cujus ante meminit: quum bomines tribunal conſcendunt, & (tanquam dii eſſent) præveniunt diem Chriſti qui ſolus conſtitutus eſt à Patre judex: aſſignant unicuique gradum honoris, collocant alios in alto, alios ad infima ſubſellia relegant. Quam autem habent diſcernendi regulam? tantum quod palam apparet intuentur: ita quod illis altum eſt ac honorabile, ſæpe abominatio eſt coram Deo. Si quis rurſum objiciat, poſſe in hoc mundo ab operibus diſeerni verbi miniſtros, tanquam arbores à fructibus, id quidem verum eſſe fateor: ſed conſiderandum eſt, quibuſcum negotium habuerit Paulus, nempe qui ſolam oſtentationem & pompam in judicando ſequebantur, & qui poteſtatem eam ſibi arrogabant à qua abſtinuit Chriſtus in hoc mundo, ut unicuiqoe ſedem attribuereot in regno Dei. Non ergo vetat quin eos, quos fideles comperimus, ſentiamus eſſe tales ac prædicemus: quin malos etiam operarios judicemus ex verbo Dei: ſed temeritatem illam damnat, ubi alii aliis ambitioſe, non pro ſuo merito, ſed cauſa incognita præferuntur.

4. *Nullius mihi ſum conſcius.*] Notemus Paulum bic non de tota ſua vita, ſed tantom de Apoſtolatus functione loqui. Neque enim ſi nihil prorſus ſibi conſciret, vera eſſet querimonia qua deplorat ſe malum facere quod nolit, ſeque impediri à peccato ne Deo totum ſe addicat. *Rom. 7. verſ. 15.* Sentiebat ergo Paulus habitans in ſe peccatum, & confitebatur: in Apoſtolatu autem, de quo hic tractatur, tanta ſe integritare & fide geſſerat, ut conſeientia eum nulla in re argueret. Hæc eſt non vulgaris teſtificatio, & quæ aperte declarat quam pium ſanctumque fuerit ejus pectus: ſe tamen ideo juſtificari, boc eſt, purum & ab omni reatu immunem coram Deo eſſe oegat. Cur? quia ſcilicet Deus multo cernit acutius quam nos: ac proinde quod nitidiſſimum nobis apparet, ſordet in ejus oculis. Pulchra & apprime utilis admonitio, ne divini judicii ſeveritatem noſtra opinione metiamur. nos enim obtuſi ſumus, Deus autem pluſquam perſpicax: nos indulgenter nimium ſentimus de nobis, Deus autem ſeveriſſimus judex. Quare verum eſt quod ait Solomon, ſuas ſingulis rectas vias videri, Dominum autem ponderare corda. *Prov. 21. verſ. 2.* Abutuntur Papiſtæ hoc loco ad coocutiendam fidei certitudinem: & ſaoe fateor, ſi reciperetur quod docent, nibil aliud nos poſſe tota vita quam miſere trepidare. Qualis enim animis tranquillitas conſtabit, ſi ex operibus ſtatuendum ſit numquid placeamus Deo? Fateor ergo ex præcipuo fundamento Papiſtarum non aliud ſequi quam perpetuam conſcientiarum inquietudinem. ideoque docemus, ad promiſſionem miſericordiæ gratuitam quæ nobis offertur in Chriſto, confugiendum: ut certo ſciamus nos reputari à Deo juſtos.

5. *Proinde ne ante tempus judicetis*] Ex hac concluſione patet, non univerſaliter reprehenſum fuiſſe à Paulo judicium quodvis, ſed præceps & temerarium de rebus incognitis: non enim puris oculis intuebantur Corinthii qualis quiſque eſſet, ſed ambitione præoccupati, perperam huoc extollebant, illum deprimebant: & ſe ingerebaot ultra quam bominibus fas ſit, ad definiendam cujuſque dignitatem. Sciamus ergo quantum nobis permiſſum ſit, quid nunc cognitioni noſtræ ſubjaceat, quid in diem Chriſti differatur: nec ultra progredi tentemus. Quædam enim nunc palam cernuntur: alia ſepulta latent uſque ad diem Chriſti. *Qui revelabit.* Si hoc vere de die Chriſti & proprie prædicatur, ſequitur, nunquam ita io hoc mundo res eſſe bene compoſitas, quin multa ſint tenebris implicita: nunquam tantum eſſe lucis, quin multa obſcura maneant. de hominum vita & factis loquor. Secundo membro explicat quæ ſit obſcuritatis & coofuſionis cauſa, ne omnia nunc palam ſint: quia ſcilicet miri ſunt receſſus & profundiſſimæ latebræ in cordibus hominum. ergo donec revelentur cogitationes cordium, ſemper erunt tenebræ. *Et tunc laus erit.* Quaſi diceret, Vos nunc, ô Corinthii, tanquam agonothetæ, coronatis alios, alios cum ignominia dimittitis: hoc autem jus & officium Chriſti eſt. Id facitis ante tempus, antequam liqueat quiſnam ſit dignus corona: Dominus vero diem præſtituit quo id demonſtret. Hæc vox ex bonæ conſcientiæ fiducia naſcitur: quæ etiam hoc boni affert, ut laudem noſtram in manu Dei reponentes, nihil faciamus inanem bumani favoris auram.

6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in meipſum & Apollo, propter vos: ut in nobis diſceretis, ne quis ſupra id quod ſcriptum eſt, de ſe ſentiat: ut ne quis pro hoc vel illo inflectur adverſus alterum.

7. Quis

7. Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? ſi vero etiam acceperis, quid gloriaris tanquam non acceperis?

8. Jam ſaturati eſtis, jam ditati eſtis, abſque nobis regnum adepti eſtis: atque utinam ſitis adepti, ut & nos vobiſcum regnemus.

6. *Transfiguravi.*] Hinc colligere licet, non Pauli ſtudioſos fuiſſe factionum auctores, ut certe non ita erant inſtituti: ſed eos qui vanis doctoribus ſe per ambitionem addixerant. Quia autem liberius & minore invidia ſuum & fratrum ſuorum nomen proferre in medium poterat, maluit in ſeipſo oſtendere vitium quod erat in aliis: ſimul odioſe perſtringit ſectarum auctores, & digito fontes monſtrat, ex quibus manabat exitiale divortium. Admonet enim, ſi contenti ſint probis doctoribus, ab hoc malo fore immunes. *Ut in nobis.* Alii codices habent, Ut in vobis. Utraque lectio bene quadrat, nec fit ulla ſenſus mutatio: hoc enim vult Paulus, Ego exempli gratia, hæc in me & Apollon transtuli, ut ad vos exemplum hoc transferatis. Diſcite ergo in nobis, hoc eſt, in hoc paradigmate quod in perſona noſtra tanquam ſpeculum vobis propoſui: vel, Diſcite in vobis, hoc eſt, exemplum hoc ad vos accommodate. Quid autem eos vult diſcere? ne quis adverſus alium pro ſuo doctore infletur: hoc eſt, ne doctorum cauſa ſuperbiant, eorumque nominibus abutantur ad exercendas factiones & ſcindendam Eccleſiam diſcordiis. Et obſerva, tumorem aut elationem cauſam initiumque eſſe omnium contentionum, dum quiſque plus æquo ſibi arrogans, alios ſibi ſubjicere appetit. Particula hæc, *ſupra id quod ſcriptum eſt*, bifariam poteſt exponi, vel ut ad Pauli ſcripta, vel ut ad Scripturæ teſtimonia quæ adduxit, referatur. Sed quia parum eſt in hac re momenti, liberum ſit lectoribus eligere utrum volent.

7. *Quis enim te diſcernit?*] Senſus eſt, Prodeat ille in medium quiſquis eſt, qui eminere cupit, & ſua ambitione turbat Eccleſiam: ego ex eo quæram, quis eum aliis præferat, hoc eſt, quis hoc illi juris contulerit, ut aliorum ordine eximatur, & ſit aliis ſuperior. Pendet autem hæc tota ratio ab ordine quem Dominus in Eccleſia ſua inſtituit, ut membra corporis Chriſti inter ſe cohæreant, ſuo unumquodque loco, ſuo ordine, ſuo officio, ſuo honore contentum. Si membrum unum migrare de ſuo loco velit, in alterius locum tranſiliat, & officium invadat: quid fiet corpori univerſo? Sciamus ergo nos in Eccleſia ſic collocatos eſſe à Domino, & ſuam cuique ſtationem ſic attributam, ut mutuo nos juvemus ſub uno capite: ſciamus etiam ita variis gratiis nos eſſe donatos, ut cum modeſtia & humilitate ſerviamus Domino, & ejus gloriæ ſtudeamus, qui nobis quicquid habemus, contulit. Hoc igitur optimum remedium fuit corrigendæ eorum ambitionis qui excellere volebant, eos ad Deum revocare: ut agnoſcerent non unumquemque ſuo arbitrio creari magnum vel humilem, ſed hoc unius eſſe Dei. porro Deum nemini tantum deferre, ut in locum capitis evehatur: ſed dona ſua ſic diſtribuere, ut glorificetur ipſe ſolus in omnibus. Diſcernere, hic pro Eximium reddere, accipitur. Cæterum non inſcite Auguſtinus hoc teſtimonio ſæpe contendit adverſus Pelagianos, quicquid excellentiæ eſt in hominibus, non eſſe naturaliter ingenitum, ut adſcribi queat vel naturæ, vel generi: non acquiri etiam libero arbitrio, ut Deum obſtringat: ſed ex mera & gratuita ejus miſericordia manare. dubium enim non eſt quin hic Paulus Dei gratiam hominum merito vel dignitati opponat. *Quid autem habes.* Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ: neque enim extollere ſe jure poteſt qui nihil habet quo alios antecellat. Quid enim vanius quam gloriari abſque materia? atqui nemo hominum quicquam excellentiæ à ſeipſo habet: ſtultus ergo & ineptus eſt qui ſe extollit. Hoc verum eſt fundamentum Chriſtianæ modeſtiæ, non placere nobis, quia ſciamus nos bonorum omnium inanes eſſe ac vacuos: ſi quid boni Deus apud nos depoſuerit, eo nos eſſe illius gratiæ magis obnoxios. denique in nullo gloriandum (ſicuti ait Cyprianus) quia nihil noſtrum ſit. *Quid gloriaris tanquam non acceperis?* Obſerva, nihil reliquum fieri gloriæ noſtræ, ubi gratia Dei ſumus id quod ſumus. Atque id eſt quod habuimus capite primo, Chriſtum nobis bonorum omnium eſſe fontem, ut diſcamus in Domino gloriari: quod tum demum facimus, ubi renunciamus propriæ gloriæ. Neque enim Deus jus ſuum obtinet, niſi nobis exinanitis: ut appareat, quicquid eſt in nobis laude dignum, adventitium eſſe.

8. *Jam ſaturati eſtis.*] Poſtquam ſerio & abſque figuris vanam eorum confidentiam repreſſit, nunc ironicos quoque eam deridet: perinde atque omnibus numeris beati, ſibi tantopere placeant. & gradatim quidem procedit in exprimenda eorum inſolentia. Primum, *ſaturatos* eſſe dicit, quod ad præteritum refertur: deinde adjungit *ditatos*, quod ad futurum pertinet: poſtremo dicit, *regnum adeptos*, quod longe plus eſt quam utrumque illorum. quaſi diceret, Quid fiet vobis, quum non modo ſaturi in præſens vobis videamini, ſed in futurum quoque divites, imo reges? Simul ingratitudinem illis tacite exprobrat, quod eum deſpicere auderent: vel eos potius per quos omnia erant adepti. *Abſque nobis*, inquit: ego enim & Apollos, quorum tamen opera Dominus omnia vobis contulit, nulli jam apud vos ſumus. Quam eſt hoc inhumanum, placere ſibi in Dei donis, & eos interea, per quos illa ſis conſequutus, deſpicere? *Atque utinam ſitis adepti.* Hic teſtatur neque ſe illis invidere felicitatem, ſi quam habeant: nec ſe initio hoc quæſiſſe, ut apud eos regnaret: ſed tantum ut eos adduceret ad regnum Dei. Ex adverſo tamen ſignificat, imaginarium eſſe regnum illud quo ſuperbiebant, falſam & pernicioſam eſſe ipſorum gloriationem. hanc enim ſolam veram eſſe qua fruuntur omnes in commune filii Dei ſub capite Chriſto, & quiſque pro modo gratiæ ſibi datæ. Nam his verbis, *Ut & nos vobiſcum regnemus*, hoc ſignificat, Adeo eſtis opinione veſtra glorioſi, ut non dubitetis me deſpicere & mei ſimiles: at videte quam fruſtra ſuperbiatis: neque enim ulla poteſt eſſe veſtra gloria coram Deo, cujus non ſimus conſortes. nam ſi Dei Euangelium habere, vobis glorioſum eſt: quid nobis, quorum miniſterio ad vos delatum eſt? Et certe hæc amentia ſuperbis omnibus communis eſt, ut omnia ad ſe rapiendo, bonis omnibus ſe denudent, imo ſpe æternæ ſalutis ſe abdicent.

9. Exiſtimo enim quod Deus nos poſtremos Apoſtolos demonſtraverit tanquam morti deſtinatos: nam theatrum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus.

10. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem robuſti: vos glorioſi, nos autem ignobiles.

11. Ad hanc enim horam uſque & ſitimus, & eſurimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur,

12. Et circumagimur, & laboramus operantes manibus propriis: maledictis laceſſiti, benedicimus: perſequutionem patientes, ſuſtinemus:

13. Convitiis affecti, obſecramus. quaſi execrationes mundi facti ſumus, omnium rejectamentum uſque ad hunc diem.

14. Non quo pudorem vobis incutiam, hæc ſcribo: ſed ut filios meos dilectos admoneo.

15. Nam etſi decem millia pædagogorum habueritis in Chriſto, non tamen multos patres: in Chriſto enim Jeſu per Euangelium ego vos genui.

9. *Exiſtimo enim.*] Incertum eſt de ſene loquatur ſolo, an Apollon etiam & Sylvanum comprehendat, nam tales interdum vocat Apoſtolos: malo tamen de ipſo ſolo accipere. ſiquis latius extendere volet, facile patiar: modo ne cum Chryſoſtomo intelligat, omnes Apoſtolos tanquam ignominiæ cauſa in poſtremum locum rejectos eſſe. *Poſtremos* enim haud dubie vocat, qui in ordinem Apoſtolicum poſt Chriſti reſurrectionem aſciti fuerant. Concedit autem ſimilem iis ſe eſſe qui oſtentantur populo, mox ad mortem trahendi. Hoc enim *demonſtrare* ſignificat: ut qui in triumpho circumducebantur pompæ cauſa, & inde abripiebantur in carcerem ſtrangulandi. Id clarius exprimit quum addit, *Se theatrum factum eſſe.* Hæc, inquit, mea eſt conditio, ut miſeriarum mearum ſpectaculum mundo exhibeam, ut qui vel ad beſtias damnati, vel ad ludum gladiatorium, aut aliud ſupplicii genus, in populi conſpectum producuntur: nec id paucis ſpectatoribus duntaxat, ſed toti mundo. Hic obſerva mirabilem Pauli conſtantiam, qui quum hoc modo tractari ſe à Deo videret, non tamen frangebatur aut minuebatur animo. Neque enim impiorum petulantiæ hoc imputat, quod tanquam in ludum arenarium cum ignominia protrahatur: ſed totum Dei providentiæ tribuit. Secundum membrum, *Et Angelis, & hominibus*, expoſitive accipio, in hunc ſenſum, Non modo terræ ludum & ſpectaculum, ſed etiam cælo exhibeo. Vulgo hic locus de diabolis expoſitus fuit, quia videbatur abſurdum ad bonos Angelos referre. verum non intelligit Paulus, quicunque ſuæ calamitatis ſint teſtes, eos tali ſpectaculo delectari: hoc tantum vult, ſe ita gubernari à Domino, ut videatur ordinatus eſſe ad præbendum toti mundo ludum.

10. *Nos ſtulti propter Chriſtum.*] Hæc antitheſis tota eſt ironica, & plena aculeis: quoniam ſcilicet indignum erat & abſurdum, Corinthios modis omnibus beatos eſſe & glorioſos ſecundum carnem, quum magiſtrum patremque ſuum viderent extrema ignominia & omne genus miſeriis afflictari. Nam qui putant Paulum ita ſe dejicere, ut ſerio tribuat Corinthiis quæ deeſſe ſibi fatetur, nullo negotio refelli poſſunt ex clauſula quam poſtea ſubjungit. Eſt igitur ironica conceſſio, quod Corinthios *prudentes in Chriſto* vocat, & *robuſtos*, & *nobiles.* quaſi diceret, Vos una cum Euangelio cupitis retinere laudem prudentiæ, quum ego non aliter Chriſtum vobis prædicare potuerim, quam ſi mundo ſtulteſcerem: nunc quum veſtra cauſa libenter ſuſtinuerim ſtultus eſſe aut haberi, reputate numquid æquum ſit, vos haberi velle prudentes. Quam male cohærent iſta, me qui fui magiſter, ſtultum eſſe propter Chriſtum: vos autem manere prudentes? Atque ita Prudentia in Chriſto, non accipitur hic in bonam partem: deridet enim Corinthios, quod Chriſtum & prudentiam carnis ſimul miſcere vellent: quod hoc eſſet res prorſus diſſidentes velle conjungere. Similis eſt ratio ſequentium membrorum: Vos eſtis robuſti, inquit, & nobiles, hoc eſt, gloriamini mundi opibus & præſidiis, non poteſtis ferre crucis ignominiam; me interea, veſtra cauſa ignobilem & contemptum, & multis infirmitatibus obnoxium eſſe, an rationi conſentaneum eſt? Eo autem plus indignitatis habet hæc querimonia, quod apud ipſos quoque infirmus & contemptibilis erat. In ſumma, vanitatem eorum deridet, quod inverſo ordine, filii & diſcipuli glorioſi eſſe & nobiles vellent, quum pater obſcurus eſſet, ac etiam omnibus mundi probris expoſitus.

11. *Ad hanc enim horam.*] Conditionem ſuam hic tanquam in tabula depingit Apoſtolus, ut diſcant exemplo ſuo Corinthii altos illos ſpiritus deponere, & Chriſti crucem manſueto animo ſecum amplecti. Eſt autem ſummum artificium, quod earum rerum commemoratione quæ illum contemptibilem reddiderant, fidem ſuam ſingularem & indefeſſum promovendi Euangelii ſtudium comprobat: & rurſum æmulos tacite perſtringit, qui quum nullum tale ſpecimen edidiſſent, volebant tamen primi haberi. In verbis nihil eſt obſcurum, niſi quod notandum eſt diſcrimen inter hæc duo participia, λοιδορούμενοι καὶ βλασφημούμενοι. quoniam λοιδορία eſt aſperior dicacitas, quæ non tantum perſtringit hominem, ſed acriter etiam mordet, famamque aperta contumelia ſugillat: non dubium eſt quin λοιδορεῖν ſit maledicto tanquam aculeo vulnerare hominem: proinde reddidi, *maledictis laceſſiti.* βλασφημία eſt apertius probrum, quum quiſpiam graviter & atrociter proſcinditur. Quum dicit ſe ſuſtinere perſequutionem patiendo, & obſecrare pro maledicis: non tantum cruce affligi ſe & humiliari à Deo, ſed voluntaria quoque humilitate præditum eſſe ſignificat. In quo forte pſeudoapoſtolos perſtringit, qui adeo molles erant ac teneri, ut ne minimo quidem digito ſe attingi ſuſtinerent. De labore loquens, addit, *manibus propriis*, ad exprimendum melius artis ſuæ contemptum: quaſi diceret, Non modo labore meo victum mihi comparo, ſed manuario labore & ſordido.

13. *Quaſi execrationes mundi.*] Duobus vocabulis utitur, quorum prius ſignificat hominem qui publicis execrationibus pro urbis expiatione devovetur: tales enim, quod in ſe recipiendo quicquid in urbe eſt ſcelerum ac piaculi, reliquum populum expurgant, Græcis vocantur interdum καθαρμοί, ſæpius tamen καθάρματα. Paulus addendo præpoſitionem περὶ, videtur ad ritum ipſum piacularem reſpexiſſe, quod miſeri illi homines diris devoti, per vicos circumducerentur, ut quicquid eſſet in angulis omnibus mali, ſecum auferrent, quo plenior foret luſtratio. Pluralis numerus ſubindicare videri poſſet, eum non de ſeipſo tantum loqui, ſed aliis ſuis collegis, qui non minori contemptui habebantur apud Corinthios: ſed nulla ratio cogit ad plures quæ dicit extendere. Alterum nomen περίψημα, ſcobem & quodvis ramentum ſignificat, tum etiam ſordes quæ verriculo abſterguntur. De utroque lege annotationes Budæi. Quod ad præſentis loci ſenſum pertinet, Paulus ut extremam ſui dejectionem exprimat, ſe inſtar hominis ad piaculum deſtinati, toti mundo abominabilem, & inſtar purgamentorum ſe fœtere omnibus dicit. Priore tamen ſimilitudine non innuit ſe expiatricem eſſe pro peccatis hoſtiam: ſed hoc tantum vult, probro & contumeliis nihil ſe ab eo differre in quem omnium execrationes conjiciuntur.

14. *Non quo pudorem.*] Quoniam aculeos habebant ſuperiores ironiæ, quibus exulcerari poſſent animi Corinthiorum: occurrit nunc offenſioni, quum teſtatur non eo ſe animo hæc dixiſſe ut pudefa-

defaceret eos, ſed potius ut amore paterno eos admoneret. Certum quidem eſt hanc eſſe vim & naturam paternæ caſtigationis, ut pudore filium afficiat: nam initium reſipiſcentiæ eſt verecundia, quam concipit filius ex peccati exprobratione. Hoc ergo agit pater, filium verbis caſtigando, ut eum ad diſplicentiam ſui adducat. Et videmus huc ſpectaſſe quæ hactenus dixit Paulus, ut Corinthios ſui puderet: quin etiam aliquanto poſt teſtabitur, ſe commemorare eorum vitia, ut pudefieri incipiant. Verum id tantum vult hoc loco, ſibi non eſſe propoſitum ignominiam illis irrogare, aut exprobrandi animo eorum peccata in medium & palam proferre: nam qui amice monet, hoc in primis ſtudet, ut quicquid eſt pudoris, apud eum maneat quem admonet, atque ita ſepeliatur. qui autem maligne exprobrat, ſic incutit pudorem ei cui objicit peccatum, ut omnium probro eum exponat. Simplicitet ergo negat Paulus ſe exprobrandi animo hæc dixiſſe quæ dixerat, aut quo eorum æſtimationem læderet: ſed paterno potius affectu ſe commonefeciſſe quid in ipſis deſideraret. Quorſum autem hæc admonitio? nempe ut Corinthii qui inanibus tantum ampullis inflati erant, diſcerent cum eo in humilitate crucis gloriari: neque eum amplius ob eas cauſas deſpicerent, ob quas merito glorioſus erat coram Deo & Angelis: denique ut priſtinum faſtum exuentes, pluris ſtigmata Chriſti in eo facerent, quam in pſeudoapoſtolis vanam & fucoſam oſtentationem. Hinc autem colligant doctores, tale in correctionibus ſemper adhibendum eſſe temperamentum, ne immodica acerbitate vulnerent animos, & (ut vulgari proverbio dicitur) mel aut oleum aceto miſcendum eſſe: in primis vero eſſe cavendum, ne videantur inſultare iis quos caſtigant, aut eorum pudore delectari: quin potius dandam eſſe operam ut nihil aliud quærere intelligantur, quam ut ipſorum ſaluti ſit conſultum. Quid enim vociferando proficiet doctor, niſi illa quam dixi moderatione acrimoniam objurgationis condiat? Ergo ſi quid prodeſſe volumus hominum vitia corrigendo, teſtatum illis facere convenit, ab amico animo correctiones noſtras proficiſci.

15. *Nam etſi decem millia.*] Patrem ſe dixerat: hoc ſibi apud eos peculiare ac proprium eſſe nunc oſtendit, quia ſolus eos in Chriſto genuerit. In hac autem comparatione reſpicit pſeudoapoſtolos, quibus omnia ſic deferebant Corinthii, ut nullus jam propemodum apud eos Paulus ipſe foret. Admonet ergo eos ut cogitent quis honor patri & quis pædagogo haberi debeat. quaſi diceret, Novos iſtos doctores colitis: patior, modo me patrem eſſe veſtrum, illos vero tantum pædagogos eſſe memineritis. Auctoritatem vero ſibi aſſerendo, ſe alio præditum eſſe affectu ſignificat, quam eſſent illi quos in tanto pretio habebant. quaſi diceret, Illi in vobis docendis elaborant: eſto, ſed alius eſt patris amor, alia ſollicitudo, aliud ſtudium, quam ſit pædagogi. Quid ſi etiam ad illam quam prius objecit, fidei ruditatem alludat? Nam quum faſtu gigantes eſſent Corinthii, fide pueri erant: ideoque ad pædagogos merito allegantur. Taxatur etiam in ipſis doctoribus præpoſtera & maligna ratio, quod primis tantum rudimentis ſuos diſcipulos occupabant, ut ſuo magiſterio ſemper devinctos tenerent. *In Chriſto enim.* Ratio cur unus ipſe habendus ſit pater Eccleſiæ Corinthiacæ: quia ſcilicet eam genuerit. Et verbis quidem appoſitiſſimis ſpiritualem generationem hic deſcribit, quum dicit ſe genuiſſe in Chriſto, qui ſolus eſt vita animæ: cauſam vero formalem ponit Euangelium. Obſervemus ergo, tunc nos vere gigni coram Deo, dum Chriſto inſerimur, extra quem nonniſi mera mors reperietur: id vero fieri per Euangelium, quia quum natura ſimus caro & fœnum, verbum Dei, ſicut Petrus ex Jeſaia docet, *Jeſa. 40. verſ. 6.* ſemen eſt incorruptibile, quo renovamur in vitam æternam. *I Petr. 1. verſ. 24.* Tolle Euangelium, & omnes manebimus coram Deo maledicti & mortui. Idem poſtea verbum quo geniti ſumus, lac nobis eſt ad nos educandos: idem ſolidus cibus ad nos perpetuo alendos. Si quis objiciat, quum gignantur quotidie novi Deo filii in Eccleſia, cur patres eſſe neget Paulus qui ſibi ſucceſſerant? facilis eſt ſolutio, nempe quod hic de Eccleſiæ primordio loquatur: ut enim plerique aliorum miniſterio geniti fuiſſent, manebat tamen uni Paulo hic honor illibatus, quod Eccleſiam Corinthiacam fundaſſet. Si quis iterum roget, annon patres cenſeri debeant paſtores univerſi: cur ergo titulum hunc aliis omnibus detrahat Paulus, ut ſibi uni vindicet? reſpondeo, hic eum comparative loqui. Proinde utcunque alioqui Patrum titulus illis conveniret, reſpectu tamen Pauli nonniſi pædagogi erant. Tenendum etiam memoria quod nuper attigi, eum non de omnibus loqui (nam ſui ſimiles, ut Apollon, Sylvanum, & Timotheum, qui ſolum Chriſti regnum ſtudebant promovere, facile paſſus fuiſſet ita nominari, & illis attribui ſummum honorem) ſed eos taxare qui perverſa ambitione alienam ad ſe gloriam transferebant: quales erant illi qui Paulo debitum honorem præripiebant, ut ſe venditarent ejus ſpoliis. Et ſane hodie eadem eſt univerſalis Eccleſiæ conditio, qualis tunc fuit Corinthiacæ. Quam enim pauci ſunt qui affectu vere paterno, hoc eſt, gratuito, Eccleſias proſequantur, ſeque in earum ſalutem impendant? Interea plurimi ſunt pædagogi, qui mercenariam operam ſic locant, ut fungantur quaſi temporario munere, & interim populum in obſequio & admiratione ſui detineant. Quanquam tunc quoque bene agitur quum multi ſunt pædagogi, qui docendo ſaltem utcunque proſunt, non autem falſæ doctrinæ corruptelis perdunt Eccleſiam. Et ego quum de pædagogorum multitudine conqueror, non intelligo Papiſticos ſacerdotes (neque enim eos hoc numero dignarer) ſed qui nobiſcum in doctrina conſentientes, in ſuo magis quam Chriſti negotio curiodo ſunt occupati. Omnes quidem patres cenſeri volumus, & exigimus ab aliis filiorum obſequium: ſed quotuſquiſque eſt qui præſtet quo ſe patrem eſſe demonſtret? Reſtat alia quæſtio difficilior, Quum Chriſtus prohibeat ne quem *Mat. 23.* vocem patrem in terris, quia unus ſit nobis in cælis *verſ. 9.* Pater: quomodo audeat Paulus patris nomen ſumere. Reſpondeo, proprie loquendo unum eſſe Deum patrem: non animæ tantum, ſed etiam carnis: verum quia, quod ad corpus ſpectat, honorem nominis paterni communicat iis quibus ſobolem largitur, ſibi autem ſoli in animas paternum jus & titulum retinet: fateor hac ratione ipſum peculiariter vocari patrem ſpirituum, & diſcerni à patribus terrenis: quemadmodum Apoſtolus loquitur ad He- *Hebr. 12.* bræos. *verſ. 9.* quia tamen ſicut ipſe ſolus propria virtute animas tum gignit tum regenerat & vivificat, ita ſervorum ſuorum miniſterio ad hoc utitur: nihil in eo eſt incommodi, ſi hujus miniſterii reſpectu vocentur patres, quia in hoc nihil Deo prorſus derogatur. Verbum (ſicut diximus) ſpirituale eſt ſemen, eo noſtras animas regenerat ſolus Deus ſua virtute: ſed miniſtrorum operam non excludit. Si ergo diligenter conſideres quid per ſe agat Deus, quid per miniſtros agi velit: facile intelliges quo ſenſu ipſe ſolus dignus ſit honore patris, & quatenus non imminuto ipſius jure, miniſtris ejus nomen hoc competat.

16. Adhortor ergo vos, imitatores mei eſtote.

17. Hac de cauſa miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus dilectus & fidelis in Domino:

mino: qui vobis in memoriam reducat vias meas quæ ſunt in Chriſto, quemadmodum ubique in omnibus Eccleſiis doceam.

18. Perinde quaſi non ſim ad vos venturus, inflati ſunt quidam.

19. Veniam autem brevi ad vos, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum qui ſunt inflati, ſed virtutem.

20. Neque enim in ſermone regnum Dei eſt, ſed in virtute.

21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in dilectione ſpirituque manſuetudinis?

16. *Adhortor vos.*] Jam exprimit etiam ſuis verbis quid paterna ſua admonitione ab illis requirat: nempe quum filii ſint, ne degenerent à patre. Quid enim magis rationabile quam filios dare operam ut patri ſint quam ſimillimi? & tamen jure ſuo nonnihil cedit, dum rogando potius quam imperando, eos huc hortatur. Cæterum quatenus imitatores *infra, 11. verſ. 1.* ſuos eſſe velit, alibi demonſtrat, quum addit, ſicut ipſe erat Chriſti. Hæc moderatio ſemper tenenda eſt, ne quem hominum ſequamur, niſi quatenus nos ducit ad Chriſtum. Qua de re hic agat, ſcimus. non modo crucis humilitatem refugiebant Corinthii, ſed patrem quoque ſuum deſpectui hac cauſa habebant, quod terrenæ gloriæ oblitus, in opprobriis Chriſti potius gloriabatur: ſeque & alios beatos putabant, qui ſecundum carnem nihil habebant contemptibile. Admonet igitur eos ut ſuo exemplo ſe Chriſto in obſequium ad omnia perferenda addicant.

17. *Hac de cauſa.*] Senſus eſt, Ut ſciatis qualis ſit vita mea, & num imitatione dignus ſim, Timotheum audite, qui fidus earum rerum teſtis eſſe poterit. Duo autem quum ſint quæ fidem hominis teſtimonio conciliant, notitia rerum quas narrat, & fides: utrumque eſſe in Timotheo docet. Nam filium dilectiſſimum dum nominat, ſe illi familiariter notum, ſuaque omnia comperta eſſe docet. deinde vocat *fidelem in Domino.* Duo quoque mandat Timotheo: ut Corinthiis reducat in memoriam quæ ſponte meminiſſe debuerant, in quo eos tacite arguit: deinde, ut ipſis teſtetur quam æqualis ubique & conſtans ſit ſua docendi ratio. Veriſimile autem eſt, pſeudoapoſtolorum calumniis fuiſſe impetitum, quaſi plus ſibi juris ſumeret in Corinthios quam in alios, aut aliter ſe gereret in aliis locis: neque enim fruſtra teſtatum hoc illis eſſe vult. Prudentis ergo miniſtri eſt, ſuas ita rationes conſtituere, & hanc tenere docendi regulam, ne quid tale objici illi queat, quin promptam habeat defenſionem ex re ipſa, ſicut habuit Paulus.

18. *Perinde quaſi non ſim ad vos venturus.*] Hic mos eſt pſeudoapoſtolorum, captare bonorum abſentiam, ut nullo impedimento inſoleſcant, ac ſe jactent. Significat ergo Paulus, eos non poſſe ſuam præſentiam ſuſtinere: ut malam eorum conſcientiam coarguat, & ferociam reprimat. Contingit quidem interdum, homines improbos, quum datur inſultandi occaſio, ferrea fronte palam inſurgere contra ſervos Chriſti: nunquam tamen ingenue prodeunt ad æquum certamen, ſed potius obliquis artibus diffidentiam ſuam produnt.

19. *Veniam autem brevi.*] Falluntur, inquit, dum me abſente criſtas erigunt, quaſi diuturnum hoc futurum ſit: ſentient enim brevi quam vana fuerit ſua elatio. Non tam autem deterret eos quaſi fulminaturus ſit ſuo adventu, quam eorum conſcientias urget ac premit: quia utcunque diſſimularent, ſcirent tamen Dei virtute ſe inſtructum. Particula, *Si Dominus voluerit*, indicat nihil in futurum debere nos polliceri aliis, aut apud nos ſtatuere niſi hac exceptione addita, Quoad Dominus permittet. Unde *Jacob. 4. verſ. 15.* merito Jacobus hanc temeritatem ridet in hominibus, quod deliberant quid poſt decennium ſint facturi, quum ne unam quidem vitæ horam certam habeant. Quanquam autem ad has loquendi formulas non aſtringimur perpetua neceſſitate: ſatius eſt tamen diligenter illis aſſueſcere, ut in hac cogitatione identidem exerceamur, omnes noſtras deliberationes ſubjiciendas eſſe Dei arbitrio. *Et cognoſcam non ſermonem.* Per Sermonem, intellige garrulitatem qua ſibi placebant pſeudoapoſtoli. pollebant enim dexteritate aliqua & gratia loquendi, zelo autem & efficacia Spiritus vacui erant. *Virtutis* nomine ſignificat ſpiritualem efficaciam, qua præditi ſunt qui ſerio verbum Domini adminiſtrant. Senſus eſt igitur, Videbo numquid tantam habeant materiam ſe efferendi: neque vero æſtimabo eos ab externa loquacitate, in qua proram & puppim conſtituunt ſuæ gloriæ, & qua freti, nihil non ſibi arrogant. Si quid exiſtimationis habere apud me velint, virtutem illam afferant oportet, quæ veros Chriſti ſervos à larvatis diſtinguit: alioqui eos cum tota ſua pompa contemnam. fruſtra igitur eloquentia ſua confidunt, quando mihi inſtar ſumi erit.

20. *Neque enim in ſermone.*] Quia Dominus verbo ſuo tanquam ſceptro Eccleſiam gubernat, ſæpe Euangelii adminiſtratio regnum Dei vocatur. Hic ergo per regnum Dei intellige quicquid huc ſpectat, & ad hunc finem deſtinatur, ut inter nos regnet Deus. Negat hoc regnum ſermone contineri: quantulum enim eſt, ſi quis diſerte garrire ſciat, & nihil habeat præter inanem tinnitum? Sciamus ergo externam docendi gratiam & dexteritatem eſſe inſtar corporis formoſi & bene colorati: virtutem de qua hic Paulus loquitur, eſſe inſtar animæ. Jam ante vidimus hanc eſſe naturam Euangelicæ prædicationis, ut ſolida quadam majeſtate totus ſit referta. Hæc majeſtas ſe exerit ubi miniſter virtute magis quam ſermone contendit: hoc eſt, quum nec ingenii nec eloquentiæ confidentia nititur: ſed ſpiritualibus armis inſtructus, aſſerendæ Domini gloriæ zelo, regni Chriſti erigendi deſiderio, ſtudio ædificationis, timore Domini, invicta conſtantia, conſcientiæ puritate, & reliquis neceſſariis dotibus in opus Domini ſtrenue incumbit. alioqui mortua eſt prædicatio: nec quicquam habet vigoris, quocunque tandem colore ſplendeat. Quamobrem alterius Epiſtolæ capite quinto, verſ. 17. negat quicquam in Chriſto valere præter novam creaturam. quod in eundem finem ſpectat: vult enim nullis nos externis larvis immorari, ſed internæ tantum Spiritus ſancti virtuti inſiſtere. Tametſi autem pſeudoapoſtolorum ambitionem his verbis refutat: ſimul tamen perverſi judicii Corinthios arguit, qui inde Chriſti ſervos metiebantur, quod eſt in eorum virtutibus minimum. Inſignis ſententia, & quæ nihilo ad nos minus quam ad illos pertinet. Euangelium noſtrum quo ſuperbimus, ubi plurimis, niſi in lingua, conſiſtit? ubi novitas vitæ? ubi ſpiritualis efficacia? neque id in plebe modo; ſed quam multi dum favorem laudemque venantur ex Euangelio, tanquam profana quædam ſcientia foret, nihil aliud ſtudent niſi ut eleganter ac ſubtiliter loquantur? Virtutem ad miracula reſtringi non placet, quia ex antitheſi colligere promptum eſt, latius patere.

21. *Quid vultis?*] Qui Epiſtolas diviſit in capita, debuit hinc potius facere initium quinti capitis. Nam quum hactenus ſtultam Corinthiorum elationem, vanam confidentiam, perverſum corruptumque

ptumque

ptumque ambitione judicium reprehenderit: nunc commemorat vitia quibus laborabant, quorum cauſa pudere ipſos debebat. quaſi diceret, Vos perinde ac rebus optime apud vos conſtitutis, eſtis inflati: at ſatius foret, ſtatus veſtri infelicitatem cum pudore & gemitu agnoſcere: nam ſi pergitis, ego depoſita lenitate cogar ſeveritatem paternam in vos exerere. Sed hæc comminatio qua liberam illis optionem facit, plus habet energiæ: teſtatur enim per ſe non ſtare quominus placidum ſe illis & manſuetum exhibeat, ſed eorum vitio ſe ad ſeveritatem adigi. Veſtrum, inquit, eſt eligere qualem me habere velitis: quod ad me ſpectat, ego ad lenitatem ſum paratus: verum ſi pergitis ut hactenus, mihi neceſſe erit virgam arripere. Ita inſurgit, poſtquam ſibi aſſeruit paternam auctoritatem apud eos: nam ridiculum fuiſſet exordiri ab hac comminatione, niſi ante viam ſibi dicendo feciſſet, eoſque ad timorem præparaſſet. *Virgam* appellat ſeveritatem qua paſtor delicta populi corrigere debet. Huic opponit charitatem & ſpiritum manſuetudinis: non quia oderit filios pater quos caſtigat (nam ex amore potius caſtigatio proficiſcitur) ſed quia vultus triſtitia, & verborum aſperitate talem ſe præbet, quaſi filio iraſceretur. Ut clarius dicam uno verbo, Pater qualemcunque vultum præ ſe ferat, filium ſemper amat: ſed amorem hunc declarat, placide & amabiliter eum docendo; dum ejus peccatis offenſus, durioribus verbis eum caſtigat, vel etiam ferula, irati perſonam induit. Quoniam igitur latet amor quum exercetur diſciplinæ ſeveritas, merito Paulus cum ſpiritu lenitatis conjungit charitatem. Sunt qui virgam pro excommunicatione hic accipiunt: ego autem, tametſi illis concedo, excommunicationem eſſe partem hujus ſeveritatis quam Paulus Corinthiis denunciat: tamen hanc latius extendo, nempe ut duriores omnes reprehenſiones comprehendat. Hic obſerva quis ordo bono paſtori tenendus ſit: ſponte enim ad lenitatem propenſus eſſe debet, ut alliciat potius ad Chriſtum, quam vi trahat. Hanc lenitatem, quoad in ſe eſt, retinere debet, nec unquam ad amarulentiam niſi coactus deſcendere. Cæterum ubi opus eſt, virgæ parcere non debet: nam ſicut dociles ac voluntarii placide tractandi ſunt, ita in præfractis & contumacibus neceſſarium uſum habet aſperitas. Et videmus ut verbum Dei non ſimplicem contineat doctrinam, ſed amaris etiam reprehenſionibus aſperſum ſit, ut ferulam paſtoribus ſuppeditet. Fit enim ſæpe populi contumacia, ut qui natura mitiſſimi ſunt paſtores, quaſi alienam perſonam, rigide & duriter agendo, induere cogantur.

Cap. V.

OMnino auditur in vobis ſcortatio, & talis ſcortatio, quæ ne inter Gentes quidem nominatur, ut quis uxorem patris habeat.

2. Et vos inflati eſtis, ac non magis luxiſtis, ut è medio veſtri removeretur qui facinus hoc admiſit.

3. Ego quidem certe tanquam abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi tanquam præſens qui hoc ita deſignavit:

4. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & ſpiritu meo, cum potentia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſmodi inquam hominem

5. Tradere Satanæ in exitium carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini Jeſu.

1. *Omnino auditur* &c.] Quoniam illæ (ſicuti dictum eſt) contentiones ex arrogantia & nimia confidentia oriebantur, opportune tranſit ad commemorandos eorum morbos, quorum agnitione humiliari ipſos decebat. Primo admonet quantum flagitium ſit, quod patiantur unum è grege ſuo abuti noverca ſua ad libidinem. Incertum eſt autem eamne à patre ſuo abduxerit tanquam ſcortum, an conjugii prætextu ipſam tenuerit. Verum id ad rem non magnopere pertinet: nam ut illa fuiſſet nefaria & execranda ſcortatio: ita hoc inceſtum fuiſſet conjugium, & alienum ab honeſtate decoroque naturæ. Jam ne dubiis ſuſpicionibus gravare eos videatur, dicit ſe rem notam & vulgatam proferre. Nam particulam ὅλως ſic accipio, ut exprimat non fuiſſe dubium rumorem, ſed rem manifeſtam, & paſſim cum magno offendiculo publicatam. Quia tale genus ſcortationis ne inter Gentes quidem nominari dicit, quidam eum ad inceſtum Ruben reſpexiſſe putant, qui etiam novercam inceſtaverat. Putant ergo Paulum non feciſſe mentionem Iſraëlis, quod tale illic probrum accidiſſet. quaſi vero non multos ejuſdem formæ inceſtus referant etiam Gentium hiſtoriæ. Eſt igitur commentum illud alienum prorſus à mente Pauli: nam quod Gentes potius quam Judæos nominat, eo magis ſceleris turpitudinem amplificare voluit. Vos, inquit, flagitium tanquam rem licitam permittitis: quod ne inter Gentes quidem toleraretur: imo quod ſemper horrori fuit, & inſtar portenti habitum. Quod ergo inter Gentes audiri negat, eo non intelligit, nihil unquam tale extitiſſe, vel in hiſtoriis non referri, de quo compoſitæ ſint etiam tragœdiæ: ſed eſſe Gentibus deteſtabile, non ſecus ac fœdum & horrendum monſtrum. eſt enim belluina libido, quæ ipſum quoque naturæ pudorem tollit. Si quiſpiam quærat numquid æquum ſit exprobrari omnibus unius hominis peccatum: reſpondeo, non accuſari Corinthios quod unus apud eos peccaſſet, ſed quod flagitium graviſſima ultione dignum connivendo alerent, quemadmodum ſequitur.

2. *Et vos inflati eſtis.*] Non pudet vos, inquit, gloriari in tanta humilitatis materia? Ante negaverat, vel in ſumma excellentia gloriandum eſſe, quia nihil habeant homines proprium, ſed ſola Dei gratia excellant: nunc autem alia eos via aggreditur. Eſtis, inquit, cooperti ignominia: quis ergo ſuperbiæ aut elationi locus? Mira enim cæcitas eſt, quaſi Angelis & hominibus invitis, in mediis probris gloriari. Quum dicit, *Non magis luxiſtis*, argumentatur à contrario: ubi enim luctus eſt, ceſſat gloriatio. Quæri poteſt curnam lugere debuerint alienum peccatum. Reſpondeo, duas eſſe cauſas. nam & propter communionem quæ inter Eccleſiæ membra eſt, affici omnes tam exitiali unius lapſu decuit: & quum perpetratur in aliqua Eccleſia tale flagitium, ita reus eſt ejus auctor, ut totus cœtus quodammodo polluatur. Quemadmodum enim Deus patremfamilias in uxoris aut liberorum probro humiliat, & totam cognationem in unius turpitudine: ita cogitare debet unaquæque Eccleſia, ſe macula dedecoris aſpergi quoties aliquod apud ſe turpe ſcelus perpetratur. Quin etiam videmus ut propter
ſacrilegium unius Achan, ira Dei in totum Iſraë- *Joſ. 7: 1.*
lem exarſerit: non quia tam crudelis ſit Deus, ut propter alienum ſcelus adverſus innocentes ſæviat; ſed quemadmodum quoties tale quid in uno populo accidit, jam quoddam iræ ejus indicium eſt: ita

publica privati delicti correctione declarat, totum corpus mali contagione tactum pollutumque eſſe. Hinc colligere promptum eſt, officium cujuſque Eccleſiæ eſſe, lugere ſingulorum membrorum peccata, tanquam domeſticas calamitates quæ ad totum corpus pertineant. Et certe hoc piæ juſtæque correctionis initium eſt, mali diſplicentia ad ſanctum zelum accendi: quia alioqui amarulenta erit ſeveritas. *Ut è medio veſtri removeretur.* Hic jam clarius exprimit quid in Corinthiis accuſet: nempe ignaviam, quod ad tantam abominationem conniverent. Unde etiam apparet, hac poteſtate præditas eſſe Eccleſias, ut ſi quid eſt intus vitii, diſciplinæ ſeveritate corrigant vel ejiciant; neque poſſe excuſari quæ non advigilant ut à ſordibus repurgentur. Damnat enim hic Corinthios Paulus. cur? quod in puniendo unius ſcelere fuerint negligentes. atqui immerito reos ageret, ſi deficeret eos facultas. Excommunicationis ergo poteſtas hoc loco ſtabilitur. Rurſum ut hæc animadverſionis ratio Eccleſiis data eſt in manum, ita quæ non utuntur dum res poſtulat, eas peccare hic oſtendit Paulus. alioqui enim iniquus foret Corinthiis, vitium illis hoc imputando.

3. *Ego quidem certe.*] Quia deerant officio ſuo Corinthii, poſtquam eorum ſocordiam damnavit, nunc quid faciendum ſit, docet: nempe ut hæc macula deleatur, exterminandum eſſe inceſtum illum à fidelium contubernio. Remedium ergo morbi præſcribit, excommunicationem, quam tam diu differendo, peccaverant. Quod dicit *ſe corpore abſentem* jam illud decreviſſe, in eo Corinthiorum ignaviam gravius accuſat: ſubeſt enim tacita antitheſis, acſi diceret, Vos qui præſentes eſtis, debueratis pridem huic morbo mederi, ante quorum oculos aſſidue verſatur: deſidetis tamen, ego vero ne abſens quidem ferre poſſum. Ne tamen obſtreperet quiſpiam, in tanta locorum diſtantia temere ex rumoribus judicium ferre, *ſpiritu ſe præſentem* aſſerit, ſignificans non minus ſibi conſtare officii rationem, quam ſi coram adeſſet, ac rem cerneret oculis. Jam de modo excommunicationis quid doceat, videre operæpretium eſt.

4. *Congregatis vobis & ſpiritu meo.*] Hoc eſt, Congregatis mecum, ſed in ſpiritu: quoniam corpore in unum convenire non poterant. hoc tamen perinde fore teſtatur acſi palam adeſſet. Animadvertendum quod Paulus, quamvis Apoſtolus foret, non pro ſua libidine excommunicat ſolus: ſed conſilium cum Eccleſia participat, ut communi auctoritate res agatur. Præit quidem ipſe, viamque demonſtrat: ſed dum alios ſibi adjungit ſocios, ſatis ſignificat, non eſſe privatam unius hominis poteſtatem. Quoniam autem multitudo, niſi conſilio regatur, nihil unquam moderate nec graviter agit: erat in veteri Eccleſia ordinatum presbyterium, hoc eſt, collegium ſeniorum, cujus, omnium conſenſu, prima erat cognitio: inde res ad populum, ſed jam præjudicata deferebatur. Quicquid ſit, à Chriſti Apoſtolorumque inſtituto, ab ordine Eccleſiæ, ab ipſa deinde æquitate alienum eſt, penes unum hominem hoc jus deponi: ut quos velit ſuo arbitrio excommunicet. Notemus ergo hanc moderationem tenendam eſſe in excommunicatione, ut communi ſeniorum conſilio & ex plebis conſenſu exerceatur hæc diſciplina: atque hoc eſſe remedium quo tyrannidi obviam eatur. Nihil enim Chriſti diſciplinæ magis adverſum quam tyrannis: cui aperta eſt janua, ſi tota poteſtas uni permittitur. *In nomine Domini noſtri.* Neque enim ſatis eſt nos coire in unum, niſi id fiat in Chriſti nomine: nam & mali conveniunt ad conſpirationes impias & nefarias. Porro ad hoc ut conventus agatur in Chriſti nomine, duo requiruntur, ut ab invocatione nominis ejus fiat exordium: deinde ne quid tentetur niſi ex ejus verbo. Tunc ergo demum auſpicato aggrediuntur homines quicquid agendum ſuſcipiunt, quum ex animo Dominum invocant, ut ejus Spiritu gubernentur, ut ejus gratia dirigantur eorum conſilia ad felicem ſucceſſum: deinde quum os ipſius interrogant, ſicut loquitur Propheta: *Jeſa. 30.* hoc eſt, conſultis ejus oraculis, ſe ſuaque conſilia *verſ. 2.* omnia ejus voluntati in plenam obedientiam addicunt. Hoc ſi vel in minimis actionibus fieri convenit, quanto minus in gravibus ſeriiſque negotiis eſt omittendum? omnium vero minime, quum Dei potius negotium quam noſtrum agimus. Exempli gratia, Excommunicatio, non hominum, ſed Dei ipſius eſt inſtitutum: quoties ergo ea utendum eſt, unde exordiemur niſi à Deo? In ſumma, dum jubet Paulus Corinthios in nomine Chriſti convenire, non id tantum requirit ut Chriſti nomen obtendant, aut ore profiteantur (nam id impiorum quoque commune eſt) ſed vere & ex animo ipſum quærant: deinde eo ipſo gravitatem ponduſque actionis ſignificat. Addit *cum potentia Domini noſtri*: nam ſi vera eſt promiſſio, Quoties duo aut tres congregati in meo *Mat. 18.* nomine fuerint, ego in medio eorum ſum: ſequitur *verſ. 20.* opus eſſe Chriſti quicquid fit in tali congregatione. Hinc colligimus quanti ſit momenti coram Deo excommunicatio legitima, quum Dei virtute ſubnixa ſit. Nam & illud impleri oportet, Quicquid *Mat. 18.* ligaveritis in terra, erit in cælis ligatum. Sicut au- *verſ. 18.* tem hæc ſententia non mediocrem horrorem incutere debet contemptoribus: ita etiam tam fideles paſtores quam totæ Eccleſiæ hinc admonentur quanta religione in re tam ſeria progredi debeant. Certum enim eſt, non hominum arbitrio aut opinionibus alligatam eſſe Chriſti potentiam, ſed conjunctam cum æterna ejus veritate.

5. *Tradere Satanæ in exitium carnis.*] Quoniam iſta virtute inter alias præditi erant Apoſtoli, ut malos & contumaces Satanæ ſubjicerent, eoque tanquam flagello uterentur ad eos corrigendos: Chryſoſtomus & qui eum ſequuntur, iſta Pauli verba referunt ad tale genus caſtigationis, quemadmodum exponi ſolet alter locus de Alexandro & Hymenæo, *1 Tim. 1.* ad Timotheum. Tradere ergo Satanæ, nihil aliud *verſ. 20.* eſſe ſentiunt quam gravem aliquam corporis pœnam infligere. Sed ego dum totum contextum propius intueor, & ſimul confero quæ in poſteriore Epiſtola habentur: omiſſa illa interpretatione, tanquam coacta & à ſenſu Pauli aliena, de excommunicatione ſimpliciter accipio. Eſt enim apta loquutio, Tradere Satanæ, pro Excommunicare: quia ſicut in Eccleſia regnat Chriſtus, ita Satan extra Eccleſiam: quemadmodum etiam annotavit Auguſtinus, Sermone De verbis Apoſtoli 68. ubi locum hunc exponit. Quia ergo hac lege in Eccleſiæ communionem recipimur, & in ea manemus, ut ſub fide ſimus tutelaque Chriſti: dico eum qui ejicitur extra Eccleſiam, quodammodo Satanæ tradi in poteſtatem, quia extraneus fit & alienatur à Chriſti regno. Particula quæ ſequitur, In exitium carnis, ad mitigationem poſita eſt. ſignificat enim Paulus, non ita Satanæ permitti qui corrigitur, ut prorſus intereat, vel ut diabolo in perpetuam ſervitutem dedatur, ſed eſſe damnationem temporariam: neque id modo, ſed quæ futura ſit ſalutaris. quia enim ſpiritus tam ſalus quam damnatio æterna eſt, damnationem carnis pro temporali accepit: quaſi diceret, Hic eum ad tempus damnabimus in mundo, ut in regno ſuo eum Dominus ſervet. Ita ſolvitur objectio qua nonnulli refellere hanc expoſitionem nituntur: nam quum feratur in animam potius quam in externum hominem ſententia excommunicationis, rogant qui conveniat eam vocari carnis exitium. Ego autem (ſicuti jam attigi) reſpondeo, hac tantum ratione carnis exitium opponi ſaluti ſpiritus, quia illud temporale ſit, hæc æterna. Quo ſenſu dies carnis Chriſti vocat Apoſtolus ad Hebræos 5. v. 17. curriculum mortalis vitæ. Eccleſia autem ſevere eos qui peccarunt caſtigando,

Digitized by Google

gando, in hoc mundo non parcit, ut Deus parcat. De excommunicationis ritu, cauſis, neceſſitate, finibus, moderatione, ſi quis habere plura volet, petat ex Inſtitutione noſtra.

6. Non eſt bona gloriatio veſtra: an neſcitis quod exiguum fermentum totam maſſam fermentat?

7. Expurgate ergo vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi: nam Paſcha noſtrum pro nobis immolatum eſt, Chriſtus.

8. Proinde epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & pravitatis, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

6. *Non eſt bona.*] Gloriationem eorum non ideo tantum damnat quod ſeipſos contra quam homini fas eſt, efferebant, ſed quia ſibi in vitiis placebant. Prius homines exinanivit omni gloria: quia enim nil eſt illis proprium, quantumvis excellant, omnia uni Deo debere oſtendit. Hic vero non diſputat, fraudari Deum jure ſuo, quum ſibi virtutum laudem arrogant mortales; ſed inepte deſipere Corinthios, qui ſine materia criſtas erigunt. Nam ſuperbiebant perinde acſi omnia fuiſſent apud ſe aurea, quum tamen tantum flagitii ac dedecoris inter ipſos foret. *An neſcitis.* Ne putarent rem eſſe nullius aut levis momenti tantum malum fovere, oſtendit quam exitialis ſit indulgentia in hac parte, & diſſimulatio. Utitur autem proverbiali ſententia, qua ſignificat unius hominis contagione infici totam multitudinem. Habet enim hæc parœmia hoc quidem loco eundem ſcoſum cum illis Juvenalis, —— grex totus in agris Unius ſcabie cadit, & porrigine porci: Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva. Dixi, hoc loco,
Gal. 5: 9. quia alibi Paulus diverſo ſenſu ipſa utitur, ſicut videbimus.

7. *Expurgate ergo.*] Quia ſimilitudinem mutuatus erat à fermento, eam adhuc retinet, tametſi ab hypotheſi tranſitum facit ad generalem doctrinam: non enim amplius de inceſto loquitur, ſed generaliter eos hortatur ad vitæ puritatem: quia non poſſimus in Chriſto manere, niſi purgemur. Solet hoc facere non raro, ut quum aliquid in ſpecie dixit, inde occaſionem ſumat tranſeundi ad generales exhortationes. Fecerat mentionem fermenti alia de cauſa, ſicut vidimus: quoniam hæc eadem metaphora congruebat generali doctrinæ quam nunc ſubjungit, eam huc uſque porrigit. *Paſcha noſtrum.* Antequam ad rem veniam, pauca dicam de verbis. *Vetus fermentum* eadem ratione vocatur qua vetus homo: præcedit enim in nobis naturæ corruptio antequam Chriſto renaſcamur. vetus ergo dicitur quod afferimus ex utero: & interire debet quum renovamur Spiritus gratia. Verbum ἐτύθη, quia inter Chriſti nomen & ſacrificii medium eſt, ad utrumque referri poteſt. ego ad ſacrificium retuli. quanquam in eo parum eſt momenti, quia ſenſus nihil mutatur. ἑορτάζωμεν, pro quo Eraſmus reddidit Feſtum celebremus, ſignificat etiam, poſt immolatum ſacrificium, ſolenni epulo communicare: quæ ſignificatio præſenti loco magis quadrare viſa eſt. Itaque ſequutus ſum veterem Interpretem potius quam Eraſmum, quia hic ſenſus myſterio quod Paulus tractat, longe aptior. Nunc ad rem: Paulus dum ad ſanctitatem vult Corinthios hortari, quod olim in Paſchate figuratum fuit, impleri debere hodie in nobis admonet; & quæ ſit veritatis ad figuram analogia, explicat. Primo, quoniam Paſchatis duæ fuerunt partes, ſacrificium & ſacrum epulum: utramque ponit. etſi enim agnum paſchalem quidam pro ſacrificio non habent, ratio tamen evincit ſacrificium proprie fuiſſe: nam illic ſanguinis aſperſione populus reconciliabatur Deo. non eſt autem reconciliatio abſque ſacrificio. deinde id palam nunc Apoſtolus confirmat: nam verbo θύειν utitur, quod ſacrificiis aptum eſt: nec aliter ſtaret ejus contextus. Immolabatur ergo agnus quotannis, ſequebatur deinde epulum, cujus celebritas ſeptem dies continuos durabat. Chriſtus, inquit Paulus, eſt Paſcha noſtrum, is ſemel immolatus fuit: & quidem hac lege, ut vis immolationis unicæ ſit æterna. Reſtat nunc ut veſcamur: non quotannis ſemel, ſed perpetuo. In hac vero ſacri epuli ſolennitate abſtinendum à fermento nobis eſt: ſicut Patribus abſtinere Deus præcepit. ſed quali fermento? ſicut illis Paſcha fuit externum veri Paſchatis figura: ita etiam acceſſiones figuræ erant ejus veritatis quam hodie tenemus. Si ergo Chriſti carne & ſanguine paſci velimus, afferamus ad hoc epulum ſinceritatem & veritatem: hi ſint noſtri azymi panes. facessat omnis malitia & pravitas: quoniam Paſchati fermentum miſcere nefas eſt. In ſumma, nos tunc fore Chriſti membra teſtatur, ſi malitiæ & fraudulentiæ renunciemus. Interea notandus eſt hic locus; unde patet vetus Paſcha non præteriti modo beneficii μνημόσυνον fuiſſe, ſed venturi etiam Chriſti ſacramentum: à quo hoc habemus, ut tranſeamus de
morte in vitam. Alioqui non ſtaret illud, corpus Le- Coloſſ. 2.
galium umbrarum eſſe in Chriſto. Valebit etiam hic verſ. 17.
locus ad refellendum Miſſæ Papalis ſacrilegium. Neque enim quotidie offerri Chriſtum Paulus docet, ſed peracto ſemel ſacrificio, hoc reſtare ut ſpirituale epulum tota vita celebretur.

9. Scripſi vobis in Epiſtola, Ne commiſceamini ſcortatoribus.

10. Neque in univerſum ſcortatoribus mundi hujus, vel avaris, vel rapacibus, vel idololatris: quandoquidem debuiſſetis ex hoc mundo exire.

11. Nunc autem ſcripſi vobis, Ne commiſceamini. ſi is qui frater nominatur, vel ſcortator ſit, vel avarus, vel idololatra, vel maledicus, vel ebrioſus, vel rapax: cum tali ne cibum quidem ſumatis.

12. Quid enim mea refert extraneos judicare? annon eos qui intus ſunt judicatis?

13. Extraneos vero Deus judicat. ejicite ſceleſtum ex vobiſipſis.

9. *Scripſi vobis in Epiſtola.*] Iſta Epiſtola, de qua loquitur, hodie non extat. Nec dubium quin multæ aliæ exciderint: ſed ſatis eſt quod nobis ſuperſunt quas ſufficere Dominus providit. Cæterum hic locus propter obſcuritatem ad varios ſenſus torquetur: quibus refellendis non puto mihi neceſſe eſſe immorari, ſi eum qui mihi genuinus videtur eſſe, protulero. Reducit Corinthiis in memoriam quid illis jam præceperit, nempe ut ab improborum conſuetudine abſtinerent. Hoc enim eſt *commiſceri*, familiariter verſari cum aliquo, & ejus conſuetudine implicari. Porro commemoratio iſta ad exprobrandam ſegnitiem valet, quod admoniti ceſſaverant. Addit exceptionem, quo melius intelligant ad Eccleſiæ domeſticos id proprie ſpectare: quum de mundo fugiendo non ſint admonendi. Interdicit igitur in ſumma Corinthios eorum conſuetudine, qui quum ſe fideles profiteantur, flagitioſe tamen & cum Dei

probro

probro vivunt. Perinde autem id eſt acſi diceret, Quicunque fratres haberi volunt, aut ſanćte honeſteque vivant, aut à piorum cœtu excommunicentur, & ab eorum uſu & conſuetudine abſtineant omnes boni. De impiis ſupervacuum eſſet mentionem facere, quando ſponte eos fugere debetis, etiamſi nihil moneam. Cæterum exceptio hæc crimen torporis auget, quod in ſinu Eccleſiæ foverent hominem ſceleratum. turpius enim eſt domeſticos non curare quam exteros.

10. *Quandoquidem debuiſſetis.*] In hoc præſertim membro variant interpretes. Dicunt enim aliqui, Citius è Græcia migrare vos oportet. Ambroſius autem, Potius vobis eſt moriendum. Eraſmus reſolvit in optativum, acſi Paulus diceret, Utinam quidem è mundo liceret penitus exire: ſed quia id non poteſtis, ſaltem ab iis exeatis qui falſo Chriſtianos ſe vocant, & peſſimo interea exemplo vivunt. Propius aliquanto ad veriſimilitudinem accedit Chryſoſtomi expoſitio, ſecundum quem hic eſt ſenſus, Quum jubeo vos à ſcortatoribus fugere, non quoslibet intelligo: alioqui alium mundum quærere oporteat. Vivendum enim nobis eſt inter ſpinas, quamdiu in terra peregrinamur: ſed hoc tantum exigo, ne vos commiſceatis cum ſcortatoribus qui fratres cenſeri volunt: ne videamini eorum nequitiam tolerando, probare. Ita *mundi* nomen hic pro vita præſenti erit capiendum, ſicut Joan. 17. v. 15. Non rogo, Pater, ut eos tollas è mundo, ſed ut liberes à malo. Adverſus hanc expoſitionem objici poſſit quæſtio, Quum hoc dixerit Paulus pro eo tempore quo permiſti adhuc impiis erant Chriſtiani, & inter eos diſperſi: quid nunc agendum ſit, poſtquam omnes Chriſto nomen dederunt? Nam hodie quoque è mundo migrandum ſit, ſi velimus malorum conſortium fugere: atqui nulli extranei ſunt, ubi omnes Chriſti nomen præ ſe ferunt, & per Baptiſmum illi ſunt conſecrati. Si cui Chryſoſtomum ſequi libeat, huic non difficilis erit reſponſio, Paulum hic pro confeſſo ſumpſiſſe quod verum eſt, ubi jus eſt excommunicandi, facile remedium eſſe quo ſegregentur mali à bonis, ſi Eccleſiæ officium ſuum faciant. Adverſus extraneos nulla erat Chriſtianis juriſdictio Corinthi, nec coërcere diſſolutam eorum vitam poterant: neceſſe ergo illis fuiſſet mundum relinquere, ſi malos quorum vitiis mederi non poterant, fugere voluiſſent. Ego quia non libenter interpretationes recipio, quæ aliter accommodari verbis nequeunt quam ſi verba ad ipſas torqueantur, aliam ab his omnibus diverſam magis amplector, ut *exire* pro ſegregari ſumatur, *mundus* pro mundi inquinamentis. quaſi diceret, Quid opus eſt vobis præcipere de filiis ſeculi, quando ut ſemel renunciaſtis mundo, ita oportet vos ab eorum conſortio ſubducere? totus enim mundus in maligno poſitus eſt. Si cui ea non placet, eſt hæc quoque altera probabilis, Non ſcribo vobis in univerſum ut fugiatis ſocietatem ſcortatorum hujus ſeculi: quanquam id ſponte facere debetis, etiamſi non admoneam. Mibi tamen magis probatur illa ſuperior. nec vero eam primus excogitavi, ſed ab aliis prius adductam melius (ni fallor) aptavi contextui Paulino. Eſt ergo ſpecies quædam prætermiſſionis, quum ſe extraneorum mentionem facere negat, quoniam ab illis jam ſegregati eſſe debeant Corinthii: ut ſciant, domi quoque ſervandam eſſe hanc diſciplinam fugiendi malos.

11. *Si is qui frater nominatur.*] Græce participium eſt abſque verbo: quod qui ad ſequentia referunt, coactum ſenſum inducunt, & alienum à mente Pauli. Fateor quidem veram eſſe ſententiam illam & obſervatu dignam, neminem poſſe judicio Eccleſiæ corrigi, niſi cujus peccatum notum ſit: verum illuc trahi non poſſunt hæc Pauli verba. Intelligit ergo, Si quis cenſeatur inter vos frater, vitæ autem ſit flagitioſæ & Chriſtiano indignæ, abſtinete ab ejus contubernio. In ſumma, nominatio hæc falſa eſt profeſſio, cui res ipſa non reſpondet. Porro hic integram ſcelerum enumerationem non ponit, ſed quinque aut ſex enumerat exempli gratia: deinde ſub dictione *talis*, reliqua comprehendit: nec alia nominat, niſi quæ ſub hominum notitiam cadunt. Nam interior impietas, & ſiquid occultum eſt, ab Eccleſia non judicatur. Cæterum dubium eſt quid per *idololatram* intelligat. Idolis enim deditus eſſe quomodo poteſt is qui Chriſto nomen dedit? Nonnulli fuiſſe tunc putant inter Corinthios qui dimidia tantum ex parte Chriſtum amplecterentur, pravis interim ſuperſtitionibus nihilominus impliciti: qualiter Iſraëlitæ olim, deinde Samaritani, qualemcunque habebant Dei cultum, quem tamen impiis ſuperſtitionibus polluebant. Ego autem potius de iis intelligo qui quum idola contemnerent, quo tamen impiis gratificarentur, ſimulatum idolis cultum exhibebant. Tales in cœtu Chriſtianorum ferendos negat Paulus: & merito, utpote qui tam facile Dei gloriam proſtituerent. Notandæ autem ſunt circumſtantiæ, quod quum Eccleſiam illic haberent in qua poſſent Deum pure adorare, & legitimo ſacramentorum uſu frui, ſic veniebant in Eccleſiam, ut profanæ impiorum communioni non renunciarent. Hoc ideo dico, nequis tam exacta ſeveritate utendom putet in eos qui hodie ſub Papæ tyrannide diſperſi, vitioſis multis ritibus ſe contaminant: quos ego quidem graviter peccare in hac parte dico, & ſevere redarguendos eſſe fateor, aſſidueque urgendos, ut ſe aliquando totos Chriſto conſecrare diſcant: ſed eo uſque progredi non audeo, ut excommunicandos cenſeam: quia diſſimilis eſt eorum ratio. *Cum tali ne cibum quidem ſumatis.* Primo ſciendum eſt, totamne Eccleſiam, an ſingulos hic compellet. Reſpondeo, ſingulis hoc quidem dici, ſed pendere tamen à communi diſciplina. neque enim excommunicandi poteſtas unicuique membro conceſſa eſt, ſed univerſo corpori: quem vero excommunicavit Eccleſia, illum nemo fidelium in familiaritatem ſuam recipere debet: alioqui vileſceret Eccleſiæ auctoritas, ſi ſingulis liceat admittere ad ſuam menſam qui à menſa Domini excluſi ſunt. Per cibi communicationem intelligitur vel contubernium, vel interior convictus: nihil enim prohibet quominus, ſi in diverſorium ingreſſus, videam excommunicatum quempiam aſſidere, ſimul cum eo prandeam: neque enim ejus excludendi mihi eſt poteſtas. ſed intelligit Paulus, quatenus liberum nobis eſt, fugiendam eſſe conſuetudinem eorum quos à communione ſua Eccleſia reſecuit. Hac ſeveritate non contentus Romanus Antichriſtus, ad interdicta uſque prorupit, nequis cibo, igne, potu, vel aliis vitæ adminiculis excommunicatum juvet. Non eſt autem ille diſciplinæ rigor, ſed tyrannica barbaraque inhumanitas, quæ prorſus cum Pauli ſententia pugnat. Vult enim non tanquam inimicum haberi, ſed tanquam fratrem, eum quem ideo publica ignominiæ nota afficimus, ut pudore ſuffuſus reſipiſcat. Et hac tanta crudelitate, ſi Deo placet, etiam in homines innoxios ſæviunt. Ut autem demus, quoſdam interdum hac pœna eſſe non indignos: dico tamen ipſum genus interdicti à foro Eccleſiaſtico penitus abhorrere.

12. *Quid enim mea refert extraneos.*] Nihil obſtat quominus illos quoque judicemus: quin etiam judicio verbi quod nobis commiſſum eſt, ne diaboli quidem eximuntur. Sed Paulus hic de juriſdictione quæ Eccleſiæ propria eſt, loquitur: quaſi diceret, Dominus hac poteſtate nos inſtruxit, quam exerceamus in eos qui ex familia ſunt. Eſt enim hæc correctio pars diſciplinæ quæ intra Eccleſiam continetur, ad alienos uſque non pertingit. Non pronunciamus ergo his ſuam damnationem, quia Dominus eos cognitioni noſtræ foroque non ſubjecit, quod ad iſtam correctionem cenſuramque ſpectat. itaque cogi-

mut

mur Dei judicio relinquere. Quo ſenſu dicit Paulus Deum fore ipſorum judicem: quia ſcilicet non ſecus ac feras beſtias, ſine freno vagari patitur, quia nemo eſt qui eorum petulantiam coërceat.

13. *Ejicite ſceleſtum.*] Exponi ſolet hoc de mœcho novercæ. Nam qui Malum accipiunt pro malitia, Græcis Pauli verbis refelluntur, ubi articulus eſt generis maſculini. Quid tamen ſi ad diabolum referas potius: qui certe in perſona improbi hominis & ſceleſti alitur, ut inter nos ſedem figat. Nam *ὁ πονηρὸς* ſimpliciter & ſine adjectione, ſcelerum omnium principem magis, quam hominem quemlibet pravum deſignat. Si placeat hic ſenſus, admonet Paulus quanti interſit non ferre improbos. quia hoc modo exterminatur regno ſuo Satan, quod in malorum licentia inter nos occupat. Cæterum ſi quis de homine dictum malit, non repugno. Cur autem Chryſoſtomus rigorem Legis cum Euangelii clementia comparet, quia Paulus excommunicatione contentus fuit in eo ſcelere, de quo Lex capitis pœnam exigeret, nulla eſt ratio. Neque enim Judices gladio armatos Paulus alloquitur, ſed inermem turmam, cui tantum fraterna correctio permiſſa erat.

Cap. VI.

AUdet aliquis veſtrum negotium habens cum altero, litigare ſub injuſtis, & non ſub ſanctis?

2. An neſcitis quod ſancti mundum judicabunt? quod ſi in vobis judicatur mundus, indigni eſtis minimis judiciis?

3. An neſcitis quod Angelos judicabimus, nedum ad victum pertinentia?

4. Judicia ergo de rebus ad victum pertinentibus ſi habueritis, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, eos conſtituite.

5. Ad erubeſcentiam veſtram dico. adeo non eſt inter vos ſapiens, ne unus quidem, qui poſſit judicare inter fratres?

6. Sed frater cum fratre litigat, idque ſub infidelibus.

7. Jam quidem omnino delictum in vobis eſt, quod judicia habetis inter vos. cur non potius injuriam ſuſtinetis?

8. Sed vos infertis injuriam, & fraudatis, & quidem fratres.

Hic incipit reprehendere aliud vitium in Corinthüs: nimium ſcilicet litigandi ardorem, qui ex avaritia naſcebatur. Duo autem ſunt hujus reprehenſionis membra. prius eſt, quod quum ſuas controverſias agitarent apud impiorum tribunalia: ita infame reddebant Euangelium, ac proſtituebant ludibrio. ſecundum eſt, quod quum injuriarum patientes eſſe debeant Chriſtiani: illi injuriam potius inferebant, quam ut incommodo aliquo ſe affici ſuſtinerent. Ita prius membrum ſpeciale eſt, alterum generale.

1. *Audet aliquis veſtrum.*] Hæc prima ſententia: ſi quis controverſiam habeat cum fratre, dirimendam eſſe ſub piis judicibus, ſub impiis non licere. Si quæritur ratio, jam dixi hanc eſſe, quod dedecus Euangelio inferatur, & quaſi impiorum ſannis exponatur Chriſti nomen. Nam impii, Satanæ impulſu, occaſionibus ſemper avide imminent, ut habeant in pietatis doctrina quod calumnientur. Fideles autem, dum eos conſcios faciunt ſuarum contentionum, anſam illis maledicendi, quaſi data opera, porrigere videntur. Poteſt addi & ſecunda ratio, quod contumelioſi ſumus in fratres, quum eos ſponte ſubjicimus infidelium judicio. Sed hic objici poteſt, Quum ad magiſtratum ſpectet, ac propriæ ſint ejus partes, jus omnibus dicere, & cognoſcere de controverſiis, cur non etiam infideles, qui in magiſtratu ſunt, hanc auctoritatem habeant: quod ſi habent, cur prohibemur apud eorum tribunalia jus noſtrum tueri? Reſpondeo, non hic damnari à Paulo, qui neceſſario ſub infidelibus litigant, ut ſi quis trahatur in jus: ſed qui ſponte fratres illuc adducunt, & eos quaſi per manum infidelium vexant, quum alio remedio uti liceat. Voluntarias ergo lites intendere fratribus in foro infidelium, malum eſt: ſi tibi dicta ſit dies, venire, & cauſam tuam agere, malum non eſt.

2. *An neſcitis quod ſancti.*] Argumentum à minori ad majus. volens enim oſtendere Paulus, injuriam fieri Eccleſiæ Dei, quum judicia de terrenis controverſiis ad infideles deferuntur, quaſi nullus ſit in cœtu piorum ad judicandum aptus: ita ratiocinatur, Quum Deus tanto honore dignatus ſit ſanctos, ut conſtituerit totius mundi judices: indignum eſt eos excludi à levibus judiciis, tanquam minus idoneos. Inde ſequitur, Corinthios ſibiipſis injuriam facere, quod honorem ſibi à Deo collatum, infidelibus reſignent. Quod hic de judicio mundi habetur, referri debet ad illam Chriſti ſententiam, Mat. 19. verſ. 28.
Sedebitis quum Filius hominis venerit, &c. Sic enim tradita eſt omnis judicandi poteſtas Filio, ut in hujus honoris ſocietatem recepturus ſit ſanctos ſuos, tanquam aſſeſſores: alioqui *judicabunt mundum*, ſicut jam incipiunt judicare. quia pietas eorum, fides, timor Domini, bona conſcientia, integritas vitæ, omnem impiis excuſationem tollet: ſicut de Noë dicitur, quod fide ſua omnes ætatis ſuæ homi- Hebr. 11.
nes damnaverit. Sed prior ſenſus melius convenit verſ. 7.
Apoſtoli propoſito: niſi enim *judicium* hic proprie accipias, non procedet argumentum. Verum ne ſic quidem multum habere ponderis videtur: perinde enim eſt acſi quis diceret, Sancti præditi ſunt cæleſti ſapientia, quæ immenſo intervallo doctrinas omnes humanas antecellit: ergo de aſtris melius judicare poſſunt quam aſtrologi. Hoc autem nemo concedet: ac reclamandi ratio eſt in promptu, quoniam pietas & ſpiritualis doctrina non conferat humanarum artium ſcientiam. Hic reſpondeo, inter alias artes & judicandi peritiam hoc eſſe diſcriminis, quod illæ & acumine ingenii & ſtudio comparantur, diſcunturque à magiſtris: hæc vero æquitate & bona conſcientia magis conſtat. At Juriſconſulti melius judicabunt, & certius quam fidelis quiſpiam idiota: aut juris cognitio ſupervacua eſt. Reſpondeo, hic non excludi eorum conſilium: nam ſi cujus obſcuræ quæſtionis definitio à legum ſcientia petenda ſit, non vetat Apoſtolus quin adeant Chriſtiani Juriſconſultos. Sed hoc tantum reprehendit in Corinthiis, quod ſuas controverſias ad infidelium judicium deferant, tanquam nullos haberent idoneos arbitros in Eccleſia. Et admonet quanto excellentiori judicio præfecerit Deus ſuos fideles. *In vobis*, poſitum exiſtimo pro Inter vos. Quoties enim ſub Chriſti auſpiciis in unum locum fideles conveniunt, jam in eorum conſeſſu quædam eſt futuri judicii imago, quod ultimo die in ſolidum patefiet. Mundum ergo in Eccleſia judicari dicit Paulus, ubi erectum eſt Chriſti tribunal, ex quo ſuam juriſdictionem exerceat.

3. *An*

Digitized by Google

3. *An neſcitis quod Angelos.*] Varie hic locus accipitur. Chryſoſtomus refert à quibuſdam de ſacerdotibus intelligi: ſed illud eſt nimis coactum. Alii de Angelis cæleſtibus exponunt, hoc ſenſu, quod verbi Dei judicio Angeli ſubjaceant, & à nobis, ſi opus ſit, per hoc verbum judicari poſſint: ſicut habetur ad Galat. 1. v. 8. Si Angelus è cælo aliud Euangelium attulerit, anathema ſit. Nec videtur prima facie hæc expoſitio aliena eſſe à contextu Pauli. nam ſi omnes quos verbo ſuo illuminavit Deus, tanta auctoritate ſunt præditi, ut per verbum illud non homines modo, ſed Angelos etiam judicent: quanto magis de rebus exiguis & vilibus judicabunt? ſed quia Paulus hic in futuro tanquam de extremo die loquitur, & actuale (ut vulgo dicitur) judicium verba ſonant: mea quidem opinione, angelos apoſtatas intelligere ſatius eſt. Neque enim minus quadrabit argumentum, hoc modo, Dæmones qui ex origine adeo nobili orti ſunt, & nunc quoque poſtquam exciderunt ſuo principatu, creaturæ ſunt immortales, & corruptibili mundo ſuperiores, judicabimus: quid ergo? an ea quæ ventri ſubſunt, judicio noſtro eximentur?

4. *Judicia ergo de rebus ad victum pertinentibus.*] Obſervandum ſemper de quibus cauſis agat: nam publica judicia extra poteſtatem noſtram ſunt, nec arbitrio noſtro debent transferri: de privatis autem negotiis transigere licet, abſque magiſtratus conſcientia. Quum ergo arbitrium ferendo nihil minuatur de jure magiſtratus, merito Apoſtolus abſtinere à profano, hoc eſt, infidelium foro Chriſtianos jubet. Ac ne cauſentur, ſe deſtitui meliore remedio, jubet ex Eccleſia deligere arbitros qui placide & ex æquitate cauſas decidant: ne vero idoneos ſibi negent ſuppetere, dicit infimum quemque ſuſtinere poſſe iſtas partes. Non ergo hic elevatur magiſtratus dignitas, dum eorum munus contemptis hominibus mandari præcipit: hoc enim (ſicut jam dixi) per anticipationem poſitum eſt: quaſi diceret, Vel poſtremus veſtrum & abjectiſſimus melius hoc præſtabit, quam judices impii ad quos curritis, tantum abeſt ut hæc neceſſitas vos cogat. Ad hunc ſenſum prope accedit Chryſoſtomus, tametſi aliquid præterea adjungit: putat enim Apoſtolum voluiſſe dicere, etiamſi inter Corinthios nemo inveniretur qui ſatis haberet prudentiæ ad judicandum, eligendos tamen eſſe qualeſcunque eſſent. Ambroſius neque cælum neque terram attingit. Ego mihi videor Apoſtoli mentem fideliter expreſſiſſe, quod poſtremos fidelium prætulerit infidelibus in judicandi facultate. Sunt qui excudant prorſus diverſum ſenſum: nam verbum καθίζετε in præſenti accipiunt; & contemptibiles in Eccleſia, profanos homines interpretantur. Sed hoc argutum magis quam ſolidum: nam frigida eſſet illa infi delium appellatio. Deinde particula, *ſi habueritis*, objurgationi non adeo quadraret: dicendum enim potius fuerat, Dum habetis: nam conditio illa extenuat. Proinde illud magis amplector, remedium mali jam hic præſcribi. Cæterum hanc ſententiam perperam acceptam fuiſſe à veteribus, ex quodam Auguſtini loco apparet: nam libro De opere Monachorum, ubi ſuas occupationes commemorat, hanc ſibi de multis vel moleſtiſſimam eſſe aſſerit, quod ſecularibus negotiis partem diei impendere cogatur: ſe tamen patienter ferre, quia ejuſmodi neceſſitatem ſibi Apoſtolus injungat. Ex hoc loco & quadam epiſtola apparet, ſolitos certis horis ſedere Epiſcopos ad lites dirimendas: quaſi eos hic deſignet Apoſtolus. Ut autem res in deterius ſemper labuntur, ex illo errore deinde manavit juriſdictio, quam ſibi in cauſis pecuniariis Epiſcoporum officiales uſurpant. In illo antiquo more duo ſunt reprehenſione digna: quod Epiſcopi alienis ab officio ſuo negotiis implicabantur, & Deo faciebant injuriam, quum ejus auctoritate & mandato ſe à recta vocatione diſcedere prætexerent. ſed erat forte malum utcunque tolerabile. hunc vero profanum morem qui in Papatu invaluit, vel excuſare vel defendere, ſummæ improbitatis fuerit.

5. *Ad erubeſcentiam vobis dico.*] Senſus eſt, Si nihil vos movent aliæ rationes, ſaltem conſiderate quanto vobis dedecori ſit, quod inter vos ne unus quidem extet qui negotium inter fratres amice transigere queat: quem honorem infidelibus tribuitis. Non repugnat autem hic locus teſtificationi quam ſuperius habuimus, ubi negabat ſe exprobrandi cauſa eorum vitia proferre: nam ita exprobrando, magis eos à probro revocat, & ſe honori eorum conſultum velle oſtendit. Non ergo vult eos tam maligne ſentire de ſuo cœtu, ut quod infidelibus concedunt, fratribus ſuis omnibus adimant.

7. *Jam quidem omnino delictum.*] Secundum membrum, continens generalem doctrinam. nec enim eos jam reprehendit quod Euangelium deriſui & infamiæ exponant: ſed quia litigent inter ſe, hoc dicit eſſe vitium. Notanda eſt tamen verbi proprietas quo utitur: nam ἥττημα Græcis imbecillitatem animi ſignificat, dum facile injuriis frangitur, nec quicquam perferre valet. poſtea ad quodlibet vitium transfertur: quoniam omnia ex infirmitate & fortitudinis defectu naſcuntur. Damnat ergo hoc in Corinthiis Paulus, quod litigando alii aliis moleſti ſint. Rationem ponit, quia tolerare injurias neſciant. & certe quum Dominus præcipiat ne malis vincamur, ſed beneficiis potius vincamus injurias: certum eſt, eos qui imperare ſibi nequeunt ut injurias tolerent, ſua impatientia peccare. Si hujus impatientiæ ſignum eſt forenſis inter fideles concertatio, ſequitur eſſe vitioſam. Sed hoc modo videtur in univerſum tollere privata judicia: Omnino peccant qui litigant: ergo nemini fas erit jus ſuum per magiſtratum tueri. Sunt qui ita ſolvant hanc objectionem, Apoſtolum pronunciare omnino delictum eſſe ubi ſunt lites, quia alterius partis neceſſario mala ſit cauſa. Sed hac cavillatione non effugiunt, propterea quod non tantum eos peccare dicat dum faciunt injuriam, ſed etiam dum patienter non ferunt. Ego autem ſimpliciter ita reſpondeo, Quum permiſerit nuper arbitros, ſatis eo indicaſſe, non eſſe illicitum Chriſtianis, jus ſuum moderate citraque charitatis offenſionem perſequi. Inde colligere promptum eſt, eum habita circumſtantiæ ratione ita fuiſſe ſeverum. Et ſane ubicunque eſt litium frequentia, vel ſummo jure pertinaciter inter ſe contendunt partes: illic apparet plane animos intemperanter malis cupiditatibus ardere, nec ad æquitatem & tolerantiam ſecundum Chriſti præceptum eſſe compoſitos. Dicam apertius, Hæc cauſa eſt cur lites improbet Paulus, quia debeamus injurias tolerare æquis animis. videndum nunc num poſſit quiſpiam litigare abſque impatientia. nam ſi ita eſt, litigare non ſemper malum erit, ſed ἐπὶ τὸ πολὺ, hoc eſt, ut plurimum. Ego autem fateor, ut ſunt corrupti hominum mores, impatientiam aut tolerantiæ defectum (ut loquuntur) eſſe omnium fere litium accidens inſeparabile. Sed hoc non obſtat tamen quin diſcernas inter rem ipſam & accidens vitioſum. Itaque meminerimus, Paulum non ideo improbare lites, quod bonam cauſam præſidio magiſtratus tueri per ſe malum ſit: ſed quia fere perpetuo adhæreant pravi affectus: ut intemperantia, ulciſcendi libido, inimicitiæ, pertinacia, & ſimiles. Mirum eſt hanc quæſtionem non fuiſſe exactius diſcuſſam à ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Auguſtinus plus diligentiæ impendit quam reliqui, & propius ad ſcopum acceſſit. Sed eſt ipſe quoque nonnihil obſcurus, utcunque verum doceat. Qui clarius docere volunt, admonent, diſtinguendum eſſe inter publicam & privatam vindictam: nam quum vindicta magiſtratus à Deo ſit ordinata, qui ab eo petunt auxilium, non uſurpant ipſi temere vindictam, ſed ad Deum confugiunt ultorem. prudenter id quidem

Matth. 5. verſ. 49.

&

& apte: ſed ultra progrediendum eſt; nam ſi ne à Deo quidem vindictam licet expetere, ita nec ad magiſtratus vindictam confugere liceret. Fateor ergo Chriſtiano homini prohibitam eſſe omnem ultionem, ne vel per ſe, vel per magiſtratum eam exerceat, imo ne appetat quidem. Si ergo jus ſuum proſequi vult homo Chriſtianus judicio abſque Dei offenſa, cavere in primis debet ne quam ultionis cupiditatem, neque pravum animi motum, ne iracundiam, ne ullum denique venenum in forum afferat. Hujus rei charitas optima erit moderatrix. Si quis excipiat rariſſimum hoc eſſe, ut quis ſolutus & vacuus omni pravo affectu litiget: fateor quidem, & ſimul dico rarum eſſe boni litigatoris exemplum: verum multis de cauſis utile eſſe oſtendi, rem ipſam per ſe non eſſe malam, ſed vitiari abuſu. primum ne videatur Deus fruſtra inſtituiſſe judicia: deinde ut ſciant pii quantum ſibi liceat, ne mala conſcientia quicquam ſuſcipiant. Hinc enim fit ut multi ruant in apertum Dei contemptum, ubi ſemel iſtos fines tranſilire cœperunt. Tertio ut admoneantur, tenendam ſemper moderationem eſſe, ne remedium ſibi à Domino permiſſum, proprio vitio contaminent. Poſtremo ut improborum audacia coërceatur puro ſinceroque zelo: quod non fieret, niſi nobis liberum eſſet legum pœnis eos ſubjicere.

8. *Sed vos infertis injuriam.*] Hinc liquet cur tanta in eos acerbitate invectus ſit: quoniam ſcilicet tam improba habendi cupiditas regnabat inter eos, ut neque injuriis parcerent. Paulo ante quo mali magnitudinem exprimeret, præfatus eſt non eſſe Chriſtianos qui injurias ſuſtinere neſciant. Eſt ergo amplificatio ex comparatione ſumpta: quia ſi injurias non devorare malum eſt, quanto pejus eſt inferre? *Et quidem fratres.* Altera mali exaggeratio: quia ſi jam bis peccant qui fraudant extraneos, portenti ſimile eſt, fratrem à fratre circumveniri aut ſpoliari. nos autem fratres ſumus quicunque nominamus unum in cælis Patrem. Neque tamen, ſi quis mala fide cum extraneis verſetur, crimen Paulus extenuat: ſed prorſus excæcatos eſſe Corinthios docet, apud quos ſacra fraternitas nullius ſit momenti.

9. An neſcitis quod injuſti regnum Dei hæreditate non obtinebunt? Ne erretis, neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque pæderaſtæ,

10. Neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei hæreditate obtinebunt.

11. Et hæc fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & in Spiritu Dei noſtri.

9. *An neſcitis* &c.] Injuſtitiam hic intellige quæ juſtitiæ particulari opponitur. *Injuſti* ergo, hoc eſt, qui fratribus injuriam faciunt, qui fraudant vel circumveniunt alios, qui denique cum aliorum injuria commodis ſuis inhiant, non poſſidebunt regnum Dei. Vocari autem hic injuſtos, ſicuti mœchos; & fures, & avaros, & maledicos, qui à vitiis ſuis non reſipiſcunt, ſed obſtinate in illis perſeverant, notius eſt quam ut dici oporteat. Et Apoſtolus ipſe poſtea ſuis verbis hoc exprimit, quum dicit Corinthios olim fuiſſe tales. Obtinent ergo impii Dei regnum: ſed ita, ſi vera pœnitentia ad Dominum ante converſi fuerint, & hoc modo impii eſſe deſierint. nam etſi veniæ cauſa non ſit converſio, ſcimus tamen nullos Deo reconciliari, niſi qui reſipiſcunt. Cæterum interrogatio habet emphaſim, quia ſe nihil aliud dicere ſignificat, niſi quod ſciant ipſi, ac vulgo tritum ſit inter omnes pios. *Ne erretis.* Occaſione ab uno ſumpta, de pluribus vitiis loquitur: puto autem ea potiſſimum vitia notaſſe quibus laborabant Corinthii. Tribus vocabulis venereas libidines perſtringit, quas illic regnaſſe hiſtoriæ omnes teſtantur, imo profuſiſſime graſſatas eſſe. erat enim urbs (quemadmodum alibi dictum eſt) opibus abundans: erat celebre emporium, quod frequentabant multarum nationum mercatores. Divitias luxus ſequitur, impudicitiæ & omnium laſciviarum mater: præterea gentem per ſe libidinoſam, multæ aliæ corruptelæ incitabant. *Scortatores* quid ab adulteris differant, ſatis notum eſt. Per *molles* intelligo qui tametſi non proſtituant ſe vulgo ad libidinem, verborum tamen lenociniis, effœminato geſtu & veſtitu, aliiſque deliciis impudicitiam ſuam produnt. Quartum genus omnium eſt graviſſimum, prodigioſa ſcilicet illa fœditas quæ in Græcia nimis uſitata fuit. Iniquitatem & injurias tribus nominibus taxat. *Fures* nominat, qui fratres qualibet fraude vel occulto artificio circumveniunt. *Rapaces*, qui violenter involant in alienas facultates, aut tanquam harpyiæ hinc inde ad ſe trahunt & vorant. ut autem latius extendat orationem, ſubjungit poſtea omnes quoque avaros. Per *ebrioſos* intellige etiam eos qui victus intemperie luxuriantur. *Maledicos* peculiariter notat, quia veriſimile eſt urbem illam plenam dicacitatis fuiſſe & obtrectationum. In ſumma, eorum præcipue vitiorum meminit, quibus obnoxiam urbem illam eſſe videbat. Atque ut denunciatio plus habeat ponderis, dicit, *Ne erretis.* quo verbo admonet eos ne ſibi inani ſpe blandiantur: quemadmodum ſolent homines extenuando peccata, ſe aſſuefacere ad Dei contemptum. Nullum ergo pernicioſius venenum eſt quam illæ deliciæ quæ nos in peccatis confirmant: non ergo tanquam Sirenum cantus, ſed tanquam exitiales Satanæ morſus, fugiamus voces hominum profanorum, dum judicium Dei & peccatorum reprehenſiones in facetias convertunt. Poſtremo notanda etiam hic eſt proprietas verbi κληρονομεῖν, quod oſtendit regnum cælorum, filiorum eſſe hæreditatem, ac proinde adoptionis beneficio nobis obvenire.

11. *Et hæc fuiſtis.*] Addunt nonnulli particularem notam, Hæc fuiſtis quidam; quia Græce additur particula τινὲς: ſed mihi magis probatur, Apoſtolum generaliter loqui. particulam vero illam ſupervacuam eſſe arbitror, uſitato Græcorum more, qui eam ſæpe uſurpant ornatus gratia, non autem ut reſtringat. Non eſt tamen intelligendum, ſic eodem omnes involvi faſciculo, acſi univerſa hæc vitia in ſingulos eorum conferat: ſed tantum indicare vult, neminem ab his malis eſſe immunem, donec Spiritu renatus fuerit. Sic enim habendum eſt, in univerſa hominum natura ſemen omnium malorum incluſum eſſe: alia autem vitia regnare & apparere in aliis, prout Dominus à fructibus carnis pravitatem oſtendit. Ita Paulus Rom. capite primo, plurima vitiorum & ſcelerum genera colligit, quæ ex ignorantia Dei manant, & illa ingratitudine, cujus reos fecerat omnes infideles. non quod unuſquiſque infidelium infectus ſit illis omnibus vitiis: ſed quia omnes ſunt illis obnoxii, & nemo eſt ab omnibus purus. Nam qui adulter non eſt, peccat alio genere. Ita & tertio capite ad univerſos Adæ filios accommodat illa teſtimonia, Quod ſepulchrum patens ſit guttur eorum, veloces pedes ad fundendum ſanguinem, lingua fallax aut venenata. non quod omnes ſint ſanguinarii & crudeles, omnes perfidi vel maledici: ſed quod, antequam reformati à Deo ſimus, alius ad crudelitatem, alius ad perfidiam, alius ad fallacias eſt

propenſus: ut nemo ſit in quo non aliquod extet communis vitioſitatis ſpecimen; omnes vero ad unum interiore arcanoque animi affectu ſimus obnoxii omnibus morbis, niſi quoad eos Dominus ne palam emergant, intus comprimit. Simplex ergo ſenſus eſt, quod ante regenerationis gratiam, alii ex Corinthiis avari, alii adulteri, lii rapaces, alii molles, alii maledici: nunc vero liberati per Chriſtum, tales eſſe deſierint. Hoc autem eſt Apoſtoli conſilium, commemoratione præteriti ſtatus eos humiliare: deinde ad recognoſcendam erga ſe Dei gratiam. Quo enim major agnoſcitur miſeria, unde beneficio Domini emerſimus, eo magis luceſcit gratiæ ejus amplitudo. Commendatio autem gratiæ, fons eſt exhortationis: quia cavere ſedulo debemus ne irritum faciamus Dei beneficium quod tanti æſtimandum eſt. quaſi diceret, Satis eſt quod ab eo luto vos extraxit Deus, in quo eratis olim demerſi. quemadmodum & Petrus
1. Petr. 4. vers. 3. loquitur, Sufficit præteritum tempus ad explendas Gentium cupiditates. *Sed abluti eſtis.* Tribus vocabulis utitur ad rem unam exprimendam, quo magis eos deterreat ne rurſum eodem revolvantur unde exierant. Quanquam ergo hæc tria eodem ſpectant, in ipſa tamen varietate latet magna vis: ſunt enim ſubaudiendæ antitheſes ablutionis & ſordium, ſanctificationis & pollutionis, juſtificationis & reatus: nempe ut ſemel juſtificati, ne ſibi novum reatum accerſant: ne ſanctificati, ſe iterum profanent: ne abluti, novis inquinamentis deforment: ſed potius ſtudeant puritati, maneant in vera ſanctitate, priores ſordes abominentur. Atque hinc colligimus in quem finem Deus nos ſibi gratuita peccatorum remiſſione reconciliet. Quod autem dixi, tribus nominibus exprimi rem unam, non ſic accipio quaſi nihil ſignificatione differant: nam proprie loquendo, juſtificat nos Deus dum peccata nobis non imputando, nos à reatu liberat: purgat, dum peccatorum memoriam abolet. Ita hæc duo nihil differunt, niſi quod alterum ſimplex, alterum translatitium eſt: ſiquidem in verbo Abluendi eſt metaphora, quia Chriſti ſanguis aquæ inſtar eſt. Sanctificat autem vitioſam naturam Spiritu ſuo reformando: ita ſanctificatio ad regenerationem pertinet. Sed hoc loco nihil aliud propoſitum Apoſtolo fuit, quam pluribus elogiis amplificare Dei gratiam, quæ nos à peccati ſervitute liberavit: ut inde diſcamus quantopere nos abhorrere ab omnibus oporteat, quæ iram Dei & ultionem in nos provocant. *In nomine Domini Jeſu,* &c. Proprie & eleganter diſtinguit inter officia. nam ſanguis Chriſti purgationis noſtræ materia eſt: ex ejus morte & reſurrectione, juſtitia & ſanctificatio nobis contingit. Sed quia purgatio per Chriſtum facta, & juſtitiæ acquiſitio nihil prodeſt, niſi iis qui Spiritus ſancti virtute, iſtorum bonorum participes fuerint facti: merito Spiritum conjungit cum Chriſto. Chriſtus ergo nobis omnium bonorum fons eſt, ab ipſo omnia obtinemus: ſed Chriſtus ipſe cum omnibus ſuis bonis per Spiritum nobis communicatur. Fide enim recipimus Chriſtum, & ejus gratiæ nobis applicantur. Fidei auctor, Spiritus.

12. Omnium mihi eſt poteſtas, at non omnia conducunt: omnium mihi eſt poteſtas, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem.

13. Eſcæ ventri, & venter eſcis: Deus vero & has & illum deſtruet. corpus autem non ſcortationi, ſed Domino, & Dominus corpori.

14. Porro Deus & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per potentiam ſuam.

15. An neſcitis quod corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens igitur membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.

16. An neſcitis quod qui adhæret meretrici, unum corpus eſt? Erunt enim, inquit, duo in carnem unam.

17. Qui autem Domino adhæret, unus ſpiritus eſt.

18. Fugite ſcortationem. omne peccatum quod commiſerit homo, extra corpus eſt: qui autem ſcortatur, in proprium corpus peccat.

19. An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri?

20. Empti enim eſtis pretio: glorificate jam Deum in corpore veſtro & in ſpiritu veſtro, quæ Dei ſunt.

12. *Omnium mihi poteſtas.*] In his contexendis quoniam nonnihil à propoſito Apoſtoli aliena videntur, multum ſudant interpretes. Ego omiſſa expoſitionum varietate, dicam quod eſt (meo judicio) convenientiſſimum. Veriſimile eſt Corinthios tunc quoque adhuc multum retinuiſſe ex priſtina licentia, & redoluiſſe mores ſuæ urbis: ubi autem impune vitia graſſantur, conſuetudo habetur pro lege. deinde quæruntur inanes ad excuſandum prætextus: qualis hic fuit, quod in umbram Chriſtianæ libertatis confugiebant, ut omnia ſibi propemodum licita facerent. Diffluebant nimio luxu: huic multum (ut ſolet) admiſtum ſuperbiæ. quoniam res erat externa, non putabant ſe peccare: quin etiam apparet ex Pauli verbis, eouſque abuſos fuiſſe libertate, ut uſque ad ſcortationem extenderent. Nunc ergo optima occaſione, poſtquam loquutus erat de vitiis, pravas illas excuſationes quibus ſibi in externis peccatis blandiebantur, exagitat. Certum quidem eſt, de rebus externis tractari, quas Deus fidelium arbitrio permiſit. univerſali autem nota, vel immoderatam licentiam oblique taxat: vel immenſam Dei liberalitatem extollit, quæ nobis continentiæ optima eſt magiſtra. Nimiæ enim intemperantiæ ſignum eſt, non ſponte reſtringere, modumque ſibi imponere in tam multiplici copia. Ac priore quidem loco moderatur libertatem duabus exceptionibus: deinde admonet, nequaquam uſque ad ſcortationem patere. Hæc verba, Omnium mihi poteſtas eſt, in perſona Corinthiorum accipi debent, κατ' ἀνθυποφοράν. quaſi diceret, Audio quid vulgo ſoleatis objicere, dum vultis reprehenſionem fugere in externis vitiis: fingitis ſcilicet omnia vobis eſſe licita, abſque ullo delectu vel moderatione. *At non omnia conducunt.* Prior exceptio qua reſtringit uſum libertatis, ne in licentiam diffluant: quia habenda ſit ratio ædificationis. Senſus eſt, Non ſufficit hoc vel illud nobis eſſe permiſſum ut promiſcue utamur: videndum enim quid fratribus conducat, quorum utilitati ſervire nos decet. Ut enim fuſius poſtea differet, & ad Rom. cap. 14. v. 17. jam viſum fuit, hac lege quiſque intus ſibi liber eſt coram Deo, ut omnes libertatis ſuæ uſum reſtringere ad mutuam utilitatem debeant. *Sub nullius redigar poteſtatem.* Secunda reſtrictio, Nos ita rerum omnium conſtitutos eſſe dominos, ut non debeamus nos ulli rei mancipare in ſervitutem: quod faciunt qui ſuis cupiditatibus non poſſunt imperare. Particulam enim τινὸς accipio in neutro genere:

genere: & refero non ad perſonas, ſed ad res ipſas: ut ſit ſenſus, Domini ſumus rerum omnium: modo ne ita abutamur hoc dominio ut miſerrimam ſerviamus ſervitutem, addicti per intemperantiam & cupiditates inordinatas rebus externis quæ ſubeſſe nobis debuerant. Et certe hoc facit nimia eorum moroſitas, qui in fratrum gratiam cedere gravantur, ut neceſſitatis laqueos ſibi perperam induant.

13. *Eſcæ ventri, & venter eſcis.*] Hic admonet quomodo utendum ſit rebus externis, nempe ad neceſſitatem præſentis vitæ, quæ inſtar umbræ ſubito præterfluit: ſicuti cap. 7. v. 29. dicet, Hoc mundo ſic utendum, quaſi non uteremur. Et hinc quoque colligimus quam non ſit contendendum homini Chriſtiano pro rebus externis. Quum ergo de rebus corruptioni obnoxiis erit quæſtio, non immorabitur anxie in illis pius animus. aliud enim eſt libertas, aliud libertatis uſurpatio. Huic ſententiæ reſpondet
Rom. 14. altera illa, Regnum Dei non eſſe eſcam & potum.
verſ. 17. *Corpus autem non ſcortationi.* Poſitis exceptionibus nunc quoque ſubjungit, libertatem noſtram ad ſcortationem minime debere extendi. Erat enim tam vulgatum malum eo tempore, ut quodammodo permiſſum videretur. quod etiam ex decreto Apoſtolo-
Act. 15. rum videre licet, ubi ſcortationem Gentibus prohi-
verſ. 20. bent inter res indifferentes: non enim dubium quin id factum ſit, quia fere ducerent rem eſſe licitam. Dicit ergo nunc Paulus, Alia eſt ſcortationis ratio quam ciborum: neque enim ut cibis ventrem deſtinavit Deus, ita corpus ſcortationi. Et hoc confirmat à contrariis aut repugnantibus: quia ſit Chriſto conſecratum. eſt autem impoſſibile Chriſtum cum ſcortatione conjungi. Quod addit, *& Dominus corpori*, pondere non caret: nam quum Deus Pater Filium aptaverit nobis, quantum flagitium eſt, corpus noſtrum à ſacra illa conjunctione abreptum, ad res Chriſto indignas transferri?

14. *Porro Deus & Dominum ſuſcitavit.*] A conditione Chriſti demonſtrat quantum aliena ſcortatio ſit à Chriſtiano homine: nam Chriſtus in gloriam cæleſtem quum ſit receptus, quid habet cum hujus mundi pollutionibus commune? Quanquam duo continentur his verbis: quod indignum ſit ac nefas, corpus noſtrum, quod Chriſto dicatum eſt, ſcortatione profanari: quandoquidem Chriſtus ipſe excitatus eſt à mortuis, ut cæleſtem gloriam poſſideat. Deinde quod turpe ſit proſtitui corpus noſtrum terrenis inquinamentis, quum futurum ſit beatæ immortalitatis & cæleſtis gloriæ una cum Chriſto particeps. Similis eſt ſententia Coloſſ. 2. v. 1. Si conſurreximus cum Chriſto, &c. niſi quod hic de ultima tantum reſurrectione loquitur, illic autem etiam de priore, hoc eſt, de gratia Spiritus ſancti, qua refingimur in novam vitam. Quia autem reſurrectio humano ſenſui res eſt pene incredibilis: Scriptura dum ejus mentionem facit, ad Dei potentiam nos revocat, quo ſtabiliat ejus fidem.

15. *An neſcitis quod corpora veſtra membra.*] Eſt exegeſis ſuperioris ſententiæ, aut ſi mavis expolitio. Illud enim propter brevitatem nonnihil obſcurum eſſe poterat, *corpus Domino.* Itaque tanquam illud exponens dicit, Chriſtum nobis aptatum, & nos illi ut in unum corpus coaleſcamus cum eo. Ideo ſi me commiſceam cum meretrice, Chriſtum, quantum in me eſt, membratim diſcerpo: quia fieri nequit ut eum in tantæ pollutionis communionem traham. quoniam autem id abominandum eſt, utitur particula ſibi uſitata in rebus abſurdis, *Abſit.* Nota unitatem ſpiritualem quæ nobis cum Chriſto eſt, non animæ tantum eſſe, ſed pertinere etiam ad corpus,
Epheſ. 5. ut caro ſimus de carne ejus, &c. Alioqui infirma
verſ. 29. eſſet ſpes reſurrectionis, niſi talis eſſet noſtra conjunctio, hoc eſt, plena & ſolida.

16. *An neſcitis quod qui adhæret meretrici.*] Melius exprimit quantam injuriam Chriſto inferat, qui ſe cum ſcorto miſcet: unum enim corpus eſſe efficitur, membrum igitur à Chriſti corpore avellit. Teſtimonium quod ex Geneſ. 2. v. 24. adjungit, incertum eſt quo ſenſu ad ſuum propoſitum accommodet. Nam ſi ideo citat, ut probet duos qui ſimul ſcortantur, in carnem unam coaleſcere, à genuino ſenſu in alienum detorquet. Moſes enim illic non de turpi & vetita viri & mulieris cohabitatione loquitur, ſed de ſocietate conjugali, cui Deus benedicit. Docet enim tam arctum eſſe & inſolubile hoc vinculum, ut neceſſitudinem quæ eſt inter patrem & filium, ſuperet: quod certe ad ſcortationem pertinere non poteſt. Hæc ratio me aliquando movit ut putarem non adductum eſſe hoc teſtimonium ad proximæ ſententiæ confirmationem, ſed remotioris: hoc modo, Dicit Moſes vinculo conjugali maritum & uxorem in unam carnem coire: at Domino qui adhæret, non tantum una caro, ſed unus ſpiritus cum ipſo efficitur. Atque ita hoc totum ſpectaret ad amplificandam conjugii ſpiritualis inter nos & Chriſtum vim & dignitatem. Verum ſicut illa expoſitio, tanquam coactior, non uſque adeo probatur, proferam alteram: nam quum ſcortatio divinæ inſtitutionis ſit corruptela, nonnullam cum ea ſimilitudinem habet: & quæ de illa prædicantur, ad hanc accommodari poſſunt aliquatenus: non ut ejus laudibus ornetur, ſed ad vitii gravitatem melius exprimendam. Hoc igitur vere & proprie conjugibus ſolis competit, ut duo ſint in carnem unam: ſed ad ſcortatores transfertur, qui in pollutam & impuram unitatem coaleſcunt, ut contagio ab uno ad alterum perveniat. Nihil enim abſurdi ſiquid ſimile habeat ſcortatio cum ſacro conjugio, tanquam ejus (ut dixi) corruptela: ſed illa in maledictione, hoc in benedictione: qualis eſt congruentia rerum contrariarum in antitheſi. Quanquam mallem de conjugio in primis, deinde abuſive de ſcortatione accipere, hoc modo, Ideo pronunciat Deus virum & uxorem eſſe carnem unam, ne alter eorum ſe alienæ carni adglutinet: ut fiant etiam adulter & adultera una caro, & maledicta copula ſe induant. Et ſane hoc ſimplicius eſt, & contextui melius quadrat.

17. *Qui autem Domino adhæret.*] Hoc ideo adjecit, ut doceret arctiorem eſſe conjunctionem Chriſti nobiſcum, quam viri cum uxore: & ideo illam huic eſſe longe præferendam, ut ſumma caſtitate & fide colatur. Si enim qui uxori copulatus eſt, non debet cum ſcorto ſe miſcere; multo hoc majus nefas eſt in fidelibus, qui non una tantum caro ſunt cum Chriſto, ſed unus etiam ſpiritus. ita comparatio eſt majoris & minoris.

18. *Fugite ſcortationem. omne peccatum.*] Propoſita honeſtate, nunc docet quantopere nos à ſcortatione abhorrere oporteat, propoſita flagitii ac turpitudinis magnitudine. hanc vero comparatione amplificat: quod hoc peccatum unum ex omnibus corpori probrum inurat. Quoniam autem & furto, & homicidio, & ebrietate corpus fœdatur; unde ſunt
illa, Manus veſtræ pollutæ ſunt, Præbuiſtis membra Ieſa. 2.
veſtra arma iniquitatis peccato, & ſimilia: quidam verſ. 15.
ut hanc abſurditatem effugiant, interpretantur *pro-* Rom. 6.
prium corpus, nos cum Chriſto copulatos: ſed mihi verſ. 19.
argutum magis quam ſolidum hoc videtur. Deinde ne ſic quidem elabuntur: quia de idololatria etiam idem prædicabitur quod de ſcortatione. Peccat enim adverſus Chriſti conjunctionem, qui ſe coram idolo proſternit. Itaque ſic expono, non negari prorſus quin aliis quoque vitiis dehoneſtetur & probro afficiatur corpus noſtrum: ſed hoc tantum dici, non ita reſidere in corpore noſtro fœditatem ex illis, ſicuti ex ſcortatione. Manus quidem mea furto inquinatur vel cæde, lingua vero maledicentia aut perjurio, corpus totum ebrietate: ſed ſcortatio maculam in corpore impreſſam relinquit, qualis non imprimitur ab aliis peccatis. Secundum hanc comparationem,

boc eſt, ſecundum plus & minus, dicuntur alia eatra corpus eſſe: non autem quia corpus omnino non attingant, ſi unumquodqne per ſe æſtimetur.

19. *An neſcitis quod corpus veſtrum.*] Duobus prærerea argumeotis utitur, ut nos ab hac ſpurcitia deterreat: quod templa Spiritus ſint corpora noſtra: deinde quod non ſimus noſtri juris, quia Dominus nos ſibi acquiſierit in peculium. In vocabulo *templi* ſubeſt emphaſis: nam quum Spiritus Dei quieſcere in loco profano nequeat, nos ei domicilium aliter non præbemus, quam dum nos conſecramus in templa. Magnus honor quo nos dignatur Deus, quum vult in nobis habitare: quo magis timendum eſt ne ſacrilegiis noſtris infenſus, à nobis diſcedat. *Et non eſtis veſtri.* Secundum argumentum, non eſſe nos in poteſtate noſtra, ut arbitrio noſtro vivamus, quia Dominus ſoluto redemptionis noſtræ pretio, nos ſibi acquiſierit. Simile eſt Rom. 14. v. 9. In hoc mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, ut vivis & mortuis dominetur. Porro nomen *pretii* bifariam accipi poteſt: vel ſimpliciter, ut vulgo dicimus pretio conſtitiſſe quod non eſſe gratuitum ſignificare volumus: aut loco adverbii τιμίως, pretioſe: qualiter loqui ſolemus de iis quæ magno conſtiterunt. hoc certe poſterius magis mihi arridet. In hunc modum Petrus, Redempti *1. Petr. 1.*
eſtis non auro nec argento, ſed pretioſo ſanguine *verſ. 18.*
Agni immaculati. Summa eſt, ut redemptio nos obſtrictos teneat, ac ſub obedientiæ freno cohibeat carnis noſtræ laſciviam.

20. *Glorificate Deum.*] Ex concluſione patet, Corinthios ſibi licentiam ſumpſiſſe in rebus externis, quam reſtringi & frenari neceſſe eſſet. Hæc igitur correctio eſt, quod admonet corpus non minus quam animam ſubjectum eſſe Deo: proinde æquum eſſe ut ejus gloriæ utrumque ſerviat. quaſi diceret, Sicuti coram Deo mentem fidelis hominis puram eſſe convenit: ita externa etiam profeſſio reſpondeat coram hominibus: quandoquidem utriuſque poteſtas eſt penes Deum, qui utrumque redemit. Hoc conſilio nuper aſſeruit, non modo animas noſtras, ſed corpora etiam, Spiritus ſancti eſſe templa: ne putemus nos erga eum rite defungi, niſi dum nos in ejus obſequium totos & in ſolidum addicimus, ut externas quoque vitæ noſtræ actiones verbo ſuo regat.

Cap. VII.

PORRO de quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt viro mulierem non tangere.

2. Propter fornicationes autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque proprium maritum.

Quoniam de ſcortatione loquutus erat, commodum nunc tranſit ad mentionem conjugii, quod eſt remedium vitandæ ſcortationis. Apparet autem in magna Eccleſiæ Corinthiacæ diſſipatione, manſiſſe tamen aliquam Pauli reverentiam, quod de rebus dubiis ipſum conſulebant. Quales fuerint ipſorum quæſtiones, incertum eſt: niſi quantum ex reſponſione conjicere poſſumus. ſed hoc ſatis notum eſt, à primo ſtatim Eccleſiæ exordio iſtam ſuperſtitionem Satanæ artificio obrepſiſſe, ut bona pars, ſtulta cælibatus admiratione, ſacrum conjugium vilipenderet: multi etiam ab illo, tanquam à re profana, abhorrerent. Forte invaſerat etiam Corinthios hæc contagio: aut ſaltem erant male feriati ſpiritus, qui cælibatum immodice evehendo, animos piorum ſtuderent à conjugio alienare. quanquam quum alia permulta tradat Apoſtolus, ſignificat ſe de pluribus fuiſſe rogatum. Præcipuum eſt ut ejus doctrinam de ſingulis audiamus.

1. *Bonum eſt viro.*] Reſponſio duobus membris continetur: priore docet bonum fore ſi omnes à muliere abſtineant, modo liceat: ſecundo ponit correctionem: quoniam hoc multis non permittit ſuæ carnis imbecillitas, illis non negligendum eſſe remedium quod habent ſibi ordinatum à Domino. Porro notandum eſt quid per nomen Boni intelligat, quum pronunciet Bonum eſſe abſtinere à conjugio: ne ex adverſo ratiocinemur, malum igitur eſſe conjugii vinculum: quod Hieronymo accidit, non tam ignorantia (ut ego quidem ſentio) quam contentionis fervore. Nam quum polleret eximiis virtutibus vir ille: inſigni etiam vitio laboravit, quod in diſputando magna intemperie abreptus, non ſemper quid verum eſſet reſpexit. Ille ergo ſic colligit, Bonum eſt non tangere mulierem, ergo malum eſt tangere. Verum Paulus non accipit hic Bonum in ea ſignificatione, ut malo aut vitioſo opponitur: ſed tantum oſtendit quid expediat propter tot moleſtias, tædia, ſollicitudines, quæ conjugatos manent. Deinde ſpectanda eſt ſemper moderatio quam ſubnectit. Nihil ergo aliud poteſt elici ex Pauli verbis, quam expedire quidem & commodum eſſe homini, non alligari uxori, ſi modo carere poſſit. Id ſimilitudine explicemus: ſi quis ita dicat, Bonum eſſet homini non edere, nec bibere, nec dormire: is neque eſum, neque potionem, neque ſomnium vituperabit tanquam res vitioſas: ſed quia tantum ſpiritui decedit, quantum his rebus datur, intelliget nos beatiores fore ſi ab his avocamentis liberi, toti poſſimus incumbere in rerum cæleſtium meditationem. Quoniam igitur in conjugio multæ ſunt tricæ quæ hominem impeditum teneant, hac ratione bonum eſſe conjugio non illigari. Sed hic emergit altera quæſtio: nam ſpeciem repugnantiæ habent hæc Pauli verba cum verbis
Domini, ubi pronunciat, Viro non eſſe bonum ca- *Geneſ. 2.*
rere uxore: quod Dominus illic malum vocat, Pau- *verſ. 18.*
lus hic bonum eſſe tradit. Reſpondeo, quod uxor marito adminiculum eſt ad felicem vitam, id eſſe ex Dei inſtitutione: ita enim initio Deus ordinavit, ut vir uxore carens, quaſi dimidius eſſet homo, ſeque ſingulari & neceſſario auxilio deſtitui ſentiret: uxor autem eſſet quaſi viri complementum. Poſtea ſupervenit peccatum quod illam Dei inſtitutionem corrumperet. nam loco tantæ benedictionis ſucceſſit gravis pœna, ut conjugium multarum miſeriarum cauſa & materia eſſet. Proinde quicquid mali vel incommodi eſt in conjugio, id eſt ex divinæ inſtitutionis corruptela. Quanquam autem manent interea reliquiæ primæ benedictionis, ut multo ſæpe miſerior ſit vita cælebs quam conjugalis: quia tamen implicantur conjuges multis incommodis, merito admonet Paulus, bonum fore homini ſi abſtineat. Hoc modo neque diſſimulantur quæ conjugio adhærent moleſtiæ: neque tamen interea locus datur profanis dicteriis quæ ad ipſum infirmandum vulgo feruntur: quale eſt, Uxorem eſſe malum neceſſarium. Item, Unum ex præcipuis malis eſſe mulierem. Hæc enim ex Satanæ officina prodierunt: nec alio ſpectant, quam ut ſancta Dei inſtitutio ignominia notetur: deinde ut homines à conjugio, tanquam à capitali noxa & peſte, abhorreant. Summa eſt, ut inter puram Dei ordinationem & pœnas peccati, quæ deinde ſequutæ ſunt, diſtinguere meminerimus. Secundum hanc diſtinctionem, initio bonum abſque exceptione viro fuit habere uxorem ſibi adjunctam: nunc etiam eatenus bonum, ut interim amarum dulci permiſtum ſit, propter Dei maledictionem: qui tamen donum continentiæ non habent, his neceſſarium eſt remedium ac ſalutare, ſicut ſequitur.

2. *Propter ſcortationem autem.*] Jam præcipit ut

qui

qui incontinentiæ vitio ſunt obnoxii, ad remedium confugiant. quanquam enim univerſalis videtur ſententia, ad eos tamen reſtringi debet, qui ſe neceſſitate urgeri ſentiunt: cujus rei ſibi quiſque teſtis eſſe poteſt. Quicquid ergo difficultatis in conjugio cernatur, quicunque carnis ſuæ punctionibus reſiſtere nequeunt, hoc ſibi præceptum à Domino impoſitum noverint. Sed quæritur an hæc ſola ſit cauſa contrahendi matrimonii, ut incontinentiæ medeamur. Reſpondeo, non eſſe hunc Pauli ſenſum: nam quibus datum eſt à conjugio abſtinere, illis permittit libertatem, alios autem jubet per matrimonium infirmitati ſuæ conſulere. Summa eſt, non diſputari hic quibus de cauſis inſtitutum ſit matrimonium, ſed quibus perſonis neceſſarium ſit: nam ſi ad primam inſtitutionem reſpicimus, non potuit eſſe remedium morbi qui nondum erat: ſed conditum fuit ad ſobolem procreandam: poſt lapſum vero hic ſecundus uſus acceſſit. Pugnat etiam hic locus adverſus ἀγαμίαν. vult enim Apoſtolus ut mulier unaquæque proprium maritum habeat, aſſerens mutuam eſſe obligationem. Qui ergo fidem uxori ſemel adſtrinxit, dividere ſe ab ea non debet: quod fieri conſtat per ſecundum nexum.

3. Uxori vir debitam benevolentiam viciſſim præſtet: ſimiliter & uxor marito.

4. Mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed maritus: ſimiliter & maritus corporis ſui poteſtatem non habet, ſed uxor.

5. Ne fraudetis alter alterum, niſi ex mutuo conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi: & rurſum in unum redite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.

3. *Uxori vir.*] Nunc præſcribit quibus legibus vivendum ſit in conjugio; vel quale ſit uxoris & mariti officium, docet. Ac primo quidem generalem doctrinam ponit de mutua benevolentia, ut amet vir uxorem, & uxor maritum: nam quod *debitam benevolentiam* alii interpretantur debitum conjugale, neſcio an conveniat. Hæc ratio eos movit, quod continuo ſequitur, Virum non habere corporis ſui poteſtatem, &c. ſed melius quadrabit, ſi dicamus eſſe illationem ex priore ſententia ductam. Sunt igitur vir & uxor adſtricti ad mutuam benevolentiam: inde ſequitur, neque illum neque hanc habere poteſtatem corporis ſui. Sed quæri poterit cur Apoſtolus pares hic faciat, neque à muliere exigat obedientiam & ſubjectionem. Reſpondeo, non fuiſſe illi propoſitum de omnibus officiis diſſerere: ſed de obligatione mutua quæ ad thori conjunctionem ſpectat. In aliis ergo differunt & officio & jure vir & uxor: in hac parte utriuſque æqualis eſt conditio, hoc eſt, in ſervanda fide conjugali. Qua etiam ratione ἀγαμία iterum damnatur: nam ſi hæc perpetua lex eſt conjugii, ut ſe vir abdicet corporis ſui poteſtate, eamque uxori tradat, quomodo tanquam liber alteri ſe poſtea adjunget?

5. *Ne fraudetis alter alterum.*] Profani homines judicarent Paulum non ſatis verecunde facere, qui de cohabitatione viri cum uxore ſic diſſerat: hoc certe indignum eſſe gravitate Apoſtolica. Verum ſi cauſas expendimus quæ eum impulerunt, reperiemus neceſſario de rebus iſtis loquutum. Primum ſciebat quantum ad fallendas pias mentes valeat fictitia ſanctimoniæ umbra, quod nos etiam experimur. Specie enim recti perſtringit nos Satan, ut putemus nos uxorum contubernio profanari, ac relicta vocatione, de alio vitæ ſtatu cogitemus. Deinde ſciebat quam ſit quiſque proclivis in amorem ſui, ac propriæ voluptati deditus: hinc fit ut vir expleta libidine, uxorem non modo negligat, ſed etiam faſtidiat. ac rari ſunt quibus non interdum obrepat hoc uxorum faſtidium. Ob has cauſas tam anxie de mutua conjugii obligatione diſſerit: quaſi diceret, Siquando conjugatis veniat in mentem cælibatum expetere, quia ſanctior ſit, aut vagis libidinibus ſtimulentur: meminerint ſe devinctos eſſe mutuo nexu. Vir tantum dimidia pars eſt corporis ſui, ita & mulier. Non ergo habent liberam deliberationem, quin potius his cogitationibus ſe retineant, Quoniam alter indigebat alterius auxilio, Dominus nos copulavit, ut nos ſimul juvemus, opituletur uterque alterius neceſſitati, neuter ſit ſui juris. *Niſi ex mutuo conſenſu.* Conſenſum mutuum requirit, primo quia non de unius tantum continentia agitur, ſed duorum. mox etiam addit duas alias exceptiones, ne id fiat niſi *ad tempus*: quoniam perpetua continentia non ſit in eorum manu, ne ſi quid ſupra facultatem audeant tentare, ſubjaceant Satanæ inſidiis. poſtea ne ideo abſtineant à maritali congreſſu, quaſi ea abſtinentia per ſe opus eſſet bonum ac ſanctum, aut eſſet Dei cultus: ſed ut melioribus exercitiis vacare queant. Quanquam autem tam diligenter caverat Paulus, prævaluit tamen Satan ut multos prava affectatione cælibatus impelleret ad illicitum divortium. Vir relicta uxore fugiebat in ſolitudinem, ut in monachatu magis Deo placeret: mulier invito marito velum, inſigne cælibatus, induebat: nec interea cogitabant, datam conjugii fidem violando, ſe fœdus Domini frangere, & conjugii vinculum ſolvendo, jugum ſe Domini excutere. Hoc quidem vitium vetuſtis Canonibus aliqua ex parte correctum fuit: prohibuerunt enim ne vir continentiæ prætextu, invitam uxorem relinqueret: ſimiliter ne uxor uſum ſui negaret viro. verum in eo peccarunt, quod permiſerunt ambobus ſimul perpetuum cælibatum vivere: quaſi vero liceat hominibus quicquam Spiritui Dei contrarium decernere. Nominatim præcipit Paulus ne ſe conjuges fraudent, niſi ad tempus. Epiſcopi ab uſu conjugii in perpetuum diſcedere permittunt. quis non videt manifeſtam repugnantiam? Ne quis ergo miretur quod à veteribus in hoc argumento libere diſſentiamus, quos conſtat à claro Dei verbo aberraſſe. *Ut vacetis jejunio & orationi.* Notandum eſt, Paulum hic loqui non de quolibet jejunio, nec de qualibet oratione. Sobrietas & temperantia, quæ perpetua in Chriſtianis eſſe debet, ſpecies eſt jejunii: oratio quoque non modo quotidiana, ſed etiam aſſidua eſſe debet. Sed loquitur de jejunio quod ſit ſolenne pœnitentiæ teſtimonium, ad iram Dei deprecandam, vel quo ſe ad orationem præparant fideles quum ſerium aliquod negotium inſtituunt; item de oratione quæ intentiorem animi affectum deſiderat. Nam interdum accidit ut omnibus aliis omiſſis, jejunandum ſit & orandum. ut quum ingruit aliqua calamitas, ſi appareat indicium iræ Dei, vel quum aliquo difficili negotio impedimur, vel quum aliquid agendum eſt magni momenti: quale eſt inſtitutio paſtorum. Merito autem hæc duo conjungit Apoſtolus: quia jejunium præparatio eſt ad orationem. ſicut etiam ea Chriſtus conjungit, quum dicit, Hoc *Mat. 17.*
genus dæmoniorum non ejicitur niſi in jejunio & *verſ. 21.*
oratione. Quum ergo dicit Paulus, Ut vacetis, ſenſus eſt, ut omnibus ſoluti avocamentis, agatis illud unum. Nunc ſi quis objiciat uſum thori conjugalis rem eſſe malam, quia impediat orationem: facilis eſt reſponſio, nihilo propterea pejorem eſſe cibo & potu, quibus impeditur jejunium. Sed fidelium eſt prudenter circumſpicere quando edendi & bibendi tempus ſit, quando jejunandi: ejuſdem quoque pru-

dentiæ eſt, cum ſuis conjugibos habitare dum tempus eſt, & à cohabitatione ſibi temperare dum alio vocantut. *Et rurſum in unum redite, ne tentet vos Satanas.* Hic eaprimitut ratio cujus ignorarione lapſi ſunt veteres, dum votum perpetuæ continentiæ perperam & inconſiderate approbarunt. Ita enim ratiocinabantut, Si bonum eſt conjuges interdum ſibi indicere ad tempus voluntariam continentiam ex mutuo conſenſu: ergo ſi in perpetuum indicant, eo melius. At non animadvertebant quantum periculorn ſubeſſet. datut enim Satanæ occaſio nos opprimendi, quum ultra imbecillitatis noſtræ modum aliquid tentamus. At Satanæ reſiſtendum eſt. Quid ſi deſunt arma & clypeus? Petenda ſunt à Domino, inquiunt. Sed fruſtra Dominum orabimus nt nobis adſit in temerario conatu: ideo diligenter obſervanda eſt particula, *Propter incontinentiam veſtram:* ſumus enim obnoxii Satanæ tentationibus, propter carnis noſtræ infirmitatem. Si volumus eas excludere & arcere, remedium quo nos Dominus munivit, opponere decet. Temere ergo faciunt qui thoro conjugali renunciant: quaſi vero cum Deo pepigerint de perpetua facultate.

6. Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum præceptum.

7. Optarim enim omnes homines eſſe ſicut me: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius autem ſic.

8. Dico autem inconjugatis & viduis: bonum ipſis eſt, ſi maneant ut ego.

9. Si autem non continent, matrimonium contrahant: melius enim eſt, matrimonium contrahere, quam uri.

6. *Secundum veniam.*] Ne freti ejuſmodi præcepto quale poſuerat, frena libidini ultra modum laxarent, addit moderationem, ſe hæc ſcripſiſſe pro eorum infirmitate: ut ſcilicet meminerint, conjugium impudicitiæ remedium eſſe: ne ejus bono intemperanter abutantur ad explendam quovis modo, imo abſque modo & verecundia, libidinem: ſimul ut occurrat impiorum cavillis, ne quis poſſet objicere, Quid? an times ne parum ad libidinem ſponte proclives ſint viri & mulieres, quod eos ſollicitas? Nam & ſanctuli Papiſtæ offenduntut illa doctrina, & libenter cum Paulo litigarent, quod conjuges in mutua cohabitatione retinet, nec ad vitam cælibem tranſilire illis permittit. Reddit igitur rationem ſuæ doctrinæ, ac teſtatur ſe non ideo commendaſſe thori ſocietatem conjugibus, ut eos ad voluptatem alliciat, aut quia libenter id præcipiat: ſed reſpexiſſe quid poſtulet infirmitas eorum quos alloquitur. Utroque membro abutuntur ſtulti cælibatus zelotæ: nam quia Paulus dicit ſe loqui ſecundum veniam, ex eo colligunt, in coitu igitur maritali eſſe vitium: peccatum enim eſſe, ubi opus eſt venia. Ex eo autem quod dicit, *Non ſecundum præceptum*, inferunt, eſſe ergo ſanctius relicto conjugii uſu, tranſire ad cælibatum. Reſpondeo ad prius, quum in omnibus humanis affectibus inordinatum exceſſum eſſe confitear, me non negare quin ſit etiam in hac parte *ἀταξία*, quam vitioſam eſſe concedo. imo hunc affectum præ aliis impotentem eſſe concedo, & prope belluinum. Sed contra etiam contendo, quicquid eſt vitii aut turpitudinis, ſic tegi conjugii honeſtate, ut vitium eſſe deſinat, vel ſaltem deſinat à Deo imputari: quemadmodum eleganter diſſerit Auguſtinus in libro De bono conjugii, & alibi ſæpe. Breviter ſic habe, Coitus viri & mulieris res pura eſt, honeſta & ſancta, quoniam pura eſt Dei inſtitutio: intemperies qua fervent homines, vitium eſt ex naturæ corruptela ortum; ſed fidelibus conjugium velum eſt quo vitium iſtud tegatur, ne amplius coram Deo appareat. Ad ſecundum reſpondeo, Quia præcepta proprie vocantur quæ ſunt de officiis juſtitiæ, & per ſe Deo placentibus, ideo negat Paulus ſe loqui ſecundum præceptum: verum antehac ſatis oſtendit remedio illo quod injunxit, neceſſario utendum eſſe.

7. *Optarim enim omnes.*] Hoc ad expoſitionem proximæ ſententiæ pertinet. non enim diſſimulat quid ſit commodius, ſed vult unumquemque conſiderare quid ſibi datum ſit. Cur ergo non loquutus eſt nuper ſecundum præceptum? nempe quia non libenter illos adigit ad conjugium, quin potius cuperet immunes eſſe ab hac neceſſitate: ſed quia non ſit omnibus liberum, rationem habet infirmitatis. Porro ſi hic locus rite expenſus fuiſſet, nunquam graſſata eſſet in mundo perverſa illa ſuperſtitio in appetendo cælibatu, quæ radix & cauſa fuit ingentium malorum. Paulus hic diſerte pronunciat, non eſſe cuique liberam optionem in hac parte: quia virginitas ſit particulare donum quod non omnibus promiſcue conferatut. Nec aliud docet quam Chriſtus ipſe, quum dicit, Non ab omnibus capi hoc verbum. *Mat. 19.*
Eſt ergo hic Paulus verborum Domini inter- *verſ. 11.*
pres, quum negat omnibus datam eſſe hanc facultatem, ut matrimonio careant. Quid interea factum eſt? quiſque non habita facultatis ſuæ ratione, prout libuit, vovit perpetuam continentiam. neqoe vulgo hic & ab idiotis tantum peccatum eſt: nam & præcipui doctores, dum toti occupantur in efferenda virginitate, humanæ infirmitatis obliti, hanc Pauli admonitionem, imo Chriſti ipſius neglexerunt. Hieronymus vero excæcatus neſcio quo zelo, non labitur tantum in falſas opiniones, ſed præcipitanter ruit. Præclarum donum eſt virginitas, fateor: ſed cogita eſſe donum. præterea audi ex ore Chriſti & Pauli, non eſſe omnibus commune, ſed proprium paucorum: ergo ne inconſiderate voveas quod nec in manu tua eſt, nec dari impetrabis tibi, ſi vocationis tuæ immemor, ultra limites tuos adſpires. Quanquam in æſtimanda etiam virginitate errarunt veteres: perinde enim extollunt, acſi virtutum omnium ſumma foret, ac cultum Dei cenſeri volunt. jam in eo pernicioſus eſt error. Nunc alter ſequutus eſt, quod poſtquam cælibatus tanto in pretio haberi cœpit, multi certatim inconſiderate voverunt perpetuam continentiam: quum vix centeſima pars facultate & dono polleret. Inde & tertius exortus, quod Eccleſiæ miniſtris prohibitum fuit conjugium, tanquam genus vitæ, ordinis ſanctitate indignum. In his qui ſpreto conjugio temere continentiam perpetuam vovebant, Deus arrogantiam punivit: primum ſecretis libidinum flammis, deinde horrendis fœditatibus. Quod autem arcebantut à legitimo connubio miniſtri Eccleſiarum, hac tyrannide factum eſt ut Eccleſia plurimis bonis & fidelibus miniſtris ſpoliaretur: pii enim & prudentes viri laqueum ſibi induere nolebant. tandem longiore temporis ſucceſſu libidines, quæ prius compreſſæ fuerant, fœtorem ſuum exhalarunt. Parum ſuit quod ii quibus habere uxores capitale crimen erat, concubinas impune, hoc eſt, ſcorta alebant: ſed nulla domus à ſacerdotum libidinibus tuta erat. parum iſtud quoque fuit: nam edita ſunt prodigioſa flagitia, quæ ſatius eſt æterna oblivione ſepeliri, quam commemorari in exemplum.

8. *Dico autem inconjugatis.*] Pendet hoc ex prioribus, & eſt quædam illatio. Dixerat dona Dei varie diſtribui, continentiam non eſſe omnium, confugere ad remedium debere qui ea carent: nunc ſermonem convertit ad virgines, ad omnes cælibes, ad

viduas:

Digitized by Google

viduas: & cælibatum quidem illis optandum eſſe concedit, ſi adſit facultas: videndum tamen ſingulis ſemper eſſe quid poſſint. Summa eſt, multa eſſe commoda cælibatus, eaque non negligenda, modo ſe quiſque ſuo pede ac modulo metiatur. proinde etiamſi uſque in tertium cælum tollatur virginitas: hoc tamen ſemper manet verum, non omnibus eam convenire, ſed iis tantum qui peculiare donum à Deo habent. Nam quod objiciunt Papiſtæ, nos Baptiſmo quoque promittere Deo vitæ puritatem, quam præſtare non eſt noſtrum: in promptu eſt ſolutio, nos illic nihil promittere, niſi quod à ſuis omnibus Deus requirit: continentiam vero donum ſpeciale eſſe, quod Deus multis negaverit. Perinde ergo faciunt qui illam vovent, acſi quis indoctus idiota ſe Prophetam eſſe vel doctorem, vel interpretem linguarum profiteretur. Notandum etiam eſt verbum *manere*. fieri enim poteſt ut ad tempus quiſpiam in cælibatu caſte vivat: ſed de craſtino in hac re nihil ſtatuendum eſt. Iſaac uſque ad annum triceſimum uxore caruit, & eos annos tranſegit in pudicitia, quibus fervores libidinis maxime deſpumant: poſtea tamen vocatur ad conjugium. In Jacob illuſtrius etiamnum habemus ſpecimen. Ideo Apoſtolus optaret manere & perſtare qui pudicitiam in præſentia colunt: ſed quia certi non ſunt de perpetuo dono, omnes reputare jubet quid ſibi datum ſit. Cæterum hic locus oſtendit cælibem tunc fuiſſe Apoſtolum: nam quod Eraſmus ratiocinatur conjugatum fuiſſe, quia inter conjugatos ſui mentionem faciat, leve eſt ac frigidum: quia poſſet eadem ratione colligi, fuiſſe viduum, quia inter viduos de ſe loquatur. Verba autem ſonant, tunc non fuiſſe conjugem: nec enim recipio illam conjecturam, quod uxorem alicubi depoſuerit, ac ſponte ſe abdicaverit uſu thori conju-
1 Cor. 7. verſ. 5. galis. Ubi enim fuiſſet illud, Redite ſtatim in unum? certe abſurdum eſt, ipſum non paruiſſe ſuis præceptis, & legem quam aliis ferret, non ſervaſſe. Inſigne autem eſt modeſtiæ exemplum, quod ipſe continentiæ dono præditus, non exigit alios ad ſuam regulam: ſed illis permittit infirmitatis remedium quo ipſe caret. Nos igitur ejus exemplo, ſiquo peculiari dono pollemus, ne id moroſius exigamus ab aliis, qui ad eum gradum nondum pervenerunt.

9. *Si autem non continent.*] Dum conſulit à conjugio abſtinere, ſemper ſub conditione loquitur, Si liceat, ſi adſit facultas: ubi autem carnis infirmitas non concedit libertatem, ſimpliciter præcipit tanquam de re jam minime dubia. Eſt enim hoc præceptive dictum, ne quis conſilium eſſe putet: nec ſcortatoribus modo frenum injicit, ſed quos interior libido coram Deo coinquinat. & certe qui non continet, conjugii remedium negligendo, Deum tentat. Hæc res conſilio non indiget, ſed ſevera prohibitione. *Melius eſt enim.* Eſt impropria comparatio, quum legitimum conjugium ſit in omnibus honorabile. uſtio autem res peſſima. Uſitate tamen, licet improprie, loquutus eſt Apoſtolus: ſicut vulgo dicimus, Melius eſt huic mundo renunciare ut cum Chriſto potiamur hæreditate regni cæleſtis, quam in carnis deliciis miſere perire. Quod ideo admoneo, quoniam Hieronymus puerile ſophiſma ex hoc loco ſtruit, Bonum eſſe conjugium, quia levius malum ſit uſtione. Dicerem eum inepte ludere, ſi res eſſet ludicra: ſed in negotio tam gravi & ſerio eſt impium cavillum, & homine cordato indignum. Intellige ergo, bonum eſſe & ſalutare remedium conjugii, quum uſtio ſit abominatio coram Deo fœdiſſima. Definiendum tamen eſt quid ſit *uri*: multi enim punguntur concupiſcentiis carnis ſuæ, quibus tamen non protinus neceſſe eſt confugere ad matrimonium. Atque ut retineamus Pauli metaphoram, aliud eſt uri, aliud ſentire calorem. Proinde hic uri vocat Paulus, non titillari duntaxat, ſed libidine æſtuare, cui reſiſtere nequeas. Quoniam tamen nonnulli ſibi fruſtra blandiuntur, dum ſe omni culpa vacare putant, niſi concupiſcentiæ aſſentiantur: nota eſſe tres gradus tentationum. Ita enim interdam prævalent concupiſcentiæ inſultus, ut voluntas ſuccumbat. illud eſt peſſimum genus uſtionis, dum cor libidine ardet. Aliquando ſic pungimur carnis aculeis, ut fortiter repugnemus, nec ſinamus nobis excuti verum amorem pudicitiæ, quin potius horreamus omnes turpes & fœdos motus. Proinde monendi ſunt omnes, & adoleſcentes præſertim, ut quoties infeſtantur à carne ſua, timorem Dei ejuſmodi tentationi opponant, præcidant anſam impudicis cogitationibus, robur reſiſtendi petant ſibi dari à Domino, ac toto ſtudio incumbant ad reſtinguendas libidinis flammas. Si in hac lucta proficiant, agant Domino gratias. quotus enim quiſque reperietur, cui non aliquam moleſtiam faceſſat ſua caro? verum ſi frenamus ejus intemperiem antequam invaleſcat, bene habet. Non enim urimur, etiamſi calor nobis ſit infeſtus: non quod nullum inſit vitium in hoc ſenſu caloris, ſed cum humilitate & gemitu agnoſcentes noſtram imbecillitatem coram Domino, bono tamen animo interea ſimus. Summa ſit, quamdiu gratia Domini ſuperiores evadimus in certamine, nec intro Satanæ jacula penetrant, ſed fortiter ea repellimus, non fatigemur luctando. Medium eſt tentationis genus, quum homo etiamſi pleno cordis aſſenſu non admittat concupiſcentiam, æſtuat tamen cæco impetu, & inquietatur eo modo, ut invocare Deum pacata conſcientia nequeat. Talis igitur tentatio quæ invocationem puram Dei impedit, & conſcientiæ tranquillitatem turbat, eſt uſtio, quæ nonniſi conjugio extingui poteſt. Nunc videmus in hac conſultatione non modo conſiderandum an corpus impollutum ſervare quis poſſit, ſed animum quoque inſpiciendum: ſicuti paulo poſt videbimus.

10. Conjugibus denuncio, non ego, ſed Dominus, Uxor à marito ne diſcedat.

11. Quod ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro reconcilietur: & vir uxorem ne dimittat.

12. Reliquis ego dico, non Dominus, Si quis frater uxorem habet infidelem, & ipſa conſentit cum eo habitare, ne dimittat eam:

13. Et mulier ſi maritum habet infidelem, & ipſe conſentit cum ea habitare, ne relinquat eum.

14. Sanctificatus eſt enim vir infidelis in uxore: & ſanctificata eſt uxor incredula in viro: alioqui liberi veſtri immundi eſſent: nunc autem ſancti ſunt.

15. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſubjectus eſt ſervituti frater aut ſoror in talibus. in pace autem vocavit nos Deus.

16. Quid enim ſcis, mulier, an maritum ſervatura ſis? aut quid ſcis, ô vir, an uxorem ſis ſervaturus?

17. Niſi unuſquiſque ut ei gratiam diviſit Dominus, unuſquiſque ut eum vocavit Dominus, ſic ambulet: & ſic in Eccleſiis omnibus præcipio.

10. *Conjugibus denuncio.*] Aliam conjugii legem nunc tractat: nempe quod ſit inſolubile vinculum. itaque omnia divortia quæ apud Ethnicos in quotidiano uſu erant, nec Moſaica Lege apud Judæos puniebantur, damnat. Vir uxorem, inquit, ne dimittat: uxor à viro ne diſcedat. cur? quoniam individuo nexu ſunt conjuncti. Sed mirum eſt, ſaltem adulterii cauſam non excipere: neque enim veriſimile eſt, voluiſſe aliquid reſtringere de Chriſti doctrina. Certe mihi ideo reticuiſſe videtur, quod obiter de his rebus diſſerens, ad Domini permiſſionem aut interdictum remittere maluit Corinthios, quam ſigillatim omnia perſequi. Nam quibus aliquid breviter docere propoſitum eſt, ſufficit univerſalis doctrina: exceptiones ſubtilioris ſunt ac magis fuſæ & exactæ tractationis. Cæterum quod ſubjicit, *Non ego ſed Dominus*, hac correctione ſignificat, quod hic tradit, ex Lege Dei ſumptum eſſe. Alia enim quæ tradebat, habebat etiam ex revelatione Spiritus: ſed hujus auctorem allegat Deum, quod ex Lege Dei expreſſum ſit. Locum ſi quæras, nuſquam reperies ad verbum: verum quum ab initio teſtetur Moſes, tam ſanctam eſſe conjunctionem viri & uxoris, ut ejus cauſa debeat vir relinquere patrem & matrem, hinc facile colligitur quam ſit inviolabilis. Naturæ enim jure obligatus eſt filius patri & matri, nec excutere jugum illud poteſt: huic vinculo quum præferatur conjugii copula, multo minus ſolvi debet.

11. *Quod ſi diſceſſerit.*] Hoc non eſſe intelligendum de iis quæ ob adulterium repudiatæ fuerint, conſtat ex pœna quæ tunc ſequebatur: erat enim crimen capitale etiam legibus Romanis, & propemodum communi jure gentium. Sed quum viri ſæpe uxoribus remitterent nuncium, vel quia non congruerent mores, vel quia diſpliceret forma, vel ob quamlibet offenſionem: quum etiam uxores maritos interdum relinquerent propter ſævitiam aut nimis duram & illiberalem tractationem, ejuſmodi vel divortiis vel diſſidiis conjugium negat dirimi. Eſt enim fœdus Dei nomine conſecratum, quod hominum arbitrio nec ſtat nec cadit, ut quum nobis libuerit, irritum fiat. Summa eſt, alii contractus, ut pendent à mera hominum voluntate, ita eadem voluntate ſolvuntur: qui conjugio ligati ſunt, jam non ſunt liberi, ut ſi pœnituerit, frangant teſſeram (ut aiunt) & uterque novam conditionem alibi quærat. nam ſi naturalia jura ſolvi nequeunt, multo minus hoc quod jam diximus præcipuo naturæ vinculo præferri. Quod autem jubet uxorem à viro diſſidentem manere innuptam, eo non innuit tolerabile eſſe diſſidium: nec permittit uxori ſeorſom à viro habitare: verum ſi expulſa fuerit domo, ſi rejecta, ne ſic quidem ſe liberatam ab ejus poteſtate exiſtimet: non enim penes virum eſt matrimonium facere irritum. Non ergo hic permittit uxoribus ſpontaneam diſceſſionem à viris facere, aut manere extra familiam maritalem, quaſi in ſtatu viduitatis: ſed eos quoque quæ à viris non recipiuntur, ligatas manere aſſerit: ne ad alios maritos tranſeant. Quid autem ſi mulier ſit libidinoſa, vel alio modo incontinens? annon inhumanum eſt, quum perpetuo ardore æſtuet, remedium illi negare? Reſpondeo, quum nos carnis noſtræ infirmitas ſollicitat, quærendum eſſe remedium. poſtea Domini eſt, affectus noſtros Spiritu ſuo frenare & coërcere, etiamſi non ſuccedat ex voto. Nam ſi uxor in diutinum morbum inciderit, non erit tamen juſta cauſa marito cur aliam quærat: ſimiliter ſi maritus poſt conjugium morbo aliquo laborare cœperit, non ideo tamen licebit uxori ad novam conditionem transvolare. Summa eſt, quum incontinentiæ noſtræ remedium Deus præſcripſerit legitimum conjugium, eo utamur: ne eum tentando, luamus temeritatis noſtræ pœnas. Hoc officio perfuncti, ſperemus eum nobis adfuturum, ſi nos opinio fefellerit.

12. *Reliquis ego dico.*] Reliquos vocat, in quibus locum habet exceptio quominus ſubjiciantur communi aliorum legi: nam conjugium inæquale diverſam habet rationem, dum conjuges religione inter ſe differunt. Duobus autem membris hanc quæſtionem abſolvit. prius eſt, fidelem non debere ab infideli diſcedere, nec quærere divortium, niſi repudietur: ſecundum eſt, ſi infidelis conjugem religionis cauſa repudiet, fratrem aut ſororem liberari à vinculo conjugii per tale repudium. Sed quid eſt quod Paulus ſe horum auctorem facit, quum pugnare omnino nihil videantur cum iis quæ à Domino nuper protulerat? Non ita intelligit à ſeipſo eſſe, quin ex Dei Spiritu hauſerit: ſed quoniam nuſquam de hac re extabat in Lege aut Prophetis certum ac expreſſum verbum, prævenit hoc modo improborum calumnias, quum ſibi quod dicturus erat, tribuit. Verum ne id totum parvipendatur, tanquam natum ex hominis capite, poſtea figmenta proprii ſenſus eſſe negabit quæcunque loquitur. repugnantia autem nulla eſt cum ſuperioribus: nam quum religio ac ſanctitas fidei conjugalis à Deo pendeat, quæ neceſſitudo amplius mulieri piæ reſtat cum infideli marito, poſtquam Dei odio ejecta eſt?

14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis.*] Occurrit ſcrupulo qui anxios habere poterat fideles. Singularis eſt conjugii neceſſitudo, ut uxor dimidia pars ſit viri, ut duo ſint in carnem unam, ut vir caput ſit mulieris, hæc viri in omnibus ſocia: fieri ergo non videtur poſſe ut cohabitet vir fidelis cum uxore impia, vel econverſo, quin tam arcta ſocietate polluantur. Paulus ergo hic pronunciat, ſanctum eſſe & purum conjugium nihilominus, nec timendam eſſe contagionem, acſi uxor maritum inquinaret. Porro meminerimus, hic eum non de contrahendis, ſed de retinendis matrimoniis quæ jam contracta ſint, loqui. nam ubi hæc deliberatio agitur, ducendane ſit infidelis uxor, maritove infideli nubendum, tunc locum habet illa exhortatio, Nolite jugum 2 Cor. 6.
ducere cum infidelibus: nullus enim conſenſus Chri- verſ. 14.
ſto cum Belial. Sed qui jam vinctus eſt, non habet amplius liberam optionem: ideo diverſa eſt conſultatio. Tametſi autem hanc ſanctificationem varie accipiunt, ego ſimpliciter ad conjugium refero, hoc ſenſu, Videri in ſpeciem poſſet fidelis uxor contagionem ducere ab infideli marito, ut ſit illicita ſocietas: ſed aliter res habet. pluris enim eſt pietas unius ad conjugium ſanctificandum, quam alterius impietas ad inquinandum. Pura igitur conſcientia habitare poteſt fidelis cum infideli: nam quoad uſum & communionem thori ac totius vitæ, ſanctificatur: ne ſua immunditia fidelem inquinet. Interea nihil prodeſt hæc ſanctificatio conjugi infideli: tantum eo valet, ne ejus copula fidelis inquinetur, & profanetur ipſum matrimonium. Cæterum hinc exoritur quæſtio: ſi enim fides viri aut mulieris Chriſtianæ conjugium ſanctificet, ſequitur omnia impiorum conjugia immunda eſſe, nec quicquam à ſcortatione differre. Reſpondeo, impiis omnia eſſe immunda, quod ſua impuritate etiam optimas & ſelectiſſimas Dei creaturas polluant. Hinc fit ut conjugium etiam polluant, quia Deum non agnoſcunt auctorem: ideoque veræ ſanctificationis minime ſiunt capaces, & mala conſcientia conjugio abutuntur. Verum imperite inde colligitur, nihil à ſcortatione differre: quia utcunque illis immundum ſit, per ſe tamen purum eſt, quatenus eſt à Deo ordinatum, & conſervandæ inter homines honeſtati ſervit, & vagas libidines refrenat: adeoque propter hos fines à Deo approbatur, ut reliquæ partes ordinis politici. Diſtinguendum ergo ſemper inter rei naturam & abuſum. *Alioqui liberi veſtri.* Argumentum

ab

ab effectu, Si immundum eſſet veſtrum conjugium, liberi qui inde naſcuntur, immundi forent: ſunt autem ſancti: ergo & ſanctum conjugium. Sicut ergo non impedit alterius ex parentibus impietas quominus ſancti liberi naſcantur: ita nec impedit quin purum ſit connubium. Locum hunc Grammatici quidam exponunt de ſanctitate civili, quod legitimi cenſeantur: ſed in hac parte nihilo deterior eſt conditio infidelium: non poteſt igitur conſtare illa expoſitio. deinde certum eſt Paulum hic voluiſſe eximere ſcrupulum conſcientiis, ne quis immunditiem ſe contrahere putaret, ſicut dixi. Inſignis ergo eſt hic locus, & ex intima theologia ductus. docet enim ſegregari piorum liberos ab aliis quadam prærogativa, ut ſancti in Eccleſia reputentur. Sed qui hæc ſententia cum eo quod alibi tradit, conveniet? Nos eſſe omnes natura filios iræ. Item cum ſententia Davidis, Ecce in peccato conceptus ſum, &c. Reſpondeo, univerſalem eſſe propagationem & peccati & damnationis in ſemine Adæ: omnes igitur ad unum ſub hac maledictione includi, ſive ex fidelibus ſive ex impiis deſcendant: neque enim fideles liberos generant ſecundum carnem, quatenus Spiritu ſunt regenerati. Æqualis eſt igitur in omnibus naturæ conditio, ut ſint tam peccato quam æternæ morti obnoxii. Quod autem hic tribuit liberis fidelium ſpeciale privilegium Apoſtolus, id fluit ex beneficio fœderis, quo ſuperveniente deletur naturæ maledictio: & Deo per gratiam conſecrantur qui natura profani erant. Hinc argumentatur Paulus ad Romanos cap. 11. v. 16. totam Abrahæ progeniem eſſe ſanctam, quia fœdus vitæ Deus cum illo pepigerat: Si radix ſancta, inquit, ergo & rami ſancti. Et Deus filios ſuos vocat omnes qui ex Iſraële ſunt progeniti: nunc diruta maceria, idem ſalutis fœdus quod initum fuerat cum ſemine Abrahæ, nobis eſt communicatum. Quod ſi communi generis humani ſorte eximuntur fidelium liberi ut Domino ſegregentur, cur eos à ſigno arceamus? ſi Dominus in Eccleſiam ſuam eos verbo admittit, cur ſignum illis negabimus? Quomodo autem ſancta ſit piorum ſoboles, & tamen multi degenerent, habes ex decimo & undecimo capite ad Romanos, & nos illic tractavimus.

Epheſ. 2. verſ. 3. Pſal. 51. verſ. 7.

15. *Quod ſi infidelis.*] Hoc ſecundum eſt membrum, in quo liberat fidelem virum qui paratus habitare cum uxore impia, reſpuitur: & ſimiliter mulierem quæ non ſua culpa repudiatur à viro. nam tunc infidelis divortium magis cum Deo quam cum homine conjuge facit. Eſt igitur hic peculiaris ratio, quia non modo ſolvitur, ſed abrumpitur primum & præcipuum vinculum. Hodie tametſi nobis fere ſimilem rationem cum Papiſtis quidam eſſe volunt, prudenter tamen conſiderandum quid interſit, ne quid temere tentetur. *In pace.* Hic quoque variant interpretes: nam quidam ſic accipiunt, Vocati ſumus in pace, fugiamus ergo materiam & ſegetem turbarum. Ego ſimplicius, Quoad licet, pacem cum omnibus colamus, ad quam ſumus vocati: non ergo temere diſcedendum ab infidelibus, niſi priores ipſi divortium faciant. Deus ergo vocavit nos in pace, in hunc finem, ut pacem cum omnibus colamus, de ſingulis bene merendo. Pertinet igitur hoc ad prius membrum, fideles cum infidelibus manere debere ſi conſentiant; &c. quia à profeſſione noſtra abhorret divortii cupiditas.

16. *Quid enim ſcis, mulier.*] Qui hanc ſententiam volunt ſecundi membri eſſe confirmationem, ſic exponunt, Non debet te incerta ſpes detinere, &c. verum (meo judicio) exhortatio eſt ab utilitate ſumpta: magnum enim & præclarum bonum eſt, ſi mulier lucrifaciat maritum. atqui non ita deſperati ſunt infideles, quin adduci ad fidem poſſint: ſunt quidem mortui, ſed Deus etiam mortuos ſuſcitare poteſt. Quando igitur ſpes aliqua proficiendi ſupereſt, neque ſcit pia mulier, poſſitne ſancta ſua converſatione virum reducere in viam, omnia experiri debet prius quam eum relinquat. quamdiu enim in ambiguo eſt ſalus hominis, propenſiores in bonam ſpem nos eſſe decet. Cæterum quod dicit, poſſe maritum ab uxore ſalvari, impropria quidem loquutio, quoniam ad hominem transfert quod Dei eſt proprium: ſed nihil abſurdi continet. nam quum Deus per ſua inſtrumenta quibus utitur, efficaciter agat, illis quodammodo communicat ſuam virtutem, vel ſaltem eorum miniſterio ſic conjungit, ut quod agit, ab illis dicat agi: hinc & honorem ſoli ſibi debitum illis interdum tribuit. Meminerimus tamen nihil in nobis eſſe ſitum, niſi quatenus ut organa ab eo dirigimur.

17. *Niſi unuſquiſque ut ei gratiam.*] Sic ad verbum habetur: quanquam ego ut melius contextus flueret, in nominativo reddidi. Senſus eſt, Quid ergo agendum, niſi ut unuſquiſque ambulet ſecundum gratiam ſibi datam, & pro ſua vocatione? Proinde in hoc quiſque elaboret, ac conferat ſuam facultatem, ut proximis ſuis proſit: atque id præſertim dum peculiari vocationis ſuæ officio ad id moveri debet. Duo ponit, vocationem & menſuram gratiæ, quæ in hac conſultatione reſpici jubet. Quia hoc ſtimulo non leviter nos ad officium pungi decet, ubi nos Deus gratiæ ſuæ miniſtros in fratrum ſalutem conſtituere dignatur. vocatio autem quaſi ſub Dei jugo nos tenere debet, etiamſi parum cuique adlubeſcat ſua conditio. *Et ſic in Eccleſiis omnibus.* Puto hoc addidiſſe ut calumniis quorundam occurreret, qui eum plus ſibi juris in Corinthios ſumere jactabant, quam in alios auderet. quanquam alium etiam finem ſpectare potuit: nempe quo plus haberet ponderis hæc doctrina, ubi intelligebant Corinthii, omnibus jam Eccleſiis pervulgatam eſſe. Facilius enim amplectimur quod nobis cum omnibus piis audimus commune fore: odioſum vero fuiſſet Corinthiis, arctiore vinculo quam alios conſtringi.

18. Circumciſus aliquis vocatus eſt? ne accerſat præputium. in præputio aliquis vocatus eſt? ne circumcidatur.

19. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.

20. Unuſquiſque in qua vocatione fuit vocatus, maneat.

21. Servus vocatus es? ne ſit tibi curæ. at ſi etiam poſſis liber fieri, magis utere.

22. Etenim qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus Domini eſt. ſimiliter & qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.

23. Pretio empti eſtis: nolite fieri ſervi hominum.

24. Unuſquiſque in eo in quo vocatus eſt, fratres, maneat apud Deum.

18. *Circumciſus vocatus* &c.] Quoniam vocationis meminerat, occaſione accepta ab una ſpecie, paulum digreditur in generalem exhortationem: quod multis locis facere ſolitus eſt: & ſimul diverſis exemplis confirmat quod dixerat de conjugio. Summa eſt, in rebus externis non temere reſiliendum eſſe à vocatione in quam ſemel ingreſſus ſis voluntate Dei. Et à Circumciſione incipit, de qua tunc plerique litigabant. Dicit autem nihil intereſſe apud Deum, Gentilisne ſis an Judæus: ideo unumquemque

forte

ſorte ſua contentum eſſe jubet. Semper tenendum, nonniſi de legitimis vitæ generibus tractari, quæ Deum arbitrum habent & auctorem.

19. *Circumciſio nihil eſt.*] Tametſi aptum erat hoc ſimile ad præſentem cauſam, videtur tamen data opera eo eſſe uſus, ut Judaicam ſuperſtitionem & ſimul faſtum obiter perſtringeret: nam quum Judæi Circumciſione gloriarentur, fieri poterat ut multi ſibi diſplicerent ob præputium, acſi deterior propterea eſſet ſua conditio. Paulus ergo utrumque in æquo ponit, ne alterius odio alterum ſtulte appetatur. Cæterum hæc pro eo tempore intelligenda, quo jam abrogata erat Circumciſio: nam ſi in fœdus Dei & mandatum intuitus eſſet, pluris eam æſtimaſſet proculdubio. Circumciſionem quidem literæ
Rom 2. verſ. 27. alibi extenuat, & pro nihilo haberi apud Deum pronunciat: ſed hic quum ſimpliciter opponat Circumciſionem præputio, & paria ambo faciat, certum eſt de illa tanquam de re indifferenti & nullius momenti loquutum eſſe. Nam abrogatio facit ut myſterium quod ante ſub ea continebatur, jam ad eam pertinere deſinat: imo ut jam ipſa non ſit ſignum, ſed res abſque ullo uſu. nam hac lege Legali ſymbolo Baptiſmus ſucceſſit, ut nos Chriſti Spiritu circumcidi ſufficiat, dum vetus homo noſter ſepelitur cum Chriſto. *Sed obſervatio mandatorum.* Quum hoc unum eſſet ex mandatis, quamdiu ceremoniis Legalibus devincta fuit Eccleſia, videmus pro confeſſo ſumi, adventu Chriſti abolitam fuiſſe Circumciſionem, ut liber quidem ejus eſſet uſus inter rudes & infirmos, nulla vero utilitas. Perinde enim ac de re nullius momenti Paulus loquitur: acſi diceret, Quum externa ſint illa, ne te detineant: ſed pietatem cura potius & officia quæ Deus requirit, & ſola ſunt apud eum in pretio. Quod autem locum hunc allegant Papiſtæ ad deſtruendam fidei juſtificationem, puerile eſt. Neque enim hic Paulus de cauſa juſtitiæ diſputat, nec quomodo eam conſequamur: ſed tantum quo incumbere debeant fidelium ſtudia. acſi diceret, Nolite in rebus vanis fruſtra occupari: ſed potius vos in officiis quæ Deo probantur, exercete.

20. *Unuſquiſque in qua vocatione.*] Hoc caput eſt unde reliqua ducuntur: ut quiſque vocatione ſua contentus, eam ſequatur, neque alio tranſvolare appetat. Vocatio, in Scripturis eſt legitima vivendi ratio: habet enim relationem ad Deum vocantem: ne quis hac ſententia abutatur ad ſtabilienda vivendi genera, quæ impia aut vitioſa eſſe conſtat. Sed hic quæritur an Paulus ſtatuere aliquam obligationem velit: hoc enim ſonant verba in ſpeciem, ſuæ quemque vocationi devinctum eſſe, ut ab ea deſciſcere non debeat: atqui id nimis durum eſſet, ſartori non licere aliud opificium diſcere, mercatori non licere tranſire ad agriculturam. Reſpondeo hanc non eſſe intentionem Apoſtoli: vult enim tantum corrigere inconſultam cupiditatem, quæ nonnullos ſollicitat ad mutandum ſtatum ſine juſta cauſa: ſive id ſuperſtitione, ſive alio impulſu faciant. deinde unumquemque revocat ad hanc quoque regulam, ut meminerint quid ſuæ vocationi conveniat. Non ergo neceſſitatem cuiquam imponit manendi in vitæ genere ſemel ſuſcepto: ſed inquietudinem potius damnat, quæ non patitur ſingulos in ſua conditione pacato animo ſtare: ac jubet, ut quam quiſque Spartam nactus eſt, eam colat, ut habet vetus proverbium.

21. *Servus vocatus es?*] Videmus hic ut Pauli ſcopus ſit conſcientias pacare: nam ſervos jubet bono eſſe animo, nec turbari, acſi impedimento illis eſſet ſervitus, quominus Deo ſerviant. *Ne ſit ergo tibi curæ*, hoc eſt, ne ſis anxius, quomodo jugum excutias, acſi conditio eſſet Chriſtiano indigna, ſed animi ſecurus eſto. Atque hinc colligimus, non tantum providentia Dei diſtinctos eſſe in mundo gradus & ordines, ſed ejus quoque verbo præcipi ipſorum obſervationem. *At ſi etiam poſſis liber.* Particula Etiam, non aliam (meo judicio) emphaſim habet, quam ſi dixiſſet, Si loco ſervitutis poteris etiam ad libertatem pervenire, hoc tibi fuerit commodius. Dubium autem eſt, connectatne ſermonem quem habebat ad ſervos, an ad liberos ſe convertat. ita γενέσθαι pro eſſe ſimpliciter hic eſſet poſitum. Vterque ſenſus non male quadrat, & eodem uterque recidit. vult docere, non modo bonam eſſe libertatem, ſed etiam ſervitute commodiorem. Si ſervos alloquatur, erit ſenſus, Quum vos jubeo animis ſecuris eſſe, non prohibeo quominus libertate etiam fruamini, ſi vobis obveniat. Ad liberos, erit ſpecies conceſſionis: quaſi diceret, Servos bono animo eſſe jubeo: tametſi ſtatus liberorum melior & magis expetendus, ſi detur optio.

22. *Etenim qui in Domino vocatus eſt ſervus.*] Vocari ſervum in Domino, eſt ex ſervorum genere deligi, & fieri participem Chriſti gratiæ. Porro hæc ſententia ad ſervorum conſolationem & ſimul retundendum ingenuorum faſtum poſita eſt. Quoniam ſervos ſortis ſuæ piget, eo quod abjecti ſint & deſpicabiles coram mundo, operæpretium eſt illis mitigari ſervitutis acerbitatem aliqua conſolatione. Liberi autem, ne ſibi nimium ob honeſtiorem conditionem placeant, ac efferantur ſuperbia, freno indigent. Utrumque facit Apoſtolus: nam quum libertas Spiritus longe præferenda ſit carnis libertati, tolerabilem eſſe debere ſervis ſtatus ſui aſperitatem admonet, ſi quidem ineſtimabile illud donum reputent, quo præditi ſunt. liberos quoque efferri non debere, quia ſervis in præcipua ſui parte ſint pares. Neque vero hinc colligendum eſt, poſtponi ſervis liberos, aut politicum ordinem turbari. videbat Apoſtolus quid conveniret utriſque: cohibendi (ſicuti dictum eſt) liberi erant, ne ferocirent inſultando adverſus ſervos: his vero danda erat aliqua conſolatio, ne animum dejicerent. & hæc magis in confirmationem ordinis politici faciunt, dum carnis incommodum compenſari docet bono ſpirituali.

23. *Pretio empti eſtis.*] Hæc verba habuimus capite proximo, ſed alio fine. De vocabulo Pretii, illic dixi quod ſentiebam. Summa eſt, quod ſervos quidem de ſtatu anxios eſſe vetat, ſed magis hoc curare vult, ne impiis aut pravis dominorum cupiditatibus ſe addicant. Sancti ſumus Domino, quia nos redemit: ergo ne in hominum gratiam nos profanemus: quod fit, dum obſequimur perverſis eorum deſideriis. Admonitio hæc valde neceſſaria fuit eo tempore, quo ſervi ad ſubeunda quælibet imperia ſine delectu vel exceptione, minis ac verberibus, mortis etiam terrore adigebantur, ut in ſervorum miniſteriis non lenocinia minus & ejus generis flagitia numerarent, quam honeſtas operas: merito itaque excipit Paulus ne turpibus & ſceleratis obſequiis ſe addicant. Utinam hoc omnium animis bene ac penitus inſideret: non tam multi ſe hominum libidini, quaſi venales, proſtituerent. Nos autem meminerimus, ejus nos eſſe qui nos redemit.

24. *Maneat apud Deum.*] Jam prius admonui, non aſtringi hic homines perpetua lege, ne unquam fas illis ſit mutare ſtatum; ſiquando ita poſtulet juſta ratio: ſed tantum ſedari inconſideratos affectus, qui multos huc & illuc agitant, ut continua inquietudine turbentur. Dicit ergo Paulus, coram Deo perinde eſſe quod cuique ſit vivendi genus in hac vita, quoniam pietatis conſenſum non abrumpat hæc diverſitas.

25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: ſed conſilium do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, ut ſim fidelis.

26. Arbitror igitur hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quod bonum ſit homini ſic eſſe.

27. Alligatus es uxori? ne quæras ſolutionem. Solutus es ab uxore? ne quæras uxorem.

28. Quod ſi etiam duxeris uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit: attamen afflictionem in carne habebunt ejuſmodi. Ego autem vobis parco.

25. *De virginibus.*] Redit nunc ad tractationem conjugii, de quo dicere exorſus erat initio capitis. Quod autem nunc dicturus eſt, jam attigerat, ſed breviter & ſubobſcure: apertius ergo definit quid de virginitate ſentiat: ſed quia res eſt lubrica, & plena difficultatum, ſub conditione ſemper loquitur, ut videbimus. Virgines hic pro ipſa virginitate accipio. de ea *præceptum Domini habere ſe* negat: quia nuſquam pronunciat Deus in Scripturis, qui permanere cælibes debeant: imo potius quum Scriptura *Geneſ. 2. verſ. 21.* dicat, Creatos eſſe maſculum & fœminam ſimul, videtur omnes peræque & ſine exceptione vocare ad conjugium: ſaltem nemini uſquam indicitur aut commendatur cælibatus. *Conſilium ſe dare* dicit, non quod ſit inſtar problematis, ac nihil vel parum ſtabilitatis habeat, ſed quod ſit certum ac ſine controverſia tenendum. Et nomen quo utitur, γνώμη, non conſilium modo, ſed ſententiam ſignificat. Porro hinc perperam colligunt Papiſtæ, extra verbum licere progredi, quum Paulus nihil minus cogitaverit, quam verbi Dei limites tranſilire: nam ſiquis propius animadvertat, videbit Paulum nihil hic pro- *Matth. 5. verſ. 31. & 19: 5.* ferre, quod non complexus ſit Chriſtus ſuis verbis apud Matthæum: ſed per occupationem fatetur, ſe non habere certum Domini præceptum in Lege, quod definiat quinam conjugium ſuſcipere, aut non attingere debeant. *Miſericordiam conſequutus, ut ſim fidelis.* Auctoritatem ſuæ ſententiæ conciliat, ne quivis ſibi licitum eſſe putet eam repudiare, ſi velit. Loqui enim ſe non ut hominem, ſed ut fidum Eccleſiæ doctorem & Chriſti Apoſtolum aſſerit. hoc ſuo more, Dei miſericordiæ refert acceptum: qui non vulgaris eſt honor, imo ſuperior humanis omnibus meritis. Unde apparet, quæcunque humanitus invecta fuerint in Eccleſiam, nihil habere huic Pauli conſilio affine. Porro Fidelis, hic veracem ſignificat, qui non tantum pio zelo agit quod agit, ſed etiam ſcientia præditus eſt ut pure & fideliter doceat. Neque enim in doctore ſufficit bonus animus, niſi adſit prudentia & veri cognitio.

26. *Arbitror igitur hoc bonum eſſe.*] Etſi hunc locum Pauli aliter verto quam Eraſmus, aut vetus Interpres: ſenſu tamen ab illis non differo. Sic illi dividunt verba Pauli, ut bis idem repetatur: ego autem unam tantum propoſitionem facio. neque id ſine auctore: ſequor enim vetuſta & probatæ fidei exemplaria, quæ ſententiam colo tantum interpoſito contexunt. Senſus eſt, Ego expedire arbitror, propter neceſſitatem qua ſancti in hac vita urgentur ſemper, ut libertate ac commoditate cælibatus fruantur omnes: quoniam hoc illis conduceret. Porro ſunt qui *neceſſitatem* referant ad Apoſtoli ſeculum, quod certe piis turbulentiſſimum fuit: ſed mihi videtur deſignare potius voluiſſe inquietudinem qua ſancti perpetuo in præſenti vita jactantur. Itaque ad omnia ſecula extendo: atque ita accipio, ſanctos ſuſque deque verſari ſæpius in terra, & multis variiſque procellis eſſe obnoxios, ut minime ad conjugium appoſita eſſe videatur eorum conditio. Particula, *ſic eſſe*, ſignificat manere in cælibatu, vel abſtinere à conjugio.

27. *Alligatus es uxori?*] Ubi propoſuit quid commodiſſimum foret, ſubjicit tamen nos moveri cælibatus commodis non debere, ut conjugii vinculum excutiat qui eo devinctus eſt. Eſt igitur moderatio proximæ ſententiæ: ne quis inductus cælibatus commendatione, illuc mentem flecteret, ac neceſſitatis aut vocationis ſuæ oblitus, conjugium aſpernaretur. Porro non tantum conjugale vinculum abrumpere his verbis vetat, ſed ſimul cohibet quæ obrepere ſolent faſtidia, ut libenter & placide ſuæ quiſque conjugi adhæreat. *Solutus es ab uxore?* Hoc ſecundum membrum ſub conditione debere accipi, ex toto contextu patet. Non omnibus ergo permittit perpetui cælibatus electionem, ſed quibus datum ſit. Qui ergo nulla neceſſitate cogitur, ne temere ſibi induat laqueum: non enim leviter abjicienda eſt libertas.

28. *Quod ſi etiam duxeris uxorem.*] Quia periculum erat ne quis ex proxima ſententia putaret ſe tentare Deum, ſi conjugio ſciens ac volens ſe alligaret (quod hoc eſſet renunciare ſuæ libertati) eximit hunc ſcrupulum: nam viduis liberum facit uxorem ducere, ac peccare negat qui ducunt. Et particula Etiam, videtur eſſe emphatica: ut teſtetur, quamvis nulla urgeat præciſa neceſſitas, non tamen prohiberi à conjugio cælibes quoties eis viſum eſt. *Et ſi nupſerit virgo.* Sive hic amplificatio ſit, ſive ſimplex ſimilitudo, hoc primum extra controverſiam eſt, Paulum conjugii libertatem voluiſſe ad omnes extendere. Qui amplificationem eſſe putant, eo moventur quod delicto magis affine videatur, ac vituperationi magis pateat, ſaltem magis habeat pudoris, virginale ſolvere cingulum (ut veteres loquebantur) quam poſt conjugis mortem ad ſecundas nuptias tranſire. eſſet igitur argumentum, Si virgini fas eſt matrimonium contrahere, multo magis viduis. Ego magis puto utrumque æquari, hoc modo, Sicut virgini licet, ita & viduis: nam ſecundæ nuptiæ apud veteres nota non carebant. ſiquidem & matronas quæ uno contentæ matrimonio tota vita fuerant, ornabant pudicitiæ corona: qui honor cedebat in earum contumeliam quæ pluribus nupſiſſent. Et notum eſt illud Valerii, Legitimæ id intemperantiæ ſignum eſſe, quum ſecundæ nuptiæ appetuntur. Pares ergo facit Apoſtolus virgines & viduas in libertate connubii. *Attamen afflictionem in carne.* Cauſam ſæpius repetit cur in ſuis hortationibus in cælibatum inclinet: ne videatur alterum ſtatum alteri per ſe anteponere, & non propter conſequentiam: dicit multas moleſtias conjugio annexas eſſe, ideo ſe cupere omnes à conjugio eſſe liberos, qui immunes à moleſtiis eſſe velint. Quum dicit, habituros tribulationem carnis, vel in carne: ſignificat, ſollicitudines & anguſtias quibus conjuges implicantur, ex negotiis terrenis provenire. Caro igitur hic pro homine externo capitur. *Parcere* vero, pro Indulgere, vel cupere ſublevatos tribulationibus quæ conjugio adhærent. quaſi diceret, Cupio infirmitati veſtræ conſultum, ne affligamini: conjugium autem multas afflictiones ſecum trahit: hæc ratio eſt cur vos conjugio non indigere optem, quo ſitis omnibus malis vacui. Neque tamen hinc colligas, conjugium à Paulo malum neceſſarium cenſeri: iſtæ enim tribulationes de quibus loquitur, non tam ex natura ſunt conjugii, quam ex corruptela: ſunt enim peccati originalis fructus.

29. Hoc autem dico, fratres, quia tempus contractum eſt, reliquum eſt ut qui uxores habent, ſint tanquam non habentes:

30. Et

30. Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes:

31. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes. præterit enim figura mundi hujus.

32. Velim autem vos abſque ſollicitudine eſſe. Qui cælebs eſt, curat ea quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Domino:

33. Conjugatus curat ea quæ ſunt mundi, qualiter uxori placiturus ſit, & diviſus eſt.

34. Et mulier cælebs & virgo, curat ea quæ ſunt Domini, ut ſancta ſit corpore & ſpiritu: at quæ maritum habet, curat ea quæ ſunt mundi, quomodo placitura ſit marito.

35. Hoc autem ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad honeſtatem ac decorum, ut Domino adhæreatis abſque ulla diſtractione.

29. *Quia tempus.*] Iterum de ſancto conjugii uſu concionatur, ut eorum laſciviam reprimat, qui dum uxores duxerunt, nihil niſi carnis delicias cogitant: Dei nullam habent memoriam. hortatur ergo fideles ne ita ruant effreni libidine, ut eos conjugium in mundum demergat. Conjugium eſt remedium incontinentiæ: verum eſt, ſi quis temperanter utatur: jubet ergo conjuges pudore in timore Domini convivere. Hoc fiet ſi conjugio utantur, ſicut aliis terrenæ vitæ ſubſidiis, cordibus ſurſum erecti ad meditationem cæleſtis vitæ. A brevitate autem humanæ vitæ ducit argumentum. Vita, inquit, hæc quam nunc agimus, caduca eſt, nec longæ durationis: ne ergo nos detineat implicitos. Proinde qui uxores habent, ſint tanquam non habentes. Atque hæc quidem philoſophia nemini non eſt in ore: ſed paucorum animis vere ſerioque inſidet. In prima verſione ſequutus fueram exemplar, cui nullum aliud ex multis ſuffragari poſtea animadverti. Placuit ergo inſerere particulam *Quia*, quo dilucidior eſſet ſenſus: ſicut etiam in vetuſtis quibuſdam codicibus legitur. Quoniam enim in conſultationibus futurum magis tempus reſpicimus quam præteritum, admonet de temporis futuri brevitate. *Tanquam non habentes.* Quæcunque ad uſum præſentis vitæ ſpectant, ſancta ſunt Dei dona: ſed ea nos abutendo polluimus. Si cauſa quæritur, hanc reperiemus eſſe, quod ſomniamus ſemper in mundo perpetuitatem: hinc enim fit ut quæ adjumenta ad tranſeundum debebant eſſe, fiant compedes ad nos vinciendos. Merito igitur Apoſtolus, ut hunc ſtuporem nobis excutiat, nos revocat ad conſiderandam hujus vitæ brevitatem: & inde colligit, nos univerſis rebus mundi ſic uti debere, quaſi non utamur. qui enim reputat ſe in mundo eſſe peregrinum, rebus mundi tanquam alienis utitur: hoc eſt, tanquam iis quæ commodantur nobis ad diem unum. Summa eſt, Chriſtiani hominis animum rebus terrenis non debere occupari; nec in illis conquieſcere: ſic enim vivere nos oportet, quaſi ſingulis momentis migrandum ſit è vita. Per Fletum & Gaudium res adverſas & proſperas deſignat: eſt enim uſitatum, cauſas per effectus notari. Cæterum hic non præcipit Apoſtolus Chriſtianis poſſeſſiones abjicere, ſed tantum hoc requirit, ne animi eorum poſſeſſionibus infixi ſint.

31. *Et qui utuntur hoc mundo.*] In priore membro eſt participium χρώμενοι: in ſecundo eſt compoſitum καταχρώμενοι. Præpoſitio autem κατ, in compoſitione fere in malam partem capitur, aut certe vehementiam notat. Itaque ſobrium & frugalem uſum notat Paulus, qui curſum noſtrum minime impediat vel moretur quominus properemus ſemper ad metam. *Præterit enim figura.* Hac voce eleganter Apoſtolus expreſſit mundi vanitatem. Nihil eſt firmi, inquit, aut ſolidi: eſt enim facies tantum, vel externa apparentia, ut loquuntur. Cæterum videtur alluſiſſe ad ſcenas, in quibus aulæa momento complicata, novam faciem reddunt: & quæ ſpectantium oculos tenebant, mox auferuntur à conſpectu. Cur nomen Habitus Eraſmo placuerit, non video. Certe (meo judicio) doctrinam Pauli obſcurat. tacite enim figura ſubſtantiæ opponitur.

32. *Velim autem vos.*] Redit ad illud conſilium quod nondum plene expoſuerat: ac initio (ut ſolet) ponit commendationem cælibatus: deinde libertatem ſingulis permittit eligendi quod ſibi convenire intelligent. Porro non ſine cauſa toties ad prædicanda commoda cælibatus revolvitur: videbat enim quam non levia ſint matrimonii onera. Is qui eximere ſe poteſt, non debet tale bonum negligere: & qui ſe conjugio deſtinant, eos præmoneri utile eſt de incommodis iſtis, ne poſtea inopinato ea experti, animos deſpondeant. quod videmus pleriſque contingere: nam quum ſibi merum mel promiſerint, hac ſpe fruſtrati, leviſſima offenſione facile opprimuntur. Sciant igitur in tempore quid ſibi expectandum ſit, quo parati ſint ad omnia perferenda. Senſus eſt, Conjugium avocamenta ſecum trahit, à quibus vos eſſe liberos & immunes cuperem. Sed quia ſuperius tribulationem poſuit, nunc curas commemorat, vel ſollicitudines: dubitari poſſit an hæc ſint diverſa, necne. Ego tribulationem naſci puto ex rebus triſtibus, ut orbitate, viduitate, jurgiis & friviculis (ut vocant Juriſconſulti), ex multis faſtidiis, delictis liberorum, difficultate alendæ familiæ, & ſimilibus: ſollicitudines etiam rerum lætarum eſſe puto, ut ſunt ineptiæ nuptiales, joci, & alia quibus conjugati occupantur. *Qui cælebs eſt, curat ea quæ ſunt Domini.* En vacuitas ſollicitudinum quam Chriſtianis optat, ut ſuas omnes cogitationes ſuaque ſtudia Domino addicant: hanc in cælibatu eſſe dicit: ideo cupit omnes hac libertate frui. Non tamen intelligit, id perpetuum eſſe in cælibatu: ſiquidem longe aliud experientia oſtendit in Sacrificis, Monachis, & Monialibus: quorum cælibatu nihil à Deo remotius fingi poteſt. adde etiam in tot fœtidis ſcortatoribus, qui abſtinent ideo à conjugio, quo majore potiantur licentia profundendæ libidinis. atque ut vitium non appareat: ubi eſt uſtio, ibi nullum eſſe Dei ſtudium poteſt. Sed hic eſt Pauli ſenſus, Liberum eſſe cælibem, neque impediri quominus quæ Dei ſunt cogitet. Hac libertate pii utuntur: alii omnia in exitium ſuum vertunt.

33. *Conjugatus curat ea quæ ſunt mundi.*] Per ea quæ mundi ſunt, intellige quæ ſunt præſentis vitæ: nam mundus hic pro conditione terrenæ vitæ accipitur. Sed hinc colliget quiſpiam, omnes igitur conjugatos alienos eſſe à regno Dei, quando nihil niſi terram cogitent. Reſpondeo, Apoſtolum de parte cogitationum loqui: quaſi diceret, Sic uno oculo intentos eſſe in Dominum, ut alterum in uxorem convertant: eſt enim inſtar ſarcinæ conjugium, qua mens pii hominis depravata, non ita expedito curſu ad Deum pergit. Semper autem meminerimus hæc non eſſe propria conjugii mala, ſed ex hominum vitio provenire: ita concidunt Hieronymi calumniæ, qui hæc omnia colligit ad infamandum conjugium: nam ſi quis inde agriculturam, mercaturam,

& alia

& alia vitæ genera damnet, quod inter tot mundi corruptelas, nullum eorum vacuum ſit aliquibus malis: quis non ejus inſulſitatem rideat? Obſerva igitur, quicquid mali ineſt conjugio, aliunde accidere. neque enim uxoris contubernio vir à Domino avocaretur hodie, ſi in ſtatu incorrupto manſiſſet, neque vitiaſſet ſanctam Dei inſtitutionem: ſed uxor illi adjutrix ad omne bonum eſſet, ſicut in eum finem creata fuit. Sed dicet quiſpiam, Si conjugio ſemper adhærent vitioſæ ſollicitudines & damnatæ, qui fieri poteſt ut conjugati pura conſcientia Deum invocent, illique ſerviant? Reſpondeo, tres eſſe ſpecies ſollicitudinum: aliæ enim per ſe malæ ſunt & impiæ, quia ex diffidentia naſcuntur. de illis loquitur Chriſtus, Matth. 6. v. 25. Aliæ neceſſariæ ſunt, neque Deo diſplicent: ut patremfamilias pro uxore & liberis ſollicitum eſſe decet: neque Deus vult nos eſſe ſtipites, quin quiſque ſui curam habeat. Tertiæ miſtæ ſunt ex illis duabus: dum ſcilicet curamus quæ officii noſtri eſt curare, ſed propter innatam nobis intemperantiam, nimium ardemus. Tales igitur per ſe nequaquam ſunt malæ, ſed propter ἀταξίαν, hoc eſt, immoderatum exceſſum, pravæ fiunt. Et Apoſtolus non tantum vitia hic notare voluit, quibus reatum contrahimus coram Deo: ſed in univerſum optat ut avocamentis omnibus ſoluti, toti Deo vacemus. *Et diviſus eſt.* Mirum unde tanta diverſitas in hunc locum obrepſerit. Uſitata enim Græcorum lectio adeo nihil affine habet cum Latina veteri, ut non potuerit errori aut incuriæ imputari diverſitas, ſicuti ſæpe in una litera vel in una dictione erratur. Sic autem Græci vulgo legunt ad verbum, Conjugatus ea quæ mundi ſunt, cogitat, quomodo placeat uxori. diviſa eſt mulier & virgo: quæ innupta eſt, cogitat quæ ſunt Domini, &c. Ac Dividi quidem, pro Differre poſitum interpretantur: acſi dictum eſſet, Magnum eſt diſcrimen mulieris conjugatæ, & virginis. altera enim Deo tantum vacat, altera vero diſtrahitur in varia. Verum quum hæc interpretatio aliquantum ſit aliena à ſimplici verbi proprietate, mihi non arridet: præſertim quum alterius lectionis (quæ etiam in nonnullis Græcis exemplaribus habetur) ſenſus aptior ſit, & minus coactus. Ergo ſic intelligemus, diviſum eſſe hominem conjugatum, quia partim Deo, partim conjugi ſe addicat: non ſit autem unius Dei in ſolidum.

34. *Et mulier cælebs & virgo.*] Quod de viris docuit, nunc quoque de mulieribus pronunciat: virgines ſcilicet & viduas non abduci rebus terrenis, quominus omnes ſuas curas omniaque ſtudia in Deum conferant: non quia id faciant omnes, ſed quia adſit facultas, ſi animus ita ſit diſpoſitus. Quum dicit, *ut ſancta ſit corpore & ſpiritu*, oſtendit quæ vera ſit caſtitas, & Deo accepta: nempe dum mens ſervatur Deo impolluta. quod utinam fuiſſet melius animadverſum. Quod ad corpus ſpectat, videmus qualiter vulgo ſe Domino ſanctificent Monachi, Nonnæ, & tota fæx cleri Papiſtici, quorum cælibatu nihil magis obſcœnum fingi poteſt. Sed de corporis pudicitia nunc taceamus: quotuſquiſque eorum eſt qui propter opinionem continentiæ miraculo ſunt, qui non fœdis libidinibus ardeat? Atqui ex hac Pauli ſententia licet colligere, nullam pudicitiam Deo placere, quæ non ſit etiam animæ, ſicut corporis. Utinam qui de continentia ſupercilioſe garriunt, intelligerent ſibi negotium eſſe cum Deo: non tam confidenter nobiſcum certarent. Quanquam nulli hodie de continentia magnificentius diſſerunt, quam qui palam impudentiſſime ſcortantur: verum ut ſe honeſtiſſime gerant in oculis hominum, id nihil eſt, niſi animos ab omni immunditia puros & integros ſervent.

35. *Hoc autem ad utilitatem veſtram.*] Vide Apoſtoli moderationem. quanquam noverat conjugii tædia, moleſtias, difficultates, & ex altera parte commoda cælibatus: nihil tamen audet præſcribere. Imo quia cælibatum laudaverat, veritus ne talibus elogiis capti lectores, ſtatim apud ſe dicerent quod Apoſtoli Chriſto reſpondebant, Bonum eſt igitur ſic Mat. 19.
eſſe: neque expenderent ſuam facultatem: hic no- verſ. 10.
minatim teſtatur, ſe quidem monſtrare quid ſit utiliſſimum, ſed nemini ſe velle imponere neceſſitatem. Atque hic duo habes obſervatu digna. primum eſt, in quem finem appetendus ſit cælibatus: non propter ſe ſcilicet, nec quia ſit ſtatus perfectior, ſed ut abſque diſtractione adhæreamus Deo: quod unum reſpicere debet homo Chriſtianus in tota vita. Alterum, non eſſe laqueum induendum conſcientiis, ut quiſquam à conjugio arceatur: ſed ſuam cuique relinquendam libertatem. In utroque quantopere ſit erratum, palam eſt. Certe in ſecundo audaciores fuerunt quam Paulus, qui legem de cælibatu ferre non reformidarunt, quia totum clerum à matrimonio prohiberent: qui etiam vota ſanxerunt perpetuæ continentiæ: quibus laqueis non paucæ animarum myriades in æternum exitium tractæ ſunt. Proinde ſi per os Pauli loquutus eſt Spiritus ſanctus, excuſare nequeunt Papiſtæ quin Deo repugnent, dum conſcientias in eo ligant in quo voluit manere liberas. niſi forte novum conſilium ab eo tempore cepit, ut laqueum necteret quem improbaverat.

36. Si quis autem virgini ſuæ indecorum judicat, ſi excedat florem ætatis, & ita fieri debet: quod voluerit faciat, non peccat: nubant.

37. Qui autem ſtat firmus in corde, neceſſitatem non habens, poteſtatem vero habens ſuper ſua voluntate, & hoc decrevit in corde ſuo, ſervare ſuam virginem, bene facit.

38. Itaque & qui nuptum collocat, bene facit: & qui non collocat, melius facit.

36. *Si quis autem.*] Nunc ad parentes ſermonem convertit qui liberos ſub poteſtate habebant. Auditis enim cælibatus elogiis, auditis etiam incommodis matrimonii, hæſitare poterant, numquid humanum eſſet, liberos ſuos tot miſeriis implicare, ne viderentur ærumnarum illis eſſe auctores. Nam quo major eſt eorum indulgentia in liberos, eo magis anxie illis timent ac cavent. Ergo ut hanc illis difficultatem eximat Paulus, eorum officium eſſe docet, non aliter illis proſpicere, quam ſibi quiſque proſpicere debet, quum eſt ſui juris. Retinet autem partitionem illam qua hactenus uſus eſt, ut cælibatum quidem commendet, liberum tamen conjugium faciat: nec ſimpliciter liberum, ſed remedium neceſſarium incontinentiæ, quod nemini fas ſit negari. Priore membro loquitur de filiabus elocandis: in quo pronunciat eos non peccare, filias elocando, qui cælibatum illis non convenire judicant. Quod dicit ἀσχημονεῖν, ad particulare decorum referri debet, quod pendet ex cujuſque natura. eſt enim decorum univerſale, quod partem temperantiæ faciunt Philoſophi: id æqualiter ad omnes pertinet. Eſt aliud particulare, quia unum decet quippiam quod alteri minime congrueret. Videre igitur ſinguli debent (ut ait Cicero) quam illis perſonam natura impoſuerit. Conveniet uni cælibatus: non debet omnes ille metiri ſuo pede: nec debent etiam alii, omiſſo facultatis ſuæ reſpectu, ad ejus imitationem conari. eſt enim ſimiarum æmulatio, quæ adverſus naturam contendit. Pater ergo ſi perſpecto filiæ ſuæ ingenio,

judicet cœlibatui non eſſe aptam, maritum illi adjungat. *Florem ætatis* accipit pro ætate nubili: hanc Juriſconſulti ab anno duodecimo ad viceſimum definiunt. Significat obiter Paulus, qualis debeat eſſe in parentibus æquitas & humanitas, ut teneræ ætati & lubricæ remedium adhibeant, dum morbi vis id flagitat. *Et ita fieri debet.* Hac particula intelligo notari puellæ infirmitatem: nempe ſi dono continentiæ careat: nam tunc ad conjugium neceſſitas compellit. Quod ex verbo *non peccat*, anſam calumniaodi arripit Hieronymus ut conjugio detrectet, quaſi opus non ſit laudabile elocare filiam, puerile eſt. Satis enim habebat Paulus, patres culpa liberare, ne inhumanum eſſe ducerent, filias conjugalibus moleſtiis ſubjicere.

37. *Qui autem ſtat firmus in corde.*] Alterum membrum, ubi tractat de puellis quibus datum eſt à conjugio abſtinere. Laudat igitur patres qui earum tranquillitati conſulunt: ſed videndum quid hic requirat. Principio firmam voluntatem ponit, Si quis habet hoc conſtitutum apud ſe. Neque tamen intelligas monachale propoſitum, hoc eſt, voluntariam aſtrictionem perpetuæ ſervitutis: tale enim eſt votum quod concipiunt: ſed nominatim firmitatis hujus meminit, quod ſæpenumero conſilia agitant homioes, quorum poſtridie pœnitet. quia hic res ſeria agitur, exigit bene concoctam deliberationem. Secundo tollit neceſſitatem: nam multi pertinaciam magis quam rationem ad conſultandum afferunt. Et in præſenti cauſa non reſpiciunt quid poſſint, dum conjugio renunciant: ſed ſatis eſt dicere, Volo. Paulus facultatem vult adeſſe, ut nihil temere decernant, ſed pro modo gratiæ ſibi datæ. Hanc exemptionem neceſſitatis appoſite declarat ſequens particula, dum vult eos poteſtatem habere ſuper voluntate ſua. Perinde enim eſt ac ſi diceret, Nolo ante deliberent, quam ſciant ſibi exequendi facultatem eſſe: luctari enim contra Dei ordinationem, temerarium & exitiale eſt. Sed ſecundum hanc rationem, dicet quiſpiam, non eſſent improbanda vota, modo adeſſent iſtæ conditiones. Reſpondeo, quantum ad donum continentiæ, quum de voluntate Dei in poſterum ſimus incerti, nihil ſtatui debere in totam vitam. Utamur dono quamdiu conceditur, interea nos Domino commendemus, expediti ad ſequendum quocuoque vocaverit. *Decrevit in corde ſuo.* Hoc videtur addidiſſe Paulus, ut melius exprimeret, diligenter circumſpicere huc & illuc patres debere, antequam curam & conſilium elocandi filias deponant. Sæpe enim aut pudore aut ignorantia ſui, conjugium detrectant: interea tamen nihilo ſunt minus libidinoſæ, aut proclives ad fallendum. Hic patres expendere debent quid ſit ex re ipſarum, ut prudentia ſua earum imperitiam aut præpoſterum deſiderium corrigant. Facit autem hic locus ad ſtabiliendam patriam poteſtatem: quæ quum ex communi naturæ jure fluat, ſacroſancta habenda eſt. Si autem in aliis levioribus actionibus nihil liberis permittitur abſque parentum auctoritate, multo minus licentiæ illis in contrahendo matrimonio dari convenit. Atque id Civili quidem jure diligenter ſancitum eſt, ſed Lege Dei potiſſimum: quo deteſtabilior eſt Papæ improbitas, qui poſthabito tam divini quam humani juris reſpectu, liberos jugo & ſubjectione parentum ſolvere auſus eſt. Sed operæpretium eſt rationem notare: hoc, inquit, propter ſacramenti dignitatem. (omitto inſcitiam, quod ex matrimonio faciunt ſacramentum.) Sed qualis hic honor obſecro, aut qualis dignitas, ubi adverſus publicam honeſtatem omnium gentium, adverſus æternam Dei ordinationem, frena adoleſcentium libidini laxantur, ut ſine verecundia prætextu ſacramenti exultent? Sciamus ergo in liberis elocandis præcipuam eſſe parentum auctoritatem, modo ne tyrannice ea abutantur: ſicut etiam jura Civilia eam reſtringunt. Et Apoſtolus quum exigeret ſolutionem à neceſſitate, judicabat parentum conſilia liberorum utilitati attemperanda eſſe. Hoc igitur temperamentum juſtam eſſe regulam meminerimus, ut ſe à parentibus liberi regi patiantur: illi neque invitos liberos trahant quo nolent, neque alium poteſtatis ſcopum habeant, quam borum utilitatem.

38. *Itaque & qui nuptum.*] Eſt concluſio utriuſque membri, in qua breviter parentes reprehenſione liberat, ſi filias nuptum locant: melius tamen facere teſtatur, ſi liberas à conjugio domi retinent. Neque tamen intelligas, matrimonio hic præferri cœlibatum, niſi ſub exceptione nuper expreſſa. Nam ſi deſit facultas, peſſime faciet qui filiam ſtudebit arcere à matrimonio: nec jam pater, ſed crudelis erit tyrannus. Summa totius diſputationis huc redit, meliorem eſſe cœlibatum conjugio, quia in illo major ſit libertas, ut expeditius ſerviant homines Deo: nullam tamen neceſſitatem injici fas eſſe, quin liceat ſingulis conjugium ſuſcipere, ſi viſum fuerit. ipſum porro conjugium, remedium à Deo deſtinatum eſſe noſtræ infirmitati: quo uti omnes oporteat qui dono continentiæ præditi non ſunt. Quiſquis erit ſanæ mentis, mecum agnoſcet ac fatebitur, totam de hac re Pauli doctrinam his tribus capitibus contineri.

39. Mulier alligata eſt legi, quamdiu maritus ejus vivit. ſi autem dormierit maritus ejus, libera eſt ut cui vult nubat, modo in Domino.

40. Beatior vero eſt ſi ſic maneat, ſecundum meam ſententiam. exiſtimo autem me quoque Spiritum Dei habere.

39. *Mulier alligata eſt.*] Ante indifferenter de viris & mulieribus loquutus erat: ſed quia ob ſexus verecundiam, minus liberæ mulieres videri poſſent, de illis quoque peculiariter aliquid præcipere neceſſe habuit. Nunc ergo docet, nihilo magis impediri mulieres quam viros quin ad ſecundas nuptias tranſeant ex viduitate. Jam ſuperius recitavimus, notatas intemperantiæ probro fuiſſe quæ ſecundos maritos appeterent, & prope in earum contumeliam corona pudicitiæ donari ſolitas quæ unico contentæ fuiſſent. Quin etiam hæc prima opinio olim inter Chriſtianos invaluerat: nam neque benedicebantur ſecundæ nuptiæ, & quædam Concilia vetuerunt illis intereſſe clericos. Ejuſmodi tyrannidem hic damnat Apoſtolus, ac negat impedimentum afferendum eſſe viduis, quominus nubant ſi viſum fuerit. Legi, in dativo, an Lege, in ablativo, alligatam mulierem dicamus, parum refert, ad ſenſum certe nihil. Lex enim eſt quæ mulieris & viri ſocietatem individuam eſſe pronunciat: quód ſi in dativo legas, jus vel obſtrictionem ſignificabit. Argumentum autem ducit à contrariis: nam ſi ad vitam mariti alligata eſt mulier, morte ergo ſolvitur: poſtquam ſoluta eſt, nubat cui velit. *Dormire* quum mori ſignificat, non ad animam, ſed corpus refertur: quod ex perpetuo Scripturæ uſu patet. Imperite igitur faciunt quidam fanatici, dum aucupium tendunt ex hoc verbulo, ut probent animas à corporibus ſolutas, ſenſu & intelligentia, hoc eſt, vita ſua carere. *Modo in Domino.* Putant hoc additum, ut obiter admoneret, non eſſe ſubeundum jugum cum impiis, nec appetendam eorum ſocietatem. quod ut verum eſſe fatear, latius tamen patere judico: nempe ut religioſe & cum timore Domini id faciant. ſic enim auſpicato matrimonia contrahuntur.

40. *Beatior vero eſt ſi ſic maneat.*] Cur? an quia viduitas per ſe ſit virtus? non, ſed quia minus habebit diſtractionis, & à curis terrenis erit ſolutior,

tior. Quod addit, *Secundum meam ſententiam*, eo vocabulo non intelligit dubiam opinionem: ſed perinde eſt acſi diceret, tale ſuum eſſe judicium de quæſtione iſta. nam & continuo adjungit, *Spiritum Dei ſe habere:* quod ſatis eſt ad plenam & ſolidam auctoritatem. Non tamen videtur ironia carere quod dicit, *Exiſtimo.* Nam quum pſeudoapoſtoli, Spiritum Dei inflatis buccis identidem jactarent ad auctoritatem ſibi arrogandam, & interea Paulo detrahere ſtuderent: dicit ſe quoque ſibi videri compotem Spiritus non minus quam ipſos.

CAP. VIII.

DE iis porro quæ idolis immolantur, ſcimus quod omnes ſcientiam habemus.
ſcientia inflat, charitas autem ædificat.
2. Si quis autem videtur ſibi aliquid ſcire, nondum quicquam ſcit qualiter
ſcire oportet.
3. At ſi quis diligit Deum, hic cognitus eſt ab illo.
4. De eſu ergo eorum quæ idolis immolantur, novimus quod idolum nihil eſt in
mundo, & quod non eſt alius Deus niſi unus.
5. Nam etſi ſunt qui vocentur dii, ſive in cælo ſive ſuper terram, quemadmodum ſunt
dii multi & domini multi:
6. Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſo: & unus Dominus
Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.
7. At non eſt in omnibus ſcientia. quidam autem cum idoli conſcientia, nunc quoque
tanquam idolo immolatum, edunt: & conſcientia eorum, infirma quum ſit, polluitur.

Nunc tranſit ad aliam quæſtionem, quam capite ſexto attigerat tantum, non explicuerat. Quum enim loquutus eſſet de avaritia Corinthiorum, ac diſputationem illam clauſiſſet hac ſententia, Neque avari, neque rapaces, neque ſcortatores, &c. regnum Dei poſſidebunt: tranſierat inde ad libertatem Chriſtianorum, Omnia mihi licent. Hac occaſione deſcenderat ad mentionem ſcortationis: hinc ad matrimonium. Nunc ergo tandem illud quod attigerat de rebus mediis, proſequitur: quomodo ſcilicet temperanda ſit in rebus mediis libertas. Res medias voco, quæ nec bonæ ſunt per ſe, nec malæ, ſed indifferentes: quas Deus poteſtati noſtræ ſubjecit: ſed in uſu debemus modum ſervare, ut diſcrimen ſit inter libertatem & licentiam. Principio genus unum eligit præ aliis inſigne, in quo graviter peccabant Corinthii: quod ſolennibus conviviis intererant, quæ fiebant ab idololatris in honorem deorum, & eſcas illis immolatas promiſcue edebant. Hinc quum multum offendiculi naſceretur, docet Apoſtolus eos perperam abuti libertate à Domino conceſſa.

1. *De iis quæ idolis immolantur.*] Incipit à conceſſione, qua illis ultro dat & fatetur quicquid petituri vel objecturi erant. quaſi diceret, Video qualis vobis ſit prætextus: prætenditis Chriſtianam libertatem, objicitis vos ſcientiam habere, nec quenquam veſtrum in tanto errore verſari, quin ſciat unum eſſe Deum. Vera eſſe hæc omnia concedo: ſed quid prodeſt ſcientia quæ exitialis eſt fratribus? Sic ergo illis concedit quod poſtulant, ut vanas eſſe doceat ac nihili eorum excuſationes. *Scientia inflat.* Ab effectis oſtendit quam frivola ſit jactantia ſcientiæ, ubi charitas non adeſt: acſi diceret, Quid prodeſt ejuſmodi ſcientia qua turgeſcimus & ſuperbimus, quum proprium charitatis ſit ædificare? Locus hic, qui alias propter brevitatem aliquantum eſt obſcurus, ſic facile poterit intelligi, Quicquid vacuum eſt charitate, nihil eſt apud Deum, imo illi diſplicet: multo magis quod palam cum charitate pugnat. Scientia autem hæc quam jactatis, ô Corinthii, charitati penitus eſt contraria: nam faſtu inflat homines, & in fratrum contemptum educit: charitas autem pro fratribus eſt ſollicita, & nos ad eorum ædificationem hortatur. Maledicta igitur ſcientia quæ faſtuoſos reddit homines, nec ædificandi ſtudio eſt temperata. Cæterum neque hoc vitium imputari doctrinæ voluit Paulus, quod qui docti ſunt, ſæpenumero ſibi placent, ſeque mirantur non ſine aliorum contemptu: neque etiam hanc eſſe doctrinæ naturam intellexit, ut arrogantiam pariat: ſed ſimpliciter docere voluit quid efficiat in homine ſcientia, ubi non adeſt timor Dei & fraterna dilectio. nam impii omnibus Dei donis abutuntur ad ſeipſos efferendos. Ita divitiæ, honores, dignitates, nobilitas, pulchritudo, & alia id genus inflant: quod earum perverſa confidentia elati homines, ut plurimum ferociunt. Neque tamen hoc perpetuum eſt: quando videmus & divites multos, & formoſos, & florentes honoribus, & præditos dignitate, & nobiles, animo tamen modeſto eſſe, nec infectos ulla ſuperbia. Et quando accidit, non tamen propterea vituperare convenit ea quæ Dei dona eſſe conſtat. nam id primo iniquum & abſurdum foret: deinde culpam in res transferendo innoxias, homines ipſos qui ſoli in culpa ſunt, abſolveremus. Quod dico, tale eſt, Si divitiæ natura ſuperbos faciunt homines: ergo dives ſi ſuperbus eſt, reprehenſione caret: malum enim ex divitiis eſt. Sic ergo habendum: bonam per ſe ſcientiam eſſe: ſed quia unicum ejus fundamentum eſt pietas, in hominibus impiis inanem & evanidam reddi: quia verum ejus condimentum eſt charitas, hac remota, fieri inſipidam. Et revera, ubi non eſt ſeria Dei cognitio quæ nos humiliet ac fratribus prodeſſe doceat, magis eſt inanis ſcientiæ opinio quam ſcientia, etiam in iis qui doctiſſimi habentur. Scientia tamen nihilo propterea magis vituperanda eſt, quam gladius, ſi in manum furioſi incidat. Hoc propter quoſdam fanaticos dictum ſit, qui contra omnes artes doctrinaſque liberales furioſe clamitant: quaſi tantum ad inflandos homines valeant, ac non utiliſſima ſint tanquam communis vitæ inſtrumenta. Illi autem ipſi qui eas infamant hoc titulo, tam ſuperbia crepant, ut verum faciant vetus proverbium, Nihil eſſe inſcitia arrogantius.

2. *Si quis autem videtur.*] Is ſibi ſcire aliquid videtur, qui ſcientiæ opinione ſibi placens, reliquos tanquam ex alto deſpicit. Neque enim ſcientiam hic damnat Paulus, ſed ambitionem & ſupercilium quod inde contrahunt homines profani. Alioqui neque ſcepticos eſſe nos jubet, qui ſemper hæſitemus, ac pendeamus dubii, neque fallacem & fucoſam modeſtiam probat, quaſi bonum ſit putare id neſcire nos quod ſcimus. Is ergo qui ſcire aliquid ſibi videtur, hoc eſt, qui ſcientiæ opinione inſoleſcit, ut ſe aliis præferat, & ſapiat ſibi, nondum quicquam ſcit qualiter ſcire oportet. Principium enim veræ ſcientiæ eſt Dei cognitio, quæ parit in nobis humilitatem & ſubmiſſionem: imo quæ nos proſternit in totum potius quam erigat. Ubi autem eſt ſuperbia, illic eſt ignoratio Dei. Pulcher locus, quem

utinam bene omnes perdiſcerent, ut rite ſciendi regulam tenerent.

3. *At ſi quis diligit Deum.*] Eſt concluſio, qua oſtendit quid ſit maxime in Chriſtianis laudabile, adeoque & ſcientiam & alias omnes dotes laude dignas efficiat: nempe ſi Deum diligamus. nam ſi hoc fit, proximos quoque in ipſo diligemus. Hoc modo bene temperatæ erunt omnes noſtræ actiones, & propterea Deo probatæ. A conſequentibus ergo docet, nullam doctrinam eſſe commendabilem quæ non ſit amore Dei intincta: quoniam is ſolus facit ut ei probentur quæcunque in nobis ſunt dotes: quemadmodum in ſecunda Epiſtola habetur, Siquis in Chriſto, nova ſit creatura: quo ſignificat, abſque Spiritu regenerationis, alia omnia, quamcunque ſpeciem habeant, nullius eſſe pretii. *Cognoſci à Deo* tantundem valet ac cenſeri aliquo loco, vel reputari inter filios. ita ſuperbos omnes è libro vitæ & piorum catalogo expungit.

4. *De eſu ergo eorum.*] Redit nunc ad illam ſententiam unde exorſus fuerat: & explicatius de Corinthiorum prætextu loquitur. Nam quum ex hac radice totum malum naſceretur, quod ſibi placebant, deſpiciebant alios: in genere damnavit faſtuoſam ſcientiam quæ non ſit charitate condita: nunc vero ſpecialiter enarrat qualis eſſet illa cognitio qua ſe venditabant: nempe idolum inane eſſe humani cerebri figmentum, ideoque pro nihilo reputandum eſſe. proinde conſecrationem quæ fit idoli nomine, ſtultam eſſe imaginationem, & nullius momenti. Non pollui igitur hominem Chriſtianum qui abſque idoli religione idolothytis veſcatur. Hæc eſt ſumma excuſationis. quæ non rejicitur à Paulo tanquam falſa: continet enim eximiam doctrinam: ſed quod ea contra charitatem abutebantur. Quod ad verba attinet, Eraſmus legit, Nullum eſt ſimulachrum. Ego malo, *Nihil:* ſicut reddidit vetus Interpres. Eſt enim hoc argumentum, idolum nihil eſſe, quia ſit unus Deus. nam bene ſequitur, Si nullus eſt alius Deus præter Deum noſtrum: ergo idolum inane ſomnium eſt, ac mera vanitas. Ubi dicit, *Et non eſt alius Deus niſi unus*, copulam Et, cauſaliter accipio, pro Quia. Ideo enim nihil eſt idolum, quia à re figurata æſtimari debet. Porro in hunc finem deſtinatur ut Deum repræſentet: imo ut repræſentet falſos deos: quum unus ſit Deus inviſibilis & incomprehenſus. Et eſt diligenter obſervanda ratio, *Idolum nihil eſt*, quia non eſt niſi unus Deus: nam is eſt Deus inviſibilis, nec poteſt ſigno viſibili repræſentari, ut illic colatur. Sive ergo ad figurandum verum Deum erigantur idola, ſive ad falſos deos, ſemper eſt perverſum commentum. Ideo
Habac. 2. verſ. 18. Habacuc idola vocat Oſtenſiones falſitatis, quod Dei figuram vel imaginem præ ſe ferendo mentiantur, & fallaci titulo ludant homines. Proinde οὐδὲν, non ad eſſentiam ſed qualitatem pertinet: nam ex aliqua materia conſtat idolum, vel argento, vel ligno, vel lapide: ſed quia Deus non vult hoc modo repræſentari, vanitas eſt ac nihil, quantum ad ſignificationem vel uſum.

5. *Nam etſi qui vocentur.*] Nomen, inquit, habent: ſed res deficit. Nominari hic poſuit pro Celebrari hominum opinione. Et generali partitione uſus eſt quum dixit, *in cælo ſive ſuper terram.* dii qui in cælo nominantur, ſunt exercitus cæleſtes, quemadmodum Scriptura vocat, Sol & Luna, & aliæ ſtellæ. Moſes autem, quam procul à divinitate abſint, ex eo demonſtrat, quod creaturæ ſunt in uſum noſtrum conditæ. Sol famulus noſter eſt, Luna ancilla. Quam igitur abſurdum eſt, divinos illis cultus exhibere? Terreſtres vero dii proprie (meo judicio) vocantur viri & fœminæ quibus religio inſtituta fuit. Nam qui de genere humano præclare meriti fuerant, eorum memoria religione conſecrata fuit, inquit Plinius, ut pro diis colerentur, Jupiter, Mars, Saturnus, Mercurius, Apollo, homines mortales: ſed poſt mortem, in numerum deorum relati. recentiores, Hercules, Romulus, & tandem Cæſares. quaſi vero deos facere, ſitum ſit in hominum arbitrio, qui ſibi nec vitam, nec immortalitatem dare poſſunt. Sunt alii etiam dii terreſtres, vel ex pecudibus, vel ex brutis creaturis: quales Ægyptiorum, bos, ſerpens, felis, cepa, allium: & apud Romanos, lapis Terminus, & lapis Veſta. Sunt ergo dii titulo tenus. ſed Paulus ejuſmodi apotheoſes morari ſe negat.

6. *Nobis tamen unus Deus Pater.*] Tametſi hæc per anticipationem à Paulo dicuntur: ſic tamen Corinthiorum excuſationem refert, ut ſimul doceat: nam ab eo quod maxime proprium eſt Dei, unum eſſe ipſum probat. Quicquid habet originem aliunde, id non eſt æternum: Deus igitur non eſt. Omnia habent originem ab uno: ergo ſolus ipſe eſt Deus. Rurſum, Is vere demum eſt Deus qui dat eſſe omnibus, & ex quo fluunt omnia, tanquam à ſummo principio: ſed unus eſt ex quo manant omnia: unus igitur Deus. Quum addit, *Et nos* εἰς αὐτόν, intelligit, nos in Deo ſubſiſtere, ſicuti ab eo ſemel creati ſumus. Tametſi enim videtur hæc particula aliud ſonare: nempe quod ſicut ab eo ducimus initium, ita debeamus referre in ipſum vitam noſtram, tanquam in ſuum finem: & hac ſignificatione accipitur ad Romanos cap. 11. v. 39. hic tamen poſita eſt pro ἐν αὐτῷ, quod eſt Apoſtolis ſatis uſitatum. Significat ergo, nos ut à Deo ſemel conditi ſumus, ita ejus virtute in ſtatu noſtro contineri. Hunc eſſe ſenſum patet ex eo quod continuo poſt de Chriſto prædicat: nos ſcilicet per ipſum eſſe. Voluit enim communem Patri & Filio operationem tribuere, ſed diſtinctione adhibita, quæ perſonis conveniret. Dixit igitur nos in Patre ſubſiſtere, idque per Filium: quoniam Pater, omnis quidem eſſentiæ eſt fundamentum: ſed ut per Filium illi adhæremus, ita eſſentiæ vim in nos per eundem transfundit. *Unus Dominus.* Hæc de Chriſto relative prædicantur, hoc eſt, Patris reſpectu. Nam in Chriſtum vere competunt omnia quæ Dei ſunt, dum nulla fit perſonarum mentio: ſed quum hic Patris perſona cum Filii perſona conferatur, merito proprietates Apoſtolus diſtinguit. Filius autem Dei quum manifeſtatus fuit in carne, dominium à Patre & poteſtatem omnium accepit, ut ſolus regnet in cælo & in terra, ac Pater ſuum imperium per illius manum exerceat. Hac ratione unicus vocatur Dominus noſter. Cæterum quod ei ſoli dominium tribuitur, non eo ſpectat ut aboleantur mundi ordines. Paulus enim de ſpirituali dominio hic loquitur: dominia autem mundi ſunt politica. Quemadmodum paulo ante quum dicebat, Multi nominantur domini, non de Regibus, aut aliis qui gradu & dignitate excellunt, id intelligebat: ſed de idolis aut dæmonibus, quibus eminentiam ac dominationem affingunt ſtulti homines. Quod ergo religio noſtra Dominum unum agnoſcit, id non obſtat quominus plures dominos habeat politia, quibus honor & reverentia in illo unico Domino debeatur.

7. *At non eſt in omnibus ſcientia.*] Uno verbo refellit quicquid hactenus eorum nomine protulerat: quia ſcilicet non ſufficiat ſi rectum eſſe noverint quod faciunt, niſi fratrum quoque rationem habeant. Quum antea dicebat, Scimus quod omnes habemus ſcientiam: de iis loquebatur, quos reprehendebat ob abuſum libertatis. nunc autem admonet, multos infirmos & rudes ipſis eſſe permiſtos, quibus ſe accommodare debeant. acſi diceret, Vos quidem habetis rectum judicium coram Deo: quod ſi ſoli in mundo eſſetis, tam vobis licitum eſſet idolothytis veſci, quam aliis quibuslibet cibis. Verum circumſpicite fratres veſtros quibus eſtis debitores: vos ſcitis, illi ignorant: non tantum ad veſtram ſcientiam, ſed ad eorum ignorantiam quoque exigi debent

veſtræ

veſtræ actiones. Reſponſio notatu digniſſima: nihil enim magis proclive quam ut ſequatur quiſque propriam utilitatem, aliorum ratione poſthabita. ideo libenter acquieſcimus in proprio judicio: nec cogitamus eorum operum quæ ſub hominum conſpectu facimus, judicium non pendere à noſtra conſcientia duntaxat, ſed etiam fratrum noſtrorum. *Quidam autem cum idoli conſcientia.* Hæc eſt ignorantia, quod aliqua ſuperſtitioſa opinione detinebantur, quaſi aliqua eſſet vis idoli, aut aliqua vis impiæ ac idololatricæ conſecrationis. Non loquitur autem Paulus de idololatris qui prorſus eſſent à pura religione alieni: ſed de rudibus, qui nondum ita bene edocti erant ut intelligerent idolum nihil eſſe, ac proinde conſecrationem quæ idoli nomine fiebat, nullius eſſe momenti. Sic itaque reputabant, Quum idolum ſit aliquid, non eſt prorſus vana conſecratio quæ fit ejus nomine. non ſunt igitur puræ eſcæ, quæ idolis dedicatæ ſemel fuerunt. Itaque ſe nonnihil contrahere pollutionis ſentiebant ſi illis veſcerentur, & ſe quodammodo idolo participare. Hoc genus eſt ſcandali quod in Corinthiis reprehendit Paulus, quum infirmos fratres noſtro exemplo impellimus ut contra conſcientiam aliquid audeant. *Et conſcientia eorum.* Deus nihil vult nos tentare aut aggredi niſi quod certo ſciamus ei eſſe acceptum. Quicquid ergo fit hæſitante conſcientia, propter ejuſmodi hæſitationem coram Deo eſt vitioſum. Atque id eſt quod dicit Rom. 14. v. 23. Peccatum eſſe quicquid ex fide non eſt. Verum ergo eſt illud quod vulgo dici ſolet, eos in gehennam ædificare qui ædificant in conſcientiam. Sicut enim operum bonitas ex timore Dei & conſcientiæ rectitudine manat: ita econverſo nullum eſt in ſpeciem tam bonum opus quod non pravo animi affectu polluatur. Nam qui audet quicquam repugnante conſcientia, aliquem Dei contemptum eo ipſo prodit. hoc enim eſt teſtimonium timoris Dei, quum in omnibus reſpicimus ejus voluntatem. Contemptu ergo non caret, vel digitum movere, quum incertus es an hoc ei diſpliceat. Eſt etiam in cibis alia ratio: neque enim niſi per verbum nobis ſanctificantur. Si abeſt verbum illud, manet ſola pollutio: non quia pollutæ ſint Dei creaturæ, ſed quia impurus hominis uſus. Denique ſicuti fide purificantur corda, ita extra fidem nihil coram Deo purum.

8. Atqui eſca nos non commendat Deo. neque ſi comedamus, abundamus: neque ſi non comedamus, deficimur aliquo.

9. Sed videte ne quo modo facultas hæc veſtra offendiculo ſit infirmis.

10. Siquis enim videat te, utcunque ſcientiam habeas, in epulo ſimulachrorum accumbentem: nonne conſcientia ejus, quum tamen infirmus ſit, ædificabitur ad edendum quæ ſunt idolis immolata?

11. Et peribit frater qui infirmus eſt, in tua ſcientia, propter quem Chriſtus mortuus eſt?

12. Sic autem peccantes in fratres, & vulnerantes conſcientiam illorum infirmam, in Chriſtum peccatis.

13. Quapropter ſi eſca offendit fratrem meum, nequaquam veſcar carnibus in æternum, ne fratri meo ſim offendiculo.

8. *Eſca nos non commendat Deo.*] Hic alter erat vel eſſe poterat Corinthiorum prætextus, Cultum Dei in cibis non eſſe poſitum: ſicuti Paulus ipſe ad
Rom. 14. verſ. 17. Romanos docet, Regnum Dei non eſſe eſcam vel potum. Reſpondet Paulus, Cavendum tamen eſſe ne facultas noſtra proximis noceat. Quo tacite concedit, coram Deo nihil referre quibus veſcamur cibis, quod nobis liberum uſum permittat, quantum ad conſcientiam: ſed hanc libertatem in externa uſurpatione ſubjectam eſſe charitati. Erat ergo vitioſum argumentum Corinthiorum, quod à parte totum colligebant: nam in uſu charitatis ratio includitur. Certum eſt igitur eſcam nos non commendare Deo: atque id fatetur Paulus, ſed excipit charitatem nobis eſſe à Deo commendatam, quam negligere ſit nefas. *Neque ſi comedamus, abundamus.* De ventris abundantia non loquitur: nam qui profanus eſt, ventrem melius habet refertum quam jejunus: ſed intelligit, nihil juſtitiæ nobis accedere nec decreſcere manducando vel abſtinendo. Præterea non de qualibet abſtinentia, nec de quolibet eſu loquitur. Intemperies enim & luxus per ſe Deo diſplicet: placet autem ſobrietas & temperatus modus. Sed intelligamus, regnum Dei, quod ſpirituale eſt, non jacere in his externis obſervationibus: eſſe ergo res medias nullius per ſe momenti coram Deo. Hoc tametſi ex aliorum perſona per anthypophoram adducit, concedit tamen eſſe verum. ſumptum enim eſt ex ejus doctrina quam nuper attigimus.

9. *Videte ne facultas hæc.*] Libertatem relinquit intactam: uſum eatenus temperat ne offendat infirmos. Et nominatim conſuli vult infirmis, hoc eſt, qui nondum bene confirmati ſunt in pietatis doctrina. nam quia vulgo contemni ſolent, eos Dominus reſpici vult ac jubet. Interea ſubindicat, robuſtos gigantes, ſi libertatem noſtram tyrannice arbitrio ſuo ſubjicere velint, ſecure poſſe negligi: quia metuenda non ſit eorum offenſio qui infirmitate non trahuntur ad peccandum, ſed quod reprehendant cupide accerſunt. Quid per *offendiculum* intelligat, mox videbimus.

10. *Siquis enim videat te.*] Hinc clarius apparet quantum ſibi licentiæ permitterent Corinthii: nam quum ſacrum aliquod epulum facerent idolis impii, illuc accedere non dubitabant ut ſacrificio una veſcerentur. nunc demonſtrat Paulus quid mali inde proveniret. Porro quod in priore membro, Qui ſcientiam habes, pro relativo poſui, *Utcunque habeas*: & in ſecundo, Qui infirmus eſt, interpoſui particulam *tamen*: id mihi ad elucidandam Pauli mentem neceſſe fuit. Utitur enim conceſſione, acſi diceret, Eſto, tu ſcientiam habeas: ſed qui te videt, etiamſi nulla ſit præditus cognitione, tuo exemplo confirmatur ad idem audendum: ſine auctore vero nunquam eo progreſſus foret. Nunc ubi habet quem imitetur, ſatis in imitatione excuſationis habere ſe putat: quum tamen agat mala conſcientia. Infirmitas enim ruditatem hic vel conſcientiæ hæſitationem ſignificat. Nec me latet qualiter exponant alii: ſcandalum enim hoc intelligunt, quod rudes exemplo inducti, aliquem religionis cultum hoc modo ſe Deo præſtare opinantur. ſed hæc imaginatio aliena eſt à ſenſu Pauli. Reprehendit enim (ſicut dixi) quod audaciores reddebant imperitos, ut præter conſcientiam ruerent ad tentandum quod ſibi licere non putabant. *Ædificari* hic pro Confirmari capitur. Eſt autem ruinoſa ædificatio quæ in ſana doctrina fundata non eſt.

11. *Et peribit frater.*] Vide quam grave ſit malum quod vulgo parvi æſtimant homines: quicquam ſcilicet aggredi vel dubia vel reluctante conſcientia. Scopus enim quo tendere tota vita nos convenit, eſt

Domini voluntas. Hoc ergo unum eſt quod omnes actiones noſtras vitiat, dum ab ea recedimus: id fit non externo ſolum opere, ſed etiam cogitatione animi, dum nobis quicquam permittimus repugnante conſcientia, etiamſi id per ſe malum non ſit. Meminerimus ergo nos in exitium ruere, quoties adverſus conſcientiam pergimus. Cæterum hanc ſententiam, *Peribit in tua ſcientia*, interrogative lego: acſi diceret, Eſtne rationi conſentaneum, ut tua ſcientia exitii cauſam afferat fratri tuo: an ideo noſti quid rectum ſit, ut alterum perdas? Nomen *fratris* poſuit ut eorum faſtum inhumanitatis damnaret: hoc ſenſu, Eſt quidem infirmus quem tu contemnis, ſed tamen frater: nam eum adoptavit Deus. crudelis es igitur qui fratris curam non habes. Sed vehementius etiamnum quod ſequitur, Rudes quoque aut infirmos Chriſti ſanguine redemptos eſſe. nihil enim indignius, quam Chriſtum non dubitaſſe mori ne infirmi perirent, nos floccipendere eorum ſalutem qui tanto pretio redempti ſint. Dictum memorabile, quo docemur quanti nobis eſſe debeat fratrum ſalus: nec omnium modo, ſed ſingulorum, quando pro unoquoque fuſus eſt Chriſti ſanguis.

12. *Sic autem peccantes in fratres*, &c.] Nam ſi infirmi cujuslibet anima pretium eſt ſanguinis Chriſti: qui ob pauxillum eſcæ fratrem à Chriſto redemptum rurſus in mortem præcipitat, oſtendit quantum ſibi vileſcat Chriſti ſanguis. contemptus ergo ejuſmodi aperta eſt in Chriſtum contumelia. Quomodo vulneretur infirma conſcientia, jam dictum eſt: nempe quum in malum ædificatur, ut audacter & temere longius perrumpat, quam ſibi licere arbitratur.

13. *Quapropter ſi eſca offendit*.] Quo ſeverius faſtuoſam eorum licentiam caſtiget, non tantum ab uno convivio abſtinendum pronunciat potius quam lædatur frater: ſed in totam vitam renunciandum eſſe carnium eſui. neque tantum quid ſit agendum præcipit, ſed ſe ita denunciat facturum. Quanquam autem eſt hyperbolica loquutio: quia vix poſſibile eſt ut quis à carnibus tota vita abſtineat, ſi remaneat in communi vita: ſignificat tamen ſe nunquam uſurum potius ſua libertate, quam ut ſit infirmis offendiculo. Nunquam enim licitus eſt uſus, niſi moderatus ad charitatis regulam. Utinam hoc bene perpenderent qui omnia ſic referunt in ſuum commodum, ut ne pilum quidem cedere de ſuo jure fratrum cauſa ſuſtineant: nec quid Paulus doceat, ſolum attenderent, ſed quid exemplo ſuo præſcribat. Quanto ille nobis ſuperior? quum igitur non recuſet euſque fratribus ſe ſubjicere, cui noſtrum non eadem ſubeunda ſit conditio? Cæterum utcunque obſervatu difficilia ſit hæc doctrina: tamen quod ad ſenſum, facilis eſt, niſi eam alii ineptis gloſſis corrumperent, alii etiam impiis calumniis. Utrique errant in verbo offendendi. Nam Offendere accipiunt pro incurrere in odium vel offenſionem hominum: aut, quod idem fere eſt, facere quod ipſis diſplicеat, vel minus arrideat. Atqui clariſſime patet ex contextu, nihil eſſe aliud quam malo exemplo tanquam obice fratrem impedire à recto curſu, aut illi præbere cauſam lapſus. Non ergo hic diſputat Paulus de retinenda hominum gratia, ſed de ſublevandis infirmis ne concidant, & prudenter regendis ne à recta via deflectant. Sed priores (ut dixi) inepti: alteri etiam improbi & impudentes. Inepti ſunt qui nullum prope uſum rerum indifferentium reliquum faciunt Chriſtianis, ne ſuperſtitioſos offendant. Paulus, inquiunt, omnia hic prohibet ex quibus offendiculum naſcitur. carnes autem die Veneris edere offendiculo non caret. Ergo abſtinendum, non tantum quum adſunt infirmi, ſed abſque exceptione: fieri enim poterit ut reſciſcant. Omitto quod perperam accipiunt verbum Scandalizandi: ſed in hoc hallucinantur, quod non conſiderant Paulum hic invehi adverſus eos qui ſcientia ſua intempeſtive abutuntur coram infirmis, quos docere negligunt. Ergo reprehenſioni amplius locus non erit ſi præcedat doctrina. Deinde non jubet nos Paulus divinare numquid offendiculo futurum ſit quod facimus, niſi quum eſt præſens periculum. Venio ad alteros: ſunt autem pſeudonicodemi, qui hoc prætextu ſe impiis in idololatriæ communicatione accommodant: nec contenti excuſare quod male agunt, alios quoque adigere volunt ad hanc neceſſitatem. Nihil apertius dici poteſt ad perverſam eorum ſimulationem damnandam, quam quod hic docet Paulus, Facere ſcilicet atrocem injuriam & Deo & hominibus eos omnes qui ſuo exemplo infirmos ad idololatriam invitant. Hunc tamen clypeum arripiunt ut oſtendant fovendas eſſe ſuperſtitiones in cordibus rudium, & ipſis ad idololatriam præeundum eſſe, ne libera idololatriæ improbatio eos offendat. Quare non faciam illis hunc honorem ut inſiſtam refellendæ eorum impudentiæ: tantum lectores moneo ut Pauli tempus cum tempore noſtro conferant, & inde æſtiment num Miſſis & aliis abominationibus intereſſe cum tanto infirmorum offendiculo liceat.

Cap. IX.

Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nonne Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? nonne opus meum vos eſtis in Domino?

2. Si aliis non ſum Apoſtolus, vobis tamen ſum: ſigillum enim Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.

3. Hæc mea defenſio eſt apud eos qui in me inquirunt;

4. Numquid non habemus poteſtatem edendi & bibendi?

5. Numquid poteſtatem non habemus circumducendæ uxoris ſororis, quemadmodum & reliqui Apoſtoli & fratres Domini, & Cephas?

6. An ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem hoc agendi?

7. Quis militavit ſuo ſumptu unquam? quis plantat vitem, & ex fructu ejus non comedit? quis paſcit gregem, & lacte gregis non veſcitur?

8. Num ſecundum hominem hæc dico?

9. Numquid Lex quoque eadem non dicit? in Lege enim Moſis ſcriptum eſt, * Non obligabis os bovi trituranti. Numquid boves curæ ſunt Deo?

10. Vel propter nos omnino dicit? Et ſane propter nos ſcriptum eſt, † quoniam debet ſub ſpe, qui arat, arare: & qui triturat, ſub ſpe participandi.

11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum ſi carnalia veſtra metamus?

12. Si alii hanc in vos ſumunt poteſtatem, annon magis nos? atqui non uſi ſumus facultate hac: ſed omnia ſufferimus ut ne quam offenſionem demus Euangelio Chriſti.

* Deut. 24 verſ. 24.

† alias, quia debeat ſub ſpe qui arat, arare: & qui triturat ſub ſpe, ſpei ſuæ particeps eſſe debeat.

1. Non

1. *Non ſum liber?*] Confirmat re ipſa quod proxime dixerat, ſe potius nunquam guſtaturum carnem tota vita, quam ut fratrem offenderet: ac ſimul demonſtrat, ſe nihilo plus exigere ab illis quam quod ipſe præſtiterat. & certe id præſcribit æquitas naturalis, ut quod quiſque juris in alios tulerit, eo ipſe utatur. Potiſſimum autem hanc neceſſitatem ſibi imponat Chriſtianus doctor, ut vitæ exemplo ſemper in promptu habeat doctrinæ ſuæ confirmationem. Experimur valde moleſtum nobis eſſe quod Paulus requirebat à Corinthiis: ut ſcilicet in fratrum gratiam poteſtate ſibi permiſſa abſtinerent. vix hoc impetraſſet, niſi ipſe prior monſtraſſet viam. Atque id quidem ſe facturum receperat: ſed quia in futurum pollicendo, non omnibus feciſſet fidem, quid jam fecerit allegat. Inſigne autem ſpecimen profert, quod libertatem qua uti alioqui poterat, ob id tantum remiſerit, ne pſeudoapoſtolis anſam maledicendi præberet: quum ſcilicet maluit victum manibus quærere, quam ſuſtentari Corinthiorum ſumptu, quibus Euangelium miniſtrabat. Multis autem verbis proſequitur jus illud Apoſtolicum de victu veſtituque accipiendo: partim ut magis eos accenderet ad multa ſuo exemplo in fratrum gratiam remittenda, quod proprii juris retinendi plus æquo tenaces forent: partim ut iniquitatem calumniatorum evidentius exprimeret, qui obtrectandi materiam captabant ex eo quod omni reprehenſione procul aberat. & interrogative loquitur, quo cauſam preſſius urgeat. Illud, Non ſum liber? generale eſt. Quum ſubjicit, *Non ſum Apoſtolus?* ſpeciem libertatis attingit: acſi diceret, Si ſum Chriſti Apoſtolus, cur deterior erit mea quam aliorum conditio? Ergo libertatem probat, quia ſit Apoſtolus. *Nonne Jeſum Chriſtum.* Hoc nominatim adjecit ne qua in parte reliquis Apoſtolis haberetur inferior: nam hoc unum identidem latrabant malevoli & æmuli, per hominum manus ipſum accepiſſe quicquid habebat Euangelii, quum nunquam Chriſtum vidiſſet. Et certe non verſatus erat cum Chriſto in mundo: ſed Chriſtus illi poſt reſurrectionem apparuerat: non minus autem eſt Chriſtum vidiſſe in gloria immortali, quam in humilitate carnis mortalis. Hujus viſionis infra quoque meminit, capite 15. v. 8. & bis ſit mentio in Actis. Hoc ergo membrum ad probandam vocationem ſpectat. quia etſi deſignatus non fuerat unus ex duodecim, non minor tamen fuit ejus decreti auctoritas quod Chriſtus è cœlo promulgavit. *Nonne opus meum vos eſtis.* Ab effectu jam ſecundo loco probat ſuum Apoſtolatum, quia Corinthios lucrifecerat Domino per Euangelium. Porro hoc magnum eſt quod ſibi vendicat Paulus, dum opus ſuum vocat eorum converſionem: eſt enim nova quædam animæ creatio. & quomodo hoc conveniet cum eo quod ſuperius habuimus, Qui plantat nihil eſſe, & qui rigat nihil eſſe? Reſpondeo, quoniam Deus cauſa eſt efficiens, homo cum ſua prædicatione, inſtrumentum quod per ſe nihil poteſt: ſemper ita de miniſterii efficacia loquendum eſſe, ut in ſolidum laus operis penes unum Deum maneat. Sed aliquando quum de miniſterio agitur, homo confertur cum Deo: & tunc valet illud, Qui plantat nihil eſt, & qui rigat nihil eſt. quid enim homini reliquum eſſe poteſt, ſi cum Deo partiatur? Proinde Scriptura, Dei reſpectu, miniſtros in nihilum redigit: ſed quum de miniſterio ſimpliciter agitur ſine Dei comparatione, tunc ornatur ejus efficacia præclaris encomiis, ut hoc loco. Neque enim tunc quæritur quid homo per ſe valeat abſque Deo, ſed potius Deus ipſe auctor cum inſtrumento, & via Spiritus cum hominis opera conjungitur: hoc eſt, non agitur quid homo ipſe efficiat propria virtute, ſed quid Deus per ejus manum.

Actor. 9. verſ. 3. & 22: 6. — *ſupra, 3:7.*

2. *Si aliis non ſum Apoſtolus, vobis* &c.] Summa huc ſpectat, ut Apoſtolatus ſui auctoritatem extra controverſiam ponat apud Corinthios. Siqui ſunt, inquit, qui de Apoſtolatu meo dubitent, vobis tamen extra dubium eſſe debet. nam quum meo miniſterio plantaverim veſtram Eccleſiam, aut non eſtis fideles, aut neceſſe eſt me Apoſtolum à vobis agnoſci. Et ne verbis tantum niti videatur, rem ipſam extare commemorat: quia Deus fide Corinthiorum obſignaverat Apoſtolatum illius. Siquis autem objiciat, hoc quoque pſeudoapoſtolis convenire, qui ſibi diſcipulos aggregant: reſpondeo, puram doctrinam in primis requiri, ut quis ſui miniſterii confirmationem coram Deo habeat ab effectu. Non eſt igitur quod hinc ſibi placeant impoſtores, ſiquam plebeculam deceperint ſuis mendaciis, addo etiam populos & regna. Etſi autem interdum per occaſionem regnum Chriſti propagant, qui tamen non ſincere prædicant Euangelium (ut dicitur Philipp. cap. 1. verſ. 15.) non abs re Paulus à fructu colligit ſe divinitus miſſum eſſe: tale enim fuit Corinthiacæ Eccleſiæ ædificium, in quo facile Dei benedictio fulgeret, quæ ad obſignandum Pauli munus valere debuit.

3. *Mea defenſio eſt apud.*] Ultra præcipuam cauſam in qua nunc verſatur, obiter etiam videtur retundere hic voluiſſe eorum calumnias, qui ſuæ vocationi obſtrepebant, acſi quiſpiam gregarius fuit miniſter. Ego, inquit, ſoleo vos opponere pro clypeo, ſiquis de Apoſtolatus mei honore detrectet. Hinc ſequitur, Corinthios ſibiipſis injurios & malignos eſſe, niſi talem eum agnoſcant: nam ſi eorum fides, ſolennis erat teſtificatio Apoſtolatus Pauli, & defenſio adverſus calumniatores, non poterat hic labefactari quin illa concideret. Ubi alii legunt, *Qui me interrogant*, ego verti, *Qui in me inquirunt.* Eos enim ſignificat qui de ſuo Apoſtolatu diſceptationem movebant. Latini ſcriptores, fateor, dicunt reum legibus interrogari: ſed verbum ἀνακρίνειν quod Paulus uſurpat, melius hoc modo exprimi viſum eſt.

4. *Numquid habemus poteſtatem.*] Infert ex jam dictis, ſibi jus fuiſſe victus ac veſtitus ab illis accipiendi: edebat enim Paulus ac bibebat, ſed non Eccleſiæ ſumptu. Hæc igitur jam una libertas, à qua ſuperſedebat: altera, quod uxorem non habebat, quæ etiam publicis ſtipendiis aleretur. quanquam ex his verbis colligit Euſebius, Paulum fuiſſe conjugatum: uxorem autem collocaſſe certo loco, ne oneri eſſet Eccleſiis. ſed id perperam: potuit enim cælebs hoc nihilominus jactare. Quod Chriſtianam uxorem Sororis nomine inſignit, primum eo declarat quam firma inter pios conjuges & amabilis eſſe debeat conjunctio, quæ duplici vinculo continetur: deinde innuit etiam quanta inter eos modeſtia & honeſtas eſſe debeat. hinc etiam colligere licet quam non alienum ſit miniſtris Eccleſiaſticis conjugium. Taceo quod Apoſtoli uſi ſunt: de quorum exemplo mox dicetur. ſed hic generaliter docet Paulus quid omnibus liceat.

5. *Quemadmodum & reliqui Apoſtoli.*] Permiſſioni Domini communem etiam aliorum uſum ſubnectit. Ac quo magis amplificet illam juris ſui abſtinentiam, gradatim procedit: initio profert Apoſtolos: deinde addit, Imo ipſi quoque fratres Domini ſine difficultate utuntur: quin etiam ipſe Petrus, cui primæ, omnium conſenſu, deferuntur, ſibi idem permittit. Per *fratres Domini*, Joannem & Jacobum intelligit, qui habebantur columnæ, ut alibi tradit. *Gal. 2: 9.* Et Fratres vocat uſitato Scripturæ more, qui cognatione eum attingebant. Siquis vero Papatum hinc ſtatuere velit, faciet ridicule. Petrum quidem primum fuiſſe agnitum inter Apoſtolos fatemur, ut neceſſe eſt ſemper in quovis cœtu eſſe aliquem qui aliis præeat: & ultro Petrum reverebantur, propter eximias dotes quibus pollebat: ut par eſt omnes in pretio habere & honore, qui Dei gratiis antecellunt. Sed primatus ille dominium non fuit: imo nihil ſimile habuit cum dominatione. Sicut

enim eminebat inter alios, ita ſuberat ſuis collegis: porro aliud eſt primas tenere in una Eccleſia, aliud regnum ſibi aut principatum vendicare in totum orbem. Quanquam ut omnia de Petro concedamus, quid hæc ad Pontificem? Nam ut Judæ ſucceſſit Matthias, ita Petro potuit aliqois Judas ſuccedere. imo videmus jam annis pluſquam nongentis, ex ejus ſucceſſoribus (ſaltem qui ſe jactant ſucceſſores) neminem extitiſſe Juda pilo meliorem. Sed his tractandis non eſt hic locus: legatur Inſtitutio oostra. Unum præterea hic notandum eſt, à conjugio quod tantopere execratur Papalis clerus, tanquam ordinis ſui ſanctitate indignum, Apoſtolos non abhorruiſſe. Sed poſtea nata eſt præclara illa ſapientia, pollui Domini ſacerdotes ſi uxoribus legitimis commiſceantur. & tandem eouſque ventum eſt, ut Pontifex Syricius non dubitaverit vocare matrimonium carnis immunditiem, in qua nullus Deo placere poteſt. Qujd ergo fiet miſetis Apoſtolis, qui in hac immunditia uſque ad mortem perſeverarunt? Verum hic excogitarunt elegantem argutiam qua evaderent. thoro enim conjugali Apoſtolos renunciaſſe dicunt, ſed uxores ſecum duxiſſe ad percipiendos Euangelii fructus, boc eſt, alimenta ex ſumptu publico. Quaſi vero non potuerint ali ab Eccleſiis, niſi buc illuc vagarentur: quaſi etiam credibile ſit, illas ſponte nullaque neceſſitate curſitaſſe, ut otioſæ ex publico viverent. nam quod Ambroſius de mulieribus alienis interpretatur, quæ audiendæ doctrinæ ſtudio Apoſtolos ſequebantur, nimis eſt coactum.

7. *Quis militavit ſuo ſumptu.*] Tempus verbi præſens eſt, pro militare ſolet: quod tamen mitigandæ aſperitatis cauſa in præterito reliqui. Porrò jam tribus ſimilibus, & iis ex communi hominum vita deſumptis, confirmat ſibi licuiſſe, ſi vellet, vivere ex publico Eccleſiæ ſumptu: ut oſtendat, nihil ſibi aliud ſumere, quam quod dictat ipſa bumanitas. Prima ſumpta eſt à jure militari: annona enim ex publico curari ſolet militibus. Secunda à vinitoribus: plantat enim vitem agricola, non ut ludat operam, ſed ut fructum colligat. Tertia à pecuariis: paſtor enim non gratuitam operam impendit, ſed veſcitur lacte gregis, hoc eſt, ex proventu alitur. Hoc eſſe æquiſſimum quum naturalis æquitas præſcribat, quis tam iniquus erit ut victum neget Eccleſiæ paſtoribus? Quod autem accidere poteſt ut propriis obſoniis quidam militent: quemadmodum olim Romani, dum tributum nondum conferebatur, nec erant ulla vectigalia: illud nihil pugnat cum Paull verbis: tantum enim argumeotatur ex vulgari & ubique recepta conſuetudine.

8. *Num ſecundum hominem.*] Ne quis calumniaretur, aliam eſſe in negotiis Domini rationem, ideoque tot ſimilia fruſtra eum protuliſſe: nunc ſubjungit, idem quoque à Domino præcipi. Secundum hominem loqui, interdum eſt loqui ex perverſo carnis ſenſu, ſicut ad Rom. 3. v. 5. hic autem ſignificat tantum ea adducere quæ ſunt inter homines uſitata, & tantum in foro bumano (ut loquuntur) valent. Quod autem Deus ipſe quoque voluerit mercede hominum operas munerari, probat ex en quod vetet obligare os bovi trituranti: atque ut ad præſentem cauſam accommodet, negat de bobus ſollicitum fuiſſe Deum, ſed magis ad homines ſpectaſſe. Primum quæri poteſt cur hanc probationem potiſſimum elegerit, quum locos haberet multo illuſtriores in Lege: ſicuti Deuter. 24 v. 14. Non dormiet apud te merces mercenarii. Verum ſi quis propius intueatur, agnoſcet plus energiæ buic teſtimonio ſubeſſe, in quo Dominus pecudes commendat: nam inde à minori ad majus colligitur quantam æquitatem requirat inter homines, quum eam brutis animalibus velit ſervari. Quod autem dicit, non eſſe curæ Deo boves, non ita intelligas quaſi excludere velit boves à providentia Dei, quum ne minimum quidem paſſerculum negligat: neque etiam quaſi velit allegorice exponere præceptum illud: quemadmodum nonnulli vertiginoſi ſpiritus occaſionem binc arripiunt omnia ad allegorias transferendi: ita ex canibus faciunt homines, ex arboribus Angelos, & totam Scripturam ludendo pervertunt. Senſus autem Pauli ſimplex eſt, Quod Dominus bumanitatem erga boves præcipit, oon id facere boum gratia, ſed hominum potius reſpectu, propter quos etiam boves ipſi creati ſunt. Illa igitur erga boves clementia nobis exercitatio eſſe debet ad excitandam inter nos humanitatem: quemadmodum dicit Solomo Proverb. 12. v. 10. Vir juſtus babet curam jumenti ſui: viſcera autem pravorum crudelia ſunt. Intellige ergo non ita eſſe curæ Deo boves, ut ſolam boum rationem habuerit in ferenda Lege: homines enim reſpexit, ac eos aſſuefacere voluit ad æquitatem, ne operarium frandarent ſua mercede. Neque enim primæ ſunt bovis partes in arando aut triturando: ſed hominis, cujus induſtria bos ipſe ad opus applicatur. Ergo quod continuo ſubjicit, Qui arat, debet ſub ſpe arare, &c. enarratio eſt præcepti, acſi diceret, generaliter extendi ad quamvis laboris mercedem.

10. *Quoniam debet ſub ſpe.*] Duplex eſt lectio boc loco, etiam in Græcis exemplaribus: ſed altera magis recepta, Qui triturat, ſub ſpe participandi ſpem ſuam. Quanquam ſimplicior & magis germana videtur quæ in ſecundo membro bis Spei nomen non repetit. Ergo ſi mihi libera eſſet optio, ita legere mallem, Debet qui arat, ſub ſpe arare, & qui triturat, ſub ſpe participandi. Quia tamen in priorem fere Græci codices coosentiunt, & ſenſus idem manet, ab illa non auſus ſum diſcedere. Exponit autem ſuperius præceptum: ideo dicit iniquum eſſe ut fruſtra agricola operam ſuam arando & triturando impendat: ſed finem laboris eſſe ſpem percipiendi fructus. quum ita ſit, colligere licet, id ad boves quoque pertinere: ſed conſilium Pauli fuit extendere longius, & præcipue accommodare ad bomines. Jam ſpem ſuam participare dicitur agricola, dum proventu fruitur, quem adeptus eſt in meſſe, in aratiooe vero ſperavit.

11. *Si nos vobis ſpiritualia.*] Reſtabat unum cavillum. objici enim poterat, non eſſe dubium quin labores ad hanc vitam pertinentes, mercedem habere victum & veſtitum debeant: arationem & trituram fructum proferre, cujus fiunt participes qui in illis laborant: ſed aliam eſſe ratiooem Euangelii, quia fructus ſit ſpiritualis: proinde verbi miniſtrum, ſi fructum laboris ſui ſimilem percipere velit, nibil carnale poſcere debere. Ne quis ergo ita cavillaretur, argumentatur à majori ad minus, acſi diceret, Quanquam non ejuſdem eſt generis victus & veſtitus cum miniſtri opera: quam tamen injuriam accipitis, ſi quod inæſtimabile eſt, compenſatis re tenui & viliſſima? Quanto enim excellentior eſt anima corpore, tanto verbum Domini victui externo præſtat, quum ſit animæ cibus.

12. *Si alii hanc in vos.*] Rurſum aliorum exemplo jus ſuum confirmat. cur enim illi ſoli non concederetur quod alii tanquam ſibi debitum ſumebant? nam quum nemo plus laboraſſet inter Corinthios, nemo mercede dignior. Cæterum non recitat quid fecerit, ſed quid facturus jure ſuo fuerit, niſi ultro abſtinuiſſet. *Atqui non uſi ſumus facultate hac.* Redit nunc ad cauſæ cardinem, ſe ultro ceſſiſſe ea poteſtate quam ei negare nullus poterat: omniaque maluiſſe perpeti, quam committere ſua licentia, ut curſus Euangelii impediretur. Hunc igitur finem Corinthiis vult eſſe ſuo exemplo propoſitum, ne Euangelio ponant obſtaculum vel remoram. nam quod de ſe teſtatur, idem ex eorum officio erat præſtare: atque hic confirmat quod prius dixit, videndum eſſe quid expediat.

13. Neſcitis quod qui ſacris operantur, ex ſacrario edunt? & qui altari * miniſtrant, altaris ſunt participes?

* Ad verbum, *adſtant.*

14. Sic & Dominus ordinavit, ut qui Euangelium annunciant, vivant ex Euangelio.

15. Ego autem nullo horum uſus ſum. Neque vero hæc ſcripſi ut ita mihi fiat: mihi enim ſatius eſt mori, quam ut gloriam meam quis exinaniat.

16. Nam ſi euangelizavero, non eſt quod glorier: quandoquidem neceſſitas mihi incumbit, ut væ ſit mihi, ſi non euangelizem.

17. Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi eſt credita.

18. Quæ igitur mihi merces? ut quum euangelizo, gratuitum impendam Euangelium Chriſti, ut non abutar poteſtate mea in Euangelio.

19. Liber enim quum eſſem ab omnibus, ſervum me omnibus feci, ut plures lucriaciam.

20. Itaque factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifaciam: iis qui ſub Lege erant, tanquam Legi ſubjectus, ut eos qui erant ſub Lege, lucrifaciam:

21. Iis qui ſine Lege erant, tanquam exlex (tametſi non abſque Lege, Deo, ſed ſubjectus Legi Chriſti) ut eos qui ſine Lege erant, lucrifaciam.

22. Factus ſum infirmis tanquam infirmus, ut infirmos lucrifaciam: omnibus omnia factus ſum, ut omnino aliquos ſervem.

13. *Neſcitis.*] Præter quæſtionem quam agitat, apparet diutius in hujus rei commemoratione fuiſſe immoratum, ut oblique Corinthiis ſuam malignitatem exprobraret, quod patiebantur Chriſti miniſtris obtrectari in re tam licita. Niſi enim Paulus ſponte ſua libertate abſtinuiſſet, periculum erat ne Euangelio via præcluderetur. Id nunquam conſequuti fuiſſent pſeudoapoſtoli, niſi ingratitudo, ad quam propenſi jam erant Corinthii, Corinthiis viam aperuiſſet eorum calumniis. Debuerant enim acriter eas repellere: præbebant autem ſe nimium credulos, ut parati eſſent Euangelium reſpuere, ſi Paulus jure ſuo uſus foret. Hic Euangelii contemptus, atque hæc inhumanitas adverſus ſuum Apoſtolum merebatur durius reprehendi: ſed Paulus aliam occaſionem nactus, tacite & leniter pro ſua modeſtia eam perſtringit, ut eos abſque ſugillatione admoneat. Iterum novo ſimili utitur, ut probet ſe poteſtate non fuiſſe uſum, quam habebat à Domino. Neque amplius aliunde mutuatur exempla, ſed oſtendit hoc à Domino fuiſſe ordinatum, ut miniſtris alimenta ſuppeditent Eccleſiæ. Sunt qui putant duas eſſe comparationes in hoc loco: & priorem quidem ad Domini ſacerdotes, alteram ad deorum Gentilium ſacrificos referunt. ſed ego potius exiſtimo, Paulum more ſuo diverſis verbis eandem rem deſignaſſe. Et ſane infirmum fuiſſet argumentum petitum à Gentilium conſuetudine, apud quos ſacerdotiorum proventus non ad victum & veſtitum, ſed ad magnificos apparatus, ad regiam pompam & profuſum luxum deſtinabantur. fuiſſent igitur res nimium remotæ. Non tamen repugno quin diverſas miniſteriorum ſpecies notaverit: erant enim majoris ordinis Sacerdotes, erant poſtea Levitæ illis ſubjecti, ut notum eſt. ſed illud non multum ad rem. Summa hæc eſt, Sacerdotes Levitici Iſraëliticæ Eccleſiæ miniſtri erant: his alimenta Dominus ex ſuo miniſterio ordinavit: ergo in miniſtris Chriſtianæ Eccleſiæ eadem hodie æquitas ſervanda. miniſtri autem Eccleſiæ Chriſtianæ ſunt qui Euangelium annunciant. Citatur hic locus à Canoniſtis, dum probare volunt ſaginandos eſſe otioſos ventres ut ſacrificia ſua peragant: ſed quam inepte, pueris quoque ipſis relinquo judicandum. Quicquid in Scripturis habetur de victu miniſtris ſuppeditando, aut de habendo illis honore, ſtatim abripiunt & torquent ad ſuum commodum. Ego autem tantum lectores moneo ut verba Pauli expendant. Ratiocinatur alendos eſſe paſtores qui Euangelii prædicatione laborant: quia ſacerdotibus olim victum aſſignaverit Dominus, eo quod Eccleſiæ ſervirent. ergo diſcrimen inter vetus & hodiernum ſacerdotium tenendum eſt. Creabantur in Lege ſacerdotes qui ſacrificiis præeſſent, ſervirent altari, & tabernaculi ac templi curam haberent: creantur hodie qui verbum annuncient, & Sacramenta diſpenſent Nulla ſacrificia inſtituit Dominus, quibus occupentur ſacri miniſtri: nulla ſunt ad immolandum altaria, quibus aſſiſtant. Apparet igitur quam ſint ridiculi qui anagogen illam à ſacrificiis alio quam ad Euangelii prædicationem trahunt. quin potius ex hoc loco promptum eſt colligere, ſacrilegos eſſe omnes Papiſticos ſacerdotes, ab ipſo capite ad infimum membrum: qui reditus veris miniſtris deſtinatos ingurgitant, quum officio minime omnium fungantur. Quos enim miniſtros alere præcipit Apoſtolus? qui Euangelio prædicando incumbunt. quo jure ſacerdotiorum proventus arrogant ſibi illi? quia cantillant & ſacrificant. atqui nihil illis tale mandavit Deus. conſtat igitur alienam mercedem ab illis rapi. Cæterum quum dicit Leviticos ſacerdotes altaris fuiſſe participes, & ex ſacro ediſſe, μετωνυμικῶς donaria ſignificat quæ Deo offerebantur. Nam ſanctas hoſtias ſibi integras vendicabant: è minoribus armum dextrum & renunculos & caudam, præterea decimas, oblationes & primitias. ἱερὸν ergo ſecundo loco pro ſacrario recipitur.

15. *Neque vero hæc ſcripſi.*] Quoniam videri poterat captaſſe in futurum ut ſibi merces rependeretur à Corinthiis, eam ſuſpicionem tollit: ac tantum ſe abeſſe teſtatur ab hac voluntate, ut mortem oppetere malit quam committere ut hæc gloria ſibi pereat, nempe quod gratuitam operam impenderet Corinthiis. Neque mirum eſt tanti æſtimaſſe hanc gloriam, unde Euangelii auctoritatem pendere aliqua ex parte cernebat. Nam ita præbuiſſet anſam ſibi inſultandi pſeudoapoſtolis: unde periculum erat ne illo contempto Corinthii magno plauſu hos exciperent: tantum Euangelii promovendi facultatem nimirum propriæ vitæ præferebat.

16. *Nam ſi euangelizavero.*] Ut oſtendat quanti momenti fuerit hujus gloriæ jacturam non feciſſe, indicat quid futurum fuerit ſi ſuo duntaxat miniſterio defunctus eſſet: nempe nihil hoc modo aliud ſe fuiſſe facturum, quam quod præciſa neceſſitate ſibi injunctum erat à Domino. id præſtando, negat ſibi fuiſſe gloriandi materiam, quum effugere non poſſet. Quæritur autem quam hic gloriam intelligat: nam alibi gloriatur quod verſatus ſit in officio docendi pura conſcientia. Reſpondeo, ipſum de gloria loqui quam opponere pſeudoapoſtolis poterat, quum captarent maledicendi prætextum: ſicuti ex conſequentibus melius patebit. Porro hæc inſignis

gnis ſententia eſt, unde primum diſcimus quale ſit vocationis, & quam arctum vinculum in miniſtris: deinde quid ferat ac ſub ſe contineat officium paſtorale. Qui ergo ſemel vocatus eſt, non putet ſe amplius liberum eſſe, ut pedem quum libuerit, reducat, ſi forte moleſtias pertæſus aut incommodis gravatus fuerit. addictus enim eſt Domino & Eccleſiæ, & ſacro nexu devinctus, quem abrumpere nefas eſt. Quod ad ſecundum ſpectat, maledictionem ſibi paratam eſſe tradit, niſi euangelizet. Cur? nempe quoniam ad id ſit vocatus, ideoque neceſſitate urgeatur. Quicunque ergo in ejus officium ſuccedit, hanc neceſſitatem quomodo effugiet? qualis ergo eſt Apoſtolorum ſucceſſio in Papa & cornutis Epiſcopis, qui nihil magis alienum à ſua perſona exiſtimant, quam docendi munus?

17. *Si enim volens hoc facio.*] *Merces* hic dicitur quod Latini vocant Operæpretium, quod ante vocavit Gloriam. quanquam alii ſecus interpretantur: nempe quod merces ſit propoſita omnibus qui fideliter & ex animo ſuum officium exequuntur. Ego autem per Voluntarium intelligo qui tam alacriter ſe gerit, ut in unum ædificandi ſtudium intentus, nihil detrectet quod utile Eccleſiæ fore noverit. ſicuti ex adverſo Invitos appellat qui neceſſitati quidem parent in agendo: ſed maligne agunt, quia non libenter. Hoc enim ſemper accidit, ut qui ſtudioſe negotium aliquod ſuſcipit, ſponte etiam ſubeat omnia: quæ prætermiſſa, operis effectum impedirent. Ita Paulus quum voluntarius eſſet, non tantum perfunctorie docebat: ſed nihil omittebat quod aptum eſſe cognoſceret doctrinæ promovendæ & adjuvandæ. Proinde hoc illi erat operæpretium, & hæc gloria, quod prompto animo jus ſuum remittebat, eo quod libenter & ſerio zelo in ſuum munus incumberet. *Si autem invitus, diſpenſatio mihi eſt.* Utcunque alii exponant, hic (meo judicio) germanus eſt ſenſus, Ejus obſequium minime approbari Deo, qui illiberaliter & quaſi reluctante animo illud obit. Simul ergo atque aliquid nobis à Deo injunctum eſt, fallimur ſi putamus nos rite defunctos dum maligne illud implemus. alacres enim miniſtros requirit Dominus, qui morem illi gerendo gaudeant, & hilaritatem ſuam declarent promptitudine agendi. In ſumma, intelligit Paulus tunc demum vocationi ſuæ ſatisfactum iri, ſi volens & liberali ſtudio partes ſuas impleat.

18. *Quæ igitur mihi merces?*] Concludit ex ſuperioribus, ſibi inde gloriam conſtare quod gratuito ſerviat Corinthiis: quia inde apparet libenter ipſum docendi officio incumbere, quod omnibus Euangelii obſtaculis diligenter occurrat: nec contentus docuiſſe, ſtudeat modis omnibus promovere doctrinam. Hæc igitur eſt ſumma, Mihi neceſſe eſt Euangelium prædicare: ſi non facio, væ mihi: quia repugno Dei vocationi. ſed non ſatis eſt prædicare, niſi libenter hoc faciam: neque enim qui invitus exequitur Dei mandatum, reſpondet officio ſuo ut decet. quod ſi libenter obedio Deo, tum mihi licebit gloriari: proinde gratuitum Euangelium facere mihi neceſſe fuit, ut gloriari jure poſſem. Hoc loco nituntur Papiſtæ ad ſtabiliendum ſuum commentum de operibus ſupererogationis. Paulus, inquiunt, officio ſatisfeciſſet Euangelium prædicando: addit autem ultra aliquid ad cumulum: ergo ſupererogat aliquid quod non debet, diſtinguit enim inter Voluntarium & Neceſſarium. Reſpondeo, Paulum ultra quidem progreſſum fuiſſe, quam ferret ordinaria vocatio paſtorum: quia ſtipendio abſtinuerit, quod Dominus permittit paſtoribus ſumere. Cæterum quum eſſet ex ejus officio, quæcunque offendicula providebat, illis obviare: cerneret autem Euangelii curſum impeditum iri ſi facultate ſua uteretur: tametſi illud erat extraordinarium, dico tamen nihil tum Deo præſtitiſſe plus quam deberet. Quæro enim annon boni ſit paſtoris, offendicula quantum in ſe eſt tollere: quæro iterum quid aliud fecerit Paulus. non eſt igitur quod eum aliquid indebitum Deo contuliſſe fingamus, quum nihil aliud præſtiterit niſi quod flagitabat officii neceſſitas, tametſi extraordinaria. Faceſſat igitur impia illa imaginatio, nos operibus ſupererogationis delicta coram Deo compenſare: imo nomen ipſum faceſſat, quod turget diabolica ſuperbia. hic certe locus perperam ad eum ſenſum torquetur. In genere autem ſic refellitur Papiſtarum error, Quæcunque opera ſub Lege comprehenduntur, falſo vocantur ſupererogationis, ſicuti patet ex verbis Chriſti, Quum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Servi inutiles ſumus: quæ Luc. 17.
debuimus facere, fecimus. Atqui nullum fatemur verſ. 10.
eſſe bonum opus, nec Deo acceptum, quod Lege Dei comprehenſum non ſit. Hoc ſecundum ita probo, Duo ſunt ordines bonorum operum: aut enim ad Dei cultum, aut ad charitatem referuntur omnia. Nullum autem ad Dei cultum pertinet, quod non contineatur ſub hoc capite, Diliges Dominum ex toto corde, tota anima, totis viribus: nullum etiam officium eſt charitatis quod non requiratur illo præcepto, Diliges proximum ſicut teipſum. Quod autem objiciunt Papiſtæ, fieri poſſe ut quis decimam redituum ſuorum partem erogando, ſit Deo acceptus: & inde inferunt, ſi ad quintam uſque partem procedat, ſupererogare. hujus argutiæ facilis eſt dilutio: nam quod approbantur opera piorum, id nequaquam ex eorum perfectione contingit: ſed quia imperfectio ac defectus non imputatur. quare ſi centuplo amplius faciant, ne ſic quidem metam excedunt debiti officii. *Ut non abutar poteſtate.* Hinc apparet, uſum noſtræ libertatis qui ſcandalum parit, importunam eſſe licentiam & abuſum. Regula ergo tenenda eſt, ne cauſam offendiculis demus. Atque hic locus melius confirmat quod nuper attigi, Paulum nihil erogaſſe quod non exigeret officii ratio, quia libertas à Deo conceſſa, nullo modo debuit in abuſum trahi.

19. *Liber quum eſſem ab omn.*] Ἐκ πάντων, hoc eſt, ab omnibus, tam neutro genere quam maſculino poteſt accipi. in neutro, ad res: in maſculino, ad perſonas referetur. Ego ſecundum hoc malo. hactenus uno particulari exemplo demonſtraverat quam diligenter ſe accommodaſſet infirmis: nunc ſubnectit generalem clauſulam: & deinde plures ſpecies enumerat. Genus hoc eſt, quod nullius ſub poteſtate quum eſſet, vixerit tamen quaſi ſub omnium arbitrio: & infirmis ſe ultro ſubjecerit, à quibus ſolutus erat. ſpecies ſunt, quod inter Gentiles verſatus ſit tanquam Gentilis, inter Judæos ſe geſſerit tanquam Judæum: hoc eſt, quum inter Judæos diligenter obſervaret ceremonias, non minori ſtudio cavit ne Gentes earum obſervatione offenderet. Adjungit particulam *tanquam*, ut ſignificet, nihil propterea de ſua libertate fuiſſe imminutum: nam utcunque ſe attemperaret hominibus, manebat tamen ſemper interim ſimilis ſui intus coram Deo. *Omnia fieri*, eſt ſe in omnes formas mutare, prout res poſtulaverit: aut diverſas perſonas pro hominum varietate induere. Quod ſe *exlegem factum* dicit & *ſub Lege*, tantum intellige de parte ceremoniali: nam quæ pars ad mores pertinet, communis erat tam Gentium quam Judæorum: nec licuiſſet Paulo eatenus gratificari hominibus. In rebus enim mediis duntaxat valet hæc doctrina, ut ſuperius dictum eſt.

21. *Tametſi non abſque Lege, Deo.*] Voluit hac parentheſi mollire verbi duritiem: nam prima ſpecie durum fuiſſet, audire ipſum factum fuiſſe exlegem. Itaque ne id in partem ſiniſtram traheretur, per modum correctionis addidit, ſe Legem ſemper retinuiſſe, ut ſcilicet Chriſto eſſet ſubjectus. Quo etiam ſubindicat, falſo & indigne ſibi invidiam conflari: perinde acſi ad effrenem licentiam vocaret homines, quum docebat exemptionem à ſervitute Legis

Digitized by Google

gis Moſaicæ. *Legem* vero *Chriſti* diſerte exprimit, ut falſum probrum diluat, quod inurebant pſeudo-apoſtoli Euangelio: ſignificat enim, nihil in Chriſti doctrina omitti, quod ad perfectam recte vivendi legem faciat.

22. *Factus ſum infirmis tanquam infirmus.*] Nunc iterum generali ſententia utitur, in qua demonſtrat cujuſmodi hominibus ſe accommodaverit, & in quem finem. Judaizabat coram Judæis, ſed non omnibus. erant enim multi pervicaces, qui Phariſaica vel ſuperbia vel malitia libertatem Chriſtianam ſublatam prorſus optaſſent, quibus nunquam tantum detuliſſet: nam tales à nobis curari non vult
Mat. 15. Chriſtus: Sinite eos, inquit, cæci ſunt & duces cæco-
verſ. 14. rum. Infirmis ergo mos gerendus eſt, non præfractis. Porro finis erat ut eos Chriſto adduceret: non ut ſuo commodo ſerviret, vel retineret eorum benevolentiam. His addendum eſt tertium, nonniſi in rebus mediis, quæ alioqui in libertate noſtra ſitæ ſunt, infirmis eum obſecundaſſe. Nunc ſi conſideremus quantus fuerit vir Paulus, qui hucuſque ſe demiſit, nonne pudere nos debet, homines præ illo fere nihili, ſi nobis addicti faſtidiamus infirmos, illiſque aliquid concedere non dignemur? Cæterum ut infirmis attemperare nos convenit, ſecundum Apoſtoli præceptum, idque in rebus mediis, & in eorum ædificationem: ita perperam faciunt, qui ut ſecuritati ſuæ conſulant, cavent hominum offenſiones, & potius improborum quam imbecillium. Bis autem peccant qui non diſtinguunt inter res indifferentes ac illicitas: ideoque non dubitant in hominum gratiam res à Domino prohibitas ſuſcipere. Sed cumulus mali eſt, quod hac Pauli ſententia abutuntur ad excuſandam pravam ſuam ſimulationem. Verum ſi quis tria illa teneat quæ breviter annotavi, in promptu habebit quo refellat. Et notandum eſt verbum quod in clauſula ponit. oſtendit enim quorſum omnes ſtuduerit lucrifacere, nempe in eorum ſalutem. Quanquam hic demum generalem ſententiam temperat, niſi forte magis placeat lectio veteris Interpretis, quæ adhuc hodie in quibuſdam Græcis codicibus reperitur. Nam hoc etiam loco repetit, *Ut omnino aliquos ſervem.* Sed quia ſucceſſu interdum caret indulgentia cujus Paulus meminit, optime convenit hæc reſtrictio: quamvis non proficeret apud omnes, non tamen deſtitiſſe quin paucorum ſaltem utilitati conſuleret.

23. Hoc autem facio propter Euangelium, ut particeps ejus fiam.

24. An neſcitis quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit præmium? ſic currite ut comprehendatis.

25. Porro quicunque certat, per omnia temperans eſt. illi quidem igitur, ut perituram coronam accipiant: nos autem, ut æternam.

26. Ego itaque ſic curro, ut non in incertum: ſic pugilem ago, non velut aërem feriens.

27. Verum ſubigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne quo modo fiat, ut quum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

23. *Ut particeps ejus fiam.*] Quia poterant ſecum reputare Corinthii, ſpeciale hoc fuiſſe in Paulo, ratione officii: argumentatur à fine ipſo, Commune hoc eſſe omnium Chriſtianorum: nam quum hoc ſe quæſiſſe teſtatur, ut Euangelii fieret particeps: Euangelii communione innuit indignos eſſe omnes qui non paria ſecum faciant. Participem Euangelii fieri, eſt ejus fructum percipere.

24. *An neſcitis quod qui in ſtadio.*] Doctrinam poſuit. nunc ut illam infigat Corinthiorum animis, addit exhortationem. Dicit autem in ſumma, nihil eſſe quod hactenus erant conſequuti, niſi conſtanter perſiſtant: quia non ſufficiat ſemel ingreſſos eſſe viam Domini, niſi contendant uſque ad metam:
Mat. 10. ut habet Chriſti ſententia, Qui perſeveraverit uſ-
verſ. 22. que in finem, &c. Verum ſimilitudinem mutuatur à certamine curſorio. nam ut illic multi quidem in arenam deſcendunt, ſolus autem is coronatur qui metam primus occupaverit: ita non eſt cur ſibi quiſquam placeat quod ſemel ingreſſus ſit in ſtadium Euangelii, niſi uſque ad mortem pergat. Id autem diſſimile eſt inter noſtrum & illorum certamen, quod apud illos unus eſt victor, & palma potitur qui alios omnes antevertit: noſtra autem melior eſt conditio, quod plures ſimul eſſe poſſunt: quia nihil aliud exigit à nobis Deus, quam ut ſtrenue progrediamur ad metam uſque. Ita alter non officit alteri: quin potius juvantur mutuo conatu qui in Chriſtiano ſtadio currunt. Hanc eandem ſententiam aliter exprimit, 2 Timoth. 2. v. 5. Si quis certet, non coronatur niſi legitime certaverit. *Sic currite.* Eſt applicatio ſimilitudinis: quod non ſatis ſit cœpiſſe, niſi tota vita curramus. Eſt enim vita noſtra ſtadii inſtar. non oportet igitur nos fatigari poſt aliquantum temporis, tanquam in medio ſpatio: ſed finis currendi ſit ſola mors. Particula ἵνα, dupliciter poteſt accipi. Chryſoſtomus ſuperioribus conjungit, hoc modo, Ut curſores illi non deſinunt currere donec ad metam pertigerint: ſic etiam perſeverate, nec facite finem currendi quamdiu vivitis. ſed neque inepte cohærebit ſequentibus, acſi diceret, Non eſt ita currendum ut deficiatis in medio ſtadio, ſed ita ut palmam adipiſcamini. De nomine ſtadii & de generibus curſuum nihil dico, quod hæc peti à Grammaticis poſſint: & vulgo notum eſt fuiſſe alios equeſtres curſus, alios pedeſtres. neque hæc ad Pauli mentem intelligendam admodum ſunt neceſſaria.

25. *Porrò quicunque certat.*] Quoniam hortatus erat ad perſeverantiam, reſtabat dicendum quæ eſſet perſeverandi ratio. hoc ſecundum jam declarat ſimilitudine à pugilibus deſumpta: non id quidem in univerſum, ſed quantum præſens cauſa flagitabat, in qua ſe continet, nempe quantum concedi debeat fratrum infirmitati. Argumentatur autem à minori ad majus, indignum eſſe ſi gravemur abſtinere à jure noſtro: quum ſe pugiles, coliphio tenuiter neque ad ſatietatem veſcentes, deliciis omnibus ultro defraudent, quo ſint ad pugnam agiliores: idque faciant cauſa marceſcibilis coronæ. quod ſi tanti illi æſtimant frondeam coronam quæ ſtatim marceſcit: quanti nobis eſſe debet corona immortalitatis? Proinde ne durum ſit nobis aliquid de facultate noſtra cedere. Athletas frugaliſſimo victu fuiſſe contentos notum eſt, ut victus eorum in proverbium exierit.

26. *Ego itaque ſic curro.*] Redit ad ſeipſum, ut plus ponderis habeat doctrina, ſi ſe tanquam exemplar propoſuerit. Quod hic dicit, nonnulli ad ſpei certitudinem referunt: acſi dixiſſet, Non fruſtra curro, nec deludenda opera periclitor: quia habeo Domini promiſſionem, quæ nunquam fallit. ſed mihi potius videtur velle curſum fidelium recta ad metam dirigere, ne vagus ſit ac erroneus: hoc ſenſu, Dominus hic nos curſu & lucta exercet: verum

rum nobis ſcopum proponit, quo tendere debeamus, & legem pugilatus certam præſcribit, ne inutiliter nos fatigemus. Comprehendit autem ambas ſimilitudines quibus uſus fuerat. Scio, inquit, quo curram: & inſtar periti athletæ ſollicitus ſum ne ictum perdam. Hæc Chriſtiaoum pectus accendere & confirmare debent, quo alacrius ad omnia pietatis officia contendat: magnum enim eſt, non vagari per dubias ambages ignorantia.

27. *Verum ſubigo corpus.*] Budæus legit Obſervo. meo tamen judicio, verbum ὑπωπιάζειν hic poſuit Apoſtolus pro Serviliter exercere. teſtatur enim ſe non indulgere ſibi, ſed proprios affectus reprimere: quod fieri nequit niſi corpus dometur, & coërcitum à ſuis cupiditatibus ad obſequium aſſueſiat, inſtar ferocis equi & petulantis. Huic præcepto veteres Monachi quum parere vellent, multa diſciplinæ exercitia excogitarunt. dormiebant enim in ſcamnis, cogebant ſe ad longiores vigilias, fugiebant lautitias. At quod præcipuum erat, illis defuit: neque enim tenebant cur hoc Apoſtolus præcipiat, alterius præcepti immemores, ne carnis noſtræ curam geramus ad ejus con- *Rom. 13.*
cupiſcentiam. nam ſemper illud verum eſt quod alibi *verſ. 14.*
dicit, Corporalem exercitationem modice prodeſſe: *1 Tim. 9.*
verum corpus noſtrum eatenus ſerviliter tractemus, *verſ. 8.*
ne laſciviendo nos à pietatis officiis impediat: deinde ne illi indulgeamus cum aliorum incommodo vel offenſione. *Ut quum aliis prædicaverim.* Nonnulli exponunt, Ne quum alios bene ac fideliter docuero, male vivendo, damnatioois judicium à Deo reportem. ſed melius quadrabit relatio hujus verbi ad homines, hoc modo, Vita mea aliis regula quædam eſſe debet. contendo igitur ita me gerere, ne doctrinæ mores mei & opera repugnent: atque ita cum magno meo dedecore & gravi fratrum meorum offendiculo ea negligam quæ ab aliis requiro. Poteſt etiam conjungi cum ſuperiore dicto, in hunc modum, Ne Euangelio defrauder, cujus alii mea opera fiunt participes.

Cap. X.

NOlo autem vos ignorare, fratres, quod patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt.

2. Et omnes in Moſe fuerunt baptizati in nube & in mari:

3. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducarunt:

4. Et omnes eundem biberunt ſpiritualem potum. bibebant autem è ſpirituali, quæ eos conſequebatur, petra. Petra autem erat Chriſtus.

5. Verum complures eorum grati non fuerunt Deo. proſtrati enim fuerunt in deſerto.

Quod duplici ſimilitudine docuerat, nunc confirmat exemplis. Laſciviebant Corinthii, & perinde gloriabantur ac jam emeriti, aut ſaltem perfuncti ſuo curſu, quum vixdum carceres egreſſi forent. hanc inanem exultationem & confidentiam exprimit, hoc modo, Quandoquidem video vos in ipſis primordiis ſecure torpere, nolo vos ignorare quid inde populo Iſraëlitico contigerit: ut illius exemplum vos expergefaciat. Sed quia in exemplis diſcrimen vim comparationis evertit, præfatur Paulus nihil nos habere diſſimile cum Iſraëlitis, quod nos ab eorum conditione diſcernat. Quum ergo denunciare Corinthiis vellet eandem ultionem quæ illis contigerat, ſic incipit, Nolite aliqua prærogativa gloriari, quaſi meliore loco ſitis apud Deum, quam illi fuerint. Iiſdem enim beneficiis quibus hodie fruimur, affecti fuerunt. erat illic Dei Eccleſia, ut hodie inter nos: eadem habebant Sacramenta, quæ teſtimonia illis forent gratiæ Dei: quum autem ſuis bonis abuterentur, non fugerunt Dei judicium. Timete igitur, quia idem vobis impendet. Eodem argumento utitur Judas in ſua Epiſtola.

1. *Omnes ſub nube fuerunt.*] Scopus Apoſtoli eſt oſtendere Iſraëlitas non minus fuiſſe populum Dei, quam nos ſimus: ut ſciamus nos impune non evaſuros Dei manum quæ tam ſevere in illos animadvertit. Eſt enim hæc ſumma, Si Deus illis non pepercit, neque nobis parcet: eſt enim ſors æqualis. Hanc æqualitatem inde probat, quod iiſdem gratiæ Dei inſignibus ornati erant. ſacramenta enim teſſeræ ſunt quibus Eccleſia Dei dignoſcitur. Primum agit de Baptiſmo: ac nubem quidem quæ protegebat Iſraëlitas ab æſtu ſolis in deſerto, & curſum eorum dirigebat: ſimul & maris tranſitum, Baptiſmi inſtar illis fuiſſe docet. in manna & aqua ex rupe profluente ſacramentum fuiſſe dicit, quod ſacræ Cœnæ reſponderet. *Baptizati*, inquit, *fuerunt in Moſe*, hoc eſt, ſub miniſterio aut ductu Moſis. Nam particulam εἰς pro ἐν vulgato Scripturæ uſu hic poſitam accipio: quia certe in nomen Chriſti baptizamur, non autem ullius hominis, ut dixit capite 1. verſ. 13. idque duplici ratione, quia ſcilicet in unius Chriſti doctrinam initiamur per Baptiſmum: deinde nonniſi ejus nomen invocatur, quum in ſola ejus virtute fundatus ſit Baptiſmus. Baptizati ergo fuerunt in Moſe, id eſt, ſub auſpiciis aut miniſteriis illius, ut jam dictum eſt. quomodo? *In nube & in mari.* Ergo bis fuerunt baptizati, dicet quiſpiam. Reſpondeo, duo nominari ſigna quæ Baptiſmum unum efficiaot noſtro congruentem. Sed difficilior hic quæſtio emergit. Certum enim eſt, horum donorum quæ Paulus enumerat, fructum fuiſſe temporalem. Nubes eos muniebat à fervore ſolis, & viam illis monſtrabat: iſtæ ſunt externæ commoditates vitæ præſentis: ſimiliter maris tranſitus huc valebat ut ſævitiam Pharaonis effugerent, & elaberentur ex præſenti mortis periculo. Utilitas autem Baptiſmi noſtri ſpiritualis eſt. cur ergo ex beneficiis terrenis facit Paulus ſacramenta, & in illis quærit ſpirituale aliquod myſterium? Reſpondeo, Paulum non fruſtra quæſiſſe aliquid majus in ejuſmodi miraculis, quam eſſet externa carnis utilitas. Tametſi enim volebat Deus populo ſuo commodare ſecundum præſentem vitam: hoc tamen erat præcipuum, teſtari ſe & exhibere illis Deum, ſub quo ſalus æterna continetur. Nubes paſſim vocatur ſymbolum præſentiæ ipſius. quum igitur per eam teſtaretur ſe illis adeſſe, tanquam populo ſuo peculiari & electo: non dubium quin ultra terrenam utilitatem habuerint etiam in ipſa ſpiritualis vitæ argumentum. Ita fuit duplex uſus, quemadmodum & tranſitus maris: nam iter per medium mare illis fuit patefactum, ut manum Pharaonis evaderent. ſed unde hoc, niſi quia Dominus eos in ſuam fidem tutelamque receptos cuſtodire ſtatueret modis omnibus? Illinc ergo colligebant ſe curæ eſſe Deo, ſuamque ſalutem illi eſſe commendatam. unde & Paſcha quod ad celebrandam liberationis memoriam inſtitutum erat, ſimul tamen erat ſacramentum Chriſti. qui ſic? quoniam temporali beneficio Deus apparuerat ipſorum Salvator. Hæc quiſquis expendet, nihil abſurdi reperiet in Pauli verbis: quin potius & in ſpirituali ſubſtantia & in figura viſibili animadvertet optimam convenientiam inter Judæorum Baptiſmum & noſtrum. Rurſum tamen objicitur, nullum de his verbum extare. id ego fateor: ſed neque hoc dubium

eſt

eſt quin Deus Spiritu ſuo defectum externæ prædicationis ſuppleverit: quemadmodum in Serpente æneo videre eſt: quod fuiſſe ſpirituale Sacramen-
Joan. 3. tum, teſtis eſt ipſe Chriſtus. nullum tamen de hac re
verſ. 14. verbum ad nos pervenit: ſed Dominus quo voluit modo, fidelibus ejus temporis arcanum (quod alioqui latebat) revelavit.

3. *Eandem eſcam ſpiritualem.*] Alterum nunc Sacramentum commemorat, quod ſacroſanctæ Domini Cœnæ reſpondet. Man, inquit, & aqua quæ ex petra profluxit, non tantum ad corporis paſtum valebant: ſed etiam ad animas ſpiritualiter nutriendas. Verum quidem eſt, utrumque fuiſſe ſubſidium victus corporalis: id tamen non obſtat quominus in alium etiam finem ſpectarint. quum ergo Dominus præſenti corporis neceſſitati ſuccurreret, ſimul perpetuæ animarum utilitati conſulebat. Hæc duo facile conciliantur: niſi difficultatem afferrent Chriſti
Joan. 6. verba, ubi Man corruptibilem ventris cibum facit,
verſ. 31. quem opponit vero animæ cibo. Videtur illa ſententia multum ab eo diſcrepare quod hic dicit Paulus. Hujus quoque nodi expedita eſt ſolutio. Scripturæ mos eſt, quum de Sacramentis aut aliis rebus diſſerit, interdum pro captu auditorum loqui: atque ita non rei naturam reſpicit, ſed quid perperam ſentiant auditores. ita Paulus de Circumciſione non ſemper eodem modo loquitur: nam quum Dei inſtitutionem in ipſa conſiderat, dicit fuiſſe ſigillum obſignandæ juſtitiæ fidei: quum autem diſputat adverſus eos qui ſigno externo & nudo gloriabantur, illicque perverſam ſalutis fiduciam collocabant: dicit eſſe maledictionis ſymbolum, quia illo ſe homines obligent ad ſervandam univerſam Legem. Sumit enim tantum quod pſeudoapoſtoli opinabantur: quia non adverſus puram Dei inſtitutionem, ſed adverſus eorum errorem illi negotium eſt. Ita quum multitudo carnalis Moſen anteferret Chriſto, propterea quod populum in deſerto per annos XL. aluerat, nec aliud in Manna conſideraret quam paſtum ventris, quemadmodum nec aliud quærebat: Chriſtus in reſponſione non explicat quid Man ſignificaverit: ſed aliis omnibus omiſſis, auditorum ſenſui accommodat orationem ſuam. acſi diceret, Moſes vobis in ſummo pretio eſt, adeoque in admiratione, tanquam excellentiſſimus Propheta, eo quod patrum veſtrorum ventres ſaginaverit in deſerto. Hoc enim unum mihi objicitis: ego vobis nihili ſum, quia non ſuppedito ventris alimenta. Atqui ſi tanti facitis cibum corruptibilem: quid de pane vivifico ſentiendum, quo animæ in æternam vitam aluntur? Videmus ergo, Dominum illic non pro rei natura, ſed potius ex ſenſu auditorum loqui. Paulus autem hic non impiorum abuſum, ſed Dei ordinationem ſpectat. Porro quum dicit patres eandem manducaſſe ſpiritualem eſcam, primo ſubindicat quæ ſit Sacramentorum vis & efficacia: deinde veteribus Sacramentis Legis vim eandem conſtitiſſe oſtendit, quæ noſtris hodie ineſt. Nam ſi Man ſpiritualis erat cibus, ſequitur non figuras nudas oſtentari nobis in Sacramentis: ſed rem figuratam ſimul vere dari. neque enim fallax eſt Deus qui figmentis inanibus nos lactet. Signum quidem eſt ſignum, ſubſtantiamque ſuam retinet: ſed quemadmodum ridiculi ſunt Papiſtæ, qui neſcio quas metamorphoſes ſomniant: ita veritatem & figuram quas Deus conjunxit, ſeparare non eſt noſtrum. Confundunt Papiſtæ rem & ſignum: divellunt ſigna à rebus profani homines, ut Suenkfeldius & ſimiles: nos mediocritatem ſervemus, hoc eſt, teneamus conjunctionem à Domino poſitam, ſed diſtinctam: ne quod unius eſt proprium, in alterum perperam transferamus. Reſtat illud ſecundum de veterum ſignorum cum noſtris ſimilitudine. Notum eſt Scholaſticum illud dogma, Sacramenta veteris Legis figuraſſe gratiam, noſtra vero conferre. Hic locus ad errorem illum confutandum valde eſt appoſitus. teſtatur enim, non minus veteri populo rem Sacramenti fuiſſe exhibitam quam nobis. Impie igitur Sorboniſtæ ſanctos Patres ſub Lege veritate ſignorum caruiſſe fingunt. fateor quidem efficaciam ſignorum tum luculentius, tum uberius nobis conſtare à Chriſto in carne manifeſtato, quam eam habuerint Patres. Ita in gradu diſcrimen eſt duntaxat inter nos & illos. vel (ut vulgo dicunt) ſecundum plus & minus, quod plenius eadem percipimus nos, quæ illi minore modo: non autem quod vacuas figuras habuerint, nos autem re potiamur. Quidam exponunt quod illi ſimul inter ſe manducarint eandem eſcam, nec volunt nobiſcum illos conferri: ſed non attendunt ad Pauli conſilium. quid enim hic agit aliud, quam populum veterem iiſdem nobiſcum beneficiis ornatum, & eorundem Sacramentorum participem fuiſſe? ne ullius prærogativæ fiducia exemptum iri nos putemus à pœnis quas illi pertulerunt. Quanquam nolim de hac re cum quoquam litigare: tantum oſtendo quid mihi videatur. neque interea me latet quid coloris obtendant qui expoſitionem illam contrariam ſequuntur, optime ſcilicet cohærere cum ſimilitudine proxime poſita, Iſraëlitis omnibus idem ſtadium fuiſſe propoſitum: iiſdem carceribus omnes fuiſſe egreſſos: omnes eundem ingreſſos curſum: omnes ejuſdem ſpei fuiſſe ſocios: ſed multos eorum fuiſſe excluſos à præmio. Ego tamen dum preſſius omnia excutio, rationibus illis non permoveor ut à ſententia diſcedam: neque enim fruſtra Apoſtolus duo Sacramenta tantum commemorat, & nominatim Baptiſmum. Quorſum hæc, niſi ut illos nobis opponeret? certe ſi ſuam comparationem continuiſſet in illius populi corpore, Circumciſionem potius & alia notiora & illuſtriora Sacramenta protuliſſet: ſed obſcuriora potius elegit, quod ad antitheſin inter nos & illos magis valebant. Neque aliter apte quadraret applicatio quam ſubnectit, Omnia quæ illis contigerunt, nobis eſſe in figuram: quia illic cernamus Dei judicia quæ nobis imminent ſi iiſdem ſceleribus nos implicamus.

4. *Petra autem erat Chriſtus.*] Inſcite quidam depravant hæc Pauli verba: acſi diceret, Petram ſpiritualem fuiſſe Chriſtum, nec de rupe illa quæ viſibile ſymbolum fuit, ſermonem haberet. videmus enim eum ex profeſſo de externis ſignis diſſerere. Quod objiciunt, ſpiritualem vocari petram, frivolum eſt: quando non alio pertinet hoc epithetum, niſi ut ſciamus ſymbolum fuiſſe ſpiritualis myſterii: interim minime dubium eſt quin Sacramenta noſtra cum veteribus comparet. Quod ſecundo loco objiciunt, ſtultius eſt ac magis puerile: Quomodo, inquiunt, rupes quæ ſuo loco fixa ſtetit, comitata eſſet Iſraëlitas? quaſi vero non palam ſit ſub Petræ voce notari aquæ fluxum, qui nunquam populum deſeruit. Commendat enim Paulus Dei gratiam, quod aquam ex rupe elicitam, quocunque populus iter faceret, profluere juſſit, acſi eos rupes ipſa comitaretur. Jam ſi Pauli ſenſus eſſet, ſpirituale Eccleſiæ fundamentum eſſe Chriſtum: quorſum præteritum verbi tempus? Certe perſpicuum eſt, aliquid exprimi quod Patribus fuerit peculiare. faceſſat igitur ineptum hoc commentum, quo contentioſi homines impudentiam ſuam prodere malunt, quam ſacramentales loquendi formas admittere. Cæterum jam diximus, veteribus Sacramentis exhibitionem rerum fuiſſe conjunctam. quum ergo figuræ eſſent Chriſti, ſequitur Chriſtum illis fuiſſe annexum, non localiter quidem, nec naturali aut ſubſtantiali unione, ſed ſacramentali modo. Hac ratione dicit Apoſtolus, Petram fuiſſe Chriſtum: nihil enim uſitatius eſt quam metonymia, quum de Sacramentis agitur. Transfertur ergo hic rei nomen ad ſignum: non quia proprie conveniat, ſed figurate, propter illam quam dixi conjunctionem. Sed hoc parcius

nuoc attingo, quoniam capite 11. fuſius tractabitur. Reſtat alia quæſtio, Quum nunc in Cœna edamus corpus Chriſti, & bibamus ejus ſanguinem: quomodo ejuſdem ſpiritualis cibi & potus fuerint participes Judæi, qoando nondum erat Cbriſti caro quam ederent? Reſpondeo, carnẽm quæ nondum extabat, fuiſſe nihilominus illis in cibum. neque hæc inaois eſt aut ſophiſtica argutia: ſalus enim eorum à beneficio mortis & reſurrectionis pendebat, ideoque à carne & ſanguine Chriſti: ergo carnem & ſanguinem Chriſti eos percipere oportuit, ut redempiionis beneficio communicarent. Hæc perceptio opus erat arcanum Spiritus ſancti, qui ſic operabatur, ut caro Cbriſti, tametſi nondom creata, in illis foret efficax. Intelligit tamen eos ſuo modo manducaſſe, qui à noſtro fuit diverſus: atque id eſt quod ſuperius diai, plenius nunc pro menſura revelationis eahiberi nobis Chriſtum. nam bodie ſubſtantialis eſt manducatio, quæ tunc nondum eſſe potuit: hoc eſt, carne ſua pro nobis immolata, & in cibum nobis deſtinata, nos Cbriſtus paſcit, & inde vitam haurimus.

5. *Verum complures eorum.*] Habemus nunc quorſum ita præfatus fuerit Apoſtolus, ne quid ſcilicet dignitatis ſupra illos aut excellentiæ nobis arrogemus, ſed in humilitate & ſimore ambulemus: nam ita fiet demum ne fruſtra donati ſimus luce veritatis, & tanta abundantia gratiarum. Illos, inquit, omnes in populum Deus elegerat: ſed multi à gratia exciderunt. caveamus ergo ne idem nobis eveniat, talibus documentis moniti: neque enim nobis impune cedet quod Deus tantopere in illis vindicavit. Hic rurſum objicitur, Si verum eſt bypocritas & impios tunc manducaſſe ſpiritualem eſcam, numquid hodie in Sacramentis rem ipſam percipiant infideles? Quidam dum verentur ne hominum infidelitas vidcatuv Dei veritati derogare, rem una cum ſigno ab impiis percipi docent: ſed hic timor eſt ſupervacuus. nam dignis quidem & indignis offert Dominus quod figurat: ſed non omnes fruendi ſunt capaces. Interea nec Sacramentum naturam mutat, nec quicquam de ejus efficacia detrahitur. proinde ex parte Dei Manna etiam infidelibus eſca erat ſpiritualis: ſed quia infidelium os tantum carnale erat, non edebant quod dabatur. Hujus tamen quæſtionis longiorem tractationem in caput 11. differo. *Proſtrati enim fuerunt.* Probatio eſt à ſigno, ipſos Deo non placuiſſe, quoniam graviter iram ſuam in eos exercuit, eorumque ingratitudinem ultus eſt. Quidam hoc accipiunt de toto populo qui in deſerto interiit, duobus tantum exceptis Caleb & Joſue: ſed ego taotum eos comprehendi interpretor quorum mox ſpecies recenſet.

6. Hæc autem typi nobis fuerunt, ne ſimus concupiſcentes malorum, ſicut illi concupiverunt.

Exod. 32. verſ. 7. 7. Neque idololatræ ſitis, quemadmodum quidam eorum: ſicut ſcriptum eſt, Sedit populus ad edendum & bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum.

8. Neque ſcortemur, quemadmodum & quidam eorum ſcortati ſunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.

9. Neque tentemus Chriſtum, quemadmodum & quidam eorum tentarunt, & extincti ſunt à ſerpentibus.

10. Neque murmuretis, quemadmodum & quidam eorum murmurarunt, & perditi fuerunt à vaſtatore.

11. Hæc autem omnia typi contigerunt illis: ſcripta autem ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum inciderunt.

12. Proinde qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.

6. *Hæc autem typi nobis fuerunt.*] Expreſſius etiam oum admonet, pœnas illis inflictas ad nos pertinere, ut nobis ſint documento, ne ſimiliter iram Dei provocemus. Deus, inquit, illos puniendo, tanquam in tabula nobis ſeveritatem ſuam repræſentavit, ut inde edocti timere diſcamus. De vocabulo Typi mox dicemus: niſi quod in præſentia monitos velim lectores, non temere me tam ab antiqui Interpretis quam ab Eraſmi verſione diſceſſiſſe. obſcurant enim Pauli mentem: vel ſaltem non clare exprimuot, Deum in illo populo delineaſſe quod nos erudiat. *Ne ſimus concupiſcentes malorum.* Nunc ſpecies quaſdam enumerat, aut certa exempla, ut hac occaſione nonnulla vitia perſtringat, de quibus utile erat Corinthios commonefieri. Hic puto notari hiſtoriam quæ recitatur Num. 11. v. 4. tametſi alii referant ad id quod babetur cap. 26. v. 64. Populus quum aliquandiu Manna fuiſſet nutritus, tandem captus illius faſtidio, cibos alios quibus veſci ſolitus erat in Ægypto, cœpit appetere. Dupliciter autem peccabat, quod aſpernabatur ſingulare Dei beneficium, & quod ciborum varietati ac deliciis præter Dei voluntatem inhiabat. Dominus hac incontinentia offenſus, gravem plagam populo inflixit. unde vocatus fuit locus, Sepulcbra concupiſcentiæ: quod illic ſepelierunt qui à Domino percuſſi fuerant. Hoc exemplo teſtatus eſt Dominus quantum oderit cupiditates quæ ex faſtidio donorum ſuorum & noſtra incontinentia proveniuot: malum enim & illicitum merito cenſetur quicquid modum à Deo præſcriptum excedit.

7. *Neque idololatræ ſitis.*] Hiſtoria attingitur quæ refertur Exod. 32. v. 7. Nam quum Moſes longiorem moram quam ferebat importuna populi levitas, in monte traberet: Aaron coactus eſt vitulum conflare & propoοere adorandum. non quod vellet populus mutare Deum, ſed viſibile aliquod præſentiæ Dei ſignum habere pro carnali ſuo ſenſu. Hanc idololatriam quia tunc ſeveriſſime vindicavit Deus, hoc exemplo declaravit quantum idololatriam abominetur. *Sicut ſcriptum eſt, Sedit populus.* Locus hic à paucis rite exponitur: intelligunt enim intemperantiam populo cauſam laſciviendi fuiſſe. ſicuti vulgari proverbio dicimus, Alvo bene refertæ ſuccedere choreas. At Moſes de ſacro convivio loquitur, hoc eſt, quod in idoli cultum celebrabant. Epulum ergo & luſus duæ erant idololatriæ appendices. Fuit enim tam populo Dei, quam ſuperſtitioſis uſitatum, adjungere immolationi epulum, tanquam partem divini cultus: cui intereſſe nullis profanis aut immundis lſceret. Sacros etiam ludos Gentes idolis ſuis inſtituebant: quarum ritu proculdubio tunc Iſraëlitæ vitulum ſuum coluerunt. bæc enim eſt humani ingenii protervia, quicquid ſibi arrider Deo affingere. Itaque buc prolapſi ſuot dementiæ Gentiles, ut fœdiſſimis ſpectaculis, ut impudicis ſaltationibus, ut verborum ſpurcitia & omne genus obſcœnitatibus, deos ſuos oblectari crederent. eorum perinde imitatione populus Iſraëliticus peracto ſolenni epulo ſurrexit ad ludos celebrandos, ne quid deeſſet ad idoli cultum. Hic genuinus ac ſimplex eſt ſenſus. ſed quæritur hic cur epuli potius & ludorum meminerit Apoſtolus, quam adorationis. Hæc enim idololatriæ

caput erat: priora autem illa tantum acceſſiones. Nempe elegit quod maxime Corinthiis congruebat. neque enim veriſimile eſt conventus impiorum frequentaſſe, ut coram idolis ſe proſternerent: ſed communicabant eorum conviviis in dæmoonum honorem inſtitutis, nec fugiebant impias ceremonias quæ idololatriæ ſymbola erant. non ergo abſque cauſa teſtatur Apoſtolus, id in quo peccabaot à Deo nominatim damnari. In ſumma, ſignificat nullam idololatriæ partem attingi poſſe quin polluaris: nec impune manum Dei evaſuros qui ſe externis idololatriæ ſymbolis inquinarint.

8. *Neque ſcortemur.*] Nonc de ſcortatione, cujus apud Corinthios magnam fuiſſe licentiam patet ex hiſtoriis: & ex ſuperioribus colligere promptum eſt, ooodum prorſus ab hoc vitio fuiſſe immunes qui Chriſto nomen dederant. Hujus etiam vitii ultio terrere nos debet, ac commonefacere quam inviſæ ſint Deo impuræ libidines. perierunt enim uno die viginti tria millia, aut ſicuti Moſes dicit, viginti quatuor. Quanquam autem in numero variant, facilis tamen eſt conciliatio: ſiquidem novum non eſt, ubi non eſt propoſitum exacte & minutim ſingula capita recenſere, numerum ponere qui circiter accedit. quemadmodum apud Romanos Centum-viri nominabantur, quum tamen duo eſſent ſupra centum. Quum ergo circiter viginti quatuor millia proſtrata foreot manu Domini, hoc eſt, ſupra viginti tria: numerum ulteriorem Moſes, Paulus citeriorem poſuit: ita in re nihil eſt diſcrepantiæ. Hiſtoria hæc habetur Num. capite 25. v. 9. Una tamen difficultas hic occurrit, cur hanc plagam ſcortationi imputet Paulus quum Moſes narret iram Dei inde fuiſſe concitatam, quod populus ſe initiaverat ſacris Baalpheor. Sed quia initium defectionis à ſcortatione fuit, neo tam religione inducti quam blanditiis ſcortorum pellecti filii Iſraël, in illam impietatem prolapſi erant: acceptum ſcortationi referri debuit quicquid inde mali ſequutum eſt. Fuerat enim conſilium Balaam ut Madianitæ filias ſuas proſtituerent Iſraëlitis, quo eos alienarent à vero Dei cultu. quin etiam illa tanta excæcatio, quod ſe paſſi ſunt ſcortorum illecebris abduci ad impietatem, libidinis pœna fuit. Proinde diſcamus non leve peccatum eſſe ſcortationem, quæ tam atrociter & quidem pluribus modis vindicata fuit tunc à Deo.

9. *Neque tentemus Chriſtum.*] Hoc membrum ad hiſtoriam pertinet quæ habetur Num. capite 21. verſ. 6. Nam quum populum cepiſſet faſtidium diuturnitatis, cœpit conqueri de ſorte ſua, & cum Deo expoſtulare, Cur illuſit nobis Deus? &c. Hoc populi murmur vocat Paulus tentationem, nec improprie: eſt enim teotatio patientiæ contraria. Quid autem tuoc in cauſa fuit ut populus in Deum inſurgeret, niſi quod improba cupiditate impulſus, ſuſtinere non poterat quoad veniſſet tempus à Domioo conſtitutum? Fontem ergo hujus mali à quo nos hic Paulus deterret, obſervemus eſſe impatieotiam, dum volumus Deum antevertere: nec illi nos regendos ſubjicimus, ſed potius illum volumus arbitrio noſtro legibuſque adſtringere. Hoc malum atrociter punivit Deus in populo Iſraëlitico: manet autem ſemper ſui ſimilis juſtus judex. Ergo niſi velimus eaſdem pœnas experiri, ne ipſum tentemus. Locus bic inſignis eſt de æternitate Chriſti: neque enim valet Eraſmi cavillum, Ne Chriſtum tentemus, ſicut quidam eorum tentaverunt Deum. Nam Dei nomen ſubaudiri, oimis eſt coactum. neque vero mirum eſt Chriſtum vocari ducem populi Iſraëlitici. Sicuti eoim niſi per eum mediatorem nunquam ſuis propitius fuit Deus: ita nullum beneficium niſi per ejus manum exhibuit. deinde Angelus qui Moſi apparuit primum, & qui in itinere ſemper adſuit populo, ſæpius nominatur יהוה. Statuamus ergo Aogelum illum Filium Dei fuiſſe, & jam tunc fuiſſe Eccleſiæ directorem, cujus erat caput. Quod ad vocabulum Chriſti, quia notatiooem habet humanæ naturæ congruentem, tunc nondum quadrabat Filio Dei: ſed illi per communicationem proprietatum tribuitur: ſicut alibi legimus, Filium hominis è cælo veniſſe. *Joan. 3. verſ. 13.*

10. *Neque murmuretis.*] Alii murmur intelligunt quod exortum fuit, dum reverſi duodecim qui ad ſpeculandam terram miſſi fuerant, populi animos fregiſſent. Verum quia nullo proprio Domini flagello vindicatum fuit ſubito murmur illud, ſed illa tantum pœna inflicta fuit, quod excluſi fuerunt omnes à poſſeſſione terræ: neceſſe eſt hunc locum aliter exponere. Fuit quidem graviſſima illa pœna, privari terræ ingreſſo: ſed verba Pauli, quum extinctos à vaſtatore fuiſſe dicit, aliud caſtigationis genus exprimunt. Ego igitur ad hiſtoriam refero quæ 16. capite Num. habetur. Nam quum Deus in ſuperbiam Chore & Abiroo animadvertiſſet: populus in Moſen & Aaron tumultuatus eſt, acſi fuiſſent auctores plagæ à Domino inflictæ. Hunc populi furorem ultus eſt Deus, igne cælitus miſſo qui multos abſorbuit, nempe ultra quatuordecim millia. Eſt igitur illuſtre & memorabile documentum iræ Dei adverſus rebelles & ſeditioſos ſibi obſtrepentes. Murmurabant illi quidem adverſus Moſen: ſed quum nullam haberent cauſam ei inſultandi, neque alia occaſione excandeſcerent adverſus ipſum, niſi quia fideliter officio ſibi divinitus injuncto perfunctus erat: murmure illo Deus ipſe impetebatur. Proinde meminerimus negotium oobis cum Deo eſſe, non cum hominibus, ſi inſurgimus contra fideles Dei miniſtros: atque hanc audaciam noo impunitam fore ſciamus. Per *vaſtatorem*, Angelum intellige qui Dei judicium exequutus eſt. Porro ad homines puniendos interdum malorum Angelorum miniſterio, interdum bonorum utitur: quemadmodum ex variis Scripturæ locis patet. Qoia Paulus hic non diſcernit, licebit utrumvis accipere.

11. *Hæc omnia typi contigerunt.*] Iterum repetit ſic contigiſſe Iſraëlitis hæc omnia ut ſint nobis typi, hoc eſt, exemplaria quibus Deus ſua judicia nobis ob oculos ponat. Nec ignoro, ſubtilius alios philoſophari in his verbis: ſed ego mentem Apoſtoli comprehendiſſe me puto quum dico nos illis exemplis, tanquam pictis tabulis edoceri, quale immineat idololatris, ſcortatoribus, & reliqois Dei contemptoribus judicium. ſunt enim vivæ imagines quæ nobis iratum talibus peccatis Deum repræſentant. Hæc expoſitio quum alioqui ſimplex ſit & vera, hoc quoque utilitatis habet, quod viam præcludit phreneticis quibuſdam, qui hunc locum eo detorquent, ut probent in veteri populo nihil unquam niſi umbratile fuiſſe geſtum. ac principio illud ſumunt, populum illum eſſe figuram Eccleſiæ: inde concludunt, quicquid illi promiſit vel præſtitit Deus, omnia beneficia, omnes pœnas, tantum præfiguraſſe quod revera impleri poſt Chriſti adventum debebat. Hoc peſtilentiſſimum eſt delirium, quod & atrocem injuriam facit ſanctis Patribus, & Deo etiamnum longe atrociorem. Sic enim fuit populus ille Chriſtianæ Eccleſiæ figura, ut vera etiam Eccleſia fuerit: ſic ejus conditio noſtram delineavit, ut eſſet tamen jam tunc proprius Eccleſiæ ſtatus: ſic promiſſiones illi datæ Euangelium adumbrarunt, ut incluſum continerent: ſic eorum Sacramenta ooſtris figurandis ſerviebant, ut tamen pro illo quoque tempore vera Sacramenta forent præſentis efficaciæ: deinde eodem Spiritu fidei nobiſcum prædiri fuerunt qui & doctrina & ſignis tunc rite uſi ſunt. Nihil ergo inſanis illis ſuffragantur hæc Pauli verba, quæ non ſignificant res geſtas illius ſeculi ita fuiſſe typos, perinde acſi nulla tunc fuiſſet veritas, ſed quædam inanis ſcena: qoin potius (quemadmodum expoſuimus) ſimpliciter docent, illic tanquam in tabulis

depicta eſſe quæ ad nos admonendos pertineant. *Scripta autem ſunt ad noſtri admonitionem.* Hoc ſecundum membrum ſuperioris eſt declaratio. Iſraelitarum enim nihil referebat, ſed noſtra tantum, hæc memoriæ mandari. Non tamen inde ſequitur quin pœnæ illæ veræ fuerint animadverſiones Dei, quæ ad illos corrigendos tunc valerent: ſed quemadmodum tunc exercuit ſua judicia Deus, ita voluit æternam eorum memoriam extare, quæ nos erudiret. Quid enim mortuis prodeſſet hiſtoria? vivis autem quomodo prodeſſet, niſi aliorum exemplis admoniti reſipiſcerent? Sumit autem pro confeſſo principium illud de quo debet convenire inter omnes pios, Nihil Scripturis eſſe proditum quod non ſit utile cognitu. *In quos ſeculorum fines.* Τέλη aliquando ſunt myſteria: quæ ſignificatio non male fortaſſis huic loco quadraret. ſequor tamen receptam lectionem, quia ſimplicior eſt. Dicit ergo terminos omnium ætatum in nos incidiſſe: quia plenitudo rerum omnium in hanc ætatem congruat, quia jam ſint noviſſima tempora. Regnum enim Chriſti præcipuus eſt Legis omniumque Prophetarum ſcopus. Porro hæc Pauli ſententia cum vulgari opinione pugnat, Quod Deus qui ſub veteri Teſtamento rigidior fuerit, & ad punienda ſcelera promptus ſemper & armatus, nunc exorabilis eſſe cœperit, atque ad ignoſcendum multo facilior. Ac ita interpretantur nos eſſe ſub Lege gratiæ, quia Deum habeamus multo placabiliorem quam habuerint veteres. Paulus autem quid? ſi ab illis Deus pœnas exegit, nobis nihilo magis parcet. Faceſſat igitur error ille, Deum nunc eſſe remiſſiorem ad exigendas ſcelerum pœnas. Fatendum quidem, adventu Chriſti luculentius & uberius effuſam eſſe Dei bonitatem in homines: ſed quid hoc ad ſceleratorum impunitatem, qui ejus gratia abutuntur? Unum hoc duntaxat notandum eſt, diverſum hodie eſſe puniendi genus: quia ſicuti olim Deus externis benedictionibus pios magis proſequebatur, quo paternum ſuum amorem illis teſtatum faceret: ita corporalibus pœnis iram ſuam magis prodebat. nunc vero in hac pleniori revelatione quam habemus, neque viſibiles pœnas tam frequenter infligit, neque etiam de malis ſumit ita ſubinde corporales pœnas. qua de re plura in noſtra Inſtitutione reperies.

12. *Proinde qui ſe putat ſtare.*] Concludit ex ſuperioribus Apoſtolus, non ita gloriandum eſſe initiis noſtris aut progreſſu, ut ſecuri torpeamus. Gloriabantur enim Corinthii ſua conditione, ut ſuæ infirmitatis obliti, in multa flagitia prolaberentur. hæc erat perverſa confidentia, qualem paſſim reprehendunt in populo Iſraëlitico Prophetæ. Verum quoniam Papiſtæ hunc locum detorquent ad ſtabiliendum impium ſuum dogma de perpetua fidei hæſitatione: obſervemus duplicem eſſe ſecuritatem. Una eſt quæ recumbit in Dei promiſſionibus, eo quod ſtatuit pia conſcientia Deum nunquam ſibi defuturum, & invicta perſuaſione freta, Satanæ & peccato audacter & intrepide inſultat: nihilo tamen minus ſuæ infirmitatis memor, cum timore & humilitate rejicit ſe in Deum, & ſe illi ſtudioſe & ſollicito commendat. ejuſmodi ſecuritas ſancta eſt, nec ſeparari poteſt à fide: quemadmodum ex multis Scripturæ locis patet, ac præſertim Rom. cap. 8. v. 33. Alia eſt quæ ex ſocordia oritur, dum homines inflati donis præſentibus, perinde acſi extra teli jactum eſſent, nihil curant, ſed acquieſcunt in ſua conditione: quo fit ut omnibus Satanæ incurſionibus ſint expoſiti. Ea eſt ſecuritas à qua revocat Paulus Corinthios, quia cernebat eos placere ſibi ſtulta opinione: non autem jubet anxios animo hæſitare de voluntate Dei, aut trepidare ſalutis ſuæ incertos, quemadmodum ſomniant Papiſtæ. In ſumma, meminerimus hic Paulum verba facere apud homines prava carnis fiducia elatos: & eam infirmitudinem reprimere, quæ in hominibus, non in Deo, fundata erat. Poſtquam enim ſoliditatem vel firmamentum fidei in Coloſſenſibus laudavit, jubet radicibus in *Coloſſ. 2. verſ. 5.*
Chriſto actis manere ſtabiles, atque ædificari confirmarique in fide.

13. **Tentatio vos non apprehendit niſi humana. Fidelis autem Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra quam poteſtis: ſed dabit una cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere.**

14. **Quapropter dilecti mei, fugite ab idololatria.**

15. **Tanquam prudentibus loquor: judicate ipſi quod dico.**

16. **Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti? panis quem frangimus, nonne communicatio eſt corporis Chriſti?**

17. **Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus: omnes enim de uno pane participamus.**

18. **Videte Iſraël ſecundum carnem. nonne qui edunt hoſtias, altari communicant?**

13. *Tentatio vos non apprehendit.*] Alii ſenſu ſuo fruantur: ego hoc ad eorum conſolationem poſitum eſſe judico, ne auditis quæ hactenus retulit tam horrendis iræ Dei exemplis, pavore confuſi deficerent. Proinde ut ſua exhortatio utilis foret, adjecit eſſe reſipiſcentiæ locum. acſi diceret, Non eſt quod animos deſpondeatis: neque enim volui deſperationis materiam vobis afferre: neque vero aliud vobis accidit quam quod hominibus ſolet. Alii magis putant objurgari illorum ignaviam, quod leviter tentati deficerent. & certe *humanum* pro moderato interdum accipitur. ergo ſecundum eos ſenſus foret, Itane decuit modicæ tentationi ſuccumbere? Sed quia melius contextus cohæret ſi conſolationem eſſe dicamus, ideo huc potius inclino. *Fidelis autem Deus.*] Sicuti bono animo eſſe juſſit quantum ad præteritum tempus, ut eos ad pœnitentiam excitaret: ita etiam in poſterum certa ſpe eos conſolatur, quia Deus non paſſurus ſit eos tentari ultra vires. Jubet autem eos in Dominum reſpicere: quia tentatio, quamlibet ſit exigua, ſtatim nos opprimet, actumque erit de nobis, ſi propriis viribus nitamur. Fidelem Dominum vocat, non tantum quia verax ſit in promiſſis: ſed perinde acſi diceret, Dominus eſt certus cuſtos ſuorum, ſub cujus tutela eſtis in tuto. nunquam enim ſuos relinquit deſtitutos. Ergo quum vos receperit in ſuam fidem, non eſt quod timeatis: modo pendeatis toti ab ipſo. Nam certe hoc quoddam eſſet fruſtrationis genus, ſi opem ſuam in neceſſitate ſubduceret, vel oneri ſuccumbere videns infirmos, tentationes longius produceret. Dupliciter autem opitulatur nobis Deus ne opprimamur à tentatione: nam & vires nobis ſuppeditat, & tentationi modum imponit. De poſteriore modo hic maxime loquitur Apoſtolus: priorem tamen non excludit, nempe Deum ſublevare tentationes, ne ſuo pondere nos dejiciant. Novit enim facultatis noſtræ quam ipſe contulit, modum: ad quem tentationes attemperat. Nomen Tentationis generaliter hic capio, pro omnibus quæ nos ſollicitant.

14. Qua-

14. *Quapropter dilecti mei, fugite.*] Redit nunc Apoſtolus ad particularem quæſtionem, à qua paulum digreſſus fuerat: ne enim frigeret ſimplex doctrina apud eos, inſeruit generales exhortationes quas legimus: ſed nunc proſequitur cœptam diſputationem, Non eſſe fas homini Chriſtiano, impiorum ſuperſtitionibus ſocium ſe adjungere. Fugite, inquit, ab idololatria. Primo videndum quo ſignificatu vocem Idololatriæ poſuerit. Non habebat certe ſuſpectos Corinthios tantæ vel inſcitiæ vel ſocordiæ, ut putaret eos colere idola ex animo: ſed quoniam nulla illis religio erat frequentare impiorum cœtus, & una cum illis ritus quoſdam obire ad cultum idolorum inſtitutos, hanc eorum licentiam damnat: quia ſit peſſimi exempli. Certum eſt igitur quum hic idololatriam nominat, de externa ipſum loqui: vel ſi mavis, de idololatriæ profeſſione. Sicut enim Deus genuflexione & aliis reverentiæ ſignis coli dicitur, quum præcipuus ac verus ejus cultus ſit interior: ita etiam de idolis. contrariorum enim eadem eſt ratio. Fruſtra plurimi hodie hoc prætextu in excuſandis externis actionibus laborant, quia procul abſit animus: quum eas Paulus idololatriæ damnet, ac merito quidem. quum enim non ſecretum modo animi affectum Deo, ſed externam quoque adorationem debeamus: qui ſpeciem adorationis idolo exhibet, tantundem Deo detrahit. Cauſetur ut volet, ſibi aliud eſſe in animo: opus tamen ipſum extat, quo Dei honos legitimus ad idolum transfertur.

15. *Tanquam prudentibus loquor.*] Quoniam argumentum ſumpturus erat à Cœnæ myſterio: erigit eos iſta præfatiuncula, ut attentius rei magnitudinem conſiderent: acſi diceret, Non loquor inter novitios: tenetis vim ſacræ Cœnæ: illic inſerimur in corpus Domini. Quam igitur indignum eſt, vos ſocietatem inire cum impiis, ut in unum coaleſcatis corpus? Tacite vero illis incogitantiam exprobrat, quod probe edocti in Chriſti ſchola, in craſſo vitio ſibi indulgeant, de quo judicium ferre non erat difficile.

16. *Calix benedictionis.*] Quum ſacroſancta Chriſti Cœna duobus conſtet ſignis, pane & vino: à ſecundo prius incipit. Calicem benedictionis vocat qui deſtinatus eſt ad myſticam eulogiam. neque enim iis aſſentior, qui per Benedictionem gratiarum actionem intelligunt: & Benedicere exponunt gratias agere. Fateor quidem interdum hoc ſenſu poni: ſed nunquam in ea conſtructione qua hic uſus eſt Paulus. nam quod Eraſmus præpoſitionem ſubaudit, nimis eſt coactum. Senſus autem quem ſequor facilis eſt, nec quicquam habet implicitum. Benedicere ergo calicem, ſignificat in hunc uſum conſecrare, ut nobis ſit ſymbolum ſanguinis Domini. Id fit verbo promiſſionis, dum juxta Chriſti inſtitutionem conveniunt fideles ad celebrandam in hoc Sacramento mortis ejus memoriam. Conſecratio autem Papiſtis quædam eſt magia aſcita à Gentibus, quæ nihil habet commune cum puro Chriſtianorum ritu. Sanctificantur quidem verbo Dei
1 Tim. 4. verſ. 5. etiam omnia quibus veſcimur, ut alibi teſtis eſt idem Paulus: ſed illa benedictio diverſum finem habet: nempe ut uſus donorum Dei nobis ſit purus, cedatque in auctoris gloriam & bonum noſtrum. Finis autem myſticæ benedictionis in Cœna eſt, ne vinum amplius vulgaris ſit potus, ſed dedicatus ad ſpirituale alimentum animæ, dum teſſera ſit ſanguinis Chriſti, Calicem hoc modo benedictum, dicit Paulus κοινωνίαν eſſe ſanguinis Domini. Quæritur quo ſenſu? faceſſant contentiones, & nihil erit obſcuri. Verum eſt fideles ſociari per Chriſti ſanguinem, ut unum fiant corpus. verum eſt etiam ejuſmodi unitatem proprie vocari κοινωνίαν. Idem fateor de pane. Audio præterea quid Paulus mox adjiciat quaſi exegetice, Nos effici omnes unum corpus, quia ſimul communicemus eundem panem. Atqui unde obſecro illa inter nos κοινωνία, niſi quia ſumus Chriſto coadunati hac lege, ut caro ſimus de carne ejus, & oſſa ex oſſibus ejus? Incorporari enim (ut ita loquar) nos Chriſto oportet primum, ut inter nos uniamur. Adde quod Paulus non tantum de mutua inter homines communicatione nunc diſputat, ſed de ſpirituali Chriſti & fidelium unione: ut inde inferat ſacrilegium eſſe non ferendum, ipſos idolorum communione pollui. Ex circumſtantia igitur loci judicare licet, κοινωνίαν ſanguinis eſſe ſocietatem quæ nobis eſt cum Chriſti ſanguine, dum ſimul omnes nos in corpus ſuum inſerit, ut vivat in nobis & nos in ipſo. Jam vero quod vocatur Calix *communicatio*, figuratam loquutionem eſſe fateor, modo non tollatur figuræ veritas: hoc eſt, modo res quoque ipſa adſit, nec minus ſanguinis communionem anima percipiat, quam ore vinum bibimus. Cæterum hoc Papiſtæ dicere non poſſent, Calicem benedictionis ſibi communicationem eſſe ſanguinis Chriſti. Cœnam enim mutilam habent & laceram: ſi tamen Cœna dicenda eſt peregrina illa ceremonia, quæ conſuta ex variis hominum inventis, vix obſcurum veſtigium retinet inſtitutionis Dominicæ. Verum ut alia omnia ſuppeterent, hoc tamen pugnat cum recto Cœnæ uſu, totum populum à calice arcere, qui dimidia pars eſt Sacramenti. *Panis quem frangimus.* Hinc apparet conſuetudinem veteris Eccleſiæ fuiſſe, ex pane uno ſuam cuique particulam frangere, quo melius ob oculos ſubjiceretur omnium piorum in unum Chriſti corpus coadunatio. Atque hunc morem fuiſſe diu retentum, ex eorum teſtimonio liquet, qui tribus poſt Apoſtolos ſeculis in Eccleſia floruerunt. Evicit deinde ſuperſtitio, ut panem quem nullus manu attingere audebat, ſacerdos in os ingereret.

17. *Quoniam unus panis.*] Jam ſuperius monui, Paulum hic non ex profeſſo nos hortari ad charitatem: ſed obiter hoc dicit, ut intelligant Corinthii externa quoque profeſſione colendam eſſe illam unitatem quæ nobis eſt cum Chriſto: quandoquidem omnes ſimul convenimus ad ſacræ illius unitatis ſymbolum. In hoc ſecundo membro tantum alteram Sacramenti partem commemorat: & ſolet Scriptura per fractionem panis ſynecdochice totam Cœnam ſignificare. Cujus rei obiter monendi fuerunt lectores, ne quis minus exercitatus putido cavillo turbetur, quod ſycophantæ quidam obtrudunt: quaſi Paulus ſolum panem nominans, plebem dimidia Sacramenti parte fraudare voluerit.

18. *Videte Iſraël ſecundum carnem.*] Alio exemplo confirmat hanc eſſe naturam omnium ſacrorum, ut quadam ſocietate nos cum Deo devinciant. Lex enim Moſis neminem admittit ad epulum ſacrificii, niſi qui ſe rite præparaverit: non de ſacerdotibus modo loquor, ſed de plebeiis qui ſacrificii reliquias edunt. Hinc ſequitur, omnes qui veſcuntur carne immolatæ pecudis, eſſe altaris participes: hoc eſt, ejus ſanctificationis, qua Deus templum ſuum, & ſacra quæ illic peraguntur, dignatus eſt. Hæc particula Secundum carnem, ideo addita videri poteſt, ut facta comparatione pluris æſtimarent Corinthii Cœnæ noſtræ efficaciam: acſi dixiſſet, Si tanta vis fuit in figuris veteribus, & in illis pædagogiæ elementis: quantam eſſe in noſtris myſteriis cenſebimus, ubi longe plenius nobis Deus affulget? Quanquam ſimplicius eſt (meo judicio) Paulum duntaxat voluiſſe hac nota Judæos ſub Lege conſtitutos diſcernere ab iis qui ad Chriſtum converſi erant. Jam reſtabat antitheſis, nempe ſi Dei ſacra ſuos cultores ſanctificant, pollutionem ex adverſo contrahi ex idolorum ſacris. unus enim eſt Deus qui ſanctificat. ergo omnes dii alieni profanant. Rurſum ſi myſteria fideles Deo ſociant & coadunant, impios ſimiliter

initiari ſuperſtitioſis ſuis ritibus in idolorum ſocietatem. Sed antequam huc deſcendat Apoſtolus, occurrit per anthypophoram quæſtioni quæ opponi poterat.

19. Quid ergo dico? idolum aliquid eſſe? aut idolo immolatum aliquid eſſe?

20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, non Deo; nolo autem vos participes fieri dæmoniorum.

21. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum.

22. An provocamus Dominum? numquid fortiores illo ſumus?

23. Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt: omnia mihi licent, at non omnia ædificant.

24. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius eſt.

19. *Quid ergo dico?*] Poterat in ſpeciem videri Apoſtolus aut perperam argumentari, aut aliquid tum eſſentiæ, tum facultatis tribuere idolis. Promptum autem erat excipere, Qualis Dei viventis comparatio cum idolis? Deus nos per myſteria ſibi copulat. eſto: unde tanta vis idolis quæ nihil ſunt, ut idem valeant? an idola putas aliquid eſſe, aut aliquid poſſe? Reſpondet, ſe non idola ipſa intueri: ſed potius expendere conſilium eorum qui ſacrificant idolis. Inde enim provenire illam quam tacite indicaverat, pollutionem. Fatetur ergo idolum nihil eſſe, fatetur meram eſſe fruſtrationem quod Gentes ſolennes dedicationum ritus uſurpant: neque enim talibus ineptiis vitiari Dei creaturas: ſed quia ſuperſtitioſus & damnatus eſt eorum finis, & quia opus impium eſt, concludit omnes qui ſe illis ſocios adjungunt, pollutione implicari.

20. *Sed quæ immolant Gentes.*] Subaudienda eſt negatio ut reſponſio ſit plena, in hunc modum, Non dico idolum eſſe aliquid, nec fingo aliqua virtute præditum: ſed dico Gentes immolare dæmonio & non diis ea quæ immolant: ideoque opus ab earum prava & impia ſuperſtitione æſtimo. ſemper enim videndum qua quidque mente agatur. qui ergo ſe illis adjungit, profitetur ejuſdem impietatis ſocietatem. Pergit igitur in eo quod cœperat, Si negotium eſſet tantum cum Deo, iſta nihil eſſe: ſed reſpectu hominum vitioſa fieri: quia nemo accumbit idoli epulo, qui non ſe idoli cultorem teſtetur. Cæterum hic *dæmones*, quidam accipiunt pro diis Gentium commentitiis, ſecundum communem earum loquendi morem: nam quum Dæmones nominabant, intelligebant minores deos, ut Heroës. atque ita ſonabat vocabulum in bonam partem. Apud Platonem vero paſſim legitur pro geniis ſive angelis. Atqui ſenſus ille à Pauli mente alienus omnino eſſet: vult enim docere quam non leve peccatum ſit, eas obire actiones quæ cultum idolorum præ ſe ferunt. Inſtituto ergo ejus congruebat non extenuare, ſed potius amplificare quæ illic ſubeſt impietas. Quam igitur ineptum fuiſſet, honeſtum nomen eligere ad deſignandum ſummum ſcelus? Certum eſt ex Propheta, diabolis immolari quæ idolis immolantur. In eo Prophetæ loco Græca verſio, quæ tunc vulgaris erat, habet dæmonia: atque hic eſt communis Scripturæ uſus. Quanto veriſimilius eſt Paulum ex Propheta mutuatum eſſe quod dicit, ad deſignandam mali gravitatem: quam Ethnicorum more loquentem, elevaſſe quod in ſumma execratione ponere volebat? Verum his nonnihil videtur repugnare quod nuper dixi, Paulum ad idololatrarum intentionem reſpicere. neque enim eorum conſilium eſt diabolos, ſed commentitios & à ſe fabrefactos deos colere. Reſpondeo, utrumque bene convenire: nam dum homines ita evaneſcunt in ſuis cogitationibus, ut creaturis cultus divinos exhibeant potius quam uni Deo; hæc pœna in promptu eſt, ut Satanæ ſerviant. neque enim medium illud quod quærunt inter Deum & Satanam, reperiunt: ſed recta Satan ſe illis adorandum offert, poſtquam à vero Deo receſſerunt. *Nolo autem vos.* Si nomen Dæmonii eſſet medium, quam frigida eſſet hæc Pauli ſententia: cui tamen maximum ſeveritatis pondus ineſt adverſus idololatras? Rationem addit: quia Deo & idolis ſimul nemo poſſit communicare. eſt autem communicationis profeſſio in omnibus ſacris. Sciamus ergo, nos tunc demum admitti à Chriſto ad ſacrum corporis & ſanguinis ſui epulum, ſi ante omnibus ſacrilegiis vale dixerimus. renunciet enim alteri oportet qui altero potiri vult. O ter miſeram eorum ſortem, qui ne diſpliceant hominibus, illicitis ſuperſtitionibus polluere ſe non dubitant: quandoquidem ſic agendo, ſponte ſe abdicant Chriſti participatione, & aditum ſibi ad ſalutarem ejus menſam obſtruunt.

Deut. 32. verſ. 17.

22. *An provocamus Dominum?*] Propoſita doctrina vehementius inſurgit, quod videbat nihili reputari, aut ſaltem pro leviculo errato duci atrociſſimam Dei offenſam. Volebant Corinthii licentiam ſuam eſſe excuſabilem: quemadmodum nemo noſtrum libenter accuſari ſe patitur, ſed quærimus alia atque alia ſubterfugia quibus nos tegamus. Hoc autem modo dicit Paulus bellum ſuſcipi cum Deo. & merito: nihil enim magis requirit Deus, quam nobis fixum eſſe quicquid verbo ſuo pronunciat. Qui ergo tergiverſantur, ut impune liceat Dei mandatum transgredi, annon aperte in Deum ſe armant? Hinc illa maledictio quam denunciat omnibus Propheta, qui dicunt malum bonum, & tenebras lucem. *Numquid fortiores.* Admonet quam periculoſum ſit Deum provocare: quia nemo id faciat niſi in ſuum exitium. Dubia eſt Martis alea inter homines, ut loquuntur: at cum Deo contendere, nihil aliud eſt quam ultro ſibi exitium accerſere. Ergo ſi Deum timemus habere hoſtem, horreamus manifeſta peccata excuſare, hoc eſt, quæcunque verbo ejus repugnant: horreamus etiam in diſceptationem vocare de quibus ipſe pronunciavit, quod nihil aliud eſt quam gigantum more in cælum inſurgere.

23. *Omnia mihi licent.*] Iterum redit ad jus libertatis Chriſtianæ, quo ſe tuebantur Corinthii: & eadem ſolutione repellit eorum objectionem, qua prius. Res erat externa, veſci carnibus immolatis, convivio intereſſe: ergo per ſe licita. Paulus de hoc ſe controverſiam minime facere teſtatur, ſed rationem ædificationis habendam reſpondet. Licent mihi omnia, inquit, at non conducunt, proximis ſcilicet: neque enim propriam quiſque utilitatem debet quærere, ut mox ſubjicit: ſi quid autem fratribus non eſt utile, ab eo abſtinendum. Speciem deinde utilitatis exprimit, nempe *ſi ædificat.* neque enim hic ſpectanda eſt carnis utilitas duntaxat. Quid ergo? an propterea deſinit licere quod alioqui permittit Deus, ſi proximo non expediat? ſic enim libertas obnoxia eſſet hominibus. Expende verba Pauli, & agnoſces libertatem nihilominus manere illibatam, dum proximis te accommodas: uſum vero ſolum reſtringi. fatetur enim licere, ſed utendum negat niſi ædificet.

24. *Nemo quod ſuum eſt quærat.*] Ad Rom. 14. ubi tractat idem argumentum, Nemo ſibi placeat, ſed

ſed fratribus ſtudeat placere in ædificationem. Præceptum valde neceſſarium. ita enim natura ſumus depravati, ut neglectis fratribus ſibi quiſque ſtudeat. Lex autem charitatis, ſicuti vult proximos amari à nobis ut nosipſos, ita ad ſalutem eorum curandam revocat. Cæterum non vetat præciſe Apoſtolus, ſingulos de ſua utilitate cogitare: ſed non vult ita ſibi addictos eſſe quin partem juris ſui remittant, quoties ita poſtulat ſalus fratrum.

25. Quicquid in macello venditur, edite, nihil diſceptantes propter conſcientiam.
Pſal. 24. verſ. 1. 26. Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.
27. Si quis autem infidelium vos vocat, & vultis ire, quicquid vobis apponitur, edite, nihil diſceptantes propter conſcientiam.
28. Quod ſi quis vobis dixerit, Hoc eſt idolo immolatum, ne edatis propter eum qui indicavit, & propter conſcientiam.
29. Conſcientiam autem dico, non tuam, ſed alterius: utquid enim libertas mea judicatur ab alia conſcientia?
30. Si ergo per gratiam ſum particeps, quid in eo blaſphemor in quo gratias ago?
31. Sive ergo editis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis: omnia in gloriam Dei facite.
32. Nulli ſitis offendiculo, ſive Judæis, ſive Græcis, & Eccleſiæ Dei.
33. Quemadmodum ego quoque per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi eſt utile, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.

25. *Quicquid in macello.*] De ſimulatione idololatriæ ſuperius dixit, aut de iis ſaltem actionibus, quæ ſuſcipi à Corinthiis non poterant, quin ſe impiorum ſuperſtitionibus ſocios profiterentur: nunc non tantum ab illis requirit ut ab omni profeſſione idololatriæ abſtineant, ſed etiam ut diligenter caveant omnia offendicula quæ ex promiſcuo rerum indifferentium uſu naſci ſolent. tametſi enim genus erat unum in quo peccabant Corinthii, erant tamen diverſi gradus. Nunc quod ad eſum ciborum pertinet, initio ponit generalem ſententiam, Sana conſcientia licere veſci quibuslibet, quia Dominus permittit. Secundo libertatem hanc temperat quod ad uſum, ne lædantur infirmæ conſcientiæ. Ita concluſio hæc in duo membra dividitur: prius eſt de libertate rerum indifferentium ac poteſtate: alterum de moderatione illius, ut uſus ad charitatis regulam exigatur. *Nihil diſceptantes.* Ἀνακρίνοντες, quo verbo hic utitur Paulus, eſt ratiocinari in utramque partem, ita ut mens hominis alternet, nunc huc nunc illuc inclinans. Ergo quod ad ciborum diſcrimen ſpectat, conſcientias liberat omni ſcrupulo & hæſitatione: quia ubi conſtat nobis facti noſtri approbatio ex verbo Domini, ſecuros eſſe & tranquillis animis convenit. *Propter conſcientiam*, hoc eſt, coram Dei tribunali. acſi diceret, Quatenus tibi negotium eſt cum Deo, non eſt quod tecum diſputes, liceat nec ne. Concedo enim ut ſecurus quibuslibet veſcaris: quia tibi omnia Dominus abſque exceptione concedit.

26. *Domini eſt terra.*] Confirmat libertatem quam poſuit, Davidis teſtimonio. Verum quid hoc ad rem, dicet quiſpiam? Reſpondeo, Si plenitudo terræ Domini eſt, nihil eſſe in mundo quod non ſanctum ſit ac purum. Conſiderandum ſemper in qua quæſtione verſetur Apoſtolus. Dubitari poterat an impiorum ſacrificiis pollueréntur Dei creaturæ. id negat Paulus: quia ſemper maneat penes Deum terræ totius dominium & poſſeſſio. Quæ autem Dominus in manu habet, ea conſervat ſua virtute, ideoque ſanctificat. purus ergo eſt rerum omnium uſus filiis Dei, quando eas non aliunde quam ex Dei manu ſuſcipiunt. *Plenitudinem terræ* vocat Propheta, bonorum abundantiam quibus terra inſtructa & ornata eſt à Domino. Terra enim ſi arboribus, herbis, animalibus, & aliis rebus careret, eſſet tanquam domus ſupellectile & omnibus inſtrumentis vacua: imo mutila & informis eſſet. Siquis objiciat, terram eſſe maledictam propter peccatum: reſponſio eſt facilis, puram hic & integram naturam ſpectare, quia de fidelibus tractat Paulus, quibus per Chriſtum ſanctificantur omnia.

27. *Si quis infidelium vos vocat.*] Sequitur exceptio, nempe ſi admonitus erit fidelis idolothyton eſſe quod apponitur, & videat eſſe periculum offendiculi, peccare in fratres, niſi abſtineat. Parcendum ergo docet in ſumma infirmis conſcientiis. Quum dicit, *& vultis ire*, obſcure ſubindicat ſibi non adeo probari, ac ſatius fore ſi recuſarent: verum quia res eſt media, non vult præciſe vetare. Et certe nihil melius eſſet quam procul effugere tales laqueos: non quod ſimpliciter damnandi ſint qui ſe hominibus accommodant tantum uſque ad aras; ſed quia caute incedere convenit, ubi videmus proclivem eſſe lapſum.

29. *Conſcientiam autem dico, non tuam.*] Semper diligenter cavet ne minuat libertatem, aut ulla in parte derogare illi videatur. Conſcientiæ fratris tui infirmæ concedere hoc debes, ne jure tuo abutaris cum ejus offendiculo. ſed interim conſcientia tua nihilominus ſoluta manet, quoniam ab illa ſubjectione eſt immunis. Itaque frenum quod tibi in externo uſu injicio, nequaquam laqueus ſit ad tuam conſcientiam induendam. Notandum hoc loco, nomen Conſcientiæ in ſtricto ſignificatu accipi: nam ad Rom. 13. v. 5. & 1 Tim. 1. v. 5. latius patet. Debemus, inquit illic Paulus, obedire Principibus, non propter iram tantum, ſed propter conſcientiam: hoc eſt, non modo metu ultionis, ſed quia Dominus ita jubet, & eſt ex noſtro officio. Annon eadem quoque ratione infirmis fratribus attemperare nos convenit? hoc eſt, quoniam eatenus illis ſumus obnoxii coram Deo. Item, finis præcepti charitas ea bona conſcientia. annon charitatis affectus in bona conſcientia ſitus eſt? Proinde hic (ſicuti jam dixi) magis reſtricta eſt ſignificatio: nempe quatenus anima pii hominis ſolum Dei tribunal reſpicit, nec ullum habet hominum reſpectum: & in beneficio libertatis ſibi per Chriſtum parto acquieſcit: nullis perſonis, nullis circumſtantiis locorum vel temporum alligatur. Alii codices iterum habent ſententiam illam, *Domini eſt terra.* ſed veriſimile eſt quum appoſita eſſet ad marginem à lectore, obrepſiſſe in contextum. quanquam in eo non multum eſt momenti. *Utquid enim libertas mea.* Dubium eſt, à ſeipſone ita loquatur Paulus, an hoc objiciat in perſona Corinthiorum. Si accipimus in ejus perſona dictum, erit confirmatio proximæ ſententiæ: acſi dixiſſet, Quod propter alterius conſcientiam te reſtringis, non ideo illi ſubjicitur tua libertas. Si in perſona Corinthiorum, ſenſus erit, Legem nobis iniquam imponis, quod libertatem noſtram vis ſtare & cadere aliorum arbitratu. Ego autem & Paulum à ſeipſo hoc dicere arbitror, & aliter expono: hactenus enim retuli quid aliis videatur. *Judicari* ergo hic poſitum interpretor pro Damnari, communi Scripturæ uſu. Admonet autem Paulus

quan-

quantum ſequatur incommodi, ſi promiſcue libertate noſtra utamur cum offenſione proximorum: quod ſcilicet eam damnabunt. ſic noſtra culpa & importunitate fiet ut ſingulare Dei beneficium damnetur. hoc periculum niſi caveamus, vitiamus noſtro abuſu libertatem. Valet igitur plurimum hæc ratio ad confirmandam Pauli exhortationem.

30. *Si ergo per gratiam.*] Similis ratio ſuperiori, aut fere eadem: Quum Dei beneficium ſit, quod omnia mihi licent, cur committerem ut mihi id vitio vertatur? Non poſſumus quidem impedire quin nobis impii maledicant: atque etiam infirmi ſuccenſeant nobis interdum: ſed hic reprehendit Paulus intemperiem eorum qui ſponte offendiculi materiam præbent, ac labefactant infirmas conſcientias, quum minime neceſſe eſt, ac minime expedit. Bonis ergo noſtris nos bene vult uti, ne maledicendi occaſionem infirmi habeant ex inconſiderata noſtra licentia.

31. *Sive ergo editis, ſive bibitis.*] Ne putarent in re tantula non eſſe adeo anxie vitandam reprehenſionem, docet nullam eſſe vitæ noſtræ partem aut actionem tam minutam, quæ non referri debeat ad gloriam Dei: idque nobis curandum eſſe, ut etiam edendo & bibendo illi promovendæ ſtudeamus. Cohæret cum præcedentibus hæc ſententia: nam ſi Dei gloriæ ſtudioſi ſumus ut decet, nunquam patiemur, quantum in nobis erit, ſubjacere vituperio ejus beneficia. Recte vulgari proverbio olim jactatum fuit, non vivendum eſſe ut edamus, ſed edendum ut vivamus: modo ſimul reputetur vivendi finis: ita fiet ut victus noſter Deo ſacer ſit quodammodo, quia deſtinabitur ad ejus cultum.

32. *Nullus ſitis offendiculo.*] Hic ſecundus eſt ſcopus, ad quem reſpicere nos convenit: regula ſcilicet charitatis. itaque ſtudium gloriæ Dei primas tenet: ſecundas, reſpectus proximorum. Judæos & Gentes nominat, non tantum quia duobus illis generibus conſtabat Dei Eccleſia: ſed ut doceat nos omnibus, etiam alienis, eſſe debitores, ut eos ſi fieri poteſt lucrifaciamus.

33. *Quemadmodum per omnia placeo.*] Quia generaliter & ſine exceptione loquitur, quidam perperam extendunt ad ea quæ ſunt illicita & pugnantia cum verbo Domini: acſi liceret in gratiam proximorum plus audere quam Dominus nobis permittat. Sed certo certius eſt Paulum nonniſi in rebus mediis & per ſe licitis ſe accommodaſſe hominibus. deinde notandus eſt finis, *ut ſalvi fiant.* Quod ergo ſaluti eorum contrarium eſt, illis concedere non oportet: ſed adhibenda prudentia, eaque ſpiritualis.

Cap. XI.

IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.
2. Laudo autem vos, fratres, quod omnia mea meminiſtis: & traditiones tenetis, quemadmodum vobis tradidi.
3. Volo autem vos ſcire quod omnis viri caput eſt Chriſtus: caput autem mulieris, vir: caput autem Chriſti, Deus.
4. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, dedecore afficit caput ſuum.
5. Omnis mulier orans aut prophetans aperto capite, dedecore afficit caput ſuum. perinde enim eſt acſi radatur.
6. Si enim non velatur mulier, etiam tondeatur. ſi autem mulieri turpe eſt tonderi aut radi, veletur.
7. Vir quidem velato eſſe capite non debet, quum ſit imago & gloria Dei. mulier autem gloria viri eſt.
8. Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro.
9. Etenim non eſt creatus vir, mulieris cauſa: ſed mulier, cauſa viri.
10. Propterea debet mulier poteſtatem habere ſuper caput ſuum, propter Angelos.
11. Cæterum neque vir abſque muliere, neque mulier abſque viro, in Domino.
12. Quemadmodum enim mulier ex viro, ſic & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.
13. In vobiſipſis judicate, deceatne mulierem retecto capite Deum precari.
14. An ne ipſa quidem natura vos docet, quod ſi vir comam alat, dedecus illi ſit:
15. Si vero mulier comam alat, gloria ſit illi? quoniam illi coma inſtar velamenti data eſt.
16. Quod ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei.

1. *Imitatores mei.*] Hinc apparet quam ineptæ ſint capitum ſectiones, quod hæc ſententia à ſuperioribus abſciſſa eſt, quibus annexa eſſe debuit: & ſequentibus adjuncta eſt, quibuſcum nihil habet commune. Fingamus ergo clauſulam eſſe proximi capitis. illic Paulus exemplum ſuum propoſuerat in confirmationem doctrinæ: nunc ut intelligant Corinthii hoc ſibi convenire, eos hortatur ad imitandum quod fecerat, ſicuti ipſe Chriſtum fuerat imitatus. In quo duo ſunt obſervanda: quod nihil præſcribit aliis quod non prior obſervaverit: deinde quod ſe & alios ad Chriſtum tanquam unicum recte agendi exemplar, revocat. Nam ſicut boni doctoris eſt, nihil verbo præcipere niſi quod opere præſtare ſit paratus: ita neque tam moroſus eſſe debet, ut quicquid facit, protinus ab aliis exigat, quemadmodum ſuperſtitioſi ſolent: nam quicquid ipſis adlubeſcit, aliis quoque imponunt: voluntque ſuum exemplum ſimpliciter haberi pro regula. & mundus etiam ſponte propenſus eſt ad κακοζηλίαν, & ſimiarum inſtar æmulatur quod à magnis auctoribus fieri videt. Porro videmus quantum malorum invexerit in Eccleſiam præpoſtera hæc cupiditas imitandi omnia ſanctorum facta, abſque exceptione. Quo diligentius retinenda eſt hæc Pauli doctrina, eatenus ſequendos eſſe homines, ſi Chriſtum habeant πρωτότυπον, ne ad hoc valeant ſanctorum exempla, ut à Chriſto abducant: ſed potius ad eum dirigant.

2. *Laudo autem vos.*] Tranſit nunc ad aliud argumentum: nempe ut Corinthios inſtituat quale in ſacris conventibus ſervandum ſit decorum. Nam ſicut veſtis aut geſtus hominem nunc deformat, nunc ornat: ſic omnes actiones decoro honeſtantur, ac vitiantur indecentia. multum igitur valet τὸ πρέπον:

nec

nec ad id modo ut gratiam ac ſpeciem conciliet actionibus, ſed etiam ut animos ad honeſtatem aſſuefaciat. Id quum generaliter unum ſit in omnibus, in ſacris potiſſimum locum babet. quantus enim contemptus, & quanta demum barbaries naſcetur, niſi honeſte ac decenter nos gerendo, gravitatem retineamus in Eccleſia? Quædam ergo præcipit ad publicum ordinem pertinentia, quo ſacri cœtus ornantur. Verum ut paratiores reddat ad obſequium, principio laudat ſuperiorem obedientiam, quia inſtituta ſua ſerva verint: nam quum genuiſſet illam Eccleſiam Domino, certam politiam tradiderat qua gubernaretur: hanc retinendo ſpem faciebant Corinthii ſe in poſterum quoque fore dociles. Sed mirum eſt hanc laudem quum illis nunc tribuat, tam multa ſuperius reprehendiſſe: imo ſi illius Eccleſiæ ſtatum qualis ante deſcriptus fuit, conſideramus, procul ab hac laude aberant. Reſpondeo, quoſdam iis vitiis quæ hactenus notavit, laboraſſe, & quidem alios aliis: interea tamen ab univerſo corpore retentam fuiſſe formam quam commendaverat. Nihil enim in eo eſt repugnantiæ, ſi plurima variaque peccata regnent in aliquo populo, ſi alii fraudent, alii rapiant, alii inrideant, alii rixentur, alii ſcortentur: & tamen quantum ad formam Eccleſiæ publicam, ſerventur Chriſti & Apoſtolorum inſtituta. Id erit clarius ſi teneamus quid Paulus ſignificet per παραδόσεις. & alioqui de hoc vocabulo dicendum eſt, ut Papiſtis reſpondeamus, qui hoc loco ſe armant ad tuendas ſuas traditiones. Tritum eſt illud eorum axioma, doctrinam Apoſtolorum conſtare partim ſcriptis, partim traditionibus. ſub hoc ſecundo membro includunt non tantum ineptas qualibet ſuperſtitiones, & pueriles ritus quibus ſunt referti: ſed craſſas etiam omnes abominationes manifeſto Dei verbo contrarias, & tyrannicas ſuas leges, quæ mera ſunt conſcientiarum tormenta. Ita nibil tam ſtultum, nibil tam abſurdum, denique nibil tam portentoſum quod non ſub hac umbra lateat, & pingatur hoc colore. quoniam ergo Paulus bic traditionum facit mentionem, verbulum hoc arripiunt ſuo more, ut Paulum faciant auctorem omnium abominationum, quas apertis Scripturæ teſtimoniis redarguimus. Ego autem oon nego quin aliquæ fuerint Apoſtolorum traditiones non ſcriptæ: ſed non concedo fuiſſe doctrinæ partes, nec de rebus ad ſalutem neceſſariis. quid igitur? quæ pertinerent ad ordinem & politiam. Scimus enim unicuique Eccleſiæ liberum eſſe politiæ formam inſtituere ſibi aptam & utilem: quia Dominus nihil certi præſcripſerit. Ita Paulus Eccleſiæ Corinthiacæ primus fundator, inſtitutis quoque piis & boneſtis eam formaverat, ut decenter & ordine illic agerentur omoia, ſicuti præcipiet cap. 14. Quid autem hoc ad inſulſas ceremoniarum nugas quæ viſuntur in Papatu? quid ad ſuperſtitionem pluſquam Judaicam? quid vero ad Phalaricam tyrannidem qua excruciant miſeras conſcientias? quid ad tot idololatriæ portenta? Hoc enim rite præcipiendi exordium erat, modeſtiam ſervare qua uſus eſt Paulus, ne ad ſua placita cogerent homines, quidvis interim fingentes ſuo arbitrio: ſed imitationem ſui requirerent, quatenus ſunt Chriſti imitatores. nunc vero poſtquam ſua libidine quidvis fabricare auſi ſunt, obſequium ab omnibus exigere nimis abſurdum eſt. Porro ſciendum eſt, ideo ſuperioris temporis obedientiam laudari à Paulo, ut in poſterum quoque dociles reddat.

3. *Volo autem vos ſcire.*] Vetus proverbium eſt, Ex malis moribus naſci bonas leges. Quia nondum ritus iſte de quo diſſeritur venerat in quæſtionem, Paulus nibil præceperat: erratum Corinthiorum in cauſa fuit ut doceret quid boneſtum eſſet factu in hac parte. Ut probet indecorum eſſe, mulieres apparere capitibus retectis in cœtu publico, viros rurſum orare vel prophetare capitibus velatis: principium ſumit ab ordinibus divinitus inſtitutis. Dicit autem, Sicuti Deo Chriſtus, tanquam capiti, ſubeſt: ita & Chriſto virum, & viro ſubeſſe mulierem. Quomodo autem inde colligat, velatas eſſe debere mulieres, poſtea videbimus. nunc teneamus quatuor iſtos gradus quos ponit. Deus ergo primatum obtinet, Chriſtus ſecundum babet locum. quomodo? nempe quatenus in carne noſtra Patri ſe ſubjecit: alioqui enim quando unius eſt cum Patre eſſentiæ, ita æqualis eſt illi. Meminerimus ergo boc dici de Chriſto mediatore. Patre (inquam) inferior eſt quatenus naturam noſtram induit, ut eſſet primogenitus inter multos fratres. In eo quod ſequitur, plus eſt aliquanto difficultatis. Hic ponitur vir medius inter Chriſtum & mulierem, ita ut caput mulieris non ſit Chriſtus. atqui alibi docet idem Apoſtolus, in Chriſto non Gal. 3:28.
eſſe maſculum nec fœminam. cur ergo hic ſtatuit diſcrimen quod illic tollit? Reſpondeo, ſolutionem pendere ex locorum circumſtantia. quum mulierem a viro differre negat, tractat de ſpirituali Chriſti regno, ubi perſonæ non æſtimantur, nec in rationem veniunt: nihil enim ad corpus, nihil ad externam hominum ſocietatem, ſed totum in Spiritu ſitum eſt. qua ratione etiam ſervi & liberi nullam eſſe differentiam teſtatur. Neque tamen civilem ordinem interea confundit, aut bonorum diſtinctiones, quibus non poteſt carere communis bæc vita. Hic vero diſputat de externa honeſtate atque decoro, quæ pars eſt politiæ Eccleſiaſticæ. ergo quantum ad ſpiritualem conjunctionem coram Deo & intus in conſcientia, Chriſtus caput eſt viri ac mulieris abſque diſcrimine: quia illic neque maſculi neque fœminæ habetur reſpectus. quantum ad externam compoſitionem & decorum politicum, Chriſtum vir, & virum mulier ſequitur: ita ut non ſit idem gradus, ſed locum habeat inæqualitas iſta. Si quiſpiam roget quidnam matrimonium habeat cum Chriſto commune: reſpondeo Paulum hic de ſancto piorum conjugio loqui, cujus Chriſtus eſt antiſtes, & eujus nomine conſecratur.

4. *Omnis vir orans.*] Duæ ſunt propoſitiones: prior eſt de viro, ſecunda de muliere. Dicit virum Chriſto capiti ſuo facere injuriam ſi velato capite oret vel prophetet. cur ita? nam hac conditione Chriſto ſubjicitur, ut in œconomia principatum gerat: eſt enim paterfamilias inſtar regis domi ſuæ. Gloria ergo Dei in eo relucet propter dominium quo pollet. Si velat caput, ab illa eminentia in qua collocatus eſt à Deo, demittit ſe in ſervitutem: ita imminuitur Chriſti honor. Exempli gratia, Si is cui partes ſuas Princeps mandavit, perſonam ſuam neſciat ſuſtinere, ſed infimo cuique ſuam dignitatem ſpernendam proſtituat, nonne contumelia afficit Principem ſuum? ita ſi vir locum ſuum non retinet, ſi Chriſto non ita ſubjicitur ut familiæ ſuæ cum poteſtate præſit, eatenus obſcurat Chriſti gloriam quæ relucet in ordine conjugii bene conſtituto. porro velum (ut mox videbimus) ſymbolum eſt mediæ poteſtatis & interpoſitæ. *Prophetare* hic accipio pro enarrare Dei myſteria in ædificationem audientium, ut infra capite 14. ſicuti Orare ſignificat precandi formam concipere, & quaſi præire toti populo: quod publici doctoris officium eſt. neque enim de qualibet precatione diſputat Paulus, ſed ſolenni. Cæterum meminerimus hic eatenus peccari, quatenus turbatur decorum, & ordinis à Deo poſiti diſtinctio confunditur. non enim ſtatuenda eſt religio, quaſi nefas ſit doctorem pileolum in capite geſtare, quum pro ſuggeſtu ad populum loquitur. Nihil aliud vult Paulus niſi ut appareat viri dominium, mulieris ſubjectio, quod fit dum vir caput detegit in conſpectu Eccleſiæ: etiamſi pileolum deinde recipiat vitandi frigoris cauſa. Denique una hic regula eſt τὸ πρέπον; quo ſalvo, nihil præterea requirit Paulus.

5. *Mulier orans aut prophetans.*] Secunda propoſitio, mulieribus caput debere eſſe velatum dum

orant

orant vel prophetant: dedecore alioqui afficere caput ſuum. Nam ſicut vir profeſſione libertatis caput ſuum honorat: ita mulier, ſubjectionis: proinde econverſo mulier ſi caput retegat, ſubjectionem excutit, non ſine mariti contemptu. Sed videtur hoc ſuperfluum eſſe quod Paulus mulierem aperto
1 Tim. 2. verſ. 12. capite prophetare vetat, quum alibi in totum prohibeat mulieribus in Eccleſia loqui: ergo ne ſub velo quidem licitum ipſis erit prophetare. unde ſequitur, hic fruſtra de velo diſputari. Reſponderi poteſt, Apoſtolum hic unum improbando, alterum non probare. Nam quum reprehendit quod prophetabant nudo capite, non tamen illis permittit prophetare alio quovis modo: quin potius hujus quoque vitii reprehenſionem in alium locum differt, nempe in caput 14. In eo nihil eſt incommodi: quanquam neque hoc male quadrabit ſi dicamus, Apoſtolum hanc modeſtiam non modo in loco ubi tota Eccleſia congregatur, requirere à mulieribus: ſed etiam in quovis graviore cœtu aut matronarum aut virorum, quales interdum in privatas ædes conveniunt. *Perinde enim eſt acſi radatur.* Aliis rationibus nunc contendit indecoram eſſe capitis nuditatem in mulieribus. Natura, inquit, ipſa abhorret mulierem raſam cernere: fœdum eſt aſpectu & monſtri inſtar. hinc colligimus comam à natura dari mulieri pro velamento. Si quis nunc objiciat, ſufficere igitur comam, quia ſit naturale velum: Paulus negat. tale enim velum eſt quod alterum accerſat quo tegatur. Atque hinc elicitur probabilis conjectura, mulieres quæ coma præſtarent, oſtentandæ pulchritudinis cauſa, velum abjicere ſolitas. Itaque Paulus non temere huic vitio contrarium remedium opponit, ut ſint deformitate potius quam libidinis illecebra ſpectabiles.

7. *Vir non ſit velato capite, quia eſt imago.*] Eadem nunc quæſtio de imagine moveri poteſt, quæ antea de capite: creatus enim eſt uterque ſexus ad imaginem Dei. neque minus fœminas quam maſculos ad illam imaginem reformari jubet Paulus. Sed imago de qua nunc loquitur, ad ordinem conjugalem refertur: ideoque pertinet ad præſentem vitam, non autem in conſcientia ſita eſt. Hæc eſt ſimplex ſolutio, non hic tractari de innocentia & ſanctitate quæ peræque mulieribus ac viris convenit: ſed de præſtantia quam Deus viro contulit, ut mulierem antecelleret. In hoc ſuperiore dignitatis gradu conſpicitur Dei gloria, ſicuti relucet in omni principatu. *Mulier gloria viri eſt.* Non dubium quin mulier inſigne ſit viri ornamentum. eſt enim magnus honor, quod Deus viro eam deſtinavit ſociam vitæ & adjutricem, & ſubjecit tanquam corpus capiti. Nam quod de
Prov. 12. verſ. 4. uxore ſedula prædicat Solomo, coronam eſſe mariti ſui, id de univerſo ſexu verum eſt ſi Dei ordinationem reſpicimus, quam hic Paulus commendat, docens ideo conditam eſſe mulierem, ut inſigne ſit viri ornamentum.

8. *Non enim eſt vir ex muliere.*] Duobus argumentis confirmat eminentiam quam viris tribuerat ſupra mulieres. primum eſt, quod mulier à viro ducit originem: eſt igitur ordine poſterior. ſecundum eſt, quod mulier creata eſt viri cauſa: ſubeſt igitur illi, tanquam opus finale ſuæ cauſæ. Quod vir principium ſit & finis mulieris, patet ex Lege, Non eſt bonum homini eſſe ſoli: faciamus illi &c. deinde,
Geneſ. 2. verſ. 21. Sumpſit Deus unam ex coſtis Adæ, & formavit Hevam.

10. *Propterea debet mulier poteſtatem.*] Ab ipſo jure ducit argumentum ad externam honeſtatem. Subjecta eſt, inquit: ergo gerat inſigne ſubjectionis. In nomine Poteſtatis eſt metonymia: quia ſymbolum intelligit quo teſtetur ſe ſub viri eſſe poteſtate. eſt autem velum: ſive peplum ſit, ſive carbaſus, ſive aliud quodvis tegumentum. Quæritur an de conjugatis loquatur tantum. ſunt enim qui ad eas reſtringant quicquid hic docet Paulus: quia virginibus hoc non conveniat, ſubeſſe imperio maritali. Verum imperite: altius enim reſpicit Paulus, nempe ad perpetuam Dei Legem quæ ſexum muliebrem virorum imperio ſubjecit. Quamobrem ad hoc natæ ſunt omnes fœminæ, ut virilis ſexus præſtantiæ cedant. alioqui inepta eſſet Pauli ratio quam à natura ſumpſit, quum diceret nihilo eſſe decentius nudari caput mulieris, quam radi: quod virginibus etiam commune eſt. *Propter Angelos.* Varie exponitur hic locus.
Quia Malachias Propheta Sacerdotes vocat Angelos Mal. 2: 7.
Dei, de his quidam Paulum loqui putant: ſed neque ſimpliciter uſquam, hoc eſt, abſque adjectione deſignantur verbi miniſtri: & ſenſus eſſet nimis coactus. ego igitur in propria ſignificatione accipio. Sed quæritur ratio cur propter Angelos voluerit velari mulieres. quid enim hoc ad eos attinet? Quidam reſpondent, quia interſunt orationibus fidelium, ideoque ſpectatores ſunt indecentiæ, ſi qua illic admittitur. Sed quid opus eſt tam ſubtiliter philoſophari? Scimus Angelos Chriſto quoque tanquam ſuo capiti præſto eſſe & miniſtrare. ergo quum eo licentiæ prorumpunt mulieres, ut ſibi dominationis ſymbolum præter jus & fas uſurpent, turpitudinem ſuam Angelis conſpicuam faciunt. Itaque ad amplificationem hoc dictum eſt: acſi dixiſſet, non Chriſtum ſolum, ſed omnes quoque Angelos teſtes fore diſſolutionis, ſi mulieres velum abjicerent. atque hæc interpretatio Apoſtoli propoſito apte quadrat. De ordinibus hic agitur: dicit autem hoc proficere mulieres, altius quam deceat aſſurgendo, ut Angelis cæleſtibus impudentiam ſuam prodant.

11. *Cæterum neque vir abſque muliere.*] Hoc additum eſt partim ad cohibendos viros, ne mulieribus inſultent: partim ad conſolandas mulieres, ne ægre ferant ſubjectionem. Hac, inquit, lege ſexus virilis eminet ſupra muliebrem, ut mutua benevolentia inter ſe conjuncti eſſe debeant: neque enim alter poteſt altero carere. quod ſi ſeparentur, erunt quaſi mutila membra corporis laceri: hoc igitur vinculo mutui officii inter ſe cohæreant. Quum dicit, *In Domino*, hac particula revocat fideles ad Domini inſtitutionem: quum impii nihil præter urgentem neceſſitatem reſpiciant. Profani enim homines, ſi commode carere poſſint uxoribus, contemnunt totum ſexum: nec cogitant ſe illi eſſe obligatos Dei ordinatione & decreto. pii vero agnoſcunt ſexum virilem dimidiam tantum eſſe portionem generis
humani: expendunt quid ſibi velit illud, Creavit Gen. 5: 2.
Deus hominem, maſculum & fœminam creavit eos. Ita ſponte agnoſcunt ſe infirmo ſexui eſſe debitores. mulieres piæ ſimiliter de ſua obligatione cogitant. Ita vir non conſiſtit abſque muliere, quia eſſet caput reciſum à corpore: neque mulier abſque viro, quia eſſet truncum corpus. Vir ergo præſtet mulieri officium capitis ad eam regendam: mulier viro præſtet officium corporis ad eum adjuvandum: idque non in conjugio tantum, ſed etiam cælibatu: neque enim de thori cohabitatione hic loquor, ſed de civilibus officiis, quibus etiam extra matrimonium locus eſt. Si hoc ad univerſum genus magis referre placeat, non reclamo: quanquam Paulus ſicuti ad ſingulos dirigit ſermonem, ita videtur ſpeciale notare cujuſque officium.

12. *Quemadmodum mulier ex viro.*] Si hæc una eſt ex cauſis cur viri ſit principatus, quod mulier ex eo ſumpta eſt: ita hæc erit ratio amicæ conjunctionis, quod tueri ſe ac conſervare non poteſt virilis ſexus ſine auxilio mulierum. Manet enim illud fixum, Non eſſe bonum viro manere ſolum. Poteſt quidem hoc Pauli dictum referri ad propagationem: quia non generentur homines à ſolis viris, ſed etiam
à mulieribus. ſed ego illud etiam complector, neceſ- Geneſ. 2. verſ. 18.
ſarium viri adjumentum eſſe mulierem: quia vita ſolitaria homini non expediat. hoc Dei decretum

nos ad colendam mutuam communicationem hortatur. *Omnia autem ex Deo.* Deus eſt principium utriuſque ſexus. debet ergo uterque ſortem ſibi à Domino attributam, cum humilitate ampleſti & tenere. Vir moderate exerceat ſuum imperium, nec mulieri inſultet, quæ ei ſocia data eſt: contenta ſit mulier ſubjectione, nec indigne ferat præſtantiori ſexui ſe poſtpoſitam eſſe: alioqui utrimque Dei jugum excutient, qui non abs re gradus iſtos diſtinxit. hoc porro gravius eſt, Dei imperio rebellet eſſe, quum ab officio diſcedunt vir & mulier, quam ſi dixiſſet Paulus alterum alteri facere injuriam.

14. *Ne ipſa quidem natura.*] Iterum naturam illis decori magiſtram proponit. quod autem omnium conſenſu & conſuetudine receptum tunc erat, & quidem apud Græcos, vocat naturale: nam viris non ſemper fuit coma dedecori. Olim ubique viros fuiſſe comatos, hoc eſt, primis ſeculis, referunt hiſtoriæ. unde & Poëtæ vocare ſolent intonſos veteres, trito epitheto. Sero tonſoribus Romæ uti cœperunt, circa ætatem Africani ſuperioris. Et quo tempore ſcribebat hæc Paulus, nondum in Gallis & Germanis invaluerat tondendi uſus: quin potius deforme fuiſſet non minus viris quam mulieribus, radi aut tonderi. ſed quoniam in Græcia parum virile erat alere comam, ut tales quaſi effœminati notarentur: morem jam confirmatum pro natura habet.

16. *Quod ſi quis videtur.*] *Contentioſus* eſt qui libidine ad movendas lites citatur, nec curat ut locus ſit veritati. Tales ſunt omnes qui bonos ritus & utiles convellunt nulla neceſſitate, qui de rebus non ambiguis movent controverſias, qui non acquieſcunt rationibus, qui non ſuſtinent ſe in ordinem cogi. tales ſunt etiam [illegible], qui ſtulta affectatione ad novam & inuſitatam formam feruntur. Eos Paulus non dignatur reſponſione: quia pernicioſa res ſit contentio, ideoque arceri debeat ab Eccleſiis. quo docet auctoritate magis compeſcendos eſſe pervicaces & rixandi cupidos, quam refellendos longis diſputationibus. Nunquam enim contentionum erit finis, ſi certando velis hominem pugnacem vincere: quia centies victus, nunquam fatigabitur. Diligenter ergo notemus locum iſtum, ne abripi nos ſupervacuis diſputationibus ſinamus: modo tamen contentioſos noverimus diſcernere. neque enim pro contentioſo ſemper eſt habendus qui placitis noſtris non acquieſcit, aut qui refragari nobis audet: ſed ubi libido & pervicacia apparet, tum dicamus cum Paulo, alienas ab Eccleſiaſtico more eſſe contentiones.

17. Hoc autem denuncians non laudo, quod non in melius ſed in pejus convenitis.

18. Primum enim, convenientibus vobis in Eccleſiam, audio diſſidia inter vos eſſe: & ex parte credo.

19. Oportet enim hæreſes quoque eſſe in vobis, ut qui probi ſunt, manifeſti fiant inter vos.

20. Convenientibus ergo vobis in unum, non eſt Dominicam cœnam edere.

21. Unuſquiſque enim propriam cœnam præſumit edendo: atque hic quidem eſurit, ille autem ebrius eſt.

22. Numquid domos non habetis ad edendum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, & pudore afficitis eos qui non habent? quid vobis dicam? laudabo vos in hoc? non laudo.

Superioris vitii reprehenſio, fuit lenis tantum & blanda admonitio, quia inſcienter peccabant Corinthii: ut illis facile ignoſci æquum eſſet. Et Paulus initio laudaverat eos quod ſua inſtituta fideliter ſervarent: nunc acrius eos pungere incipit, quia gravius in quibuſdam peccabant, neque id ignorantia.

17. *Hoc autem denuncians non laudo.*] Sic enim reſolvo, quia videtur Paulus participium & verbum inter ſe mutaſſe. non convenit etiam Eraſmi interpretatio, qui παραγγέλλων vertit Præcipere. Denunciandi verbum melius quadraret. ego tamen hac in re non contendo. Eſt antitheſis inter hoc membrum & initium hujus capitis: acſi diceret, Quod vos laudavi, ne putetis id eſſe abſque exceptione. eſt enim quod reprehendam, ſicuti objurgatione dignum eſt. Cæterum hoc non ad Cœnam Domini pertinet tantum (meo judicio) ſed alia etiam peccata quæ referet. Sit ergo hæc generalis ſententia, notari Corinthios quia non convenirent in melius, ſed in pejus. poſtea ſequentur particulares effectus hujus mali. Primum eos accuſat *quod non in melius conveniant*: deinde quod etiam *in pejus*. Hoc quidem ſecundum gravius eſt, ſed neque illud ferendum: nam ſi reſpicimus quid agatur in Eccleſia, nullus conventus fructu carere debet. Illic auditur Dei doctrina, fiunt precationes, myſteria celebrantur. fructus verbi eſt ut augeatur in nobis fiducia & timor Dei, ut progreſſus fiant in vitæ ſanctitate, exuamus magis ac magis veterem hominem, proficiamus in vitæ novitate: & cætera myſteria huc tendunt, ut nos in pietate & charitate exerceant: ad hæc quoque omnia valere debent preces. Et accedit quod Dominus per Spiritum ſuum efficaciter operatur, quia nolit inſtitutiones ſuas eſſe vanas. Ergo ſi nihil proſint nobis ſacri conventus, neque inde reddamur meliores, ingratitudo noſtra in culpa eſt: ideoque jure ſumus accuſandi. facimus enim ut ſine profectu abeant quæ ſuapte natura & ex Dei ordinatione ſalutaria eſſe debebant. Sequitur alterum, Quod *in pejus*. hoc longe atrocius eſt, priori tamen ſemper fere ſuccedit: nam ſi nihil proficimus in Dei beneficiis, ulciſcitur hoc modo noſtram ignaviam, quod deteriores reddimur. Et hoc fere contingit, ut neglectus pariat multas corruptelas: præſertim quia genuinum uſum non attendunt, mox ad noxia figmenta prolabi ſolent.

18. *Convenientibus vobis, audio diſſidia.*] Nonnulli diſſidia & hæreſes referunt ad illam [illegible] quam mox ſubjicit. Ego latius extendo. & certe non eſt veriſimile uſurum fuiſſe tam impropriis & alienis nominibus ad eam confuſionem notandam. nam quod dicunt aſperius loquutum, quo melius peccati gravitatem exprimeret, id ego concederem, ſi congrueret ſignificatio. Eſt igitur objurgatio generalis, quod unanimes non eſſent, ut decet Chriſtianos: ſed ſinguli propriis ſtudiis nimium addicti, minus ſe aliis accommodarent. Hinc abuſus ille de quo ſtatim videbimus: hinc ambitio & faſtus, quod ſe quiſque efferebat aliis deſpectis: hinc ædificationis neglectus: hinc donorum Dei profanatio. Dicit ſe *ex parte credere*, ne putent omnes ſibi hoc tantum crimen impingi, atque ita conquerantur ſe immerentes gravari. Interea tamen ſubindicat hoc ad ſe non ambiguo tantum rumore fuiſſe perlatum, ſed certiore relatu, cui fidem non prorſus abrogat.

19. *Oportet enim hæreſes quoque.*] Ante poſuerat ſchiſmata, nunc hæreſes, quo magis amplificet. quod etiam ex particula Quoque colligitur: eſt enim [illegible] addita. Scitur quo ſenſu veteres utrumque iſtorum nominum uſurparint: & qualiter diſtinxerint hæreticos à ſchiſmaticis. Hæreſim ponebant in diſſenſione doctrinæ: ſchiſma potius in alienatione animorum: quum ſcilicet quiſpiam invidia, vel odio

paſto-

paſtorum, vel moroſitate, diſceſſionem faciebat ab Eccleſia. Quanquam autem fieri nequit quin malis dogmatibus ſcindatur Eccleſia, atque ita hæreſis ſchiſmatis radix eſt & initium: quanquam etiam invidia vel ſuperbia omnium fere hæreſeôn eſt mater: prodeſt tamen hæc duo diſcernere. Sed nunc videndum quid Paulo ſignificent. Jam eos improbavi qui hæreſim exponunt, ſeparationem menſæ: quia divites cœnam ſuam non communicarent cum pauperibus. nam aliquid magis odioſum voluit deſignare. Verum relictis aliorum opinionibus, ſchiſma & hæreſim hic capio tanquam minus & majus. Schiſmata igitur ſunt vel obſcuræ ſimultates, ubi non conſpicitur ea conſenſio quæ inter pios eſſe debet, vel ſtudia inter ſe pugnantia graſſantur: ubi ſuum cuique placet, & omnia aliorum quiſque reſpuit. Hæreſes ſunt, dum eouſque malum prorumpit, ut appareat manifeſtum bellum, & ex profeſſo dividant ſe homines in contrarias ſectas. Ergo ne fideles, propterea quod diſſidiis cernebant laborare Corinthios, animis deficerent, retorquet Apoſtolus hoc ſcandalum in contrariam partem: quod Dominus potius talibus experimentis probet ſuorum conſtantiam. Pulchra conſolatio. Adeo, inquit, turbari nos aut labaſcere non convenit, dum non videmus plenam unitatem in Eccleſia, ſed potius quædam ſigna diſſipationis, ex animis non bene conſentientibus: ut etiam ſi palam emergant ſectæ; ſtare nos oporteat firmos & conſtantes: ita enim deteguntur hypocritæ: ita ex adverſo probatur fidelium ſinceritas. nam ſicuti hac occaſione ſe prodit eorum levitas qui radices non egerunt in verbo Domini, & eorum improbitas qui ſimulando ſpeciem bonorum virorum præbuerant: ita illuſtrius ſpecimen edunt boni ſuæ conſtantiæ & ſinceritatis. Nota autem quod dicit Paulus, Oportere: ſignificat enim hoc verbo id non fortuito, ſed certa Dei providentia evenire, quia velit explorare ſuos perinde ac aurum in fornace. quod ſi Deo placet, ergo expedit. Neque tamen ideo ingrediendum eſt in ſpinoſas diſputationes, vel potius in labyrinthos, de fatali neceſſitate. Scimus nunquam fore tempus quo non multi ſint reprobi: ſcimus eos gubernari ſpiritu Satanæ, & efficaciter rapi ad malum: ſcimus hunc aſſidue lapidem moveri à Satana, ut abrumpat Eccleſiæ unitatem. hinc illa neceſſitas cujus meminit Paulus: non ex fato. Scimus etiam Dominum mirabili ſua ſapientia in fidelium ſalutem convertere peſtiferas Satanæ machinationes. Hinc ille finis, ut eluceant melius probi. neque enim acceptum tale bonum referri debet hæreſibus, quæ ut malæ ſunt, ita non poſſunt niſi malum gignere: ſed Deo, qui rerum naturas infinita ſua bonitate transformat, ut ſalutaria ſint electis quæ in eorum exitium excogitaverat Satan. Quod autem Chryſoſtomus particulam ἵνα non cauſam ſed eventum indicare contendit, non eſt tanti momenti. Cauſa enim eſt arcanum Dei conſilium, quo ſic attemperantur mala ut in bonum finem cedant. Scimus poſtremo impios ſic impelli à Satana, ut voluntario motu agantur ſimul & agant. quare ſublata illis eſt excuſatio.

20. *Non eſt Dominicam cœnam.*] Nunc taxat abuſum qui in Cœnam Domini obrepſerat apud Corinthios: quod ſacro & ſpirituali epulo profana ſympoſia permiſcerent, idque cum pauperum contumelia. Dicit Paulus hoc modo non edi Cœnam Domini: non quia unus abuſus omnino aboleret ac in nihilum redigeret ſacroſanctam Chriſti inſtitutionem, ſed quia perperam myſterium tractando polluebant. Solemus enim vulgari ſermone ita loqui, Non fieri quod rite non fit. Erat autem hæc non levis corruptela, ut poſtea videbimus. Si Non eſt, pro Non licet, accipias (ut faciunt aliqui) eodem recidet ſenſus: nempe Corinthios non eſſe comparatos ad Cœnam Domini edendam, quum ita ſe disjungunt. ſimplicius tamen eſt quod nuper retuli, damnari profanam illam miſtionem quæ Chriſti Cœnæ nihil affine habebat.

21. *Unuſquiſque enim propriam cœnam præſumit.*] Mirum eſt ſane & fere portenti inſtar, Satanam exiguo temporis ſpatio tantum potuiſſe. ſed hoc exemplo admonemur quid valeat ſine ratione antiquitas? hoc eſt, quantum habeat auctoritatis longa conſuetudo, nullo verbi Dei teſtimonio probata. Quia hoc invaluerat, legitimum habebatur: adfuit tunc Paulus qui ſe interponeret. quid poſt mortem Apoſtolorum? quanta licentia putamus Satanam exultaſſe? Atqui hoc firmiſſimum eſt fundamentum Papiſtis, Vetus eſt, Fuit olim factum: habeat ergo pondus cœleſtis oraculi. Cæterum unde ortus ſit hic abuſus, aut qua occaſione tam cito emerſerit, dubium eſt. Chryſoſtomus ἀπὸ τῶν ἀγαπῶν fluxiſſe putat, quod quum divites ſoliti eſſent domo afferre unde promiſcue cum pauperibus & in commune epularentur, poſtea excluſis pauperibus, ſoli ſe ſuis lautitiis ingurgitare cœperunt. Et certe vetuſtiſſimum fuiſſe illum morem, patet ex Tertulliano. vocabant autem Agapas, cœnas illas communes quas inter ſe agitabant, quod eſſent fraternæ dilectionis ſymbola, & eleemoſynis conſtarent. nec dubito quin ſacrificiorum ritus tam Judæis quam Gentibus communes, cauſam præbuerint: video enim Chriſtianos ſic vitia rituum fere correxiſſe, ut ſimilitudinem aliquam retinerent. Veriſimile ergo eſt, quum & Judæos & Gentiles cernerent convivium ſacro adjungere tanquam appendicem, ſed utroſque peccare ambitione, luxu, intemperantia: formam convivii inſtituiſſe quæ ſobrietatis potius & frugalitatis exercitium foret; deinde quæ ſpirituali Cœnæ apta eſſet propter communicationem. Divitum enim ſumptu pauperes illic alebantur: & erat communis omnium menſa. Sive autem ſtatim ab initio proruperant ad hanc profanam corruptelam: ſive inſtitutum alioqui non tam malum, ſucceſſu temporis ita degeneraverat: Paulus nullo modo vult ſpirituale hoc convivium miſceri epulis communibus. Habet hoc quidem ſpeciem honeſtam, pauperes ſimul ac divites collatis cibis in communo veſci, divites ſuam abundantiam cum egenis communicare: ſed nihil tanti eſt ut profanetur ſacrum myſterium. *Atque hic quidem eſurit.* Hoc unum erat malum, quod quum ſe laute tractarent divites, pauperibus quodammodo videbantur exprobrare ſuam egeſtatem. Inæqualitatem hyperbolice deſignat, quum dicit alios eſſe ebrios, & alios eſurire. habebant enim alii quo bene farcirent ventrem: alii tenuiter victitabant. ſic pauperes erant expoſiti ludibrio divitum, aut ſaltem pudore afficiebantur. Erat igitur turpe ſpectaculum, & indignum Cœna Domini.

22. *Numquid domos non habetis.*] Hinc videmus in totum diſplicuiſſe Apoſtolo convivandi morem, etiamſi abeſſet ille ſuperior abuſus. Nam etſi videtur tolerabilius, totam Eccleſiam in communi menſa cœnare: hoc tamen ipſum vitioſum eſt, convertere in alienos uſus ſacrum conventum. Scimus ad quas actiones convenire debeat Eccleſia: nempe ad audiendam doctrinam, ad fundendas precationes & hymnos Deo canendos, ad celebranda myſteria, ad edendam fidei confeſſionem, ad peragendos pios ritus, & alia pietatis exercitia. Si quid aliud illic geratur, eſt intempeſtivum. ſua cuique domus ad edendum & bibendum deſtinata eſt: indecenter ergo id fit in ſacro conventu. *Quid vobis dicam?* Re concluſa, jam illis proponit æſtimandum an laudari debeant: neque enim poterant tam manifeſtum abuſum defendere. Interrogatione autem eos magis urget: acſi diceret, Quid aliud facerem? an negabitis vos jure reprehendi? Cæterum particulam *in hoc*, quædam exemplaria conjungunt verbo ſequenti, hoc contextu, Laudabo vos? in hoc non laudo. ſed diverſa lectio apud Græcos eſt receptior, & melius quadrat.

23. Ego

23. Ego enim accepi à Domino, quod etiam tradidi vobis: quod Dominus Jeſus nocte qua traditus eſt, accepit panem:

24. Et gratiis actis, fregit, & dixit, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei memoriam.

25. Similiter & calicem, poſtquam cœnaverant, dicens, Hic calix novum teſtamentum eſt in ſanguine meo: hoc facite quotieſcunque biberitis, in mei memoriam.

26. Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & biberitis hunc calicem, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

27. Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

28. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane edat, & de calice bibat.

29. Qui enim ederit aut biberit indigne, judicium ſibi edit ac bibit, non diſcernens corpus Domini.

Hactenus vitium oſtendit: nunc docere incipit quis verus ſit corrigendi modus. Inſtirutio enim Chriſti certa eſt regula, à qua ſi vel pauxillum deflectas, jam rectum non tenes. ergo quum ab hac regula aberraſſent Corinthii, illuc eos revocat. Locus diligenter notandus, non eſſe aliud ſanandis ac repurgandis corruptelis remedium, quam ſi ad puram Dei ordinationem redeatur. Ita Dominus ipſe
Mat. 19. verſ. 3. qoum de conjugio ſermo eſſet, ac Scribæ conſuetudinem objicerent, atque etiam permiſſionem Moſis, non aliud objicit quam Patris inſtitutionem: quia lex ſit inviolabilis. Hoc hodie dum agimos, clamitant Papiſtæ, nos nihil ſalvum relinqoere. Palam monſtramus eos non in uno tantum degeneraſſe à prima inſtitutione Domini, ſed mille modis eam corrupiſſe. nihil clarius eſt quam eorum Miſſam ex diametro diſſidere com ſacra Domini Cœna. Ultra progredior: digito monſtramus impiis eam abominationibus ſcatere. correctione igitur opus eſt: hanc flagitamus qua conſtat uſum fuiſſe Paulum: ut inſtitutio Domini ſit nobis communis regula, in quam utrimque conſentiamus: illi fortiter reclamant. En quale noſtrum ſit hodie de Cœna Domini certamen.

23. *Accepi à Domino.*] His verbis ſignificat, non aliam in Eccleſia auctoritatem valere, quam nnius Domini. Perinde enim eſt acſi diceret, Non tradidi vobis meum commentum: non excogitaveram ubi ad vos veni, novam Cœnam meo arbitrio: ſed habeo Chriſtum auctorem, à quo accepi quod vobis tradidi per manus. ad hoc igitur principium redite. Ita unius Chriſti auctoritas, hominum legibus valere juſſis, ſtabilis manebit. *Nocte qua traditus eſt.* Hæc circumſtantia temporis nos admonet de fine myſterii: nempe ut in nobis ſanciatur mortis Chriſti beneficium. poterat enim Dominus aliquanto ante hoc fœdus commendare Apoſtolis: ſed expectavit immolationis ſuæ tempus, ut reipſa mox impleri in ejus corpore cernerent Apoſtoli quod illis figuraverat in pane & vino. Si quis inde colligat, nocte igitur celebrandam eſſe Cœnam, & poſt corporalem paſtum: reſpondeo, in eo quod Dominus fecit, conſiderandum quid à nobis voluerit fieri. Certum eſt noluiſſe ipſum nocturna quædam Cereris ſacra tradere: noluiſſe etiam ſuos bene referto ventre, ad ſpirituale epulum invitare. Ejuſmodi Chriſti facta quæ ad imitationem non pertinent, in ejus inſtitutione non debent cenſeri. Ita nullo negotio refellitur Papiſtarum argutia, qua eludunt quod jam dixi de tenenda ſimpliciter ac ſervanda Chriſti inſtitutione. Ergo, inquiunt, noo niſi noctu recipiemus Cœnam Domini: ergo pranſi, non jejuni. Hoc, ioquam, totum frivolom eſt: quia facile diſcernitur quid Dominus ideo fecerit ut imitaremur; imo quid fecerit, ut fieri quoque præciperet.

24. *Gratiis actis.*] Quicquid percipimus donorum ex manu Dei, ſanctificatur nobis per verbum
1 Tim. 4. verſ. 5. & orationem, inquit alibi Paulus. itaque nuſquam legimus Dominum guſtaſſe cum ſuis panem, quin fiat mentio gratiarum actionis. quo exemplo nos certe erudivit ad idem agendum. Hæc autem gratiarum actio altius ſpectat: agit enim Patri gratias Chriſtus de ſua erga humanum genus miſericordia & ineſtimabili redemptionis beneficio: noſque ſuo exemplo invitat, ut quoties ad ſacram menſam accedimus, erigamur ad agnitionem immenſi erga nos amoris Dei, & ad veram gratitudinem accendamur. *Accipite, edite, hoc eſt corpus.* Quum hic voluerit Paulus breviter nos docere de recto uſu myſterii, noſtrum eſt attento ſtudio expendere quæ proponit, & nihil neglectum præterire: qoum nihil dicat niſi cognitu valde neceſſarium, dignumque ſumma animadverſione. Primo loco notaodum eſt, Chriſtum panem hic diſtribuere Apoſtolis, ut omnes communiter veſcantur: & ſic quiſque portionem ſuam accipiat ut ſit æqualis inter omnes communicatio. Ubi ergo non paratur omnibus piis communis menſa, ubi non invitantur ad communem panis fractionem, ubi denique non participant inter ſe fideles, fruſtra illic jactatur Cœnæ Dominicæ nomen. atqui ad Miſſam quorſum populus convocatur, niſi ut à frigido ſpectaculo inanis diſcedat? Nibil ergo habet cum Cœna commune. unde etiam colligitur, Chriſti promiſſionem Miſſæ nihilo plus convenire, quam Saliorum epulo: nam quum promittit Chriſtus ſe daturum nobis corpus ſuum, ſimiliter jubet nos panem accipere & edere. Quare niſi paremus huic mandato, fruſtra promiſſione gloriamur. Ut hoc aliis verbis familiarius explicem, Promiſſio mandato annexa eſt, veluti conditionalis: ergo non aliter habet ſuum effectum, quam ſi conditio etiam locum habeat. Exempli gratia: ſcriptum eſt, Invoca me, exaudiam te. noſtrum *Pſal. 50.*
eſt Deo jubenti obedire, ut præſtet ipſe nobis quod *verſ. 15.*
pollicetur: alioqui effectum excludimus. Quid Papiſtæ? omiſſa communicatione panem in uſum prorſus diverſum conſecrant: interea jactant ſe habere corpus Domini. quum impio divortio res à Chriſto connexas ſeparent, patet inanem eſſe jactantiam. Ergo qooties objicient particulam iſtam, Hoc eſt corpus meum: regerenda illis eſt altera quæ ordine præcedit, Accipite & manducate. ſenſus enim verborum eſt, Communicando in fractione panis ſecuodum ordinem & ritum à me præceptum, participes quoque corporis mei eritis. Ubi ergo unus ſeorſum vorat, illic ceſſat promiſſio. Præterea docemur his verbis, quid velit nos Dominus agere. Accipite, inquit. ergo qui Deo offerunt, alium quam Chriſtum ſequuntur auctorem: neque enim his verbis ad peragendum ſacrificium inſtruimur. Quid autem de ſua Miſſa aiunt Papiſtæ? initio adeo fuerunt impudentes ut vere & proprie ſacrificium vocari defenderent: nunc conceduot memoriale quidem eſſe ſacrificium; ſed ita, ut ſua illa quotidiaoa oblatione, redemptionis beneficium applicetur vivis & mortuis. quicquid ſit, immolationis ſpectaculum exhibent: primum temere, quod abſque ullo Chriſti mandato: ſed in eo gravius adhuc peccatur, quod

quum hunc Cœnæ finem ordinarit Chriſtus ut recipiamus ac veſcamur, eam in contrarium prorſus uſum pervertunt. *Hoc eſt corpus meum.* Non recenſebo infelices pugnas quæ de ſenſu iſtorum verborum Eccleſiam noſtro tempore exercuerunt. utinam potius liceat perpetua oblivione earum memoriam obruere. Dicam primum ſincere & abſque fuco, deinde libere (ſicuti ſoleo) quid mihi videatur. Panem Chriſtus vocat corpus ſuum. nam inſulſum illud commentum abſque diſputatione repudio, Non panem oſtendiſſe Dominum Apoſtolis, ſed corpus quod oculis cernebant: ſequitur enim continuo, Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Sit ergo extra controverſiam, Chriſtum hic de pane loqui. Nunc quæritur quo ſenſu. Ut ſenſum eruamus, tenendum eſt, loquutionem eſſe figuratam: nam id negare, eſt certe nimiæ improbitatis. Cur ergo appellatio Corporis pani tribuitur? omnes, puto, concedent, eadem ratione qua Spiritum ſanctum Joannes columbam vocat. Hactenus convenit. *Joan. 1. verſ. 32.* Porro in Spiritu illa fuit ratio, quod ſub columbæ ſpecie apparuerat: transfertur ergo Spiritus nomen ad ſignum viſibile. Cur hic negemus ſimilem eſſe metonymiam, nomenque Corporis pani tribui, quia ejus ſignum ſit aut ſymbolum? Dabunt mihi veniam ſiqui diſſentiant: contentioſum mihi videtur, de eo pertinacius litigare. Conſtituo itaque Sacramentalem hic eſſe loquendi modum: ubi Dominus rei ſignatæ nomen ſigno tribuit. Nunc ulterius pergendum, ac quærenda metonymiæ ratio. Hic reſpondeo, non ideo tantum ſigno imponi nomen rei ſignatæ quoniam ſit figura, ſed magis quia ſymbolum ſit quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis aut terrenis, quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diverſum, non admitto. vocatur Hercules ſtatua Herculis: ſed quid illic eſt præter nudam inanemque figuram? Columba autem Spiritus vocatur, quia certa ſit teſſera inviſibilis Spiritus præſentiæ. Ergo panis eſt Chriſti corpus, quia certo teſtetur exhiberi nobis corpus illud quod figurat: vel quia Dominus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo, una dat etiam nobis ſuum corpus: neque enim fallax eſt Chriſtus qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controverſiam, veritatem hic cum ſuo ſigno conjunctam eſſe: hoc eſt, non minus vere nos, quantum ad vim ſpiritualem attinet, participes corporis Chriſti fieri quam pane veſcimur. Jam excutiendus eſt modus. Papiſtæ ſuam transſubſtantiationem nobis ingerunt: negant amplius reſidere panis ſubſtantiam peracta conſecratione: ſed manere ſola accidentia. Huic commento non tantum opponimus aperta Scripturæ verba, ſed ipſam Sacramentorum naturam: qualis enim erit Cœnæ ſignificatio, ſi nulla ſit inter ſignum viſibile & rem ſpiritualem analogia? Signum eſſe volunt falſam & deluſoriam panis ſpeciem: quid igitur erit res ſignata quam mera imaginatio? Ergo ſi convenientiam ſigno eſſe oportet cum ſua veritate: neceſſe eſt verum eſſe panem, non imaginarium, qui verum Chriſti corpus figuret. Deinde non ſimpliciter hic datur nobis corpus Chriſti, ſed in cibum. color autem panis nequaquam alit, ſed ſubſtantia: denique ut in re conſtet veritas, non ſit in ſigno fruſtratio. Rejecto itaque Papiſtarum delirio, videamus quomodo nobis detur corpus Chriſti. Quidam nobis dari exponunt, dum participes efficimur omnium bonorum quæ nobis Chriſtus in corpore ſuo acquiſivit: dum fide, inquam, amplectimur Chriſtum pro nobis crucifixum & à mortuis excitatum: eoque modo efficacirer omnibus ejus bonis communicamus. qui ſic ſentiunt, fruantur ſane illo ſenſu. Ego autem tunc nos demum participare Chriſti bonis agnoſco, poſtquam Chriſtum ipſum obtinemus. Obtineri autem dico, non tantum quum pro nobis factum fuiſſe victimam credimus: ſed dum in nobis habitat, dum eſt unum nobiſcum, dum ejus ſumus membra ex carne ejus, dum in unam denique & vitam & ſubſtantiam (ut ita loquar) cum ipſo coaleſcimus. Præterea audio quid verba ſonent: neque enim mortis tantum ac reſurrectionis ſuæ beneficium nobis offert Chriſtus, ſed corpus ipſum in quo paſſus eſt ac reſurrexit. Concludo, realiter, (ut vulgo loquuntur) hoc eſt, vere nobis in Cœna dari Chriſti corpus, ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem. Loquor vulgari more: ſed intelligo ſubſtantia corporis paſci animas noſtras, ut vere unum efficiamur cum eo: vel quod idem valet, vim ex Chriſti carne vivificam in nos per Spiritum diffundi, quamvis longe à nobis diſtet, nec miſceatur nobiſcum. Nodus tantum unus jam ſupereſt: qui fieri poſſit ut corpus quod in cælo eſt, nobis hic in terra detur. Aliqui corpus Chriſti infinitum eſſe fingunt, nec ullo ſpatio contineri, ſed implere cælum pariter & terram inſtar divinæ ejus eſſentiæ. quod figmentum abſurdius eſt quam ut refutatione egeat. Scholaſtici de corpore glorioſo diſputant ſubtilius: ſed tamen huc redit tota eorum doctrina, ut quæratur in pane Chriſtus, tanquam illic incluſus foret. Ita fit ut obſtupeſcant hominum animi ad panem, ipſumque inſtar Chriſti adorent. Si quis ab illis ſciſcitetur panemne adorent, an ſpeciem, negabunt quidem fortiter: ſed interea ad panem ſe convertunt Chriſtum adoraturi: convertunt ſe, inquam, non oculis tantum & toto corpore, ſed mentis etiam cogitatione. hoc autem quid aliud eſt quam mera idololatria? atqui hæc communicatio corporis Domini quam nobis in Cœna exhiberi dico, nec localem præſentiam, nec Chriſti deſcenſum, nec infinitam extenſionem, nec aliud quicquam tale flagitat: nam quum Cœna cæleſtis ſit actio, minime abſurdum eſt Chriſtum in cælo manentem à nobis recipi. Quod enim ſe nobis communicat, id fit arcana Spiritus ſancti virtute, quæ res locorum diſtantia ſejunctas ac procul diſſitas non modo aggregare, ſed coadunare in unum poteſt. Verum ut capaces hujus communicationis ſimus, aſſurgere in cælum nos oportet. hic ergo fides nobis ſuccurrat, poſtquam omnes carnis ſenſus deficiunt. Fidem quum dico, non intelligo quamlibet opinionem hominum commentis fultam: ſicuti multi fidem ſubinde jactantes, prolixe in hac parte delirant. Quid igitur? panem vides, præterea nihil: ſed audis teſſeram eſſe corporis Chriſti. ne dubita impleri à Domino quod verba ſonant, corpus quod nequaquam cernis, ſpirituale eſt tibi alimentum. Incredibile hoc videtur, paſci nos Chriſti carne, quæ tam procul à nobis diſtat. meminerimus arcanum ac mirificum eſſe Spiritus ſancti opus, quod intelligentiæ tuæ modulo metiri ſit nefas: interea tamen craſſas imaginationes abige quæ te in pane detineant. Relinque Chriſto veram carnis naturam, neque ejus corpus falſa opinione per cælum & terram extendas: non diſtrahas eum tuis figmentis, nec eum pro carnali tuo ſenſu hic vel illic adores: ſine ut in cæleſti ſua gloria maneat, & illuc aſpira, ut inde ſe tibi communicet. Hæc pauca ſanis & modeſtis ſatisfacient: curioſos alibi jubeo quærere quo ſuam aviditatem expleant. *Quod pro vobis frangitur.* Aliqui exponunt de panis diſtributione: quia corpus Chriſti manere integrum oportuit, quemadmodum prædictum fuerat, Os non comminuetur ex eo. ego, ſicuti *Exod. 12.* Paulum ad panis fractionem alluſiſſe fateor, ita hic *verſ. 46.* Frangi poſitum interpretor pro Immolari; improprie quidem, ſed non abſurde. Nam utcunque nullum os mutilatum fuerit: corpus tamen ipſum primo tot tormentis & cruciatibus, deinde crudeliſſimo mortis ſupplicio expoſitum, non poteſt illæſum dici. hoc Frangi vocavit Paulus. Cæterum hoc ſecundum eſt membrum promiſſionis, quod leviter prætereundum non eſt. neque enim ſimpliciter & ſine adjectione

Dominus corpus ſuum nobis offert, ſed quatenus pro nobis immolatum fuit. Prius ergo membrum ſignificat nobis corpus exhiberi: hoc ſecundum exprimit quis inde fructus ad nos perveniat: nempe quod redemptionis ſumus participes, & ſacrificii beneficium nobis applicatur. Quare Cœna ſpeculum eſt quod Chriſtum crucifixum nobis repræſentat, ut nemo utiliter & cum fructu Cœnam poſſit recipere, niſi qui Chriſtum crucifixum amplectitur. *Hoc facite in mei memoriam.* Ergo Cœna eſt ſublevandæ noſtræ infirmitati inſtitutum: nam ſi mortis Chriſti ſatis alioqui memores eſſemus, ſupervacuum eſſet hoc adminiculum, quod omnium Sacramentorum eſt commune: ſunt enim infirmitatis noſtræ adjumenta. Porro qualem ſui memoriam voluerit Chriſtus in Cœna recoli, mox audiemus. quod autem hinc noonulli colligunt, abeſſe igitur à Cœna Chriſtum, quoniam memoria nonniſi rei abſentis ſit: prompta eſt reſpooſio, ſecundum hanc rationem qua Cœna eſt recordatio, Chriſtum ab illa abeſſe: neque enim adeſt Chriſtus viſibiliter, neque oculis cernitur ſicuti ſymbola quæ ipſum figurando memoriam noſtram excitant. denique locum non mutat, ut nobis adſit: ſed è cælo præſentem io nos carnis ſuæ virtutem tranſmittit.

25. *Calicem, poſtquam cœnaverant.*] Videtur Apoſtolus aliquod temporis intervallum notare inter porrectionem panis & calicis: neque ſatis conſtat ex Euangeliſtis an tota actio fuerit continua. verum id non adeo magni eſt momenti: fieri enim poteſt ut concionem aliquam interpoſuerit Dominus porrecto pane, antequam calicem daret. verum quia nihil agebat aut dicebat extraneum à myſterio, non dicemus adminiſtrationem fuiſſe turbatam aut motilam. Nolui autem cum Eraſmo vertere, Cœna peracta: quia in re tanti ponderis vitanda fuit ambiguitas. *Hic calix novum teſtamentum eſt.* Quod de calice prædicatur, pani etiam competit: adeoque hac loquutione exprimitur quod ante brevius dictum erat, panem ſcilicet eſſe corpus. Ideo enim nobis eſt, ut ſit teſtamentum in corpore: id eſt, fœdus quod ſemel immolatione corporis ſancitum fuit: & nunc ſancitur veſcendo, dum ſcilicet ex ſacrificio illo epulantur fideles. Itaque pro eo quod Paulus & Lucas dicunt Teſtamentum in ſanguine, Matthæus & Marcus habent Sanguinem teſtamenti: quod eodem recidit. Fuſus enim ſanguis fuit, ut oos reconciliaret Deo: & nunc bibitur ſpiritualiter à nobis, ut reconciliationis ſimus participes. Quare in Cœna & fœdus habemus, & pignus fœderis confirmatorium. De vocabulo Teſtamenti, ſi Dominus tantum temporis conceſſerit, dicemus in Epiſtola ad Hebræos. Porro vulgare eſt Sacramenta vocari hoc nomine: quia nobis teſtimonia ſunt divinæ voluntatis, quæ eam animis noſtris confirment. Sicuti enim ſolenni ritu fœdus inter homines percutitur: ita nobiſcum agit Dominus. Nec improprie hoc dicitur: quia propter verbi & ſigni coonexionem vere incluſum eſt fœdus Domini in Sacramentis: & nomen fœderis relationem vel reſpectum ad nos habet. Hoc non parum valebit ad intelligendam Sacramentorum naturam. nam ſi fœdera ſunt: ergo promiſſiones continent quibus erigantur conſcientiæ ad fiduciam ſalutis. Unde ſequitur, non externa modo profeſſionis ſigna eſſe apud homines, ſed intus etiam fidei eſſe adjumenta. *Hoc facite, quotieſcunque biberitis.* Duplex ergo ſignum inſtituit Chriſtus in Cœna. quæ autem Deus conjunxit, homo non ſeparet. Panem ergo ſine calice diſtribuere, eſt truncare Chriſti inſtitutum. audimus enim Chriſti verba: ſicut jubet panem edere, ita jubet bibere calicem. dimidia ex parte obſequi, & dimidiam partem omittere, quid aliud eſt quam habere ludibrio ejus præceptum? arcere autem populum à calice quem Chriſtus omnibus propinat, quod fit ſub Papæ tyrannide: quis neget eſſe diabolicam audaciam? Quod autem cavillantur Chriſtum Apoſtolis loquutum, non plebeiis, nimis eſt puerile, & ex hoc loco facile refellitur: viros enim & mulieres promiſcue hic alloquitur Paulus, & totum Eccleſiæ corpus: teſtatur ſe illis hoc tradidiſſe ex Domini mandato. Hanc traditionem qui abrogare auſi ſunt, quo ſpiritu ſe fuiſſe actos obtendent? Et tamen hodie quoque pertinaciter hæc tam craſſa corruptela defenditur: & quid mirum ſi impudenter verbis & ſcriptis conantur excuſare quod tam crudeliter ignibus & ferro vindicant?

26. *Quotieſcunque enim ederitis.*] Jam Paulus adjungit qualis debeat memoria celebrari: nempe cum gratiarum actione. non quod tota memoria in confeſſione oris ſita ſit: eſt enim hoc præcipuum, ut mortis Chriſti virtus conſcientiis noſtris obſignetur. verum hæc cognitio accendere nos debet ad confeſſionem laudis, ut apud homines prædicemus quod ſentimus intus coram Deo. Eſt igitur Cœna quoddam (ut ita loquar) memoriale, quod perpetuo durare in Eccleſia debet uſque ad ultimum Chriſti adventum: in hunc finem inſtitutum, ut nos Chriſtus de beneficio mortis ſuæ admoneat, & nos coram hominibus id recognoſcamus: unde nomen Euchariſtiæ habet. Itaque ut rite Cœnam celebres, memineris abs te requiri fidei tuæ profeſſionem. Hinc apparet quam impudenter Deo illudant qui in Miſſa jactant ſe habere qualemcunque Cœnam. Quid enim eſt Miſſa? fatentur illi (non enim de Papiſtis loquor, ſed de Pſeudonicodemis) execrandis ſuperſtitionibus refertam eſſe: eas ſe externo geſtu probare ſimulant. qualis iſthæc eſt prædicatio mortis Chriſti? annon potius eam ejurant? *Donec veniat.* Quoniam ſemper indigemus tali adminiculo quamdiu in hoc mundo verſamur, ſignificat Paulus hanc recordationem nobis eſſe commendatam uſque dum appareat Chriſtus ad judicium. Quia enim viſibili forma nobiſcum non verſatur, neceſſe eſt extare aliquod ſpiritualis præſentiæ ſymbolum quo ſe mentes noſtræ exerceant.

27. *Itaque quis ederit panem hunc indigne.*] Si Dominus exigit gratitudinem à nobis in hujus myſterii perceptione: ſi gratiam ſuam vult agnoſci corde, & ore prædicari: ille non impune evadet qui contumelia potius ipſum quam honore affecerit. neque enim patietur Dominus mandatum ſuum contemni. Porro ut teneamus hujus propoſitionis ſenſum, ſciendum eſt quid ſit Indigne manducare. quidam ad Corinthios reſtringunt, & corruptelam quæ apud eos invaluerat: ego autem exiſtimo Paulum more ſuo ab illa hypotheſi digreſſum eſſe in generalem doctrinam, vel ab una ſpecie ad genus totum. Erat vitium unum apud Corinthios: hac occaſione de qualibet vitioſa Cœnæ adminiſtratione aut receptione loquitur. Deus, inquit, non ſinet profanari hoc myſterium, quin ſevere vindicet. Indigne igitur edere, eſt abuſu noſtro pervertere purum rectumque uſum. Ideoque varii ſunt gradus indignitatis, ut ita loquar: & aliqui gravius, aliqui levius peccant. Ingeret ſe quiſpiam vel ſcortator, vel perjurus, vel ebrioſus, vel fraudator, abſque pœnitentia: quum atrocis in Chriſtum contumeliæ ſignum ſit tam ſupinus contemptus, non dubium quin Cœnam percipiat ſuo exitio quiſquis talis eſt. Veniet alius nullo inſigni aut notabili vitio occupatus, ſed tamen non ita comparatus animo ut decebat: quum ſecuritas hæc aut negligentia ſignum ſit irreverentiæ, Dei etiam caſtigatione digna eſt. Quemadmodum ergo varii ſunt gradus indignæ manducationis: ita hos levius caſtigat Dominus, aliis aſperiores pœnas infligit. Hic autem locus occaſionem præbuit quæſtioni, quam poſtea quidam nimis acerbe exagitarunt, utrum indigni corpus Domini reipſa edant.

Huc enim quidam provecti ſunt contentione, ut à bonis & malis dicerent indifferenter percipi: & multi hodie pertinaciter atque adeo magnis clamoribus defendunt, nihilo plus recepiſſe in prima Cœna Petrum quam Judam. Invitus quidem facio ut hac de re (meo judicio) parum neceſſaria acrius cum quoquam diſceptem: verum ſicut alii ſibi permittunt magiſtraliter abſque ratione pronunciare quod ipſis libuerit, & fulminare ſi quis in contrariam partem muſſitet, ita nobis venia dabitur, ſi placide rationibus tueamur quod judicamus eſſe verum. Ergo hoc axioma teneo, neque mihi unquam excuti patiar, Chriſtum non poſſe à Spiritu ſuo divelli. Unde conſtituo, non recipi mortuum ejus corpus, neque etiam otioſum, aut disjunctum à Spiritus ſui gratia & virtute. In hac ſententia probanda non immoror diutius. Jam qui viva fide & pœnitentia omnino eſt vacuus, quum nihil habeat Spiritus Chriſti, ipſum Chriſtum quomodo reciperet? imo quum totus occupetur à Satana & peccato, quomodo erit Chriſti capax? Sicut ergo fateor quoſdam eſſe qui vere ſimul in Cœna & tamen indigne Chriſtum recipiant, quales ſunt multi infirmi: ita non admitto, eos qui fidem hiſtoricam tantum ſine vivo pœnitentiæ & fidei ſenſu afferunt, aliud quam ſignum recipere. Neque enim Chriſtum mutilare ſuſtineo: & illam abſurditatem reformido, quod ſe impiis quaſi exanimem edendum tradat. Neque aliud ſentit Auguſtinus, quum malos dicit Chriſtum recipere in Cœna Sacramento tenus. quod alibi clarius exprimit, quum tradit reliquos Apoſtolos ediſſe panem Dominum, Judam vero non niſi panem Domini. At vero hic objicitur, Sacramentorum efficaciam non pendere ex dignitate hominum, neque hominum malitia de promiſſionibus Dei quicquam detrahi aut deperire. Fateor, & ideo diſerte addo, non minus malis quam bonis offerri Chriſti corpus: quod ad vim Sacramenti & Dei finem ſatis eſt. Deus enim non illic fallaciter figurat malis Filii ſui corpus, ſed reipſa exhibet: nec panis inane illis ſignum eſt, ſed fidelis teſſera: quod reſpuunt, illud nihil imminuit vel mutat de Sacramenti natura. Supereſt ut ad hunc Pauli locum reſpondeamus: Paulus reos facit indignos, quia non dijudicant corpus Domini: ergo hi corpus recipiunt. Nego conſequentiam. tametſi enim reſpuunt, quia tamen profanant & dedecore afficiunt ſibi oblatum, merito rei ſunt: perinde enim faciunt acſi in terram projectum, pedibus calcarent. an hoc parvum eſt ſacrilegium? ita in Pauli verbis nihil difficultatis video: modo conſideres quid Deus malis offerat & porrigat, non autem quid percipiant.

28. *Probet autem ſeipſum homo.*] Exhortatio ex proxima comminatione ducta. Si rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, qui indigne edunt; ergo nemo niſi bene riteque comparatus accedat. Caveat ergo ſibi quiſque ne ſocordia aut ſecuritate in hoc ſacrilegium incidat. Sed quæritur nunc, qualis debeat eſſe probatio, ad quam nos Paulus vocat. Papiſtæ eam in auriculari confeſſione locant: jubent omnes qui Cœnam ſunt recepturi, diligenter & anxie excutere vitam ſuam, ut in aurem ſacerdotis omnia ſua peccata exonerent. hæc eſt eorum præparatio. Ego autem ſanctum examen, de quo Paulus loquitur, à tormento longe diſtare dico. Illi poſtquam ſe excruciarunt paucarum horarum cogitatione, & ſacrificulum conſcium fecerunt ſuæ turpitudinis, defunctos ſe opinantur. alia eſt probatio quam hic Paulus requirit: nempe quæ legitimo ſacræ Cœnæ uſui reſpondeat. Vides expeditiſſimam methodum, Si rite vis uti Chriſti beneficio, fidem afferas & pœnitentiam. in his ergo duobus conſiſtit examen, ut venias bene præparatus. Sub pœnitentia charitatem includo: nam qui ſibi renunciare didicit, ut ſe Chriſto ejuſque obſequio addicat, ille etiam proculdubio unitatem à Chriſto commendatam, ex animo colet. Neque vero perfecta aut fides, aut pœnitentia requiritur: ſicut quidam perfectionem quæ nuſquam inveniri poteſt, nimium urgendo, univerſos mortales in perpetuum à Cœna arcent. Verum ſi ſerio animi affectu ad Dei juſtitiam aſpiras, & miſeriæ tuæ agnitione humiliatus, totus in Chriſti gratiam recumbis & acquieſcis: ſcito te dignum eſſe convivam qui ad hanc menſam accedas. Dignum intelligo quem Dominus non excludit, etiamſi alioqui nonnihil in te deſideretur. Fides enim etiam inchoata, ex indignis facit dignos.

29. *Qui ederit indigne, judicium ſibi.*] Prius ſceleris atrocitatem nomine deſignavit, quum dixit, reos fore corporis & ſanguinis Domini, qui indigne ederent: nunc pœnæ denunciatione terret. multi enim ſunt qui non moventur ipſo peccato, niſi Dei judicio perculſi fuerint: hoc ergo facit, quum pronunciat cibum hunc, alioqui ſalutarem, futurum exitio, & in venenum converſum iri, indigne manducantibus. Rationem addit, *quia non diſcernunt corpus Domini*: nempe tanquam ſacrum à profano. Perinde eſt acſi diceret, illotis manibus attrectant ſacrum corpus Chriſti: imo perinde acſi res nihili foret, non cogitant quantum ſit ejus pretium. Dabunt igitur pœnas tantæ profanationis. Memoria autem teneant lectores quod nuper docui, offerri illis corpus, licet ejus participatione, ſua eos indignitas privet.

30. Propterea inter vos infirmi ſunt multi, & ægroti, & dormiunt multi.
31. Si enim ipſi nos judicaſſemus, non judicaremur.
32. Porro quum judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.
33. Itaque fratres mei, dum convenitis ad edendum, alii alios expectate.
34. Si autem quiſpiam eſurit, domi edat, ne in judicium edatis. cætera autem quum venero, diſponam.

30. *Propterea* &c.] Poſtquam generaliter tractavit de indigna manducatione, & qualis pœna eos maneat qui myſterium hoc polluerint: nunc jam admonet Corinthios de præſenti caſtigatione quam ſuſtinebant. Neſcitur an peſtis illic eo tempore graſſata fuerit: an aliis morborum generibus laborarint. Quicquid fuerit, colligimus ex verbis Pauli, exortum fuiſſe Domini flagellum ad ipſos corrigendos. neque vero divinat Paulus, ideo ipſos plecti: ſed aſſerit rem ſibi compertam. dicit igitur multos decumbere ægrotos, multos diuturno languore teneri, & multos interiiſſe ob illum Cœnæ abuſum, quia Deum offenderant; quo ſignificat, morbis & reliquis Dei flagellis nos admoneri ut de peccatis noſtris cogitemus. neque enim fruſtra nos affligit Deus, quia malis noſtris non delectatur. Argumentum copioſum & amplum; ſed hic ſufficiat uno verbo annotaſſe. Quod ſi Pauli ætate mediocris Cœnæ corruptela iram Dei accendere potuit adverſus Corinthios, ut tam ſevere in eos vindicaret: quid de hodierno ſtatu ſentiendum? Videmus in toto Papatu non tantum horrendas Cœnæ profanationes, ſed etiam ſacrilegam abominationem in ejus locum erectam. primum, ad turpem quæſtum & nundinationem proſtituta eſt. deinde, mutilata eſt, ſublato uſu calicis. tertio, in alienam formam converſa,

quum

quum receptum fuit ut unus ſeorſum epulum ſuum habeat, abolita communicatione. quarto, nulla illic myſterii expoſitio, ſed murmur incantationi potius magicæ conveniens, aut nefandis Gentium ſacris, quam Domini inſtituto. quinto, infinitæ ceremoniæ, partim ioeptiarum, partim ſuperſtitionis plenæ, ideoque manifeſta inquinamenta. ſexto, diabolicum figmentum ſacrificii, quod impiam in mortem Chriſti blaſphemiam continet. ſeptimo, quod ad miſeros homines carnali fiducia inebriandos aptatur: dum tanquam expiationem Deo opponunt, & hoc amuleto repellere ſe putant omnes noxas, idque ſine fide & pœnitentia: quin etiam dum ſe armatos adverſus diabolum & mortem confidunt, & adverſus Deum tuto præſidio munitos, multo licentioſius peccare audent, & obſtinatiores redduntur. octavo, illic idolum adoratur loco Chriſti. denique omni abominationum genere ſcatet. Apud nos vero, qui puram ejus adminiſtratiooem quaſi poſtliminio reſtitutam habemus, quanta irreverentia? quantum in multis hypocriſeos? quam fœda permiſtio, dum ſine delectu impudenter ſe ingerunt ſceleſti & palam flagitioſi homines, quos nemo honeſtus & verecundus ad communem convictum admitteret? Et adbuc miramur unde tot bella, tot peſtes, tot ſterilitates, tot clades & ærumnæ? quaſi vero cauſa non ſit conſpicua. nec certe unquam ſperandus eſt malorum finis, donec vitia noſtra corrigendo, materiam ſuſtulerimus.

31. *Si enim ipſi nos judicaſſemus.*] Altera inſignis ſententia, Deum ne ſubito quidem iraſci nobis, ut pœnam infligat ſimulac deliquerimus: ſed plerumque ſocordia noſtra fieri ut pene cogatur io nos animadvertere, dum videt nos ſecure torpere, & blandiri peccatis noſtris. Nos ergo imminentes pœnas vel avertimus, vel mitigamus, ſi priores nos ad calculum vocemus, & pœnitentia tacti, iram Dei deprecemur, voluntariam pœnam à nobis exigendo. In ſumma, Pœniteotia, Dei judicium præveniunt fideles: nec alind remedium eſt quo abſolutionem coram Deo obtineant, quam ſponte ſe damnando. Neque tamen intelligas (quemadmodum ſolent Papiſtæ) quandam hic eſſe tranſactionem inter nos & Deum, ut ſponte nobis pœnas irrogando illi ſatisfaciamus, ac nos quodammodo redimamus ex ejus manu. Non ergo antevertimus Dei judicium, quia compenſationem aliquam afferamus ad eum placandum: ſed hæc eſt ratio, quoniam Deus torporem nobis vult excutere, & nos ad pœnitentiam expergefacere dum nos caſtigat. ſi ſponte id facimus, non eſt amplius cauſa cur ſuum judicium in nos exercere pergat. quod ſi quis, poſtquam ſibi diſplicere & pœnitentiam meditari cœperit, adhuc tamen Dei ferulis urgeatur, ſciamus non ita ſolidam nec firmam eſſe ejus reſipiſcentiam, quin aliqua correptione indigeat, qua ad pleniorem effectum adjuvetur. En quomodo pœnitentia Dei judicium idoneo remedio, non tamen compenſatione, præveniat.

32. *Porro quum judicamur.*] Conſolatio valde neceſſaria: nam ſi quis in afflictione cogitet Deum ſibi iratum, potius animo frangetur quam excitabitur ad pœnitentiam. Dicit ergo Paulus, Deum ita fidelibus iraſci, ut interea miſericordiæ non obliviſcatur: imo bac cauſa proprie ipſos punire, ut eorum ſaluti conſulat. Inæſtimabilis conſolatio, pœnas quibus corriguntur peccata noſtra, teſtimonia eſſe, non iræ Dei in exitium noſtrum, ſed paterni potius amoris: ſimul adjumento nobis eſſe in ſalutem. iraſcitur enim nobis Deus ut filiis quos non vult perditos. Quum dicit, *Ne cum hoc mundo damnemur*, duo ſignificat: filios ſeculi, dum quieti ſecurique indormiunt ſois deliciis, ſaginari inſtar porcorum in diem occiſionis. tametſi enim impios quoque Dominus interdum flagellis ſuis ad pœnitentiam invitat: ſæpe tamen eos præterit tanquam extraneos: & impune ruere ſinit, donec extremæ damnationis ſuæ cumulum impleverint. eſt igitur propria fidelium duntaxat hæc gratia, quod pœnis revocantur ne pereant. Alterum eſt, Caſtigationes remedia eſſe neceſſaria fidelibus: ruerent enim alioqui etiam ipſi in æternum exitium, niſi pœnis temporalibus coërcerentur. Iſtæ cogitationes non tantum ad patientiam inſtruere nos debent, ut æquo animo perferamus ærumnas nobis à Deo impoſitas: ſed etiam ad gratitudioem, ut Deo Patri gratias agentes, nos in ejus diſciplinam voluntario obſequio offeramus. nobis quoque proſunt multipliciter: faciunt enim ut pœnæ ſint nobis ſalutares, dum ad mortificationem carnis nos erudiunt, & piam humiliationem: aſſueſaciunt nos ad Dei obedientiam: propriæ infirmitatis convincunt: in animis noſtris accendunt ardorem precandi: ſpem exercent, ut demum ſi quid eſt in ipſis acerbitatis, hoc totum ſpirituali gaudio abſorbeatur.

33. *Itaque fratres.*] A tractatione generalis doctrinæ redit ad hypotheſin, unde fuerat exorſus: & concludit, æqualitatem ſervandam eſſe in Cœna Domini, ut vera ſit communicatio, ſicut eſſe debet: nec propriam quiſque Cœnam celebret. Deinde hoc myſterium non eſſe permiſcendum communibus epulis.

34. *Cætera, quum venero.*] Veriſimile eſt, quædam præterea fuiſſe quæ in melius reſtitui utile foret: verum quia leviuſcula eraot, eorum correctionem in adventum ſuum differt Apoſtolus. quanquam fieri poteſt ut nihil fuerit tale: ſed quia certius ex præſenti aſpectu cognoſcitur quid expediat, Paulus hanc libertatem ſibi retinet, ut coram diſponat prout res nata poſtulabit. Hunc etiam clypeum Papiſtæ ad protegendam ſuam Miſſam nobis objectant. Eam enim eſſe diſpoſitionem interpretantur, quam Paulus hic promittit: quaſi vero ſibi permiſerit æternam Chriſti ordinationem, quam hic clare approbat, evertere. quid enim habet ſimile Miſſa cum Chriſti inſtituto? Sed faceſſant tales nogæ: quum certum ſit, Paulum nonniſi de externo decoro loqui: quod ut in libertate Eccleſiæ poſitum eſt, ita pro temporum, locorum, hominum conditione conſtitui debet.

CAP. XII.

PORro de ſpiritualibus, fratres, nolo vos ignorare.

2. Scitis, quum Gentes eratis, qualiter ſimulachra muta, prout ducebamini, ſequuti ſitis.

3. Quamobrem notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſum. & nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi per Spiritum ſanctum.

4. Diviſiones autem donorum ſunt, ſed unus Spiritus:

5. Et diviſiones miniſteriorum ſunt, ſed unus Dominus:

6. Et diviſiones facultatum ſunt, ſed Deus unus, qui operatur omnia in omnibus.

7. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.

1. *Porro de ſpiritualibus.*] Tranſit ad vitium aliud corrigendum: oempe quoniam abutebantur Corinthii Dei donis ad oſtentationem & pompam, charitatis nulla erat aut exigua cura. docet in quem finem ſpiritualibus gratiis ornentur à Deo fideles: hoc eſt, in fratrum ædificationem. Sed hanc propoſitionem diſtribuit io duo membra: primum enim admonet, Deum eſſe auctorem: deinde hoc poſito, de fine diſputat. Ea quibus ſuperbiebant, provenire hominibus ex Dei gratia, proprio ipſorum experimento probat: reducit enim illis in memoriam quam rudes, ſtupidi, & omni ſpirituali luce deſtituti fuerint, priuſquam à Deo vocarentur. patet ergo non fuiſſe à natura inſtructos, ſed gratuita Dei benignitate. Quod ad verba ſpectat quum dicit, *Nolo vos ignorare*, ſubaudiendum eſt, quid rectum ſit, quale ſit veſtrum officium, aut aliquid ſimile: & ſpiritualia vocat ſpirituales gratias, de quibus poſtea videbimus. In ſequentibus duplex eſt lectio: nam aliqui codices habent duntaxat ὅτι, alii addunt ὅτε. Prius ſignificat Quod, expoſitivum: ſecundum ſignificat Quando. atque hæc lectio longe melius quadrat. Cæterum præter hanc varietatem alioqui perturbata eſt conſtructio, ſed tamen clarus eſt ſenſus. Ad verbum ſic eſt, Scitis quod quum Gentes eratis ad ſimulachra muta prout ducebamini ſequentes: ſed reddidi fideliter Pauli mentem. *Simulachra muta* poſuit pro ſenſu motuque carentibus. Ex hoc loco diſcamus quanta ſit humanæ mentis cæcitas, quum Spiritus ſancti illuſtratione deſtituitur, quod obſtupeſcit ad muta idola, nec altius poteſt aſſurgere in Deo quærendo: imo inſtar pecudis agitur à Satana.
Epheſ. 2. verſ. 11. Gentes hic eodem ſenſu nominat, quo ad Epheſios: Eratis aliquando, inquit, Gentes abſque Deo, alieni à ſpe ſalutis, &c. Forte etiam ab oppoſito ratiocinatur, Si nunc Deo ſe minus dociles præbeant, poſtquam eos verbo ſuo & Spiritu regendos ſuſcepit, quam olim ad ſequendos Satanæ impulſus proclives fuerunt & morigeri.

3. *Quamobrem notum vobis facio.*] Poſtquam proprio ipſorum experimento eos commonefecit, proponit generalem doctrinam quam inde infert. quod enim ſenſerant in ſe Corinthii, id eſt univerſis mortalibus commune: vagari in errore, antequam ad veritatem reducti ſint Dei beneficio. neceſſe eſt igitur nos regi à Dei Spiritu, aut perpetuo errabimus. Hinc etiam ſequitur, quæcunque pertinent ad veram Dei notitiam, Spiritus ſancti eſſe dona. Et ſimul argumentum ducit à contrariis cauſis ad contrarios effectus: Nemo poteſt maledicere Chriſto, loquens ex Spiritu Dei: ita rurſum nemo Chriſtum prædicare poteſt, niſi ex Dei Spiritu. *Dicere anathema Jeſum*, eſt blaſphemiam adverſus eum proferre. *Dicere Dominum Jeſum*, eſt honorifice & reverenter de ipſo loqui & ejus majeſtatem prædicare. Quæritur hic, quum impii præclare interdum de Chriſto & ſplendide diſſerant, an habeant Dei Spiritum. Reſpondeo, eos proculdubio habere, quod ad effectum illum ſpectat: ſed aliud eſt donum regenerationis, aliud donum nudæ intelligentiæ, qua Judas quoque præditus fuit quum Euangelium prædicaret. Hinc quoque perſpicimus quanta ſit noſtra imbecillitas, qui ne linguam quidem movere poſſimus ad celebrandam Dei laudem, niſi ab ejus Spiritu gubernetur. Quod etiam Scriptura paſſim admonet: & ſancti ubique fatentur, niſi Dominus os aperiat, ſe minime idoneos eſſe ejus præcones. inter alios dicit Jeſaias cap. 6. v. 5. Ego pollutis ſum labiis, &c.

4. *Diviſiones autem donorum ſunt.*] Symmetria Eccleſiæ multiplici (ut ita loquar) unitate conſtat: hoc eſt, dum varietas donorum ad unum ſcopum tendit: ſicuti in ſymphonia varii ſunt cantus, ſed tali proportione inter ſe temperati, ut unum efficiant concentum. ergo & diſtincta eſſe tam dona quam officia convenit: & omoia tamen io uoum reduci. Ideo Paulus ad Rom. 12. capite varietatem illam commendat: ne unuſquiſque ſe temere in alterius vicem ingerendo, diſtinctionem à Domino poſitam confundat. jubet ergo ſingulos donis ſuis contentos, Spartam quam nacti ſunt, colere: prohibet importuna affectatione fines ſuos egredi. Denique hortatur ut quiſque cogitet quantum ſibi datum ſit, qualem ſit ſortitus menſuram, ad quid vocatus: hic vero jubet ſingulos in unum cumulum conferre quicquid habent: non ſupprimere Dei dona, ut quiſque ſuo fruatur ſeorſum ab aliis, ſed in communem ædificationem conſpirare. Utroque loco ſimilitudinem adducit corporis humani, ſed diverſis rationibus, ut videre eſt. Summa huc redit, non ita varie diverſas eſſe fidelibus gratias, ut ſint diſtractæ: ſed in diſtinctione eſſe unitatem, quia unus Spiritus ſit fons omnium donorum, unus Deus omnium miniſteriorum Dominus, & omnium facultatum auctor. Deus autem qui principium eſt, debet etiam eſſe finis. *Unus Spiritus.* Locus hic diligenter notandus eſt, contra fanaticos, quibus nomen Spiritus nihil eſſentiale ſignificat, ſed dona tantum aut actiones divinæ potentiæ. hic autem Paulus clare teſtatur unam eſſe potentiam Dei eſſentialem, unde manant omnia ejus opera. Transfertur quidem ſubinde nomen Spiritus ad dona ipſa metonymice: ideo legimus Spiritum intelligentiæ, judicii, fortitudinis, modeſtiæ: ſed hic Paulus clare teſtatur, ab uno principio judicium, & intelligentiam, & manſuetudinem, & alia omnia provenire. Eſt enim officium Spiritus ſancti, hæc conferendo in homines & diſtribuendo, exerere Dei potentiam & exercere.

5. *Unus Dominus.*] Veteres hoc teſtimonio uſi ſunt adverſus Arrianos, ad perſonarum trinitatem aſſerendam. Hic enim nominatur Spiritus, deinde Dominus, poſtremo Deus: & tribus communis eademque operatio tribuitur: ita ſub Domini nomine Chriſtum intelligebant. Sed ego quanquam facile patior ſic intelligi, video tamen infirmum eſſe argumentum, ſi quis os velit obſtruere Arrianis: nam inter vocabula *miniſteriorum* & *Domini* eſt relatio, Miniſteria, inquit Paulus, ſunt diverſa: ſed Deus eſt unus, cui ſervire nos oportet, quocunque miniſterio fungamur. Hæc igitur antitheſis ſimplicem ſenſum demonſtrat, ut nimis coacta ſit ad Chriſtum reſtrictio.

6. *Deus unus qui operatur.*] Ubi nos *facultates* vertimus, Græce eſt ἐνεργήματα: quæ vox habet alluſionem ad verbum Operatur: ſicuti Latinis Effectus & verbum Efficere. Intelligit Paulus, tametſi diverſis virtutibus polleant fideles, eas omnes proficiſci ab una Dei virtute. proinde hoc loco Efficere omnia in omnibus, non extenditur ad univerſalem Dei providentiam: ſed ad munificentiam qua nos proſequitur dum unumquemque dignatur aliqua gratia. Summa eſt, nihil bonum aut laude dignum extare in hominibus, niſi à ſolo Deo. quare hic intempeſtive quæſtio movetur, quomodo Deus in Satana & reprobis agat.

7. *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus.*] Nunc finem oſtendit, in quem deſtinaverit Deus ſua dona: non enim nobis fruſtra ipſa largitur, nec vult oſtentationi ſervire. ergo quærendus eſt uſus. Reſpondet Paulus πρὸς τὸ συμφέρον, hoc eſt, ut Eccleſia fructum inde percipiat. *Manifeſtatio Spiritus* poteſt accipi tam paſſive quam active: paſſive, quia ubi eſt prophetia, aut ſcientia, aut aliud donum, illic apparet Dei Spiritus: active, quia Spiritus Dei quum aliquo dono nos inſtruit, reſerat ſuos theſauros, ut ea nobis patefaciat quæ alioqui occulta & clauſa erant: ſecunda expoſitio magis convenit. Durius eſt quod ait Chryſoſtomus, & conſtlus: ideo ſic vocari, quoniam infideles nonniſi viſibilibus miraculis Deum agnoſcant.

8. Huic

8. Huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alteri datur ſermo cognitionis, ſecundum eundem Spiritum:

9. Alii fides in eodem Spiritu, alii dona ſanationum in eodem Spiritu:

10. Alii facultates potentiarum, alii autem prophetia, alii autem diſcretiones ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum.

11. Porro omnia hæc efficit unus & idem Spiritus, diſtribuens ſeorſum cuique prout vult.

12. Quemadmodum enim corpus unum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis unius quum multa ſint, corpus autem eſt unum: ita & Chriſtus.

13. Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus: ſive Judæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potum hauſimus.

8. *Huic quidem.*] Nunc diſtributionem adjungit, hoc eſt, ſpecies recenſet: non quidem omnes, ſed quæ ſufficiunt ad præſens inſtitutum. Pollent, inquit, fideles diverſis donis: ſed unuſquiſque quod habet referat acceptum Spiritui Dei: effundit enim ſua dona, ſicuti Sol huc & illuc radios ſuos ſpargit. Quod ad differentiam iſtorum donorum pertinet: ſcientia vel cognitio & ſapientia varie in Scripturis ſumuntur: hic accipio tanquam minus & majus, ſicut ad Coloſſenſes cap. 2. v. 3. ubi etiam junguntur, quum tradit Paulus reconditos eſſe omnes theſauros in Chriſto ſapientiæ & ſcientiæ. Scientia ergo, rerum ſacrarum intelligentiam mihi ſignificat: ſapientia vero ejus conſummationem. Aliquando prudentia quaſi media inter ipſas ponitur: & tunc peritiam applicandæ ad uſum aliquem intelligentiæ ſignificat. Sunt quidem valde affines, ſed tamen vides in conjunctione diſcrimen. ſit ergo ſcientia, mediocris cognitio: ſapientia vero revelationes magis arcanas & ſublimes contineat. *Fidei* nomen hic pro fide particulari capi, ex contextu poſtea patebit. Fides particularis eſt, quæ non totum Chriſtum in redemptionem, juſtitiam, & ſanctificationem apprehendit: ſed quatenus tantum in ejus nomine eduntur miracula. talem habuit Judas, & per eam miracula etiam edidit. Chryſoſtomus paulo aliter diſtinguit, fidem appellans ſignorum, non dogmatum: quod tamen à priore ſenſu non admodum diſcrepat. *Donum ſanationum* quale ſit, nemo ignorat. De *facultatibus potentiarum*, vel *operationibus virtutum* (ut alii vertunt) magis ambigitur: huc tamen inclino, virtutem eſſe quæ adverſus dæmones exercetur, item adverſus hypocritas. quum ergo Chriſtus & Apoſtoli imperio cohibuerunt dæmones aut fugarunt, fuit ἐνέργημα iſtud: item quum Paulus Magum excæcavit, quum Petrus Ananiam & Saphiram proſtravit mortuos ſolo verbo. Dona igitur ſanationis & miraculorum divinæ bonitati ſerviunt: hoc autem poſtremum ſeveritati, ad Satanam deſtruendum. *Prophetiæ* nomine ſingularem intelligo & eximiam dotem arcanæ Dei voluntatis explicandæ: ut Propheta ſit tanquam Dei internuncius ad homines. cur ita ſentiam, fuſius deinde reddenda erit ratio. *Diſcretio ſpirituum* fuit perſpicacia in dignoſcendis hominibus qui ſe aliquid eſſe profitebantur. non loquor de naturali prudentia quam ſequimur in dijudicando: ſed erat peculiare lumen, quo nonnulli Dei dono pollebant. Hic erat uſus, ne larvis aut inani prætextu fallerentur: ſed illo ſpirituali judicio, tanquam nota, veros Chriſti miniſtros diſcernerent à falſis. A *linguarum cognitione* differebat *interpretatio*: quod qui illa præditi erant, ſæpe non tenebant linguam ejus gentis cum qua agendum erat. Interpretes linguas extraneas vernaculo idiomate reddebant. Has dotes non labore nec ſtudio ſibi tunc comparabant: ſed habebant mirifica Spiritus revelatione.

11. *Unus & idem Spiritus, diſtribuens.*] Unde ſequitur, perperam facere qui nulla communicationis cura diſſipant ſanctam illam harmoniam, quæ ſuis demum omnibus numeris apte conſtat, ubi ejuſdem Spiritus ductu omnes in unum conſpirant. Iterum ad unitatem revocat Corinthios, quum admonet omnes ab uno fonte hauſiſſe quicquid habent: ſed docet ſimul, neminem tantum habere ut ſibi ipſe ſufficiat, nec indigeat ope aliorum. Id enim ſignificat his verbis, *Diſtribuens ſeorſum cuique prout vult.* diſtribuit ergo nobis Spiritus Dei ut in commune conferamus: nulli totum largitur, ne quis ſua ſorte contentus, ab aliis diſceſſionem faciat, vivatque ſibi ſoli. Eodem pertinet adverbium Seorſum: quia magnopere refert, diſcrimen quo nos Deus ultro citroque conciliat, probe tenere. Jam dum Spiritui voluntas tribuitur, & quidem cum imperio conjuncta: hinc colligere licet, Spiritum vere & proprie Deum eſſe.

12. *Quemadmodum enim corpus unum eſt.*] Nunc ſimile corporis humani adducit, quo etiam ad Romanos utitur: ſed in diverſum finem, ut ſupra jam dixi. *Rom. 12. verſ. 4.* Illic unumquemque ſua vocatione contentum eſſe jubet, non autem in alienos fines tranſilire: ut multos ambitio, curioſitas, aut quævis alia cupiditas impellit ad amplectendum pluſquam expediat. hic vero fideles hortatur ut mutua donorum collatione inter ſe cohæreant: neque enim à Deo illis collata eſſe, ut ſuo quiſque ſeorſum fruatur: ſed ut alius alium juvet. Cæterum hoc uſitatum eſt, quamlibet hominum ſocietatem aut collegium vocari corpus: ſicuti civitas una corpus efficit, ſenatus item & plebs. Et Menenius Agrippa olim quum plebem Romanam à ſenatu diſſidentem reconciliare vellet, apologum protulit non abſimilem ab hac Pauli doctrina. verum inter Chriſtianos longe alia eſt ratio: neque enim corpus politicum duntaxat efficiunt: ſed ſunt ſpirituale & arcanum Chriſti corpus: quemadmodum etiam Paulus ſubjungit. Senſus ergo eſt, Tametſi membra corporis ſunt varia, & functionibus differunt: ſunt tamen ita inter ſe connexa, ut in unum coaleſcant. ergo nos qui membra ſumus Chriſti, quanquam variis dotibus pollemus, debemus tamen ſpectare ad illam conjunctionem quam habemus in Chriſto. *Ita & Chriſtus.* Chriſti nomen in locum Eccleſiæ ſubſtituitur: quia non ad unigenitum Dei Filium, ſed ad nos aptanda ſimilitudo fuit. Locus plenus eximiæ conſolationis, quod Eccleſiam vocat Chriſtum: hoc enim honore nos dignatur Chriſtus, ut nolit tantum in ſe, ſed etiam in membris ſuis cenſeri & recognoſci. *Epheſ. 5. v. 26, 27.* Ideo alibi dicit idem Apoſtolus Eccleſiam eſſe illius complementum, acſi diviſus à ſuis membris, quodammodo mutilus foret. Et ſane (ut eleganter alicubi tractat Auguſtinus) quum in Chriſto vitis ſimus fructifera: extra ipſum quid niſi arida ſarmenta ſumus? In hoc vero ſita eſt noſtra conſolatio, quod ſicut & ipſe & Pater unum ſunt, ita & nos unum cum eo ſumus. unde hæc nominis communicatio.

13. *Etenim per unum Spiritum baptizati.*] Probatio eſt ab effectu Baptiſmi. Inſerimur, inquit, per Baptiſmum in Chriſti corpus, ut mutuo nexu, tanquam membra, ſimus ſimul colligati, & vivamus unam vitam: ergo qui vult in Eccleſia Chriſti manere, neceſſe eſt ut hanc ſocietatem colat. Loquitur autem

autem de Baptiſmo fidelium, qui per grariam Spiritus eſt efficax. multis enim lireralis tantum eſt Baptiſmus, ſymbolum abſque effectu: ſed fideles rem ſimul percipiunr cum Sacramento. adeoque reſpectu Dei ſemper hoc verum eſt, Baptiſmum inſitionem eſſe in corpus Chriſti: quia Deus nibil illic figurat, niſi quod paratus eſt implere, modo ſimus ipſi capaces. Et optimum temperamentum renet bic Apoſtolus, quum banc quidem Baptiſmi naturam eſſe docet, nos coadunare in Chriſti corpus: ne quis tamen externo ſymbolo hoc fieri imaginaretur, addit eſſe opus Spiritus ſancti. *Sive Judæi, ſive Græci.* Has ſpecies expreſſit ut ſignificaret nullum condirionis diſcrimen obſtare ſacræ unitari quam commendat. Idque commode & opportune addidit, quia æmulatio tunc ex iis fontibus manare potuit, quod non libenrer æquabant ſibi Judæi Genres: atque ut quiſque aliis præſtabat, gradum ſuum retinendo, procul ſe ſubmovebat à fratribus. *Omnes in uno Spiritu potum hauſimus.* Ad verbum eſt, in unum Spiritum potati ſumus. ſed apparet, ne duæ voces ἓν & εἰς ſimul inciderent, Paulum conſulto mutaſſe εἰς in ἐν: quod frequenter facere ſolet. Potius ergo repetit, Spiritus Chriſti virtute nos potari, quam inrelligit eundem hauſiſſe Spiritum. Incertum porro eſt, de Baptiſmo ne an de Cœna bic loquatur. Mihi magis placet de Cœna intelligi, quia facit mentionem potus: non enim dubito quin ad ſigni analogiam alludere voluerit. Potui vero & Baptiſmo uulla congruentia. Tametſi autem calix non niſi dimidia pars Cœnæ eſt, in eo tamen nihil eſt incommodi: quia frequens eſt Scripturæ uſus, ſynecdochice loqui de Sacramenris. ſupra capite decimo, omiſſo calice panem nominavit tantum. Senſus ergo erit, Participationem calicis buc ſpectare, ut eundem ſpiritualem potum bauriamus omnes. Bibimus enim illic ſanguinem vivificum Chriſti, ut communem babeamus cum ipſo vitam: qood fit dum Spiritu ſuo vivit in nobis. Fideles ergo docet, ſimulatque per Batipſmum Chriſti initiantur, jam imbui mutuæ unitatis colendæ ſtudio: deinde ubi ſacram Cœnam percipiunt, gradatim rurſus ad eandem unitatem deduci, quia eodem ſimul potu reficiantur.

14. Etenim corpus non eſt unum membrum, ſed multa.

15. Si dixerit pes, Quoniam non ſum manus, non ſum ex corpore: an propterea non eſt ex corpore?

16. Et ſi dixerit auris, Quia non ſum oculus, non ſum ex corpore: an propterea non eſt ex corpore?

17. Si totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi olfactus?

18. Nunc vero Deus poſuit membra, unumquodque ipſorum in corpore prout voluit.

19. Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?

20. At nunc multa quidem membra, unum autem corpus.

21. Nec poteſt oculus dicere manui, Ego te opus non habeo: nec rurſum caput pedibus, Vobis opus non habeo.

22. Quin potius, quæ infirmiora corporis membra videntur eſſe, neceſſaria ſunt:

23. Et quæ judicamus viliora eſſe in corpore, his abundantiorem honorem circumdamus: & quæ minus honeſta ſunt in nobis, plus decoris habent.

24. Quæ autem decora ſunt in nobis, non habent opus. ſed Deus contemperavit corpus, tribuens honorem abundantiorem opus habenti:

25. Ut ne diſſidium eſſet in corpore, ſed ut membra alia pro aliis invicem eandem ſollicitudinem habeant.

26. Et ſive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.

27. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte.

15. *Si dixerit pes.*] Eſt ἐπεξεργασία ſuperioris ſententiæ, hoc eſt, expolitio cum aliqua amplificatione, quæ illuſtret rem breviter anre dictam. Porro bæc omnia reſpondent apologo Menenii Agrippæ. Si oriatur in corpore diſſidium, ut pedes negent officium ſuum reliquo corpori, venter etiam, & oculi, & manus: quid tandem fiet? nonne ſequetur totius corporis interitus? Quanquam unum proprie bic urget Paulus: ſingula membra ſuo loco & gradu contenta eſſe debere, neque aliis invidere: ſiquidem excellentiora membra cum iis comparat, quibus minus ineſt dignitatis. Oculus enim altiorem honoris gradum obtinet in corpore, quam manus: item manus quam pes. Verum ſi manus invidia incitatæ, officium facere detrectent: an hoc patietur natura? an audietur manus, ut à reliquo corpore abſtrahatur? *Non eſſe de corpore*, hic ſignificat non habere ullam communicationem cum aliis membris: ſed vivere ſibi, ac ſervire proprio commodo. An ergo, inquit Paulus, manui licebit negare aliis membris ſuum officium, quia oculis invideat? Hæc de corpore narurali dicta ſunt: ſed applicari ad membra Eccleſiæ debent, ne ambitio aut prava æmulatio ac invidentia, malignitatis inter nos cauſa ſit, ne qui inferiore loco ſubſidet, ſuam operam majoribus gravetur impendere.

17. *Si totum corpus oculus.*] Stultam illam æmulationem æqualitatis refutat ab impoſſibili: ſi appetant, inquit, omnia membra oculi honorem, ita fiet ut pereat totum corpus. eſt enim impoſſibile, corpus incolume manere & ſalvum, niſi diverſæ ſint membrorum facultates, & mutua ultro citroque actio. Pugnat ergo æqualitas cum ſalute corporis, quia confuſionem generat quæ affert præſens exitium. Quanta ergo inſania erit ſi membrum unum, potius quam alteri cedat, in ſuum & corporis interitum conſpiret?

18. *Nunc vero Deus poſuit.*] Aliud argumentum ab ordinatione Dei. Placuit ita Deo corpus variis membris conſtare, membra diverſis officiis & dotibus pollere. membrum igitur quod ſua ſtatione contentum non erit, gigantum more cum Deo bellum geret. Pareamus ergo ordini quem Deus ipſe inſtituit, ne fruſtra ejus volonrati reſiſtamus.

19. *Si eſſent omnia unum membrum.*] Significat Deum uon temere nec abs re attribuiſſe membris diverſa dona, ſed quoniam ita neceſſe erat ad corporis conſervationem: fore enim confuſum & diſſipatum chaos, ſi tollatur talis ſymmetria. quo majore ſtudio ſubjicere nos debemus Dei providentiæ, quæ tam appoſite omnia in commune bonum noſtrum diſpoſuit. Membrum uuum accipitur pro maſſa unius

unius formæ, & quæ nulla varietate diſtincta ſit. nam ſi in talem maſſam corpus noſtrum Deus conflaret, inutilis eſſet congeries.

20. *Multa membra, unum corpus.*] Sæpius hoc inculcat, quoniam illic totius quæſtionis ſtatus conſiſtit: nempe ejuſmodi eſſe corporis unitatem, quæ niſi membrorum diverſitate contineri nequeat: & ſic membra differre officiis & facultatibus, ut mutuam inter ſe colligationem habeant ad corpus unum conſervandum. Nullum ergo corpus ſine multiplici membrorum ſymmetria ſtatum ſuum retinere docet, ut ſciamus tam publicæ quam privatæ ſaluti conſulere, dum quiſque ſuis partibus fungitur.

21. *Nec poteſt oculus dicere manui.*] Hactenus docuit quale ſit viliorum membrorum officium: nempe impendere corpori ſuam operam, nec membris excellentioribus invidere: nunc econverſo de membris dignioribus præcipit, ne inferiora contemnant quibus carere nequeunt. Oculus manum antecellit, non tamen eam deſpicere poteſt, aut illi tanquam inutili inſultare: & ab utili argumentatur hoc fieri debere. Quæ minoris æſtimantur, magis ſunt neceſſaria. ergo ut ſalvum ſit corpus, ea contemni non oportet. *Infir-*
2 Cor. 12. verſ. 9. *miora* hic poſuit pro Contemptis. ſicut alibi quum ſe gloriari dicit in ſuis infirmitatibus, hoc nomine deſignat quæ eum contemptibilem abjectumque reddebant.

23. *Quæ minus honeſta ſunt.*] Secundum argumentum, quod membri unius probrum, in commune totius corporis dedecus redundat: quod ex ſolicitudine apparet quam in velandis minus honeſtis partibus adhibemus. Quæ decora ſunt, inquit, aſcititio ornamento non indigent: ſed partes vel pudendæ vel minus decoræ majore ſtudio à nobis curantur. cur iſtud, niſi quod eorum pudor communis foret totius corporis ignominia? *Circumdare honorem*, eſt tegumentum imponere ornamenti cauſa, ut membra quæ turpiter paterent, lateant honeſte.

24. *Sed Deus contemperavit corpus.*] Iterum repetit quod ſemel dixerat, ſed expreſſius, Deum hanc ſymmetriam ordinaſſe, idque in utilitatem totius corporis, quia aliter permanere in ſtatu nequeat. Nam unde id, ut membra omnia de honeſtate membri parum decori ſponte ſint ſollicita, & ad tegendam ejus turpitudinem conſpirent? hæc illis à Deo indita eſt inclinatio: quia ſine hoc temperamento diſſidium mox in corpore naſceretur. Unde apparet non tantum labefactari corpus, & perverti naturæ ordinem, ſed Dei auctoritatem palam convelli, ſimulac quiſpiam plus uſurpat quam ſibi datum eſt.

26. *Sive patitur unum membrum.*] Talis συμπάθεια, inquit, in corpore humano viſitur, ut unicuique membro, ſi quid incommodi ſentiat, reliqua omnia condoleſcant, & congaudeant bono. ergo illic nec invidiæ locus eſt, nec contemptui. *Glorificari* hic late capitur, pro Bene habere & feliciter. Nihil autem ad fovendum conſenſum hac communitate aptius, ut quiſque aliorum bonis tantundem ſe ditari, & penuria ſe minui agnoſcit.

27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti.*] Ergo quæ de corporis humani natura & ſtatu dicta ſunt, ad nos debent accommodari: neque enim tantum civilis ſocietas ſumus, ſed inſiti in Chriſti corpus, alii ſumus vere aliorum membra. quicquid igitur quiſque noſtrum habet, ſibi in communem fratrum ædificationem datum ſciat: ideoque conferat in medium, neque intus veluti ſepultum premat, aut quaſi proprio fruatur. qui excellit majoribus gratiis, non faſtu elatus alios deſpiciat: ſed cogitet nullum eſſe tam puſillum qui non ſit uſui. Sicuti revera infimus etiam piorum pro ſua tenuitate fructificat, ne quod ſit inutile in Eccleſia membrum. Qui non pollent tanto honore, non invideant majoribus, neque ſuum illis obſequium detrectent, ſed teneant ſtationem in qua ſunt collocati: ſit mutuus amor, mutua συμπάθεια, mutua ſollicitudo: moveat nos communis utilitas, ne malignitate, aut invidia, aut ſuperbia, aut ullo diſſidio Eccleſiam perdamus: ſed potius ſinguli in ejus conſecrationem pro ſua virili incumbant. Amplum argumentum & ſplendidum: verum mihi ſufficit indicaſſe qualiter applicanda ſit ſuperior ſimilitudo ad Eccleſiam. *Membra ex parte.* Chryſoſtomus hanc particulam additam putat, quia non eſſent Corinthii univerſalis Eccleſia: qui ſenſus mihi videtur coactior. Aliquando putavi notam eſſe improprietatis, ſicuti Latini dicunt Quodammodo: ſed dum propius omnia expendo, potius refero ad illam membrorum diviſionem cujus meminerat. Membra igitur ex parte ſunt, ſicut cuique attributa eſt ſua portio & finitum officium. Ad hunc ſenſum contextus ipſe nos ducit. ita Ex parte & In ſolidum erunt inter ſe oppoſita.

28. Et alios quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, poſtea Poteſtates, deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.

29. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes Poteſtates?

30. Numquid omnes dona habent ſanationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?

31. Sectamini autem dona potiora.

Initio capitis de facultatibus loquutus eſt, nunc incipit de officiis differere. quem ordinem diligenter notare convenit. Neque enim Dominus miniſtros inſtituit, niſi prius inſtruxerit neceſſariis donis, aptoſque reddiderit ad munus ſuum exequendum. unde colligendum eſt, fanaticos eſſe, maloque ſpiritu impelli qui facultate deſtituti irrumpunt in Eccleſiam: quemadmodum multi impulſum Spiritus jactitant, & arcana Dei vocatione gloriantur: interea ſunt indocti & penitus rudes. atqui hic eſt ordo naturalis, ut dona miniſterium ipſum præcedant. Sicuti ergo ſuperius docuit, quicquid ſingulis datum eſſet à Deo, in medium debere conferri: ita nunc ſic diſtributa eſſe officia commemorat, ut conjunctis ſtudiis omnes Eccleſiam ſimul ædificent: & quidem ſinguli pro ſua menſura.

28. *Primum Apoſtolos.*] Non recenſet omnes ſpecies, neque etiam opus fuit: tantum enim voluit exempla proponere. Quarto capite ad Epheſios plenior eſt enumeratio munerum quæ ad perpetuum Epheſ. 4. verſ. 11.
Eccleſiæ regimen requiruntur. Rationem illic dicam, ſi Dominus euſque pervenire dederit: quanquam ne illic quidem omnia nominat. Quod ad præſentem locum ſpectat, notandum eſt ex officiis quæ hic Paulus nominat, alia eſſe perpetua, alia temporalia fuiſſe. Perpetua ſunt quæ Eccleſiæ regimini ſunt neceſſaria: temporalia vero quæ initio ad fundandam Eccleſiam & erigendum Chriſti regnum deſtinata, paulo poſt deſierunt. Ex priori genere eſt officium Doctoris: ex ſecundo officium Apoſtoli. nam Apoſtolos creavit Dominus ut Evangelium ſpargerent per totum orbem: nec ſingulis attribuit certos fines aut parochias: ſed quocunque veniſſent, fungi legatione voluit apud omnes gentes & linguas. In quo ab illis differunt Paſtores qui ſuis Eccleſiis quodammodo alligantur. Paſtor enim non

habet

habet mandatum prædicandi per orbem univerſum Euangelii, ſed curandæ Eccleſiæ quæ ejus fidei commiſſa eſt. Ad Epheſios, Euangeliſtas ſubjungit Apoſtolis: præterit boc loco. Tranſit enim ſtatim à primo gradu ad Prophetas: quo nomine intelligit (meo quidem judicio) non eos qui dono vaticinandi pollerent: ſed qui ſingulari non modo interpretandæ, ſed etiam in præſentem uſum prudenter accommodandæ Scripturæ gratia pollerent. cur ita ſentiam, hæc cauſa eſt: quod prophetiam præfert aliis omnibus donis, quia plus ædificationis afferat: quod elogium in rerum futurarum prædictionem minime competeret. Deinde quum definit Prophetæ munus, vel ſaltem tractat quid præcipue agere debeat, dicit eum incumbere in conſolationem, exhortationem & doctrinam. hæc autem à vaticiniis ſunt diſtincta. Sint ergo nobis hoc loco Prophetæ, primum eximii Scripturæ interpretes: deinde non vulgari prudentia & dexteritate præditi ad circumſpiciendam præſentem Eccleſiæ neceſſitatem, ut apposite loquantur: & hac ratione quaſi divinæ voluntatis internuncii. Inter eos & Doctores boc poteſt notari diſcriminis, quod Doctorum munus in eo conſiſtit, ut ſana dogmata retineantur ac propagentur, quo maneat in Eccleſia religionis puritas. quanquam varie accipitur etiam hoc nomen: & bic fortaſſe Paſtorem magis ſignificat, niſi forte malis generaliter accipere pro omnibus qui docendi facultate ſunt inſtructi: qualiter Actorum 13. v. 1. ubi etiam Lucas ipſos Prophetis conjungit. Cur autem non aſſentiar aliis qui totum Prophetæ munus in Scripturæ interpretatione includunt, hæc eſt ratio: quod Paulus numerum præſcribit duorum aut trium qui loqui debeant, idque ordine: quod nudæ Scripturæ interpretationi non conveniret. Denique ita ſentio, Prophetas dici qui vaticinia, minas, promiſſiones, & totam Scripturæ doctrinam dextre ac perite ad præſentem Eccleſiæ uſum applicando, Dei voluntatem patefaciunt. Si quis diſſentiat, facile patior: neque rixas propterea excitabo. Eſt enim difficile judicare de donis & muneribus, quibus tamdiu orbata fuit Eccleſia: niſi quod veſtigia tantum vel umbræ adbuc apparent. De *poteſtatibus* & *dono ſanationum* dixi capite 12. ad Rom. niſi quod obſervandum eſt, non tam de ipſis donis hic fieri mentionem, quam de adminiſtratione. Quoniam bic officia recenſet Apoſtolus, non probo quod ait Chryſoſtomus, *ἀντιλήψεις*, hoc eſt, ſubſidia vel opitulationes conſiſtere in ſuſtinendis infirmis. Quid igitur? aut certe tam munus quam donum olim fuit, quod nobis bodie eſt incognitum: aut ad disconiam pertinet, hoc eſt, curam pauperum. atque boc ſecundum mihi magis arridet. Duas autem diaconiæ ſpecies ponit ad Romanos 12. v. 7. de quibus illic tractavi. *Gubernationes* interpretor Seniores, qui præſides erant diſciplinæ. Habuit enim prima Eccleſia ſuum Senatum, qui plebem in morum honeſtate contineret: quod indicat Paulus alibi, quum duplicem ordinem Presbyterorum ponit. 1 Tim. 5. verſ. 17. Ergo gubernatio ex Presbyteris conſtabat, qui gravitate, experientia, auctoritate præ cæteris valebant. Sub *generibus linguarum* comprehendit tam notitiam linguarum quam gratiam interpretandi. Erant autem duæ facultates diſtinctæ: quia interdum quiſpiam pluribus loquebarur linguis, qui tamen idioma non tenebat ejus Eccleſiæ cum qua erat negotium: hunc defectum ſupplebant interpretes.

29. *Numquid omnes Apoſtoli?*] Fieri quidem poteſt ut unus aliquis pluribus donis ſit inſtructus, & duas functiones ex iis quas retulit, ſuſtineat: neque vero in eo quicquam eſt abſurdi. Verum ſcopus Pauli eſt, primum neminem ſic abundare omnibus, ut ſibi ſufficiat, neque deſideret aliorum operam: deinde ſic diſtributas eſſe tam functiones quam dotes, ut nullum membrum ſit totum corpus: ſed ſingula in commune conferendo ſuam portionem, corpus integrum & perfectum conſtituere. Vult enim hic tollere Paulus ſuperbiendi occaſionem, pravas æmulationes, faſtum & fratrum contemptum, malignitatem, ambitionem, & quicquid eſt tale.

31. *Sectamini dona potiora.*] Poſſet etiam verti, Magni æſtimate: nec male huic loco quadraret. quanquam ad ſenſum parum intereſt: bortarur enim Paulus Corintbios ut ea potiſſimum dona in pretio babeant vel appetant, quæ plurimum ad ædificationem valent. Nam boc regnabat inter eos vitium, quod oſtentationi magis quam utilitati ſtudebant. ideo prophetia negligebatur, linguæ autem reſonabant magna cum pompa exiguo fructu. Neque tamen alloquitur ſingulos, quaſi vellet ad prophetiam aſpirare unumquemque, vel ad doctoris munus: ſed tantum ædificationis ſtudium illis commendat: ut quæ maxime conducunt, illis diligentius incumbant.

Cap. XIII.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum tympanum ſonans, aut cymbalum tinniens.

2. Et ſi habeam prophetiam, & noverim myſteria omnia omnemque ſcientiam, & ſi habeam omnem fidem, adeo ut montes loco dimoveam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.

3. Et ſi inſumam in alimoniam omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.

Quum tam inepta eſſet capitis ſectio, facere non potui quin mutarem, præſertim quum non poſſem aliter commode interpretari. quid enim attinebat mutilam ſententiam ſuperioribus attexere, quæ ſequentibus tam apte cohæret, imo perficitur? Et credibile eſt librariorum errore id fuiſſe factum. utcunque ſit, poſtquam juſſerat ædificationis præcipuam haberi rationem: nunc profitetur ſe oſtenſurum aliquid majus: nempe omnia eſſe exigenda ad charitatis regulam. hæc igitur excellentiſſima eſt via, ſi charitas omnium noſtrarum actionum ſit moderatrix. Ac principio quidem ſumit, omnes virtutes nihili eſſe abſque charitate: nihil enim tam eſſe præ-
1 Tim. 1. clarum aut eximium quod non vitietur coram Deo,
verſ. 5. ſi abſit charitas. Neque hic aliud docet quam alibi,
Col. 3:14. quum pronunciat ipſam eſſe finem Legis, & perfectionis vinculum: item quum totam piorum ſanctitatem in ea conſtituit. quid enim aliud tota ſecunda Legis tabula Deus à nobis requirit? Non eſt igitur mirum ſi omnia noſtra opera inde æſtimentur, dum manare apparet ex charitate: non mirum etiam ſi tunc demum conſtet eximiis alioqui dotibus ſuum pretium, ubi ad charitatem referuntur.

1. *Si linguis hominum loquar.*] Incipit à facundia: quæ donum quidem eſt per ſe nobile, ſed hominem minime Deo commendat, remota charitate. *Angelorum* linguam hyperbolice poſuit pro ſingulari aut eximia: quanquam de linguarum diverſitate potius interpretor, quam magni faciebant Corinthii, ambitione non fructu omnia metientes. Teneas, inquit, non tantum omnes omnium hominum linguas, ſed etiam Angelorum: non eſt tamen quod putes te

coram

coram Deo pluris cenſeri quam cymbalum, niſi charitatem habeas.

2. *Et ſi habeam prophetiam.*] Hujus quoque, quam tamen aliis omnibus prætulerat, dignitatem in nihilum redigit, niſi charitati ſerviat. *Noviſſe omnia myſteria*, poſſet videri exegetice additum ad prophetiam: ſed quia proxime ſequitur *ſcientia*, quam ſeorſum prius nominavit, vide numquid Myſteriorum notitia hic loco Sapientiæ ponatur. Ego ſicuti aſſerere id non auſim, ita in hanc opinionem facile inclino. Hæc *fides* de qua loquitur, eſt particularis: quod patet ex particula continuo adjecta, *adeo ut montes transferam*. proinde nihil faciunt Sophiſtæ dum hoc loco abutuntur ad extenuandam fidei virtutem. Quum ergo vocabulum Fidei ſit [illegible], prudentis eſt lectoris obſervare qua ſignificatione ſumatur. Paulus autem (quemadmodum jam dixi) eſt ſui interpres, qui fidem hic ad miracula reſtringit. Ea eſt quam vocat Chryſoſtomus ſignorum, nos particularem: quia non apprehendit totum Chriſtum, ſed tantum potentiam in edendis miraculis; ideoque interdum in homine eſſe poteſt abſque Spiritu ſanctificationis, qualiter fuit in Juda.

3. *Et ſi inſumam omnes facultates.*] Hoc quidem ſumma laude dignum eſt, ſi per ſe cenſeatur: ſed quoniam ex ambitione fluit ſæpe largitio, non ex vera munificentia: vel etiam qui liberalis eſt, reliquis partibus charitatis eſt vacuus (ſiquidem liberalitas etiam interior, una tantum pars eſt charitatis) fieri poteſt ut opus alioqui tam laudabile, ſpecioſum quidem ſit in hominum conſpectu, & laudetur, coram Deo tamen pro nihilo ducatur. *Et ſi tradam corpus meum*, De martyrio haud dubie loquitur: quod eſt facinus omnium pulcherrimum & præſtantiſſimum. quid enim admirabilius eſt hac tam invicta animi fortitudine, ut quis vitam pro Euangelii teſtimonio profundere non dubitet? Hoc tamen ipſum quoque Deus pro nihilo reputat, ſi vacuus ſit animus charitate. Genus ſupplicii quod commemorat, non ita vulgare erat tunc adverſus Chriſtianos: gladiis enim magis quam flammis graſſatos tunc fuiſſe tyrannos legimus, ad perdendam Eccleſiam: niſi quod Nero etiam incendiis ſævit. Sed videtur Spiritus hic per os Pauli de futuris perſequutionibus vaticinatus fuiſſe: verum iſtud eſt parergon. Caput hujus loci eſt, Quia charitas unica eſt operum regula, & unica in recto donorum Dei uſu moderatrix: nihil ſine ipſa probari Deo, quamlibet hominum opinione ſplendidum. Nam ſpeciem virtutum omnium abſque illa fucum eſſe, vanum eſſe crepitum, pretium non eſſe unius pili, denique fœtere & diſplicere. Quod autem hinc Papiſtæ inferunt, pluris ergo eſſe fide charitatem ad nos juſtificandos, poſtea refutabimus: nunc pergendum in contextu.

4. Charitas patiens eſt, benigne agit: charitas non æmulatur, charitas non agit inſolenter, non inflatur.
5. Non agit indecenter, non quærit ſua ipſius, non provocatur, non cogitat malum.
6. Non gaudet ob injuſtitiam, congaudet autem veritati.
7. Omnia fert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.
8. Charitas nunquam excidit: ſive prophetiæ abolebuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.

4. *Charitas patiens eſt.*] Nunc charitatem ab effectis commendat, vel à fructibus. quanquam hæc elogia non tantum ad ejus commendationem ſpectant: ſed ut intelligant Corinthii quæ ſint ejus officia & qualis ipſa ſit. Præcipuus tamen ſcopus eſt, quam ſit neceſſaria ad conſervandam Eccleſiæ unitatem. Neque mihi dubium eſt quin oblique perſtringere voluerit Corinthios, dum antitheſin illis proponit, in qua ex adverſo ſua vitia recognoſcant. Primum elogium charitatis eſt, quod multa patienter ferendo, pacem & concordiam alat in Eccleſia. huic proxima eſt ſecunda virtus, manſuetudo ac lenitas: hoc enim ſignificat Græcum verbum. tertia virtus, quod æmulationem, omnium contentionum ſemen, corrigit. Sub *æmulatione* invidiam comprehendit, quod eſt vitium valde affine: vel potius eam æmulationem intelligit, quæ eſt conjuncta invidiæ, & ex ea ſæpius naſcitur. Ergo ubi regnat invidia, ubi primus quiſque eſſe vel apparere appetit, illic non viget charitas. Ubi reddidi, *non agit inſolenter*, Græce eſt οὐ περπερεύεται: pro quo Eraſmus tranſtulit, Non eſt procax. Conſtat diverſas eſſe ſignificationes: ſed quum aliquando ſumatur pro Ferocire, vel inſoleſcere præ confidentia: hic ſenſus videbatur præſenti loco aptior. Tribuit ergo Paulus charitati modeſtiam, ac frenum eſſe teſtatur ad retinendos homines ne ad ferociam proſiliant, ſed placide & compoſite inter ſe degant: deinde addit, à ſuperbia eſſe alienam. Qui ergo charitate regitur, non inflatur faſtu, ut alios deſpiciat, ſibi placeat.

5. *Non agit indecenter.*] Pro quo Eraſmus reddidit, Non eſt faſtidioſa: ſed quum hujus ſignificationis nullum citet auctorem, ego propriam & uſitatam ſignificationem retinere malui. Sic autem interpretor, quod charitas non exultet oſtentatione inepta, aut quod non tumultuetur: ſed modum ac decorum ſervet. Atque ita rurſum perſtringit oblique Corinthios, quod indecoro faſtu gratiam omnem turpiter amitterent. *Non quærit ſua ipſius.* Hinc colligere licet quam non ſit ingenita nobis à natura charitas: propenſi enim natura ſumus omnes ad amorem curamque noſtri, & ſtudium propriæ utilitatis: imo verius huc præcipites ruimus. Tam perverſæ inclinationis remedium eſt charitas: quæ facit ut præterita noſtri ratione, de proximis ſimus ſolliciti, eos amemus & curemus. Porro Sua ipſius quærere, eſt eſſe ſibi addictum, & in curandis ſuis commodis prorſus occupari. qua definitione ſolvitur illa quæſtio, annon Chriſtiano liceat ſuam utilitatem curæ habere. neque enim quamlibet noſtri curam aut ſtudium hic reprehendit Paulus: ſed exceſſum qui provenit ex immodico & cæco noſtri amore. Exceſſus autem in eo eſt, ſi de nobis cogitantes, alios negligimus: aut ſi proprii commodi ſtudium ab ea ſollicitudine quam de proximis habere nos jubet Deus, nos avocat. Subjungit, charitatem quoque frenum eſſe ad rixas cohibendas: quod ſequitur ex duobus primis. ubi enim manſuetudo ac tolerantia, ibi non ſubito excandeſcunt homines, non facile incitantur ad contentiones & certamina.

7. *Omnia fert.*] His omnibus ſignificat, charitatem nec impatientem eſſe, nec malignam. Ferre enim ac ſuſtinere omnia, tolerantiæ eſt: credere ac ſperare omnia, candoris & humanitatis. quoniam natura ſumus nimium nobis addicti, hoc vitium moroſos & querulos nos reddit: ita fit ut velit quiſque aliorum humeris portari, ſublevare alios recuſet. Hujus morbi remedium eſt charitas, quæ nos ſubjicit fratribus, ac docet eorum oneribus humeros ſupponere. Rurſum quia maligni ſumus natura, ideo etiam ſumus ſuſpicaces, & omnia fere trahimus in ſiniſtram partem: charitas vero ad humanitatem nos revocat, ut bene & candide ſentiamus de proximis. Quum dicit Omnia, intellige quæ ferenda ſunt, & eo quo decet modo. Neque enim ferenda ſunt à nobis vitia, ut vel probemus blandiendo, vel conni-

conuivendo ſocordia noſtra alamus: deinde iſta tolerantia correctiones & juſtas pœnas non excludit. ita etiam eſt de judicii humanitate. *Credit omnia* charitas: non ut Chriſtianus ſciens ac volens imponi ſibi patiatur: non ut ſe prudentia & judicio privet, quo facilius poſſit circumveniri: non ut diſcernere nigrum ab albo dediſcat. Quid ergo? ſimplicitatem, qualiter jam dixi, & humanitatem in judicando hic requirit, & aſſerit eſſe perpetuas charitatis comites. Ita fiet ut homo Chriſtianus falli ſua benignitate ac facilitate ſatius eſſe ducat, quam ſiniſtra ſuſpicione fratrem ſuum gravare.

8. *Charitas nunquam excidit.*] Alia charitatis excellentia, quod perpetuo durat. merito appetenda eſt ea virtus, quæ nunquam finem accipiet: ergo charitas temporalibus donis & perituris eſt præferenda. Pereunt prophetiæ, linguæ abolentur, ceſſat ſcientia: illis ergo eatenus præſtantior eſt charitas, quia ſuperſtes illis deſinentibus manet. Hunc locum Papiſtæ detorquent ad ſtabiliendum dogma quod ipſi nulla Scripturæ auctoritate commenti ſunt, mortuorum animas pro nobis orare apud Deum. Sic enim ratiocinantur, Oratio eſt perpetuum officium charitatis: durat charitas in animis ſanctorum qui mortui ſunt: pro nobis igitur orant. Ego quanquam de hac quæſtione nolim vehementius contendere: ne tamen multum lucri ſe feciſſe putent eo conceſſo, paucis reſpondeo ad ipſorum objectum. Primo, etiamſi charitas ſemper maneat, non tamen protinus ſequi, eſſe in continuo actu, ut loquuntur. Quid enim impedit quominus Sancti tranquilla pace nunc fruentes, charitatem præſentibus officiis minime exerceant? quid abſurdi, quæſo, in eo Papiſtæ reperient? Secundo, ſi negem perpetuum eſſe officium charitatis pro fratribus intercedere: unde contrarium evincent? Ad interceſſionem requiritur neceſſitatis cognitio. ſi divinare de mortuorum ſtatu licet: veriſimilior eſt conjectura, neſcire ſanctos mortuos quid hic agatur, quam eos eſſe conſcios noſtrarum neceſſitatum. Imaginantur quidem Papiſtæ eos in reflexo lumine quod habent ex conſpectu Dei, videre totum mundum: ſed profanum eſt figmentum & prorſus Gentilitium, quod Ægyptiacam theologiam magis reſipit quam Chriſtianæ philoſophiæ conveniat. Quid ſi ergo negem Sanctos, quum ignorent conditionem noſtram, eſſe pro nobis ſollicitos? quo argumento me urgebunt Papiſtæ, ut illud mihi extorqueant? Quid ſi dicam, ita detineri & quaſi abſorberi Dei intuitu, ut nihil præterea aliud cogitent; quomodo probabunt hoc non eſſe rationi conſentaneum? Quid ſi excipiam, charitatis perpetuitatem, cujus hic meminit Apoſtolus, poſt diem extremum fore, nihil pertinere ad tempus intermedium? Quid ſi dicam, mutuæ interceſſionis officium nonniſi vivis & in hoc mundo degentibus mandatum eſſe, ideoque ad mortuos nequaquam extendi? Verum jam plus ſatis eſt: id enim ipſum pro quo depugnant Papiſtæ, relinquo in medio: ne de re ſupervacua contentiones moveam. Operæpretium tamen fuit obiter attingere quam parum illis ſuffragetur hic locus, in quo ſe habere putant tam validam machinam. Nobis ſatis ſit, quod aſſerunt nullo Scripturæ teſtimonio ſuffultum eſſe: proinde temere & inconſiderate ab illis aſſeri. *Sive ſcientia deſtruetur.* Jam patet ſenſus verborum: ſed hinc exoritur non parva quæſtio, an qui in hoc mundo excelluerunt, aut doctrina, aut aliis donis pares erunt idiotis in regno Dei. Primum velim pios lectores admonitos, ne in iſtarum rerum inveſtigatione plus juſto ſe torqueant: viam potius quærant qua pervenitur in regnum Dei, quam ſciſcitantur quæ futura ſit illic conditio: nam & Dominus nos à tali curioſitate tacendo revocavit. Nunc ad quæſtionem reſpondeo, Quantum datur conjicere, & partim etiam colligere ex hoc loco poſſum: quum doctrina, linguarum cognitio, & ſimiles gratiæ, hujus vitæ neceſſitati ſerviant, mihi non videri tunc reſiduas fore. ſed nihil tamen jacturæ facient docti earum interitu, quia fructum ipſarum percipient, qui longe eſt præferendus.

9. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.

10. At ubi venerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur.

11. Quum eſſem puer, ut puer loquebar, ut puer ſentiebam, ut puer cogitabam: at poſtquam factus ſum vir, abolevi puerilia.

12. Cernimus enim nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc vero cognoſcam, quemadmodum & cognitus ſum.

13. Nunc autem manet fides, ſpes, charitas, tria hæc: ſed maxima ex his eſt charitas.

Jam probat aboleri prophetiam & reliqua ejuſmodi dona, quia in ſubſidium infirmitatis noſtræ nobis conferantur. atqui finem aliquando accipiet imperfectio. deſinet igitur ſimul etiam donorum ipſorum uſus, quia abſurdum eſt manere & eſſe ſuperflua: ergo interibunt. Hoc argumentum proſequitur ad finem capitis uſque.

9. *Ex parte cognoſcimus.*] Locus hic perperam à pleriſque exponitur, ſcientiam nondum perfectam nobis conſtare, ſimiliter nec prophetiam, ſed nos quotidie proficere in illis: verum ſenſus Pauli eſt, Quod ſcientiam nunc habemus & prophetiam, id eſſe imperfectionis noſtræ cauſa: ergo ex parte ſignificat eo quod nondum ſimus abſoluti. Tamdiu itaque locum habent apud nos cognitio & prophetia, quamdiu imperfectio in nobis hæret, cujus ſunt adminicula. Verum eſt quidem, proficiendum nobis eſſe tota vita, & inchoatum duntaxat eſſe quicquid habemus: at videndum quid Paulus probare velit: nempe dona de quibus quæſtio eſt, temporalia duntaxat eſſe. Probat autem, quia nonniſi ad tempus valeat eorum utilitas, quamdiu quotidiano profectu tendimus ad ſcopum.

10. *Ubi venerit quod perfectum eſt.*] Perinde eſt acſi diceret, Ubi perventum ad metam fuerit, tunc ceſſabunt adjumenta curſus: ſed retinet loquendi modum quo jam uſus fuerat, dum perfectionem opponit ei quod eſt Ex parte. Perfectio, inquit, adveniens abolebit quicquid imperfectioni ſervit. Quando autem erit illa perfectio? incipit quidem à morte: quia tunc cum corpore multas infirmitates exuimus: ſed non ante diem judicii plena conſtabit, quemadmodum ſtatim audiemus. unde colligimus totam hanc diſputationem ad intermedium tempus inſcite trahi.

11. *Quum eſſem puer.*] Similitudine quod dixit illuſtrat. Multa enim pueritiæ conveniunt, quæ evaneſcunt poſtea cum ætate. Exempli gratia, Pueritiæ neceſſaria eſt pædagogia: virili ætati non congruit. Nos quantiſper degimus in hoc mundo, indigemus pædagogia quadam: procul adhuc diſtamus à plena ſapientia. Perfectio igitur quæ erit quædam ſpiritualis ætatis maturitas, finem pædagogiæ imponet, ejuſque appendicibus. Ad Epheſios hortatur ne *Epheſ. 4.*
ſimus amplius pueri: ſed aliam rationem illic ſequi- *verſ. 14.*
tur, de qua tunc dicemus.

12. *Cernimus nunc per ſpeculum.*] Applicatio ſimilitudinis, Modus ſcientiæ quam nunc habemus,

imper-

imperfectioni & quaſi pueritiæ congruit: quia nondum ad liquidum cernimus regni cæleſtis myſteria, nec claro adhuc intuitu fruimur. Ad id notandum alia ſimilitudine utitur: nempe quod non videamus nunc niſi tanquam in ſpeculo, ideoque obſcure: quam obſcuritatem intelligit nomine *ænigmatis*. Primo non dubium eſt quin miniſterium verbi, & quæ ad ipſum exercendum requiruntur inſtrumenta, ſpeculo comparet. Deus enim, alioqui inviſibilis, hæc media ordinavit ad ſe nobis patefaciendum: quanquam ad totam mundi compoſitionem extendi etiam hoc poteſt, in qua relucet nobis Dei gloria: ſicuti habuimus Rom. 1. v. 26. Et ad Heb. 11. v. 13. Creaturas Apoſtolus nominat ſpecula, in quibus inviſibilis Dei majeſtas apparet: ſed quoniam hic peculiariter de ſpiritualibus donis agit, quæ ſerviunt Eccleſiæ miniſterio, ſuntque ejus appendices, non avagabimur longius. Verbi, inquam, miniſterium ſpeculo eſt ſimile. Angeli enim neque prædicatione, neque aliis inferioribus adjumentis, neque Sacramentis indigent: alio enim Dei conſpectu fruuntur: neque in ſpeculo tantum ſuam illis faciem repræſentat Deus, ſed palam ſe illis præſentem exhibet. Nos qui nondum in tantam altitudinem conſcendimus, imaginem Dei ſpeculamur qualis offertur nobis in verbo, in Sacramentis, in toto denique Eccleſiæ miniſterio. Hanc viſionem Ænigmaticam hic appellat Paulus: non quia dubia ſit aut fallax, ſed quia minus conſpicua eſt, quam quæ olim extremo

2 Cor. 5. verſ. 6. die conſtabit. Idem aliis verbis docet in poſteriore Epiſtola, Nos quamdiu in corpore habitamus, peregrinari à Domino: quia per fidem ambulamus, & non per aſpectum. fides ergo noſtra Deum nunc intuetur tanquam abſentem: quomodo? quia ejus faciem non videt, ſed acquieſcit in ſpeculi imagine: verum ubi relicto mundo ad eum migraverimus, ipſum tanquam propinquum & expoſitum oculis cernet. Quare ſic habendum eſt, notitiam Dei quam nunc ex verbo habemus, certam quidem eſſe & veracem, nihil in ea confuſum, aut perplexum, aut tenebricoſum: ſed comparative ænigmaticam nominari, quia procul abeſt ab illa perſpicua manifeſtatione quam expectamus: quia tunc videbimus facie ad faciem. Ita nihil pugnat hic locus adverſus alios, ubi prædicatur nunc Legis, nunc totius Scripturæ, & potiſſimum Euangelii claritas. Eſt enim aperta & nuda Dei revelatio in verbo (quantum nobis expedit) nec quicquam habet involutum (qualiter fingunt impii) quo nos ſuſpenſos teneat. ſed quantula eſt ejus viſionis portio ad quam tendimus? Itaque ejus tantum comparatione dicitur ænigmatica. Adverbium *tunc*, potius extremum diem notat, quam tempus ſtatim à morte proximum. Tametſi autem differetur ad diem Chriſti plena viſio: incipiet tamen ſtatim à morte propinquior Dei aſpectus: ubi ſolutæ à corporibus animæ, neque externo miniſterio, neque aliis inferioribus ſubſidiis amplius opus habebunt. Sed Paulus (ut paulo ante admonui) anxie de mortuorum ſtatu non diſputat, quia ad pietatem non admodum utilis eſt ejus cognitio. *Nunc cognoſco ex parte.* Hoc eſt, modus ſcientiæ præſentis eſt imperfectus. ſicuti Joan-

1 Joan. 3. verſ. 2. nes in Epiſtola ſua dicit, ſcire nos quidem quod ſimus filii Dei, ſed nondum apparuiſſe, donec videbimus Deum qualis eſt: tunc Deum videbimus non in imagine ſua, ſed in ſeipſo: ut mutuus ſit quodammodo aſpectus.

13. *Nunc autem manet fides, ſpes, charitas.*] Concluſio eſt ſuperiorum, charitatem reliquis donis præſtantiorem eſſe: ſed pro catalogo donorum quem ante recenſuerat, cum charitate fidem & ſpem nunc ponit: ſicuti omnia ad hanc ſummam referuntur. Quorſum enim totum miniſterium, niſi ut in his inſtituamur? Ergo Fidei nomen hic latius patet quam antehac: perinde enim eſt acſi diceret, Complura quidem ſunt dona & varia, ſed in hunc ſcopum tendunt omnia & reſpiciunt. Manere itaque, ſignificat, omnibus ſubductis, tanquam in calculo ſupputatorio, ſummam hanc reſtare. Neque enim manet à morte fides, quam Apoſtolus alibi aſpectui op- 2 Cor. 5. verſ. 7.
ponit, & tantum ad id uſque temporis durare tradit quo peregrinamur à Domino. Nunc tenemus quid ſit hoc loco fides: nempe Dei ac divinæ voluntatis cognitio, quam per Eccleſiæ miniſterium conſequimur: vel ſi mavis, fides univerſalis & proprie accepta. Spes nihil aliud eſt quam fidei perſeverantia. Poſtquam enim Dei verbo ſemel credidimus, reſtat perſtemus uſque ad rerum complementum. proinde ut ſpei mater eſt fides, ita ab ea ſuſtinetur ne excidat. *Maxima ex his eſt charitas.* Nempe ſi æſtimemus præſtantiam ab effectis quæ ante enumeravit: deinde ſi conſideremus ejus perpetuitatem. Sua enim cuique fides ac ſpes prodeſt: charitas ad alios diffunditur. Fides & ſpes ſunt imperfectiones: charitas manebit etiam in perfectionis ſtatu. nam ſi excutiamus ſingulos fidei effectus, & conferamus, reperietur in multis ſuperior fides: quin etiam ipſa charitas, eodem Apoſtolo teſte, effectus eſt fidei: effectus autem 1 Theſſ. 1. verſ. 3.
ſua cauſa proculdubio eſt inferior. Præterea fidei tribuitur laus inſignis quæ in charitatem non competit, quum Joannes prædicat eſſe victoriam no- 1 Joan. 5. verſ. 4.
ſtram quæ vincit mundum. per fidem denique renaſcimur, efficimur filii Dei, obtinemus vitam æternam, Chriſtus in nobis habitat. Prætereo alia innumera, ſed hæc pauca ſufficiant ad id probandum quod volo: fidem in multis effectis ſuperiorem eſſe charitate. unde conſtat hic potiorem dici, non per omnia, ſed quatenus perpetua erit: & nunc primas partes tenet in conſervanda Eccleſia. Mirum autem quantum ſibi placeant Papiſtæ, dum iſta verba detonant. Si fides juſtificat, inquiunt, ergo multo magis charitas: quæ vocatur major. Jam quidem ex his quæ dixi, conſtat objecti ſolutio: ſed demus charitatem modis omnibus præcellere: qualis eſt iſta argumentatio, Quia major eſt, plus valere ad homines juſtificandos? Ergo Rex melius terram arabit quam agricola, melius calceum faciet quam ſutor: quia nobilior eſt utroque. Ergo homo celerius curret quam equus, plus oneris portabit quam elephas: quia dignitate ſuperat. Ergo Angeli melius terram illuminabunt quam ſol & luna: quia præſtantiores. Si vis juſtificandi à dignitate fidei aut merito penderet, forte audiendi forent: ſed non docemus fidem juſtificare, quia ſit dignior, aut in altiore honoris gradu: ſed quia juſtitiam gratis in Euangelio oblatam recipiat. Huc nihil facit aut valet magnitudo vel dignitas: quamobrem hic locus nihilo magis Papiſtas juvat, quam ſi fidem omnibus Apoſtolus prætuliſſet.

CAP. XIV.

SEctamini charitatem: æmulamini ſpiritualia: magis autem ut prophetetis.
2. Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur ſed Deo. nullus enim audit: Spiritu vero loquitur myſteria.
3. Cæterum qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem
4. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat: at qui prophetat, Eccleſiam ædificat.

5. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis: major enim qui prophetat, quam qui linguis loquitur: niſi interpretetur, ut Eceleſia ædificationem accipiat.

6. Nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut per revelationem, aut per ſcientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam?

Sicuti prius juſſerat eos ſectari dona potiora, ita nunc jubet ſectari charitatem: illa enim erat ſumma virtus quam ſe demonſtraturum receperat. ergo bene ſibi moderabuntur in uſu donorum, ſi vigeat inter ipſos charitas: tacite enim perſtringit defectum charitatis in eo quod hactenus abuſi donis fuerant: & ex ſuperioribus colligens, ubi charitati primas non tribuunt, eos ad veram præſtantiam non recta contendere, quam ſtulta ſit eorum ambitio admonet, quæ ſpes eorum & vota fruſtratur.

1. *Æmulamini ſpiritualia.*] Ne objicerent Corinthii, Deo fieri injuriam ſi contemnerentur ejus dona: anticipat Apoſtolus, teſtaturque ſibi non eſſe in animo illos à donis etiam quibus abuſi fuerant, abducere: quin potius illorum ſtudium commendat, vultque in Eccleſia locum habere. Et ſane quia in Eccleſiæ utilitatem collata erant, non debuit hominum corruptela efficere ut pro ſupervacuis aut noxiis abjicerentur: ſed interea prophetiam præ aliis omnibus commendat, ſicuti erat omnium utiliſſima. Tenet ergo optimam rationem, nihil quod uſui ſit, improbando: ſed tamen hortando ne præpoſtero zelo, quod præcipuum eſt, minoribus poſtponant: primo autem loco ſtatuit prophetiam. Æmulamini ergo ſpiritualia: hoc eſt, nullum donum negligite. jubeo enim vos ſtudere omnibus: modo primum gradum obtineat prophetia.

2. *Nam qui loquitur, lingua loquitur.*] Nunc ex re ipſa oſtendit cur prætulerit aliis donis prophetiam: ac eam cum dono linguarum comparat. in quo veriſimile eſt magis occupatos fuiſſe Corinthios, quia magis ad pompam ſerviret: nam hominem audire loquentem lingua exotica, vulgo admirationem movet. Ergo ex principiis jam aſſumptis oſtendit quam ſit illud perverſum, quum nihil Eccleſiam ædificet. Initio dicit, Qui loquitur lingua, Deo non hominibus loquitur; hoc eſt (ſecundum proverbium) Sibi canit & Muſis. In dictione *linguæ*, non eſt pleonaſmus: qualis in illis locis, Sic ore loquuta eſt: item, Vocemque his auribus hauſi: ſed idioma exterum ſignificat. Ratio cur non loquatur hominibus: quia nemo audit, nempe tanquam vocem articulatam. Audiunt enim ſonum omnes, at non percipiunt quid dicatur. *Loquitur ſpiritu*, hoc eſt, dono ſpirituali (ſic enim cum Chryſoſtomo interpretor) *myſteria* & res occultas, ideoque nullius utilitatis. Myſteria hic Chryſoſtomus accipit honorifice, pro eximiis Dei revelationibus: ego vero in malam partem, pro ænigmatibus obſcuris & involutis: quaſi diceret, Loquitur quod nemo percipiat.

3. *Qui prophetat, hominibus loquitur.*] Prophetia, inquit, omnibus eſt fructuoſa, quum lingua theſaurus ſit ſub terram defoſſus. Quanta igitur ſtultitia eſt, tempus omnino terere in re inutili; quod autem utiliſſimum eſſe apparet, prætermittere? *Loqui ad ædificationem*, eſt loqui quod doctrinam ædificando aptam contineat. Nam hoc nomen accipio pro doctrina qua inſtituimur ad pietatem, ad fidem, ad cultum timoremque Dei, & officia ſanctitatis & juſtitiæ. Quoniam autem plerumque opus habemus ſtimulis, alii autem afflictionibus premuntur aut imbecillitate laborant, doctrinæ addidit *exhortationem* & *conſolationem*. Ex hoc loco & ſuperiore apparet, prophetiam non eſſe vaticinandi donum: ſed quia ſemel illud dixi, non repeto.

4. *Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat.*] Pro eo quod ante dixerat, Loqui Deo, nunc dicit, Loqui ſibi. quicquid autem in Eccleſia geritur, prodeſſe in commune debet. Faceſſat igitur perverſa hæc ambitio, quæ facit ut totius populi utilitas impediatur. Adde quod per modum conceſſionis loquitur Paulus: nam ubi ambitio tales ampullas projicit, nullum intus eſt proficiendi ſtudium: ſed perinde eſt acſi faceſſere juberet Paulus ex communi cœtu oſtentatores iſtos qui ſeipſos tantum reſpiciunt.

5. *Volo vos omnes linguis loqui.*] Iterum teſtatur ſe non ita prophetiam anteponere, quin locum reliquum faciat linguis. quod diligenter notandum eſt: nam Deus nihil fruſtra Eccleſiæ ſuæ contulit: & linguarum erat aliquis uſus. Tametſi ergo perverſo oſtentationis ſtudio Corinthii illum partim ſupervacuum & nihili, partim etiam noxium reddiderant: tamen corruptelam hanc corrigendo, Paulus nihilominus linguas commendat, tantum abeſt ut abolitas aut abjectas velit. Hodie quum pluſquam neceſſaria ſit linguarum cognitio, & Deus hoc tempore mirabili beneficio eas ex tenebris in lucem eruerit, ſunt nunc magni Theologi qui furioſe adverſus eas declamitent. quum certum ſit Spiritum ſanctum æterno elogio hic ornaſſe linguas, colligere promptum eſt quonam ſpiritu agantur iſti cenſores, qui earum ſtudium quantis poſſunt contumeliis exagitant. quanquam adhuc multum diſſimilis eſt ratio: Paulus enim quaslibet linguas comprehendit, quæ tantum Evangelio per omnes gentes publicando ſerviebant: iſti autem eas damnant linguas quibus tanquam à fontibus pura Scripturæ veritas eſt haurienda. Sequitur exceptio, non ita immorandum eſſe in linguis, ut prophetia negligentius curetur, quæ prior eſſe debet. *Niſi interpretetur.* Nam ſi accedat interpretatio, jam erit prophetia. Ne tamen intelligas Paulum hic concedere ut quiſpiam verba exotica demurmurando, Eccleſiam ſine fructu detineat. quam enim ridiculum foret, idem pluribus linguis pronunciare nulla de cauſa? Sed accidit ſæpe ut tempeſtivus ſit alienæ linguæ uſus: denique finem ſpectemus tantum, ut ædificatio ad Eccleſiam redeat.

6. *Nunc autem ſi venero.*] Proponit ſe in exemplum, quoniam in ejus perſona magis erat luculentum ſpecimen. Fructum uberem ſentiebant Corinthii ex ejus doctrina: quærit ergo quid illis profuturum ſit ſi linguis incognitis apud eos utatur. Hoc experimento admonet quanto ſatius ſit dare prophetiis operam: deinde minus odioſum erat, ſtultitiam hanc in ſua ipſius perſona quam in aliena reprehendere. Ponit autem ſpecies quatuor ædificationis, revelationem, ſcientiam, prophetiam, & doctrinam. quoniam de his variæ ſunt opiniones interpretum, liceat etiam mihi conjecturam meam proponere: verum quia conjectura ſolum eſt, judicium erit penes lectores. Revelationem & prophetiam ſub uno jugo pono, & hanc puto illius eſſe miniſterium: ſimiliter ſentio de ſcientia & doctrina. ergo quod revelatione conſequutus eſt quiſpiam, per prophetiam diſpenſat. Modus communicandæ ſcientiæ, doctrina eſt: ita Propheta, interpres erit & miniſter revelationis. quod definitioni ſuperius à nobis poſitæ magis ſuffragatur quam repugnat. Prophetiam enim diximus, non ſimplici aut nuda interpretatione Scripturæ conſtare: ſed continere ſimul ejus in præſentem uſum accommodandæ ſcientiam: quæ nonniſi ex revelatione & peculiari Dei impulſu habetur.

7. Quin & inanima vocem reddentia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonis dederint, quomodo cognoſcetur quid tibia canitur aut cithara?

8. Etenim

8. Etenim ſi incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?

9. Sic & vos per linguam niſi ſignificantem ſermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes.

10. Tam multa, verbi gratia, genera vocum ſunt in mundo, & nihil horum mutum.

11. Itaque ſi neſciero vim vocis, ero ei qui loquitur, barbarus: & qui loquitur, apud me barbarus.

12. Itaque & vos quandoquidem ſectatores eſtis Spirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut excellatis.

13. Quapropter qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.

14. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea fructu caret.

15. Quid igitur eſt? orabo ſpiritu, ſed orabo & mente: canam ſpiritu, ſed canam & mente.

16. Alioqui ſi benedixeris ſpiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem? quandoquidem quid dicas, neſcit.

17. Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alius non ædificatur.

7. *Quin & inanima* &c.] Similitudines adducit, primum à muſicis inſtrumentis: deinde ab univerſa rerum natura: nullam enim eſſe vocem cui non inſit aliquod temperamentum diſtinctioni aptum. Ipſa, inquit, etiam inanima nos docent. eduntur quidem temere multi ſonitus aut fragores abſque ulla modulatione: ſed Paulus hic loquitur de vocibus in quibus ineſt aliquid artis: acſi diceret, Non poteſt homo dare citharæ aut tibiæ animam: vocem tamen effingit ita temperatam ut diſcerni queat. quam igitur abſurdum eſt, homines ipſos intelligentia præditos, confuſum neſcio quid ſonare? Porro de muſicis modulationibus non eſt hic ſubtilius diſputandum: quia Paulus id tantum ſumpſit quod vulgo percipitur: ſicuti clangor tubæ de quo mox loquitur: eſt enim ſic compoſitus ad inflammandos animos ut non homines tantum, ſed etiam equos expergefaciat. Quamobrem Lacedæmonios in conferendis prœliis uſos potius fuiſſe tibia, tradunt hiſtoriæ, ne exercitus nimis fervido impetu in hoſtem primo congreſſu irrueret. Denique omnes experimur quanta ſit vis muſicæ ad ſenſus hominum movendos: ut Plato non abs re muſicam ad mores civitatis huc illuc flectendos plurimum valere tradat. *In aërem loqui*, eſt aërem fruſtra verberare: acſi diceret, Vox tua neque ad Deum pertinget, neque ad homines, ſed evaneſcet in aëre.

10. *Nihil horum mutum.*] Generalius nunc loquitur: comprehendit enim nunc voces naturales animalium. Mutum hic accipit pro confuſo, quod voci articulatæ opponitur: nam canum latratus differt ab equorum hinnitu; leonum rugitus, à ruditu aſinorum. Singulis etiam avium generibus ineſt ſua certa canendi vel ſtrependi forma: tota igitur naturæ ſeries quæ à Deo eſt ordinata, nos ad diſtinctionem invitat.

11. *Ero ei qui loquitur, barbarus.*] Lingua debet eſſe character mentis, non tantum qualiter proverbium intelligit, ſed qualiter docet Ariſtoteles initio libri de interpretatione. Quam igitur ineptum eſt ac præpoſterum, hominem in cœtu vocem edere, ex qua nihil percipiat auditor, in qua nullum ſignum animadvertat quo doceatur quid ille velit? Non ergo abs re Paulus pro abſurdiſſimo hoc ſumit, barbarum eſſe audientibus qui idiomate incognito ſtrepit: & ſimul eleganter ſtultam Corinthiorum ambitionem ridet, qui laudem inde & exiſtimationem captabant. Hoc, inquit, præmium reportabis, quod eris barbarus. nam Barbari nomen ſive factitium ſit (quemadmodum cenſet Strabo) ſive aliunde dictum, in malam partem accipitur. Unde Græci, qui ſibi ſoli diſerti & politæ linguæ videbantur, alios omnes à rudi & agreſti vocis ſono Barbaros vocabant. Verum nulla eſt tam culta lingua, quæ non barbara cenſeatur, ubi abeſt intelligentia. Auditor, inquit Paulus, mihi erit barbarus, & ego viciſſim illi. quibus verbis ſignificat, non eſſe hanc communicationem cum Eccleſia, loqui idiomate incognito, ſed potius alienationem: & merito illum qui ſic agit, contemni à reliquis, quoniam eos prior contemnat.

12. *Quandoquidem ſectatores eſtis Spirituum.*] Concludit Paulus non in hoc datum eſſe donum linguarum, ut abſque fructu Eccleſiæ, paucorum jactantiæ ſerviat. Si dona, inquit, ſpiritualia vobis placent, finis ſit ædificatio. Hæc demum vera erit & laude digna excellentia, ſi Eccleſia fructum ex vobis percipiat. Cæterum non ideo permittit Paulus excellendi cupiditatem, etiam cum Eccleſiæ utilitate: ſed vitium corrigendo, demonſtrat quam procul abſint ab eo quod venantur: & ſimul admonet qui potiſſimum habendi ſint in pretio: nempe quo quiſque ſtudioſius in ædificationem incumbit, eo vult pluris fieri. Noſtrum tamen interea eſt, unum hoc propoſitum habere, ut Dominus emineat, regnumque ejus in dies augeatur. Spiritus hic vocat metonymice dona ſpiritualia: ſicuti doctrinæ Spiritus, vel intelligentiæ vel judicii, pro ipſa doctrina ſpirituali, vel intelligentia, vel judicio capitur. Alioqui tenendum quod prius docuit, unum & eundem eſſe Spiritum, qui ſuo arbitrio varia dona partitur in ſingulos.

13. *Quapropter qui loquitur lingua.*] Eſt occupatio, qua reſpondet quæſtioni quam promptum fuiſſet objicere: Ergone ſi quis linguam exteram teneat, inutile erit donum? & cur ſupprimetur quod cum Dei gloria proferri in lucem poſſet? Remedium oſtendit: Petat, inquit, ille à Deo interpretationis quoque donum: quo ſi deſtituitur, interim ab oſtentatione abſtineat.

14. *Nam ſi orem lingua.*] Tametſi hoc quoque exemplum valet ad confirmationem eorum quæ hactenus contendit: eſt tamen aliud membrum, meo judicio. Nam veriſimile eſt, hac quoque in parte peccatum fuiſſe à Corinthiis: quod ſicuti differebant, ita etiam precabantur alienis linguis. quanquam ex eodem fonte manabat uterque abuſus, ut ſub uno genere continebatur. Quid ſit Lingua orare, ex ſuperioribus liquet: nempe concipere precationem idiomate peregrino. Quid ſit autem *ſpiritus*, non ita facile eſt explicatu. omni non ratione tantum caret, ſed etiam colore, quod Ambroſius ad Spiritum refert quem accepimus in Baptiſmo. Auguſtinus ſubtilius pro apprehenſione accipit, quæ ideas concipit & ſigna rerum: ut ſit animæ facultas inferior mentis intelligentia. Probabilior eſt eorum opinio, qui Spiritum gutturis interpretantur, hoc eſt, flatum. Verum huic interpretationi repugnat perpetua in hac Pauli diſputatione verbi ſignificatio. quin etiam apparet repetitum ſæpius fuiſſe per conceſſionem. Superbiebant enim honorifico iſto titulo, quem Paulus illis quidem permittit: ſed rurſum indicat quam præpoſterus ſit rei bonæ & præclaræ abuſus. acſi diceret, Tu mihi Spiritum jactas:

quorſum, ſi eſt inutilis? Hac ratione adducor ut in ſenſu hujus verbi aſſentiar Chryſoſtomo, qui exponit ſicuti prius, de ſpirituali dono. Ita *ſpiritus meus* perinde valebit ac donum mihi collatum. Sed hic nova quæſtio exoritur: neque enim credibile eſt (ſaltem nuſquam legimus) loquutos fuiſſe ullos Spiritus impulſu, lingua ſibi incognita. Linguarum enim donum conferebatur, non ad reſonandum modo, ſed potius ad communicandum. Quam enim ridiculum fuiſſet, linguam hominis Romani formari è Dei Spiritu, ad pronunciandas voces Græcas, quæ loquenti eſſent prorſus ignotæ: qualiter pſittaci, & picæ, & corvi humanas voces fingere docentur? Quod ſi prædictus dono linguarum non ſine ſenſu & intelligentia loquebatur: fruſtra dictum fuit à Paulo, *Spiritum orare, mentem fructu carere*: nam mentem cum ſpiritu conjunctam eſſe oportuit. Reſpondeo, Paulum hic hypotheſin ſumere docendi cauſa, quæ non erat, hoc modo, Si donum linguæ ab intelligentia ſeparetur, ita ut qui pronunciat, ſit ipſe ſibi barbarus, quemadmodum aliis: quid proficiet, ſic balbutiendo? Mentem enim vocari *ἄκαρπον*, quia utilitas nulla perveniat ad Eccleſiam, minime convenit: quum hic Paulus loquatur de privatis cujuſque precibus. Retineamus ergo, disjungi res inter ſe conjunctas, docendi cauſa: non quia id vel ſoleat contingere. Nunc ſenſus planus eſt. Si ergo idiomate mihi incognito preces concipiam, ac ſpiritus mihi verba ſuppeditet: ipſe quidem ſpiritus qui linguam meam gubernat, orabit: ſed mens mea vel alibi vagabitur, vel ſaltem non erit orationis particeps. Obſervemus, pro magno vitio Paulum ducere, ſi mens in oratione ceſſet. nec mirum: quid enim aliud agimus precando, niſi quod coram Deo cogitationes votaque noſtra effundimus? Deinde quum oratio, ſpiritualis ſit Dei cultus: quid magis alienum eſt ab ejus natura, quam à labris tantum, non autem intimo animo proficiſci? Atque hæc vulgo omnibus trita eſſe debebant: niſi diabolus mundum ita obſtupefeciſſet, ut crederent homines rite ſe precari, labra movendo. Et tam obſtinati ſunt Papiſtæ in ſua amentia, ut non tantum excuſent orationes nullius intelligentiæ, ſed etiam malint imperitos ignotis ſuſurris demurmurare: interim acuto ſophiſmata Deum eludunt, intentionem finalem ſufficere, hoc eſt, acceptum eſſe Deo cultum, ſi quis Hiſpanus lingua Germanica Deo maledicat, animo per varias & profanas curas vagetur: modo quum formulam precandi ſumit in manum, evanida cogitatione cum Deo paciſcatur.

15. *Orabo igitur ſpiritu.*] Ne quis objiceret, Ergone ſpiritus in precatione erit inutilis? docet, ſpiritu quidem licere orare, modo adſit etiam mens, id eſt, intelligentia. uſum ergo doni ſpiritualis in precationibus concedit ac probat: ſed quod præcipuum eſt, requirit, ne mens ſit otioſa. Quum dicit, *pſallam* vel *canam*, ſpecies eſt pro genere. Quia enim Pſalmorum argumenta erant Dei laudes, Pſallere accepit pro Benedicere Deo, vel gratias agere: nam in ſupplicationibus aut petimus aliquid à Deo, aut agnoſcimus collatum nobis beneficium. Ex hoc tamen locu ſimul colligimus, jam tunc canendi morem fuiſſe uſitatum inter fideles: quod etiam ex Plinio conſtat, qui ſaltem quadraginta annis poſt mortem Pauli aut circiter, Chriſtianos ſcribit ſolitos fuiſſe canere antelucanos hymnos Chriſto. Nec vero mihi dubium eſt quin ritum Judaicæ Eccleſiæ ſtatim ab initio in Pſalmis fuerint imitati.

16. *Alioqui ſi benedixeris ſpiritu.*] Hactenus oſtendit vanas cuique noſtrum & infructuoſas fore ſuas preces, niſi conjuncta ſit mens cum voce: nunc ad publicas quoque orationes deſcendit. Si is qui populi nomine preces concipit vel pronunciat, non intelligitur à cœtu: quomodo plebs vota ſua in fine adjunget ut particeps fiat? neque enim ulla eſt communicatio precum, niſi dum omnes una mente in eadem conveniunt vota. ſimile etiam eſt in benedictionibus, quibus aguntur Deo gratiæ. Loquutio autem Pauli ſignificat aliquem ex miniſtris clara voce dictaſſe preces vel nuncupaſſe, totum cœtum animo ſequutum fuiſſe unius verba, uſquedum ad clauſulam ventum fuiſſet: tunc vero omnes dixiſſe, *Amen*: ut profiterentur ſibi orationem ab uno habitam communem eſſe. Scitur, Amen vocem eſſe Hebraicam, ab eodem verbo deductam, à quo fides aut veritas. Eſt igitur nota confirmationis, tam aſſerendo quam optando. Porro quia vox trita erat apud Judæos longo uſu, hinc factum eſt ut ab illis ad Gentes tranſierit: nec aliter ea Græci uterentur, quam linguæ ſuæ propria. fuit igitur formula omnibus populis vulgata. Nunc dicit Paulus, Si idioma exoticum in ſolenni prece uſurpas, quod non intelligant idiotæ & plebeii inter quos loqueris, nulla erit communicatio. Et jam oratio tua vel benedictio, publica eſſe deſinet. quare? Nemo, inquit, precationi aut Pſalmo addere poteſt ſuum Amen, quin intelligat. Atqui Papiſtæ id quod tantopere rejicit Paulus, pro ſancto & legitimo inſtituto habent. qua in re mira ipſorum impudentia apparet: imo hoc luculentum eſt ſpecimen, unde diſcimus qualiter & quam effreni licentia graſſatus ſit Satan in Papatu. Quid enim apertius his Pauli verbis, non poſſe idiotam conſortem eſſe publicæ precationis, quin percipiat quod dicitur? quid hoc interdicto planius: ne benedictiones aut orationes in publico concipiantur, niſi vulgari lingua? ipſi quum quotidie faciunt quod Paulus fieri debere aut etiam poſſe negat, nonne eum pro idiota habent? quum ſumma religione obſervant quod prohibet, annon Deum ex profeſſo contemnunt? Videmus ergo quam impune apud eos Satan ludat. In eo autem diabolica eorum contumacia ſe prodit, quod moniti, tantum abſunt à pœnitentia, ut ferro & igni tam craſſam corruptelam tueantur.

18. Gratias ago Deo meo quod magis quam vos omnes linguis loquor.
19. Sed in Eccleſia volo quinque verba mente mea loqui, ut & alios inſtituam, potius quam decem millia verborum lingua.
20. Fratres, ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis: ſenſibus vero ſitis perfecti.
21. In Lege ſcriptum eſt, Alienis linguis & labiis alienis loquar populo huic: & ne ſic
Jeſa. 28. verſ. 11. quidem audient me, dicit Dominus.
22. Itaque linguæ ſigni vice ſunt, non iis qui credunt, ſed incredulis: contra prophetia non incredulis, ſed credentibus.
23. Ergo ſi convenerit Eccleſia tota ſimul, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem indocti aut increduli, nonne dicent vos inſanire?
24. Quod ſi omnes prophetent, ingrediatur autem incredulus aut indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus:
25. Et ſic occulta cordis ejus manifeſta fiunt: atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuncians quod Deus revera in vobis ſit.

18. *Gratias ago &c.*] Quia multi alienis virtutibus obtrectant, quibus ipſi nequeunt axcellere: ne videretur Paulus malignitate aut invidia extenuare donum linguarum, prævenit eam ſuſpicionem, quum ſe omnibus ſuperiorem facit. Videte, inquit, quam non debeat vobis ſuſpecta eſſe mea oratio, acſi minoris facerem quod mihi deeſt: nam ſi de linguis ſit certamen, nemo veſtrum erit mihi conferendus. quum autem poſſim hoc genere me venditare, pluris mihi eſt ædificatio. Ex eo non parum auctoritatis accedit Pauli doctrinæ, dum ſui reſpectum non habet. Cæterum ne ſe omnibus præferendo, videatur inſolentior, acceptum hoc totum Deo refert: ita gloriationem modeſtia temperat.

19. *Volo quinque verba.*] Hyperbolice dictum: niſi quinque verba pro quinque ſantentiis accipias. Quum autem Paulus, qui alioqui ſplendide axultara poſſet linguis loquendo, ſponte abſtinet, unamque ædificationem ſectatur nulla pompa: hinc convincitur ventoſa eorum ambitio, qui tantopere inani tinnitu ſe oſtendere affectant: ſimul non levis Apoſtoli auctoritas eſſe debet ad eos ab ejuſmodi vanitate revocandos.

20. *Fratres, ne ſitis pueri ſenſibus.*] Ultra progreditur: nam ita Corinthios delirare oſtendit, ut ſibi ultro accerſant & appetant inſtar ſingularis boni, quod Dominus ſe immiſſurum denunciat, quum infligere vult populo ſuo graviſſimam pœnam. quanta hæc dementia, quod pro maledictione cenſetur apud Deum, omni ſtudio avide perſequi? Sed quo melius intelligatur ſenſus Pauli, notandum eſt hanc ſenten-
Jeſa. 28. verſ. 11. tiam ex Jeſaiæ teſtimonio pendere, quod continuo poſt ſubjicit. & quoniam id fefellit interpretes, quod non animadvertebant ejuſmodi contextum: quo tollatur omnis error, prius locum Jeſaiæ enarrabimus: deinde veniemus ad Pauli verba. Illo capite acriter invebitur Propbeta in decem Tribus, quæ ſe proſtituerant ad quamvis nequitiam. Tota conſolatio eſt, quod reſtabat Deo populus integer in tribu Juda: ſed mox bujus etiam corruptionem deplorat: & eo quidem acerbius, quod nulla ſpes erat correctionis. ſic enim loquitur in perſona Dei, Quem docebo ſcientiam? ablactatos à matre, extractos ab uberibus? quo ſignificat, nihilo magis doctrinæ capaces eſſe, quam pueros infaotes nuper lactentes. Sequitur, Præceptum ad præceptum, inſtructio ad inſtructionem, mandatum ad mandatum, directio ad directionem, paululum ibi, paululum ibi. His verbis mimitice exprimit tarditatem & ſocordiam qua detinebantur: quaſi diceret, Ego in ipſis docendis ludo operam: nullus enim eſt profectus, quia & rudes ſunt ſupra modum, & uno momento dediſcunt ſiquid edocti fuerant diuturno labore. Sequitur rurſum, Qui loquitur ad populum iſtum, eſt quaſi qui utitur balbis labiis & lingua peregrina. Hic locus eſt quem citat Paulus: ſignificat autem, tanta cæcitate & amentia percuſſum eſſe populum, ut Deum loquentem non magis intelligat, quam barbarum quempiam, aut alienigenam idiomate inaudito balbutientem: quæ eſt horrenda maledictio. Non retulit autem ſigillatim verba Prophetæ: quia ſatis habuit notare locum digito, ut admoniti Corinthii melius expenderent. Quod autem in Lege ſcriptum eſſe dicit, non abhorret à communi uſu. Prophetæ enim non habuerunt miniſterium à Lege ſeparatum, ſed fuerunt Legis ioterpretes: & tota eorum doctrina, quædam eſt veluti illius appendix: unde Lex eſt totum Scripturæ corpus uſque ad Cbriſti adventum. Ex eo nunc concludit Paulus, Fratres, cavenda eſt bæc pueritia, quæ tam ſevere à Propheta reprehenditur: ut vox Dei in auribus veſtris reſonet abſque fructu. Quum vero oblatam ad manum propbetiam reſpuitis, & obſtupeſcere mavultis ad inanem ſonitum, nonne id eſt ultro incurrere in maledictionem Dei? Porro ne exciperent Corinthii, laudari alicubi pueritiam ſpiritualem: anteverit Paulus, ac hortatur quidem eos ut pueri ſint malitia, ſed pueritiam ſenſus caveant. Unde colligimus quam impudenter faciant qui ſimplicitatem Chriſtianorum conſtituunt in ignorantia. vult Paulus omnes fideles ſenſu, quoad fieri poteſt, eſſe perfectos: Papa, quia facilius eſt aſinos ducere quam homines; prætextu ſimplicitatis, rudes maoere jubet omnes ſuos. hinc fiat comparatio quale ſit regimen Papatus, & quam ſit Chriſti inſtituto conſentaneum.

22. *Itaque linguæ ſigni vice.*] Dupliciter poteſt exponi hic locus: nempe ut illativa particula proximæ tantum ſententiæ reſpondeat: vel ut reſpiciat generaliter ad totam ſuperiorem diſputationem. Si ſit particularis illatio, ſenſus erit, Videtis fratres, hoc quod tam cupida appetitis, non eſſe Dei beneficium erga fideles, ſed pœnam qua iocredulos ulciſcitur. Hoc modo non comprebenderet Paulus perpetuum linguarum uſum: ſed tantum attingeret quod ſemel accidit. Si quis tamen malit extendere ad totam diſputationem, minime repugno: quanquam illa prior interpretatio mibi non diſplicet. Generaliter ſumendo, ſenſus erit, Linguæ, quatenus in ſignum datæ ſunt, boc eſt, in miraculum, non proprie fidelibus deſtinantur, ſed incredulis. Multiplex erat linguarum uſus: ſerviebant neceſſitati, ne impediret diverſitas linguarum Apoſtolos, quominus Euangelium ſpargerent per totum orbem: nulla ergo gens erat cum qua non poſſent communicare. ſerviebant etiam ad movendos infideles aut terrendos miraculi conſpectu: nam ſicuti aliorum miraculorum, ita etiam bujus finis erat, alienos adhuc Cbriſto præparare ad ejus obedientiam. Fideles qni ſe jam ejus doctrinæ addixerant, non adeo indigebant tali præparatione. Perperam ergo & extra locum, donum illud promebant Corinthii, neglecta & jacente propbetia, quæ proprie & peculiariter dicata eſt fidelibus, ideoque familiaris illis eſſe debet: nam in linguis nihil ſpectabant præter miraculum.

23. *Ergo ſi convenerit Eccleſia.*] Quoniam præoccupati ſtulta & prava cupiditate, vitium ſuum non cernebant: admonet, ludibrio impiorum aut indoctorum expoſitos fore ſiqui in eorum cœtu ingreſſi, audiant ipſos reſonantes, non loquentes. quis enim indoctus non judicabit deſipere bomines qui ſermonis loco edent inanem ſonitum, atque in illa vanitate occupabuntur, qui tamen erant congregati ad audiendam Dei doctrinam? Habet multum aculei hæc ſententia, Plauditis ipſi vobis in ſinu: impii autem & indocti ineptias veſtras rident. Non videtis ergo id quod indoctis & infidelibus eſt conſpicuum. Hic quæſtionem movet Cbryſoſtomus: quum linguæ datæ ſint incredulis in ſignum, cur nunc dicat ab illis deriſum iri? Raſpondet, in ſignum eſſe quo obſtupeſiant, non autem erudiantur aut ad meliorem frugem reducantur: & tamen eorum improbitate fieri ſubjungit ut ſignum ducant pro amentia. Mihi ſolutio iſtæc non placet. nam utcunque moveatur infidelis aut idiota miraculo, donumque Dei revereatur: non tamen ideo ridare deſinit ac damnate intempeſtivum doni abuſum, & apud ſe ita cogitara, Quid iſti ſibi volunt, ſeipſos & alios inaniter fatigando? quorſum pertinet loqui ut nibil diſcant? Itaque ſignificat Paulus, merito damnatum iri inſaniæ Corintbios ab incredulis & indoctis, utcunque ſibi multum placeant.

24. *Quod ſi omnes prophetent.*] Quemadmodum ante docuerat quaoto fructuoſior ſit prophetia domeſticis fidei, quam linguæ, ita nunc extraneis quoque utilem fore docet: quæ validiſſima eſt ratio ad coarguendos Corinthios. Quantæ enim pravitatis eſt, donum parvifacere quod intus & extra utiliſſimum ſit: teneri autem defixos in alio quod domi

 ſit

ſit illis inutile & apud extraneos offendiculum etiam pariat? Hunc prophetiæ fructum proponit, quod impiorum conſcientias citat ad tribunal Dei, & vivo divini judicii ſenſu ita percellit, ut qui ante ſecurus ſanam doctrinam deſpiciebat, cogatur dare gloriam Deo. Cæterum facilior multo erit bujus loci intelligentia, ſi cum altero conferatur qui habetur ad Hebræos cap. 4. v. 12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladin utrimque ſcindente, pertingens ad diviſionem animæ ſimul & ſpiritus, compagumque ac medullarum, diſcretor cogitationum cordis. Utroque enim loco ſimilis prædicatur verbi Dei efficacia: ſed illic plenius & apertius. Quod ad præſentem locum ſpectat, non eſt difficile nunc intelligere quid ſit *coargui & dijudicari*. Torpent hominum conſcientiæ, nec malorum ſuorum diſplicentia tanguntur quamdiu ignorantiæ tenebris ſunt obvolutæ: denique infidelitas eſt veluti lethargus qui ſenſum adimit. Verbum autem Dei uſque in ultimos animi receſſus penetrat, & quaſi illato lumine tenebras diſcutit, & excutit mortiferum illum torporem: ſic ergo coarguuntur infideles, quia dum intelligunt ſibi negotium eſſe aum Deo, ſerio tanguntur & expaveſcunt: item dijndicantur, quia quum ante in tenebras abditi, miſeriam turpitudinemque ſuam non cernerent, nunc in lucem extracti, coguntur teſtimonium contra ſe ferre. Quod dicit, *Ab omnibus dijudicari & coargui*, intellige qui prophetant. nam paulo ante dixerat, Si omnes propbetetis. Nominatim uſus eſt nota univerſali, ut tolleret propbetiæ faſtidium. Coarguitur, inquam, infidelis, non quod Propbeta vel tacita opinione, vel ore palam judicium ferat, ſed quia audientis conſcientia judicium ſuum ex doctrina concipit: dijudicatur, quia deſcendit in ſeipſum, & habito examine ſibi innoteſcit qui ante ſui oblitus erat. Quo etiam pertinet illud Chriſti dictum, Spiritus *Joan. 16.*
quum veniet, arguet mundum de peccato. atque id *verſ. 8.*
eſt quod ſubjicit continuo, *occulta cordis ejus manifeſta fieri*: neque enim ſignificat (meo quidem judicio) reliquis patefieri qualis ſit, ſed potius conſcientiam expergefieri, ut ſua quæ ante latebant, mala cognoſcat. Hic etiam quærit Chryſoſtomus, qui conveniat, prophetiam adeo eſſe efficacem ad infideles permovendos, quam nuper dixerat Paulus illis non eſſe datam. Reſpondet, non eſſe illis datam ut ſignum inutile, verum eruditionis cauſa. Ego autem ſimplicius, & ideo aptius fore ſentio, ſi dicamus non eſſe datam incredulis qui pereunt, quorum Satan corda excæcavit, ne lucem illic fulgentem conſpiciant: idque melius conveniet, ſi cohæreat hæc ſententia cum vaticinio Jeſaiæ: quia Propheta de incre- *Jeſa. 28.*
dulis loquitur, apud quos nullum uſum vel profe- *verſ. 11.*
ctum habet prophetia.

25. *Procidens in faciem, adorabit.*] Sola enim Dei agnitio eſt quæ humiliare poteſt carnis ſuperbiam: ad eam nos adducit propbetia propria ergo vis ac natura ejus eſt, homines dejicere ab altitudine, ut proſtrati Deum adorent. Cæterum multis etiam inutilis eſt propbetia: qoin etiam deteriores audiendn redduntur. ſed noluit etiam Paulns vim banc attribuere prophetiæ, quaſi ſemper eam exerat: ſed tantum indicare quanta ex ea proveniat ntilitas, & quale ſit ejus officium. Egregia itaque laus eſt, quod confeſſionem iſtam extorqueat ab infidelibus, Deum adeſſe ſuis, & majeſtatem ipſius in medio eorum cœtu relucere.

26. Quid igitur eſt, fratres? quoties convenitis, unuſquiſque veſtrum canticum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

27. Sive lingua quis loquitur, fiat per duos, aut ad ſummum tres, idque viciſſim: & unus interpretetur.

28. Quod ſi non ſit interpres, taceat in Eccleſia: cæterum ſibiipſi loquatur & Deo.

29. Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent.

30. Quod ſi alii fuerit revelatum aſſidenti, prior taceat.

31. Poteſtis enim ſingulatim omnes prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant.

32. Et ſpiritus Prophetarum Prophetis ſunt ſubjecti:

33. Non enim ſeditionis eſt Deus, ſed pacis: quemadmodum in omnibus Eccleſiis ſanctorum.

26. *Quid igitur.*] Nunc rationem proponit, qua medeantur his malis: primum ut locus ſit ſingulis donis, ſed ordine & modo: deinde ne fruſtra inutilibus exercitiis occupetur Eccleſia, ſed quicquid agitur, ædificet. de ædificatione tamen primum loqnitur, in hunc modum: ut quiſque aliquo dono inſtructus eſt, ita ſtudeat illud conferre ad utilitatem omnium. Nam ita reſolvi debet bæc particula *unuſquiſque*: ne quis univerſaliter accipiat, acſi omnes ad unum pollerent aliqua tali gratia.

27. *Sive lingua quis loquitur.*] Ordinem nunc deſcribit, & ſtatuit modum: Si placet linguis loqui, tantum duo loquantur, ſaltem ad ſummum ne plures tribus, & ſimul adſit interpres: ſine interprete nullus eſt linguarum uſus: ergo tunc ſuperſedeant. Notandum autem eſt, eum non jubere, ſed permittere duntaxat: nam linguis Eccleſia carere poteſt ſine ullo iocommodo, niſi quatenus adjumenta ſunt prophetiæ: ut ſunt hodie Hebraica & Græca: ſed Paulus concedit ne videatur arcere à cœtu fidelium ullam Spiritus gratiam. quanquam boc qnoque rationi minus conſentaneum videri poſſit, quum ante dixerit, linguas quatenus io ſignum ſuot, incredulis convenire. Reſpondeo, utcunque infidelium cauſa miraculum propria edatur, non tamen ſequi quin aliquatenus pertineat etiam ad fideles. Si intelligas eſſe incredulis in ſignum linguam incognitam, prout ſonant Jeſaiæ verba: ratio quam hic præſcribit Paulus, diverſa eſt. Sic enim linguas admittit, ut conjuncta interpretatio nihil relinquat obſcurum. optimo igitur temperamento vitium Corinthiorum corrigit, dum minime rejicit qualecunque Dei donum, ut omnia ejus beneficia inter fideles appareant: ſed modum ſtatuit, ne in locum gloriæ Dei obrepat ambitio, ne donum minoris momenti quæ præcipua ſunt impediat: & addit condimentum, ne ſit mera oſtentatio fructu vacua.

28. *Sibi loquatur & Deo.*] Fruatur, inquit, ſuo donn in ſua conſcientia, & Deo gratias agat. Sic enim interpretor Loqui ſibi & Deo, pro Recngnoſcere apud ſe cum gratiarum actione, collatam ſibi gratiam, & illa tanquam privata frui, quum proferendæ non eſt locus. Nam ſermonem quem publice in Eccleſia haberi vetat, huic ſecreto opponit.

29. *Prophetæ duo aut tres.*] In prophetia quoque adhibet modum: quia multitudo (ut vulgo aiunt) parit confuſionem. quod verum eſt: nam id quotidiana axperimenta docent. Non tamen adeo præciſe reſtringit nnmerum, ſicuti quum de linguis agebat: minus anim periculi eſt, ſi diutius vacent pro-

phetiis:

phetiis: quin etiam optima eſſet aſſiduitas: ſed conſideravit Paulus quid ferre poſſet hominum imbecillitas. Manet tamen adhuc quæſtio, cur numerum parem definiat prophetiis & linguis, niſi quod in his nominatim addit, *ad ſummum:* nam ſi minus utiles ſunt linguæ, parciorem certe decet ipſarum eſſe uſum. Reſpondeo, in linguis etiam, qualiter eas recipit, contineri prophetiam: nam aut ad differendum adhibebantur linguæ, aut ad precandum. In priori genere interpres loco Prophetæ erat: ſic erat præcipuum & frequentius exercitium. Modum tantum definit, ne faſtidio vileſcat: & ne minus periti locum & facultatem dicendi melioribus præripiant: hos enim quibus loquendi munus aſſignat, vult profecto ex ſelectioribus eſſe, & communibus ſuffragiis ordinatos. nulli autem promptiores ſunt ad ſe ingerendum, quam qui leviter tantum mediocri doctrina aſperſi ſunt: ut verum fiat proverbium, Audax inſcitia. huic malo voluit Paulus occurrere, quum duobus aut tribus attribuit loquendi munus. *Cæteri dijudicent.* Ne aliis expoſtulandi occaſionem daret, quaſi vellet ſuppreſſum eſſe apud eos & ſepultum Dei donum: demonſtrat qualiter eo uti liceat in Eccleſiæ bonum, etiam tacendo: nempe ſi expendant quod ab aliis dicitur. Eſt enim hæc non vulgaris utilitas, eſſe aliquos judicandi peritos, qui non patiantur impoſturis Satanæ perverti ſanam doctrinam, aut alioqui futilibus ineptiis vitiari. Admonet igitur Paulus, reliquos Prophetas, etiam tacendo fore utiles Eccleſiæ. Atqui abſurdum eſſe videtur, judicium permitti hominibus in Dei doctrinam, quæ extra controverſiam conſtituta eſſe debet. Reſpondeo, non ſubjici Dei doctrinam hominum cenſuræ: ſed tantum hoc dari, ut ex Dei Spiritu expendant numquid verbum ipſius ſit quod proponitur, an falſo iſto prætextu ornentur humana figmenta: quemadmodum iterum mox dicetur.

30. *Quod ſi alii fuerit revelatum.*] Altera utilitas, quod ubi operæpretium fuerit, patebit etiam illis locus: quare non eſt amplius quod conquerantur alligari Spiritum, aut os illi obſtrui. Relinquitur enim omnibus loquendi, dum res poſtulat, locus & libertas: modo ne quis intempeſtive irrumpat, magis ſibi indulgens quam ſerviens neceſſitati. Hanc autem modeſtiam requirit ab omnibus, ut pro ſe quiſque cedat alteri melius aliquid afferenti. Hæc enim demum vera Spiritus eſt libertas, non ut cuique temere liceat effutire quicquid libitum fuerit: ſed ut à ſummo ad infimum omnes ſponte in ordinem cogi ſe ſinant, ac unus Spiritus audiatur quocunque ore fuerit loquutus. De revelationis certitudine mox videbimus.

31. *Poteſtis ſingulatim omnes.*] Primum quum dicit Omnes, non comprehendit univerſos fideles, ſed tantum eos qui facultate erant inſtructi: deinde non ſignificat æquas omnium vices eſſe debere, ſed prout fuerit ex populi utilitate, ſingulos vel ſæpius vel rarius prodire ad dicendum. acſi diceret, Nemo jacebit perpetuo inutilis: ſed loquendi opportunitas nunc his nunc illis ſe offeret. Addit, *Ut omnes diſcant:* quod tametſi ad plebem totam pertinet, Prophetis tamen convenit: & ipſos proprie deſignat Paulus. Nemo enim unquam bonus erit Doctor, qui non ſe docilem exhibeat, ſitque ſemper ad diſcendum paratus. ſiquidem nemo unquam reperietur qui ita unus abundet perfectione doctrinæ, quin alios audiendo proficiat. Sic ergo docendi munus obeant omnes, ne detrectent aut moleſte ferant eſſe diſcipuli viciſſim, quoties aliis datum fuerit unde Eccleſia ædificetur. Dicit ſecundo, *& omnes conſolationem accipiant.* unde colligendum eſt, tantum ab invidia abeſſe oportere Chriſti miniſtros, ut potius gaudeant ex animo, ſe non ſolos excellere, ſed habere ejuſdem gratiæ ſo-
Num. 11. verſ. 28. cios. quem affectum fuiſſe in Moſe, refert ſacra hiſtoria: nam quum ejus miniſter ſtulta zelotypia accenſus, indigne ferret datum aliis quoque eſſe gratiam prophetandi: illum reprehendens, Imo, inquit, utinam totus Dei populus mecum hujus excellentiæ ſit particeps. Et ſane eximia eſt conſolatio piis miniſtris, Spiritum Dei, cujus ſunt organa, in aliis etiam cernere operantem: nec parum inde confirmationis illis accedit. conſolatio etiam eſt quod id ad verbum Dei propagandum valet, ubi plures habet miniſtros ac teſtes. Cæterum quia verbum παρακαλῶνται quo hic uſus eſt Paulus, dubiæ eſt ſignificationis: poſſet etiam verti, Exhortationem accipiant. quod non male congrueret: prodeſt enim interdum alios audire, quo ad officium acrius ſtimulemur.

32. *Et ſpiritus Prophetarum.*] Hæc quoque una eſt ratio cur alternæ vices ſint neceſſariæ, quia interdum accidet ut habeant alii Prophetæ quod reprehendant in unius doctrina. non æquum eſt, inquit, quempiam eſſe extra aleam cenſuræ: ita fiet ut loquendi vices nonnunquam redeant ad aliquem ex conſeſſu, qui tacens ſedebat. Locus hic perperam fuit intellectus à quibuſdam, quaſi diceret Paulus, Domini Prophetas non eſſe arreptitiis ſimiles, quos ubi ſemel ἐνθουσιασμὸς afflaverat, deſinebant eſſe ſui compotes. Verum id quidem eſt, Dei Prophetas non alienata fuiſſe mente: ſed nihil ad præſentem locum Pauli. ſignificat enim (ſicuti jam dixi) neminem eximi aliorum cenſura: ſed omnes hac lege audiendos, ut eorum tamen doctrina ad examen revocetur. verum id non caret difficultate: pronunciat enim Apoſtolus ſpiritus ſubjici. quanquam de donis loquitur, quî tamen poteſt ab hominibus judicari prophetia à Spiritu ſancto data, quin Spiritus ipſe judicetur? Hac ratione & verbum Dei quod à Spiritu revelatur, examini ſubjacebit. id quam indignum ſit, demonſtratione non habet opus: per ſe enim patet. Ego autem nego, ejuſmodi cenſura aut Spiritum aut verbum Dei teneri: manet (inquam) Spiritui ſancto ſua majeſtas illibata, ut omnia judicet, à nullo judicetur: manet etiam ſacro Dei verbo ſua reverentia, ut abſque diſceptatione recipiatur ſimulatque prolatum fuerit. Quid ergo, inquies, ſubjicitur examini? Reſpondeo, ſi cui plena revelatio conſtaret, ille certe cum ſuo dono ſuperior eſſet omni examine: nulla, inquam, ibi ſubjectio, ubi plenitudo revelationis: ſed quia ſic ad certam menſuram unicuique diſtribuit Deus Spiritum, ut etiam in maxima affluentia aliquid ſemper deſit: non mirum ſi nemo extollitur eo faſtigii, ut omnes ex alto deſpiciat, nullum habeat cenſorem. Nunc videmus ut ſine ulla contumelia Spiritus ſancti, dona ejus examinari ſuſtineant: quin etiam ubi nihil reprehenſione dignum, omnibus excuſſis, reperietur, erit tamen quod expolitionem deſideret. Summa ergo eſt, donum ita eſſe ſubjectum examini, ut quicquid proponitur, expendant Prophetæ numquid à Dei Spiritu profectum ſit: nam ſi conſtiterit eſſe auctorem, nulla amplius hæſitatio. Quæritur tamen adhuc quæ ſit examinandi regula. Huic quæſtioni partim ex ore Pauli reſpondetur, qui Romanorum 12. v. 6. prophetiam exigit ad analogiam fidei: ſed quod ad cenſuram ſpectat, non dubium eſt quin regi debeat verbo ac Spiritu Dei: ne quid approbetur niſi quod deprehendatur ex Deo eſſe: ne quid improbetur niſi per ejus verbum: denique præſideat Deus ſolus huic judicio: homines tantum ſint ejus præcones. Ex hoc Pauli loco conjicere licet quam præclara bonorum ſpiritualium copia & varietate illa Eccleſia floruerit. Erant Prophetarum collegia, ut labor eſſet in diſtribuendis vicibus: erat donorum diverſitas tanta ut aliquid redundaret. Nunc videmus noſtram tenuitatem, imo inopiam: ſed juſta ſcilicet pœna hæc ingratitudini noſtræ rependitur. neque enim exhauſtæ ſunt divitiæ Dei, neque imminuta ejus benignitas: ſed nos neque digni quibus largiatur, neque liberalitatis ejus capaces.

Quanquam lucis ac doctrinæ adhuc ſatis ſuperque eſt, modo non deeſſet pietatis ſtudium, & fructus qui inde proveniunt.

33. *Non enim ſeditionis eſt Deus.*] Subaudiendum eſt, Auctor, aut tale quidpiam. Utiliſſima ſententia, qua docemur, non aliter nos ſervire Deo, niſi pacis amantes ac ſtudioſi ſimus: ubi ergo rixandi cupiditas, illic certum eſt Deum non regnare. Atque id quam facile eſt dictu? quam identidem omnibus eſt in ore? interea vero de nihilo plerique tumultuantur: aut dum quovis modo emergere cupiunt, & aliquid videri, turbant Eccleſiam. Meminerimus ergo, in dijudicandis Chriſti ſervis obſervandam eſſe hanc notam, numquid paci & concordiæ ſtudeant: & placide ſe gerendo, conteotiones quoad in ſe eſt, fugiant. modo tamen pacem intelligamus, cujus vinculum ſit Dei veritas: nam ſi adverſus impias doctrinas erit pugnandum, etiamſi cælum terræ miſceri debeat, pergendum eſt nihilominus in certamine. Studendum quidem in primis ut citra contentionem obtineat Dei veritas: verum ſi reluctantur impii, contra eluctandum eſt, nec timendum ne tumultuum culpa nobis imputetur. Maledicta enim pax, cujus pignus eſt, à Deo defectio: & benedicta prælia, quibus neceſſe eſt defendi Chriſti regnum. *Quemadmodum in omnibus Eccleſiis.* Similitudo non refertur tantum ad proximum, ſed ad totam ſuperiorem deſcriptionem: acſi diceret, Nihil vobis hactenus præcepi quod non obſervetur in omnibus Eccleſiis: atque hoc modo continentur in pace. Vos ergo, quod aliæ Eccleſiæ ſalutare eſſe expertæ ſunt, & ad pacem conſervandam utiliſſimum, mutuamini. Emphaticum eſt quod diſerte exprimit *ſanctorum*, acſi Eccleſias rite compoſitas à ſiniſtra nota ſubduceret.

34. Mulieres veſtræ in Eccleſiis taceant: non enim permiſſum eſt ipſis loqui: ſed ſubjectæ ſint, quemadmodum & Lex dicit.

35. Siquid autem velint diſcere, domi maritos ſuos interrogent: turpe enim eſt mulieribus in Eccleſia loqui.

36. An à vobis ſermo Dei profectus eſt, aut ad vos ſolos pervenit?

37. Siquis videtur ſibi Propheta eſſe aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis, Domini eſſe mandata.

38. Siquis autem ignorat, ignoret.

39. Itaque fratres, æmulamini prophetiam, & linguis loqui ne prohibeatis.

40. Porro omnia decenter & ordine fiant.

Apparet, hoc quoque vitio inquinatam fuiſſe Corinthiorum Eccleſiam, quod mulierum garrulitati locus in ſacro cœtu, vel potius licentia patebat. Eas ergo loqui in publico vetat, docendi aut prophetandi cauſa. Hoc autem intellige de ordinaria functione, vel ubi conſtitutus eſt Eccleſiæ ſtatus: talis enim neceſſitas poteſt accidere, quæ mulieris vocem requirat: ſed Paulus tantum quid deceat in cœtu rite compoſito, reſpicit.

34. *Subjectæ ſint, quemadmodum & Lex dicit.*] Quid ad præſens inſtitutum ſubjectio ſub quam Lex cogit mulieres? quid enim impedit, dicet quiſpiam, quominus ſubjectæ ſint, & doceant tamen? Reſpondeo, munus docendi præfecturam eſſe in Eccleſia, ideoque pugnare cum ſubjectione: quam enim indecorum fuerit, quæ ſubjecta eſt uni membro, præeſſe univerſo corpori? Eſt ergo argumentum à repugnantibus: Quod ſi ſubjecta eſt mulier, ergo à publica docendi auctoritate arcetur. Et ſane ubicunque valuit ipſa naturæ honeſtas, mulieres omnibus ſeculis à publica adminiſtratione excluſæ fuerunt. & ſenſus communis dictat, vitioſam turpemque eſſe gynæcocratiam. Quin etiam quum olim permiſſum illis Romæ eſſet in foro poſtulare, factum eſt Caiæ Afraniæ protervia ut hoc etiam illis interdiceretur. Sed Pauli argumentatio ſimplex eſt, alienam à perſona mulieris eſſe docendi poteſtatem: quia ſi docet, præeſt viris omnibus: ſubjectam autem eſſe convenit.

35. *Siquid autem velint diſcere.*] Ne videatur hoc modo præcludere mulieribus diſcendi viam, ſi qua de re dubitent: jubet eas privatim inquirere, ne publice diſceptationem moveant. Quum dicit, *maritos*, non prohibet quin ipſos Prophetas, ſi opus ſit, conſulant: non enim omnes mariti idonei ſunt ad reſpondendum: ſed quia hic de externa politia diſputat, ſatis habet notare quid ſit indecorum, ut id caveant Corinthii. Interea prudentis lectoris eſt expendere, res de quibus hic agitur eſſe medias & indifferentes, in quibus nihil ſit illicitum niſi quod decoro & ædificationi adverſatur.

36. *An à vobis profectus.*] Objurgatio eſt paulo aſperior, ſed qua neceſſe fuit retundere ſuperbiam Corinthiorum. Sibi ultra modum placebant: non ſuſtinebant ulla in re vel ſe vel ſua reprehendi. quærit igitur an ſoli ſint, imo an primi ſint vel ultimi Chriſtiani in mundo. An à vobis, inquit, egreſſus eſt ſermo Dei? hoc eſt, an à vobis ſumpſit originem? an in vobis deſiit? hoc eſt, annon ultra propagabitur? Huc ſpectat admonitio, ne poſthabita aliorum ratione, ſuis inventis aut conſuetudinibus acquieſcant. Atque hæc generalis eſt doctrina: nulla enim Eccleſia ſibi privatim addicta eſſe debet, aliis neglectis: ſed debent omnes potius dextras ſibi invicem porrigere, ut communionem inter ſe foveant: & quatenus poſtulat concordiæ ratio, aliæ aliis ſe accommodare. Sed hic quæritur an ut quæque Eccleſia ordine aliam præceſſit, ita obligare etiam poſſit ſuis inſtitutionibus. id enim videtur Paulus innuere ſuis verbis. Exempli gratia, Jeroſolyma Eccleſiarum omnium mater erat, quia inde exortum fuerat verbum Domini: an ideo prærogativam ſibi potuit ſumere, ut omnes aſtringeret ad imitationem ſui? Reſpondeo, Paulum hic non perpetuo argumento uſum eſſe, ſed quod ſpecialiter conveniret Corinthiis, ut ſæpe ſolet fieri: magis ergo perſonas reſpexit, quam rem ipſam. quare illud non ſequitur neceſſario, quod poſteriores Eccleſiæ per omnia alligandæ ſint priorum inſtitutis: quandoquidem ne Paulus quidem ipſe hac lege ſe aſtrinxit, ut ritus Jeroſolymæ receptos aliis Eccleſiis obtruderet. Abſit ambitio, abſit pervicacia, abſit faſtus & contemptus aliarum: adſit econverſo ſtudium ædificationis, adſit moderatio & prudentia: & tunc in rituum varietate nihil erit reprehenſione dignum. Meminerimus ergo hic taxatam fuiſſe ſuperbiam Corinthiorum, qui ſibi ſeorſum ſtudentes, nihil deferebant primariis Eccleſiis à quibus acceperant Euangelium: nec ſe aliis accommodare ſtudebant, ad quas Euangelium deinde manaverat. Utinam vero noſtro tempore nulla eſſet Corinthus, tam in hoc vitio quam in aliis: ſed videmus quam tyrannica ſuarum legum exactione pias Eccleſias conturbent barbari homines, qui Euangelium nunquam guſtarunt.

37. *Siquis videtur.*] En judicium quod ante commendaverat Prophetis: nempe ut quod agnoverint

ex

ex Deo eſſe, ſuſcipiant. Non autem jubet eos tanquam de re dubia inquirere, ſed pro certo Dei verbo amplecti: quia agnituri ſint Dei verbum, ſi recte judicent. Porro id pro auctoritate Apoſtolica ſibi arrogat, quod illis præſcribit quam ſeotentiam ferre debeant. Plenioris etiamnum fiduciæ eſt quod continuo ſubjicit, *Qui ignorat, ignoret.* Hoc quidem Paulo licuit, qui cerio ſibi conſcius erat revelationis à Deo acceptæ: & Corinthiis etiam notus eſſe debebat, ut non ſecus de ipſo ſentirent, quam de Apoſtolo Domini. Sed non eſt cujuslibet de ſe tantundem profiteri: aut ſi profiteatur, rideri merito poterit cum ſua jactantia. nam huic fiduciæ tunc demom locus eſt, ubi re extat quod ore prædicatur. Vere hoc aſſerebat Paulos, ſua præcepta eſſe Domioi: falſo idem prætendere multi poterunt. totum in hoc ſitum eſt, ut conſtet eum ex Spiritu ſancto loqui, non proprio cerebro, qui ſe in ordinem cogi non ſuſtinet. qui autem nihil aliud eſt quam purum Spiritus ſancti organum, ſecure pronunciare cum Paulo audebit, non eſſe Prophetas, nec ſpirituales, qui ſuam doctrinam repudiabunt. idque faciet ſuo
ſup.2: 15. jure: ſecundum id quod habuimus initio Epiſtolæ, Spiritualis omnia dijudicat. Verum poteſt hic quæri quomodo præcepta Domini eſſe affirmet Paulus, de quibus nullum extat teſtimonium in Scripturis. deiude occurrit etiam altera quæſtio: neceſſaria eſſe obſervatu, & conſcientiam ligare, ſi præcepta Domini ſunt. atqoi ſunt ritus politici, in quorum obſervatione non ſubeſt talis neceſſitas. Sed Paulus tantum nihil ſe præcipere dicit niſi conſentaneum Dei voluntati. porro Deus eum conſilio inſtruebat, ut ordinem iſtum in rebus externis Corinthi & alibi commendaret: non ut eſſet lex inviolabilis, quales ſunt quæ continent ſpiritualem Dei cultum: ſed ut eſſet forma utilis omnibus Dei filiis, & minime negligenda.

38. *Si quis autem ignorat.*] Vetus translatio habet, Igoorans ignorabitur: ſed perperam. Voluit enim Paulus anſam præcidere contentioſis, qui nullum faciunt diſceptandi finem, idque ſub inquirendi ſpecie, quaſi nondum liqueat: vel certe in univerſum ſe omnes qui in dubium vocaverint quæ dixit, ſuſque deque facere ſignificat. acſi diceret, Si quis ignorat, ego ipſius hæſitationem nihil moror: nihil enim certitudini meæ doctrinæ propterea decedit. valeat igitur ille quiſquis erit: vos fidem nihilominus Chriſto per me loquenti habete. In ſumma, ſignificat, ſcepticos, contentioſos, & argutatores nihil ſuis quæſtionibus imminuere de auctoritate ſanæ doctrinæ, & ejus veritatis, quæ certa eſſe debet fidelibus: & ſimul monet ne quid nos impediat eorum hæſitatio. ſed hæc animi altitudo quæ omnia hominum judicia deſpiciat, ſuper compertam veritatem fundata eſſe debet. Ergo ſicuti perverſæ temeritatis foret, vel conceptam ſemel opinionem pertinaciter tueri, omnibus aliis diſſentientibus, vel audacter pergere illis hæſitantibus: ita ubi nobis compertum eſt Deum loqui, ſecure tranſiliamus omnia humana impedimenta, omneſque difficultates.

39. *Itaque fratres.*] Concluſio eſt præcipuæ quæſtionis, præferendam aliis donis prophetiam eſſe, quia ſit donom omnium utiliſſimum: neque tamen alia negligenda eſſe. Sed notanda eſt loqueodi ratio. Prophetiam enim dignam eſſe ſignificat ad quam omnes certatim ardenterque aſpirent. Interea hortatur ut rarius donum, quod tantopere appetendum non eſt, aliis non invideant: imo ut concedant ſuam laudem, omni æmulatione depoſita.

40. *Omnia decenter & ordine.*] Concluſio generalior, quæ non modo breviter totum ſtatum, ſed etiam ſingulas partes complectitur: imo regula eſt ad quam omnia quæ ad externam politiam ſpectant, exigere convenit. Quoniam ſparſim diſſeruerat de ritibus, omnia hic colligere voluit in brevem ſummam: nempe ut decorum ſervetur, & vitetur confuſio. quæ ſententia oſtendit, noluiſſe eum aſtringere ſuperioribus præceptis conſcientias, tanquam per ſe neceſſariis: ſed quatenus decoro pacique ſervirent. Hinc (ut dixi) colligimus perpetuam doctrinam, quem in finem dirigenda ſit Eccleſiæ politia. Dominus externos ritus in libertate noſtra ideo reliquit, ne putaremus cultum ejus illic incloſum. interea tamen non permiſit nobis vagam effrenemque licentiam: ſed cancellos (ut ita loquar) circumdedit: vel certe ita moderatus eſt libertati quam dabat, ut demum æſtimare ex ejus verbo liceat quid rectum ſit. Hic ergo locus rite expenſus diſcrimen oſtendet inter tyrannica Papæ edicta, quæ conſcientias premunt dira ſervitute; & pias Eccleſiæ leges, quibus diſciplina & ordo continetur. Quin etiam hinc colligere promptum eſt, has poſteriores non eſſe habendas pro humanis traditionibus: quandoquidem fundatæ ſunt in hoc generali mandato, & liquidam approbationem habent quaſi ex ore Chriſti ipſius.

Cap. XV.

Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium quod euangelizavi vobis, quod & recepiſtis, in quo etiam ſtetiſtis,

2. Per quod etiam ſalutem habetis: quo pacto annunciarim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis.

3. Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam, quod Chriſtus mortuus fuerit pro peccatis noſtris, ſecundum Scripturas:

4. Et quod ſepultus ſit, & quod reſurrexit tertio die, ſecundum Scripturas:

5. Et quod viſus fuit Cephæ, deinde ipſis duodecim.

6. Poſtea viſus fuit pluſquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus plures manent adhuc ad hunc uſque diem: quidam autem etiam obdormierunt.

7. Deinde viſus fuit Jacobo: poſt Apoſtolis omnibus.

8. Poſtremo vero omnium, velut abortivo, viſus fuit & mihi.

9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum idoneus ut dicar Apoſtolus: quandoquidem perſequutus ſum Eccleſiam Dei.

10. Sed gratia Dei ſum id quod ſum: & gratia ejus, quæ mihi collata eſt, non fuit inanis, ſed copioſius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mihi aderat.

1. *Notum autem vobis.*] Ingreditur nunc aliud argumentum, nempe de reſurrectione, cujus fides ab impiis quibuſdam concuſſa fuerat apud Corinthios. Eſt autem incertum an de ultima carnis reſurrectione dubitaverint tantum, an de animæ quoque Immortalitate. ſatis ſcitur varios errores de hac

re

re extitiſſe: quidam ex Philoſophis animas eſſe immortales diſputarunt: de reſurrectione carnis nemini unquam venit in mentem. craſſiores vero Sadducæi, qui nihil quam de præſenti vita cogitarunt, imo animam hominis flatum eſſe putarunt eſſentia carentem. Non ſatis ergo conſtat (ſicuti jam dixi) fuerintne tunc eouſque dementiæ prolapſi Corinthii, ut totam futuræ vitæ fiduciam abjecerint: an ſolummodo negarint reſurrectionem carnis. nam argumenta quibus utitur Paulus, videntur innuere, fuiſſe prorſus faſcinatos Sadducæorum delirio. Exempli gratia, quum dicit, Quid prodeſt baptizari pro mortuis? annon præſtaret edere & bibere? utquid ſingulis horis periclitamur? & ſimilia; promptum erat ex Philoſophorum ſententia reſpondere: nempe, quia animæ poſt mortem ſunt ſuperſtites. Proinde quidam totam Pauli diſputationem, quæ hoc capite habetur, ad animarum immortalitatem extendunt. Ego vero ſicuti in medio relinquo quis fuerit Corinthiorum error: ita adduci nequeo ut Pauli verba alio transferam, quam ad reſurrectionem carnis. maneat igitur fixum, non niſi de ipſa tractari hoc capite. Et quid, ſi eouſque pervaſerat impietas Hymenæi & Phileti, qui dicebant reſurrectionem jam eſſe factam, neque amplius illam fore? quibus hodie quoque ſimiles ſunt furioſi quidam, vel potius dæmones à dæmonibus obſeſſi, qui ſe Libertinos vocant. Mihi certe vero propinquior videtur hæc conjectura, fuiſſe deluſos aliquo figmento, quod illis ſpem futuræ reſurrectionis excuteret: ſicuti iſti allegoricam reſurrectionem imaginando, veram illam, quæ nobis promiſſa eſt, tollunt. Utcunque res habuerit, horribile ſane exemplum eſt, ac portenti ſimile, quia à tam præclaro magiſtro edocti fuerant, mox ad tam craſſos errores potuiſſe deficere. Sed quid mirum? quum in Eccleſia Iſraëlitica Sadducæi profiteri auderent, hominem nihil à pecude differre, quod pertinet ad animæ eſſentiam: nec felicitatem habere, niſi cum belluis communem. Notemus tamen ejuſmodi excæcationem juſtum eſſe Dei judicium, ut qui Dei veritati non acquieſcunt, huc & illuc Satanæ ludibriis jactentur. Quæritur autem cur in finem Epiſtolæ rejecerit vel diſtulerit quod reliquis omnibus merito fuit præferendum. Reſpondent quidam, hoc factum ut memoriæ altius infixum maneret. ego potius exiſtimo Paulum de re tam magna verbum facere noluiſſe, donec ſuam auctoritatem, quæ apud Corinthios nonnihil dejecta fuerat, aſſeruiſſet: & eorum faſtum cohibendo, ſibi ipſos dociles reddidiſſet. *Notum autem vobis* &c. Hic Notum facere, non ſignificat docere quod ante fuiſſet illis incognitum: ſed in memoriam reducere quod ante audierant. acſi diceret, Recognoſcite mecum illud Euangelium quod didiceratis priuſquam abducti eſſetis à recto curſu. Reſurrectionis doctrinam vocat Euangelium, ne putent impune licitum eſſe cuivis de ea ſentire quicquid libeat: ſicuti de aliis quæſtionibus quæ nullum ſalutis diſpendium ſecum trahunt. Quum addit, *à ſe euangelizatum*, amplificat: acſi diceret, Si me Apoſtolum agnoſcitis, ego certe ita vos docui. altera amplificatio, quod jam crediderant: quia ſi nunc contrarium perſuaderi ſibi ſinant, arguendi ſunt inconſtantiæ. tertia, quod firmo conſtantique propoſito hactenus in ea fide ſteterint: quod aliquanto plus eſt quam ſemel credidiſſe. Sed omnium præcipuum, quod in eo ſalutem ipſorum conſiſtere denunciat. nam inde ſequitur, nullam illis religionem, nullam fidei certitudinem, nullam denique fidem eſſe reliquam ſublata reſurrectione. Alii ſecus accipiunt *ſtandi* verbum, pro Suſtineri: ſed interpretatio quam poſui, verior eſt.

2\. *Si tenetis, niſi fruſtra* &c.] Duæ iſtæ exceptiones habent aculeos ad pungendum. Priore taxat eorum oſcitantiam aut levitatem: quoniam tam proclivis lapſus argumento erat, nunquam eos comprehendiſſe quod illis traditum fuerat: vel fluxam & evanidam fuiſſe cognitionem quæ tam cito exciderat. Altera admonet, fruſtra eos & inutiliter dediſſe nomen Chriſto, niſi caput hoc teneant.

3\. *Tradidi enim vobis in primis.*] Nunc explicando confirmat quod ſuperius dixit, Reſurrectionem à ſe fuiſſe prædicatam, & quidem tanquam præcipuum Euangelii caput. In primis, inquit: nempe quemadmodum in ædificio ſtruendo ſolet fundamentum. Et ſimul auctoritatem prædicationis ſuæ auget, quum nihil ſe tradidiſſe ſubjicit, niſi quod acceperat. neque enim ſolum intelligit ſe narraſſe quod habebat ex aliorum relatu: ſed quod mandatum erat à Domino. Nam verbum pro loci circumſtantia exponi debet. Officium autem Apoſtoli eſt, nihil proferre in medium, niſi quod à Domino acceperit: ut de manu (quod aiunt) in manum Eccleſiæ purum Dei ſermonem adminiſtret. *Quod Chriſtus mortuus* &c. En clarius unde acceperit: Scripturas enim citat in teſtimonium. Principio mortis Chriſti meminit, imo & ſepulturæ: ut quemadmodum in his, ita in reſurrectione, nobis eſſe ſimilem colligamus. ergo mortuus eſt ipſe nobiſcum, ut nos cum ipſo reſurgamus. In ſepultura quoque melius exprimitur mortis veritas, in qua nobiſcum communicavit. Porro multis Scripturæ locis prædicta fuit mors Chriſti, & reſurrectio: ſed nuſquam apertius quam Jeſaiæ capite 53. Danielis 9. v. 26. & Pſalm 22. *Pro peccatis.* Hoc eſt, ut maledictionem noſtram ſubeundo, nos ab ea redimeret. Quid enim aliud fuit mors Chriſti, quam ſacrificium pro expiandis peccatis? quam pœna ſatisfactoria, per quam Deo reconciliaremur? quam unius damnatio ad impetrandam nobis abſolutionem? Sic etiam loquitur ad Romanos cap. 4. v. 25. ſed illic tribuit ex oppoſito etiam reſurrectioni ſuum effectum, quod juſtitiam nobis conferat: quemadmodum enim morte Chriſti abolitum fuit peccatum, ita reſurrectione parta juſtitia. Hæc partitio diligenter notanda eſt, ut ſciamus quid ex morte, quid ex reſurrectione illius petendum ſit nobis. Cæterum quum alibi Scriptura ſolam mortem commemorat, ſciamus tunc morte reſurrectionem contineri: ſed quum diſtincte nominantur, in illa (ſicuti videmus) ſalutis noſtræ initium eſt; in hac complementum.

5\. *Quod viſus ſuit Cephæ.*] Jam teſtes etiam *αὐτόπτας*, quemadmodum à Luca vocantur, adducit: *Luc. 1: 2.*
qui perfectum viderunt quod Scripturæ futurum prædixerant. Neque tamen omnes enumerat: mulieres enim prætermittit. itaque quum dicit Petro apparuiſſe primum, intellige omnibus viris præponi: cui nihil repugnat quod refert Marcus, viſum *Marc. 16.*
fuiſſe Mariæ. Quomodo autem viſum ipſis duodecim *verſ. 9.*
fuiſſe dicit, quum jam poſt mortem Judæ, undecim tantum reſtarent? Chryſoſtomus putat id fuiſſe factum, ſubrogato jam Matthia. alii maluerunt corrigere, acſi mendum fuiſſet. Verum quum ſciamus numerum duodenarium fuiſſe conſecratum inſtitutione Chriſti, utcunque unus inde expunctus foret, non eſt abſurdum, nomen manſiſſe. Hac ratione vocati ſunt Romæ Centumviri, quum tamen duo ſupra centum eſſent: nam invaluerat uſus ejuſmodi appellationis. *Duodecim* ergo hic ſimpliciter accipe pro delectis Apoſtolis. Quando iſta apparitio pluſquam quingentis contigerit, non ſatis liquet: niſi quod fieri poteſt ut tanta multitudo congregata fuerit Jeroſolymis, quum ſe illis conſpiciendum oſtenderet. nam Lucas in genere diſcipulos nominat, qui *Luc. 24.*
cum undecim convenerant: quam multi autem fue- *verſ. 33.*
rint, non dicit. Chryſoſtomus ad aſcenſionem refert, & particulam ἐπάνω exponit, E ſublimi. Certe quod *Jacobo viſum fuiſſe* ſeorſum dicit, potuit hoc ab aſcenſione eſſe. Per *Apoſtolos omnes*, intelligo non ſolos duodecim, ſed diſcipulos etiam, quibus Euangelii prædicandi munus injunxerat. Quo plu-

ribus

ribus oculis, & quidem ſæpius, teſtatam eſſe voluit Dominus ſuam reſurrectionem, eo ſciamus certiorem eſſe debere ejus fidem apud nos. & quod reſurrectionem Chriſti inde probat Apoſtolus, quoniam multis apparuerit: eo ſignificat, non allegoricam, ſed veram & naturalem fuiſſe: nam ſpiritualis reſurrectionis oculi teſtes eſſe non poſſunt.

8. *Poſtremo mihi tanquam abortivo.*] Nunc ſe
Act. 26. quoque aliis adnumerat: nam ſe illi Chriſtus vivum
verſ. 8, 9. & glorioſum exhibuerat. Quia non erat fallax viſio, valere etiam debuit ad adſtruendam fidem reſurrectionis: quemadmodum etiam utitur in Actis eo argumento. ſed quia non parum ad rem pertinebat, ejus auctoritatem graviſſimam eſſe & ſummam apud Corinthios, obiter inſerit commendationem ſuæ perſonæ: ſed quam ita temperat, ut ſibi multum arrogando, ſit tamen modeſtiſſimus. Ne quis ergo illi objiceret, Quis es, ut tibi fidem adhibeamus? ſuam indignitatem ultro confitetur: ac primum quidem ſe comparat abortivo: idque (ut opinor) ſubitæ ſuæ converſionis reſpectu. nam ſicuti non ante ex utero prodeunt infantuli, quam legitimo temporis ſucceſſu illic formati & confirmati fuerint: ita juſtum temporis ordinem ſervavit Dominus in creandis, fovendis ac formandis Apoſtolis. Paulus autem vixdum bene concepto ſpiritu vitali, ex utero projectus fuerat. Alii Abortivum loco Poſthumi accipiunt: ſed illud multo congruentius, quia momento ſimul genitus, & natus, & vir plenæ ætatis fuerit. Hic porro abortus illuſtriorem Dei gratiam reddit in Paulo, quam ſi paulatim & per ſingulos gradus in Chriſto adoleviſſet.

9. *Ego enim ſum minimus.*] Dubium eſt an ad extenuandam ejus fidem hoc jactaverint malevoli, an aliunde non impulſus hanc confeſſionem ediderit. Ego ut non dubito, eum ſponte atque etiam libenter, ſemper fuiſſe propenſum ad ſe dejiciendum quo Dei gratiam extolleret: ita hoc loco ſuſpicor occurrere voluiſſe calumniis. nam quod fuerint Corinthi, qui maligne obloquendo, illius dignitatem imminuere ſtuderent, cum ex multis locis ſuperioribus colligere licet, tum quod paulo poſt comparationem ſubjiciet: quam certe nunquam attigiſſet, niſi coactus quorundam improbitate. quaſi diceret, Detrahe mihi quantum voles: patiar me infra terram dejici, patiar nullus eſſe, quo magis Dei erga me bonitas reluceat. habear ergo minimus Apoſtolorum: quin etiam hoc gradu indignum me agnoſco. Quibus enim meritis eo pervenire potui? quum Dei Eccleſiam perſequerer, quid merebar? Sed non eſt quod me æſtimes ex propria utilitate: neque enim Dominus qualis eſſem reſpexit, ſed alium me fecit ſua gratia. Summa eſt, non recuſare Paulum quin viliſſimus ſit omnium, & prope nihil: modo hic contemptus nihil eum impediat in ſuo miniſterio, nec doctrinæ ejus quicquam deroget. Contentus eſt, ſui intuitu, omni honore indignus cenſeri, modo intuitu gratiæ ſibi collatæ Apoſtolatum ſuum commendet. Et certe non ideo tam eximiis dotibus eum Deus ornaverat, ut ſepulta neglectave ſua gratia jaceret: ſed ejus Apoſtolatum nobilem ac pretioſum reddere voluerat.

10. *Et gratia ejus inanis non fuit.*] Qui liberum arbitrium Dei gratiæ opponunt, ne hujus ſit in ſolidum quicquid facimus boni, verba hæc detorquent ad ſuum ſenſum: quaſi jactaret Paulus ſe curaſſe ſua induſtria, ne Deus male ſuam gratiam apud eum collocaſſet. proinde concludunt, à Deo quidem offerri gratiam, ſed in hominis eſſe poteſtate rectum ejus uſum: penes eum eſſe, ne maneat otioſa. Ego autem nego eorum errori ſuffragari hæc Pauli verba: neque enim quicquam hic ſibi proprium vendicat, quaſi ſeorſum à Deo aliquid laude dignum fecerit. Quid igitur? ne fruſtra gloriari videretur ſolis verbis, quum re vacuus eſſet: dicit ſe nihil prædicare quod non palam appareat. deinde, ut fatear indicari his verbis, non abuſum fuiſſe Paulum Dei gratia, neque ſua deſidia inutilem reddidiſſe: nego tamen ideo eſſe cauſam cur inter ipſum & Deum partiamur laudem quæ tota Deo adſcribi debet: quando non tantum facultatem bene agendi, ſed voluntatem quoque & effectum nobis confert. *Sed copioſius.* Aliqui ad Thraſones referunt, qui Paulo detrahentes, ſe ſuaque venditabant: quia non ſit conſentaneum, eorum quidem opinione, eum voluiſſe ſuſcipere certamen cum Apoſtolis. Verum quod ſe Apoſtolis confert, id tantum facit improborum cauſa, qui eos ſolebant opponere ad deprimendam ipſius
famam: quemadmodum videmus in Epiſtola ad Ga- *Galat.* 1.
latas. Itaque probabilius eſt de Apoſtolis ipſum lo- *verſ.* 11.
qui, quum illorum laboribus ſuos præfert. ac omnino verum eſt, eum fuiſſe reliquis ſuperiorem: non tantum multas ærumnas perferendo, ſubeundo multa diſcrimina, abſtinendo à rebus licitis, conſtanter omnia pericula ſpernendo: ſed quia Dominus ampliorem ſucceſſum dabat ejus laboribus. Laborem enim accipio, pro fructu laboris qui extabat. *Non ego, ſed gratia.* Vetus interpres articulum omittendo, occaſionem errandi præbuit ignaris linguæ Græcæ: quia enim reddiderat, Non ego, ſed gratia Dei mecum: putarunt dimidium laudis tantum gratiæ Dei aſſignari, homini autem relinqui dimidium. Intelligunt ergo, quod non ſolus Paulus, quia nihil niſi cooperante gratia: ſed tamen proprio liberi arbitrii motu, propriiſque viribus laboraverit. Atqui longe diverſum ſonant ejus verba: nam quod ſuum eſſe dixerat, corrigendo transfert totum in Dei gratiam: totum, inquam, non ex parte: nam quicquid egiſſe viſus fuerat, id totum opus gratiæ fuiſſe teſtatur. Inſignis certe locus, tum ad proſternendam hominis ſuperbiam, tum illuſtrandam divinæ in nobis gratiæ operationem. Paulus enim, quaſi improprie ſe auctorem feciſſet ullius bonæ rei, corrigit quod dixerat, & gratiam Dei, omnium effectricem teſtatur. Non putemus vanam eſſe humilitatis ſimulationem: ex animo ita loquitur, & quia verum eſſe cognoſcit. Diſcamus ergo, hoc duntaxat boni nos habere quod Dominus gratuito dedit: hoc tantum nos boni facere quod ipſe facit in nobis. non quia nihil agamus ipſi, ſed quia non niſi acti agamus: hoc eſt, Spiritus ſancti directione ac impulſu.

11. Sive ego igitur, ſive illi, ita prædicamus, & ita credidiſtis.

12. Si autem Chriſtus prædicatur excitatus à mortuis, quomodo dicunt quidam, mortuorum reſurrectionem non eſſe?

13. Si autem mortuorum reſurrectio non eſt, neque Chriſtus reſurrexit.

14. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis igitur eſt prædicatio noſtra, inanis & fides veſtra.

15. Invenimur etiam falſi teſtes Dei, quia teſtati ſumus à Deo, quod ſuſcitaverit Chriſtum: quem non ſuſcitavit, ſiquidem mortui non reſurgunt.

16. Si enim mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.

17. Si autem Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc eſtis in peccatis veſtris.

18. Ergo & qui obdormierunt in Chriſto, perierunt.

19. Quod ſi in hac vita ſolum ſperamus in Chriſto, miſerrimi ſumus omnium hominum.

11. *Sive ego, ſive illi.*] Poſtquam ſe reliquis Apoſtolis comparavit, nunc ſe illis adjungit & illos ſibi, in prædicationis conſenſu. quaſi diceret, De me jam taceo, ſed nos omnes uno ore ſic docuimus, & pergimus etiamnum docere. Eſt enim verbum præſentis temporis κηρύσσομεν, quo ſignificat continuum actum, aut perſeverantiam in docendo. Perit ergo Apoſtolatus noſter, ſi aliter res habet. quin etiam vos ita credidiſtis: concidit igitur etiam veſtra religio.

12. *Si autem Chriſtus.*] Nunc incipit ex reſurrectione Chriſti noſtram omnium probare. Valet enim mutua hinc inde & reciproca conſequentia, tam affirmative quam negative. A Chriſto ad nos, in hunc modum, Si non reſurrexit Chriſtus: ergo neque nos reſurgemus. A nobis ad Chriſtum econverſo, Si reſurgimus: ergo Chriſtus reſurrexit. Si non reſurgimus: ergo neque Chriſtus reſurrexit. Ratio argumenti à Chriſto ad nos ducendi, hæc eſt in priore conſequentia, Chriſtus non ſibi mortuus eſt, neque reſurrexit, ſed nobis: ergo ipſius reſurrectio, hypoſtaſis noſtræ eſt, & quod in eo factum eſt, oportet in nobis quoque impleri. In negativa autem, Alioqui fruſtra & inutiliter reſurrexiſſet: quia fructus non in ejus perſona quærendus eſt, ſed in membris. Ratio ducendæ viciſſim à nobis ad eum prioris conſequentiæ, Nam reſurrectio neque à natura eſt, neque aliunde quam à ſolo Chriſto. In Adam enim morimur: vitam nonniſi in Chriſto recuperamus. unde ſequitur, ejus reſurrectionem, noſtræ eſſe fundamentum: quo ſublato, non conſiſtat. Ratio negativæ conſequentiæ jam poſita eſt; quia enim nonniſi noſtra cauſa reſurgere debuit, nulla ejus reſurrectio foret, ſi nobis nihil prodeſſet.

14. *Inanis igitur eſt prædicatio.*] Non tantum quia aliquid mendacii admiſtum habeat, ſed quia in totum ſit inanis fallacia. quid enim reſtat, ſi Chriſtus abſorptus fuerit à morte, ſi extinctus fuerit, ſi maledictione peccati fuerit oppreſſus, ſi denique Satanæ ſuccubuerit? denique illo capite everſo, reliqua omnia nullius erunt momenti. Eadem ratione addit, vanam fore fidem ipſorum. qualis enim erit ſoliditas fidei ubi nulla ſpes vitæ ſe oſtendet? Atqui in nuda morte Chriſti, tantum materia deſperationis apparet. neque enim aliis auctor ſalutis eſſe poteſt qui à morte penitus ſubactus fuerit. Ergo meminerimus, in morte & reſurrectione Chriſti præcipue conſiſtere totum Euangelium: ut huc præcipuum ſtudium noſtrum conferamus, ſi velimus rite & ordine in Euangelio proficere: imo niſi ſteriles ac vacui manere velimus.

15. *Invenimur etiam falſi teſtes.*] Alia quidem incommoda quæ nunc recenſuit, reſpectu noſtri majora erant: evaneſcere fidem, irritam & nihili eſſe totam doctrinam Euangelii, nos omni ſpe ſalutis excidiſſe. ſed hoc quoque non mediocre eſt abſurdum deprehendi Apoſtolos, qui ordinati à Deo erant æternæ ejus veritatis præcones, mendaciis illuſiſſe mundo: redundat enim hoc in maximum Dei probrum. Falſos teſtes Dei, poſſumus dupliciter accipere: vel quod falſo Dei nomen prætexuerint mentiendo: vel quod teſtificando quod à Deo acceperant, mendaces deprehendantur. Hoc ſecundum ideo mihi magis arridet, quia multo eſt atrocius: & antehac dixerat de hominibus. nunc igitur Deum mendacii reum fieri admonet, in teſtibus ab eo productis & ſubornatis, ſi negetur Chriſti reſurrectio. Ratio etiam quæ annexa eſt, apte quadrat: quia falſum efferuerint, non à ſeipſis, ſed à Deo. Nec me latet, particulam κατὰ ſecus exponi ab aliis. Vetus interpres reddidit, Adverſus: Eraſmus autem, De. verum quum ſignificet etiam κατὰ apud Græcos, ſenſus hic mihi viſus eſt convenientior Apoſtoli propoſito. Neque enim de hominum exiſtimatione hic tractat (quemadmodum jam dixi) ſed Deum obnoxium fore crimini falſitatis, quandoquidem ab eo profectum ſit quod annunciant.

17. *Adhuc eſtis in peccatis veſtris.*] Nam morte ſua Chriſtus peccata noſtra expiavit, ne amplius nobis imputentur in judicio Dei: & veterem noſtrum hominem crucifixit, ne amplius in nobis regnent ejus concupiſcentiæ: denique per mortem deſtruxit imperium mortis, & diabolum ipſum: tamen nihil horum eſſet, niſi reſurgendo victor emerſiſſet. itaque everſa reſurrectione, de integro erigitur peccati dominatio.

18. *Ergo qui obdormierunt.*] Quum vellet probare, reſurrectione Chriſti ſublata fidem eſſe inutilem, & Chriſtianiſmum eſſe meram fruſtrationem, dixerat vivos in peccatis ſuis manere: ſed quia hujus rei clarius ſpeculum eſt in mortuis, eos adducit. Quid mortuis profuerit olim fuiſſe Chriſtianos? ergo fratres noſtri, qui jam mortui ſunt, fruſtra vixerunt in Chriſti fide. Verum ſi conceditur, eſſentiam animæ eſſe immortalem, argumentum hoc prima facie infirmum videtur: in promptu enim erit exceptio, non interiiſſe mortuos, quia vivant eorum animæ ſeorſum à corporibus. unde quidam phrenetici inferunt, ſpatio temporis inter mortem & reſurrectionem medio, nullam eſſe vitam: ſed eorum delirium nullo negotio refellitur. Tametſi enim vivunt nunc mortuorum animæ, & beata quiete fruuntur, tamen à ſola reſurrectione pendet tota earum felicitas & conſolatio: quia non alia de cauſa bene habent, niſi quatenus diem illum expectent, quo vocentur ad poſſidendum Dei regnum. quare actum eſt de ſpe mortuorum, niſi aliquando veniat dies illa.

19. *Quod ſi in hac vita.*] Aliud abſurdum, Quod non tantum perdimus oleum & operam credendo, quoniam intereat fructus in morte: ſed quod ſatius ſit non credere: potior enim & magis expetenda eſſet conditio infidelium. Credere in hoc mundo, hic ſignificat, fidei noſtræ fructum in mundo conſtituere: ita ut fides noſtra non longius reſpiciat, neque extendatur ultra terminos vitæ præſentis. Hæc ſententia clarius indicat deluſos fuiſſe Corinthios perverſa aliqua imaginatione allegoricæ reſurrectionis, qualem tunc fingebant Hymenæus & Philetus: acſi ultimus fidei noſtræ fructus in mundo exhiberetur. Nam quum reſurrectio complementum ſit noſtræ ſalutis, & quaſi ultima bonorum omnium meta, qui nos jam reſurrexiſſe dicit, nihil melius relinquit nobis ſperandum poſt mortem. Quicquid ſit, nihil hic tamen locus ſuffragatur eorum delirio, qui fingunt animas una cum corporibus dormire uſque ad diem reſurrectionis. nam quod objiciunt, Si animæ à corporibus ſolutæ vitam ſuam retinerent, non dicturum fuiſſe Paulum, nos reſurrectione ſublata ſperare tantum in hoc mundo, quia reſtaret animis aliqua felicitas: ad id reſpondeo, Paulum non ſomniaſſe campos Elyſios & tales ineptas fabulas, ſed pro confeſſo ſumpſiſſe, totam ſpem Chriſtianorum reſpicere ad ultimum judicii diem: in eadem expectatione nunc quoque pias animas acquieſcere: ideo perire nobis omnia, ſi ejuſmodi fiducia nos fruſtratur. Sed cur dicit nos *ſore omnium miſerrimos*: quaſi deterior ſit ſors hominis Chriſtiani, quam impii? nam omnia promiſcue accidunt bonis & malis, inquit Solomo. *Eccleſ. 9.*
Reſpondeo, obnoxios quidem perinde eſſe communibus ærumnis univerſos mortales, ſive boni ſint, *verſ. 2.*
ſive mali: & communiter ſentire eadem incommoda & caſ-

& eaſdem miſerias: ſed duæ ſunt rationes cur omnibus ſeculis pejus habeant Chriſtiani. una etiam fuit propria ætati Pauli. Prima eſt, quod Dominus utcunque frequenter impios etiam caſtiget ſuis flagellis, ſuaque adverſus eos judicia exercere incipiat: ſpecialiter tamen ſuos variis modis affligit. primo, quia quos diligit, caſtigat: deinde, ut eos erudiat ad patientiam, ut obedientiam probet, ut paulatim cruce
Jere. 25. ipſos ad veram renovationem præparet. Quicquid
verſ. 29. ſit, impletur tamen ſemper illud in fidelibus, Tem-
1 Petr. 4. pus eſt ut judicium incipiat à domo Dei. Item, Æſti-
verſ. 17. mati ſumus tanquam oves mactationi deſtinatæ.
Pſal. 44. Item, Mortui eſtis: & vita veſtra abſcondita eſt cum
verſ. 20. Chriſto in Deo. interea lautior eſt ut plurimum im-
Coloſſ. 3. piorum fortuna, quia Dominus eos inſtar porcorum
verſ. 3.
ſaginat in diem occiſionis. Secunda ratio eſt, quod fideles etiamſi divitiis & bonis omne genus abundant, non tamen luxuriantur, neque ſe ingurgitant ſecuri: denique non fruuntur mundo, ut infideles: ſed ſolliciti incedunt, ingemiſcentes aſſidue, partim infirmitatis ſuæ conſcientia, partim futuræ vitæ deſiderio. Infideles autem in eo ſunt toti, ut ſe inebrient præſentibus deliciis. Tertia, quam dixi fuiſſe propriam Apoſtoli ſeculo: quod tunc nomen Chriſtianorum adeo exoſum infameque erat, ut nemo dare tunc Chriſto nomen potuarit, qui non præſenti mortis periculo caput objiceret. Ergo non abs re dicit omnium fore miſerrimos Chriſtianos, ſi eorum fiducia in mundo incluſa foret.

20. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis: primitiæ eorum qui dormierunt, fuit.

21. Quandoquidem enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum.

22. Quemadmodum enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

23. Unuſquiſque autem in proprio ordine. Primitiæ Chriſtus, deinde qui Chriſti erunt, in adventu ipſius.

24. Poſtea finis, quum tradiderit regnum Deo & Patri, quum aboleverit omnem principatum, & omnem poteſtatem, & virtutem.

25. Oportet enim ipſum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos.

26. Noviſſimus deſtruetur hoſtis mors.

27. Omnia enim ſubjecit ſub pedes ejus. quum omnia dixerit, clarum eſt quod omnia ſint ſubjecta, præter eum qui omnia illi ſubjecit.

28. Quum autem ſubjecerit illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur ei, qui omnia illi ſubjecit, ut ſit Deus omnia in omnibus.

20. *Nunc autem reſurrexit.*] Poſtquam oſtendit quanta rerum omnium confuſio ſequutura ſit, ſi negemus reſurgere mortuos: nunc iterum pro certo ſumit quod ſuperius abunde probaverat, Chriſtum reſurrexiſſe: & addit eum eſſe primitias, ſimilitudine (ut apparet) à veteri ritu Legis ſumpta. Nam quemadmodum in primitiis, totius anni proventus conſecrabatur, ita vis reſurrectionis Chriſti ad nos omnes diffunditur. niſi malis ſimplicius accipere, delibatum in ipſo fuiſſe primum fructum reſurrectionis. Ego tamen magis probo hoc ſenſu dictum, quod reliqui mortui eum ſequentur, quemadmodum tota meſſis primitias: atque hoc confirmat proxima ſententia.

21. *Quandoquidem per hominem mors.*] Probandum eſt Chriſtum eſſe primitias, non autem ſolum fuiſſe excitatum à mortuis. Probat à contrariis: quia mors non eſt à natura, ſed ab hominis peccato. ſicut ergo Adam non ſibi ſoli mortuus eſt, ſed nobis omnibus: ita ſequitur, neque Chriſtum, qui eſt antitypus, ſibi tantum reſurrexiſſe. Venit enim ut omnia inſtauraret quæ in Adam peſſundata erant. Notanda autem eſt vis argumenti: quia non ſimilitudine pugnat, neque exemplo, ſed nititur contrariis cauſis ad probandos contrarios effectus. Cauſa mortis eſt Adam, & nos in ipſo morimur: ergo Chriſtus, cujus officium eſt nobis reſtituere quæ in Adam perdidimus, nobis vitæ cauſa eſt: ejuſque reſurrectio, hypoſtaſis & pignus eſt noſtræ. Et ſicut ille mortis principium: ita hic vitæ. Quinto capite ad Romanos eandem comparationem exequitur: ſed hoc diſcrimen eſt, quod illic de vita & morte ſpirituali diſputat: hic autem agit de reſurrectione carnis, quæ ſpiritualis vitæ fructus eſt.

23. *Unuſquiſque in proprio ordine.*] Occupatio eſt quæſtionis. Si vita Chriſti, dixiſſet quiſpiam, noſtram ſecum trahit, cur non hoc apparet? at quum è ſepulchro ſurrexerit Chriſtus, nos illic putreſcimus. Reſponſio Pauli eſt, quod Deus alium ordinem conſtituerit. ſatis ergo ſit nobis, quod nunc in Chriſto habemus primitias: nobis autem adventus ejus, tempus erit ad reſurgendum. Adhuc enim abſconditam eſſe vitam noſtram cum eo oportet, quia nondum apparuit: eſſet ergo præpoſterum, diem illum revelationis Chriſti velle antevertere.

24. *Poſtea finis, quum tradiderit.*] Impatientiæ hominum frenum injecit, quum denunciavit, opportunum novæ vitæ tempus non fore ante Chriſti adventum. Sed quia mundus hic inſtar maris eſt proceloſi, in quo aſſidue jactamur, tam incerta vel potius turbulenta conditio noſtra eſt, tam ſubitæ rerum omnium converſiones, poſſet hoc infirmos turbare: ideo nunc ad diem illum revocat, dicens omnia conſtitutum iri. Tunc ergo finis, id eſt, meta curſus noſtri, quietus portus, conditio nullis amplius mutationibus obnoxia. & ſimul finem illum expectandum admonet, quia non eſt conſentaneum, in medio ſtadio nos coronari. qualiter autem traditurus ſit Patri regnum Chriſtus, paulo poſt dicetur. Quod dicit, *Deo & Patri*, duplicem poteſt habere ſenſum: ut Deus Pater vocetur Deus & pater Chriſti: vel ut nomen Patris additum ſit explicandi cauſa. Et copula hoc modo valebit Scilicet: quod ad prius ſpectat, non eſt abſurdum neque inſolitum, Chriſtum humanæ naturæ reſpectu, ſubjectum eſſe Deo. *Quum aboleverit omnem principatum.* Aliqui de poteſtatibus accipiunt, quæ ſint ipſi Chriſto adverſæ. Reſpiciunt enim quod proxime ſequitur, *Donec poſuerit inimicos.* Verum membrum hoc ſuperiori reſpondet, ubi dixerat, Chriſtum non ante traditurum. quare non eſt quod præſentem ſententiam ita reſtringamus. Generaliter igitur interpretor, & poteſtates legitimas à Deoque ordinatas comprehendo.
Primum quod habetur apud Prophetas, de obſcura- *Jeſa.* 13.
tione ſolis & lunæ, ut ſolus Deus emineat, tametſi *verſ.* 10.
ſub Chriſti regno impleri cœpit, non tamen ante ul- *Eze.* 23.
timum diem prorſus implendum eſt: ſed tunc *verſ.* 7.
omnem altitudinem ceſſare oportebit, ut reſplendeat

ſola Dei gloria. Deinde ſcimus omnes principatus & honores terrenos pertinere ad conſervationem vitæ præſentis tantum, ideoque eſſe partem mundi: hinc ſequitur eſſe temporales. Ergo ſicuti finem accipiet mundus: ita & politia, & magiſtratus, & leges, & diſtinctiones ordinum, & gradus diggitatum, & quicquid tale eſt: non differet amplius ſervus à domino, non rex à plebeio, neque à privato magiſtratus. Quin etiam tum in cælo principatus Angelici, tum in Eccleſia ceſſabunt mioiſteria & præfecturæ: ut ſolus Deus per ſeipſum, non per hominum vel Angelorum manus poteſtatem ſuam principatumque exerceat. manebunt quidem Angeli, manebit etiam illis ſua excellentia: fulgebunt etiam juſti, quiſque pro gratiæ ſuæ menſura. ſed Angelis abdicabitur principatus, quem nunc Dei nomine mandatoque exercent: deſinent Epiſcopi, Doctores, & Prophetæ, perſonam hanc ſuſtinere, & munus quo nunc funguntur, deponent. *Principatus* & *Poteſtas* & *Virtus* non multum hoc loco differunt: ſed conjuncta ſunt hæc tria nomina ad explicationem magis expreſſam.

25. *Oportet enim ipſum regnare.*] Probat nondum adeſſe tempus, quo tradat Chriſtus regnum Patri: ut eadem opera doceat, nondum adeſſe finem illum, quo omnia in juſtum & tranquillum ſtatum reponantur, quia Chriſtus nondum omnes hoſtes ſuos ſubegit. oportet autem id fieri, quia Pater hac conditione eum ad dextram ſuam collocavit, ne imperio quod accepit, ante decedat quam illis in poteſtatem redactis. Atque hoc in piorum conſolationem dictum eſt, ne tardiorem reſurrectionis adventum impatienter ferant. Locus hic habetur in Pſalm. 110. v. 1. Sed videtur argutius ludere Paulus in voce *donec*, quam ſimplex nativuſque ſenſus requirat. non enim quid poſtea futurum ſit, illic Spiritus denunciat: ſed tantum quid ante oporteat fieri. Reſpondeo, Paulum non ideo concludere, Chriſtum redditurum Patri regnum, qoia ita prædictum ſit in Pſalmo: ſed teſtimonio Pſalmi in hunc tantum finem uſus eſt, ut probaret, nondum veniſſe illum diem tradendi regni, quia adhuc negotium eſt Chriſto cum ſuis hoſtibus. Cæterum Paulus obiter exponit quid ſit, Chriſtum ad dexteram Patris ſedere, quum ejus metaphoricæ loquutionis vice ponit ſimplex verbum Regnandi.

26. *Noviſſimus hoſtis mors.*] Videmus adhuc multos hoſtes adverſari Chriſto, & contumaciter obſiſtere regno ejus. mors autem erit ultimus hoſtis qui deſtruetur: ergo Chriſtum regni Paterni adminiſtratorem adhuc eſſe oportet. Bono igitur animo ſint fideles, neque in ſpe deficiant, donec impleantur omnia quæ reſurrectionem debent præcedere. Quæritur autem qualiter mortem ultimo loco deſtruendam dicat, quæ jam deſtructa eſt Chriſti morte: vel ſaltem reſurrectiono, quæ victoria eſt mortis, & vitæ acquiſitio. Reſpondeo, ita deſtructam eſſe, ne ſit amplius lethalis fidelibus: ſed non ita quin moleſtiam illis exhibeat. Spiritus quidem Dei in nobis habitans, vita eſt: geſtamus tamen adhuc mortale corpus. Exhaurietur olim mortis materia in nobis, nondum tamen exhauſta eſt. renati ſumos ex ſemine incorruptibili: ſed nondum ad perfectionem devenimus. vel ut ſimili breviter rem comprehendamus, gladios mortis, qui penetrare in corda uſque poterat, retuſus eſt: vulnerat nihilominus adhuc, ſed citra periculum. morimur enim, ſed moriendo tranſimus in vitam. Denique ſicut de peccato alibi
Rom. 6. verſ. 10. docet Paulus, ita de morte ſentiendum eſt, quod habitet quidem in nobis, at non dominetur.

27. *Omnia ſubjecit &c.*] Putant deſumptum eſſe teſtimonium ex Pſalm. 8. v. 7. neque mihi diſplicet: tametſi minime erit incommodum ſi dixerimus ſententiam eſſe à Paulo collectam ex natura regni Chriſti. verum quod receptius eſt ſequamur. Paulus ex Pſalmo oſtendit, Deum Patrem Chriſto detuliſſe poteſtatem omnium: quia dicatur, Omnia ſubjeciſti ſub pedes ejus. Verba per ſe clara ſunt, niſi obſtarent duæ difficultates: quod illic Propheta non de uno Chriſto, ſed de univerſo hominum genere loquitur: deinde quod per Omnia nonniſi ea deſignat quæ ad uſum corporalis vitæ ſpectant, quemadmodum habetur Geneſ. 2. v. 19. Prioris facilis eſt ſolutio: quum enim ſit Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, & hæres univerſorum, Deus Pater non ita conceſſit generi humano uſum omnium creaturarum, quin penes Chriſtum interea præcipua poteſtas, & quaſi directum dominium maneat. Deinde ſcimus, Adam jus quod illi collatum fuerat, perdidiſſe, ut nihil amplius poſſimus vocare noſtrum. Maledicta enim fuit terra & quicquid in ea continetur: per ſolum autem Chriſtum recuperamus quod nobis ademptum fuerat. merito igitur in Chriſti perſonam elogium iſtud proprie competit, quod omnia poſuerit Pater ſub pedibus ejus: quandoquidem nihil niſi in ipſo, jure poſſidemus. unde enim nobis Dei hæreditas, niſi filii ſimus? filii autem per quem efficimur, niſi per Chriſtum? Secundæ difficultatis hæc ſit ſolutio, Prophetam quidem nominatim exprimere volucres cæli, piſces maris, & pecora terræ, quia hoc dominii genus viſibile ſit, & magis pateat oculis: tamen generalem ſententiam longius extendi; ad cælum & terram ſcilicet, & quicquid in illis continetur. Jam ſubjectio congruenter habere debet cum perſona dominantis: hoc eſt, analogiam habet ad ejus conditionem, ut illi reſpondeat. Chriſtus autem non iodiget animalibus ad eſum, neque aliis creaturis ad ullam neceſſitatem: dominatur ergo, ut omnia ſerviant ejus gloriæ. quia nos conſortes adoptat ſui dominii, fructus palam apparet in viſibilibus creaturis: ſed fideles interiorem in ſuis conſcientiis fructum ſentiunt, qui latius patet, quemadmodum dixi. *Omnia ſubjecta, præter eum qui ſubjecit.* Duobus inſiſtit: omnia debere redigi in obſequium Chriſti, antequam imperium mundi Patri reſtituat: & Patrem ſic omnia filio dediſſe in manum, ut ſibi primarium jus retinuerit. Ex priore ſequitur, nondum ultimi judicii horam eſſe: ex ſecundo, Chriſtum ita nunc eſſe medium inter nos & Patrem, ut nos ad eum tandem adducat. Ideo mox infert, poſtquam omnia illi ſubjecerit, tunc Filius ipſe ſubjiciet ſe Patri: acſi diceret, Æquo animo expectemus donec Chriſtus omnium hoſtium ſuorum victor ſecum nos ſub Dei imperium reducat, ut numeris omnibus Dei regnum impleatur in nobis. Verum hoic ſententiæ in ſpeciem repugnat quod paſſim legitur in Scripturis de æternitate regni Chriſti.
Quomodo enim hæc convenient, Regni ejus non Luc. 1:33.
erit finis: &, Ipſe quoque ſubjicietur? Hujus quæſtionis explicatio Pauli ſenſum clarius aperiet. Primo notandum eſt, omnem poteſtatem Chriſto fuiſſe traditam, qnatenus manifeſtatus fuit in carne. non conveniret quidem nudo homini tanta majeſtas: ſed
tamen in eadem natura in qua humiliatus fuit, Pater Philip. 2.
eum exaltavit, & dedit illi nomen, coram quo flev. 9, 10.
ctatur omne genu, &c. Deinde notandum eſt, ſic conſtitutum eſſe Dominum & ſummum Regem, ut in gubernando mundo ſit tanquam Patris vicarius: non quod ipſe in actione ſit, otioſo Patre: (quomodo enim id fieret, quum Patris ſit ſapieotia & conſilium, quum unius ſit cum ipſo eſſentiæ, adeoque idem Deus?) ſed ideo teſtatur Scriptura, Chriſtum nunc vice Patris, cæli & terræ imperium obtinere: ne quem alium gubernatorem, dominum, tutorem, judicemve mortuorum & vivorum cogitemus: ſed defixi ſimus in ſolo ejus intuitu. Deum quidem agnoſcimus rectorem, ſed in facie hominis Chriſti. tunc autem reſtituet Chriſtus quod accepit regnum, ut perfecte adhæreamus Deo. neque hoc modo regnum à ſe abdicabit, ſed ab humanitate

ſua

ſua ad glorioſam divinitatem quodammodo traducet: quia tunc patebit acceſſus, quo nunc infirmitas noſtra nos arcet. Sic ergo Chriſtus ſubjicietur Patri: quia tunc remoto velo, palam cernemus Deum in ſua majeſtate regnantem: neque amplius media erit Chriſti humanitas quæ nos ab ulteriore Dei conſpectu cohibeat.

28. *Ut ſit Deus omnia in omnibus.*] An etiam in diabolo & impiis? minime: niſi forte verbum Eſſe, libeat accipere pro Agnoſci & aperte conſpici. ac tunc quidem erit ſenſus, Nunc quod diabolus reluctatur Deo, quod impii ordinem ab eo inſtitutum confundunt & permiſcent, quod infinita ſcandala oculis noſtris obverſantur, non liquido apparet Deum in omnibus eſſe omnia: ſed ubi Chriſtus judicium exequutus ſibi à Patre mandatum, Satanam & impios omnes ſtraverit, in ipſorum exitio gloria Dei erit conſpicua. Idem poteſt dici etiam de poteſtatibus ſanctis & legitimis in ſuo genere. Impediunt enim quodammodo ne Deus in ſeipſo nobis recta nunc appareat. Deus autem per ſeipſum tunc & abſque medio, cæli & terræ gubernacula tenens, omnia erit in hac parte: & tandem conſequenter in omnibus, non tantum perſonis, ſed etiam creaturis. Hic ſenſus pius eſt: & quia ſatis apte quadrat Apoſtoli propoſitu, libenter eum amplector. ſed neque erit incommodum, de ſolis fidelibus accipi, in quibus regnum ſuum nunc inchoavit Deus, tunc perficiet: atque ita, ut illi penitus adhæreant. Uterque ſenſus ſatis per ſe refutat impia quorundam deliramenta, quibus probandis hunc locum prætexunt. Alii imaginantur, ideo fore Deum omnia in omnibus, quia omnia evaneſcant, aut ſolvantur in nihilum. at Pauli verba nihil ſonant quam omnia ad Deum, tanquam ad unicum ſuum principium & finem, reducenda eſſe, ut illi devinciantur. Alii diabolum & impios omnes ſalvos fore, inde inferunt. quaſi vero non totus Deus magis innoteſcat in diaboli exitio, quam ſi diabolum ſibi adjungeret, & faceret unum ſecum. Videmus ergo quam impudenter ejuſmodi furioſi hoc Pauli dictum ad ſtabiliendas ſuas blaſphemias torqueant.

29. Quid alioqui facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? quid etiam baptizantur pro mortuis?
30. Quid etiam nos periclitamur omni hora?
31. Quotidie morior per noſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.
32. Si ſecundum hominem pugnavi ad beſtias Epheſi, quid mihi prodeſt? Edamus & bibamus: cras enim moriemur.
33. Ne erretis, Mores honeſtos corrumpunt mala colloquia.
34. Evigilate juſte, & ne peccetis. ignorantiam enim Dei quidam habent: ad pudorem vobis incutiendum dico.

29. *Quid alioqui facient.*] Rurſus abſurda commemorat quæ errorem illum ſequuntur, quo laborabant Corinthii. Cœperat id facere ſtatim ab initio, ſed doctrinam inſeruit & conſolationem, quibus paululum interrupit diſputationis contextum, ad quem nunc redit. Primo objicit, inutilem fore Baptiſmum quem ſuſcipiunt qui jam habentur pro mortuis, ſi nulla ſit reſurrectio. antequam locum hunc exponam, operæpretium eſt refellere vulgatam expoſitionem quæ veterum auctoritate nititur, & omnium fere conſenſu recepta eſt. Putant ergo Chryſoſtomus & Ambroſius, quos alii ſequuntur, Corinthios, ubi quempiam ſubita mors Baptiſmo privaſſet, ſolitos fuiſſe aliquem ſupponere mortui loco, qui ad ſepulchrum ejus baptizaretur. atque hunc morem non negant perverſum plenumque ſuperſtitioſis fuiſſe: ſed Paulum ad redarguendos Corinthios hoc ſolo fuiſſe contentum, quod reſurrectionem, quam negabant, interea ſe credere profiterentur. Ego vero, ut hoc credam, nullo modo adducor: neque enim credibile eſt, qui reſurrectionem negabant, eos ſimul cum aliis uſurpaſſe ejuſmodi ritum. Statim ergo audiſſet Paulus, Quid nos anili ſuperſtitione urges, quæ nec tibi quidem probatur? deinde ſi fuiſſent uſi, prompta erat reſponſio, Si hactenus factum errore id fuit, corrigatur potius error quam ad probationem maximæ rei valeat. Verum ut concedam validum fuiſſe argumentum: an tamen putamus ſi talis corruptela invaluiſſet apud Corinthios, Apoſtolum, quum ſingula prope eorum vitia taxaverit, de hoc fuiſſe taciturum? Superius ritus quoſdam reprehendit, non adeo magni momenti: de velandis mulierum capitibus, & aliis ejus generis præcipere non gravatus eſt: vitioſam Cœnæ adminiſtrationem non reprehendit tantum, ſed acerrime exagitavit: an de tam fœda Baptiſmi profanatione nullum interea verbum dixiſſet, quæ tamen gravitate præponderabat? Invectus eſt magna vehementia in eos qui Gentilium convivia frequentando, eorum ſuperſtitiones tacite approbarent: an paſſus fuiſſet nefandam Gentilium ſuperſtitionem in Eccleſia ipſa ſub ſacri Baptiſmi nomine palam graſſari? Sed demus potuiſſe ſubticere: quid dum eam nominat? Obſecro, an veriſimile eſt, ſacrilegium quo Baptiſmus inquinaretur ac traheretur in abuſum prorſus magicum, Apoſtolum protuliſſe vice argumenti, & non uno ſaltem verbo notaſſe vitium? Quum de rebus non maximis agitur, parentheſin tamen inſerit, Se loqui ſecundum hominem: an hic parentheſi non erat aptior locus & opportunior? nunc quod ſine ulla reprehenſione commemorat, quis non accipiat tanquam licitum? Ego certe non de tali Baptiſmi corruptela, ſed de recto uſu mentionem hic fieri interpretor. Nunc ſenſum quæramus. Aliquando putavi univerſalem Baptiſmi finem deſignatum hic fuiſſe à Paulo (neque enim Baptiſmi utilitas hac vita continetur) ſed quum poſtea accuratius verba expenderem, animadverti Paulum hic aliquid ſpeciale attingere. Non enim de omnibus loquitur, quum dicit, Quid facient qui baptizantur? Deinde non amo argutas interpretationes, quæ non perinde ſint ſolidæ. Quid ergo? Baptizari pro mortuis dico, qui jam mortui cenſeantur, & qui de vita omnino deſperaverint. atque ita particula ὑπὲρ, valebit Latinum Pro, ut quum dicimus, Habere pro derelicto: quæ ſignificatio non eſt coacta. Vel ſi magis placeat altera ſignificatio, Baptizari pro mortuis, erit ſic baptizari, ut mortuis, non vivis proſit. Scitur autem, ſtatim ab initio Eccleſiæ, eos qui catechumeni adhuc, in morbum inciderant, ſi imminebat certum mortis periculum, Baptiſmum ſolitos fuiſſe petere, ne ante migrarent ex hoc mundo, quam nomen Chriſto dediſſent: idque ut ſecum ferrent ſalutis ſuæ obſignationem. poſtea hic quoque ſuperſtitionem interveniſſe, apparet ex Patrum ſcriptis: quia in eos invehuntur qui Baptiſmum differebant uſque ad mortem, quo ſemel expiati omnibus peccatis, venirent in judicium Dei. Craſſus ſane error, qui partim ex magna inſcitia, partim ex hypocriſi manabat. Sed Paulus morem hic tantum attin-

git ſanctum, & conſentaneum Domini inſtitutioni: nempe quod ſi catechumenus qui jam aoimo Chriſtianam fidem amplexus erat, cernebat mortem ſibi præſentem imminere, partim conſolationis ſuæ cauſa, partim in fratrum ædificationem, Baptiſmum petebat. Eſt enim non parva conſolatio, teſtimonium ſalutis geſtare in corpore ſuo obſignatum. Eſt etiam non omirtenda ædificatio, fidei ſuæ confeſſionem edere. Illi ergo pro mortuis baptizantur: quia ipſis nihil erat profuturum in hoc mundo, adeoque cauſa petendi tunc Baptiſmi erat vitæ deſperatio. Nunc videmus Paulum non fruſtra interrogare quid facturi ſiot, ſi poſt mortem nihil ſpei reſtat. Hic quoque locus indicio eſt, impoſtores illos qui fidem Corinthiorum turbaverant, allegoricam reſurrectionem fuiſſe commentos: ut poſtrema fidelium meta eſſet in hoc mundo. Quod ſecundo repetit, *Quid etiam baptizantur pro mortuis?* plus habet vehementiæ: quaſi diceret, Non tantum baptizantur qui adhuc victuros ſe putant, ſed qui mortem habent ante oculos: idque ut Baptiſmi ſui fructum in morte ferant.

30. *Quid etiam nos.*] Si in hoc mundo eſt reſurrectio & ultima felicitas: cur inde ſponte cedimus, mortemque volunrariam ſubimus? Poſſet etiam ita reſolvi argumentum, Fruſtra periclitaremur ſingulis horis, niſi melior vita nos maneret poſt mortem oppetitam. Loquitur autem de voluotariis periculis, quibus capita ſua objiciunt fideles pro confeſſione Chriſti. Hæc (inquam) animi altitudo in contemnenda morte temeritati magis quam conſiantiæ tribueretur, ſi perirent ſancti in morte. diabolicus enim furor eſt, famæ immortalitatrm morte emere.

31. *Quotidie morior.*] In ſeipſo talem mortis contemptum prædicat, ne videatur extra teli jactum fortis eſſe. Ego, inquit, obſideor aſſiduis mortibus quotidie. quantæ inſaniæ foret, tantam miſeriam mibi accerſere, niſi repoſitum mihi eſſet in cælo præmium? imo ſi gloria mea & beatitudo in mundo jacet: cur non potius fruor, quam ſponte abjicio? Dicit ſe mori quotidie, quod tantis periculis aſſidue premeretur, ut mors illi quodammodo inſtaret. qualis etiam loquutio eſt in Pſal. 44. v. 23. & qualem habebimus in poſteriore Epiſtola. *Per noſtram gloriam.* Vetus translatio habet Propter, ſed manifeſta librariorum inſcitia: nam in Græca particula nulla eſt ambiguitas. Eſt ergo juſjurandum, quo voluit erigere Corintbios, ut attentiores eſſent ad ipſum audiendum in re præſenti differentem. acſi diceret, Fratres, non ſum Philoſophus aliquis in umbra garriens. Quum ego quotidie morti me expono, neceſſe eſt de cæleſti vita ſerio cogitare: credite igitur homini penitus exercitato. Et forma jurisjurandi non communis, ſed præſenti argumento conveniens: quale erat nobile illud juſjurandum Demoſtbenis, quod citat Fabius, quum per eorum manes juraret, qui mortem in pugna Marathonica oppetierant: volebat autem alios ad tuendam rempublicam cohortari. Ita hic Paulus jurat per gloriam Cbriſtianorum, quam in Chriſto habent: ea autem in cælo eſt. Ergo quod illi controvertebant, tam certum eſſe ſibi oſtendit, ut ad ſanctam aſſeverationem valeat. quod artificium diligenter notandum eſt.

32. *Si ſecundum hominem.*] Exemplum mortis inſigne profert: unde pateat ipſum pluſquam deſipuiſſe, niſi vita potior nos à morte excipiat. erat enim genus mortis infame, cui expoſitus fuit. Quorſum, inquit, pertinebat me infamiam ſimul cum crudeliſſima morte adire, ſi ſpes meæ incluſæ in boc mundo eſſent? Secundum hominem, hoc loco ſignificat, humanæ vitæ reſpectu, ita ut nobis conſtet præmium in hoc mundo. Pugnabant autem ad beſtias, non qui feris objiciebantur, ſicuti Eraſmus falſo exiſtimavit; ſed qui damnati erant, ut commiſſi in certamen cum beſtiis, populo ſpectaculum exhiberent. Fueruot ergo duæ pœnarum ſpecies prorſus diverſæ, beſtiis objici & pugnare ad beſtias. Nam beſtiis objecti, protinus laniabaotur: qui autem ad beſtias pugnabant, armati in arenam prodibant: ut ſi robore & animo & agilitate valebant, poſſent evadere confectis beſtiis. Quin etiam ludus erat in quo inſtituebantur beſtiarii, quemadmodum gladiatores: pauciſſimi tamen evadere ſolebant: quia qui beſtiam unam confecerat, repoſcebatur ad ſecundam, donec ſatiata eſſet ſpectatorum crudelitas, imo in miſericordiam verſa. & tamen reperiebantur tam perditi deſperatique homines, qui ad id operas ſuas locarent. Atque illa eſt venatio (ut obiter boc dicam) quæ tam ſevere punitur antiquis Canonibus: ſicut etiam leges Civiles eam infamiæ nota puniunt. Redeo ad Paulum: videmus quo Deus ſervum ſuum venire paſſus ſit, & quam mirabiliter eum quoque eripuerit. Cæterum hujus pugnæ nulla mentio fit apud Lucam: unde colligere licet, multa perpeſſum fuiſſe quæ memoriæ mandara non ſunt. *Edamus & bibamus.* Vox eſt Epicureorum, qui ſummum hominis bonum præſenti voluptate metiuntur. Vocem quoque eſſe profligatorum hominum teſtatur Jeſaias, quibus dum exitium minantur Prophetæ Dei, ut eos ad pœnitentiam revocent, minas ludibrio habentes, ad protervium effrenemque lætitiam ſe invitant: & quo apertius ſuam contumaciam declarent, Quando nobis moriendum eſt (aiunt) fruamur interea tempore, neque nos ante tempus inani metu torqueamus. Quod autem ille exercitui dicebat, Commilitones, prandeamus alacri animo, nam hodie apud inferos cœnabimus: cohortatio erat ad mortem intrepide oppetendam, quæ huc nihil pertinet. Exiſtimo Paulum vulgare inter bomines perditos ac proſtitutæ nequitiæ dicterium uſurpaſſe: vel (ut brevius dicam) vulgare Epicureorum proverbium: ut concluderet, Si mors eſt interitus hominis, nihil eſſe ſatius quam ſecure deliciari, quamdiu vita ſuppetit. quales ſententiæ identidem apud Horatium recurrunt.

33. *Ne erretis, Mores boneſtos.*] Quia nihil proclivius eſt quam ſpecie inquirendi delabi ad profanas ſpeculationes: occurrit huic periculo, admonens, ſermones malos plus habere efficaciæ quam putemus, ad mentes noſtras inquinandas, & mores corrumpendos. Ad id utitur teſtimonio Menandri poëtæ: quemadmodum undique mutuari nobis licet quicquid à Deo eſt profectum. Quum autem omnis veritas à Deo ſit, non dubium quin Dominus in os poſuerit etiam impiis quæcunque veram & ſalutarem doctrinam continent. ſed hujus argumenti tractationem peti malo ex oratione Baſilii ad juvenes. Quoniam ergo Paulus hoc tritum apud Græcos proverbium noverat, maluit eo uti, quo citius penetraret in animos, quam ſuis verbis idem exprimere. Facilius enim illis erat id recipere, cui aſſueverant: quod nos ipſi experimur in proverbiis nobis uſitatis. Eſt autem ſententia obſervatu in primis digna: quia Satan, ubi non poteſt recta nos impetere, hoc colore deludit, Non eſſe malum, inveſtigandæ veritatis cauſa, quaslibet diſputationes nos movere. Hic ergo Paulus ex oppoſito reclamat, tanquam à præſentaneo veneno cavendum eſſe à malis ſermonibus, qui in animos occulte influentes, totam vitam mox corrumpunt. Notemus ergo, nihil eſſe peſtilentius mala doctrina & profanis diſputationibus quæ à recta ſimplicique fide nos vel minimum deducunt. non enim fruſtra hortatur Paulus, ne erremus.

34. *Evigilate juſte.*] Quia videbat Corintbios nimia ſecuritate quodammodo ebrios, torporem illis excutit: ſed addito adverbio, ſignificat qualiter velit eos expergiſci. Erant enim ad ſua negotia ſatis attenti & perſpicaces: quin etiam non dubium eſt quin ſibi placuerint in ſuo acumine: ſed interim ſocordes erant ubi maxime vigilare decuerat. ideo dicit,

Juſte expergiſcimini, hoc eſt, ingenium veſtrum ſtudiumque ad res bonas & ſanctas convertite. Et addit cauſam: Quia quidam, inquit, ex vobis Deum ignorant. Neceſſe fuit hoc dici, alioqui admonitionem ſupervacuam eſſe duxiſſent. ſibi enim videbantur mire ſapientes. Arguit autem eos ignorantiæ Dei, ut ſciant ſibi defuiſſe quod erat præcipuum. Admonitio utilis erga eos qui totam ſuam agilitatem per aërem volitando conſumunt, interea non cernunt quod eſt ante pedes, ac ſtupidi ſunt ubi maxime perſpicaces eſſe oportuerat. *Ad pudorem.* Nempe, qualiter patres filiis peccata exprobrando, eos pudefaciunt, ut pudore pudorem tegant. Quum autem prius negaret ſe illis pudorem velle incutere, ſenſus erat, nolle hoſtiliter & odioſe in medium proferendo eorum crimina, ipſos dedecori exponere. Sed interea utile fuit aſperius eos corripi, quum ſibi adhuc in tantis malis delicias facerent. Paulus vero ignorantiam Dei illis exprobrans, omni prorſus honore eos ſpoliat.

35. Sed dicet quiſpiam, Quomodo ſuſcitabuntur mortui? quali autem corpore venient?

36. Demens, tu quod ſeminas, non vivificatur niſi mortuum fuerit.

37. Et quod ſeminas, non corpus quod naſcetur ſeminas, ſed nudum granum, exempli gratia, tritici, aut alterius generis:

38. Deus autem illi dat corpus quemadmodum voluerit, & unicuique ſeminum proprium corpus.

39. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia caro hominum, alia vero caro pecudum, alia volucrum, alia piſcium.

40. Sunt & corpora cæleſtia, ſunt corpora terreſtria: quin etiam alia cæleſtium gloria, alia terreſtrium.

41. Alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria ſtellarum: ſtella à ſtella differt in gloria:

42. Sic & reſurrectio mortuorum.

43. Seminatur in corruptione, reſurgit in incorruptione: ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia:

44. Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. eſt corpus animale, eſt & corpus ſpirituale.

Gen. 2. 45. Quemadmodum & ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo Adam in animam vi-
verſ. 7. ventem, ultimus Adam in Spiritum vivificantem.

46. Sed non primum quod ſpirituale eſt: ſed animale, deinde ſpirituale.

47. Primus homo ex terra terrenus: ſecundus homo, Dominus è cælo.

48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.

49. Et quemadmodum portavimus imaginem terreni, portabimus & imaginem cæleſtis.

50. Hoc autem dico, fratres, quod caro & ſanguis regnum Dei hæreditate poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptionem hæreditate poſſidebit.

35. *Quomodo ſuſcitabuntur*] Nihil ab humana ratione magis abhorret, quam hic fidei articulus. quis enim, niſi ſolus Deus, perſuadeat corpora quæ nunc corruptioni ſubjecta ſunt, ubi computruerint, aut igni conſumpta fuerint, aut à beſtiis diſcerpta, non modo in integrum, ſed in naturam longe meliorem reſtitutum iri? nonne ſenſus omnes protinus id tanquam fabuloſum, imo abſurdiſſimum reſpuunt? Hanc abſurditatis ſpeciem ut diluat Paulus, utitur anthypophora, hoc eſt, objicit in adverſa perſona quod doctrinæ reſurrectionis contrarium prima facie videtur. Neque enim interrogatio iſta quærentis eſt modum cum dubitatione: ſed ab impoſſibili arguentis, incredibile eſſe quod de reſurrectione dicitur. ideo quum reſpondet, aſperius repellit talem objectionem. Notemus ergo, hic eos loquentes introduci qui fidem reſurrectionis cum ſubſannatione eludere volunt hoc argumento, quia res ſit impoſſibilis.

36. *Demens, tu quod ſeminas.*] Poterat excipere Apoſtolus, modum qui nobis incomprehenſibilis eſt, eſſe nihilominus Deo facilem: proinde hic non eſſe ex ſenſu noſtro judicandum. ſed tribuendum ſtupendæ & arcanæ Dei potentiæ hunc honorem, ut credamus effecturam quod non capimus: ſed alia ratione agit: tantum enim abeſſe docet ut naturæ adverſetur reſurrectio, ut ſpecimen ejus luculentum nobis quotidie in ipſo naturæ curſu appareat, in fructuum proventu. nam fructus quos è terra metimus, unde niſi ex putredine naſcuntur? Semente enim facta, niſi grana emoriantur, nihil proveniet. Ergo quum generationis principium & cauſa ſit corruptio: in eo habemus quandam reſurrectionis imaginem. Sequitur ergo, nimium nos malignos eſſe & ingratos in æſtimanda Dei potentia, ſi illi detrahimus quod jam ante oculos noſtros patet.

37. *Non corpus quod naſcetur, ſeminas.*] Duæ ſunt partes in hac ſimilitudine: quod mirum non ſit ex putredine reſurgere corpora, quum idem in ſemente contingat: deinde quod non ſit à ratione diſſentaneum corpora noſtra renovari in aliam qualitatem, quum ex nudo grano tot ſpicas Deus producat veſtitas mirabili artificio, & melioris ſucci granis refertas. ſed quia ſic loquendo viſus fuiſſet innuere, ex uno igitur corpore multa exoritura: aliter orationem temperat, quod Deus corpus formet quale vult, ſignificans illic quoque eſſe diſcrimen in qualitate. Addit, Unicuique ſemini proprium corpus: qua particula reſtringit quod dixerat de corpore alio. negat enim ita diverſum eſſe corpus, quin ſpeciem tamen ſuam retineat.

39. *Non omnis caro*, &c.] Altera ſimilitudo in eundem finem ſpectans: utcunque alii ſecus exponant. Quod enim dicit, tam hominis corpus quam pecudis, Carnis nomine contineri, & tamen aliam atque aliam eſſe carnem: eo ſignificat, unam quidem eſſe ſubſtantiam, diſcrimen vero in qualitate. Summa eſt, quicquid diverſitatis cernimus in quaque ſpecie, quoddam eſſe reſurrectionis præludium: quia Deus palam oſtendit, ſibi non eſſe difficile corpora noſtra renovare, præſentem ſtatum mutando.

41. *Alia gloria Solis, alia Lunæ.*] Non modo inter cæleſtia & terreſtria corpora diſcrimen eſt: ſed ne cæleſtibus quidem omnibus æqualis eſt gloria.

Sol enim Lunam præcellit, & reliquæ ſtellæ inter ſe differunt. hæc igitur diſſimilitudo in reſurrectione mortuorum apparet: verum in applicatione, vulgo erratur. putant enim Paulum dicere voluiſſe, à reſurrectione diverſos fore honoris & gloriæ ſanctis gradus: quod quidem veriſſimum eſt, aliiſque Scripturæ teſtimoniis probatur: ſed nihil ad Pauli mentem. Non enim diſputat qualis futura ſit conditionis differentia inter ſanctos, poſt reſurrectionem: ſed quid nunc differant corpora noſtra ab iis quæ olim recipiemus. Removet ergo abſurditatis opinionem hoc ſimili: Solis & Lunæ una eſt ſubſtantia, dignitatis & excellentiæ magnum diſcrimen. Quid ergo mirum, ſi corpus noſtrum excellentiorem qualitatem induat? acſi diceret, Nihil in reſurrectione futurum doceo quod non ſubjectum ſit jam omnium oculis. talem eſſe ſenſum verborum, patet ex contextu. Unde enim & quorſum tranſiliret Paulus, ſi nunc in ſtatu diverſo alios cum aliis conferret: quum hactenus ſtatum præſentem omnium ſimul cum futuro comparaverit, & in ea comparatione mox pergat?

43. *Seminatur in corruptione.*] Ne quid dubitationis maneat, Paulus ſe exponit, diſcrimen explicando præſentis ſtatus, ab eo qui reſurrectionem ſequetur. Qualis eſſet orationis congruentia, ſi prius voluiſſet diſtinguere inter gradus futuræ ſanctorum gloriæ? Non igitur dubium eſt quin hactenus unum argumentum proſequutus ſit. nunc ad primam ſimilitudinem, qua uſus fuerat, revertitur: ſed ad ſuum inſtitutum propius accommodat: aut ſi mavis, illam ſimilitudinem retinens, præſentis vitæ tempus metaphorice ſationi comparat, reſurrectionem vero meſſi. Et nunc quidem corpus noſtrum mortalitati & ignominiæ ſubjectum eſſe dicit, tunc fore glorioſum & incorruptibile. Ad Philippenſes aliis verbis,
Philip. 3. verſ. 21. Transfigurabit Chriſtus corpus noſtrum humile, ut ſimile reddat corpori ſuo glorioſo.

44. *Seminatur corpus animale.*] Quia ſingulas partes enumeratione exprimere non poterat, ſummam uno verbo complectitur, corpus nunc animale eſſe dicens, tunc futurum ſpirituale. Porro vocatur *animale*, quod ab anima: *ſpirituale*, quod à Spiritu informatur. Nunc anima eſt quæ corpus vivificat, ne ſit mortuum cadaver: ergo ab ea jure denominationem ſumit. Poſt reſurrectionem vero præſtantior erit vis illa vivifica, quam à Spiritu accipiet. Semper autem meminerimus quod ante viſum eſt, unam eſſe ſubſtantiam corporis: ac tantum hic agi de qualitate. Præſens corporis qualitas vocetur, docendi gratia, animatio: futura vocetur inſpiratio. Nam quod anima nunc corpus vivificat, id fit multis adminiculis intercedentibus: indigemus enim potu, cibo, veſtitu, ſomno, & aliis ſimilibus: unde convincitur animationis infirmitas. Energia autem Spiritus ad vivificandum multo erit plenior, ideoque exempta ejuſmodi neceſſitatibus. Hæc ſimplex eſt ac genuina mens Apoſtoli: ne quis longius philoſophando in aëre vagetur. quemadmodum faciunt qui ſubſtantiam corporis putant fore ſpiritualem: quum nulla hic fiat mentio ſubſtantiæ, nec ulla futura ſit ejus mutatio.

45. *Quemadmodum ſcriptum eſt, Factus eſt.*] Ne videatur novum figmentum de corpore animali, citat Scripturam, quæ dicit Adam fuiſſe factum in animam viventem: quo ſignificat, corpus ejus informatum fuiſſe ab anima, ut fieret homo vivus. Quæritur de vocabulo Animæ quid hic ſignificet. Conſtat vocem Hebraicam נפש, qua uſus eſt Moſes, varie accipi: ſed eo loco vel pro motu vitali, vel pro ipſa vita eſſentiali capitur. atque hoc quidem ſecundum mihi magis placet. Video de pecudibus idem prædicari, quod factæ ſint in animam viventem. ſed quum anima cujuſque animantis cenſeri debeat ſecundum genus ſuum: nihil impedit quominus ſit omnibus communis anima, id eſt, motus vitalis, & aliquid tamen inſit peculiare & proprium hominis animæ, nempe immortalis eſſentia, ſicut lux intelligentiæ & ratio. *Ultimus Adam.* Hoc nuſquam ſcriptum legitur. ergo quod dixit, *Scriptum eſt*, de priore tantum membro debet intelligi: ſed poſt adductum Scripturæ teſtimonium, nunc Apoſtolus in ſua perſona Chriſtum Adæ opponere incipit. acſi diceret, Refert Moſes Adam fuiſſe donatum anima vivente: at Chriſtus Spiritu vivifico præditus eſt: longe autem eſt majus, eſſe vitam aut vitæ cauſam, quam vivere. Cæterum notandum eſt, Chriſtum fuiſſe quoque inſtar noſtri in animam viventem: ſed præter animam, fuit etiam effuſus in eum Spiritus Domini, cujus virtute reſurgeret ipſe à mortuis, & alios ſuſcitaret. Hoc ideo notandum, ne quis putet, Spiritum in Chriſto fuiſſe loco animæ quod olim putavit Apollinaris. Et alioqui hujus loci interpretatio ex cap. 8. ad Romanos ſumi poteſt: ubi concionatur Apoſtolus, corpus quidem mortuum eſſe propter peccatum, & nos geſtare in nobis mortis materiam: ſed Spiritum Chriſti, qui eum excitavit à mortuis, in nobis quoque habitare: & illum eſſe vitam, ut nos quoque excitet aliquando à mortuis. Hinc vides, nos habere animas viventes, quatenus homines ſumus: ſed perfuſos eſſe vivifico Chriſti Spiritu, per gratiam regenerationis. In ſumma, hoc vult Paulus, conditionem quam per Chriſtum conſequimur, longe potiorem eſſe quam fuerit ſors primi hominis: quia Adæ collata fuerit ſuo & poſterorum nomine, anima vivens: Chriſtus autem nobis attulerit Spiritum, qui vita eſt. Quod autem Chriſtum vocat noviſſimum Adam, hæc ratio eſt: quod ſicuti in primo homine conditum fuerat humanum genus, ita in Chriſto inſtauratum fuit. dicam iterum, & facilius, In primo homine conditi fuerunt omnes homines: quia quicquid omnibus dare volebat Deus, in illum unum contulerat: ita ut in ejus perſona conſtitura eſſet humana conditio. Ille caſu ſuo perdidit & ſe & ſuos: quia ſecum omnes in eandem traxit ruinam. venit Chriſtus, qui naturam noſtram ex ruina erectam, in ſtatum meliorem reſtitueret. Sunt igitur tanquam duo principia, vel duæ radices generis humani. quare non immerito ille primus, hic ultimus vocatur. Sed hoc phreneticis nihil ſuffragatur, qui ex unoquoque noſtrûm Chriſtum faciunt, acſi duo tantum homines eſſent & ſemper fuiſſent: hæc autem quam cernimus multitudo, inane eſſet ſpectrum. Similis comparatio habetur Rom. 5. v. 12.

46. *Sed non primum quod ſpirituale.*] Neceſſe eſt, inquit, nos priuſquam reparemur in Chriſto, originem ab Adam trahere, & illi eſſe ſimiles. quare ne miremur ſi incipimus ab anima vivente: ſicut enim ordine prius eſt naſci quam renaſci, ita vivere quam reſurgere.

47. *Primus Adam ex terra.*] Præcedit vitalis anima, quia homo terrenus prior eſt: ſequetur ſpiritualis vita, ſicuti Chriſtus homo cæleſtis, poſterior fuit Adamo. Porro hoc loco abuſi ſunt Manichæi, quum probare vellent Chriſtum è cælo attuliſſe corpus in uterum Virginis. ſed Paulum hic loqui de corporis ſubſtantia falſo putarunt, quum potius de habitu vel qualitate diſſerat. Tametſi ergo habuit animam primus homo immortalem, & minime ex terra ſumptam; ſapiebat tamen terram, ex qua ortum fuerat corpus, & in qua collocatus erat ad vivendum: Chriſtus autem è cælo Spiritum vivificum nobis attulit, quo nos regeneret in vitam meliorem & terra ſubliminorem. Denique ab Adam habemus ut vivamus in hoc mundo, tanquam rami à radice: Chriſtus autem principium nobis & auctor eſt cæleſtis vitæ. Sed excipiet quiſpiam, Adam dicitur è terra, Chriſtus è cælo. hoc poſtulat relationis natura, ut corpus à cælo Chriſtus habeat, quemadmodum corpus Adæ ex terra formatum fuit: vel certe, ut origo animæ hominis

minis fuerit ex terra, anima autem Chriſti è cælo profecta ſit. Reſpondeo, Paulum non adeo ſubtiliter & minutim ſingula membra inter ſe contuliſſe: (neque enim neceſſe erat) ſed quum de natura Chriſti & Adæ diſſereret, obiter alluſiſſe ad creationem Adæ, quod è terra fictus fuerit, & ſimul ad commendandam Chriſti virtutem commemoraſſe ipſum eſſe Filium Dei, qui è cælo ad nos deſcenderit: ac ideo naturam vimque cæleſtem referat. hic ſimplex eſt ſenſus. Manichæorum autem argutia, mera calumnia eſt. Sed reſpondendum ad aliam rurſum objectionem: Chriſtus enim quamdiu verſatus eſt in mundo, communem nobiſcum vitam, ideoque terrenam, vixit: ergo impropria oppoſitio. Solutio hujus quæſtionis valebit adhuc ad refellendum Manichæorum commentum. Scimus enim corpus Chriſti morti fuiſſe obnoxium: neque eſſentiali proprietate (ut loquuntur) ſed ſola Dei providentia fuiſſe à corruptione exemptum. Ergo Chriſtus non tantum quod ad corporis eſſentiam, terrenus fuit: ſed etiam ad tempus, terrenæ fuit conditionis. nam priuſquam vis Chriſti ſe exereret ad cæleſtem vitam conferendam, ipſum mori oportuit in carnis infirmitate. In reſurrectione autem primum hæc cæleſtis vita apparuit, ut nos quoque vivificet.

49. *Quemadmodum portavimus.*] Putarunt quidam, hic eſſe exhortationem ad piam & ſanctam vitam, ad quam Paulus digreſſus fuerit: & ideo verbum futuri temporis in hortativum modum tranſtulerunt. imo in quibuſdam Græcis codicibus legitur φορέσωμεν. ſed quum id minus apte cohæreat, ſequamur potius quod præſenti inſtituto & contextui reſpondet. Notemus primo, non eſſe exhortationem, ſed puram doctrinam: neque hic agi de vitæ novitate, ſed perpetuum eſſe filum orationis de reſurrectione carnis. Itaque iſte erit ſenſus, Quemadmodum animalis natura, quæ in nobis præcedit, imago eſt Adæ: ita in cæleſti natura fore nos Chriſto conformes. atque hoc complementum erit reparationis noſtræ. nunc enim incipimus portare imaginem Chriſti, & in dies magis ac magis in eam transformamur: ſed ea imago in regeneratione ſpirituali conſiſtit. Tunc autem ad plenum inſtaurabitur, tam in corpore quam in anima: & perficietur quod nunc inchoatum eſt, adeoque re ipſa obtinebimus quod adhuc ſperamus. Quod ſi cui tamen placeat diverſa lectio, valebit hoc ad pungendos Corinthios, in quibus ſi viguiſſet ſinceræ pietatis & novæ vitæ meditatio, ſpem cæleſtis gloriæ ſimul accendere poterat.

50. *Hoc autem dico.*] Hæc particula ſignificat, quod ſequitur, eſſe exegeſin ſuperioris ſententiæ: acſi diceret, Quod dixi de portanda cæleſtis Adæ imagine, hunc habet ſenſum, Nos oportere corporibus renovari, quoniam non poſſint corpora noſtra, ut ſunt obnoxia corruptioni, regnum Dei incorruptibile poſſidere. Non ergo aliter patebit in regnum Chriſti ingreſſus, quam ſi nos ad imaginem ſuam reformaverit Chriſtus. Cæterum carnem & ſanguinem intellige qua nunc conditione ſunt: caro enim noſtra particeps erit gloriæ Dei, ſed innovata & vivificata à Chriſti Spiritu.

51. Ecce, myſterium vobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.

52. In puncto temporis, in nictu oculi, cum extrema tuba. canet enim tuba, & mortui reſurgent incorruptibiles, & nos immutabimur.

53. Oportet enim corruptibile hoc induere immortalitatem.

54. Quum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc in-
Oſea 13. verſ. 14. duerit immortalitatem: tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoriam.

55. Ubi, mors, tuus aculeus: Ubi tua, inferne, victoria?

56. Aculeus autem mortis, peccatum eſt: virtus autem peccati, Lex.

57. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

58. Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles ſitis, immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, cognito quod labor veſter non ſit inanis in Domino.

Hactenus duo complexus eſt in ſua diſputatione: primo, reſurrectionem mortuorum fore oſtendit: ſecundo, qualis ſit futura. ſed nunc penitus in deſcriptionem modi ingreditur, quam appellat *myſterium*, quod nullo adhuc oraculo tam clare explicata fuerat: ſed ideo hoc facit, ut ipſos reddat attentiores. Hinc enim vires ſumpſerat impium illud dogma, quod ſecure & oſcitanter, tanquam de re ſibi minus ardua, diſputabant. Ergo Myſterii nomine eos admonet, ut diſcant rem non modo adhuc ſibi incognitam, ſed quæ in cæleſtibus Dei arcanis cenſeri debeat.

51. *Non omnes quidem dormiemus.*] Hic Græci codices non variant, ſed Latinis tres ſunt diverſæ lectiones. una, Omnes quidem moriemur, ſed non omnes immutabimur. ſecunda, Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. tertia, Non omnes quidem dormiemus, ſed omnes immutabimur. Quam varietatem inde proveniſſe conjicio, quod vera lectione offenſi quidam parum acuti lectores, ſupponere auſi ſunt quod magis probabant. Abſurdum enim prima facie videbatur, non omnes morituros: quum alibi legatur, Statutum eſſe univerſis hominibus ſemel mori. (Hebr. 9. verſ. 27.) Verterunt ergo ſenſum, Non omnes immutandos, tametſi reſurgent vel morientur omnes: & immutationem interpretantur, gloriam quam adipiſcentur ſoli filii Dei. Verum germana lectio ex contextu judicari poteſt. Pauli conſilium eſt explicare quod dixerat, nos Chriſto futuros conformes, quia non poſſint caro & ſanguis regnum Dei poſſidere. Occurrebat quæſtio, Quid ergo iis fiet qui ſuperſtites erunt uſque ad diem Domini? Reſpondet, etiamſi non moriantur, omnes tamen innovatum iri, ut mortalitas & corruptio aboleatur. Notandum eſt autem, eum de ſolis fidelibus loqui. tametſi enim impiorum reſurrectio etiam immutatio erit: tamen quia non fit hic ulla eorum mentio, referamus ad ſolos electos quicquid dicitur. Videmus nunc quam bene hæc ſententia cum ſuperiori conveniat. nam quia dixerat, nos portaturos imaginem Chriſti, nunc id fore declarat, quum immutabimur, ut abſorbeatur mortalitas à vita: neque huic innovationi obſtare, quod deprehendet Chriſti adventus aliquos ſuperſtites. Verum ſolvendus eſt nodus ille, omnibus conſtitutum eſſe mori: nempe ita non difficulter ſolvitur, quum mutatio fieri nequeat quin aboleatur prior natura, ipſam merito cenſeri ſpeciem mortis: ſed quum non ſit animæ à corpore ſolutio, non reputari in morte ordinaria. Erit igitur mors, quia erit corruptibilis naturæ interitus. non erit dormitio, quia anima non migrabit à corpore: ſed erit ſubitus tranſitus à natura corruptibili in beatam immortalitatem.

52. *In puncto temporis.*] Hoc adhuc generale eſt:

hoc eſt, omnes comprehendit. Immutatio enim in omnibus ſubita & momentanea, quia ſubitus erit Chriſti adventus. Et pro Momento deinde ponit *oculi nictum* vel *ictum*: nam apud Græcos duplex eſt lectio, ῥιπῇ vel ῥοπῇ: quanquam ad ſenſum nihil refert. Elegit Paulus motum corporis qui alios omnes celeritate ſuperat: oculi enim agitatione nihil agilius: quanquam ſimul ad dormitionem alluſit, cui nictus opponitur. *Cum extrema tuba.* Tametſi repetitio videtur confirmare, tubam hic proprie accipi: mihi tamen magis placet, metaphoricam eſſe loquutionem. Ad Theſſal. 4. v. 16. vocem Archangeli & tubam Dei conjungit. Quemadmodum ergo clangore tubæ exercitum imperator ad prælium vocat: ita Chriſtus ſonoro præconio quod per totum mundum exaudietur, mortuos omnes citabit. Refert
Exod. 19. Moſes quales in promulgatione Legis, & quanti
verſ. 16. ſonitus editi fuerint: longe tunc alia erit concuſſio, quum non populus unus, ſed totus orbis ad Dei tribunal citandus erit: neque vivi duntaxat convocandi, ſed mortui quoque evocandi ex ſepulchris: imo aridis oſſibus & pulveri imperandum, ut recepta priſtina forma receptoque ſpiritu, mox in Chriſti conſpectum vivi homines prodeant. *Mortui reſurgent.* Quod generaliter pronunciaverat de omnibus, nunc diſtincte explicat de vivis & mortuis. Hæc igitur partitio nihil aliud eſt, quam expoſitio illius ſententiæ, Non omnes morituros, ſed omnes immutatum iri. Qui jam mortui fuerint, inquit, reſurgent incorruptibiles: en tibi in mortuis immutatio. Qui ſuperſtites erunt, inquit, ipſi quoque immutabuntur: habes utroſque. Itaque nunc vides ut immutatio futura ſit communis omnium: dormitio autem nequaquam. Quum autem dicit, *Nos immutabimur*, in eorum numero ſe comprehendit qui victuri ſunt ad Chriſti adventum: quoniam jam erant poſtrema tempora, expectandus ſanctis fuit dies ille in ſingulas horas. Quanquam ad Theſſalonicenſes memorabile illud vaticinium edit de futura diſſipatione Eccleſiæ, antequam adveniat Chriſtus: ſed illud non obſtat quin tanquam in rem præſentem adducens Corinthios, ſe & illos adjungere iis potuerit qui tunc ſuperſtites futuri erant.

53. *Oportet enim corruptibile.*] En quomodo victuri ſimus in regno Dei, tam corpore quam anima: & tamen caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nequeant: nam liberabuntur prius à corruptione. Natura igitur noſtra, ut nunc corruptibilis & mortalis eſt, regni Dei capax non eſt: ſed ubi corruptione exuta, & incorruptione ornata fuerit, tunc eo perveniet. Atque hic locus palam confirmat, nos in hac eadem quam geſtamus, carne reſurrecturos, cui novam qualitatem tanquam veſtimentum attribuit. Si dixiſſet, Oportet corruptibile hoc innovari, fanaticis hominibus, qui novis corporibus donandos eſſe fingunt homines, non tam aperte nec valide excuſſus fuiſſet error: nunc vero ubi corruptibile hoc gloria veſtiendum pronunciat, nullus cavillo ſupereſt locus.

54. *Tunc fiet ſermo.*] Non tantum ἐπιφώνημα eſt, ſed etiam confirmatio proximæ ſententiæ: nam quod prædictum eſt à Prophetis, impleri oportet. hoc autem vaticinium non ante implebitur, quam corpora noſtra, depoſita corruptione, incorruptionem receperint. ergo hoc poſtremum quoque neceſſarium eſt. Fieri autem hic, pro in totum perfici accipitur. nunc enim inchoatum eſt in nobis quod citat Paulus, & quotidie etiam fieri perſeverat: ſed juſtum complementum non habebit, niſi in ultimo die. Porro non conſtat ſatis liquido, unde hoc teſtimonium deſumpſerit, quod multæ ſententiæ in Prophetis occurrunt quæ huc reſpiciant: niſi quod veriſimilius eſt, prius membrum vel ex capite Jeſaiæ 25. verſ. 8. fuiſſe deſumptum, ubi dicitur, Mortem à Domino fuiſſe in perpetuum deſtructam: vel (quod pleriſque fere omnibus magis placet) ex Oſeæ cap. 13. verſ. 14. ubi Propheta obſtinatam Iſraëlis malitiam deplorans, conqueritur fuiſſe ſimilem fœtui abortivo, qui adverſus matris parturientis nixus reluctatur, ne ex utero prodeat: & hinc concludit, per eum duntaxat ſtetiſſe quominus à morte liberaretur. De poteſtate inferni, inquit, redimam eos, à morte eruam eos. Parum autem refert, in futuro ne indicativi modi, an in ſubjunctivo legas iſta verba. Utroque enim modo huc recidit ſenſus, Deum ad conferendam illis ſalutem paratum fuiſſe, ſi benefieri ſibi paſſi eſſent: ideo ipſorum eſſe culpam quod pereant. Subjungit deinde, Ero exitium tuum ô mors, exciſio tua ô inferne. His verbis ſignificat Deus, tunc ſe demum ſervare ſuos fideles, quum mors & infernus in nihilum rediguntur. Nemo enim negabit, eo loco deſcriptionem eſſe perfectæ ſalutis. Quum ergo talem mortis interitum nondum cernamus: ſequitur, necdum plena ſalute nos potiri, quam Deus populo ſuo promittit: & ideo in illum diem differri. Tunc ergo mors abſorbebitur, id eſt, in nihilum redigetur, ut omni ex parte omnibuſque (ut aiunt) numeris conſtet nobis adverſus ipſam victoria. Quod ad ſecundum membrum pertinet, ubi inſultat morti & inferno, incertum eſt à ſeipſo ne loquatur, an illic quoque Prophetæ verba citare voluerit. Nam pro eo quod vertimus, Ero exitium tuum ô mors, exciſio tua inferne, Græci tranſtulerunt, Ubi actio tua ô mors, ubi aculeus tuus inferne? Tametſi autem excuſabilis eſt Græcorum error propter vocum affinitatem: ſi quis tamen contextum diligenter expendat, videbit eos procul à mente Prophetæ receſſiſſe. Ille ergo verus eſt ſenſus, quod Dominus mortem interficiet, infernumque deſtruet. Fieri tamen poteſt, quia vulgo recepta erat Græca translatio, ut Paulus ad eam alluſerit: ac in eo nihil eſt abſurdi. quanquam ne ad verbum quidem retulit: quia pro Victoria poſuit, Cauſam vel actionem. Ego certe ita ſentio: non hic ex profeſſo voluiſſe Prophetam citare teſtem, ut ejus auctoritate abuteretur: ſed tantum ſententiam communi uſu receptam, quum alioqui pia foret, ad ſuum inſtitutum obiter accommodaſſe. Hoc præcipuum eſt, ut ſciamus Paulum tam animoſa exclamatione voluiſſe erigere Corinthiorum animos, tanquam adductos in præſentem reſurrectionis conſpectum. Tametſi autem nondum oculis cernimus victoriam, nec dies triumphi adhuc advenit, quin potius ſubeunda ſunt quotidie belli diſcrimina: nihil tamen inde minuitur fiduciæ certitudo, ut mox dicetur.

56. *Aculeus mortis, peccatum.*] Hoc eſt, mors telum, quo nos vulneret, nullum habet præter peccatum: ſiquidem mors ab ira Dei eſt. non iraſcitur autem Deus niſi peccatis: ergo tolle peccatum, & nulla erit amplius mortis noxa. Idem cum eo quod Rom. 6. v. 23. dixit, ſtipendium peccati eſſe mortem. ſed hic alia metaphora utitur: nam peccatum comparat aculeo, quo ſolo mors armatur ad lethalem punctionem nobis infligendam: eo ſublato mors exarmata eſt, ne amplius noceat. quorſum autem hoc dicat Paulus, mox oſtendet. *Virtus peccati, Lex.* Lex Dei eſt quæ iſti aculeo vim exitialem miniſtrat: quia ſcilicet reatum non oſtendit modo, ſed etiam auget. Hujus dicti interpretatio clarior ex cap. 7. v. 9. ad Rom. petenda eſt, ubi Paulus vivere nos docet, quamdiu Lege caremus: quia opinione noſtra bene habemus, neque ſentimus noſtram miſeriam, donec ad Dei judicium Lex nos citat, & conſcientiam noſtram vulnerat mortis æternæ ſenſu: deinde peccatum ſopitum eſſe quodammodo, ſed à Lege inflammari, ut furioſius inſoleſcat. Interea tamen Legem vindicat à calumniis: quia ſancta ſit & bona & juſta: neque per ſe vel peccatum generet, vel cauſa ſit mortis. Proinde concludit, quicquid eſt mali, nobis

eſſe

eſſe imputandum: quia ex naturæ noſtræ pravitate manare liqueat. Lex igitur occaſione nocet: propria exitii cauſa eſt in nobis: ideo vocat hic Legem, peccati vim aut potentiam; quia Dei judicium exequatur in nobis. Interea non negat quin peccatum etiam iis qui Legem ignorant, mortem infligat: ſed quia minus impotenter in illis tyrannidem ſuam exercet. Lex enim venit ut peccatum abundaret: vel ut gravius fieret peccans.

57. *Sed Deo gratia.*] Hinc patet quorſum & peccati & Legis fecerit mentionem, quum de morte agebatur. Mors aculeum quo pungat non habet, niſi peccatum: & huic aculeo Lex vim mortiferam addit. Chriſtus autem peccatum vicit: & vincendo peperit nobis victoriam, noſque à Legis maledictione redemit: ſequitur ergo, nos amplius mortis imperio non ſubjacere. Tametſi ergo nondum plena iſtorum bonorum revelatio nobis conſtat, ſecure tamen jam gloriari licet, quia in membris compleri neceſſe eſt quod eſt in capite completum. Inſultare morti licet tanquam ſubactæ, quia Chriſti victoria noſtra eſt. Quum ergo dicit, *Datam eſſe nobis victoriam*, intellige primum, quia Chriſtus in ſua perſona peccatum aboleverit, ſatisfecerit Legi, maledictionem ſuſtulerit, placaverit iram Dei, vitam acquiſierit: deinde quia jam iſtorum bonorum omnium cœperit nos facere participes. Nam etſi adhuc circumferimus reliquias peccati, non tamen regnat in nobis. tametſi adhuc nos pungit, non tamen lethaliter: quia retuſum eſt ejus acumen, ne in animæ vitalia penetret. tametſi adhuc minatur Lex, ex oppoſito tamen adeſt nobis libertas per Chriſtum parta, quæ ejus terroribus medetur. tametſi adhuc habitant in nobis carnis reliquiæ, Spiritus tamen qui Chriſtum excitavit à mortuis, vita eſt propter juſtitiam. Sequitur concluſio.

58. *Itaque fratres mei.*] Poſtquam ſatis ſibi viſus eſt probaſſe reſurrectionis fidem, nunc diſputationem exhortatione claudit. quod multo plus habet vehementiæ, quam ſi ſimplici epilogo cum aſſertione uſus foret. Quum labor veſter, inquit, non ſit inutilis in Domino, ſtabiles eſtote, & abundare in bonis operibus. inutilem porro laborem non eſſe, ideo dicit, quia mercedem habeat apud Deum repoſitam. Hæc ſpes una eſt quæ primum animat fideles: deinde ſuſtinet ne deficiant in curſu. Proinde jubet eos ſtabiles permanere, quia firmo fundamento fulciantur, dum ſciunt meliorem vitam ſibi in cælo paratam eſſe. Addit, *Abundantes in opere Domini:* nam ſpes reſurrectionis facit ne defatigemur bene agendo. ſicuti ad Col. cap. 1. v. 10. Quis enim inter tot offendicula quæ nobis aſſidue occurrunt, non deſpondeat animum, vel extra viam abducatur, niſi de meliore vita cogitans, in timore Dei hoc modo retineatur? Ex adverſo autem ſignificat, ſublata ſpe reſurrectionis, quaſi evulſo fundamento, ruere totum pietatis ædificium. Certe ſpe præmii remota & extincta non frigeſcet tantum, ſed concidet currendi alacritas.

CAP. XVI.

CÆterum de collecta quæ fit in ſanctos, quemadmodum ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.

2. In una ſabbathorum unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, theſaurizans quod ſucceſſerit: ne quum venero, tunc collectæ fiant.

3. Ubi autem adfuero, quos probaveritis per epiſtolas, eos mittam, ut perferant beneficentiam veſtram in Jeruſalem.

4. Quod ſi fuerit operæpretium me quoque proficiſci, mecum proficiſcentur.

5. Veniam autem ad vos quum Macedoniam tranſiero: Macedoniam enim pertranſiturus ſum.

6. Apud vos autem forte permanebo, aut etiam hybernabo, ut vos me deducatis quocunque proficiſcar.

7. Nolo enim vos nunc in tranſcurſu videre: ſed ſpero me ad aliquod tempus manſurum apud vos, ſi Dominus permiſerit.

Act. 11. verſ. 28. 1. *Cæterum* &c.] Refert Lucas, vaticinium Agabi, quo famem ſub Claudio Cæſare futuram prædixerat, occaſionem dediſſe ſanctis colligendi eleemoſynas, quibus fratres Jeroſolymitanos juvarent. Quanquam enim malum hoc univerſo fere orbi commune denunciaverat Propheta: quia tamen majore inopia premebantur Jeroſolymis quam omnes Gentium Eccleſiæ, niſi vellent nimiæ ingratitudinis damnari, ſubvenire debebant loco unde Euangelium acceperant. hinc factum eſt ut ſinguli ſuiipſorum obliti, de ſublevanda Jeroſolyma cogitarent. Magna autem egeſtate laboratum fuiſſe Jeroſolymis, apparet ex Epiſtola ad Galatas, ubi recitat Paulus, ſibi hoc fuiſſe ab Apoſtolis commendatum, ut Gentes ad opem ferendam incitaret. nunquam autem tale mandatum dediſſent Apoſtoli, niſi coacti neceſſitate. Porro hic locus teſtis eſt, verum eſſe quod illic quoque teſtatur Paulus, ſibi curæ fuiſſe Gentes hortari ut ejuſmodi neceſſitati ſubvenirent. Cæterum ſubveniendi modum nunc præſcribit: cui ut facilius accedant Corinthii, jam à ſe traditum Galatiæ Eccleſiis commemorat. debebant enim exemplo moveri: quia natura refugere ſolemus quod nondum eſt uſitatum. Sequitur autem modus, quo remoras omnes & impedimenta abſcindere voluit. *Gal. 2:10.*

2. *In una ſabbathorum.*] Finis eſt, ut in tempore paratas habeant eleemoſynas. itaque jubet eos non expectare ſuum adventum: quia quicquid ſubito fit ac tumultuarie, minus recte fit: ſed ſabbathis conferre quod viſum fuerit, ac prout cujuſque fuerit facultas: hoc eſt, eo die quo ſacros conventus agebant. Particulam hanc κατὰ μίαν σαββάτων, exponit Chryſoſtomus, Primo ſabbatho: cui ego non aſſentior. potius enim ſignificat Paulus, ut conferant hic uno ſabbatho, alius alio: aut etiam ſinguli unoquoque ſabbatho ſi voluerint. Commoditatem enim reſpicit primum: deinde quod ſacer conventus, ubi celebratur ſanctorum communio, addere illis calcar poterat. Nihilo magis recipio, quod idem Chryſoſtomus ſabbathum pro die Dominico poſitum exiſtimat: nam veriſimilius eſt, Apoſtolos diem initio retinuiſſe jam uſitatum: poſtea Judaica ſuperſtitione coactos, illo abrogato alium ſubſtituiſſe. Electus autem potiſſimum dies Dominicus, quod reſurrectio Domini finem Legis umbris attulit: itaque dies ipſe libertatis Chriſtianæ nos admonet. Cæterum ex hoc loco facile colligitur, ſemper fuiſſe certum diem fidelibus quo feriarentur: non quia in otio ſitus ſit cultus Dei: ſed quia intersit communis concordiæ, certum diem ad ſacros conventus agendos eſſe deſtinatum, quando haberi quotidie nequeunt. nam quod alibi Paulus diſcernere inter diem & diem vetat, hoc intelligi debet religionis cauſa, non autem politiæ aut ordinis externi. *Theſaurizans.* Græcum participium malui

malui retinere, quia emphaſim majorem habere mihi videbatur. Quanquam enim θησαυρίζειν, recondere ſignificat: meo tamen judicio, admonere voluit Corinthios, optimum & tutiſſimum theſaurum illis fore, quicquid in ſanctos contuliſſent. Nam ſi Ethnico Poëtæ dicere licuit, Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes: quanto magis inter nos id valere debet, qui non pendemus ab hominum gratitudine, ſed Deum habemus, qui ſe debitorem, pauperis loco ſupponit, ut cum amplo ſœnore aliquando reſtituat quicquid damus? Quare hoc verbum Pauli,
Matth. 6. verſ. 12. dicto Chriſti reſpondet, Comparate vobis theſaurum in cælis, qui neque furibus, neque tineis ſit expoſitus. *Quod ſucceſſerit.* Pro eo vetus Interpres reddiderat, Quod ei bene placuerit, vocis proculdubio ſimilitudine deceptus: Eraſmus autem, Quod commodum fuerit. Mihi neutrum ideo placuit, quod propria verbi ſignificatio ſenſum multo aptiorem offerebat: ſignificat enim proſpere ſuccedere. Proinde revocat unumquemque ad facultatis ſuæ conſiderationem, acſi diceret, Prout cuique benedixerit Deus, ita ex proventu pauperibus eroget.

3. *Ubi autem adfuero.*] Quia ad dandum ſumus alacriores, ubi certo ſcimus, bene quod damus collatum iri: modum oſtendit Corinthiis, quo certi ſint de bona ac fideli adminiſtratione: nempe ut eligant viros probatos, quibus negotium committant: quin etiam offert ipſe ſuam operam, ſi deſideretur. quod argumento eſt eum rem habere cordi.

5. *Macedoniam pertranſiturus.*] Hanc Epiſtolam Philippis miſſam fuiſſe, communis opinio fert. Illinc Corinthum venientibus terreſtri itinere, pertranſeunda eſt Macedonia: eſt enim colonia illa ſita in ultimo receſſu, verſus montes Emathios. Poterat quidem relicta terra, Paulus illuc navigio pervenire: ſed volebat inviſere Macedonicas Eccleſias, ut eas ſuo tranſitu confirmaret. hæc ex communi opinione. Mihi autem probabilius videtur, Epheſi ſcriptam fuiſſe Epiſtolam: nam illic ſe commoraturum uſque ad Pentecoſten, paulo poſt dicit. nec Philippenſium nomine, ſed Aſiaticorum ſalutat Corinthios. Præterea in altera Epiſtola evidenter dicit, ex quo Epiſtolam hanc miſerat, in Macedoniam ſe tranſiiſſe: & poſt tranſitum Macedoniæ, remotus fuiſſet ab Epheſo, Achaiæ autem vicinus. Proinde non dubito quin Epheſi tunc fuerit: inde recto itinere navigare poterat in Achaiam. Macedoniam viſenti erat longus circuitus & via moleſtior. admonet igitur ſe non recta venturum ad eos, quod per Macedoniam iter ſit facturus. Corinthiis autem plus promittit: nempe ſe moram longiorem apud eos facturum. quo ſuum erga eos amorem declarat: quæ enim moræ ratio, niſi quia de eorum ſalute erat ſollicitus? Rurſum ſignificat quam certo de mutua eorum erga ſe charitate ſit perſuaſus, dum hoc ſumit tanquam minime dubium, ſe ab illis officii cauſa deductum iri: illud enim dicit ex amicitiæ fiducia. Verum ubi dixit omnia, ſubnectit exceptionem, *Si Dominus permiſerit.* Qua moderatione conſilia ſua omnia & deliberationes concludere debent ſancti: eſt enim magnæ temeritatis, in futurum multa ſuſcipere & ſtatuere: quum ne momentum quidem in poteſtate noſtra ſit. Quanquam autem præcipuum eſt interiore animi affectu ſubjicere Deo ejuſque providentiæ quicquid conſultamus: ſimul tamen hiſce loquendi formulis aſſueſcere nos convenit: ut quoties de futuro tempore agitur, ſuſpendamus omnia à Dei voluntate.

8. Commorabor autem Epheſi uſque ad Pentecoſten.

9. Nam oſtium mihi apertum eſt magnum & efficax, & adverſarii multi.

10. Quod ſi venerit Timotheus, videte ut abſque metu ſit apud vos. opus enim Domini operatur, quemadmodum & ego.

11. Ne quis igitur eum ſpernat: ſed proſequamini eum cum pace, ut veniat ad me. expecto enim eum cum fratribus.

12. Porro de Apollo fratre, multum hortatus ſum illum ut veniret ad vos cum fratribus: & omnino non fuit voluntas nunc eundi. veniet autem quum opportunitatem nactus erit.

8. *Commorabor.*] Ex hac ſententia ſuperius ratiocinatus ſum, hanc Epiſtolam Epheſo potius miſſam fuiſſe quam Philippis. Eſt enim probabile, Apoſtolum de loco in quo tunc erat, loqui: non autem quo venturus erat per longas ambages. deinde pertranſeunti Macedoniam, neceſſe fuiſſet Corinthum jam propinquam relinquere, & mare trajicere, ut Epheſum veniret. Manſurum ergo Epheſi ſe prædicit uſque ad Pentecoſten, addita ratione, ut æquiore ipſum animo expectent. Eraſmus maluit, Uſque ad diem quinquageſimum, frivolis conjecturis motus, magis quam ullo firmo argumento. Objicit, nondum fuiſſe diem Pentecoſtes qui nunc celebratur, inſtitutum apud Chriſtianos: quod illi confiteor. de ſolennitate Judaica intelligi debere negat, quia paſſim abroget atque improbet dierum ſuperſtitionem: verum non concedo illi, Paulum Epheſi diem illum celebraſſe, quod ejus ſuperſtitione teneretur: ſed quia futurus erat tunc conventus major, atque ita occaſionem ſibi oblatum iri ſperabat Euangelii propagandi. quemadmodum quum Jeroſolymam properaret, cauſam feſtinationis afferebat, ut illuc appelleret ad Pentecoſten. ſed quum alii ex Legis ritu ſe ſiſterent ad ſacrificandum, ipſe diverſum finem ſpectabat, ut in majore frequentia miniſterium ſuum foret utilius. Eſſet autem illud nimis frigidum, Paulum quinquaginta dies hic præſcribere. Et quum τὴν πεντηκοστὴν pronunciat, non niſi de certo die poteſt accipi. Porro de hoc feſto vide Levit. 23. v. 16.

9. *Nam oſtium mihi apertum eſt.*] Duas rationes affert cur Epheſi diutius hæreat: quod facultas illic ſibi detur promovendi Euangelii, & quod propter adverſariorum turbam ſua præſentia maxime requiratur. Perinde ergo eſt acſi diceret, Hic moram pauliſper trahendo, multum ſum profecturus, & Satan me abſente plurimum noceret. In priore membro metaphora utitur ſatis vulgari, quum oſtium pro occaſione ponit. Dominus enim aditum illi patefaciebat ad promovendum Euangelium. Oſtium hoc *magnum* vocat, quod multos poterat lucrifacere: vocat *efficax*, quod Dominus labori ejus benediceret, ac doctrinam ejus, Spiritus ſui potentia, redderet efficacem. Videmus ergo ut ſanctus vir ubique Chriſti gloriam ſequutus ſit, non ſuo commodo aut ſua voluptate locum elegerit: ſed hoc ſpectaverit tantum, ubi plurimum prodeſſe, & uberiore cum fructu ſervire Domino poſſet. Huc accedit, quod non modo non refugerit moleſtias, ſed ultro ſe oppoſuerit, ubi acrius ac majori difficultate pugnandum eſſe cernebat. Ideo enim manebat, quod inſtarent multi adverſarii, quorum ad ſuſtinendum impetum quo erat inſtructior, eo paratior & magis voluntarius eſſe debebat.

10. *Quod ſi venerit Timotheus.*] Loquitur perinde acſi de ejus adventu nondum eſſet certus. Commendat autem Timotheum, ut ſit apud eos in tuto: non quia immineret ejus vitæ ab ipſis periculum, ſed quia Chriſti hoſtes habiturus erat infeſtos. vult ergo

eos

eos diligenter curare ne qua illi injuria inferatur. Addit cauſam, *Quia opus Domini operatur:* unde colligimus, Eccleſiam Chriſti de conſervanda miniſtrorum vita debere eſſe ſollicitam. Et certe æquum eſt, ut quiſque majoribus gratiis pollet ad ædificationem fidelium, ſeque magis ſtrenue impendit, ita ejus vitam nobis eſſe chariorem. Particula *quemadmodum ego*, vel ad exprimendam præſtantiam eſt poſita, vel ſimpliciter ad indicandam muneris ſimilitudinem: quia uterque in verbo laboraret.

11. *Ne quis igitur eum ſpernat*] Secunda commendatio, ne ipſum ſpernant: fortaſſe quia ætate eſſet nondum provecta, quæ minus reverentiæ habere ſolet. Cavere igitur voluit ne quid obſtaret quominus fidelis Chriſti miniſter injuſto pretio haberetur: niſi forte hoc ipſum pro contemptu duxit Paulus, ſi ejus vita curæ non eſſet ut decebat. Sed videtur latius patere hoc præceptum, ne incognita Timothei virtute ipſum vilipenderent. Tertio præcipit ut eum in pace deducant: hoc eſt, ſalvum ab omni noxa. hic enim *pax* incolumitatem ſignificat.

12. *De Apollo fratre.*] Hic Paulo ſucceſſerat in ædificandis Corinthiis: unde ſuperius illi attribuit rigandi partes. Nunc excuſat quod non veniat cum reliquis: & ideo excuſat, ne ſuſpicentur Corinthii ab eo fuiſſe impeditum. nam quo notior erat ipſis, eo propenſiores in eum erant: & proclivis erat conjectura, id ex compoſito actum eſſe, ut propter offenſionem ad eos non accederet. Certe apud ſe quærere poterant, Cur hos potius quam Apollo nobis miſit? Reſpondet, minime per ſe ſtetiſſe, quia hortatus ſit illum: ſed venturum promittit occaſione data.

13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, robuſti eſtote.
14. Omnia veſtra in charitate fiant.
15. Hortor autem vos, fratres, noſtis domum Stephanæ, primitias eſſe Achaiæ, atque ut ſe in miniſterium ſanctorum ordinaverint:
16. Ut etiam ſubjecti ſitis talibus, & omnibus qui cooperantur & laborant.
17. Gaudeo autem de præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quia quod deerat à vobis, ipſi ſuppleverunt.
18. Refocillarunt enim ſpiritum meum & veſtrum. agnoſcite ergo tales.
19. Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos multum in Domino Aquila & Priſcilla, cum domeſtica eorum Eccleſia.
20. Salutant vos fratres omnes. Salutate vos invicem in oſculo ſancto.
21. Salutatio mea manu Pauli.
22. Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maranatha.
23. Gratia Domini Jeſu Chriſti ſit vobiſcum.
24. Dilectio mea cum vobis omnibus in Chriſto Jeſu. Amen.

Ad Corinthios prior miſſa fuit è Philippis, per Stephanum, & Fortunatum, & Andronicum, & Timotheum.

13. *Vigilate*, &c.] Brevis exhortatio, ſed magni ponderis. jubet vigilare ne Satan incautos opprimat. Sicuti enim perpetuum bellum eſt: ita perpetuæ excubiæ eſſe debent. Hæc autem vigilantia, mentis eſt: dum ſoluti & expediti à curis terrenis, meditamur quæ ſunt Dei. ſicuti enim crapula & intemperie gravatur corpus, ut nullam ad rem ſit utile: ita curæ & cupiditates mundi, ſocordia aut ſecuritas, inſtar ſpiritualis ſunt crapulæ quæ mentem obruunt. Secundum eſt ut in fide perſeverent, vel ut fidem retineant, quo ſint conſtantes: quia fundamentum eſt quo nitimur. Certum tamen eſt, perſeverandi modum oſtendi, ut firma fide in Deum recumbant. Tertio, quod affine eſt, incitat eos ad virilem fortitudinem. Et quia natura ſumus imbecilles, quarto jubet eos confirmari, vel robur colligere. Nam ubi vertimus, *Robuſti eſtote*, uno tantum verbo utitur Paulus, quod tantundem valet ac roborari.

14. *Omnia veſtra in charitate.*] Iterum repetit quæ ſit omnium operum regula, quibus inter nos communicamus. vult ergo charitatem eſſe moderatricem: quia in eo maxime peccabant Corinthii, quod ſui quiſque rationem habebat aliis neglectis.

15. *Noſtis domum Stephanæ.*] Nos uſu quotidiano experimur quam utile ſit maximam eſſe eorum auctoritatem quos Deus ornavit donis excellentioribus. Itaque ſi volumus Eccleſiæ ſaluti conſultum, ſemper hoc curemus, ut bonis honor deferatur: plurimum valeant ipſorum conſilia, illis cedant reliqui, ſeque eorum prudentia gubernari ſuſtineant. Id nunc facit Paulus quum admonet Corinthios ut domum Stephanæ (addunt quidam codices Et Fortunati) revereantur. Deus enim nobis apparet, ubi Spiritus ſui dona oſtendit. ergo niſi velimus Dei videri contemptores, ſponte nos ſubjiciamus quibuſcunque Deus ampliora dona contulit. Quo autem propenſiores ſint ad honorandum illam domum (nam alterius videtur ſuppoſititia eſſe additio hoc quidem loco) reducit illis in memoriam, eſſe primitias Achaiæ: id eſt, Stephanæ domeſticos, primos eſſe qui amplexi ſint Euangelium: non quia ſemper aliis ſit melior qui tempore præcedit: ſed ubi accedit perſeverantia, merito honor iis habetur qui fidei promptitudine viam quodammodo Euangelio straverunt. Notandum autem, eos tam honorifico titulo dignari qui ſua officia & opes fidelibus conſecraverant. Eadem ratione Fortunatum & Achaicum paulo poſt commendat, ut quo quiſque erat melior, eo majore in pretio haberetur, quo plus prodeſſe poſſet. Porro quo libentius Corinthii ad ipſos amandos inclinent, dicit vicaria eorum opera fuiſſe compenſatum quod à tota ipſorum Eccleſia deerat.

19. *Cum domeſtica eorum Eccleſia*] Magnificum eloquium, quum uni familiæ nomen Eccleſiæ tribuitur: & tamen ſic inſtitutas eſſe convenit ſingulas piorum familias, ut totidem ſint Eccleſiolæ. Quod autem Eraſmo Congregationis nomen magis placuit, alienum eſt à mente Pauli. noluit enim vulgari nomine deſignare hominum turbam, ſed honorifice de Chriſtiana œconomia loqui. Quod vero ſalutationem adſcribit Acylæ & Priſcillæ nomine, confirmat quod ſuperius notavi, Epheſi potius ſcriptam fuiſſe Epiſtolam quam Philippis. Tradit enim Lucas, Epheſi ipſos ſubſtitiſſe, quum alio Paulus diſcederet.

20. *Salutate vos invicem in oſculo.*] Mos oſculandi Judæis perquam uſitatus erat: quemadmodum patet ex Scripturis. In Græcia tametſi non adeo tritus erat ac vulgaris, non tamen erat ignotus: ſed veriſimile eſt, Paulum de ſolenni oſculo hic loqui, quo ſe in ſacro conventu ſalutabant. Facile enim crediderim, jam ab ætate Apoſtolorum, Cœnæ adminiſtrationi conjunctum oſculum fuiſſe: in cujus locum apud nationes, ab oſculandi conſuetudine non-

nihil

nihil abhorrentes, patenæ oſculum obrepſit. Utcunque ſit: quia ſymbolum mutuæ charitatis erat: non dubito quin hortari eos voluerit Paulus ad colendam inter ſe benevolentiam, oon animis tantum & neceſſariis officiis, ſed illo etiam ſymbolo: modo ſanctum eſſet: hoc eſt, oeque impudicum, neque fallax. quanquam *ſanctum* pro Sacro poteſt accipi.

22. *Si quis non amat Dominum Jeſum.*] Tribus membris conſtat Epiſtolæ clauſula. Gratiam Chriſti Corinthiis precatur: teſtimonium reddit amoris erga eos ſui: & ſeveriſſima comminatione invehitur in eos qui falſo Domini nomeo obtenderent, ipſum ex animo non diligentes. Non enim de extraneis loquitur, qui ex profeſſo oomen Chriſtianum oderant, ſed de fucis & hypocritis, qui ventris aut inanis jactantiæ cauſa turbabant Eccleſias. talibus anathema denunciat & ſimul imprecatur. Incertum eſt autem optetne illis exitium coram Deo, an exoſos fidelibus imo execrabiles eſſe velit. Quemadmodum ad Galatas 1. v. 8. Evangelii corruptorem pronuncians anathema, non ſignificat reprobatum & damnatum eſſe à Deo, ſed nobis abominandum eſſe admonet. Ego ſimpliciter oxpono, acſi dictum eſſet, Pereant & exſcindantur, quia ſunt Eccleſiæ peſtes. & ſane nihil hoc hominum genere pernicioſius, qui pietatis profeſſione ad pravos ſuos affectus abutuntur. Fontem vero hujus mali deſignat, quum eos negat Chriſtum diligere: ſincerus enim ac ſerius Chriſti amor non patietur nos offendiculum fratribus creare. Quod ſubjungit cootinuo, paulo plus habet difficultatis, *Maranatha*. Veteres fere omnes conſentiuot, Syriacas eſſe voces. Sed Hieronymus exponit, Dominus venit: alii autem, In adventu Domini: vel, Donec adveniat Dominus. Atqui nemo non videt (opinor) quam frigidum ſit ac puerile, Apoſtolum apud Græcos Syriace loqui, quum dicturus eſſet, Dominum veoiſſe. Qui traosferunt In adventu Domini, tantum divinant: neque etiam multum in ſenſu illo eſt coloris. Quanto veriſimilius eſt, formulam haoc fuiſſe Hebræis familiarem, quum anathematizare vellent? Nunquam anim exoticis linguis loquuntur Apoſtoli, niſi quum in aliena perſooa aliquid referunt: ut, Eli, Eli, lammahſabathani. item, Talitha cumi: item, Epheta: aut vocabulum uſurpant uſu communi receptum, ut Amen, Oſanna. Videamus ergo oumquid Maranatha excommunicationi congruat. Admonuit autem Bullingerus ex auctoritate Theodori Bibliandri, Chaldaica declinatione Maharamatha idem eſſe quod Hebraicum חרם: & mihi aliquando vir felicis memoriæ Wolfgangus Capito idem coofirmavit. Non eſt autem novum, Apoſtolos ſecus ſcribere has voces, quam lingua ſua pronuncientur: quod etiam ex ſuperioribus exemplis patet. Quum ergo anathemate damnaſſet Paulus eos qui Chriſtum noa diligunt: rei gravitate commotus, quaſi ſibi non ſatisfeciſſet, vocem addidit inter Judæos vulgarem, & quam adhibebant in ferenda anathematis ſententia. quemadmodum ſi Latine loquar, dicam, Ego te excommunico: quod ſi addam, Et anathema pronuncio, expreſſio erit vehementioris affectus.

Ornatiſ-

Digitized by Google

Ornatiſſimo Viro

MELCHIORI VOLMARIO RUFO JC.

JOANNES CALVINUS S.

SI me non modo negligentiæ, ſed etiam inhumanitatis accuſes, quod tamdiu nihil ego ad te literarum dederim: fateor quod excuſem vix me habere. Nam ſi prætexam, longis nos locorum ſpatiis diſtare, neminem me habuiſſe toto quinquennio qui iſtuc proficiſcererur, verum quidem erit: ſed minus infirmum fore jam ſponte agnoſco. Quamobbrem nihil melius viſum, quam compenſationem aliquam interponere, quæ ſuperioris temporis errata corrigendo, me ſemel omni culpa liberaret. En itaque tibi Commentarius in ſecundam Pauli ad Corinthios Epiſtolam, quanta potui induſtria à me elaboratus. Neque enim dubito quin tibi pro tua æquitate, juſtæ compenſationis loco futurus ſit. Quanquam aliis etiam & quidem gravioribus cauſis ad eum tibi nuncupandum ſum adductus. Primum memini, amicitiam quæ mihi aliquanrula tecum pridem inrerceſſerar, qua fide colueris arque auxeris: quam liberaliter paratus fueris te mihi officiaque tua impendere, quum teſtandi amoris erga me tui oblatam ribi occaſionem eſſe putares: quam ſedulo operam mihi tuam detuleris ad me ornandum, niſi me vocatio cui tunc eram alligatus, ea uti prohibuiſſet. Verum nihil apud me plus valuit, quam primi temporis recordatio, quo ego à patre miſſus ad diſcendum jus Civile, Græcas literas te auctore ac magiſtro Legum ſtudio permiſcui: quas runc ſumma cum laude profitebaris. Neque vero per re ſtetir quin majores facerem progreſſus: manum enim, quæ tua eſt humanitas, porrigere non recuſaſſes ad totum ſtadii decurſum, niſi me ab ipſis prope carceribus mors patris revocaſſet. Hoc tamen nomine tibi non parum debeo, quod rudimentis ſaltem abs te fui imbutus, quæ mihi majori poſtea adjumenro forent. Proinde aliter ſatisfacere mihi non potui, quam ſi ad poſteros extarer aliquod graritudinis meæ monumentum: & ſimul qualiſcunque laboris tui fructus ad te rediret. Vale. Genevæ, Calendis Auguſti. M. D. XLVI.

IN
EPISTOLAM SECUNDAM
AD
CORINTHIOS

ARGUMENTUM.

QUantum ex hujus Epiſtolæ contextu licet colligere, apparet priorem non caruiſſe aliquo profectu apud Corinrhios, ſed non profeciſſe tamen quantum par erat: deinde quoſdam improbos, contempta Pauli auctoritata, perſtitiſſe in ſua contumacia. Quod enim tam multus eſt, nunc in prædicanda ſua fide, nunc in dignitate muneris ſui aſſerenda: id indicio eſt, nondum eos fuiſſe penitus confirmatos. extitiſſe autem quoſdam quibus ludibrio fuiſſet prior Epiſtola magis quam remedium atruliſſet, ipſe claris verbis conqueritur. Ergo quum talem eſſe Eccleſiæ ſtatum apud eos intelligeret: & diſtentus aliis negotiis, tardius ad eos venturus foret quam initio propoſuerat: ſcripſit hanc Epiſtolam ex Macedonia. Nuno quem in finem ſcribendo reſpexerit, tenemus: nempe ut quod jam cœperat, perficeret, quo omnia bene conſtituta inveniret ſuo advenru.

Orditur, ſuo more, à gratulatione: agens Deo gratias quod à maximis periculis fuiſſet mirabiliter ereptus: & ſimul omnes ſuas afflictiones ac ærumnas in ipſorum bonum ac ſalutem cedere, obiter admonet: ut hoc etiam conjunctionis pignore melius eos ſibi conciliet: quum hac occaſione abuterentur improbi ad extenuandam ejus gratiam. Deinde moram advenrus ſui excuſaturus, negat ſe levitate aur inconſtantia mutaſſe conſilium: vel aliud præ ſe tuliſſe fallendi cauſa, quam in animo haberet. eundem enim tenorem ſibi in omnibus dictis conſtare, quem ipſi in doctrina experti erant. Arque hic breviter attingir quam ſtabilis firmaque fuerit prædicationis ſuæ veritas: ut quæ in Chriſto fundata fuerit, per quem omnes Dei promiſſiones fixæ ſunt ac ratæ. quod eſt præclarum Euangelii encomium. Poſtea hanc ſibi fuiſſe non veniendi cauſam teſtatur, quod non poterat ſerenum illis ſe placidumque exhibere. qua particula taxar eos qui ejus calumniandi prætexrum ex conſilii mutarione captabant. Culpam ergo transfert in Corinthios, quia nondum tunc eſſent ad eum excipiendum bene parati. Simul indicar quam paterna in ipſos indulgentia eſſet præditus, qui ab urbis eorum acceſſu ideo abſtinuerit, ne cogeretur ſeveritatem in illos ſuam exerere.

Porro ne quis objiceret, eum ſibi in ſcriptis minime interea temperaſſe quin ſevere tractaret Corinthios: vehementiam qua in priore Epiſtola uſus eſt, excuſat: alios in cauſa fuiſſe dicens, qui eo neceſſitatis ſe invitum adegerinr. hanc quidem acerbitatem ex animo benevolo fuiſſe profectam id confirmat, quod illum quoque inceſtum, cujus cauſa gravius excanduerat, (quoniam ex eo tempore aliquod reſipiſcentiæ ſignum dederat) jubet in gratiam recipi. Deinde amoris erga eos ſui hoc quoque argumentum adducit, quod inquieto fuerir animo donec per Titum de rebus eorum intellexiſſet. talis enim ſollicitudo ex amore naſcitur. Verum hic mentione injecta ſuæ in Macedoniam profectionis, de miniſterii ſui gloria diſſerere incipit. Quia tamen delicati illi Apoſtoli qui detrahere ei conabantur, ſuas laudes prædicando, facile eum viciſſent: ne quid ha-

beat cum ipſis commune, & ſimul ut refellat ſtultam eorum jactantiam, teſtatur ſe ex re ipſa commendationem ſumere, non ab hominibus mutuari. Quo loco efficaciam ſuæ prædicationis magnifice extollit, & Euangelium cum Lege comparando, Apoſtolatus ſui dignitatem amplificat: prius tamen teſtatus nihil ſe tanquam proprium ſibi arrogare, ſed quicquid eſſet, totum referre acceptum Deo. Poſtea iterum recenſat qua fide & integritate munus ſibi mandatum exequutus ſit: ubi perſtringit eos qui maligne obloquebantur. quin etiam ſancta fiducia altius evectus, pronunciat omnes à diabolo excæcatos eſſe qui Euangelii ſui ſplendorem non cernant. Jam vero quia perſonæ ſuæ humilitatem (ut erat deſpicabilis) de Apoſtolatus ſui reverentia multum minuere cernebat, commoda occupatione non ſolum tollit offendiculum hoc, ſed in contrariam partem retorquet, dicens eo clarius relucere eminentiam gratiæ Dei, quod tantus theſaurus in vaſis fictilibus proferatur. Ita quæ probri loco objicere ei ſolebant malevoli, in ſuam laudem convertit: quia tot miſeriis preſſus, ſemper tamen victor, inſtar palmæ emergat. Id tractat uſque ad dimidium quarti capitis. Quia tamen vera Chriſtianorum gloria extra mundum eſt, per contemptum præſentis vitæ, & externi hominis mortificationem, ad beatæ immortalitatis meditationem toto animi ſtudio pergendum admonet. Deinde paulo poſt initium capitis quinti, gloriatur ſe hoc affectu præditum, nihil habere aliud in votis quam ut ſuum obſequium Domino approbet: ſpemque ſibi eſſe, Corinthios ipſos ſe habiturum ſinceritatis ſuæ teſtes. At quia à vanitatis aut arrogantiæ ſuſpicione periculum erat: iterum repetit ſe malorum importunitate huc compelli: neque id ſua cauſa, quo retinendæ propriæ exiſtimationis ſit cupidus: ſed in bonum Corinthiorum, quibus utile ſit ita ſentire & perſuaſos eſſe: ſibique nihil præter eorum ſalutem curæ eſſe aſſerit. Cujus rei confirmandæ gratia univerſalem doctrinam ſubjungit, quis ſervis Chriſti propoſitus eſſe ſcopus debeat; nempe ut ſui obliti, Domino ſuo vivant. ac tandem concludit, nihili æſtimanda eſſe omnia præter vitæ novitatem: ut is ſolus habeatur in pretio qui ſeipſum abnegavit. Inde tranſitum ſibi facit ad explicandam legationis Euangelicæ ſummam: ut ejus magnitudine & excellentia hinc miniſtros, inde populum ad piam ſollicitudinem commoveat. quod facit initio ſexti capitis. Atque hic rurſum poſtquam commemoravit quam fideliter ſuas partes agat, leviter pungit Corinthios, quia ſint ipſi ſibi impedimento quominus fructum percipiant. Huic expoſtulationi continuo ſubjicit exhortationem, ut fugiant idololatriam: ex quo apparet, nondum eo perductos fuiſſe Corinthios quo volebat. Itaque merito conqueritur id accidere eorum culpa, qui tam claræ doctrinæ aures apertas non haberent. Sed ne acriter nimium teneros animos urgendo proſternat aut alienet: de ſua erga eos benevolentia iterum reddit certiores, & excuſationem ſeveritatis, quam veluti abruptam reliquerat, pertexit: quanquam alio modo. Fiduciam enim majorem nactus, fatetur ſibi non diſplicere quod mœrore ipſos affecerit: quia id fecerit ipſorum bono. ubi de ſucceſſu ipſis gratulando, declarat quam ex animo ipſis conſultum velit. Hæc uſque ad finem ſeptimi capitis. A principio octavi uſque ad finem noni, addit illis alacritatem ad conferendas eleemoſynas, quarum meminerat ultimo capite Epiſtolæ ſuperioris. Ac eos quidem laudat, quod bene cœperint: ſed ne ſtudii fervor tempore (ut fit) refrigeſcat, multis argumentis confirmat ipſos, ut conſtanter pergant in curſu inſtituto. A decimo capite ſe ſuumque Apoſtolatum à calumniis vindicare incipit, quibus ipſum vexabant improbi: ac primo quidem ſe iis armis quæ ad exercendam Chriſti militiam requiruntur, egregie inſtructum eſſe oſtendit: deinde gravitatem quam uſurpaverat in Epiſtola priore, bonæ conſcientiæ fiducia ſuffultam aſſerit: ſeque præſentem non minus virtutis habere in operibus, quam abſens gravitatis in verbis oſtendat. Poſtremo ſe cum illis conferendo, quam inaniter exultent arguit. Undecimo capite Corinthios à pravis ſtudiis, quibus fuerant corrupti, revocat: admonens, nihil eſſe periculoſius quam ab Euangelii ſimplicitate abduci. Quod autem vileſcere nonnihil apud eos cœperat, alii autem majori favore excipiebantur: id contingere non ſua culpa, ſed eorum faſtu aut deliciis, arguit: quod alii nihil illis melius nec præſtantius attuliſſent: ipſe autem non alia cauſa illis eſſet contemptibilis, niſi quia ſe non venditaret elegantia ſermonis: aut quia voluntaria ſubmiſſione, eorum infirmitati indulgens, jure ſuo ceſſiſſet. quæ ironia obliquam ingratitudinis exprobrationem continet: cujus enim æquitatis erat, ideo minoris eum facere quod ſe illis accommodaſſet? Teſtatur tamen ſe non ideo abſtinuiſſe ſtipendio ſibi debito, quod minus amaret Corinthios; ſed ne qua in re ſuperiores eſſent pſeudapoſtoli, quos videbat hoc artificio inſidias ſtruere. Poſtquam iniquum malignumque Corinthiorum judicium reprehendit, effertur pia gloriatione, commemorans quam magnifice jactare ſe poſſit, ſi libeat: præfatus tamen ſe ineptum eſſe in prædicandis laudibus, eorum cauſa. Tandem quaſi manum ſibi in medio curſu injiciens, dicit ſummum gloriationis ſuæ caput eſſe illam humilitatem, quæ deſpiciebatur à ſuperbis: ſe enim admonitum eſſe à Domino, ne alibi quam in ſuis infirmitatibus gloriaretur. Circa finem duodecimi capitis iterum cum ipſis expoſtulat, quod ſibi neceſſitatem ita ineptiendi injiciant, dum ſe addicunt ambitioſis hominibus, per quos à Chriſto alienantur: adhæc vehementius inſurgit in eos qui pertinaciter ferociebant adverſus eum, addentes prioribus flagitiis hanc reſiſtendi impudentiam. Capite decimo tertio denuncians talibus ſeveriorem vindictam, hortatur in genere omnes ut ſuum Apoſtolatum agnoſcant, id facturi ſcilicet ſuo bono: quum illis pernicioſum ſit deſpicere quem experti fuerant certum fidelemque Domini legatum.

JOAN-

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
CORINTHIOS II.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, cum ſanctis omnibus qui ſunt in Achaia:

2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis:

4. Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus conſolari eos qui in omni tribulatione ſunt, per conſolationem qua conſolatur nos Deus.

5. Quia ſicuti abundant paſſiones Chriſti in nos: ita per Chriſtum abundat etiam conſolatio noſtra.

1. P*Aulus Apoſtolus.*] Cur ſe inſcribat Apoſtolum Chriſti, & cur honorem hunc conſequutum ſe Dei voluntate addat, pete ex ſuperiore Epiſtola: ubi dictum eſt, non alios eſſe audiendos quam qui à Deo miſſi ſunt, & ex ore ejus loquuntur: ac proinde ad auctoritatem alicui conciliandum duo requiri, vocationem, & fidem ejus qui vocatus eſt, in exercendo munere: quorum utrumque ſibi Paulus vendicat. Idem faciunt & pſeudoapoſtoli: ſed alienum titulum uſurpando, apud filios Dei nihil proficiunt, quibus illorum impudentiam coarguere promptum eſt. Ideo non ſufficit ſolum nomen, niſi adſit ipſa veritas: ut qui ſe Apoſtolum eſſe obtendit, talem etiam ſe opere præſtet. *Eccleſiæ Dei, cum ſanctis omnibus.* Notandum ſemper ut Eccleſiam agnoſcat ubi tanta erat malorum colluvies. Non enim quorundam vitia impediunt quominus Eccleſia cenſeatur, quæ veras religionis teſſeras habet. Sed quid ſibi vult, Cum omnibus ſanctis? an extra Eccleſiam erant ſancti illi? Reſpondeo, hanc particulam ad fideles referri, qui huc illuc per diverſos provinciæ angulos ſparſi erant. Sicuti probabile eſt, turbulento illo tempore, quum ubique ſævirent Chriſti hoſtes, multos fuiſſe diſſipatos, quibus ſanctos cœtus colligere minime commodum erat.

3. *Benedictus Deus.*] Incipit (quemadmodum dictum eſt) ab hac gratiarum actione, partim ut Dei bonitatem prædicet, partim ut animet Corinthios ſuo exemplo ad perſequutiones fortiter ſuſtinendas: partim ut pia gloriatione ſe efferat adverſus malignas obtrectationes pſeudoapoſtolorum. Hæc enim eſt mundi pravitas, ut martyriis quæ ſuſcipere cum admiratione debuerat, inſultet: atque in magnificis piorum trophæis, contumeliæ materiam venetur. Benedictus, inquit, Deus: cur? qui conſolatur nos: relativum poſitum vice cauſalis particulæ. Pertulerat forti & alacri animo ſuas tribulationes. hanc fortitudinem adſcribit Deo: quia ejus conſolatione ſuffultus, non ſuccubuerit. Vocat autem *Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, non abs re, quum de beneficiis agitur: nam ubi non eſt Chriſtus, illic nulla Dei beneficentia. rurſum ubi intercedit Chriſtus, per quem omnis cognatio nominatur in cælo & in terra, illic & omnes miſericordiæ & omnes conſolationes Dei: imo illic paternus amor, ex quo fonte reliqua omnia profluunt.

4. *Ut poſſimus conſolari.*] Nec dubium quin ſicuti nuper à probro & ſiniſtris rumoribus ſuas afflictiones vendicavit: ita nunc Corinthios admoneat, quod cæleſti conſolatione victor evaſit, factum eſſe ipſorum bono & gratia: ut ſe potius ad tolerantiæ ſocietatem animent, quam faſtuoſe deſpiciant ejus certamina. Cæterum ut non ſibi vivebat Apoſtolus, ſed Eccleſiæ: ita quicquid gratiarum in ipſum conferebat Deus, non ſibi ſoli datum reputabat, ſed quo plus ad alios juvandos haberet facultatis: & certe Dominus quum nobis benefacit, ſuo exemplo nos quodammodo invitat ut ſimus in proximos liberales. Non igitur ſupprimendæ ſunt Spiritus divitiæ: ſed quod quiſque accepit, in alios transferat. Valere quidem præcipue hoc debet in verbi miniſtris, commune tamen omnium eſt pro cujuſque menſura: ita hic Paulus ſe Dei conſolatione ſuſtentatum fuiſſe agnoſcit, ut aliis conſolandis ipſe ſufficeret.

5. *Quia ſicuti abundant.*] Bifariam poteſt exponi hæc ſententia: active & paſſive. Si active accipias, ſenſus erit, Quò magis exerceor variis afflictionibus, eo major alios conſolandi facultas mihi ſuppetit. Sed mihi paſſivus ſenſus magis arridet: quod pro menſura tribulationum, Deus ſuas conſolationes multiplicet. quod etiam David ſibi teſtatur accidiſſe, Pro multi- *Pſal. 94.*
tudine anxietatum mearum intra me, conſolationes *verſ. 19.*
tuæ lætificaverunt animam meam. Sed in verbis Pauli, doctrina plenior: nam piorum afflictiones
vocat *paſſiones Chriſti*: ſicuti alibi dicit, ſe in corpore *Coloſſ. 1.*
ſuo ſupplere quod deeſt paſſionibus Chriſti. Miſeriæ *verſ. 24.*
quidem & ærumnæ vitæ præſentis, malis perinde ac bonis communes ſunt: ſed quum impiis accidunt, maledictionis divinæ ſunt ſigna: quia ex peccato proveniunt, & nihil in illis apparet præter iram Dei & Adæ ſocietatem, quæ non poteſt niſi animum dejicere: at fideles interea Chriſto configurantur, & circumferunt in corpore ſuo ejus mortificationem: ut vita Chriſti in ipſis aliquando appareat. Loquor de afflictionibus quas pro Chriſti teſtimonio ſuſtinent. nam tametſi virgæ Domini quibus eorum peccata caſtigat, illis ſunt ſalutares: non tamen proprie

dicuntur ſocii eſſe paſſionum Chriſti, niſi dum ejus nomine patiuntur, quemadmodum habetur cap. 4. verſ. 13. prioris Epiſtolæ Petri. Significat ergo Paulus, Deum ſibi in tribulationibus ſemper adeſſe: ſuamque infirmitatem ſublevari Chriſti conſolationibus, ne opprimatur malis.

6. Sive autem affligimur pro veſtra conſolatione & ſalute, quæ efficitur in tolerantia ipſarum paſſionum quas & nos patimur: ſive conſolationem accipimus pro veſtra conſolatione & ſalute:

7. Spes noſtra firma eſt de vobis, ſcientes quod quemadmodum ſocii eſtis paſſionum, ita & conſolationis.

8. Nolo enim vos neſcire, fratres, de tribulatione noſtra quæ accidit nobis in Aſia: nempe quod præter modum gravati fuerimus ſupra vires, ita ut de vita quoque anxii eſſemus.

9. Quin etiam ipſi in nobiſipſis ſententiam mortis acceperamus: ne confideremus in nobis, ſed in Deo, qui ad vitam ſuſcitat mortuos:

10. Qui ex tanta morte eripuit nos, & eripit: in quo ſpem fixam habemus, quod etiam poſthac eripiet,

11. Simul adjuvantibus & vobis per deprecationem pro nobis: ut donum ex multis perſonis erga nos collatum, gratiarum actione per multos celebretur pro nobis.

6. *Sive affligimur.*] Quoniam ante hoc membrum, *Spes noſtra firma eſt de vobis*, interjicitur copula: ideo Eraſmus ſubaudiendum aliquod verbum putavit, quod illis particulis conveniret, *pro veſtra conſolatione & ſalute:* hoc modo, Sive affligimur, id fit pro veſtra conſolatione. ſed mihi probabilius eſt, copulam hic poſitam acſi dictum eſſet, Sic quoque: vel, Utroque modo. Jam dixerat ſe conſolationem accipere quam in alios transfunderet. Nunc longius procedit, ſibi ſpem eſſe firmam quod futuri ſint conſolationis participes. Adde quod vetuſtiſſimi quidam Græcorum codices priori ſtatim membro ſubjiciunt hanc ſententiam, Et ſpes noſtra firma eſt pro vobis: qua lectione tollitur ambiguitas. Nam dum media interponitur, neceſſe eſt tam ad poſterius quam ad prius communiter referri. quanquam ſi in ſingulis membris velit quiſpiam habere plenam ſententiam, verbum ſupplendo, non multum erit incommodi, nec ſenſus adeo diverſus. Nam ſi uno contextu legas, ſic tamen reſolvendæ erunt partes, Apoſtolum affligi, & conſolatione recreari in bonum Corinthiorum: ſpem itaque illi eſſe quod ejuſdem qua ipſe potietur, conſolationis futuri ſint tandem conſortes. Equidem quod magis conſentaneum putavi, ſequutus ſum. Cæterum notandum eſt, Affligi referri hic non modo ad externam miſeriam, ſed etiam ad animum: ut contrario reſpondeat παρακαλεῖσθαι. Ita ſignificat hominis animum anxietate premi, ob miſeriæ ſenſum. Ubi vertimus *conſolationem*, Græce eſt παράκλησις: quod nomen exhortationem quoque ſignificat. Verum ſi intelligas conſolationis genus, qua hominis animus mœrore levatus erigitur, tenebis mentem Pauli. Exempli gratia, Paulus ipſe exanimis prope concidiſſet tot afflictionibus oppreſſus, niſi Deus ſua conſolatione ipſum erigendo, bonum illi animum reddidiſſet: ſic itaque Corinthii robur fortitudinemque animi colligunt ex ejus paſſionibus, dum ſe conſolantur ejus exemplo. Nunc rem totam breviter comprehendamus. quoniam videbat ſuas afflictiones contemptus eſſe argumentum quibuſdam, ut Corinthios revocet ab ejuſmodi errore, primum ſe pluris ideo fieri apud ipſos debere oſtendit, quod utilitas ad eos redeat: deinde conſociat eos ſibi, ut ejus afflictiones quodammodo proprias reputent: acſi diceret, Sive patiar afflictiones, ſive conſolatione afficiar, id totum fit veſtro bono: & certo ſpero fore ut vos utilitate hac perfruamini. Tales enim erant, tum afflictiones Pauli, tum conſolationes, ut in Corinthiorum ædificationem valerent, niſi ſeipſos fructu ſponte privarent Corinthii. Teſtatur ergo ſe ita perſuaſum eſſe de Corinthiis, ut certo ſperet ſe non fruſtra pro ipſorum ſalute affligi, & conſolationem accipere. Moliebantur pſeudoapoſtoli quicquid Paulo accideret, vertere in ipſius contemptum. Si conſequuti fuiſſent quod volebant, afflictiones quas patiebatur pro ipſorum ſalute, inanes fuiſſent & irritæ: nihil profuiſſent illis conſolationes quibus eum Dominus recreabat. ejuſmodi machinamentis opponit præſentem fiduciam. Afflictiones ejus ſerviebant conſolationi fidelium, quod quum cernerent eum tantum miſeriarum libenter ſubire pro Evangelio, & ſtrenue ſuſtinere, habebant materiam confirmationis. Nam etſi fateamur nobis ferendas eſſe afflictiones, Evangelii cauſa: conſcientia tamen infirmitatis noſtræ trepidamus, nec putamus nos fore pares. Hic ſuccurrere nobis debent ſanctorum exempla, quæ nos animoſiores reddant. Rurſum privata ejus conſolatio manabat ad totam Eccleſiam, quod Deum qui eum ſuſtinuerat & recreaverat in neceſſitate, ſibi quoque minime defuturum colligebant. Ita promovebatur utroque modo eorum ſalus. atque id eſt quod inſerit quaſi per parentheſin, *Quæ efficitur in tolerantia* &c. Voluit enim explicandi cauſa hoc membrum addere, ne putarent nihil ad ſe pertinere afflictiones quas ſolus ſuſtinebat. Eraſmus active accepit participium ἐνεργουμένης. ſed melius quadrat paſſiva ſignificatio: quia nihil aliud voluit hic Paulus quam explicare qualiter pro eorum ſalute omnia ſibi eveniant.. Dicit ergo ſe quidem pati ſolum: ſed paſſiones ſuas valere ad ſalutem eorum promovendam: non quia ſint expiationes aut ſacrificia pro peccatis: ſed quia eos confirmando ædificent. Ideo conſolationem cum ſalute jungit, ut modum efficiendæ ſalutis deſignet.

7. *Scientes quod quemadmodum.*] Utcunque pſeudoapoſtolorum calumniis ad tempus abrepti eſſent nonnulli ex Corinthiis, ut minus honorifice de Paulo ſentirent, dum videbant probroſe coram mundo tractari: illos tamen ſibi tam in afflictionum conſortio, quam in ſpe conſolationis adjungit: pravam malignamque eorum opinionem, citra apertam reprehenſionem, corrigens.

8. *Nolo enim vos neſcire.*] Commemorat certaminum magnitudinem ac difficultatem: ut inde melius victoriæ decus eluceat. Ex quo miſerat priorem Epiſtolam, jactatus fuerat magnis periculis, & vehementes inſultus ſuſtinuerat. Veriſimile autem eſt hiſtoriam hic attingi quam narrat Lucas Actor. 19: 23. quanquam illic non adeo exprimit quantum fuerit diſcrimen: ſed quum referat totam urbem tumultuatam fuiſſe, hinc reliqua colligere promptum eſt. Scimus enim quid ferre ſoleat ſeditio popularis, ex quo ſemel exarſit. Hac perſequutione Paulus ſe ultra modum fuiſſe gravatum refert: deinde ſupra vires, hoc eſt, ut par non eſſet oneri ſuſtinendo. Eſt enim metaphora ſumpta, ab iis qui ſub ponderis gravitate deficiunt: vel à navibus quæ nimio onere

de-

depreſſæ merguntur: non quia ipſe ſuccubuerit, ſed quia ſenſerit vires ſibi deficere, niſi Dominus novum robur addidiſſet. *Ut de vita quoque anxii.* Hoc eſt, ut de vita mea actum jam putarem: vel certe perquam exigua ſpes mihi reſtaret: qualiter affecti eſſe ſolent quibus undique incluſis nullum patet effugium. Ergone tam animoſus Chriſti miles, tam fortis athleta viribus deſtituebatur ad mortis expectationem? Cauſam enim ejus quam dixerat preſſuræ, adducit, quod vitæ diffideret. Jam dixi Paulum non metiri ſuas vires Dei auxilio, ſed proprio facultatis ſuæ ſenſu. non eſt autem dubium quin omnes humanæ vires, mortis horrori ſuccumbant. Porro ſanctos quoque de virium defectu periclitari neceſſe eſt, ut ſuæ infirmitatis admoniti, pendere prorſus ab uno Deo diſcant, quemadmodum ſequitur: & tamen malui ἐξαπορηθῆναι, cujus meminit Paulus, ſimpliciter de trepida anxietate exprimere, quam cum Eraſmo vertere per vocem Deſperare: quia nihil aliud intelligit, quam ſe ultimis anguſtiis fuiſſe conſtrictum, ut nulla extaret ſervandæ vitæ ratio.

9. *Quin etiam ſententiam mortis.*] Pro eo quod dicimus, Jam mihi conſtitutum vel decretum erat mori: ſed mutuatur ſimilitudinem ab iis qui ad mortem damnati, nihil aliud quam horam mortis expectant. Dicit tamen hanc ſententiam ſibi fuiſſe pronunciatam à ſeipſo. quo ſignificat ſe opinione ſua adjudicatum fuiſſe morti: ne videatur ex Dei revelatione habuiſſe. Plus eſt igitur decretum hoc quam ἐξαπορηθῆναι cujus meminerat, quia illic vitæ diffidentia, hic certa mors. Præcipue autem notandus eſt finis quem ſubjungit: eo neceſſitatis ſe fuiſſe redactum, ne ſibi confideret. Neque vero recipio quod ait Chryſoſtomus, non indiguiſſe Apoſtolum tali remedio: ſed proponere ſe aliis quaſi fictum exemplar. Erat enim homo communibus hominum paſſionibus alioqui obnoxius: non frigori tantum & calori, ſed perverſæ confidentiæ, temeritati, & ſimilibus. Non dico ejuſmodi vitiis eum laboraſſe, ſed dico potuiſſe ſollicitari: atque hoc fuiſſe remedium, quod Deus in tempore oppoſuit, ne in ejus animum penetrarent. Proinde hic duo ſunt obſervanda: primo, tam eſſe pervicacem carnis fiduciam qua ſumus inflati, ut non aliter proſterni queat quam dum in extremam deſperationem concidimus. Nam ut ſuperba eſt caro, neque libenter cedit, neque inſoleſcere deſinit niſi coacta: neque ante ad veram ſubmiſſiooem adducimur, quam violenta Dei manu fuerimus dejecti. Secundo, in ſanctis quoque hærere hujus morbi reliquias: ideoque ſæpe ipſos redigi ad extrema, ut omni ſui confidentia exuti, humilitatem diſcant: imo tam profundas eſſe mali ejus radices in hominum animis, ut ne perfectiſſimi quidem ab eo penitus repurgentur, donec illis mortem Deus oſtendat. Atque hinc colligendum eſt quantum diſplicеat Deo noſtri fiducia: cujus corrigendæ gratia, morti nos adjudicari oportet. *Sed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* Sicuti mori nos primum neceſſe eſt, ut abjecta noſtri fiducia, & noſtræ infirmitatis conſcii, nihil nobis arrogemus: ita non ſatis id fuerit, niſi ultra pergamus. Incipiamus ergo à deſperatione noſtri, ſed ut in Deo ſperemus: concidamus in nobis, ſed ut erigamur ejus virtute. Itaque Paulus in nihilum redacto carnis faſtu, mox fiduciam in Deum recumbentem, ejus loco ſubſtituit. Non in nobis, inquit, ſed in Deo. Epithetum quod ſequitur, aptavit Paulus circumſtantiæ argumenti: quemadmodum ad Rom. 4. v. 17. ubi de Abraham loquitur. Nam Credere in Deum qui vocat ea quæ non ſunt tanquam ſint: & Sperare in Deo qui ſuſcitat mortuos: perinde valet atque ſibi proponere in ſcopum Dei potentiam in creandis ex nihilo electis ſuis, & mortuis ſuſcitandis. Dicit ergo Paulus, Sibi mortem ante oculos fuiſſe poſitam, ut Dei virtutem inde melius agnoſceret, qua excitatus eſſet à mortuis. Hoc quidem prius eſt ordine, Deum ex vigore quem nobis ſuppeditat, agnoſcere vitæ auctorem: ſed quia propter hebetudinem noſtram lux vitæ oculos ſæpe nobis perſtringit, mortis objectu ad Deum adduci neceſſe eſt.

10. *Qui ex tanta morte eripuit.*] Hic ad ſuam perſonam applicat quod dixerat in genere: & gratiam Dei prædicando, teſtatur ſe minime ſua expectatione fuiſſe fruſtratum: quia ipſa quoque ex morte fuerit ereptus, eaque non vulgari. Quantum ad modum loquendi ſpectat: non eſt inſolens Scripturis hæc, qua utitur, hyperbole: frequenter enim cum in Prophetis, tum in Pſalmis occurrit: & vulgaris etiam ſermo eam admittit. Quod autem in ſe agnoſcit Paulus, ſinguli nunc ad ſe transferant. *In quo ſpem fixam.* Beneficentiam Dei, quam ſæpius experimento ſenſerat, ſibi in poſterum quoque promittit: neque temere. Dominus enim aliqua ex parte præſtando quod promiſit, de reliquo bene ſperare nos jubet: imo quot gratias ab eo recipimus, totidem veluti pignoribus aut arrhis promiſſiones ſuas confirmat. Tametſi autem non dubitabat Paulus, Deum ſponte ſibi adfuturum: Corinthios tamen hortatur ut ſuis precibus ſalutem ſuam Deo commendent. Nam quum illis ſe adjutum iri, pro certo ſumit, hæc teſtificatio habet vim exhortationis. neque id tantum ex officio facturos ſignificat, ſed cum profectu. Adjuvabunt, inquit, me & veſtræ preces. Nam officium mutuæ interceſſionis quam nobis Deus mandat, infructuoſum eſſe non vult. quod nobis incitamento eſſe debet, tam ad expetendam fratrum interceſſionem, quum aliqua neceſſitate premimur, quam ad ſimiles ſuppetias illis mutuo ferendas: quum audimus non modo acceptum eſſe Deo officium, ſed nobis quoque utile. Neque vero diffidentia eſt, quod fratrum patrocinium implorat Apoſtolus: quia ſicuti certus erat ſalutem ſuam curæ fore Deo, etiamſi omni hominum ſubſidio deſtitutus foret: ita noverat illud placere Deo, ut Eccleſiæ precibus juvaretur: promiſſiones quoque audiebat, ejuſmodi ſuffragia irrita non fore. ergo ne quod ſubſidium à Deo ſibi deſtinatum omitteret, fratres volebat pro ſalute ſua orare. Summa eſt ut verbum Dei ſequamur: hoc eſt, pareamus ejus mandatis, & in promiſſionibus adhæreamus. quod nequaquſm faciunt qui ad mortuorum confugiunt patrocinia: nam ordinatis à Deo auxiliis non contenti, novum ſibi accerſunt, quod nullo Scripturæ teſtimonio ſuffultum eſt. Quicquid enim de mutua interceſſione illic habetur, non extenditur ad mortuos, ſed nominatim ad vivos reſtringitur. Ergo pueriliter faciunt Papiſtæ, qui locis iſtis ad fucandum ſuam ſuperſtitionem abutuntur.

11. *Ut donum ex multis perſonis.*] Quia in verbis Pauli nonnihil eſt perplexum, variant in ſenſu interpretes. Ego aliorum expoſitionibus refellendis non inſiſtam: neque ſane opus eſt, modo de vera & genuina nobis conſtet. Dixerat Corinthiorum preces ſibi fore adjumento. addit nunc ſecundum fructum qui inde proveniet: majorem ſcilicet illuſtrationem gloriæ Dei. Nam quicquid in me conferet Deus, inquit, quaſi à multis impetratum, per multos etiam cum laude celebrabitur: vel multi pro me gratias agent Deo: quia in me adjuvando non unius tantum, ſed multorum preces exaudierit. Primum, quum officii noſtri ſit, nullam Dei gratiam præterire abſque laude: præcipue tamen quum exauditæ ſunt ab eo preces noſtræ, ejus miſericordiam gratiarum actione proſequi nos decet, quemadmodum præcepit Pſalm. 50. v. 15. Neque id tantum ubi privatum noſtrum commodum agitur: ſed communis Eccleſiæ ſalus, aut cujuſpiam ex fratribus noſtris. ergo quum alii pro aliis mutuo oramus & obtinemus, eo magis illuſtratur Dei gloria, quod Dei beneficia tam publica erga totum Eccleſiæ corpus, quam privata erga

Digitized by Google

ſingulos, gratiarum actione omnes proſequimur. In hoc ſenſu nihil eſt coactum. nam quod Græce articulus interpoſitus disjungere videtur iſta duo, Ex multis perſonis, & Donum in me collatum, id nihil habet firmitudinis, quum ſæpe reperiatur inter cohærentia interpoſitus. hic vero commode interponitur loco adverſativæ particulæ: nam etſi ex multis perſonis erat profectum, Paulo tamen erat peculiare. Porro διὰ πολλῶν in neutro genere accipere (quod faciunt quidam) contextui repugnat. Quæri tamen poteſt, cur Ex multis perſonis dixerit potius, quam Ex multis hominibus: & quid ſibi velit hîc vocabulum Perſonæ. Reſpondeo perinde eſſe acſi dixiſſet, multorum reſpectu. Sic enim gratia Paulo conferebatur, ut ea multis daretur. Ergo quum Deus rationem haberet multorum, ideo multas perſonas in cauſa eſſe dicit. Quod quidam Græci codices habent ὑπὲρ ὑμῶν Pro vobis, etſi à Pauli mente & verborum contextu remotius videtur: commode tamen poteſt exponi, hoc modo, Ubi pro mea ſalute vus exaudierit, & quidem in ſalutem veſtram, agentur veſtro nomine gratiæ à pluribus.

12. Nam gloriatio noſtra hæc eſt: teſtimonium conſcientiæ noſtræ: quod in ſimplicitate & puritate Dei, non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei verſati ſumus in mundo: abundantius autem erga vos.

13. Non enim alia ſcribimus vobis quam quæ recognoſcitis, vel etiam agnoſcitis: ſpero autem quod uſque in finem agnoſcetis.

14. Quemadmodum & agnoviſtis nos ex parte: ſiquidem gloriatio veſtra ſumus: ſicuti & vos noſtra in die Domini Jeſu.

12. *Nam gloriatio.*] Cauſam ponit cur omnibus commendata eſſe deberet ſalus ſua, quod ſimpliciter & ſincere verſatus foret inter omnes: ergo charus merito eſſe illis debebat, & valde fuiſſet inhumanum, de tali Domini miniſtro non eſſe ſollicitos, ut diu incolumis ſtaret in bonum Eccleſiæ: acſi diceret, Ita me geſſi apud omnes, ut non mirum ſit à bonis omnibus me probari ac diligi. Hac tamen occaſione, eorum cauſa ad quos ſcribebat, ad ſuam integritatem prædicandam delabitur. Quia autem non ſatis eſt, hominum judicio probari: & Paulus ipſe iniquis ac malignis quorundam judiciis, aut potius corruptis fæciſque ſtudiis premebatur: conſcientiam ſuam teſtem adducit. quod perinde valet acſi Deum ipſum citaret teſtem, aut ad ejus tribunal revocaret quod dicit. Sed Paulum in ſua integritate gloriari, quo-
infra, 10. modo cum ſententia illa convenit, Qui gloriatur,
verſ. 17. in Domino glorietur? deinde quis tam integer, ut coram Deo jactare ſe audeat? Primum non opponit ſe Deo Paulus, quaſi proprium quicquam aut à ſeipſo haberet: deinde non conſtituit in ea quam ſibi tribuit, integritate, ſalutis ſuæ fundamentum, neque ejus fiducia nititur. Poſtremo non ita gloriatur in Dei donis, quin ipſum auctorem unum glorificet, atque ad ipſum referat omnia. Tres iſtæ exceptiones faciunt ut in omnibus Dei beneficiis jure quiſque piorum glorietur: impii ne in Deo quidem, niſi falſo & perperam, gloriari poſſunt. Primum ergo acceptum feramus Deo quicquid habemus boni, nobis nihil arrogantes: deinde retineamus illud fundamentum, in ſola Dei miſericordia ſitam nobis eſſe ſalutis fiduciam: poſtremo in ſolo bonorum omnium auctore acquieſcamus: tum pia erit in omni bonorum genere gloriatio. *Quod in ſimplicitate Dei.* Vocat hic ſimplicitatem Dei eodem ſenſu, quo ad Romanos 3. v. 23. Gloriam Dei: item Joannis 12. v. 43. Gloriam Dei & hominum. Qui gloriam hominum amant, volunt coram hominibus aliquid videri, aut hominum opinione cenſeri. gloria Dei eſt quæ conſtat coram Deo. Nnn ergo ſatis habet Paulus teſtari, ſinceritatem ſuam fuiſſe perſpectam hominibus: ſed addit Coram Deo ſe talem fuiſſe. εἰλικρίνεια (quam ego puritatem verti) proxima eſt ſimplicitati: eſt enim aperta & ſincera agendi ratio, quæ velut perſpicuum reddit cor hominis. Utraque verſutiæ, fuco & obliquis conſiliis opponitur. *Non in ſapientia carnali.* Subeſt hic ſpecies occupationis. nam quod in eo deſiderari poterat, ultro fatetur, imo prædicat ſibi defuiſſe: ſed addit, ſe inſtructum fuiſſe Dei gratia, quæ longo intervallo excellat. Fateor, inquit, me deſtitutum fuiſſe ſapientia carnali: ſed præditus ſui Dei virtute, qua ſi quis non erit contentus, meum Apoſtolatum minoris faciat licet. Quod ſi nulllus momenti eſt carnis ſapientia, mihi ad ſolidam laudem nihil deeſt. Sapientiam carnalem vocat, quicquid extra Chriſtum nobis ſapientiæ exiſtimationem conciliat. Vide primum caput ſuperioris Epiſtolæ, & ſecundum. Ergo per Dei gratiam quæ illi opponitur, quicquid hominis natura & ingenio ſuperius eſt, ac Spiritus ſancti dona quæ Dei virtutem in carnis infirmitate palam monſtrabant, intelligere convenit. *Abundantius erga vos.* Non quia minus ſincerus fuerit alibi: ſed quod diutius Corinthi egerat, ut amplius & luculentius fidei ſuæ ſpecimen illic edere potuerit: ut alias occaſiones taceam. conſulto tamen hoc expreſſit, acſi diceret, nihil opus eſſe teſtimoniis procul acceritis: quandoquidem ipſi optimi omnium teſtes erant.

13. *Non enim alia ſcribimus.*] Hic oblique perſtringit pſeudoapoſtolos, qui ſe immodicis jactantiis venditabant, quum tamen nihil aut parum eſſet rei: & ſimul occurrit calumniis, ne quis excipiat, eum ſibi plus arrogare quam debeatur. Dicit ergo, nihil ſe verbis jactare quod non factis probet: idque teſtibus Corinthiis. Cæterum ambigua verborum ſignificatione factum eſt ut locus hic male fuerit expoſitus. ἀναγινώσκειν, Græcis nunc legere, nunc recognoſcere ſignificat: ἐπιγινώσκειν, nunc cognoſcere, nunc quod Latini proprie dicunt, agnoſcere: ſicuti apud Juriſconſultos, Agnoſcere partum. quod etiam Budæus annotavit. Hoc modo ἐπιγινώσκειν plus eſt quam ἀναγινώσκειν. Recognoſcit enim, hoc eſt, tacito animi ſenſu convictus, verum eſſe intelligit, qui tamen non agnoſcit, hoc eſt, ſuo conſenſu libenter comprobat. Nunc expendamus verba Pauli: alii legunt, Non alia ſcribimus quam quæ legitis & agnoſcitis. quod palam eſt eſſe nimis frigidum, ne dicam ineptum. Nam quod Ambroſius ita mitigat, Non modo legitis, ſed etiam agnoſcitis: nemo eſt qui non videat à verbis eſſe omnino alienum. Senſus autem qoem affero planus eſt, ac ſponte fluit: neque alia ratio hactenus impedivit lectores quominus ipſum perciperent, quam quod diverſa verbi ſignificatione decepti, clauſus oculos habuerunt. Summa eſt, quod Paulus alia ſe in medium proferre negat, quam quæ nota ſint & comperta Corinthiis: imo de quibus reddituri ſibi ſunt teſtimonium. Prius eſt *recognoſcere*, quum rem ita habere experientia convicti ſuot. ſecundum eſt *agnoſcere*, quum veritati ſubſcribunt. *Spero autem quod in ſinm.* Quia nondum ad ſanam mentem perfecte redierant Corinthii, ut juſta trutina & æqua appenderent ejus fidem: cœperant tamen aliquid corrigere ex perverſo ſuo & maligno judicio: ſignificat ſe in poſterum melius ſperare. Aliqua ex parte, inquit, jam

me

me agnoviſtis: ſpero magis ac magis vos agnituros qualis fuerim inter vos, & qualiter me geſſerim. Hinc clarius patet quid intellexerit per verbum [illegible]. Porro ad tempus reſipiſcentiæ hoc pertinet. nam initio plane & ſolide agnoverant, poſtea obliquis ſermonibus nebulæ fuerant obductæ recto judicio, tandem redire aliquatenus cœperant ad ſanam mentem.

14. *Siquidem gloriatio veſtra.*] Breviter attigimus modum, quo ſanctis fas eſt gloriari in Dei beneficiis: nempe dum acquieſcunt in ſolo Deo, neque in alium ſcopum collimant. Ita pia erat gloriatio Pauli quod ſuo miniſterio Corinthios ſub Chriſti obedientiam redegiſſet: Corinthiorum vero, quod à tali Apoſtolo tam fideliter & probe fuiſſent inſtituti. quod non omnibus contigerat. Modus hic in hominibus gloriandi, nihil obſtat quominus in ſolo Deo gloriemur. Admonet autem Corinthios, probum ſe Chriſti ſervum ac minime fucatum ab illis agnoſci, ipſorum maxime referre: quia ſi ab eo diſceſſerint, priventur ſumma gloria. Quibus verbis coarguitur eorum levitas, quod malignis & invidis nimium creduli, ultro ſumma gloria ſe privaverint. *In die Domini.* Diem extremum intelligo, qui fluxas omnes mundi glorias abolebit: ſignificat ergo, gloriationem de qua nunc agit, non eſſe evanidam, quales ſunt quæ coram hominibus refulgent: ſed perpetuam & ſtabilem, quia in die Chriſti perſtabit. Tunc enim Paulus tot victoriarum quas Chriſti auſpiciis obtinuit, triumphum aget: & in pompa ducet omnes populos ſuo miniſterio ſub glorioſum Chriſti jugum redactos. Eccleſia vero Corinthiorum, tanti Apoſtoli opera fundatam ſe fuiſſe & inſtitutam triumphabit.

15. Et hac fiducia volui primum ad vos venire, ut ſecundam gratiam haberetis: & per vos tranſire in Macedoniam.

16. Et rurſum è Macedonia venire ad vos: & à vobis deduci in Judæam.

17. Hoc igitur quum animo propoſitum haberem, nuncubi levitate uſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito? ut ſit apud me Etiam, etiam: & Non, non.

18. Fidelis Deus, quod ſermo noſter apud vos non fuit Etiam, & Non.

19. Dei enim Filius Jeſus Chriſtus in vobis per nos prædicatus, per me & Sylvanum & Timotheum, non fuit Etiam & Non: ſed Etiam fuit in ipſo.

20. Quæcunque enim ſunt Dei promiſſiones, in illo ſunt Etiam. quare & per ipſum ſit Amen Deo ad gloriam per nos.

15. *Hac fiducia.*] Quum ſpem feciſſet adventus ſui, mutaverat deinde conſilium. id in calumniam tractum fuiſſe, indicio eſt excuſatio. Quum dicit hac fiducia ſe fretum, conſilium veniendi cepiſſe: oblique culpam derivat in Corinthios, qui ſua ingratitudine hanc fiduciam illi adimendo, acceſſum quodammodo obſtruxerint. *Ut ſecundam gratiam.* Prima gratia fuerat, quod toto ſeſquianno incubuerat ad illos Domino lucrifaciendos: ſecunda erat, confirmari ejus adventu in fide ſemel recepta, & ad profectum ſanctis ejus monitionibus incitari. Hac ſe privarant Corinthii, quum Apoſtolum ad ſe venire paſſi non fuerant. dabant igitur ipſi pœnam vitii ſui: quod Paulo imputarent, non erat. Si quis tamen cum Chryſoſtomo χαρὰν pro χάριν malit accipere, non valde repugno: prior tamen expoſitio ſimplicior eſt.

17. *Nuncubi levitate uſus.*] Duo ſunt præcipue quæ faciunt ut hominum vel conſilia ſucceſſu careant, vel promiſſa veritate: quod in ſingulas prope horas mutantur, & quod in ſuſcipiendis deliberationibus nimium ſunt audaces. Signum eſt inconſtantiæ ſtatuere aut polliceri, cujus te mox pœnitent. Id vitium ſibi accidiſſe negat Paulus. Non mutavi, inquit, fidem datam, levitate. à temeritate quoque & improba confidentia ſe abfuiſſe dicit: ſic enim interpretor, *ſecundum carnem cogitare.* nam hominum hic vulgaris mos eſt, ſicuti dixi, perinde acſi à Dei providentia non penderent, ejuſque arbitrio non eſſent obnoxii, audacter & ſupercilioſe deliberare quid facturi ſint. Deus autem ut hanc arrogantiam vindicet, fruſtratur eorum conſilia ſucceſſu, ipſoſque ſubinde ludibrio exponit. Poſſet quidem latius extendi particula Secundum carnem, ut vitioſas omnes deliberationes comprehendat, & quæ in rectum finem non referuntur: quales ſunt in quibus regnat ambitio, avaritia, aut alius quiſpiam pravus affectus. verum hic nihil tale (meo judicio) attingere voluit Paulus: ſed ſolam temeritatem quæ in capiendis conſiliis homini vulgo pluſquam familiaris eſt ac quotidiana. Ergo Secundum carnem cogitare, eſt non habere Deum moderatorem, ſed præcipiti audacia ferri, quæ jure poſtea derideatur à Deo ac puniatur. Ab his vitiis ut ſe purget Apoſtolus, quærit tanquam in adverſariorum perſona. Unde, quod jam admonui, veriſimile eſt fuiſſe ab improbis aliquid ſparſum. *Ut ſit apud me Etiam, etiam.* Quidam ſuperioribus connectunt hanc ſententiam: atque ita exponunt, Perinde acſi in manu mea eſſet præſtare quicquid delibero: quemadmodum homines quicquid in mentem illis venit, conſtituunt ſe facturos: & quum ne linguam quidem gubernare queant, diſponunt vias ſuas, inquit Solomo. Et certe verba *Prov. 16. verſ. 1.*
hoc ſonant: ut quod ſemel affirmatum eſt, fixum maneat: quod ſemel negatum eſt, nunquam fiat. Sic Jacobus cap. 5. v. 12. ſuæ Epiſtolæ, Sit veſtrum Eſt, eſt: veſtrum Non, ſit non: ne in ſimulationem incidatis. Deinde contextus valde hoc modo aptus foret, quantum ad ſuperiora. Hoc enim eſt conſultare ſecundum carnem, quum abſque exceptione volumus noſtra decreta inſtar eſſe oraculorum. ſed huic interpretationi repugnat quod continuo ſequitur, Fidelis Deus, &c. ubi dum negare vult Paulus ſe fuiſſe inconſtantem in ſua prædicatione, eandem loquendi formam uſurpat. Eſſet autem abſurdum, ſi eodem fere verſu pro vitio duceret, ſuum Etiam, fuiſſe etiam: ſuum Non, fuiſſe non: & ſibi hoc tribueret pro ſumma laude. Video quid reſponderi queat, ſi libeat argutiis ludere: ſed nihil amo niſi ſolidum. Itaque non dubito quin Paulus inconſtantiam his verbis notare voluerit, utcunque aliud in ſpeciem præ ſe ferant: ut calumniam illam à ſe removeret, quod aliud promittere ſoleret verbis, quam præſtaret opere. Ita geminatio affirmationis & negationis non idem valebit quod apud Matthæum *Matth. 5. verſ. 34.*
& Jacobum: ſed hunc habebit ſenſum, Ut ſit nunc apud me Etiam, etiam: rurſus quum libuerit, ſit Non, non. Quanquam fieri poteſt ut obrepſerit ſcribarum ignorantia: quum vetus interpres non repetat. Quicquid ſit, de vocibus non multum nos eſſe ſollicitos oportet: modo Apoſtoli mentem teneamus; quæ ex ſequentibus (ſicut dixi) clare patet.

18. *Fidelis Deus.*] *Sermonis* nomine doctrinam indicari patet ex ratione addita, quum dicit, Filium Dei à ſe prædicatum, non fuiſſe varium, &c. Quod autem ſibi perpetuo conſtiterit in doctrina, neque ſui fuerit diſſimilis, ex eo vult judicium fieri ſuæ integritatis: atque ita levitatis aut malæ fidei ſiniſtram

ſtram tollit ſuſpicionem. Non eſt autem neceſſarium argumentum, ut qui fidelis eſt in doctrina, ſit etiam in omni ſermone verax. ſed quia non magni faciebat Paulus qualis judicaretur, modo ſarta tecta maneret doctrinæ ſuæ majeſtas: ideo ad eam partem præcipue revocat Corinthios. Innuit quidem ſe eodem bonæ fidei tenore uſum eſſe in tota vita, quem in miniſterio ſuo Corinthii ſpectaverint: videtur tamen quaſi data opera transferre à ſua perſona ad doctrinam, calumniæ depulſionem: quia nollet oblique Apoſtolatum ſuum ſugillari, de ſe alioqui non adeo ſollicitus. ac vide quanto ſtudio in hoc incumbat. Deum enim teſtem adducit quam ſimplex ſinceraque fuerit ſua prædicatio: non flexiloqua, non verſatilis, non ad tempus compoſita. Et in jurejurando, Dei veritatem cum doctrinæ ſuæ veritate conſociat: acſi diceret, Quam fidelis eſt Deus ac verax, tam certa eſt firmaque veritas meæ prædicationis. nec mirum. Verbum enim Dei, quod in æternum manere dicit Jeſaias, non aliud eſt quam quod Prophetæ & Apoſtoli mundo publicarunt: ſicuti Petrus exponit. Inde illa etiam fiducia, quod ad Galatas 1. v. 8. anathema denunciat Angelis, ſi Euangelium ſuo contrarium afferre auſi fuerint. Quis autem Angelos cæleſtes ſuæ doctrinæ ſubjicere audeat, niſi Deum habeat auctorem ac vindicem? Tali conſcientiæ firmitudine inſtructos eſſe oportet miniſtros, qui ſuggeſtum vocem Chriſti nomine edituri conſcendunt: ut ſuam doctrinam nihilo magis everti poſſe noverint, quam Deum ipſum.

Jeſ. 40:8.

1 Petr. 1. verſ. 25.

19. *Dei enim Filius.*] Probatio eſt: quia nihil cootineret ſua prædicatio niſi unum Cbriſtum, qui æterna eſt ac immutabilis Dei veritas. Epithetum iſtud, *Per nos prædicatus*, emphaſim habet. quia enim fieri poteſt, & ſæpe accidit ut bominum figmentis deformetur Chriſtus, & quaſi fucis adulteretur: id à ſe & collegis factum eſſe negat: ſed ſincere & qua decet integritate ſe purum ipſum propoſuiſſe ac minime fucatum. Porro cur Apollon omiſerit, quum Timotbeum nominaret ac Sylvanum, non liquet certo: niſi quod probabile eſt, ut quique impiorum calumniis magis impetebantur, ita fuiſſe diligentius ab eo defenſos. Cæterum his verbis ſignificat, totam ſuam doctrinam ſimplici unius Chriſti cognitione fuiſſe comprebenſam: ſicuti revera totum Euangelium in ea continetur. Itaque vagantur extra oleas qui aliud quam unicum Chriſtum docent, quacunque alioqui ſapientiæ oſtentatione turgeant. Nam ut eſt finis Legis: ita caput, ſumma, complementum denique omnis ſpiritualis doctrinæ. Secundo, ſignificat ſuam de Cbriſto doctrinam non fuiſſe verſatilem aut flexiloquam, ut inſtar Protei illum ſubinde transfiguraverit: ſicuti nonnulli, perinde acſi pilam manu verſarent, in eo commutando ludunt, tantum ut acumen ſuum venditent: alii in bominum gratiam varias illi formas affingunt: alii quicquid uno die tradiderunt, metu poſtridie retractant. talis non fuit Pauli Cbriſtus, nec eſſe poteſt ullius veri Apoſtoli. Quare falſo ſe Chriſti miniſtros eſſe jactitant qui ipſum verſicolorem pingunt, pro ſuo commodo. Is enim demum verus eſt Cbriſtus, in quo apparet hoc æquabile & perpetuum Etiam, quod illi proprium eſſe Paulus aſſerit.

20. *Quæcunque enim promiſſiones Dei.*] Hic rurſus confirmat, quam firmam & inflexibilem eſſe deceat prædicationem de Chriſto, quum ſit ipſe omnium promiſſionum Dei firmamentum. Eſſet enim pluſquam abſurdum, eum nutanti eſſe ſimilem, in quo omnes Dei promiſſiones ſtabiliuntur. Tametſi autem generalis eſt ſententia, ut mox videbimus: accommodatur tamen ad circumſtantiam præſentis cauſæ, nempe ad firmitudinem Paolinæ doctrinæ aſtruendam. Neque enim de Euangelio duntaxat in genere differit: ſed ſuum Euangelium ſpecialiter ornat hoc titulo, acſi diceret, Si ſolidæ ſunt & bene fundatæ Dei promiſſiones, firmam quoque eſſe oportet meam prædicationem, quæ non niſi Cbriſtum continet, in quo illæ omnes ſtabiliuntur. Verum quia bis verbis nihil aliud intendit quam ſe genuinum & nullis externis acceſſionibus vitiatum Euangelium prædicaſſe: retineamus generalem doctrinam, quod ſolo Chriſto fulciantur omnes Dei promiſſiones. Sententia memorabilis, & unum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus. Pendet autem ex alio principio, quod nonniſi in Cbriſto propitius eſt nobis Deus Pater: promiſſiones vero teſtimonia ſunt paternæ erga nos ejus benevolentiæ: ſequitur ergo per ipſum ſolum eas impleri. Promiſſiones dico gratiæ divinæ eſſe teſtimonia: nam etſi indignis quoque benefacit Deus, ubi tamen ad ejus beneficia accedunt promiſſiones, ſpecialis eſt ratio, quod illic Patrem ſe declarat. Deinde percipiendis Dei promiſſionibus non ſumus idonei, niſi impetrata peccatorum remiſſione, quam per Chriſtum conſequimur. Tertio, promiſſio qua nos ſibi Deus in filios adoptat, omnium eſt prima. Cauſa autem & radix adoptionis eſt Chriſtus: quia non aliis Pater eſt Deus, niſi qui Filii ſui unigeniti membra ſunt & fratres. Sed omnia fluunt ex illo fonte, Deo nos inviſos magis eſſe quam acceptos, extra Cbriſtum: quum tamen ideo nobis promittat Deus quæcunque promittit, quia nos amat. Itaque non eſt mirum ſi omnes Dei promiſſiones in Chriſto ratas eſſe ac firmas hic tradat Paulus. Sed quæritur utrumne ante Chriſti adventum fluidæ aut invalidæ fuerint: nam videtur bic loqui Paulus de Chriſto in carne exhibito. Reſpondeo, quæcunque ab initio mundi promiſſiones datæ ſunt fidelibus, in Cbriſto fuiſſe fundatas. unde Moſes & Prophetæ, quoties de reconciliatione cum Deo, de ſpe ſalutis, aut de quavis gratia diſſerunt, ſubjiciunt ejus mentionem: & de ejus adventu ac regno ſimul concionantur. Dico iterum promiſſiones ſub veteri Teſtamento piis fuiſſe impletas, quatenus expediebat in ipſorum ſalutem. ſimiliter tamen verum eſt, quodammodo fuiſſe ſuſpenſas, donec advenit Chriſtus, per quem illis conſtaret verus effectus. Et ſane fideles ipſi ita recumbebant in promiſſiones, ut earum tamen veritatem rejicerent in exhibitionem Mediatoris, ſpemque ſuam euſque ſuſpenderent. Denique ſi quis expendat quis ſit mortis & reſurrectionis Chriſti fructus, facile inde colliget qualiter obſignatæ per eum fuerint ſtabilitæque Dei promiſſiones, alioqui ſolidum complementum nunquam habituræ. *Quare & per ipſum ſit Amen.* Hic etiam Græca exemplaria non conſentiunt. quædam enim babent uno contextu, Quotquot ſunt Dei promiſſiones, per ipſum ſunt Etiam, & per ipſum Amen, Deo ad gloriam per nos. Verum diverſa lectio quam ſequutus ſum, magis eſt expedita, & ſenſum pleniorem continet. Nam ſicuti dixerat, in Chriſto Deum ſanaiſſe omnium ſuarum promiſſionum fidem: ita nunc officium noſtrum eſſe admonet, ejuſmodi ſanctioni accinere. quod fit dum certa fide in Chriſto acquieſcentes, ſubſcribimus & ſignamus quod Deus ſit verax: quemadmodum habetur apud Joannem. idque ad ejus gloriam: quia hic finis eſt quo referri debent omnia, Epheſ. 1. v. 13. & Rom. 3. v. 4. Diverſa lectio (fateor) magis eſt uſitata: ſed quia frigida eſt, hanc præferre non dubitavi, quæ pleniorem doctrinam continet, deinde ad contextum longe eſt aptior. Officii enim Corinthios admonet Paulus, ut ſuum Amen reſpondeant, poſtquam in ſimplici Dei veritate fuerunt edocti. quod ſi cui tamen grave ſit ab altera lectione diſcedere: ſemper elicienda erit ad mutuum doctrinæ & fidei conſenſum exhortatio.

Joan. 3. verſ. 33.

21. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos, Deus eſt:
22. Qui & obſignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.

Deus quidem ſemper eſt verax, conſtanſque in omnibus ſuis promiſſis: habetque perpetuo ſimulac loquutus eſt, ſuum Amen. Nos autem qua ſumus vanitate, non aliter reſpondemus illi noſtrum Amen, quam dum verbo ſuo certum teſtimonium reddit in cordibus noſtris. id facit per Spiritum ſuum. id eſt quod nunc ſibi vult Paulus. Docuerat ſuperius, hanc eſſe aptam ſymphoniam, quum Dei vocatio pœnitentia caret, noſque viciſſim oblatam adoptionis gratiam induhia fide amplectimur. Quod Deus in propoſito ſuo firmus manet, nihil mirum: ſed mutua fidei noſtræ conſtantia paria facere cum Deo, id vero non eſt humanæ facultatis. atque Deum imbecillitati noſtræ aut defectui (ut vocant) mederi docet, quum infidelitatem noſtram corrigendo, per Spiritum ſuum nos confirmat. Ita fit ut glorificemus ipſum firma fidei conſtantia. Se vero ſocium diſerte adjungit Corinthiis, quo melius ad colendam unitatem ſibi conciliet eorum animos.

21. *Qui unxit nos.*] Pluribus verbis rem unam deſignat. nam confirmationi unctionem adjungit & obſignationem: aut hac duplici metaphora clarius illuſtrat quod prius dixerat ſine figura. Nam Deus cœleſti Spiritus gratia nos perfundens, hoc modo obſignat cordibus noſtris verbi ſui certitudinem. Quartum deinde ponit, datum nobis eſſe Spiritum inſtar arrhæ. quæ ſimilitudo, ut ſæpius ab ipſo uſurpatur, ita valde eſt appoſita. Nam ut Spiritus teſtimonium adoptionis reddendo, nobis ſponſor eſt, fidem promiſſionum ſtabiliendo, [illegible] eſt, ac ſigillum: ita merim arrha dicitur. quia efficit ut ratum ſit utrimque Dei pactum, quod alioqui quodammodo penderet. Hic primum notanda eſt relatio quam requirit Paulus inter Dei Euangelium & fidem noſtram. nam ſicuti certo certius eſt quicquid loquitur Deus, ita vult illud firmo ſtabilique aſſenſu in animis noſtris eſſe conſtitutum. Deinde notandum eſt, quum ejuſmodi certitudo res ſit humanæ mentis captu ſuperior, hoc eſſe Spiritus ſancti officium, nobis intus confirmare quod Deus verbo ſuo promittit. unde hos titulos habet, quod ſit unctio, arrha, paracletus, & ſigillum. Tertio notandum eſt, quicunque teſtem Spiritum ſanctum non habent, ut Deo ad certam ſpem ſalutis vocanti, Amen reſpondeant, falſo Chriſtianum nomen obtendere.

23. Ego autem teſtem invoco Deum in animam meam, quod parcens vobis, nondum venerim Corinthum.
24. Non quod dominemur fidei veſtræ: ſed adjutores ſumus gaudii veſtri. fide enim ſtatis.

CAP. II.

DEcreveram autem hoc in meipſo, non amplius venire in triſtitia ad vos.
2. Si enim ego contriſto vos: & qui eſt qui me exhilaret, niſi is qui erit triſtitia affectus ex me?

23. *Ego autem.*] Nunc demum cauſam reddere incipit mutati conſilii. Nam hactenus calumniam tantum repulit. quum autem dicit, *Se illis pepercisse*, culpam oblique in eos retorquendo, admonet iniquum fore ſi gravetur eorum delicto: ſed multo fore iniquius, ſi hoc ipſi ſuſtineant: longe autem iniquiſſimum ſi aſſentiantur tam improbæ calumniæ, quum ita ſcilicet peccati ſui reum ſubſtituerent innocentem ſuo loco. Hoc autem modo illis pepercit, quia ſi veniſſet, coactus fuiſſet ſeverius illos increpare: malebat autem ſponte eos reſipiſcere ante ſuum adventum, ut aſperioris remedii nullus foret uſus. quod inſigne argumentum eſt pluſquam paternæ lenitatis. Quantæ enim indulgentiæ fuit, quum juſtam haberet cauſam excandeſcendi, declinare hanc neceſſitatem? Et jusjurandum adhibet, ne quid temporis cauſa videatur fingere. Nam & res per ſe erat non contemnenda: & magni intererat, ab omni mendacii fictioniſque ſuſpicione procul eum abeſſe. Duo autem ſunt, quæ jusjurandum faciunt legitimum & pium: cauſa & affectus. Cauſam dico, ubi non juratur temere, hoc eſt, in nugis nihili, aut etiam levibus negotiis: ſed quum operæpretium eſt duntaxat. Affectum voco, ubi non tam reſpicitur commodum privatum, quam honori Dei ſtudetur, & fratrum bono. Hic enim finis ſemper ſpectandus eſt, ut Dei honori ſerviant noſtra juramenta, & proximis re juſta ſerviant. Formula quoque notanda eſt: primum quod Deum advocat teſtem, deinde in animam ſuam. nam in rebus dubiis & obſcuris, ubi deficit hominum cognitio, ad Deum confugimus, ut ipſe qui ſolus eſt veritas, reddat teſtimonium veritati. Qui autem Deo utitur teſte, ſimul perjurii ultorem citat, ſi fallit: hoc ſibi vult particula *in animam meam*: acſi diceret, Non recuſo quin pœnam ſumat, ſi mentior. Tametſi autem hoc non ſemper exprimitur verbo, ſubaudiendum eſt tamen: quia ſi nos infidi ſumus, Deus fidelis manet: nec ſeipſum abnegabit. non patietur ergo impunitam nominis ſui profanationem.

24. *Non quod dominemur.*] Anticipat objectionem quam opponere quiſpiam poterat. Quid? ergone tam impotenter te geris, ut ſolo aſpectu ſis formidabilis? Atqui iſta eſſet non Chriſtiani paſtoris gravitas, ſed immanis tyranni ſævitia. Huic objectioni reſpondet: primum indirecte, negans rem ita habere: poſtea directe, oſtendens paterni hoc quoque fuiſſe affectus, quod coactus fuiſſet aſperius illos tractare. Quum eorum fidei dominari ſe negat, ſignificat injuſtam hanc eſſe & minime tolerandam poteſtatem, imo tyrannidem in Eccleſiam. Fides enim prorſus ab hominum jugo ſoluta liberrimaque eſſe debet. Notandum autem quis loquatur: nam ſi quis omnino ſit mortalium qui jus habeat tale dominium ſibi vendicandi, Paulus certe dignus hac prærogativa fuit. fatetur autem ſibi non competere. Itaque colligimus fidem non aliam ſubjectionem agnoſcere, quam verbi Dei: hominum imperio minime eſſe obnoxiam. Annotavit Eraſmus, ſubaudiendo Græce particulam, ἕνεκα, ſic poſſe intelligi, Non quod vobis fidei cauſa dominemur. qui ſenſus eodem fere redit. Innuit enim nullum eſſe dominium ſpirituale, niſi unius Dei. Semper illud manet fixum, Paſtoribus nullum eſſe proprium imperium in conſcientias: quia miniſtri ſint, non domini. Quid ergo ſibi & aliis facit reliquum? vocat *adjutores gaudii*: quo nomine ego felicitatem intelligo. Quanquam gaudium oppoſuit terrori, quem incutiunt tyranni ſua ſævitia, & pſeudoprophetæ tyrannis ſimiles, qui cum rigore dominantur & potentia, ut eſt apud Ezechielem. Ratiocinatur autem à contrariis, ſe regnum minime uſurpaſſe in Corinthios, quia potius eos in pacem liberam & lætitiæ plenam aſſerere ſtuduerit. *Ezech. 34. verſ. 4.*
Fide enim ſtatis. Cur hoc addiderit, alii aut diſſimulant penitus, aut non ſatis clare docent. Ego iterum

argu-

argumentum eſſe puto à repugnantibus. Si enim hic eſt fidei effectus atque hæc natura, fulcire nos ut ſtemus: abſurdum eſt, ut ſit hominibus ſubjecta. Ita tollitur injuſta illa dominatio, cujus crimen à ſe nuper depulit.

1. *Decreveram autem.*] Quiſquis fuerit capitum diviſor, fecit hic ineptam ſectionem. Nunc enim demum exponit Apoſtolus, quomodo illis pepercerit. Decreveram, inquit, non venire ad vos amplius cum triſtitia: hoc eſt, adventu meo cauſam triſtitiæ vobis afferre. Venerat enim ſemel per Epiſtolam, qua eos acriter pupugerat. Itaque quo tempore nondum reſipuerant, venire ad eos noluit, ne coram iterum mœrore eos afficere cogeretur. nam malebat eorum reſipiſcentiæ dare longius temporis ſpatium. Et verbum ἔκρινα omnino verti debet in tempore pluſquamperfecto: quia rationem afferens interpoſitæ moræ, ſuperioris temporis conſilium exponit.

2. *Si enim ego contriſto.*] Probatio ſuperioris ſententiæ. Nemo ſibi libenter mœrorem accerſit. dicit autem Paulus, ſibi ita communem eſſe ſympathiam cum Corinthiis, ut nequeat, niſi ipſis hilaribus, gaudere. imo ipſos ſibi cauſam & auctores lætitiæ eſſe teſtatur: quod non poterant, ſi fuiſſent ipſi triſtes. Hic affectus ſi in Paſtoribus vigeat, optimum erit temperamentum, ne terroribus animos perturbent, quos læta comitate fovere debuerant. Nam hinc nimis moroſa ſeveritas, quod Eccleſiæ ſalute non perinde lætamur ut deceret.

3. Et ſcripſeram vobis hoc, ne veniens, triſtitiam ſuper triſtitiam haberem à quibus oportebat me gaudere: fiduciam habens de vobis omnibus, quod meum gaudium veſtrum omnium ſit.

4. Ex multa enim afflictione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas, non ut contriſtaremini, ſed ut charitatem cognoſceretis, quam habeo abundantius erga vos.

5. Siquis autem contriſtavit, non me contriſtavit, ſed ex parte: ut ne vos omnes gravem.

3. *Scripſeram vobis.*] Sicuti nuper dixerat ſe ideo diſtuliſſe adventum ad eos ſuum, ne ſecundo triſtis & rigidus veniret: ita nunc quoque ſe per Epiſtolam primo triſtem veniſſe docet, ne coram ſeveritatis ſuæ rigorem ſentirent. quare non eſt quod de priore illa triſtitia conquerantur, in qua illis conſulere voluit. Longius etiamnum procedit: nempe quod ſcribendo noluerit eis mœrorem incutere, aut dare aliquam ſignificationem indignationis: ſed potius ſuum erga eos ſtudium probare, ſuumque amorem. Hoc modo ſi quid fuit acerbitatis in Epiſtola, non mitigat tantum, ſed etiam amabile & ſuave reddit. Sed quum poſtea fateatur quod hic negat, videtur ſecum pugnare. Reſpondeo, nullam eſſe repugnantiam: neque enim fatebitur hunc ſibi finem ultimum fuiſſe, contriſtare Corinthios: ſed viam qua eos ad verum gaudium perduceret. priuſquam tamen hoc dicat, de fine hic tantum loquitur: medium quod minus gratum erat, omittit, vel pauliſper ſuſpendit. *Fiduciam habens.* Fiduciam hanc ſibi ſumit erga Corinthios, ut viciſſim ita ſint perſuaſi de animo ipſius. Nam qui odit, invidet: ubi commune gaudium, illic perfectus amor ſit oportet. Quod ſi Pauli opinioni judicioque non reſpondeant Corinthii, indigne eum fruſtrantur.

4. *Ex multa enim afflictione.*] Altera ratio mitigandæ aſperitatis qua uſus fuerat. nam qui ridentes, voluptatem capiunt ex aliorum fletu, quum in eo crudelitatem ſuam prodant, non poſſunt nec debent ferri. Paulus autem longe aliter affectum ſe fuiſſe teſtatur. Vehementia doloris, inquit, mihi extorſit quæcunque ſcripſi. quis non excuſet ac boni conſulat quod ab eo animi affectu proficiſcitur? præſertim quum ipſe non ſua ſed eorum cauſa & culpa angeretur. deinde non evomeret dolorem ſuum, ut in eos exonerando ſe levaret: ſed potius ut ſuum illis amorem oſtenderet. His de cauſis non oportuit Corinthios exacerbari duriori reprehenſione. *Lachrymas* addit, quæ in viro forti & magnanimo ingentis doloris indicium ſunt. Hinc perſpicimus, ex quo animi ſenſu manare debeant piæ ſanctæque reprehenſiones & objurgationes. Sunt enim multi clamoſi reprehenſores, qui in vitia declamitando, vel potius fulminando, mirum zeli ardorem præ ſe ferunt: interea ſecuro ſunt animo, ut videantur per luſum guttur & latera exercere velle. At pii Paſtoris eſt, flere ſecum priuſquam alios ad fletum provocet: tacita cogitatione diſcruciari priuſquam indignationis ſignum edat: & plus retinere apud ſe doloris, quam aliis faciat. Notandæ etiam Pauli lachrymæ, quæ ſua abundantia mollitiem teſtantur: ſed magis heroicam, quam fuerit illa ferrea Stoicorum durities. Quo enim teneriores ſunt charitatis affectus, eo ſunt laudabiliores. Adverbium *abundantius*, comparative poteſt exponi. Atque ita tacita querimonia eſſet, Corinthios non referre pares in amore vices, quia frigidius diligant à quo ardenter amantur. Simplicius tamen accipio, quod Paulus ſuum erga eos amorem extollat, ut hæc perſuaſio quicquid ſeveritatis eſt in ejus verbis, mitiget.

5. *Siquis autem.*] Tertia ratio leniendæ offenſionis, quod dolorem habuerit communem cum illis: & cauſa aliunde profecta ſit. Pariter, inquit, doluimus: & alius in culpa eſt. quanquam de hoc ipſo etiam mitius loquitur, quum dicit, Siquis: non affirmans, ſed potius rem ſuſpendens. Porro locus hic à quibuſdam ſic intelligitur, quaſi velit Paulus dicere, Qui mihi cauſam dedit mœroris, ille vos quoque offendit. mecum enim debuiſtis pariter dolere: parum tamen abeſt quin ſolus doluerim. Nolo enim ſimpliciter hoc dicere, *Ne vos omnes gravem.* Ita in ſecundo membro eſſet correctio prioris. Sed Chryſoſtomi expoſitio multo eſt aptior. Legit enim uno contextu, Non me ſolum ille contriſtavit, ſed propemodum vos omnes. Et quod dico Ex parte, ideo facio, ne illum nimis gravem. Tantum in particula hac *ex parte*, à Chryſoſtomo diſſentio. Interpretor enim poſitam pro Quodammodo. Scio Ambroſium de parte ſanctorum accipere, quia diviſa eſſet Corinthiorum Eccleſia: ſed illud eſt argutum magis quam firmum.

6. Sufficit ei qui talis eſt, correctio, quæ illi contigit à pluribus:

7. Ut potius ediverſo debeatis condonare, & conſolari: ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.

8. Quamobrem obſecro vos, ut confirmetis erga eum charitatem.

9. Nam in hoc etiam ſcripſeram vobis, ut probationem veſtri cognoſcerem: an ad omnia obedientes ſitis.

10. Cui autem condonatis, etiam ego. etenim cui condonavi, ſiquid condonavi, propter vos condonavi, in conſpectu Chriſti.

11. Ut ne occupemur à Satana. non enim cogitationes ejus ignoramus.

6. *Sufficit*] Jam manſuetudinem ad eum quoque extendit, qui præ aliis graviter peccaverat: & cujus cauſa excanduerat adverſus omnes, quod ad ejus ſcelus conniverent. Quum huic quoque veniam indulgeat, qui pœna majore dignus erat: illuſtre ſpecimen habent Corinthii, ex quo perſpiciant quantum à nimia auſteritate abhorreat. Tametſi non id facit tantum in Corinthiorum gratiam: ſed quia ipſe ſponte erat placabilis. debebant tamen in hac facilitate agnoſcere Corinthii ſummam ejus humanitatem. Adde quod non tantum exorabilem ſe præber, ſed alios hortatur ut eadem lenitate eum recipiant in gratiam. ſed hæc paulo diſtinctius conſideremus. Agitur de eo qui inceſtis novercæ nuptiis ſe polluerat. quoniam flagitium erat minime tolerabile, Paulus excommunicari hominem juſſerat: Corinthios etiam durius increpaverat, quia tamdiu ſcelus hoc diſſimulatione & patientia foviſſent. Ex hoc loco apparet, illum reſipuiſſe quum fuiſſet ab Eccleſia monitus. Jubet ergo Paulus illi dari veniam, & conſolatione etiam ſublevari. Locus diligenter obſervandus. docet enim qua æquitate & clemeotia temperanda ſit diſciplina Eccleſiæ, ne rigor modum excedat. Severitate opus eſt, ne impunitate (quæ peccandi illecebra merito vocatur) mali reddantur audaciores. Sed rurſus, quia periculum eſt ne is qui caſtigatur, animum deſpondeat, hic adhibenda eſt moderatio: nempe ut Eccleſia ſimulatque reſipiſcentiam illius certo cognoverit, ad dandam veniam ſit parata. Qua in parte ego prudentiam deſidero in veteribus Epiſcopis: neque ſane excuſari debent: quin potius notandus eſt eorum error, ut cavere diſcamus. Paulus reſipiſcentia peccatoris contentus eſt, ut Eccleſiæ reconcilietur: illi vero nulla reſipiſcentiæ habita ratione, canones de triennali, de ſeptennali, & interdum totius vitæ pœnitentia ediderunt: quibus miſeros homines ab Eccleſiæ commuoione excludunt. Atque hac via aut magis alienator ab Eccleſia peccator, aut in hypocriſin inducitur. Quod ſi per ſe eſſet probabile inſtitutum, tamen ad illud improbandum mihi hæc ratio ſufficeret: quod diſſidet à Spiritus ſancti regula, quam hic præſcribit Apoſtolus.

7. *Ne abſorbeatur à triſtitia.*] Hic excommunicationis eſt finis, quod ad perſonam ejus qui deliquit, ut peccati ſui ſenſu confuſus, coram Deo & Eccleſia humilietur: ac cum vera diſplicentia & reatus confeſſione precetur veniam. Qui eouſque adductus eſt, jam conſolatione magis indiget quam objurgatione. itaque ſi durius cum eo agere pergas, crudelis erit inſultatio, non diſciplina. Sedulo igitur cavendum ne ultra hunc finem urgeantur. Nihil enim periculoſius quam Satanæ anſam porrigere, ut peccatorem ad deſperationem ſollicitet. Armamus autem Satanam, quoties eos qui ſeria peccati ſui agnitione tanguntur, conſolatione deſtituimus.

9. *Nam in hoc etiam ſcripſeram.*] Occupat objectionem qua uti poterant, Quid ergo tibi volebas, quum tantopere ſuccenſuiſti quia in eum non animadvertebamus? Ex tam ſevero judice repente fieri patronum, nonne ſignum eſt hominis ioter contrarios affectus fluctuantis? Hæc cogitatio multum detrahere poterat ex Pauli auctoritate. verum reſpondet ſe obtinuiſſe quod quærebat: itaque ſibi eſſe ſatisfactum: ut jam dandus ſit locus miſericordiæ. Correcta enim eorum ſegnitia, nihil jam obſtabat quominus hominem proſtratum & jacentem ſua maoſuetudine erigerent.

10. *Cui autem condonatis.*] Quo facilius eos placaret, ſuum ſuffragium veniæ ab illis datæ adjunxit. acſi diceret, Ne dubitetis ignoſcere: ego mihi ratum fore polliceor quicquid egeritis, jamque veſtræ ignoſcentiæ ſubſcribo. Secundo, dicit ſe hoc facere in eorum gratiam: & quidem ſincere & ex animo. Jam demooſtraverat quam cuperet hominis ſaluti eſſe conſultum: nunc vero etiam ſe libenter hoc Corinthiis dare affirmat. Pro *conſpectu Chriſti*, aliqui Perſonam malunt: qnia Paulus in illa reconciliatione, Chriſti vices obibat, & perſonam quodammodo ſuſtinebat: ſed mihi magis probatur, quod ſincere & abſque ſimulatione remittere ſe teſtetur. Solet enim hac loquutione exprimere puram & minime fucatam rectitudinem. Quod ſi cui tamen prior ille ſenſus arrideat, notandum erit, Chriſti perſonam in medium ſtatui: quia nihil eſt quod magis ad miſericordiam flectere nos debeat.

11. *Ne occupemur à Satana.*] Poteſt referri ad id quod ſuperius dixerat de immodica triſtitia. Eſt enim illa peſſima Satanæ circumventio, quum excuſſa omni conſolatione, quaſi deſperationis abyſſo nos abſorbet. atque ita exponit Chryſoſtomus. Ego tamen ad Paulum & Corinthios referre malo. Duplex enim illis erat periculum à Satanæ inſidiis: nempe ſi nimium fuiſſent auſteri ac moroſi: vel ſi orta fuiſſet inter eos diſſenſio. Accidit enim perſæpe ut pro correctionis zelo obrepat Phariſaicus rigor, qui miſerum peccatorem præcipitet magis quam ſanet. Sed de ſecundo potius loquitur, mea quidem ſententia: niſi enim aliquatenus Corinthiorum voro obſecundaſſet Paulus, Satan diſſidio inter eos conflam invaluiſſet. *Non enim cogitationes.* Hoc eſt, Scimus à Domino moniti, hunc aſſidue lapidem ab eo moveri, ut quum palam nos perdere nequit, occulte adoriendo, incautos opprimat: quum ergo noverimus, obliquis artibus ab eo nos impeti, & clandeſtinis molitionibus oppugnari: longe proſpiciendum ne qua nobis noceat. Cogitationes hic poſuit ſicut Hebræi utuntur voce מזמה, ſed in malam partem, pro aſtutis conſiliis & machinationibus, quæ fidelibus non debent eſſe incognitæ: neque erunt, modo ſe tradant Spiritui Dei regendos. In ſumma, quum moneat Deus, Satanam omnia moliri, quo nos circumveniat: præterea doceat quibus modis circumvenire nos poſſit: noſtrum eſt niſture occurrere oe qua illi tima ad penetrandum pateat.

12. Porro quum veniſſem Troadem in Euangelium Chriſti: etiam oſtio mihi aperto in Domino.

13. Non habui relaxationem ſpiritui meo, eo quod non inveneram Titum fratrem meum: ſed illis valedicens, profectus ſum in Macedoniam.

14. Deo autem gratia, qui ſemper * triumphare nos facit in Chriſto, & odorem cognitionis ejus manifeſtat per nos, in omni loco.

* Vel, *triumphat per nos.*

15. Quia Chriſti ſuavis odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt & in iis qui pereunt.

16. His quidem odor mortis in mortem: illis vero odor vitæ in vitam. & ad hæc quis idoneus?

17. Non enim ſumus quemadmodum multi, adulterantes ſermonem Dei: ſed tanquam ex ſinceritate, tanquam ex Deo, in conſpectu Dei, in Chriſto loquimur.

12. *Quum veniſſem Troadem.*] Nunc commemorando quid interea egerit, ubi locorum fuerit, quod iter peregrinando tenuerit, magis ac magis confirmat quod ſuperius dixerat de ſuo ad Corinthios adventu. Dicit ſe Troadem ex Epheſo veniſſe, Euangelii cauſa. neque enim illac tranſeundum erat, in

Achaiam iter facturo, niſi per Macedoniam tranſire vellet. Sed quum illic Titum non inveniſſet, quem Corinthum miſerat, & per quem certior fieri debebat de ſtatu illius Eccleſiæ: tametſi multum illic prodeſſe poterat, & occaſionem habebat in manibus: dicit ſe tamen, omnibus poſthabitis, in Macedoniam veniſſe, ſtudio videndi Titi. Argumentum ſingularis cujuſdam erga Corinthios amoris, adeo fuiſſe de ipſis ſollicitum, ut nuſquam quieſceret, etiam magna ſpe profectus oblata, niſi rebus ipſorum cognitis. inde patet cur diſtulerit ſuum adventum. nolebat venire, niſi prius colloquutus eſſet cum Tito. Ea Titi deinde relatu intellexit, nondum maturum tunc fuiſſe veniendi tempus. perſpicuum ergo eſt, ita dilectos fuiſſe Corinthios à Paulo, ut profectiones ſuas omnes longoſque circuitus, eorum ſaluti attemperaret: pruinde ſerius quam promiſerat veniſſe ad eos, non quia fidei datæ oblitus, conſilium temere mutaſſet, aut abreptus fuiſſet aliqua levitate: ſed quia utilior illis eſſet mora. *Etiam oſtio mihi aperto.* De hac metaphora dictum eſt in poſtremum caput prioris Epiſtolæ. ſignificat occaſionem Euangelii promovendi fuiſſe ublatam. Sicuti enim oſtio aperto patet ingreſſus: ita progreſſus faciunt ſervi Domini, quum datur facultas. Clauditur oſtium, ubi nulla ſpes fructus oſtenditur. Sicuti autem oſtio clauſo novum iter potius ingredi convenit, quam ultra tendendo, fruſtra nos inutili labore fatigare: ita ubi apparet ædificandi facultas, exiſtimemus oſtium Dei manu nobis apertum, ut illuc Chriſtum inferamus, neque ſubtrahamus noſtrum obſequium tam benignæ Dei invitationi. Verum in eo peccaſſe videtur Paulus, quod neglecta, aut ſaltem relicta præſenti facultate, io Macedoniam ſe contulerit. Nonne potius inſiſtere oportuit operi quod ad manum habebat, quam poſt illud leviter inchoatum, alio repente ſe proripere? & jam diximus, oſtii apertionem teſtimonium eſſe divinæ vocationis: quod veriſſimum eſt. Reſpondeo, Paulum quum nequaquam uni Eccleſiæ addictus eſſet, ſed multis ſimul obligatus, non debuiſſe præſenti unius aſpectu aliarum curam deponere. Deinde quo plus habebat conjunctionis cum Eccleſia Corinthiaca, debuiſſe eo propenſiorem eſſe ad illam juvandam: ſic enim reputandum eſt, æquum fuiſſe ut Eccleſiam quam miniſterio ſuo fundaverat, ſingulari affectu complecteretur. ſicuti hodie noſtrum quidem officium eſt, toti Eccleſiæ ſervire, curareque univerſum ejus corpus: unicuique tamen major & ſanctior eſt neceſſitudo cum ſua Eccleſia, cui proprie ſervit. Res Corinthi parum feliciter habebant, ut de exitu non vulgariter anxius foret Paulus. non igitur mirum ſi hoc ſtimulo compulſus, ab occaſione alioqui non negligenda diſceſſerit, quum ad omnes partes ſimul obeundas nequaquam ſufficeret. Quanquam veriſimile non eſt, Troade pedem moviſſe quin prius io oſtium illud apertum aliquem ſuo loco induceret.

14. *Deo autem gratia*] Hic de miniſterii ſui ſucceſſu iterum gloriatur: & quam non fuerit ipſe otioſus, quocunque locorum veniſſet, prædicat. verum ut abſque invidia hoc faciat, incipit à gratiarum actione, quam poſtea adhuc repetet. Non extollit autem per ambitionem res ſuas geſtas, ut ſuum oomen efferatur: neque per ſimulationem Deo gratias agit, inſtar Phariſæi, faſtu interea & arrogantia inflatus: ſed ex animo cupit agnoſci ſolius Dei opus quicquid erat laude dignum, ut ſola ejus potentia magnifiat. & laudes ſuas commemorat in Corinthiorum bonum: ut quum audiunt, alibi tanto cum fructu eum ſerviſſe Domino, non patiantur inutilem eſſe apud ſe ejus laborem: & revereri diſcant ejus miniſterium, quod Deus ubique tam glorioſum ac frugiferum reddebat. Nam quod Deus tam magnifice honorat, contemnere aut parvi æſtimare, nefas eſt. Nihil autem magis noxium erat Corinthiis, quam de Pauli Apoſtolatu & doctrina maligne ſentire: nihil rurſum utilius quam honorifice utrumque amplecti. cœperat autem contemptui haberi apud multos; itaque tacere non debuit. Adde quod improborum maledicentiæ ſanctam hanc gloriationem opponit. *Qui triumphare facit nos.* Si reddas verbum verbo, erit, Qui nos triumphat. ſed aliud ſentit Paulus, quam quod ſignificat Latinis hæc loquutio. Triumphari enim dicuntur captivi, qui ignominiæ cauſa, vincti catenis ante victoris currum trahuntur. Paulus autem intelligit, ſe quoque triumphi quem Deus agebat, fuiſſe participem, quod eſſet opera ſua acquiſitus: qualiter legati currum primarii ducis, equis inſidentes comitabantur tanquam honoris ſocii. Ergo quemadmodum ſub Dei auſpiciis militant omnes Euangelii miniſtri: ita & victoriam illi & triumphi honorem acquirunt, verum ſingulos pro gradu militiæ, io quo eos collocavit, & pro induſtria ſibi navata, triumphi ſocietate dignatur. Ita triumphum quidem agunt, ſed Dei magis quam ſuum. Addit, *In Chriſto*, in cujus perſona triumphat Deus ipſe, ſicut in eum contulit omnem imperii gloriam. Siquis reddere malit, Qui triumphat per nos: ſenſus eo quoque modo non male conſtabit. *Odorem cognitionis.* Triumphus erat, quod potenter & magnifice Deus per ipſum operabatur, odore gratiæ ſuæ ſalvifico mundum perfundens, dum per ejus doctrinam quoſdam adducebat ad Chriſti cognitionem. continua eſt autem metaphora Odoris, qua tam amabilis Euangelii ſuavitas, quam vis & efficacia exprimitur, ad vitam ſperandam. Interea admonet Paulus, adeo inſipidam non eſſe ſuam prædicationem, ut ſolo odore animas vivificet. hinc vero diſcamus, non alios rite proficere in Euangelio, quam qui bona Chriſti fragrantia incitantur ad eum expetendum, ut mundi illecebris valedicant. Dicit autem, *In omni loco:* quibus verbis ſignificat, nuſquam ſe venire ubi non fructificet: ac ubicunque ſit, illic extare operæ ſuæ pretium. Sciebant Corinthii, quot locis Chriſti Euangelium ante ſparſiſſet: dicit nunc, ultima primis quadrare.

15. *Chriſti ſuavis odor.*] Quam metaphoram aptaverat Chriſti notitiæ, nunc ad perſonas Apoſtolorum transfert: ſed eadem ratione. quemadmodum enim lux mundi vocantur, quia facem Euangelii præferendo, homines illuminent, non autem quia proprio ſplendore illis præluceant: ita odoris nomen habent, non quia fragrantiam ex ſeipſis ullam emittant, ſed quia doctrina quam ferunt, odorifera ſit ad imbuendum ſuaveolentia ſua totum mundum. Certum eſt autem, elogium hoc competere omnibus Euangelii miniſtris: quia ubicunque pura eſt ac non fucata Euangelii prædicatio, illic reperietur vis odoris, quam hic prædicat Paulus. Non dubium tamen quin de ſe ac ſui ſimilibus peculiariter agat, in ſuam laudem vertens quod obtrectatores vitio dabant. quod enim à multis impugnaretur, quod multorum odiis eſſet expoſitus, inde eum vilipendebant. Reſpondet ergo, fidos & ſinceros Euangelii miniſtros ſuaviter olere coram Deo: non tantum quum ſalutari odore animas vivificant: ſed etiam quum exitium afferunt infidelibus. itaque Euangelium nihilo propterea minoris æſtimandum. Uterque Deo gratus eſt odor, inquit: & quo electi recreantur in ſalutem, & quo reprobi enecantur. Præclarus locus, quo docemur qualiſcunque ſit eventus noſtræ prædicationis, hoc tamen ipſum Deo placere ſi Euangelium prædicetur, gratumque illi eſſe noſtrum obſequium: nec quicquam decedere ex dignitate Euangelii, quia non omnibus proſit. nam in eo quoque glorificatur Deus, quod reprobis cedit in exitium: adeoque ſic evenire oportet. Quod ſi Deo ſuavis eſt odor, nobis quoque eſſe debet: hoc eſt,

non

non convenit nos offendi, ſi Euangelii prædicatio non omnibus ſit ſalutaris: ſed potius reputemus, abunde ſufficere ſi juſtam reprobis damnationem afferendo, Dei gloriam promoveat. Verum ſi in mundo fœteant Euangelii præcones, quia ſucceſſus non per omnia votis reſpondeat: habent eximium ſolatium, quod adolent ſuffitum Deo bonæ fragrantiæ, fœtorque ille mundi Deo & Angelis bonus eſt odor. Vocabulum Odoris magnam habet emphaſin: perinde enim valet acſi dixiſſet, Tanta eſt vis Euangelii in utramque partem, ut non guſtu ſolum, ſed olfactu ſolo aut vivificet aut interficiat. Quicquid ſit, nunquam fruſtra prædicatur, quin valeat aut in vitam aut in mortem. Sed quæritur qui conveniat hoc cum natura Euangelii, quod paulo poſt vocabit miniſterium vitæ. Reſponſio facilis eſt, quod Euangelium prædicatur in ſalutem, id eſſe illius proprium: ſed hujus ſalutis participes eſſe ſolos fideles: interea incredulis eſſe damnationis occaſionem, quod ab eorum vitio contingit. Ita Chriſtus non venit in mundum, ut mundum condemnaret. quid enim opus erat, quum ſimus extra ipſum omnes damnati? Apoſtolos tamen ad ligandum non minus quam ad ſolvendum, & ad retinenda non minus quam remittenda peccata, mittit. Lux eſt mundi, ſed infideles excæcat: petra eſt fundamentalis, ſed multis etiam lapis offendiculi. Semper ergo diſtinguendum eſt proprium Euangelii officium ab accidentali (ut ita loquar) quod hominum pravitati imputandum eſt: qua fit, ut vita illis vertatur in mortem.

16. *Et ad hæc.*] Exclamatio hæc quibuſdam videtur eſſe interpoſita ad vitandam arrogantiam: quia fateatur rem eſſe humana facultate ſuperiorem, bonum Chriſto Apoſtolum ſe præſtare. ſic autem laus in Deum transſcribitur. Alii putant notari bonorum miniſtrorum paucitatem. Ego tacitam antitheſin ſubeſſe exiſtimo, quæ ſtatim exprimitur. acſi diceret, Vulgaris quidem eſt profeſſio, & multi confidenter ſe jactant: ſed rem ipſam habere, raræ eſt eximiæque virtutis. nihil mihi uſurpo quod non in me comperiatur, ſi eo ventum fuerit. Ergo quum titulum ſibi promiſcue uſurpent, quibus docendi officium inter ſe commune eſt, Paulus excellentiam peculiarem ſibi vendicans, ab eorum grege ſe eximit, qui nulla aut exigua Spiritus virtute pollebant.

17. *Non enim ſumus.*] Jam apertius pſeudoapoſtolis ſe opponit, atque id amplificandi cauſa, & ſimul ut eos à laude quam ſibi vendicavit, excludat. Jure, inquit, de meo Apoſtolatu magnifice loquor. non enim vereor ne arguar vanitatis ſi rei experimentum quæritur. Sed multi falſo idem ſibi arrogant, qui nihil reperientur habere mecum ſimile. verbum enim Domini adulterant: quod ego ſumma fide & ſinceritate in Eccleſiæ ædificationem adminiſtro. Cæterum non eſt mihi veriſimile, qui hic taxantur, doctrinas palam impias aut falſas prædicaſſe: ſed potius arbitror eos aut quæſtus aut ambitionis cauſa, rectum doctrinæ uſum corrupiſſe, ut omni energia careret. Id vocavit *adulterare*. Eraſmus Cauponari maluit. Græcum verbum καπηλεύειν à propolis ſumptum eſt, aut cauponibus, quibus mos eſt ſuas merces fucare, quo pluris veneant. In hac ſignificatione an verbum Cauponari legatur apud Latinos, neſcio. Certum quidem eſt ex contrario membro, Paulum hic doctrinæ corruptelam voluiſſe exprimere: non quia à veritate deficerent, ſed quod eam fucatam proponerent, non in genuina ſua ſinceritate. Dupliciter enim corrumpitur Dei doctrina: directe, quum falſitati & mendaciis admiſta, non amplius pura nec germana Dei doctrina eſt, ſed falſo ſub hoc titulo commendatur: indirecte, quum retenta puritate, flectitur tamen huc & illuc in hominum gratiam, & indignis lenociniis deformatur, ad aucupandum favorem. quemadmodum reperientur nonnulli, in quorum doctrina nulla erit impietas: ſed quia aut plauſus mundi venantur, acumen ſuum & facundiam venditando: aut locum aliquem ambiunt, aut inhiant turpi lucro, aut emergere quoquo modo cupiunt: depravant nihilominus ipſam doctrinam, qua perperam abutuntur, & quam pravis ſuis cupiditatibus ſervire faciunt. Retineo igitur libenter Adulterandi verbum: quia melius exprimit quid evenire omnibus ſoleat, qui ſacroſancto Dei verbo tanquam pila ludunt, ac illud transfigurant prout illis eſt commodum. Neceſſe enim eſt ut degenerent à veritate, & factitium quoddam adulterinumque Euangelium prædicent. *Sed tanquam ex ſinceritate.* Nota ſimilitudinis hic ſupervacua eſt, ut aliis multis locis. Corruptelæ cujus meminerat, primum opponit ſinceritatem, quæ tam ad prædicationis formam quam ad affectum animi referri poteſt: mihi hoc ſecundum magis probatur. Deinde fidam & religioſam diſpenſationem: quod ipſe Euangelium ſibi à Deo commiſſum, & apud ſe depoſitum, de manu in manum (quod aiunt) Eccleſiæ fideliter tradat. Tertio adjungit intuitum divinæ præſentiæ. Nam hæc tria quiſquis habuerit, non eſt periculum ne verbum Dei corrumpere in animum inducat. primum eſt, ut recto Dei zelo agamur: alterum, ut meminerimus ejus negotium nos agere, nec quicquam proferamus niſi ab ipſo profectum: tertium, ut cogitemus, nihil niſi ipſo teſte ac ſpectatore nos agere: atque ita omnia ad ejus judicium referre diſcamus. *In Chriſto* perinde valet ac Secundum Chriſtum. Nam quod Eraſmus reddidit Per Chriſtum, nihil ad Pauli mentem.

CAP. III.

INcipimus rurſum noſipſos commendare? numquid ſicuti quidam, commendatitiis epiſtolis opus habemus ad vos, aut commendatitiis à vobis?
2. Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ cognoſcitur & legitur ab omnibus hominibus.
3. Dum palam fit, vos eſſe epiſtolam Chriſti, ſubminiſtratam à nobis, ſcriptam non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis.

1. *Incipimus.*] Apparet hoc quoque fuiſſe illi objectum, quod nimius eſſet in prædicandis rebus ſuis geſtis: & quidem ab iis, quibus dolebat, quam appetebant nominis gloriam, ejus magnitudine ſuffocari. Jam ergo in priore Epiſtola (meo judicio) hoc reprehenderant, quod in ſe laudando immodicus foret. *Commendare* hic ſignificat inaniter ſe jactare, & præter modum, aut certe ambitionis cauſa laudes ſuas recenſere. Habebant ſpecioſum prætextum Pauli calumniatores, quod per ſe putida res ſit & odioſa, propriæ laudis buccinatorem eſſe. ſed Paulum excuſabat neceſſitas, quod nonniſi coactus gloriabatur. Finis etiam liberabat eum ab omni calumnia: quoniam non aliud ſpectabat quam ut Apoſtolatus ſui honor ſalvus maneret in Eccleſiæ ædificationem. niſi enim imminutus fuiſſet Chriſti honor, facile tacitus ſiviſſet de ſua exiſtimatione detrahi. Videbat etiam hoc plurimum nocere Corinthiis, quod auctoritate minus apud eos valeret. Primum ergo calumniam eorum adducit: ſignificans ſe non prorſus eſſe ignarum quinam apud eos ſermones volitaſſent. *Numquid opus habemus.* Reſponſio eſt magis ad per-

ſonam quam ad rem (ut vulgo dicunt): tametſi de re poſtea dicet quantum ſatis erit. Sed nunc eorum malignitatem arguit, quod moleſte ferebant, ſiquando invitus, adeoque ipſis cogentibus mentionem faceret gratiæ ſibi à Deo collatæ: quum ipſi epiſtolas hinc inde emendicarent, ambitioſis tantum commendationibus farctas. Negat ſibi verborum commendatione opus eſſe: quum factis ſuis abunde laudetor. jejunam autem in illis gloriæ cupiditatem demonſtrat, quod per hominum ſuffragationes ſe inſinuarent. hoc modo eleganter & appoſite refellitur eorum calumnia. Neque tamen inde colligendum eſt, ſimpliciter & per ſe rem eſſe malam, commendationes accipere, qua in bonum finem utaris. Ipſe enim Paulus multos commendat: non facturus, ſi eſſet illicitum. Sed duo hic requiruntur: ut non ſit commendatio blanditiis elicita, ſed enucleatum teſtimonium: deinde ne promovendi hominis cauſa detur, ſed tantum ut regno Chriſti promovendo ſerviat. Ideo dixi, Paulum habuiſſe eorum reſpectum, quorum fuerat calumniis impetitus.

2. *Epiſtola noſtra vos.*] Non caret artificio, quod ſuam gloriam conſtituit in ſalute Corinthiorum: acſi diceret, Quamdiu eritis Chriſtiani, ſatis habebo commendationis. Fides enim veſtra me prædicat: quia Apoſtolatus mei eſt ſigillum. Quum dicit *ſcriptum in cordibus*, hoc de Sylvano & Timotheo poteſt intelligi. & tunc erit ſenſus, Nos contenti ſumus hac laude quam ex reipſa conſequimur. aliorum commendationes in oculis hominum volitant: hæc noſtra ſuam ſedem habet in conſcientiis. Poteſt etiam ad Corinthios ex parte referri, hoc ſenſu, Qui commendationes impetrant, non habent in conſcientia quod in charta ſcriptum geſtant: & qui commendant alios, indulgentia ſæpe magis id faciunt quam judicio: nos vero utrimque inſculptum in cordibus habemus Apoſtolatus noſtri teſtimonium. *Quæ cognoſcitur.* Poſſet etiam legi, Quæ cognoſcitur & agnoſcitur, propter dubiam ſignificationem verbi [illegible]: & neſcio an non melius conveniret. nolui tamen diſcedere à recepta translatione, niſi coactus. Tantum admonitus ſit lector ut conſideret utrum ſit melius. Si Agnoſci legamus, tacita inter certam & perſpectæ fidei epiſtolam, & inter ſuppoſititias erit antitheſis. Et certe quod proxime ſequitur, in hanc partem magis propendet: quia epiſtola Chriſti ementitis & falſis opponitur.

3. *Vos eſſe epiſtolam Chriſti.*] Perſeverans in metaphora, dicit epiſtolam à Chriſto ſcriptam eſſe: quia opus illius erat Corinthiorum fides. *Subminiſtratam* à ſe dicit, quaſi fuerit vice calami & atramenti. Denique Chriſtum facit auctorem, ſe vero organum: ut calumniatores intelligant ſibi cum Chriſto eſſe negotium, ſi maligne contra obtrectare pergant. Quæ ſequuntur, poſita ſunt ad exaggerandam Epiſtolæ hujus auctoritatem. ſecundum vero jam ſpectat ad comparationem Legis & Evangelii. Hac enim occaſione paulo poſt ad eam deſcendet, ſicut videbimus. Antitheſes *atramenti & Spiritus, lapidum & cordis*, ad auxeſin non parum valent. Plus enim exprimit, quum atramentum opponit Dei Spiritui, lapides cordi, quam ſi Spiritum & cor ſine contentione nominaſſet. *Non in tabulis lapideis.* Alludit ad promiſſionem quæ habetur Jerem. 31. verſ. 31. & Ezech 37. v. 26. de gratia novi Teſtamenti. Percutiam, inquit, fœdus novum cum ipſis, non quale pepigeram cum Patribus eorum: ſed inſcribam cordibus eorum leges meas, & viſceribus eorum inſculpam. Item, Auferam cor lapideum in medio tui, & dabo tibi cor carneum, ut ambules in præceptis meis. Hoc beneficium in ſua prædicatione fuiſſe impletum dicit Paulus. unde palam apparet, fidum eſſe novi fœderis miniſtrum: quæ legitima eſt Apoſtolatus approbatio. Epithetum *carnei*, non capitur hic in malam partem, ſed molle & flexibile ſignificat: quoniam opponitur Lapideo, hoc eſt, duro & contumaci: quale eſt cor hominis à natura, donec ſubactum Dei Spiritu fuerit.

4. Fiduciam autem ejuſmodi per Chriſtum habemus erga Deum.

5. Non quod idonei ſimus ex nobis ad cogitandum quicquam, tanquam ex nobis: ſed facultas noſtra ex Deo eſt.

6. Qui nos fecit idoneos miniſtros novi Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus. nam litera quidem occidit: Spiritus autem vivificat.

7. Quod ſi miniſterium mortis in literis inſculptum in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent intueri filii Iſrael in faciem Moſis propter gloriam vultus ejus, quæ aboletur:

8. Quomodo non magis miniſterium Spiritus erit in gloria?

* vel, excellat. 9. Si enim miniſterium damnationis, gloria: quomodo non magis * abundet miniſterium juſtitiæ, in gloria?

10. Etenim quod glorificatum fuit, in hac parte, non fuit glorificatum propter antecellentem gloriam

11. Si enim quod aboletur, per gloriam: multo magis quod manet, erit in gloria.

4. *Fiduciam autem.*] Quia magnificum erat encomium illud, quo ſe ac ſuum Apoſtolatum ornarat Paulus: ne quid de ſe arrogantius quam par ſit, prædicare videatur, totam gloriam in Deum transfert, à quo fatetur ſibi datum quicquid habet. Hac, inquit, jactantia Deum magis quam meipſum extollo, cujus gratia ſum quicquid ſum. Addit, *Per Chriſtum*, ſuo more, quod hic veluti canalis eſt, per quem ad nos omnia Dei beneficia fluunt.

5. *Non quod idonei.*] Non eſt hæc fictæ modeſtiæ ſubmiſſio, quod ita ſibi omnia adimit: ſed quod ſentit, ex animo loquitur. Videmus autem ut nihil homini reliquum faciat. Eſt enim minima fere pars boni operis, cogitatio: hoc eſt, neque primas, neque ſecundas laudis partes habet. atqui ne hanc quidem nobis concedit. Quum minus ſit *cogitare* quam velle, quantum deſipiunt qui ſibi rectam voluntatem arrogant: quando ne bene cogitare quidem illis relinquit Paulus? Papiſtæ decepti ſunt vocabulo Sufficientiæ, quod poſuerat vetus Interpres. nam ſe elapſos putant, ſi fateantur hominem non eſſe parem capiendis bonis conſiliis: interea vero tribuant illi rectam mentis intelligentiam, quæ à Deo paululum adjuta, per ſe aliquid valeat. Paulus autem non [illegible] modo, ſed etiam [illegible] homini ſuppetere negat: quæ tantundem valet ac idoneitas, ſi hoc verbum Latinis in uſu foret. non poterat igitur magis hominem nudare omni bono.

6. *Qui nos fecit idoneos.*] Confeſſus fuerat ſe prorſus eſſe ineptum: nunc ſe Dei gratia aptatum ad munus prædicat, cui ante erat inutilis. Unde ejus magnitudo & difficultas colligitur: quando à nemine obiri poteſt qui non fuerit ante à Deo comparatus & formatus. Atque hoc etiam Apoſtoli conſilium

ſilium eſt, extollere Euangelii dignitatem. nec dubium eſt quin oblique eorum inopiam perſtringat qui ſuas dotes magnifice jactabant, quum ne una quidem cœleſtis gratiæ gutta eſſent prædíti. *Non literæ, ſed Spiritus.* Nunc comparationem perſequitur Legis & Euangelii, quam prius attigerat. Incertum eſt autem, inductusne ad hanc diſputationem fuerit, quod videret perverſos quoſdam Legis æmulatores eſſe Corinthi: an alia occaſione eam ſuſceperit. Ego, quia nullo argumento mihi apparet, pſeudoapoſtolos illic Legem Euangelio permiſcuiſſe, magis exiſtimo, quum negotium haberet cum frigidis declamatoribus, qui garrulitate tantum favorem captarent, videretque Corinthiorum aures tali oſtentatione deliniri: voluiſſe illis oſtendere quæ præcipua eſſet Euangelii virtus, & quæ præcipua laus miniſtrorum: porro hanc reponit in efficacia Spiritus. Ad id probandum, mediocriter valebat Legis & Euangelii comparatio. hæc mihi ratio fuiſſe videtur, cur ad eam deſcenderit. Cæterum non dubium eſt quin per Literam vetus Teſtamentum intelligat: ſicuti Euangelium, Spiritus nomine. nam quum ſe dixiſſet miniſtrum novi Teſtamenti, continuo vice expoſitionis adjecit, ſe miniſtrum eſſe Spiritus: & literam oppoſuit Spiritui. Nunc excutienda eſt ratio hujuſce appellationis. Invaluit Origenicum illud commentum, per Literam ſenſum Scripturæ grammaticum & genuinum (quem literalem vocant) debere intelligi: per Spiritum vero ſenſum allegoricum, qui vulgo cenſetur ſpiritualis. Itaque nihil aliquot ſeculis magis tritum fuit receptum, quam hic clavem à Paulo tradi Scripturæ per allegorias exponendæ: quum tamen hoc ſit ab ejus mente alieniſſimum. Nam Literæ nomine ſignificat externam prædicationem, quæ cor non attingat: per Spiritum vero, doctrinam vivam, quæ efficaciter operetur in animis per gratiam Spiritus. Litera ergo perinde valet ac literalis prædicatio, hoc eſt, mortua & inefficax, quæ tantum auribus percipitur. Spiritus autem eſt doctrina ſpiritualis, hoc eſt, quæ non ore tantum pronunciatur, ſed efficaciter in animas uſque vivo ſenſu
Jere. 31. penetrat. Reſpexit enim Paulus ad locum Jeremiæ,
verſ. 31. quem nuper citavi: ubi Dominus Legem ſuam voce promulgatam fuiſſe dicit: & ideo parvæ fuiſſe durationis, quia populus eam minime amplexus fuerit ex corde: promittit autem Spiritum regenerationis ſub regno Chriſti, qui Euangelium ſuum, hoc eſt, fœdus novum, cordibus inſcribat. Nunc ejus prophetiæ complementum Paulus gloriatur in ſua prædicatione extare: ut agnoſcant Corinthii quam nihil ſit loquacitas Thraſonum, qui abſque Spiritus energia declamitant. Verum quæritur an Deus ſub veteri Teſtamento inſonuerit tantum externa voce: non autem intus loquutus ſit piorum cordibus per Spiritum. Primo reſpondeo, Paulum conſiderare quid fuerit proprium Legis: nam quamvis Deus tunc per Spiritum operaretur, illud tamen non erat ex miniſterio Moſis, ſed ex Chriſti gratia. Quemadmodum habetur Joannis 1, v. 17. Lex per Moſen, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum. Certe gratia Dei toto illo tempore otioſa non fuit: ſed ſufficit quod non fuerit proprium Legis beneficium. Moſes enim partibus ſuis defunctus erat, quum vitæ doctrinam tradidiſſet, additis minis & promiſſionibus. Hac ratione Legem vocat literam, quia per ſe mortua ſit prædicatio: Euangelium vero Spiritum, quia vivax ſit, imo vivificum ejus miniſterium. Deinde reſpondeo, non ſimpliciter tam de Lege quam de Euangelio hæc prædicari, ſed quatenus unum alteri opponitur: nam & Euangelium non ſemper eſt Spiritus. Sed ubi ad collationem utriuſque venitur, vere & congruenter dicitur, Legis naturam eſſe, literaliter docere homines, ita ut ultra aures non penetret: Euangelii autem naturam eſſe, ſpiritualiter docere, quia gratiæ Chriſti ſit inſtrumentum. Hoc ex Dei ordinatione pendet, cui placuit efficaciam Spiritus in Euangelio magis quam in Lege exerere. ejus enim ſolius opus eſt, efficaciter docere animos. Porro quod Paulus vocat ſe miniſtrum Spiritus, eo non intelligit, gratiam Spiritus ſancti ac vim ſuæ prædicationi eſſe alligatam, ut quoties libuerit, una cum voce Spiritum è gutture proferat. hoc tantum vult, Chriſtum ſuo miniſterio benedicere, atque ita implere quod de Euangelio prædictum eſt. Aliud autem eſt, Chriſtum adjungere hominis doctrinæ ſuam virtutem, quam hominis doctrinam per ſe tantum valere. Miniſtri ergo Spiritus ſumus, non quia incluſum eum teneamus, & quaſi captivum: non quia pro arbitrio conferamus ejus gratiam omnibus, aut quibus placuerit: ſed quia Chriſtus per nos mentes illuminat, renovat corda, totos denique homines regenerat. Ejuſmodi conjunctio & nexus Chriſti gratiæ cum labore hominis, facit ut ſæpe miniſtro adſcribatur quod ſolius Domini eſt. nam tunc non reſpicitur nuda hominis perſona, ſed tota Euangelii diſpenſatio, quæ conſtat tam arcana Chriſti virtute, quam externa hominis opera. *Nam litera occidit.* Hic locus ab Origene primum, deinde ab aliis perperam detortus fuit in adulterinum ſenſum. unde ſequutus eſt valde pernicioſus error, quod putarunt Scripturæ lectionem non vanam modo, ſed noxiam quoque fore, niſi ad allegorias traheretur. Hic error fons fuit multorum malorum. Neque enim modo permiſſa fuit licentia germanum Scripturæ ſenſum adulterandi: ſed quo quiſque audacior fuit in eo genere, eo excellentior habitus fuit Scripturæ interpres. ita impune luſerunt multi ex veteribus ſacro Dei verbo, non ſecus ac pila verſatili. Hac occaſione etiam hæreticis frena laxata ad turbandam Eccleſiam. nam quum quidlibet ex quolibet facere, uſu receptum eſſet: nullum fuit tam abſurdum vel prodigioſum delirium, quod non colore aliquo allegoriæ induci poſſet. Boni etiam abrepti ſunt, ut plurimas fingerent perverſas opiniones, allegoriarum dulcedine decepti. Senſus autem hujus loci eſt, Verbum Dei ſi ore tantum profeſratur, mortis eſſe cauſam: tunc demum eſſe vivificum ubi corde ſuſcipitur. Voces ergo Literæ & Spiritus, nihil ad expoſitionem pertinent, ſed ad vim & fructum. Cur autem mortifica vocetur doctrina quæ aures tantum verberans, cor non attingit, mox videbimus.

7. *Quod ſi miniſterium mortis.*] Jam dignitatem Euangelii amplificat eo argumento, quod Legem Deus magno honore dignatus eſt: quæ tamen nihil ad Euangelium. Multis miraculis Lex fuit illuſtrata: ſed hic Paulus unum attingit, nempe tantum in facie Moſis ſplendorem refulſiſſe, qui omnium oculos perſtringeret. ſplendor ille ſymbolum erat gloriæ Legis. Nunc à minori ad majus argumentatur, decere ut Euangelii gloria magnificentior appareat, quum longo intervallo antecellat Legem. Primum vocat Legem, miniſterium mortis: ſecundo, ejus doctrinam literis & atramento exaratam eſſe dicit: tertio, inſculptam fuiſſe in lapidibus: quarto, non perpetuæ fuiſſe durationis, ſed ejus ſtatum fuiſſe temporalem & caducum: quinto iterum vocat miniſterium damnationis. Quo plenæ eſſent antitheſes, debuit Euangelio totidem membra ex adverſo aptare: ſed tantum vocavit miniſterium Spiritus, & juſtitiæ, & quod perpetuo manet. Si verba inſpicias, non eſt integra relatio: verum quod ad rem, ſufficit. dixerat enim Spiritum eſſe vivificum: deinde, corda habere pro lapidibus, & voluntatem pro atramento. Excutiamus nunc breviter iſta Legis & Euangelii attributa. ſed meminerimus eum non loqui de tota doctrina quæ continetur in Lege & Prophetis: neque etiam tractare quid Patribus ſub Veteri Teſtamento acciderit: ſed attingere duntaxat quid peculiariter conveniat miniſterio Moſis. Lex in lapidibus inſculpta fuit: ideoque literalis erat doctrina. hic Legis defe-

defectus corrigendus fuit per Euangelium: quia fragilem eſſe oportuit, quamdiu tabulis lapideis tantum erat conſignata. Euangelium ergo fœdus eſt ſanctum & inviolabile: quia percuſſum Spiritu Dei ſponſore. Hinc quoque ſequitur, Legem miniſterium fuiſſe damnationis & mortis. ubi enim docentur de ſuo officio homines, audiuntque omnes qui non ſatisfaciunt Dei juſtitiæ, eſſe maledictos: peraguntur rei peccati & mortis. ergo ex Lege nihil quam reatum ejuſmodi reportant: quia illic Deus exigit quod ſibi debetur: facultatem vero præſtandi non confert. Euangelium autem quo regenerantur homines, & per gratuitam peccatorum remiſſionem Deo reconciliantur, miniſterium eſt juſtitiæ, & proinde etiam vitæ. Hic tamen exoritur quæſtio, Quum Euangelium ſit odor mortis in mortem nonnullis, & Chriſtus ſit petra ſcandali, & lapis offenſionis, poſitus in ruinam multorum; cur in ſolam Legem competere dicat quod eſt utrique commune. Si reſpondeas, fieri per accidens, quod Euangelium mortis eſt materia, adeoque occaſionem magis eſſe quam cauſam, quum ſuapte natura ſit omnibus ſalutare: nondum ſoluta erit difficultas. nam & de Lege idem vere reſpondebitur. Audimus enim quid conteſtatus ſit Moſes populo: nempe vitam & mortem ſe propoſuiſſe. audimus quid Paulus ipſe ad Romanos capite 7. verſ. 10. dicat: nempe Legem nobis in exitium ceſſiſſe, non ſuo vitio, ſed noſtra malitia. Ergo quum tam Legi quam Euangelio accidentale ſit, damnationem afferre hominibus: nodus adhuc manet. Reſpondeo, id non obſtare quin longum ſit diſcrimen. tametſi enim Euangelium multis eſt damnationis occaſio: ideo tamen merito vitæ doctrina cenſetur, quod inſtrumentum eſt regenerationis, & offert gratuitam cum Deo reconciliationem. Lex autem, quia tantum regulam bene vivendi præſcribit, non reformat corda in obedientiam juſtitiæ, & mortem æternam denunciat tranſgreſſoribus, nihil aliud quam damnare poteſt. Aut ſi aliter mavis, Legis officium eſt, morbum oſtendere, ita ut nullam oſtendat ſpem ſanationis: Euangelii officium eſt, deſperatis remedium afferre. nam Lex quum hominem relinquat in ſeipſo, morti eum neceſſario adjudicat. Euangelium autem ad Chriſtum adducens, vitæ januam aperit. Ita uno verbo habemus, Legis accidens eſſe perpetuum & inſeparabile, quod occidit: quoniam ut alibi dicit Apoſtolus, quicunque ſub ea manent, maledictioni ſunt obnoxii. Euangelio autem non ſemper accidere, ut occidat: quia in eo revelatur juſtitia Dei ex fide in fidem, ideoque potentia Dei eſt in ſalutem omni credenti. Reſtat ultimum attributum: Legem temporariam fuiſſe dicit Apoſtolus, quæ debuerit aboleri: Euangelium perpetuo manere. Plures ſunt rationes cur miniſterium Moſis vocetur caducum: nam umbras ceſſare oportuit Chriſti adventu. & ſententia illa longius quam ad umbras extenditur, Lex & Prophetæ uſque ad Joannem. Significat enim, Chriſtum Moſis miniſterio, quod illi peculiare fuit & ab Euangelio ſeparatum, finem attuliſſe. Poſtremo Dominus infirmitatem veteris Teſtamenti inde provenire teſtatur per Jeremiam, quod non inſculptum eſſet cordibus. Ego abolitionem Legis cujus hic fit mentio, interpretor de toto veteri Teſtamento, quatenus Euangelio opponitur: ut cum illo conveniat, Lex & Prophetæ uſque ad Joannem. nam id contextus poſtulat. Paolus enim non de ſolis ceremoniis hic diſputat: ſed docet quanto potentius vim ſuam exerat Dei Spiritus in Euangelio, quam olim ſub Lege. *Ita ut non poſſent intueri.* Videtur oblique voluiſſe carpere eorum arrogantiam, quibus deſpectui erat Euangelium, tanquam nimis humile: ut vix recto intuitu ipſum dignarentur. Tantus, inquit, Legis erat fulgor, ut eam ferre Judæi non poſſent. quid igitur de Euangelio ſentiendum, cujus dignitas tanto Legem ſuperat, quanto Moſe excellentior eſt Chriſtus?

[Margin: ſupra, 2. verſ. 16. Luc. 2. verſ. 34. 1 Pet. 2. verſ. 8. — Deut. 30. verſ. 15. — Galat. 3. verſ. 10. — Rom. 1. v. 17, 18. — Mat. 11. verſ. 13. — Jere. 31. verſ. 32.]

10. *Quod glorificatum fuit.*] Non eſt correctio ſuperiorum, ſed magis confirmatio. intelligit enim ſuffocari Legis gloriam, ubi prodit Euangelium. quemadmodum luna & ſtellæ per ſe quidem non modo lucidæ ſunt, ſed lumen ſuum diffundunt per totam terram, Solis tamen ſplendore evaneſcunt: ita Lex utcunque per ſe glorioſa fuerit, nulla tamen eſt ejus gloria præ Euangelii amplitudine. Unde ſequitur, neque ſatis magni fieri poſſe, nec ſatis reverenter ſuſpici Chriſti gloriam quæ in Euangelio relucet, perinde ac Solis fulgor in ſuis radiis: & inſulſe tractari Euangelium, imo perperam profanari, ubi non ſe profert vis ac majeſtas Spiritus, quæ in cælum mentes & corda rapiat.

* vel, libertate. Exod. 34. verſ. 34.

12. Habentes igitur hanc ſpem, multa * fiducia utimur.
13. Et non quemadmodum Moſes ponebat velamen ante faciem ſuam, ut non intuerentur filii Iſraël in finem ejus quod aboletur.
14. Sed excæcati ſunt ſenſus eorum. nam uſque in hunc diem velamen illud in lectione veteris Teſtamenti manet: nec tollitur, eo quod aboletur per Chriſtum.
15. Sed uſque in hodiernum diem, quum legitur Moſes, velamen eorum cordibus impoſitum eſt.
16. At ubi converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.
17. Dominus Spiritus eſt. ubi autem Spiritus Domini, illic libertas.
18. Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini in ſpeculo conſpicientes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.

12. *Habentes igitur hanc ſpem.*] Hic jam longius evehitur. neque enim tantum de Legis natura tractat, aut de perpetua illa qualitate quam diximus: ſed etiam de abuſu. Quanquam ad ejus naturam hoc quoque pertinebat, quod velo involuta, non adeo patebat oculis, & quod ſua claritate terrorem incutiebat: (unde idem Paulus alibi dicit, populum Iſraëliticum ab ea hauſiſſe ſpiritum ſervitutis in timorem) [Rom. 8. verſ. 15.] magis tamen hic de extraneo & adventitio abuſu loquitur. Erat tunc ubique grave offendiculum ex Judæorum pervicacia, quod Chriſtum obſtinate repudiabant. hinc concutiebantur infirmæ conſcientiæ, hæſitantes an Chriſtum amplecti deberent, qui à populo electo non agnoſceretur. Ejuſmodi ſcrupulum eximit Apoſtolus, admonens eorum excæcationem jam ab initio præfiguratam, quum faciem Moſis intueri, niſi velo interpoſito, nequirent. Sicuti ergo prius Legem in fulgore vultus Moſis fuiſſe glorificatam dixit: ita nunc velum fuiſſe ſignum futuræ excæcationis docet in populo Iſraëlitico: nam Moſis perſona eſt inſtar Legis. Teſtati ergo ſunt Judæi, ſibi ad cernendam Legem niſi velatam, oculos non eſſe. Hoc velamen ſubjungit non tolli, niſi per Chriſtum. inde concludit, nullos veræ intelligentiæ eſſe capaces, niſi qui in Chriſtum mentem intendunt. Principio diſcrimen iſtud ponit Legis & Euangelii, quod illius claritas magis perſtringebat oculos, quam illuminabat: in hoc glorioſa Chriſti facies eſt conſpicua. Ita nunc plene exultat, quod majeſtas Euangelii non ſit terrifica, ſed amabilis: non ſit

recon-

recondita, ſed familiariter omnibus pateſiat. παῤῥησίαν hic accepit, vel pro excelſa Spiritus magnitudine, qua præditos eſſe convenit omnes Euangelii miniſtros, vel pro aperta & plana Chriſti manifeſtatione. quod ſecundum probabilius eſt: nam Legis obſcuritati eum opponit.

13. *Non quemadmodum Moſes.*] Non diſputat Paulus de conſilio Moſis. quemadmodum enim ejus officium fuit, Legem populo ſuo publicare: ita proculdubio optavit ab omnibus percipi rectum ejus ſenſum: neque data opera doctrinam ſuam obſcuritate induxit: ſed vitium erat ex parte populi. Quia ergo non poterat mentes auditorum innovare, contentus fuit fideliter exequi partes ſibi mandatas, imo quum Dominus eum juberet velum inter faciem ſuam & oculos ſpectantium interponere, paruit. Nihil itaque hic in Moſen contumelioſum dicitur: quia non debuit plus præſtare quam ferebat diſpenſatio ſibi commiſſa. Adde quod hebetudo, vel debilis obtuſaque acies de qua nunc diſſerit Paulus, ad ſolos incredulos reſtringitur: quia Lex quamvis figuris implicita, non tamen deſtituit ſapientiam parvulis præſtare.

14. *Excæcati ſunt ſenſus.*] Totam culpam illis imputat: quia factum ſit eorum cæcitate ne proficerent in doctrina Legis. Poſtea ſubjicit, Velamen illud hodie quoque manere. quo ſignificat, non unius horæ fuiſſe illam hebetudinem: ſed figuraſſe quis futurus eſſet in poſterum gentis ſtatus. acſi diceret, Velamen illud quo texit faciem ſuam Moſes in publicanda Lege, ſymbolum fuit futuræ & diuturnæ in populo hebetudinis. Ita hodie quum Lex illis prædicatur, audiendo non audiunt, & videndo non vident. Non eſt autem quod turbemur, quaſi aliquid novum acciderit: jam olim ſub veli typo id fore oſtendit Deus. Cæterum ne culpa derivetur in Legem, iterum repetit, corda eorum velo impediri. *Nec tollitur, eo quod aboletur.* Reddit cauſam cur in luce tamdiu cæcutiant. Lex enim per ſe lucida eſt: ſed tunc demum ejus claritate fruimur, quum in ea nobis Chriſtus apparet. Judæi à Chriſto quantum poſſunt, avertunt oculos: non igitur mirum ſi nihil cernant, quum nolint Solem intueri. Hæc populi electi excæcatio, præſertim tam diuturna, nos admonet ut ne freti beneficiis in nos à Deo collatis, ſuperbia efferamur. qua de re ad Romanos cap. 11. v. 20. Cauſa vero excæcationis nos à Chriſti contemptu deterreat, quem Deus tam graviter ulciſcitur. Interea diſcamus, ne in Lege quidem ac toto Dei verbo quicquam eſſe lucis ſine Chriſto juſtitiæ ſole.

16. *At ubi converſus fuerit ad Dominum.*] Locus hic male hactenus verſus fuit: putarunt enim tam Græci quam Latini, ſubaudiendum nomen Iſraëlis, quum de Moſe loquatur Paulus. Dixerat Velamen eſſe impoſitum Judæorum cordibus, dum legitur Moſes. continuo addit, Simulatque converſus fuerit ad Dominum, velamen ablatum iri. Quis non videt de Moſe hoc dici, hoc eſt, de Lege? Nam quum ejus finis ſit Chriſtus, ad quem referri debuerat: alio tranſverſa fuit, quum inde Chriſtum excluſerunt Judæi. itaque ſicuti in Lege per devia vagantur, ita & Lex ipſis involuta eſt inſtar labyrinthi, donec ad ſuum finem referatur, qui eſt Chriſtus. Chriſtum igitur ſi in Lege quærant Judæi, perſpicua illis Dei veritas patefiet. quamdiu ſapere volent extra Chriſtum, in tenebris errabunt: nec pervenient unquam ad verum Legis ſenſum. Quod autem de Lege dicitur, ad totam Scripturam pertinet: nempe ubi ad Chriſtum non dirigitur, tanquam ad unicum ſcopum, perperam torqueri ac perverti.

17. *Dominus Spiritus eſt.*] Hic quoque locus perperam expoſitus fuit, perinde acſi dicere voluiſſet Paulus Chriſtum ſpiritualis eſſentiæ. conjungunt
Joan. 4. vers. 24. enim cum illo Joannis, Deus Spiritus eſt. Verum præſens ſententia nihil ad Chriſti eſſentiam: ſed officium duntaxat exprimit. cohæret enim cum ſuperioribus, ubi habuimus, Legis doctrinam eſſe literalem: nec mortuam ſolum, ſed etiam materiam mortis. Econverſo nunc Chriſtum vocat ejus ſpiritum: quo ſignificat, tunc demum vivam & vivificam fore, ſi à Chriſto inſpiretur. Accedat anima ad corpus, & fit vivus homo, præditus intelligentia & ſenſu, ad vitales actiones idoneus: tollatur anima à corpore, & reſtabit inutile cadaver, omnique ſenſu vacuum. Locus ſingulari obſervatione dignus: unde docemur qualiter concilianda ſint illa encomia, quibus David Legem commendat, Lex Domini convertens animas, illuminans oculos, ſapientiam præſtans parvulis, & ſimilia, cum Pauli ſententiis in ſpeciem repugnantibus, quod miniſterium ſit peccati & mortis, litera quæ nihil quam occidit. Nam ubi animata eſt à Chriſto, vere in eam competunt quæ David commemorat. Si Chriſtus auferatur, talis eſt prorſus qualem deſcribit Paulus. ergo Chriſtus eſt Legis vita. *Ubi Spiritus Domini.* Nunc modum deſcribit quo Chriſtus Legem vivificat, nempe dum Spiritu ſuo nos donat. Nomen Spiritus diverſam hic habet ſignificationem, quam proximo verſu. illic capiebatur pro anima, & Chriſto metaphorice tribuebatur; hic vero Spiritum ſanctum ſignificat, quem ipſe Chriſtus ſuis donat. Verum Chriſtus nos regenerando, Legem vivificat, & ſe fontem vitæ eſſe oſtendit: ſicut ab hominis anima proficiſcuntur omnes vitales motus. Eſt igitur Chriſtus, univerſalis (ut ita dicam) omnium anima, non quod ad eſſentiam, ſed quod ad gratiam. Vel ſi mavis, Chriſtus Spiritus eſt, quia vivifica Spiritus ſui virtute nos animat. Simul beneficium commemorat quod inde conſequimur: *Illic libertas*, inquit. Per nomen libertatis, non tantum intelligo à peccati & carnis ſervitute manumiſſionem: ſed etiam fiduciam quam concipimus ex adoptionis noſtræ teſtimonio. Convenit enim cum illo, Non accepimus iterum ſpiritum ſervitutis, in timorem, &c. Duo illic ponit Apoſtolus, ſervitutem & timorem. iis contraria ſunt libertas & fiducia. Ita fateor ex hoc loco rite colligi quod Auguſtinus colligit: nos peccati ſervos eſſe natura: liberos fieri per gratiam regenerationis. Ubi enim nuda eſt Legis litera, illic peccati dominium. ſed Libertatis nomen latius (ſicuti dixi) extendo. Poſſet etiam ſpecialiter reſtringi gratia Spiritus ad miniſtros: ut reſpondeat hæc ſententia initio capitis. nam in miniſtris alia eſſe debet gratia Spiritus, & alia libertas, quam in reliquis. Mihi tamen prior ſenſus magis arridet. quanquam non diſplicet, unicuique hoc attribui pro doni ſui menſura. Satis eſt ſi obſervemus, Paulum hic Spiritus efficaciam notare, quam experimur in ſalutem noſtram quicunque ejus gratia ſumus regenerati.

Psal. 19. vers. 8.

2 Cor. 3. vers. 7.

Rom 8. vers. 15.

18. *Nos autem omnes retecta facie.*] Neſcio quid in mentem venerit Eraſmo, ut hoc miniſtris ſolis accommodaret, quod fidelium omnium commune eſſe conſtat. Verbum quidem κατοπτριζόμενοι, dubiæ eſt ſignificationis apud Græcos: tam enim ſpeculum contemplandum exhibere, quam oblatum inſpicere ſignificat. Sed vetus Interpres bene animadvertit, ſecundam præſenti loco melius quadrare. ideo ſequutus ſum quod reddidit. Nec fruſtra Paulus notam univerſalem addidit, Nos omnes, inquit: totum enim Eccleſiæ corpus complectitur. Concluſio eſt apta ſuperiori doctrinæ, in Euangelio nos habere apertam Dei revelationem: de qua iterum capite quarto videbimus. Verum ſimul & vim revelationis notat, & quotidianum profectum. Nam ob hæc tria ſimilitudine iſta uſus eſt: non eſſe quod obſcuritatem vereamur quum accedimus ad Euangelium: illic enim Deus faciem ſuam nobis conſpicuam exhibet. Deinde, non decere ut hæc ſit mortua contemplatio: ſed nos per eam transformari in Dei imaginem. Tertio, non impleri utrumque uno momento in nobis: ſed creſcendum eſſe continuo ſucceſſu tam in

notitia quam conformitate imaginis Dei. hoc enim ſignificat *A gloria in gloriam*. Quum addit, *Tanquam à Domini Spiritu*, rurſus in memoriam reducit quod dixerat, totam vim Euangelii inde pendere, quod Spititus ſancti gratia nobis vivificum redditur. Nam particula ſimilitudinis, Tanquam, non ad notandam improprietatem poſita eſt, ſed ad modum exprimendum. Nota hunc eſſe finem Euangelii, ut Dei imago quæ inducta fuerat per peccatum, reparetur in nobis, atque hujus inſtaurationia progreſſionem tota vita eſſe continuam: quia paulatim gloriam in nobis ſuam illuſtrat Deus. Una hic moveri poteſt quæſtio. dicit Paulus, nos retecta facie intueri Dei gloriam: prioris autem Epiſtolæ cap. 13. v. 12. habuimus, nonniſi per ſpeculum & in ænigmate nunc Deum cognoſcere. In his verbis ſpecies eſt repugnantiæ: minime tamen inter ſe pugnant. Obſcura nunc eſt atque exilis Dei cognitio quam habemus, præut erit glorioſus ille aſpectus in ultima Chriſti apparitione. nobis tamen quantum ſalutis noſtræ intereſt, & quantum fert captus noſter, nunc ſe viſendum palam ac conſpiciendum offert Deus. Ideo mentionem profectus Apoſtolus facit, quum tunc futura ſit perfectio.

Cap. IV.

QUamobrem habentes miniſterium hoc, ſicuti miſericordiam ſumus conſequuti, non deficimus.

2. Sed rejicimus latebras dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque dolo tractantes ſermonem Dei: ſed manifeſtatione veritatis commendantes nos apud omnem conſcientiam hominum, coram Deo.

3. Si autem velatum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui pereunt velatum eſt:

4. Quibus deus ſeculi hujus excæcavit ſenſus: nempe infidelibus, ut ne illis reſplendeat claritas Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei inviſibilis.

5. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum: nos vero ſervos veſtros propter Jeſum.

6. Quoniam Deus qui juſſit è tenebris lumen ſplendeſcere, idem illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Jeſu Chriſti.

1. *Habentes miniſterium.*] Nunc ad perſonæ ſuæ commendationem redit, à qua digreſſus ad generale illud argumentum fuerat, de Euangelii dignitate. Sicuti ergo de Euangelii natura diſſeruit, ita nunc tractat quam fidelis ſit & ſincerus ejus miniſter. Prius docuit quale ſit verum Chriſti Euangelium: nunc tale eſſe docet quod à ſe prædicatur. Habentes, inquit, miniſterium hoc: cujus ſcil. excellentiam tam magnifice extulerat, cujus potentiam & utilitatem tam copioſe illuſtraverat. Ideo ne ſeipſum nimis extollere videatur: præfatur, non ſua induſtria ſe, non ſuis meritis, ad tantum honoris faſtigium conſcendiſſe: ſed provectum ſola Dei miſericordia. Plus autem fuit miſericordiam Dei quam gratiam, Apoſtolatus ſui cauſam facere. *Non deficimus.* id eſt, non deſumus partibus noſtris, quin eas fideliter impleamus.

2. *Sed rejicimus latebras.*] Dum ſuam ſinceritatem commendat, ex adverſo perſtringit pſeudoapoſtolos, qui quum ambitione ſua genuinam Euangelii vim corrumperent, ſoli tamen volebant eminere. Itaque vitia quibus ſe carere negat, oblique in eos confert. Per latebras dedecoris, vel occultamenta, nonnulli umbras Legis Moſaicæ intelligunt: Chryſoſtomus oſtentationem, qua ſe venditabant. Ego fucos omnes intelligo, quibus adulterabant puram & nativam Euangelii pulchritudinem. Sicuti enim caſtæ & honeſtæ mulieres naturali formæ elegantia contentæ, alienos colores non accerſunt: meretrices autem nunquam bene ornatæ ſibi videntur, niſi naturam corruperint: ita Paulus purum Euangelium ſe propoſuiſſe gloriatur, quum alii fucoſum & indignis acceſſionibus involutum proponerent. Nam quum eos puderet ſimplicitatis Chriſti, aut certe quia non poterant veris Apoſtolorum virtutibus excellere: novum Euangelium fabricant, profanæ philoſophiæ non abſimile, magis ampullis turgidum, vacuum Spiritus efficacia. Tales adulterinos colores, quibus deformatur Euangelium, vocat occultamenta dedecoris: quia nuditatem eorum probroſam & pudendam eſſe oporteat, qui ad latebras & velamenta confugiunt. Se autem dicit abjicere vel aſpernari involucra: quoniam Chriſti facies quo magis retecta conſpicitur in ſua prædicatione, eo glorioſior eniteat. Neque tamen nego quin alludat ſimul ad velum Moſis, cujus meminerat: ſed pſeudoapoſtolis attribuit prorſus diverſum velum. Moſes enim faciem tegebat, quia nimius gloriæ Legis fulgor ferri non poterat à teneris & luſcioſis oculis: iſti autem ornatus loco velum ſibi induunt. & quia deſpicabiles, imo ignominioſi eſſent, ſi reluceret Euangelii ſimplicitas: ideo neſcio quibus integumentis & larvis ſuum pudorem abſcondunt. *Non ambulantes in aſtutia.* Non dubium eſt quin aſtutia quæ à Paulo vituperatur, valde ſibi placuerint pſeudoapoſtoli, acſi fuiſſet eximia virtus. quemadmodum hodie quoque nonnullos videmus, etiam ex iis qui Euangelium profitentur, malle ſubtiles videri quam ſinceros, & ſublimes magis quam ſolidos: quum tamen totum eorum acumen mera ſit puerilitas. Sed quid facias? delectat eos acuminis opinio: & apud imperitos hoc prætextu plauſum habent. Audimus tamen quo loco habeat Paulus larvam iſtam virtutis. Aſtutiam vocat indignam Chriſti ſervis. Quod poſtea ſequitur, *neque dolo tractantes*, neſcio an ſatis mentem Pauli exprimant. δολοῦν enim non tam fraudulenter agere ſignificat, quam quod vulgo dicunt, Falſificare: qualiter ſolent mangones. certe hoc loco opponitur ſinceræ prædicationi, quemadmodum ſequitur. *Sed manifeſtatione veritatis.* Hanc ſibi laudem vendicat, quod ſimpliciter & abſque fuco puram Euangelii doctrinam annunciaverit, ejuſque rei teſtes habeat conſcientias omnium coram Deo. Sicuti fucoſæ Sophiſtarum doctrinæ oppoſuit veritatis manifeſtationem: ita judicium ad conſcientias revocat, & ad Dei tribunal, quum illi hominum errore, vel corrupto affectu abuterentur: nec tam reipſa ſtuderent laude eſſe digni, quam videri appeterent. unde colligimus, auribus oblique conſcientias conferri. Satis ergo ſit Chriſti ſervis, ſuam conſcientiis integritatem approbaſſe coram Deo: neque morentur perverſa hominum ſtudia, aut ambitioſum favorem.

Exod. 34. verſ. 33.

3. *Si autem velatum eſt.*] Promptum fuiſſet calumniari quod dixerat de prædicationis ſuæ claritate, quoniam multos habebat adverſarios. Hanc calumniam repellit cum ſevera auctoritate. minatur enim omnibus qui vim Euangelii ſui non agnoſcunt: atque hoc reprobationis & exitii ſignum eſſe denunciat. perinde acſi diceret, Si quiſpiam ſibi conſtare neget quam jacto manifeſtationem Chriſti, ille reprobum hoc argumento ſe prodit: palam enim & evi-

Digitized by Google

& evidenter ab omnibus qui oculos habent, cernitur mea in docendo ſinceritas. Cæcos igitur & omni rationis ſenſu privatos eſſe oportet, quibus ſit abſcondita. Summa eſt, infidelium cæcitatem nihil derogare Euangelii ſui claritati. nihilo enim per ſe minus lucidus eſt Sol, quod cæci ejus lumen non percipiunt.
Pſal. 119. verſ. 104. Pſal. 18. verſ. 9. Dicet quiſpiam illud Legi quoque congruere: nam per ſe quidem lucerna eſt ad regendos pedes, oculos illuminat, &c. nec velata eſt, niſi iis qui pereunt. Reſpondeo, dum in Lege incluſus eſt Chriſtus, Solem per medias nubes reſplendere, ita ut lucis ſatis habeant homines ad uſum ſuum: ubi ab ea divellitur Chriſtus, nihil eſſe reliquum præter tenebras, aut fallacem lucis apparentiam, quæ oculos perſtringat, non juvet. Cæterum magnæ fiduciæ argumentum eſt, quod pro reprobis ducere audet omnes qui ſuam doctrinam reſpuunt. Verum ſimili fiducia inſtructos eſſe convenit quicunque pro Dei miniſtris haberi volunt: ut intrepida conſcientia non dubitent omnes doctrinæ ſuæ adverſarios ad Dei tribunal citare, ut illinc damnationem certam referant.

4. *Quibus deus ſeculi hujus.*] Significat quam nihili fieri debeat perverſa illorum obſtinatio. Non vident, inquit, ſolem in meridie, quia diabolus eorum ſenſus excæcavit. Quin de Satana loquatur Apoſtolus, nemini recte judicanti dubium eſſe poteſt. Hilarius, quia negotium habebat cum Arrianis, qui hoc prætextu abutebantur, ut Chriſtum confitendo Deum, veram ejus divinitatem negarent; ſic contextum torquet, Deus excæcavit hujus ſeculi ſenſus. Id poſtea ſequutus Chryſoſtomus, ne Manichæis duo principia concederet. quid Ambroſium impulerit, non apparet. Auguſtino eadem ratio fuit quæ Chryſoſtomo: quia cum Manichæis erat illi certamen. Videmus quid faciat contentionis fervor in diſputationibus. ſi compoſito animo legiſſent illi omnes Pauli verba, nemini eorum in mentem veniſſet, ita in coactum ſenſum torquere: ſed quia urgebant adverſarii, magis de illis propulſandis, quam de inquirenda Pauli mente ſolliciti fuerunt. ſed quid opus fuit? puerile enim erat effugium Arrianorum, Si diabolus vocetur deus ſeculi, nomen Dei in Chriſto non exprimere veram & æternam & unicam divinitatem.
1 Cor. 8. verſ. 5. Pſal. 96. verſ. 5. Multi enim dii, inquit alibi Paulus, nominantur. Sed dii Gentium, dæmonia: occinit ex altera parte David. Diabolum ergo vocari deum, qui illis dominetur, qui ab illis colatur Dei loco, quid hoc ad extenuandum Chriſti honorem? Manichæis vero nihilo plus ſuffragatur hæc appellatio, quam quum dicitur Princeps mundi. Non eſt igitur quod vereamur de diabolo hunc locum interpretari: quum ſine periculo fiat. nam ſi prodeant Arriani, ac nihilo magis divinam Chriſti eſſentiam ex Dei appellatione probari contendant, quam Satanæ, facile diluitur ejuſmodi cavillum. nam Chriſtus ſine adjectione Deus vocatur: & quidem in æternum benedictus. Vocatur ille Deus, qui ab initio erat ante mundi creationem. Diabolus autem non aliter ſeculi hujus deus vocatur, quam Baal deus cultorum ſuorum, aut canis deus Ægypti. Manichæi (ſicut dixi) ad ſtabiliendum ſuum delirium, non minus aliis Scripturæ teſtimoniis, quam iſto nituntur. ſed in illis quoque refutandis nihil eſt negotii. Illi non tam de voce contendunt, quam de potentia. Quoniam Satanæ tribuitur vis excæcandi, & dominium ſuper infideles: inde concludunt, illum propria facultate, omnis mali eſſe auctorem, ita ut Dei imperio non ſubſit. quaſi vero non paſſim clamet Scriptura, tam diabolos Dei miniſtros eſſe, quam Angelos cæleſtes, quoſque in ſuo genere. Nam quemadmodum hi Dei beneficia nobis adminiſtrant in ſalutem: ita illi iram ejus exequuntur. Itaque boni Angeli, poteſtates vocantur & principatus: ſed tantum quia poteſtatem ſibi datam à Deo exerceant. Eadem ratione Satan princeps eſt mundi, non quia vel ipſe ſibi principatum dederit, vel proprio jure illum obtineat, vel arbitrio denique ſuo exerceat: ſed habet quantum illi à Domino permittitur. Quamobrem Scriptura non bonum modo Spiritum Dei & Angelos bonos recenſet, ſed etiam malos ſpiritus Dei appellat. Invaſit Saulem ſpiritus Dei malus. Item, *1 Sam 16. verſ. 14.*
Flagella per angelos malos. *Pſal 78. verſ. 49.* Quod ad præſentem locum ſpectat, excæcatio commune tam Dei quam Satanæ opus eſt. ſubinde enim Deo tribuitur: ſed non æqua eſt poteſtas, neque idem modus. de modo nunc taceo. Scriptura autem docet, Satanam, Dei non permiſſu ſolum, ſed etiam mandato excæcare, ut ejus vindictam exerceat. Ita Achab à Satana deceptus fuit. *1 Reg. 22. verſ. 21.* ſed numquid Satan à ſeipſo id potuit? minime: ſed quum Deo ſuum obſequium ad nocendum obtuliſſet, miſſus fuit ut eſſet ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum. Imo excæcare ideo dicitur Deus, quia poſtquam recta mentis intelligentia & Spiritus ſui luce privavit, tradit nos diabolo abripiendos in reprobum ſenſum, dat illi efficaciam illuſionis: & ita per iræ ſuæ miniſtrum juſtam de nobis ultionem ſumit. Intelligit ergo Paulus, à diabolo poſſideri omnes qui ſuam doctrinam non agnoſcunt eſſe certam Dei veritatem. Durius enim hoc eſt, vocari diaboli mancipia, quam Dei judicio tribui eorum cæcitatem. Cæterum quia nuper tales exitio addixerat, nunc addit, non alia de cauſa eos perire, niſi quia ſuæ infidelitatis culpa interitum contraxerint. *Ne illis reſplendeat.* Facit hoc ad confirmationem ejus quod dixerat, impediri propria cæcitate qui Euangelium ejus reſpuerit. Nihil enim, inquit, in eo apparet præter Chriſtum: neque obſcure, ſed ita ut liquido refulgeat. Addit, *Chriſtum eſſe Dei imaginem*: quo illos omni Dei cognitione vacuos ſignificat. Juxta illud, Qui me non novit, neque *Joan. 14. verſ. 7.*
Patrem meum novit. Hæc igitur ratio cur duram ſententiam pronunciaverit in eos qui dubitarent de ſuo Apoſtolatu: quia ſcilicet Chriſtum, qui illic evidenter conſpici poterat, non intuebantur. Dubium eſt, *Euangelium gloriæ Chriſti* poſuerit pro Glorioſo Euangelio, ſecundum phraſin Hebraicam: an vero pro Euangelio, in quo lucebat Chriſti gloria. hoc ſecundum, quia eſt plenius, magis amplector. Cæterum quum Chriſtus imago vocatur Dei inviſibilis, id non tantum de eſſentia accipitur, quia ſit coëſſentialis Patri (ut loquuntur) ſed magis refertur ad nos, quia Patrem nobis repræſentat. Ideo ipſe Pater dicitur *inviſibilis*, quia in ſe non apprehenditur humano ſenſu. Exhibet autem ſe nobis per Filium, & ſe quodammodo facit viſibilem. Hoc ideo dico: quoniam veteres quum vehementius ferrentur adverſus Arrianos, in ea parte plus æquo inſtiterunt, quomodo intus, arcana eſſentiæ unitate, Filius imago ſit Patris: quod præcipuæ ædificationis erat, prætermiſerunt, qualiter nobis ejus ſit imago, dum quod abſconditum alioqui in ipſo erat, nobis manifeſtat. Itaque nomen Imaginis, relationem ad nos habet: quemadmodum mox rurſus videbimus. Epithetum Inviſibilis, quanquam in quibuſdam Græcis codicibus omittitur: quia ſupervacuum non erat, retinere placuit.

5. *Non enim noſmetipſos.*] Quidam tale zeugma faciunt, Non prædicamus nos dominos, ſed unum Dei Filium, quem Pater omnibus præfecit. non improbo quidem illum ſenſum: ſed quum loquutio ſit ἐμφατικωτέρα, ubi dicitur quiſpiam ſeipſum prædicare, & fuſius pateat, libentius ſenſum hunc retineo: præſertim quum fere omnium conſenſu receptus ſit. aliter enim ſeipſos prædicant homines, quam dominium ſibi arrogando: ut quum oſtentationi magis ſtudent, quam ædificationi: quum eminere quovis modo cupiunt: quum etiam ex Euangelio quæſtum faciunt. Ambitio igitur & avaritia, & ſimilia vitia miniſtri, puritatem inficiunt doctrinæ: ut illic ſolus Chriſtus non emineat. Ideo qui vult

Chriſtum ſolum prædicare, neceſſe eſt ut ſui obliviſcatur. *Nos vero ſervos veſtros.* Ne quis obſtreperet, Atqui tu interim multa de te: reſpondet, nihil ſe plus appetere, quam ut ſit eorum ſervus: acſi diceret, Quæcunque de me tam magnifice, & opinione veſtra jactanter prædico, huc ſpectant, ut vobis utiliter in Chriſto ſerviam. Sequitur, nimis ſuperbos & ingratos eſſe Corinthios, ſi hanc conditionem repudient: imo ſequitur nimis corrupto prius judicio fuiſſe, qui ſanctum ejus affectum non animadverterant. Cæterum hic ſtatus ſui & conditionis admonentur omnes Eccleſiaſtici paſtores: quocunque enim honoris titulo inſigniantur, nihil amplius ſunt quam ſervi fidelium. & ſane Chriſto ſervire aliter nequeunt, quin ſimul Eccleſiæ ejus ſerviant. Honorabilis quidem ſervitus, & quovis principatu potior: ſed tamen ſervitus, ut ſolus Chriſtus nullius ſocii umbra impeditus, ſublimis emineat. Itaque boni Paſtoris eſt, non modo ab omni dominandi cupiditate abſtinere, ſed hoc habere ſummum honoris culmen quo adſpiret, ut Dei populo ſerviat. Officium viciſſim populi eſt, ſervos Chriſti primum ex Domini majeſtate, deinde etiam ex officii amplitudine & excellentia æſtimare: ne contemnant quos Dominus in tam præclaro gradu collocavit.

6. *Deus qui juſſit è tenebris.*] Video hunc locum quadrifariam poſſe exponi. Primo ſic, Deus juſſit lucem è tenebris ſplendeſcere: id eſt, hominum miniſterio, qui ſuapte natura tenebræ ſunt, lucem Evangelii ſui mundo protulit. Secundo ſic, Deus in locum Legis, quæ obſcuris umbris erat involuta, fecit Euangelii lucem ſuccedere: atque ita è tenebris lucem eduxit. Qui argutias amant, facile iſtas expoſitiones admitterent: ſed qui propius rem inſpexerit, agnoſcet non congruere menti Apoſtoli. Sequitur tertia, quæ eſt Ambroſii, Quum omnia tenebris operta eſſent, Deus lumen Euangelii ſui accendit. Demerſi enim erant homines in ignorantiæ tenebris, quum illis ſubito Deus per Euangelium affulſit. Quarta eſt Chryſoſtomi, qui putat alluſiſſe Paulum ad mundi creationem, hoc modo, Deus qui verbo ſuo lucem creavit, quaſi ex tenebris erutam: idem nunc ſpecialiter nos illuminavit, quum eſſemus in tenebris ſepulti. Hæc anagoge lucis viſibilis & corporeæ ad ſpiritualem, plus habet gratiæ, & in ea nihil eſt coactum. proxima tamen non male quadrat. Fruatur quiſque ſuo judicio. *Illuxit cordibus.* Duplicem illuminationem ponit: quod diligenter notandum eſt: unam Euangelii: alteram arcanam, quæ fit in cordibus. Quemadmodum enim Deus mundi opifex Solis fulgorem nobis effundit, & oculos dat quibus illum recipiamus: ita Redemptor in Filii perſona per Euangelium nobis quidem illucet: verum quia cæci ſumus, id fruſtra fieret, niſi Spiritu quoque ſuo mentes noſtras illuminaret. Intelligit ergo Deum Spiritu ſuo nobis aperuiſſe oculos mentis, ut lucis Euangelicæ eſſent capaces. *In facie Jeſu Chriſti.* Quo ſenſu prius dixerat Chriſtum eſſe Patris imaginem, nunc dicit, in ejus facie gloriam Dei nobis oſtendi. Inſignis locus, unde diſcimus Deum in ſua inſcrutabili altitudine non eſſe inveſtigandum, (habitat enim lucem inacceſſibilem) ſed cognoſcendum quatenus ſe in Chriſto patefacit. Proinde quicquid extra Chriſtum de Deo cognoſcere appetunt homines, evanidum eſt. vagantur enim extra viam. Humilis quidem initio apparet in Chriſto Deus: ſed glorioſus tandem iis qui à cruce ad reſurrectionem pervenire ſuſtinent. Iterum videmus, in voce Perſonæ, relationem ad nos ſtatui: quia nobis utilius eſt Deum conſpicere qualis apparet in Filio unigenito, quam arcanam ejus eſſentiam inveſtigare.

7. Habemus autem theſaurum hunc in vaſis teſtaceis: ut exuperantia potentiæ ſit Dei, & non ex nobis.

8 Quando in omnibus premimur, at non anxii reddimur: laboramus inopia, at non deſtituimur.

9. Perſequutionem patimur, at non deſerimur: dejicimur, at non perimus.

10. Semper mortificationem Jeſu Chriſti circumferentes in corpore noſtro, ut vita Jeſu manifeſtetur in corpore noſtro.

11. Semper enim nos dum vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum, ut vita Jeſu manifeſtetur in mortali carne noſtra.

12. Itaque mors quidem in nobis operatur, vita autem in vobis.

7. *Habemus.*] Qui audiebant Paulum ita magnifice gloriantem de miniſterii ſui excellentia, & ex adverſo ſpectabant ejus perſonam ignobilem coram mundo & abjectam: iis videbatur eſſe homo ineptus ac ridiculus, ejuſque jactantia puerilis, dum ab humilitate perſonæ eum æſtimabant. Præſertim hunc prætextum captabant improbi, quum vellent in contemptum adducere quicquid in ipſo erat. At vero quod maxime obſtare Apoſtolatus ſui gloriæ videbat apud imperitos, optimo artificio ad illam amplificandam convertit: primum utitur theſauri ſimilitudine, qui recondi non ſolet in arcam ſpecioſam & ſumptuoſe ornatam: ſed potius in vas aliquod vile, & nullius pretii. deinde ſubjicit, Dei potentiam magis inde illuſtrari & melius ſpectari: acſi diceret, Qui ad extenuandam miniſterii mei dignitatem, perſonæ meæ contemptum obtendunt, iniqui ſunt & perverſi æſtimatores. neque enim ideo minoris ſit theſaurus, quia vas in quo repoſitus eſt, minus ſit pretioſum: quin potius iſtud uſu receptum eſt, magnos theſauros in ollas fictiles collocari. Deinde non conſiderant id ordinari ſingulari Dei providentia, ut in miniſtris nihil emineat, ne qua magnitudo, Dei potentiam obſcuret. Quum ergo humilitas miniſtrorum, & externus perſonæ contemptus locum det gloriæ Dei: improbe facit qui Euangelii dignitatem miniſtri perſona metitur. Non loquitur autem tantum Paulus de univerſali hominum conditione, ſed de proprio ſuo ſtatu: verum quidem eſt, mortales omnes eſſe vaſa teſtacea. Itaque ſi omnium præſtantiſſimus deligatur, & qui omnibus generis, ingenii, fortunæ ornamentis ad miraculum uſque fulgeat: ſi tamen erit Euangelii miniſter, erit vile & figulinum repoſitorium inæſtimabilis theſauri. ſed Paulus ſe & alios collegas ſui ſimiles reſpicit, qui propterea quod minus oſtentatione pollebant, contemptui habebantur.

8. *Quando in omnibus.*] Exegetice hoc additum eſt: oſtendit enim, ut abjecta ſua conditio minime Dei gloriam minuat, ſed potius occaſio ſit ejus promovendæ. Redigimur, inquit, in anguſtias, ſed Dominus tandem exitum aperit: laboramus inopia, ſed Dominus ſuccurrit: multi hoſtes nobis ſunt infeſti, ſed Dei præſidio tuti ſumus: denique etiamſi proſternimur, ut videatur actum de vita noſtra, non tamen perimus. poſtremum eſt omnium graviſſimum. Vides ut in ſuum commodum vertat omnia quibus eum gravabant improbi.

10. *Mortificationem Jeſu.*] Plus dicit quam antea: nam id ipſum cujus prætextu Euangelium ejus pſeu-

pſeudoapoſtoli vilipendebant, non modo nullum Euangelio contemptum creare, ſed glorioſum quoque eſſe docet. Mortificationem enim Jeſu Chriſti appellat, quicquid deſpicabilem reddebat coram mundo, quo præparetur ad conſortium beatæ reſurrectionis. Primum Chriſti paſſiones utcunque ignominioſæ ſint in oculis hominum, plus tamen honoris habent coram Deo, quam omnes Imperatorum triumphi, omnes Regum pompæ. Sed finis quoqua reſpiciendus eſt, quod compatimur ut glorificemur. Dementiam ergo eorum eleganter taxat, qui ſibi propriam objiciebant Chriſti ſocietatem. Simul admonentur Corinthii, ne dum faſtuoſe vilem & abjectum Pauli habitum deſpiciunt, Chriſto faciant injuriam, probri materiam in ejus paſſionibus quærendo, quas ſummo honore proſequi nos decet. Mortificationis verbum aliter hic capitur, quam multis Scripturæ locis. Significat enim ſæpe abnegationem noſtri, dum renunciamus concupiſcentiis carnis, & renovamur in obedientiam Dei: hic autem afflictiones quibus exercemur ad meditandum præſentis vitæ interitum. Docendi gratia, prior illa vocetur interior mortificatio: hæc vero, externa. utraque nos Chriſto conformes reddit: illa directe, hæc indirecte, ut ita loquar. De priore concionatur Paulus ad Coloſſenſes capite 3. v. 5. & ad Romanos capite 6. v. 6. ubi docet veterem noſtrum hominem crucifixum, ut in vitæ novitate ambulemus. De ſecunda capite 8. v. 29. differit: ubi docet nos huc deſtinatos eſſe à Deo, ut configuremur imagini Filii ejus. Porro Chriſti mortificatio nonniſi in ſolis fidelibus vocatur: quia impii, præſentis vitæ ærumnas perferendo, cum Adam communicant: electi autem participationem habent cum Filio Dei: ut miſeriæ omnes quæ ſuapte natura maledictæ erant, illis adjumento ſint in ſalutem. Eſt quidem hoc omnibus filiis Dei commune, portare Chriſti mortificationem: ſed ut quiſque ampliore donorum menſura excellit, ita propius accedit ad hanc Chriſti ſimilitudinem. *Ut vita Jeſu.* Optimum remedium in rebus adverſis: quod ſicut Chriſti mors, vitæ janua fuit; ita exitum omnium miſeriarum nobis fore ſcimus beatam reſurrectionem: quandoquidem Chriſtus nos ſibi conſociavit hac lege, ut vitæ ſuæ participes ſimus, ſi in hoc mundo ſuſtinemus cum eo mori. Quæ proxime ſequitur ſententia, dupliciter poteſt exponi. Si *in mortem tradi* accipias pro vexari continuis perſequutionibus, & periculis jactari: ſpeciale hoc Paulo fuerit & ſimilibus, qui aperta rabie impiorum fuerunt impetiti. Atque ita, *Propter Jeſum*, perinde valebit atque Pro Chriſti teſtimonio. Sed quia tradi quotidie in mortem, alioqui ſignificat mortem aſſidua habere ante oculos, & ita vivere ut vita noſtra ſit potius umbra mortis: mihi non diſplicet ita exponi etiam hunc locum, ut ad omnes fideles pertineat, & quidem ad ſingulos in ſuo ordine. Sic interpretatur Paulus ipſe ad Romanos capite 8. v. 36. verſum ex Pſalmo 44. v. 13. Hoc modo Propter Chriſtum eſſet, quia hæc conditio impoſita eſt omnibus ejus membris. Cæterum non adeo proprie reddidit Eraſmus, Nos qui vivimus: commodius eſt quod poſui, *Dum vivimus.* Significat enim Paulus, nos quantiſper ſumus in hoc mundo, mortuis eſſe magis ſimiles quam vivis.

12. *Itaque mors quidem.*] Ironice dictum: quia indignum erat ut jucunde ac pro voto agerent Corinthii, ſecureque deliciarentur: Paulus interea cum infinitis miſeriis conflictaretur. Hæc certe diſtributio fuiſſet nimium iniqua: atque omnino reprehendi Corinthiorum ſtultitiam oportuit, qui ſibi Chriſtianiſmum fingebant abſque cruce: neque hoc contenti, deſpectui habebant Chriſti ſervos, qui non ita eſſent delicati. Quemadmodum autem mors omnes afflictiones ſignificat, vel ærumnoſam vitam: ita etiam vita proſperum ſuavemque ſtatum: ſecundum illud, Non eſt vivere, ſed valere, vita.

13. Habentes autem eundem Spiritum fidei, quemadmodum ſcriptum eſt, Credidi, *Pſal. 116.*
propterea loquutus ſum: nos quoque credimus, ideo & loquimur: *verſ. 10.*

14. Scientes quod qui ſuſcitavit Dominum Jeſum, nos etiam cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.

15. Nam omnia propter vos: ut gratia quæ abundaverit propter gratiarum actionem, quæ à multis proficiſcetur, abundet in gloriam Dei.

16. Quamobrem non deficimus: verum etſi externus homo noſter corrumpitur, noſter internus renovatur de die in diem.

17. Levitas enim afflictionis noſtræ ſupra modum momentanea, æternum ſupra modum pondus gloriæ operatur in nobis: *vel, momentanea levitas operatur in excellentia excellenter.*

18. Dum non ſpectamus ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. nam quæ videntur, temporaria ſunt: quæ autem non videntur, æterna.

13. *Habentes eundem Spiritum.*] Correctio eſt ſuperioris ironiæ. Corinthiorum ſortem longe diverſam à ſua fecerat, non ſuo ipſius judicio, ſed eorum errore: quod lautum Euangelium & ab omni crucis moleſtia remotum appetebant, ac de ipſo minus honorifice ſentiebant, quod parum ſplendida eſſet ejus fortuna. nunc vero ſe illis conjungit in ſpe ejuſdem beatitudinis: acſi diceret, Tametſi vobis Deus parcit, magiſque indulgenter agit vobiſcum, me paulo durius tractat: non tamen impediet hæc diverſitas quominus ſimilis utroſque maneat reſurrectionis gloria. Ubi enim unitas eſt fidei, illic una etiam hæreditas. Putarunt Apoſtolum hic loqui de ſanctis Patribus qui ſub veteri Teſtamento vixerunt, eoſque facere nobis ſocios eadem fide. quod quidem verum eſt, ſed præſenti inſtituto non congruit. Sibi enim in fidei communicatione non Abraham neque reliquos Patres, ſed Corinthios potius conjungit, quum illi ſe prava ambitione ab eo ſegregarent. Utcunque, inquit, videatur nunc mea conditio deterior: erimus tamen aliquando pariter ejuſdem gloriæ conſortes. una enim fide inter nos ſumus conjuncti. Hunc eſſe verum & proprium ſenſum agnoſcent, qui contextum propius expendent. Spiritum fidei metonymice vocat fidem ipſam, quia donum eſt Spiritus ſancti. *Quemadmodum ſcriptum eſt.* Præbuit hoc errori occaſionem, quod citat Davidis teſtimonium: verum ad confeſſionem aptari debet, non ad fidei unitatem: vel ſi mavis, cohæret cum ſequentibus, non cum præcedentibus, hoc modo, Quia nobis fides certa beatæ reſurrectionis conſtat: audemus loqui & prædicare quod credimus: quemadmodum ſcriptum eſt, *Credidi, propterea loquutus ſum.* Eſt autem initium Pſalmi 116. ubi David fatetur, quum in ultimas anguſtias redactus foret, ita ſe fuiſſe perculſum ut propemodum labaſceret: verum mox reſumpta fiducia, ex hac tentatione eluctatum eſſe. inde itaque Pſalmum orditur, Credidi, propterea loquar. Confeſſionis enim mater eſt fides. Paulus quidem ad ejus imitationem ſe animans, Corinthios ut idem faciant hortatur: ac juxta Vulgatam tranſlationem præteritum poſuit loco futuri:

ſed

ſed nihil refert. tantum enim hoc vult, fideles debere magnanimos eſſe & intrepidos ad confitendum quod corde crediderunt. Viderint jam noſtri pſeudonicodemi quale figmentum loco fidei ſibi fabricent, quum fidem intus ſepultam manere volunt, & prorſus mutam: bacque ſapientia glorianțur, ſi tota vita nullum rectæ confeſſionis verbum edant.

15. *Nam omnia propter vos.*] Nunc ſe non tantum in ſpe futuræ beatitudinis, ſed in ipſis etiam afflictionibus Corinthiis conjungit, in quibus videbantur eſſe maxime diverſi: ſe enim affligi in ipſorum bonum docet: unde ſequitur, merito eos partem debere in ſe transferre. Pendet boc quod dicit Paulus, primum ea arcana communione quam habent inter ſe Chriſti membra: ſed præcipue ex mutua ratione & neceſſitudine quæ inter ipſos vigere peculiariter debebat. Jam admonitio bæc perquam utilis erat Corinrhiis, & conſolationem ea imiam ſecum trahebat. Cujus enim conſolationis eſt, quum Deus imbecillitati noſtræ parcens, mollius nos tractat, affligi in commune omnium bonum eos qui præſtantiore virtute inſtructi ſunt? Admonebantur etiam ut quum aliter juvare Paulom nequirent, precibus ſaltem eum ſublevarent & commiſeratione. *Ut gratia quæ abundaverit.* Conſenſum illum membrorum Chriſti jam commendat à fructu qui inde oritur: nempe quod valet ad propagandam Dei gloriam. Per Gratiam metonymice, more uſitato, intelligit beneficium illud liberationis cujus ſupra meminerat: quod dum opprimebatur, non erat tamen anxius: inopia laborans non deſtituebatur, &c. denique perpetuam adverſus omne malorum genus liberationem. Hanc gratiam dicit exundare: quo ſignificat, non penes ſe incluſam eſſe ut ſolus ea fruatur, ſed latius diffundi, nempe in Corinthios quibus multum proderat. Quum doni Dei exuberantiam in gratitudine conſtituit, in auctoris gloriam: admonet, noſtra ignavia perire quicquid in nos bonorum confert Deus, niſi ad gratias agendas prompti & alacres ſimus.

16. *Quamobrem non deficimus.*] Nunc quaſi evicta cauſa, in majorem confidentiam attollitur quam prius. Non eſt, inquit, cauſa cur deſpondeamos animum, aut fatigemur ſub crucis onere, cujus tam felix, nec mihi ſolum, ſed aliis quoque ſalutaris eſt ſucceſſus. Ita bortatur Corinthios ſuo exemplo ad fortitudinem, ſiquando contingat ipſos ſimiliter affligi: deinde retundit illam inſolentiam, in qua non mediocriter peccabant, quod ambitione occupati, quo quiſque remotior erat à cruce Chriſti, eo majore illum habebant in pretio. *Etſi externus homo noſter.* Externum hominem male quidam & imperite cum veteri homine confundunt. eſt enim longe aliud vetus homo: de quo Rom. 6. v. 6. diximus. Falſo etiam Chryſoſtomus & alii tantum ad corpus reſtringunt: nam Apoſtolus hac voce comprehendere voluit quicquid ad præſentem vitam ſpectat. Quemadmodum hic duos homines conſtituit: ita duas nbi vitas propone, terrenam & cæleſtem. Exterior homo conſervatio eſt terrenæ vitæ, quæ non tantum ætatis flore & bona valetudine, ſed opibus etiam, honoribus, amicitiis, & aliis ſubſidiis continetur. quantum ergo nobis imminuitur vel deperit ex bonis illis quæ ad ſtatum vitæ præſentis tuendum requiruntur, tantundem corrumpitur externus noſter homo. Quia enim nimium in præſenti vita, quamdiu ad votum fluunt omnia, occupamur: ideo Dominus paulatim nobis auferendo quæ nos implicitos tenent, ad meditationem vitæ melioris revocat. Sic ergo vitæ præſentis ſtatum inclinare neceſſe eſt, ut bomo interior refloreſcat: quia quod terrenæ vitæ decedit, accreſcit cæleſti, ſaltem in fidelibus. Interit enim etiam in reprobis externus homo, ſed nulla compenſatione: in filiis Dei vero talis corruptio initium eſt generationis & tanquam cauſa. Id fieri quotidie dicit, quia aſſidue nos ad hanc meditationem Deus exercet. Utinam id aoimis noſtris penitus inſideat, ut continuo temporis ſucceſſu proficiamus in externi hominis interitu.

17. *Levitas momentanea.*] Quia caro noſtra ſemper interitum ſuum refugit, qualiſcunque propoſita fuerit merces: ac longe magis afficimur præſenti ſenſu, quam ſpe cæleſtium bonorum: ideo Paulus afflictiones & ærumnas piorum nibil aut minimum babere acerbitatis admonet, ſi cum infinito æternæ gloriæ bono conferantur. Dixerat non debere nobis moleſtam eſſe corruptionem externi hominis: quoniam ex ea renovatio hominis interni pullulet. Verum quia viſibilis eſt corruptio, renovatio autem inviſibilis, Paulus ut carnalem præſentis vitæ affectum nobis excutiat, miſerias præſentes cum futura felicitate componit. Hæc autem ſola comparatio abunde ſufficit ad imbuendos æquitate & moderatione piorum animos, ne crucis gravitate oppreſſi concidant. Unde enim fit ut tam difficilis ſit res patientia: niſi quia in brevi malorum ſenſu obſtupeſcimus, neque altius attollimus noſtram cogitationem? Ergo optimum remedium bic præſcribit Paulus, ne afflictionibus fractus ſuccumbas, quum futuram beatitudinem, quæ tibi in cælo repoſita eſt, illis opponit. Nam iſta comparatio leve facit quod ante videbatur ponderoſum: breve & momentaneum, quod videbatur immenſæ durationis. In Pauli verbis aliqua eſt obſcuritas: quia enim dicit, Secundum byperbolem in byperbolem, tam vetus Interpres quam Eraſmus utraque particula extolli putarunt magnitudinem cæleſtis gloriæ quæ fideles manet: vel certe retulerunt ad verbum Operatur. quod mihi non diſplicet: ſed quia apte etiam convenit diſtinctio quam poſui, libera ſit optio lectoribus. *Æternum pondus operatur.* Non intelligit Paulus talem afflictionum perpetuum eſſe effectum. plerique enim miſerrime hic omni malorum genere premuntur, quibus tamen id ipſum majoris potius exitii eſt cauſa, quam ſalutis adjumentum. Sed quia de fidelibus ſermo eſt, ad eos ſolos reſtringere quod hic dicitur, convenit. boc enim ſpeciale eſt erga eos Dei beneficium, quod præparantur ad beatam reſurrectionem communibus humani generis miſeriis. Quod autem Papiſtæ hoc loco abutuntur, ut probent afflictiones ſalutis noſtræ eſſe cauſas, nimis infirmum eſt: niſi forte cauſas accipere libeat pro mediis, ut vulgo loquuntur. Libenter certe fatemur, oportere nos per multas tribulationes ingredi in regnum cælorum. neque de eo eſt controverſia. Sed quum nos doceamus, ideo momentaneam afflictionum levitatem in nobis efficere æternum vitæ pondus, quia ad hoc deſtinati ſint omnes filii Dei, ut Chriſto in cruce perferenda conformes fiant: eoque modo præparentur ad cæleſtis hæreditatis fruitionem, quam ex gratuita Dei adoptione babent: Papiſtæ opera meritoria eſſe fingunt, quibus cæleſte regnum acquiratur. Breviter iterum repetam, Afflictiones viam eſſe non negamus, qua pervenitur in regnum cælorum; ſed afflictionibus mereri nos negamus bæreditatem, quæ non niſi ex gratuita Dei adoptione nobis obvenit. Papiſtæ verbulum unum inconſiderate arripiunt, ſuper quod turrim Babylonicam extruant: regnum Dei non hæreditatem à Chriſto nobis partam, ſed mercedem quæ operibus noſtris debeatur. Verum hujus quæſtionis ſolutio plenior ex Inſtitutione noſtra petatur.

18. *Dum non ſpectamus.*] En quid nobis faciles toleratu faciat omnes mundi hujus miſerias: nempe ſi cogitationem noſtram ad regni cæleſtis æternitatem transferamus. Momentum enim longum eſt, quamdiu circumcirca reſpicimus: verum ubi ſemel in cælum ſuſtulimus animos, mille anni inſtar momenti eſſe incipiunt. Atque id ſibi volunt Apoſtoli verba, intuitu rerum præſentium nos falli, quia

nibil

nihil ibi eſt niſi temporale: non eſſe ergo in quo acquieſcamus, oiſi æternæ vitæ fiducism. Obſerva banc loquutionem, *Spectare quæ non videntur*: nam oculus fidei longius penetrat, quam omnes humanæ naturæ ſenſus: & fides etiam ideo vocatur rerum iovifibilium aſpectus.

Cap. V.

SCimus enim quod ſi terrenum noſtrum domicilium tabernaculi deſtruatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.

2. Etenim in hoc gemimus, domicilium noſtrum quod eſt è cælo, ſuperinduere deſiderantes:

3. Si quidem etiam veſtiti, non nudi reperiamur.

4. Etenim dum ſumus in tabernaculo, gemimus gravati: eo quod non exui volumus, ſed ſuperindui, ut deſtruatur quod mortale eſt, à vita.

5. Qui autem aptavit nos ad hoc ipſum, Deus eſt: qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.

6. Confidimus ergo ſemper, & ſcimus quod habitantes in corpore, peregrinamur à Domino.

7. Per fidem enim ambulamus, & non per aſpectum.

8. Confidimus, inquam, & libentius optamus peregrinari à corpore, & habitare apud Dominum.

1. *Scimus enim.*] Sequitur ἐπεξεργασία, vel expolitio ſuperioris ſententiæ. Hoc eoim agit Paulus, ut in nobis impatientiam, crucis horrorem ac tædium, bumilitatis contemptum, faſtum denique & delicias corrigat. quod fieri nequit quin animos per contemptum mundi in cælum uſque attollat. Duobus autem argumeotis nititur: binc miſeram bominum ſortem in hac vita oſtendit: inde ſummam & perfectam beatitudioem, quæ fideles poſt mortem in cælo manet. Quid enim adeo retinet bomines in perverſa hujus vitæ cupiditate, niſi quod falſa imaginatione ſe decipiunt: dum ſcilicet beatos ſe eſſe opinantur hic vivendo? Rurſus non ſufficit intellexiſſe bujus vitæ miſerias, niſi in mentem nobis veniat futuræ vitæ felicitas & gloria. Hoc commune eſt bonis ſimul & malis, quod utrique vivere appetunt. boc etiam utriſque commune, quod dum reputant quot & quantis ærumnis hic ſint obnoxii (niſi quod infideles ſola corporis incommoda agnoſcunt: pios autem magis angunt ſpirituales miſeriæ) ſæpe ingemiſcunt, ſæpe deplorant ſuam ſortem, & remedium optant ſuis malis. Sed quia naturaliter horrent omnes mortem, infideles nunquam libenter migrant ex vita, niſi eam faſtidio aut deſperatione abjiciant. Fidelibus autem voluntaria eſt migratio: quia potior illis ſpes extra mundum eſt propoſita. bæc argumenti ſumma: ounc ſigillatim verba excutiamus. Scimus, inquit. Hæc ſcientia noo eſt bumani ingeoii, ſed ex Spiritus ſancti revelatione manat: itaque propria eſt bdelium. De animæ immortalitate aliquid opinati ſunt etiam Ethnici: ſed nemo eorum certi quicquam habuit, nemo jactare potuit ſe de re loqui ſibi cognita. ſolis fidelibus prædicare hoc licet, quibus verbo & Spiritu Dei teſtata eſt. Præterea notandum eſt, hanc notitiam non eſſe univerſalem duntaxat, quaſi fideles in genere ſolum perſuaſi ſint ſtatum filiis Dei potiorem à morte fore, de ſe autem nihil habeant conſtitutum: quantulum enim hoc prodeſſet ad tam arduam conſolationem? Sed ſingulos de ſe particularem ſcientiam habere oportet. hoc enim eſt demum quod me ad mortem alacriter obeundam animet, ſi certo ſim perſuaſus, me ad meliorem vitam migrare. Corpus quale nunc habemus, vocat *domicilium tabernaculi.* Qualiter enim tabernacula ad temporalem uſum extruuntur levi materia, nec ſolido fundamento, deinde paulo poſt diruuntur, aut ſponte cadunt: ita corpus mortale hominibus datum eſt tanquam caducum tugurium, quod paucis diebus incolant. qua metaphora uſus eſt etiam Petrus in Epiſtola poſteriore: & Job, quum vocat domum luteam. Huic opponit ædificium perpetoæ durationis: quo nomine incertum eſt an ſignificet ſtatum beatæ immortalitatis, qui poſt mortem fideles manet: an vero corpus incorruptibile & glorioſum, quale poſt reſurrectionem erit. In utrovis ſenſu oihil eſt incommodi. quanquam malo ita accipere, ut initium hujus ædificii ſit beatus animæ ſtatus poſt mortem: cooſummatio autem ſit gloria ultimæ reſurrectionis. Hanc expoſitionem melius comprobabit Apoſtoli contextus. Epitheta quæ adjungit huic ædificio, faciunt ad perpetuitatem melius confirmandam.

2 Petr. 1. v.13, 14. Job. 4. verſ. 19.

3. *Si quidem veſtiti.*] Reſtringit quod poſuit de futuræ vitæ certitudine, ad fideles, quemadmodum eſt illis peculiare. Exuuntur enim corpore etiam impii: ſed quia nihil in Dei conſpectum afferuot præter ignomioioſam nuditatem, ideo non ſuperveſtiuntur corpore glorioſo. Fideles autem qui veſtiti Chriſto, ejuſque juſtitia ornati, in Dei conſpectu apparent, recipiunt veſtem glorioſam immortalitatis. Sic enim malo accipere, quam ſecundum Chryſoſtomum & alios, qui nihil hic novum dici putant: ſed tantum repeti quod prius dixerat de ſuperinduendo æterno domicilio. Duplicem itaque veſtitum hic commemorat Apoſtolus, quo nos Deus induit, Juſtitiam ſcilicet Chriſti in hac vita, & Spiritus ſanctificationem: à morte vero immortalitatem & gloriam. Prior cauſa eſt ſecundi: quia quos glorificare inſtituit Deus, juſtificat. atque hic ſenſus elicitur ex particula *etiam*, quæ amplificandi cauſa haud dubie inſerta eſt: acſi dixiſſet Paulus, novam veſteoi fidelibus à morte paratam fore, ſi quidem in hac etiam vita veſtiti fuerint.

4. *Gemimus gravati: eo quod non exui.*] Gemunt etiam impii, quia cootenti non ſunt præſenti ſtatu: ſed vincit poſtea contrarius affectus, boc eſt, vivendi appetentia: ut mortem horreant, neque mortalis vitæ diuturnitate graventur. Gemitus autem fidelium inde naſcitur, quod ſe exulare hic ſciunt extra patriam: quod ſciunt ſe corpore incluſos teneri tanquam ergaſtulo: ideo hac vita gravantur, quod in ea potiri veræ & perfectæ beatitudinis nequeunt, quod peccati ſervitutem nonniſi morte poſſunt effugere: ac proinde alio aſpirant. Sed quia oaturale eſt eunctis animantibus, ut eſſe appetant: qui fieri poteſt ut fideles libenter deſinant eſſe? Hanc quæſtionem ſolvit Apoſtolus, quum dicit, fideles mortem non ideo appetere, ut ſibi aliquid decedat: ſed melioris vitæ reſpectu. Quanquam verba plus exprimunt: concedit enim, nos præſentis vitæ ſolutionem per ſe naturaliter fugere: quemadmodum nemo ſe liben-

libenter patitur exui ſuis veſtibus. ſed poſtea ſubjungit, naturalem mortis horrorem ſuperari à fiducia: ſicuti non difficulter veſtem pannoſam, ſordidam, detritam, laceram denique quivis abjiciet, ut eleganti, nitida, nova & durabili ornetur. Metaphoram deinde exponit, dicens, *Ut deſtruatur quod mortale eſt, à vita.* Nam quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere nequeunt: neceſſe eſt interire quod corruptibile eſt in natura noſtra, ut vere reparemur, & reſtituamur in perfectum ſtatum. hac ratione corpus noſtrum vocatur carcer qui nos premit.

5. *Qui autem aptavit nos.*] Hoc ideo additum, ut ſciamus hunc affectum eſſe ſupernaturalem. Neque enim proprius naturæ ſenſus huc nos impellet: quia illam centupli compenſationem non percipit, quæ provenit ex grani mortificatione. à Deo igitur nos aptari neceſſe eſt. Modus quoque ſimul adjungitur, quod nos Spiritu ſuo tanquam arrha confirmat. Quanquam particula *etiam* ad amplificationem poſita videtur: acſi dixiſſet, Deus eſt qui format in nobis illud deſiderium: ac ne animus nobis labaſcat aut vacillet, Spiritus ſanctus nobis arrhæ inſtar eſt: quia facit ſuo teſtimonio ut firma ſit ac rata promiſſionis veritas. Duo enim hæc ſunt officia Spiritus ſancti, oſtendere fidelibus quid appetendum ſit: deinde efficaciter ipſorum corda afficere, & eximere omnem dubitationem, ut conſtanter in electione boni perſtent. Non tamen male conveniet longius extendi Aptandi verbum ad vitæ renovationem, qua ſuos jam ornat Deus in hoc mundo: quia hoc modo jam eos à reliquis ſeparat, & oſtendit ad peculiarem ſortem ſua gratia eſſe deſtinatos.

6. *Confidimus ergo ſemper.*] Nempe freti arrha Spiritus: alioqui enim trepidamus ſemper vel ſaltem alternis confidimus aut timemus: non retinemus unum & certum animi tenorem. Itaque tunc demum nobis conſtat hic bonus animus de quo loquitur Paulus, quum ſuſtinetur à Spiritu Dei. Copula quæ mox ſequitur, reſolvi debet in cauſalem particulam, hoc modo, Bono animo ſumus, quia ſcimus nos peregrinari à corpore, &c. Nam hæc cognitio, noſtræ tranquillitatis & fiduciæ cauſa eſt: ideo enim perpetua inquietudine æſtuant infideles, aut contumaciter adverſus Deum fremunt, quod putant ſe mox petituros: ac ſummum & ultimum punctum ſuæ felicitatis locant in hac vita: nos autem æquo animo vivimus, & alacriter pergimus ad mortem, quia nobis melior ſpes eſt repoſita. *Peregrinamur à Domino.* Tota Scriptura clamat Deum nobis præſentem adeſſe: hic Paulus docet nos ab eo peregrinari. quod in ſpeciem contrarium eſt: ſed diverſus abſentiæ vel præſentiæ modus nodum hunc facile ſolvit. Adeſt igitur univerſis hominibus, quia virtute ipſos ſua ſuſtinet: in illis habitat, quia per eum vivunt, moventur & ſunt. adeſt ſuis fidelibus majore Spiritus ſui energia, vivit in ipſis, reſidet in medio eorum, adeoque intra ipſos. Sed interim abſens eſt nobis, quia non exhibet ſe coram videndum, quia adhuc exulamus ab ejus regno, & beata immortalitate qua fruuntur Angeli qui cum eo ſunt, adhuc caremus. Quanquam Peregrinari hoc loco nonniſi ad cognitionem refertur: quemadmodum ex ratione mox addita patet.

7. *Per fidem enim ambulamus.*] Εἶδος hic verti *aſpectum*: propterea quod pauci intelligebant quid ſibi vellet Species. Reddit cauſam cur abſimus nunc à Domino: quia ſcilicet nondum videmus eum facie ad faciem. Hic eſt modus abſentiæ, quod Deus à nobis non cernitur palam: ideo autem non videtur, quia ambulamus per fidem. Fides porro ipſa merito aſpectui opponitur: quia apprehendit quæ ſunt ab hominum ſenſu abſcondita, quia ad futura ſe extendit quæ nondum extant. Talis enim eſt fidelium conditio, ut mortuis ſimiles ſint potius quam vivis, ut ſæpe videantur à Deo derelicti, ut mortis materiam intus ſemper incluſam habeant: ergo neceſſe eſt eos ſperare ſupra ſpem. Jam vero, quæ ſperantur, latent: ut habetur Rom. 8. v. 24. & fides eſt rerum non apparentium manifeſtatio: non mirum ergo ſi dicat Apoſtolus, nos aſpectu nondum potiri quamdiu per fidem ambulamus. Videmus enim, ſed in ſpeculo & ænigmate: hoc eſt, loco rei in verbo acquieſcimus.

8. *Confidimus, inquam.*] Iterum repetit quod dixerat de fiducia piorum: tantum abeſſe ut frangantur crucis duritia, & animum deſpondeant ſub afflictionibus, ut inde reddantur animoſiores. Extremum enim malorum, mors: atqui ad eam aſpirant fideles, tanquam perfectæ beatitudinis initium. Proinde copula in cauſalem reſolvi poteſt, hoc modo, Nihil evenire poteſt nobis quod fiduciam bonumque animum excutiat: quandoquidem interitus (quem tantopere alii horrent) nobis magno lucro eſt: nihil enim melius quam migrare à corpore, ut perveniamus ad Dei contubernium, & illius præſentia vere palamque fruamur. Nihil ergo nobis decedit ex corruptione externi hominis. obſerva hic quod jam ſemel dictum eſt, veram fidem non contemptum modo, ſed etiam deſiderium mortis gignere: itaque econverſo infidelitatis ſignum eſſe, quum mortis horror ſupra ſpei gaudium & conſolationem in nobis dominatur. Expetunt autem mortem fideles, non ut importuno voto diem Domini antevertant. ſponte enim pedem fixum tenent in terrena ſtatione, quamdiu Domino libuerit: malunt enim in Chriſti gloriam vivere, quam ſibi mori, & in propriam utilitatem. Nam deſiderium de quo loquitur Paulus, fidei eſt: ergo à Dei voluntate minime diſſidet. Colligere etiam licet ex iſtis Pauli verbis, animas à corporibus ſolutas, apud Deum vivere: nam ſi à corpore abſentes Deum habent præſentem, cum eo certe vivunt. Hic quæritur à nonnullis, qui factum ſit igitur ut ſancti Patres tantopere mortem exhorruerint: ſicuti David, Ezechias, & tota Eccleſia Iſraëlitica: quod patet ex Pſalmo 6. Jeſaiæ 38. v. 3. Pſalmo 115. v. 17. Scio quid reſponderi ſoleat: mortem illis tanto horrori ideo fuiſſe quod obſcura adhuc erat futuræ vitæ revelatio, ac proinde conſolatio tenuis. Ego autem fateor id quidem eſſe aliquid, ſed non totum: neque enim ſemper trepidarunt ad mortis nuncium ſancti Patres veteris Eccleſiæ: quin potius alacriter mortem amplexi ſunt, ac lætis animis. Abraham enim ſatur dierum migravit abſque mœrore: Iſaac non legitur mortem refugiſſe: Jacob inter ultimos ſpiritus teſtatur ſe expectare Salutem Domini: David ipſe quoque placide abſque lamentis moritur: ſimiliter Ezechias. Quod ergo David ſemel & Ezechias mortem flebiliter deprecati ſunt, ratio erat, quod puniebantur à Domino ob certa peccata: ideoque in morte ſentiebant iram Domini. Hæc illis erat cauſa perturbationis, quam ſentire hodie quoque poſſent fideles ſub Chriſti regno. Deſiderium autem de quo loquitur Paulus, affectus eſt mentis bene compoſitæ.

9. Quapropter contendimus, ſive domi agentes, ſive foris peregrinantes, ut illi placeamus.

10. Omnes enim nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſque quæ per corpus facta fuerint, prout fecerit, ſive bonum ſive malum.

11. Scientes igitur terrorem illum Domini, ſuademus hominibus, Deo autem manifeſti ſumus: confido autem nos & in conſcientiis veſtris manifeſtos eſſe.

12. Non

12. Non enim noſmetipſos iterum commendamus vobis: ſed occaſionem vobis damus gloriandi de nobis, ut aliquid habeatis adverſus eos qui in facie gloriantur, & non in corde.

9. *Quapropter* &c.] Poſtquam diſſeruit quam magnanimos deceat eſſe Chriſtianos in perferendis afflictionibus, ut etiam moriendo ſint mortis victores, idque propterea quod per afflictiones & mortem ad beatam vitam perveniant: ex eodem fonte alteram quoque ſententiam deducit: nempe in hoc ſibi incumbendum eſſe præcipuo ſtudio, ut Deo placeant. Et ſane fieri aliter nequit quin ſpes reſurrectionis, & judicii cogitatio hoc ſtudium in nobis excitet: ſicuti econverſo non alia de cauſa adeo ſocordes ſumus & deſides in officio, niſi quod nunquam aut raro nobis in mentem venit quod obverſari memoriæ noſtræ perpetuo debuerat, nos hic inquilinos eſſe ad breve tempus, ut peracto curſu redeamus ad Chriſtum. Nota autem quod dicit, tam mortuis quam vivis hoc ineſſe ſtudium: quo iterum confirmatur animarum immortalitas.

10. *Manifeſtari.*] Quanquam omnibus hoc commune eſt, non tamen omnes promiſcue huc uſque attollunt mentem, ut ſingulis momentis Chriſti tribunal ſibi obeundum cogitent. Sed quum Paulus ſancto recte agendi ſtudio ſe coram Chriſto aſſidue ſiſteret, oblique perſtringere voluit ambitioſos doctores, quibus ſatis erat plauſum humani theatri ferre. Nam ubi dicit neminem poſſe effugere, quodammodo eos citare videtur ad cæleſte illud tribunal. Porro Manifeſtandi verbum etſi poſſet exponi Apparere, tamen altius ſpectavit Paulus, meo judicio: tunc nos in lucem prodituros, quum nunc quaſi in tenebris deliteſcant multi. Libri enim tunc aperientur, qui nunc clauſi ſunt. *Ut reportet unuſquiſque.* Quia hic locus eſt de remuneratione operum, breviter notandum eſt, ſicuti puniuntur à Deo mala opera, ita etiam mercedem bonis rependi: ſed diverſa ratione. retribuitur enim malis operibus pœna quam merentur: ſed Deus in remunerandis bonis operibus non reſpicit meritum aut dignitatem. Nullum enim opus adeo plenum eſt ac numeris ſuis abſolutum, ut illi merito placeat: deinde non aliter per ſe placent cujuſquam opera Deo, niſi univerſæ Legi ſatisfaciat. nemo autem tam perfectus reperitur: itaque unicum refugium eſt, ut gratuita bonitate nos acceptos habeat, ac nos juſtificet, non imputando nobis peccata. poſteaquam nos in gratiam recepit, gratuita etiam acceptione opera noſtra amplectitur: hinc merces dependet. Nihil igitur abſurdi, ſi bona opera præmio dignetur: modo intelligamus id nihil obſtare quominus gratis conſequantur homines vitam æternam. De hac re plura dixi in ſuperiorem Epiſtolam: & Inſtitutio noſtra plenam tractationem ſuppeditabit. Quum dicit, *Per corpus*, non tantum externas actiones intelligo, ſed omnia opera quæ in vita corporali perpetrantur.

11. *Scientes igitur.*] Nunc ad ſe redit, vel iterum doctrinam univerſalem ſibi privatim accommodat. Ego, inquit, non ignarus ſum aut expers timoris Dei, qui debet regnare in cordibus omnium piorum: ſcire igitur terrorem Domini, eſt eſſe participem illius cogitationis, quod ſemel reddenda ſit ratio coram Chriſti tribunali: nam qui hoc ſerio meditatur, neceſſe eſt ut tangatur timore, & neglectum omnem excutiat. Teſtatur ergo ſe defungi ſuo Apoſtolatu fideliter & pura conſcientia: ut qui de reddenda ratione cogitans, in timore Domini ambulet. Quoniam autem jactare poterant adverſarii, Tu quidem magnifice te extollis: ſed quis videt quod prædicas? ad hoc reſpondet, ſe quidem agere opus doctoris in conſpectu hominum: ſed Deo notum eſſe qua animi ſinceritate agat: acſi diceret, Sicuti os meum loquitur hominibus, ita cor meum Deo. *Confido autem.* Species correctionis. jam enim jactat ſe non modo Deum habere teſtem ſuæ integritatis, ſed ipſos etiam Corinthios, quibus experimentum ſui dederat. Duo igitur hic ſunt obſervanda: non ſufficere ſi quis honeſte & ſtrenue ſe gerat inter homines, niſi rectus ſit animus coram Deo: ſecundo inanem eſſe jactantiam, ubi deeſt teſtimonium ipſius rei. Nulli enim audaciores ſunt ad omnia ſibi arroganda, quam qui nihil habent. ergo qui ſibi fidem haberi volet, opera proferat quæ fidem ejus dictis faciant. Plus autem eſt *in conſcientiis eſſe manifeſtum*, quam experimentis notum eſſe: conſcientia enim longius penetrat quam carnis judicium.

12. *Non enim commendamus.*] Confirmat quod proxime dixit: & ſimul prævenit calumniam. Videri enim poterat nimiam habere curam ſuæ laudis, quod toties de ſe verba faceret: imo veriſimile eſt hoc fuiſſe illi objectum ab improbis. Nam quod dicit, Non commendamus nos iterum: tanquam ex eorum perſona loquitur. Commendare in malam partem accipitur, pro Jactare aut Venditare. Quum addit, *ſe occaſionem illis dare gloriandi:* primum ſignificat, eorum ſe cauſam magis quam ſuam ipſius agere, quod totum in eorum gloriam cedat. & rurſum oblique taxat eorum ingratitudinem, quod non agnoſcerent ſuarum eſſe partium, ejus Apoſtolatum ſponte magnificere, ne hanc illi neceſſitatem imponerent: quod etiam non agnoſcerent ſua magis quam ipſius Pauli intereſſe, glorioſum haberi ejus Apoſtolatum. Hic docemur, Chriſti ſervos eatenus tantum debere ſtudioſos eſſe ſuæ exiſtimationis, quatenus Eccleſiæ expedit. hoc ſe affectu præditum fuiſſe, vere aſſerit Paulus. Viderint reliqui ne falſo ejus exemplum obtendant. Docemur etiam, hanc eſſe demum veram miniſtri laudem, quæ illi magis communis eſt cum Eccleſia, quam propria unius: hoc eſt, quæ in bonum omnium redundat. *Ut aliquid habeatis adverſus eos.* Significat obiter, refutandam eſſe vanitatem eorum qui inaniter ſe efferunt: idque eſſe ex officio Eccleſiæ. Nam quum peſtis in primis noxia ſit talis ambitio, diſſimulatione eam foveri pernicioſum eſt. Id quia facere non curaverant Corinthii, Paulus in poſterum admonet quid facere debeant. *Gloriari in facie, non in corde*, eſt externa pompa fucum facere, & pro nihilo ducere cordis ſinceritatem. nam qui vere cordati erunt, nunquam niſi in Deo gloriabuntur. Ubi autem inanis eſt oſtentatio, illic nulla ſinceritas, nulla animi rectitudo.

13. Nam ſive inſanimus, Deo inſanimus: ſive ſani ſumus, vobis ſani ſumus.
14. Charitas enim Chriſti conſtringit nos: judicantes illud, quod ſi unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes ſunt mortui.
15. Et quidem pro omnibus mortuus eſt: ut qui vivunt, poſthac ſibi non vivant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit.
16. Itaque nos poſthac neminem novimus ſecundum carnem. quin etiam ſi ſecundum carnem novimus Chriſtum, jam non amplius novimus.
17. Proinde ſi quis in Chriſto, nova ſit creatura. vetera præterierunt; ecce nova facta ſunt omnia.

13. *Sive inſanimus.*] Hoc per conceſſionem dictum eſt. Sana enim erat gloriatio Pauli, vel ſobria & ſapientiſſima inſania, ſi ita vocare libet: ſed quia multis videbatur ineptus, loquitur ex eorum opinione. Duo autem aſſerit: ſe nequaquam habere rationem ſui, ſed hoc unum habere propoſitum, ut Deo & Eccleſiæ ſerviat: deinde nihil ſe vereri hominum opinionem, quin paratus ſit inſanus haberi perinde atque ſanus, modo negotium Dei & Eccleſiæ fideliter agat. Senſus eſt igitur, Quod meam integritatem toties prædico, perinde id homines accipient ut volent: non tamen facio mea cauſa, ſed Deum tantum & Eccleſiam habeo præ oculis. Paratus ergo ſum tacere & loqui, prout Dei gloria & Eccleſiæ utilitas poſtulabit: ac libenter patiar ut me inſanum judicet mundus, modo non inſaniam mihi, ſed Deo. Dignus locus non obſervatione modo, ſed aſſidua etiam meditatione: niſi enim ita compoſiti animis erimus, minima quæque offendicula ſubinde ab officio nos abducent.

14. *Charitas enim Chriſti.*] Nomen Charitatis tam paſſive quam active poteſt accipi. malo ſecundum. Niſi enim pluſquam ferrei ſimus, facere non poterimus quin totos nos devoveamus Chriſto, dum reputamus quanto amore nos proſequutus eſt, quum mortem pro nobis ſubiit. Et Paulus ſeipſum exponit dum addit, æquum eſſe ut illi vivamus, nobis mortui. ergo quemadmodum prius dixerat ſe timore ſollicitari ad officium, propterea quod reddenda erit ſemel ratio: ita nunc ponit alterum ſtimulum, illam ſcilicet immenſam dilectionem Chriſti erga nos, cujus ſpecimen nobis exhibuit ſua morte. Hujus, inquam, amoris agnitio conſtringere affectus noſtros debet, ne alio inclinent quam ad eum redamandum. Metaphora eſt in verbo *conſtringendi*: qua notatur, fieri non poſſe quin quiſquis mirificum illum amorem quem teſtatus eſt nobis Chriſtus morte ſua, vere expendit ac reputat, quaſi ei alligatus, & arctiſſimo vinculo conſtrictus, ſe in illius obſequium addicat. *Si unus pro omnibus mortuus.* Notandus diligenter hic finis, ideo mortuum pro nobis eſſe Chriſtum, ut ipſi nobis moriamur. Notanda etiam expoſitio, Mori nobis, eſſe Chriſto vivere: aut ſi velis plenius, renunciare nobis ut Chriſto vivamus. nam ideo nos redemit Chriſtus, ut nos in poteſtate ſua haberet tanquam proprium peculium: unde ſequitur, nos amplius non eſſe noſtri juris. Similis locus eſt Romanorum 14. v. 15. Quanquam duo hic diſtincte ponuntur: nos in Chriſto mortuos eſſe, ut omnis ambitio & eminendi appetentia ceſſet, nec moleſtum ſit exinaniri: deinde Chriſto nos debere vitam & mortem, qui nos ſibi prorſus devinxit.

16. *Itaque nos poſthac neminem novimus.*]. Noſſe hic accipitur pro Cenſere: quaſi diceret, Nos ſecundum externam larvam non judicamus, ut hic habeatur præſtantiſſimus qui talis apparet in ſpeciem. Sub *carnis* nomine comprehendit externas omnes dotes, quas homines ſolent in pretio habere: & in ſumma, quicquid abſque regeneratione cenſetur laude dignum. quanquam de externo fuco (quem apparentiam vocant) proprie loquitur. Et quidem alludit ad mortem cujus meminerat: acſi diceret, Quandoquidem omnes præſenti vitæ mortui eſſe debemus, imo nihil eſſe in nobis: neminem Chriſti ſervus æſtimandus eſt à carnali excellentia. *Quin etiam ſi novimus Chriſtum.* Senſus eſt, Etiamſi Chriſtus ad tempus verſatus fuerit in hoc mundo, & agnitus hominibus in iis quæ ſpectant ad conditionem præſentis vitæ: nunc alio modo cognoſcendus eſt, nempe ſpiritualiter, ut nihil mundanum de ipſo cogitemus. Hoc loco abuſi ſunt fanatici quidam, qualis eſt Servetus, ut probarent Chriſti naturam à divinitate nunc abſorptam eſſe. Sed quantum aberret tale delirium à mente Apoſtoli, non eſt difficile judicare. neque enim hic de corporis ſubſtantia loquitur, ſed de externa ſpecie: neque dicit non amplius cognoſci à nobis carnem in Chriſto, ſed inde Chriſtum cenſeri negat. Tota vero Scriptura clamat, non minus nunc glorioſam vitam Chriſtum obtinere in carne noſtra, quam in ea ſemel paſſus eſt. imo ſublato hoc fundamento, tota fides noſtra corruit: unde enim ſpes immortalitatis, niſi quod ejus ſpecimen jam in Chriſto habemus? Sicuti enim inde reſtituta nobis juſtitia, quod in natura noſtra Chriſtus Legem implendo, inobedientiam Adæ abolevit: ita etiam inde vita, quod naturæ noſtræ regnum Dei à quo exulabat, patefecit, & eam collocavit in cæleſti domicilio. Ergo niſi carnem Chriſti nunc agnoſcimus, perit nobis tota quam in ipſo habere nos convenit, fiducia & conſolatio. Verum hominem & fratrem noſtrum agnoſcimus Chriſtum in carne ſua, non carnaliter: quia nonniſi in conſideratione ſpiritualium ejus donorum acquieſcimus. Ipſe ergo nobis ſpiritualis eſt: non quia depoſito corpore converſus ſit in Spiritum, ſed quia ſuos regeneret ac gubernet Spiritus ſui virtute.

17. *Proinde ſi quis in Chriſto.*] Quoniam defectiva eſt oratio, ita implenda eſt, Si quis in Chriſto, hoc eſt, in regno Chriſti, vel in Eccleſia locum aliquem obtinere cupit: ille ſit *nova creatura*. Hoc verbo damnat quamvis excellentiam quæ magni fieri ſolet ab hominibus, ſi deſit renovatio cordis. Doctrina quidem, & eloquentia, & reliquæ dotes pretioſæ ſunt & honorandæ: ſed ubi non adeſt timor Domini & recta conſcientia, totus earum honor evaneſcit. Nemo igitur ſuperbiat ulla excellentia: quoniam præcipua laus Chriſtianorum eſt ſui abnegatio. neque vero hoc tantum dicitur ad refutandam pſeudoapoſtolorum vanitatem, ſed etiam ad corrigenda ambitioſa Corinthiorum judicia, quibus pluris erant externæ larvæ quam vera ſinceritas. tametſi hoc commune eſt vitium fere omnibus ſeculis: quotus enim quiſque eſt qui non oſtentationi multo plus tribuat, quam veræ ſanctimoniæ? Ergo hanc admonitionem teneamus, nihil eſſe in Eccleſia debere omnes qui non renovati ſunt Dei Spiritu: quibuslibet alioqui ornamentis fulgeant. *Vetera præterierunt.* Quum de regno Chriſti loquuntur Prophetæ, cælum novum & terram novam fore denunciant. *Jeſa. 65. verſ. 17.* quo ſignificant omnia in melius converſum iri, donec compleatur piorum felicitas. Jam vero quum ſpirituale ſit Chriſti regnum, converſio hæc potiſſimum in Spiritu fieri debet: ideoque merito inde incipit. Eſt igitur elegans & apta alluſio, quum Paulus ejuſmodi elogium ad extollendam regenerationem accommodat. Vetera autem appellat quæ non ſunt Spiritu Dei reformata: proinde hoc nomen, gratiæ renovationis opponitur. Tranſiiſſe accipit pro Emarcuiſſe: ut ſolent res caducæ poſt elapſum ſuum tempus decidere. Solus ergo novus homo floret ac viget in regno Chriſti.

18. Porro omnia ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Jeſum Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis.

19. Quoniam erat Deus in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando illis ſua ipſorum peccata: & depoſuit in nobis ſermonem reconciliationis.

20. Itaque pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: rogamus pro Chriſto, reconciliemini Deo.

21. Eum

21. Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

18. *Omnia ex Deo.*] Omnia intelligit quæ ad Chriſti regnum pertinent: acſi diceret, Si Chriſti eſſe volumus, ex Deo nos renatos eſſe oportet: atqui non eſt vulgare donum. non ergo loquitur hic de creatione univerſali, ſed de gratia regenerationis, qua peculiariter electos ſuos dignatur Deus. & eam eſſe ex Deo prædicat: non quatenus cœli & terræ Creator eſt atque opifex, ſed quatenus ſuos refingens ad imaginem ſuam, Eccleſiæ novus eſt Creator. Ita humiliatur omnis caro, & admonentur fideles, Deo jam vivendum eſſe, ex quo ſunt nova creatura: quod fieri nequit, niſi mundi obliviſcantur: quemadmodum etiam jam non ſunt amplius ex mundo, quia ex Deo. *Qui nos reconciliavit.* Duo ſunt capita: alterum de reconciliatione hominum cum Deo: alterum quomodo fruamur hujus reconciliationis beneficio. Optime autem cohærent hæc cum ſuperioribus. nam quia prætulerat Apoſtolus cuivis excellentiæ bonam conſcientiam: nunc oſtendit totum Euangelium huc tendere. Simul tamen Apoſtolici muneris dignitatem indicat, ut admoneantur Corinthii quid in eo quærere debeant: qui ideo non poterant inter veros & falſos miniſtros diſcernere, quod ſola oſtentatio illis placebat. Ergo hac commemoratione ipſos excitat, ut melius proficiant in Euangelii doctrina. Inde enim præpoſtera admiratio profanorum hominum, qui ambitioni magis ſuæ quam Chriſto ſerviunt, quod neſcimus quid contineat aut ſibi velit Euangelii prædicandi officium. Nunc redeo ad illa duo capita quæ hic perſtringuntur: prius eſt, *Deum nos reconciliaſſe ſibi per Chriſtum.* mox ſequitur declaratio, Quia Deus in Chriſto fuerit, & in ejus perſona peregerit reconciliationem: modus additur, Non imputando hominibus peccata. Iterum annectitur ſecunda declaratio, Quia Chriſtus piaculum factus pro peccatis noſtris juſtitiam nobis acquiſierit. Secundum membrum eſt, applicari nobis per Euangelium reconciliationis gratiam, ut ſimus ejus participes. Et hic inſignis locus, ſi quis alius eſt in toto Paulo: proinde diligenter excutere ſingulas particulas convenit. *Miniſterium reconciliationis.* Præclarus Euangelii titulus, quod legatio ſit ad reconciliandos homines Deo: ſingularis quoque miniſtrorum dignitas, quod cum hoc mandato mittantur à Deo ad nos, ut internuncii ſint & quaſi ſponſores. Verum hoc non tam ad ornandos miniſtros dictum eſt, quam in piorum conſolationem: ut quoties Euangelium audiunt, ſciant Deum ſecum de reditione in gratiam tractare, & quaſi paciſci. quid hoc bono optabilius? Meminerimus ergo hunc præcipuum eſſe Euangelii finem: quum natura ſimus filii iræ, ut abolito inter Deum & nos diſſidio, recipiamur ab ipſo in gratiam. Hoc mandato inſtruuntur miniſtri, ut nuncium tanti boni ad eos perferant: imo certiores nos reddant de paterno erga nos Dei amore. Poteſt quidem etiam alius quivis nobis divinæ gratiæ eſſe teſtis: ſed Paulus hanc functionem docet ſpecialiter miniſtris eſſe injunctam. Quum ergo ex Euangelio pronunciat miniſter rite ordinatus, propitiatum nobis eſſe Deum: non aliter audiendus eſt atque Dei legatus, & publicam (ut aiunt) perſonam ſuſtinens, atque ad id aſſeverandum legitima auctoritate præditus.

19. *Erat Deus in Chriſto.*] Quidam ſimpliciter accipiunt pro eo, acſi dictum foret, Deus mundum ſibi reconciliabat in Chriſto. Sed plenior eſt ſenſus & uberior, nempe quod Deus in Chriſto erat: deinde quod ejus interceſſione reconciliabat ſibi mundum. ac de Patre quidem hoc prædicatur: nam impropria eſſet loquutio, ſi intelligeres divinam Chriſti
[*Joan. 10.*] naturam in eo fuiſſe. Erat ergo Pater in Filio:
[*verſ. 38.*] ſecundum illud, Ego in Patre, & Pater in me. Itaque qui habet Filium, ſimul & Patrem habet. Nam ideo hoc expreſſit Paulus, ut diſcamus Chriſto uno eſſe contenti, quia in ipſo reperiamus etiam Deum Patrem: quemadmodum revera per ipſum nobis ſe communicat. Perinde igitur valet hoc, acſi diceret, Quum procul à nobis remotus eſſet Deus, ad nos in Chriſto acceſſit: atque ita Chriſtus factus eſt nobis verus Immanuel: ejuſque adventus, appropinquatio Dei ad homines. Secundum membrum notat officium Chriſti, nempe quod ſit propitiatio noſtra: quia extra eum nobis omnibus infenſus eſt Deus, qui à juſtitia deſcivimus. Quorſum ergo apparuit Deus in Chriſto hominibus? in reconciliationem, ut ſublatis inimicitiis, qui alieni erant, adoptentur in filios. Etſi autem ex fonte divini erga nos amoris Chriſtus Redemptor profluxit: donec tamen agnoſcant homines à Mediatore placatum eſſe Deum, neceſſe eſt, eorum reſpectu diſſidium manere, quod à Dei acceſſu eos prohibeat: qua de re mox plura. *Non imputando illis.* En qualiter in gratiam redeant homines cum Deo: ubi ſcilicet impetrata peccatorum remiſſione juſti cenſentur. Nam quamdiu imputat nobis peccata Deus, neceſſe eſt ut nos habeat exoſos: neque enim peccatoribus amicus aut propitius eſſe poteſt. Sed videtur cum hac ſententia pugnare quod alibi dicitur, Nos fuiſſe ab eo dilectos ante [*Epheſ. 1.*]
mundi creationem: magis etiamnum quod dicit [*verſ. 3.*]
Joannes, Dilectionem qua nos proſequebatur, fuiſſe [*Joan. 1.*]
cauſam cur peccata noſtra per Chriſtum expiaverit. [*verſ. 16.*]
cauſa enim ſemper præcedit ſuum effectum. Reſpondeo, nos fuiſſe ante creationem mundi dilectos, ſed non niſi in Chriſto. Interea tamen fateor, dilectionem Dei, tempore fuiſſe priorem, atque ordine etiam quantum ad Deum: ſed reſpectu noſtri, principium amoris in Chriſti ſacrificio ſtatuitur. Neque enim quum Deum abſque Mediatore intuemur, concipere alium poſſumus erga nos quam iratum: Mediator interpoſitus facit ut ſentiamus nobis pacatum. Sed quia hoc quoque eſt cognitu neceſſarium, Chriſtum nobis ex fonte gratuitæ Dei miſericordiæ prodiiſſe: utrumque diſerte docet Scriptura: iram Patris Filii ſacrificio fuiſſe placatam, & ideo Filium expiandis hominum peccatis fuiſſe oblatum: quia Deus illorum miſertus, tali pignore receperit eos in gratiam. Summa hæc ſit, ubi eſt peccatum, illic eſſe iram Dei: non aliter igitur neque ante Deum nobis eſſe propitium, quam ubi peccata noſtra delet non imputando. Hoc beneficium quum nequeant apprehendere noſtræ conſcientiæ, niſi intercedente Chriſti ſacrificio: in illo Paulus non abs re ſtatuit principium & cauſam reconciliationis, noſtri reſpectu. *Et depoſuit in nobis.* Iterum repetit perferendæ ad nos hujus gratiæ datum eſſe mandatum Euangelii miniſtris. Objici enim poterat, Ubi nunc Chriſtus inter Deum & nos pacificator? quam procul à nobis habitat? Dicit ergo, ſicuti ſemel paſſus eſt, ita quotidie paſſionis ſuæ fructum nobis offerre per Euangelium, quod extare voluit in mundo, tanquam firmas & authenticas tabulas pacificationis ſemel peractæ. Miniſtrorum ergo partes ſunt, fructum mortis Chriſti nobis applicare, ut ita loquar. Sed ne quis magicam applicationem ſomniet, qualem Papiſtæ comminiſcuntur: notandum diligenter quod proxime ſubjicit, totum id conſiſtere in prædicatione Euangelii. Papa enim cum ſuis ſacrificis hoc colore prætexit totam illam impiam & execrandam nundinationem, quam de animarum ſalute exercent. Inſtruxit nos, inquiunt, Dominus mandato & poteſtate remittendi peccata: fateor, ſi legatione hac fungantur, cujus Paulus meminit. Porro abſolutio qua utuntur in Papatu, prorſus eſt magica: deinde veniam peccatorum includunt in plumbo & mem-

brana,

brana, vel commentitiis & frivolis ſuperſtitionibus alligant. Quid hæc omnia ſimile habent cum Chriſti inſtituto? Tum ergo nos in Dei gratiam rite & ordine reſtituunt Eccleſiæ miniſtri, quum per Euangelium nobis teſtes ſunt de reconciliata nobis Dei gratia. Hoc teſtimonio ſublato, nihil reſtat præter meram impoſturam. Cave igitur, extra Euangelium vel minimam fiduciæ tuæ guttam colloces. Non nego quidem, Sacramentis etiam Chriſti gratiam nobis applicari, illicque noſtram cum Deo reconciliationem conſcientiis noſtris ſanciri: ſed quia Sacramentis inſculptum eſt Euangelii teſtimonium, non ſunt per ſe neque ſeorſum æſtimanda, ſed cum Euangelio conjungi debent, cujus ſunt appendices. Denique hac conditione legati ſunt miniſtri Eccleſiæ, ad beneficium reconciliationis teſtandum & publicandum, ſi ea Euangelio tanquam ex legitimis tabulis loquantur.

20. *Tanquam Deo exhortante.*] Hoc ad fidem legationi adſtruendam non parum valet: imo penitus neceſſarium eſt. quis enim hominis teſtimonio acquieſcat de æterna ſua ſalute? Major res eſt quam ut hominum pollicitatione contenti eſſe poſſimus, niſi conſtet à Deo eſſe ordinatos, Deumque nobis per ipſos loqui. Atque huc pertinent elogia quibus Chri-
ſtus ipſe Apoſtolos inſignit, Qui vos audit, me audit, &c. Quicquid ſolveritis in terra, ſolutum erit in cælis: & ſimilia. *Rogamus pro Chriſto.* Hinc colligimus quam merito exclamet Jeſaias, beatos eſſe pedes euangelizantium: nam quod unum ad plenam felicitatem nobis ſatis eſt, & ſine quo ſumus miſerrimi, nonniſi per Euangelium nobis confertur. quod ſi injunctum eſt omnibus Eccleſiæ miniſtris hoc officium, ita ut neque Apoſtolus neque Paſtor habendus ſit qui hanc legationem non obit, hinc judicare promptum eſt qualis ſit tota Papæ hierarchia. volunt quidem cenſeri Apoſtoli & Paſtores: ſed quum muta ſint idola, qui conveniet eorum jactantia cum hoc Pauli loco? Rogandi verbum incomparabilem gratiæ Chriſti commendationem exprimit, dum eouſque ſe demittit, ut nos rogare non gravetur. Quo minus excuſabilis eſt noſtra pravitas, niſi ad tantam manſuetudinem dociles & morigeros nos ſtatim præbemus. *Reconciliemini.* Obſervandum hic Paulo negotium eſſe cum fidelibus. teſtatur ſe quotidie id illos perferre hoc mandatum. non ergo paſſus eſt Chriſtus, ut ſemel tantum peccata noſtra expiaret: neque in hoc inſtitutum Euangelium, ut quæ ante Baptiſmum admiſerimus peccata, nobis remittantur: ſed quemadmodum quotidie peccamus, ita etiam quotidiana remiſſione à Deo recipiamur in gratiam. Hæc enim perpetua eſt legatio, quæ reſonare aſſidue debet in Eccleſia uſque ad finem mundi: nec aliter prædicari Euangelium poteſt, quin promittatur peccatorum remiſſio. Habemus hic proprium & aptum teſtimonium refellendæ impiæ Papiſtarum opinioni, quæ remiſſionem peccatorum aliunde petere poſt Baptiſmum jubet, quam ab expiatione in Chriſti morte peracta. Atqui hoc tritum eſt in omnibus ſcholis Papiſticis dogma, nos à Baptiſmo mereri peccatorum remiſſionem pœnitentia, intercedente clavium beneficio. quaſi vero Baptiſmus ipſe nobis illam abſque pœnitentia conferat. ſed Pœnitentiæ nomine intelligunt Satisfactiones. Quid autem hic Paulus? non minus poſt Baptiſmum quam ante, nos ad unicam illam Chriſti expiationem revocat, ut ſciamus gratuito ſemper nobis obvenire: illud vero diſcrimen quod fabricarunt, tanquam ſibi incognitum præterit. De clavium porro diſpenſatione quicquid garriunt, vanum eſt: quia claves abſque Euangelio imaginantur, quum nihil ſint quam hoc gratuitæ reconciliationis teſtimonium quod nobis ex Euangelio redditur.

Luc 10. verſ. 16 Mat 18. verſ. 18 Jeſa. 52. verſ. 7.

21. *Eum qui peccatum non noverat.*] Videsne, ut non alia, auctore Paulo, ſit reditio in gratiam cum Deo, niſi quæ in ſolo Chriſti ſacrificio fundata eſt? ergo huc ſemper diſcamus animum referre, quoties à reatu cupimus abſolvi. Jam apertius docet quod ſupra attigimus, tunc nobis Deum eſſe propitium, quum pro juſtis agnoſcit. Perinde enim valent hæc duo, Eſſe nos Deo acceptos, & Juſtos ab ipſo reputari. Peccatum non noſſe, eſt ea pertem eſſe peccati. Chriſtum ergo, quum à peccato ipſe immunis eſſet, *pro nobis peccatum fuiſſe factum* dicit. Tritum eſt illud, Peccatum vocari hoſtiam peccati expiatricem: qua ratione etiam Latini eam piaculum dicunt. & hanc phraſin hoc loco & alibi ab Hebræis mutuatus eſt Paulus, quibus אשם tam piaculare eſt ſacrificium quam delictum vel crimen. Verum tam ſignificatio hujus vocis quam tota ſententia melius intelligetur ex comparatione utriuſque antitheti. Peccatum hic juſtitiæ opponitur, quum docet Paulus nos juſtitiam Dei eſſe factos, eo quod Chriſtus factus ſit peccatum. Juſtitia hic non pro qualitate aut habitu, ſed pro imputatione accipitur, eo quod accepta nobis fertur Chriſti juſtitia. Quid econverſo peccatum? reatus quo in Dei judicio obſtringimur. ſicuti autem in victimam rejiciebatur olim maledictio hominis: ita Chriſti damnatio, noſtra abſolutio fuit, ac livore ejus ſanati ſumus. *Juſtitia Dei in ipſo.* Primum juſtitia Dei capitur, non pro ea quæ à Deo nobis donetur, ſed quæ ſit illi probata: quemadmodum Joannis 12. v. 43. gloria Dei vocatur, quæ locum habet apud ipſum: gloria hominum, pro vana mundi exiſtimatione. Et Rom. 3. v. 7. quum dicit nos deſtitui gloria Dei, intelligit nihil in nobis eſſe quo gloriemur apud Deum: nam hominibus juſtum apparere non adeo difficile eſt: ſed eſt fallax juſtitiæ umbra, quæ tandem exitii cauſa eſt. ergo ſola demum juſtitia vera, quæ Deo accepta eſt. Nunc ad antitheſin redeamus juſtitiæ & peccati. Quomodo juſti coram Deo ſumus? qualiter ſcilicet Chriſtus fuit peccator. Perſonam enim noſtram quodammodo ſuſcepit, ut reus noſtro nomine fieret, & tanquam peccator judicaretur, non propriis, ſed alienis delictis, quum purus foret ipſe & immunis ab omni culpa, pœnamque ſubiret nobis non ſibi debitam. Ita ſcilicet nunc juſti ſumus in ipſo: non quia operibus propriis ſatisfaciamus judicio Dei, ſed quoniam cenſemur Chriſti juſtitia, quam fide induimus ut noſtra fiat. Ideo particulam ὡς retinere malui, quam ejus loco vertere Per: melius enim quadrat menti Paulinæ illa ſignificatio.

Cap. VI.

* vel, collaborantes. Jeſa. 49. verſ. 8.

NOs vero * adjuvantes etiam obſecramus, ne fruſtra gratiam Dei receperitis.
2. Dicit enim, Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. ecce nunc tempus acceptum: ecce nunc dies ſalutis.
3. Nullam dantes ulla in re offenſionem, ut ne vituperetur miniſterium:
4. Sed in omnibus commendantes nos tanquam Dei miniſtri, in patientia multa, in afflictionibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,
5. In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,
6. In ſinceritate, in ſcientia, in tolerantia, in manſuetudine, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta,
7. In ſermone veritatis, in potentia Dei, per arma juſtitiæ dextra & ſiniſtra.

8. Per

8. Per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam: tanquam impoſtores, tamen veraces:

9. Tanquam ignoti, tamen celebres: tanquam morientes, & ecce vivimus: tanquam caſtigati, tamen morte non affecti:

10. Tanquam mœrore affecti, ſemper tamen gaudentes: tanquam inopes, multos tamen ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

1. *Adjuvantes.*] Retulit mandata legationis, quibus inſtructi ſunt à Deo Euangelii miniſtri. Poſtquam hæc mandata fideliter pertulerunt, debent etiam incumbere ut valeant, ne irrita ſit eorum opera. addere inquam aſſiduas exhortationes debent, ut efficax ſit legatio. Hoc eſt quod dicit *συνεργοῦντες*, hoc eſt, promovendo negotio inſiſtentes: neque enim ſatis eſt docere, niſi etiam urgeas. hoc modo particula *σὺν* relationem haberet ad Deum, vel ad legationem quam ſervis ſuis mandat. Adjuvatur enim Euangelii doctrina exhortationibus, ne effectu careat: & miniſtri ſuum ſtudium Dei mandato adjungunt: quemadmodum legati ſunt partes, quod Principis ſui nomine in medium proponit, rationibus perſuadere. Poteſt etiam particula *σὺν* referri ad commune ſtudium miniſtrorum: quia ſi opus Domini ex animo agunt, debent alii aliis vicaſſim manum porrigere, ut alii aliis ſint adjutores. mihi tamen magis placet prior expoſitio. Chryſoſtomus de auditoribus interpretatur, quibus cooperantur miniſtri, dum eorum pigritiam torporemque excitant. Hic docentur miniſtri, non ſufficere ſi doctrinam ſimpliciter proponant: ſed elaborandum ut recipiatur ab auditoribus: neque id ſemel, ſed aſſidue. Quia enim internuncii ſunt inter Deum & homines, primæ eorum partes ſunt, offerre Dei gratiam: ſecundæ autem, omni ſtudio eniti ne inutiliter oblata fuerit.

2. *Dicit enim, Tempore accepto.*] Citat prophetiam Jeſaiæ, valde accommodam exhortationi de qua loquitur. tractat illic haud dubie de regno Chriſti: quemadmodum ex contextu liquet. Pater ergo Filium colligendæ Eccleſiæ ducem creans, his verbis eum alloquitur, Tempore accepto exaudivi te. verum ſcimus quæ ſit analogia capitis ad membra. Noſtro enim nomine exauditus fuit Chriſtus, ſicuti in ejus manu noſtra omnium ſalus eſt depoſita, nec aliud in curam ſuam ſuſcepit. Ideo admonemur omnes in perſona Chriſti, ne occaſionem adipiſcendæ ſalutis ſpernamus. Pro eo quod Græcus interpres reddidit, *εὐπρόσδεκτον*, habetur in verbis Prophetæ רצון: hoc eſt, benevolentiæ aut gratuiti favoris. Ita aptandum eſt teſtimonium præſenti inſtituto, Quum exhibitioni gratiæ ſuæ certum tempus aſſignet Deus, ſequitur, non omnia tempora illi congruere. quum nominetur certus dies ſalutis, ſequitur, non patere ſalutis copiam quibuslibet diebus. Totum porro hoc ex Dei providentia pendet: nihil enim aliud eſt tempus acceptum, quam quod vocatur tempus plenitu-
Galat. 4. verſ. 4. dinis, ad Galatas. & notandus eſt ordo. Prius tempus benevolentiæ ponitur: deinde *dies ſalutis.* quo innuitur, ex ſola Dei miſericordia tanquam ex fonte manare nobis ſalutem. Ergo non eſt quærenda in nobis cauſa, quaſi Deum operibus provocemus ad deſtinandam nobis ſuam gratiam. unde enim dies ſalutis? quia tempus eſt acceptum: hoc eſt, quod Deus gratuito ſuo favore ordinavit. Interea tenendum eſt Pauli conſilium, prompta celeritata opus eſſe, ne occaſio nobis effluat: quia Deus oblatam gratiam lente & ſegniter à nobis recipi indigne ferat. *Ecce nunc tempus.* Loquutus erat Propheta de tempore quo manifeſtandus in carne erat Chriſtus in redemptionem hominum. Transfert Paulus vaticinium ad tempus quo revelatur Chriſtus per aſſiduam Euangelii doctrinam. & merito: nam ut ſemel univerſo mundo miſſa fuit ſalus, quum Chriſtus apparuit: ita nunc quotidie nobis mittitur, quum efficimur participes Euangelii. Pulcher locus & non exiguæ conſolationis: quod dum nobis Euangelium prædicatur, certo ſcimus patefieri nobis aditum ad regnum Dei, ac ſublato in altum divinæ benevolentiæ ſigno, nos invitari ad ſalutem capeſſendam: nam ejus obtinendæ occaſio à vocatione æſtimanda eſt. Verum niſi opportunitate utamur, timenda eſt denunciatio quam Paulus inſinuat, brevi clauſum iri januam omnibus qui tempeſtive non fuerint ingreſſi: hæc enim vindicta ſemper contemptum verbi ſequitur.

3. *Nullam dantes offenſionem.*] Aliquoties jam dictum eſt, Paulum nunc generaliter miniſterium Euangelii, nunc ſuam ipſius integritatem commendare. Nunc ergo de ſe loquitur, & in ſua perſona vivam probi ac fidelis Apoſtoli imaginem proponit: ut diſcant Corinthii quam iniqui fuerint judices, ventoſos Thraſones illi præferendo. Nam quum ſolis larvis palmam darent, homines delicatos & nullius zeli habebant in ſummo pretio: de optimis vero miniſtris nihil niſi vulgare & abjectum ſentiebant. Nec dubium quin ea ipſa quæ in ſuam laudem commemorat Paulus, contemptum illi ex parte apud eos attuliſſent: quo majore reprehenſione digni erant qui veræ gloriæ materiam haberent probri loco. Tria ergo hic agit Paulus: docet quæ ſint virtutes quibus cenſeri debent Euangelici doctores: deinde his virtutibus ſe præditum eſſe demonſtrat: tertio admonet Corinthios ne pro Chriſti ſervis agnoſcant qui ſe aliter gerunt atque hic ſuo exemplo præſcribit. Finis eſt, ut ſibi & ſui ſimilibus auctoritatem conciliet in Dei gloriam & bonum Eccleſiæ, vel collapſam reſtituat. ſecundo, ut Corinthios revocet à præpoſtero ſtudio pſeudoapoſtolorum, quod illis impedimento erat ne in Euangelio proficerent quantum fuiſſet opus. offenſionem dant miniſtri, qui ſuo vitio retardant in auditoribus, Euangelii progreſſum. Id ſe facere negat Paulus: teſtatur enim ſe cavere diligenter ne qua ignominiæ macula aſpergat ſuum Apoſtolatum. Hic enim eſt aſtus Satanæ, quærere aliquid vitii in miniſtris, quod in Euangelii infamiam redundet. Nam ubi conſequutus eſt ut vileſcat miniſterium, periit ſpes omnis profectus: ergo qui utiliter ſervire Chriſto volet, omni ſtudio incumbat ad retinendum miniſterii ſui honorem. Modus eſt, curare ut ſit honore dignus: nihil enim magis ridiculum quam de tua apud alios exiſtimatione vendicanda contendere, quum ipſe tibi flagitioſa ac turpi vita contumeliam accerſas. Erit ergo is demum honorabilis, qui nihil indignum admittet Chriſti miniſtro.

4. *In patientia multa.*] Huc ſpectat tota enumeratio quæ ſequitur: omnia experimenta quibus probare ſolet Dominus ſuos miniſtros, in Paulum competere: nullumque eſſe probationis genus quo non fuerit examinatus, quo teſtatior eſſet fides ſui miniſterii. Cæterum quædam recenſet quæ perpetuo requiruntur ab omnibus Chriſti ſervis: cujuſmodi ſunt, labores, ſinceritas, ſcientia, vigiliæ, manſuetudo, charitas, ſermo veritatis, Spiritus, potentia Dei, arma juſtitiæ: alia autem quorum neceſſitas non eſt perpetua: neque enim ut ſit quiſpiam ſervus Chriſti, neceſſe erit plagis & carceribus fuiſſe exploratum. Poterunt igitur interdum ab optimis hæc abeſſe: omnium tamen eſt, ita eſſe animis affectos, ut ſi Domino placuerit, plagis etiam & carceribus cum Paulo ſe probandos offerant. Patientia eſt moderatio animi in rebus adverſis, quæ eſt perpetua

virtus boni miniſtri. *Aſſlictiones* latius patent quam *neceſſitates*: ſiquidem Neceſſitatis nomine hic inopiam accipio. hæc porro multis miniſtris eſt communis, quod pauci ſunt qui non egeant: non tamen omnibus. Cur enim obſtarent mediocres divitiæ ne Chriſti ſervus habeatur, qui alioqui pius eſt, recto animo, honeſta vita, aliiſque virtutibus excellit? Quemadmodum qui pauper eſt, non ideo protinus bonus eſt miniſter: ita qui dives eſt, non propterea eſt repudiandus. Imo alibi non minus gloriatur Paulus quod noverit abundare, quam quod noverit eſurire: ergo adhibenda eſt illa diſtinctio quam dixi, inter temporales & perpetuas laudes.

Philip. 4. verſ. 12.

5. *In ſeditionibus.*] Quo placidius erat ac manſuetius Pauli ingenium, eo major virtus, ſtare intrepidum adverſus ſeditiones: atque id etiam ſibi laudi ducit, quod quum abhorreret à ſeditionibus, eas tamen fortiter exceperit. Neque enim ſimpliciter laus eſt, non moveri ſeditionibus (quum hoc vulgare habeant omnes tumultuarii) ſed non conſternari, quum aliena culpa ſunt excitatæ. Et ſane utrumque requiritur in Euangelii miniſtris, ut paci quidem ſtudeant pro virili: ſed tamen per medios motus pergant infracti: neque deflectant à recto curſu, etiamſi cælum terræ miſceatur. quanquam Chryſoſtomus per ἀκαταστασίαις, crebras expulſiones mavult intelligere: quia nuſquam dabatur quieſcendi locus. *In jejuniis.* Non intelligit eſuriem ex inopia, ſed voluntarium exercitium abſtinentiæ. *Scientia* dupliciter poteſt accipi, vel pro doctrina ipſa, vel pro recte & ſcienter agendi peritia. ſecundum hoc mihi eſt probabilius: quod ſtatim adjicit, *Sermonem veritatis. Spiritus* metonymice pro ſpiritualibus gratiis. Frivolum tamen eſt Chryſoſtomi cavillum qui inde colligit alias virtutes fuiſſe Apoſtolo proprias, quod Spiritum ſeorſum nominet. quaſi vero manſuetudo, ſcientia, ſinceritas, arma juſtitiæ, aliunde ſint quam à Spiritu ſancto. Seorſum vero ponit tanquam genus inter ſpecies: potentia Dei in multis ſe exerebat, in magnanimitate, in efficacia aſſerendæ veritatis, in propagatione Euangelii, in hoſtium dejectione, & ſimilibus.

7. *Per arma juſtitiæ.*] Juſtitiam accipe pro conſcientiæ rectitudine & vitæ ſanctimonia. Metaphoram armorum uſurpat, quia militare oportet omnes qui Deo ſerviunt: quum præſto ſit ſemper hoſtis diabolus ad eos infeſtandos. armatos autem omni ex parte eſſe convenit: quia ſi nihil profecerit uno inſultu, novum ſubinde inſtruit: & nunc à fronte, nunc à tergo, nunc hac, nunc illac eos adoritur.

8. *Per gloriam & ignominiam.*] Hoc non leve experimentum homini examinando. nihil enim durius eſt homini ingenuo, quam ferre contumeliam. Itaque in omnibus hiſtoriis videre licet, ex hominibus heroicis paucos extitiſſe qui non degeneraverint irritati contumeliis. Proinde ſignum eſt animi virtute bene obfirmati, non dimoveri à propoſito ulla infamia. rara virtus: ſed ſine qua Dei ſervum te probare nequeas. habenda quidem bonæ famæ cura: ſed quatenus fratrum ædificationis intereſt: atque ita ut ne à rumoribus pendeamus, quin potius eadem in ignominia quæ in gloria, nobis æqualitas maneat. Nam & improborum hominum maledicentia patitur Deus nos tentari, facturus periculum numquid recte agamus gratuito. nam quem ab officio abducit hominum ingratitudo, is ſe non in ſolum Deum reſpexiſſe prodit. Quum itaque Paulum cernamus expoſitum fuiſſe infamiæ & probris, neque tamen propterea deſtitiſſe, ſed indefeſſo animo perrexiſſe, atque adeo perrupiſſe ad metam: ne fatigemur ſi idem nobis eveniat. *Tanquam impoſtores.* Hic non tantum narrat qualis eſſet impiorum & extraneorum de ſe exiſtimatio, ſed quid etiam domeſtici ſentirent. Nunc ſecum quiſque reputet quam indigna fuerit Corinthiorum ingratitudo: & quanta animi magnitudo fuerit, per tam ardua obſtacula eluctari. Obliquis tamen figuris perverſum eorum judicium acriter perſtringit, quum dicit ſe vivere & lætari, quum inſtar mortui & mœrore afflicti eum ſpernerent. Ingratitudinem etiam exprobrat, quum dicit ſe multos ditare, quum inopiæ nomine contemneretur. Erant enim ex eorum numero quos ditabat ſuis opibus: imo omnes ad unum multis nominibus obſtricti erant. Sic prius ironice dixit ſe ignotum, quum tamen fructus laborum ejus ubique notus & illuſtris eſſet. Porro quam inhumanum eſt ejus paupertatem contemnere, qui tibi ex ſua abundantia ſuppeditet? divitias ſpirituales intelligit, quæ longe pluris fieri debebant quam terrenæ.

11. Os noſtrum apertum eſt ad vos, ô Corinthii: cor noſtrum dilatatum eſt.
12. Non eſtis anguſti in nobis, ſed anguſti eſtis in viſceribus veſtris.
13. Eandem vero remunerationem, ut à filiis, exigo: dilatemini & vos.
14. Ne ducatis jugum cum infidelibus. quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?
quæ communicatio luci cum tenebris?
15. Quis conſenſus Chriſto cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli?
16. Quæ autem conventio templo Dei cum idolis? vos enim eſtis templum Dei viven-
Lev. 26. tis: quemadmodum dicit Deus, Habitabo in ipſis, & in medio eorum ambulabo: & ero
verſ. 12. Deus illorum, & erunt mihi populus.
Jeſa. 52. 17. Quamobrem exite de medio eorum: & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum
verſ. 12. ne tetigeritis:
Jere. 31. 18. Et ego ſuſcipiam vos, & ero vobis in patrem, & eritis mihi in filios & filias, dicit
verſ. 4. Dominus omnipotens.

Cap. VII.

HAs igitur promiſſiones quum habeamus, dilecti, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ſanctificationem perficientes in timore Dei.

11. *Os noſtrum apertum eſt.*] Quoniam oris apertio ſignum eſt fiduciæ: ſi connectere ſuperioribus hæc libet, ſenſus erit, Mihi ampla gloriandi materia ſuppetit, atque os mihi aperit recta conſcientia: quod autem maligne de nobis ſentitis, id non accidit noſtra culpa, ſed quia non eſtis æqui judices. Liberalius enim debueratis ſentire de meo miniſterio, quod Deus tot modis honorabile vobis reddidit. ego tamen aliter interpretor: ideo enim os ſibi apertum eſſe dicit, quia cor habeat dilatatum. quid autem ſibi vult cordis latitudo? certe alacritatem ſignificat, quæ ex benevolentia procedit. trita eſt hæc metaphora, per cor anguſtum & contractum ſignificari vel mœrorem, vel tædium, vel indignationem: cui cor diffuſum opponitur, pro contrariis affectibus. Nihil ergo hic dicit Paulus quod non quotidie experiamur: nam ubi nobis eſt cum amicis negotium, cor noſtrum ſe diffundit, patent omnes ſenſus, nihil

illic

illic tectum, oihil clauſum: imo animus ipſe totus exilit ac geſtit ſe palam exponere. Hinc fit ut libera etiam & expedita ſit lingua, non hæſitet, non difficulter extrahat ex imo gutture interruptas voces: ut fieri ſolet quum animus occupatus eſt minus læto affectu.

12. *Non eſtis anguſti in nobis.*] Hoc eſt, Quod non eſtis capaces hujus meæ erga vos hilaritatis, veſtra culpa accidit. Os mihi apertum eſt, ut familiariter agam vobiſcum: ipſe ſenſus meus libenter ſe profunderet, ſed clauditis ipſi veſtra viſcera. Vult dicere, corrupto eorum judicio fieri quominus illis ſapiant quæ à ſe proficiſcuntur.

13. *Eandem vero remunerationem.*] Temperat reprehenſionem, tam blanda filiorum appellatione, quam hac exhortatiooe, qua ſe bene adhuc de illis ſperare innuit. Eandem remunerationem accipit pro mutuo officio. eſt enim inter patrem & liberos mutua officii repenſio. Nam ſicuti parentum eſt alere liberos, inſtituere, regere, conſilio tueri: ita æquitas hoc dictat, ut filii gratiam parentibus rependant. In ſumma *ἀντιμισθίαν* quam vocant Græci, intelligit. Ego, inquit, paternum erga vos affectum gero: vos mihi viciſſim pietate & reverentia præſtate filios. Quanquam ſpecialis circumſtantia notanda eſt: ut Corinthii tam humanum patrem nacti, viciſſim quoque manſueſcant, ejuſque comitatem docilitate ſua compenſent, ideo jubet eos in ſuis viſceribus dilatari. Vetus interpres, quia non aſſequebatur Pauli mentem, addito participio Habentes, ſuum magis quam Pauli ſenſum expreſſit. in noſtra autem expoſitione (quæ etiam Chryſoſtomi eſt) nihil eſt coactum.

14. *Ne ducatis jugum.*] Quaſi recuperata auctoritate, liberius jam eos objurgat, quod ſe infidelibus adjungerent in externa idololatria ſocios. Nam hortatus eſt ut dociles ſe exhiberent, tanquam patri. nunc ergo pro jure ſuo vitium caſtigat, quo laborabant. Diximus autem in priore Epiſtola, quale eſſet hoc vitium. nam quum nihil non licere ſibi putarent in rebus externis, promiſcue ſe impiis ſuperſtitionibus polluebant: ſiquidem infidelium convivia frequentando, communicabant profanos & impuros cum illis ritus. atqui quum graviſſime peccarent, ſibi tamen videbantur innoaii. Ergo hic invehitur Paulus in externam idololatriam, & ab ea Chriſtianos alienos & immunes eſſe jubet. incipit tamen à doctrina generali, ut inde ad ſpeciem deſcendat: nam jugum ducere cum infidelibus, nihil aliud eſt quam operibus infructuoſis tenebrarum commuoicare, & manum illis in ſignificationem conſenſus porrigere. Multi de conjugio ipſum loqui putant: ſed contextus eorum errorem liquido coarguit. Verbum quo utitur Paulus, ſignificat ſocietatem coire in ducendo jugo. metaphora eſt à bobus vel equis ſumpta, quibus neceſſe eſt pariter incedere, unumque opus communiter agere, quum ſub uno jugo ſunt alligati. Dum ergo vetat ne ad trahendum idem jugum ſimus infidelium ſocii, hoc tantum vult, ne eorum pollutionibus nos commiſceamus. Unus enim ſol nobis lucet, eodem veſcimur pane, eundem ſpiritum haurimus, nec poſſumus in totum abſtinere ab eorum commerciis. ſed Paulus de jugo impietatis loquitur: hoc eſt, de participatione operum, quibus communicare Chriſtianis fas non eſt. Hac ratione conjugium etiam interdicetur, quatenus laqueus eſt quo implicantur tam viri quam mulieres ad impietatis conſenſum: verum hoc tantum volo, generaliorem eſſe Pauli doctrinam, quam ut ad ſolum conjugium reſtringatur. nam de fugienda idololatria hic concionatur: cujus etiam rei cauſa prohibemur cum impiis matrimonium contrahere. *Quæ enim participatio.* Confirmat ſuam exhortationem, quia abſurda ſit & quaſi monſtri ſimilis copula rerum adeo inter ſe pugnantium. nihilo enim magis coire hæc poſſunt, quam aqua cum igne. Summa huc redit: niſi velint omnia confundere, abſtinendum eſſe ab impiorum pollutionibus. Atque hinc colligimus, etiam qui ſuperſtitiones ex animo non probant, ſimulatione tamen pollui, niſi palam & ingenue ab illis abhorreant.

15. *Quis conſenſus Chriſto cum Belial?*] De etymologia vocabuli Belial ne inter Hebræos quidem convenit: ſignificatio tamen non eſt dubia. Nam Moſes verbum aut cogitationem Belial, pro impia & nefaria cogitatione poſuit: & paſſim filii vel homines Belial vocantur, ſcelerati ac proſtitutæ nequitiæ. inde factum eſt ut Paulus hic pro Diabolo ſceleratorum omnium capite uſurpaverit. Nam à capitum ſimilitudine mox delabitur ad membra: acſi diceret, Quemadmodum Chriſto irreconciliabile diſſidium eſt cum Satana: ita etiam nos ab impiorum factione alienos eſſe oportet. Porro quod negat ullam Chriſtiano portionem eſſe cum infideli, non intelligit de victu, veſtitu, prædiis, ſole, aëre, quemadmodum ſuperius monui: ſed de iis quæ propria ſunt infidelium, à quibus Dominus ſegregavit.

16. *Quæ conventio templo Dei cum idolis?*] Hactenus in genere vetuit ne fideles ſe copulent cum impiis: nunc declarat quorſum præcipue illis interdixerit talem copulam: nempe quia externam idololatriæ profeſſionem deſierant inter peccata numerare. hanc licentiam corripuerat, multiſque verbis exagitaverat in ſuperiore Epiſtola. veriſimile tamen eſt, nondum fuiſſe omnes convictos, ut conſilium quod dabat, amplecterentur: ideo de anguſtia viſcerum conqueſtus eſt, quæ ſola profectum remorabatur. Non retexit autem denuo illud argumentum, ſed brevi admonitione contentus eſt, ut facere ſolemus quum agimus de rebus notis: quanquam non obſtat brevitas quin acriter tamen pungat. Quantum enim vehementiæ ineſt in hoc ſolo verbo, quum nullam eſſe conventionem docet templo Dei cum idolis? Sacrilega eſt profanatio, ſi in templum Dei idolum vel cultus aliquis idololatricus inferatur. nos porro ſumus vera Dei templa. ergo ſacrilegium eſt ulla idolorum contagione nos inficere. Hæc (inquam) una ratio inſtar mille eſſe debet, Si tu Chriſtianus es, quid tibi negotii cum idolis? tu enim templum es Dei. Sed Paulus (ut jam attigi) exhortatione pugnat magis quam doctrina: quia ſupervacuum fuiſſet quaſi de re dubia vel obſcura adhuc diſſerere. *Quemadmodum dicit, Habitabo.* Probat nos eſſe templa Dei, ex eo quod promiſit olim Deus populo Iſraelitico, ſe habitaturum in medio ejus. Primum non poteſt habitare Deus inter nos, quin habitet in unoquoque noſtrum. ſingularis enim beneficii loco nobis hoc promittit, Habitabo in medio veſtri. Neque hæc habitatio vel præſentia terrenis duntaxat benedictionibus conſtat, ſed præſertim de ſpirituali gratia accipienda eſt. Ergo non tantum nobis propinquum eſſe Deum notat, quaſi in aëre degat, ut nos circumvolitet: ſed magis ſignificat ſedem in cordibus noſtris habere. Si quis ergo objiciat, particulam *In* nihil aliud valere quam Inter, ego concedo: ſed ex eo quod Deus ſe inter nos habitaturum promittit, colligi dico in nobis quoque ipſum manere. Ac tale erat arcæ ſymbolum, cujus fit mentio apud Moſem in eo loco unde Paulus teſtimonium hoc mutuatus videtur, nempe Lev. 26. v. 12. Si quis autem Paulum ad caput Ezechielis 37. v. 27. reſpexiſſe magis putet, eadem erit ratio. Propheta enim in deſcribenda Eccleſiæ inſtauratione, tanquam præcipuum bonum, Dei præſentiam commemorat, quam initio promiſerat ipſe per Moſem. Jam vero quod per arcam figuratum fuit, plenius nobis exhibitum fuit in Chriſto, quum nobis factus eſt Immanuel. unde fit ut potius Ezechielem hic citari arbitrer, quam Moſem: quod Ezechiel ſimul ad ſymbolum arcæ alludit, & pronunciat fore ut id impleatur ſub regno Chriſti. Porro Apoſtolus pro confeſſo ſumit, Deum

Digitized by Google

nuſquam habitare niſi in loco ſacro. De homine ſi dicatur, Hic habitat: non erit protinus templum, ſed domus profana. ſed in Deo hoc ſpeciale eſt, qui quemcunque locum dignatur ſua præſentia, etiam ſanctificat.

17. *Quamobrem exite de medio eorum.*] Hæc exhortatio ex Jeſaiæ capite 52. v. 11. ſumpta eſt: ubi Propheta liberationem populo denuncians, tandem Sacerdotes alloquitur his verbis. Paraphraſtice enim Sacerdotes deſignat, quum dicit, Vos qui fertis vaſa Domini: quia illis commiſſa erat vaſorum cura, quibus ſacrificia & aliæ partes divini cultus peragebantur. Non dubium autem quin eos hortari velit, ut interim dum ad exitum aſpirant, caveant ab omni contagio tot ſordium quibus ſcatebat regio. Id non minus hodie nobis congruit, quam veteribus Levitis. nam ſi in vaſorum cuſtodibus requiritur tanta mundities, quanto major in ipſis vaſis? atqui omnia noſtra membra vaſa ſunt ad ſpiritualem Dei cultum deſtinata: nos quoque regale ſumus Sacerdotium. Ergo quum Dei gratia ſimus redempti, æquum eſt ut nos cuſtodiamus impollutos ab omni immunditia, ne Dei Sanctuarium polluamus. Cæterum quemadmodum manentes in hoc mundo, redempti tamen ſumus & erepti à mundi inquinamentis: ita non eſt migrandum de vita, ut exeamus ab omni immunditie, ſed fugienda tantum omnis participatio. Summa eſt, Si vero cordis affectu enitimur ad beneficium redemptionis, cavendum eſt ne quo ſordium contactu nos inquinemus.

18. *Ero vobis in patrem.*] Non uno tantum loco extat, ſed paſſim repetitur hæc promiſſio: quam ideo adjunxit Paulus, ut agnitio tantæ dignationis in quam nos evexit Deus, ſtimulus nobis eſſet ad majus ſanctimoniæ ſtudium. nam ubi Eccleſiam ſuam ex profanis Gentibus collectam Deus reſtituit, redemptionem ſequitur ut fructus, ut fideles appareant ejus filii ac filiæ. Non eſt vulgaris honor, cenſeri nos inter filios Dei. noſtrum eſt viciſſim curare ne degeneres nos ei filios præſtemus: quantam enim injuriam facimus Deo, ſi eum nominantes patrem, idolorum abominationibus nos fœdamus? Debet igitur tantæ nobilitatis ad quam nos extulit, cogitatio, ſanctimoniæ ac puritatis ſtudium in nobis acuere.

1. *Has igitur promiſſiones.*] Deus in ſuis promiſſionibus mera quidem ſua gratia nos anticipat: ſed poſtquam nobis ſuam gratiam ultro detulit, continuò poſt ſtipulatur à nobis mutuam gratitudinem. Ita
Geneſ. 17. verſ. 1. quod dicebat Abrahæ, Ego ſum Deus tuus, erat gratuitæ bonitatis invitatio: ſtipulationem tamen ſimul addebat, Ambula coram me, & eſto integer. Quia autem non ſemper exprimitur ſecundum hoc membrum, Paulus admonet hanc ſubeſſe conditionem univerſis promiſſionibus, ut nobis ad provehendam Dei gloriam ſint incitamenta. Unde enim ad nos exſtimulandos argumentum ſumit? ex eo quod tanta honoris amplitudine Deus nos dignatur. Hæc igitur promiſſionum natura, ut nos ad ſanctificationem vocent, quaſi tacita pactione à Deo interpoſita. & ſcimus quid paſſim de fine redemptionis noſtræ Scriptura doceat: quod idem ad ſingula gratiæ ejus teſtimonia aptare convenit. *Ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* Quia jam oſtendit, nos ad munditiem vocatos eſſe: nunc addit, tam in corpore quam in anima oportere eam conſpici. nam quod nomen Carnis hic pro corpore, nomen Spiritus pro anima ſumatur, inde patet: quia ſi gratiam regenerationis ſignificaret nomen Spiritus, abſurdum eſſet Pauli dictum de ſpiritus inquinamentis. Vult ergo nos eſſe puros ab inquinamentis, non modo interioribus, quæ tantum habent Deum teſtem, ſed etiam externis, quæ cadunt ſub ſenſum hominum. acſi diceret, Non tantum caſtas habeamus conſcientias coram Deo: ſed totum etiam corpus membraque omnia illi conſecrare debemus, ut nulla in parte noſtri appareat aliqua immunditiès. Jam ſi conſideremus quale tractet argumentum, facile videbimus eos nimis impudenter facere, qui externam idololatriam neſcio quibus ſubterfugiis excuſant. Nam quum interior impietas & quævis ſuperſtitio inquinamentum ſit ſpiritus: quid per inquinamentum carnis intelligent, niſi externam impietatis profeſſionem, ſive ſit ſimulata, ſive ex animo edatur? Gloriantur pura conſcientia: falſo id quidem. ſed ut illis concedam quod falſo jactant: dimidium tantum ejus habent quod exigit Paulus à fidelibus. Non eſt igitur quod Deo ſatisfactum putent hoc dimidio. nam qui ullam omnino idololatriæ ſpeciem vel ſignificationem præbet, aut pravis ſuperſtitioſiſque ritibus communicat: etiamſi animo ſit integerrimus, (quod fieri nequit) reatum tamen polluti corporis non effugiet. *Sanctificationem perficientes.* Quum verbum ἐπιτελεῖν apud Græcos nunc Perficere, nunc Sacros ritus peragere ſignificet, eleganter hic à Paulo uſurpatur in priori ſignificatione, quæ eſt uſitatior: ſic tamen ut ad ſanctificationem alludat, de qua nunc concionatur. Nam quum perfectionem ſonet, videtur eſſe ad ſacras functiones conſulto translatum: quod in divino cultu nihil mutilum, ſed omnia abſoluta eſſe decet. Ergo ut te rite ſanctifices Deo, & corpus & animam illi in ſolidum dicare oportet. *In timore Dei.* Nam ſi vigeat in nobis timor Dei, non ita nobis indulgebimus: neque erumpet illa, quæ in Corinthiis fuit, laſciviendi audacia. qui fit enim ut ita ſibi placeant multi in externa idololatria, & ſuperciliose tam craſſum vitium defendant: niſi quia Deo impune illudere ſibi videntur? Quod ſi in illis ſuperaret Dei timor: nullis diſputationibus coacti, primo ſtatim momento cavillis omnibus cederent.

2. Capaces eſtote noſtri: nemini fecimus injuriam, neminem corrupimus, neminem fraudavimus.

3. Non *hoc* ad condemnationem veſtri dico: ſiquidem jam ante dixi vobis, quod in cordibus noſtris ſitis ad commoriendum & convivendum.

4. Multa mihi fiducia erga vos, multa mihi gloriatio de vobis: impletus ſum conſolatione ſupra modum, exundo gaudio in omni tribulatione noſtra.

5. Etenim quum veniſſemus in Macedoniam, nullam relaxationem habuit caro noſtra: ſed in omnibus fuimus afflicti: foris pugnæ, intus timores.

6. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus, in adventu Titi.

7. Neque ſolum in adventu ejus, ſed in conſolatione quam acceperat de vobis, annuncians nobis veſtrum deſiderium, veſtras lachrymas, veſtrum ſtudium pro me: ita ut magis gauderem.

2. *Capaces eſtote.*] Iterum à doctrina ad ſuam ipſius perſonam redit: ſed hoc tantum conſilio, ut Corinthios admonendo, non ludat operam. quin etiam proximam admonitionem claudit eadem ſententia, qua vice præfationis uſus fuerat. Quid enim eſt, Capite nos, vel Capaces eſtote noſtri? perinde valet atque illud, Dilatamini: hoc eſt, nolite committere ut pravi affectus, aut ſiniſtræ opiniones vos impe-

impediant quominus in animos veſtros penetret hæc doctrina, locumque in vobis reperiat. Nam quum paterno ſtudio in ſalutem veſtram incumbam, indignum eſſet me ſurdis fabulam canere. *Nemini fecimus injuriam.* Teſtatur nullam eſſe cauſam cur habeant alienatos animos, quia nulla in re eos offenderit. Tria autem ponit genera offenſionum, à quibus ſe purum aſſerit. Primum eſt manifeſta læſio vel injuria. ſecundum, corruptela quæ fit per falſam doctrinam. tertium, defraudatio aut circumventio in bonis. Hæc tria ſunt quibus ut plurimum ſolent Paſtores, plebis animos à ſe alienare. nempe vel quum petulantius ſe gerunt, & auctoritatis ſuæ prætextu erumpunt in tyrannicam ſævitiam aut importunitatem: vel quum eos abducunt à recta via, quibus duces eſſe debuerant, eoſque perverſæ doctrinæ corruptelis imbuunt: vel quum alienis bonis inhiando, immodicam cupiditatem produnt. Si quis malit brevius: primum eſt ferocia & poteſtatis abuſus, præter modum inſoleſcendo: ſecundum, infidelitas in docendo: tertium, avaritia.

3. *Non hoc ad condemnationem.*] Quia ſuperior excuſatio ſpecies erat expoſtulationis: & vix fieri poteſt quin expoſtulando exprobremus: ideo temperat quod dixit. Ego, inquit, ita me purgo, ut abſtinere velim à veſtra contumelia. Inhumani quidem erant Corinthii, & digni qui Paulo abſoluto, rei in ejus locum ſubjicerentur: imo bis rei fierent: ingratitudinis nomine, & quod innocentem calumniati fuerant. verum ea eſt Apoſtoli moderatio, ut ſimplici defenſione contentus, à recriminatione abhorreat. *Siquidem jam ante dixi.* Qui amant, non inſectantur: quin potius ſi quid peccatum eſt, vel tegunt diſſimulatione, vel manſuetudine leniunt. Odii enim ſignum eſt exprobrandi libido. itaque Paulus ut probet, ſibi nequaquam animum fuiſſe gravandi Corinthios, allegat ſuum erga eos amorem. quanquam certe quodammodo eos damnat: quod ſe negat facere. Verum ut inter fel & acetum, multum eſt diſcriminis: ita inter eam damnationem, qua odioſe hominem vexamus, ut eum ſugillemus infamia; & qua in viam reducere ſtudemus peccatorem, ut eum ſalute honorem quoque ſalvum recuperet. *In cordibus noſtris ſitis.* Hoc eſt, Ego vos in pectore meo geſto incluſos ad commoriendum & convivendum: hoc eſt, ut nulla mutatio amorem noſtrum divellat: quia paratus ſum non tantum vivere vobiſcum, ſed etiam mortis eſſe comes ſi opus ſit: ac quidvis potius ſubire, quam vobis amicitiam renunciem. En qualiter affectos eſſe omnes Paſtores conveniat.

4. *Multa mihi fiducia.*] Jam quaſi ſit conſequutus quam in Corinthiis optaverat cordis apertionem, omiſſis querimoniis, cor ſuum alacriter effundit. acſi diceret, Quid opus eſt in re perfecta plus laboris conſumere? Jam enim habere mihi videor quod petebam. quæ enim mihi retulit de vobis Titus, non modo ſufficiunt ad pacandum meum animum, ſed materiam etiam præbent ſecure de vobis gloriandi: quin etiam mœrorem quem mihi attulerant multæ magnæque afflictiones, abſterſerunt. Gradatim procedit amplificando. plus enim eſt gloriari, quam ſecuro & quieto eſſe animo: liberari vero à mœrore ex multis afflictionibus concepto, utroque majus. Chryſoſtomus fiduciam paulo aliter interpretatur, hoc modo, Quod liberius vobiſcum ago, ideo eſt, quod fretus veſtræ erga me benevolentiæ fiducia, tantum mihi apud vos licere arbitror. Sed attuli quod mihi probabilius viſum eſt, Titi ſcilicet relatu deletam fuiſſe ſiniſtram opinionem quæ ejus animum prius torquebat.

5. *Etenim quum veniſſemus in Macedoniam.*] Magnitudo triſtitiæ, argumento eſt quantum efficaciæ habuerit conſolatio. Ego, inquit, undique premebar, tam inteſtinis, quam externis afflictionibus: non tamen obſtitit hoc totum, quominus gaudium quod mihi contuliſtis, prævaluerit, adeoque exundaverit. Quum dicit, *nullam carnis ſuæ habuiſſe relaxationem*, perinde valet acſi diceret, Secundum hominem nihil habui laxamenti. Excipit enim ſpirituales conſolationes, quibus interim ſuſtinebatur. Non igitur corpore modo, ſed animo etiam affligebatur: ita ut humanitus nihil ſentiret præter ingentem moleſtiarum acerbitatem. *Foris pugnæ.* Per *pugnas* intelligit externos inſultus, quibus eum inquietabant adverſarii: per *timores* vero, anxietudines quas perpetiebatur ex morbis inteſtinis Eccleſiæ. neque enim tam propriis quam publicis malis angebatur. Vult ergo dicere, non profeſſos modo hoſtes ſibi fuiſſe infeſtos: ſed nihilo minus ſe perpeſſum fuiſſe moleſtiarum ex malis domeſticis. Videbat enim quanta eſſet multorum imo fere omnium infirmitas: quibus interea & quam variis machinis omnia turbare moliebatur Satan: quam pauci cordati, quam pauci ſinceri, quam pauci conſtantes forent: quot ex adverſa parte vel fuci ac nihili homines, vel ambitioſi, vel turbulenti. Inter quas difficultates neceſſe eſt Dei ſervos trepidare & angoribus diſcruciari: eoque magis, quod devorare multa coguntur, ut Eccleſiarum paci conſulant. Itaque proprie loquutus eſt, quum dixit, Foris pugnas, intus timores. Nam aperto Marte ſe opponunt fidi Paſtores hoſtibus, qui ex profeſſo Chriſti regnum oppugnant: ſed intus uruntur, & occulta tormenta ſuſtinent, quum vident Eccleſiam inteſtinis malis laborare, quibus profligandis palam claſſicum canere non audent. Tametſi autem in continuis fere certaminibus erat: tunc veriſimile eſt fuiſſe ſolito durius conſtrictum. Certe à timoribus vix unquam ſunt induciæ Chriſti ſervis: Paulo autem ab externis etiam pugnis raro fuerunt. ſed quia tunc vehementius premebatur, in plurali numero pugnas & timores nominat: ſignificans, pluribus modis ſibi fuiſſe pugnandum, & contra varios hoſtes: ſimul plura fuiſſe genera timoris.

6. *Qui conſolatur humiles.*] Hoc vice cauſæ poſitum eſt. nam intelligit, ideo ſibi allatam eſſe conſolationem, quod eſſet dejectus malis, & propemodum oppreſſus: quia Deus ſoleat humiles, id eſt, abjectos conſolari. Unde utiliſſima doctrina colligi poteſt, eo nobis majorem paratam eſſe conſolationem à Deo, quo magis afflicti erimus. Itaque in hoc Dei epitheto continetur eximia promiſſio: acſi diceretur, proprium Dei officium eſſe, miſeros & humi proſtratos homines conſolari.

7. *Neque ſolum in adventu.*] Ne objicerent Corinthii, Quid ad nos, ſi te exhilaravit Titus ſuo adventu? ſcilicet quia eum amabas, tibi jucundus fuit ejus conſpectus: cauſam lætitiæ fuiſſe teſtatur, quia Titus ab ipſis reverſus, læta omnia nunciaſſet. Ergo non tam hominis unius præſentia quam proſpero Corinthiorum ſtatu exhilaratum ſe fuiſſe declarat. *Veſtrum deſiderium.* En quæ læta auditu narrata ſunt Paulo de Corinthiis. Deſiderium inde oriebatur, quod magni æſtimabant Pauli doctrinam. *Lachrymæ*, reverentiæ ſignum erant: quia ejus objurgatione commoti, ſua peccata lugebant. *Studium*, argumentum erat benevolentiæ. Ex his tribus colligebat eorum pœnitentiam: ex qua plena ſatisfactio, quia non aliud erat ejus conſilium vel cura, niſi ut eorum ſaluti proſpiceret. *Ut magis gauderem.* Hoc eſt, ut gaudio dolores omnes ac moleſtiæ ſuperarentur. Hinc apparet, non modo quanto animi fervore publicum Eccleſiæ bonum expeteret: ſed etiam quam miti & placabili eſſet ingenio, ut qui offenſas tam graves ſubita oblivione ſepeliret. quanquam iſtud Magis poteſt alio referri, ut cum ſequentibus cohæreat: ac neſcio an menti Paulinæ melius congruat hic ſenſus: ſed quoniam in eo parum eſt momenti; levius prætereo.

8. Quo-

Digitized by Google

8. Quoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet: etiamſi pœnituerit. Video enim quod Epiſtola illa, etſi ad tempus, vos contriſtavit.

9. Nunc gaudeo: non quod ſitis contriſtati, ſed quod ſitis contriſtati in pœnitentiam. contriſtati enim eſtis ſecundum Deum: ita ut nulla in re damno affecti ſitis ex nobis.

10. Nam quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam ad ſalutem non pœnitendam efficit: mundi autem triſtitia mortem efficit.

11. Ecce enim, hoc ipſum quod ſecundum Deum contriſtati eſtis, quantum produxit in vobis ſtudium? imo defenſionem, imo indignationem, imo timorem, imo deſiderium, imo zelum, imo vindictam?

8. *Quoniam* &c.] Nunc Corinthiis excuſare incipit, quod aliquanto aſperius eos ſuperiore Epiſtola tractaverat. Eſt autem obſervandum quam varie agat cum illis, ut videatur diverſas perſonas ſuſtinere. ratio eſt, quod ad totam Eccleſiam dirigebatur ſermo. illic quidam de eo maligne ſentiebant, alii eum, ut merebatur, habebant in ſummo pretio: alii erant dubii, alii certi: alii dociles, alii præfracti. In hac diverſitate neceſſe habuit orationem nunc hoc nunc illuc inflectere, ut ſe omnibus accommodaret. Porro ſeveritatis qua uſus fuerat, offenſionem lenit, vel potius tollit hoc modo, quod illis ceſſerit in ſalutem. Tanti, inquit, mihi eſt veſtra ſalus, ut quod vobis profuiſſe video, mihi placeat. Huic moderationi tunc demum eſt locus, quum objurgationibus profecit doctor quantum ſatis erat. nam ſi obſtinatos adhuc Corinthiorum animos manere comperiſſet, nec ullum ſenſiſſet profectum tentatæ correctionis: nihil certe de ſuo rigore priori laxaſſet. Notandum autem quod ſe auctorem triſtitiæ fuiſſe gaudet iis quos amabat: prodeſſe enim illis malebat quam placere. Sed quid eſt quod addit, *Etiamſi me pœnituerit*? Nam ſi fateamur, Paulo diſplicuiſſe quod ſcripſerat: ſequetur non levis abſurditas, inconſiderato magis impulſu ſcriptam fuiſſe ſuperiorem Epiſtolam, quam Spiritus directione. Reſpondeo, verbum Pœnitendi improprie hic poſitum, pro Dolorem capere. Paulus enim quum mœrore afficeret Corinthios, doloris partem capiebat ipſe quoque, ac ſibi quodammodo triſtitiam ſimul infligebat. Perinde ergo eſt acſi diceret, Tametſi invitus vos pupugi, ac mihi doluit quod vobis durus eſſe cogerer: nunc dolere ob hanc cauſam deſino, dum video utile vobis fuiſſe. Summus patris exemplum. capit enim moleſtiam pater ex ſua ſeveritate, ſiquando filium caſtiget: nihilominus probat, quia videt filio eſſe ſalutarem. ita Paulo res erat minime jucunda, Corinthios exaſperare: ſed quia conſtabat illi facti ſui ratio, officium ſuum, animi voto præferebat. *Video enim* &c. Contextus verborum eſt abruptus: nihil tamen id de ſenſus claritate detrahit. Primum ſibi jam ex re ipſa compertum eſſe dicit, Epiſtolam priorem, tametſi ad tempus ingrata fuerat, utilem tamen demum fuiſſe Corinthiis: deinde hujus utilitatis cauſa ſe gaudere.

9. *Non quod ſitis contriſtati*] Significat ſe minime delectari eorum triſtitia: quin potius ſi daretur optio, ſe conſulturum eorum ſaluti & lætitiæ ſimul, eadem opera: ſed quia fieri aliter non potuerit, tanti ſibi eorum ſalutem eſſe, ut gaudeat contriſtatos eſſe ad pœnitentiam. Sunt enim interdum medici, boni quidem alioqui & fideles, ſed inclementes, & qui ægrotis non parcunt. talem ſe eſſe negat Paulus, qui adhibeat aſpera remedia niſi neceſſitate compulſus. Quia autem utiliter illi ceſſerat, id remedii genus tentaſſe: de ſucceſſu ſibi gratulatur. Simili fere loquendi forma prius uſus eſt capite 5. v. 4. Gemimus in hoc tabernaculo gravati, quod non exui volumus, ſed ſuperindui.

10. *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia*] Primum, ut teneamus quid valeat hæc particula Secundum Deum, notanda eſt antitheſis. nam triſtitiam quæ ſecundum Deum eſt, opponit mundi triſtitiæ. Nunc ſumamus etiam antitheſin duplicis gaudii. gaudium mundi eſt, quum ſtulte & abſque timore Domini exultant homines in rebus vanis, hoc eſt, in mundo; & caduca felicitate inebriati, non altius reſpiciunt quam ad terram. gaudium ſecundum Deum, quum totam felicitatem in Deo reponunt, & acquieſcunt in ejus gratia: atque id mundi contemptu declarant, ſic utentes terrena proſperitate, quaſi non utantur: in adverſis autem rebus hilares. Ergo triſtitia mundi eſt, quum propter terrenas afflictiones animos deſpondent, & luctu opprimuntur: triſtitia autem ſecundum Deum, quæ Deum reſpicit, dum unicam miſeriam ducunt, excidiſſe à Dei gratia: quum timore judicii ejus perculſi, peccata ſua lugent. Hanc triſtitiam Paulus cauſam facit & originem pœnitentiæ: quod eſt diligenter obſervandum. niſi enim ſibi diſpliceat peccator, vitam ſuam oderit, ac ſerio doleat agnitione peccati: nunquam ad Dominum convertetur. rurſum fieri nequit ut talis in homine ſit triſtitia, quin novum animum pariat. Ergo à dolore incipit pœnitentia, propter hanc quam dixi rationem, quod nemo poteſt in viam redire, niſi qui peccatum oderit. ubi autem odium peccati, illic ſui diſplicentia & dolor. Pulchra autem alluſio eſt ad nomen *pœnitentiæ*, quum dicit, *non pœnitendam*: quia quamvis res ſit primo guſtu acerba, utilitate tamen ipſa ſe expetendam facit. Quanquam poſſet tam ſalutis eſſe quam pœnitentiæ epithetum. ſed mihi melius videtur congruere cum vocabulo Pœnitentiæ: acſi diceret, eventu ipſo nos doceri, ne gravis nobis debeat eſſe, aut moleſtus dolor: ita quamvis in ſe pœnitentia aliquid amari contineat, non pœnitenda eſſe dicitur ob pretioſum & ſuavem, quem parit, fructum. *Ad ſalutem.* Videtur Paulus ſalutis cauſam facere, pœnitentiam: quod ſi verum eſſet, ſequeretur, operibus nos juſtificari. Reſpondeo, obſervandum eſſe quid hic tractet Paulus. neque enim inquirit de cauſa ſalutis: ſed tantum pœnitentiam à fructu quem producit, commendans, inſtar viæ eſſe dicit, qua ad ſalutem pervenimus: & merito. gratuito enim nos Chriſtus vocat, ſed ad pœnitentiam: gratuito nobis remittit Deus peccata, ſed nonniſi quum ipſis renunciamus. Imo utrumque ſimul agit in nobis Deus, ut per pœnitentiam renovati, liberemur à peccatorum ſervitute: & fide juſtificati, à maledictione etiam peccatorum liberemur. Sunt igitur gratiæ inſeparabiles: & propter individuam conjunctionem, apte & proprie pœnitentia introductio ad ſalutem dici poteſt. ſed hoc modo conſequentia magis ſignificatur quam cauſa. Non ſunt hæ argutiæ ad effugiendum, ſed vera & ſimplex ſolutio. nam quum Scriptura doceat nos remiſſionem peccatorum nunquam abſque pœnitentia conſequi: ſimul tamen paſſim unam Dei miſericordiam, ejus obtinendæ cauſam ſtatuit.

11. *Quantum in vobis produxit ſtudium?*] Non diſputabo ſintne hæc quæ Paulus enumerat, pœnitentiæ effectus, an partes, an præparationes: quia id totum neceſſe non eſt ad intelligendam Pauli mentem. tantum enim Corinthiorum pœnitentiam probat à ſignis vel annexis. Quanquam triſtitiam ſecundum Deum facit omnium principium, ex quo naſcantur: ut certe eſt. nam ex quo nobis cœpimus diſplicere, ad aliqua deinde incitamur. Quid ſignificet Studium, ex contrario licet intelligere: nam quam-

diu

diu abeſt peccati agnitio, jacemus ſomnolenti & ſocordes. Torpor ergo, vel incuria, vel ſecuritas, contrarium eſt hujus ſtudii cujus meminit. Itaque ſtudium nihil aliud eſt quam ſollicita & ſtrenua ſedulitas corrigendi quod peccatum eſt, vitæque in melius mutandæ. *Imo defenſionem.* Quia Eraſmus Satisfactionem tranſtulerat, imperiti decepti vocis ambiguitate, traxerunt ad ſatisfactiones Papiſticas: quum Paulus ἀπολογίαν nominet. Hæc cauſa eſt cur Defenſionis verbum (quod vetus Interpres poſuerat) relinquere maluerim. Verum notandum eſt, genus defenſionis hic indicari quod deprecatione magis conſtet quam depulſione criminum. Quemadmodum filius qui patri ſe purgatum cupit, non ingreditur in legitimam cauſæ dictionem: ſed culpam agnoſcendo, ſuppliciter magis quam confidenter ſe excuſat. Excuſant etiam ſe hypocritæ, imo ſuperciliosſe defendunt: ſed potius ut cum Deo litigent, quam ut cum ipſo redeant in gratiam. ac ſi cui magis placeat Excuſationis nomen, non improbo: quia eodem redibit ſenſus, Corinthios ad ſe purgandum inductos fuiſſe, quum prius ſuſque deque Pauli judicium ducerent. *Imo indignationem.* Hic etiam affectus comitatur ſanctam triſtitiam, ut peccator adverſus ſua vitia ſeque adeo ipſum excandeſcat: ſicuti etiam quicunque recto zelo ſunt præditi, quoties Deum offendi vident, excandeſcunt. Eſt autem affectus hic vehementior quam triſtitia. Nam primus eſt gradus, ut nobis malum diſpliceat. ſecundus, ut iracundia accenſi, nobis acriter inſtemus, ut ſeriam punctionem ſentiant conſcientiæ. quanquam hic accipi poteſt indignatio, qua excanduerant Corinthii adverſus unius vel paucorum delicta, quibus ante indulſerant: ita pœnitebat eos ſui conſenſus vel ſuæ diſſimulationis. *Timor* eſt ex ſenſu judicii divini, dum cogitat peccator, En reddenda tibi eſt ratio: & quid afferes coram tanto judice? tali enim cogitatione perculſus expaveſcit. Quia autem tanguntur ſimili pavore interdum etiam impii, ſubjungit deſiderium: quem affectum magis voluntarium eſſe conſtat, quam ſit timor. timemus enim ſæpe inviti, nunquam deſideramus niſi ſponte. Ergo ut Pauli monitu pœnam horruerant: ita alacriter aſpirabant ad correctionem. Sed quid per *zelum* intelligemus? non dubium quin voluerit gradatim augere. plus ergo exprimit quam deſiderium. Poſſumus autem intelligere quod certatim mutua æmulatione ſe incitabant. ſed hoc ſimplicius, quod quiſque magno ſtudii fervore contenderet ad pœnitentiæ approbationem. Ita zelus eſt contentio deſiderii. *Imo vindictam.* Quod de indignatione diximus, etiam ad vindictam extendi debet. nam cujus flagitii ſua diſſimulatione & indulgentia fuerant fautores, ejus ſe poſtea ſeveros vindices præſtiterant. Tulerant aliquandiu inceſtum: admoniti autem à Paulo, non tantum deſierant illi favere, ſed rigidi fuerant cenſores in illo caſtigando. hæc erat vindicta. Cæterum quià peccata debemus ulciſci ubicunque ſint; neque id modo, ſed à nobis potiſſimum incipere: latius patet quod hic dicit Apoſtolus: loquitur enim de ſignis pœnitentiæ. Hoc unum eſt inſigne inter reliqua, dum peccata vindicando, Dei judicium quodammodo antevertimus. quemadmodum alibi docet, Si nos judicare- *1 Cor. 11.*
mus, non judicaremur utique à Domino. Neque *verſ. 31.*
tamen hinc colligendum eſt, homines vindictam à ſe exigendo, compenſare pœnas Deo debitas, ut ab ejus manu ſe redimant. ſed ita res habet, Quum Dei conſilium ſit, nos caſtigando, ſecuritatem nobis excutere, ut de ira ejus commonefacti, caveamus nobis in poſterum: quum ſpontaneam ultionem peccator ipſe præoccupat, facit ut tali Dei admonitione jam non ſit opus. Quæritur autem, ad Paulumne, an ad Deum reſpicerent Corinthii, tam in hac vindicta, quam in zelo, deſiderio, & reliquis. Reſpondeo, hæc omnia pœnitentiam ſemper comitari. verum intereſt, clam coram Deo quis peccaverit, an palam coram mundo. cujus arcanum eſt peccatum, ſatis eſt ſi coram Deo ita ſit affectus. ubi autem manifeſtum eſt peccatum, requiritur etiam manifeſta pœnitentiæ approbatio. Ita Corinthii, qui palam & cum gravi bonorum offendiculo deliquerant, pœnitentiam ſuam teſtari neceſſe habebant his ſignis.

modis omnibus comprobaſtis vos puros eſſe in negotio.

12. Itaque ſi ſcripſi vobis, non ejus cauſa qui læſerat, neque ejus cauſa qui læſus fuerat, ſcripſi: ſed ut palam fieret * ſtudium veſtrum pro nobis apud vos in conſpectu Dei. ** vel, ſtudium noſtrum in nobis ergà vos.*

13. Idcirco conſolationem accepimus ex conſolatione veſtri. quin uberius etiam gaviſi ſumus ob gaudium Titi, quod refocillatus ſit ejus ſpiritus ab omnibus vobis.

14. Quod ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non fuerim pudefactus. ſed ut omnia in veritate loquuti ſumus vobis: ita & gloriatio noſtra apud Titum veritas facta eſt.

15. Et viſcera ejus majorem in modum erga vos affecta ſunt, dum memoria repetit veſtram omnium obedientiam: quemadmodum cum timore & tremore exceperitis eum.

16. Gaudeo quod vobis in omnibus confidam.

Comprobaſtis vos puros.] Vetus Interpres legit, Exhibuiſtis: Eraſmus, Commendaſtis. tertium prætuli quod mihi videbatur melius quadrare, veris teſtimoniis declaraſſe Corinthios, ſe nequaquam participes eſſe criminis, cui affines eſſe videbantur propter diſſimulationem. Teſtimonia porro qualia fuerint, jam vidimus. quanquam non prorſus eos excuſat Paulus, ſed extenuat eorum peccatum. neque enim culpa penitus vacabat nimia tolerantia, qua uſi fuerant: ſed eos liberat à crimine conſenſus. Notandum eſt præterea, non omnes ad unum liberari: ſed Eccleſiæ corpus duntaxat. Credibile ſiquidem eſt, nonnullos fuiſſe conſcios ac fautores. ſed quum omnes ſimul infamia laborarent: poſtea apparuit, nonniſi ad paucos culpam pertinere.

12. *Itaque ſi ſcripſi.*] Facit quod ſolent qui reconciliationem quærunt. vult priora omnia ſepulta eſſe, nihil amplius exprobrat, nihil reprehendit, de nulla re expoſtulat, denique omnium obliviſcitur: quià contentus eſt ſola eorum reſipiſcentia. Et ſane hic rectus eſt modus, non ultra urgere peccatores, ubi ad pœnitentiam adducti fuerint. Nam ſi adhuc eorum delicta reducimus in memoriam, malevolentia potius quam pio affectu, aut ſalutis eorum ſtudio impelli certum eſt. Cæterum hæc dicuntur à Paulo per conceſſionem: nam certe ſuam offenſionem proſequutus fuerat, & auctorem offendiculi caſtigari voluerat. ſed nunc quod nonnihil odioſum erat, ſupprimit: perinde ac ſi diceret, Jam volo non in alium finem ſcriptum eſſe quicquid ſcripſi, niſi ut ſtudium erga me veſtrum perſpiceretis: alia omnia nunc relinquamus. Alii ſic exponunt, quod non habuerit rationem unius privati hominis, ſed cogitaverit de communi omnium utilitate. verum prior ſenſus magis eſt

eſt genuinus. *Studium veſtrum pro nobis.* Quoniam hæc paſſim recepta eſt lectio apud Græcos, non auſus ſum prorſus delere. quamvis adhuc in codice antiquo legatur ἡμῶν, & ex Chryſoſtomi commentariis appareat, Latinam lectionem illius tempore Græcis quoque fuiſſe uſitatam: nempe, Ut palam fieret apud vos noſtrum ſtudium pro vobis: hoc eſt, ut patefieret Corinthiis quam ſollicitus eſſet pro ipſis Paulus: altera tamen lectio, in quam nunc conſentiunt magna ex parte Græci codices, nihilominus probabilis. Gratulatur enim Paulus Corinthiis, quod hoc demum experimento edocti fuerint quo eſſent erga eum affectu: acſi diceret, Vos ipſi nondum intelligebatis quo eſſetis in me ſtudio, donec in hac cauſa experti eſtis. Alii de particulari cujuſque affectu exponunt, hoc modo, Ut inter vos patefieret quantum mihi deferret unuſquiſque: atque oblata hac occaſione, ſinguli quid animo ante fuiſſet occultum, proderent. Quoniam in eo non multum eſt momenti, liberum per me ſit lectoribus utrumvis eligere. ſed quia ſimul addit *in conſpectu Dei*, mihi potius videtur hoc velle, ſerio examine habito, ſingulos acſi in Dei conſpectum veniſſent, melius quam antea ſibi fuiſſe notos.

13 *Conſolationem accepimus.*] Totus in eo eſt Paulus ut Corinthiis perſuadeat, ſibi nihil aſſe potius eorum bono. itaque eorum conſolationem communem fuiſſe dicit. Porro hæc fuerat conſolatio, quod agnita culpa, non modo boni conſulebant correctionem, ſed læti eam amplexabantur. nam correctionis acerbitas facile dulceſcit ſimulatque guſtare incipimus quam nobis fuerit utilis. Quod addit ſe uberius gaviſum eſſe ſuper Titi conſolatione, gratulationis eſt. Exhilaratus fuerat Titus, quod ipſos magis obſequentes & faciles deprehendiſſet, quam credibile erat: imo quod comperiſſet ſubitam mutationem in melius. unde colligitur, procul ab adulatione abfuiſſe lenitatem Pauli: quia ſic lætatus eſt eorum gaudio, ut præcipue tamen in reſipiſcentia acquieverit.

14. *Quod ſi quid apud illum.*] Subindicat quam amico ſemper animo fuerit in Corinthios, quam ſincere & humaniter de illis judicaverit. nam quo tempore videbantur indigni eſſe commendatione, multa de illis præclare adhuc pollicebatur. Hoc ſane inſigne eſt ſpecimen recti ac candidi pectoris, in faciem reprehendere quos amea: bene tamen de illis ſperare, & bonam ſpem aliis dare. Hæc ſinceritas debuit illos permovere, ne quid ab eo profectum in malam partem acciperent. interim hac occaſione obiter iterum ſuam in reliquis omnibus negotiis fidem commendat: acſi diceret, Vobis hactenus compertus fuit meus candor, ut veracem me omnibus in rebus ac minime vanum probaverim. Gaudeo igitur me quoque veracem nunc fuiſſe, de vobis apud alios gloriando.

15. *Viſcera ejus majorem in modum.*] Quia ſedes affectuum eſt in viſceribus, ideo hoc nomine miſericordia, dilectio, & omnis pius affectus ſignificatur. ſed emphatice exprimere voluit, quum ante diligeret Corinthios Titus, fuiſſe tunc vehementius accenſum ad ipſos amandos, idque ex intimo cordis affectu. Porro his verbis Titum inſinuat in amorem Corinthiorum; ſicuti amari utile eſt Chriſti ſervos, quo magis prodeſſe queant: ſimul animum addit illis ad bene pergendum, quo ſe bonis omnibus reddant amabiles. *Cum timore & tremore.* His duobus verbis reverentiam aliquando ſimpliciter ſignificat: quod huic loco fortaſſis non male quadraret. quanquam non diſplicet, tremorem nominatim poſitum, quod ſibi male conſcii reverebantur ejus conſpectum. Expaveſcunt quidem etiam qui ſunt obſtinati in ſuis ſceleribus, ad conſpectum judicis: ſed voluntaria trepidatio, quæ ex ingenuo pudore manat, ſignum eſt reſipiſcentiæ. Utramvis expoſitionem eligas, docet hic locus quæ ſit vera exceptio miniſtrorum Chriſti. non lauta ſcilicet convivia, non ſumptuoſus apparatus, non blandæ vel honorificæ ſalutationes, non plauſus theatrici probum fidumque paſtorem oblectant: ſed plenam gaudii ſatietatem capit quum ex ore illius reverenter excipitur ſalutis doctrina: quum ſua illi auctoritas conſtat in Eccleſiæ ædificationem: quum in ejus diſciplinam ſe tradit populus, ut ejus miniſterio ſub Chriſti auſpiciis regatur. quale hic cernimus in Tito exemplum. In clauſula tandem iterum confirmat quod prius dixit, ſe nunquam ita fuiſſe offenſum, ut prorſus diffideret Corinthiis.

Cap. VIII.

Certiores autem vos facio, fratres, de gratia Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ:

2. Quoniam in multa probatione afflictionis exuperavit gaudium ipſorum: & profunda illorum paupertas exundavit in divitias ſimplicitatis eorum.

3. Nam pro viribus (teſtor) atque etiam ſupra vires fuerunt voluntarii:

4. Multa cum obteſtatione rogantes nos ut gratiam & ſocietatem miniſterii ſuſciperemus in ſanctos.

5. Ac non quatenus ſperabamus: ſed ſeipſos dediderunt, primum Domino, deinde & nobis per voluntatem Dei.

6. Ut adhortaremur Titum, ut quemadmodum ante cœpiſſet, ita & conſummaret erga vos hanc quoque gratiam.

7. Verum quemadmodum ubique abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni diligentia, & ea quæ ex vobis erga nos eſt, charitate: facite ut in hac quoque beneficentia abundetis.

Quoniam ſiqua offenſio manſiſſet in Corinthiis ex ſuperioris Epiſtolæ ſeveritate contracta, impedimento eſſe poterat quo minus valeret apud eos ipſius Pauli auctoritas: hactenus reconciliandis ſibi eorum animis incubuit. nunc purgata omni offenſione, & recuperata miniſterii ſui gratia, commendat illis fratres Jeroſolymitanos, ut illorum egeſtati ſubveniant. Hoc non magno profectu tentaſſet ab initio Epiſtolæ: ergo prudenter diſtulit quouſque eorum animos præparaſſet. Nihil itaque hoc & proximo capite agit aliud, quam quod hortatur Corinthios ut ſtrenui ſint ac diligentes in colligendis eleemoſynis, quæ Jeroſolymam deferantur ad ſublevandam fratrum inopiam. Premebat enim eos magna fames, ut vitam tolerare vix poſſent, niſi adjuti ab aliis Eccleſiis. Hanc rem commendaverant Paulo Apoſtoli: & ſibi curæ fore promiſerat. & jam curaverat ex parte, ſicuti vidimus priore Epiſtola: nunc tamen rurſum urget.

1. *Certiores vos facio.*] Laudat Macedones, ſed in hunc finem ut eorum exemplo Corinthios extimulet: tametſi id non exprimit. neque enim commen-

mendatione opus habebaot illi, ſed his opus erat aliquo ſtimulo. Et quo magis iocitet Corinthios ad æmulationem, hoc gratiæ Dei deputat, quod tam prompti fuerint Macedones ad opitulandum fratribus. Tametſi enim virtutem eſſe laude dignam fatentur omnes, egenis ſuccurrere: non tamen in lucro ducunt, neque habent pro Dei gratia: quin potius judicant, tantundem ex ſuo detrahi ac perire. Paulus autem teſtatur hoc gratiæ Dei acceptum ferri debere, quum fratribus ſubvenimos: & id noo vulgaris boni loco expetendum. Cæterum duplicem gratiam commemorat, quæ fuerit collata Macedonibus. prior eſt, quod afflictiones pertulerint placide & hilaribus animis: altera eſt, quod ex ſua tenuitate non ſecus atque ex abundantia aliquid ſumpſerint fratribus erogandum. Horum utrumque opus eſſe Domini, jure affirmat Paulus. deficiunt enim ſtatim quicunque non ſuſtinentur à Spiritu Dei, qui auctor eſt omnis conſolationis: & diffidentia radicitus in nobis hæret, quæ nos arcet ab omnibus charitatis officiis, donec ejuſdam Spiritus gratia corrigatur.

2. *In multa probatione.*] Hoc eſt, quum rebus adverſis examinarentur, non deſierunt tamen in Domino gaudere: imo ſuperior fuit hic affectus, ut triſtitiam abſorberet. oportuit eoim laxari ſuis anguſtiis Macedonum animos, ut liberaliter fratribus ſuccurrerent, qui alioqui reſtricti fuiſſent. *Gaudium*, ſpiritualem conſolationem vocat, qua ſe ſuſtentant fideles in afflictionibus. nam impii, aut ſenſum mali fugiendo, mentemque ad vagas cogitationes abſtrahendo, inanibus ſolatiis ſe ludunt, aut ſuccumbuot penitus mœroti, ſeque obrui patiuntur. fideles autem ex afflictione ipſa gaudii materiam petuot: quemadmodum ad Romanos 8. viſum eſt. *Et profunda illorum paupertas.* Metaphora ſumpta à vaſis exhauſtis. acſi diceret, exinanitos fuiſſe Macedones, ut jam ad fondum perventum foret. in tantis anguſtiis ipſos dicit abundaſſe ſimplicitate, ac fuiſſe divites: non modo quoad ipſis ſufficeret ad proprium uſum, ſed alios quoque juvandos. En ratio qua ſemper etiam in arctiſſima paupertate futuri ſimus liberales: nempe, ſi quod facultatibus arcæ deeſt, ſimplicitate onimi ſuppleamus. *Simplicitas* malignitati opponitur: quemadmodum 12. v. 18. ad Roman. ubi eam à Diaconis requirit Paulus. Hoc enim eſt quod nos æquo tenaciores reddit, quum nimis accurate & oimis procul circumſpicimus quæ evenire poſſunt pericula, quum oimium caoti ſumus ac ſolliciti, quum moroſius expendimus quantum nobis opus ſit in totam vitam, vel denique quantum aliquantula parte detracta fiat diminutionis. Qui pendet à benedictione Domini, animum habet explicatum his tricis: & ſimul manus ſolutas ad beneficentiam. Jam ducendum argumentum à minori ad majus, Macedonibus non obſtitit exigua fortuna, imo paupertas, quin fratribus benefaceteot: quid ergo excuſationis habebunt Corinthii ſi ceſſent, opulenti præ illis & copiis affluentes?

3. *Pro viribus atque etiam ſupra vires.*] Quum dicit fuiſſe voluntarios, intelligit ſponte adeo fuiſſe propenſos ad officium, ut ſupervacua fuerit exhortatio. Magnum erat pro virium menſura contendere: ergo raræ & admirandæ virtutis fuit, ſupra vires niti. Loquitur autem vulgari hominum more: nam hæc uſitata eſt benefaciendi regula, quam Solo-
Prov. 5. mon præſcribit, Bibere aquam ex fontibus noſtris,
verſ. 15. & rivos derivare, qui ad alios defluant. Macedones autem, omiſſa ſui ratione, & ſeipſos propemodum obliti, ſuam ſollicitudinem ad alios curandos potius contulerunt. denique quibus res anguſta eſt domi, ſupra vires prompti ſunt, ſiquid in alios impeodunt ex ſua tenuitate.

4. *Multa cum obteſtatione rogantes.*] Amplificat illam promptitudinem, quod non modo non expectaverint monitorem, ſed eos quoque rogaverint à quibus fuerant monendi, niſi ſua ſedulitate omnium ſtudia antevertiſſent. Iterum hic repetenda eſt ſuperior comparatio minoris & majoris, Si Macedones noo rogati, ultro properant, imo alios præveniunt rogando: quam turpe eſt Corinthios torpere: præſertim ubi ſunt admoniti? Si Macedones omnibus viam præmonſtrant, quam turpe eſt Corinthios non imitari ſaltem eorum exemplum? quid autem quod non contenti rogare, obteſtatiooem, & quidem multam addiderunt precibus? inde autem apparet non defungendi modo cauſa, ſed ſerio ipſos rogaſſe. *Ut gratiam & ſocietatem.* Nomen Gratiæ poſuit ad commendandam eleemoſynam. quanquam poteſt varie exponi hoc vocabulum: ſed mihi hæc ſimplicior videtur ſignificatio, quod quemadmodum gratuito oobis omnia largitur Pater cœleſtis, ita nos gratuitæ ejus bonitatis imitatores benefaciendo eſſe oporteat: vel certe quia ex facultatibus noſtris erogando, nihil aliud quam gratiæ ejus ſumus œconomi. Societas miniſterii erat, ut Macedonibus in miniſterio eſſet adjutor. conferebant ipſi de ſuo, quo ſanctis mioiſtraretur; Paulum volebant curam habere colligendi.

5. *At non quatenus.*] Sperabat mediocrem affectum ab illis, qualem præſtare quivis Chriſtianus debet. Illi autem ſuperarunt ejus expectationem: quia non ſuas tantum facultates habuerunt expoſitas, ſed ſeipſos impendere parati fuerunt. Tradiderunt, inquit, ſeipſos Deo primum, deinde nobis. Quæri poteſt an aliud fuerit Deo ſe tradere, quam Paulo. Hoc vulgare eſt, quum Deus per aliquem mandat vel præcipit, miniſtrum illi adjungit, tam in poteſtate jubendi quam in obedientia. Viſum eſt Spiritui ſancto *Actor. 15.*
& nobis, dicunt Apoſtoli: quum tamen pronunciarent *verſ. 28.*
duntaxat tanquam organa, quod à Spiritu revelatum & injunctum erat. Rurſum, Credidit populus *Exod. 14.*
Domino & Moſi ſervo ejus: neque tamen Moſes *verſ. 31.*
qoicquam habebat à Deo ſeparatum. Atque hoc denotat particula quæ mox ſequitur, *Per voluntatem Dei.* Quum enim Deo eſſent obſequentes, qui eos miniſtri ſui conſilio regendos tradiderat, ſequuti ſunt hanc rationem, ut Paulum quaſi ex ore Dei loquentem audirent.

6. *Ut adhortaremur Titum.*] Hæc vero efficacior eſt adhortatio, quum ſe audiunt nomine citari ad officium. Neque hoc fuit Macedonibus invidioſum, quod ſocios beneficentiæ habere cuperet Corinthios. Excuſatur interea Titus, ne exiſtimerit Corinthii eum diligentius ſibi inſtitiſſe, quaſi diffideret de eorum animis. Rogatus enim id agebat Macedooum potius nomine quam ſuo.

7. *Verum quemadmodum.*] Jam circumſpectus valde fuerat in cavenda offenſione, quum diceret, Titum non tam proprio impulſu quam Macedonum mandato, eos ſollicitaſſe: nonc vero longius etiam procedit, admonens ne id quidem expectandum eſſe, dum ad ipſos perferatur Macedonum legatio: atque id quidem, laudando alias eorum virtutes: acſi diceret, Non modo adjungere vos Macedonibus comites debetis, qui id poſtulant, ſed excellite etiam in hac parte, quemadmodum in reliquis. *Sermonem* diſtinguit à *fide*: quia fieri poteſt ut fidem quiſpiam habeat, & quidem egregiam, qui tamen non adeo exercitatus erit in verbo Domini. *Scientiam* pro uſu & peritia, vel prudentia accipio. Charitatem erga ſe commemorat, ut perſonæ quoque ſuæ reſpectu illis addat animos: ac interim privatum amorem quo ipſos proſequebantur, in publicam fratrum utilitatem reſignat. Ita vero ſibi temperat in omnibus, ne adhortando videatur eos accuſare.

8 Non ſecundum imperium loquor, ſed per aliorum ſollicitudinem, & veſtræ dilectionis ſinceritatem approbans.

9. Noſtis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti: quod propter vos pauper factus ſit, quum eſſet dives: ut vos illius paupertate diteſceretis.

10. Et conſilium in hoc do. nam hoc vobis conducit: qui quidem non ſolum facere, verum etiam velle cœpiſtis anno ſuperiore.

11. Nunc autem etiam *illud quod* facere cœpiſtis, perficite: ut quemadmodum voluntas prompta fuit, ita & perficiatis ex eo quod ſuppetit.

12. Etenim ſi jam adeſt animi promptitudo, ea juxta id quod quiſque poſſidet, accepta eſt, non juxta id quod non poſſidet.

8. *Non ſecundum imperium loquor.*] Iterum exhortationem ſuam mitigat, dum teſtatur, ſibi nequaquam eſſe in animo illos velut neceſſitate impoſita cogere. id enim eſt Secundum imperium loqui, quum aliquid certi injungimus, & præciſe exigimus, ut fiat. Quod ſi roget quiſpiam, Annon illi præcipere licebat, quod habebat ex Domini mandato? Reſponſio facilis eſt, Deum quidem ubique mandare ut fratrum neceſſitatibus opitulemur: ſed nuſquam ſummam præfigere, ut æſtimatione facta, inter nos & pauperes partiamur: nuſquam nos alligare ad temporum aut perſonarum aut locorum circumſtantias, ſed nos revocare ad regulam charitatis. quanquam non reſpicit hic Paulus quid ſibi liceat, aut minus: ſed ſe ideo præcipere negat, quaſi imperio & exactione cogendos eſſe judicet: acſi officium facere detrectarent, niſi conſtricti neceſſitate. Ponit autem duas rationes ex oppoſito cur tamen eos ad officium ſollicitet: quia ſcil. impellat ſollicitudo quam habet de ſanctis: deinde quia velit dilectionem Corinthiorum omnibus compertam eſſe. Neque enim intelligo Paulum de illorum dilectione voluiſſe fieri certiorem (de qua ſe optime fuiſſe perſuaſum jam teſtatus eſt) ſed potius volebat experimentum apud omnes extare. Quanquam prius membrum de aliorum ſollicitudine duos ſenſus diverſos admittit: vel quod de hominibus curam gerebat, quæ non ſinebat eum ceſſare: vel quod aliorum, quibus res curæ erat, precibus obtemperans, non tam ex proprio ſenſu quam ex ſuggeſtione illorum loquebatur.

9. *Noſtis enim gratiam.*] Injecta mentione dilectionis, Chriſtum adducit, abſolutiſſimum & ſingulare ejus exemplar. Quum dives eſſet, inquit, bonorum omnium dominio ſe abdicavit, ut nos ſua inopia locupletaret. Non exprimit deinde quorſum id commemoret, ſed conſiderandum illis relinquit. neminem enim latet, hoc exemplo nos ad beneficentiam incitari, ne parcamus ipſi nobis, quum fratribus ſubveniendum eſt. Dives erat Chriſtus, quia Deus, ſub cujus manu & poteſtate ſunt omnia: deinde

Hebr. 1. v. 2, 13. in humanitate etiam noſtra, quam induit, teſte Apoſtolo, hæres univerſorum, ut qui ſuper omnes creaturas eſſet à Patre conſtitutus, & cujus pedibus omnia eſſent ſubjecta. Pauper autem factus eſt, quod poſſeſſione abſtinuit, atque ita jure ſuo ceſſit ad tempus. Videmus quanta eum egeſtas rerumque omnium penuria excipiat ſtatim à matris utero. audimus quid

Luc. 9. verſ. 58. ipſe dicat, Vulpes foveas habent, volucres cæli nidos: Filius hominis non habet ubi reclinet caput. Ergo paupertatem in ſeipſo conſecravit, ne ipſam amplius horreant fideles: ſua paupertate nos ideo omnes ditavit, ne durum ſit nobis detrahere ex noſtra abundantia quod in fratres erogemus.

10. *Et conſilium in hoc do.*] Conſilium hoc imperio opponitur, de quo nuper loquutus fuerat: acſi diceret, Tantum conſulendi vel admonendi cauſa oſtendo quid expediat. Porro hæc utilitas non perſpicitur ſenſu carnis. quotus enim quiſque eſt, cui perſuadeatur utile ſibi eſſe ſpoliari, quo aliis ſuccurrat? Eſt quidem vox hominis ethnici, Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes: ſed ratio eſt, quod locatur extra fortunam quicquid amicis donatur. Atqui Dominus non ſpe præmii nos duci vult, aut mutuæ compenſationis: verum etiamſi ingrati ſint homines, ut perditum videri poſſit quicquid damus: vult tamen nos in beneficentia pergere. Verum inde utilitas, quod qui pauperi erogat, fœneratur Domino, inquit Solomon: cujus ſola benedi- *Prov. 19. verſ. 17.* ctio pluris centuplo æſtimanda eſt, quam omnes mundi theſauri. Quanquam utile hic partim capitur pro honeſto, vel ſaltem utile honeſtate metitur Paulus: quia turpe fuiſſet Corinthiis retrocedere, aut deficere in medio curſu, quum jam aliquouſque progreſſi forent. inutile tamen etiam fuiſſet, quia coram Deo gratiam perdidiſſet quicquid aggreſſi erant facere. *Qui quidem non ſolum facere.* Quum Facere plus ſit quam *velle*, impropria videtur loquutio. ſed Velle hoc loco non ſimpliciter accipitur (ut vulgo ſolemus loqui) ſed notationem habet ſpontaneæ alacritatis, quæ monitorem non expectat. Tres enim ſunt agendi gradus, ut ita loquar. agimus enim interdum inviti, ſed pudore vel metu: agimus voluntarie, ſed aliunde tamen vel impulſi vel inducti: agimus proprio inſtinctu, quum ſponte occupamus facere quod decet. talis alacritas præoccupandi, facto ipſo ſuperior eſt.

11. *Nunc quod facere cœpiſtis.*] Veriſimile eſt, ardorem mox refrixiſſe in Corinthiis. alioqui nulla mora interpoſita, perſequuti eſſent ſuum inſtitutum. Sed Apoſtolus, tanquam nihil adhuc fuiſſet peccatum, comiter admonet ut perficiant quod bene cœptum eſt. Quum addit, *Ex eo quod ſuppetit*, occupatio eſt: ſemper enim ingenioſa eſt caro ad invenienda ſubterfugia. alii ſe familias habere cauſantur, quas negligere ſit inhumanum: alii, quia multum dare nequeant, hoc prætextu utuntur ad ſe eximendos, An ego tantillum darem? Omnes ejuſmodi excuſationes tollit Paulus, dum jubet ſingulos pro modo ſuæ facultatis conferre. Et addit cauſam, quod Deus animum reſpiciat, non id quod offertur. nam quod dicit animi promptitudinem acceptam eſſe Deo, prout cujuſque eſt facultas, hunc habet ſenſum, Si ex tenuibus copiis exiguum quiddam offeras, nihilo minoris æſtimatur coram Deo tuus affectus, quam ſi dives magnam ſummam ex affluentia ſua conferret. Affectus enim non probatur ex eo quod non habes: hoc eſt, Deus abs te nequaquam exigit ut plus conferas quam ferant vires tuæ. Hoc modo nulli excuſantur: quia & divites majus Deo tributum debent, & pauperibus non debet pudori eſſe ſua exiguitas.

13. Non enim ut aliis relaxatio ſit, vobis autem anguſtia: ſed ut ex æquabilitate,

14. In præſenti tempore veſtra copia illorum ſuccurrat inopiæ: & illorum copia veſtræ ſuccurrat inopiæ, quo fiat æquabilitas.

Exod. 16. verſ. 18. 15. Quemadmodum ſcriptum eſt, Qui multum habebat, huic nihil ſuperfluit: & qui paulum habebat, is nihilo minus habuit.

16. Gratia

16. Gratia autem Deo, qui dedit eandem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi.

17. Qui exhortationem acceperit: quin potius quum eſſet diligentior, ſuapte ſponte ad vos venerit.

13. *Non enim ut aliis.*] Confirmatio ſuperioris ſententiæ, quod tam in exigua quam magna facultate placeat Deo liberalis voluntas, quoniam non velit Deus in anguſtias nos redigi, ut alii noſtra liberalitate diffluant. Equidem non partem ſolum, ſed quicquid ſumus & quicquid habemus, Deo nos debere certum eſt. ſed eatenus nobis parcit pro ſua indulgentia, ut contentus ſit ea communicatione quam hic ponit Apoſtolus. Quod ergo hic docet, intellige remiſſionem eſſe ſummi juris. interea noſtrarum partium eſt, ad largiendum nos ſubinde incitare: quia non adeo timendum eſt, ne ſimus in hac parte nimii. eſt autem periculum à nimia tenacitate. Verum neceſſaria eſt hæc doctrina adverſus fanaticos, qui nihil actum putant, niſi penitus te ſpoliaveris, ut in commune omnia conferas: hoc vero proficiunt ſuo deliramento, ut nemo eleemoſynam tranquilla conſcientia erogare queat. Ergo diligenter obſervanda eſt Pauli ἐπιείκεια & moderatio: placere Deo noſtras eleemoſynas, quum ea noſtra abundantia ita ſublevamus fratrum egeſtatem, non ut diffluant illi, nos egeamus: ſed ut de noſtro impertiamur quantum ferunt noſtræ copiæ, idque alacri animo. *Ex æquabilitate.* Æquabilitas dupliciter accipi poteſt: vel pro mutua compenſatione, quum par pari refertur: vel pro juſto temperamento. Ego ἰσότητα accipio ſimpliciter pro æqualitate juris analogici, quod vocat Ariſtoteles. in qua ſignificatione ſumitur & ad Coloſſenſes cap. 4. verſ. 1. ubi dominos hortatur ut æqualitatem præſtent ſervis. Non vult certe conditione & gradu pares eſſe: ſed hoc nomine intelligit humanitatem & clementiam & benignam tractationem, quam ſervis domini viciſſim debent. Ita hanc analogiam nobis Dominus commendat, ut quoad quiſque noſtrum opibus valet, laborantibus opem feramus. ne alii luxurientur, alii eſuriant, ideo addit, *In præſenti tempore.* Tunc ſiquidem urgebat neceſſitas. Unde admonemur, in exercenda beneficentia, præſenti neceſſitati conſulendum, ſi velimus veram æquitatis regulam ſervare.

14. *Et illorum copia.*] Dubium eſt quale genus copiæ ſignificet. Nonnulli interpretantur, hoc fuiſſe factum, quia Euangelium ab Eccleſia Jeroſolymitana ad illos manaverat: unde ſpiritualibus eorum divitiis, iſtorum penuriæ fuerat ſubventum. quod ego alienum arbitror à Pauli mente. Potius (meo judicio) extendi hoc debet ad ſanctorum communionem, qua fit ut in totum corpus redundet quicquid officii in unum membrum impenditur: acſi diceret, Si vos piget, nihili divitiis fratres juvare: conſiderate quod bonorum ſitis inopes, & quidem quæ longe ſunt pretioſiora, quibus vos locupletare poſſunt qui terrenis opibus egent. Hæc communicatio quam inter membra corporis ſui ſancivit Chriſtus, animare vos debet, quo ſitis ad beneficentiam promptiores & magis impigri. Poteſt hic quoque eſſe ſenſus, Nunc pro temporis neceſſitate illis ſuccurritis: ſed ipſis dabitur alias facultas remunerandi. Mihi generalior illa ſententia magis placet: cui ſuffragatur quod iterum de æquabilitate repetit. Hæc enim eſt in Eccleſia juris analogici ratio, ut dum ultro citroque ſinguli inter ſe communicant pro menſura donorum & neceſſitatis, ex mutua collatione conficiatur apta ſymmetria: tametſi alii minus poſſideant, & diſtributa ſint inæqualiter dona.

15. *Quemadmodum ſcriptum eſt.*] Teſtimonium quod citat Paulus, de Manna loquitur: ſed audiamus quid Dominus dicat per Moſen. vult hoc perpetui documenti loco eſſe, quod non ſolo pane vivant homines: ſed divinitus alantur, arcana virtute voluntatis ejus qui omnia quæ creavit, tuetur ac conſervat. Et alibi rurſum admonet Moſes, tali victu fuiſſe nutritos ad tempus, ut diſcerent non alí homines ſua induſtria aut labore, ſed benedictione Dei. Hinc apparet in Manna, tanquam in ſpeculo, nobis exhiberi imaginem ordinarii victus quo paſcimur. Jam veniamus ad locum quem Paulus adducit. Poſtquam Man deciderat, jubebantur colligere in acervos quantum quiſque poſſet. tametſi autem, ut alii ſunt aliis agiliores, aliqui plus quam in quotidianum uſum neceſſe erat, colligerent, alii minus: nemo tamen ſibi in privatum uſum ſumebat plus quam Homer. modus enim ille à Domino præſcriptus erat. quum ita fieret, ſuppetebat omnibus quantum ſufficeret, & nemo eſuriebat. Hoc habetur Exod. 16. v. 18. Nunc hiſtoriam accommodemus ad Pauli inſtitutum. Neque Homer, neque alia menſura nobis ordinata eſt à Domino, ad quam uniuſcujuſque diei victus exigatur: ſed nobis commendata eſt frugalitas & temperantia: & prohibitum ne quis abundantia fretus laſciviat. Ergo quibus ſunt divitiæ, ſive ex patrimonio relictæ, ſive induſtria partæ & laboribus, illi cogitent exceſſum non intemperantiæ aut luxuriæ deſtinatum eſſe, ſed tolerandæ fratrum egeſtati. Manna enim eſt quicquid habemus, undecunque proveniat: modo vere noſtrum ſit, quia fraude & illicitis artibus quæſitæ opes, indignæ ſunt hoc nomine: ſed potius ſunt coturnices ab ira Dei emiſſæ. & quemadmodum ſi quis vel aviditate nimia, vel diffidentia Man ſuppreſſerat, illud repoſitum ſtatim putreſcebat: ita non dubitemus maledictas eſſe divitias, & mox perituras, quæ cum fratrum injuria congeruntur, idque cum exitio domini: ne putemus hanc creſcendi eſſe rationem, ſi proſpicientes nobis in longum tempus, egenos fratres noſtros fraudamus debita beneficentia. Fateor quidem non præcipi nobis illam æqualitatem, ut nihilo nitidius fas ſit divitibus veſci quam pauperibus: ſed eatenus ſervanda æqualitas, ut nemo eſuriat, nemo abundantiam ſuam ſupprimat, alios fraudando. Pauperum Homer, panis erit cibarius, victuſque parcior: divitum Homer, liberalior quidem portio, prout tulerit facultas: ſic tamen ut temperanter vivant, neque deſint aliis.

Deut. 8. verſ. 3.

16. *Gratia autem Deo, qui dedit.*] Ne quam relinquat excuſationem Corinthiis, nunc demum adjungit datos illis ſtrenuos inſtigatores, quibus curæ ſit negotium. Ac primo quidem Titum nominat, quem divinitus excitatum fuiſſe dicit. quod magni ad cauſam intererat: eo enim efficacior futura erat legatio, ſi agnoſcerent Corinthii, veniſſe ipſum Dei impulſu. Ex hoc tamen loco, ſicuti ex aliis innumeris, colligimus, nullos eſſe pios motus qui non à Spiritu Dei proficiſcantur: deinde hoc teſtimonium eſſe divinæ erga ſuos ſollicitudinis, quod miniſtros & curatores excitat, qui ſubvenire illorum neceſſitati ſtudeant. Quod ſi ſe in curandis corporis alimentis ita exerit Dei providentia, quanto majorem ſpiritualium alimentorum curam habebit, ne ſuis deſint? Ideo proprium & peculiare opus ejus eſt, Paſtores excitare. *Exhortationem accipere,* ſignificat Pauli hortatu ſuſcipere negotium. Id poſtea corrigit, dicens, Titum non tam alienis conſiliis paruiſſe, quam ſua ſponte animatum fuiſſe pro ſua diligentia.

18. Miſimus autem una cum illo fratrem cujus laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.

19. Nec id ſolum, verum etiam delectus ab Eccleſiis eſt comes peregrinationis noſtræ,

cum hac beneficentia quæ adminiſtratur à nobis, ad ejuſdem Domini gloriam; & animi veſtri promptitudinem.

20. Declinantes hoe, nequis nos carpat in hac exuperantia, quæ adminiſtratur à nobis.

21. Procurantes honeſta, non tantum eoram Deo, ſed etiam eoram hominibus.

22. Miſimus autem una eum illis fratrem noſtrum, quem probaveramus in multis ſæpenumero diligentem: nunc autem multo diligentiorem, ob multam fiduciam quam habeo erga vos.

23. Sive Titi nomine, qui ſocius meus eſt, & erga vos adjutor, ſive aliorum qui fratres noſtri ſunt & Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti.

24 Proinde documentum charitatis veſtræ, & noſtræ de vobis gloriationis erga eos oſtendit, & in eonſpectu Eccleſiarum.

18. *Miſimus autem cum illo fratrem.*] Quod tres mittuntur, argumento eſt, magnam expectationem conceptam eſſe de Corinthiis. quo magis intentos eſſe decebat ad officium, ne Eccleſiarum ſpem fallerent. Quis porro ſit hic ſecundus, incertum eſt: niſi quod alii Lucam, alii Barnabam fuiſſe divinant. Chryſoſtomus Barnabam mavult: cui ego aſſentior, propterea quod eum Paulo adjunctum fuiſſe comitem, Eccleſiarum ſuffragiis, conſtat. Quoniam tamen communi fere omnium conſenſu receptum eſt, Lucam fuiſſe unum ex iis qui Epiſtolam hanc pertulerint, non diſplicet ipſum tertio loco deſignari. Porro ſecundum, quiſquis tandem ſit, ornat egregio teſtimonio: quod in Euangelio cum laude verſatus ſit, hoc eſt, promovendo Euangelio laudem promeritus. tametſi enim loquendi partes Paulo Barnabas deferebat: unum tamen opus agebant ambo. Addit præterea, non ab uno homine, non ab una etiam Eccleſia tantum laudem reportaſſe: ſed ab omnibus Eccleſiis. Generali teſtimonio ſubjungit ſpeciale, quod præſenti negotio congruit: delectum ſcilicet ad hanc provinciam fuiſſe conſenſu Eccleſiarum. erat autem probabile hunc illi honorem non aliter fuiſſe habitum, niſi quia cognitus pridem fuerat idoneus. Notanda autem eſt ſpecies, electionis, χειροτονία ſcil. Græcis uſitata: in qua præibant auctoritate & conſilio primores, totamque actionem gubernabant, plebs autem ſciſcebat.

19. *Quæ adminiſtratur à nobis.*] Commendatione miniſterii ſui Corinthios magis animat. dicit ſe gloriæ Dei ſervire, & eorum benignitati. unde ſequitur, res eſſe conjunctas, Dei gloriam & ipſorum munificentiam: neque hanc poſſe ceſſare quin tantundem illa minuatur. Accedit talium virorum opera, quam repudiari aut otioſam relinqui, perquam abſurdum erat.

20. *Declinantes hoc, nequis.*] Negois minus honorifice ſenſiſſe de Paulo Eccleſias putaret, acſi diffiſæ ejus probitati adjunxiſſent ſocios, ut ſuſpectis hominibus dari ſolent cuſtodes: pronunciat ſe fuiſſe auctorem hujus conſilii, ut calumniis occurreret. Quæret hic quiſpiam, Ecquis tam impudens extitiſſet, qui auſus fuiſſet vel leviſſima ſuſpicione tantum virum ſugillare, cujus fides extra omnem controverſiam ubique eſſe debebat? Reſpondeo, Ecquis à Satanæ morſibus erat immunis, quum ne Chriſto quidem pepercerit? an Chriſtus impiorum probris exponitur: & ſervi ejus erunt in tuto? Imo ut quiſque integerrimus eſt, ita machinis omnibus eum adoritur Satan, ſi qua labefactare ejus fidem queat: nam inde multo gravius offendiculum emergeret. Quamobrem quo altiore gradu ſumus collocati, eo diligentius imitanda eſt nobis Pauli tum circumſpectio, tum modeſtia. non ita elatus erat quin ſe vellet cogi in ordinem, quemadmodum unus quivis ex grege. non ita ſibi placebat, ut indignum ſua perſona exiſtimaret, vitare calumnias. Ideo prudenter declinabat pericula, & magnam cautionem adhibebat, nequis improbus anſam arriperet. Et certe nihil magis patet ſiniſtris obloquutionibus, quam attrectatio publicæ pecuniæ.

21. *Procurantes honeſta.*] Puto non defuiſſe etiam inter Corinthios qui ſtatim proſiliiſſent ad maledicendum, ſi relicta illis fuiſſet occaſio. quare rem illis notam eſſe voluit ad obſtruenda ubique omnium ora. Teſtatur ergo ſe non tantum bonæ coram Deo conſcientiæ habere curam, ſed etiam bonæ exiſtimationis apud homines. neque tamen dubium eſt quin ſuo exemplo tam Corinthios quam omnes docere velit, in recte factis non eſſe negligendam hominum opinionem. Primum quidem eſt, dare operam ut vir bonus ſis: quod præſtatur non externis modo operibus, ſed recta conſcientia: deinde, ut talem homines quibuſcum verſaris, te agnoſcant. Sed finis hic ſpectandus: nihil ſane ambitione deterius, quæ optima quæque vitiat, honeſtiſſima inquam deformat: ac ſuaviſſimi odoris ſacrificia fœtere facit coram Domino. quare hic lubricus eſt locus, nequis ſimulans ſe bonæ exiſtimationis cum Paulo ſtudioſum eſſe, longe procul abſit à ſtudio Pauli: hic enim coram hominibus honeſta procuravit, nequis offenderetur ſuo exemplo, ſed omnes potius ædificarentur. Ideo videndum, ſi velimus illi eſſe ſimiles, ne noſtra cauſa bonam famam appetamus. Qui negligit famam, inquit Auguſtinus, crudelis eſt: quia non minus neceſſaria nobis eſt coram proximo, quam bona conſcientia coram Deo. Id verum eſt, modo in Dei gloriam, fratrum ſaluti conſultum velis: paratus interea probra & ignominiam pro laude reportare, ſi ita Domino viſum fuerit. Semper tamen curæ ſit homini Chriſtiano, vitam componere in proximorum ædificationem, & ſedulo cavere, ne quem obloquendi prætextum habeant Satanæ miniſtri, in Dei contumeliam & bonorum offenſionem.

22. *Ob multam fiduciam.*] Senſus eſt, Non timeo ne irritus ſit iſtorum adventus ad vos, & ſine fructu. certam enim fiduciam præſumpſi, feliciter ceſſuram eorum legationem: ita mihi perſpecta eſt eorum fides ac diligentia. Fratrem cujus nomen ſubticet, magis alacrem fuiſſe dicit, partim quod eum præclare videret ſentire de Corinthiis, partim quod à Tito animatus eſſet, partim quia videret multos præſtantes viros conjunctis ſtudiis in idem negotium incumbere. Unum igitur reſtabat, ut Corinthii ipſi partibus ſuis non deeſſent. Quod *Apoſtolos Eccleſiarum* vocat, poſſet dupliciter intelligi: vel deſtinatos eſſe à Deo Apoſtolos ad Eccleſias: vel ordinatos ab Eccleſiis ad obeundum hoc munus. hoc ſecundum melius congruit. Vocantur & *Chriſti gloria*: quoniam ſicuti ſolus fidelium gloria eſt, ita debet viciſſim ab ipſis glorificari. Ergo quicunque pietate & ſanctimonia excellunt, ſunt Chriſti gloria: quia nihil habent, niſi dono Chriſti. In concluſione duo ponit: Facite ut charitatem veſtram perſpiciant fratres noſtri. ſecundo, Cavete ne fruſtra de vobis gloriatus fuerim: nam εἰς πρόσωπον mihi tantundem valet ac Coram ipſis: refertur enim particula hæc non ad pauperes, ſed ad nuncios quorum facta eſt mentio. Nam continuo poſt ſubjicit, non illos ſolos fore teſtes, ſed eorum relatu ad Eccleſias uſque procul venturam eſſe famam.

CAP. IX.

NAm de ſubminiſtratione quæ fit in ſanctos, ſupervacuum mihi eſt ſcribere vobis.

2. Novi enim promptitudinem animi veſtri, de qua pro vobis glorìatus ſum apud Macedones: quod Achaia parata ſit ab anno ſuperiori: & æmulatio veſtri excitavit complures.

3. Miſi autem fratres, ut ne gloriatio noſtra de vobis inanis fiat in hac parte: ut quemadmodum dixi, parati ſitis.

4. Ne ſi forte mecum venerint Macedones, & vos deprehenderint imparatos, nos pudore ſuffundamur (ne dicam vos) in hac fiducia gloriationis.

5. Neceſſarium ergo exiſtimavi exhortari fratres, ut ante venirent ad vos, & præpararent ante promiſſam benedictionem veſtram, quo in promptu ſit, atque ita ut benedictio, non tenacitas.

Prima facie male vel non ſatis commode cohæret hæc ſententia cum ſuperioribus. nam videtur de re nova loqui quam nondum attigerit: quum perſequatur idem argumentum. Obſervent tamen lectores, Paulum nihil aliud hic agere, quam quod prius egerat: non diffidentia ſcilicet hortari ſe Corinthios, nec ſuam admonitionem cum aliqua præteriti temporis reprehenſione conjunctam eſſe: verum ſe habere rationes quibus moveatur. quod ergo nunc dicit, hunc habet ſenſum, Non doceo vos ſubveniendum eſſe ſanctis: quid enim opus eſt? nam id vobis ſatis eſt cognitum, & reipſa declaraſtis nolle vos illis deeſſe: ſed quia jactando ubique veſtram liberalitatem, fidem meam ſimul & veſtram obſtrinxi: hæc cauſa non patitur me quieſcere. Tam anxia ſollicitatio nonnihil alioqui odioſa eſſe poterat Corinthiis, quia putaſſent vel ſibi exprobrari ſuam pigritiam, vel ſe Paulo ſuſpectos eſſe: at vero commoda excuſatione efficit ut abſque odio liberum ſit non hortari eos tantum, ſed ſubinde urgere. Verum poſſit alicui ſuſpicio hæc venire in mentem, Paulum hic ſimulare aliud quam ſentiat. quod nimis abſurdum foret: ſi enim ſatis propenſos ad officium judicat, cur tantopere inſiſtit illis admonendis? ſin autem dubitat de eorum voluntate, cur ſupervacuam fore admonitionem aſſerit? Charitas utrumque fert, bonam ſpem, & ſollicitudinem: nunquam tale Corinthiis teſtimonium reddidiſſet, niſi ita perſuaſus fuiſſet ut loquitur. Viderat læta initia: progreſſus non diſſimiles fore ſperabat: ſed quia non ignota illi erat humani ingenii inconſtantia, non potuit eſſe nimius cavendo, ne à ſancto propoſito deflecterent.

1. *Subminiſtratione* &c.] Videtur hoc non apte in eos competere, qui de ſuo erogant pauperibus: quia digna eſt ſplendidiore elogio liberalitas. Sed reſpexit Paulus quid ſuis membris debeant fideles. Mutuo enim ſibi miniſtrare debent Chriſti membra. ita quum fratribus ſubvenimus, nihil aliud quam præſtamus debitum illis miniſterium: ſanctos vero negligere, quum ope noſtra indigent, pluſquam inhumanum eſt: quia ſuo eos jure fraudamus.

2. *De qua gloriatus ſum* &c.] Rectam quam habebat de ipſis opinionem inde probat, quod propemodum ſponſorem ſe interpoſuerit in aſſerenda promptitudine eorum. Sed quid ſi temere aſſeruit pluſquam res ferebat? hoc enim videtur. Jactabat enim anno uno paratos eſſe, in quibus parandis adhuc nunc laborat. Reſpondeo, non accipienda eſſe verba, perinde acſi teſtatus eſſet Paulus, jam repoſitum eſſe in arca quod daturi erant: ſed tantum narrabat quidnam eſſet inter eos conſtitutum: quod levitatis vel erroris culpa caret. de hac pollicitatione loquebatur Paulus.

3. *Miſi autem fratres.*] Nunc rationem adducit cur de eorum voluntate bene ſentiens, illis tamen adhortandis ſedulo incumbat. Conſulo, inquit, meo & veſtro pudori: nam quum veſtro nomine promiſerim; commune eſſet dedecus, niſi res ipſa verbis reſpondeat. ergo vos boni conſulere debetis meum timorem.

4. *In hac fiducia.*] Quum Græce ſit ὑποστάσει, vetus Interpres Subſtantiam tranſtulerat: Eraſmus Argumentum. ſed neutrum convenit. Admonet autem Budæus, hoc vocabulum aliquando pro audacia vel confidentia ſumi. quemadmodum apud Polybium, quum dicit, οὐχ οὕτω τὴν δύναμιν ὡς τὴν ὑπόστασιν καὶ τόλμαν αὐτοῦ καταπεπληγμένων τῶν ἐναντίων. unde ὑποστατικὸς interdum audacem & præfidentem ſignificat. Jam nemo non videt quam apta ſit hæc ſignificatio contextui Paulino: unde apparet, alios interpretes inadvertentia fuiſſe lapſos.

5. *Ut benedictio, non tenacitas.*] Loco Benedictionis alii Collectionem reddunt. ego tamen verbum verbo reddere malui: quemadmodum Græci εὐλογίας nomine uſu ſunt, ut Hebraicam vocem exprimerent ברכה: quæ tam benedictionem, hoc eſt, fauſtam precationem, quam beneficentiam ſignificat. Rationem hanc eſſe judico, quod Deo primum tribuitur. porro ſcimus ut nobis Deus efficaciter benedicat ſolo ſuo nutu. Inde quum transfertur ad homines, eundem ſenſum retinet: improprie ſcilicet, quia non eundem habent effectum benedicendo: ſed tamen non inepte per tranſlationem. Benedictioni Paulus opponit πλεονεξίαν: quo verbo Græci tam aviditatem nimiam quam fraudationem & tenacitatem ſignificant. Mihi in antitheſi vox Tenacitatis magis placuit. vult enim Paulus non maligne eos, ſed liberali animo erogare: quod ex ſequentibus clarius etiamnum patebit.

6. Hoc *eſt* autem, Qui ſementem facit parce, is parce meſſurus eſt: & qui ſementem facit in benedictionibus, in benedictionibus etiam metet.

7. Unuſquiſque ſecundum propoſitum cordis, non ex moleſtia aut neceſſitate. nam hilarem datorem diligit Deus.

8. Potens eſt autem Deus efficere ut tota gratia in vos exuberet: ut in omnibus omnem ſufficientiam habentes, exuberetis in omne opus bonum.

Pſa. 112. verſ. 9. 9. Quemadmodum ſcriptum eſt, Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum.

6. *Hoc autem eſt.*] Nunc pulchra ſimilitudine eleemoſynas commendat, comparans eas ſementi. nam in facienda ſemente, ſemen è manu projicitur, diſpergitur in terram hac & illac, occatur, & demum

putreſcit: ita videtur tantundem periiſſe. Similis eſt eleemoſynarum ratio: quod abs te alio migrat, videtur imminutio ejus eſſe quod habes: ſed veniet tempus meſſis quo fructus colligetur. Dominus enim ut ſibi fert impenſum quicquid pauperibus erogatur, ita rependit poſtea cum largo fœnore. Nunc ad Pauli ſimilitudinem. Qui parcus eſt ſerendo, is meſſem habebit tenuem, & ſimilem ſationi: qui benigne ſerit & larga manu, ſimiliter copioſam meſſem colliget. Penitus infixa ſit animis noſtris hæc doctrina, ut quoties metu perdendi à benefaciendo nos revocat ſenſus carnis, mox opponamus hunc clypeum, Atqui Dominus pronunciat nos ſementem facere. Cæterum meſſis tam de ſpirituali mercede vitæ æternæ, quam terrenis benedictionibus, quibus Deus proſequitur homines beneficos, exponi debet. Neque enim tantum in cælo remuneratur Deus fidelium beneficentiam, ſed etiam in hoc mundo. Ergo perinde hoc valet acſi diceret, Quo magis in proximos eritis benefici, eo ſentietis Dei benedictionem in vos magis effuſam. Benedictionem iterum hic parcitati facit contrariam: ſicuti prius tenacitati. unde apparet accipi pro larga & benigna munificentia.

7. *Unuſquiſque ſecundum propoſitum cordis.*] Quia largiter dandum eſſe præceperat, hoc quoque addendum fuit, munificentiam non tam æſtimari à Deo ex ſumma, quam ex animo. Optabat quidem multum exorare, quo prolixius juvarentur fratres: ſed nihil extorquere volebat ab invitis. dare ergo libenter jubet quicquid daturi erant. Opponit Propoſitum cordis *triſtitiæ* & *neceſſitati*. Nam quod facimus coacti neceſſitate, minime facimus ex cordis propoſito, ſed cum mœrore. Porro neceſſitatem intellige quam vocant extrinſecam, hoc eſt, quæ aliunde eſt. Deo enim obedimus, quia neceſſe eſt: idque tamen ex animo. Itaque ipſi tunc nobis neceſſitatem ſponte imponimus: & quia reluctatur caro, vim etiam ſæpe facimus nobis, ut præſtemus neceſſarium officium. Verum ubi aliunde cogimur, habentes interea in votis effugere, ſi qua liceret: nihil facimus alacriter, nihil hilariter, ſed omnia cum mœrore vel anguſtia animi. *Nam hilarem datorem* &c. Revocat nos ad Deum, ſicuti initio dixi. nam eleemoſyna ſacrificium eſt. atqui nullum Deo ſacrificium placet, niſi voluntarium. Nam quum docet, hilarem datorem à Deo diligi: ex adverſo malignos & coactos reſpui ſignificat. Neque enim inſtar tyranni vult nobis imperare: ſed ſicuti patrem nobis ſe exhibet, ita liberalem filiorum obedientiam à nobis requirit.

8. *Potens eſt autem Deus.*] Iterum pravæ cogitationi occurrit, quam nobis perpetuo ſuggerit noſtra infidelitas, Quid? annon tibi conſules potius? non cogitas, hoc dempto, minus tibi reliquum fore? Ad eam repellendam nos armat Paulus eximia promiſſione, quod in bonum noſtrum redundet quicquid largimur. Dixi jam nos plus æquo tenaces eſſe natura, quod ſumus ad diffidentiam proclives, quæ unumquemque ſollicitat ad ſuum mordicus retinendum. Ad hoc vitium corrigendum arripienda nobis eſt hæc promiſſio, Qui pauperibus benefaciunt, nihilo minus ſibi conſulere, acſi ſua prædia irrigarent. Eleemoſynis enim tanquam canalibus Dei benedictionem qua locupletentur, in ſe derivant. Hoc eſt quod vult Paulus, Nihil vobis detrahet hæc beneficentia: ſed faciet Deus ut multo majore exuberantia ad vos redeat. Loquitur enim de potentia Dei: non quemadmodum Poëtæ, ſed pro more Scripturæ, quæ illi tribuit potentiam in actu, cujus effectum præſentem ſentiamus ipſi, non quam otioſam imaginemur. *Ut in omnibus ſufficientiam.* Duplicem fructum ponit illius gratiæ quam promiſerat Corinthiis: ut habeant ipſi quantum ſit ſatis, & ad benefaciendum abundent. Sufficientiæ nomine ſignificat modum quem Dominus utilem nobis eſſe cognoſcit: neque enim ſemper nobis expedit, uſque ad ſatietatem impleri. Dominus ergo pro utilitatis noſtræ modo nobis ſubminiſtrat, nunc plus, nunc minus: ſed ita ut ſimus contenti. quod multo plus eſt quam ſi quis totum mundum ingurgitet. In hac ſufficientia oportet nos abundare ad benefaciendum aliis: neque enim ideo nobis benefacit Deus, ut ſibi habeat quiſque quod accepit: ſed ut ſit mutua inter nos communicatio, prout tulerit neceſſitas.

9. *Quemadmodum ſcriptum eſt, Diſperſit.*] Adducit teſtimonium ex Pſal. 112. v. 9. ubi inter alias virtutes pii hominis, hanc commemorat Propheta, quod benefaciendo non deficiet: ſed quemadmodum ex perenni fonte ſemper defluit aqua, ita fluxus liberalitatis ejus perpetuus erit. Huc ſpectat Paulus ne defatigemur benefaciendo: atque hoc etiam ſonant Prophetæ verba.

10. Porro qui ſuppeditat ſemen ſeminanti, is & panem in cibum ſuppeditet, & multiplicet ſementem veſtram, & augeat proventus juſtitiæ veſtræ:

11. Ut in omnibus locupletemini in omnem ſimplicitatem, quæ per vos producit gratiarum actionem Deo.

12. Nam miniſterium hujus functionis, non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis: verum etiam exuberat in hoc, quod per multos agantur gratiæ Deo:

13. Quod per probationem miniſterii hujus glorificant Deum ſuper obedientia conſenſus veſtri in Euangelium Chriſti: & de ſimplicitate communicationis in ipſos, & in omnes:

14. Et precatione eorum pro vobis: qui deſiderant vos propter eminentem Dei gratiam in vobis.

15. Gratia autem Deo ſuper inenarrabili ſuo munere.

10. *Qui ſuppeditat.*] Pulchra Dei periphraſis, & eximiæ conſolationis plena. Nam qui ſementem fecit in tempore, videtur metendo, fructum laboris induſtriæque ſuæ colligere: & ſatio videtur eſſe ſcaturigo, ex qua victus nobis fluat. Huic cogitationi reclamat Paulus, aſſerens tam ſemen porrigi, quam victum ſubminiſtrari Dei gratia, etiam agricolis qui ſeminant, & qui putantur ſe & alios opera ſua alere. Similis eſt ſententia Deut. 8. v. 16. Nutrivit te Deus Manna, cibo Patribus tuis incognito: ne forte quum veneris in terram quam daturus eſt tibi, dicas, Manus mea & fortitudo mea paravit mihi hanc opulentiam: quia Dominus eſt qui dat virtutem ad copias parandas, &c. *Suppeditet.* Hic duæ ſunt diverſæ lectiones, etiam apud Græcos. Quædam enim exemplaria futurum tempus habent in his tribus verbis, *ſuppeditare, multiplicare, augere.* Hoc modo confirmatio eſſet proximæ ſententiæ: neque enim rarum eſt Paulo, eandem promiſſionem aliis verbis repetere, quo melius animis inſideat. In aliis exemplaribus leguntur hæc verba in modo infinitivo: modum autem infinitivum optativi loco interdum capi, notum eſt. Atque hanc lectionem potius ſequor: tum quod magis eſt recepta, tum quod Paulo ſolenne eſt, ſuas exhortationes precationibus claudere, quibus id ipſum, à Deo

à Deo flagitet quod ante in doctrina complexus fuerat. quanquam prior nnn male quadraret. *Panem in cibum.* Duplicem divinæ erga nos benedictionis fructum ponit: ut habeamus quod nobis ſatis ſit ad vitam tolerandam: deinde ut ſit quod in aliorum neceſſitates erogemus. Nam ut nobis ſolis non ſumus nati: ita homo Chriſtianus neque ſibi debet vivere, neque poſſidere in privatum uſum quod habet. *Sementem & proventus juſtitiæ* ad eleemoſynas refert. Proventus etiam juſtitiæ oblique reditibus opponit, quos major pars in cellas, horrea, vel penuaria recondit, ut ſinguli quicquid colligere, imo corradere poſſunt, ad ſe locupletandos ingurgitent. Priore materiam benefaciendi, altero opus ipſum vel officium charitatis denotat: nam Juſtitia hic per ſynecdochen pro beneficentia capitur: acſi diceret, Non tantum vobis ſuppeditet Deus quod ad proprium cujuſque uſum ſufficiat, ſed etiam ut fons liberalitatis veſtræ perpetuo fluens, nunquam exhauriatur. Quod ſi pars juſtitiæ eſt, ſubvenire proximorum inopiæ, ut certe eſt non poſtrema: iniquos eſſe oportet qui hanc officii partem negligunt.

11. *Locupletemini in omnem ſimplicitatem.*] Simplicitatis nomine iterum utitur ad exprimendam veræ benignitatis naturam: nempe quum rejecta in Deum ſollicitudine, alacriter noſtra in quoſcunque uſus præcipit, exponimus. Has eſſe veras fidelium opes admonet, quum in Dei providentia reponentes victus ſui ſufficientiam, diffidentia non cohibentur à benefaciendo. Nec abs re opulentiæ titulo inſignit ſatietatem ſimplicis animi, ſuaque mediocritate contenti: quis incredulis, quos inquietat habendi cura, nihil eſt magis jejunum vel famelicum. *Quæ per vos producit.* Ab alio effectu illis commendat eleemoſynas quas erogaturi erant: quod ſcilicet ceſſuræ erant in gloriam Dei. Et poſtea id clarius exprimit cum amplificatione, hoc modo, Præter ordinarium fructum charitatis parient etiam gratiarum actionem: amplificat autem, quia per multos agentur gratiæ Deo, neque tantum de ipſa liberalitate qua fuerint adjuti, ſed de tota pietate Corinthiorum. *Miniſterium* vocat, quod ipſe ſuſceperat Eccleſiarum rogatu. Ubi vero nos vertimus *functionem*, Græce eſt λειτουργία. quæ dictio nunc ſacrificium ſignificat, nunc quodvis munus publice injunctum: quorum utrumque præſenti loco bene conveniet. Nam & eleemoſynas vocari ſacrificia, non eſt novum. & quemadmodum diſtributis inter cives functionibus, nemo gravatur obire munus ſibi impoſitum: ita in Eccleſia communicatio ex neceſſariis officiis cenſeri debet. Corinthii igitur & reliqui, fratres Jeroſolymitanos ſublevando, ſacrificium Deo offerebant, vel functionem obibant legitimam & à ſe debitam. Paulus ſacrificii miniſter erat. poteſt tamen etiam ad Corinthios referri diaconia vel miniſterium: ſed parum refert.

13. *Per probationem miniſterii* &c.] Probatio hic (ſicuti compluribus aliis locis) documentum vel experimentum ſignificat. Erat enim ſpecimen idoneum probandæ Corinthiorum charitati, quod erga fratres procul remotos tam liberales erant. Sed Paulus longius extendit: hoc eſt, ad conſentientem obedientiam in Euangelio. Talibus enim teſtimoniis vere probamus, nos Euangelii doctrinæ obedire. Conſenſus autem inde apparet, quod communi omnium conſilio conferuntur eleemoſynæ.

14. *Et precatione eorum.*] Nullam utilitatem omittit quæ aliquid valeat ad movendos Corinthios. Primo recenſuit ſolatium quod ſenſuri erant fideles: ſecundo, gratiarum actionem, qua glorificandus erat Deus: imo hanc fore confeſſionem, quæ teſtatum omnibus faceret in fide & pia obedientia unanimem eorum conſenſum: nunc adjungit mercedem quam recepturi erant Corinthii à ſanctis, nempe benevolentiam ex gratitudine manantem, & interceſſiones. Habebunt, inquit, quod mutuo rependant: quia & debito amore vos proſequentur, & in precibus ſuis vos habebunt apud Deum commendatos. Tandem quaſi voti compos, ad laudem Deo canendam evehitur: quo ſuam fiduciam quaſi re jam confecta teſtari voluit.

Cap. X.

PORRO ipſe ego Paulus exhortor vos per lenitatem & manſuetudinem Chriſti, qui ſecundum faciem humilis quidem ſum inter vos, abſens autem audax ſum in vos.

2. Rogo autem, ne præſens audeam ea fiducia, qua cogito audax eſſe in quoſdam, qui nos æſtimant acſi ſecundum carnem ambularemus.

3. Nam in carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus.

4. Siquidem arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, quibus conſilia deſtruimus.

5. Et omnem celſitudinem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei: & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto:

6. Et in promptu habemus vindictam adverſus omnem inobedientiam, quum impleta fuerit veſtra obedientia.

Abſoluta exhortatione tranſit nunc partim ad refellendas calumnias, quibus traductus erat à pſeudapoſtolis: partim ad reprimendam quorundam improborum petulantiam, qui ſe in ordinem cogi ægre patiebantur. Utrique ut Paulo auctoritatem adimerent, vehementiam qua in epiſtolis detonabat, θρασύτητας interpretabantur, quod coram non perinde vultu & ſermone ad oſtentationem compoſitus, ſed humilis foret atque abjectus. Ecce, dicebant, hic qui ſuæ tenuitatis conſcientia adeo modeſtus eſt coram ac timidus: nunc quum procul abeſt, ferociter inſurgit: cur minus audet voce, quam literis? an eminus nos terrebit qui præſens eſt deſpectui? unde autem iſta confidentia, ut ſibi omnia licere in nos putet? Ejuſmodi voces ſpargebant, ut eluderent ſeveritatem, atque etiam odioſam redderent. Reſpondet Paulus, ſe non eſſe audacem, niſi quatenus neceſſitate cogitur: humilitatem vero corporalis præſentiæ, ob quam habebatur contemptui, nihil de ſua auctoritate minuere, quod ſpirituali virtute excelleret, non pompa carnali. Itaque non impune evaſuros qui ſuas vel exhortationes, vel objurgationes, vel minas deriſerint. In his verbis, *ipſe ego*, emphatica expreſſio eſt: acſi diceret, quamvis malevoli homines eum inæqualitatis inſimulent, ſe tamen non eſſe varium, ſed eundem ſemper manere.

1. *Exhortor vos.*] Eſt abrupta oratio, quales ſæpe ſunt patheticæ orationes. Senſus eſt, Rogo vos, atque adeo per lenitatem Chriſti obteſtor, ne veſtra contumacia duriorem me eſſe cogatis, quam velim, & quam futurus ſum in eos qui me ideo contemnunt, quod nihil in ſpeciem habeam præclarum: neque

ſpiritualem, qua me Dominus ornavit, excellentiam agnoſcunt, à qua potius æſtimandus eram. Obſecratio qua utitur, ex re præſenti ſumpta eſt, quum ſcilicet dicit, *Per lenitatem & manſuetudinem Chriſti.* Vitio illi vertebant calumniatores, quod præſentia corporalis parum dignitatis haberet: rurſum quod procul per epiſtolas fulminaret. Utramque calumniam apte repellit, ſicuti dictum eſt: ſed hic teſtatur nihil ſibi magis eſſe cordi quam manſuetudinem, Chriſti miniſtro dignam: cujus eaemplum
Mat. 11. præbuit ipſe magiſter. Diſcite à me, inquit, quo-
v. 29. 30. niam mitis ſum, & humilis: jugum meum ſuave, &
Jeſa. 42. onus meum leve. Item Propheta de ipſo loquens,
v. 2, 3. Non audietur clamor ejus in plateis: calamum quaſſatum non confringet, &c. Qua igitur manſuetudine fuit Chriſtus, eam à ſervis quoque ſuis requirit. ejus mentionem quum facit Paulus, ab ea ſe minime eſſe alienum ſignificat: acſi diceret, Obteſtor vos ne eam manſuetudinem, quam nobis in ſua perſona eahibuit Chriſtus, & quotidie per ſervos ſuos eahibet, imo quam in me conſpicitis, aſpernemini. *Qui ſecundum faciem.* Quaſi per mimeſim ex adverſariorum perſona hoc refert. Ita vero quod exprobrabant, verbis tenus fatetur, ut nihil tamen illis in re ipſa concedat: quemadmodum videbimus.

2. *Rogo, ne præſens audeam.*] Quidam orationem defectivam eſſe putant: neque id eaprimi quid roget. ego vero potius hic abſolvi eaiſtimo quod priori membro deerat: ut ſit generalis exhortatio, Præbete vos mihi dociles & morigeros, ne durior eſſe cogar. Hoc boni Paſtoris officium, placide & humaniter oves potius allicere, ut ſe gubernari patiantur, quam violenter. Auſteritas quidem, fateor, interdum neceſſaria eſt: ſed incipiendum ſemper à manſuetudine, & io ea perſeverandum donec ſe tractabilem præbet auditor. Eatremum remedium eſt in ſeveritate. Tentandæ, inquam, ſunt omnes viæ, antequam ad rigorem proſiliamus: imo nunquam rigidi ſimus niſi coacti. Interea quod puſillanimem ipſum judicabant ac timidum, ubi cominus pugnandum erat: in eo errare illos ſignificat, quum denunciat ſe in faciem fortiter reſtiturum contumacibus. Contemnunt me, inquit, tanquam hominem puſillo animo: ſed ſortiorem ſentient ac magis animoſum quam velint, ubi ſerio conſerendæ erunt manus. Inde patet quando tempus ſit aſperius agendi: poſtquam ſcilicet eaperti ſumus, blanditias & lenitatem nihil proficere. Invitus faciam, inquit Paulus: ſed tamen facere decrevi. optima moderatio: nam ut ducendi ſunt potius homines, quam trahendi, quoad in nobis eſt: ita quum apud duros & præfractos inutilis eſt lenitas, tunc neceſſario exerendus eſt rigor: alioqui non modeſtia erit, neque æquabilitas, ſed diſſoluta ignavia. *Qui nos æſtimant.* Eraſmus vertit, Qui nos putant veluti ſecundum carnem ambulare. Vetus interpres propius (meo judicio) ad genuinum Pauli ſenſum, Qui nos arbitrantur, tanquam ſecundum carnem ambulemus. quanquam neque phraſis eſt ſatis Latina: neque penitus eaprimit totam mentem Apoſtoli. Nam hic λογίζεσθαι, pro Cenſere vel æſtimare capitur. De nobis ſentiunt, inquit Paulus, vel nos eo loco habent, quaſi ambularemus ſecundum carnem. *Ambulare ſecundum carnem* Chryſoſtomus exponit, infideliter ſe gerere, vel male verſari in officio ſuo: & certe paſſim hoc ſenſu accipitur apud Paulum. verum Carnem hic potius interpretor pro externa pompa vel oſtentatione, qua ſola venditare ſe pſeudoapoſtoli ſolent. Paulus ergo de iniquitate eorum conqueritur, qui nihil in ſe conſiderabant præter carnem, hoc eſt, viſibilem apparentiam (ut loquuntur) aut vulgari hominum more, qui ſtudia ſua omnia ad ambitionem componunt. Quum enim illis dotibus minime eacelleret Paulus quæ vulgo apud filios hujus ſeculi laudem aut pretium conciliant, deſpiciebatur tanquam gregarius aliquis: ſed à quibus? nempe ab ambitioſis: qui eum æſtimabant à ſolo aſpectu, non autem reputabant quid intus lateret.

3. *Nam in carne ambulantes.*] Hic Ambulare in carne, ſignificat in mundo verſari: quod alibi dicit, Habitare in corpore. Erat enim incluſus in corporis ſui ergaſtulo: ſed hoc non impediebat quo minus Spiritus ſancti virtus mirifice ſe eaereret in ejus infirmitate. Eſt iterum ſpecies conceſſionis, quæ tamen adverſarios nihil juvat. *Secundum carnem militant* qui nihil aggrediuntur niſi mundanis præſidiis freti, quibus etiam ſolis ſuperbiunt: fiduciam in Spiritus ſancti auſpiciis ac ductu repoſitam non habent. Ex hoc genere ſe eſſe negat Paulus, quia aliis armis quam carnis & mundi ſit inſtructus. Porro quod de ſe affirmat, competit etiam in omoes veros Chriſti miniſtros. Theſaurum enim incomparabilem gerunt in vaſis teſtaceis, quemadmodum prius diai. Ergo utcunque carnis infirmitatibus ſint circumdati, ſpiritualis nihilominus Dei potentia in ipſis magnifice relucet.

4. *Arma enim militiæ noſtræ.*] Talis militia eſt qualis armorum ſpecies. Spiritualibus armis munitum ſe eſſe gloriatur: ergo ſpiritualis eſt militia. Inde ſequitur à contrariis, non eſſe ſecundum carnem. Quod Euangelii miniſterium militiæ comparat, aptiſſima eſt ſimilitudo. militia quidem perpetua eſt vita hominis Chriſtiani: nam quicunque ſe Deo in obſequium addicit, nullas unquam inducias habebit à Satana, ſed aſſidua inquietudine vexabitur. Verum miniſtros verbi ac Paſtores reliquis anteſignanos eſſe decet. Et certe nulli ſuot quibus magis inſtet Satan, qui acrius impetantur, qui plures aut graviores ſuſtineant inſultus. Fallitur itaque qui ad hanc functionem obeundam ſe accingit, oiſi pariter ad certandum, animo & virtute ſit comparatus: quia non exercetur niſi militando. Sic enim habendum eſt, Euangelium veluti ignem eſſe, quo accenditur Satanæ furor. quare fieri aliter nequit quin ad præliandum armetur, quoties illud promoveri cernit. Quibus autem armis repellendus eſt? non niſi ſpiritualibus poteſt repelli. Quicunque igitur eaarmatus eſt virtute Spiritus ſancti, utcunque miniſtrum Chriſti ſe jactet, non tamen probabit ſe talem eſſe. quanquam ſi plenam definitionem armorum ſpiritualium habere velis, doctrina cum zelo, & bona conſcientia cum efficacia Spiritus aliiſque neceſſariis gratiis conjungenda eſt. Eat nunc Papa, & Apoſtolicæ dignitatis titulum ſibi uſurpet. quid autem magis ridiculum, ſi ex hac Pauli regula judicium fiat? *Potentia Deo.* Vel, Secundum Deum: vel, Ea Deo. Ego tacitam antitheſin ſubeſſe arbitror: ut hæc fortitudo opponatur imbecillitati, quæ coram mundo in ſpeciem apparet: atque ita poſthabitis hominum judiciis, virtutis ſuæ approbationem à Deo peteret. quanquam antitheſis etiam ſtabit io altero ſenſu, quod potentia armorum ejus, Deo nitatur, non mundo. *Ad deſtructionem munitionum.* Munitiones vocat conſilia & celſitudinem adverſus Deum elatam, de quibus poſtea loquetur: ſed proprie & ſignificanter ita appellat. vult enim gloriari, oihil eſſe tam munitum io mundo, cui diruendo non ſit par futurus: acſi diceret, Scio equidem quam ſuperbiant ſuis ampullis homines carnales, & quam faſtuoſe ac ſecure me contemnant: quaſi nihil in me ſit niſi humile & ſordidum: ipſi autem in alto faſtigio ſint collocati. Sed ſtulta eſt eorum confidentia: prævalebunt enim arma Domini, quibus pugno, adverſus omnia propugnacula, quibus confiſi, inexpugnabiles ſe eſſe credunt. Porro quum dupliciter ſe munire ſoleat mundus ad bellum Chriſto inferendum, aſtu, malis artibus, vafritie, & aliis machinationibus occultis: deinde ferocia & brachio: utramque ſpeciem perſtringit. Per *conſilia* enim intelligit quicquid ad carnalem ſapientiam pertinet. *Celſitudo* ſigni-

ſignificat quamlibet mundi gloriam & potentiam. Non eſt igitur cur axhorreſcat ſervus Chriſti quicquid formidabile ſeſe oppoſuerit ſuæ doctrinæ. pergat nihilominus, & omnia cujuſcunque generis machinamenta diſſipabit. Imo aliter erigi nequit oeque conſtitui Chriſti regnum, niſi diruendo quicquid in mundo eſt axcelſum. Nam ſpirituali Dei ſapientiæ nihil eſt magis inimicum quam carnis prudentia: Dei gratiæ nihil magis adverſum quam naturalis hominis facultas: atque ita de cæteris. Unicum igitur regni Chriſti fundamentum eſt, hominum humiliatio. Atque huc pertinent propheticæ illæ loquutiones, Erubeſcet Luna & pudeſiet Sol quum regnare cœperit Dominus in die illa. Item, Incurvabitur celſitudo hominis, & ſublimitas mortalium humiliabitur, & exaltabitur ſolus Dominus in die illa, Jeſaiæ 24. v. 23. & 2. v. 17. quia ut Deus ſolus emineat, totius mundi gloriam evanaſcere neceſſe eſt.

5. *Et captivam ducimus.*] Superius proprie de conflictu ſpiritualium armorum, cum impedimeotis quæ adverſus Chriſti Euangelium infeſta inſurgunt, loquutum fuiſſe exiſtimo. nunc vero de ordinaria præparatione, qua homines ad obedientiam adducendi ſunt. Quamdiu enim acquieſcimus in proprio ſenſu, & nobis ſapimus, procul abſumus ab omni acceſſu doctrinæ Chriſti. Quare hinc faciendum exordium, ut qui ſapiens eſt, ſtultus fiat: hoc eſt, propria intelligentia nos abdicemus, renunciemus carnis prudentiæ: atque ita vacuas meotes offeramus Chriſto, ut eas impleat. Notanda autem loquutio, quod dixit, Captivam ſe ducere omnem cogitationem: perinde enim valet acſi dixiſſet, Continendam eſſe & frenandam libertatem humani iogenii, ne quid extra Chriſti doctrinam ſapiat: deinde non aliter coërceri poſſe ejus audaciam, niſi veluti captivum teneatur. Hoc autem fit ductu Spiritus, ut ſe in ordinem redigi ſuſtineat, & maneat in captivitate voluntaria.

6. *In promptu habemus vindictam.*] Hoc addidit, ne ſe audacia efferrent homines petulantes adverſus ejus miniſterium, quaſi impune id facturi eſſent: dicit ergo, oon modo ſibi datam virtutem ad cogendos in obſequium Chriſti voluntarios diſcipulos, ſed atiam ad ulciſcendos rebelles: neque ſuas minas inania eſſe terriculamenta, ſed habere paratam eaequutionem, quemadmodum vulgo dicitur. Porro vindicta hæc fundata eſt in Chriſti verbo, Quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælo. *Mat. 18. verſ. 18.* Tametſi enim non ſtatim fulminat Deus, quum miniſter ſententiam protulit: ratum tamen eſt judicium, & ſuo tempore implebitur. Intellige ſemper, ubi miniſter ſpiritualibus armis pugnat. Aliqui de corporalibus pœnis accipiunt, quibus Apoſtoli in contumaces aut impios vindicabant. quemadmodum Petrus Ananiam & Sapphiram morte, Paulus Elymam magum cæcitate percuſſit. *Actor. 5. verſ. 8. Actor 17. verſ. 8.* Verum alter ſenſus melius congruit: neque enim ſemper aut promiſcue uſi ſunt illa facultate Apoſtoli. Paulus autem generaliter loquitur: quod vindictam in manu habeat adverſus omnes inobedientes. *Quum impleta fuerit.* Quam prudenter cavet ne quos alienet nimia aſperitate. quia enim minatus fuerat pœnam rebellibus, ne videatur eos laceſſere, teſtatur aliud ſibi munus iojunctum eſſe erga eos: nempe ut tantummodo reddat Chriſto obſequentes. Et certe hic proprius eſt Euangelii finis, quemadmodum initio & in fine Epiſtolæ ad Romanos docet. *Rom. 1: 5. & 16. 26.* Quare hunc ordinem diligenter tenere debent omnes Chriſtiani doctores, ut prius ſtudeaot placide obedientiam ab auditoribus impetrare, eouſque ut comiter invitent, quam proſiliant ad pœnam rebellionis: unde & ſolvendi mandatum prius dedit Chriſtus, quam ligandi.

7. Quæ ſecundum faciem ſunt, videtis. ſi quis ſibi confidit quia ſit Chriſti: hoc reputet ex ſeipſo rurſum, quod ſicuti ipſe Chriſti, ita & nos Chriſti.

8. Nam etſi abundantius glorier de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non pudeſiam.

9. Ne autem videar terrere vos per epiſtolas:

10 (Siquidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt ac robuſtæ: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptus)

11. Hoe cogitet qui talis eſt, quod quales ſumus abſentes, ſermone per epiſtolas, tales ſumus etiam præſentes, opere.

7. *Quæ ſecundum faciem ſunt.*] Primum particula Secundum faciem, dupliciter poteſt accipi: vel pro ipſa experientia viſibili & manifeſta, vel pro externa larva quæ fallit: & ſententia tam interrogative quam affirmativa legi poteſt. quin etiam verbum βλέπετε tam imperativi modi eſſe poteſt quam indicativi. Ego tamen potius objurgatiooem eſſe puto, ac Corinthios reprehendi quod inani fuco patiebantur ſibi oculos perſtringi. quaſi diceret, Magni facitis alios qui magnis ampullis turgent: me, quia oſtentatione & jactantia careo, deſpicitis. nam & judicium quod fit ſecundum perſonam, Chriſtus recto judicio opponit. *Joan. 7. verſ. 24. & 8: 15.* Perſtringit igitur Corinthios, quod fuco vel ſpecie contenti, non excuterent penitus quinam habendi eſſent pro Chriſti ſervis. *Si quis ſibi confidit.* Vox plena magnæ fiduciæ: id enim ſumit quaſi pro confeſſo, tam certum ſe eſſe miniſtrum Chriſti, ut hic titulus adimi ſibi nequeat. Quicunque, inquit, vult haberi Chriſti minoiſter, neceſſe aſt ut me ſibi annumeret. quare? *Ex ſeipſo*, inquit, *reputet:* nam quæ in ſe habebit digna ejuſmodi honore, eadem in me reperiet. hinc ſubindicabat, non eſſe habendos pro Chriſti ſervis quicunque ſibi detraherent. Non eſt omnium ita confidenter loqui: nam fieri quidem poterit, imo quotidie accidit, ut ſupercilioſe idem ſibi uſurpent homines nihili, & qui nihil aliud ſunt quam Chriſti dedecora. Sed Paulus non aliud de ſe prædicabat, quam quod liquidis firmiſque documentis palam apud Corinthios probaverat. Nunc ſi quis rerum teſtimonio deſtitutus ſe veoditet ſimilem in modum, quid aliud quam ſe ridiculum faciet? Confidere ſibi, tantundem valet ac ſibi hoc prætextu jus & auctoritatem ſumere, quia Chriſto ſerviat qui vult in pretio haberi.

8. *Nam etſi abundantius glorier de poteſtate.*] Modeſtiæ fuit quod ſe adjunxit eorum numero, quos longe antecellebat: neque tamen ita modeſtus eſſe voluit, quin ſuam auctoritatem ſalvam retineret: ideo addit, minus dixiſſe, quam jure ſuo potuerit. neque enim erat ex vulgari ordine miniſtrorum, ſed eximius etiam ioter Apoſtolos. Dicit ergo, Etiamſi amplius glorier, *non pudeſiam:* erit enim juſta materia. Eſt occupatio: quia neque tacet de ſua gloria, & tamen longiori ejus mentione ſuperſedet: ut intelligant Corinthii, eum nonniſi iovitum gloriari: ut certe eum ſua improbitate cogebant pſeudoapoſtoli, alioqui non facturum. Poteſtatem vocat auctoritatem ſui Apoſtolatus, quam habebat inter Corinthios: quamvis enim commune ſit omnibus verbi miniſtris idemque officium, ſunt tamen honoris gradus: Deus autem Paulum in altiore faſtigio, quam alios, collocaverat, quum ejus opera uſus fuerat ad fundandam illam Eccleſiam, & ejus Apoſtolatum ornaverat multis modis. Porro, ne invidiam

ipſi

Digitized by Google

ipſi conflarent malevoli ex nomine Poteſtatis, addit in quem finem ſibi data ſit: nempe in ſalutem Corinthiorum. unde ſequitur, non debere illis moleſtam eſſe nec gravem: quis enim æquo animo non ferat, imo quis non amet quod ſibi utile eſſe cognoſcit? Interea ſubeſt antitheſis ejus poteſtatis, qua ſe efferebant pſeudoapoſtoli: quæ talis erat ut nullum inde fructum perciperent, nullam ædificationem ſentirent Corinthii. Cæterum non dubium eſt quin poteſtate etiam prædiri ſint omnes verbi miniſtri: qualis enim doctrinæ prædicatio abſque poteſtate? ideo omnibus dictum eſt, Qui vos audit, me audit: qui
Luc. 10. verſ. 16. vos reſpuit, me reſpuit. Sed quoniam multi falſo ſibi uſurpant quod non habent, diligenter notandum eſt quouſque ſuam poteſtatem extendat Paulus: nempe ut ſit in ædificationem fidelibus. qui ergo deſtruendo Eccleſiam, poteſtatem exercent, tyrannos ſe & latrones probant, non Paſtores. Secundo notandum quod ſibi datam à Deo eſſe aſſerit. qui igitur aliquid vult poſſe, Deum ſuæ poteſtatis auctorem habeat oportet. Jactabunt etiam hoc alii: quemadmodum Papa inflatis buccis ſe Chriſti vicarium eſſe detonat. Sed quam fidem facit? neque enim mutis perſonis ejuſmodi poteſtatem contulit Chriſtus: ſed Apoſtolis & aliis ſuis miniſtris, ne Euangelii ſui doctrina exarmata foret. Quare tota miniſtrorum poteſtas in verbo eſt incluſa, ut ſemper nihilominus maneat Chriſtus ſolus Dominus & Magiſter. Meminerimus ergo in legitima poteſtate hæc duo requiri: ut à Deo data ſit, ut in ſalutem Eccleſiæ exerceatur. quibus poteſtatem contulerit Deus, & qualiter eam quam dedit, limitaverit, notum eſt. Rite eam exercent qui mandato ejus fideliter obediunt. hic tamen
Jerem. 1. verſ. 10. poteſt objici quæſtio, Verba Dei ſunt ad Jeremiam, Ecce conſtituo te ſupra gentes & regna, ut plantes ac evellas, ædifices ac deſtruas. Et nuper habuimus, eadem conditione ordinatos Apoſtolos, ut demoliantur quicquid effertur adverſus Chriſtum: quin etiam aliter ædificare nequeunt Euangelii doctores, niſi veterem hominem deſtruendo: præterea in condemnationem & exitium impiis Euangelium annunciant. Reſpondeo, quod hic dicit Paulus, ad impios nihil pertinere. Corinthios enim alloquitur, quibus ſalutarem eſſe volebat ſuum Apoſtolatum: eorum, inquam, reſpectu nihil niſi in ædificationem poterat. Etiam diximus hoc nominatim fuiſſe expreſſum, ut ſcirent Corinthii, nonniſi à Satana ſalutis ſuæ hoſte impugnari ſancti viri auctoritatem: cujus finis erat ipſorum ædificatio. Quanquam alioqui generaliter verum eſt, doctrinam Euangelii ſuapte natura ad ædificandum valere, non ad deſtruendum. nam quod deſtruit, aliunde eſt: ex culpa hominum ſcilicet, dum in lapidem impingunt, qui illis ordinatus erat in fundamentum. Quod interitu veteris hominis inſtauramur in imaginem Dei, id nihil repugnat Pauli verbis: tunc enim deſtructio in bonam partem capitur: hic vero in malam, pro ruina ejus quod Dei eſt, vel pro animæ exitio: acſi diceret, non eſſe noxiam illis poteſtatem, cujus utilitas in ſalutem conſpicua eſt.

9. *Ne videar terrere.*] Iterum calumniam attingit quam prius refutaverat: nempe quod ſcriptis audax, coram eſſet abjectus. hoc prætextu elevabant ejus ſcripta. Quid, dicebant, proculne epiſtolis nos terrebit, qui ſi coram adeſſet, vix auderet hiſcere? Ne ergo minus ponderis haberent ſuæ epiſtolæ, reſpondet, nihil ſibi objici quod fidem ſibi ac doctrinæ ſuæ abrogare aut derogare debeat: neque enim minoris faciendus eſt effectus quam ſermo. Coram operibus non minus pollebat, quam abſens ſermone: ergo iniquum fuit, corporalem ejus præſentiam contemptibilem judicari. *Opus* hic appellat (meo judicio) tam efficaciam prædicationis & ſucceſſum, quam dignas Apoſtolo virtutes, & totam vitæ ſuæ rationem. *Sermo* vero non ipſam doctrinæ ſubſtantiam ſignificat, ſed figuram duntaxat & quaſi corticem: nam pro doctrina vehementius pugnaſſet. At inde oriebatur contemptus, quod eum deficiebat eloquentiæ ornatus & ſplendor, qui gratiam conciliat.

12. Non enim audemus nos quibuſdam inſerere aut comparare, qui ſeipſos commendant: verum ipſi in ſeipſis ſe metientes, & ſeipſos comparantes, ſibi non ſapiunt.

13. Nos autem non ſine modo gloriabimur, ſed pro menſura regulæ quam nobis diſtribuit Deus: menſura tanquam perveniendi etiam uſque ad vos.

14. Non enim quaſi ad vos non pervenerimus, ſupra modum extendimus noſipſos. ſiquidem uſque ad vos pertigimus in Euangelio Chriſti.

15. Non gloriantes ſine modo in alienis laboribus, ſpem autem habentes, creſcente fide veſtra in vobis, nos magnificatum iri ſecundum noſtram regulam in exuberantiam,

16. Ut etiam ultra vos euangelizem, non in aliena regula, ut de iis quæ parata ſunt glorier.

17. Cæterum qui gloriatur, in Domino glorietur.

18. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Dominus commendat.

12. *Non enim audemus.*] Ironice hoc dicit: neque enim ſe illis poſtea audacter æquiparat tantum: ſed deriſa eorum vanitate, longe à tergo eos relinquit. hac autem ironia pungit, non modo illos Thraſones, ſed etiam Corinthios, qui illorum ſtultitiam fovebant perverſa ſua approbatione. Ego, inquit, contentus ſum mea mediocritate: neque enim miſcere me auderem veſtris apoſtolis qui præcones ſunt ſuæ excellentiæ. Interea quum gloriam eorum in verbis & jactantia ſitam eſſe admonet, oſtendit quam ſint futiles ac putidi: ſibi vero rem pro verbis, hoc eſt, veram & ſolidam gloriæ materiam vendicat. verum in quo alios reprehendit, videtur ipſe quoque peccare: nam ſeipſum mox commendat. Reſpondeo, finem eſſe conſiderandum: neque enim ſuiipſorum commendationi ſtudent qui omni ambitione vacui, utiliter duntaxat ſervire Domino cupiunt. Quod tamen ad hunc locum ſpectat, non eſt opus alia ſolutione quam quæ ex ipſis verbis ſumi poteſt: nam illi ſeipſos dicuntur commendare qui veræ laudis inopes ac jejuni, ſe thraſonice efferendo, mentiuntur ſe eſſe quod non ſunt. quod etiam patet ex ſequentibus. *Verum ipſi in ſeipſis.* Hic eorum ineptias digito oſtendit. Luſcus inter cæcos acute videt: ſurdaſter clare audit inter plane ſurdos. Tales erant iſti, qui ideo ſibi placebant, & ſe venditabant inter alios, quod præſtantiores non reſpicerent: nam ſi contuliſſent ſe cum Paulo vel aliquo ſimili, ſtolidam illam perſuaſionem mox deponere coacti fuiſſent, atque ex jactantia verſi fuiſſent in pudorem. Hujus loci expoſitio non aliunde petenda eſt quam à monachis: nam quum ſint omnes fere indoctiſſimi aſini, & tamen oblongæ veſtis & cuculli cauſa docti cenſeantur: ſi quis tenuem modo guſtum elegantioris literaturæ habeat, plumas ſuas inſtar pavonis fatuoſe extendit: ſpargitur de eo mirabilis fama, adoratur

inter

Digitized by Google

inter ſodales. At ſi ſepoſita cuculli larva ventum fuerit ad juſtum examen, deprehenditur vanitas: cur hoc? verum quidem eſt vetus proverbium, Audax inſcitia: ſed inde præcipue monachalis inſolentiſſimus ille faſtus, quod ſe metiuntur ex ſeipſis: nam quum in eorum clauſtris nihil ſit præter barbariem, illic nihil mirum ſi regnet luſcus inter cæcos. Tales erant iſti Pauli æmuli: ſibi enim intus plaudebant, non conſiderantes quibus virtutibus conſtaret vera laus, quantumque à Pauli & ſimilium excellentia diſtarent. hæc ſiquidem una cogitatio rubore illos merito ſuffudiſſet: verum hæc juſta eſt ambitioſorum pœna, ridiculos fieri ſua ineptitudine, (quo nihil magis ſugiunt) ac pro gloria quam præpoſtere affectant, dedecus reportare.

13. *Nos autem non ſine modo.*] Nunc ſuam moderationem pſeudoapoſtolorum opponit ſtultitiæ: & ſimul oſtendit quis ſit verus modus gloriandi: nempe quum nos continemus intra fines à Domino ſignatos. Hoc mihi dedit Dominus, hac menſura contentus ero, nihil amplius vel appetam, vel mihi ſumam. id vocat *menſuram ſuæ regulæ.* Hæc enim cujuſque eſt regula, ad quam exigere ſe debet, donum & vocatio Dei. quanquam ne in vocatione quidem ac dono Dei nobis gloriari fas eſt noſtra cauſa: ſed tantum quatenus in ejus gloriam expedit, qui ideo erga nos tam eſt liberalis, ut ſibi accepta omnia ferantur. *Menſura perveniendi.* Hac particula ſignificat ſe verborum elogiis minime indigere apud Corinthios, qui pars eſſent ſuæ gloriæ (quemadmodum alibi dicit, *Phil.4: 1.* Vos eſtis corona mea) ſed pergit in forma loquendi jam cœpta. Habeo, inquit, ampliſſimum campum gloriandi, ut fines meos non tranſiliam: hujus campi vos eſtis una portio. Perſtringit autem modeſte eorum ingratitudinem, quod ſuum Apoſtolatum propemodum negligebant, qui Dei commendatione debebat in primis eſſe honorabilis apud ipſos. Et ſubaudienda eſt in ſingulis membris antitheſis pſeudoapoſtolorum, quibus minime ſuppetebat eadem approbatio.

14. *Non enim extendimus.*] Alludit ad eos qui vel brachia vi protendunt, vel ſurrigunt ſe in pedes, quum arripere volunt quod non eſt ad manum: talis enim eſt jejuna gloriæ cupiditas: imo ſæpe putidior. non enim tantum brachia porrigunt & attollunt pedes ambitioſi, ſed præcipites etiam feruntur ad captandum gloriandi prætextum: tales quidem æmulos ſuos fuiſſe ſubindicat. poſtea declarat qualiter ad Corinthios pervenerit: nempe quia ſuo miniſterio fundaverat eorum Eccleſiam. Ideo dicit, *in Euangelio Chriſti:* non enim vacuus ad eos venerat, ſed primus illis attulerat Euangelium. Præpoſitio In, ſecus à quibuſdam accipitur: vertunt enim, Per Euangelium. qui ſenſus non male quadrat: videtur tamen ſuum ad Corinthios adventum ornare Paulus, qui tam pretioſo dono inſtructus fuerit.

15. *In alienis laboribus.*] Jam liberius pungit pſeudoapoſtolos, qui quum in alienam meſſem manus intuliſſent, audebant tamen iis obtrectare, qui ſuo ſudore ac induſtria locum illis paraverant. Paulus Corinthiorum Eccleſiam ædificaverat, non abſque maximo certamine ac innumeris difficultatibus: ſuccedunt iſti, viam ſtratam januamque apertam inveniunt: ut videantur aliqui, ſibi impudenter arrogant quod nullo jure illis competebat: & Pauli labores elevant. *Spem autem habentes.* Iterum oblique reprehendit Corinthios; quia ſibi obſtaculo erant quominus progreſſus majores faceret in promovendo Euangelio. Nam quum ſe ſperare dicit, *creſcente eorum fide*, ampliatum iri gloriæ ſuæ fines: imbecillitatem fidei, qua laborant, in cauſa eſſe ſignificat cur aliquantulum fuerit curſus ſuus retardatus. acſi diceret, Nunc me decebat occupari in acquirendis novis Eccleſiis, idque vobis adjuvantibus, ſi profeciſſetis quantum oportuit: nunc mihi moram affertis veſtra infirmitate. Spero tamen Dominum daturum ut ſequatur major in poſterum in vobis profectus: atque ita augeatur miniſterii mei gloria, ſecundum regulam divinæ vocationis. *Gloriari in paratis*, idem eſt quod gloriari in alienis laboribus: nam quum Paulus militaſſet, illi triumphum agebant.

17. *Cæterum qui gloriatur.*] Sententia hæc vice correctionis eſt poſita. poterat ſiquidem ejus gloriatio ſimilis reputari inani jactantiæ: ideo ad Dei judicium ſe & alios revocat, dicena eos demum rite gloriari qui Deo probati ſint. Cæterum *gloriari in Domino* aliter hic capitur, quam in primo capite Epiſtolæ ſuperioris, & apud Jeremiam: *1 Cor. 1. vers. 31. Jerem. 1. vers. 24.* nam illic ſignificat Deum ita agnoſcere bonorum omnium auctorem, ut ejus gratiæ adſcribatur quicquid eſt bonorum: neque ſe attollant homines, ſed illum unum glorificent: hic autem eſt, in unius Dei arbitrio reponere noſtram gloriam, alia omnia pro nihilo ducere. nam quum pendeant alii ab hominum opinione, & falſa vulgi trutina ſe ponderent, alios decipiat propria arrogantia: Paulus nos hujus unius gloriæ ſtudioſos eſſe jubet, ut placeamus Domino, cujus judicio ſtamus & cadimus omnes. Dicunt etiam Ethnici veram gloriam ſitam eſſe in recta conſcientia. eſt id quidem aliquid, ſed non totum: nam quum cæcutiant fere omnes nimio ſui amore, non poterimus tuto in ea quam de nobis ipſi fecerimus, æſtimatione acquieſcere. tenendum enim memoria quod alibi dicit ſe nullius rei ſibi eſſe conſcium, *1 Cor. 4. vers. 4.* neque tamen propterea in hoc juſtificari. Quid ergo? ſciamus hoc juris uni Deo eſſe deferendum, ut de nobis pronunciet: non enim ſumus idonei judices in propria caoſa. Hunc ſenſum confirmat quod proxime ſequitur, *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt.* Nam homines falſa perſuaſione decipi facile eſt, & quotidie accidit. ergo aliis omnibus neglectis, huc tantum aſpiremus, ut Deo ſimus probati, & ſola ejus approbatione ſimus contenti: ſicuti merito pluris eſſe nobis debet quam omnes omnium applauſus. Dicebat ille, ſibi inſtar mille eſſe unius Platonis calculum. non hic de hominum calculis agitur, quis quem præponderet: ſed de ipſius Dei ſententia, cujus eſt evertere quicquid homines judicaverint.

CAP. XI.

UTinam toleraſſetis me pauliſper in inſipientia mea: imo etiam ſufferte me.
2. Nam zelotypus ſum erga vos Dei zelo: adjunxi enim vos uni viro, ad exhibendam virginem caſtam Chriſto.
3. Sed metuo nequa fiat, ut quemadmodum ſerpens Evam decepit verſutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.
* vel, ſi quis venimus. 4. Nam * ſi is qui venit, alium Jeſum prædicat quem non prædicavimus: aut ſi alium Spiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut Euangelium aliud, quod non accepiſtis, recte ſuſtinuiſſetis.
5. Arbitror enim me nihilo inferiorem fuiſſe eximiis Apoſtolis.
6. Cæterum licet imperitus ſim ſermone, non tamen ſcientia: verum ubique manifeſti fuimus in omnibus erga vos.

1. *Utinam*

1. *Utinam toleraſſetis.*] Quoniam videbat occupatas adhuc eſſe ex parte Corinthiorum aures, alio artificio utitur: nam ad votum ſe convertit: quemadmodum faciunt qui aperte non audent rogare. Verum ſtatim quaſi collecta fiducia, rogat nihilominus ut ſuam inſipientiam ſufferant Corinthii. *Inſipientiam* vocat magnificum laudum ſuarum præconium, quod ſequetur: non quia ineptiret gloriando: nam & neceſſitate cogebatur, & ſibi ita temperabat, ne merito poſſet judicari immodicus. ſed quia putida res eſt ſuas laudes prædicare, & ab homine modeſto aliena, per conceſſionem loquitur. Ubi reddidi *ſufferte*, in modo imperativo, Chryſoſtomus affirmative exponit. Et certe Græca vox eſt anceps, & ſenſus uterque ſatis congruit. Verum quoniam rationes quas ſubjicit, huc tendunt, ne moleſtum ſit Corinthiis eum ſufferre: & iterum poſtea cum illis expoſtulabit, quod ſibi nihil concedant: ſequutus ſum veterem Interpretem, dicendo, Utinam. diffidere viſus fuerat: nunc quaſi dubitationem corrigens, aperte & libere præcipit.

2. *Nam zelotypus ſum.*] En cur deſipiat: nam hominem zelotypia quaſi transverſum rapit. acſi diceret, Nolite à me requirere æquabilitatem hominis quieti, nulloque affectu incitati: vehementia enim zelotypiæ qua erga vos ardeo, non ſinit me quietum eſſe. Verum quoniam duplex eſt zelotypia: una quæ ab amore noſtri proficiſcitur, quæ vitioſa eſt ac perverſa: altera autem quam pro Deo ſuſcipimus, ſpeciem zeli ſui exprimit: multi enim zelotypi ſunt, ſed ſibi non Deo: ille autem demum pius ac rectus eſt zelus, qui Deum reſpicit, ne legitimo ſuo honore fraudetur. *Adjunxi enim vos uni viro.* Probat à fine ſuæ prædicationis talem ſibi eſſe zelotypiam. huc enim tendebat ut Chriſto eos addiceret in conjugium, & in ejus conjunctione retineret. Cæterum hic nobis depingit imaginem probi miniſtri in ſua perſona: ſiquidem unus eſt ſponſus Eccleſiæ Filius Dei: miniſtri omnes amici ſponſi ſunt: quemadmodum Baptiſta de ſe teſtatur. curare igitur debent omnes ut fides ſacri conjugii ſalva & illibata maneat. Id facere nequeunt, niſi ſponſi affectum induant: ut non ſecus ac maritus de uxoris ſuæ caſtitate, unuſquiſque eorum de Eccleſiæ puritate ſit ſollicitus. Faceſſat hic frigus & ignavia: nam qui frigidus eſt, nunquam erit ad hoc officium idoneus. ſed caveant interea ne ſuum ipſi negotium agant potius quam Chriſti: ne ſe ejus loco obtrudant: ne dum ejus paranymphos ſe eſſe ſimulant, ſponſam in amorem ſui pelliciendo, revera ſint adulteri. *Ad virginem caſtam.* Non alia conditione Chriſto nubimus, niſi virginitatem afferamus in dotem, & eam conſervemus integram ab omni corruptela. Itaque hoc officium eſt miniſtrorum Euangelii, purificare animas noſtras, ut ſint pudicæ Chriſti ſponſæ: alias nihil efficiunt. Poſſumus autem intelligere quod ſinguli ſe exhibeant caſtas virgines, vel miniſter exhibeat totum populum, & offerat in conſpectum Chriſti. Hoc ſecundum magis placet: ideo aliter verti quam Eraſmus.

3. *Sed metuo ne qua.*] Incipit exponere qualis illa ſit virginitas cujus meminit: nempe ut uni Chriſto ſincere adhæreamus toto animo. Poſtulat quidem ubique Deus à nobis ut ſecum ſimus corpore & ſpiritu conjuncti: & Deum ſe eſſe zelotem denunciat, qui injuriam ſuam ſeveriſſime ulciſcatur, ſi quis ab eo ſe ſubducat. Verum conjunctio hæc in Chriſto impletur: ſicuti Paulus docet ad Epheſios cap. 5. Modum porro in præſentia declarat, quum in pura Euangelii ſimplicitate manemus. nam ſicuti in contrahendis matrimoniis humanitus conficiuntur tabulæ: ita ſpirituale inter nos & Filium Dei conjugium Euangelio tanquam tabulis, ſancitum eſt. Fidem, amorem, obedientiam quam illic ſtipulatur à nobis, ſervemus: ipſe mutuo nobis fidelis erit. Dicit autem Paulus ſe eſſe anxium ne corrumpantur mentes Corinthiorum à ſimplicitate quæ in Chriſto eſt. Græce quidem dicit Paulus εἰς Χριστὸν, pro quo Eraſmus vertit, Erga Chriſtum: ſed propius ad Pauli mentem (meo judicio) acceſſit vetus Interpres: quia ſimplicitas in Chriſto vocatur quæ nos in genuina & ſincera Euangelii doctrina continet, nec adventitias corruptelas admittit. quo ſignificat adulterari mentes, ſimulatque vel minimum à pura Chriſti doctrina huc vel illuc deflectunt: & merito. Quis enim matronam ſimulatque lenoni aures accommodat, non damnet impudicitiæ? ita & nos quum impios & falſos doctores admittimus, qui Satanæ ſunt lenones, evidenti ſigno prodimus nos minime colere fidem conjugalem erga Chriſtum. Ac notandum verbum *ſimplicitatis*. non enim verebatur Paulus ne mox aperte deficerent Corinthii in totum à Chriſto: ſed ne paulatim à ſimplicitate quam didicerant, ad profana & aliena figmenta deflectendo, tandem degenerarent. Adducit ſimilitudinem: *Quemadmodum ſerpens Evam decepit verſutia ſua.* nam ſi colorem habent ſapientiæ falſi doctores ad perſuadendum, ſi eloquentia valent, ſi probabiliter ſe inſinuant animos auditorum; & venenum ſuum blando artificio inſtillant: non diſſimili ratione Evam quoque Satan decepit, quia non palam ſe adverſarium profeſſus eſt, ſed clanculum ſtudioſo prætextu obrepſit.

4. *Nam ſi is qui venit.*] Nunc facilitatem nimiam Corinthiorum perſtringit in recipiendis pſeudoapoſtolis. Nam quum erga ipſum Paulum nimium moroſi eſſent ac irritabiles, ut leviſſima quavis occaſione offenderentur, ſi vel modice illos reprehenderet: pſeudoapoſtolis nihil non permittebant, eorum ſupercilium, faſtum, importunitatem libenter patiebantur. ejuſmodi præpoſteram reverentiam damnat, quod delectu interim & judicio carerent: acſi diceret, Qui fit ut iſti tantum ſibi licentiæ in vos uſurpent, vos autem æquo animo feratis eorum dominium? Si alium Chriſtum vobis attuliſſent, aut aliud Euangelium, aut alium Spiritum quam per manum meam receperitis: probarem ſane veſtram erga illos obſervantiam: nam eſſent digni tanto honore: ſed quum nihil vobis contulerint quod ego non prius vobis dediſſem: quæ iſta eſt gratitudo, tantum non adorare eos quibus nihil debetis: me vero contemnere, per quem largitus vobis eſt Deus tot ac tam præclara beneficia? Talis hodie quoque eſt reverentia Papiſtarum erga ſuos pſeudoepiſcopos. nam quum duriſſima premantur eorum tyrannide, non difficulter eam ſuſtinent: Chriſtum vero ipſum ſuſque deque habere non dubitant. *Alius Chriſtus*, & *aliud Euangelium* aliter hic capitur atque ad Galatas capite 1. v. 8. nam Alius illic vero & germano opponitur: ideoque mendax & fictitium ſignificat. hic autem vult dicere, Si illorum miniſterio, non meo, Euangelium ad vos perveniſſet.

5. *Arbitror enim me.*] Nunc tollendo quod unum valere ad eorum excuſationem poterat, ingratitudinis eos convincit: æqualem enim ſe etiam ſummis Apoſtolis fuiſſe admonet. Ingrati igitur Corinthii, qui quum talem experti eſſent, non pluris faciebant: auctoritatem vero illi jure debitam transferebant ad homines nullius pretii. Modeſtiæ tamen cauſa dicit ſe ita exiſtimare: quum res eſſet omnibus cognita & manifeſta: intelligit autem quod ſuum Apoſtolatum ornaſſet Deus non minoribus gratiis quam Joannis aut Petri. Porro qui Dei dona à ſe agnita contemnit, cauſam dicere non poteſt quin malignus & ingratus judicetur: ergo ubicunque conſpicies Dei dona, illic Deum ipſum reverearis oportet. Intelligo unumquemque eatenus honore dignum, prout Dei gratiis excellit: præſertim vero ſi quis inde fructus ad te redundaverit.

6. *Cæterum licet imperitus.*] Unum erat in quo cenſeri prima ſpecie poterat inferior: quia facundia

deſti-

deſtitueretur. ergo hoc judicium præoccupando corrigit, dum ſe rudem quidem ſermone & impolitum eſſe fatetur, ſcientiam tamen ſibi vendicat. *Sermonem* hic vocat dictionis ſplendorem: ac per *ſcientiam* intelligit ipſam doctrinæ ſubſtantiam. Quemadmodum enim in homine eſt anima & corpus: ita etiam in doctrina eſt res ipſa quæ traditur, & verborum ornatus quo veſtitur. Paulus itaque, quid docendum ſit, & quid neceſſarium ſit cognitu, ſe tenere aſſerit: utcunque non ſit facundus rhetor, qui doctrinam ſuam noverit polito & exquiſito dicendi genere illuſtrare. Sed quæritur annon Apoſtolis neceſſaria ſit etiam dicendi facultas: alioqui quomodo erunt ad docendum appoſiti? aliis forte ſufficeret cognitio: doctor autem quomodo mutus? Reſpondeo, Paulum non ita ſe fateri ſermone imperitom, quaſi prorſus eſſet infans: ſed quia non polleret tam ſplendida eloquentia quam alii, quibus concedit haoc palmam, ſibi retinens quod erat præcipuum, rem ipſam ſcilicet, illis relinquens ſine gravitate loquacitatem. Quod ſi quis roget cur Dominus qui linguas hominum formavit, non inſtruxerit etiam Apoſtolum facundia, ne quid illi deeſſet: reſpondeo, illi fuiſſe abunde datum quod eloquentiæ defectum suppleret. Videmus enim ac ſentimus quanta majeſtas in ejus ſcriptis extet, quanta altitudo emineat, quantum poodus ſubſit, quanta vis ſe proferat: fulmina denique ſunt, non verba. annon dilucidius Spiritus ſancti efficacia apparet in nuda verborum ruſticitate (ut ita loquar) quam in elegantiæ & nitoris larva? Sed de hac re fuſius tractatum eſt in ſuperiore Epiſtola. In ſumma, verbotenus fatetur quod objiciunt adverſarii: reipſa negat quod intendunt. nos quoque ejus exemplo rem diſcamus verbis præferre: atque ut barbarum, ſed vulgare proverbium uſurpem, Teneant alii qoid nominis, nos autem quid rei. Si accedit eloquentia, ſit tanquam auctarium: deinde non conferatur ad fucandam vel adulterandam doctrinam, ſed genuina ſimplicitate explicandam. *Verum ubique.* Quia magnificum quiddam erat ſe æquare præcipuis Apoſtolis: ne hoc arrogantiæ tribuatur, judices facit Corinthios, modo ex ipſa experientia judicent: nam ſatis multis documentis compertum habebant, non fruſtra ipſum neque abs re gloriari. Se ergo verbis ſuperſedere iotelligit, quia res & experientia clare proferant quicquid dicturus eſſet.

7. Num illud peccavi, quod meipſum humiliaverim ut vos exaltaremini: quod gratuito Euangelium Dei prædicaverim vobis?

8. Cæteras Eccleſias deprædatus ſum accepto ab illis ſtipendio, quo vobis inſervirem.

9. Et quum apud vos eſſem & egerem, non oneroſus fui cuiquam. nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres qui venerant ex Macedonia: & in omnibus ſic me ſervavi, ne cui eſſem oneroſus, atque ita ſervabo.

10. Eſt veritas Chriſti in me, quod hæc gloriatio non interrumpetur contra me in regionibus Achaiæ.

11. Quapropter? an quod non diligam vos? Deus novit..

12. Verum quod facio, idem & faciam: ut amputem occaſionem iis qui cupiunt occaſionem, ut in quo gloriantur, reperiantur quemadmodum & nos.

7. *Num illud peccavi.*] Humilitas illi objiciebatur probri loco: quum virtus eſſet non vulgari laude digna. Humilitas vero abjectionem voluntariam ſignificat. nam quod ſe modeſte geſſerat, acſi nihil haberet in ſe eximium: ut multi eum judicarent unum aliquem eſſe ex vulgo: id fecerat in bonum Corinthiorum. Tantum enim ſtudium tantaque cura eorum ſalutis, hominem urebat, ut ſui reſpectum poſtponeret: itaque dicit ſe magnitudine ſua ultro ceſſiſſe, ut magni fierent ejus parvitate. Finis enim erat ut eorum ſalutem promoveret. nunc oblique eos inſimulat ingratitudinis, quod ſibi vitio vertant tam pium affectum: non id quidem exprobrandi animo, ſed quo melius ipſos revocet ad ſanam mentem. Et certe acrius pungebat ironice loquendo, quam ſimpliciter & abſque figura. Dicere poterat, Quid hoc eſt? egone à vobis contemnor, quod in boum veſtrum me ſubmiſi? Verum hæc interrogatio qua utitur, plus valebat ad eos pudefaciendos. *Quod gratuito.* Iſta eſt pars humiliatioois. nam jure ſuo abſtinuerat: quaſi deterior eſſet ſua quam aliorum conditio. tanta autem erat iniquitas quorundam, ut eum minoris ideo facerent, acſi fuiſſet ſtipendio indignus. Cur autem gratuitam Coriothiis operam impenderit, continuo additur: neque enim ubique ſic agebat, ſed quemadmodum vidimus in priore Epiſtola, periculum erat ne anſam porrigeret pſeudoapoſtolis maledicendi.

8. *Deprædatus ſum*] Odioſo verbo de ioduſtria uſum fuiſſe puto, quo melius rei indignitatem exprimeret, quod à Coriothiis contemneretur. Ego, inquit, ex aliorum ſpoliis mihi ſtipendium confeci, quo vobis inſervirem. quum ita vobis pepercerim, quam indignum eſt tam malam gratiam mihi referri? Eſt autem metaphora ſumpta à conſuetudine militari. nam quemadmodum victores ex gentibus domitis prædam rapiunt: ita quicquid ſumebat Paulus ab Eccleſiis quas acquiſierat Chriſto, erat quaſi victoriarum præda. quanquam ab invitis nunquam ſumpſiſſet: verum quod gratis erogabant, erat quaſi jure ſpiritualis belli debitum. Nota autem quod *ſe eguiſſe* dicit: neque enim niſi inopia coactus, unquam illis fuiſſet oneri. nihilominus interea manibus laborabat, quemadmodum prius habuimus: ſed quum manuum labor non ſufficeret ad vitam tolerandam, à Macedonibus collatum fuit ſupplementum. Ideo non dicit victum ſibi fuiſſe ſuppeditatum à Macedonibus: ſed duntaxat ſuffectum quod deerat. De ſancta Apoſtoli prudeotia & diligentia in cavendis periculis alibi diximus: hic pius Macedonum zelus obſervandus eſt: qui non dubitabant de ſuo ſtipendium erogare, ut aliis & quidem ditioribus Euangelium annunciaretur. O quam paucos hodie Macedones, quam multos vero Corinthios paſſim reperire erit!

10. *Eſt veritas Chriſti in me.*] Ne quis ſuſpicaretur huc ſpectare Pauli verba, ut in poſterum liberaliores in ipſum eſſent Corinthii, ac ſtuderent compenſare ſuperioris temporis erratum: jurejurando affirmat, nihil ſe ab illis ſumpturum, neque ab aliis Achaicis, etiamſi offeratur. Nam loquutio iſta, Eſt veritas Chriſti in me, formula eſt juramenti, quæ perinde valet acſi dixiſſet, Ne cenſeatur io me eſſe veritas Chriſti, niſi mihi hæc gloria permaneat inter Achaicos. Corinthus autem erat in Achaia.

11. *An quod non diligam vos?*] Quos amamus, iis utimur magis familiariter: ne ergo accipiant in malam partem Corinthii, quod ipſorum liberalitatem reſpuere, à Macedonibus ſuſtineret ſe juvari, idque ſe porro facturum juraret: ſuſpicionem quoque il-

lam occupat. Ac per antypophoram interrogat quaſi in eorum perſona, an hoc ſignum ſit animi parum benevoli. non reſpondet directe ad rogatum: ſed reſponſio obliqua plus habet ponderis, quum Deum ſuæ erga illos benevolentiæ teſtem citat. Vides hic ut tres verſus contineant duo juramenta: ſed ideo licita ſunt ac ſancta, quod rectum habent finem, & legitima cauſa ſubeſt. Promiſcue igitur omnia damnare phreneticorum eſt, qui inter album & nigrum non diſcernunt.

12. *Verum quod facio.*] Rationem conſilii ſui iterum exponit. Pſeudoapoſtoli quo imperitos ad ſe allicerent, abſtinebant à ſtipendio: erat fucus rari zeli, gratis ſervire. Si Paulus jure ſuo uſus fuiſſet, dabatur illis occaſio erigendi criſtas, acſi longe ei excellerent. Paulus ergo ne occaſionem illis daret ad nocendum, ipſe quoque gratuitum Euangelium prædicavit: atque id eſt quod ſubjicit, ſe amputare velle occaſionem iis qui occaſionem quærunt. Nam pſeudoapoſtoli hoc artificio ſe inſinuare volebant: Paulo autem tantundem gratiæ detrahere, ſiqua in re fuiſſent illo ſuperiores. id ſe illis daturum negat. Reperientur, inquit, nobis æquales in iſta gloriatione quam habere propriam cuperent. Cæterum hic utilis eſt admonitio de præcidenda improbis occaſione, quoties aliquam captant. Hic enim unus eſt vincendi modus, non autem quum eos noſtra imprudentia armamus.

13. Siquidem iſtiuſmodi pſeudoapoſtoli, operarii doloſi ſunt, qui transformant ſe in Apoſtolos Chriſti.

14. Neque id mirum: quandoquidem ipſe Satanas transfiguratur in Angelum lucis.

15. Non magnum igitur ſi & miniſtri illius transformant ſe, perinde acſi eſſent miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.

13. *Siquidem* &c.] Tametſi jam hoc illis abſtulit quod præcipue captabant: non tamen contentus ſe illis feciſſe æqualem in quo volebant eminere, nihil illis reliquit in quo mereantur quicquam laudis. Erat illud in ſpeciem laudabile, contemnere pecuniam. ſed fucum eos facere dicit quo decipiant: quemadmodum ſi meretrix ornatum honeſtæ matronæ mutuetur. Detrahenda enim erat larva, quæ Dei gloriam obſcurabat. *Doloſi ſunt operarii*, inquit: hoc eſt, non produnt ſuam nequitiam primo aſpecto, ſed aſtute obrepunt honeſto prætextu. Itaque diligenter & penitus ſunt excutiendi: ne ſimulatque refulſerit color aliquis virtutis, illos pro veris Chriſti ſervis amplectamur. Nec vero livore vel invidia in ſiniſtram partem torquet Paulus quod virtutis loco cenſeri poterat, ſed eorum improbitate coactus, malum occultum detegit: quia noxia erat virtutis profanatio, quod ſe fingebant majore quam omnes Chriſti ſervos zelo flagrare.

14. *Neque id mirum.*] Argumentum à majore, Si Satan qui omnium eſt deterrimus, adeoque caput & princeps malorum omnium, ſe transfigurat: quid facient ejus miniſtri? Utrumque nos quotidie experimur: nam Satan quum nos ſollicitat ad malum, non profitetur ſe eſſe id quod eſt: nihil enim proficeret ſi admoniti eſſemus ipſum eſſe capitalem inimicum & oppugnatorem ſalutis noſtræ. Semper igitur aliquo integumento abutitur ad nos illaqueandos: neque cornua ſtatim oſtendit (quemadmodum vulgo loquuntur) ſed potius dat operam ut Angelus appareat: etiam ubi ad craſſa flagitia nos impellit, aliquid tamen coloris prætendit, quo nos incautos attrahat in ſuas naſſas. Quid igitur, ubi ſub ſpecie boni, adeoque ſub ipſo Dei titulo nos adoritur? eandem (ſicut dixi) artem imitantur ejus ſatellites. Aureæ ſunt iſtæ præfationes, Vicarius Chriſti, Petri ſucceſſor, Servus ſervorum Dei: verum excuſſis larvis, quis & qualis deprehendetur Papa? vix ipſe Satan ejus magiſter tam pulchellum diſcipulum ullo abominationis genere ſuperabit. Notum eſt illud de Babylone, quod venenum in calice aureo propinet: ergo cavendum à larvis. Si nunc quiſpiam roget, Ergone ſuſpectos omnes habebimus? Reſpondeo, nequaquam hoc voluiſſe Apoſtolum: ſunt enim notæ diſcretionis, quas negligere ſtuporis eſſet, non prudentiæ. Tantum erigere attentionem noſtram voluit, ne leonem protinus à pelle judicemus: nam ſi non præcipitemus judicium, faciet Dominus ut brevi emineant auriculæ. Deinde ſimiliter voluit nos admonere, ut in æſtimandis Chriſti ſervis non reſpiciamus larvas, ſed quæramus quod eſt præcipuum. *Miniſtros juſtitiæ* Hebraica phraſi pro fidelibus & probis dixit.

15. *Quorum finis erit.*] Hoc addit ad piorum conſolationem: eſt enim vox hominis magnanimi, qui contemnit ſtulta hominum judicia: & patienter expectat diem Domini. Interea præ ſe fert ſingularem conſcientiæ fiduciam, quæ Dei judicium non reformidet.

16. Iterum dico, ne quis me putet inſipientem eſſe: alioqui jam etiam ut inſipientem accipite me, ut paululum quiddam & ego glorier.

17. Quod dico, non dico ſecundum Dominum, ſed velut per inſipientiam: in hac audacia gloriationis.

18. Quandoquidem multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.

19. Libenter enim ſuffertis inſipientes: quum ſitis ipſi ſapientes.

20. Suffertis enim ſiquis vos in ſervitutem adigit, ſiquis exedit, ſiquis accipit, ſiquis attollit ſeſe, ſiquis vos in faciem cædit.

21. Juxta contumeliam loquor, perinde quaſi nos infirmi fuerimus: imo in quocunque audet aliquis (per inſipientiam loquor) ego quoque audeo.

16. *Iterum dico.*] Duplex eſt Apoſtoli conſilium: partim ſiquidem refutare vult putidam pſeudoapoſtolorum vanitatem, quod tam importuni eſſent laudum ſuarum præcones: deinde expoſtulare cum Corinthiis, quod ſibi neceſſitatem injungerent gloriandi, præter animi ſui propoſitum. Iterum dico, inquit. ſuperius enim abunde oſtenderat non fuiſſe cauſam cur deberet contemni: ſimul etiam oſtenderat ſe aliis eſſe longe diſſimilem: ideoque non debere ad regulam menſuræ ipſorum ſuas glorias exigi. Ita rurſus admonet, in quem finem gloriatus fuerit hactenus: nempe ut ſuum Apoſtolatum vindicaret à contemptu. nam ſi Corinthii feciſſent officium, verbum de hac re nullum ipſe feciſſet. *Alioqui jam ut inſipientem.* Si judicor à vobis inſipiens, ſaltem concedite ut jure meo ac libertate utar: hoc

eſt,

eſt, ineptiam ſtultorum more. ita pſeudoapoſtolos taxat, qui quum eſſent ineptiſſimi in hac parte, non ſolum tolerabantur à Corinthiis, ſed cum multo applauſu excipiebantur. Exponit deinde quale ſit iſtud inſipientiæ genus: recitare ſuas laudes ſcilicet. Quod quum illi abſque fine & modo facerent, ſibi inſolitum eſſe ſignificat, quum dicit, *paululum quiddam.* nam particulam hanc ego ad tempus refero: ut ſenſus ſit, Paulum nolle diu continuare, ſed quaſi alienam perſonam induere ad momentum, & ſtatim deſinere: ſicuti ſolemus leviter præterire quæ ſunt ab inſtituto noſtro aliena: quum ſtulti [illegible] aſſidue immorentur.

17. *Quod dico, non dico ſecundum Dominum.*] Animus quidem Deum reſpiciebat, ſed ipſa forma videbatur minus convenire ſervo Domini. quanquam hæc quæ de ſe confitetur Paulus, potius damnat in pſeudoapoſtolis: neque enim illi propoſitum erat ſe laudare, ſed tantum illis ſe opponere, ut eos dejiceret. Transfert igitur in ſuam perſonam quod illorum erat proprium, ut Corinthiis aperiat oculos. Ubi reddidi *audaciam*, Græce eſt ὑποστάσει: de cujus verbi ſignificatione dictum eſt capite 9. Argumentum certe aut Subſtantia hic minime quadrant.

18. *Quandoquidem multi glorianiur.*] Senſus eſt, Si quis mihi objiciat, vitioſum eſſe quod facio: quid alii? annon mihi ſunt auctores? an ego ſolus vel primus glorior ſecundum carnem? cur in illis ducetur laudabile quod mihi vitio dabitur? Tantum igitur abeſt Paulus ab ambitione in referendis ſuis laudibus, ut culpari inde contentus ſit, modo pſeudoapoſtolorum vanitatem refutet. *Gloriari ſecundum carnem*, eſt ſe jactare in his potius quæ ad oſtentationem faciunt, quam in bona conſcientia. Caro enim hic habet reſpectum ad mundum: quum laudem captamus ab externis larvis, quæ coram mundo ſunt ſpectabiles, cenſentur eximiæ: hujus loco paulo ante dixit In faciem.

19. *Libenter enim ſuffertis.*] *Sapientes* (meo judicio) per ironiam nominat. deſpiciebatur ab illis: quod fieri non poterat quin ſumma arrogantia inflati eſſent. Dicit igitur, Quandoquidem ita ſapitis, facite officium ſapientum in me ſufferendo, quem contemptui habetis non ſecus atque inſipientem: unde colligo ſermonem hunc non promiſcue ad omnes dirigi, ſed perſtringi certos quoſdam, qui ſe parum humaniter gerebant.

20. *Suffertis enim ſi quis vos.*] Triplex poteſt eſſe ſenſus: vel quod ironice Corinthios perſtringat, quia nihil ferre queant, ut ſolent delicati: vel quod ſocordiæ eos inſimulet, quod pſeudoapoſtolis ſe in pudendam ſervitutem addidiſſent: vel quod referat quaſi in aliena perſona quod odioſe de ipſo prædicabatur: acſi tyrannicum imperium ſibi adverſus eos uſurparet. Secundus ſenſus Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino placet: adeoque communiter receptus eſt: equidem optime congruit contextui. quanquam mihi tertius non minus arridet. Videmus enim ut paſſim à malevolis traductus fuerit: quaſi impotenter dominaretur: à quo tamen longiſſime aberat. ſed quoniam alter ille eſt receptior, non repugno quin valeat. Sic autem cohærebit hæc ſententia cum ſuperiore, Vos omnia fertis ab aliis, ſi vos opprimunt, ſi veſtra exigunt, ſi contumelioſe vos tractant: de me cur minus feretis, quum nulla in parte me illi ſuperent? Nam quod ſe infirmum fuiſſe negat, intelligit ſe talibus gratiis Dei fuiſſe ornatum, ut vulgaris haberi non debuerit. Vocabulum enim *infirmi* late patet, ut mox iterum videbimus. Hæc ſane perpetua fuit mundi conſuetudo, & erit uſque in finem: contumaciter reſiſtere Dei ſervis, excandeſcere ad minimas occaſiones, obſtrepere & murmurare identidem, de ſeveritate moderata conqueri, abhorrere ab omni diſciplina: pſeudoapoſtolis, impoſtoribus, aut nihili fucis ſerviliter ſe ſubmittere, permittere illis omnia, quicquid oneris imponere ipſis libuerit ſubire patienter ac perferre. Sic hodie vix triceſimus quiſque reperietur qui jugo Chriſti libenter collum ſubmittat: quum tam duram Papæ tyrannidem æquo animo ſuſtinuerint omnes. ad paternas & vere ſalutares Paſtorum ſuorum objurgationes mox tumultuantur qui atrociſſimas quaſque monachorum contumelias placide antea devorabant. nonne Antichriſti carnificina potius quam ſuavi Chriſti regimine digni ſunt qui aures habent adeo teneras & moroſas verum audiendo? ſed ita ab initio fuit.

21. *Imo in quocunque.*] Rogaverat Paulus cur plus reverentiæ deferrent aliis Corinthii quam ſibi: quum nequaquam infirmus, hoc eſt, contemptibilis fuiſſet. nunc id confirmat: quia ſi ad comparationem ventum fuerit, nemini ulla in parte gloriæ ſit ceſſurus.

22. Hebræi ſunt? ego quoque. Iſraëlitæ ſunt? ego quoque. Semen Abrahæ ſunt? ego quoque.

23. Miniſtri Chriſti ſunt? (deſipiens loquor) plus ego: in laboribus abundantius, in plagis ſupra modum, in carceribus copioſius, in mortibus ſæpe.

24. A Judæis quinquies quadragenas plagas accepi una minus.

25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, noctes & dies egi in profundo.

26. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in urbe, periculis in deſerto, periculis in mari, periculis in falſis fratribus:

27. In labore & moleſtia, in vigiliis ſæpe, in fame & ſiti, in jejuniis ſæpe, in frigore & nuditate.

28. Præterea quæ extrinſecus accidunt, quotidiana mea moles, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.

29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non uror?

22. *Hebræi ſunt?*] Nunc ſpecies enumerans, lucidius ob oculos ponit ſe nequaquam minorem fore, ſi in certamen deſcendat. Et primum gloriam generis commemorat, qua potiſſimum ſuperbiebant ejus æmuli. Si generis, inquit, nobilitatem jactant, ego par illis ero. ſum enim ego quoque Iſraëlita, ex ſemine Abrahæ. Eſt hæc futilis & jejuna gloriatio: & tamen ad eam exprimendam tribus verbis utitur Paulus: imo quaſi tres diverſas præſtantiæ notas recenſet. qua repetitione (ut opinor) illorum ſtultitiam oblique taxat: quod proram & puppim ſuæ excellentiæ in re tam levi collocarent, & aſſidue ad faſtidium uſque in eorum ore volitaret *hæc jactantia*: ſicuti de nihilo turgidas verborum ampullas conflare ſolent vani homines. Quantum ad nomen Hebræi, gentile eſſe, & deductum ab Heber, ex Gen. cap. 11. v. 14. patet: deinde Abraham ipſum c. 14. v. 13. non alio ſenſu ita vocari probabile eſt, niſi quia genus ex

atavo illo ducebat. Non caret prorſus colore eorum conjectura qui Transfluviatiles exponunt. Neminem quidem legimus ſic vocatum ante Abraham, qui flumen tranſierat, quum ex patria migraret; & poſtea cœpit in ejus familia appellatio eſſe celebris, quemadmodum patet ex hiſtoria Joſephi: gentile tamen eſſe oſtendit terminatio, & locus ille quem citavi, ſatis confirmat.

23. *Miniſtri Chriſti ſunt?*] Nunc quum de veris laudibus agitur, non ſuſtinet amplius reſidere in æqualitate: ſed altius ſe attollit. Carnales enim illorum glorias hactenus tanquam fumos flatu diſcuſſit, quum ſuas ſimiles opponeret: ſed quia nihil habebant ſolidi, merito ſe ab illorum ordine ſegregat, ubi ſerio gloriandum eſt. Nam eſſe Chriſti ſervum, præclarius longe eſt ac magnificentius, quam primogenitum eſſe inter omnes primogenitos ex familia Abrahæ. Iterum tamen præfatur ſe *deſipere*, ut calumnias anteveriat. Fingite, inquit, hanc eſſe ſtultam jactantiam: vera tamen eſt. *In laboribus.* His probat ſe excellentiorem eſſe Chriſti ſervum: atque hæc demum firma eſt probatio, ubi pro verbis res ipſa in medium profertur. Labores hic plurali numero ponit: deinde *laborem.* quid prius à ſecundo differat, non video: niſi forte quod hic generalius loquitur, comprehendens quæ poſtea ſingulatim enumerat. quemadmodum & *mortes* poſſumus accipere pro quibuslibet periculis, quæ præſentem mortem quodammodo intentabant: quorum ſpecies deinde notat; acſi diceret, In mortibus ſæpe edidi mei ſpecimen: in laboribus multo etiam ſæpius. eodem ſenſu Mortes primo capite poſuit.

24. *A Judæis*] Certum eſt tunc Judæis ablatam fuiſſe juriſdictionem: ſed quia hoc erat genus modicæ coërcitionis (ut vocant) credibile eſt fuiſſe illis permiſſum. Erat autem Lex Dei, ut qui pœnam capitalem non eſſent commeriti, cæderentur coram judice: modo non plures quadraginta plagis infligerentur, ne ſævitia corpus deformaretur, aut mutilum redderetur. Porro veriſimile eſt, temporis ſucceſſu conſuetudinem invaluiſſe, ut in triceſimo nono ictu finis fieret: ne forte aliquando calore incitati numerum à Deo præſcriptum excederent. Tales multæ cautiones Rabinorum extant apud Judæos: quæ aliquid de eo quod Dominus permiſerat, reſtringunt. Inde forte ſucceſſu temporis (ut res fere in pejus degenerant) ad eum plagarum numerum cædendos putarunt omnes reos: quum Dominus non præciperet quouſque progredi, ſed ubi ſubſiſtere deberet ſeveritas. Niſi mavis recipere quod alii dicunt, in Paulo exercuiſſe majorem ſævitiam. quod à veriſimilitudine non abhorret: nam ſi ſoliti fuiſſent communiter in omnibus tenere hunc rigorem, poterat dicere ſe fuiſſe pro more cæſum. expreſſio ergo numeri extremum rigorem deſignat.

25. *Ter virgis cæſus ſum.*] Hinc apparet, multa perpeſſum fuiſſe Apoſtolum, de quibus nulla fiat mentio apud Lucam: nam unius tantum lapidationis meminit, & unius flagellationis, & unius naufragii. Verum neque integram hiſtoriam habemus, neque ſingula illic commemorantur quæ acciderunt, ſed præcipua. *Pericula ex genere* intelligit, quæ ex natione ſua illi proveniebant, propter odium quo flagrabat apud omnes Judæos: ex alia parte *Gentes* habebat infeſtas: tertio, imminebant illi inſidiæ à *falſis fratribus.* Ita fiebat ut pro Chriſti nomine exoſus foret univerſis. *Jejunia* voluntaria interpretor, quum de ſame & penuria ante loquutus ſit: hæc erant inſignia quibus ſe eximium Chriſti ſervum eſſe non immerito probabat. Unde enim melius cognoſcere licet Chriſti ſervos, quam à tot, tam variis tamque ſeriis experimentis? mollicoli autem illi Thraſones quum nihil egiſſent, nihil paſſi eſſent pro Chriſto, ſeſe impudenter efferebant. Sed quæritur an nemo ſervus ſit Chriſti, niſi qui totidem malis, periculis, ærumnis fuerit exercitatus? Reſpondeo, non requiri omnia neceſſario in omnibus: ſed ubi hæc cernuntur, majus certe & illuſtrius extare teſtimonium. Qui igitur tot ornamentis erit conſpicuus, alios minus nobiles ac minus probatos non contemnit, neque propterea ſuperbiet: ſed tamen quoties opus fuerit, adverſus fucos & nihili homines ſancta gloriatione exultare poterit Pauli exemplo: modo Chriſtum, non ſe reſpicit: ſola enim ſuperbia aut ambitio iſtas omnes laudes corrumperet ac deformaret. Præcipuum enim eſt ut pura conſcientia Chriſto ſerviamus: alia omnia ſunt quaſi acceſſiones.

28. *Præter ea quæ extrinſecus.*] Præter ea, inquit, quæ ſuperveniunt hinc inde, & quaſi ſunt extraordinaria: quanti æſtimanda eſt moles ordinaria, quæ aſſidue me urget? nempe quod omnium Eccleſiarum ſollicitudinem gero. *Curam omnium Eccleſiarum*, appoſitive ordinariam ſuam molem appellat. Sic enim ἐπίστασιν vertere mihi permiſi: quum ſignificet aliquando quicquid nos urget. Quicunque de Eccleſia Dei ſerio eſt ſollicitus, is ſibi inſtat, & grave onus humeris ſuis incumbens ſuſtinet. quale ſpeculum abſoluti miniſtri: cura & ſtudio non unam amplecti Eccleſiam duntaxat, non decem, non triginta ſed omnes ſimul: ut alias doceat, alias confirmet, alias hortetur, aliis det conſilium, aliarum morbis medeatur. Porro ex Pauli verbis colligere licet, neminem ex animo affici poſſe Eccleſiarum cura, quin multis difficultatibus urgeatur: neque enim jucunda eſt occupatio Eccleſiæ regimen, in qua ſuaviter nos & animi gratia exerceamus, ſed dura & aſpera militia, (quemadmodum prius dictum eſt) Satana quicquid poteſt negotii nobis ſubinde faceſſente, & omnem lapidem movente ut nos turbet.

29. *Quis infirmatur.*] Quam multi ſunt qui ſecure prætereunt omnia ſcandala, qui fratrum infirmitates vel deſpiciunt vel pedibus conculcant! ſed hoc inde fit, quod nulla Eccleſiæ cura tanguntur. Nam cura certe συμπάθειαν generat: quæ facit ut omnium affectus in ſe ſuſcipiat Chriſti miniſter, omnium perſonas induat, quo ſe accommodet omnibus.

Cap. XII.

30. SI gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.

31. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti novit, qui eſt benedictus in ſecula, quod non mentiar.

Act. 9. verſ. 24. 32. Damaſci Aretas regius gentis præfectus, cuſtodiebat urbem Damaſcenorum, volens me apprehendere:

33. Et per feneſtram demiſſus fui in ſporta per muros, atque effugi manus ejus.

30. *Si gloriari oportet.*] Clauſula eſt omnium ſuperiorum, libentius Paulum gloriari in iis quæ ſunt infirmitatis ſuæ: hoc eſt, quæ mundi opinione contemptum illi magis afferre poterant quam gloriam. qualia ſunt, fames, carceres, lapidationes, verbera, & ejuſmodi: quorum ſcilicet non aliter nos vulgo pudet, atque magnorum dedecorum.

31. *Deus & Pater.*] Quoniam egregium ſtratagema relaturus erat, & tamen non adeo notum, jurejurando interpoſito illud confirmat. Nota autem qualis ſit forma pii juramenti: nempe quum aſſe-

tendæ

rendæ veritatis cauſa Deum teſtem reverenter citamus. Porro hæc perſequutio fuit quaſi primum tirocinium Pauli: quemadmodum ex Luca patet. quod ſi talibus rudimentis exercitatus fuit adhuc tiro, quid de veterano milite judicandum eſt? ſed quum in fuga nullum ſit ſpecimen generoſi ſpiritus, quæri poteſt quorſum fugam ſuam commemoret. Reſpondeo, clauſas portas regiæ civitatis, argumento fuiſſe quanto furore adverſus eum arderent impii: quem non de nihilo conceperant. niſi enim nova & inſolita ſtrenuitate pro Chriſto pugnaſſet Paulus, nunquam ita tumultuati fuiſſent impii. Sed rara in primis conſtantia ejus inde enituit, quod iam dura perſequutione elapſus, non deſtitit opus Domini intrepide perſequendo, totum mundum in ſe provocare. tametſi fieri poteſt ut eludere pergat ambitioſos illos, qui quum nihil unquam experti eſſent præter applauſus, favores, honorificas ſalutationes, mollia hoſpitia, excellentiſſimi haberi volebant: nam ex adverſu refert ſe fuiſſe incluſum, ut miſera & ignominioſa fuga ſalutem ægre ſibi quæſierit. Quod autem rogant quidam, quum capitale eſſet tranſilire muros, num Paulo licitum fuerit. Reſpondeo, primúm non conſtare an ea pœna legibus ſancita fuerit in Oriente: deinde ſi fuerit, Paulum tamen nihil deliquiſſe: quia neque hoſtiliter, neque per ludibrium id agebat, ſed neceſſitatis cauſa. Lex enim hominem non puniet, qui per muros ſe dejiciens, vitam ſuam eripuerit ex incendio: & quid differt incendium à latronum truculentia? Conſideranda ſemper eſt in legibus ratio & æquitas: hæc conſideratio Paulum eximet ab omni culpa.

1. Gloriari ſane non expedit mihi: veniam enim ad viſiones & revelationes Domini.

2. Novi hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore, neſcio: ſive extra corpus, neſcio: Deus novit) ejuſmodi inquam hominem raptum fuiſſe uſque in tertium cælum.

3. Scio de ejuſmodi homine (ſive in corpore, neſcio: ſive extra corpus, neſcio: Deus ſcit)

4. Quod raptus ſit in Paradiſum, & audierit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.

5. De ejuſmodi homine gloriabor: de meipſo non gloriabor, niſi in infirmitatibus meis.

1. *Gloriari non expedit.*] Nunc quaſi in medio curſu manum ſibi injicit, ne longius provehatur: atque hoc modo æmulorum impudentiam aptiſſime coarguit: ſeque invitum facere teſtatur, ut hoc genere certaminis cum illis contendat: cujus enim verecundiæ erat hinc inde corrogare vel potius emendicare laudes, ut pares eſſent tanto viro? Quod ad ſecundum pertinet, admonet ſuo exemplo, quo pluribus & præſtantioribus unuſquiſque noſtrum gratiis abundat, eo minus de ſua excellentia debere illi venire in mentem. eſt enim valde periculoſa cogitatio: quod tanquam labyrinthum ingreſſus, mox perſtringitur, ut ſua dona nimis acute cernat, ſe vero ipſum ignoret. Id ne ſibi contingat, veretur Paulus. agnoſcendæ ſunt quidem Dei gratiæ, ut primum ad gratitudinem, deinde ad rectum earum uſum expergeſiamus: verum inde ſumere gloriandi argumentum, id vero non caret ingenti periculo. *Veniam enim ad viſiones.* Non repam humi, ſed conſcendere in altum cogar: ita timeo ne altitudo donorum me abripiat in oblivionem mei. Et certe ſi ambitioſe gloriatus fuiſſet Paulus, ex alto faſtigio in præceps decidiſſet. ſola enim eſt humilitas quæ magnitudinem noſtram ſtabiliat coram Deo. Inter *viſiones & revelationes* hoc eſt diſcriminis, quod revelatio ſæpe contingit vel per ſomnium, vel per oraculum in quo nihil oculis appareat: viſio autem nunquam fere ſine revelatione datur: hoc eſt, quin Dominus patefaciat quid ſibi voluerit.

2. *Novi hominem in Chriſto.*] Quia modum ſtatuere ſibi volebat, unum modo exemplum deligit, quod etiam ita tractat, ut demonſtret ſe non cupide in medium proferre. cur enim alienam potius quam ſuam perſonam inducit? perinde hoc valet acſi diceret, Mallem tacere, mallem ſuppreſſum apud me hoc totum tenere: ſed illi non ſinunt. Dicam igitur tanquam balbutiens, ut conſtet me invitum loqui. Particulam *in Chriſto* aliqui aſſertionis cauſa interpoſitam putant: ego potius ad affectum refero, ut ſignificet Paulum non habere hic ſui reſpectum, ſed Chriſtum ſolum intueri. Quod ſe fatetur neſcire, in corporene, an extra corpus: eo melius exprimit revelationis magnitudinem. Intelligit enim Deum ita ſecum egiſſe, ut modum ipſe non caperet. neque vero id incredibile videri debet: ſiquidem nobis interdum ſe manifeſtat, ut modus tamen ſenſum noſtrum lateat. Neque tamen hoc quicquam certitudini fidei derogat: quæ hoc uno conſtat, ſi Deum ſentiamus nobis loqui. quin potius hinc diſcamus, eorum modo quæ neceſſaria ſunt cognitu, expetendam eſſe ſcientiam, reliqua Deo commendanda. Dicit ergo ſe neſcire utrumne totus corpore & anima ſublatus in cælum fuerit: an anima tantum rapta fuerit. *Ante annos quatuordecim.* Quærunt nonnulli etiam de loco: ſed eorum curioſitati ſatisfacere non eſt noſtrum. Initio manifeſtavit ſe Paulo Dominus per viſionem, *Actor. 9. verſ. 12.*
quum à Judaiſmo ad Evangelii ſui fidem convertere eum voluit: ſed nondum ad hæc arcana tunc fuit admiſſus: qui etiam ab Anania erudiri in primis elementis debuit. viſio igitur illa nihil aliud quam præparatio fuit, qua docilis redderetur. Fieri poteſt ut nunc viſionem attingat, cujus meminit etiam apud Lucam Actor. 22. v. 17. Sed in his conjecturis non eſt quod multum laboremus: quando videmus Paulum ipſum per annos quatuordecim tacuiſſe: nec verbum fuiſſe facturum, niſi importunitas malignorum coëgiſſet. *Uſque in tertium cælum.* Cælos hic non diſtinguit Philoſophico more: ut ſingulis planetis ſuum aſſignet. ſed numerus ternarius κατ' ἐξοχὴν poſitus eſt pro ſummo & perfectiſſimo. imo cælum per ſe, hic ſignificat beatum & glorioſum Dei regnum, quod ſphæris omnibus & ipſo firmamento adeoque univerſa mundi machina ſuperius eſt. ſed non contentus ſimplici appellatione Paulus, addidit, uſque ad ſummam altitudinem & intima penetralia ſe perveniſſe. Nam fides noſtra cælum conſcendit & intrat: gradu vero & altitudine ſuperant qui cognitione præ aliis excellunt. Sed in tertium uſque cælum penetrare, pauciſſimis datum fuit.

4. *In Paradiſum.*] Quoniam hortus Dei in Scripturis vocatur amœniſſima quæque & beatiſſima regio: inde uſus apud Græcos invaluit, ut Paradiſus cæleſtem gloriam ſignificaret: etiam ante Chriſti adventum, quemadmodum patet ex Eccleſiaſtico. *Eccl. 40. v. 17, 28.*
atque in hunc ſenſum capitur apud Lucam in reſponſo Chriſti ad latronem, Hodie mecum eris in Paradiſo: hoc eſt, frueris Dei præſentia, in conditione vitaque beatorum. *Audierit verba ineffabilia.* Verba *Luc. 23. verſ. 43.*

hic non accipio pro Rebus, ut interdum more Hebraico ſolet nomen hoc accipi: nam verbum Audiendi non conveniret. Nunc ſi quis roget quænam fuerint: reſponſio brevis eſt, non abs re vocari ineffabilia, & quæ nefas ſit proferre. Verum excipiet quiſpiam, ſupervacuum igitur & inutile fuiſſe quod Paulus audierit: quorſum enim audiebat quod eſſet perpetuo ſilentio premendum? Reſpondeo, id factum fuiſſe Pauli ipſius cauſa. nam quem manebant tam arduæ difficultates, & quæ frangendis mille pectoribus eſſent pares: eum oportuit ſingulari modo confirmari, ne uſquam cederet, ſed perſtaret invictus. Reputemus pauliſper quot adverſarios habuerit ejus doctrina, & quales: deinde quam variis machinis impetita fuerit: non mirabimur amplius cur plus audierit quam effari liceret. hinc porro colligamus utiliſſimam admonitionem de adhibendo ſcientiæ modo. natura proclives ad curioſitatem ſumus: itaque omiſſa aut leviter & neglectim guſtata, quæ ad ædificationem valet, doctrina, ad quæſtiones frivolas abripimur. Accedit deinde audacia ac temeritas: ut de rebus incognitis & occultis non dubitemus ſtatuere. Ex duobus his fontibus nata eſt nobis bona pars Scholaſticæ theologiæ, & quæcunque nugator ille Dionyſius de cæleſtibus hierarchiis comminiſci auſus eſt. Quo magis ſobrios eſſe nos convenit, ne quid ſcire appetamus, niſi quod revelare Eccleſiæ ſuæ Dominus voluit. ſit hic ſcientiæ noſtræ terminus.

5. *De ejuſmodi homine.*] Perinde valet, acſi dixiſſet, Habeo juſtum gloriandi argumentum, ſed non libenter utor. nam hoc magis inſtituti mei proprium eſt, gloriari in meis infirmitatibus. Quod ſi me ulterius laceſſant iſti malevoli, & plus jactantiæ extorqueant quam velim, ſentient ſibi cum homine eſſe negotium, quem Deus ad refutandas eorum ineptias magnifice ornavit, & in ſublime extulit.

6. Nam ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam. ſed ſuperſedeo: ne quis de me cogitet ſupra id quod videt eſſe me, aut quod audit ex me.

7. Et ne excellentia revelationum ſupra modum efferrer, datus mihi fuit ſtimulus carni, nuncius Satanæ, qui me colaphis cæderet, ne ſupra modum efferrer.

8. Super hoc ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me:

9. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. nam virtus mea in infirmitate perficitur. Libentiſſime igitur gloriabor ſuper infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.

10. Quamobrem placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anxietatibus pro Chriſto. quum enim infirmus ſum, tunc robuſtus ſum.

6. *Nam ſi voluero.*] Ne in calumniam traheretur quod dixerat, ſe nolle gloriari: atque exciperent malevoli, Non vis, quia non potes: præoccupat. Jure, inquit, poſſem: neque vanitatis coarguerer. habeo enim unde: ſed abſtineo. Inſipientiam hic alia ſignificatione accipit quam prius: nam inepti ſunt & putidi, etiam qui vere gloriantur, ſiqua jactantia vel ambitio appareat. Verum ſtultitia fœdior eſt ac minus tolerabilis, ſi quis abs re glorietur: hoc eſt, mentiatur ſe eſſe quod non eſt. nam ad levitatem accedit etiam tunc impudentia. atqui Apoſtolus hic pro teſtato ſumebat, non veraciter magis quam humiliter ſe gloriari. Eraſmus reddidit, Parco vobis: ſed mihi magis placet, Abſtineo, vel ſuperſedeo, ut verti. *Ne quis de me.* Rationem adjungit: quia contentus ſit perſonam ſuſtinere quam illi Deus impoſuit. Aſpectus, inquit, & ſermo nihil magnificum de me promittunt: non recuſo igitur quin parvus cenſear. Hic perſpicimus quanta fuerit hominis modeſtia, quem ſuæ parvitatis, quam vultu & ſermone præ ſe ferebat, minime piguerit: quum tanta donorum excellentia refertus eſſet. Non tamen abſurdum erit ita exponere, quod re ipſa contentus, nihil de ſe prædicet: ut oblique taxet pſeudoapoſtolos, qui de ſe multa jactabant, quorum nihil cernebatur. quanquam priore loco dixi quod magis probabam.

7. *Et ne excellentia revelationum.*] Secunda ratio, quod Deus cohibere volens omnem in ipſo inſolentiam, ferula eum domuerit. Ferulam hanc *ſtimulum* vocat, metaphora à bobus ſumpta. *Carni.* Græce eſt in dativo. itaque Eraſmus tranſtulit, Per carnem: ſed ego malo intelligere punctiones hujus ſtimuli in carne ejus fuiſſe. Nunc quæritur quis ille fuerit ſtimulus. ridiculi ſunt qui Paulum exiſtimant ſollicitatum fuiſſe ad libidinem: itaque repudiandum eſt illud commentum. Aliqui putarunt vexatum fuiſſe crebris capitis doloribus. Chryſoſtomo magis placet ad Hymenæum, Alexandrum, & ſimiles referre, qui à Diabolo inſtigati plurimum moleſtiæ Paulo faceſſebant. Ego ſub hoc vocabulo comprehendi arbitror omne genus tentationis, quo Paulus exercebatur. Nam Caro hic, meo judicio, non corpus, ſed partem animæ nondum regeneratam ſignificat: ut ſit ſenſus, Mihi datus eſt ſtimulus, quo caro mea pungeretur: neque enim adhuc ſum adeo ſpiritualis quin obnoxius ſim tentationibus ſecundum carnem. *Nuncium* præterea *Satanæ* vocat, propterea quod ſicuti à Satana immittuntur omnes tentationes, ita ſimulatque nos adoriuntur, Satanam adeſſe admonent. quare ad omnem ſenſum tentationis expergefieri nos convenit, & ad repellendos Satanæ inſultus mature armari. Id Paulo venire in mentem, utiliſſimum erat: quia non patiebatur hæc cogitatio ipſum inſtar hominis ſecuri exultare. neque enim qui periculis adhuc circumſidetur & hoſtem formidat, triumphum canit. Dominus, inquit, optimo remedio providit ne efferar: nam dum occupor, cavendo ne me Satan circumveniat, reprimor à ſuperbia. quanquam non medebatur illi Deus hoc modo duntaxat: ſed illum humiliando. addit enim, *qui me colaphis cæderet:* qua loquutione eleganter exprimit ſe in ordinem fuiſſe redactum. Eſt enim atrox contumeliæ genus, colaphis cædi. Ideo ſicut facies eſt ſugillata, is præ pudore in hominum conſpectum prodire non audet: ita quacunque infirmitate laboremus, meminerimus nos tanquam colapho cædi à Domino ad irrogandum nobis pudorem, quo humilitatem diſcamus. Hoc præſertim in meditato habeant qui alioqui præſtant eximiis virtutibus: ſiqua habeant admiſta vitia, ſiquibus odiis impetantur, ſiquibus ſugillentur maledictis, non tantum ferulas eſſe cæleſtis magiſtri, ſed colaphos, qui verecundiam incutiant, & retundant omnem ferociam. Hoc porro attendant omnes pii, quantum ſit ſuperbiæ venenum (quemadmodum dicit Auguſtinus Sermone de verbis Apoſtoli tertio) quod non poteſt niſi veneno curari. Et certe ſicuti humani exitii cauſa fuit: ita extremum eſt vitium, quocum pugnandum nobis eſt. nam reliqua in malefactis locum habent, hoc vero in optimis operibus timendum eſt. deinde ita pertinaciter inhæret nobis à natura, ita penitus infixum eſt, ut difficillime revellatur. Conſideremus diligenter-

ter quis hic loquatur. Vicerat tot pericula, tormenta, & alia mala: triumphum de omnibus Chriſti hoſtibus egerat, expulerat mortis timorem, mundo denique renunciaverat, necdum tamen ſubegerat penitus ſuperbiam: imo adeo anceps illi certamen reſtabat, ut vincere non poſſet niſi colaphis cæſus. Hujus exemplo edocti, ita bellum geramus cum aliis vitiis, ut præcipuam vim conferamus ad hoc debellandum. Sed quid ſibi vult quod Satan, qui homicida fuit ab initio, Pauli fuit medicus? neque modo in curando corpore, ſed quod majus eſt, in anima ſananda? Reſpondeo, Satanam pro ingenio moreque ſuo non aliud quam necandi perdendique conſilium agitaſſe: & aculeum, cujus meminit Paulus, lethali veneno fuiſſe tinctum: ſed hoc ſingulare fuiſſe beneficium Domini, quod natura exitiale erat, in medicinam vertere.

8. *Super hoc ter Dominum.*] Ter, hic quoque pro frequenti repetitione ſumitur. ſignificare autem vult vexationem hanc, quam ſæpe fuerit deprecatus, ſibi fuiſſe moleſtam: nam ſi levis fuiſſet aut facilis toleratu, non adeo optaſſet ab ea liberari. dicit tamen ſe non impetraſſe: unde patet quam neceſſe habuerit humiliari. Confirmat igitur quod ſuperius dixit, retentum ſe fuiſſe hoc freno, ne inſoleſceret. nam ſi utilis fuiſſet liberatio, nunquam repulſam eſſet paſſus. Verum inde ſequi videtur, Paulum nequaquam ex fide oraſſe, niſi velimus irritas facere omnes Dei promiſſiones. paſſim audimus in Scriptura; nos quicquid fide petierimus, impetraturos: Paulus orat, neque obtinet. Reſpondeo, ſicuti petendi ratio eſt diverſa, ſic duo eſſe genera impetrandi. Petimus ſimpliciter de quibus certam habemus promiſſionem: qualia ſunt, regni Dei complementum, & ſanctificatio nominis ejus, remiſſio peccatorum, & quicquid nobis eſt ſalutare. verum dum hoc vel illo modo putamus regnum Dei poſſe, imo debere promoveri: hoc vel illud ad ſanctificandum ejus nomen eſſe neceſſarium: ſæpe opinione fallimur. Similiter quod ad ſalutem noſtram ſpectat, ſæpe hallucinamur. ſecure igitur & abſque exceptione priora illa petimus, modum vero præſcribere noſtrum non eſt: quod ſi modum exprimimus, ſemper incluſa eſt tacita conditio. Non ita porro ignarus fuit Paulus ut hoc neſcierit: proinde quod ad finem ſuæ precationis, non dubium quin fuerit exauditus, tametſi repulſam paſſus eſt in ipſa forma. unde admonemur non deſpondendum eſſe animum, quaſi operam perdiderimus orando, ubi non ſatisfacit Deus aut obſequitur votis noſtris: ſed nobis debere ſufficere ejus gratiam, hoc eſt, quod ab ipſo non deſeramur. Hæc enim ratio eſt cur miſericorditer interdum ſuis neget quod impiis iratus concedit: quia melius ipſe providet quid nobis expediat, quam mens noſtra apprehendat.

9. *Dixit mihi.*] Oraculone habuerit hoc reſponſum, incertum eſt: neque magnopere refert. Siquidem reſpondet nobis Deus, quum Spiritu ſuo intus nos confirmat, & conſolatione ſua ſuſtentat ne à ſpe & patientia excidamus. Jubet Paulum eſſe contentum ſua gratia, neque interea flagellum recuſare. ergo durandum ſub malo quantumlibet diuturno, quia præclare nobiſcum agitur, dum adeſt Dei gratia quæ nobis ſubveniat. Vocabulum *gratiæ*, hic non favorem Dei (ut alibi) ſed per metonymiam, auxilium Spiritus ſancti ſignificat, quod nobis à gratuito Dei favore provenit. ſufficere autem piis debet, quia firma eſt & inſuperabilis fultura, ne unquam ſuccumbant. *Nam virtus mea.* Videtur infirmitas noſtra obſtaculo eſſe quominus ſuam virtutem Deus in nobis perficiat. id non tantum negat Paulus, ſed è converſo aſſerit, tunc rite demum perfici Dei virtutem, quum infirmitas noſtra apparet. quod ut clarius intelligamus, diſtinguendum eſt inter Dei virtutem & noſtram. Nam in dictione *Mea*, eſt emphaſis. Virtus mea, inquit Dominus, (hoc eſt, quæ hominum opitulatur inopiæ, quæ eos collapſos erigit, & deficientes recreat) perficitur in hominum infirmitate, hoc eſt, materiam habet ſe exerendi quum ſe prodit hominum infirmitas; neque id modo, ſed clarius agnoſcitur ut decet. Nam verbum *perfici*, relationem habet ad hominum ſenſum & agnitionem: quia non perficitur niſi palam reluceat, ut habeat ſuam laudem. Nam ne homines quidem eam guſtant, niſi prius ſuæ neceſſitatis fuerint convicti: & ſtatim obliviſcuntur quid valeat, niſi aſſidue infirmitatis ſuæ ſenſu exerceantur. *Libentiſſime igitur.* Hæc poſterior ſententia confirmat expoſitionem quam dedi. *Gloriabor*, inquit, *ſuper infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Ergo quem pudet hujus gloriæ, is januam Chriſti virtuti claudit, & eam quodammodo à ſe repellit. tunc enim locum damus Chriſti gratiæ, dum vera animi ſubmiſſione infirmitatem noſtram ſentimus & confitemur. Valles pluvia rigantur ad fœcunditatem, quum interea ſummi altorum montium vertices ſicci manent. vallis ergo fiat qui cæleſtem ſpiritualis Dei gratiæ pluviam vult ſuſcipere. Addit, Libentiſſime; ut oſtendat ſe tanto gratiæ Chriſti deſiderio ardere, ut ejus adipiſcendæ cauſa nihil recuſet. Quia permultos videmus Deo quidem cedere, quia ſacrilegium metuunt in appetenda ejus gloria: non tamen niſi invitos, vel certe minus liberaliter quam decebat.

10. *Placeo mihi in infirmitatibus.*] Non dubium eſt quin diverſo ſenſu vocabulum Infirmitatis uſurpet: nam ita prius nominabat punctiones quas in carne ſua ſentiebat. nunc vocat externa accidentia, quæ contemptum afferunt coram mundo. ſed poſtquam in genere de infirmitatibus omne genus loquutus eſt, nunc ad ſpeciem illam redit, cujus occaſione ad generalem illum ſermonem digreſſus erat. Notemus ergo, infirmitatis nomen eſſe generale: ac ſub eo contineri tam naturæ noſtræ imbecillitatem, quam omnia abjectionis argumenta. Agebatur autem de externa Pauli abjectione: longius provectus eſt, ut oſtenderet ſe modis omnibus humiliari à Domino, quo melius gloria Dei in ejus vitiis ſplendeſceret: quæ quodammodo ſub hominis altitudine latet & obruitur. Nunc iterum ad ſuas virtutes redit, quæ tamen eum deſpicabilem vulgo magis reddebant, quam pretium & laudem afferrent. *Quum enim infirmus ſum.* Hoc eſt, quo plus mihi deeſt apud me, eo mihi liberalius ex virtute ſua Dominus ſufficit quicquid opus eſſe videt. Nam Philoſophica fortitudo nihil aliud eſt quam contumacia, vel potius inſana animoſitas; qualis in phreneticis eſſe ſolet. qui vere fortis eſſe cupit, ille ſimul debilis eſſe ne recuſet. ſit (inquam) in ſeipſo debilis, ut fortis ſit in Domino. Si quiſpiam objiciat, Paulum hic non de virium defectu, ſed de paupertate & aliis afflictionibus loqui: reſpondeo, omnia hæc exercitia eſſe ad patefaciendam nobis noſtram imbecillitatem. niſi enim Paulum talibus probationibus Deus exercuiſſet, nunquam tam probe illi perſpecta fuiſſet ſua infirmitas. Ergo non paupertatem modo & quaſcunque ærumnas reſpicit, ſed etiam qui inde conſequuntur effectus: ut ſunt, imbecillitatis noſtræ agnitio, diffidentia, & humilitas.

11. Factus ſum inſipiens gloriando: vos me coëgiſtis. nam ego debueram à vobis commendari. nulla enim in re inferior fui ſummis Apoſtolis: tametſi nihil ſum.

12. Signa quidem Apoſtoli peracta fuerunt inter vos, in omni patientia, & ſignis, & prodigiis, & virtutibus.

13. Nam quid eſt in quo fueritis inferiores cæteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non fui vobis oneroſus? condonate mihi hanc injuriam.

14. Ecce, tertio propenſus animo ſum ut veniam ad vos, neque vobis ero oneri. non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. etenim non debent filii parentibus recondere, ſed parentes filiis.

15. Ego vero libentiſſime impendam & expendar pro animabus veſtris: licet uberius vos diligens, minus diligar.

11. *Factus ſum inſipiens glориando.*] Variis excuſationibus hactenus veniam deprecatus fuerat, quod præter morem inſtitutumque ſuum, præter decorum etiam & Apoſtolici officii rationem, ſuas glorias prædicaret. Nunc loco deprecationis exprobratione utitur, culpam rejiciens in Corinthios, qui has vices debuerant occupare. nam quum Paulo detraherent pſeudoapoſtoli, debuerant ſtrenue ſe opponere, & fideliter reddere debitum ejus virtutibus teſtimonium. Mature vero eos objurgat, ne defenſionem quam eorum ingratitudine coactus attulit, in ſiniſtram partem vertant, vel pergant obſtrepere qui erga eum erant male affecti. *Nulla enim in re.* Ingrati ſumus Deo, ſi patimur ejus dona (quorum ſumus teſtes) ab improbis & malignis vituperari aut vilipendi. Hujus culpæ reos facit Corinthios. ipſum enim ſummis Apoſtolis parem cognoverant: & tamen aures præbebant calumniatoribus quum illi detraherent. Per *ſummos Apoſtolos* nonnulli æmulos ejus intelligunt, qui ſibi primas arrogabant. ego autem intelligo etiam qui præcipui erant inter duodecim: quaſi diceret, Cum quovis Apoſtolorum conferar: non timeo ne reperiar minor. Tametſi enim Paulo optime cum Apoſtolis omnibus conveniebat, ut præ ſe eos extollere paratus eſſet: erat tamen illi certamen cum ementitiis eorum nominibus. Hoc enim prætextu abutebantur pſeudoapoſtoli, ſe fuiſſe in contubernio duodecim, omnes eorum ſenſus tenere, habere cognita omnia eorum inſtituta: & ſimilibus. ergo quum iſtis larvis aut fucatis titulis videret Paulus falſo eos ſuperbire, & apud imperitos proficere: ad illam comparationem deſcendere neceſſe habebat. Correctio addita, *tametſi nihil ſum*, ſignificat Paulum nihil velle ſibi proprium ſumere, ſed tamen in Domino gloriari: niſi forte magis placeat conceſſionem eſſe, in qua exprimat quid de ſe à malevolis & obtrectatoribus jactetur.

12. *Signa quidem Apoſtoli.*] Signa Apoſtoli accipit pro ſigillis quæ ad obſignandam Apoſtolatus fidem valent, vel certe pro argumentis aut probationibus: acſi dixiſſet, Deus Apoſtolatum meum inter vos ita confirmavit ut nullam approbationem deſideret. Primum ſignum nominat *patientiam*, vel ideo quod omnes Satanæ & hoſtium inſultus generoſe ſuſtinendo & nuſquam cedendo, invictus ſteterit: vel quod excellentiæ ſuæ oblitus, omnes injurias pertulerit æquo animo, talia infinita devoraverit, indignitates patientia vicerit. Siquidem tam heroica virtus quaſi cœleſte eſt ſigillum, quo Apoſtolos ſuos Dominus conſignat. Secundum locum dat miraculis. nam quod *ſigna & prodigia & virtutes*
2 Theſſ. 2. verſ. 9. nominat, tribus nominibus (quemadmodum alibi) rem eandem exprimit. Signa porro vocantur, quod non ſunt inania ſpectacula: ſed quæ deſtinata ſunt docendis hominibus. Prodigia, quod ſua novitate expergefacere homines debent & percellere. Potentiæ aut virtutes, quod ſunt magis inſignia ſpecimina divinæ potentiæ, quam quæ cernimus in ordinario naturæ curſu. Porro ſcimus hunc præcipuum fuiſſe miraculorum finem ſub Euangelii exordio, ut doctrinæ accederet major auctoritas. ergo quo quiſque pluribus miraculis donatus fuit, eo magis confirmatum fuit ejus miniſterium: quemadmodum dictum eſt in 15. capite Epiſtolæ ad Romanos.

13. *Quid eſt in quo.*] Exaggeratio ingratitudinis, quod in eorum bonum excelluerat, quod fructum perceperant ex approbatione ſui Apoſtolatus, & tamen pſeudoapoſtolorum maledictis aſſentiebantur. Exceptionem ironice adjungit, quod illis non fuiſſet oneri. nam revera hic erat cumulus tot beneficiorum quæ illis præſtiterat, gratuito illis ſerviiſſe: ſtrenue poſtea ipſum contemnere, ut faciebant, quid erat aliud niſi ejus modeſtiæ inſultare? id vero quantæ erat inhumanitatis? quare merito tam vecordem ſuperbiam acriter perſtringit. *Condonate mihi hanc injuriam*, inquit. Bis enim ingrati erant, qui non modo eum contemnebant, cujus beneficiis erant obſtricti: ſed probro quoque vertebant illi ſuam beneficentiam. Chryſoſtomus putat nullam ironiam ſubeſſe, potius eſſe excuſationis verba: ſed ſi quis propius expendat totum contextum, facile perſpiciet gloſſam hanc alienam eſſe à mente Pauli.

14. *Ecce, tertio.*] Commendat factum ſuum, pro quo peſſimam gratiam retulerat à Corinthiis. Se enim duabus de cauſis abſtinere dicit ab eorum facultatibus, quod eos quærat, non eorum opes: deinde quod patris officium erga ipſos velit facere. hinc apparet quam laudem mereatur ejus modeſtia, quæ contemptum illi pariebat apud Corinthios. *Non quæro quæ veſtra ſunt.* Veri probique Paſtoris officium, non lucrum ex ovibus quærere, ſed ovium ſalutem. quanquam notandum eſt, non ita quærendos eſſe homines, ut quiſque ſuos ſibi diſcipulos habeat. Malum eſt lucro eſſe addictum, aut quæſtus faciendi cauſa, Paſtoris munus obire: ſed diſcipulos abducere poſt ſe ambitionis cauſa, multo pejus. at Paulus intelligit mercedem ſe non captare, ſed de animarum ſalute duntaxat eſſe ſollicitum. plus tamen leporis habet quod dicit: valet enim perinde acſi dixiſſet, Ego ampliorem mercedem quam putetis, requiro: non ſum opibus veſtris contentus, ſed vos quæro totos, ut ſacrificium ex miniſterii mei proventu Domino offeram. Quid autem ſiquis ex labore ſuo paſcatur? an ille quæret populi ſubſtantiam? certe ſi fidelis eſt Paſtor, ſemper ovium ſalutem quæret, non aliud. ſtipendium quidem acceſſio erit: ſed non niſi eum quem dixi ſcopum ſpectare debet. væ alio collimantibus. *Parentes filiis.* Ergo pater non erat Philippenſium, qui eum etiam abſentem alebant? ergo ex reliquis Apoſtolis nullus erat pater, quibus victum miniſtrabant Eccleſiæ? Nequaquam id voluit: nam & parentes in ſenectute ali à filiis non eſt novum. non ergo protinus indigni patrum honore, qui ex Eccleſiæ ſumptibus vivunt: ſed Paulus tantum ex communi naturæ lege oſtendere voluit, provenire ex paterno affectu quod fecerat. Quare non debet argumentum hoc in contrariam partem retorqueri. Fecit enim hoc tanquam pater: ſed aliter agendo, pater eſſe non deſiiſſet.

15. *Ego vero libentiſſime impendam.*] Hoc vero pietatis magis quam paternæ teſtimonium, quod non ſuam operam modo & quicquid habet facultatis impendere paratus eſt erga eos, ſed vitam quoque: imo quum frigide ametur, in hoc nihilominus affectu pergat. Quam vel ferrei pectoris duritiem non emolliat aut frangat tantus amoris ardor, cum tali conſtantia præſertim conjunctus? Cæterum non prædicat hic Paulus de ſe quod miremur tantum, ſed quod etiam imitemur. quare hinc diſcant univerſi Paſtores quid Eccleſiis ſuis debeant.

16. Sed

16. Sed eſto: ipſe non gravavi vos: verum quum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.
17. Num per quenquam eorum quos miſi ad vos, expilavi vos?
18. Rogavi Titum, & una cum illo miſi fratrem: num quid à vobis extorſit Titus? annon eodem Spiritu ambulavimus? annon iiſdem veſtigiis?
19. Rurſum arbitramini quod nos vobis excuſemus? in conſpectu Dei in Chriſto loquimur: ſed omnia, chariſſimi, pro veſtra ædificatione.
20. Nam metuo ne qua fiat, ut ſi venero, non quales velim reperiam vos: & ego reperiar à vobis qualem nolitis: ne quo modo ſint contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, obtrectationes, ſuſurri, rumores, ſeditiones.
21. Ne iterum ubi venero, humiliet me Deus meus apud vos, & lugeam multos eorum qui ante peccaverunt, nec pœnitentiam egerunt immunditiæ, libidinis & impudicitiæ quam patrarunt.

16. *Sed eſto.*] Significant hæc verba, Paulum fuiſſe inſimulatum à malevolis, quaſi per homines ſubornatos emunxiſſet quod per ſe accipere recuſaverat. non quod tale quicquam feciſſet: verum ſua ulna (quod aiunt) alios metiebantur. Nam hoc improbis ſolenne eſt, quicquid facturi eſſent, ſi daretur facultas, in ſervos Dei impudenter torquere. Cogitur ergo Paulus, ut crimen impudenter confictum à ſe depellat, eorum quos miſit integritatem tueri: nam ſi quid peccaſſent, fuiſſet ei imputatum. Nunc quis miretur in eleemoſynis tam fuiſſe circumſpectum, qui tam iniquis judiciis poſtquam omnia caverat, premebatur. Cæterum ejus perſona nobis ſit exemplo, ne tam novum aut intolerabile nobis videatur, ſiquando ad ſimiles calumnias reſpondendum ſit. In primis autem ſit hæc nobis religioſæ cautionis admonitio, ne quam maledicis anſam præbeamus. Videmus enim non ſatis eſſe, ſi fidem noſtræ integritatis faciamus, niſi tales deprehendantur, quorum uſi fuerimus opera. quare delectus habendus eſt non levis neque perfunctorius, ſed exquiſitæ diligentiæ.

19. *Rurſum arbitramini.*] Quoniam anxie præ aliis excuſare ſe interdum ſolent qui ſibi male ſunt conſcii: veriſimile eſt, id quoque verſum fuiſſe in calumniam, quod ſuperiore Epiſtola incubuerat Paulus in defenſionem ſui miniſterii: deinde hoc vitioſum eſt in ſervis Chriſti, de ſua exiſtimatione nimis eſſe ſollicitos. Has igitur duas calumnias ut repellat, primum teſtatur ſe in conſpectu Dei loqui, quem malæ conſcientiæ ſemper reformidant. Secundo, aſſerit non tam ſui rationem ſe habere quam illorum. Per infamiam & bonam famam incedere, adeoque exinaniri paratus erat: ſed utile erat Corinthiis ipſum retinere exiſtimationem quam merebatur, ne vileſceret ejus miniſterium.

20. *Nam metuo.*] Declarat qualiter pertineat ad ipſorum ædificationem, ſuam integritatem vindicari: nam eo quod in contemptum venerat, multi quaſi excuſſis habenis laſciviebant. Reverentia autem, cauſa illis fuiſſet reſipiſcentiæ, quia ejus monitionibus auſcultaſſent. Timeo, inquit. Timor hic ex amore erat: nam niſi illi curæ fuiſſet ipſorum ſalus, facile id totum neglexiſſet, ex quo nihil privati commodi captabat. nam alioqui timetur offenſio quæ damnoſa fore proſpicitur. *Et reperiar à vobis.* Secundus timor, ne ſeverius agere cogatur. hoc vero non amoris modo, ſed etiam indulgentiæ ſignum, refugere ſeveritatem, & lenioribus remediis ſtudere. Perinde eſt acſi diceret, Quod nunc de aſſerenda mea auctoritate contendo, & in obedientiam reducere vos conor: id facio ne in veſtram contumaciam durius ſit animadvertendum, ſi venero & nihil in vobis deprehendero correctionis. Ergo ſuo exemplo docet moderata ſemper remedia quærenda eſſe Paſtoribus, quibus vitia corrigant, priuſquam ad præciſam ſeveritatem ferantur: & ſimul monendo & objurgando antevertendum eſſe ultimum rigorem. *Ne quo modo ſint contentiones.* Enumerat vitia quæ præcipue regnabant inter Corinthios: quæ omnia fere ex eodem fonte proficiſcuntur. niſi enim ſibi quiſque fuiſſet addictus, nunquam certaſſent inter ſe, nunquam æmulati eſſent alii alios, nunquam obtrectaſſent. Una igitur ſumma eſt prioris catalogi, Defectus charitatis: quia prævalebat φιλαυτία & ambitio.

21. *Ne iterum ubi venero, humiliet.*] Humilitas illi vitio dabatur, ejus culpam retorquet in Corinthios, qui quum deberent ejus Apoſtolatum decorare, ignominia potius afficiebant. Gloria enim & decus Apoſtolatus Pauli fuiſſet illorum profectus. quum ergo diffluerent multis vitiis, contumeliam illi, quantum in ſe erat, irrogabant. Hoc crimine non accuſat quidem omnes, ſed paucos qui petulanter omnia ejus monita contempſerant. Senſus eſt igitur, Contemptim de me ſentiunt, propterea quod abjectus videor. ergo ne humiliationis cauſam mihi præbeant: quin ipſi potius depoſita ferocia, verecundiæ ſenſum induant: & flagitiis ſuis confuſi, ſe humi proſternant, non ex alto deſpiciant alios. Interea veri & germani Paſtoris affectum nobis exprimit, quum luctu aliorum peccata ſe proſequuturum dicit. Et ſane ita agendum eſt: ut ſuam quiſque Paſtor Eccleſiam animo incluſam geſtet, ejus morbis perinde ac ſuis afficiatur, miſeriis condoleſcat, peccata lugeat. Videmus ut Jeremias fontem lachrymarum ſibi dari poſtulet, ad deflendam populi ſui calamitatem. *Jerem. 9. verſ. 1.* videmus ut pii Reges & Prophetæ, quibus mandata erat populi gubernatio, ſimiles affectus ſuſceperint. Eſt quidem hoc piorum omnium commune, dolore affici quoties Deus offenditur, & fratrum exitium deplorare, ac ſe quodammodo reos pro illis ſupponere apud Deum: ſed plus à Paſtoribus requiritur. Porro hic ſecundum catalogum vitiorum recenſet Paulus, quæ tamen ad unum caput pertinent, nempe Impudicitiam.

CAP. XIII.

HIc tertius erit adventus meus ad vos, In ore duorum aut trium teſtium ſtabilitur omne verbum. *Deut. 16. verſ. 15. Mat. 18. verſ. 16. Joan. 8. verſ. 17. Hebr. 10.*
2. Prædixi & prædico, ut præſens quum eſſem iterum, ita & abſens nunc ſcribo iis qui ante peccaverunt, & reliquis omnibus: quod ſi venero denuo, non parcam.
3. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Chriſti: qui erga vos non eſt infirmus, ſed potens eſt in vobis.

4. Nam

4. Nam quamvis crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. ſiquidem & nos infirmi ſumus in illo, ſed vivimus cum illo, ex virtute Dei erga vos.

1. *Hic tertius* &c.] Pergit in redarguenda eorum protervia, de quibus loquutus eſt: quorum alii diſſolute & libidinoſe viventes, alii contentiones & certamina exercentes inter ſe, ejus reprehenſionem non curabant. neque enim in corpus ipſum Eccleſiæ competebat oratio: ſed in membra quædam morbida & ſemiputria. Ideo nunc liberius aſperitati indulget, quia negotium illi eſt cum privatis hominibus, non toto populo: deinde cum ejuſmodi hominibus, apud quos humanitate & lenibus remediis nihil ſe profecturum ſentiebat. Poſt tranſactum apud eos ſeſquiannum, ſecundo eos inviſerat. nunc tertio ſe venturum denunciat: ac tres ſuos adventus ad convincendam eorum contumaciam, inſtar trium teſtium fore dicit. Citat Legem de auctoritate teſtium, non genuino quidem & literali (ut vocant) ſenſu, ſed per anagogen aut ſimilitudinem, ſuo inſtituto eam accommodans. Verbum, inquit, Legis eſt, ſtandum eſſe duorum aut trium teſtimonio in finiendis controverſiis. Nam verbum Stabiliri, eſt de re ipſa pronunciari, ut lis finiatur. Ego quidem unus ſum, ſed tertio adveniens, trium teſtium habebo auctoritatem: vel, tres mei adventus, trium teſtimoniorum loco erunt. Triplex enim labor pro illorum ſalute ſumptus, & tribus diverſis temporibus approbata ejus conſtantia, tres homines non immerito valebant.

2. *Prædixi & prædico.*] Nihil toties amicæ & placidæ monitiones profuerant. ergo ad durius remedium ſe convertit: quod jam illis coram verbis minatus fuerat. Quum videmus eum tam præciſe agere, ne dubitemus illos mirum in modum indomitos fuiſſe ac præfractos. patet enim ex ejus ſcriptis quanta fuerit alioqui manſuetudine, quam indefeſſa tolerantia. Verum ut multa ignoſcere & ſufferre, boni eſt patris: ita ſtulti eſt ac liberorum ſaluti male conſulentis, non adhibere in tempore ſeveritatem, & clementiam rigore temperare. Satis experimur, nihil eſſe pernicioſius diſſoluta indulgentia. proinde lenitate utamur, dum licet, & quidem gravi & moderata: auſterius, ubi neceſſe erit, nos geramus. Sed quæritur cur ſibi permiſerit Apoſtolus privata quorundam delicta ſic palam traducere, ut homines ipſos propemodum digito notet. Reſpondeo, nunquam id fuiſſe facturum ſi occulta fuiſſent peccata. verum quum manifeſta eſſent omnibus & uſque ad pernicioſum exemplum divulgata, non debuit auctoribus publici offendiculi parcere. Quæritur ſecundo, quale genus correctionis inflicturum ſe illis minetur: quum verbis acerbius vix poſſit eos caſtigare. Ego non dubito quin excommunicatione ſe vindicaturum adverſus eos intelligat. Quid enim magis horrendum quam reſecari à Chriſti corpore, ex regno Dei exterminari & Satanæ tradi in excidium, niſi reſipiſcas?

3. *Quandoquidem experimentum.*] Duplex elici ſenſus poteſt ex his verbis. prior eſt, Quandoquidem probare vultis, loquarne à meipſo, an Chriſtus per me loquatur. atque ita exponunt Chryſoſtomus & Ambroſius. Mihi tamen magis placet ita accipi, ut teſtificetur non tam de ſe haberi quæſtionem, quam de Chriſto ipſo, quum auctoritati ſuæ derogatur: tentari Chriſti patientiam, quum ſpernuntur ſuæ admonitiones. acſi diceret, Chriſtus eſt qui per me loquitur: quum ergo meam doctrinam revocatis ad veſtrum examen, non tam mihi quam illi facitis injuriam. Sed objiciet quiſpiam, Quid? ergone ſimulac quiſque jactaverit Chriſtum ſe habere auctorem, eximetur ab omni probatione ejus doctrina? & quis pſeudopropheta hoc non jactabit? quod igitur erit diſcrimen veri & falſi? & ubi tunc erit illud, Probate ſpiritus numquid ex Deo ſint? Omnes ejuſmodi objectiones anticipat Paulus, quum Chriſtum dicit fuiſſe efficacem in illis per ſuum miniſterium. Conjunctim enim hæc legenda ſunt: *Chriſti in me loquentis:* &, *qui in vobis potens eſt, non infirmus:* hoc ſenſu, Chriſtus ſuam erga vos potentiam exerendo in mea doctrina, ſe per os meum loqui teſtatus eſt: ut ignorantiæ nulla vobis ſit excuſatio. Videmus ut non jactet verbis tantum, ſed re ipſa probet Chriſtum in ſe loqui: & Corinthios prius convincat, quam ab illis fidem ſibi haberi poſtulet. quiſquis ergo loquetur in Eccleſia, qualicunque ſe titulo venditet, licebit de ejus doctrina inquirere, donec ſe in ea patefecerit Chriſtus: neque ita de Chriſto, ſed de homine judicium fiet. Sed ubi conſtat Dei verbum eſſe quod profertur: valet hoc quod dicit Paulus, fidem ipſi Deo abrogari. Eadem fiducia dicebat Moſes, Quid ſu- *Num. 16.*
mus ego aut Aaron? vos Deum tentatis. Similiter *verſ. 12.*
Jeſaias, An parum eſt vobis quod moleſti eſtis homi- *Jeſa. 7: 6.*
nibus, niſi etiam moleſti ſitis Deo meo? Neque enim amplius reſtat tergiverſationi locus, hoc patefacto, miniſtrum eſſe Dei qui loquitur, & fideliter officium facere. Redeo ad Paulum. quum tanta fuiſſet miniſterii ejus approbatio apud Corinthios, in quo Dominus ſe palam demonſtraverat: non mirum ſi tam indigne ferat ſibi reſiſti. Jure quidem ſuo exprobrare illis potuit quod exprobrat: rebelles ſcilicet eſſe Chriſto.

4. *Nam quamvis crucifixus fuit.*] Data opera de abjectione Chriſti loquutus eſt, ut ſubindicaret non aliud in ſe deſpici, quam quod in ipſo etiam Chriſto
deſpicere promptum eſſet, quum exinanitus fuerit *Phil. 2: 7.*
uſque ad mortem crucis. Verum ſimul oſtendit quam abſurdum ſit crucis humilitatem in Chriſto deſpicere, quæ conjuncta ſit cum incomparabili reſurrectionis gloria: acſi diceret, An ideo minoris æſtimabitur à vobis Chriſtus, quod infirmitatem morte ſua præ ſe tulerit? quaſi vero cæleſtis ejus vita, qua poſt reſurrectionem vivit, divinæ ejus virtutis non ſit luculentum ſpecimen. Nam ſicut caro hic humanam Chriſti naturam ſignificat: ita nomen Dei pro ejus divinitate capitur. Verum hic exoritur quæſtio, numquid tali infirmitate laboraverit Chriſtus, ut ſubjectus neceſſitati fuerit, non volens. nam quod ex infirmitate patimur, patimur coacti & non propria libertate. Quum olim abuterentur hoc prætextu Ariani ad impugnandam Chriſti divinitatem, Patres orthodoxi ſolutionem attulerunt, factum id fuiſſe diſpenſatione: quia ita voluerit Chriſtus: non autem quod eum ulla neceſſitas coëgerit. quæ reſponſio vera eſt, modo dextre intelligatur. Sed ſunt qui perperam diſpenſationem extendunt ad humanam Chriſti voluntatem: quaſi non fuerit hæc naturæ ejus conditio, ſed permiſſio præter naturam. exempli gratia, Quod mortuus eſt, dicunt non accidiſſe quod proprie morti obnoxia eſſet ejus humanitas, ſed diſpenſatione: quia mori voluerit. Fateor quidem ideo mortuum quia voluit: ſed unde hæc voluntas, niſi quia naturam mortalem ſponte induit? Quod ſi facimus humanam Chriſti naturam ita noſtræ diſſimilem, everſum eſt præcipuum fidei noſtræ fundamentum. quare ita intelligamus, Chriſtum diſpenſatione, non coactione eſſe paſſum: quia quum in forma Dei eſſet, ſe ab hac neceſſitate eximere poterat: paſſum nihilominus ex infirmitate, quia ſemetipſum exinanivit. *Nos infirmi ſumus in illo.* Infirmum eſſe in Chriſto, hic ſignificat ſocium eſſe infirmitatis Chriſti. Ita ſuam infirmitatem glorioſam facit, quod in ea Chriſto ſit conformis: neque jam amplius horreat probrum quod ſibi commune eſt cum Filio Dei. ſed interea dicit ſe victurum erga eos Chriſti exemplo. Ego quoque, inquit, particeps ero vitæ Chriſti, poſtquam fuero infirmitate

defun-

defunctus. *Vitam* opponit *infirmitati*: ideoque hoc nomine florentem & plenum dignitatis ſtatum intelligit. Particula *erga vos*, poteſt etiam cum *Dei virtute* conſtrui: ſed parum refert, quia ſemper manet idem ſenſus: Corinthios, poſtquam rectè judicare cœperint, reverenter & magnibce de virtute Dei quæ in Paulo erat, ſenſuros: nec externam infirmitatem amplius habituros deſpectui.

5. Voſmetipſos tentate num ſitis in fide: voſipſos probate. annon cognoſcitis voſmetipſos, quod Jeſus Chriſtus in vobis eſt? niſi ſicubi reprobi eſtis.
6. At ſpero vos cogniturros quod nos non ſimus reprobi.
7. Opto autem apud Deum nequid malefaciatis: non quo nos probati appareamus: ſed ut vos quod honeſtum eſt, faciatis: nos vero veluti reprobi ſimus.
8. Non enim poſſumus quicquam adverſus veritatem, ſed pro veritate.
9. Gaudemus enim quūm nos infirmi fuerimus: vos autem validi fueritis. hoc vero etiam optamus, veſtram integritatem.

5. *Voſmetipſos tentate.*] Confirmat quod ſuperius dixerat, Chriſti virtutem palam apparuiſſe in ſuo miniſterio. Hujus enim rei facit ipſos judices, modo in ſe deſcendant, atque agnoſcant quid ab ipſo acceperint. Primum, quum unus ſit Chriſtus, neceſſe eſt ut in miniſtro & populo idem habitet. In populo vero habitans, quomodo ſeipſum in miniſtro abnegabit? deinde ita vim ſuam exeruerat in Pauli prædicatione, ut Corinthiis dubia aut obſcura eſſe non poſſet, niſi prorſus ſtupidi eſſent. Unde enim fidem habebant? unde Chriſtum? unde omnia denique? merito itaque revocantur ad ſeipſos, ut ibi reperiant quod tanquam ignotum contemnunt. Hæc demum vera eſt ac bene fundata miniſtri fiducia, ad doctrinæ ſuæ approbationem conſcientias eorum citare quos docuit: ut ſi quid habent Chriſti & ſinceræ pietatis, cogantur ejus fidem agnoſcere. Tenemus jam quorſum ſpectet Apoſtolus. Cæterum hic locus ſingulari obſervatione dignus eſt, propter duas cauſas. Primum enim oſtendit relationem quæ eſt inter fidem populi & miniſtri prædicationem: nempe quod hæc ſit mater quæ generat & parit, illa ſit filia quæ originem ſuam non debet obliviſci. ſecundo valet ad probandam fidei certitudinem, quam nobis Sorbonici ſophiſtæ labefactarunt, imo penitus exterminarunt ex hominum animis. Temeritatis damnant quotquot perſuaſi ſunt ſe eſſe Chriſti membra, & illum habere in ſe manentem: nam morali (quam vocant) conjectura, hoc eſt, ſola opinione contentos eſſe nos jubent, ut conſcientiæ perpetuo ſuſpenſæ hæreant ac perplexæ. Quid autem hic Paulus? reprobos eſſe teſtatur quicunque dubitant an poſſideant Chriſtum, & ſint ex illius corpore. Quare ſit nobis hæc ſola recta fides, quæ facit ut tuto, neque dubia opinione, ſed ſtabili conſtantique certitudine in gratia Dei acquieſcamus. *Niſi ſicubi reprobi eſtis.* Defert illis quodammodo optionem, malintne reprobi eſſe quam debitum reddere ſuo miniſterio teſtimonium. nihil enim medium relinquit, quin aut Apoſtolatum ſuum revereantur, aut ſe reprobos eſſe concedant. quandoquidem in ejus doctrina fundata erat eorum fides: neque alium habebant Chriſtum, quam ab ipſo acceperant: neque aliud Evangelium, quam quod eo tradente erant amplexi. ut fruſtra ullam ſalutis ſuæ partem ſeparare ab illius laude tentarent.

6. *Spero vos cogniturros.*] Vehementius etiamnum ipſos urget, quum fiduciam hanc præſumit, ſe non reprobatum iri à Corinthiis. Alterutrum erat neceſſe, vel ut Paulo deferrent Apoſtoli honorem, vel ut ſeipſos damnarent infidelitatis, ac faterentur nullam ſe habere Eccleſiam. mitigat tamen rigorem, quum utitur verbo Sperandi: ſed ita ut eos officii ſui melius admoneat: nam ſpem de æquitate noſtra conceptam fruſtrari, nimis inhumanum eſt. Spero, inquit, vos cogniturros, ubi ſcilicet ad ſanam mentem redieritis. Prudenter autem in hoc ſecundo membro de ſe tacet, ad reputanda Dei beneficia quibus ornati erant, eos revocans: imo eorum ſalutem in locum ſuæ auctoritatis ſubſtituens.

7. *Opto autem apud Deum.*] Rurſus teſtatur ſe proprium honorem nihil morari: ſed ipſorum tantum utilitati velle conſulere. nihil enim minus illis expediebat, quam doctrinæ ejus fructu privari: quod ſuperbia ſua & contemptu facere cœperant. De me, inquit, aut de mea inter homines æſtimatione non ſum ſollicitus: ſed tantum timeo ne Deum offendatis: quin etiam paratus ſum eſſe tanquam reprobus, modo vos careatis omni culpa: Reprobus, inquam, hominum judicio, qui perſæpe rejiciunt qui digni erant præcipuo honore. quanquam etiam particula *veluti*, minime ſupervacua eſt. Hoc enim eſt quod alibi dicit, Tanquam impoſtores, & tamen veraces. *ſupra, 6.*
Atque hæc ſane vera eſt regula, ut Paſtor, *verſ. 2.* poſthabita ſui ratione, in ſolam Eccleſiæ ædificationem ſit intentus. Famam curet, quatenus publicæ utilitatis intereſſe viderit: negligere paratus ſit, quoties licuerit abſque publico incommodo.

8. *Non enim poſſumus.*] Hoc eſt, non aliam quæro poteſtatem, neque appeto, quam quæ mihi à Domino collata eſt, ut ſerviam veritati: pſeudoapoſtolis perinde eſt, modo poſſint: neque illis curæ eſt ſua poteſtate uti in bonum. In ſumma, honorem ſui miniſterii tuetur ac vendicat, quatenus conjunctus eſt cum Dei veritate. acſi diceret, Quid ad me? niſi enim mihi hoc ſit propoſitum, ſervire veritati, falſa erit & injuſta omnis poteſtas quam uſurpavero. Si autem quicquid valeo, id confero ad promovendam veritatem: jam non ago proprium meum negotium: ſalva autem doctrinæ auctoritate, veritate illæſa, habeo quod volo. quod igitur tantopere contendo, huc privato perſonæ meæ ſtudio non impellor. Cæterum hac ratione innuit, eum qui pro ſola veritate pugnat ac laborat, ſi ita opus ſit, non ægre paſſurum ut tanquam reprobus habeatur hominum opinione, modo ne quid obſit Dei gloriæ, Eccleſiæ ædificationi, & ſanæ doctrinæ auctoritati. Locus hic diligenter eſt obſervandus, propterea quod poteſtatem quam habere debent Eccleſiæ Paſtores, ſuis finibus terminat: nempe ut ſint miniſtri veritatis. Clamant Papiſtæ dictum eſſe, Qui vos audit, me audit: qui vos *Luc. 10.*
ſpernit, me ſpernit. Item, Obedite præpoſitis ve- *verſ. 16.*
ſtris. atque hoc prætextu nihil non licentiæ ſibi *Hebr. 13.*
ſumunt ad infinitam dominationem uſurpandam: *verſ. 17.*
quum tamen veritatis profeſſi ſint & jurati hoſtes, ejuſque deſtructionem totis viribus moliantur. Ad tantam impudentiam refellendam ſufficiet una hæc Pauli ſententia, quæ pronunciat veritati ſubeſſe ipſos oportere.

9. *Gaudemus enim* &c.] Aut particula cauſalis γὰρ loco illativæ accipi debet, aut ſecunda eſt ratio cur non recuſet haberi veluti reprobus, in eorum gratiam & commodum. Eligat lector utrum volet: parum enim refert. Quum dicit, Modo ſitis validi, libenter ſuſtinebo haberi infirmus: oppoſitio eſt vocum, non ſenſuum: nam infirmitas contemptum ſignificat, ſicut prius. Validos autem fore Corinthios intelligit, ſi pleni ſint virtute & gratia Dei. *Hoc vero* &c. Quemadmodum jam aliquoties fecit antehac, iterum nunc repetit, Se neceſſitate, non proprio impulſu

impulſu fuiſſe auſteriorem quam vellent. deinde hoc quoque modo ſe illis pepercifſe, ne coram duriore remedio cogeretur uti. Integritas de qua loquitur, conſiſtit in apta membrorum omnium ſymmetria & ſanitate. Alludit autem ad bonos medicos, qui morbos particulares ita curant, ut nihil in corpote mutiletur. & quia ejuſmodi integritatis curam babet, ideo ſe dicit neceſſitatem prævenire acriora remedia adhibendi. Videmus enim ut qui punctionem vel morſum cataplaſmatis initio eahorrent, ad uſtioois vel ſectionis cruciatum adigantur tandem, etiam periculoſo eventu.

10. Propterea hæc abſens ſcribo: ne quum præſens fuero, rigidus ſim, juxta poteſtatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem.

11. Quod ſupereſt, fratres, valete, integri eſtote, conſolationem habete, unanimes ſitis, in pace agite: & Deus charitatis ac pacis erit vobiſcum.

12. Salutate vos mutuo in oſculo ſancto. ſalutant vos ſancti omnes.

13. Gratia Domini Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Amen.

Ad Corinthios ſecunda miſſa fuit à Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam.

10. *Juxta poteſtatem*] Primum rigorem illum munit Dei mandato, ne tonitru videatur ſine fulmine, aut temere concitatus impetus. deinde admonet ſe malle convertere ſuam poteſtatem in alium uſum, in quem proprie deſtinata eſt, nempe in eorum ædificationem. acſi diceret, Non temere proſiliam ad cruenta remedia, neque iracundiæ meæ indulgebo, ſed tantum exequar quod Dominus mihi mandavit. Poteſtatem ſibi ad extruendum datam, non autem ad deſtruendum, paulo diverſa occaſione dicit, quam ſuperius capite decimo. Illic enim erat commendatio ab utilitate: quia gratioſum eſſe ſolet, atque à nobis libenter recipitur quod è re noſtra eſt. hic vero duntaxat teſtari voluit, Quanquam merito acerbam plagam infligere poſſet Corinthiis, tamen ſibi longe eſſe optabilius, poteſtatem ſuam in bonum eorum exercere, quam in exitium: quia proprius
Rom. 1. verſ. 16. fit illius finis. Nam ſicuti Evangelium ſuapte natura,
ſupra, 2. v. 15, 16. potentia Dei eſt in ſalutem, & odor vitæ in vitam: per accidens vero odor eſt mortis: ita auctoritas quæ illius miniſtris collata eſt, ſalutaris eſſe debet auditoribus: ſi autem cedit in condemnationem, id eſt præter ejus naturam. Senſus eſt igitur, Nolite veſtra culpa committere ut in exitium vobis vertatur quod Deus in ſalutem ordinavit. Interea Paſtores omnes admonet Apoſtolus ſuo exemplo, qualiter uſum ſuæ poteſtatis moderari debeant.

11. *Quod ſupereſt, fratres.*] Temperat quicquid fuit acerbitatis in tota Epiſtola: quia nolebat exaſperatos relinquere eorum animos, ſed magis placare. tunc enim proſunt objurgationes, quum veluti melle condiuntur, ut eas auditor placide admittat: ſi quidem fieri poteſt. quanquam videtur à paucis morbidis redire ad totam Eccleſiam. Itaque ejus integritati ſe conſulere teſtatur, & conſolationem optare. *Unanimes eſſe*, & *in pace agere*, differunt: quia aliud ex alio provenit. prius pertinet ad opinionum conſenſum: altero benevolentia & animorum conjunctio ſignificatur. *Et Deus pacis.* Hoc addit, quo plus apud eos valeat exbortatio. ſimul autem innuit Deum nobis adfuturum, ſi pacem inter nos colamus: alienos vero eſſe ab eo quicunque diſſident. Ubi enim diſcordiæ & contentiones, illic diabolum regnare certum eſt. Porro quæ conventio luci cum tenebris? Deum pacis & dilectionis vocat, qui pacem & dilectionem nobis commendavit, qui eas amat, qui earum eſt auctor. De *oſculo* diximus in duas Epiſtolas ſuperiores.

13. *Gratia Domini Jeſu.*] Claudit Epiſtolam precatione quæ tria membra continet, in quibus ſalutis noſtræ ſumma conſiſtit. Primum illis optat Chriſti gratiam: ſecundo, Dei dilectionem: tertio, communicationem Spiritus. Vocabulum Gratiæ non hic ſignificat gratuitum favorem, ſed metonymice capitur pro toto redemptionis beneficio. ſed videtur hic ordo inverſus, quod poſterior nominatur Dei dilectio, quæ tamen cauſa eſt illius gratiæ, ideoque ordine præcedit. Reſpondeo, non adeo accuratam ſemper eſſe verborum collocationem in Scripturis: tamen hunc quoque ordinem congruere communi docendi formæ quæ habetur in Scripturis, Nos ſcilicet, quum inimici eſſemus Deo, reconciliatos fuiſſe Rom. 5. verſ. 10.
per mortem Filii ejus. quanquam dupliciter Scriptura loqui ſolet. interdum enim pronunciat quod jam citavi ex Paulo, Inimicitias fuiſſe inter nos & Deum antequam per Chriſtum reconciliaremur. econverſo audimus quid dicat Joannes, Deum ita Joan. 3. verſ. 16.
dilexiſſe mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, &c. Videntur in ſpeciem contrariæ ſententiæ. at facilis eſt conciliatio: ſiquidem hinc Deum, inde nos intuemur. Nam Deus, quantum ad ſe, dilexit ante mundi creationem, neque alia de cauſa nos redemit, niſi quia diligebat: nos autem quum in nobis nihil cernamus præter materiam iræ, hoc eſt, peccatum, nullam Dei erga nos dilectionem apprehendere poſſumus abſque Mediatore. Ita fit ut reſpectu noſtri, initium dilectionis ſit à Chriſti gratia. Secundum priorem rationem improprie loquutus eſſet Paulus, amorem Dei, Chriſti gratiæ poſtponens, hoc eſt, cauſam effectui. at ſecundum alteram apta eſſet diſpoſitio, incipere à Chriſti gratia, per quam factum eſt ut Deus nos adoptaverit in filios, & amore ſuo dignatus ſit, quos ante propter peccatum odio & abominationi habebat. *Communicatio Spiritus ſancti* additur, quia nonniſi ſola ejus directione pervenimus in Chriſti omniumque ejus bonorum poſſeſſionem. Videtur tamen ſimul ad donorum varietatem, cujus alibi meminit, alludere: quia Deus non ſingulis ſeorſum largitur Spiritum, ſed pro gratiæ menſura cuique diſtribuit, ut Eccleſiæ membra viciſſim inter ſe communicando, unitatem foveant.

Illuſtriſ-

Illuſtriſſimo Principi ac Domino,

DOMINO CHRISTOPHORO,

Duci Wirtebergenſi, Comiti Monsbelgardiæ, &c.

J O A N N E S C A L V I N U S S.

QUod ego homo tibi ignotus, Princeps illuſtriſſime, hanc meam lucubrationem tuo nomini dicare non vereor: hujus fiduciæ nonnulla excuſatio afferenda eſt, ne temeritatis à quibuſdam forte damnetur. Ea vero, ut facilis eſt ac expedita, ita brevis erit. Duæ autem ſunt præcipuæ rationes quæ huc me impulerunt. Tametſi enim ad pergendum in recto curſu ſatis voluntarius per te ſis ac ſtrenuus, hunc tamen non ſupervacuum fore ſtimulum exiſtimavi, ſi te nominatim invitarem ad ſtudium ejus lectionis, ex qua non parum confirmationis tibi accedet. Nam adjumentum hoc, quo plerique hodie carent Principes, divinitus tibi contigit, ut liberaliter à puero inſtitutus in Linguæ Latinæ ſcientia, legendis utilibus ac piis ſcriptis vacare queas. Quod ſi ullum fuit unquam tempus, quo neceſſariæ eſſent ex pia doctrina conſolationes: quid aliud vel maxime heroicis pectoribus reliqui facit præſens Eccleſiæ calamitas, imo plures ac indigniores, quæ inſtare etiamnum videntur? Itaque, ut quiſque ad extremum invictus ſtare cupit, in hanc fulturam totus recumbat: ut quiſque firmum præſidium appetit, conferre ſe diſcat in hoc veluti aſylum. Porro in his quatuor Epiſtolis, quas meo labore explicatas tibi offero, eximie Princeps, multa conſolationis argumenta reperies, his temporibus valde apta: quibus recenſendis ideo nunc ſuperſedeo, quod ultro ſuis locis & quidem melius patefient. Venio ad ſecundam rationem, qua me, ut opus hoc tibi dicarem, impulſum fuiſſe dixi nam quum in hac rerum perturbatione, quæ alios concutit, alios dejicit prorſus, mira tibi conſtet animi æquabilitas & moderatio, & ſimul adverſus quaſvis procellas ſingularis conſtantia: totius Eccleſiæ magnopere referre exiſtimo, in te, quaſi in illuſtri ſpeculo, propoſitum omnibus eſſe exemplum quod imitentur. Nam quum hanc ſuis omnibus legem communiter præſcribat Filius Dei, ut malint ſub crucis ſuæ vexillo militare, quam triumphare cum mundo: pauciſſimi reperiuntur qui ad obeundam talem militiam ſint parati. quo magis neceſſe eſt, raris iſtis exemplis, quale in te perſpicitur, paſſim omnes excitari, ut ſuam mollitiem corrigere diſcant. De meis commentariis hoc tantum dicam, Plus forte in illis contineri, quam mihi verecunde profiteri liceat. cujus rei malo ex ipſa lectione judicium ipſe facias. Vale, Princeps illuſtriſſime. Dominus Jeſus te ſibi & Eccleſiæ ſuæ diu ſervet incolumem, Spirituque ſuo regat. Genevæ, Calendis Februarii, M. D. XLVIII.

IN EPISTOLAM AD GALATAS

ARGUMENTUM.

QUam Aſiæ partem incoluerint Galatæ, & quibus finibus limitata fuerit eorum regio, ſatis notum eſt: ſed unde fuerint oriundi, non perinde conſtat inter ſcriptores. Gallos quidem fuiſſe, omnes conſentiunt: unde & nomen Gallogræcis. Ex qua autem parte Galliæ profecti ſint, minus convenit. Strabo ex Gallia Narbonenſi prodiiſſe Tectoſages, alios Celtas fuiſſe putavit: quem omnes fere ſunt ſequuti. Sed quum Plinius Tectoſagis Ambianos annumeret, deinde omnium conſenſu ſocios habuerint Toliſtobogos, qui fuerunt Rheni accolæ: mihi veriſimilius eſt Belgas fuiſſe, ab ultimo Rheni tractu, verſus mare Britannicum. Toliſtobogi enim eam partem tenebant, in qua nunc habitant Clevenſes ac Brabantii. Verum inde natus eſt error, mea opinione: quod quum manus aliqua Tectoſagum in Narbonenſem Galliam irruptionem feciſſet, nomen ſuum retinuit; & regioni quam occupaverat, ipſum impoſuit. Atque hoc ſignificat Auſonius, quum dicit, Uſque in Teutoſagos primævo nomine Belgas. Nam & Belgas nominat: & initio Teutoſagos fuiſſe vocatos teſtatur, qui poſtea Tectoſagi dicti fuerint. Quod autem Cæſar Tectoſagos in Hercynia ſylva collocat, id migratione factum fuiſſe intelligo: & ex contextu etiam colligere licet. Cæterum de gentis origine plus ſatis quod ad præſentem locum. Galatas, qui partem Aſiæ à ſe nominatam tenuerunt, ſicut in tres præcipuos populos diviſi erant, Tectoſagas, Toliſtobogos, & Trocmos, ita etiam tres habuiſſe præcipuas civitates tradit Plinius. Tanta autem potentia olim floruerunt inter vicinos imbelles, ut magna pars Aſiæ minoris illis eſſet tributaria: tandem exoleſcente patria virtute, deliciis ac luxui ſe dediderunt. Itaque non magna virtute prælio victi & ſubacti fuerunt à Cn. Manlio Conſule Romano. Tempore Pauli ſub Romanorum ditione erant. Porro quum pure ac fideliter eos inſti-

tuiſſet in Euangelio: ſupervenerant eo abſente pſeudoapoſtoli, qui verum ſemen falſis & vitioſis dogmatibus corruperant. Docebant enim neceſſariam eſſe adhuc obſervationem ceremoniarum. Videri poterat res levis momenti in ſpeciem. at Paulus tanquam de primario Chriſtianæ fidei capite dimicat. neque immerito: non enim leve malum eſt, ſuffocari Euangelii claritatem, laqueum injici conſcientiis, tolli diſcrimen veteris & novi Teſtamenti. videbat præterea his erroribus conjunctam quoque eſſe impiam & pernicioſam opinionem promerendæ juſtitiæ. Hæc cauſa eſt cur tanta vehementia & contentione depugnet. nos quoque admoniti quam gravis & ſeria diſputatio hic tractetur, eo plus attentionis afferamus ad legendum. Si quis cauſam æſtimet ex Origenis aut Hieronymi commentariis, mirabitur Paulum tantopere fuiſſe commotum ob ritus quoſdam externos. ſed quiſquis fontem ipſum inſpiciet, agnoſcet res fuiſſe tam acri diſceptatione non indignas. Quia autem nimia credulitate, imo levitate ac ſtultitia, paſſi fuerant Galatæ ſe à recto curſu abduci: ideo aſperius illos reprehendit. neque enim iis aſſentior, qui pro ingenii tarditate durius fuiſſe tractatos opinantur. Tentati fuerant etiam Epheſii & Coloſſenſes. ſi tam leviter ceſſiſſent impoſturis, putamusne mitius cum illis acturum fuiſſe Paulum? Hanc igitur objurgandi libertatem non populi natura illi dedit, ſed rei potius indignitas extorſit. Nunc poſtquam tenemus quæ fuerit cauſa ſcribendæ Epiſtolæ, veniamus ad tractationis ordinem. Duobus primis capitibus pro auctoritate ſui Apoſtolatus contendit: niſi quod per occaſionem, ſub finem ſecundi capitis, in præcipuum ſtatum ingreditur: hoc eſt, in quæſtionem De juſtificatione hominis: de qua tamen tertio demum capite juſtam ex profeſſo diſputationem inſtituit. Tametſi autem duobus iſtis capitibus multa videtur tractare: hoc tamen unum agit, ut ſe parem ſummis Apoſtolis eſſe probet: ſibique nihil deeſſe quin Apoſtolus eodem cum illis honoris gradu cenſeatur. Sed ſcire operæpretium eſt cur de ſua exiſtimatione tantopere laboret. nam modo regnet Chriſtus, & ſalva maneat doctrinæ puritas: quid refert ſitne major Petro, an inferior, vel an ſint omnes inter ſe æquales? Si omnes minui oportet ut creſcat ſolus Chriſtus, inutile eſt de hominum dignitate certamen. Deinde hoc etiam quæri poteſt, cur ſe aliis Apoſtolis comparet. quæ enim illi cum Petro, & Jacobo, & Joanne controverſia? quorſum igitur attinebat unanimes & bene conjunctos inter ſe opponi? Reſpondeo, pſeudoapoſtolos, qui Galatis impoſuerant, quo ſe melius venditarent, Apoſtolorum nomina prætexuiſſe, quaſi ab ipſis miſſi fuiſſent. Hæc præclara erat inſinuatio, quod credebantur ſuſtinere Apoſtolorum perſonam, & quaſi ex eorum ore loqui: Paolo interea nomen ac jus Apoſtoli detrahebant. Objiciebant enim non fuiſſe electum à Domino unum ex duodecim: nunquam fuiſſe à collegio talem agnitum; doctrinam ſuam non tantum à Chriſto non habere, ſed ne ipſis quidem Apoſtolis. ita fiebat ut non modo imminueretur Pauli auctoritas: ſed tanquam unus quiſpiam è grege, ipſis eſſet longe inferior. Si actum fuiſſet de perſonis duntaxat, non fuiſſet grave Paulo haberi gregarium aliquem diſcipulum: ſed quum videret doctrinam ſuam inde vileſcere, minoriſque haberi, tacere non debebat quin fortiter reclamaret. Hoc eſt artificium Satanæ, quum doctrinam palam impetere non audet, obliquis cuniculis dejicere ejus majeſtatem. Meminerimus ergo, in perſona Pauli fuiſſe veritatem Euangelii impugnatam: nam ſi paſſus fuiſſet honore Apoſtolatus ſe exui, ſequebatur, eum hactenus plus uſurpaſſe quam ſibi competeret. hæc falſa gloriatio in aliis quoque eum ſuſpectum reddidiſſet. Inde etiam pendebat doctrinæ æſtimatio, quod non tanquam à Chriſti Apoſtolo profecta ſuſcipi cœpiſſet, ſed à vulgari diſcipulo. Ex adverſo obruebatur ſplendore magnorum nominum. Illi enim quum Petri, & Jacobi, & Joannis titulo gloriarentur, ſibi Apoſtolicam auctoritatem arrogabant. Huic jactantiæ niſi viriliter reſtitiſſet Paulus, locum cedebat mendacio, & rurſus in ſua perſona veritatem opprimi ſinebat. De utroque igitur ſerio contendit, & quod Apoſtolus ſit conſtitutus à Domino, & quod reliquis nihilo ſit inferior: ſed pari jure ac dignitate, ſicuti commune cum illis nomen habeat. Poterat quidem negare illos à Petro & collegis vel fuiſſe miſſos, vel habere aliquod mandatum: ſed multo plus gravitatis habet hæc defenſio, quod Apoſtolis ipſis non cedit: quia ſi declinaſſet, creditus fuiſſet cauſæ ſuæ diffidere. Jeroſolyma tunc erat omnium Eccleſiarum mater, quod inde Euangelium in totum orbem manaverat, & quaſi primaria ſedes erat regni Chriſti. Quiſquis inde venerat in alias Eccleſias, merito reverenter excipiebatur. Sed multi erant ſtulta gloria inflati, quod familiares fuiſſent Apoſtolis, vel ſaltem in eorum ſchola inſtituti. Ideo nihil illis placebat, niſi quod Jeroſolymis vidiſſent: alios omnes ritus illic non uſitatos, non tantum reſpuebant, ſed audacter etiam damnabant. Talis moroſitas, deterrima eſt peſtis: quum morem Eccleſiæ unius volumus pro univerſali lege valere. Naſcitur autem ex præpoſtero zelo, quum erga magiſtrum aliquem vel locum ita ſumus affecti, ut ſine judicio loca omnia & omnes homines velimus ad unius hominis ſenſum, ad unius loci inſtituta, tanquam ad commune præſcriptum adigere. quanquam ſemper admiſta eſt ambitio: imo ſemper nimia moroſitas eſt ambitioſa. Ut redeam ad iſtos pſeudoapoſtolos: ſi tantummodo prava æmulatione ubique uſum ceremoniarum ingerere tentaſſent, quas Jeroſolymis viderant ſervari: jam in eo non leviter peccaſſent. eſt enim iniquum, ex conſuetudine protinus facere regulam. Sed plus erat mali in doctrina impia & pernicioſa, quod religione volebant obſtrictas tenere conſcientias, quod juſtitiam in obſervatione collocabant. Nunc tenemus cur in aſſerendo ſuo Apoſtolatu tam animoſus ſit Paulus, & cur reliquis Apoſtolis ſe opponat. Id agit uſque ad finem ſecundi capitis. ubi tranſitum ſibi facit ad cauſæ tractationem: nempe gratuito nos juſtificari coram Deo, non operibus Legis. Nam hoc argumento nititur, Si vim juſtificandi non habent ceremoniæ, non eſſe igitur neceſſariam earum obſervationem. quanquam non de ſolis ceremoniis agit, ſed generaliter de operibus diſputat: alioqui frigeret totum argumentum. Sicui nimis remotum hoc videtur, duo conſideret. Primo, non potuiſſe aliter expediri quæſtionem, quam ſumpto generali principio, Juſtificari nos mera Dei gratia: quod non ceremonias modo, ſed alia etiam opera excludit. Deinde, Paulum non tam ſollicitum fuiſſe de ceremoniis, quam de impia opinione acquirendæ ex operibus ſalutis. Notemus ergo, Paulum non inepte ab ovo (quod aiunt) ordiri: ſed neceſſario fontem ipſum indicare: ut ſciant lectores non hic de umbra aſini litigari, ſed de re omnium maxima, Qua ratione ſalutem obtineamus. Falluntur ergo qui putant Apoſtolum in particulari quæſtione ſe continere de ceremoniis: neque enim illa per ſe expediri poterat. Simile habemus exemplum Actorum 15. verſ. 2. Lis & contentio de ceremoniis agitabatur, an obſervatu eſſent neceſſariæ: in ea diſcutienda concionantur Apoſtoli De importabili jugo Legis, De gratuita peccatorum remiſſione. Quorſum hæc? videtur enim abſurda eſſe digreſſio à propoſito. ſed non ita eſt: non enim ſolide aliter refutari particularis error poterit, quam ſumpto univerſali principio. Quemadmodum, exempli gratia, Si de prohibito eſu carnium diſputandum mihi ſit, non tantum de cibis mentionem faciam, ſed generali doctrina me armabo: quid humanæ traditiones ad ligandas conſcientias valere debeant: atque illud arripiam, Unicum eſſe Legiſlatorem, qui poteſtatem habet ſervandi & perdendi. Summa ſit: Paulus hic argumentatur à genere ad ſpeciem negative: quæ eſt ordinaria & maxime naturalis diſputandi ratio. Quibus porro teſtimoniis ac rationibus hanc ſententiam

probet,

probet, Juſtificari nos ſola Chriſti gratia, ſuo loco videbimus. Hoc exequitur uſque ad finem tertii capitis. Initio quarti tractat de recto ceremoniarum uſu, & cur inſtitutæ fuerint: ubi etiam abolitas nunc eſſe commonſtrat. Obviandum enim erat huic abſurdo quod protinus cuique in mentem veniſſet, Quorſum igitur ceremoniæ? an fuerunt inutiles? an fruſtra in illis Patres ſe occuparunt? Utrumque breviter definit, ſuo tempore non fuiſſe ſupervacuas, & nunc abrogatas eſſe Chriſti adventu: quia ſit ipſarum veritas & finis. quare in eo manendum eſſe docet. Ubi etiam breviter attingit quid à conditione Patrum noſtra differat. unde ſequitur, perverſam & noxiam eſſe doctrinam pſeudoapoſtolorum, quæ Euangelii claritatem veteribus umbris obſcuret. Doctrinæ admiſcet quaſdam exhortationes ad movendos affectus. Circa finem capitis, pulchra allegoria ſuam diſputationem exornat. Quinto capite hortatur ad retinendam libertatem Chriſti ſanguine acquiſitam, ne conſcientias ſuas hominum placitis illaqueandas tradant. ſed interea ſimul admonet quis legitimus ſit libertatis modus. Atque hac occaſione quæ vera ſint Chriſtianorum exercitia, oſtendit: ne ceremoniis fruſtra occupati, quæ præcipua ſunt, negligant.

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit illum ex mortuis,
2. Et qui mecum ſunt fratres omnes, Eccleſiis Galatiæ.
3. Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto:
4. Qui dedit ſeipſum pro peccatis noſtris, ut nos eriperet à præſenti ſeculo maligno, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri.
5. Cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

1. PAulus Apoſtolus, non ab hominibus.] Diximus alibi Paulum in ſalutationibus nomen Apoſtoli ſibi adſcribere ſolitum, ut à perſona auctoritatem conciliet ſuæ doctrinæ. Perſonæ vero auctoritas, non ab hominum vel judicio, vel arbitrio, ſed à ſola Dei vocatione pendet. itaque audiri poſtulat, quia eſt Apoſtolus. Semper illud retineamus, Solum Deum in Eccleſia audiendum eſſe, & qui ab eo conſtitutus eſt magiſter, Jeſum Chriſtum. Ergo quicunque locum docendi arrogare ſibi vult, nomine Dei aut Chriſti loquatur oportet. Sed quia de Pauli vocatione magis ambigebatur inter Galatas: ideo ad eam aſſerendam plus quiddam exprimit quam in aliis Epiſtolis. neque enim ſe tantum affirmat vocatum à Deo, ſed ex adverſo negat Vel ab hominibus, vel per homines. Notandum eſt, non de communi Paſtorum officio, ſed de Apoſtolatu ipſum loqui. Non audebant calumniatores illum penitus ſpoliare honore miniſterii: Apoſtoli tantum nomen & jus eripiebant. Loquimur nunc de Apoſtolatu in propria ſignificatione. nam dupliciter capitur hoc vocabulum: aliquando ſignificat quoslibet Euangelii præcones: ſed hic ſpecialiter primarium in Eccleſia ordinem, ut ſit Paulus æqualis Petro & reliquis duodecim. Primum illud membrum, Non eſſe vocatum ab hominibus, commune habebat cum omnibus veris Chriſti miniſtris. Ut nemo ſibi honorem debet ſumere: ita non eſt in hominum poteſtate deferre quibus libuerit. Solius enim Dei eſt Eccleſiam ſuam regere. ergo vocatio non poteſt eſſe legitima, niſi ab ipſo. Tametſi autem rite vocatus interdum quiſpiam erit Eccleſiæ reſpectu, qui tamen prava cupiditate, non recta conſcientia ad miniſterium pervenerit: hic tamen Paulus de perfecta vocationis ſuæ approbatione loquitur, in qua nihil deſiderari queat. Objiciet quiſpiam, Annon pſeudoapoſtolis quoque idem jactare ſæpe contingit? fateor: & quidem arrogantius, majoreque ſupercilio quam auſint ſervi Domini: ſed res ipſa eos deficit, quam Paulo licuit in medium proferre. Secundum membrum, Non eſſe vocatum per hominem, peculiariter competebat Apoſtolis: neque enim hoc vitioſum
tunc fuiſſet in Paſtore. Paulus ipſe oppidatim cum *Act. 14.*
Barnaba ſuffragiis Presbyteros creabat: idem fieri *verſ. 23.*
jubet à Tito & Timotheo. Atque iſta eſt ordinaria *1 Tim. 5.*
ratio eligendi Paſtores: neque enim expectandum *verſ. 17.*
eſt dum revelet Deus è cælo quos elegerit. cur ergo à *Tit. 1: 5.*
ſe rejicit Paulus quod non modo malum non eſt, ſed etiam eſt laudabile? Jam dixi non ſatis fuiſſe Paulo, ſi Paſtorem ſe aut unumquemlibet ex Euangelii miniſtris probaſſet; nam de Apoſtolatu agebatur. Apoſtolos autem alio modo eligi oportuit quam Paſtores, nempe immediate (ut loquuntur) ab ipſo Domino.
Ita Chriſtus ipſe duodecim vocavit: & quum ſuc- *Mat. 10.*
ceſſor eſſet ſubrogandus in locum Judæ, non audet *verſ. 1.*
Eccleſia ſuffragiis unum eligere, ſed ad ſortem con- *Actor. 1.*
fugit. Certum eſt, non adhibitam fuiſſe ſortem in *verſ. 23.*
electionibus Paſtorum: cur id fit in ordinatione Matthiæ? ut divinitus cooptetur: quia Apoſtolatum ab aliis miniſteriis diſcerni oportebat. Itaque ut ſe eximat Paulus à vulgari ordine miniſtrorum, vocationem ſuam à Deo immediatam eſſe contendit. Sed quomodo ſe negat per homines vocatum, quum
Lucas referat ipſum & Barnabam ab Antiochena Ec- *Act. 13.*
cleſia fuiſſe vocatos? Reſpondent aliqui, ante fun- *v. 11, 26.*
ctum fuiſſe Apoſtolatu: itaque illam ordinationem non fuiſſe fundamentum Apoſtolatus. Sed rurſum poteſt excipi, tunc primum Gentibus deſtinatum

fuiſſe Apoſtolum: quarum in numero erant Galatæ. Itaque verior & planior reſponſio eſt, eum noluiſſe hic prorſus excludere vocationem Eccleſiæ: ſed tantum oſtendere ſuum Apoſtolatum majore prærogativa niti. Quod verum eſt: neque enim Antiocheni Paulo manus impoſuerunt proprio judicio, ſed oraculo juſſi. Quia igitur divinitus per revelationem vocatus fuit, & deinde per Spiritum ſanctum deſignatus ac nuncupatus fuit Gentium Apoſtolus: ſequitur, non fuiſſe introductum per homines, utcunque ſolennis ritus ordinationis poſtea acceſſerit. Si cui placeat obliqua inter Paulum & pſeudoapoſtolos antitheſis, non repugno: quia illi hominum nomine gloriabantur. ita perinde erit acſi diceret, A quibuſcunque miſſos ſe fuiſſe jactent: ego ſane ero ſuperior, qui mandatum habeo à Deo & Chriſto. *Per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* Deum Patrem & Chriſtum facit auctores ſui Apoſtolatus. Chriſtum prius nominat, quia ejus eſt mittere: & pro ipſo legatione fungimur. Verum amplificationis cauſa addit etiam Patrem: acſi diceret, Sicui non ſufficit majeſtas Chriſti, ſciat etiam à Deo Patre injunctum mihi eſſe munus. *Qui ſuſcitavit illum.* Non abs re mentionem reſurrectionis facit hoc loco: eſt enim regni Chriſti initium. Inde autem vilipendebant Paulum, quod non fuiſſet in terris cum Chriſto verſatus. contra ſignificat, Chriſtum ſicuti per reſurrectionem glorificatus eſt, ita vere demum exeruiſſe potentiam ſuam in regenda Eccleſia. Ergo plus dignitatis habet Pauli vocatio, quam ſi à Chriſto adhuc mortali fuiſſet ordinatus. Atque hæc circumſtantia notatu digna eſt: quia ſubindicat Paulus, admirabilem Dei potentiam, quæ in Chriſti reſurrectione apparuit, à ſuis obtrectatoribus maligne oppugnari: quia cæleſtis Pater, qui Chriſtum à morte excitavit, idem Paulum conſtituit illius ſuæ virtutis præconem.

2. *Et qui mecum ſunt fratres.*] Videtur communiter ſcripſiſſe multorum nomine: ut ſi uni minus tribuerent, at ſaltem audirent plures, nec ſpernerent totam congregationem. Solet enim potius circa finem adſcribere ſalutem à fratribus, quam eos ſibi tanquam ſcriptionis ſocios initio adjungere. ſaltem non plures duobus uſquam nominat, eoſque notos. hic vero ſecus: nam omnes ſimul complectitur. quod non puto ſine cauſa factum. debuit autem tot piorum conſenſus aliquid ſaltem valere apud Galatas, ut magis dociles ac manſuetos redderet. *Eccleſiis.* Erat ampla regio, ideo plures habuit diſperſas Eccleſias. Sed mirum eſt hunc titulum concedi Galatis, qui propemodum à Chriſto deſciverant. Ubi enim Eccleſia, ibi fidei unitas. Reſpondeo. Quum illic eſſet profeſſio Chriſtianiſmi, quum eſſet unius Dei invocatio, Sacramentorum uſus, & qualecunque miniſterium, ſuperfuiſſe adhuc Eccleſiæ inſignia. Non igitur ſemper ea extat in Eccleſiis puritas quæ deſiderari poſſit. quæ puriſſimæ ſunt, ſuos tamen nævos habent: aliæ non tantum maculis ſunt aſperſæ, ſed fere deformatæ. Non igitur adeo nos offendi doctrinæ & morum vitiis convenit, ut ſi non omnia arrident in quovis cœtu, protinus Eccleſiæ nomen detrahamus. longe aliam manſuetudinem nos hic Paulus docet. Interea tamen ſic agnoſcendi ſunt pro Chriſti Eccleſiis cœtus qui vitiis laborant, ut quicquid eſt in illis mali, nihilominus damnemus. Neque enim ubi eſt qualiſcunque Eccleſia, illic eſt eorum omnium perfectio quæ in Eccleſia deſideranda eſſent. Hoc ideo dico, quia Papiſtæ hac vocula arrepta, ſtabilitum eſſe volunt quicquid obtrudere ipſis libuerit. quanquam multum abeſt quin talis ſit Eccleſiæ ſtatus & forma Romæ, qualis in Galatia fuit. Si Paulus hodie viveret, miſeras illic Eccleſiæ ruinas, & horrendam diſſipationem agnoſceret, nullum ædificium. Si quis brevius habere malit: per ſynecdochen vocatur Eccleſia, ubi eſt aliqua Eccleſiæ portio, etiamſi non omnia in ſolidum reſpondeant.

3. *Gratia vobis & pax.*] De hac ſalutationis formula dictum eſt in aliis Epiſtolis. Maneo in ſententia, Paulum Galatis optare Deum propitium, & deinde omnia proſpera: quandoquidem ex benevolentia Dei nobis fluit rerum omnium felix ſucceſſus. A Patre ſimul & Chriſto utrumque precatur: quia extra Chriſtum neque gratia, neque ullus bonus ſucceſſus.

4. *Qui dedit ſeipſum.*] Commendat hic ab initio Chriſti gratiam, ut ad eum Galatas revocet, atque in ipſo retineat. Nam ſi digne reputaſſent hoc redemptionis beneficium, nunquam ad alienas obſervationes delapſi fuiſſent. Qui enim Chriſtum rite novit, eum mordicus apprehendit, & amplectitur utroque brachio: in eo totus occupatur, nihil præter ipſum deſiderat. Itaque hoc quoque optimum remedium eſt, quo purgemus mentes quovis genere errorum ac ſuperſtitionum, reducere in memoriam quid nobis ſit Chriſtus, & quid nobis attulerit. neque exigua res ſignificatur his verbis, Qui ſemetipſum pro peccatis noſtris dedit. Præmonere enim Galatas voluit, peccatorum expiationem, & hac ratione perfectam juſtitiam non alibi quærendam eſſe, quam in Chriſto: quia ſe obtulerit Patri in ſacrificium: & talem eſſe hoſtiam, cui alias quaſvis ſatisfactiones opponere ſit nefas. deinde tantæ eſſe dignationis hanc redemptionem, ut nos in admirationem rapere totos debeat. Cæterum quod hic Chriſto Paulus adſcribit, Scriptura alibi in Deum Patrem transfert: proprie utrumque. Nam & Pater æterno conſilio hanc nobis expiationem decrevit, & in eo teſtatus eſt ſuum erga nos amorem, quod ne unigenito quidem pepercit *Rom. 8.*
quin pro nobis ipſum traderet. Chriſtus vero ipſe *verſ. 32.*
victimam ſe obtulit, ut nos reconciliaret Deo. Unde ſequitur, mortem ejus ſatisfactionem eſſe pro peccatis. *Ut nos eriperet.* Finem quoque redemptionis declarat, quod Chriſtus nos ſibi acquiſivit morte ſua in peculium: id fit quum ſegregamur à mundo: nam quamdiu ex mundo ſumus, non pertinemus ad Chriſtum. Nomen *ſeculi*, hic pro corruptione quæ in mundo eſt, capitur: ſicut in Epiſtola Joan- *1 Joa. 5.*
nis, quum dicitur, Totum mundum in maligno po- *verſ. 19.*
ſitum eſſe: & pluribus aliis locis. Aliter in Euangelio, quum dicit Chriſtus, Non rogo ut tollas eos *Joan. 17.*
è mundo, ſed ut ſerves eos à malo: nam illic præſen- *verſ. 15.*
tem vitam ſignificat. Quid ergo hoc loco eſt Mundus? homines à regno Dei & Chriſti gratia ſeparati. Homo enim quamdiu ſibi vivit, totus eſt damnatus. ſunt igitur Mundus & Regeneratio, res inter ſe oppoſitæ: ſicuti Natura & Gratia, Caro & Spiritus. Ita qui ex mundo nati ſunt, nihil habent præter peccatum & malitiam: non creatione, ſed corruptione. Chriſtus ergo pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut nos à mundo redimeret, vel ſegregaret. *Maligno.* Hoc epithetum addidit, ut de corruptela aut pravitate quæ eſt ex peccato, loqui ſe oſtenderet: non autem de Dei creatura, aut vita corporali. Sed tamen hac una voce, tanquam ictu fulminis, proſternit omnem humanam ſuperbiam. Teſtatur enim, extra renovationem quæ fit Chriſti gratia, nihil eſſe in nobis niſi meram nequitiam. Ex mundo enim ſumus: ac donec nos Chriſtus eripiat, mundus in nobis regnat, & ei vivimus. Quantumvis igitur ſibi placeant homines, nequam ſunt & pravi, cum tota ſua præſtantia. Non videntur quidem ſibi tales: nobis tamen ſatis ſit quod Dominus per os Pauli ita pronunciet. *Secundum voluntatem.* Primum gratiæ fontem oſtendit: nempe Dei propoſitum. Sic enim *Joan. 3.*
Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum *verſ. 16.*
daret. Sed notandum eſt, Paulum omnibus hominum compenſationibus aut meritis ſolere Dei propoſitum opponere: ita Voluntas hic ſignificat quod vulgo nominant Beneplacitum. Senſus eſt igitur Chriſtum pro nobis paſſum fuiſſe, non quia digni eſſemus, aut quia attulerimus aliquid quod

ipſum

ipſum provocaret: ſed quia tale fuit Dei conſilium. *Dei & Patris noſtri*, perinde valet acſi fuiſſet dictum, Dei qui Pater noſter eſt.

5. *Cui gloria.*] Erumpit in ſubitam gratiarum actionem, ut eorum acuat mentes ad conſiderandum inæſtimabile hoc Dei beneficium: quo magis ſe poſtea dociles præbeant. quanquam eſt etiam generalis exhortatio: ut quoties in memoriam revocatur illa Dei miſericordia, ſtatim ad eum glorificandum nos incitet.

6. Miror quod ita cito transferimini à Chriſto, qui vos vocavit in gratia, ad aliud Euangelium:

7. Quod non eſt aliud, niſi quod ſunt quidam qui vos turbant, ac volunt evertere Euangelium Chriſti.

8. Verum etiamſi nos, aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id quod euangelizavimus vobis, anathema ſit.

9. Quemadmodum prædiximus, nunc quoque iterum dico, Si quis vobis euangelizaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.

6. *Miror quod.*] Incipit ab objurgatione, quæ tamen lenior eſt aliquanto quam merebantur: ſed ſuam vehementiam mavult convertere adverſus pſeudoapoſtolos, ut videbimus. Arguit autem eos defectionis non à ſua doctrina tantum, ſed à Chriſto. Nam Chriſtum tenere aliter non poterant, quam ſi agnoſcerent ejus beneficio nos manumiſſos eſſe à ſervitute Legis. Porro neceſſitas quam conſtituebant pſeudoapoſtoli in ceremoniis, prorſus erat contraria. Sic à Chriſto transferebantur, non quia omnino Chriſtianiſmum abjicerent, ſed quia in tali corruptela tantum illis relinquebatur fictitius Chriſtus. Sic hodie Papiſtæ, quia dimidium & lacerum Chriſtum habere volunt, nullum habent: ideoque translati ſunt à Chriſto: pleni enim ſunt ſuperſtitionibus, quæ ex diametro cum Chriſti natura pugnant. Diligenter hic notandum, *transferri nos à Chriſto*, quum ad ea delabimur quæ ejus officio contraria ſunt: neque enim miſceri poteſt lux cum tenebris. Ejuſdem eſt rationis quod vocat *aliud Euangelium*, hoc eſt, aliud à vero. & tamen profitebantur pſeudoapoſtoli ſe Euangelium Chriſti prædicare: ſed quum miſcerent ſua figmenta, quibus deſtruebant præcipuam vim Euangelii, ideo falſum, corruptum, & adulterinum Euangelium habebant. Utitur autem verbo præſentis temporis: quaſi adhuc in actu ſit eorum lapſus, ut vulgo dicunt. quaſi diceret, Nondum vos dico eſſe translatos: nam tunc eſſet difficilius redire in viam. Nunc vero, dum adhuc eſtis in medio curſu, gradum reflectite potius quam ultra pergatis. Aliqui legunt, Ab eo qui vocavit vos in gratia Chriſti: de Patre intelligentes. ſed lectio quam ſequuti ſumus, eſt ſimplicior. Quod autem dicit, Vocatos à Chriſto fuiſſe per gratiam, valet ad exprobrandam illis ingratitudinem. Deficere à Filio Dei, per ſe indignum & flagitioſum: ſed ab eo deficere quum nos gratuito vocaverit ad ſalutem, multo eſt fœdius. auget enim bonitas ejus erga nos, ſceleris gravitatem, ſi ingrati ſimus. *Cito.* Auget turpitudinem inconſtantiæ. nullum quidem tempus maturum eſt defectioni à Chriſto: ſed eo magis vituperandi erant Galatæ, quod ſimulatque pedem illinc moverat Paulus, abducti fuerant. Ergo ſicut eorum ingratitudinem prius comparatione gratuitæ vocationis amplificavit: ita nunc levitatem circumſtantia temporis amplificat.

7. *Quod non eſt aliud.*] Quidam ſic reſolvunt, Quum non ſit aliud Euangelium: acſi eſſet ſpecies correctionis, ne quis putaret eſſe plura Euangelia. Ego, quod ad verborum expoſitionem ſpectat, ſimplicius accipio: nam contemptim loquitur de doctrina pſeudoapoſtolorum, quod ſit tantum materia turbarum & deſtructionis. quaſi diceret, Quid afferunt iſti? quid cauſæ habent cur impugnent doctrinam à me traditam? nempe vos turbant, & Euangelium evertunt: nihil agunt præterea. Senſus tamen eodem redit: nam fateor hac loquutione corrigi quod dictum fuerat de alio Euangelio: negat igitur Euangelium eſſe, ſed meram perturbationem. Tantum volui admonere, Aliud hic (meo judicio) accipi pro Alia re. Quemadmodum ſolemus dicere, Hoc nihil eſt niſi quod vis fallere. *Volunt evertere.* Secundum crimen illis impingit, quod faciant Chriſto injuriam, Euangelium illius evertere volentes. Eſt autem valde atrox crimen: nam Everſio plus eſt quam Corruptela. Neque tamen immerito illis impingit: neque enim ſtat Chriſtus, & Euangelii doctrina corruit, ubi alio transfertur laus hominis juſtificandi, & conſcientiis laqueus induitur. Semper enim videndum quæ ſint in Euangelio præcipua. hæc qui oppugnat, deſtructor eſt Euangelii. Nomen *Chriſti* quod additur, exponi bifariam poteſt: vel quod à Chriſto auctore profectum ſit, vel quod pure Chriſtum oſtendat. Cæterum non dubium eſt quin hoc epitheto deſignare voluerit verum germanumque Euangelium, quod unicum cenſeri debet.

8. *Verum etiamſi nos.*] Hic magna confidentia inſurgit ad vindicandam doctrinæ ſuæ auctoritatem. Ac primo quidem doctrinam à ſe prædicatam, aſſerit eſſe unicum illud Euangelium quod nefas ſit labefactari. Poterant enim alioqui excipere pſeudoapoſtoli, Nos quoque volumus Euangelium manere illibatum, nec minus honorifice quam tu, de illo ſentimus. Quemadmodum hodie Papiſtæ clamitant ſibi ſacroſanctum eſſe Euangelium, & nomen ipſum magna reverentia exoſculantur: ſed quum ad probationem ventum eſt, tunc puram & ſimplicem Euangelii doctrinam rabioſe vexant. Ergo Paulus generali illa teſtificatione non contentus, definit quale ſit illud Euangelium, & quid contineat: ac ſuam doctrinam pronunciat verum eſſe Euangelium, ne alibi quæratur. Quid enim profuerit dare nomen Euangelio, & neſcire quid ſibi velit? Apud Papiſtas quidem id forte ſufficeret, ubi valet fides implicita: ſed apud Chriſtianos nulla eſt fides, ubi nulla eſt cognitio. Ergo ne Galatæ, Euangelio alias obedire parati, vacillent huc & illuc, & ſuſpenſi non inveniant ubi debeant pedem figere: Paulus in ſua doctrina conſiſtere eos jubet. Porro adeo certam haberi fidem vult ſuæ prædicationi, ut maledictionem denunciet omnibus qui contradicere auſi fuerint. Quin etiam incipit à ſeipſo, quod operæpretium erat: nam ita calumniam prævenit, qua eum gravaſſent malevoli, Tu abſque controverſia recipi vis quicquid abs te prodierit, quia tuum eſt. Ergo ut oſtendat nullam ſe hic habere rationem ſui, poteſtatem quicquam audendi adverſus hanc doctrinam in primis ſibi adimit. Non alios ſibi hoc modo ſubjicit: ſed omnes ſecum, ut par eſt, cogit in ordinem, ut verbo Dei ſint ſubjecti. Sed quo majore impetu proſternat falſos apoſtolos, uſque ad Angelos conſcendit: neque ſimpliciter audiendos negat, ſiquid aliud afferant: ſed execrabiles eſſe debere pronunciat. Videri poſſit hoc abſurdum nonnullis, quod Angelos committat in certamen cum ſua doctrina: ſed qui rite omnia expendet, videbit eum neceſſario hoc feciſſe. Certum quidem eſt, cæleſtes Angelos nihil poſſe aliud afferre quam certam Dei veritatem: ſed quum de fide doctrinæ in hominum ſalutem divinitus revelatæ eſſet diſceptatio, non

ſatis habuit eam eximere ab hominum arbitrio, niſi Angelis etiam ſuperiorem aſſereret. Ideo quum Angelis judicium anathematis denunciat, ſi aliud docuerint: tametſi eſt argumentum ab impoſſibili, non tamen eſt ſupervacuum. Neque enim parum valet hic exceſſus ad amplificandam Paulinæ prædicationis fidem. Videbat ſe & illam premi altis hominum titulis: reſpondet, ne Angelos quidem habere quicquam momenti ad illam deprimendam. Neque injuriam facit Angelis: nam quum illuſtrandæ, quibuſcunque fieri poteſt modis, Dei gloriæ ſint creati, qui in hunc finem pie abutitur ipſorum nomine, nihil derogat illorum dignitati. Hinc autem non tantum colligimus quanta ſit verbi Dei majeſtas, ſed fides etiam noſtra ſingularem confirmationem percipit, dum verbo Dei freti, tuto poſſumus Angelis inſultare ac maledicere. Quum dicit, *anathema eſto*: ſubaudiendum eſt Vobis. De nomine Anathematis dictum eſt 1 Corinth. 12. verſ. 3. execrationem hic ſignificat, & capitur pro verbo Hebraico חרם.

9. *Quemadmodum prædixi.*] Nunc omiſſa ſui & Angelorum mentione, generaliter iterum repetit, nulli mortalium fas eſſe aliud tradere quam didicerant. Nota verbum *accepiſtis*: ſemper enim huc incumbit, ne ignotum Euangelium, imaginatione ſua quaſi in aëre ſuſpendant: ſed teneant certam ejus definitionem, ac ſerio perſuaſi ſint, illud quod illis traditum eſt & amplexi ſunt, verum Chriſti eſſe Euangelium. Nam fidei nihil minus convenit quam opinatio. Quid igitur ſi quis hæſitet, quid & quale ſit Euangelium ignorans? Præcipit itaque pro diabolis haberi quicunque Euangelium aliud à ſuo afferre auſi fuerint: Aliud nominans, cui aliena commenta aſſuuntur. Neque enim prorſus contraria erat doctrina pſeudoapoſtolorum, aut etiam diverſa: ſed falſis additamentis corrupta. Puerile igitur erit Papiſtarum ſubterfugium, quum ſic Pauli verba eludunt: Primum, non extare totam ejus prædicationem: nec ſciri poſſe quid continuerit, niſi teſtes à mortuis excitentur Galatæ, qui audierunt: deinde non prohiberi quin aliquid addatur: ſed tantum alia Euangelia damnari. Nam Pauli quale fuerit, quoad noſtra ſcire intereſt, non obſcure ex ejus ſcriptis colligimus. Hujus Euangelii palam eſt, totum Papatum horrendam eſſe everſionem. Poſtremo ex circumſtantia patet, adulterinam quamlibet doctrinam aliam eſſe à prædicatione Pauli: quare nihil proficiunt ita cavillando.

10. Nunc enim ſuadeone ſecundum homines, an ſecundum Deum? vel quæro hominibus placere? Si enim adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

11. Notum autem vobis facio, fratres, de Euangelio quod euangelizatum eſt à me, quod non eſt ſecundum hominem:

12. Neque enim ego ab homine accepi illud neque didici: ſed per revelationem Jeſu Chriſti.

13. Audiſtis enim converſationem meam, quæ aliquando fuit in Judaiſmo: quod ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & vaſtabam illam.

14. Et proficiebam in Judaiſmo ſupra multos æquales meos in genere meo, quum vehementius ſtudioſus eſſem paternarum traditionum.

Quia tam confidenter extulerat ſuam prædicationem, nunc ſe id jure feciſſe, non inani jactantia, oſtendit. Ac duobus quidem argumentis utitur ad id demonſtrandum. Primum eſt ab effectu animi: quia non ambitioſe, neque adulandi cauſa hominibus ſe accommodet. Secundum multo fortius, quod non ſit ipſe auctor Euangelii ſui, ſed à Deo acceptum per manus fideliter tradiderit.

10. *Suadeone ſecundum.*] Locus hic propter ambiguitatem Græcæ conſtructionis, varie exponitur. Aliqui enim reddunt, Suadeone hominibus, an Deo? Alii Deum & homines, pro divinis & humanis accipiunt. qui ſenſus admodum bene quadraret, niſi eſſet aliquanto à verbis remotior. Eum itaque ſequi malui qui minus erat coactus. nam Græcis tritum eſt, præpoſitionem ἐν ſubaudire. Loquitur Paulus non de argumento ſuæ prædicationis, ſed de animi ſui propoſito, quod Deum potius quam homines reſpiciat. quanquam docentis affectui reſpondet etiam doctrina. Nam ſicuti ex ambitione, avaritia, aut alia quavis prava cupiditate naſcitur doctrinæ corruptio: ita recta conſcientia facit ut retineatur pura veritas. Ideo ſanam eſſe ſuam doctrinam contendit, quod non ſit omnibus accommoda. *Vel quæro hominibus placere.* Hoc ſecundum non multum differt à priore. differt tamen aliquid: nam ſtudium acquirendi favoris, cauſa eſt cur ſecundum homines loquamur. Ubi talis ambitio in cordibus noſtris regnat, ut cupiamus orationem componere in hominum gratiam, fieri nequit ut ſincere doceamus. Ergo Paulus ab hoc vitio teſtatur ſe eſſe purum & immunem: & quo ſe majore fiducia eximat etiam à calumnia, interrogative loquitur. Habent enim interrogationes plus ponderis, quum adverſariis poteſtatem facimus contradicendi, ſi quid habeant. Nam id ſignum eſt magnæ ſecuritatis, quam Paulo dabat teſtimonium bonæ conſcientiæ: quia ſcilicet ita ſe functum officio ſuo noverat, ut ejuſmodi probro non eſſet obnoxius. *Si enim hominibus placerem.* Sententia memorabilis: ambitioſos, hoc eſt, qui venantur hominum gratiam, non poſſe Chriſto ſervire. De ſua tamen perſona ſingulariter hoc ſenſu loquitur, quod hominum gratia ſponte ſe abdicaverit, ut ſe Chriſto dicaret in obſequium: ac ſtatum quidem vitæ ſuperioris cum præſenti confert. Fuerat in maxima exiſtimatione, paſſim excipiebatur cum magno applauſu: quare ſi voluiſſet placere hominibus, non oportuerat mutare conditionem. Sed hinc colligenda eſt generalis illa doctrina quam dixi, Quicunque volunt fideliter Chriſto ſervire, eos debere fortiter contemnere hominum gratiam. Vox Hominibus, habet hic certam notationem: neque enim affectare data opera debent Chriſti miniſtri, ut hominibus diſpliceant. ſed diverſa ſunt hominum genera. quibus placet Chriſtus, illis ſtudeamus placere in Chriſto: qui veram doctrinam ſuis affectibus poſthaberi volunt, illis mos nequaquam gerendus eſt. Et ſane piis & integris Paſtoribus ſubeundum ſemper erit hoc certamen, ut eorum offenſas negligant qui volunt per omnia ſatisfieri. Nam Eccleſia ſemper habebit fucos & improbos homines, qui libidinem ſuam præferent verbo Dei. Boni etiam interdum tentantur à diabolo, ut Paſtori ſuccenſeant recta monenti: ſive id faciant ignorantia, ſive præoccupati aliqua infirmitate. Noſtrum igitur eſt, quaſvis offenſas non reformidare, modo tamen infirmos à Chriſto non alienemus. Multi ſecus exponunt hunc locum, acſi eſſet conceſſio: atque hunc ſenſum eſſe putant, Si placerem hominibus, *tunc non eſſem Chriſti ſervus.* fateor. verum quis hoc mihi exprobrabit? quis non videt me hominum favorem non captare? Mihi tamen ſenſus ille prior magis placet, quod Paulus commemoret quanta ſe hominum gratia privaverit, ut Chriſto ſe in obſequium dicaret.

11. *Notum autem vobis facio.*] Hoc eſt validiſſimum argu-

argumentum, & quaſi præcipuus cardo in quo cauſa vertitur, Non ab hominibus acceptum ſe Euangelium habere, ſed divinitus ſibi fuiſſe revelatum. Et quia negari hoc ei poterat, ſubjungit probationem exegeticam, hoc eſt, quæ rei geſtæ narratione conſtat. Sed quo plus habeat ponderis denunciatio, præfatur ſe non de re obſcura loqui, ſed cujus fidem paratus ſit facere: nam tale exordium rei ſeriæ convenit. *Secundum hominem eſſe* negat, quod nihil humanum reſipit, vel quod humanitus fabricatum non eſt: cujus probandi cauſa ſubjicit continuo poſt, ſe non fuiſſe ab ullo terreno magiſtro edoctum.

12. *Neque enim ab homine accepi.*] Quid igitur? an propterea vilior erit auctoritas, ſiquis edoctus hominis miniſterio, doctor exinde evadat? verum reputare ſemper convenit quibus machinis eum invaderent pſeudoapoſtoli, Eum arripuiſſe mutilum & adulteratum Euangelium ab aliquo non optimo, aut ſaltem ignobili magiſtro, & nunc male intellectum temere tradere. Interea ſe diſcipulos ſummorum Apoſtolorum jactabant, quorum interiores omnes ſenſus haberent compertos. Neceſſe igitur fuit Paulo, ut toti mundo ſuam doctrinam opponeret, hoc præſidio niti, Sibi divinitus eſſe revelatam, non traditam in ſchola ullius hominis: alioqui nunquam exempta fuiſſet pſeudoapoſtolorum calumniis. Siquis objiciat edoctum ab Anania fuiſſe, hic quoque facilis eſt ſolutio. nihil enim obſtat quominus & per ſe illum oraculis Deus docuerit, & ornandi etiam miniſterii cauſa, hominis opera in eo docendo uſus fuerit. quemadmodum ſuperius diximus, & immediate fuiſſe à Deo vocatum oraculo, & hominum ſuffragiis ſolennique approbatione ordinatum, hæc inter ſe minime pugnant. *Act. 9. verſ. 10.*

13. *Audiſtis enim converſationem.*] Tota hæc narratio vice probationis addita eſt. Commemorat enim ſe tota vita adeo abhorruiſſe ab Euangelio, ut infeſtus eſſet illius hoſtis, & nominis Chriſtiani vaſtator. inde colligimus, divinam fuiſſe converſionem. Et quidem eos tanquam de re minime dubia teſtes appellat, ut quod dicturus eſt, ſit extra controverſiam. *Æquales ſuos* vocat contemporaneos: nam cum ſenioribus impropria eſſet comparatio. *Paternas traditiones* non intelligit additamenta illa quibus corrupta fuerat Lex Dei: ſed ipſam Dei Legem, in qua educatus à pueritia fuerat, & quam à parentibus & avis per manus acceperat. Ritibus ergo patriis quum vehementer addictus eſſet, non erat facile hinc dimoveri, niſi Dominus miraculo eum traxiſſet.

15. At poſtquam placuit Deo, qui me ſegregaverat ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam:

16. Revelare Filium ſuum mihi, ut prædicarem ipſum inter Gentes, continuo non contuli cum carne & ſanguine.

17. Neque redii Jeroſolymam ad eos qui ante me fuerant Apoſtoli: ſed abii in Arabiam, ac denuo reverſus ſum Damaſcum.

18. Deinde poſt annos tres redii Jeroſolymam, ut viderem Petrum: & manſi apud illum dies quindecim.

19. Alium autem ex Apoſtolis non vidi quenquam, niſi Jacobum fratrem Domini.

20. Porro quæ ſcribo vobis, ecce coram Deo, non mentior.

21. Deinde veni in regiones Syriæ ac Ciliciæ.

22. Eram autem facie ignotus Eccleſiis Judææ quæ erant in Chriſto.

23. Sed tantum hic rumor apud illos erat, Qui perſequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam quondam expugnabat.

24. Et glorificabant in me Deum.

15. *Poſtquam placuit Deo.*] Secundum membrum narrationis, de mirifica ejus converſione. Eſt autem hic facienda analyſis, quod vocatus Dei gratia fuerit ad prædicandum Chriſtum inter Gentes; & quod ſtatim à vocatione ſua, non conſultis Apoſtolis, ad opus ſibi injunctum ſe abſque ulla hæſitatione accinxerit, certus de conſilio Dei. In conſtructione verborum diſſentit Eraſmus à vulgari Interprete. ſic enim connectit, Quum Deo viſum eſt ut Chriſtum inter Gentes prædicarem, qui me ad hoc vocavit, ut eum per me revelaret. Sed vetus translatio melius, judicio meo, congruit. Nam Chriſti primum revelatio ei oblata fuit: deinde mandata prædicatio. Vel ſi Eraſmi translationem ſequi lubet, ut ἐν ἐμοὶ, Per me ſignificet: adhuc tamen hæc particula, *ut prædicarem*, addita eſt ad exprimendum modum revelationis. Cæterum prima facie non ita firma Pauli argumentatio videri poſſit. nam utcunque ad Chriſtianiſmum converſus, mox inconſultis Apoſtolis prædicandi Euangelii munus ſuſceperit: non tamen propterea ſequitur, ipſum Chriſti revelatione fuiſſe ad id inſtructum. verum pluribus rationibus nititur: quas omnes ſi in unum colligas, ſatis ad juſtam argumentationem facient: primum, ſe Dei gratia vocatum fuiſſe: deinde ſuum Apoſtolatum fuiſſe approbatum à reliquis Apoſtolis: & quæ ſequuntur. Meminerint ergo lectores totam narrationem conjunctim legere: & tandem ex ſumma concludere, non ex ſingulis partibus. *Qui me ſegregaverat.* Segregatio hæc, Dei conſilium fuit, quo Paulus deſtinabatur ad munus Apoſtolicum, antequam ſe hominem natum eſſe ſciret: ſequuta eſt poſtea vocatio ſuo tempore, quum Dominus voluntatem de illo ſuam manifeſtavit, & juſſit eum ad opus accingi. Cæterum non dubium eſt quin Deus ante mundum conditum, quid de unoquoque noſtrum acturus eſſet, decreverit, & arcano judicio ſuas cuique partes aſſignaverit. Sed interdum Scriptura ſolet ponere iſtos tres gradus, Æternam Dei prædeſtinationem, Deſignationem ab utero, & Vocationem, quæ eſt effectus & complementum utriuſque. Paulo aliter Jeremiæ primo loquitur Dominus, quam ſonent Pauli verba: eodem tamen ſenſu. Priuſquam formarem te in utero, novi te: priuſquam de utero exires, ſanctificavi te: dedi te Prophetam gentibus. Nondum enim genitum ſanctificaverat etiam Paulum Deus ad officium Apoſtoli, ſicuti Jeremiam ad officium Prophetæ. ſed dicitur rurſus ab utero nos ſegregare, quia in hunc finem edimur in mundum, ut in nobis quod ſtatuit compleat. Vocatio autem uſque ad ſuam opportunitatem differtur, ubi nos aptavit Deus ad munus quod injungit exequendum. Ergo ſic potes reſolvere Pauli verba, Ubi Deo placuit Filium ſuum per me revelare, qui me vocavit, quemadmodum ante ſegregaverat. Nam indicare voluit ſuam vocationem ab arcana Dei electione pendere: neque ſe ordinatum ideo fuiſſe Apoſtolum, quia ſe propria induſtria ad ſubeundum tantum munus comparaverit: vel quia idoneum deprehenderit Deus cui partes iſtas mandaret: ſed quia antequam naſceretur, arcano Dei conſilio deſtinatus fuerat. Nam ita cauſam ſuæ vocationis referre ſolet ad gratuitum Dei placitum: quod diligenter

ohſervandum eſt. Inde enim docemur, non tantum qnod electi & adoptati ſumus ad vitam æternam, deputandum eſſe Dei gratiæ: ſed etiam quod opera noſtra dignatur uti, quum ſimus alioqui prorſus inutiles: quod legitimam vocationem attribuit, in qua nos exerceamus. Quid enim Paulus necdum natus dignum habebat ranto honore? ſic ergo habendum, Totum hoc divinæ eſſe donationis, non Marte noſtro partum, quod ad regendam ipſius Eccleſiam vocati ſumus. Porro quod nonnulli ſubtilius philoſophantur in vocabulo Segregationis, id abs re & intempeſtive faciunt. Neque ſegregare nos Deus dicitur, quia habitum aliquem infundat, quo ab aliis differamus: ſed quum nos ſuo conſilio deſignat. Tametſi autem jam ſatis aperte tribuerat Dei gratiæ ſuam vocationem, quum ejus principium fecerat voluntariam illam ſegregationem ab utero: iterum tamen nominatim exprimit, partim ut gratiæ commendatio purget omnem jactantiæ opinionem, partim ut ſuam in Deum gratitudinem teſtetur. libenter enim ſolet hoc facere, ubi etiam nulla eſt cum pſeudoapoſtolis diſceptatio.

16. *Revelare Filium.*] Si legas, Revelare per me: hic erit finis Apoſtolatus, Chriſtum palam facere. Quomodo? prædicando ipſum inter Gentes: id quod illi vitio ducebant pſeudoapoſtoli. Verum quum Græce ſit ἐν ἐμοὶ, puto Hebraicam phraſim eſſe, pro Mihi: nam apud Hebræos ב ſæpe eſt ſupervacuum: quod ſatis conſtat peritis illius linguæ. Senſus igitur erit, revelatum fuiſſe Paulo Chriſtum, non ut ſolus frueretur ejus cognitione, ipſumque tacitus in ſinu ſuo contineret: ſed ut abs ſe cognitum prædicaret inter Gentes. *Continuo non contuli.* Conferre *cum carne & ſanguine*, eſt adhibere carnem & ſanguinem in conſilium. Quod autem ad iſtarum vocum ſignificationem attinet, ſimpliciter voluit excludere omnia humana conſilia: nam generaliter univerſos mortales hic comprehendit, & quicquid prudentiæ vel conſilii habent: ſicuti mox ex contextu patebit. imo Apoſtolos nominatim deſignat: idque eo conſilio, ut immediata Dei vocatio clarius refulgeat. Sola ergo Dei auctoritate fretus, eaque contentus, ſe ad munus prædicationis accinxit. *Neque redii Jeroſolymam.* Expoſitio eſt proximæ ſententiæ, & ſimul amplificatio: acſi diceret, Neminem mortalium auctorem deſideravi, atque adeo ne ipſos quidem Apoſtolos. falluntur ergo qui negant Apoſtolos comprehendi ſub Carne & ſanguine, quia ſeorſum nunc eos nominet: non enim aliquid novum aut diverſum adjungit, ſed tantum exponit clarius quod erat obſcure dictum. Neque contumelioſus eſt adverſus Apoſtolos in ejuſmodi appellatione; quia ut oſtenderet ſe non fuiſſe humanitus impulſum, ipſos quoque propter falſas nebulonum jactantias Deo opponere neceſſe habuit. Ubi autem creatura cum Deo confertur, quamlibet humilibus atque abjectis titulis deprimatur, nulla fit ei injuria.

17. *Sed abii in Arabiam.*] Lucas triennium hoc in hiſtoria Actorum præteriit: quemadmodum neque alia omnia enumerat. ideo frigida eſt eorum calumnia, qui quærunt hic aliquem colorem repugnantiæ. Cæterum expendant pii lectores quam grave tentationis certamen Paulum ſtatim à primo tirocinio exceperit. qui pridie honoris cauſa, cum ſplendido comitatu miſſus fuerat Damaſcum, nunc profugus in aliena terra oberrare cogitur: neque tamen animo deficit.

18. *Deinde poſt annos tres.*] Tertio demum anno poſtquam Apoſtoli munus exercuerat, conſcendit Jeroſolymam: ergo non auſpicatus eſt ab hominum vocatione. Et tamen ne videretur habere ſeparatas ab aliis rationes, ideoque fugere eorum conſpectum: dicit ſe hoc conſilio veniſſe ut Petrum videret. ergo tametſi eorum auctoritatem non expectaverat in ſuſcipiendo munere, non tamen illis invitis, ſed conſentientibus & approbantibus, gradum Apoſtolatus tenuit. hoc eſt quod intendit, neque ſe unquam fuiſſe alienum à cæteris Apoſtolis, & ſibi etiamnum bene cum illis convenire. Breve tempus notat quod illic tranſegit, ut oſtendat ſe non diſcendi cauſa veniſſe, ſed mutuæ duntaxat communicationis. Eodem ſpectat quod addit, *ſe neminem alium vidiſſe.* quia ſcilicet alio tendens, iter illac faciebat ſolum.

19. *Niſi Jacobum.*] Quis hic fuerit Jocobus, videndum eſt. Conſentiunt fere veteres unum ex diſcipulis fuiſſe, cognomento Oblian & Juſtum, qui Eccleſiæ Jeroſolymitanæ præfuerit. Quanquam alii Joſeph filium fuiſſe putant ex alia uxore: alii (quod veriſimilius eſt) Chriſti ex matertera conſobrinum. ſed quum hic numeretur inter Apoſtolos, illam opinionem non recipio. Neque enim valet excuſatio Hieronymi, Nomen hoc interdum à duodecim ad alios transferri: quando hic de ſumma dignitate agitur: & eundem paulo poſt habitum fuiſſe inter præcipuas columnas audiemus. Ergo mihi longe probabilius eſt, Alphæi eſſe filium, de quo loquitur. Reliquos per varias regiones tunc fuiſſe ſparſos credibile eſt: non enim uno in loco deſidebant otioſi. Quanquam autem narrat Lucas deductum ad Apoſtolos *Actor. 11. verſ. 25.* fuiſſe à Barnaba: non tamen de duodecim id accipiendum, ſed de his duobus, qui ſoli tunc erant Jeroſolymis.

20. *Porro quæ ſcribo vobis.*] Hæc affirmatio ad totam narrationem extenditur. demonſtrat autem quam ſerio de hac cauſa Paulus contenderit, quod jusjurandum adhibet, quo uti fas non eſt niſi in cauſis gravibus magnique momenti: neque mirum eſt tanta eum contentione inſiſtere: ante enim vidimus quid machinarentur impoſtores nomen & honorem Apoſtoli illi detrahendo. Cæterum notandæ ſunt nobis formulæ jurandi, quas ſancti uſurpant: ut intelligamus juramento nihil aliud agi, niſi ut fidem ac veritatem dictorum factorumque noſtrorum ad Dei judicium revocemus. quam actionem neceſſe eſt ut religio timorque Dei gubernet.

22. *Eram facie ignotus.*] Videtur mihi hoc eſſe additum, quo magis obtrectatorum ſuorum malevolentiam & malignitatem amplificet. Nam ſi ſolus auditus commovebat Judaicas Eccleſias, ut Deo darent gloriam, quod ita magnifice operatus eſſet in Paulo: quam indignum eſt, eos quibus conſpicuæ ſunt ab effectu mirificæ ejus virtutes, non idem agere? ſi ſola fama illis ſufficiebat, cur iſti conſpectu rerum non ſunt contenti? *Expugnaſſe fidem* dicitur, non quia ſit per ſe expugnabilis fides, ſed quod eam in hominibus infirmis deſtruebat. Præterea conatus magis reſpicitur quam effectus.

24. *Glorificabant in me.*] Hoc luculentum ſignum erat approbari ab omnibus Judææ Eccleſiis ejus miniſterium: & ita approbari, ut cum admiratione & laude agnoſcerent eximiam Dei virtutem. Ita oblique perſtringit malevolos, quod ſuo livore & calumniis hoc tantum proficiant, ut obſcurent Dei gloriam, quam Apoſtoli agnoverant & palam confeſſi erant in Pauli Apoſtolatu fulgere. Interim tamen nobis obiter hic præſcribitur regula, qualiter debeamus ſanctos Domini ſuſpicere. Nam quæ noſtra eſt vel pravitas, vel ingratitudo, vel propenſio ad ſuperſtitionem: quos Dei donis ornatos conſpicimus, illos deorum inſtar colimus, immemores à quibus acceperint. Itaque admonemur hoc loco, potius in auctorem oculos conjicere, ut illi adſcribamus quod ſuum eſt: & ſimul docemur, quod Paulus ex hoſte factus erat miniſter, materiam fuiſſe laudandi Dei.

CAP. II.

CAP. II.

DEinde poſt annos quatuordecim aſcendi rurſus Jeroſolymam una cum Barnaba, aſſumpto ſimul & Tito.

2. Aſcendi autem ſecundum revelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico inter Gentes: privatim vero cum iis qui in pretio erant, ne quo modo in vanum currerem, aut cucurriſſem.

3. Sed neque Titus qui mecum erat, quum eſſet Græcus, compulſus fuit circumcidi,

4. Propter ſubingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Jeſu: quo nos in ſervitutem adigerent.

5. Quibus ne ad horam quidem ceſſimus per ſubjectionem, ut veritas Euangelii maneret apud vos.

1. *Poſt annos quatuordecim.*] Via poſſit quiſquam pro certo aſſerere, illamoe profectionem intelligat, cujus meminit Lucas Actorum cap. 15. v. 2. imo potius in contrariam partem nos ducit hiſtoriæ contextus: quater enim Paulum Jeroſolymam veniſſe, illic refertur. de primo adventu jam dictum eſt. ſecundus adventus fuit, quum eleemoſynas in Græcis & Aſiaticis Eccleſiis collectas pertulit com Barnaba: *Actor. 12. verſ. 25.* quemadmodum habetur in fine duodecimi capitis. de quo ut potius iotelligam præſentem locum, plures rationes me movent: nam alioqui neceſſe foret, ab alterutro falſum referri. Deinde magis inclinat conjectura, Petrum Antiochiæ fuiſſe reprehenſum quo tempore illic morabatur Paulus. Id autem erat antequam mitteretur Jeroſolymam ab Eccleſiis, ad tranſigendam diſceptationem de ceremooiis ortam. Adhæc oon eſt rationi conſentaneum, tali ſimulatione uſurum fuiſſe Petrum, ſi definita fuiſſet illa controverſia, publicatumque Apoſtolorum decretum. Hic autem Paulus ſcribit ſe veniſſe Jeraſolymam: & poſtea ſubjungit, correptam fuiſſe abs ſe Petri ſimulationem: qua certe nunquam uſus fuiſſet, niſi in rebus dubiis. Præterea via unquam attigiſſet iter illod ſuſceptum communi fidelium conſenſu, præterita cauſa, & exitu tam memorabili ſuppreſſo. Ac ne ſatis quidem conſtat quo tempore ſcripta fuerit Epiſtola: niſi quod Græci miſtam Roma divinant: Latini Epheſo. Ego autem oon tantum ſcriptam ante fuiſſe arbitror quam Paulus Romam vidiſſet: verum antequam habita fuiſſet illa conſultatio, & de ceremoniarum uſu pronunciaſſent Apoſtoli. Nam quum adverſarii falſo prætexerent Apoſtolorum nomen, eoque maxime niterentur ad gravandum Paulum: quantæ negligentiæ fuiſſet prætermittere decretum paſſim divulgatum apud omnes, quo illi confodiebantur? Certe una hæc vox illis os obſtruebat, Vos mihi Apoſtolos objicitis: atqui oorunt omnes quid judicaverint: proinde impudentis mendacii vos convictos teneo. Neceſſitatem ſervandæ Legis, quaſi eorum mandato, imponitis Gentibus: atqui eorum extat reſcriptum, quo conſcientias inde liberant. Huc accedit quod initio corripiebat Galatas, quod tam cito ab Euangelio ſibi tradito defecerant. Colligere autem promptum eſt, ex quo adducti erant ad Euangelium, aliquantum interceſſiſſe temporis antequam certamen illud de ceremoniis fuerit motum. Porro quatuordecim annos accipio, non ab una profectione ad alteram, verum ut ſupputatio ſemper a Pauli converſione incipiat. Ita undecim anni inter duos aſcenſus interfuerunt.

2. *Aſcendi autem ſecundum revelationem.*] Hic jam non operibus tantum, ſed divino etiam oraculo Apoſtolatum ſuum & doctrinam comprobat. Nam quum iter illud Deus gubernaret, cujus cauſa erat doctrinæ ejus confirmatio: jam non conſenſu hominum duntaxat, ſed Dei etiam auctoritate confirmatur. quod ad frangendam eorum pervicaciam, qui Paulum gravabant objectis Apoſtolorum nominibus, ſatis ſuperque valere debebat: nam etſi antea litigandi fuiſſet aliqua ratio, tunc omnis diſceptatio interpoſita Dei ſententia ceſſavit. *Contuli cum illis.* Primo ootandum eſt verbum Conferendi: non enim præſcribunt illi quid debeat docere, ſed quid docuerit refert, ut ſubſcribant illi, ſuumque calculum addant. Quia autem calumniari poterant adverſarii, aſtute multa diſſimulando, captaſſe Apoſtolorum gratiam, nominatim exprimit ſe Euangelium contuliſſe, quale inter Gentes prædicat: quo avertit omnem fuci aut tergiverſationis ſuſpicionem. Videbimus quid tandem ſequutum ſit: neque enim vitio verteruot Apoſtoli quod injuſſu ſuo auſpicatus foret: ſed ſioe controverſia vel expoſtulatione ratum habueruot quod geſſerat, idque ejuſdem Spiritus inſtinctu, quo duce Paulus ad eos venerat. Non ergo creatus fuit ab illis: ſed agnitus Apoſtolus. verum hæc poſtea. *Ne quo modo.* Quid igitur? an concidet Dei veritas, oiſi fulciatur hominum teſtimonio? atqui etiamſi totus mundus infidelis ſit, manet tamen certa & illibata Dei veritas: nec ludunt operam qui Dei mandato Euangelium docent, etiamſi nullum fructum pariant ſuo labore. nec vero huc tenduot Pauli verba: ſed quia dubiis ac ſuſpenſis conſcientiis ioutile eſt verbi miniſterium, quod ad homines. *In vanum currere* accipitur pro inutiliter laborare, quum oon ſequitur ea quæ debebat ædificatio. Porro hic erat fortis aries ad concutiendas infirmas conſcientias, quum mentiebaotur impoſtores, doctrioam quam prædicabat Paulus, contrariam eſſe doctrinæ Apoſtolorum; ita ut multi labaſcerent. Non pendet quidem ab hominum conſenſu fidei certitudo: quin potius ita nos acquieſcere conveoit in nuda Dei veritate, ut neque homines, neque Angeli univerſi inde oos dimoveant. Rudibus tamen & qui vixdum tenuem habent guſtum ſanæ doctrinæ, eamque pectore & medullis nondum penitus imbiberunt, vix tolerabilis eſt teotatio, quum audiunt præcipuos doctores inter ſe diſſidere. Imo robuſtos quoque interdum percellit Satan hoc artificio, quum eorum certamina & diſſenſiones objicit, quos maxime unum ſentire & loqui decuerat. Dici via poteſt quam multos retardaverit ab Euangelio, quam multorum fidem concuſſerit infauſta illa de Chriſti corpore digladiatio: eo quod primariæ auctoritatis viros cernebant adeo hoſtiliter pugnare de quæſtione maxima. rurſus non leve eſt ſtabiliendæ fidei adminiculum, doctorum omnium conſenſus. Ergo quoniam tali aſtu moliebatur Satan curſum Euangelii impedire, obviam ire voluit Paulus: nam poſtquam apparuit, bene illi cum Apoſtolis omnibus convenire, ſublata fuit protinus remora: nulla amplius alternatione jactati ſunt animi rudium, quem ſequi deberent. Hoc eſt igitur quod dicit, Ne periiſſent ante ſumpti labores, & porro ſine fructu pergerem, dubitationem illam ſuſtuli, quæ multos turbabat: mihine an Petro fidem habere deberent: uno enim conſenſu amplexi ſumus quod ſemper docueram. Quod ſi hodie multis tam cordi eſſet ædificatio quam Paulo fuit, majore conſentiendi inter ſe cura tangerentur.

3. *Sed*

3. *Sed neque Titus.*] Alio argumento probat, nihil à ſe diverſum ſentire Apoſtolos. nam adduxerat ad eos hominem incircumciſum, quem agnoſcere loco fratris non dubitarunt. Cauſam addit cur non fuerit circumciſus: nam Circumciſio quum res media eſſet, potuit vel omitti vel uſurpari pro ædificatione. Tenenda enim ſemper eſt illa regula, Si omnia nobis licent, ut videamus quid expediat. ideo Timotheum circumcidit, ne offendiculum infirmis crearet ejus præputium: tunc enim agebat cum infirmis, quibus debuit parcere. Et libenter in Tito idem præſtitiſſet: adeo nunquam fatigatus fuit in tolerandis infirmis. ſed erat diverſa ratio: nam calumniandæ ejus doctrinæ occaſioni imminebant quidam falſi fratres, qui ſtatim famam ſparſiſſent, En iſte tam audax libertatis vindex, quum in conſpectum Apoſtolorum venit, deponit illos viriles ſpiritus, & ferociam qua inflatus eſt inter imperitos. Quemadmodum autem infirmis attemperare nos convenit: ita malignis, & qui data opera inſidiantur libertati noſtræ, fortiter reſiſtendum eſt. Neque enim charitatis officia nocere debent fidei. ergo charitas in uſu rerum indifferentium optima erit moderatrix, ſi modo ſemper primus habeatur fidei reſpectus.

4. *Propter ſubingreſſos.*] Duplex poteſt eſſe ſenſus: quod non fuerit circumciſus, quum tamen improbe id flagitarent falſi fratres, & cogere eum vellent: vel quod data opera non circumcidit eum Paulus, quia videbat ſtatim fore ut illi traherent in calumniam. Hac enim de cauſa ſe inſinuaverant in ſodalitium Pauli, ut alterutrum captarent ex duobus: nempe ſi libere contemneret ceremonias, invidiam inde illi conflarent apud Judæos: ſin vero abſtineret in totum à libertate, protinus de illo triumpharent apud Gentes, quaſi pudore confuſus retractaſſet ſuam doctrinam. Hic ſecundus ſenſus mihi placet: quod Paulus animadverſis eorum inſidiis, noluerit Titum circumcidere. Dicit autem ſe non fuiſſe coactum, ut intelligant lectores Circumciſionem per ſe non damnari, acſi res mala eſſet: verum de neceſſitate ejus obſervanda pugnari. acſi diceret, Paratus fuiſſem circumcidere: niſi de re majori actum fuiſſet. Legem enim imponere volebant: coactioni ejuſmodi non fuit cedendum.

5. *Quibus ne ad horam quidem.*] Hæc conſtantia ſigillum fuit Paulinæ doctrinæ. nam quum ei inſtarent falſi fratres, qui nihil aliud cupiebant quam ipſum criminari, & ipſe intrepide ſtaret, in poſterum omnem dubitationem tollebat. Neque enim inſimulari jam poteſt, quod Apoſtolos fefellerit. negat igitur ſe vel ad momentum illis ceſſiſſe per ſubjectionem: hoc eſt, in modum ſubjectionis, ita ut eſſet opus illud quaſi documentum oppreſſæ libertatis: alioqui manſuetudine & tolerantia ſemper ad vitæ uſque finem omnibus cedere paratus fuit. *Ut veritas Euangelii.* Non erat periculum ne libertate ſua Paulus ſpoliaretur, etiam aliis ſe ſubjiciendo: ſed aliis nocuiſſet exemplum. prudenter ergo conſideravit quid expediret. Ita videmus & quatenus vitanda ſint ſcandala, & quid ſemper in rebus mediis ſit ſpectandum: nempe ædificatio. Summa eſt, nos fratrum eſſe ſervos: ſed in hunc finem, ut ſimul omnes ſerviamus Domino, & conſcientiis ſalva maneat ſua libertas. nam quia volebant falſi fratres in ſervitutem adigere pios, non fuit illis mos gerendus. Veritas Euangelii accipienda pro genuina ejus puritate: vel quod idem eſt, pro pura & integra ejus doctrina. neque enim penitus Euangelium abolebant pſeudoapoſtoli, ſed adulterabant ſuis commentis: ita ut jam fictum eſſe inciperet & larvatum: quale ſemper eſt ubi vel paululum à Chriſti ſimplicitate deflectimus. Qua igitur fronte verum ſe Euangelium habere jactabunt Papiſtæ? quod non tantum multis figmentis eſt corruptum: ſed multis impiis dogmatibus pluſquam adulteratum? Meminerimus ergo non ſatis eſſe tenere nomen Euangelii, & qualemcunque ſummam, niſi ſolida etiam puritas maneat illibata. Ubi ſunt qui fucatis moderationibus conciliare nos Papiſtis volunt, quaſi fas ſit ex religionis doctrina, ſicuti ex pecunia vel prædiis, aliquid decidere? Videmus quantum ab hoc genere tranſactionis abhorruerit Paulus, qui negat verum eſſe Euangelium, niſi purum.

Deut. 10. 6. Ab iis autem qui videbantur aliquid eſſe (quales aliquando fuerint, nihil mea re-
verſ. 17. *2 Par.* 19. fert. perſonam hominis Deus non accipit) nam mihi qui videbantur eſſe in pretio, nihil
verſ. 7. contulerunt.
Job. 34. 7. Imo contra, quum vidiſſent mihi concreditum fuiſſe Euangelium præputii, quem-
verſ. 19. *Sap.* 6: 8. admodum Petro Circumciſionis:
Eccleſ. 35. 8. (Nam qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum Circumciſionis, efficax fuit & in
verſ. 16. me erga Gentes)
Actor. 10. 9. Quumque cognoviſſent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Joannes, qui vi-
verſ. 34. *Rom.* 2. debantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi ac Barnabæ, ſocietatis: ut nos inter Gen-
verſ. 11. tes, ipſi vero in Circumciſionem, Apoſtolatu fungeremur.
Epheſ. 6. 10. Tantum ut pauperum memores eſſemus. in quo & diligens fui, ut hoc ipſum
verſ. 9. *Coloſ.* 3. facerem.
verſ. 25. *1 Petr.* 1. *verſ.* 17.

6. *Ab iis qui videbantur.*] Nondum contentus eſt Paulus, niſi etiam ſciant Galatæ, nihil eum didiciſſe à Petro & Apoſtolis. hinc ſuperbiæ ſanctum virum accuſant Porphyrius & Julianus, quia tantum ſibi arroget, ut nihil ab aliis diſcere ſuſtineat: quia doctorem ſe nullo magiſtro vel adjutore factum jactet: quia tantopere laboret ne quo videatur inferior. Verum quiſquis reputabit quam neceſſaria fuerit hæc jactantia, ſanctam & ſumma laude dignam fuiſſe agnoſcet. Nam ſi hoc dediſſet adverſariis, ſub Apoſtolis ſe profeciſſe, duabus eos armaſſet calumniis: ſiquidem protinus dixiſſent, Tandem aliquid profeciſti ut corrigeres quod ante peccaveras, & pedem à temerario progreſſu referres. Ita primo ſuſpecta fuiſſet tota ſuperioris temporis doctrina, & diruta ædificatio: deinde in poſterum quoque minus habuiſſet auctoritatis: quia habitus fuiſſet pro vulgari diſcipulo. Videmus ergo ut non tam ſua cauſa, quam aſſerendæ doctrinæ neceſſitate, in hanc ſanctam gloriationem efferatur. Hic non eſt certamen ambitionis, quia nequaquam de perſonis agitur: ſed non vult Paulus ullius hominis magnitudine obſcurari ſuum Apoſtolatum, cui adjuncta erat doctrinæ auctoritas. quod ſi ad canes illos compeſcendos non ſufficit, eorum tamen latratum abunde refutat. *Quales aliquando fuerint.* Hæc ſeorſum legenda ſunt: nam ut ſcirent adverſarii, ipſum non morari hominum exiſtimationem, parentheſin iſtam interpoſuit. Cæterum varie exponunt hunc locum. Ambroſius putat obiter perſtringi eorum ſtultitiam, qui Paulo objiciebant Apoſtolos ad eum deprimendum, acſi diceret, Quaſi vero mihi non liceat excipere, pauperculos fuiſſe idiotas, qui nihil tenerent præter artem piſcandi: me vero ſub Gamaliele magiſtro

libe-

liberaliter à puero fuiſſe eruditum. ſed id totum omitto: quia ſcio apud Deum nihili eſſe perſonas. Chryſoſtomus & Hieronymus durius accipiunt: quaſi oblique minetur etiam primis Apoſtolis, in hunc ſenſum, Qualeſcunque ſint, non effugient Dei judicium, ſi declinent ab officio: non liberabit eos vel officii dignitas, vel hominum exiſtimatio. Mihi hæc expoſitio ſimplicior videtur, & magis conſentanea menti Paulinæ, ut concedat primos quidem ordine temporis fuiſſe, ſed id ſibi obeſſe neget quominus gradum nunc ſuum pariter teneat. Non dicit ſibi nihil eſſe curæ quales ſint in præſentia, ſed de præterito tempore loquitur, quo jam erant Apoſtoli, ipſe alienus à Chriſti fide. In ſumma: non vult ex tempore præterito exiſtimationem fieri: nec proverbium illud valere in hac cauſa, ut qui tempore prior eſt, potior ſit jure. *Perſonam hominis.* Præter expoſitiones quas jam adduxi, hæc quoque tertia habet aliquid coloris, Quod in mundi politia locum habent perſonæ: in ſpirituali autem Chriſti regno faceſſere debent. Id plauſibiliter dicitur: atqui de mundana politia ſermo eſt quum dicit Dominus, Non accipias perſonam in judicio. Sed ego in illam diſputationem non ingredior: quia nihil facit ad præſentem locum. nam ſimpliciter intelligit Paulus, gradum honoris in quem pervenerant Apoſtoli, non obſtitiſſe quominus à Deo vocaretur, & ex nullo fieret illis ſubito æqualis. quamlibet enim magnum eſſet diſcrimen, id apud Deum nihil valuiſſe, qui perſonarum acceptione non ducitur, & cujus vocatio nullis præjudiciis eſt obnoxia. Sed videri etiamnum poſſit hoc abſque ratione dixiſſe: nam ut verum ſit, non reſpiciendas eſſe perſonas in negotio Domini, (ſicuti hoc diligenter cavendum eſt) quid hoc ad Petrum & ſocios Apoſtolos, qui non ſola perſona erant venerabiles, ſed vera ſanctitate & ſpiritualibus donis? Nam Perſona timori Dei & bonæ conſcientiæ opponitur, Act. 10. v. 34. 35. & 1 Petr. 1. v. 17. atque hic eſt communis Scripturæ uſus. Atqui pietas, rectus zelus, ſanctimonia, & ſimiles aliæ dotes præcipuam gratiam & honorem conciliabant Apoſtolis. perinde vero contemptim loquitur hic Paulus, acſi nihil in ipſis fuiſſet præter externas larvas. Reſpondeo, Paulum hic æſtimare Apoſtolos non proprio pretio, ſed ex inani adverſariorum ſuorum jactantia. nam quo fumos ſuos venderent, plenis buccis intonabant nomina Petri, Jacobi & Joannis: & reverentia quæ illis deferebatur ab Eccleſia, ambitioſe abutebantur ad contemptum Pauli. Non igitur hic diſſerit Paulus quales ſint Apoſtoli, nec quid de ipſis ſentiat ſepoſita contentione: ſed larvas illas quas obtendebant pſeudoapoſtoli, refutat. Ergo ſicuti poſtea de Circumciſione tractabit, non ex proprio ſenſu, ſed ex falſa opinione & impia quam affinxerant impoſtores illi: ita etiam nunc de Apoſtolis pronunciat, nihil eſſe apud Deum larvas quibus in mundo ſplendebant. idque ex verbis patet: cur enim præferebant illos Paulo? quoniam eum præceſſerant. hæc erat mera larva. Alioqui non dubium quin Paulus pro ſingulari ſua modeſtia illos ex animo ſuſpiceret, ac dona Dei in illis oſcularetur, qui alibi ſe minimum ex Apoſtolis ultro fatetur, ac indignum tam præclaro ordine. *Nihil* mihi *contulerunt.* Poſſet etiam legi, Nihil mecum contulerunt. idem enim verbum eſt quod prius bis poſuit. Senſus tamen eſt certus, quod Apoſtoli audito Pauli Euangelio, ſuum exadverſo non protulerint (qualiter fieri ſolet ubi habetur aliquid melius & perfectius) ſed contenti ejus expoſitione, doctrinam ejus ſimpliciter & ſine mora amplexi ſint: ita, ut in re minime dubia, nullum inter ipſos verbum commutatum fuit. neque tamen ut priores loquendi partes ſibi Paulus ſumpſerit tanquam præſtantior, ut qui aliis formam dictant: ſed fidem ſuam de qua ſuborti erant ſiniſtri rumores, expoſuit: illi vero ſuo aſſenſu probarunt.

Deut. 10. verſ. 17.

1 Cor. 15. verſ. 9.

7. *Imo contra.*] Protinus *illi dederunt dexteras ſocietatis.* ergo teſtimonium reddiderunt ejus doctrinæ: idque citra exceptionem, quia nihil attulerunt contra, ut in rebus controverſis fieri ſolet: & commune ſibi cum eo Euangelium profeſſi ſunt, adeoque ipſum collegæ honore & gradu dignati. Deinde conditio hujus ſocietatis fuit, quod provincias inter ſe partiebantur. ergo erant æquales: nihil in Paulo ſubjectionis. Dare dextras ſocietatis, hic ſignificat habere pactam ſocietatem. *Quum vidiſſent mihi concreditum.* Negat Apoſtolos in hoc ſibi gratificatos eſſe, ut eorum nutu vel conceſſione factus ſit Apoſtolus: ſed honorem Apoſtolatus ſibi fuiſſe ab illis conceſſum dicit, ne tollerent quod Deus dederat. Semper hoc urget, ſe Apoſtolum Dei dono & ordinatione fuiſſe creatum: ſed hic adjungit ſe agnitum fuiſſe talem ab ipſis Apoſtolis. inde ſequebatur, tentare iſtos nebulones quod auſi non fuerant Apoſtoli, ne Dei electioni repugnarent. Atque hic incipit ſibi vendicare quod habebat proprium ac peculiare præ aliis: nempe Apoſtolatum præputii. in hoc enim differebant à reliquis Paulus & Barnabas, quod Apoſtoli erant deſtinati Gentibus. Id oraculo Dei fuerat factum: quod ratum eſſe Apoſtoli non modo paſſi ſunt, ſed etiam voluerunt: quia impium erat non parere. Videmus ergo qualiter ſecundum oraculum inter ſe officia diſtribuerint: nempe ut Paulus & Barnabas Gentium eſſent Apoſtoli, alii autem Judæorum. Sed videtur hoc Chriſti mandato adverſari, quo jubentur duodecim ire in mundum univerſum. Reſpondeo, hoc non reſtringi ad ſingulas eorum perſonas, ſed finem officii deſcribi generaliter: nempe quod publicari debeat ſalus cunctis gentibus per Euangelii doctrinam. Conſtat enim Apoſtolos nunquam peragraſſe orbem terrarum: imo neminem ex duodecim credibile eſt unquam in Europam tranſiiſſe. nam quod de Petro afferunt, neſcio an fabuloſum ſit: ſane perquam incertum eſt. Si quis excipiat, tamen ſingulorum miniſterium Gentibus perinde commune eſſe ac Judæis: fateor, prout occaſio tulerit. Concedo, inquam, unumquemque Apoſtolum munus habuiſſe propagandi Euangelii, tam inter Gentes quam Judæos: neque vero ita inter ſe partiti ſunt, ut limites haberent interpoſitos, quos tranſilire fas non eſſet: quemadmodum terminari ſolent regna, principatus & præfecturæ. Nam videmus ut Paulus, quocunque appulerat, ſolenne habuerit, primo ſuam operam & miniſterium Judæis offerre. quemadmodum illi inter Gentes licuit Judæis ſe exhibere Apoſtolum & doctorem: ita aliis liberum fuit quoſcunque poſſent ex Gentibus ad Chriſtum adducere. quo jure uſus eſt Petrus erga Cornelium & alios. Sed quia in ea regione erant reliqui Apoſtoli, cujus omnes fere incolæ Judæi erant; Paulus Aſiam, Græciam & alias remotas partes circumibat. hac occaſione peculiariter ordinatus eſt Gentium Apoſtolus. Imo quum Dominus initio eum ſegregari juberet, voluit ut relicta Antiochia & Syria, trans mare & in longinquas regiones abiret Gentium cauſa. Ergo ordinarius ejus Apoſtolatus fuit in Gentes, extraordinarius in Judæos. Contra, alii Judæos proprie ſibi ſumpſerunt: ſed hac conditione, ut Gentibus, oblata occaſione, miniſterium ipſorum pateret. ſed hoc poſterius quaſi illis extraordinarium fuit. Cæterum ſi Petri Apoſtolatus peculiariter ad Judæos ſpectabat, videant Romanenſes quo jure ſucceſſionem primatus ab illo ad ſe trahant. Nam ſi Papa Romanus ideo primatum ſibi vendicat, quia eſt Petri ſucceſſor: illum in Judæos exerceat oportet. Præcipuus Gentium Apoſtolus hic Paulus prædicatur: quem negant Romanum fuiſſe Epiſcopum. itaque ut aliqua primatus ſui poſſeſſione fruatur, Eccleſias ex Judæis acquirat: nam eum agnoſcere Apoſtolum nos decet, qui & Spiritus ſancti decreto, & totius collegii Apoſtolici conſenſu, nobis eſt nun-

Marc. 16. verſ. 15.

Actor. 10. verſ. 1.

nuncupatus. Hoc juris qui in Petrum transfert, is & divinam & humanam ordinationem confundit. Metonymia ſatis nota eſt in vocibus *circumciſionis* & *præputii*, pro Judæis & Gentibus: ideo prætereo.

8. *Qui efficax fuit.*] Partes ſibi delatas jure ad ſe pertinuiſſe aſſerit: quia Dominus virtutem ſuam exeruerat in ejus miniſterio. Talis autem divinæ efficaciæ manifeſtatio, ut jam ſæpius vidimus, quaſi ſigillum eſt ad obſignandam doctrinæ certitudinem, & ſanciendum docendi munus. Porro dubium eſt an efficaciam Dei referat Paulus ad ſucceſſum ſuæ prædicationis, an vero ad gratias Spiritus ſancti, quæ tunc dabantur credentibus. Ego non de nudo ſucceſſu accipio, ſed de ſpirituali energia, cujus alibi
1 Cor. 2. vers. 4. meminit. Summa eſt, non fuiſſe vanam pactionem, quam inter ſe habuerint Apoſtoli, ſed judicium divinitus obſignatum.

9. *Quumque cognoviſſent gratiam*] Odioſe ſuperbum eorum faſtidium traducit, quibus ſuſque deque erat Dei gratia, quæ primarios Apoſtolos in ſui admirationem & reverentiam traxerat. minime enim ferenda erat eorum conniventia, ſi neſcire ſe obtenderent quod initio perſpexerant Apoſtoli. Hic admonemur, dandum eſſe locum gratiæ Dei, ubicunque conſpicitur, niſi velimus cum Spiritu ipſo bellum gerere, qui dona ſua otioſa eſſe non vult. Ergo gratia quam Paulo & Barnabæ datam cernebant Apoſtoli, eos incitavit ad ſanciendam miniſterii ſocietatem. *Jacobus & Cephas.* Jam ſuperius dixi hunc fuiſſe Alphæi filium: neque enim frater Joannis eſſe poterat, quem paulo ante occiderat Herodes. & unum fuiſſe ex diſcipulis, qui adeo præ Apoſtolis emineret, valde (meo judicio) eſſet abſurdum.

Quod autem primarius fuerit inter Apoſtolos, Lucas etiam oſtendit, qui perorationem illi tribuit, & cauſæ definitionem in concilio, Actorum 15. v. 13. Et 21. v. 18. narrat omnes Seniores Eccleſiæ Jeroſolymitanæ ad eum fuiſſe congregatos. Fuiſſe autem *viſos columnas*, non per contemptum dicit, ſed citat communem opinionem: quia inde ſequitur, non temere poſſe repudiari quod fecerunt. Quum hic quæſtio ſit de dignitate, mirum eſt Jacobum Petro præferri. forſitan id factum fuit, quod Jeroſolymitanæ Eccleſiæ erat præfectus. Quod ad nomen Columnæ attinet, ſcimus ita ferre rerum naturam, ut qui ingenio, vel prudentia, vel aliis dotibus antecellunt, ii quoque auctoritate ſint ſuperiores. In Eccleſia Dei ita res habet, ut quo quiſque majore pollet gratia, eo plus honoris deferri illi debeat. Ingratitudo enim eſt, imo impietas, non colere Dei Spiritum, ubicunque in ſuis donis apparet. Deinde ſicuti populus carere Paſtore nequit: ita ſinguli Paſtorum cœtus moderatorem aliquem deſiderant. Verum ſemper valeat illud, ut qui omnium eſt primus, ſit Mat. 23. vers. 11.
tanquam miniſter.

10. *Tantum ut pauperum.*] Apparet, fratres qui in Judæa erant, laboraſſe extrema inopia: alioqui non gravaſſent alias Eccleſias. Id partim accidere potuit ob varias totius gentis calamitates: partim quod crudelius ſævientibus ſuis tribulibus, quotidie bonis exuebantur. Æquum vero erat ipſos ſublevari ope Gentilium, qui Euangelium, bonum ſcilicet incomparabile, illis debebant. Paulus ſe fideliter præſtitiſſe dicit quod à ſe petierant Apoſtoli. detrahit ergo adverſariis prætextum quem captabant.

11. Quum autem veniſſet Petrus Antiochiam, palam ei reſtiti, eo quod reprehenſione dignus eſſet.

12. Nam antequam veniſſent quidam à Jacobo, una cum Gentibus ſumebat cibum: quum autem veniſſent, ſubduxit ac ſeparavit ſe ab illis, metuens eos qui erant ex Circumciſione.

13. Ac ſimulabant una cum illo cæteri quoque Judæi: adeo ut Barnabas ſimul abduceretur in illorum ſimulationem.

14. Verum ubi vidiſſem quod non recto pede incederent ad veritatem Euangelii, dixi Petro coram omnibus, Si tu quum ſis Judæus, Gentiliter vivis, & non Judaice: cur cogis Gentes Judaizare?

15. Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores:

16. Cognito, non juſtificari hominem ex operibus Legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Jeſum Chriſtum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis: propterea quod non juſtificabitur ex operibus Legis omnis caro.

11. *Quum veniſſet Petrus.*] Quiſquis prudenter expendet omnes circumſtantias, mihi (ut ſpero) aſſentietur, hoc accidiſſe priuſquam pronunciaſſent Apoſtoli, non exhibendam eſſe Gentibus moleſtiam de ceremoniis. Neque enim veritus fuiſſet Petrus Jacobum offendere, vel ab eo miſſos: quum ea definitio fuiſſet ex illius ſententia. porro jam longius provehitur Paulus, quod Euangelium ſuum aſſeruerit adverſus Petri ſimulationem. Initio dixit, Euangelii ſui certitudinem à Petro & Apoſtolis minime pendere, ut eorum arbitrio ſtaret vel caderet. Secundo, dixit approbatum fuiſſe ab omnibus ſine ulla exceptione vel contradictione: maxime vero ab iis qui primas tenebant omnium conſenſu. Nunc (ut dixi) altius conſcendit, Petrum abs ſe reprehenſum fuiſſe, quia in contrariam partem inclinaret: qua etiam occaſione in ipſam tractationem cauſæ ingreditur. Hinc vero apparet quam firma fuerit doctrina, cujus non modo voluntariam ſubſcriptionem obtinuerit: ſed quam conſtanter aſſeruerit adverſus Petrum, & in certamine fuerit ſuperior. Quid jam ergo amplius dubitationis reſtat, quin pro certa & invicta veritate recipiatur? Simul illa calumnia depulſa eſt, Paulum vulgarem eſſe diſcipulum, procul diſtantem à gradu Apoſtolatus. iſta enim reprehenſio ſignum eſt æqualitatis. Fateor quidem ſummos ab infimis jure reprehendi: itaque non ſequitur, eos qui quempiam reprehendunt, protinus eſſe pares: nam libertas hæc minoribus erga majores permittitur à Deo. ſed qualitas reprehenſionis hic notanda eſt. Neque enim ſimpliciter Paulus reprehendebat Petrum, ut Chriſtianus Chriſtianum: ſed id faciebat ex officio, ut vulgo loquuntur: hoc eſt, pro jure Apoſtolicæ perſonæ quam ſuſtinebat. Atque hic altero fulmine proſternitur Romanus Papatus: præſertim vero coarguitur illa impudentia, quod Romanus Antichriſtus immunem ſe jactat à reddenda ratione, & quod univerſæ Eccleſiæ judicio ſe eximit. Hic unus homo, non temere, non illicita audacia, ſed pro conceſſa ſibi à Deo poteſtate, Petrum coram tota Eccleſia caſtigat: & Petrus obedienter correctioni ſe ſubmittit. imo tota diſputatio duorum iſtorum capitum, nihil aliud fuit quam aperta everſio tyrannici illius primatus, quem jure divino fundatum garriant Romanenſes. Atqui ſi Deum volunt habere ejus auctorem, neceſſe eſt ut novam Scripturam fabricent. quod ſi profeſſum hoſtem habere ipſum nolunt, neceſſe eſt duo hæc capita ex Scri-

ptura

ptura ſacra expungant. *Quod reprehenſione dignus.* Græcum participium Reprehenſum ſignificat: ſed mihi non eſt ambiguum quin vice nominis poſitum ſit, pro eo qui juſtam reprehenſionem meretur. nam quod Chryſoſtomus interpretatur, Prius ab aliis ortam fuiſſe querimoniam & accuſationem, frigidum ſane eſt. eſt autem Græcis uſitatum, participiis dare nominum ſignificationem: quod huic loco quadrare nemo non videt. Atque hinc colligere promptum eſt quam ineptum fuerit commentum Hieronymi & Chryſoſtomi, qui putarunt ex compoſito Apoſtolos hanc fabulam coram populo egiſſe. neque illis ſuffragatur particula *κατὰ πρόσωπον*, quæ ſignificat, Petrum in os, ut aiunt, vel præſentem caſtigatum obmutuiſſe. Quod putat Chryſoſtomus, eos vitandi ſcandali cauſa colloquuturos fuiſſe privatim, ſi quid habuiſſent diſſenſionis, leve eſt: alia enim minora ſcandala huic pernicioſiſſimo poſthabenda erant, quod Eccleſia ſcinderetur, quod periclitabatur Chriſtiana libertas, quod obruebatur Chriſti gratia. palam igitur oportuit publicum hoc peccatum corrigi. Præcipuum argumentum quo nititur Hieronymus, nimis frivolum eſt. Cur damnaſſet, inquit, in altero Paulus quod ſibi laudi ducit? nam gloriatur ſe Judæis

1 Cor. 9. verſ. 20. factum eſſe Judæum. Reſpondeo, longe aliud Petrum feciſſe. neque enim aliter ſe accommodabat Judæis Paulus, quam ſalva libertatis doctrina. unde nec Titum circumcidere voluit, ut ſalva maneret Euangelii veritas. Petrus vero ita Judaizabat, ut Gentes cogeret in ſervitutem: & ſimul hoc quaſi præjudicio derogaret Pauli doctrinæ. Non tenuit ergo modum: quia gratificandi majorem curam quam ædificandi habuit, magiſque reſpexit quid Judæis placeret, quam quid univerſo corpori expediret. Rectius itaque judicavit Auguſtinus, qui negat ex compacto quicquam actum fuiſſe: ſed Paulum ſincere pro Chriſtiano zelo ſe oppoſuiſſe pravæ & intempeſtivæ ſimulationi Petri, quod eam Eccleſiæ noxiam judicaret.

12. *Nam antequam veniſſent quidam.*] Status cauſæ hic deſcribitur, quod Petrus in gratiam Judæorum diſceſſionem fecerat à Gentibus: ita ut ab Eccleſiæ communione eas arceret, niſi abdicata Euangelii libertate, Legis jugum ſubirent. Hic ſi tacuiſſet Paulus, concidebat tota ejus doctrina, ruebat tota ædificatio miniſterio ejus comparata: ergo & animoſe inſurgere, & acriter pugnare neceſſe habuit. Hic videmus quam caute temperanda ſint noſtra erga homines obſequia: ne immodico placendi ſtudio, aut præpoſtero offenſionis metu, à recto curſu deflectamus. Id ſi potuit Petro accidere, quanto facilius nobis accidet, niſi ſedulo caveamus?

14. *Ubi vidiſſem quod non recto pede.*] Quidam exponunt de Gentibus, qui turbati Petri exemplo jam labaſcebant: ſed magis convenit de Petro & Barnaba eorumque aſſeclis intelligere. Rectus ad Euangelii veritatem inceſſus erat, unire Gentes Judæis, ſalva vera doctrina. neceſſitate vero ſervandæ Legis obſtringi piorum conſcientias, & ſilentio ſepeliri libertatis doctrinam, hæc erat indigna merces unitatis. *Veritatem Euangelii* hic Paulus eodem ſenſu accipit quo prius: cui fucum illum opponit, quo Euangelium deformabant Petrus, & alii. Quod quum ita ſit, minime dubitandum eſt, ſerium fuiſſe Paulo certamen. De doctrina optime conſentiebant: ſed quia non habito doctrinæ reſpectu nimis ſerviliter Judæis obſequebatur Petrus, ideo claudicationis arguitur. Sunt qui alio prætextu Petrum excuſent: quia magis ſollicitus eſſe debuerit de ſalute Judæorum, Circumciſionis ſcilicet Apoſtolus: & tamen ſimul concedant, Paulum quoque recte feciſſe, ſuſcipiendo cauſam Gentium. ſed ſtultum eſt defendere quod Spiritus ſanctus per os Pauli damnavit. Neque vero hic agebatur hominum negotium: ſed venerat in diſcrimen Euangelii puritas, ne Judaico fermento inquinaretur. *Coram omnibus.* Hoc exemplo admonemur, palam caſtigandos eſſe qui publico malo peccarunt: quatenus intereſt Eccleſiæ. Finis enim eſt, ne ſi impunitum relinquatur ejuſmodi delictum, exemplo noceat. atque id Paulus nominatim ſervandum in Presbyteris alibi docet: quatenus ſcilicet ob perſonam quam ſuſtinent, exemplo ſuo gravius nocent. 1 Tim. 5. verſ. 20. præſertim vero utile fuit bonam cauſam, quæ ad omnes ſpectabat, ingenue coram populo defendi, quo melius teſtatum faceret Paulus, ſe lucem minime refugere. *Si tu quum ſis Judæus.* Oratio Pauli ad Petrum duobus conſtat membris. priore expoſtulat quod iniquus ſit erga Gentes, quia eas ad ſervandam Legem adigat, à qua ſolutus ipſe eſſe velit. Nam præterquam quod ſervare quiſque legem debet, quam aliis præſcribit: in hoc etiamnum gravius peccabat, quod Gentes ad Judaiſmum cogeret, ipſe Judæus libertatem ſibi permitteret. Judæis enim, non Gentibus data Lex eſt. utitur itaque argumento à minori ad majus. Porro hæc erat ſatis dura & violenta coactio, quod Gentibus communionem renunciabat, niſi vellent jugum Legis recipere. quæ erat injuſta conditio. Ac tota quidem vis reprehenſionis conſiſtit in hoc verbo: quod à Chryſoſtomo & Hieronymo non fuit animadverſum. liber enim erat ceremoniarum uſus in ædificationem: modo non ſpoliarentur fideles ſua libertate: nec illis neceſſitas imponeretur, à qua eos eximit Euangelium.

15. *Nos natura Judæi.*] Scio quibuſdam videri anthypophoram: quaſi anticipet Paulus in perſona adverſæ partis quod objicere poterat: nempe plus privilegii (ut vulgo loquuntur) habere Judæos. non quod à Lege immunitatem jactarent: fuiſſet enim pluſquam abſurdum, ipſos id jactare quibus Lex erat lata: ſed quia deberent certis inſignibus diſtingui à Gentibus. Id ego neque rejicio in totum, neque tamen prorſus, ut mox patebit, recipio. Alii hoc quidem in perſona Pauli dictum accipiunt, ſed hoc ſenſu: Si Judæis onus Legis imponeres, magis eſſet rationi conſentaneum: eſt enim illis hæreditaria. verum neque hæc expoſitio convenit. Eſt ergo potius ſecunda pars orationis, quæ ab occupatione incipit: nam quum eſſet diſcrimen inter Judæos & Gentes, quod hæ profanæ erant & impuræ, illi autem ſancti, quatenus Deus ipſos in populum cooptaverat, poterant de hac prærogativa contendere Judæi. Sed prudenter occupando, Paulus in contrarium retorquet: nam quum Judæi ipſi cum tota ſua dignitate coacti fuiſſent confugere ad Chriſti fidem, quanto magis oportebat Gentes fide ſalutem conſequi? Mens ergo Pauli eſt, Nos qui videmur aliis præſtare, qui beneficio fœderis ſemper fuimus propinqui Deo: tamen nullam ſalutis adipiſcendæ rationem invenimus, quam credendo in Chriſtum: cur ergo aliam præſcriberemus Gentibus? Nam ſi neceſſaria eſſet Lex, vel prodeſſet ſuis cultoribus ad ſalutem: nobis maxime prodeſſet, quibus data fuit. quod ſi nos ea relicta, conceſſimus ad Chriſtum, multo minus Gentes urgendæ ſunt ut illam ſuſcipiant. Nomen *peccatoris* hic, ut alibi ſæpe, Profanum ſignificat, vel perditum & alienatum à Deo. tales erant Gentiles, qui nihil communicationis cum Deo habebant. Judæi autem adoptione filii Dei erant: ideoque ſegregati in ſanctitatem. Quod dicit, Natura, non intelligit naturaliter eſſe immunes à corruptela humani generis: nam David qui ex progenie Abrahæ Pſal. 51. deſcenderat, confitetur ſe ex impuro ſemine eſſe verſ. 7. genitum: ſed corruptioni naturæ cui obnoxii erant, ſuperveniebat remedium gratiæ quo ſanctificabantur. Quia autem promiſſio hæreditariam benedictionem faciebat: ideo naturale vocatur hoc bonum. Sic ad Romanos dicit, ex radice ſancta eſſe progenitos. Rom. 11. Ergo quum dicit, Nos natura Judæi, perinde valet verſ. 16. acſi diceret, Nos ſancti naſcimur, non proprio quidem merito, ſed quia ſumus à Deo electi in populum.

Nos ergo qui natura eramus Judæi, quid fecimus? credidimus in Chriſtum. Quis finis credendi? ut fide Chriſti juſtificaremur. Qua de cauſa? quoniam convicti eramus, non poſſe homines conſequi juſtitiam ex operibus Legis. A natura igitur & effectu fidei ratiocinatur, Judæos Lege minime juſtificari.
Rom. 10. verſ. 3. Quemadmodum enim propriam operum juſtitiam volentes ſtabilire, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti: ita econverſo qui in Chriſto credunt, peccatores ſe eſſe confitentur, & operum juſtitiæ renunciant. Hic jam verſatur in præcipua quæſtione: imo in hac una propoſitione tota fere controverſiæ ſumma incluſa eſt: quo diligentius in præſentis loci diſcuſſionem inſiſtere convenit. Primo notandum iſtud, petendam juſtitiam ex fide Chriſti, quia operibus juſtificari non poſſumus. jam quæritur quid per *opera Legis* intelligat. Papiſtæ nb Origene & Hieronymo decepti, tantum de umbris litem eſſe opinantur: imo ſecure definiunt. ideo ſemper opera Legis interpretantur ceremonias: quaſi Paulus de gratuita juſtitia, quæ nobis à Chriſto donatur, non diſputaret. neque enim pro abſurdo habent, neminem juſtificari operibus Legis: & tamen nos operum merito cenſeri juſtos apud Deum. In ſumma, nullam operum moralium hic fieri mentionem ducunt. Verum contextus liquido demonſtrat, Legem etiam moralem comprehendi in his verbis: nam quæcunque fere ſubjiciet Paulus, ad moralem potius quam ad ceremonialem Legem pertinent. deinde juſtitiæ Legis, gratuitam acceptionem qua nos dignatur Deus, perpetuo opponit. At objiciunt adverſarii, Debuiſſe igitur ſine ndjectione nominari opera, niſi Paulus ad certam ſpeciem reſtringere vellet. Reſpondeo, bujus loquutionis optimam eſſe rationem: neque enim etiamſi quis ſanctitate Angelos omnes ſuperet, ulla debetur merces operibus, niſi quia promiſſa eſt à Domino. ergo quod Legis perfectio juſtitia eſt, ac mercedem vitæ æternæ repoſitam habet, id ex Deo provenit, qui pronunciat victuros qui eam impleverint. qua de re poſtea ſuo loco amplius. Deinde certamen erat cum Judæis de Lege. maluit ergo Paulos cominus manus (ut ita dicam) conſerendo, ipſos in ſua ntenn conficere, quam longius vagando præbere ſpeciem tergiverſantis, acſi cauſæ diffideret. fixo igitur pede in diſputatione Legis inſiſtit. Objiciunt ſecundo, tantum quæſtionem de ceremoniis motam fuiſſe. quod & nos fatemur. Cur ergo, inquiunt, à particulari ad univerſalem cauſam tranſiliret Paulus? Hæc ſoln Origeni & Hieronymo errandi occaſio fuit: neque enim putabant convenire, ut quum de ſolis ceremoniis contenderent pſeudoapoſtoli, plus apprehenderet Paulus. Verum non conſiderarunt hanc ipſam cauſam illi fuiſſe tam acriter pugnaodi, quod dogma illud longiorem trabebat caudam, quam prima fronte præ ſe ferebat: neque enim tam moleſtum fuiſſet Paulo ceremonias ſervari, quam transferri fiduciam & ſimul gloriam ſalutis ad opera. quemadmodum quum de prohibitione carnium ad certos dies agitur, non tam ſpectamus quam grave ſit illud, eſum carnium interdici, quam de laqueo conſcientiarum ſolliciti ſumus. Non ergo extra cauſam ſpatiatur Paulus, quum diſputationem de tota Lege inſtituit: tametſi de ceremoniis duntaxat digladiabantur pſeudoapoſtoli. nam ideo ceremonias urgebant, ut ſalutem quærerent homines in obſervatione Legis: quia ſcilicet cultum meritorium eſſe fingebant. quare non Legem moralem illis opponit Paulus, ſed ſolam Chriſti gratiam. Neque tamen in iſta univerſali diſceptatione tota Epiſtola conſumitur: tandem enim ad ceremonias ſpeciatim deſcendit. ſed quia hic præcipuus erat nodus, Utrum operibus an fide juſtitia nobis contingeret, in primis expediri oportebat. Quoniam bodie Papiſtas male babet ſi extorqueamus ſola fide juſtificari homines, gravatim concedunt ſub operibus Legis, moralia comprehendi. multi etiam eorum gloſſa Hieronymi objecta, belle ſe defunctos putant: ſed contextus evincet de Lege quoque morali fieri verba.

16. *Niſi per fidem.*] Non ſignificat tantum ceremonias aut quævis opera non ſufficere, niſi accedat fidei adminiculum: ſed propoſitioni negativæ excluſivam oppooit: acſi diceret, non operibus, ſed ſola Chriſti fide. Alioqui inepta eſſet atque ab inſtituto extranea ſenteotia. nam pſeudoapoſtoli non repudiabant Chriſtum neque fidem: ſed poſtulabant ceremonias conjungi Si ejuſmodi conjunctionem recepiſſet Paulus, jam plenus conſenſus fuiſſet inter eos. fruſtra igitur Paulus tam odioſa concertatione turbaſſat Eccleſiam. Maneat igitur illud conſtitutum: bic propoſitionem eſſe excluſivam, Nos non aliter juſtificari quam fide: aut, Non niſi fide juſtificari: cui iſta æquipollet, Nos ſola fide juſtificari. Unde apparet quam pueriliter bodie ineptiant Papiſtæ, de dictione Sola oobiſcum rixando, perinde acſi noſtra eſſet. Sed Paulo ſcilicet theologia Papiſtarum ignota erat. fide hominem juſtificari dictitant: partem juſtitiæ locant in operibus. talem dimidiam juſtitiam neſciebat Pnulos. nam quum nos fide juſtos eſſe docet, quia operibus non poſſumus: pro confeſſo ſumit quod verum eſt, nos Chriſti juſtitiæ non aliter eſſe capaces, quam ſi propriæ juſtitiæ inopes egenique ſimus. Ergo aut nihil aut totum adſcribi debet fidei vel operibus. de vocabulo Juſtificationis, & qualiter ejus cauſa ſit fides, poſtea videbitur. *Non juſtificabitur omnis caro.* Conſcientiam Petri & aliorum prius teſtem citaverat. nunc magis confirmat, pronunciando ita eſſe: hoc eſt, Neminem mortalium operibus Legis adepturum juſtitiam. Hoc fnodamentum eſt gratuitæ juſtitiæ, quum propria juſtitia nudamur. Porro quenquam mortalium juſtificari negans, tantundem ſumit, acſi diceret excludi cunctos mortales à juſtitia Legis, nec fieri poſſe ut quis ad eam perveniat.

17. Porro ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus ipſi quoque peccatores: ergo Chriſtus peccati miniſter eſt? abſit.

18. Nam ſi quæ deſtruxi, hæc rurſum ædifico, prævaricatorem meipſum conſtituo.

19. Ego enim per Legem Legi mortuus ſum, ut Deo viverem: cum Chriſto ſum crucifixus.

20. Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me.

21. Non abjicio gratiam Dei. ſi enim per Legem juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.

17. *Si quærentes.*] Redit nunc ad Galatas, ne quis hanc ſententiam contexat cum ſuperiori, acſi pars eſſet orationis ad Petrum habitæ. quorſum enim his fuiſſet opus ad Petrum? Etſi hoc nihil ad rem vel minimum, ideo eligat quiſque utrom volet. Porro quidam affirmative legunt, inter quos eſt Chryſoſtomus: huncque faciunt ſenſum, Si quærentes juſtificari in Chriſto, nondum plene juſti ſumus, ſed adhuc immundi, neque ſufficit nobis Chriſtus ad juſtitiam: ſequitur Chriſtum miniſtrum eſſe do-

ctrinæ quæ in peccato homines relinquit. quaſi hoc abſurdo propoſito, blaſphemiæ inſimulet Paulus eos qui partem juſtitiæ Legi tribuunt. Sed quia mox ſequitur vox abominantis, quam Paulus nuſquam niſi interrogationibus ſubjicere ſolet: magis hoc dictum arbitror ad removendam abſurditatem quæ videbatur conſequi. More igitur ſuo interrogando occupat, quaſi adverſariorum perſona: Si huc, inquit, affert juſtitia fidei, ut nos etiam Judæi, qui ab utero ſanctificati ſumus, rei cenſeamur & polluti: dicemusne Chriſtum peccati anctorem eſſe, utpote qui vigere faciat peccati potentiam in ſuis. Inde oriebatur hæc dubitatio, quod dixerat Judæos in Chriſtum credendo, ſe abdicare Legis juſtitia: nam remoto Chriſto, Judæi à communi Gentium pollutione ſegregati, ita videntur eſſe quodammodo exempti numero peccatorum. Chriſti gratia æquat illos Gentibus: & remediom quod eſt utriſque commune, æqualem eſſe morbum oſtendit. Huc facit particula *quoque*. Nos etiam ipſi, inquit. non de quibuslibet loquitur, ſed de eximiis, quales erant Judæi. *Abſit*. Merito illud rejicit. neque enim Chriſtus peccatum detegendo quod latebat, peccati miniſter eſt? quaſi exinanita juſtitia, peccato aperiat januam: neque etiam quaſi ſtabiliat regnum peccati. Hoc fallebat Judæos quod ſibi arrogabant extra Chriſtum aliquam ſanctitatem, quæ nulla erat. inde querimonia, Ergone venit Chriſtus, ut juſtitiam Legis nobis eripiat? ut faciat ex ſanctis pollutos? ut nos peccato & reatui ſubjiciat? Negat Paulus ita eſſe, adeoque hanc blaſphemiam cum deteſtatione repellit: neque enim afferebat Chriſtus peccatum, ſed revelabat: neque auferebat juſtitiam, ſed falſam larvam detrahebat Judæis.

18. *Nam ſi quæ deſtruxi.*] Duplex eſt reſponſio. hæc prior indirecta, dum admonet id cum tota ſua doctrina pugnare: quandoquidem ſic prædicaverat fidem Chriſti, ut peccati ruinam & abolitionem conjungeret. Nam ſicut docet Joannes Chriſtum non [1 *Joa.* 3. *verſ.* 8.] veniſſe ad extruendum regnum peccati, ſed deſtruendum: ita Paulus hic teſtatur ſe in Euangelio prædicando, veram juſtitiam reſtituiſſe, ut peccatum deſtrueretur. Erat igitur minime conſentaneum, ab eodem interimi peccatum, & inſtaurari. hujus abſurdi objectione propulſat calumniam.

19. *Ego enim per Legem.*] Sequitur directa reſponſio: non imputandum eſſe Chriſto quod proprium eſt opus Legis: neque enim opus eſſe Chriſto ad exinaniendam Legis juſtitiam: quandoquidem ipſa Lex diſcipulos ſuos occidit. acſi diceret, Vos falſa imaginatione decipitis miſeros homines, quaſi ex Lege vivere debeant; eoque prætextu in Lege ipſos detinetis: Euangelio interea facitis invidiam, quaſi in nihilum juſtitiam redigat quam ex Lege habemus. atqui Lex ipſa eſt quæ nos ſibi mori cogit: nam quum exitium nobis minitans, nihil nobis relinquat præter deſperationem, hoc modo nos expellit à ſui fiducia. Facilior hujus loci intelligentia petenda eſt ex ſeptimo capite ad Rom. illic enim pulchre deſcribit Paulus neminem Legi vivere, niſi cui Lex eſt mortua, hoc eſt, otioſa & ſine effectu: nam ſimulatque Lex vivere in nobis cœpit, eam nobis infligere lethale vulnus quo perimus: & ſimul vitam emortuo prius peccato inſpirare. Ergo qui Legi vivunt, nunquam ſenſerunt vigorem Legis, ac ne guſtarunt quidem quid Lex ſibi vellet: nam Lex vere percepta, nos ſibi mori cogit. hinc peccatum: non autem à Chriſto. *Mori Legi*, vel eſt illi renunciare & ab ejus imperio manumitti: ita ut nihil habeamus in ea fiduciæ, nec viciſſim nos ſub jugo ſervitutis captivos teneat: vel certe quatenus nos omnes addicit exitio, nullam in ea vitam reperire. qui poſterior ſenſus melius convenit. Chriſtum enim hujus mali auctorem eſſe negat, quod Lex magis noxia ſit, quam utilis: ſed incluſam in ipſa Lege eſſe maledictionem, quæ nos occidit. Unde ſequitur, mortem, quæ à Lege infertur, vere eſſe mortiferam. Huic opponitur altera mortis ſpecies vivifica in ſocietate crucis Chriſti. Se igitur una cum Chriſto dicit eſſe crucifixum, ut vivere inciperet. Et diſtinctio, quæ vulgo obtinuit, genuinum ſenſum obſcurat. Sic legunt, Ego per Legem Legi mortuus ſum, ut Chriſto viverem. Atqui melius fluet diverſus contextus, Ego per Legem Legi mortuus ſum: deinde ſeorſim, Ut Deo viverem, crucifixus ſum cum Chriſto. *Ut Deo viverem.* Oſtendit genus mortis eſſe optabile ex quo invidiæ materiam captabant pſeudoapoſtoli. ſignificat enim nos Legi nequaquam ideo mori ut peccato vivamus, ſed Deo. Vivere Deo, interdum quidem eſt vitam noſtram componere ad ejus voluntatem: ita ut nihil aliud ſtudeamus tota vita, quam nos illi approbare. hic autem eſt vivere vitam Dei (ut ita loquar) quo antitheta inter ſe reſpondeant: nam qua ratione dictum eſt, nos mori Legi, eadem & vivere Deo. In ſumma, admonet Paulus mortalem non eſſe mortem illam, ſed porius cauſam melioris vitæ: Deum enim ex naufragio Legis nos ſuſcipere, ejuſque gratia in aliam vitam inſtaurari. Alias expoſitiones omitto. mihi hæc videtur genuina mens eſſe Pauli. Se vero dicens cum Chriſto crucifixum eſſe, modum exprimit qualiter Legi mortui, Deo vivamus: quum ſcilicet inſiti in mortem Chriſti, arcanam inde vim, tanquam ſurculus à radice, haurimus. Porro Chriſtus chirographum Legis quod erat nobis contrarium, cruci ſuæ affixit. ergo cum ipſo crucifixi, ab omni Legis maledictione & reatu liberamur. qui hanc liberationem irritam facere conatur, evacuat Chriſti crucem. Sed meminerimus non aliter nos ſolvi à jugo Legis, quam dum efficimur unum cum Chriſto: quemadmodum ſurculus non aliter humorem à radice trahit, quam ſi in unam naturam coaleſcat.

20. *Vivo autem.*] Semper mortis nomen humano ſenſui eſt odioſum. itaque poſtquam docuit nos cruci affixos una cum Chriſto, hoc quoque nobis vitale eſſe ſubjicit. Simul explicat quid prius intellexerit per Deo vivere: quod ſcilicet jam non ipſe vivat propria vita, ſed quod ita arcana Chriſti virtute animetur, ut dici poſſit Chriſtus in ipſo vivere ac vigere. Nam ut anima corpus vegetat, ſic & Chriſtus vitam inſpirat membris ſuis. Inſignis ſententia, Fideles extra ſe vivere, hoc eſt, in Chriſto. quod fieri nequit, quin veram cum ipſo & ſubſtantialem communicationem habeant. Porro vivit Chriſtus in nobis dupliciter. una vita eſt, quum nos Spiritu ſuo gubernat, atque actiones noſtras omnes dirigit. altera, quod participatione ſuæ juſtitiæ nos donat: ut quando in nobis non poſſumus, in ipſo accepti ſimus Deo. Prior ad regenerationem pertinet: ſecunda ad gratuitam juſtitiæ acceptionem, de qua hunc locum intelligere licebit. quanquam ſi quis de utraque accipere malit, libentius amplectar. *Quod autem nunc vivo in carne.* Nulla eſt hic fere ſententia quæ non fuerit lacerata variis expoſitionibus: ſicuti Carnem hic exponunt quidam pro naturæ vitioſæ pravitate. Paulus autem ſimplicius accipit pro vita corporali. Prompta enim alioqui fuiſſet alia objectio, Tu vivis tamen vitam corpoream. ubi autem corpus hoc corruptibile functiones ſuas exercet, ubi cibo & potu ſuſtinetur: hæc non eſt cæleſtis Chriſti vita. ergo paradoxum eſt à ratione abhorrens, quod quum palam vivas communi hominum more, propriam tibi eſſe vitam negas. Reſpondet Paulus, id in fide conſiſtere: quo innuit abſconditum eſſe arcanum ab humano ſenſu. Vita igitur quam fide obtinemus, non oculis apparet, ſed intus percipitur in conſcientia per Spiritus efficaciam. ideoque non impedit vita corporalis quin fide poſſideamus cæleſtem vitam. Epheſ. 1. v. 20. Collocavit nos in cæleſtibus, &c. Item, Jam [*Epheſ.* 2. *verſ.* 19.] eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei. Item ad

Phil. 3. verſ. 20. Politia noſtra in cælis eſt. plenus denique eſt Paulus talibus teſtimoniis, quibus aſſerit ita nos vivere in mundo, ut in cælo tamen etiam vivamus: non modo quia illic eſt caput noſtrum, ſed etiam quod jure unionis vitam habemus cum ipſo communem, ut loquitur Joan. 14. v. 1. *Qui dilexit me.* Hæc addita ſunt ad vim fidei exprimendam: nam protinus cuivis in mentem veniret hæc cogitatio, Unde tanta fidei virtus, ut Chriſti vitam in nos transfundat? ergo hypoſtaſin qua nititur fides, declarat Chriſti dilectionem & mortem: nam inde æſtimandus eſt fidei effectus. Qui fit ergo ut vivamus Chriſti fide? quia nos dilexit, & ſeipſum tradidit pro nobis. amor, inquam, quo nos complexus eſt Chriſtus, fecit ut ſe nobis coadunaret. Id implevit morte ſua: nam ſeipſum tradendo pro nobis, non ſecus atque in perſona noſtra paſſus eſt. proinde quicquid in Chriſto fides reperit, ejus nos facit compotes. Quum autem dilectionis meminit, hoc ipſum
1 Joan.4. verſ. 19. ſignificar quod docet Joannes, Non quia priores dilexerimus eum, ſed ipſe dilectione ſua nos prævenit. Nam ſiquibus meritis provocatus nos redemiſſet: cauſa hæc diceretur. nunc autem totum adſcribit Paulus dilectioni: eſt igitur gratuita. Notandus enim eſt ordo, Dilexit nos, & tradidit ſe pro nobis: perinde enim valet acſi dixiſſet, Non alia moriendi fuit ratio, niſi quia nos diligebat. idque quo tempore inimici eramus: quemadmodum Rom. 5. v. 10. docet. *Tradidit ſeipſum.* Nullis verbis rite exprimi poteſt quantum hoc ſit. quis enim oratione aſſequatur quanta ſit excellentia Filii Dei? is vero ſeipſum pretium nobis redimendis ſtatuit. Sub verbo Tradendi includitur totus fructus qui ad nos redit ex morte Chriſti: nempe quod ſacrificium eſt expiationis, ablutio, ſatisfactio, &c. Neque parum energiæ habet *pro me*: quia non ſatis fuerit Chriſtum pro mundi ſalute mortuum reputare, niſi ſibi quiſque effectum ac poſſeſſionem hujus gratiæ privatim vendicet.

21. *Non abjicio.*] Subeſt etiam magna emphaſis huic verbo: nam cujus & quam horrendæ ingratitudinis eſt, tam inæſtimabilem Dei gratiam, tantoque pretio acquiſitam, contemnere? hujus autem ſacrilegii accuſat pſeudoapoſtolos, qui uno Chriſto non contenti, alia etiam ſalutis ſubſidia ingerebant. Rejicitur enim Dei gratia, niſi aliis omnibus renunciantes, ſolum Chriſtum amplectimur. porro quid reliquum eſt homini, poſtquam Dei gratiam repudiando, indignum ſe ipſa reddidit? *Si enim per Legem. Gratis* pro Fruſtra capitur: hoc eſt, nullum eſſet operæpretium in morte Chriſti: vel, nulla mercede Chriſtus eſſet mortuus. Iſta enim merces eſt mortis, quod peccata noſtra expiando, Patri nos reconciliavit. hinc ſequitur, ejus gratia nos juſtificari. ergo non operibus. De Lege ceremoniali Papiſtæ interpretantur. ſed quis non videt ad totam Legem patere? perinde enim eſt acſi diceret Paulus, Si promeremur ipſi juſtitiam, ergo fruſtra Chriſtus paſſus eſt. nam ideo paſſus eſt, ut eam nobis acquireret. quid opus fuit aliunde nobis comparari quod dare ipſi nobis poſſumus? Certe ſi mors Chriſti, redemptio noſtra eſt, ergo captivi eramus: ſi ſatisfactio, ergo eramus debitores: ſi expiatio, rei ergo eramus: ſi ablutio, eramus immundi. Itaque econverſo, qui operibus ſuam munditiem, ſuam abſolutionem, expiationem, juſtitiam, liberationem tribuit: irritam facit Chriſti mortem. Hic objiciat forte quiſpiam, Non valere argumentum adverſus eos qui gratiam Chriſti, operibus conjungunt: quod feciſſe pſeudoapoſtolos, nemini dubium eſt. Stant enim ſimul iſta duo, Ex Lege eſſe juſtitiam, & Nos Chriſti morte redemptos eſſe. fateor, ſi concedimus partem juſtitiæ operibus acquiri, partem ex gratia provenire. Verum Paulo incognitam fuiſſe hanc theologiam, colligere promptum eſt: nam vel appoſite diſputavit contra adverſarios ſuos, vel ſtulte & perperam. ſiquis blaſphemus audeat ipſum calumniari, valida ſatis eſt defenſio, Juſtitiam coram Deo reputari, non qualem nos homines imaginamur, ſed cui nihil deſit. Cæterum quia præſentis inſtituti non eſt, agere Pauli cauſam adverſus blaſphemos qui Spiritui ſancto oblatrare audent, cum Papiſtis agamus. Rident nos quum poſt Paulum ratiocinamur, Fruſtra mortuum eſſe Chriſtum, ſi ex operibus eſt juſtitia. nam pulchra reſponſione ſibi videntur inſtructi, quum afferunt ex ſuis ſophiſtis, Chriſtum meruiſſe nobis primam gratiam, hoc eſt, occaſionem merendi: & meritum mortis ipſius concurrere una cum operum ſatisfactionibus, ad quotidianam remiſſionem peccatorum. Rideant igitur Paulum, ex cujus ore loquimur: ipſum enim prius refellant oportet quam nos. Scimus illi fuiſſe negotium cum hominibus qui non excluderent penitus Chriſti gratiam: ſed dimidium ſalutis in operibus locarent. adverſus eos ſic argumentatur, Fruſtra mortuum eſſe Chriſtum, ſi per Legem eſt juſtitia. ſic agendo, nullam certe juſtitiæ guttam operibus relinquit. Ab illis nihil differunt Papiſtæ. liceat igitur & nobis ad eos refutandos Pauli argumentum uſurpare.

CAP. III.

O Stulti Galatæ, quis vos faſcinavit, ut non obediatis veritati? quibus ante oculos Jeſus Chriſtus depictus eſt, inter vos crucifixus.

2. Hoc ſolum volo diſcere à vobis, Ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex prædicatione fidei?

3. Ita ſtulti eſtis, ut exorſi à Spiritu, nunc carne conſummemini?

4. Tanta paſſi eſtis fruſtra? ſi tamen etiam fruſtra.

5. Qui ergo ſubminiſtrat vobis Spiritum, & operatur in vobis virtutes: ex operibus Legis, an ex prædicatione fidei id facit?

1. *O ſtulti.*] Doctrinæ attexit objurgationem, vel potius inſerit. Si quis autem miretur cur non ad finem uſque diſtulerit: illæ proculdubio tam graves ſententiæ quas protulit, eum incitarunt ut ſubito excandeſceret. Nam ubi audimus rejici Filium Dei cum ſuis bonis omnibus, mortem ejus duci pro nihilo: quis pius animus indignatione non rumpatur? Ἀνόητοι ergo, hoc eſt, mente alienatos, pronunciat, qui paſſi fuerint tanto ſacrilegio ſe implicari. neque tantum quod ſe decipi paſſi fuerint, eos arguit, ſed quadam veluti magica incantatione deludi: quod longe gravius eſt. innuit enim eorum lapſum dementiæ magis eſſe quam ſtultitiæ. Quidam ad ingenium gentis Paulum reſpexiſſe putant, quod è Barbaris oriundi, durius tractandi eſſent. verum malo ſimpliciter ad rem ipſam referre: eſt enim prodigii ſimile, in tanta claritate Euangelii, adhuc diaboli præſtigiis patere locum. Nam non ideo ſolum faſcinatos eſſe dicit & mente alienatos, quia non obediant veritati: ſed quia tam certo, tam aperte, tam familiariter, tam efficaciter denique edocti, mox deficiant. Eraſmus Credendi verbum maluit: quod etſi penitus non rejicio, contextui tamen aptius eſt quod reddidi: quia non accuſat eos Paulus quod initio Euangelium repudiarint: ſed quia non perſtiterint in obedientia, objurgat. *Quibus ante oculos.* Pertinet hoc

(quemad-

(quemadmodum jam attigi) ad culpam exaggerandam: nam quo notior nobis fuit Chriſtus, eo gravius crimen eſt defectionis. Dicit igitur tantam fuiſſe doctrinæ ſuæ perſpicuitatem, ut non tam fuerit nuda doctrina, quam viva & expreſſa imago Chriſti. eam igitur habuerant notitiam quæ aſpectui conferri poſſet. Dura eſt Auguſtini expoſitio, & a mente Pauli remota, qui præſcriptum dicit Chriſtum, quaſi à poſſeſſione depulſus foret. Alii legunt, Proſcriptus: quæ vox non male conveniret, ſi Proſcribi accipias pro Palam publicari. unde & προγράμματα vocant Græci tabulas quibus poſſeſſiones venales publicantur, ut ſit expoſita omnium oculis. Sed in participio *depictus*, minus eſt ambiguitatis: &, meo judicio, optime quadrat. nam ut oſtendat Paulus quanta ſuæ prædicationis energia fuerit, primum picturæ ipſam comparat, quæ imaginem Chriſti ad vivum illis expreſſerit: deinde hac ſimilitudine non contentus ſubjungit, *Chriſtum fuiſſe inter eos crucifixum*. quo ſignificat, non debuiſſe plus affici præſenti mortis Chriſti aſpectu, quam ſua prædicatione. nam quod aliqui intelligunt, Galatas crucifixiſſe rurſus Dominum & ludibrio habuiſſe, quum ab Euangelii puritate receſſerant: vel certe præbuiſſe aurem, & fidem accommodaſſe impoſtoribus qui eum crucifigebant: mihi videtur coactius. Retineamus ergo ſenſum illum, non aliter Pauli doctrina edoctos fuiſſe de Chriſto, acſi fuiſſet illis oſtenſus in tabula, imo inter ipſos crucifixus. Talis repræſentatio, nulla eloquentia, nullis rhetorum coloribus fieri poteſt, niſi adſit illa Spiritus efficacia, de qua dictum fuit in utraque ad Corinthios. Itaque qui rite Euangelii miniſterio defungi volent, diſcant non tantum loqui & declamitare: ſed etiam penetrare in conſcientias, ut illis Chriſtus crucifixus ſentiatur, & ſanguis ejus ſtillet. Ubi tales Eccleſia pictores habet, minime amplius indiget ligneis & lapideis, hoc eſt, mortuis ſimulachris: minime picturas ullas requirit. & certe tunc primum ſimulachris & picturis apertæ fuerunt templorum fores apud Chriſtianos, quum partim obmutuiſſent Paſtores, eſſentque mera idola: partim ita frigide & perfunctorie pro ſuggeſtu pauca verba facerent, ut penitus extincta eſſet vis & efficacia miniſterii.

2. *Hoc ſolum volo.*] Nunc de integro rationibus cauſam ſuam confirmat. Prima eſt ab illorum experimento. reducit enim illis in memoriam qualia fuerint exordia Euangelii apud ipſos. Spiritum receperant audito Euangelio: ergo fidei, non Legi debebant acceptum referre hoc bonum. Hoc eodem argumento utitur Petrus, quum apud fratres excuſat quod incircumciſos baptizaverit. Item Paulus ipſe
Act. 15. v. 8, 7. & Barnabas in diſceptatione quam Jeroſolymis de hac re habebant. Conſtat igitur ingratos eſſe qui doctrinæ non acquieſcant, cujus beneficio acceperant Spiritum ſanctum. Quod illis reſponſionem defert, non dubitationis, ſed majoris fiduciæ ſignum eſt. fateri enim cogebantur verum id eſſe, propria experientia convicti. *Fidem* hic metonymice appellat Euangelium, quod alibi vocat doctrinam fidei: quia Rom. 3. verſ. 27.
illic nobis proponitur mera Dei gratia in Chriſto, ſine operum meritis. *Spiritum* hic pro Gratia regenerationis, quæ communis eſt omnium fidelium, accipio. quanquam ſi quis malit accipere pro donis particularibus, quibus tunc Dominus Euangelii prædicationem ornabat, per me erit liberum. Si quis objiciat, Non omnibus datum hoc modo fuiſſe Spiritum: reſpondeo, Sufficere ad Pauli intentionem, quod Galatæ ſciebant, cum Pauli doctrina apparuiſſe in Eccleſia ſua Spiritus ſancti virtutem, & in communem ædificationem gratiis Spiritus varie fuiſſe donatos fideles. Si rurſum objiciatur, Gratias illas non fuiſſe certa ſigna adoptionis, ideo nihil valere ad præſentem cauſam: reſpondeo, Satis eſſe quod Dominus Pauli doctrinam viſibilibus Spiritus ſui donis confirmaſſet. Sed alterum illud ſimplicius eſt, quod communi adoptionis beneficio inſigniti fuerant, antequam iſti impoſtores ſua additamenta ingererent. Ita etiam Eph. 1. v. 13. loquitur, Audito Euangelio Dei veraci obſignati eſtis Spiritu, &c.

3. *Ita ſtulti eſtis, ut.*] Hic etiam dubium eſt quid per *Spiritum*, quid per *Carnem* intelligat. variant Interpretes. mihi videtur alluſiſſe Paulus ad id quod dixerat de Spiritu: acſi dixiſſet, Quum Euangelii doctrina Spiritum ſanctum vobis attulerit: ergo exordium veſtrum fuit ſpirituale. nunc autem in deterius lapſi eſtis: quaſi qui ex Spiritu in carnem labuntur. Carnem ergo vel pro rebus externis poſuit & caducis, quales ſunt ceremoniæ, præſertim quum à Chriſto ſeparantur: vel pro mortua & caduca doctrina. eſt autem abſurdum ut præclaris initiis non reſpondeant progreſſus.

4. *Tanta paſſi eſtis.*] Aliud argumentum: quum tam multa paſſi fuerint Euangelii nomine, ut ne id totum nunc momento perdant. imo per modum exprobrationis rogat an velint ſibi periiſſe tot præclara certamina quæ pro fide ſuſtinuerant. niſi enim recta fides illis tradita fuiſſet à Paulo, temeritatis erat pro malæ cauſæ defenſione quicquam pati. at vero experti fuerant Deum ſibi adeſſe in perſequutionibus: onerat igitur invidia pſeudoapoſtolos, qui Galatas tam pretioſis ornamentis ſpoliabant. Cæterum temperandæ acerbitatis cauſa additur correctio, Si tamen fruſtra: qua ipſorum animos erigit, ut meliori ſpe concepta, ad reſipiſcentiam aſpirent. Hic enim omnium caſtigationum eſt finis, non præcipitare in deſperationem homines, ſed in melius animare.

5. *Qui ergo ſubminiſtrat.*] Jam non de gratia regenerationis, ſed de aliis donis Spiritus loquitur. eſſe enim diverſum argumentum à ſuperiori, ordo ipſe demonſtrat: quia aliud argumentum interpoſuit. Admonet igitur, omnes Spiritus ſancti dotes quibus excellebant, eſſe Euangelii fructus, & quidem ore ſuo apud eos prædicati. ergo illis ſe ſpoliabant, quum relicto Euangelio, in aliud doctrinæ genus transvolarent. Rurſus quanti æſtimabant dona illa, curare etiam debebant ut mordicus retinerent Euangelium. ejuſmodi donis adjungit virtutes, hoc eſt, miracula.

6. Quemadmodum Abraham credidit Deo, & imputatum eſt illi in juſtitiam. Gen. 15. verſ. 6.
7. Cognoſcite ergo quod qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ. Rom. 4. verſ. 3.
8. Scriptura autem, quia prævidebat quod ex fide juſtificet Deus Gentes, ante euangelizavit Abrahæ, In te benedicentur omnes Gentes. Jacob. 2. verſ. 23.
9. Itaque qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Gen. 22. verſ. 18.

Poſtquam eos rebus ipſis convincit & experientia, nunc ad Scripturæ teſtimonia deſcendit. Primo Abrahæ exemplum adducit. tametſi autem non ſemper adeo firma ſunt argumenta ab exemplis, hoc tamen validiſſimum eſt: quia neque in re neque in perſona quicquam eſt diſcriminis. nam neque plures ſunt aditus ad juſtitiam: & ideo pater omnium fidelium Abraham vocatur, quia commune eſt omnium exemplar. imo in ejus perſona nobis præſcripta eſt univerſalis regula obtinendæ juſtitiæ.

6. *Quemadmodum*] Subaudienda eſt adverſativa particula, Quin potius: nam quum interrogaſſet, voluit ſubito præcidere anſam dubitationi. vel certe vox Quemadmodum, ad proximum duntaxat refertur: nempe quod ex auditu fidei haberent ſubminiſtrationem Spiritus & virtutem. acſi diceret, lucere in gra-

in gratia ipſis collata ſimilitudinem cum Abraham. *Credidit Deo.* Hoc teſtimonio probat, tam hic quam quarto capite ad Romanos, homines fide juſtificari: quia fides Abrahæ fuerit imputata ad juſtitiam. Primo breviter tenendum eſt quid ſignificet hic fides Paulo: deinde, quid juſtitia: tertio, cur fides cenſeatur cauſa juſtificationis. Fides non pro quavis perſuaſione capitur quam habere poſſent homines de veritate Dei. nam ut centies fidem habuiſſet Cain Deo pœnam ſibi denuncianti, nihil hoc ad conſequendam juſtitiam. Credendo ideo juſtificatus eſt Abraham, quia promiſſionem à Deo haberet paterni favoris, eam certo amplexus ſit. ergo fides hic relationem habet ac reſpectum ad tale verbum Dei, quo freti homines acquieſcere in ipſo poſſint. Quod ad nomen *Juſtitiæ* ſpectat, notanda eſt Moſis loquutio. nam quum dicit Abrahæ fuiſſe imputatum in juſtitiam quod credidit, eo ſignificat juſtum eſſe qui talis apud Deum cenſetur. Quum autem juſtitiam in ſe repoſitam non habeant homines, imputatione hanc adipiſcuntur: quia Deus fidem illis fert acceptam pro juſtitia. ergo juſtificari fide dicimur, non quia fides habitum aut qualitatem in nos transfundat, ſed quia Deo ſumus accepti. Cur autem fidei tribuitur tantus honor, ut vocetur cauſa juſtitiæ noſtræ? primo ſciendum eſt eſſe cauſam inſtrumentalem duntaxat: nam proprie loquendo, juſtitia noſtra nihil aliud eſt quam gratuita Dei acceptio, in qua fundata eſt noſtra ſalus. ſed quia Dominus teſtimonium nobis amoris ſui & gratiæ per Euangelium reddendo, illam quam dixi juſtitiam nobis communicat: ideo fide illam percipimus. Ergo quum fidei tribuimus hominis juſtificationem, non de cauſa principali diſputamus: ſed tantum notamus modum quo perveniunt homines ad veram juſtitiam. Juſtitia enim hæc merum eſt Dei donum, non qualitas quæ in hominibus hæreat: ſed fide tantum poſſidetur. neque id merito fidei, ut ſit quaſi debita merces: ſed quia fide recipimus quod Deus ultro donat. proinde omnes iſtæ loquutiones peræque valent, Juſtificari nos Dei gratia, Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, Dei miſericordiam cauſam eſſe noſtræ juſtitiæ, Juſtitiam morte & reſurrectione Chriſti nobis acquiſitam, Nobis juſtitiam conferri per Euangelium, Nos fide conſequi juſtitiam. unde apparet quam pueriliter errent qui propoſitiones iſtas conciliare volunt, Nos fide & operibus ſimul juſtificari: nam qui fide juſtus eſt, ille propriæ juſtitiæ inops & vacuus, in ſolam Dei gratiam recumbit. Atque hæc eſt ratio, cur Pau-
Rom. 4: 2. lus ad Romanos concludat, Abraham deſtitui gloria apud Deum, quia fide adeptus ſit juſtitiam. neque enim dicitur imputatam illi fuiſſe fidem in partem juſtitiæ, ſed in juſtitiam ſimpliciter. ergo in ſolidum fides illi pro juſtitia fuit. Porro fides nihil intuetur præter Dei miſericordiam & Chriſtum mortuum ac ſuſcitatum. Ergo à cauſa juſtificationis excluditur omne operum meritum, quum tota aſſignatur fidei. Fides enim, quatenus Dei gratuitam bonitatem, Chriſtum cum omnibus ſuis bonis, teſtimonium adoptionis noſtræ quod in Euangelio redditur, in ſe continet: in univerſum Legi, meritis operum, & hominum dignitati opponitur. nam quod ceremoniis tantum opponi putant ſophiſtæ, nullo negotio contextus diſputationis mox coarguet. Meminerimus ergo, qui fide juſti ſunt, eos extra ſe juſtos eſſe, nempe in Chriſto. unde etiam inepta quorundam cavillatio refellitur, qui Paulum eludunt: quia Moſes juſtitiam appellet probitatem: atque adeo nihil aliud ſignificet, quam Abraham fuiſſe habitum probum virum, quia Deo crediderit. Tales vertiginoſos ſpiritus hodie ſuſcitat Satan, qui obliquis calumniis tanquam cuniculis, Scripturæ certitudinem ſubruant. At vero Paulus, qui ſciebat Moſem non docuiſſe illic pueros Grammaticam, ſed de judicio Dei loquutum eſſe: non immerito nomen *juſtitiæ* theologice accepit. neque enim ea ratione, qua probitatis laudem habemus apud homines, coram Deo juſti cenſemur: ſed quum afferimus perfectam Legis obedientiam. Nam juſtitia transgreſſioni Legis etiam in minimo apice opponitur. eam quia non habemus à nobis, Deus nobis gratuito donat. Verum hic Judæi Paulum exagitant, quod perperam Moſis verba in ſuum commodum detorſerit. neque enim illic de Chriſto tractat Moſes, aut de vita æterna: ſed terrenæ modo promiſſionis meminit. A Judæis quoque non procul abſunt Papiſtæ: nam etſi Paulum non audent inſectari, tamen ejus intentionem prorſus evertunt. Reſpondeo, Paulum hic pro confeſſo ſumere quod indubium axioma eſt apud Chriſtianos, Quaſcunque promiſſiones Abrahæ dedit Dominus, primæ illius fuiſſe appendices, Ego ſum Deus tuus, Gen. 17:1.
Merces tua magna nimis, Et in ſemine tuo benedi- Gen. 15:1.
centur omnes gentes. Itaque quum audiret Abraham, Gen. 22.
Erit ſemen tuum ſicut arena maris, &c. in hoc verbo v. 17, 18.
non ſubſiſtit, ſed ipſum potius includebat in gratia adoptionis, tanquam partem in toto: quin etiam quæcunque promiſſio data eſſet, illam non aliter recipiebat quam teſtimonium paternæ Dei gratiæ, ut inde ſalutis fiduciam apprehenderet. Nam & in hoc ab infidelibus differunt filii Dei, quod illi quidem Dei beneficiis communiter cum iis fruuntur, ſed tamen inſtar pecudum ea ingurgitant, neque altius reſpiciunt: hi vero, quia promiſſionibus ſanctificata eſſe beneficia omnia norunt, Deum in illis agnoſcunt patrem. Ita fit ut ſemper dirigantur ad ſpem vitæ æternæ: quia à fundamento incipiunt, hoc eſt, à fide ſuæ adoptionis. Non ergo juſtificatus eſt Abraham, quia tantum de multiplicatione ſeminis Deo crediderit: ſed quia Dei gratiam amplexus eſt, fretus Mediatore promiſſo, in quo omnes Dei promiſſiones
ſunt Etiam & Amen: quemadmodum alibi docet 2 Cor. 1.
idem Paulus. verſ. 17.

7. *Cognoſcite ergo.*] Vel, Cognoſcitis. nam utrique modo convenit Græca terminatio: ſed quia idem manet ſenſus, parum refert utrum legas, niſi quod Vetus translatio quam ſequutus ſum, plus energiæ habet. Eos porro dicit eſſe ex fide, qui abdicata operum fiducia, in ſola Dei promiſſione acquieſcunt. Siquis roget quo auctore ita exponamus: eodem ipſo. nam ad Romanos ita ſcribit, Operanti non gra- Rom. 4: 4.
tis datur, ſed redditur merces. nullum autem opus habenti quum nihil debeatur, imputatur fides in juſtitiam. Ergo *eſſe ex fide*, eſt locare ſuam juſtitiam & fiduciam ſalutis in Dei miſericordia. Tales eſſe filios Abrahæ infert ex ſuperiore ſententia. nam ſi Abraham fide juſtificatus eſt: quicunque ejus filii eſſe volunt, in fide ſimul conſiſtere oportet. Præterit autem quod facile ſubaudiebatur, nemini locum patere in Eccleſia, qui non ſit Abrahæ filius.

8. *Scriptura autem, quia prævidebat.*] Quod indefinite dixerat, nominatim ad Gentes nunc extendit: erat enim res nova & inſolens, Gentium vocatio. Itaque de modo dubitabatur, quo vocandæ eſſent. Circumciſio videbatur requiri & obſervatio Legis: alioqui excluſas eſſe à participatione fœderis. Oſtendit autem Paulus contra, fide ipſas pervenire ad benedictionem, & fide inſerendas in familiam Abrahæ. unde id probat? quia dictum eſt, *In te benedicentur* &c. hæc verba proculdubio ſonant, Inſtar Abrahæ oportere omnes benedici: nam eſt commune exemplar, imo etiam regula. ipſe autem fide conſequutus eſt benedictionem. ergo eadem eſt omnium ratio. Magna igitur emphaſis ſubeſt in vocabulo *fideli*. perinde enim valet acſi diceret, Non cum Abraham circumciſo, vel Legis operibus prædito, vel Hebræo, vel propria dignitate ſubnixo, ſed ſola fide adepto benedictionem. nulla enim perſonæ qualitas in rationem hic venit, ſed ſola fides. Nomen Benedictionis varie accipitur in Scriptura: ſed hic pro Adoptione capitur in hæreditatem æternæ vitæ.

10. Qui-

10. Quicunque enim ex operibus Legis ſunt, ſub maledictione ſunt. ſcriptum eſt
Deut. 27. verſ. 26. enim, Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.

Abac. 2. verſ. 4. 11. Quod autem in Lege nemo juſtificetur apud Deum, patet: quia Juſtus ex fide vivet.

Rom. 1. 12. Lex autem non eſt ex fide: ſed, Qui fecerit hæc homo, vivet in ipſis.

verſ. 17. Hebr. 10. verſ. 38. 13. Chriſtus nos redemit à maledictione Legis, factus pro nobis maledictio (ſcriptum eſt enim, Maledictus omnis qui pependerit in ligno)

Lev. 18. verſ. 5. Deut. 21. verſ. 23. 14. Ut in Gentes benedictio Abrahæ perveniat per Chriſtum Jeſum: quo promiſſionem Spiritûs accipiamus per fidem.

10. *Quicunque ex operibus.*] Argumentum eſt à repugnantibus: nam ex eodem fonte non prodeunt calidum & frigidum. Lex univerſos mortales ſub maledictionem includit. fruſtra igitur ex ea petitur benedictio. *Ex operibus Legis* eos vocat, qui in illis conſtituunt ſalutis fiduciam. nam formulæ iſtæ loquendi ſemper ad ſtatum quæſtionis referri debent. ſcimus autem, hic diſputari de cauſa juſtitiæ. Qui ergo juſtificari volunt Legis operibus, omnes eſſe maledictioni obnoxios pronunciat. ſed unde id probat? Legis ſententia eſt, Omnes qui ullam Legis partem fuerint transgreſſi, maledictos eſſe. nunc videamus an quiſquam ſit mortalium qui Legi ſatisfaciat. atqui conſtat, neminem unquam fuiſſe inventum nec inveniri poſſe. omnes ergo ad unum hic damnantur. Deeſt autem hic minor & concluſio: nam integer ſyllogiſmus hic eſſet, Quiſquis in aliqua parte Legis defecerit, maledictus eſt. omnes hoc reatu tenentur obſtricti: omnes igitur maledicti ſunt. Porro non ſtaret argumentum hoc Pauli, ſi vires nobis ſuppeterent ad implendam Legem. nam ſtatim in minori daretur enſtaſis. Ergo vel Paulus ſtulte ratiocinatur, vel hominibus impoſſibile eſt Legem implere. protinus enim exciperet adverſarius, Fateor omnes transgreſſores maledictos: quid tum? reperientur qui Legem obſervent: eſt enim hominibus libera electio boni & mali. Sed Paulus extra controverſiam hic ponit quod Papiſtæ hodie pro execrabili dogmate habent: homines viribus deſtitui ad ſervandam Legem. Ita audacter concludit maledictos eſſe omnes, quia ſit omnibus præceptum, Legem in ſolidum ſervare: nempe quia in hac naturæ corruptione deficit eos facultas. Hinc colligimus, quod Lex maledicit, eſſe accidentis, ſed perpetui & inſeparabilis. nam à benedictione quam nobis proponit, arcet nos naturæ noſtræ vitioſitas. reſtat igitur ſola maledictio.

11. *Quod autem in Lege nemo juſtificetur.*] Iterum à contrariorum comparatione argumentatur, hoc modo, Si fide juſti ſumus, ergo non ex Lege. ſed fide ſumus juſti: ergo non ex Lege. Minorem probat teſtimonio Habacuc, quod etiam citat ad Romanos cap. 1. v. 17. majorem vero, diverſo modo juſtificationis. Lex enim tunc demum juſtificat, ſi quis impleat quicquid præcipit. fides autem juſtificat eos qui deſtituti operum meritis, in ſolum Chriſtum recumbunt. Hæc ſimul non poſſunt convenire, juſtificari proprio merito, & aliena gratia: ideo alterum evertitur ab altero. Hæc ſumma eſt. nunc ſingula membra exequamur. *Juſtus ex fide vivet.* Quia locum hunc expoſuimus in Epiſtola ad Romanos, nunc repetere non erit opus quicquid ad ejus expoſitionem pertinet. Illic certe Propheta arrogantem carnis fiduciam veræ fidei opponit: hic juſtos victuros pronunciat. quo ſignificat, non ad tempus eos modo ſuſtentari, ut adveniente aliqua procella ruant: ſed in perpetuum tempus ſtare, ut ne in media quidem morte deſinant vivere. Ita nihil proficiunt ſubſannatores ſuis calumniis, quum allegant, Prophetam illic latius accipere Fidei nomen, quam Paulus hoc loco. nam ſimpliciter fidem vocat tranquillam conſcientiæ certitudinem, quæ ſolo Deo nititur. ergo appoſite uſus eſt Paulus hoc teſtimonio.

12. *Lex autem non eſt ex fide.*] Certum eſt Legem cum fide non pugnare: alioqui Deus ipſe ſibi eſſet diſſimilis. ſed illuc ſemper redeundum eſt, Paulum loqui prout ferebat præſentis cauſæ circumſtantia. Ergo repugnantia Legis & fidei eſt in cauſa juſtificationis. facilius enim aquam igni copulabis, quam hæc duo concilies: homines fide & Lege eſſe juſtos. Lex ergo non eſt ex fide: hoc eſt, rationem juſtificandi hominis à fide prorſus alienam habet. *Sed, Qui fecerit hæc.* Diverſitas in eo eſt, quod homo Legem implendo, juſtus cenſetur juſtitia Legali. quod Moſis teſtimonio probat. Quæ autem erit fidei juſtitia? eam definit capite ad Romanos 10. v. 9. Si credamus Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris, &c. Neque tamen inde ſequitur, vel otioſam eſſe fidem, vel fidelibus vacationem eſſe à bonis operibus. nam hic non quæritur an fideles ſervare Legem, quoad poſſunt, debeant (quod extra dubium eſt) ſed an operibus acquirant juſtitiam: quod eſt impoſſibile. Porro ſi quis objiciat, Quum Deus vitam promittat Legis factoribus, cur negat Paulus illos eſſe juſtos? reſponſio facilis eſt, Ideo nullos eſſe juſtos operibus Legis, quia nemo eſt qui illa faciat. Nam factores Legis, ſi qui eſſent, juſtos eſſe concedimus. ſed quia illic pactum eſt conditionale, ideo excluduntur omnes à vita, quia nemo juſtitiam quam debebat præſtat. Tenendum autem memoria eſt quod prius admonui, Legem facere non qui ex parte obediunt, ſed qui omnes implent juſtitiæ numeros: à qua perfectione longiſſime diſtant omnes.

13. *Chriſtus nos redemit.*] Fecerat omnes qui ſub Lege ſunt, maledictioni obnoxios. inde oriebatur magna difficultas, quod Judæi eximere ſe non poterant à maledictione Legis. propoſito igitur remedio, nodum hunc ſolvit, docens nos eſſe liberatos per Chriſtum. quo etiam magis intentionem ſuam confirmat. Nam ſi ideo ſalvi ſumus, quia ſumus à maledictione Legis liberati: ergo non ex Lege juſtitia. deinde modum quoque liberationis adjungit. *Scriptum eſt, Maledictus omnis qui ſuſpenſus fuerit in ligno.* Chriſtus fuit ſuſpenſus: ergo maledictionem illam ſubiit. jam vero certum eſt, non ſua cauſa ſupplicio hoc fuiſſe perfunctum: ſequitur ergo, vel fruſtra fuiſſe crucifixum, vel noſtram maledictionem illi eſſe impoſitam, ut ab ea ſolveremur. Non dicit autem Chriſtum fuiſſe maledictum, ſed maledictionem: quod plus eſt. nam ſignificat omnium maledictionem in ipſo fuiſſe incluſam. Si cui hoc videtur durum, pudeat etiam ipſum crucis Chriſti, cujus confeſſione gloriamur. neque enim neſciebat Deus, qualis futura eſſet mors Filii ſui quum hoc pronunciabat, Maledictus omnis qui pependerit in ligno. Sed objiciet quiſpiam, Qui fit ut Filius Patri dilectus maledicatur? Reſpondeo, duo conſideranda eſſe non tantum in perſona Chriſti, ſed etiam in humanitate ipſius. alterum, quod erat Agnus Dei immaculatus, plenus benedictione & gratia. alterum, quod perſonam noſtram ſuſceperit, ideoque peccator erat & maledictionis reus, non tam in ſe quidem quam in nobis: ſed tamen ut neceſſe haberet noſtro nomine defungi. Itaque neque extra Dei gratiam eſſe potuit, & tamen ſuſtinuit iram ejus.

nam qualiter Patrem, quem habuiſſet infeſtum, & cui fuiſſet exoſus, reconciliare nobis poterat? ergo ſemper voluntas Patris in illo acquievit. Rurſus quomodo ab ira Dei nos liberaſſet, niſi eam à nobis tranſtuliſſet in ſeipſum? ideo percuſſus fuit propter peccata noſtra, & Deum expertus eſt tanquam iratum 1 Cor. 1. verſ. 18. judicem. Hæc eſt ſtultitia crucis, Angelis etiam admiranda: quæ non tantum ſuperat, ſed abſorbet etiam omnem mundi ſapientiam.

14. *Ut in Gentes benedictio.*] Propius ad ſuum inſtitutum accommodat quod dixit, Nos liberatos eſſe per Chriſtum à maledictione Legis: nempe benedictionem Abrahæ promiſſam, in eo fundatam eſſe: & proinde ad Gentes pervenire. Nam ſi Judæos oportet à Lege liberari ut fiant Abrahæ hæredes, quid Gentes impediet quominus potiantur eodem bono? Deinde ſi in ſolo Chriſto eſt iſta benedictio, ſola eſt fides in Chriſtum quæ nos facit ejus participes. *Ut promiſſionem Spiritus.* Promiſſionem Spiritus accipio pro ſpirituali, more Hebraico. quanquam enim iſta promiſſio ad novum Teſtamentum pertinet, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem Joel 2. 28. carnem: Paulus tamen hoc loco aliud reſpexit. Spiritum enim mihi videtur opponere rebus omnibus externis. neque ceremoniis duntaxat: ſed carnali etiam generationi: ut perſonæ hic nullum habeant locum. Ergo ex natura promiſſionis demonſtrat Judæos nihil differre à Gentibus: quia ſi ſpiritualis eſt, ſola fide percipitur.

15. Fratres (ſecundum hominem dico) Hominis licet pactum, tamen ſi ſit comprobatum, nemo rejicit, aut addit aliquid.

16. Porro Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit, Et ſeminibus, tanquam de multis, ſed tanquam de uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

17. Hoc autem dico, Pactum ante comprobatum à Deo erga Chriſtum, Lex quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promiſſionem.

18. Nam ſi ex Lege hæreditas, non jam ex promiſſione. atqui Abrahæ per promiſſionem donavit Deus.

15. *Secundum hominem.*] Pudorem illis incutere voluit hac voce. eſt enim nimis indignum & turpe, Deum minus habere auctoritatis apud nos, quam hominem mortalem. Quod ergo ſtipulatur ne minus auctoritatis deferant ſacro Dei fœderi, quam communibus hominum pactis tribui ſolet: Deum hominibus non æquat. nam interea relinquit illis conſiderandum quantum inter Deum & homines interſit. *Hominis licet pactum.* Argumentum eſt à minori ad majus. hominum contractus abſque controverſia reti habentur: quanto magis quod ſtatuit Deus? Porro ubi Latini teſtamentum legunt, Græce eſt apud Paulum διαθήκην. quo verbo ſæpius Græci teſtamentum ſignificant: interdum etiam quemlibet contractum. Quanquam uſitatior eſt numerus pluralis in ſecundo ſenſu. Parvi intereſt quantum ad præſentem locum, contractumne an teſtamentum Hebr. 7. verſ. 22. exponas. Alia eſt ratio in Epiſtola ad Hebræos, ubi Apoſtolus proculdubio ad teſtamenta alludit. hic malim ſimpliciter accipere pro fœdere quod Deus pepigit: nam ſimile quo pugnat Apoſtolus hic, teſtamento non tam proprie conveniret quam fœderi. Sequamur ergo hoc, Apoſtolum ab humanis pactionibus ratiocinari ad ſolenne illud fœdus quod Deus cum Abrahamo pepigit. Nam ſi illis conſtat ſua firmitas, ut ne ſuperaddere quidem liceat: quanto magis hoc inviolabile manere decet?

16. *Abrahæ dictæ ſunt.*] Antequam perſequatur ſuum argumentum, aliquid inſerit de ſubſtantia fœderis: nempe ſolo Chriſto ſuffultum eſſe. quod ſi Chriſtus fundamentum eſt pactionis: ſequitur ergo eſſe gratuitam. atque hoc ſibi vult per nomen *promiſſionis.* Nam ſicuti Lex reſpectum habet ad homines & ipſorum opera: ſic promiſſio ad Dei gratiam & fidem. *Non dicit, Et ſeminibus.* Ut probet de Chriſto Deum illic loqui, admonet numero ſingulari certum aliquod ſemen fuiſſe deſignatum. Sæpe autem miratus ſum, Chriſtianos, quum viderent tanta protervia vexari hunc locum à Judæis, non accuratius reſtitiſſe: omnes enim leviter prætereunt, quaſi per regionem pacatam. Atqui multum habet coloris eorum objectio. nam quum זרע, vel ſemen, nomen ſit collectivum: videtur inepte facere Paulus, qui urgeat unum hominem indicari hac voce, ſub qua tota Abrahæ progenies comprehenditur loco nuper citato, Erit ſemen tuum ſicut arena maris & ſtellæ cæli. itaque quaſi convicta falſitate, nobis faſtuoſe inſultant. Eo magis noſtros miror hic tacuiſſe: quum non deſit firma defenſio ad refutandam ipſorum calumniam. nam in ipſis filiis Abrahæ jam cœpit talis diviſio, ut alter ex filiis reſectus ſit ex familia. In Iſaac vocabitur tibi ſemen: ergo Iſmaël non Gen. 21. verſ. 12. cenſetur. Veniamus ad ſecundum gradum. an concedent Judæi, poſteros Eſau eſſe benedictum ſemen? imo contendent patrem ipſorum expunctum fuiſſe, quanquam eſſet primogenitus: & quot populi ex ſtirpe Abrahæ prodierunt, qui locum in vocatione hac nullum obtinent? Duodecim tandem Patriarchæ, totidem fuerunt capita: non quia ex progenie Abrahæ deſcenderant, ſed quia ſpeciali Dei electione erant ordinati. nam ex quo abductæ fuerant decem tribus, quam multa millia ſic degeneraverunt, ut nomen in ſemine Abrahæ nullum obtineant? Poſtremo etiam tribus Juda periclitata: ut in exiguo populo vera benedictionis ſucceſſio maneret. Atque ita prædictum fuerat ab Jeſaia, Reli- Jeſ. 10. verſ. 21. quiæ tantum ſalvæ fient. Hactenus nihil dixi quod Judæi non fateantur. Reſpondeant igitur mihi, qui fit ut potius tredecim Patriarchæ ſemen Abrahæ fuerint, quam Iſmaëlitæ vel Idumæi? cur nunc hoc nomine ſoli glorientur, alios tanquam adulterinum ſemen rejiciant? Jactabunt quidem id ſe conſequutos eſſe ſuo merito: verum Scriptura exadverſo reclamat, totum ex Dei vocatione pendere. nam ſemper ad illam prærogativam redeundum, In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Hujus prærogativæ continua ſeries valere debuit uſque ad Chriſtum. nam Dominus promiſſionem Abrahæ factam, poſtea in Davide quaſi poſtliminio revocavit. Paulus ergo non ſingulari numero nititur, ut de uno homine dictum hoc fuiſſe probet: ſed tantum ut oſtendat nomen ſeminis in aliquo reſidere, qui non tantum natus ſit ex Abraham ſecundum carnem, ſed etiam Dei vocatione ad hoc ordinatus. id Judæi ſi inficientur, nihil aliud quam ſe ridiculos ſua pertinacia facient. Cæterum quia ex iiſdem verbis etiam colligit Paulus pactum in Chriſto initum fuiſſe, vel erga Chriſtum: diſcutiamus quid valeat iſta loquutio, In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Judæi cavillantur, comparationem ſignificari: quaſi ſemen Abrahæ in fauſtis ominibus & precationibus exemplar ſit futurum. quemadmodum econverſo maledicere in Sodoma vel Iſraële, ſignificat in formulis execrationum uſurpare Sodomæ vel Iſraëlis nomen. Fateor hoc interdum eſſe verum, ſed perpetuum eſſe nego: nam Benedicere ſe in Deo, aliud eſt, etiam concedentibus

bus Judæis. Quum ergo loquutio ſit ambigua, & nunc cauſam, nunc comparationem ſignificet: quoties occurrit, ex circumſtantia loci exponenda eſt. Porro conſtat nos maledictos eſſe omnes natura. benedictio cunctis gentibus promiſſa eſt in manu Abrahæ. an omnes promiſcue ad eam perveniunt? minime certe, ſed ii ſolum qui aggregantur ad Meſſiam. nam tunc fiunt unus populus, quum in unum corpus, Meſſiæ auſpiciis & ſub ejus ductu colliguntur. Quiſquis igitur ſepoſita contentione verum inquiret, facile agnoſcet cauſam hic notari, non nudam comparationem. unde ſequitur, Paulum non immerito dicere, Pactum fuiſſe initum in Chriſto, vel reſpectu Chriſti.

17. *Lex quæ poſt annos quadringentos.*] Si Origenem & Hieronymum audiamus, & omnes Papiſtas, nihil negotii erit in refellenda hac ratione. Sic enim diſputat Paulus, Promiſſio data eſt Abrahæ quadringentis & triginta annis ante latam Legem: ergo Lex quæ ſupervenit, non potuit promiſſionem abolere. hinc concludit ceremonias non eſſe neceſſarias. Atqui ſi quis exciperet, eſſe Sacramenta in fidei conſervationem data: cur eas à promiſſione disjungeret Paulus? ſic autem disjungit ut in certamen committat. Proinde altius quiddam in ceremoniis conſiderat: nempe effectum juſtificationis, quem illis tribuebant pſeudoapoſtoli, & conſcientiarum obligationem. imo occaſione ceremoniarum, de fide & operibus in univerſum diſſerit. Niſi enim ageretur de acquirenda juſtitia, de operum merito, de illaqueandis conſcientiis: bene ſtarent ceremoniæ cum promiſſione. Quid ergo ſibi vult hæc promiſſionis abolitio, adverſus quam pugnat Apoſtolus? nempe quia negabant impoſtores, gratis promiſſam eſſe ſalutem hominibus, & obtineri fide: ſed ceremonias urgebant, tanquam neceſſarias ad illam promerendam: ut mox videbitur. Redeo ad verba Pauli. Lex, inquit, promiſſione eſt poſterior: ergo illam non abrogat. nam pactum ſemel ſancitum, inviolabile manere debet. Iterum repeto, Niſi promiſſionem gratuitam intelligas, ſupervacua erit ſententia. nam Lex & promiſſio non pugnant, niſi in cauſa juſtificationis: quod illa hominem juſtificat operum merito, hæc gratuitam juſtitiam donat. & clare etiam ſe exponit, quum *pactum* vocat in Chriſto fundatum. Verum hic inſurgent Papiſtæ: nam promptum illis erit hoc argumentum eludere. Nos non amplius, dicent, veteres ceremonias requirimus; faceſſant è medio. nihilominus juſtificatur homo Lege morali: nam hæc fœdus Dei cum Abraham præceſſit, creata ſcilicet una cum homine. ita aut frivola erit Pauli argumentatio, aut contra ſolas ceremonias valebit. Reſpondeo, Paulum conſideraſſe id quod erat, nullam mercedem operibus deberi niſi ex Dei pacto. ita etiamſi fateamur Legem juſtificare: tamen ante Legem non poterant homines ſalutem promereri operibus, quia nullum erat pactum. Nihil affirmo quod non concedant Scholaſtici Theologi: neque enim opera docent intrinſeca dignitate meritoria eſſe ſalutis, ſed acceptatione Dei (ut loquuntur) & ratione pacti. Ergo ubi nullum Dei pactum, nullum acceptationis teſtimonium intercedit: nulla quoque opera ad juſtitiam ſufficient. quare belle procedit Pauli ratiocinatio. Duplex, inquit, pactum fuit Dei cum hominibus. prius percuſſum in manu Abrahæ: ſecundum in manu Moſis. illud fundatum in Chriſto fuit: ideoque gratuitum. ergo Lex ſuperveniens efficere non potuit ut ſalutem habeant homines extra gratiam: quia hoc modo irrita fieret promiſſio. Talem eſſe ſenſum demonſtrat id quod proxime ſequitur.

18. *Si ex Lege hæreditas.*] Ne cavillarentur adverſarii: quod docebant, minime ad ſolvendum aut abrogandum Dei fœdus ſpectare: anticipat omnes tergiverſationes, aſſerens hæc eſſe contraria, ſalutem ex Lege & ex promiſſione nobis obvenire. quis hoc de ſolis ceremoniis audeat exponere, quum generaliter comprehendat Paulus quicquid gratuitæ promiſſioni repugnat? Minime ergo dubium quin omne genus opera excludat. ſic ad Rom. 4. v. 14. Si ex Lege hæreditas, abolita eſt fides, exinanita promiſſio. Cur ita? nempe quia ſalus ab hac conditione ſuſpenſa foret, Si Legi ſatisfeceris. ideo concludit ſtatim, ex fide eſſe, quo certa ſit promiſſio. Diligenter ergo retineamus cur in comparatione promiſſionis cum Lege, poſitio unius alteram evertat: nempe quia promiſſio ad fidem, Lex ad opera reſpectum habet. Fides accipit quod gratuito donatur: operibus vero redditur merces. atque id eſt quod mox ſubjungit, Deum Abrahæ donaſſe, non requirendo mutuam quaſi compenſationem, verum ſponte pollicendo. nam ſi de conditionali accipias, *donandi* verbum haudquaquam conveniet.

19. Quid igitur Lex? transgreſſionum cauſa adjuncta fuit, donec veniret ſemen cui promiſſum fuerat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris.

20. Porro mediator unius non eſt: Deus autem unus eſt.

21. Lexne igitur adverſus promiſſiones Dei? abſit, nam ſi data eſſet Lex quæ poſſet vivificare, vere ex Lege eſſet juſtitia.

22. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.

Ubi audimus Legem nihil valere ad conferendam juſtitiam, ſtatim obrepunt variæ cogitationes: aut igitur eſſe inutilem, aut contrariam fœderi Dei, aut tale quippiam. imo id venire in mentem poſſet,
Jer. 31. Cur non de Lege diceremus quod de novo Teſta-
vers. 31. mento dicit Jeremias, poſterius datum eſſe ad corrigendam doctrinæ prioris infirmitatem. Hujuſmodi objectiones diluendæ erant Paulo, ſi vellet ſatisfacere Galatis. Primum igitur quærit quis ſit uſus Legis: nam quia ſubſequuta eſt promiſſionem, videtur quod illi deerat, debuiſſe ſupplere: & certe de hoc ambigebatur, an per ſe inefficax eſſet promiſſio, niſi à Lege adjuvaretur. Notandum eſt autem, Paulum non tantum de Lege morali loqui, ſed de toto Moſis miniſterio: quod quidem Moſis erat proprium. id autem erat præſcribere vivendi regulam, & ceremonias quibus ſe in Dei cultu exercerent, promiſſiones deinde adjungere & minas. Quod autem multæ promiſſiones de gratuita Dei miſericordia & de Chriſto incluſæ ſunt illic, quæ ad fidem pertinent: hoc eſt quaſi accidentale, & aliunde accerſitum, quatenus Lex cum doctrina gratiæ confertur. Memineris ergo, hanc eſſe ſummam quæſtionis, Cur facta promiſſione demum ſupervenit Moſes cum nova illa
pactione, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis, Maledi- Deut. 4: 1.
ctus autem qui non impleverit omnia? an ut aliquid Deut. 27.
melius & perfectius afferret? vers. 26.

19. *Tranſgreſſionum cauſa.*] Multiplex eſt Legis uſus: ſed Paulus eum ſolum attigit, qui præſenti cauſæ ſerviebat. Neque enim illi propoſitum erat diſſerere quot modis Lex proſit hominibus. cujus rei monendi ſunt lectores. Video enim pleroſque hallucinari, quod nullam aliam Legis utilitatem agnoſcunt, quam quæ hic notatur. atqui Paulus ipſe
alibi præcepta Legis accommodat ad doctrinam & 2 Tim. 3.
exhortationes. non eſt igitur plena hæc definitio de vers. 16.
uſu

uſu Legis: ac perperam faciunt qui nihil aliud agnoſcunt in Lege. Quid autem hoc ſignificat, Transgreſſionum cauſa? ſic quidem etiam Philoſophi loquuntur, quod lex coërcendis maleficiis ſit condita: ſic habet vetus proverbium, Ex malis moribus ortas eſſe bonas leges. Verum altior eſt Pauli ſenſus quam verba præ ſe ferant. Legem enim latam fuiſſe intelligit, ut transgreſſiones palam faceret, eoque modo homines cogeret ad agnitionem ſui reatus. Nam ut naturaliter ſibi facile ignoſcunt, niſi urgeantur à Lege, ſopitas habent conſcientias. hinc illud Pauli,
Rom. 6: 9. Ante Legem tametſi peccatum eſſet in mundo, non tamen imputabatur. Venit igitur Lex, quæ dormientes expergefecit. nam hæc vera eſt ad Chriſtum præparatio. Per Legem, inquit ad Romanos capite tertio, verſu 20. cognitio peccati. cur? ut peccatum fieret ſupra modum peccans. ſic enim reſpondet ſeptimo, verſ. 13. Transgreſſionum ergo cauſa Lex poſita eſt, ut eas detegeret: vel (quemadmodum loquitur ad Romanos capite 5. v. 20.) abundare faceret. Torquet hæc loquutio Origenem: ſed fruſtra. quid enim abſurdi eſt, ſi Deus conſcientias ad tribunal ſuum citat, ut reatu humilientur, quæ alioqui ſibi in malis ſuis placerent? ſi torporem excutit, qui obruebat omnem judicii ſui ſenſum? ſi peccatum, quod inſtar furis in caverna hypocriſeos latebat, in lucem protrahit? Si quis excipiat, Quum Lex regula ſit pie & recte vivendi, cur potius transgreſſionum, quam obedientiæ cauſa poſita dicitur? Reſpondeo, utcunque veram juſtitiam demonſtret, tamen in hac naturæ corruptione nihil quam augeri transgreſſiones ejus doctrina, donec accedat Spiritus regenerationis, qui ipſam cordibus inſcribit. hic autem non datur à Lege, ſed fide percipitur. Meminerint ergo lectores, non philoſophicum aut politicum eſſe hoc dictum Pauli: ſed finem Legis notari, qui fuerit ſemper mundo incognitus. *Donec veniret ſemen.* Si reſpectum habet ad ſemen in quo fundata eſt benedictio: ergo nihil promiſſioni detrahit. nam iſtud Donec, perinde valet acſi dixiſſet, Interea dum expectatur ſemen. unde ſequitur, debuiſſe ſubſervire, non autem obtinere principatum. Eouſque enim poſita erat, ut erigeret homines in expectationem Chriſti. Sed quæritur annon debuerit durare, niſi ad Chriſti adventum. nam ſi ita eſt, ſequitur, nunc eſſe abrogatam. Reſpondeo, totam illam adminiſtrationem temporalem fuiſſe: quoniam in eum finem poſita erat, ut populum veterem in Chriſti fide contineret. non tamen concedo, Chriſti adventu totam Legem fuiſſe abrogatam. Neque hoc voluit Apoſtolus: ſed tantum genus illud regiminis, quod interpoſitum fuerat, debuiſſe finem accipere in Chriſto, qui eſt promiſſionis complementum. Verum de hac re amplius mox dicendum erit. *Ordinata per Angelos.* Id ad commendationem Legis pertinet, quod fuerit per Angelos tradita. Idem affirmat & Stephanus Actor. 7. v. 39. Nam quod per Angelos quidam Moſen & Aharon & Sacerdotes intelligunt, argutum eſt magis quam firmum. Porro mirum non eſt, Angelis, per quos Deus minima quæque beneficia nobis diſtribuit, hoc quoque munus injunctum eſſe, ut Legi promulgandæ teſtes adeſſent. *In manu Mediatoris.* Uſitatum eſt, Manum pro miniſterio accipi. ſed quum miniſtros fecerit Angelos Legis ferendæ, Manum Mediatoris accipio pro miniſterii primatu: quia fuerit hic princeps legationis, Angelos autem habuerit comites ſibi adjunctos. De Moſe alioqui hoc dictum putant, ut hic fiat comparatio inter Moſen & Chriſtum. ego veteribus potius aſſentior, qui de Chriſto exponunt: nam hunc ſenſum melius contextui quadrare, ſtatim patebit. quanquam à veteribus etiam diſſentio in ſignificatione nominis. neque enim hic Mediator, quod illi
1 Tim. 2. vers. 5. putant, Pacificatorem ſignificat, ut in priore ad Timotheum: ſed internuncium in Lege promulganda.

Sic habendum eſt, nullam abuſque mundi initio, Dei communicationem fuiſſe cum hominibus, niſi intercedente æterna ejus Sapientia vel Filio. unde & Spiritu Chriſti loquutos fuiſſe ſanctos Prophetas tradit Petrus: & Paulus eundem facit ducem populi in deſerto. Et ſane Angelus qui Moſi apparuit, non poteſt alius cenſeri, quum ſibi proprium & eſſentiale Dei nomen vindicet: quod nunquam ad creaturas transfertur. Sicuti ergo Mediator eſt reconciliationis per quem accepti ſumus Deo: Mediator patrocinii, per quem acceſſus nobis patet ad Patrem invocandum: ita Mediator ſemper fuit omnis doctrinæ, quia per ipſum ſemper Deus ſe hominibus patefecit. Et hoc nominatim exprimere voluit, ut diſcerent Galatæ, eundem qui fundamentum ſit gratuiti fœderis, primas etiam tenuiſſe in Lege promulganda.

Actor. 4. verſ. 26. 1 Cor. 10. verſ. 4. Exod. 19. verſ. 1.

20. *Porro mediator unius non eſt.*] Tametſi hic nonnulli de duplici Chriſti natura philoſophantur, quaſi Paulus intellexiſſet, non unius eſſe eſſentiæ: tamen de ipſis contrahentibus Paulum loqui, nemo ſani judicii dubitat. atque ita communiter exponunt, Non eſſe locum mediatori, niſi dum una pars cum altera negotium habet. quorſum autem hanc ſententiam inſeruerit, fere in ſuſpenſo relinquunt: quum tamen locus ſit dignus ſingulari obſervatione. Poteſt autem eſſe prolepſis, qua Paulus occupet impiam cogitationem de mutatione divini conſilii. Diceret enim quiſpiam apud ſe, Ergo quemadmodum pacta ſua retractare ſolent homines quorum ipſos pœnitet: ita etiam factum eſt de pactis Dei. Si illum, quem dixi, ſenſum ſequaris, tum Paulus priore membro fateretur homines quidem, qui varii ſunt & inſtabiles, caput unum in hoc contractu facere: ſed tamen Deum nihilominus manere unum, hoc eſt, ſibi conſtare, neque nutare pro hominum inconſtantia. Cæterum quum propius omnia intueor, potius diverſitatem hic notari arbitror inter Judæos & Gentiles. Non unius ergo mediator eſt Chriſtus: quia diverſa eſt conditio eorum quibuſcum Deus, ipſius auſpiciis, paciſcitur, quod ad externam perſonam. Verum Paulus inde æſtimandum Dei fœdus negat, quaſi ſecum pugnet, aut varium ſit pro hominum diverſitate. Nunc clara ſunt verba: ſicuti olim Judæis Deum conciliavit Chriſtus in fœdere paciſcendo: ita nunc Gentium eſt mediator. Multum à Judæis differunt Gentes: nam per Circumciſionem & ceremonias interpoſita eſt maceries. illi propinqui Deo fuerant, quum Gentes eſſent remotæ. non tamen propterea Deus ſibi conſtare deſiit. Hoc fit dum Chriſtus eos qui prius inter ſe diſſidebant, ad unum Deum adducens, facit etiam ut in unum corpus coaleſcant. Unus ergo Deus: quia ſemper manet ſui ſimilis, ac perpetuo tenore fixum tenet ac ſtatum quod ſemel decrevit.

21. *Lexne igitur.*] Quanquam, cognita certitudine ac conſtantia divini propoſiti, ſimul conſtitui neceſſe eſt, non eſſe contraria quæ ab ipſo manant: tamen ſolvendus fuit hic nodus, propter ſpecimen repugnantiæ quæ inter Legem & fœdus gratiæ apparet. Poteſt etiam eſſe exclamatio, qua Paulus, ſublata dubitatione contradictionis, quaſi evicta cauſa exclamet, inferens ex ſuperioribus, tanquam indubium, Quis nunc audeat diſſidium fingere inter Legem & promiſſiones? Neque tamen hoc impedit quin Paulus hic difficultates, quæ adhuc occurrere poterant, expedire pergat. Priuſquam vero ad quæſtionem reſpondeat, procul repellit tantam abſurditatem more ſuo: ut admoneat quantopere abominari piæ aures debeant quicquid eſt in Deum contumelioſum. Verum ſubeſt aliud artificium quod obſervare convenit. hujus enim criminis accuſat adverſarios, quod Deum ſibiipſi contrarium faciant. Nam Legem & promiſſiones ab eo profectas eſſe conſtat. quiſquis ergo aliquid inter eas repugnantiæ inducit, in Deum eſt blaſphemus. repugnant autem ſi Lex

juſti-

Digitized by Google

juſtificat. Ita appoſitiſſime retorquet in adverſarios Paulus quod falſo & contumelioſe adverſus illum intendebant. *Nam ſi data eſſet Lex.* Reſponſio eſt indirecta (ut loquuntur) quæ nondum plane conſenſum Legis & promiſſionum declarat: continet tamen quantum ſatis eſt ad tollendam repugnantiam. Prima facie diceres banc ſententiam alienam eſſe à contextu, nec quicquam valere ad ſolutionem quæſtionis: ſed non eſt ita. tunc enim adverſaretur Lex promiſſionibus, ſi vim baberet juſtificandi: eſſent enim duæ rationes contrariæ juſtificandi hominis, & veluti duæ viæ inter ſe diſſidentes ad conſequendam juſtitiam. Paulus autem hoc adimit Legi. ſublata igitur eſt repugnantia. Ego, inquit, concederem acquiri juſtitiam ex Lege, ſi illic ſalus inveniretur. Sed quid?

22. *Concluſit Scriptura.*] Nomine Scripturæ potiſſimum Legem ipſam deſignat: ea includit univerſos mortales ſub reatum: ergo juſtitia ipſos ſpoliat potius quam donet. Validiſſima ratio, Tu juſtitiam in Lege quæris: Lex autem ipſa, cum tota Scriptura, nibil hominibus relinquit præter damnationem: omnes enim homines cum ſuis operibus damnat injuſtitiæ. quis igitur ex Lege vivet? Alludit ad illud, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. Ab illa, inquam, vita eacluſi per reatum, ſalutem fruſtra in Lege quæreremus. *Omnia* dicendo, plus expreſſit quam ſi Omnes dixiſſet. Neque enim ſolos homines, ſed quæcunque habent vel afferre poſſunt, complexus eſt. *Ut promiſſio ex fide.* Nullum enim aliud remedium, quam ut operum juſtitia exuti, confugiamus ad Chriſti fidem. Certa igitur eſt conſequentia, Si opera in judicium veniunt, omnes ſumus damnati. ergo fide Chriſti obtinemus gratuitam juſtitiam. Cæterum ſententia hæc plena eſt eximiæ conſolationis: admonemur enim, quoties audimus nos damnari in Scripturis, paratam eſſe nobis opem in Chriſto, modo nos ad ipſum conferamus. Perditi ſumus, etiamſi Deus taceat. cur ergo toties pronunciat nos eſſe perditos? nempe ne æterno exitio pereamus: ſed perculſi tam horribili ſententia & confuſi, fide quæramus Chriſtum, per quem tranſeamus à morte in vitam. In voce *promiſſionis*, eſt metonymia: continens enim accipitur pro contento.

23. Antequam autem veniret fides, ſub Lege cuſtodiebamur, concluſi ſub fidem quæ revelanda erat.

24. Itaque Lex pædagogus noſter fuit in Chriſtum, ut ex fide juſtificaremur.

25. Adveniente autem fide, non amplius ſub pædagogo ſumus.

26. Nam omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu.

27. Siquidem quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

28. Non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina. omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu.

29. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, & ſecundum promiſſionem hæredes.

23. *Antequam veniret fides.*] Hic plenior habetur definitio propoſitæ quæſtionis. nam aperte exponit non tantum quis ſit uſus Legis, ſed etiam cur temporalem eſſe oportuerit: quia alioqui ſemper abſurdum videbatur, Judæis traditam fuiſſe Legem, à qua Gentes immunes eſſent. Si enim una ex Judæis & Gentibus Eccleſia, cur diverſum regimen? unde aut quo nova libertas, quum ſub Legis ſubjectione fuiſſent Patres? ergo ejuſmodi eſſe diſcrimen docet, quod Eccleſiæ unionem & concordiam non impediat. Iterum monendi ſunt lectores, Paulum non de ceremoniis tantum, nec de Lege morali ſeorſum loqui: ſed totam œconomiam comprehendere, qua Dominus ſub veteri Teſtamento populum ſuum gubernavit. Hoc enim veniebat in diſceptationem, Utrum forma regiminis à Moſe inſtituta valeret ad comparandam juſtitiam. Hanc Legem Paulus carceri primum vel cuſtodiæ comparat: deinde *pædagogo.* utraque ſimilitudine palam facit, talem fuiſſe Legis naturam, ut nonniſi ad certum tempus vigere debuerit. *Fides* ſignificat revelationem plenam eorum quæ tunc latebant ſub obſcuritate umbrarum Legis. neque enim fidem adimit Patribus qui ſub Lege vixerunt. De fide Abrahæ prius viſum eſt. aliorum
Hebr. 11. exempla commemorat auctor Epiſtolæ ad Hebræos. denique fidei doctrina teſtimonium habet à Moſe & omnibus Prophetis: ſed quia tunc fidei claritas non ita palam extabat, ideo tempus fidei appellat tempus novi Teſtamenti, comparative, non ſimpliciter. Atque hunc ſibi fuiſſe ſenſum mox demonſtrat, quum dicit concluſos fuiſſe ſub fidem quæ erat revelanda. teſtatur enim his verbis, participes fuiſſe ejuſdem fidei qui ſub Legis cuſtodia erant. Neque enim Lex à fide eos arcebat: ſed ne vagarentur extra ſepta fidei, retinebat ipſos. & eſt elegans alluſio ad id quod ante poſuerat, Scripturam concludere omnia ſub peccatum. Quemadmodum ergo undique tenebantur obſeſſi à maledictione: ita huic obſidioni babebant oppoſitam cuſtodiam, quæ eos à maledictione protegeret. quare Legis cuſtodiam, Spiritu vere liberalem fuiſſe indicat. Fides autem tunc nondum erat revelata: non quia carerent Patres omni luce, ſed quia minus haberent lucis quam nos. nam quum illic ceremoniæ Chriſtum adumbrarent tanquam abſentem, nobis bodie veluti coram repræſentatur. ſic pro ſpeculo quod illi habebant, nos ſubſtantiam hodie babemus. Qualiſcunque ergo fuerit obſcuritas in Lege, non tamen ignorarunt Patres qua via ambulandum eſſet. nam etſi ſub auroram non tantus eſt fulgor, quantus circa meridiem: non tamen expectant viatores plenum Solis exortum, quia illis ſufficit tenere iter. ita illis ſua lucis portio inſtar auroræ fuit, quæ illos ab omni erroris periculo tutos ad æternam beatitudinem ducere potuit.

24. *Itaque Lex pædagogus.*] Secunda ſimilitudo, quæ mentem Pauli clarius etiamnum exprimit. nam & pædagogus non conſtituitur in totam vitam: ſed pueritiæ tantum deſtinatur: quemadmodum patet ex etymo nominis. deinde puerum formando, hoc ſpectat, ut rudimentis puerilibus ad majora præparetur. Utrumque Legi convenit: nam ætatem habuit finitam cui præeſſet: deinde promovere debuit ſuos diſcipulos aliquouſque duntaxat, ut ſuperatis ejus elementis, dignos virili ætate progreſſus facerent. Ideo dicit, *In Chriſtum.* quemadmodum enim grammaticus puerum ſua cura formatum, tradit in ejus manum qui altioribus diſciplinis ipſum perpoliat: ita Lex fuit quaſi grammatica, quæ diſcipulos ab ſe inchoatos, fidei perficiendos, tanquam theologiæ, reſignaret. Hoc modo pueris confert Judæos Paulus, nobis adoleſcentiam attribuit. Sed quæritur qualis fuerit doctrina, vel diſciplina hujus pædagogiæ. Primum Lex, manifeſtando Dei juſtitiam, illos propriæ injuſtitiæ coarguebat. nam in præceptis Dei, tanquam in ſpeculo, intueri poterant quam procul abeſſent à vera juſtitia. ita admonebantur, quærendam alibi eſſe juſtitiam. Idem officii

babe-

habebant promiſſiones Legales. nam debebant ita cogitare, Si aliter vitam operibus conſequi non potes quam Legem implendo, tibi nova alia ratio quærenda eſt. nunquam enim patietur tua infirmitas eo te conſcendere: etiam ut maxime cupias ac nitaris, ſemper tamen longe diſtabis à ſcopo. Exadverſo urgebant eos minæ, ac ſollicirabant ut effugium quærerent iræ ac maledictionis Dei: imo noo ſinebant ipſos quieſcere, donec ſtimulaſſent ad expetendam Chriſti gratiam. Eodem tendebant omnes ceremoniæ. quorſum enim ſacrificia & ablutiones, niſi ut in aſſidua ſordium & damnationis meditatione exercerentur? Jam vero qui ſuam immunditiem cernit ante oculos, cui mortis ſuæ imago in animali innoxio proponitur: is quomodo ſecurus dormiet? quomodo non movebitur, ut ad remedium ſuſpiret? Et ſane non tantum ad terrendas & humiliandas conſcientias valebant ceremoniæ, ſed etiam erigendas in fidem venturi Redemptoris. In tota ceremoniarum pompa quicquid oculis ingerebatur, id quaſi notam Chriſti impreſſam habebat. denique nihil aliud erat tota Lex, quam multiplex exercitii genus, quo cultores manu ducebantur ad Chriſtum. *Ut ex fide.* Jam ademit Legi perfectionem, quum pædagogiæ ſimilem eſſe dixit. perficeret autem homines, ſi juſtitiam illis conferret. Quid reſtat, niſi ut ſubeat fides in ejus vicem? ſubit autem dum propriæ juſtitiæ inopes, Chriſti juſtitia nos induit. Ita impletur illud,
Luc. 1: 53. Eſurientes ſatiari bonis.

25. *Adveniente autem fide.*] Quis ſit adventus fidei, jam dictum eſt: nempe clarior gratiæ revela-
Mat. 27. tio, poſtquam velum Templi ſciſſum eſt. quod fa-
verſ. 51. ctum eſſe ſcimus Chriſti exhibitione. Itaque ſub regno Chriſti negat amplius eſſe pueritiam quæ à pædagogo regenda ſit: ideoque Legem officio ſuo eſſe defunctam. quæ eſt altera applicatio ſimilitudinis. Nam hæc duo probanda ſuſceperat: Legem eſſe præparationem ad Chriſtum, & eſſe temporalem. Sed hic rurſum quæritur an Lex ita ſit abrogata, ut nihil ad nos pertineat. Reſpondeo, Legem, quatenus regula eſt bene vivendi, & frenum quo in timore Domini retinemur, & ſtimulus ad corrigendam pigritiam carnis noſtræ: denique quatenus utilis eſt ad docendum, corrigendum, redarguendum, ut inſtituantur fideles ad omne bonum opus: hodie non minus valere quam olim, manereque intactam. Quomodo igitur eſt abrogata? Jam diximus, Paulum conſiderare Legem ſuis qualitatibus veſtitam. ſunt autem iſtæ qualitates, quod mercedem ſtatuit operibus & pœnam: hoc eſt, ſuis cultoribus vitam promittit, maledicit omnes tranſgreſſores: interea exigit ſummam perfectionem ab homine, & exquiſitam obedientiam: nihil remittit, nihil condonat, ſed vocat ad calculum minima quæque errata: Chriſtum & ejus gratiam non palam oſtendit, ſed procul indicat, idque ſub ceremoniis, quaſi tegumentis incluſum. Ejuſmodi, inquam, qualitates abolitas eſſe docet Paulus, ut jam deſierit Moſis miniſterium, quatenus differt externa ſpecie à fœdere gratuito.

26. *Nam omnes filii Dei eſtis.*] Probat alia ratione iniquum eſſe ac minime conſentaneum, ut Lex perpetua ſervitute adſtringat fideles: quia ſcilicet ſunt filii Dei. alioqui enim non ſufficeret illud quod dixit, nos egreſſos eſſe ex pueritia; niſi adderetur, nos conditione eſſe liberos: nam in ſervis ætas nihil mutat. Libertatem inde probat, quod ſint filii Dei. quomodo? *Per fidem in Chriſtum*: nam quicunque in eum credunt, datur illis hæc prærogativa, ut ſint filii Dei. Simul etiam inde conficitur, fide nos liberari, quando per ipſam in adoptionem pervenimus.

27. *Quicunque baptizati eſtis.*] Quo res major eſt ac ſublimior, nos eſſe filios Dei, eo magis remota eſt à ſenſu noſtro, difficiliuſque perſuadetur. Itaque breviter admonet qualis nobis ſit conjunctio, vel potius unitas cum Filio Dei: ne dubitemus, id quod habet proprium, nobis communicari. Utitur ſimilitudine veſtis, quum dicit, Galatas *Chriſtum induiſſe.* ſed intelligit, Chriſto ſic eſſe inſitos, ut coram Deo nomen ac perſonam Chriſti gerant, ac in ipſo magis quam in ſeipſis cenſeantur. Trita eſt iſta vel metaphora, vel ſimilitudo ſumpta à veſtibus, & de ea alibi dictum eſt. Cæterum videtur infirma ratio, Chriſtum induiſſe, quia ſint baptizati. quantum enim abeſt quin Baptiſmus ſit in omnibus efficax? Eſt etiam hoc abſurdum quod ita alligaretur ſigno externo gratia Spiritus ſancti. Ergo tam perpetua Scripturæ doctrina, quam experientia redargui poſſe videtur hoc dictum. Reſpondeo, Paulum de Sacramentis bifariam ſolere loqui. Dum negotium eſt cum hypocritis, qui nudis ſignis ſuperbiunt, tum concionatur quam inanis ac nihili res ſit externum ſignum, & in præpoſteram fiduciam fortiter invehitur: quare? non reſpicit Dei inſtitutionem, ſed impiorum corruptelam. Quum autem fideles alloquitur, qui rite utuntur ſignis, illa tunc conjungit cum ſua veritate, quam figurant. quare? neque enim fallacem pompam oſtentat in Sacramentis, ſed quæ externa ceremonia figurat, exhibet ſimul re ipſa. Hinc fit ut veritas, ſecundum Dei inſtitutum, conjuncta ſit cum ſignis. Siquis hic quærat, Ergone fieri poteſt hominum vitio, ut Sacramentum non ſit quod figurat? Reſponſio eſt facilis, Nihil Sacramentis derogari per impios, quin ſuam naturam & virtutem retineant, quamvis ipſi nullum ſentiant effectum. Sacramenta enim bonis perinde ac malis Dei gratiam offerunt, nec fallaciter promittunt Spiritus ſancti gratiam: fideles quod oblatum eſt recipiunt: impii, reſpuendo, faciunt quidem ut ſibi nihil proſit quod erat oblatum: quin Deus ſit fidelis, & verax Sacramenti ſignificatio, facere nequeunt. Proinde non immerito Paulus, dum fideles alloquitur, illos in Baptiſmo Chriſtum induiſſe dicit: quemadmodum ad Romanos capite ſexto, verſ. 5. dicit, nos inſitos eſſe in ejus mortem, ut reſurrectionis etiam ſimus conſortes. Hoc modo neque ad ſignum transfertur quod proprium Dei eſt: & tamen Sacramentis vis ſua conſtat, ne pro inanibus & frigidis ſpectaculis habeantur. & admonemur quam ſcelerata ſit hominum ingratitudo, dum ſalutaria Dei inſtituta, ſuo abuſu non tantum inutilia ſibi reddunt, ſed etiam convertunt in ſuam perniciem.

28. *Non eſt Judæus.*] Senſus eſt, nihil hic valere perſonas: ideoque nihil intereſſe cujus quiſque gentis ſit vel conditionis: nec pluris eſſe Circumciſionem quam ſexum vel civilem ſtatum. quare? Omnes enim unum Chriſtus facit. utcunque igitur alia ſint diverſa, ſufficit unus Chriſtus ad omnes copulandos. Ideo dicit, *Unus eſtis*: quo ſignificat ſublatum eſſe diſcrimen. Huc tendit oratio, Non pendere à Lege adoptionis gratiam, nec ſpem ſalutis: ſed in ſolo Chriſto contineri. Unus igitur Chriſtus eſt omnia. *Græcos* accipi pro Gentibus, & ſpeciem poni pro genere, uſitatum eſt.

29. *Ergo ſemen Abrahæ.*] Non ideo hoc addidit, quia potius ſit eſſe Abrahæ filium, quam Chriſti membrum: ſed ut retundat Judæorum ſuperbiam, qui ſua prærogativa gloriabantur, quaſi ſoli eſſent Dei populus. Nihil autem præſtantius habebant quam genus Abrahæ. ideo hanc ipſam præſtantiam communem facit omnibus qui in Chriſtum credunt. Conſequentia autem hac ratione nititur, quod Chriſtus ſemen illud eſt benedictum, in quo uniuntur omnes Abrahæ filii: ut dictum eſt. atque hoc probat, quia communiter omnibus offertur hæreditas. unde ſequitur, promiſſione inter filios referri. Obſerva autem, ſemper relative fidem cum promiſſione jungi.

CAP. IV.

CAP. IV.

Dico autem, Quamdiu hæres puer eſt, nihil differt à ſervo, quum tamen ſit dominus omnium:

2. Sed ſub tutoribus & curatoribus eſt, uſque ad tempus à patre definitum.

3. Sic & nos quum eſſemus pueri, ſub elementis mundi in ſervitute eramus.

4. Quando autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, redactum ſub Legem:

5. Ut eos qui ſub Lege erant redimeret, ut adoptionem reciperemus.

1. *Dico autem*] Quiſquis capitum ſectiones diſtribuit, male hanc ſententiam avulſit à ſuperioribus: quum nihil ſit quam ἐπεξήγησις, qua Paulus explicat & illuſtrat diſcrimen quod eſt inter nos & veterem populum. Id autem facit, adducta tertia ſimilitudine pupilli & tutoris. Pupillus tametſi liber eſt, imo etiam dominus paternæ familiæ, ſimilis tamen eſt ſervo: quia regitur imperio tutorum. Durat autem ſubjectio tutelæ uſque ad tempus à patre ordinatum, poſtea libertate ſua fruitur. In hunc modum Patres ſub veteri Teſtamento, quum filii Dei eſſent, liberi fuerunt: ſed in poſſeſſione libertatis non erant, quum Lex fuerit illis inſtar tutoris, quæ ſub jugo eos tenebat. Duravit iſta ſervitus Legis quamdiu Deo viſum eſt, qui finem illi impoſuit Chriſti adventu. Quod autem Paulus tutelam finit ſola patris ordinatione: quum Juriſconſulti plures modos enumerent quibus finiatur tutela: ideo eſt, quod hic ſolus modus congruebat ſimilitudini. Jam excutiamus ſingulas partes. Quidam aliter accommodant ſimilitudinem: nempe ad unumquemque hominem: quum Paulus de duobus populis loquatur. Fateor quidem verum eſſe quod dicunt: ſed nihil ad præſentem locum. Electi, inquiunt, tametſi filii Dei ſunt ab utero, donec tamen fide in libertatis poſſeſſionem veniant, ſub Lege manent, ſervis ſimiles: cognito autem Chriſto, hoc genere tutelæ non amplius indigent. Ut hoc totum concedam, nego eum diſtinguere inter tempus infidelitatis & vocationis ad fidem. ſed de hoc diſputat, Quum una ſit Dei Eccleſia, qui fit ut diverſa ſit noſtra & Iſraelitarum conditio? quum fide ſimus liberi, qui fit ut illi qui communem nobiſcum fidem habuerunt, ejuſdem nobiſcum libertatis compotes non fuerint? quum ex æquo ſimus omnes filii Dei, qui fit ut à jugo quod coacti ſunt portare, ſimus hodie immunes? De his enim controverſia & certamen erat: non autem qualiter Lex unicuique noſtrum dominetur, antequam per fidem liberemur ab ejus ſervitute. Sit ergo ante omnia hoc conſtitutum, Paulum hic Eccleſiam Iſraëliticam, quæ ſub veteri Teſtamento fuit, conferre cum Eccleſia Chriſtiana: ut inde pateat quid inter nos conveniat, & quid alii ab aliis differamus. Hæc comparatio uberrimam doctrinam continet, atque in primis utilem. primo hinc colligimus, ejuſdem hæreditatis ſpem fuiſſe Patribus ſub veteri Teſtamento, quam hodie habemus: quia ejuſdem adoptionis participes fuerunt. non enim (quemadmodum ſomniant fanatici quidam, & inter alios Servetus) in hoc tantum electos fuiſſe à Deo Paulus docet, ut nobis aliquem Dei populum figurarent, ſed ut nobiſcum eſſent filii Dei: & nominatim teſtatur, non ad eos minus quam ad nos pertinere ſpiritualem benedictionem Abrahæ promiſſam. Secundo colligimus, in externa ſervitute nihilominus liberas fuiſſe ipſorum conſcientias. neque enim Moſem, Danielem, pios omnes Reges, Sacerdotes ac Prophetas, & totum chorum fidelium impediebat adſtrictio ſervandæ Legis, quin ſpiritu eſſent liberi. Ergo jugum Legis ita in humeris portabant, ut libero interea ſpiritu Deum colerent: præſertim vero de gratuita peccatorum remiſſione edocti, conſcientias haberent à peccati & mortis tyrannide ſolutas. Inde conſtituendum eſt, eandem ſemper fuiſſe doctrinam, & vera fidei unitate nobiſcum fuiſſe conjunctos: unius etiam Mediatoris fiducia nobiſcum fretos, Deum Patrem invocaſſe, & eodem Spiritu fuiſſe gubernatos. His omnibus conſentaneum eſt, diſcrimen inter nos & veteres Patres non in ſubſtantia eſſe, ſed in accidentibus. nam quæ præcipua ſunt in Teſtamento vel fœdere, in iis convenimus: ceremoniæ & totum illud regimen in quibus differimus, ſunt quaſi acceſſiones. Præterea obſervandum eſt, tempus illud fuiſſe Eccleſiæ pueritiam: nunc vero à Chriſti adventu Eccleſiam adoleviſſe, ut ſit quodammodo in ætate virili. Clara enim ſunt Pauli verba. ſed hic difficultas oritur, quia videtur parum ſibi conſtare. Nam ad Epheſios cap. 4. verſ. 13. hortatur nos ad quotidianos progreſſus, donec perveniamus in ætatem adultam & menſuram plenitudinis. & ad Corinthios priore Epiſtola, commemorat ſe lac *1 Cor. 3.* potum illis, utpote pueris, dediſſe: quia ſolidi cibi *verſ. 1.* non erant capaces. & paulo poſt confert Galatas infantibus. Reſpondeo, illic agi de ſingulis hominibus & privata cujuſque fide: hic vero in univerſum de duobus corporibus, non habita perſonarum ratione. Hæc reſponſio pertinebit etiam ad ſolvendam multo majorem difficultatem. Videmus enim quam incomparabilis fuerit Abrahæ fides, quanta luce intelligentiæ polluerint ſancti Prophetæ. qua ergo fronte audebimus nos præ illis jactare viros? annon potius illi heroës, nos pueri? Ut de nobis taceamus, quis inter Galatas repertus fuiſſet par uni ex illis cuilibet? verum hic, quemadmodum jam dixi, non tractatur de ſingulis perſonis, ſed univerſalis utriuſque populi conditio deſcribitur. Inſtructi tunc fuerunt amplioribus donis quidam: ſed pauci fuerunt, non totum corpus. deinde ut multi fuerint, non reſpiciendum quales intus fuerint, ſed qualis fuerit in illis gubernandis Dei œconomia. conſtat autem fuiſſe pædagogiam, hoc eſt, diſciplinam puerilem. Hodie autem quid? ruptis illis vinculis, jam liberalius Eccleſiam ſuam Deus regit, nec ſub tam arcta cuſtodia tenet. quanquam obiter ſimul notandum, quamlibet eximia intelligentia donati fuerint, illam tamen reſipuiſſe naturam temporis, ut in revelatione quam habebant, eſſet ſemper aliquid inſtar nubis ſubobſcurum. Unde illud Chriſti, *Luc. 10.* Beati oculi qui vident quæ videtis. multi Reges & *verſ. 23.* Prophetæ optarunt videre eadem, nec viderunt, &c. Nunc tenemus qualiter præferamur iis qui longe nobis fuerunt excellentiores. neque enim id tribuitur perſonis, ſed totum pendet ex œconomia divini regiminis. Hic validiſſimus eſt aries ad demoliendas omnes ceremoniarum pompas, quibus ſolis Papatus ſplendet. Quid enim aliud hodie perſtringit oculos ſimplicium, ut Papæ regnum in admiratione habeant, aut ſaltem tangantur aliqua reverentia, niſi magnificus ille ceremoniarum, rituum, geſticulationum, & omne genus cultuum apparatus, in hoc ipſum compoſitus, ut obſtupefaciat imperitos? atqui ex hoc loco apparet, fucos eſſe adulterinos, quibus deformata eſt Eccleſia. Jam non loquor de vitiis majoribus magiſque execrandis: quale eſt, quod Dei cultus eſſe fingunt: item, quod ad promerendam ſalutem imaginantur valere: item, quod majori

Digitized by Google

jori ſeveritate exigitur talium nugarum obſervatio, quam totius Legis divinæ. tantum attingo eam excuſationem, qua hodie novi artifices, tanquam ſpecioſo colore, tot abominationes prætexunt. Objiciant, inquam, ut volent, hodie plus multo eſſe ruditatis & ignorantiæ in multis, quam in Iſraëlitis olim fuerit: ideoque pluribus adminiculis indigere. nunquam enim inde efficient, ſimili pædagogia eſſe regendos, quæ valuit in populo Iſraëlitico: ſemper enim ex adverſo opponam, Dei ordinationem aliter ferre. Si expedire dicant, negabo eos melius cernere quid expediat, quam Deum ipſum. nos potius pro certo habeamus, id eſſe non rectiſſimum modo, ſed etiam utiliſſimum quod Deus decrevit. quare rudibus quærenda ſunt adminicula, non quæ hominum libidini comminiſci libuerit: ſed quæ Deus ipſe deſtinavit, qui nihil proculdubio omiſit quod ſuorum infirmitati ſublevandæ aptum foret. Sufficiat unus hic clypeus ad repellendas quaſvis objectiones, Aliter Domino viſum eſt, cujus conſilium pro omnibus rationibus nobis ſufficit: niſi forte homines meliora excogitare adjumenta poſſunt, quam quæ Deus ipſe providerat: quæ poſtea tanquam inutilia abrogavit. Ac diligenter quidem obſerva, Paulum non tantum hic docere, jam ablatum à nobis eſſe jugum quod impoſitum erat Judæis, ut jam liber ſit nobis ceremoniarum uſus: ſed nominatim diſcrimen regiminis ponere, quod Deus obſervari voluerit. Fateor quidem liberas hodie nobis eſſe res omnes externas: ſed ita ut ceremoniarum multitudine Eccleſia nequaquam oneretur, niſi velimus Chriſtianiſmum cum Judaiſmo confundere. rationem poſtea dicemus ſuo loco.

3. *Sub elementis mundi* &c.] Elementa vocat, aut proprio nomine res externas & corporales, aut metaphorice rudimenta. malo ſecundum. Sed cur mundi eſſe dicit, quæ ſpiritualem habebant ſignificationem? perinde eſt acſi diceret, Non habebamus nudam veritatem, ſed implicitam terrenis figuris. ergo quod externum erat, id ex mundo fuiſſe docet, tametſi ſubeſſet cœleſte myſterium.

4. *Quando venit plenitudo.*] Pergit in ſimilitudine adducta: & ſuo inſtituto definitum à Patre tempus accommodat. ſimul tamen oſtendit, tempus illud quod Dei providentia ordinatum erat, maturum fuiſſe & opportunum. Ea igitur demum juſta eſt opportunitas ac recta agendi diſpenſatio, quæ providentia Dei regitur. Ita quando expediret Filium revelari mundo, ſolius Dei fuit judicare ac ſtatuere. qua compeſcitur omnis curioſitas, ne quiſquam audeat, arcano Dei conſilio non contentus, litem movere cur non citius Chriſtus apparuerit. Plura ex fine Epiſtolæ ad Romanos petant lectores, ſi velint. *Miſit Deus Filium ſuum.* Hic paucis verbis multa complexus eſt. Filium enim qui miſſus eſt, ante fuiſſe oportet. unde probatur æterna ejus divinitas. Chriſtus ergo Filius Dei eſt, è cœlo miſſus. Eundem dicit factum ex muliere: quia naturam noſtram induit. ita ſignificat conſtare ipſum duabus naturis. Aliqui codices legunt, Natum: ſed altera lectio magis recepta, & (meo judicio) convenientior. Nominatim ſiquidem diſcernere Chriſtum à reliquis voluit hominibus: quia ex ſemine matris creatus ſit, non viri & mulieris coitu. alioqui frigidum eſſet iſtud & abs re poſitum. *Mulieris* nomen hic generaliter ad ſexum refertur. *Redactum ſub Legem.* Ad verbum eſt, Factum ſub Lege. ſed ego ſenſum exprimere familiarius volui. Chriſtus ergo Filius Dei, qui immunis jure fuiſſet ab omni ſubjectione, Legi fuit ſubjectus. cur? noſtro nomine, ut libertatem nobis acquireret. Quemadmodum enim qui liber erat, captivum, ſe vadem conſtituendo, redimit: & induendo vincula, alteri exuit: ita Chriſtus Legi ſervandæ obnoxius eſſe voluit, ut nobis immunitatem acquireret. alioqui fruſtra jugum Legis ſubiiſſet. nam ſua certe cauſa non fecit. Porro non ita exempti à Lege ſumus Chriſti beneficio, ut nullam amplius obedientiam debeamus Legis doctrinæ, ſed liceat quod libuerit. regula enim bene & ſancte vivendi perpetua eſt. Sed Paulus de Lege loquitur cum ſuis appendicibus. Ab ejus Legis ſubjectione redempti ſumus, quia non eſt amplius quod erat. Rupto enim velo palam apparuit libertas. atque id eſt quod continuo ſubjicit.

5. *Ut adoptionem reciperemus.*] Nam & de adoptione ſua ſub veteri Teſtamento certi erant Patres: ſed nondum jure ſuo ita plene fruebantur. Hic ergo Adoptio capitur, ſicuti ad Romanos capite 8. v. 23. Redemptio, pro ipſa poſſeſſione. Nam ſicuti ultimo die percipiemus redemptionis noſtræ fructum: ita nunc percipimus fructum adoptionis, cujus ſancti Patres ante Chriſti adventum compotes non fuerunt. Ergo qui Eccleſiam nunc onerant immodicis ceremoniis, debito adoptionis jure illam inique fraudant.

6. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba, Pater.

7. Itaque non amplius es ſervus, ſed filius. ſi autem filius, etiam hæres Dei per Chriſtum.

8. At tunc quum nondum cognoveratis Deum, ſerviebatis iis qui natura non ſunt dii.

9. Nunc autem poſtquam cognoviſtis Deum, vel potius cogniti fuiſtis à Deo: quomodo convertimini rurſus ad infirma & egena elementa, quibus rurſus deintegro ſervire vultis?

10. Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.

11. Timeo de vobis, ne forte in vobis fruſtra laboraverim.

6. *Quoniam autem filii*, &c.] Adoptionem cujus meminerat, ad Galatas pertinere oſtendit, argumento à conſequenti. Prius enim eſt, Adoptatum eſſe à Deo, quam Habere à Spiritu Dei, teſtimonium adoptionis: ſed effectus, ſignum eſt cauſæ. Spiritus Chriſti, inquit, vobis auctor eſt atque hortator ut audeatis patrem vocare Deum: ergo certum eſt, vos eſſe Dei filios. Significat quod alibi ſæpius docet, Spiritum nobis arrham eſſe & pignus noſtræ adoptionis, ut certo ſimus perſuaſi de paterno Dei erga nos affectu. Sed objiciet quiſpiam, Annon impii quoque eo temeritatis prorumpunt, ut jactent Deum ſibi eſſe patrem? imo majore audacia falſo ſæpe in Deo gloriantur. Reſpondeo, Paulum hic non loqui de inani jactantia, nec de eo quod ſibi quiſque proprio ſpiritu arrogat: ſed de teſtimonio piæ conſcientiæ, quod novam regenerationem ſequitur. Ideoque hoc argumentum non poteſt valere niſi inter fideles: quia reprobi nullum hujus certitudinis guſtum habent. quemadmodum & Dominus ipſe teſtatur: Spiritus, inquit, veritatis, quem mundus *Joan. 14. verſ. 17.*

non

non poteſt capere: quia non novit eum. Atque hoc ſonant verba Pauli, *Miſit Deus in corda veſtra.* Non enim quid ipſi ſtulte audeant carnis ſenſu, ſed quid Deus illis intus in corde teſtetur per Spiritum ſuum docere voluit. Hoc quoque circumſtantiæ loci melius congruit, quod vocat *Spiritum Filii Dei*, quam ſi alio quovis epitheto uſus eſſet. Ideo enim nos filii, quia eodem Spiritu cum Filio unico præditi. Obſerva autem, Paulum hoc communiter tribuere omnibus Chriſtianis: ſicuti revera nulla eſt fides ubi non eſt pignus hoc divini erga nos amoris. Hinc apparet qualis ſit in Papatu Chriſtianiſmus, ubi impiæ præſumptionis damnant ſiquis Dei Spiritum habere ſe dicat. Fidem enim ſine Dei Spiritu & ſine certitudine imaginantur. Hoc unum dogma illuſtri argumento eſt, diabolum infidelitatis patrem, in omnibus Papiſtarum ſcholis regnare. Fateor quidem Scholaſticos, quum jubent perpetua dubitatione fluctuare conſcientias, nihil aliud docere quam quod dictat naturæ ſenſus. quo diligentius infigendum eſt animis noſtris hoc Pauli dogma, Neminem eſſe Chriſtianum, niſi qui Spiritus ſancti magiſterio edoctus, Deum Patrem invocat. *Clamantem.* Ego majoris fiduciæ exprimendæ cauſa hoc participio uſum fuiſſe arbitror: dubitatio enim non ſinit nos loqui intrepide, ſed fauces veluti compreſſas tenet, ut vix ſemifractæ voces titubante lingua exeant. contra vero clamor, ſecuritatis eſt indicium, ac minime vacillantis fiduciæ. Non enim accepimus iterum ſpiritum ſervitutis in timorem (quemadmodum dicit ad Romanos 8. verſ. 15.) ſed libertatis ad plenam fiduciam. *Abba, Pater.* Non dubito quin ſignificet, invocationem Dei communem eſſe omnibus linguis: nam id proprie convenit præſenti argumento, quod Deus patris nomen habeat promiſcue apud Hebræos
Jeſa. 45. & Græcos: ſicut prædictum fuerat ab Jeſaia, Omnis
verſ. 23. lingua confitebitur nomini meo. Ergo quum Gentes cenſeantur inter Dei filios, conſtat non ex merito Legis, ſed ex gratia fidei provenire adoptionem.

7. *Itaque non amplius es ſervus.*] Hoc eſt, in Eccleſia Chriſtiana non amplius eſt ſervitus, ſed liberalis conditio filiorum. Qualiter autem ſervi fuerint Patres ſub Lege, jam dictum eſt; quia ſcilicet libertas eorum nondum erat revelata, ſed incluſa ſub Legis involucris & jugo. Iterum ergo de diſcrimine veteris & novi Teſtamenti loquitur. Filii Dei etiam fuerunt veteres, & hæredes per Chriſtum. ſed nos aliter: quia præſentem habemus Chriſtum, ideoque ejus bonis fruimur. Ad Romanos vero fuſius perſequitur hoc totum; unde petes quod hic prætereo, quia illic dixi.

8. *Quum nondum cognoveratis.*] Non tam hic docet quam redarguit. & ſane jam abunde probavit quod volebat: ut eludi reprehenſiones nequeant, quaſi res eſſet dubia. Porro huc tendit, ut comparatione præteriti temporis præſentem eorum lapſum magis exaggeret. Quod olim, inquit, pro diis colebatis qui dii non erant, non adeo mirum: quia ubi eſt ignorantia Dei, illic eſt horrenda cæcitas. tunc ergo erraſtis in tenebris: ſed nunc quam indignum eſt in media luce tam turpiter errare? Sequitur ergo, in corruptela Euangelii minus excuſabiles eſſe Galatas, quam olim fuerint in idololatria. hæc ſumma eſt. Cæterum hic notandum eſt, priuſquam illuminati ſimus in veram unius Dei notitiam, nos idolis ſemper ſervire: quocunque falſam religionem colore tegamus. Quamobrem legitimum Dei cultum certa cognitio præcedat neceſſe eſt. *Naturam* hic poſuit pro re ipſa, vel pro ſubſtantia. Nam quicquid de Deo imaginantur homines, figmentum eſt ac nihil: itaque dii ſunt opinione omnia idola, re ipſa nihil.

9. *Nunc poſtquam cognoviſtis.*] Non poteſt ſatis exprimi verbis quam fœda ſit ingratitudo, à Deo ſemel cognito deficere. Quid enim eſt, ſponte relinquere lucem, vitam, fontem denique omnium bonorum? quemadmodum per Jeremiam ipſe conqueri- Jerem. 2.
tur. Culpam tamen adhuc, addita correctione, am- verſ. 13.
plificat, quum dicit, *vel potius eſtis cogniti:* nam quo major Dei gratia eſt erga nos, eo gravior noſtra culpa, ſi contemnimus. Admonet igitur Paulus Galatas, unde illis cognitio Dei. Eam adeptos eſſe negat proprio Marte, vel acumine ſui ingenii, vel induſtria: ſed quia Deus miſericordia ſua eos prævenerit, quum nihilo minus quam de ipſo cogitarent. Cæterum quod de Galatis dicitur, peræque ad omnes patet: nam in omnibus impletur illud Jeſajæ, Inven- Jeſa. 65.
tus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis qui verſ. 1.
de me non rogabant. Ergo principium vocationis noſtræ, gratuita eſt Dei electio, qua nos præordinat ad vitam antequam naſcamur. hinc pendet vocatio, hinc fides, hinc ſalutis complementum. *Quomodo convertimini rurſus.* Non poterant rurſus converti ad ceremonias, quibus nunquam aſſueverant: ergo improprie hac voce uſus eſt, tantum ſignificans, nimis abſurdum eſſe, ut perinde ac nunquam percepta Dei veritate, relabantur ad pravas ſuperſtitiones. Quod autem ceremonias vocat egena elementa, ideo facit quoniam ea conſiderat extra Chriſtum, imo adverſa Chriſto: nam Patribus non modo ſalutaria exercitia erant & adjumenta pietatis, ſed etiam efficacia gratiæ inſtrumenta: ſed tota vis in Chriſto erat, & Dei inſtitutione. pſeudoapoſtoli vero, neglectis promiſſionibus, eas opponere Chriſto volebant: quaſi non ſolus Chriſtus ſufficeret. Non igitur mirum ſi nugas & res nihili reputat Paulus. qua de re aliquid ſuperius attigi. *Serviendi* verbo neceſſitatem taxat.

10. *Dies obſervatis.*] Speciem unam elementorum commemorat exempli cauſa: nempe dierum obſervationem. Notandum eſt autem, hic civilem temporum obſervationem minime damnari, quæ conjuncta eſt cum naturæ ordine. Porro naturæ ordo fixus ac perpetuus eſt. unde enim menſium & annorum ſupputatio, niſi ex Solis lunæque circuitu? quid æſtatem ab hyeme, ver ab autumno diſtinguit, niſi Dei ordinatio? Hanc vero uſque ad finem mundi duraturam ſemel promiſit, Geneſ. 9. verſ. 13. Jam obſervatio civilis, tam agriculturæ, quam politiæ & œconomiæ ſervit. ad Eccleſiæ quoque regimen extenditur. Qualis ergo fuit obſervatio quam Paulus improbat? nempe quæ religione obſtringeret conſcientias, quaſi neceſſaria eſſet ad cultum Dei: & quæ diem à die diſcerneret, ut loquitur ad Romanos cap. 14. Quando itaque diebus per ſe tribuitur propria ſanctitas, quando diſcernitur dies à die religionis cauſa, quando feriæ pars divini cultus eſſe cenſentur: tum dies perperam obſervantur. Sabbathum ergo & novilunia, & reliquos dies feſtos urgebant pſeudoapoſtoli: quia Legales eſſent obſervationes. nos hodie quum habemus dierum diſcrimen, non induimus neceſſitatis laqueum conſcientiis, non diſcernimus dies, quaſi alius alio ſit ſanctior, non conſtituimus illic religionem & cultum Dei: ſed tantum ordini & concordiæ conſulimus. Ita libera eſt apud nos, & omni ſuperſtitione pura obſervatio.

11. *Timeo ne fruſtra laboraverim.*] Dura vox, & quæ debebat Galatas vehementer conſternere. quid enim illis ſpei reliquum, ſi irritus fuiſſet Pauli labor. Sed mirantur quidam, tantopere commotum fuiſſe Paulum dierum obſervatione, ut Euangelii prope totius everſionem vocet. nos vero, ſi omnia rite perpendamus, videbimus juſtam fuiſſe cauſam. Non tantum Judaicam ſervitutem imponere tentabant Eccleſiæ cervicibus pſeudoapoſtoli: ſed impiis quoque ſuperſtitionibus imbuebant animos. Jam hoc non leve malum erat, quod ad Judaiſmum adigebantur Chriſtiani: ſed hæc peſtis multo magis noxia, quod adverſus Chriſti gratiam, veluti meritoria opera, erigebant ferias: quod Deum hoc modo coli

 & pla-

& placari fingebant. His receptis, cultus Dei eſt corruptus, gratia Chriſti exinanita, oppreſſa conſcientiarum libertas. Miramur ſi Paulus timeat ne fruſtra laboraverit? quod enim Euangelii amplius operæ pretium foret? Atqui quum talis impietas hodie regnet in Papatu, qualis illic Chriſtus, & quale Euangelium reſtat? In exigenda dierum obſervatione non minus ſeveri ſunt, quantum ad ligandas conſcientias ſpectat, quam Moſes. Cultum Dei non minus quam pſeudoapoſtoli, in feriis includunt. affingunt etiam diabolicam opininnem meriti. Parem ergo cauſam habent: in hoc etiam deteriorem, quod illi dies Lege Dei inſtitutos vnlebant ſervari: hi vero quos temere ſuo calculn ſignarunt, ſacroſanctos eſſe jubent.

12. Eſtote ut ego: quia ego quoque ſum ut vos. Fratres, rogo vos: nihil mihi feciſtis injuriæ.

13. Noſtis autem quod per infirmitatem carnis euangelizaverim vobis prius:

14. Et experimentum mei quod fuit in carne mea, non contempſiſtis, neque reſpuiſtis: ſed tanquam Angelum Dei ſuſcepiſtis me, tanquam Chriſtum Jeſum.

15. Ubi igitur beatitudo veſtra? teſtimonium enim reddo vobis, quod ſi poſſibile fuiſſet, etiam oculos veſtros effoſſos dediſſetis mihi.

16. Ergone vera loquendo, inimicus ſum vobis factus?

17. Æmulantur vos, non bene: imo excludere vos volunt, ut ipſos æmulemini.

18. Bonum autem eſt æmulari in bono ſemper, & non tantum quum præſens ſum apud vos.

19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.

20. Vellem autem nunc coram eſſe vobiſcum, & mutare vocem meam: quia anxius ſum in vobis.

12. *Eſtote ut ego.*] Nunc blandius eos alloquendn, mitigat aſperitatem qua uſus fuerat. Etſi enim ne ſatis quidem dure pro rei indignitate invectus fuerat: quia tamen prodeſſe volebat, temperat ſtylum ad conciliandos animos. Hoc prudentis eſt Paſtoris, non reſpicere quid mereantur qui errarunt: ſed quid conveniat ipſis in viam revocandis. Itaque arguere debet opportune, importune, ſed cum omni lenitate & patientia: quemadmodum idem Paulus alibi præcipit. *2 Tim. 4. verſ. 2.* Secundum hanc rationem ab objurgationibus ad preces delabitur. *Rogo vos*, inquit: & *fratres* nominat, ut ſciant nihil ſibi per contumeliam exprobratum. Sed quid hoc ſignificat, Eſtote ut ego? refertur ad affectum. Vult enim, quum ſe illis accommodare ſtudeat, ut ſecum paria faciant. *Quando ego ſum ſicut vos:* hoc eſt, quando nihil aliud quæro, quam me vobis commodum præbere: ita æquum eſt vos flecti ad moderationem, ut vos mihi dociles & obſequentes mutuo præbeatis. Atque hic rurſum officii ſui admonentur Paſtores, ut quoad poſſunt accedant ad populum, ſeque conforment (ut loquuntur) eorum ingeniis quibuſcum agunt, ſi velint illos habere morigeros. Valet enim ſemper illud, Ut ameris, amabilis eſto. *Nihil mihi feciſtis injuriæ.* Amovet ſuſpicinnem quæ potuiſſet odioſas reddere ſuperiores objurgationes: nam ſiquem putamus ſuas injurias perſequi, aut ulciſci proprium dolorem, ab eo penitus averſi ſunt animi, ut quicquid dixerit, torqueatur in ſiniſtrum ſenſum. Prævenit ergo Galatas Paulus hac occupatione, Quod ad me privatim attinet, non habeo quod de vobis conquerar. Non itaque excandeſco mea cauſa, nec quod vobis ſim infenſus. quare ſi vehementior ſum, neceſſitate id fit, non odio vel iracundia.

13. *Noſtis quod per infirmitatem.*] Reducit in memoriam, qualiter, hoc eſt, quam amice & honorifice fuerit ab illis acceptus: idque ob duas cauſas. primum, ut intelligant ab illo ſe amari, ſicque æquis auribus admittant quicquid dicit: ſecundn, ut pergant in curſu bene incepto. Commemoratio igitur hæc, primum teſtimonium eſt benevnlentiæ: deinde vice exhortationis poſita eſt, quo primis ultima reſpondeant. Per Infirmitatem carnis intelligit (ut alibi) quicquid poterat eum vilem & contemptum reddere. Caro enim ſignificat externum aſpectum: Infirmitas vero, humilitatem. talis fuerat Pauli adventus, abſque pompa, abſque oſtentatione, abſque gloria & dignitate mundi: ſed abjectus, & in hominum conſpectu nullius pretii. Non tamen obſtiterat id totum Galatis quominus ſummo honore eum exciperent. Hæc circumſtantia plurimum ad rem valet. quid enim fuit quod ſuſpicerent aut venerarentur in Pauln præter unam Spititus ſancti virtutem? eam vero quo prætextu nunc contemnere incipient? Deinde, inconſtantiæ etiam arguuntur, quia nihil novi contigit Paulo cur minoris eum facere debeant. Sed hæc relinquit illis conſideranda: tantum occaſionem conſiderandi oblique præbet.

14. *Experimentum mei.*] Hoc eſt, Quanquam cerneretis hominem ſecundum mundum contemptibilem, non tamen reſpuiſtis. Experimentum vocat, aut probationem: quia neque res erat ignota aut obſcura, nec ipſe diſſimulabat: quemadmodum homines ambitioſi ſolent, quos pudet ſuæ parvitatis. Sæpe enim contingit plauſum indignis dari antequam recta fuerit eorum nuditas: triduo vero poſt, turpiter & cum ludibrio ablegari. ſed in Paulo diverſa longe ratio fuit, qui nullo fuco deceperat Galatas, ſed ingenue profeſſus fuerat qualis eſſet. *Tanquam Angelum Dei.* Nempe quo loco cenſeri debet quiſque verus Chriſti miniſter. nam quemadmodum Angelorum opera nobis gratias ſuas diſtribuit Deus: ita etiam divinitus excitantur pii doctores, qui bonum omnium longe excellentiſſimum nobis adminiſtrent, doctrinam ſcilicet æternæ ſalutis. ergo non immerito Angelis comparantur, per quorum manus talem theſaurum Deus nobis diſpenſat. deinde, vere nuncii Dei ſunt, quorum ore Deus nobiſcum loquitur. Atque hæc ratio apud Malachiam habetur cap. 2. v. 7. Altius adhuc tranſcendit, addendo, *tanquam Chriſtum Jeſum.* nam & Dominus ipſe non aliter miniſtros ſuos haberi præcipit ac ſeipſum. Qui *Luc. 10. verſ. 16.* vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. nec mirum: legatione enim pro ipſo funguntur. Itaque perſonam ejus ſuſtinent, cujus vices agunt. Talibus elogiis commendatur nobis Euangelii majeſtas, & miniſterium illius ornatur. Quod ſi ſecundum Chriſti mandatum ita honorandi ſunt miniſtri, certum eſt eorum contemptum ex diaboli inſtigatione eſſe: & certe contemni nequeunt quamdiu verbum habetur in pretio. Cæterum fruſtra hoc prætextu ſuperbiunt Papiſtæ: nam quum ſint manifeſti Chriſti hoſtes, quam ridiculum eſt arripere plumas ſervorum Chriſti, quibus ſeſe venditent? ergo qui volunt pro Angelis coli, officium faciant Angelorum: qui inſtar Chriſti audiri volunt, purum ejus verbum fideliter nobis afferant.

15. *Ubi igitur beatitudo.*] Innuit tunc fuiſſe beatos, qui ſuæ beatitudinis inſtrumentum tam pio affectu amplectebantur: nunc miſeros, qui ſpoliari

ſe pa-

Digitized by Google

ſe patiantur ejus miniſterio, cui acceptum ferre debebant quicquid habebant Chriſti. Vult enim hac admonitione ipſos pungere. quid? an hoc totum erit perditum? an nihil vobis profuerit, quod ſemel Chriſtum agnoviſtis per me loquentem? an fruſtra per me fundati eſtis in fide? an nunc defectio gloriam veſtræ obedientiæ coram Deo delebit? Summa eſt, contemptu puræ quam amplexi erant doctrinæ, ultro abjicere quam adepti erant beatitudinem, ſibique accerſere exitium quo miſere pereant. *Teſtimonium enim reddo.* Non ſatis eſt exhiberi Paſtoribus reverentiam, niſi etiam amentur. hæc enim duo ſunt neceſſaria: quia alioqui ſuavis non erit doctrinæ guſtus. utrumque teſtatur fuiſſe in Galatis. De reverentia prius dixit: nunc de amore. eſt enim rari amoris indicium, oculos eruere, ſi opus ſit: quia plus eſt quam vitam profundere.

16. *Ergone vera loquendo.*] Nunc ad ſe redit, ac negat ſua culpa fuiſſe factum ut mutaverint animos. Tametſi enim uſu tritum eſt, ut veritas odium pariat: non tamen odioſa eſt, niſi malitia & pravitate eorum qui eam non ſuſtinent audire. ſe igitur ita purgat à culpa alienationis, ut eorum ingratitudinem oblique perſtringat. Eſt tamen ſimul amica admonitio, ne temere & ſine cauſa ſuum Apoſtolatum rejiciant, quem prius unice amarunt: quia dignum amore cognoverant. Quid enim magis indignum quam veritatis odio ex amicis fieri inimicos? itaque non tam exprobrandi cauſa hoc dixit, quam admonendi, ut reſipiſcerent.

17. *Æmulantur vos.*] Tandem ad pſeudoapoſtolos deſcendit, quos tacendo odioſius deſignat, quam ſi nominibus exprimeret: nam ſolemus ſuppreſſo nomine de iis loqui, quos nominare piget ac tædet. Admonet autem Galatas de præpoſtera illorum ambitione: quia ſpecie zeli falli poterant. Ac ſimilitudinem à procis mutuatur, qui non caſte puellas appetunt, nec honeſto amore, ſed ut ad ſuam libidinem abutantur. Quod vos appetunt vel ambiunt, ne id vobis imponat: faciunt enim non recto zelo, ſed prava cupiditate acquirendi nominis. ea ſanctæ zelotypiæ opponitur, cujus meminit 2 Cor. cap. 11. v. 2. *Imo excludere.* Auget adhuc præpoſteras ipſorum technas, addita correctione. Non tantum vos captant, inquit: ſed quia aliter potiri vobis nequeunt, diſſidium accendere inter nos conantur, ut quaſi deſtituti, vos illis dedatis: vident enim, quamdiu inter nos conſtabit pius conſenſus, ſibi non fore locum. Hoc commune eſt artificium omnibus Satanæ miniſtris, alienare plebem à ſuo Paſtore, ut ad ſe poſtea alliciant: & quaſi ſublato æmulo, vacuam poſſeſſionem occupent. Si quis attente prudenterque obſervet, videbit inde ſemper illos facere initium.

18. *Bonum eſt æmulari.*] Incertum eſt, de ſéne loquatur, an de Galatis: nam probos miniſtros ſancta zelotypia ardere docet, ut Eccleſias retineant in caſta cum marito ſuo conjunctione. Ergo ſi de Paulo accipimus, talis erit ſenſus, Ego quidem me etiam æmulari vos confiteor, ſed alio fine & affectu: idque facio abſens non minus quam præſens: quia fructum mihi proprium non quæro. Mihi tamen magis placet referri ad Galatas. ac ne ſic quidem erit unus ſenſus: nam poterit exponi hoc modo, Iſti quidem vos à me alienare conantur, ut deſtituti ad ipſos migretis: vos autem qui me præſentem amaſtis, pergite etiam abſentem eodem amore proſequi. Verior opinio eſt, Paulum in verbi amphibologia luſiſſe. nam quum Æmulari poſuiſſet pro Ambire: nunc pro Imitari, vel Eniti ad alterius virtutem, accipit. Damnando enim præpoſteram æmulationem, hortatur ut Galatæ ſe in diverſo æmulandi genere exerceant: idque etiam quum abeſt.

19. *Filioli mei.*] Hic molliore etiamnum appellatione utitur. nam, & plus eſt filii nomen quam fratris: & diminutivum non ad contemptum, ſed blandiendi cauſa uſurpavit: etſi interim ſubindicat ipſorum teneritudinem, qui jam debuerant adoleviſſe. Eſt autem abrupta oratio, ut ſolent quæ ſunt maxime patheticæ. Vehementia enim affectus medias voces abrumpit, dum non invenimus quod ſatis animi ſenſa exprimat: & animus, ebulliendo, fauces quaſi præcludit. *Quos iterum parturio.* Id quoque ad vehementiam amoris declarandam facit, quod maternos nixus & dolores eorum cauſa ſubit. Simul tamen ſuam anxietatem declarat. nam quæ peperit mulier, lætatur: in partu ipſo acerbiſſimos cruciatus ſuſtinet. Semel prius & concepti & editi fuerant: jam ſecundo procreandi erant poſt defectionem. Invidiam tamen extenuat, quum dicit, *Donec formetur.* non enim abolet priorem partum: ſed dicit iterum fovendos utero eſſe, tanquam immaturos fœtus & informes. Porro Chriſtum in nobis formari, & nos in Chriſto, idem eſt: naſcimur enim ut ſimus novæ in ipſo creaturæ: & ipſe viciſſim naſcitur in nobis, ut vivamus ejus vitam. Quia igitur vera Chriſti imago per ſubintroductas à pſeudoapoſtolis ſuperſtitiones deformata erat, laborat Paulus in ea expolienda, ut pure abſque impedimentis reluceat. Hoc etiam faciunt Euangelii miniſtri, dum lactant, dum ſolido cibo paſcunt: denique toto prædicationis ſuæ curſu in eo debent occupari. Sed Paulus hic parturienti ſe comparat: quia nondum perfecte nati erant Galatæ. Et hic inſignis eſt locus de efficacia miniſterii. Proprium quidem Dei eſt, ſpiritualiter gignere & parere: ſed quia inſtrumentis ad id utitur, miniſtro & prædicatione: quod ſuum eſt, illis adſcribit: propterea quod cum hominis opera conjungit Spiritus ſui virtutem. Semper retineamus illam diſtinctionem, quod quum Deo miniſter opponitur, nihil eſt ac nihil poteſt, ſed organum eſt inutile: cæterum quia efficaciter Spiritus ſanctus per ipſum operatur, transfertur etiam ad ipſum laus & titulus agendi. At vero tunc non agitur quid per ſe, aut ſeorſum à Deo, valeat: ſed quid per illum agat Deus. Ergo ſi aliquid eſſe volunt miniſtri, Chriſtum, non ſeipſos formare ſtudeant. hic quaſi mœrore exanimatus, in medio ſententiæ tractu deficit.

20. *Vellem autem nunc coram.*] Hæc eſt graviſſima expoſtulatio, quum pater adeo filiorum culpa ſe perplexum eſſe conqueritur, ut inops ſit conſilii, nec ſciat quo ſe debeat vertere. optat autem ſibi dari copiam eos alloquendi: quia ex re præſenti melius quid expediat ſtatuimus. nam prout afficitur auditor, prout vel tractabilem ſe præbet, vel contumaciter reſiſtit, accommodamus etiam orationem. quanquam aliquanto plus exprimere voluit per *vocis mutationem*: nempe ſe libenter paratum fore ad induendas varias formas, ad novam etiam linguam fingendam: modo ratio conſtaret. quod diligenter obſervandum eſt Paſtoribus, ne ſibi ſint addicti, aut ſuo ipſorum ingenio: ſed transforment ſe ad captum plebis, quantum res poſtulabit: tantum uſque ad aras, ne à recto in hominum gratiam deflectant.

21. Dicite mihi, qui ſub Lege vultis eſſe, Legem non auditis?

22. Scriptum eſt enim quod Abraham duos filios habuit: unum ex ancilla, alterum ex libera.

23. Sed qui *erat* ex ancilla, ſecundum carnem erat genitus: qui vero ex libera, per promiſſionem.

24. Quæ

24. Quæ allegorica ſunt. nam duæ ſunt pactiones: una quidem à monte Sina quæ in ſervitutem generat: ea eſt Agar.

25. Nam Agar, Sina mons eſt in Arabia. ex adverſo autem reſpondet ei quæ nunc eſt Jeruſalem: ſervit enim cum liberis ſuis.

26. Quæ autem ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt: quæ mater eſt noſtra omnium.

21. *Dicite mihi.*] Interpoſitis exhortationibus ad affectus movendos, pulchram exhortationem addit ſuperiori doctrinæ. Non eſſet quidem ſatis valida per ſe probatio: ſed poſtquam argumentis ſatis pugnavit, confirmatio hæc non eſt ſpernenda. *Sub Lege eſſe*, hoc loco ſignificat ſubire jugum Legis, hac conditione ut Deus tecum agat ſecundum Legis pactum, teque viciſſim ad ſervandam Legem adſtringas. nam alioqui ſub Lege ſunt omnes fideles: ſed hic de Lege tractat cum ſuis appendicibus, ut dictum eſt.

22. *Scriptum eſt quod Abraham.*] Nemo eſt tam inſanus qui data optione libertatem ſpernat, præoptet ſervitutem. Hic vero docet Apoſtolus, quicunque ſub Lege ſunt, eſſe ſervos. miſeri igitur qui hanc conditionem ultro appetunt: quum Deus eos velit liberare. Hujus rei imaginem in duobus Abrahæ filiis proponit: quorum alter ex ſerva natus, matris conditionem tenuit: alter ex libera, liber, hæreditate potitus eſt. Poſtea totam hiſtoriam accommodat ad ſuum inſtitutum, & eleganter illuſtrat. Primò, quoniam Legis auctoritate pars diverſa ſe armabat, Legem ex adverſo opponit. Legis autem nomine quinque libros Moſis deſignari, uſitatum eſt. Deinde quia ad cauſam nihil videbatur pertinere hiſtoria quam citat, transfert ad expoſitionem allegoricam. Cæterum, quia ſcribit hæc eſſe ἀλληγορούμενα, inde occaſionem arripuit Origenes, & cum eo permulti alii, Scripturæ à genuino ſenſu huc illuc torquendæ: ſic enim colligebaot, literalem ſenſum nimis humilem eſſe & abjectum: latere igitur ſub literæ cortice altiora myſteria, quæ non aliter erui poſſent quam allegorias cudendo. Atque id non difficulter obtinuit: nam ſpeculationes quæ ſpeciem argutiæ præ ſe ferunt, ſemper mundus prætulit ſolidæ doctrinæ, & præferet. Tali approbatione crevit magis ac magis licentia: ut in tractandis Scripturis ludere non modo impune permiſſum fuerit, ſed etiam ſummæ laudi tributum. neminem ſiquidem multis ſeculis ingenioſum putarunt, niſi qui ſubtiliter transfigurare ſacroſanctum Dei verbum ſciret ac auderet. Hoc proculdubio Satanæ commentum fuit, ad elevandam Scripturæ auctoritatem, & verum ex lectione illius tollendum uſum. quam profanationem ultus eſt Deus juſto judicio, quum adulterinis gloſſis paſſus eſt puram intelligentiam obrui. Scriptura, inquiunt, fœcunda eſt, ideoque multiplices ſenſus parit. Ego Scripturam uberrimum & inexhauſtum omnis ſapientiæ fontem eſſe fateor: ſed ejus fœcunditatem in variis ſenſibus nego conſiſtere, quos quiſque ſua libidine affingat. Sciamus ergo eum eſſe verum Scripturæ ſenſum, qui germanus eſt ac ſimplex: eumque amplectamur & mordicus teneamus. Fictitias expoſitiones quæ à literali ſenſu abducunt, non modo negligamus tanquam dubias, ſed fortiter repudiemus tanquam exitiales corruptelas. Verum quid reſpondebimus ad Pauli verbum? certe non intelligit Moſem eo conſilio ſcripſiſſe, ut hiſtoria in allegoriam verteretur: ſed admonet qualiter præſenti cauſæ hiſtoria conveniat: nempe ſi figurate illic delineatam nobis Eccleſiæ imaginem obſervemus. Neque vero aliena eſt à genuino literæ ſenſu ejuſmodi ansgoge, quum à familia Abrahæ ſimilitudo ducitur ad Eccleſiam. Quemadmodum enim Abrahæ domus tunc fuit vera Eccleſia: ita minime dubium eſt quin præcipui & præ aliis memorabiles eventus qui in ea contigerunt, nobis totidem ſint typi. ſicut ergo in Circumciſione, in ſacrificiis, in toto ſacerdotio Levitico allegoria fuit, ſicuti hodie eſt in noſtris Sacramentis: ita etiam in domo Abrahæ fuiſſe dico. ſed id non facit ut à literali ſenſu recedatur. Summa perinde eſt acſi diceret Paulus, figuram duorum Teſtamentorum in duabus Abrahæ uxoribus, & duplicis populi in duobus filiis, veluti in tabula nobis depictam. Et certe Chryſoſtomus in vocabulo Allegoriæ fatetur eſſe catachreſin: quod veriſſimum eſt.

23. *Qui ex ancilla.*] Uterque ſecundum carnem erat genitus ex Abraham. ſed in Iſaac erat peculiaris ratio, quia promiſſionem habebat gratiæ. Ergo in Iſmaële nihil erat præter naturam: in Iſaac erat Dei electio. idque in ipſa genitura fuit adumbratum: miraculo enim, non communi more genitus fuit. Oblique tamen & Gentilium vocationem & Judæorum rejectionem inſinuat: quia hi naturali proſapia gloriantur, illi vero præter humanam facultatem fiunt ſpiritualis Abrahæ ſoboles.

24. *Nam duæ ſunt pactiones.*] Ideo ſic transferre malui, ne perderetur gratia ſimilitudinis. Paulus enim duas διαθήκας duabus matribus comparat. Durum eſt in neutro genere Teſtamentum vocari matrem. Pactionis itaque nomen aptius. nec vero tam elegantiæ quam perſpicuitati ſtudui. Porro jam rem ipſam proponit, quod ſicut in domo Abrahæ duæ matres: ita etiam in Eccleſia Dei. Doctrina enim mater eſt, ex qua nos Deus generat. ea eſt duplex, Legalis & Eusngelica. Legalis in ſervitutem generat: eſt igitur ſimilis Agar. Sara autem repræſentat ſecundam, quæ generat in libertatem. quanquam Paulus altius orditur, priorem matrem faciens Sina, ſecundam vero Jeruſalem. ideo ſicui ſubtilius excutere ſingula libeat, Legem faciet quaſi ſemen, unde gignuntur filii Sina: Euangelium, unde gignuntur filii Jeruſalem. Sed hoc nihil ad ſummam argumenti. ſatis eſt ſi teneamus, duas pactiones, matrum inſtar eſſe, ex quibus diſſimiles filii naſcuntur: quia pactio Legalis ſervos facit, Euangelica liberos. Sed hoc totum prima fronte abſurdum videri poſſit: quia nulli Deo filii gignantur, niſi in libertatem. quare ſimilitudo non quadrat. Reſpondeo, bifariam, quod dicit Paulus, eſſe verum. nam Lex olim ſuos diſcipulos in ſervitutem genuit, ſanctos inquam Prophetas, & reliquos fideles: non ut ſervi manerent, ſed quia ſub pædagogia illos Deus ad tempus continebat. Libertas enim illorum ſub velo ceremoniarum & totius œconomiæ, qua tunc gubernabantur, erat abſcondita: externa ſpecie nihil niſi ſervitus apparebat. Ideo dicit Paulus idem ad Romanos capite 8. verſ. 15. Non hauſiſtis iterum ſpiritum ſervitutis in timorem. quare ſancti illi Patres, utcunque intus liberi eſſent coram Deo, externo tamen aſpectu nihil differebant à ſervis: atque ita matris conditionem referebant. Doctrina autem Euangelii tum in partu filiis ſuis confert plenam libertatem, tum liberaliter eos educat. Fateor tamen, Paulum nequaquam hic de talibus filiis loqui: quemadmodum patebit ex contextu. nam per filios Sina, hypocritas, qui tandem exterminantur ex Eccleſia Dei, & abdicantur hæreditate, ſe intellexiſſe exponet. Quæ igitur iſta eſt generatio in ſervitutem, de qua nunc diſputat? nempe eorum qui perperam abutuntur Lege, ut nihil ex ea niſi ſervile concipiant. Non ſic pii Patres qui vixerunt ſub veteri Teſtamento. non enim impediebat ſervilis Legis generatio quin matrem haberent Jeruſalem in Spiritu. Sed quia in nuda Lege hærent, neque pædagogiam eſſe agnoſcunt qua

ad

Digitized by Google

ad Chriſtum ducantur, ſed potius obſtaculum ex ea ſibi faciunt ne ad Chriſtum perveniant, illi ſunt Iſmaëlitæ, nati ad ſervitutem. Rurſus tamen excipiet quiſpiam, cur tales ex Dei pactione naſci dicat Apoſtolus, & in Eccleſia cenſeri. Reſpondeo, eſſe corrupti ſeminis adulterinum ſemen: neque generari proprie à Deo, ſed degeneres eſſe & quaſi ſpurios, qui Deum falſo patrem citant, à quo repudiantur. hoc etiam eodem titulo cenſeri in Eccleſia: non quia vere ſint ejus membra, ſed quia locum ad tempus uſurpent, & induti larva decipiant. Eccleſiam enim hic conſiderat Apoſtolus, qualis cernitur in hoc mundo. qua de re mox dicendum erit.

25. *Agar Sina mons eſt.*] Non immoror in refellendis aliorum expoſitionibus. Nam futilis eſt conjectura Hieronymi, montem Sina binominem fuiſſe: nec minus puerile Chryſoſtomi commentum, philoſophantis in nominum congruentia. Agar enim Sina eſſe dicitur, quia typus ſit vel figura: quemadmodum Paſcha erat Chriſtus. ſitum etiam montis per contemptum exprimit. In Arabia, inquit: hoc eſt, extra limites terræ ſanctæ, quæ ſymbolum eſt æternæ hæreditatis. mirum, in tam familiari applicatione adeo fuiſſe erratum. *Ex adverſo autem reſpondet.* Pro quo vetus Interpres reddidit, Conjunctus eſt: Eraſmus, Confinis: ego vitandæ obſcuritatis cauſa ſic tranſtuli. Certum eſt enim non de propinquitate, nec ſitu locorum hic Apoſtolum ſenſiſſe, ſed de ſimilitudine, in figura quam tractat. σύστοιχα enim dicuntur quæ ita ſunt ordine collocata, ut mutuum inter ſe reſpectum habeant: & συστοιχία tam in arboribus quam in aliis, eſt compoſita ad juſtam proportionem ſeries. Eodem ergo ſenſu dixit montem Sina συστοιχεῖ ei quæ nunc eſt Jeruſalem, quo Ariſtoteles rhetoricam eſſe dialecticæ ἀντίστροφον ſcribit. metaphora à lyricis ſumpta, quibus moris erat ex adverſo ſtatuere partes duas, quarum una alteri in concentu reſponderet. In ſumma, συστοιχεῖν nihil aliud eſt quam coordinari, ut ita loquar. Verum cur præſentem Jeruſalem componit cum monte Sina? Tametſi aliquando ſui in contraria opinione, aſſentior tamen Chryſoſtomo & Ambroſio, qui de terrena Jeruſalem exponunt: & quidem, ut tunc ad ſervilem doctrinam & cultum degeneraverat. ideo dicit, *Quæ nunc eſt.* Debuerat enim viva eſſe imago cæleſtis Jeruſalem, & illius ingenium exprimere. Sed qualis nunc eſt, inquit, relationem habet ad montem Sina. tametſi locorum intervallis diſtant, ſunt tamen prorſus ſimiles, & habent inter ſe perfectam ſymmetriam. Eſt graviſſima exprobratio adverſus Judæos, qui à gratia excidiſſent, matremque haberent non Saram, ſed adulterinam Jeruſalem, gemellam ſororem Agar: proinde ſervi ex ſerva nati, quamlibet ſuperciliose jactarent ſe Abrahæ filios.

26. *Quæ autem ſurſum eſt.*] Cæleſtem vocat, non quæ cælo ſit incluſa, non quæ ſit quærenda extra mundum. eſt enim diffuſa Eccleſia per totum orbem, & in terra peregrinatur. Cur ergo è cælo eſſe dicitur? quia originem habet à gratia cæleſti. non enim ex carne & ſanguine filii Dei naſcuntur, ſed Spiritus ſancti virtute. Jeruſalem ergo cæleſtis, quæ principium è cælo habet, & fide ſurſum habitat, illa eſt fidelium mater. Habet enim ſemen vitæ incorruptibile apud ſe depoſitum, quo nos format, fovet in utero, edit in lucem. habet eadem lac & cibum, quo procreatos perpetuo alit. En cur Eccleſia vocetur fidelium mater. ſane qui recuſat eſſe Eccleſiæ filius, Deum fruſtra patrem habere expetit: neque enim, niſi per Eccleſiæ miniſterium, Deus ſibi filios generat, & tollit donec adoleſcant & perveniant ad virilem uſque ætatem. Præclarum certe Eccleſiæ encomium, in primis honorificum. Sed inepti ſunt Papiſtæ, & bis pueri, qui illud obtendunt ad nos gravandos: nam quum matrem habeant adulteram, quia diabolo filios in mortem gignit, quam abſurdum eſt poſtulare ut filii Dei illi ſe crudeliter necandos dedant? Quanto honeſtiore prætextu Jeroſolymitana ſynagoga ſuperbire tunc poterat, quam hodie Romana? videmus tamen ut Paulus eam omni exutam ornatu, in ſortem Agar rejiciat.

Jeſa. 54. verſ. 3. 27. Scriptum eſt enim, Exulta ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia plures erunt liberi deſertæ, quam habentis maritum.

Rom. 9:8. 28. Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis ſumus filii.

29. Sed quemadmodum tunc qui ſecundum carnem erat genitus, perſequebatur eum qui ſecundum Spiritum genitus erat: ſic & nunc.

Gen. 21. verſ. 10. 30. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæreditatem obtinebit filius ancillæ cum filio liberæ.

31. Ergo, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ.

27. *Scriptum eſt.*] Probat Jeſaiæ teſtimonio, naſci legitimos ex Eccleſia filios ſecundum promiſſionem. Locus eſt in cap. 54. v. 3. ubi Propheta & de regno Chriſti & de Gentium vocatione agit. promittit autem & ſterili & viduæ numeroſam ſobolem: hæc enim lætitiæ & exultationis, ad quam Eccleſiam hortatur, cauſa eſt. Notandum autem, conſilium Apoſtoli huc tendere, ut iſtam ſpiritualem Jeruſalem de qua Jeſaias vaticinatur, adimat Judæis: utpote cui filios undique ex cunctis gentibus congregatum iri denunciat Propheta: neque id ulla ſua præparatione, ſed benedictione Dei gratuita. itaque mox concludit filios Dei nos promiſſione fieri, exemplo Iſaac: nec alia ratione conſequi hunc honorem. Hæc concluſio imperitis, & minus in Scriptura exercitatis infirma videtur eſſe: quia principium non tenent, quod tamen certiſſimum eſt, promiſſiones omnes in Meſſia fundatas, eſſe gratuitas. Id pro confeſſo quia ſumebat Apoſtolus, ideo tam ſecure promiſſionem Legi oppoſuit.

29. *Quemadmodum tunc qui ſecundum carnem.*] Hic pſeudoapoſtolorum ferociam refutat, qui proterve inſultabant piis omnia reponentibus in Chriſto. Hos enim turbabat ejuſmodi ferocia, ideoque opus habebant conſolatione, ſicut illos ſeverius reprimi operæpretium erat. Admonet ergo, non eſſe mirum ſi faciant hodie filii Legis quod fecit initio pater ipſorum Iſmaël, qui verum hæredem Iſaac vexavit, primogenitura ſua fretus: eodem nunc ſupercilio poſteros propter externas ceremonias, Circumciſionem totumque Legis apparatum ſuperbire adverſus legitimos Dei filios, moleſtiamque his faceſſere. *Spiritum* rurſus opponit carni: hoc eſt, Dei vocationem humanæ (ut loquuntur) apparentiæ. ita larvam concedit Legis & operum ſectatoribus: rem vero ipſam vendicat iis qui ſola Dei vocatione nituntur, & pendent ex ejus gratia. *Perſequebatur.* Atqui nuſquam mentio ſit perſequutionis: tantum dicit Moſes, Iſmaëlem ipſum fuiſſe מצחק. quo participio ſignificat illuſiſſe fratri ſuo Iſaac. Nunc quod ex Judæis quidam ſimplicem riſum exponunt, minime conſentaneum eſt. cujus enim ſævitiæ fuiſſet, riſum innoxium tam atrociter ulciſci? Non dubium igitur quin per contumeliam, lœdoriis infantem Iſaac laceſſeret. Sed quantum id abeſt à perſequutione? non tamen fruſtra nec temere Paulus hoc amplificat. Nulla enim perſequutio tam moleſta eſſe nobis debet, quam dum impiorum ludi-

Digitized by Google

briis videmus labefactari noſtram vocationem: neque colaphi, neque flagella, neque clavi, neque ſpinæ tantum cruciatus attulerunt Chriſto, quantum illa blaſphemia, Confidit in Deo, quid illi prodeſt, quum ſit omni ope deſtitutus? Nam plus veneni illic ſubeſt, quam in cunctis perſequutionibus. quanto enim plus eſt, irritam fieri gratiam divinæ adoptionis, quam caducam vitam nobis eripi? Non ergo perſequutus eſt Iſmael fratrem gladio: ſed quod deterius eſt, ſuperbe adverſus illum ſe efferebat, promiſſionem Dei pedibus calcando. Hic etiam fons eſt omnium perſequutionum, quod impii Dei gratiam in electis & ſpernunt & oderunt. cujus rei luculentum documeotum habemus in hiſtoria Cain & Habel. Admonemur etiam, uon tantum horrori nobis debere eſſe externas perſequutiones, quum ferro & igni nos trucidant pietatis hoſtes, quum exiliis, carceribus, tormentis, aut flagellis ſunt infeſti: ſed quum ſuis blaſphemiis irritam facere conantur fiduciam noſtram quæ in Dei promiſſionibus recumbit, quum ſaluti noſtræ illudunt, quum petulanter totum Euangelium ſubſannant. Nam nec qoicquam eſt quod tam graviter animos noſtros vulnerare debeat, quam Dei contemptus, & adverſus ejus gratiam ludibria: nec ullum magis exitiale eſt perſequutionis genus, quam quum impetitur animæ ſalus. Ad nos qui ex Papæ tyrannide erepti ſumus, non perveniunt hodie impiorum gladii: ſed quam ſtupidi ſumus, ſi non afficimur illa ſpirituali perſequutione, quum doctrinam illam ex qua vitam trahimus, extinguere modis omnibus tentant: quum ſuis blaſphemiis fidem noſtram impugnant, multorum etiam rudium concutiunt? Mihi certa plus mœroris hodie affert Epicureorum furor, quam Papiſtarum: non graſſantur vi & manu: ſed quo pretioſius mihi eſt nomen Dei propria vita, fieri nequit quin magis anxie torquear, quum diabolicam conſpirationem fieri video ad extinguendum omnem Dei timorem & cultum, ad exterminandam Chriſti memoriam, vel ſannis omnium improborum proſtituendam, quam ſi uno incendio tota una regio flagraret.

30. *Sed quid dicit Scriptura?*] Jam illa erat nonnulla conſolatio, quod exemplum patris noſtri Iſaac propoſuerat: ſed hæc aliquanto efficacior, dum addit, hypocritas cum ſua jactantia nihil aliud profecturos, quam ut ejiciantur ex ſpirituali Abrahæ familia: nobis vero nihilominus ſalvam fore hæreditatem, utcunque inſolenter nos ad tempus laceſſant. Hac conſolatione ſuſtentent ſe fideles, quod non perpetuo durabit Iſmaëlitarum tyrannis. Videntur quidem primatum occupaſſe: ideoque tanquam abortivos nos deſpiciunt, primogenitura ſua inflati: ſed tandem pronunciabuntur Agareni, ſerva nati, & indigni hæreditate. Locus pulcherrimus, ne turbemur hypocritarum faſtu: aut illorum ſorti invideamus, quum temporariam cum dignitate manſionem habent in Eccleſia: ſed patienter exitum, qui nos manet, expectemus. Multi enim vel ſpurii, vel alieni locum uſurpant in Eccleſia: ſed fidem perpetuo fixam non habent, quemadmodum inſtar alienigenæ ejectus fuit cum poſteris ſuis Iſmaël, qui tamen primogenitura inflatus initio regnabat. Rident hic naſuti quidam homines Pauli ſimplicitatem, quod bilem fœminæ ex futili rixa natam comparet Dei judicio: ſed non animadvertunt, interpoſitum fuiſſe Dei decreto, quo palam fieret totum id cæleſti providentia gubernari. Nam quod Abraham uxori penitus morem gerere jubetur, id certe extraordinarium eſt: unde colligimus, Deum Saræ miniſterio ad ſtabiliendam ſuam promiſſionem uſum fuiſſe. denique ejectio Iſmaëlis nihil aliud fuit quam oraculi illius exequutio & effectus, In Iſaac vocabitur tibi ſemen: non in Iſmaële. Quanquam igitur fuit ultio muliebris rixæ, non tamen id obſtat quominus per os Eccleſiæ ſuæ, in typo Deus ſuum judicium promulgaverit.

31. *Ergo fratres.*] Nunc Galatas hortatur ut filii Saræ eſſe malint quam filii Agar: imo jam in libertatem eſſe genitos Chriſti gratia commemorat, ut in ſua conditione maneant. Hodie ſi Papiſtas vocemus Iſmaëlitas & Agarenos, jactemus nos legitimos eſſe filios: ridebunt. at ſi res cum re, cauſa cum cauſa conferatur, nemo tam rudis erit cui non ſit promptum judicare.

Cap. V.

IN libertate igitur qua Chriſtus nos liberavit, ſtate: & ne rurſum jugo ſervitutis implicemini.

2. Ecce, ego Paulus denuncio vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

3. Teſtificor enim rurſum cuivis homini qui circumciditur, quod debitor ſit totius Legis faciendæ.

4. Exinaniti eſtis à Chriſto, quicunque per Legem juſtificamini, à gratia excidiſtis.

5. Nos enim Spiritu, ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.

6. Nam in Chriſto Jeſu neque Circumciſio quicquam valet, neque præputium: ſed fides per dilectionem operans.

1. *In libertate igitur.*] Poſtquam filios liberæ eſſe dixit, nunc admonet quantum ſit pretium hujus libertatis, ne eam, ceu rem nihili, contemnant. Et certe inæſtimabile bonum eſt, pro quo uſque ad mortem pugnare nos decet: neque hic de focis tantum agitur, ſed etiam de aris. Hoc hodie multi quia non conſiderant, damnant nos importunitatis, dum vident nos tam acriter, tantaque contentione aſſerere libertatem fidei adverſus Papæ tyrannidem in rebus externis. Hoc etiam prætextu, adverſarii invidiam nobis conflant apud imperitos, quaſi nihil quam licentiam quæramus, quæ ſit omnis diſciplinæ ſolutio. Sed prudentes & exercitati norunt, hoc in ſalutis doctrina unum eſſe ex præcipuis capitibus. Non enim hic agitur, hocne an illo cibo veſcaris, celebresne hunc diem, an prætereas: (quemadmodum ſtulte exiſtimant multi, nonnulli vero calumniantur) ſed quidnam tibi coram Deo liceat, quid ad ſalutem ſit neceſſarium, quid omittere ſit nefas: deoique diſceptatio eſt de conſcientiæ conditione, ubi ad tribunal Dei venitur. Porro libertatem hic intelligit Paulus à ceremoniis Legis, quarum obſervationem exigebant, tanquam neceſſariam, pſeudoapoſtoli. Verum ſimul meminerint lectores, ejuſmodi libertatem eſſe partem ejus duntaxat quam nobis acquiſivit Chriſtus. quantulum enim id foret, ſi nos tantum liberaſſet à ceremoniis? Hic ergo ritus ex altiori fonte manat: nempe quia factus eſt male- *ſupra, 3.*
dictum, ut nos à Legis maledictione redimeret: quia *verſ. 13.*
vim Legis abrogavit, quatenus Dei judicio nos tenebat obnoxios ſub reatu æternæ mortis: quia denique à tyrannide peccati, Satanæ & mortis nos aſſeruit. Ita ſub una ſpecie comprehenditur totum genus. qua de re dicemus in Epiſtola ad Coloſſenſes. Porro in cruce libertatem nobis acquiſivit Chriſtus: ejus fructum & poſſeſſionem per Euangelium nobis confert.

Bene ergo Paulus, qui Galatas admonet ne rurſus implicentur jugo ſervitutis: hoc eſt, ne conſcientiis laqueum ſinant indui. nam ſi onus humeris noſtris iniquum imponant homines, ſuſtineri poteſt: conſcientias ſi redigere velint in ſervitutem, fortiter & uſque ad mortem reſiſtendum. Spoliabimur enim inæſtimabili beneficio, ſi licebit hominibus conſcientias noſtras ligare. Et ſimul Chriſto libertatis auctori fiet iojuria. Sed quid valet iſtud *rurſus?* nam Galatæ nunquam ſub Lege vixerant. Simpliciter capitur pro perinde acſi non eſſent redempti Chriſti gratia. Etſi enim Judæis, non Gentibus lata erat Lex: tamen extra Chriſtum nulla eſt utriuſque libertas, ſed mera ſervitus.

2. *Ecce, ego Paulus.*] Nihil gravius potuit illis denunciare, quam ut eos prorſus à Chriſti gratia excluderet. Sed quid hoc ſibi vult, Chriſtum nihil profuturum omnibus circumciſis? an Abrahæ nihil profuit? imo ut prodeſſet, Circumciſionem recepit. Si dicamus id valuiſſe ante Chriſti adventum, quid de Timotheo reſpondebimus? Notandum eſt, Paulum hic non loqui de externa modo ſectione, aut de ceremonia, ſed magis diſputare adverſus impiam doctrinam pſeudoapoſtolorum, qui eam fingebant eſſe neceſſarium Dei cultum, & ſimul fiduciam ingerebant tanquam operis meritorii. Hæc diabolica figmenta Chriſtum faciebant inutilem. non quod abnegarent pſeudoapoſtoli Chriſtum, aut penitus ſublatum vellent: ſed inter ipſius gratiam & Legis opera ſic partiebantur, ut dimidia tantum pars ſalutis ab illo eſſet. Reclamat Apoſtolus, non poſſe hoc modo dividi: nec aliter nobis prodeſſe, quam ſi ipſum integrum amplectamur. Et quid aliud hodie faciunt Papiſtæ, niſi quod pro Circumciſione nugas à ſe inventas obtrudunt? huc certe tendit tota eorum doctrina, ut Chriſti gratia operum meritis permiſceatur: quod impoſſibile eſt. Chriſtum enim dimidium quiſquis habere vult, totum perdit. & tamen valde ſibi acuti videntur Papiſtæ, quum allegant operibus ſe nihil tribuere, niſi mediante Chriſti gratia. quaſi vero alius fuerit Galatarum error. Neque enim à Chriſto deficere ſe credebant, aut renunciare ejus gratiæ: ſed peribat tamen illis Chriſtus, quum adulterata eſſet Euangelii doctrina in præcipuo illo capite. Iſta loquutio, Ecce ego Paulus, non parvam emphaſin habet: coram enim ſe opponit, & nomen dat, ne videatur cauſam dubiam habere. Et quanquam vileſcere apud Galatas cœperat ejus auctoritas, tamen ad refellendos omnes adverſarios ſufficere aſſerit.

3. *Teſtificor enim rurſum.*] Probatio eſt proximæ ſententiæ, ſumpta ex loco repugnantium: nam qui debitor eſt totius Legis faciendæ, mortem nunquam effugiet: quia ſemper manebit ſub reatu. nemo enim unquam reperietur qui Legi ſatisfaciat: talis igitur obligatio, certa eſt damnatio hominis: ita fit ut nihil ipſum Chriſtus juvet. Videmus ergo ut repugnent iſta duo, nos eſſe Chriſti gratiæ participes, & rurſum obſtringi ad totam Legem implendam. Verum ita ſequetur, neminem ex Patribus ſalvum eſſe. quin etiam ſequetur, Timotheum à Paulo fuiſſe perditum quum fuit circumciſus. Væ enim nobis, donec à Lege ſumus manumiſſi: ubi autem Circumciſio, illic ſubjectio. Notandum eſt, Paulum bifariam de Circumciſione ſolere loqui: idque animadvertere cuivis in Pauli electione mediocriter exercitato facile erit. Nam ad Rom. cap 4. v. 11. vocat ſigillum juſtitiæ fidei: ita Chriſtum, & gratuitam ſalutis promiſſionem ſub Circumciſione includit. Nunc autem illam Chriſto, fidei, Euangelio & gratiæ opponit: ut ſit merum pactum Legale, in operum meritis fundatum. inde patet quod jam dixi, non eodem ſemper modo de Circumciſione ipſum loqui. ſed ratio diverſitatis habenda eſt. Dico Paulum, dum Circumciſionem conſiderat in ſua natura, merito facere gratiæ ſymbolum: quia tale fuit inſtitutum Dei. verum ubi illi negotium eſt cum pſeudoapoſtolis, qui Circumciſione abutebantur ad deſtruendum Euangelium: illic non reſpicit ad quid fuerit à Domino inſtituta, ſed corruptelam ab hominibus profectam impugnat. Exemplum habemus clariſſimum in hoc loco. Quum Abrahæ data eſſet promiſſio de Chriſto, de gratuita juſtitia, de æterna ſalute: addita ſimul fuit Circumciſio in ejus confirmationem. fuit igitur ex ordinatione Dei Sacramentum quod fidei ſerviebat. Veniunt pſeudoapoſtoli, qui fingunt eſſe opus meritorium: & ita Legis obſervationem commendant, ut Circumciſio ſit initiatio ejuſmodi profeſſionis. Dei inſtitutionem hic non attingit Apoſtolus, ſed pſeudoapoſtolorum figmentum perſequitur. Excipiet quiſpiam, qualiſcunque ſit impiorum abuſus, id tamen ſacroſanctis Dei inſtitutis nihil detrahere. Reſpondeo, Circumciſionem nonniſi ad tempus mandatam à Deo fuiſſe. itaque poſt Chriſti adventum jam Sacramentum eſſe deſierat divinitus inſtitutum: quia Baptiſmus in ejus vicem ſucceſſerat. Quorſum ergo circumciſus fuit Timotheus? non ſua certe cauſa, ſed fratrum duntaxat, quorum infirmitati datum id fuit. Quo autem melius appareat quantopere congruat Papiſtarum doctrina cum ea quam Paulus impugnat: obſervandum eſt, Sacramenta, ſincere accepta, non eſſe proprie opera hominum, ſed Dei. Nam in Baptiſmo, in ſacra Cœna, nihil agimus: ſed offerimus nos Deo ad recipiendam ejus gratiam. Ergo Baptiſmus, reſpectu noſtri, eſt opus paſſivum. nihil enim præter fidem afferimus, quæ omnia habet in Chriſto repoſita. Quid autem Papiſtæ? opus operatum imaginantur, quo promereantur homines Dei gratiam. ita quid aliud quam Sacramenti veritatem ſimpliciter extinguunt? Baptiſmum tamen & Cœnam retinemus, quia perpetuum utriuſque uſum eſſe Chriſtus voluit: ſed impia illa deliramenta, ut par eſt, acriter deteſtamur.

4. *Exinaniti eſtis à Chriſto.*] Senſus eſt, Siquam juſtitiæ partem quæritis in operibus Legis, Chriſtus nihil ad vos, & à gratia eſtis alienati. Neque enim tam craſſa erat opinio, ut ſola Legis obſervatione juſtificari ſe crederent: ſed Chriſtum miſcebant cum Lege. alioqui fruſtra his minis territaret ipſos Paulus, Quid facitis? redditis vobis Chriſtum inutilem, in nihilum redigitis ejus gratiam. Videmus ergo non poſſe minimam juſtitiæ partem conſtitui in Lege, quin Chriſto & ejus gratiæ renuncietur.

5. *Nos enim Spiritu, ex fide.*] Occupatio eſt qua prævenit objectionem: nam protinus cuivis in mentem venire poterat hæc cogitatio, Nullane igitur utilitas erit Circumciſionis? Reſpondet, in Chriſto nihil valet: ideoque juſtitiam in fide ſitam eſſe, & hanc juſtitiam obtineri in Spiritu abſque ceremoniis. *Spem juſtitiæ expectare*, eſt fundare in hac vel illa re ſuam fiduciam: vel ſtatuere unde juſtitia ſperanda ſit. quanquam ſimul perſeverantiam notatam eſſe his vocibus, probabile eſt: acſi dixiſſet, Perſtamus conſtanter in fiducia juſtitiæ quam fide obtinemus. Quod autem juſtitiam fide nobis conſtare dicit, id cum Patribus nobis commune eſt: omnes enim fide placuerunt Deo, ut Scriptura teſtatur. ſed fides illorum ceremoniarum velo erat implicita: ideo nos ab illis diſcernit per verbum Spiritus, quod externis umbris opponitur. Intelligit ergo nudam eſſe nunc fidem quæ ad conſequendam juſtitiam ſufficiat: & quæ non ceremoniarum pompis ornetur, ſed ſpirituali Dei cultu ſit contenta. *Hebr. 11*

6. *Nam in Chriſto Jeſu.*] Ratio eſt cur nunc juſtitiam in Spiritu ſperent: quia in Chriſto, id eſt, in regno Chriſti, vel in Eccleſia Chriſtiana Circumciſio abolita ſit cum ſuis appendicibus: nam ſynecdochice in nomine Circumciſionis, ceremonias deſignat. Ita nec jam amplius locum illis eſſe admonet, neque tamen inutiles ſemper fuiſſe concedit: non

enim

enim abrogatas eſſe docet, niſi poſt Chriſti revelationem. Ita ſimul quoque ſoluta eſt quæſtio, cur tam contemptim de Circumciſione hic loquatur, acſi nihil profuiſſet. oon enim hic mentio fit de Circumciſione, quatenus Sacramentum olim erat: non quæritur quid eo tempore valuerit quo nondum obſoleverat: verum ſub regno Chriſti, præputio fuiſſe æquatam aſſerit: nempe quia Legalibus ceremoniis finem impoſuerit Chriſti adventus. *Sed fides per dilectionem operans.* Ceremoniis opponit aliod exercitium, charitatis ſcilicet: ne Judæi nimium ſibi placeant, quaſi aliqua præſtantia emioeant: nam circa finem Epiſtolæ pro boc membro ponet, Novam creaturam. Perinde igitur eſt acſi dixiſſet, Deum nolle in ceremoniis hodie nos occupari: ſed ſatis eſſe ſi in charitate nos exerceamus. Interim tamen non excludit noſtra Sacramenta, quæ fidei adminicula ſunt: ſed breviter confirmat quod attigerat de ſpirituali Dei cultu. Locus hic nihil habet difficultatis: niſi eum calumnioſe torquerent Papiſtæ ad juſtitiam operum adſtruendam. nam quum refellere iſtud noſtrum volunt, Sola fide nos juſtificari, hoc telum arripiunt, Si ea demum fides juſtificat quæ per charitatem operatur: non igitur, inquiunt, ſola juſtificat. Reſpondeo, ipſos non intelligere quid garriant: multo minus quid tradamus. neque eoim fidem quæ juſtificat, docemus ſolam eſſe: ſed bonis operibus perpetuo conjunctam eſſe aſſerimus: tantum contendimus ad juſtificandum ſolam valere. Papiſtæ ipſi carnificum inſtar, fidem miſere lacerant, quum nunc informem faciunt & charitate vacuam, nunc formatam. nos autem veram fidem negamus à Spiritu regenerationis poſſe divelli: ſed quum de juſtificationis cauſa agitur, tunc excludimus omnia opera. Quantum ad præſentem locum attinet, Paulus nequaquam diſputat an charitas ad juſtificandum cooperetur fidei, ſed tantum indicat quæ nunc ſint vera fidelium exercitia: ne Chriſtianos videatur otioſos facere, & quaſi truncis ſimiles. Ergo quum verſaris in cauſa juſtificationis, cave ullam charitatis vel operum mentionem admittas: ſed mordicus retine particulam excluſivam. Quod autem hic Paulus de juſtificatione non tractet, nec ejus laudem charitati ex parte aſſignet, inde evincere promptum eſt, quod eodem argumento ſequeretur, Circumciſionem & ceremonias olim juſtificaſſe. Nam ſicuti in Chriſto Jeſu fidem cum charitate commendat: ita ante Chriſti adventum requirebantur ceremoniæ. Verum id nihil ad promerendam juſtitiam, Papiſtis etiam ipſis concedentibus. ergo neque id de charitate ſentiendum.

7. Currebatis bene, quis vos impedivit ne obediretis veritati?
8. Perſuaſio non eſt ex eo qui vocavit vos.
9. Modicum fermentum totam maſſam fermentat.
10. Ego perſuaſus ſum de vobis in Domino, quod non aliud ſitis ſenſuri: qui autem turbat vos, portabit judicium, quiſquis ſit.
11. Ego autem, fratres, ſi Circumciſionem adhuc prædicem, quid adhuc perſequutionem patior? exinanitum eſt ſcandalum crucis.
12. Utinam etiam abſcindantur qui vos conturbant.

7. *Currebatis bene.*] Exprobrationem præſentis defectionis conſulto ſuperioris curſus laudi miſcet, ut pudore ſuffuſi alacrius ſe in viam recipiant. Admirationis eſt quod interrogat quiſnam eos abduxerit à recto curſu: quo plus incutiat verecundiæ. Verbum πείθεσθαι, iterum Obedire potius vertendum cenſui, quam credere: quia jam ſemel Euangelii puritatem amplexi, ab obſequio abducti erant.

8. *Perſuaſio non ex eo.*] Ante pugnavit rationibus: nunc ad extremum auctoritate agit, quum exclamat, perſuaſionem aliunde profectam quam à Deo. hæc enim admonitio non ita multum haberet momenti, niſi perſonæ auctoritate fulta. Sed Paulus jure ſuo tam confidenter loqui poterat apud Galatas, qui præco illis fuerat divinæ vocationis. ideo non nominat Deum, ſed periphraſi deſignat: acſi diceret, Deus minime ſecum pugnat: is eſt qui mea prædicatione vos in ſalutem vocavit. Aliunde igitur nova hæc perſuaſio profecta eſt. ideo ſi vultis ratam eſſe Dei vocationem, cavete ne iſtis aurem præbeatis, qui nova commenta vobis ingerunt. Etſi autem Græci participii tempus fateor eſſe præſens: quia tamen indefinite accipitur, vertere placuit, *qui vos vocavit*, tollendæ amphiboliæ cauſa.

9. *Modicum fermentum.*] Ego ad doctrinam refero, non ad homines. admonet enim quam pernicioſa res ſit doctrinæ corruptio: ne quaſi rem nullius aut non magni periculi (ut fieri ſolet) negligant. Nam hoc cuniculo Satan obrepit, quod non palam labefactat totam doctrinam, ſed ejus puritatem inficit falſis & adulterinis opinionibus. multi quia mali gravitatem non animadvertunt, minus vehementes ſunt in reſiſtendo. Ergo hic Apoſtolus reclamat, nihil jam manere ſalvi poſtquam vitiata eſt Dei veritas. ac ſimilitudine fermenti utitur, quod etiamſi exiguum ſit, acorem ſuum transfundit in totam maſſam. Sollicite ergo cavendum ne quid puræ Euangelii doctrinæ affingi ſinamus.

10. *Ego perſuaſus ſum.*] Rurſus totam aſperitatem derivat in pſeudoapoſtolos. illos cauſam mali eſſe dicit, illis pœnam minatur: de Galatis ſe bene ſperare commemorat, quod cito & facile redituri ſint in verum conſenſum. Illud enim animum addit, quum audimus bene de nobis ſperari. nam turpe ducimus, eorum fallere opinionem qui candide & amice de nobis ſentiunt. Quia autem Dei opus erat, Galatas reducere in puram fidei doctrinam à qua deflexerant, dicit ſe in Domino ſperare: quo admonet, cæleſte donum eſſe reſipiſcentiam, ut ipſi quoque idem à Deo poſtulent. *Qui autem turbat vos.* Confirmatio eſt proximæ ſententiæ, quia oblique magnam culpæ partem transſcribit in illos impoſtores à quibus deluſi fuerant Galatæ. quam enim vindictam illis denunciat, ab ea Galatas fere eximit. Cæterum audiant quicunque occaſionem turbarum præbent Eccleſiis, qui fidei unitatem ſolvunt, qui concordiam labefactant: & ſi quid habent recti ſenſus, expaveſcant ad hanc vocem. Pronunciat enim Deus per os Pauli, nullos talium ſcandalorum auctores inultos fore. Particula *quiſquis ſit*, emphaſin habet. nam quia ſua magniloquentia rude vulgus territabant pſeudoapoſtoli, oportuit Paulum exadverſo ita magnifice efferre ſuam doctrinam, ut nemini parceret qui auderet contra hiſcere, quocunque alioqui titulo eſſet inſignis.

11. *Ego autem, fratres.*] Argumentum à cauſa finali. Liceret, inquit, mihi vitare odia hominum, pericula, perſequutiones: ſi tantum ceremonias vellem Chriſto miſcere. quod igitur de hac re tantopere pugno in contrarium, non facio mea cauſa, nec meo commodo. Sed an propterea ſequitur verum eſſe quod docet? Reſpondeo, rectum affectum & puram conſcientiam doctoris non parum valere ad faciendam fidem. deinde non eſt credibile, tam inſanum eſſe hominem ut ſibi malum ſponte accerſat. poſtremo ſuſpectos reddit adverſarios, quod Circumciſionem

nem prædicando, ſuæ potius tranquillitati conſulant, quam fideliter ſerviant Chriſto. Summa eſt, Paulum ab omni ambitione, avaritia, ſui denique reſpectu abhorruiſſe, quum favorem plauſumque contemneret: perſequutionibus vero & multorum furori ſe objiceret, potius quam minimum unguem deflecteret ab Euangelii puritate. *Exinanitum eſt ſcandalum crucis.* Libenter Euangelium Paulus crucem nominat, vel ſermonem crucis, dum abjectam ejus ſimplicitatem vult opponere ampullis humanæ ſapientiæ vel juſtitiæ. nam & Judæi prava juſtitiæ confidentia, & Græci ſtulta ſapientiæ perſuaſione inflati, Euangelii humilitatem deſpiciebant. Quum ergo dicit nunc, recepta Circumciſionis prædicatione, nullum amplius fore ſcandalum crucis, intelligit nullam ſibi moleſtiam exhibitum iri à Judæis, ſed bona eorum pace ſibi docendi fore locum: quia amplius eos non offendet, fucatum illud & adulteratum Euangelium compoſitum ex Moſe & Chriſto: ſed ejuſmodi miſtura tolerabilis ipſis erit, quia in priſtinæ dignitatis poſſeſſione manebunt.

12. *Utinam etiam abſcindantur.*] Ultra provehitur indignatione: nam exitium imprecatur impoſtoribus illis à quibus decepti fuerant Galatæ. Videtur autem alludere ad Circumciſionem quam urgebant, quum dicit, Abſcindantur. In quam ſententiam inclinat Chryſoſtomus: acſi diceret, Lacerant Eccleſiam Circumciſionis cauſa, velim eos prorſus abſcindi. Sed talis imprecatio videtur parum congruere manſuetudini Apoſtolicæ. nam ut ſalvi ſint omnes optandum eſt: non ergo ut quiſquam pereat. Reſpondeo, id verum eſſe dum homines reſpicimus: nam omnium ſalus ſine exceptione nobis à Deo commendatur; quemadmodum pro peccatis totius mundi paſſus eſt Chriſtus: ſed fit interdum ut piæ mentes extra hominum conſiderationem efferantur: dum ſcilicet intuentur Dei gloriam & Chriſti regnum. Nam quanto præſtantior eſt Dei gloria hominum ſalute, tanto in ſui amorem altius rapere nos debet: ita fit ut in gloriam Dei promovendam intenti fideles, mundi & hominum obliviſcantur: ideoque malint totum mundum interire, quam decedere aliquid gloriæ Dei. Sed meminerimus votum inde illud manare, quod averſi à cogitatione hominum, defixi ſunt in ſolum Deum. Ita crudelitatis damnari non poteſt, quaſi pugnet cum charitate: deinde ſi cum uno homine vel paucis comparamus Eccleſiam, quanto intervallo hæc præponderabit? Crudelis enim miſericordia, quæ hominem unum toti Eccleſiæ præfert. video ab una parte gregem Domini qui periclitatur: video e regione lupum, Satanæ inſtinctu graſſantem: annon Eccleſiæ cura ſic abſorbere totam meam cogitationem debet, ut ejus ſalutem lupi exitio redimi cupiam? Neque tamen hoc modo quenquam velim perditum: ſed Eccleſiæ amor & ſollicitudo me rapit quaſi in ecſtaſin, ut nihil aliud curem. Nemo igitur verus erit Eccleſiæ Paſtor, qui non ſimili zelo ardeat. Ubi tranſtuli, *Qui vos conturbant*, verbum Græcum, De gradu vel ſtatu dimovere ſignificat: amplificandi vero cauſa interpoſuit, Etiam, cupiens non ſolum eos loco dejici, ſed prorſus abſcindi & reſecari.

13. Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carni: ſed per charitatem ſervite vobis invicem.

14. Nam tota Lex in uno verbo completur, nempe hoc, Diliges próximum tuum ſicut teipſum.

15. Quod ſi alius alium viciſſim mordetis & devoratis, videte ne viciſſim alius ab alio conſumamini.

16. Dico autem, Spiritu ambulate: & concupiſcentiam carnis non perficietis.

17. Nam caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem. hæc mutuo inter ſe adverſantur: ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.

18. Quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.

13. *Vos in libertatem.*] Nunc admonet qualiter libertate ſit utendum. Docuimus in priore ad Corinthios, aliud eſſe libertatem, aliud ipſius uſum. nam libertas in conſcientia eſt, Deumque reſpicit: uſus autem eſt in rebus externis, & negotium habet cum hominibus, non cum ſolo Deo. Poſtquam ergo hortatus eſt Galatas ne paterentur quicquam delibari ex ſua libertate, nunc jubet in uſu moderatos eſſe. Regulam porro legitimi uſus præſcribit, ne in prætextum, vel occaſionem licentiæ vertatur. Neque enim carni data eſt libertas, quæ potius ſub jugo teneri captiva debet: ſed ſpirituale eſt bonum, cujus tantum piæ mentes ſunt capaces. *Sed per charitatem.* Exponit rationem temperandæ libertatis, ne in vagum & licentioſum abuſum diffluat: nempe ſi regatur à charitate. Meminerimus ſemper, nunc ipſum tractare, non quomodo ſimus coram Deo liberi, ſed quomodo uſurpare libertatem noſtram liceat inter homines: nam conſcientia recta non admittit ullam ſervitutem: ſed uſus externi ſervitii vel abſtinentia nihil habet periculi. Summa igitur eſt, ſi charitate ſerviamus nobis invicem, nos ædificationis rationem ſemper habituros: ita fiet ut non laſciviamus, ſed gratia Dei utamur in ejus honorem, & ſalutem proximorum.

14. *Nam tota Lex.*] Subaudienda eſt tacita antitheſis inter hanc Pauli exhortationem & doctrinam pſeudoapoſtolorum: nam quum illi ſolis ceremoniis inſiſterent, Paulus hic obiter perſtringit quæ ſint vera Chriſtianorum officia & exercitia. Huc igitur ſpectat præſens charitatis commendatio, ut intelligant Galatæ præcipuum Chriſtianæ perfectionis caput in ea ſitum eſſe. Sed videndum eſt cur omnia Legis præcepta ſub charitate comprehendat: quum Lex conſtet duabus tabulis, quarum prior docet de cultu Dei & pietatis officiis: altera autem, de charitate: nam abſurdum eſt ex parte totum facere. Quidam ita effugiunt, nihil aliud etiam in priore tabula tradi, quam ut Deum diligamus ex toto corde. verum diſerte Paulus exprimit charitatem erga proximos: quærenda igitur alia firmior ſolutio. Fateor pietatem erga Deum, fratrum charitati præſtare: ideoque prioris tabulæ obſervationem pluris fieri coram Deo quam ſecundæ. Sed pietas res eſt ab hominum ſenſu abſcondita: ſicuti Deus ipſe eſt inviſibilis. ad eam teſtificandam quamvis inſtitutæ ſint ceremoniæ, non tamen certa ſunt argumenta: nam ſæpe fit ut nulli ſint magis ſtrenui & aſſidui ceremoniarum cultores quam hypocritæ. Deus ergo experimentum noſtri erga ſe affectus capere vult ex fraterna charitate, quam mutuo nobis commendat. Hæc ratio eſt cur charitas vocetur Legis perfectio, non hic tantum, ſed etiam ad Roman. 13. v. 8. non quia antecellat cultum Dei, ſed quia ſit ejus approbatio. Jam dixi Deum eſſe inviſibilem: ſe autem nobis repræſentat in fratribus, & in illorum perſona quod ſibi debetur exigit. Ergo charitas erga homines nonniſi ex timore & amore Dei naſcitur. quare non mirum ſi effectus per ſynecdochen, cauſam cujus ſignum eſt, ſub ſe comprehendat. Perperam vero faciet ſi quis Dei amorem ſeparet ab hominum dilectione. *Diliges proximum.* Nam qui diliget, unicuique

jus

Digitized by Google

jus ſuum reddet, nemini erit injurius aut nocebit, benefaciet quoad poterit omnibus. quid autem aliud tota ſecunda tabula agitur? atque hanc quoque rationem affert Paulus ad Romanos. Porro ſub nomine Proximi comprehenduntur univerſi mortales: jungit enim nos communis natura: quemadmodum ad-
Jeſa. 58. monet Jeſaias, Carnem tuam ne deſpexeris. Præ-
verſ. 7. ſertim vero imago Dei, vinculum conjunctionis ſacroſanctum eſſe debet. itaque hic amici & inimici diſcrimen non eſt: neque enim hominum improbitas jus naturæ delere poteſt. Particula *ſicut teipſum*, hoc valet, quemadmodum quiſque affectu carnis propenſus eſt ad ſe amandum, ita nobis commendari à Deo amorem erga proximos. Evertunt enim, non interpretantur verba Domini, qui inde colligunt (ut faciunt omnes Sorbonici) amorem noſtri ſemper ordine priorem eſſe. quia regulatum inferius ſit ſua regula. Aſini ſunt, qui ne micam quidem habent charitatis. nam ſi amor noſtri regula eſſet, ſequeretur, eſſe rectum & ſanctum, Deoque approbari: atqui nunquam ſincere & ex ſententia Domini, proximos diligemus, donec correxerimus illum noſtri amorem. ſunt enim affectus contrarii & pugnantes: quum amor noſtri generet aliorum tam neglectum quam contemptum, generet crudelitatem, fons ſit avaritiæ, rapinarum, fraudium, & omnium ejuſmodi peſtium, ad impatientiam nos impellat, armet nos ulciſcendi cupiditate. Ergo hoc requirit Dominus, ut vertatur in charitatem.

15. *Quod ſi alius alium.*] Conjicere tum ex re ipſa, tum ex verbis licet, certatum fuiſſe inter Galatas contentionibus, quum in doctrina diſſiderent. ab exitu nunc demonſtrat quam exitiale malum ſit in Eccleſia. Deinde veriſimile eſt, Dominum per falſas doctrinas ultum fuiſſe ambitionem, faſtum, & alia eorum vitia: quemadmodum ſolet, ac etiam teſtatur per Moſem Deut. 13. v. 2. Per *morſus* & *devorationem* intelligit, meo judicio, tam hoſtiles calumnias, criminationes, convitia, & reliqua certamina verborum, quam injurias quæ vel fraude vel violentia inferuntur. Quis tandem finis? *Conſumptio*, inquit: at vero proprium charitatis eſt, nos mutuo tueri & fovere. Utinam iſtud ſemper occurreret, quoties diabolus nos ad contentiones ſollicitat, ex inteſtinis ſcilicet membrorum diſſidiis non poſſe aliud provenire quam totius corporis exitium & conſumptionem. Quam miſerum autem ac inſanum eſt, ſponte nos, qui ejuſdem ſumus corporis membra, in mutuam perniciem conſpirare?

16. *Dico autem, Spiritu ambulate.*] Sequitur remedium. non leve malum eſt ruina Eccleſiæ: ſedulo igitur, dum impendet, obviandum eſt. Sed ratio quæ? nempe ſi caro non dominetur in nobis: ſed Spiritu Dei nos regendos præbeamus. Subindicat autem carnales eſſe Galatas, & Spiritu Dei vacuos, qui vitam Chriſtianis indignam agant: unde enim fiebat ut ſe invicem conficerent, niſi quia pro carnis libidine agebantur? Hoc igitur ſignum eſſe dicit, quod ſecundum Spiritum non ambulent. Notandum verbum *perficiendi*, quo ſignificat Dei filios, quamvis adhuc vitiis obnoxii ſint quamdiu carnis onere gravantur, non eſſe prorſus illis addictos nec mancipatos, ſed ad reſiſtendum eniti: neque enim ſpiritualis homo immunis eſt à cupiditatibus carnis, quin ſæpe ab illis incitetur: ſed non ſuccumbit ut regnum illis permittat, quod eſt eas perficere. Vide octavum caput ad Romanos.

17. *Caro concupiſcit adverſus.*] Admonet eos difficultatis, ut ſciant non abſque certamine ſpiritualiter ſe victuros. difficultas inde eſt, quod ingenium noſtrum ſpiritui repugnat. Siquidem Carnis nomine, hominis naturam ſignificari diximus in Epiſtola ad Romanos: nam quod ſophiſtæ reſtringunt ad ſenſus inferiores, quos vocant, refellitur ex multis locis: & antithetum omnem ambiguitatem tollit. Spiritus enim naturam reformatam, vel gratiam regenerationis ſignificat. quid igitur aliud Caro quam vetus homo? Quum itaque tota hominis natura rebellis ſit ac contumax adverſus Dei Spiritum, ſudandum eſt ac ſerio pugnandum, viſque nobis inferenda ut Spiritui obſequamur. quare incipiendum à noſtri abnegatione. Hic videmus quo encomio Dominus ingenium noſtrum ornet, quod ſcilicet nihilo melius illi cum rectitudine conveniat, quam igni cum aqua. Nunc quæ in libero arbitrio gutta boni reperietur? niſi bonum forte vocetur quod Dei Spiritui contrarium eſt: hoc eſt quod dicit ad Rom. 8. v. 7. Cogitationes carnis omnes, inimicitias eſſe adverſus Deum. *Ut non quæcunque volueritis.* Hoc proculdubio ad regeneratos ſpectat. Carnalibus enim nihil eſt pugnæ cum pravis cupiditatibus: nullum rectum deſiderium quo aſpirent ad Dei juſtitiam. Et fideles alloquitur Paulus: ideo iſtud Velle, non de inclinatione naturæ, ſed ſanctis affectibus intelligendum, quos nobis ſua gratia Deus inſpirat. Pronunciat itaque Paulus, fideles, quantumcunque nitantur, non tamen euſque eluctari quamdiu ſunt in hac vita, ut perfecte Deo ſerviant. Volunt quidem & cupiunt, ſed non reſpondet plenus effectus. quod argumentum fuſius tractatur ad Romanos cap. 7. v. 15.

18. *Si Spiritu ducimini.*] Quum fideles claudicent ambulando in via Domini: ne deficiant animis propterea quod Legi ſatisfacere nequeunt, opus habent conſolatione qualem hic audiunt quum dicit Paulus, *eos non eſſe ſub Lege*: quam adhibet etiam ad Rom. 6. v. 14. Inde enim ſequitur, illis non imputari quod adhuc deeſt: ſed perinde accepta eſſe Deo eorum officia, acſi plena & abſoluta omnibus numeris forent. Cæterum proſequitur hic quoque inſtitutam diſputationem de libertate. hic eſt enim Spiritus quem prius vocavit adoptionis: qui quum liberos faciat homines, manumittit eos à jugo Legis. Perinde igitur eſt acſi diceret, Vultis ſemel finire illas controverſias quæ vos exercent? ambulate ſecundum Spiritum: nam tunc ſoluti eritis à Legis imperio: quia Lex erit tantum liberalis doctrina quæ vos admoneat: conſcientias veſtras non tenebit amplius obſtrictas. Porro ſublato Legis reatu, libertas à ceremoniis ſequitur: quæ ſunt ſervilis conditionis ſymbola.

19. Manifeſta vero ſunt opera carnis, quæ ſunt, adulterium, ſcortatio, immunditia, laſcivia,

20. Idololatria, veneficium, inimicitiæ, contentio, æmulationes, iræ, concertationes, ſeditiones, hæreſes,

21. Invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: de quibus prædico vobis quemadmodum & prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei hæreditate non poſſidebunt.

19. *Manifeſta vero ſunt opera.*] Quoniam in ſumma ſcopum propoſuit Chriſtianis, quo intendere debeant, ut Spiritui obediant, reſiſtant carni: nunc tam carnis quam Spiritus imaginem nobis depingit. Si ſe homines cognoſcerent, non indigerent hac declaratione: quia nihil ſunt quam caro: ſed, quæ nobis ingenita eſt hypocriſis, non cernimus noſtram fœditatem, donec à fructibus arbor pateſiat. Nunc ergo admonet Apoſtolus, adverſus quæ vitia militandum ſit nobis, ne vivamus ſecundum carnem.

Non enumerat quidem omnia, idque in fine ſignificat: ſed ex iis quæ recenſet, facile eſt reliqua colligere. *Adulterium* & *ſcortationem* ponit primo loco: deinde nominat *immunditiem*, quæ ad omnes impudicitiæ partes extenditur. *Laſcivia* eſt tanquam inſtrumentum: nam qoi petulanter ac diſſolute ſe gerunt, illos Græci vocant ἀσελγεῖς. bæc quatuor ad unum Impudicitiæ caput referuntur. Subjungit *idolorum cultum:* qui bic accipitur pro craſſis ſuperſtitionihus, quæ ante oculos hominum patent. Septem ſpecies quæ proxime ſequuntur, inter ſe ſunt cognatæ: quibus aliæ poſtea duæ accedunt. *Iram* & *inimicitias* nominat: quæ præcipue in hoc differunt, quod ira, brevis eſt; odium diuturnum. *Æmulationes* & *invidiæ*, odii cauſæ ſont. Porro inter æmulationem & invidiam ſic Atiſtoteles diſtinguit ſecundo Rhetoricorum, quod æmulatur qui dolet alium ſibi præſtare: non quia eum male babeat illius virtus aut excellentia, ſed quoniam ſuperior eſſe optaret. invidet autem non qui cupit excellere, ſed qui uritur aliorum præſtantia. ideo vilium & abjectorum hominum invidiam eſſe docet, altis & heroicis pectoribus æmulationem tribuit. Paulus utrumque mothum, carnis eſſe pronunciat. ex ira quoque & odio naſcuntur contentiones, certamina, tumultus. tandem ad homicidia & veneficia deſcenditur. Per *comeſſationes*, victum diſſolutum & quamvis gulæ intemperiem ſignificat. Obſervandum quod *hæreſes* recenſet inter opera carnis. nam inde colligimus, *Carnis* vocabulum latius quam ad ſenſualitatem, quam fingunt ſopbiſtæ, extendi. Quid enim hæreſes gignit niſi ambitio, quæ præcipuam mentis ſedem occupat, in craſſo ſenſu non ſubſidet? Hæc dicit eſſe manifeſta, nequis tergiverſando putet ſe quicquam profecturum. quid enim negare juvat carnem in nobis dominari, ſi fructus arborem prodant?

21. *De quibus prædico.*] Hac tam ſevera denunciatione non modo terrere voluit Galatas, ſed etiam oblique perſtringere pſeudoapoſtolos, qui poſthabita iſta longe utiliori doctrina, de ceremoniis litigarent. Simul tamen ſuo exemplo nos docet in iſtas exbortationes & minas inſiſtere, juxta illud, Clama, ne ceſſes: annuncia populo meo ſcelera. Quid autem magis horrendum dici poteſt, quam dum exterminantur à regno Dei quicunque ſecundum carnem ambulant? quis audeat jam levia imaginari hæc vitia, quæ Deus tantopere abominatur? Verum ita præcidi omnibus videtur ſpes ſalutis. nam quotuſquiſque eſt qui non iſtorum vitiorum aliquo laboret? Reſpondeo, Paulum non omnibus qui peccaverint, minari abdicationem à regno Dei, ſed qui tales manent abſque pœnitentia. Sancti quoque interdum graviter laborant, ſed in viam redeunt. non ergo in hoc catalogo cenſentur: quia non ſibi indulgent. Denique omnes divini judicii minæ ad reſipiſcentiam nos vocant, cui ſemper apud Deum parata eſt venia: ſed in teſtimonium nobis ceſſuræ ſunt, ſi manemus obſtinati. Pro verbo *poſſidendi*, apud Paulum eſt κληρονομεῖν, quod eſt hæreditario jure conſequi. Neque enim alio quam adoptionis jure, vitam æternam obtinemus: ut alibi viſum eſt. Jeſa. 58. verſ. 1.

22. Fructus vero Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, tolerantia, comitas, benignitas, fides,

23. Manſuetudo, temperantia. adverſus ejuſmodi non eſt Lex.

24. Qui autem Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.

25. Si vivimus Spiritu, etiam ambulemus.

26. Ne ſimus inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

22. *Fructus vero.*] Sicuti prius totam hominis naturam damnavit, quia nullos niſi vitioſos ac reprobos fructus proferat: ita nunc omnes virtutes, honeſtos & bene compoſitos affectus à Spiritu prodire docet: hoc eſt, à gratia Dei & renovatione quam habemus à Chriſto. Perinde igitur eſt acſi dixiſſet, Nihil ab homine niſi malum, nihil boni niſi à Spiritu ſancto. Tametſi enim ſæpe in hominibus non regenitis extiterunt illuſtria manſuetudinis, fidei, temperantiæ, liberalitatis exempla: certum eſt tamen, fallaces duntaxat fuiſſe larvas. eſt præclara quædam virtus in Curio, in Fabricio, in Catone temperantia, in Scipione comitas & liberalitas, in Fabio tolerantia: ſed in bominum conſpectu modo, ſed civili tantum æſtimatione: apud Deum vero nihil purum, niſi ex fonte omnis puritatis. *Gaudium* hic accipio, non ut 14. v. 17. ad Romanos, ſed pro bilaritate quam ergà proximos exhibemus, quæ ſit moroſitati contraria. ſic & *fidem* pro veritate, ut opponatur aſtutiis & fraudibus & mendacio. *Pacem* oppono rixis & contentionibus. *Tolerantia* eſt animi manſuetudo, qua fit ut omnia boni conſulamus, non ſimus ſtatim irritabiles. reliqua clara ſunt: nam fructus deſcribit unde pateſiat qualis ſit cujuſque animus. Quid ergo, dicet quiſpiam, de impiis & idololatris judicii fiet, qui eximia virtutum ſpecie enituerunt? nam ab operibus ſpirituales apparent. Reſpondeo, quemadmodum non omnia carnis opera in homine carnali conſpicua ſunt, ſed carnales ſe eſſe produnt hoc vel illo vitio: ita non æſtimandum eſſe hominem ſpiritualem ab una virtute: nam interea perſpicuum fiet ex aliis vitiis, carnem in illo dominari. quod de omnibus illis quos nominavi, promptum eſt videre.

23. *Adverſus ejuſmodi.*] Quidam intelligunt ſimpliciter, Legem adverſus bona opera non eſſe latam: quia ex malis moribus natæ ſint bonæ leges. ſed Paulus altiore & magis recondito ſenſu hoc dicit: nempe quod ubi regit Spiritus, Lex non habeat amplius imperium. nam Dominus corda noſtra formando in ſuam juſtitiam, liberat nos à Legis rigore, ut non agat nobiſcum ex ejus pacto, nec conſcientias noſtras ſub reatu teneat. Lex interea officium ſuum facere non deſinit, docendo & exhortando: ſed Spiritus adoptionis à ſubjectione liberat. atque ita pſeudoapoſtolos ſubſannat, qui Legis ſubjectionem urgendo, non magis ad ſolvendum ejus jugum tendebant: quod fieri docet Paulus, dum imperium Spiritus Dei obtinet: unde ſequitur, nullam ſpiritualis juſtitiæ illis fuiſſe curam.

24. *Qui autem Chriſti ſunt.*] Hoc addit ut oſtendat libertatem pertinere ad omnes Chriſtianos, quia renunciaverint carni. Cæterum monet Galatas quis verus ſit Chriſtianiſmus quod ad vitam: ut ne falſo profiteantur ſe Chriſtianos. Verbo *crucifigendi* uſus eſt, ut notaret mortificationem carnis eſſe crucis Chriſti effectum. neque enim proprium hoc eſt hominis opus, ſed inſerimur Dei gratia in ſocietatem mortis Chriſti, ut nobis amplius non vivamus, Rom. 6. verſ. 5. Tum ergo filiorum Dei privilegio fruemur, ſi conſepulti cum Chriſto ſimus vera noſtri abnegatione, & veteris hominis interitu. non quia penitus adhuc interierit caro, ſed quia regnum exercere non debeat: quin potius Spiritui cedere. *Caro & concupiſcentiæ* ejus, pro radice & fructibus: Caro enim ipſa eſt naturæ corruptæ vitioſitas, unde mala omnia prodeunt. jam apparet injuriam fieri Chriſti membris, ſi Legi adhuc manci-

pantur, à qua ſoluti ſunt quicunque Spiritu ejus ſunt regeniti.

25. *Si vivimus Spiritu.*] Jam more ſuo Paulus ex doctrina elicit exbortationem. mors carnis eſt vita ſpiritus, quod Spiritus Dei in nobis vivit, actiones omnes gubernet. Nam ſemper multi erunt qui impudeoter jactent ſe vivere Spiritu: ſed Paulus eos revocat à verbis ad rei probationem. Quemadmodum enim anima non vivit otioſa in corpore, ſed motum & vigorem membris & partibus ſingulis diſtribuit: ita nec Spiritus Dei in nobis eſſe poteſt, quin exerat ſe per externos effectus. Ergo per vitam, interior vis: per inceſſum, externæ actiones hic intelliguntur. Nam hoc vult Paulus, opera eſſe teſtimonia ſpiritualis vitæ. uſitata eſt metaphora in verbo *ambulandi*.

26. *Ne ſimus inanis gloriæ.*] Speciales exhortationes quæ Galatis erant neceſſariæ: ſed non minus etiam noſtro tempori congruunt. Multorum malorum cum in tota hominum ſocietate, tum præſertim in Eccleſia, mater eſt ambitio. eam itaque cavendam docet. Nam κενοδοξία, nihil aliud eſt Paulo quam φιλοτιμία, hoc eſt, cupiditas bonoris: ubi quiſque cupit præter cæteros eminere. Tametſi enim profani Philoſophi non quamvis gloriæ appetentiam damnant: tamen ioter Chriſtianos quiſquis gloriæ cupidus eſt, quia diſcedit à vera gloria, merito inanis & præpoſteræ ambitionis damnatur. Neque enim fas eſt nobis, niſi in ſolo Deo gloriari. extra Deum mera ſemper vanitas. provocationes mutuæ & invidentiæ ſunt filiæ ambitionis. Nam qui ad ſummum gradum aſpirat, neceſſe eſt ut invideat reliquis. inde obtrectationes, morſus, punctiones.

Cap. VI.

FRatres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapſu, vos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate ejuſmodi hominem ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne tu quoque tenteris.

2. Alii aliorum onera portate; & ſic adimplete Legem Chriſti.

3. Nam ſi quis putat ſe eſſe aliquid, quum nihil ſit, ſeipſum decipit.

4. Opus autem ſuum probet unuſquiſque: & tunc in ſeipſo ſolo gloriam habebit, non autem in alio.

5. Quiſque enim proprium onus portabit.

1. *Etiamſi præoccupatus.*] Quemadmodum in primis noxioſa eſt peſtis, ambiiin: ita etiam non raro plurimum nocet importunus & nimius rigor, qui honeſto quidem zeli colore tegitur, ſed ex ſuperbia ſæpe, fratrumque faſtidio & contemptu naſcitur. Nam plerique, quaſi inſultandi materiam nacti ex fratrum delictis, illos contumelioſe vexant & atrociter. id fit quia eaprobrationi magis quam correctioni ſtudent. Redarguendi quidem ſunt qui peccarunt: & ſeveritate acrimoniaque ſæpe opus eſt. Ad importunitatem igitur uſque, reprehenſionibus inſiſtere convenit: ſed oleo tamen acetum temperandum. Ergo hic in corrigendis fratrum delictis lenitatem adhibendam eſſe docet: ac illas demum pias & Chriſtianas objurgatinnes eſſe, quæ maoſuetudinem reſipiant. Quo id facilius impetret, quis piarum reprehenſionum ſit finis, oſtendit: nempe inſtaurare lapſum, boc eſt, in integrum reſtituere. Id nunquam fier violentia, nec accuſatorio ſpiritu, nec truculentia aut vultus aut verborum. reliquum eſt ut ſpiritum afferamus placidum & manſuetum, ſi quidem fratri mederi propoſitum eſt. ac ne quis manſuetudinem geſtu duntaxat præ ſe ferat, ſpiritum requirit. quo ſignificat, eos demum fratribus caſtigandis aptos eſſe, qui ad lenitatem aoimis ſunt compoſiti. Altero argumento lenitatem in corrigendis fratribus commendat, quum dicit, Si præoccupatus. nam qui imprudentia lapſi ſunt, vel aſtu circumventi, eos durius inſectari, inbumanum eſt. Atqui ſcimus diabolum ſemper intentum eſſe inſidiis: & nos mille modis ab eo circumveniri. quum ergo ex fratribus quempiam videmus lapſum, cogitemus in Satanæ laqueos incidiſſe: ac miſericordia tangamur, ſimuſque eo ad ignoſcendum propenſiores. Cæterum non dubium eſt quin delicta vel lapſus ab inteſtinis ſceleribus diſcernat, quæ conjuncta ſunt cum deliberato & obſtinato Dei contemptu. Talis nequitia & malitioſa adverſus Deum conſpiratio ſeverius excipienda eſt. quis enim illic lenitatis profectus? Particula tamen quæ inſeritur, *Etiam*, tantundem valet acſi veniam dari juberet non modo infirmis qui tentari fuerint, ſed qui tentationi ſuccubuerint. *Vos qui ſpirituales.* Non loquitur ironice, ſed utcunque ſpirituales ſint, non tamen penitus Spiritu ſunt referti. talium officium eſt erigere lapſos. quorſum enim excellunt, niſi in fratrum ſalutem? nam certe quo quiſque ampliore gratia præditus eſt, eo magis obſtrictus eſt minoribus, ut ſe impendat in eorum ædificatinnem. ſed quia tam ſumus præpoſteri, ut etiam in optimis officiis erremus: ideo admonet ne quid carnis admiſceant. *Conſiderans teipſum.* Non temere numerum mutavit. nam efficacior eſt admonitio, dum ſigillatim uoumquemque appellat, jubetque in ſeipſum deſcendere. Tu qoiſquis es, ioquit, qui cenſorem agis in alios, te quoque reſpice. nihil enim difficilius quam nos adducere ad propriæ infirmitatis recognitionem vel examen. Quum ſimus in notandis aliorum vitiis pluſquam acuti: quod ad noſtra, non videmus manticæ quod in tergo eſt, ut inquit ille. itaque quo acrius ſtimulet, ſingulari numero utitur. Duplex autem poteſt eſſe ſeoſus. nam quum agnoſcimus nos peccatis obnoxios, veniam quam volumus dari, viciſſim libentius aliis damus. Ideo quidam ſic accipiunt Pauli verba, Ne immitem vel inexorabilem aliis te præbeas, qui peccator ipſe es, & fratrum miſericordia eges. Mihi tamen altera expoſitio non minus placet: ut Paulus cavere præcipiat ne alios corrigendo, ipſi peccemus. Eſt eoim periculum quod ſummopere cavendum eſt, & difficulter tamen cavetur: quia nihil proclivius quam modum excedere. quanquam nihil obſtat quominus tentationem accipias in præſenti cauſa, & ad totam vitam extendas. Meminerimus ergo à nobis incipere, quoties agenda eſt de vitiis cenſura: ut infirmitatis noſtræ memores, erga alios ſimus moderati.

2. *Alii aliorum onera portate.*] Valde appoſita eſt loquutio ad bumanitatis commendationem, quum infirmitates vel vitia quibus laboramus, vocat Onera. Natura enim nobis dictat, ſublevandos eſſe qui oneri ſuccumbunt. Portare autem ooera jubet, non ut indulgentia aut diſſimulatione foveamus mala quibus premuntur fratres, ſed potius ut illos exoneremus. id fit amicis & placidis correctionibus. Plurimi enim ſunt adulteri, qui libenter Chriſtum facerent lenonem: fures, qui libenter facerent eum receptatorem: omnium denique generum improbi & ſcelerati, qui libenter eum patronum facerent: omnes fidelium humeris ferenda imponere vellent ſua onera. Verum quum tolerantiam inſtaurationi vel reparationi ſubjiciat, nemo eſt qui non videat qualem requirat à Chriſtianis. *Adimplete Legem*

Chriſti.

Chriſti. Nomen Legis dum Chriſto aptatur, circumſtantiæ argumenti ſervit. Nam ſubeſt antitheſis inter Chriſti Legem & Moſis: acſi diceret, Si vobis cordi eſt obſervare Legem: ecce, Chriſtus legem vobis præſcribit, quam merito aliis omnibus præferre decet: nempe ut mutuam humanitatem colamus inter nos. Nam qui hoc non habet, nihil habet. contra vero dicit Adimpleri Chriſti legem, ubi quiſque proximum miſericordia ſublevat. quo ſignificat ſupervacua eſſe omnia quæ à charitate aliena ſunt: compoſitio enim verbi Græci ſolidum complementum exprimit. Quia autem nemo præſtat omni ex parte quod requirit Paulus, ideo à perfectione abſumus omnes: qui minimum præ aliis, longiſſime tamen Dei reſpectu.

3. *Nam ſi quis putat.*] Ambigua eſt verborum conſtructio, ſed mens Pauli certa. Nam particula, *Quum nihil ſit*, prima ſpecie hoc ſonat, Si quiſpiam, qui alioqui nihil eſt (ut ſunt multi nihili homines, inflati tamen ſtulta ſui perſuaſione) aliquid ſibi tribuat. verum generalior eſt ſententia: ideoque ſic reſolvi debet, Quandoquidem univerſi mortales nihil ſunt: qui vult aliquid videri, & ſe aliquem eſſe ſibi perſuadet, ſe decipit. Primum itaque pronunciat nos nihil eſſe: quo intelligit, nihil habere nos proprium quo gloriemur; ſed omni bono eſſe vacuos, ut tota noſtra gloria mera ſit vanitas. Inde ſecundo colligit, eos ſe fallere qui ſibi aliquid arrogant. eſt autem perquam abſurdum, quum nihil magis indigne feramus quam nos ab aliis deludi, ſponte nosipſos eſſe nobis illuſores. Hæc porro cogitatio multo æquiores nos aliis reddet. unde enim inſultandi ferocia, unde ſupercilioſa auſteritas: niſi quod ſe quiſque efferendo, alios faſtuoſe deſpicit? abſit arrogantia, & omnes mutuo modeſtiſſimi erimus.

4. *Opus autem ſuum probet.*] Validiſſimo jam ictu cootudit Paulus humanam ſuperbiam: ſed quia inde ut plurimum provenit, quod aliis nos conferendo, pretium noſtri ſtatuimus ex vili eorum æſtimatione: negat hic ejuſmodi comparationi eſſe locum. Nemo, inquit, ſe metiatur aliena ulna: nec ſibi ideo placeat, quia alii magis diſpliceant. ſed omiſſo aliorum reſpectu, ſuam unius conſcientiam excutiat; & quale ſit ſuum opus, conſideret. Ea demum eſt vera laus, non quam aliis detrahendo, nobis conciliamus: ſed quam habemus ſine comparatione. Nonnulli ironiam eſſe exiſtimant. quaſi diceret Paulus, Tu tibi blandiris propter aliorum vitia: verum ſi reſpicias quis ſis ipſe, tunc habebis laudem tibi debitam, id eſt, nullam: quia nemo eſt qui guttam laudis mereatur. Poſtea exponunt quod ſequitur, Quiſque portabit ſuum onus, pro, ſolet portare. Verum abſque figura aptius ſenſus cohæret. verba enim hoc ſonant, Quo ad teipſum ſolum, habebis laudem, non ex aliorum comparatione. Scio cur ironia illis arrideat. quoniam ſcilicet Apoſtolus proxima ſententia in nihilum redegit totam hominum gloriam. Sed hic Paulus de gloriatione bonæ conſcientiæ agit, quam Dominus ſuis
concedit, & qua Paulus alibi exultat. ea nihil aliud *Actor. 23.*
eſt quam gratiæ Dei recognitio, quæ hominem *verſ. 1.*
minime extollit, ſed ad Deum glorificandum incitat. Talem laudis materiam in ſe reperiunt pii, quam non meritis ſuis, ſed Dei boniıati acceptam
ferant. Hæc eſt gloriatio noſtra, inquit alibi, te- *2 Cor. 1.*
ſtimonium bonæ conſcientiæ, quod fideliter ver- *verſ. 12.*
ſati ſimus, &c. Et Chriſtus, Intra in cubiculum *Mat. 6.*
tuum, coram Patre tuo benefac in abſcondito: & *verſ. 7.*
Pater tuus qui eſt in abſcondito, reddet tibi. Quanquam proprie loquendo nihil affirmat, ſed hanc demum legitimam ac ſolidam fore docet, ſi quiſque ſuo pretio, non autem ex alterius vilitate æſtimetur. Itaque conditionalis eſt oratio: quaſi diceret non alios cenſeri probos, niſi qui ſeorſim tales repeꝛiuntur.

5. *Quiſque enim proprium onus.*] Ut ſocordiam & faſtum nobis excutiat, proponit nobis Dei judicium: ubi quiſque rationem vitæ ſuæ ſeorſum reddet abſque comparatione. Hoc enim eſt quod nos fallit: quia luſcus inter cæcos bene oculatus ſibi videtur, fuſcus inter nigros album ſe putat. Iſtis imaginationibus negat locum fore in judicio Dei: quia illic onus ſuum ſinguli portabunt, neque alii alios ſuis peccatis abſolvent. hæc eſt genuina mens Pauli.

6. Communicet is qui inſtituitur in ſermone, cum doctore, in omnibus bonis.

7. Ne erretis, Deus non ſubſannatur. quod enim ſeminaverit homo, hoc etiam metet.

8. Nam qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet corruptionem: qui autem ſeminat Spiritui, ex Spiritu metet vitam æternam.

9. Bonum autem faciendo ne defatigemur. nam ſi non defecerimus, metemus opportuno tempore.

10. Ergo ubi tempus habemus, benefaciamus erga omnes: præſertim vero erga domeſticos fidei.

6. *Communicet is.*] Veriſimile eſt, jam tunc neglectos fuiſſe doctores & verbi miniſtros. quæ tamen turpiſſima eſt ingratitudo. Quam indignum eſt enim fraudare victu corporali eos à quibus animæ noſtræ paſcuntur? non dignari terrena compenſatione, à quibus cæleſtia bona accipimus? Sed hoc eſt ac fuit jam olim mundi ingenium, Satanæ miniſtris large farcire ingluviem, piis vero Paſtoribus vix maligne victum ſuppeditare. Etſi autem nos querulos nimium, nec juris noſtri tenaces eſſe convenit: tamen Paulus Galatas ad officium præſtandum exhortari debuit. in quo fuit liberior, quia non agebat cauſam ſuam privatim, ſed communi Eccleſiæ utilitati, nulla ſui commodi habita ratione, conſulebat. Videbat ideo negligi verbi miniſtros, quia verbum ipſum contemneretur. fieri enim nequit, ſi verbum habetur in pretio, quin miniſtri quoque honeſte & liberaliter tractentur. Deinde hic aſtus Satanæ, alimentis fraudare pios miniſtros, ut Eccleſia talibus deſtituatur. Paulus ut de conſervatione miniſterii erat ſollicitus, commendat bonorum ac fidelium Paſtorum curam. *Sermonem* accipe κατ' ἐξοχὴν pro pietatis doctrina. Eos alendos eſſe monet, à quibus in ſermone inſtituimur. quo igitur titulo aluntur in Papatu vel otioſi mutorum hominum ventres, vel rabidæ belluæ, quibus nihil cum Chriſti doctrina commune eſt? *In omnibus bonis.* Non quia velit congeri ſine modo ſuperfluam abundantiam: ſed nequid deſit neceſſariis vitæ ſubſidiis. Nam & frugali victu contenti debent eſſe Miniſtri: & ſemper luxuriæ pomparumque periculo eſt obviandum. quantum igitur poſtulat neceſſitas, habeant fideles ſua omnia piis ſanctiſque Doctoribus expoſita. nam qua mercede inæſtimabilem æternæ vitæ theſaurum, quem per illorum prædicationem obtinent, remunerabuntur?

7. *Deus non ſubſannatur.*] Hoc addidit ad refutandas excuſationes, quibus tergiverſari ſolent permulti. alius obtendit, alendam ſibi eſſe familiam:

alius ſibi negat ſupereſſe unde largiatur, vel eroget. ita ht ut pauci fungantur officio, qui plerumque non ſufficiunt, tam multis ceſſantibus. Hæc effugia vana eſſe denunciat Paulus, quia negotium ſit cum Deo: quod mundus minime cogitat. neque enim hic agitur tantum de hominis victu, ſed quanti æſtimetur à nobis Cbriſtus ejuſque Euangelium. Hic locus teſtimonio eſt, non hodie primum natum eſſe morem ludibrio habendi fidos Paſtores. ſed non impune cedent impiis ejuſmodi ludibria. *Quod enim ſeminaveris.* Hoc eſt quod à liberalitate nos retardat, quia perire nobis putamus quicquid tranſit in alienam manum: deinde quia ſemper nobis timemus in hac vita. Hanc Paulus contra ſationis tempori comparat, & dicit, Nos, dum benefacimus, ſementem facere. qua de re in ſecunda ad Corinthios dictum eſt: ubi eadem ſimilitudine utebatur. Utinam iſtud nobis ſolide perſuaſum eſſet, quam alacriter nos & noſtra proximis impenderemus, ſemper in ſpem meſſis intenti: quemadmodum nihil lætius faciunt agricolæ quam ut ſerant. Sed quum illi ad colligendam meſſem corruptibilem, æquo animo novem menſes ferant: nos in expectatione beatæ immortalitatis deficimus.

8. *Nam qui ſeminat carni ſuæ.*] Diſtributio partium poſt generalem ſententiam. Seminare carni, eſt proſpicere præſentis vitæ neceſſitatibus, nullo futuræ vitæ reſpectu. Id qui faciunt, fructum colligent ſatione ſua dignum: coacervabunt enim quod male diſpereat. Alii Seminare in carne, exponunt pro indulgere concupiſcentiis carnis: *Corruptionem* vero pro Exitio. ſed prior expoſitio contextui melius quadrat. Quod aliter tranſtuli quam vetus Interpres atque Eraſmus, non feci temere. Verba Pauli Græca ſic habent: Seminare in carnem. quid autem id aliud eſt quam ita eſſe carni addictum, ut ſtudia tua omnia in illius commodum & curam dirigas? *Qui autem ſeminat ſpiritus.* Spiritum accipio pro Vita ſpirituali, cui ſeminare dicuntur qui cælum magis quam terram reſpiciunt: atque ita vitam inſtituunt, ut ad regnum Dei aſpirent. illi igitur ſpiritualium ſtudiorum fructum metent in cælo incorruptibilem. Porro ſpiritualia ſtudia nominat à fine: utcunque alioqui externa ſint, & ad corpus pertineant. quale eſt hoc ipſum de quo nunc tractat, Alere Paſtores. Si Papiſtæ more ſuo conentur ex bis verbis operum juſtitiam adſtruere, diximus alibi quam facile ſit refellere eorum ineptias. Neque enim, ſi vita æterna merces eſt, inde ſequitur, vel operibus nos juſtificari, vel opera ſalutis meritoria eſſe: quandoquidem & boc ipſum gratuitum eſt, quod Deus tanto honore quæ nobis gratis donavit opera dignatur, ut illis indebitam mercedem promittat. Si quis pleniorem ſolutionem requirit, primum nego ulla eſſe nobis bona opera quæ Deus remuneretur, niſi quæ habemus ab ejus gratia. ſecundo dico, bona opera quæ ductu ac directione Spiritus ſancti facimus, eſſe fructus gratuitæ adoptionis: tertio dico, non modo vel minima vel viliſſima mercede indigna eſſe, ſed prorſus digna eſſe quæ damnentur: quia ſemper multis maculis ſunt reſperſa & inquinata. quid autem pollutionibus cum Dei conſpectu? quarto dico, etiamſi millies operibus promiſſa eſſet merces, nullam tamen ex pacto deberi, niſi tota Lege perfecta. ab ea vero perfectione quam procul abſumus omnes! Eant nunc Papiſtæ, & operum meritis perrumpere in cælum tentent: nos autem libenter cum Paulo totaque Scriptura fatemur, Quæcunque aliter conſequi non poſſumus quam mero Dei dono, tamen mercedis nomine, eadem operibus noſtris rependi.

9. *Bonum autem faciendo ne defatigemur.*] Bonum hic non Rectum ſignificat, ſed benignitatem: & ad homines refertur. monet itaque ne proximos juvando, præſtandiſque beneficiis, & exercenda liberalitate defatigemur. Præceptum in primis neceſſarium. nam quum ad officia charitatis ſimus natura plus ſatis pigri, innumera ſubinde offendicula ſuperveniunt quæ bene animatos retardent. Incidimus in multos indignos, in multos ingratos: ipſa neceſſitatum multitudo nos obruit: hic & illic erogando exhaurimur: aliorum frigus ardorem noſtrum extinguit. poſtremo, totus mundus plenus eſt impedimentorum, quæ nos à recto curſu avertant. Bene ergo Paulus, qui nos confirmat, ne ſeſſi reſideamus. *Si non defecerimus.* Hoc eſt, Ita demum metemus quem Deus promittit fructum, ſi ad finem uſque perſtiterimus. Nam qui non perſeverant, ſimiles ſunt ignavis agricolis, qui poſtquam ararunt & ſeminarunt, opus relinquunt imperfectum, quum occatio neceſſaria eſſet, ne ſemen aut vorent aves, aut ſol exurat, aut frigus abſumat. ita fruſtra incipimus benefacere, niſi ad metam uſque pergamus. *Temporis opportuni* meminit, ne quis fructum in hac vita præcerpere cupiens, ſpirituali meſſe privetur. Spe igitur & patientia ſuum deſiderium ſuſtineant fideles ac refrenent.

10. *Ubi tempus habemus.*] Proſequitur ſimilitudinem. nam quia non omne tempus culturæ & ſationi aptum eſt, occaſionem ſedulo urgent ſtrenui & cordati agricolæ, nec eam otioſi præterire ſinunt. Quum igitur totam præſentem vitam arationi, ſementique faciendæ deſtinaverit Deus, tempore utamur: ne auferatur nobis facultas, ſi negligentes fuerimus. Cæterum Paulus à liberalitate erga miniſtros exorſus, doctrinam ſuam nunc latius extendit. jubet enim omnibus benefacere: ſed præſertim domeſticos fidei commendat, boc eſt, fideles, quum ejuſdem ſint nobiſcum familiæ. Ideo enim bac metaphora uſus eſt, ut communicatio ipſa, quam neceſſe eſt inter unius familiæ membra eſſe, nos magis incitaret. Omnibus ergo nos debitores facit communis humanitas: ſed fidelibus vinculum arctius ſpiritualis cognationis, quam Dominus inter nos ſacravit.

11. Videtis qualibus literis vobis ſcripſerim mea manu.

12. Quicunque volunt placere juxta faciem in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut ne perſequutionem ſuſtineant cruce Chriſti.

13. Neque enim qui circumciduntur, ipſi Legem ſervant: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.

11. *Videtis.*] Verbum Græcum dubiam babet terminationem, quæ tam imperativo quam indicativo convenit. ſed ad ſenſum nibil aut parum refert. Paulus ut ſollicitudinem ſuam magis commendet Galatis, commemorat ſe propria manu tam longam Epiſtolam ſcripſiſſe: ſimul etiam ut attentiores illos ad lectionem reddat. Nam quo plus ſuſceperat laboris eorum cauſa, eo debebant magis accendi ad legendum, non perfunctorie, ſed exactiſſimo ſtudio.

12. *Quicunque volunt placere.*] Primum, placere in carne velle, eſt ambitioſe aucupari hominum gratiam, non ædificationis cauſa. & verbum compoſitum uſurpat, quod ſignificat blandi vultus ac ſermonis illecebris eſſe gratioſum. Accuſat ergo ambitionis pſeudoapoſtolos: acſi diceret, Vultiſne ſcire quales ſint qui neceſſitatem Circumciſionis vobis imponunt? quid ſpectent? quid venentur? erratis, ſi putatis ipſos pio aliquo zelo impelli: ſed bo-

minum

minum favorem acquirere vel fovere volunt hac mercede. Nam quum Judæi eſſent, volebant gentis ſuæ gratiam hoc modo retinere, vel ſaltem deflectere odia. Ita ſolent fere ambirioſi: ſerviliter iis blandiendo per quorum gratiam emergere ſe poſſe ſperant, inſinuant ſe in illorum animos, ut dejectis melioribus, ſoli regnent. Hoc pravum conſilium detegit Galatis, ut ſibi caveant. *Tantum ut ne perſequutionem. Crucem Chriſti* rurſum vocat puram Euangelii prædicationem. ſed alludit ad eorum delicias, quod Chriſtum docere vellent abſque cruce. Hæc enim cauſa erat cur tam infeſta rabie ferrentur Judæi adverſus Paulum, quod ferre non poterant defectionem à ceremoniis. iſti ergo ut perſequutionem fugerent, adulabantur Judæis. Quod ſi Legem ſervaſſent ipſi, fuiſſet tolerabilius: ſed totam Eccleſiam privatæ ſuæ tranquillitatis cauſa turbabant: tyrannicum jugum imponere conſcientiis non dubitabant, ut à corporali moleſtia immunes eſſent ac liberi. Ergo crucis metu, veram prædicationem crucis adulterabant.

13. *Neque enim Circumciſionem habentes.*] Vetus interpres & Eraſmus habent, Qui circumciduntur: ſed quia de ſolis doctoribus Paulum loqui exiſtimo, non generaliter de omnibus, vitandæ ambiguitatis cauſa ita reddere malui. Senſus eſt igitur, Non faciunt hoc zelo Legis, quod vos obſtringunt ceremoniarum jugo: nam eum ſua Circumciſione Legem non ſervant. prætextu quidem Legis exigunt ut circumcidamini: ſed quum circumciſi ſint ipſi, non præſtant quod injungunt aliis. Cæterum dubium eſt, quum negat eos *Legem ſervare*, de tota Lege intelligat, an de ceremoniis. ſunt enim qui ita exponant, Ne illos quidem Legi ſatisfacere, quia ſit onus importabile. Sed potius eos malæ fidei inſimulat, quia ſecure Legem contemnerent, quoties abeſſet invidia. quæ peſtis nunc quoque paſſim graſſatur: nam hodie plures reperias, qui Papatus tyrannidem ambitione magis quam conſcientia defendant. Loquor de aulicis Apoſtolis, & quicunque nidorem culinarum ſequuntur. tanquam ex tripode pronunciabunt, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reverenter obſervanda eſſe ſtatuta. Quid ipſi interim? nihilo pluris faciunt omnia Romanæ ſedis oracula, quam aſini ruditum: ſed periclitari nolunt. Denique tale Paulus certamen habuit cum illis impoſtoribus, quale nobis eſt cum fucatis Euangelii profeſſoribus, qui Chriſtum cum Papa miſcendo, chimæram nobis componunt. Talibus ergo larvam detrahit Paulus, quum nihil eos ſincere agere docet: verum Circumciſionem præcipere, ut ſe venditent Judæis, quia neophytos adduxerint. hoc enim eſt in carne ipſorum gloriari. De vobis, inquit, triumphum agere volunt: atque ita corpore veſtro abutuntur ad venandum favorem, ubi falſis Legis zelatoribus in carne veſtra mutilata, pacis & conſenſus teſſeram oſtentaverint.

14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.

15. Nam in Chriſto neque Circumciſio quicquam valet, neque præputium: ſed nova creatura.

16. Et quicunque hac regula ambulabunt, pax ſuper eos & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.

17. In reliquis nemo faceſſat mihi moleſtiam. ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.

18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.

Ad Galatas miſſa fuit è Roma.

14. *Mihi autem.*] Nunc pſeudoapoſtolorum conſiliis, animi ſui ſinceritatem opponit: acſi diceret, Illi, ne quam cogantur ferre crucem, Chriſti crucem abnegant, gratiam hominum mercantur ex carne veſtra: deinque triumphum agunt de vobis. Meus autem triumphus ac mea gloria eſt in cruce Filii Dei. Niſi prorſus ſenſu communi deſtituti eſſent Galatæ, nonne eos deteſtari debuerunt quos videbant ſuo periculo ita ludere? *Gloriari in Chriſti cruce* perinde valet, atque in Chriſto crucifixo, niſi quod plus exprimit: ſignificat enim mortem illam ignominiæ probrique plenam, imo etiam maledictam à Deo. quam igitur horrent homines, & cujus ipſos pudet, in ea gloriari ſe dicit: quia perfectam in ea felicitatem habeat. nam ubi ſummum bonum, illic gloria. ſed cur non alibi? nam etſi in Chriſti cruce ſalus eſt exhibita, quid de reſurrectione? Reſpondeo, in cruce totam redemptionem & ejus partes contineri: ſed reſurrectio Chriſti à cruce nos minime abducit. Notandum etiam, quod aliam quamvis gloriam, non ſecus ac capitalem noxam, abominatur. Avertat Deus hanc peſtem, hoc portentum. hoc enim valet apud Paulum ubique verbum *Abſit*. *Per quam mundus.* Quia οὗ maſculinum eſt, relativum utrique apud Græcos convenit, tam Chriſto quam cruci: aptius tamen eſt, meo judicio, ad crucem referre. nam per illam mundo proprie morimur. Quid autem Mundus ſignificat? opponitur proculdubio novæ creaturæ. Quicquid ergo contrarium eſt ſpirituali Chriſti regno, mundus eſt: quia ad veterem hominem pertinet. vel, ut uno verbo dicam, mundus eſt quaſi objectum & ſcopus veteris hominis. *Phil. 3. verſ. 8.* *Eum ſibi crucifixum* dicit Paulus: quo ſenſu alibi teſtatur, omnia ſe reputaſſe pro ſtercoribus. Crucifixio enim mundi, eſt contemptus & abjectio. Addit viciſſim ſe *mundo crucifixum*: quo intelligit, ſibi ſuſque deque eſſe, quod nihili fiat, ſitque tanquam in nihilum redactus: quia nihil ad mortuum pertineat. vel certe ſe mortificatione veteris hominis renunciaſſe mundo. Nam quod quidam exponunt, Si mundus me anathema & catharma reputat, ego viciſſim illum damno & execrationi habeo: mihi videtur eſſe paulo remotius à mente Pauli. judicium tamen erit penes lectores.

15. *Nam in Chriſto neque Circumciſio.*] Ratio eſt cur ſit mundo crucifixus, & mundus illi: quia in Chriſto, cui inſitus eſt, ſolum valet nova creatura. Alia igitur omnia faceſſere, imo interire oportet. intelligo quæ renovationem Spiritus impediunt. hoc eſt quod dicit etiam in ſecunda ad Corinthios, Si *2 Cor. 5. verſ. 17.* quis in Chriſto, nova ſit creatura: hoc eſt, ſi quis cenſeri vult in Chriſti regno, ille reformatus ſit Dei Spiritu: non vivat amplius ſibi nec mundo, ſed ſit ſuſcitatus in novam vitam. Cur autem inde inferat, neque Circumciſionem, neque præputium, ante dictum eſt: quia ſcilicet veritas Euangelii omnes Legis figuras abſorbeat & exinaniat.

16. *Quicunque hac regula.*] Quicunque tenent hanc regulam, inquit, bene illis ſit ac feliciter. fauſta hæc precatio, approbationis quoque ſignum eſt. Significat igitur amandos eſſe & omni favore proſequendos qui talem doctrinam afferunt: contra vero, qui ab ea diſcedunt, indignos eſſe qui audiantur. Nomen Regulæ poſuit ad exprimendum certum & perpetuum tenorem, cui inſiſtere debent omnes pii Euangelii miniſtri. Quemadmodum enim architecti

quæ extruunt ædificia, ad normam exigunt, ut ſingulæ partes juſta proportione inter ſe ac ſymmetria cohæreant: ita canonem aſſignat verbi miniſtris, quo rite & ordine Eccleſiam ædificent. Hic locus miram alacritatem addere debet tam fidis & ſinceris doctoribus, quam univerſis qui ad illorum regulam formari ſe patiuntur, quod audiunt ſe per os Pauli à Deo benedici. non eſt quod Papæ fulmina timeamus, ſi pacem & miſericordiam Deus è cælo nobis promittit. Verbum *Ambulare*, tam miniſtro quam populo commune eſſe poteſt: tametſi præcipue in miniſtros competit. Futurum verbi tempus ad notandum perſeverantiam poſitum eſt. *Super Iſraëlem Dei.* Irridet oblique vanam pſeudoapoſtolorum jactantiam, qui de carnali Abrahæ progenie ſuperbiebant. Duplicem itaque facit Iſraëlem: unum larvatum, qui in hominum conſpectu appareat: alterum, Dei. Circumciſio, larva erat coram Deo. Denique eos nunc vocat Iſraëlem Dei, quos prius dixit Abrahæ filios per fidem: atque ita fideles complectitur, qui in eandem coaluerant Eccleſiam, tam ex Gentibus quam ex Judæis. Ex oppoſito ſolum genus & nomen jactat Iſraël carnis: de quo differit ad Rom. 9. v. 6.

17. *Nemo faceſſat.*] Hic ſibi auctoritatem ſumit ad coërcendos adverſarios: nam quaſi pro jure ſuperioris poteſtatis hoc pronunciat, Deſinant me impedire in curſu meæ prædicationis. Paratus enim erat omnium cauſa ſubire moleſtias: ſed non vult interpellari contradictionibus. Ergo *moleſtiam exhibere*, eſt ſe opponere ad turbandum operis progreſſum. Dicit *In reliquis:* nempe præter novam creaturam: hoc ſenſu, Mihi unum ſufficit: reliqua nihil ad rem quum pertineant, mihi curæ non ſunt. nemo igitur de his quæſtionem mihi moveat. Ac ſe extollit ſupra univerſos mortales, nemini concedens ut ſuum miniſterium impugnet. Ad verbum eſt, reliqui vel reſidui: quod Eraſmus, meo judicio, perperam ad tempus tranſtulit. *Ego enim ſtigmata.* Oſtendit qua fiducia id ſibi auctoritatis ſumat, nempe quia inſignia Chriſti geſtet in ſuo corpore. Quæ ſunt illa? nempe carceres & vincula, flagella, colaphi, lapidationes, probra denique omne genus, quæ pro Euangelii teſtimonio pertulerat. Nam ſicut militiæ terrenæ ſunt ſua decora, quibus militum virtutem Imperatores inſigniunt: ita dux noſter Chriſtus ſuis inſignibus ornat quorum egregia opera uſus eſt, ut inter alios emineant conſpicui. Sed multum hæc differunt ab illis prioribus: reſipiunt enim crucem: ideo ſunt ignominioſa coram mundo. quod etiam ſonat nomen Stigmatis. Nam ſtigmata ad verbum ſunt punctiones: ſed ita olim vocabantur notæ quæ vel barbaris ſervis, vel fugitivis, vel maleficis inurebantur. Proprie itaque loquutus eſt Paulus, quum iis notis ſe fulgere jactat, quibus inſignire præſtantiſſimos ſuos milites ſolet Chriſtus: hoc eſt, quæ fœdæ ſunt coram mundo & pudendæ, ſed coram Deo & Angelis cunctos mundi honores antecellunt.

18. *Gratia Chriſti cum ſpiritu veſtro.*] Ita gratiam illis precatur, ut non modo ſe liberaliter in eos effundat, ſed eam quoque vero animi ſenſu apprehendant. Tunc enim vere illa fruimur, dum ad ſpiritum noſtrum pervenit. rogandus ergo Deus, ut ſedem gratiæ ſuæ in animis noſtris paret. Amen.

IN

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS

ARGUMENTUM.

Epheſum nrbem fuiſſe Aſiæ minoris, nominibus multis celeberrimam, ſatis notum eſt. Qualiter autem illic ſibi Dominus populum acquiſierit Pauli opera, quodnam fuerit exordium Eccleſiæ, & quis progreſſus, Lucas in Actis reſert. Ego hic tantum ea attingam quæ ad Epiſtolæ argumentum proprie ſpectant. Erudierat Epheſios Paulus in pura Euangelii doctrina. quum eſſet Romæ captivus, ac videret eos opus habere confirmatinne: ſcripſit hac de cauſa præſentem Epiſtolam. Primis autem tribus capitibus præcipue verſatur in commendatinne gratiæ Dei. nam ſtatim ab initio primi capitis poſt ſalutationem, de gratuita Dei electione differit, ut ſe ideo nunc vocatos eſſe in regnum Dei agnoſcant, quia deſtinati fuerant ad vitam, antequam naſcerentur. Hic autem refulget admirabilis Dei miſericordia, quod ſalus hominum ex gratuita adoptione, tanquam ex vero & nativo fonte, manat. Porro quia obtuſiores ſunt hominum mentes, quam ut tam ſublime arcanum capiant, convertit ſe ad precationem: ut ad plenam Chriſti cognitionem Epheſios Deus illuminet. Secundo capite, ut gratiæ magnitudinem ex comparatinne amplificet, reducit illis in memoriam quam miſeri fuerint antequam ad Chriſtum eſſent vocati. Nunquam enim ſatis ſentimus quantum debeamus Chriſto, nec ſatis pro dignitate reputamus quanta ſint erga nos ejus beneficia, niſi quum ex adverſo nobis ob oculos ponitur quam infelix ſit extra ipſum noſtra conditio. Secunda amplificatio eſt, quod Gentiles erant alieni à promiſſionibus vitæ æternæ, quibus Deus ſolos Judæos dignatus fuerat. Tertio capite ſuum Apoſtolatum peculiariter Gentibus deſtinatum eſſe prædicat, ut qui extranei diu fuerint, nunc in Dei populum inſerantur. & quia res erat inſolita, ſuaque novitate multorum animos turbabat, vocat Myſterium à ſeculis abſconditum: ſed cujus diſpenſatio fuerit ſibi commiſſa. Circa finem iterum precatur ut Deus imbuat Epheſios ſolida Chriſti intelligentia, ne quid aliud ſcire appetant. Finis autem eſt, non tantum ut tot beneficiorum memores gratos ſe Deo præſtent, idque teſtentur ſe totos illi conſecrando: ſed magis ut omnem illis de ſua vocatione dubitationem eximat. Eſt enim veriſimile, veritum fuiſſe Paulum ne fidem eorum turbarent pſeudoapoſtoli, quaſi ex dimidio tantum fuiſſent inſtituti. Fuerant enim Gentiles, & purum Chriſtianiſmum amplexi, nihil de ceremoniis, nihil de Circumciſione audierant. At vero qui Legem ingerebant Chriſtianis, clamitabant omnes profanos eſſe qui non eſſent per Circumciſionem Deo initiati. nam hæc communis erat eorum cantilena, neminem debere cenſeri in populo Dei, niſi circumciſum: ſervandos eſſe omnes ritus à Moſe præceptos. Ideo Paulum calumniabantur, quod Gentibus peræque ac Judæis Chriſtum faceret communem: & ejus Apoſtolatum aſſerebant eſſe cæleſtis doctrinæ profanationem, quod fœdus gratiæ impuris hominibus, ſine delectu proſtitueret. Ergo ne talibus calumniis impetiti Epheſii labaſcerent, illis ſubvenire voluit. Itaque quum tam diligenter ideo vocatos ad Euangelium fuiſſe diſputat, quia electi fuerint ante mundi creationem: ex adverſo prohibet ne temere ſibi allatum fuiſſe Euangelium exiſtiment hominis voluntate, aut advolaſſe fortuito: quia nihil aliud fuerit Chriſti prædicatio apud eos, quam æterni illius decreti publicatio. Quum prioris vitæ infelicem ſtatum ob oculos ponit, ſimul admonet, raram & admirabilem Dei miſericordiam fuiſſe, quod ex tam profundo gurgite emerſerint. Quum de Apoſtolatu ſibi erga Gentes mandato concionatur, confirmat eos in recepta ſemel fide: quia divinitus fuerint in Eccleſiæ communionem aſciti. Tametſi ſingulæ ſententiæ quæ hic habentur, totidem ſunt exhortationes, quibus ad gratitudinem ſtimulari debebant Epheſii. Quarto capite rationem deſcribit, qua Dominus Eccleſiam ſuam gubernat ac tuetur: nempe per Euangelium quod ab hominibus prædicatur. unde ſequitur, non aliter poſſe conſervari in ſua integritate: & hunc ſcopum eſſe veræ perfectionis. Proinde conſilium Apoſtoli eſt, commendare Epheſiis miniſterium quo Deus inter nos regnat. Poſtea deſcendit ad fructus prædicationis: nempe ad innocentiam & ſanctitatem omniaque pietatis officia. nec ſolum in genere præcipit quæ debeat eſſe Chriſtianorum vita, ſed particulares etiam præceptiones admiſcet, quæ ex propria uniuſcujuſque vocatione pendent.

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, ſanctis omnibus qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.

2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus in Chriſto:

4. Quemadmodum elegit nos in ipſo ante mundi creationem, ut ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ſuo per charitatem.

5. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem per Jeſum Chriſtum in ſeipſo, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ:

6. In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, qua nos gratos habuit in dilecto.

1. P*Aulus Apoſtolus.*] Quando eadem fere, aut ſaltem non multum diverſa in omnibus Epiſtolis, ſalutationis forma utitur: ſupervacuum eſſet hic repetere quæ alibi dicta ſunt. Apoſtolum ſe vocat Jeſu Chriſti. nam legatione pro illo funguntur omnes quibus datum eſt miniſterium reconciliationis. Quanquam nomen Apoſtoli magis eſt ſpeciale. neque enim quivis Euangelii miniſter, protinus etiam eſt Apoſtolus: ut videbimus infra 4. v. 11. verum de hac re plura ad Galatas. Addit, *Per voluntatem Dei*: quia nemo ſibi honorem ſumere debet, ſed expectanda Dei vocatio, quæ legitimos miniſtros ſola facit: atque ita Dei auctoritatem improborum ſuſurris opponens, anſam temerariis litibus præcidit. *Sanctos* nominat eoſdem quos poſtea *fideles in Chriſto*. ergo nemo fidelis, niſi qui etiam ſanctus: & nemo rurſum ſanctus, niſi qui fidelis. Major pars Græcorum exemplarium non habet *omnibus*: quod tamen delere nolui, quia alioqui ſubaudiendum eſt.

3. *Benedictus Deus.*] Magnifice extollit Dei gratiam erga Epheſios, ut ad gratitudinem excitet eorum corda, imo tota inflammet, occupet atque impleat hac cogitatione. Nam qui tam effuſam in ſe agnoſcunt Dei bonitatem, ut nihil deſit ad ſolidum complementum, & in hac meditatione ſe aſſidue exercent: ii nunquam admittent novas doctrinas, quæ obſcurent illam ipſam gratiam quam in ſe efficaciter jam ſentiunt. Ergo finis Apoſtoli fuit, divinæ erga Epheſios gratiæ magnitudinem prædicando, eos armare, ne fidem ſuam concuti ſinerent à pſeudoapoſtolis: quaſi dubia eſſet ipſorum vocatio, & alia ſalutis ratio quærenda. ſimul autem docet in quo conſiſtat plena ſalutis certitudo, nempe quum Deus per Euangelium nobis ſuum amorem patefacit in Chriſto. Verum quo major confirmatio accedat, ad primam cauſam eos revocat, & quaſi fontem: nempe æternam electionem Dei, qua, nondum nati, adoptamur in filios: ut ſciant æterno Dei & immutabili decreto ſe ſalvos fuiſſe factos, non fortuito aliquo caſu aut repentina occaſione. Verbum autem *benedicendi*, hic varie accipitur, prout vel ad Deum refertur, vel ad homines. reperio autem quadruplicem ſignificationem in Scriptura. Noſtra erga Deum benedictio, laudis eſt, dum ejus beneficentiam prædicamus. Deus autem nobis dicitur benedicere, quum felicem rebus noſtris dat ſucceſſum, & nos ſua beneficentia proſequitur, ita ut bene & proſpere ſit nobis. ratio eſt, quia ſolo ejus nutu beati ſumus. ideo notanda eſt loquutio, qua eleganter exprimit quantum ſubſit virtutis in ſolo ejus verbo. Homines ſibi mutuo benedicunt precando. Sacerdotalis benedictio erga Eccleſiam & unumquemque fidelium, ultra precationem hoc quoque habet, quod teſtimonium & quaſi pignus eſt divinæ benedictionis. quia hæc legatio Sacerdotibus eſt commiſſa ut benedicant in nomine Domini. Paulus ergo hic Deum benedicit laudis confeſſione, quia *nos benedixerit*, hoc eſt, locupletaverit omni benedictione vel gratia. Non repugno Chryſoſtomo quin epitbetum *ſpiritualis* contineat tacitam antitheſin inter Moſaicam & Chriſti benedictionem. Lex enim habuit ſuas benedictiones, ſed perfectio non eſt niſi in Chriſto: quia hic perfecta eſt revelatio regni Dei, quæ nos recta in cælum ducit. proinde nihil opus figuris, ubi corpus ipſum eſt exhibitum. Quum dicit, *In cæleſtibus*, non multum refert ſubaudias Locis an Bonis. Tantum voluit indicare præſtantiam gratiæ quæ per Chriſtum nobis confertur: quia ſcilicet non in mundo, ſed in cælo & vita æterna nos faciat beatos. Habet quidem religio Chriſtiana (ut alibi docet) promiſſio- 1 Tim. 4.
nes non futuræ vitæ modo, ſed etiam præſentis: ſco- verſ. 8.
pus tamen eſt ſpiritualis felicitas: ſicuti Chriſti regnum eſt ſpirituale. Chriſtum opponit Judaicis omnibus ſymbolis, quibus incluſa fuit benedictio ſub Lege. nam ubi Chriſtus, illic ſupervacua ſunt ea omnia.

4. *Quemadmodum elegit.*] Hic fundamentum & primam cauſam tam vocationis noſtræ quam bonorum omnium quæ à Deo percipimus, facit æternam ejus electionem. Ergo ſi cauſa quæritur cur nos in Euangelii participationem vocaverit Deus, cur tot beneficiis quotidie nos dignetur, cur nobis cælum aperiat: ſemper redeundum eſt ad iſtud principium, Quia ſcilicet antequam mundus eſſet, nos elegit. Porro ex ipſo tempore colligendum eſt, gratuitam eſſe electionem. nam quæ potuit noſtra eſſe dignitas, aut quodnam extitit noſtrum meritum, antequam mundus eſſet conditus? Puerile enim eſt cavillum illud ſophiſticum, Non ideo nos electos eſſe quia

jam

Digitized by Google

jam eſſemus digni, ſed quia dignos fore Deus prævidebat. Perditi enim omnes ſumus in Adam. itaque niſi electione ſua redimat nos Deus ab interitu, nihil aliud prævidebat. Eodem argumento utitur ad Romanos capite 9. v. 11. de Jacob & Eſau loquens: Priuſquam nati eſſent, inquit, aut aliquid boni aut mali egiſſent. Exciperet Sorbonicus aliquis ſophiſta, acturos fuiſſe, idque Deo fuiſſe præcognitum. Atqui fruſtra hoc excipitur de hominibus natura corruptis, in quibus nihil cerni poteſt niſi exitii materia. Secundo confirmat gratuitam eſſe electionem quum addit, *In Chriſto*. nam ſi in Chriſto ſumus electi, ergo extra nos: hoc eſt, non intuitu dignitatis noſtræ, ſed quoniam adoptionis beneficio cæleſtis Pater nos inſeruit in Chriſti corpus. denique Chriſti nomen, omne meritum excludit, & quicquid ex ſe habent homines: nam ex quo dicit nos in Chriſto electos, ſequitur, indignos fuiſſe in nobis. *Ut ſimus ſancti.* Finem proximum notat, ſed non præcipuum. neque enim abſurdum eſt, ejuſdem rei duplicem eſſe finem. Quemadmodum ædificandi finis eſt, ut ſit domus: finis tamen ille eſt proximus. ultimus autem eſt habitandi commoditas. Hoc ideo fuit obiter attingendum, quia Paulus ſtatim alterum finem ponet, gloriam Dei. verum nihil eſt repugnantiæ: ſiquidem gloria Dei ſummus eſt finis, cui noſtra ſanctificatio ſubordinatur. Cæterum hinc colligere licet, ſanctitatem, innocentiam, & quicquid virtutis eſt in hominibus, fructum eſſe electionis. Itaque expreſſius atiamnum hac particula evertit Paulus omnem meriti conſiderationem. nam ſi quid previderet in nobis Deus electione dignum, omnino contrarium quam hic legitur, dicendum fuit. etenim ſignificat, totum id quod ſancte & innocenter vivimus, ex electione Dei manare. Unde igitur fit ut alii pie vivant in timore Domini, alii ſecure ſe proſtituant ad omnem nequitiam? certe ſi Paulo fides habetur, non alia eſt cauſa, niſi quod hi ingenium ſuum retinent, illi ad ſanctitatem electi ſunt. Cauſa certe non eſt poſterior ſuo effectu: ergo electiu à juſtitia operum non pendet, cujus ipſam eſſe cauſam teſtatur hic Paulus. Præterea hoc membro ſignificat electionem non dare licentiæ occaſionem hominibus: quemadmodum impii blaſphemant, Vivamus ſecure ut libuerit: nam impoſſibile eſt nos perire ſi electi ſumus. Paulus autem reclamat, perperam ſeparari vitæ ſanctitatem à gratia electionis: quia eoſdem vocat Deus & juſtificat quos elegit. Quod autem olim Cathari, Cæleſtini & Donatiſtæ ex his verbis inferebant, poſſe nos in hac vita perfectos eſſe, nihil habet ponderis. Hæc enim eſt meta, ad quam toto vitæ curriculo contendimus. itaque nunquam ad eam pertingemus, niſi confecto noſtro ſtadio. Ubi ſunt qui prædeſtinationis doctrinam horrent ac fugiunt tanquam inextricabilem labyrinthum? imo qui non modo inutilem, ſed prope noxiam exiſtimant? atqui nulla eſt pars doctrinæ utilior, modo rite & ſobrie tractetur: nempe qualiter hic tractatur à Paulo, dum in ea immenſam Dei bonitatem conſiderandam nobis proponit, & ad gratiarum actionem incitat. Hic enim verus fons eſt unde haurienda eſt divinæ miſericordiæ cognitio: quia in aliis omnibus tergiverſentur homines, electio illis os obſtruit, ne quid ſibi arrogare auſint vel queant. Sed meminerimus quorſum hic de prædeſtinatione Paulus diſputet, ne alios fines in diſputationibus noſtris ſpectando, periculoſe erremus. *In conſpectu ſuo per charitatem.* Sanctitas in conſpectu Dei eſt puræ conſcientiæ: quia non decipitur externo fuco, ut homines: ſed fidem reſpicit, hoc eſt, cordis veritatem. Dilectionis nomen ſi ad Deum referas, ſenſus erit, Deum ſolo erga humanum genus amore fuiſſe inductum ut nos eligeret. mihi tamen magis placet cum propinquiore conjungi, ut denotet perfectionem fidelium in charitate ſitam eſſe: non quia Deus requirat ſolam charitatem, ſed quia probatio ſit timoris Dei, & obedientiæ erga totam Legem.

5. *Qui prædeſtinavit.*] Quæ ſequuntur, adhuc magis augent commendationem divinæ gratiæ. Diximus in quem finem Paulus tam ſedulo inculcaret Epheſiis Chriſtum, gratuitam in eo adoptionem, & æternam electionem quæ præceſſit. verum quia nullus eſt locus in quo magnificentius prædicetur Dei miſericordia, dignus eſt quem in primis obſervemus. In hoc membro tres ſalutis noſtræ cauſas exprimit: quartam paulo poſt ſubnectet. Cauſa efficiens eſt beneplacitum voluntatis Dei: cauſa materialis eſt Chriſtus; cauſa finalis laus gratiæ. nunc videamus quid de unaquaque dicat. Ad primam pertinet hoc totum complexum: Deus in ſeipſo ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ prædeſtinavit nos in adoptionem, & gratos habuit ſua gratia. In verbo Prædeſtinandi iterum ordo notandus eſt. nondum tunc eramus: ergo nullum extabat noſtrum meritum. non igitur à nobis, ſed à ſolo Deo profecta eſt ſalutis noſtræ cauſa. Paulus tamen nondum his contentus, addit *in ſeipſo.* eſt quidem Græce ἐν αὐτῷ: ſed perinde valet atque εἰς αὐτόν. quo ſignificat, Deum non quæſiiſſe extra ſeipſum cauſam: ſed quia ita voluerit, nos prædeſtinaſſe. Verum clarius etiamnum quod mox ſequitur, *Secundum beneplacitum voluntatis.* Sufficiebat Voluntas: ſolet enim eam Paulus externis omnibus cauſis opponere, quibus Deum provocari vulgo exiſtimant. Sed ne quid ambiguitatis maneret, oppoſuit Beneplacitum: quod nomen omnia merita diſerte excludit. Ergo Dominus nos adoptando, non reſpicit quales ſumus, nec conciliatur nobis ulla perſonæ noſtræ dignitate: ſed una illi cauſa eſt beneplacitum æternum, quo nos prædeſtinavit. Quomodo ſophiſtas non pudet alios reſpectus miſcere, quum Paulus tam diligenter prohibeat aliud quam ſolum Dei beneplacitum intueri? Tandem ne quid deeſſet, addidit verbum ἐχαρίτωσεν ἐν χάριτι. quo ſignificat, gratuito, non mercenario amore Deum nos complecti nunc & habere acceptos: ſicuti nondum natos, per aliud quam à ſeipſo non provocatus, elegit. Cauſam tamen materialem tam electionis æternæ, quam nunc patefacti amoris, ponit *Chriſtum*, quem *Dilectum* nominat: ut ſciamus Dei amorem in nos ab illo diffundi. proinde ideo dilectus eſt, ut nos reconciliet. Summum & ultimum finem mox adjungit, glorioſam laudem ejus tantæ gratiæ. Quiſquis ergo hanc gloriam obſcurat, æternum Dei conſilium evertere nititur. talis eſt ſophiſtarum doctrina, quæ omnia ſurſum deorſum verſat, ne uni Deo in ſolidum tota ſalutis noſtræ gloria tribuatur.

7. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus,

8. Qua exundavit in nos in omni ſapientia & prudentia:

9. Patefacto nobis arcano voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod in ſeipſo propoſuerat,

10. In diſpenſationem plenitudinis temporum: ut recolligeret omnia in Chriſto, tam quæ in cælis ſunt, quam quæ ſuper terram in ipſo.

11. Per quem etiam in ſortem adſciti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui omnia efficit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ:

12. Ut ſimus in laudem gloriæ ipſius, nos qui ante ſperavimus in Chriſto.

7. *In quo habemus.*] Hoc ad cauſam materialem adhuc pertinet. nam exponit qualiter Deo reconciliati fuerimus per Chriſtum: nempe quia morte ſua Patrem nobis placavit. Ergo ſemper ad Chriſti ſanguinem convertere animos oportet, dum in eo gratiam quærimus. Dicit autem, Sanguine Chriſti redemptionem nobis eſſe partam: quam Remiſſionem peccatorum appoſitive nuncupat. quo ſignificat, ideo nos redemptos eſſe, quia non imputentur nobis peccata. Inde enim eſt gratuita juſtitia, qua accepti ſumus Deo, per quam à diaboli & mortis vinculis ſolvimur. Notanda igitur diligenter eſt iſta appoſitio, quæ redemptionis modum definit: quamdiu enim manemus obnoxii Dei judicio, miſeris vinculis conſtricti ſumus. ideoque ſolutio à reatu inæſtimabilis eſt libertas. *Secundum divitias.* Iterum redit ad cauſam efficientem: ideo nobis datum eſſe redemptorem Chriſtum, quia Deus benefaciendo largus eſt. Divitias autem hic ad amplificationem ponit, ſicuti & verbum *exundandi.* Adeo ſibi non poteſt in extollenda Dei bonitate ſatisfacere, ut totas hominum mentes ejus admiratione abſorbeat. atque utinam hac quam commendat gratiæ opulentia penitus imbutæ fuiſſent hominum mentes. quia locum non repetiſſent ſatisfactionum commenta, & tales nugæ quibus perſuaſus fuit mundus ſeipſum redimere: acſi areſceret Chriſti ſanguis, niſi adventitiis ſubſidiis adjutus.

8. *In omni ſapientia.*] Jam ad cauſam formalem deſcendit, nempe ad Euangelii prædicationem, per quam in nos exundat Dei bonitas. nam fide nobis communicatur Chriſtus, per quem ad Deum pervenimus, per quem fruimur adoptionis beneficio. Porro Euangelium ornat ſplendidis titulis *ſapientiæ & prudentiæ*, ut contrarias omnes doctrinas deſpiciant Ephesii. nam hoc colore ſe inſinuabant pſeudoapoſtoli, ſublimius ſe quiddam afferre traditis à Paulo rudimentis. Et diabolus etiam quo fidem noſtram labefactet, quantum poteſt, Euangelio detrahere molitur. contra Euangelii auctoritas adſtruitur à Paulo, ut ſecure in eo acquieſcant fideles. *Omni ſapientia* plenam aut perfectam ſignificat. Quia autem quoſdam terrebat novitas, huic etiam errori tempeſtive occurrit, dum vocat *arcanum divinæ voluntatis:* ſed tamen arcanum quod nunc Deus patefacere voluerit. Quemadmodum autem prius electionis cauſam Dei beneplacito adſcripſit, ita etiam nunc eandem ſtatuit cauſam in vocatione: ut agnoſcant Epheſii Chriſtum ſibi innotuiſſe, & prædicatum Euangelium: non quia promeriti quicquam tale fuerint, ſed quia Deo placuerit.

9. *Quod in ſeipſo propoſuerat, In diſpenſat.*] Prudenter ſingula ordine ſuo digerit. quid enim æquius quam ſoli Deo nota eſſe ſua conſilia, quæ homines lateant quamdiu apud ſe ea tenere vult? rurſus vero in ejus arbitrio ac poteſtate eſſe, tempus præfigere quo in hominum notitiam veniant? utrumque igitur docet: fuiſſe hactenus abſconditum illud de adoptandis Gentibus decretum in Dei mente: ſic tamen ut penes ſe contineret uſque ad tempus revelationis. Si quis nunc conqueratur rem eſſe novam & inſolentem, quod in Eccleſiam cooptantur qui alieni fuerant à Deo: nonne iniquus eſt qui Deo nihilo plus ſcire permittat quam hominibus? Ne quis autem quærat cur nunc potius quam alio quovis tempore: hanc curioſitatem antevertit, Præſtitutum à Deo tempus vocans *plenitudinis*, hoc eſt, maturum & opportunum. quemadmodum ad Galatas capite 4. v. 4. Coerceat igitur ſe humana audacia, & in æſtimandis rerum vicibus, Dei providentiæ ſubjiciat. eodem ſpectat verbum Diſpenſationis: nam ex Dei judicio pendet legitima rerum omnium adminiſtratio.

10. *Ut recolligeret.*] Vetus interpres habet Inſtaurare. Eraſmus addidit Summatim. ego verbi Græci ἀνακεφαλαιώσασθαι propriam ſignificationem retinere malui, quia contextui melius congruebat. Voluit enim, meo judicio, docere Paulus, omnia extra Chriſtum diſſipata, per ipſum in ordinem redacta eſſe. Et ſane extra Chriſtum quid in mundo cernere licet præter meras ruinas? nam quum alienati à Deo ſimus per peccatum, qui fieri poteſt ut non ſimus miſerum in modum palati ac disjecti? Hic enim rectus eſt ſtatus creaturarum, ut Deo adhæreant. talem ἀνακεφαλαίωσιν, quæ nos in ordinem rite compoſitum reſtitueret, Apoſtolus in Chriſto dicit fuiſſe factam. Siquidem in ejus corpus coaleſcendo, & Deo unimur, & inter nos mutuo ſumus conjuncti: denique ſine Chriſto totus mundus eſt quaſi deforme chaos & horrenda confuſio. Solus ipſe nos colligit in veram unitatem. ſed cur cæleſtes creaturas ponit in hoc numero? neque enim unquam Angeli fuerunt à Deo ſeparati: proinde nec diſperſi. Alii ſic exponunt, Angelos ideo dici collectos, quia illis coadunati fuerint homines, ut pariter utrique Deo conjuncti, in hac beata unitate communem beatitudinem obtineant. quemadmodum totum ædificium inſtauratum dicere ſolemus, quod multis partibus vel ruinoſum vel collapſum erat, etiamſi aliquæ partes integræ ſtarent. Hoc quidem verum eſt. nihil tamen impedit quominus Angelos quoque dicamus recollectos fuiſſe, non ex diſſipatione, ſed primum ut perfecte & ſolide adhæreant Deo: deinde ut perpetuum ſtatum retineant. Quæ enim proportio creaturæ ad Creatorem, niſi intercedat Mediator? quatenus vero ſunt creaturæ, niſi Chriſti beneficio eximerentur, mutationi eſſent obnoxii & defectioni: ac propterea nec æternum beati. quis ergo neget tam Angelos quam homines in firmum ordinem Chriſti gratia fuiſſe redactos? homines enim perditi erant: Angeli vero non erant extra periculum. Utroſque igitur Chriſtus in corpus ſuum coadunando, Deo Patri conjunxit, ut vera harmonia in cælo & in terra conſtaret.

11. *Per quem etiam.*] Nunc diſtributione uti incipit. hactenus de omnibus electis loquutus eſt in genere: nunc de ſe & Judæis loquitur: vel ſi mavis, de omnibus, qui erant veluti Chriſtianiſmi primitiæ. deinde ad Epheſios deſcendit. Hoc porro ad ipſorum confirmationem non parum facit (de Epheſiis loquor) quod eos ſibi & reliquis fidelibus accenſet, qui erant tanquam primogeniti in Eccleſia: acſi diceret, Eadem eſt piorum omnium conditio cum veſtra. nos enim quos primo loco vocavit Deus, acceptum hoc ferimus æternæ ejus electioni. Ita omnes à primo (ut loquuntur) ad ultimum, mera gratia ſalutem adeptos docet: quia gratis ſecundum æternam electionem adoptati fuerint. *Qui omnia efficit.* Notanda eſt periphraſis, qua deſcribit Deum omnia ſolum ita agentem ſuopte conſilio, ut nihil homini relinquat. nulla igitur ex parte homines admittit in hujus laudis ſocietatem, quaſi aliquid de ſuo adferrent. Nihil enim extra ſe reſpicit Deus, quo flectatur ad nos eligendos: quandoquidem ſolum illi propriæ voluntatis decretum cauſa eſt eligendi, & quidem intrinſeca, ut vocant. quo refellitur eorum error, imo veſania, qui niſi rationem perſpiciant in Dei operibus, ejus conſilio obſtrepere non deſinunt. Finem iterum repetit, *Ut ſimus in laudem* &c. quia tunc demum illuſtratur in nobis Dei gloria, ſi nihil ſimus quam vaſa ejus miſericordiæ. Ac nomen Gloriæ, κατ᾽ ἐξοχὴν, peculiariter eam ſignificat, quæ elucet in Dei bonitate. nihil enim magis eſt illi proprium in quo glorificari velit, quam bonitas.

13. In quo vos etiam, audito ſermone veritatis, Euangelio ſalutis veſtræ: in quo etiam poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.

14. Qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitæ poſſeſſionis, in laudem gloriæ ejus.

Hic ſocios ſibi & reliquis, qui veluti primitiæ erant, Epheſios adjungit. nam ſimiliter eos in Chriſto ſperaſſe dicit. Huc autem ſpectat, ut oſtendat eandem eſſe utriſque fidem. ideo repetendum eſt verbum Speraſtis. Poſtea ſubjicit quomodo ad ſpem illam adducti fuerint, nempe per Euangelii prædicationem. Duplici autem epitheto Euangelium ornat, quod ſit ſermo veritatis, & quod Epheſiis fuerit ſalutis inſtrumentum. Hæc duo epitheta diligenter obſervanda ſunt. nam quum nihil magis moliatur Satan, quam ut vel contemptu Euangelii, vel dubitatione mentes noſtras imbuat: duobus clypeis nos hic Paulus munit, quibus utramque tentationem propulſemus. ergo adverſus omnes dubitationes hoc teſtimonium opponere, Euangelium non modo certam eſſe veritatem, quæ fallere nequit: ſed κατ' ἐξοχὴν vocari *Sermonem veritatis*, quaſi extra ipſum nulla eſſet proprie veritas. deinde ne quo unquam vel contemptu vel tædio ſollicitemur, occurrat quæ ſit ejus vis & effectus: hoc eſt, quod ſalutem nobis afferat. quemadmodum alibi
Rom. 1. verſ. 19. docet, eſſe Dei potentiam in ſalutem credentibus. quanquam hic plus exprimit: ſignificat enim experimento hoc perceptum fuiſſe ab Epheſiis, quia ſalutis facti fuerint compotes. Miſeri igitur, qui per multas ambages vagando ſe fatigant: ſicuti mundus ex magna parte, Euangelio poſthabito ſe erraticis commentis oblectat. quia diu diſcendo, nunquam ad ſcientiam veritatis pervenient: nec vitam reperient. Beati autem qui Euangelium amplexi, in eo conſtanter manent: quum indubia ſit veritas & vita.

13. *In quo etiam poſtquam credidiſtis.*) Probatio illius certitudinis quam Euangelio tribuerat. quo enim magis idoneo ſponſore confirmari poteſt, quam Spiritu ſancto? perinde ergo valet hoc ac ſi dixiſſet, Quod Euangelium nuncupavi Sermonem veritatis, id non probabo vobis hominum auctoritate: quia auctorem habetis ipſum Dei Spiritum, qui ejus fidem in cordibus veſtris obſignat. Eſt autem elegans ſimilitudo à ſigillis ſumpta, quibus inter homines tollitur ambiguitas. Sigillis enim authentica redduntur tam diplomata quam teſtamenta. ſigillum quoque olim in literis præcipua nota erat, unde agnoſcerentur. denique ſigillum eſt quod genuina & certa ab adulterinis & ſuppoſititiis diſcernit. Hoc officium Spiritui ſancto tribuit Paulus, non hic tantum, ſed infra etiam quarto capite, ſicuti & 2. Corinth. cap. 1. v. 26. Neque enim ea nobis animi firmitudo conſtat, ut veritas Dei adverſus omnes Satanæ tentationes apud nos prævaleat, donec Spiritus ſanctus in ea nos confirmaverit. Vera igitur perſuaſio, quam de verbo Dei, de ſalute ſua, de tota religione habent fideles: non eſt ex ſenſu carnis, non ex humanis aut Philoſophicis rationibus, ſed ex Spiritus obſignatione, qui illorum conſcientias ita reddit certiores, ut dubitationem omnem eximat. Caducum enim ac inſtabile eſſet fidei fundamentum, ſi in humana ſapientia locatum eſſet. ergo ſicuti prædicatio inſtrumentum eſt fidei, ita Spiritus ſanctus facit ut prædicatio ſit efficax. Sed videtur hic Spiritus obſignationem, fidei ſubjicere: quod ſi verum eſt, fides illam præcedit. Reſpondeo, duplicem eſſe effectum Spiritus in fide, ſicuti fides duabus præcipue partibus continetur: nam & mentes illuminat, & animos confirmat. Initium fidei, eſt notitia: conſummatio, eſt firma & ſtabilis perſuaſio, quæ contrariam dubitationem nullam admittat. Utrumque opus eſt Spiritus, ut dixi. Proinde non mirum eſt ſi dicat Paulus, non ſolum fide percepiſſe Epheſios Euangelii veritatem, ſed in ea fuiſſe ſigillo Spiritus ſancti confirmatos. hac ratione appellat *Spiritum promiſſionis*: ab effectu ſcilicet. Facit enim ne fruſtra nobis offeratur ſalutis promiſſio. nam ſicut Deus verbo ſuo promittit ſe nobis fore in patrem: ita Spiritu ſuo teſtimonium adoptionis ſuæ nobis reddit.

14. *Qui eſt arrhabo.*) Hoc quoque epitheto bis utitur in ſecunda ad Corinthios, primo & quinto capite. Similitudo ſumpta eſt à contractibus, qui arrha data ſic ſtabiliuntur, ut non amplius locus ſit pœnitentiæ. Ita, accepto Dei Spiritu, promiſſiones Dei ratas habemus, nec timemus periculum retractationis. non quia Dei promiſſiones per ſe infirmæ ſint: ſed quia niſi Spiritus teſtimonio ſuffulti, nunquam in illis ſecure acquieſcimus. Eſt igitur Spiritus nobis arrhabo hæreditatis noſtræ, hoc eſt, vitæ æternæ in redemptionem: hoc eſt, quouſque veniat dies plenæ redemptionis. Quamdiu enim ſumus in mundo, quia ſub ſpe militamus, opus habemus hac arrha: ubi autem poſſeſſio ipſa exhibita fuerit, jam ceſſabit neceſſitas & uſus arrhæ. nam eouſque valet arrhæ ſymbolum, dum utrique ſatisfactum fuerit contractui. ideo infra capite quarto, v. 30. dicet, Uſque in diem redemptionis. Loquitur autem de die judicii. nam etſi jam Chriſti ſanguine redempti ſumus, nondum tamen hujus redemptionis fructus extat: quia omnis creatura adhuc ingemiſcit, cupiens à corruptione eximi. Nos etiam qui primitias Spiritus accepimus, ad eandem liberationem votis ferimur: quia nondum eam ſumus adepti, niſi ſpe. fruemur autem re ipſa, quum Chriſtus in judicium apparuerit. Hoc ſenſu vocabulum *Redemptionis* capit Paulus ad Romanos cap. 8. v. 23. & Dominus quum dicit, Attollite capita veſtra, appropinquat Luc. 21. verſ. 28.
redemptio veſtra. περιποιήσεως, quam Latino vertimus, Acquiſitam hæreditatem, non eſt regnum cælorum aut beata immortalitas, ſed ipſa Eccleſia. Eſt autem hoc additum ad eorum conſolationem, ne grave ſit illis expectationem ſuam fovere uſque ad diem adventus Chriſti, ne indignum reputent, ſi nondum hæreditatis ſibi promiſſæ ſint compotes: quum hæc univerſæ Eccleſiæ ſors ſit communis. *In laudem gloriæ.* Laus hic, ut paulo ante, loco Prædicationis capitur. Gloria ejus latere interdum poteſt, vel eſſe obſcura. ideo dicit Paulus, Deum in Epheſiis documenta ſuæ bonitatis edidiſſe, ut gloria ſua decantetur, ac palam illuſtris fiat. unde ſequitur, invidos eſſe, & obtrectatores gloriæ Dei quicunque Epheſiorum vocationi obtrectant. Quod autem toties commemorationem gloriæ Dei repetit, non debet videri ſupervacuum. nam de re infinita nihil poteſt dici immodice. Præſertim valet hoc in commendanda Dei miſericordia, cujus ſenſum, quiſquis vere pius erit, nunquam poterit verbis æquare. Itaque tam narrandis ejus encomiis promptas eſſe pias omnes linguas, quam aures libenter audiendis apertas eſſe convenit. hoc enim argumentum eſt, in quo ſi totam ſuam facundiam explicent tam Angeli quam homines, magnitudini tamen longe cedent. Deinde obſervemus, nullam eſſe magis validam refutationem ad obſtruenda impiorum ora, quam ſi oſtenderimus gloriam Dei aſſeri à nobis, ab illis vero obſcurari.

15. Quapropter ego etiam, audita fide quæ apud vos eſt in Domino Jeſu, & charitate erga omnes ſanctos,

16. Non ceſſo gratias agere pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:

17. Ut

17. Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ipſius,

18. Illuminatos oculos mentis veſtræ, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ipſius, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis,

19. Et quæ ſuperexcellens magnitudo potentiæ ejus erga nos, qui credidimus ſecundum efficaciam potentiæ roboris ejus.

15. *Quapropter.*] Hæc gratiarum actio non modo teſtimonium amoris erat erga Ephesios, ſed etiam judicii quod de illis habebat Paulus: nam ita coram Deo illis gratulabatur. quod illis perquam honorificum fuit. Nota autem, Paulum ſub fide & charitate ſummatim complecti totam Chriſtianorum perfectionem. Fidem dicit in Chriſto, quia proprius fidei ſcopus, & objectum (ut vulgo dicunt) ipſe eſt. Charitas ad univerſos quidem mortales extendi debet: ſed hic peculiaris fit mentio *ſanctorum*: quoniam ab ipſis incipit charitas rite ordinata, deinde ad alios omnes derivatur. Nam ſi Deum reſpicere debet charitas noſtra, quo quiſque propius ad eum accedit, eo ſuperiorem gradum obtinet.

16. *Memoriam veſtri.*] Gratiarum actioni, more ſuo, adjungit precationem, ut eos ſtimulet ad ulteriorem profectum. nam utrumque neceſſe erat, ut intelligerent Ephesii rectum curſum ſe eſſe ingreſſos, ne ad novum doctrinæ genus ſe reflecterent: & tamen ſibi longius pergendum eſſe ſcirent. nam ſpiritualium bonorum ſatietate nihil periculoſius. Ergo quantacunque excellentia polleamus, ſemper accedat proficiendi ſtudium. Sed quid optat Ephesiis Paulus? Spiritum ſapientiæ, & illuminatos cordis oculos. annon habebant? imo. ſed opus ſimul habebant incrementis, ut ampliore Spiritu donati, magiſque ac magis illuminati, certius & penitius tenerent quod jam tenebant. Nunquam enim tam liquida eſt piorum cognitio, quin adhuc aliqua veluti lippitudine laborent eorum oculi, & aliqua obſcuritate impediantur. Verum ſingula verba expendamus. *Deus*, inquit, *Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ideo enim homo factus eſt ipſe Filius Dei, ut communem nobiſcum Deum haberet: quemadmodum teſtatur, *Joan. 10. verſ. 17.* Aſcendo ad Deum meum & Deum veſtrum. Atque hac ratione Deus eſt noſter, quia Deus eſt Chriſti, cujus membra ſumus. Hoc tamen ad humanam naturam pertinere meminerimus: ut ejuſmodi ſubjectio nihil æternæ ejus divinitati deroget. Eundem vocat *Patrem gloriæ:* qui titulus ex priore emergit. elucet enim in eo glorioſa Dei paternitas, quod Filium ſuum conditioni noſtræ ſubjecit, ut per ipſum fieret Deus noſter. Patrem gloriæ, pro Patre glorioſo, ex uſu linguæ Hebraicæ dici notum eſt. ideo hæc duo ſimul jungi non inepte poſſunt, quod ſit glorioſus Chriſti Pater: ut Dei nomen ſeorſum legatur. quod mihi non diſplicet. *Spiritus* vero *ſapientiæ & revelationis* pro ipſa gratia capitur, quam Dominus per Spiritum ſuum nobis confert. eſt enim metonymica loquutio. Sed notemus quæ dona ſunt Spiritus, non eſſe naturæ dotes. ita cæci ſunt nobis oculi cordis, donec aperiantur à Domino. ſtultitia eſt ac ignorantia quicquid ſapimus, donec Spiritus magiſterio fuerimus edocti. denique vocationis divinæ cognitio captum ingenii noſtri ſuperat, donec arcana revelatione, Spiritus Dei eam nobis patefecerit. Ubi vertimus, *In agnitione ipſius*, legi etiam poteſt, In agnitione ſui: & utrumque optime quadrat. Nam qui novit Filium, novit & Patrem. ſed tamen quod ferebat relativi proprietas, reddere malui. Cordis nomen quod poſuit vetus Interpres, in quibuſdam Græcis codicibus legitur: nec multum eſt momenti, quia Hebræi pro rationali animæ parte ſæpe uſurpant, licet alioqui proprie voluntatem ſignificet, vel partem animæ appetitivam, quia eſt ſedes affectuum. prætuli tamen quod magis erat uſitatum.

18. *Quæ divitiæ.*] Rei excellentiam prædicat, ut ipſa comparatio nos admoneat quam ſimus impares tam ſublimi notitiæ. neque enim parva res eſt Dei potentia. Ejus autem magnitudinem exertam eſſe dicit erga Ephesios: neque id ſimpliciter, ſed cum exuperantia. Porro huc ſemper incumbit ut vocationem ſuam proſequantur. Ideo magnificat Dei gratiam erga ipſos, ne contemptu aut faſtidio reſiliant. ſed interim monent nos tam ſplendida elogia, adeo non vulgare Dei opus ac donum eſſe fidem, ut ſatis pro dignitate celebrari nequeat. neque enim hyperbolas ſine delectu efflat Paulus: ſed ubi de fide agitur, quia res eſt mundo ſuperior, in admirationem cæleſtis potentiæ nos attollit.

19. *Secundum efficaciam* &c.] Hoc aliqui referunt tantum ad verbum Credendi, quod proxime præceſſit: ſed ego potius magnitudinem potentiæ complector, ut nova ſit amplificatio. acſi diceret, in illa magnitudine potentiæ apparuiſſe quanta ſit efficacia potentiæ roboris: vel ſi mavis, illam magnitudinem potentiæ, ſpecimen eſſe ac documentum efficaciæ roboris. Supervacua videtur repetitio vocabuli *δυνάμεως*: ſed priore loco reſtringitur ad ſpeciem unam: ſecundo autem generaliter capitur. Videmus ut ſibi nunquam ſatisfaciat Paulus in prædicanda noſtra vocatione. Et ſane mirifica Dei virtus hic ſe profert, quum à morte traducimur ad vitam: atque ex filiis gehennæ, filii Dei, & vitæ æternæ hæredes efficimur. Stulti homines frigidam eſſe hyperbolen hoc loco putant: ſed qui variis conſcientiæ certaminibus, quibuſcum pii quotidie confligunt, ſunt exercitati, facile agnoſcunt nihil hic amplius fuiſſe dictum quam oportuerat. Nam quia pro rei dignitate nihil poſſit dici nimium, partim diffidentiæ noſtræ, partim ingratitudinis cauſa tam magnifice loquutus eſt Paulus. Nam aut nunquam ſatis digne reputamus quantus ſit theſaurus qui nobis proponitur in Euangelio: aut ſi id vere ſentiamus, non poſſumus nobis perſuadere, ejus nos eſſe capaces: quia nihil in nobis cernimus quod reſpondeat: quin potius adverſa omnia. Ergo Paulus tam in eo elaboravit, ut regni Chriſti gloriam extolleret apud Ephesios, quam ut ſerio divinæ gratiæ ſenſu afficeret eorum animos. Ne autem propriæ indignitatis reſpectus eos dejiceret, revocat eos ad conſiderandam Dei potentiam: acſi diceret, eorum regenerationem opus eſſe Dei: neque id vulgare, ſed in quo immenſam ſuam virtutem mirabiliter declaraverit. Cæterum inter tria nomina quæ hic poſuit, hoc intereſt, quod *robur* eſt quaſi radix: *potentia* autem, arbor: *efficacia*, fructus. eſt enim extenſio divini brachii, quæ in actum emergit.

20. Quam exeruit in Chriſto, dum illum excitavit à mortuis, & ſedere fecit in dextera ſua, in cæleſtibus.

21. Super omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non tantum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro.

22. Et omnia ſubjecit pedibus ejus, & ipſum poſuit caput ſuper omnia Eccleſiæ:

23. Quæ eſt corpus ejus, & complementum ejus, qui omnia in omnibus adimplet.

20. *Quam exeruit in Chriſto.*] Verbum Græcum eſt, ἐνήργησε, unde ἐνέργεια: perinde acſi Latine dicas, Secundum efficaciam quam effecit. Sed quod ego tranſtuli, idem valet, & minus eſt durum. Merito autem hic nos potentiam illam in Chriſto intueri ju-
1 Cor. 12. verſ. 9. bet. nam in nobis adhuc latet: quia virtus Dei in infirmitate perficitur. In quo enim filios mundi præcellimus, niſi quod videtur noſtra conditio aliquanto deterior? Peccatum quidem etiamſi non regnet, adhuc tamen in nobis habitat, mors adhuc viget. Beatitudo ſub ſpe incluſa, non perſpicitur à mundo. virtus Spiritus, res eſt carni & ſanguini incognita: interim mille ærumnis ſumus nbnoxii, ut magis ſimus quam alii deſpicabiles. Solus itaque Chriſtus ſpeculum eſt, in quo contemplari liceat quod in nobis propter crucis infirmitatem ſubobſcurum eſt. Ita quum fiducia juſtitiæ, ſalutis, & gloriæ erigendi ſunt animi, diſcamus eos ad Chriſtum convertere. Nos enim adhuc mortis ſubjacemus imperio: ille cæleſti potentia excitatus à mortuis, vitæ dominium habet. nos ſub peccati ſervitute laboramus, & infinitis miſe-
1 Tim. 1. verſ. 18. riis circumdati militamus duram militiam: ille ad dextram Patris ſedens, ſummam in cælo & terra gubernationem obtinet, & devictis ſubactiſque hoſtibus, magnificum triumphum agit. nos hic contempti & ignobiles jacemus: illi datum eſt nomen quod Angeli & homines reverentur, diaboli etiam & impii reformident. nos hic donorum omnium inopia premimur: ille omnium arbiter ac diſpenſator conſtitutus eſt à Patre. His de cauſis operæpretium eſt, ſenſus noſtros in Chriſtum transferre, ut in eo, quaſi in ſpeculo, glorioſos divinæ gratiæ theſauros, & immenſam virtutis magnitudinem cernamus, quæ nondum in nobis ſunt conſpicua. *Sedere fecit in dextera.* Hic locus aperte oſtendit, ſi quis alius, quid ſignificet Dei dextera: non locum ſcilicet aliquem, ſed poteſtatem quam Pater Chriſto contulit, ut ejus nomine cæli & terræ imperium adminiſtret. quare
Actor. 7. frustra de eo litigant quidam, quod Stephanus vide-
v.55, 56. rit eum ſtantem, quem Paulus hic ſedere ſcribit. neque enim hoc ad corporis collationem pertinet: ſed ſummam regnandi auctoritatem exprimit, qua præditus eſt Chriſtus. Hoc ſonant Pauli verba, Super omnem principatum, &c. nam totum hoc complexum exegetice additum eſt, ad exprimendam dexteræ ſignificationem. Dicitur ergo Deus Pater Chriſtum extuliſſe ad dexteram ſuam, quia conſortem ipſum imperii ſui fecerit, quia per ipſum omnem ſuam poteſtatem exerceat: ſimilitudine à terrenis principibus ſumpta, qui ſuos præfectos aſſidere ſibi jubent, honoris cauſa. Quum autem dextera Dei cælum & terram impleat, ſequitur, regnum Chriſti ubique diffuſum eſſe, atque etiam virtutem. Unde perperam faciunt, qui ea ſeſſione ad dexteram Dei conantur probare, Chriſtum nonniſi in cælo eſſe. Eſt quidem id veriſſimum, in cælo eſſe Chriſti humanitatem, non in terra: ſed probatio illa non convenit. Nam quod mox ſequitur, *in cæleſtibus*, non eo tendit ut Dei dexteram cælo includat: ſed ut ſciamus Chriſtum eo altitudinis evectum eſſe, ut in cæleſti Dei gloria, in beata immortalitate, inter Angelos ſummum faſtigium obtineat.

21. *Super omnem principatum.*] Non dubium quin his nominibus Angelos deſignet: qui ſic ideo nuncupantur, quod Deus per ipſorum manum, ſuam poteſtatem, virtutem & dominationem exerceat. Solet enim, quatenus quod ſibi proprium eſt creaturis communicat, ita ſuum illis nomen adſcribere. qua ratione vocantur אלהים. Porro quemadmodum ex diverſitate nominum colligimus diverſos ordines: ita ſubtilius de illis inquirere, & numerum finire, & gradus ſtatuere, non modo ſtultæ eſt curioſitatis, ſed temeritatis etiam impiæ ac periculoſæ. Cur autem non ſimpliciter nominavit Angelos? Reſpondeo, amplificandæ Chriſti gloriæ cauſa Paulum exaggeraſſe hos titulos: acſi diceret, Nihil eſt tam ſublime aut excellens, quocunque nomine cenſeatur, quod non ſubjectum ſit Chriſti majeſtati. Vetus enim fuit illa ſuperſtitio, ac tam Gentibus quam Judæis communis, multa de Angelis comminiſci, quæ à Deo mentes & vero Mediatore abſtraherent. Quare hoc ubique cavet Paulus, ne imaginarius ille Angelorum fulgor oculos hominum perſtringat, & ita Chriſti ſplendorem obſcuret: & tamen non potuit efficere ſua diligentia quin Diaboli aſtus in hac parte prævaleret. Videmus enim ut mundus in Angelis perperam occupatus, à Chriſto diſceſſerit. Neceſſe enim eſt ita accidere, ut inter fictitias de Angelis opiniones pura Chriſti opinio evaneſcat. *Super omne nomen.* Hic Nomen pro Amplitudine vel excellentia capitur: ſicuti Nominari, pro Fama & laudibus celebrari. *Seculi* autem *futuri* diſertam facit mentionem, ut ſignificet non temporalem eſſe Chriſti excellentiam, ſed æternam: nec mundo contineri, ſed florere etiam in Dei regno. unde & Jeſaias illum nuncupat Patrem Ieſa. 9.
futuri ſeculi. Summa, Omnes Angelorum & homi- verſ. 6.
num glorias in ordinem cogit, ut Chriſti gloriæ locum cedant: quod ſola abſque ullis impedimentis ſuperemineat.

22. *Ipſum poſuit caput.*] Hoc eſt, ea conditione illum Eccleſiæ caput præfecit, ut omnium diſpenſationem habeat. Significat autem non eſſe nudum honorem, quod caput Eccleſiæ conſtitutus eſt: quia ſimul plena rerum omnium poteſtas & adminiſtratio illi ſit commiſſa. Metaphora Capitis, hic ad eminentiam refertur. De nomine non libenter litigo: ſed hodie idoli Romani adulatores ſua improbitate nos ad id cogunt. Nam quum Chriſtus ſolus vocatur caput, certe omnes tam Angeli quam homines in ordinem membrorum coguntur: ut qui excellit maxime ſupra alios, ſit tamen unum ex membris ſub communi capite. atqui nihil eos pudet Eccleſiam clamitare ἀκέφαλον futuram, niſi unum habeat præter Chriſtum in terris caput. Hoc vero fœdiſſimum eſt ſacrilegium, tam parum honoris Chriſto tribuere, ut mutila Eccleſia cenſeatur, ſi ſolus ipſe obtineat honorem à Patre ſibi collatum. Nos autem audiamus Apoſtolum pronunciantem, Eccleſiam eſſe corpus illius: quo ſignificat indignos eſſe Eccleſiæ communione qui illi ſe ſubmittere recuſant: nam unitas Eccleſiæ ab ipſo uno pendet.

23. *Complementum ejus.*] Hic vero ſummus honor eſt Eccleſiæ, quod ſe Filius Dei quodammodo imperfectum reputat, niſi nobis ſit conjunctus. Quanta conſolatio, dum audimus tunc demum ſuis omnibus partibus conſtare, & integrum velle haberi, dum nos ſecum habet! unde in priore ad Corinthios, dum ſimilitudinem tractat humani corporis, ſub uno Chriſti nomine totam Eccleſiam complectitur. Ne quis tamen ita accipiat quaſi aliquid deſit Chriſto ſi fuerit à nobis ſeparatus: continuo Paulus addit, *ipſum omnia in omnibus implere.* Quod ergo vult impleri, & perfectus quodammodo eſſe in nobis, id non accidit ex defectu, vel inopia: quum omnia ipſe perficiat tam in nobis, quam in creaturis omnibus: ac eo major apparet ejus bonitas; quod ex nihilo nos eſſe facit, ut ſit ipſe quoque viciſſim in nobis, ac vivat. Quanquam vocem Omnia, reſtringere ad circumſtantiam præſentis loci, non erit abſurdum. Nam utcunque Chriſtus omnia perficiat nutu virtuteque ſua: tamen ſpecialiter loquitur hic Paulus de ſpirituali Eccleſiæ gubernatione. Nihil quidem impedit quominus de univerſali mundi gubernatione accipias: ſed probabile eſt ad præſentem circumſtantiam reſtringi.

CAP. II.

ET vos quum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris,

2. In quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aëris, ſpiritus ſcilicet qui nunc operatur in filiis inobedientiæ.

3. Inter quos nos quoque omnes aliquando converſati ſumus in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes quæ carni libebant & menti: & eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri.

1. *Et vos quum eſſetis.*] Epexergaſia ſuperiorum, hoc eſt, expoſitio cum illuſtratione: nam quo melius Epheſiis accommodet generalem illam gratiæ prædicationem, priſtinum illis ſtatum in memoriam reducit. Sunt autem duo membra hujus applicationis: vos quondam eratis perditi, nunc Deus vos ſua gratia ab exitio liberavit. Sed dum in utroque membro exaggerando immoratur, hyperbato abſcindit orationem. Cæterum utcunque verba nonnihil ſint perplexa, ſenſus tamen clarus eſt: modo ad illas duas partes referamus quicquid dicit. Nunc de priore videamus. Dicit *mortuos fuiſſe*, & ſimul exprimit mortis cauſam, nempe *peccata.* Non intelligit ſolum fuiſſe in mortis periculo: ſed realem mortem ſignificat ac præſentem, qua jam erant oppreſſi. Nam quum ſpiritualis mors nihil aliud ſit, quam alienatio animæ à Deo: omnes mortui naſcimur, & mortui vivimus, donec efficiamur vitæ Chriſti participes.

Joan. 5. verſ. 28.

unde illud Joannis, Jam venit hora ut mortui audiant vocem Filii Dei: & qui audierint, vivant. Papiſtæ, qui in hoc toti incumbunt ut quovis modo extenuent Dei gratiam, dicunt nos extra Chriſtum eſſe ſemimortuos: atqui non fruſtra Dominus ipſe & deinde Apoſtolus nos penitus excludunt à vita, quamdiu manemus in Adam: nec fruſtra regenerationem pronunciant eſſe novam animæ vitam, qua à mortuis reſurgat. Fateor ſane reſtare nobis aliquam vitam, dum adhuc à Chriſto ſumus alieni: nam infidelitas non extinguit omnem ſenſum, nec voluntatem, nec alias animæ facultates. Sed quid hoc ad regnum Dei? quid ad beatam vitam, ubi quicquid ſentimus ac volumus, mors eſt? Maneat ergo illud, conjunctionem animæ noſtræ cum Deo, veram eſſe & unicam ejus vitam: ac proinde extra Chriſtum nos eſſe penitus mortuos, quia regnat in nobis peccatum, mortis materia.

2. *In quibus aliquando ambulaſtis.*] Ab effectis vel fructibus evincit, peccatum in ipſis olim regnaſſe. neque enim vim peccati ſatis intelligunt homines, niſi quum emergit in externa opera. Quum addit, *Secundum ſeculum mundi hujus*, mortem illam cujus meminit, graſſari in hominum natura ſignificat, ut malum ſit univerſale. neque enim curſum mundi intelligit, qui à Deo eſt ordinatus: neque elementa, ut ſunt cælum, & terra, & aër: ſed pravitatem qua infecti ſumus omnes, ut non ſit vitium aliquibus peculiare, ſed quod totum mundum occupat. *Secundum principem.* Ultra etiamnum progreditur, cauſam noſtræ corruptionis hanc demonſtrans, quod principatum in nos obtineat diabolus. quo nihil potuit, ad damnandum humanum genus, gravius dici. Quid enim nobis facit reliquum, qui nos diaboli mancipia eſſe pronunciat, ejuſque arbitrio ſubjacere, quamdiu extra Chriſti regnum vivimus? Merito itaque conditionem noſtram horrere debemus: utcunque multis arrideat, vel ſaltem minus diſpliceat. Ubi nunc liberum arbitrium, moderamen rationis, & moralis virtus, de quibus tantopere garriunt Papiſtæ? quid purum aut rectum invenient ſub tyrannide diaboli? Verum prudenter ſibi cavent, dum hanc Pauli doctrinam abominantur non ſecus ac ſummam hæreſim. Ego autem dico, in his verbis nihil eſſe obſcurum: univerſos mortales, qui ſecundum mundum, hoc eſt, carnis ſuæ ingenio, vivunt, ſub Satanæ regno militare. Porro ſingulari numero Diabolum nuncupat, uſitato Scripturæ more: nempe ſicut filiis Dei unum eſt caput, ita & impiis, quia utrique ſuum corpus efficiunt: Ergo malorum omnium principatus uni attribuitur, ut fiat una impietatis maſſa. Quod diabolo poteſtatem in aëre aſſignat, de eo poſtea videbimus capite ſexto. hoc tantum in præſentia notabimus, ridiculum fuiſſe delirium, quod Manichæi ex hoc loco duo principia adſtruere conati ſint: acſi quicquam, invito Deo, Satan poſſet. Neque enim ſummum imperium concedit illi Paulus, quod unius Dei arbitrio non ſubſit, ſed tyrannidem duntaxat, quam exerceat Dei permiſſu. quid enim eſt aliud Satan quam Dei carnifex, ut de hominum ingratitudine pœnas ſumat? idque ſonant Pauli verba: quia dicit eum eſſe efficacem in ſolis incredulis: nam ita eximit filios Dei ab ejus poteſtate. Quod ſi ita eſt, ſequitur ergo, Satanam nihil agere, niſi ſuperiore nutu: non ipſum eſſe αὐτεξούσιον. quanquam ſimul inde colligimus, nihil excuſationis habere impios, eo quod Satanæ impulſu ſcelera omnia perpetrent: qui fit enim ut ejus tyrannidi ſint obnoxii, niſi quod Deo ſunt rebelles? Quod ſi non alii Satanæ ſerviunt, niſi qui à Deo ſunt emancipati, imo qui illius obſequium ſubire renuunt: ſibi culpam imputent, quod tam pernicioſum habent dominum. *Filios inobedientiæ* pro contumacibus poſuit, more Hebraico. Et certe infidelitas ſemper comitem habet inobedientiam: adeoque ipſa eſt fons & mater omnis pervicaciæ.

3. *Inter quos nos quoque.*] Ne videatur contumelioſe exprobrare Epheſiis quales fuerint, aut Judaico ſupercilio Gentes dejicere, ſe quoque & ſui ſimiles illis aggregat. neque per hypocriſin hoc dicit, ſed vera confeſſione dat gloriam Deo. Quanquam mirum videri queat, quod fatetur ſe ambulaſſe in concupiſcentiis carnis, qui alibi jactat tota vita ſe fuiſſe irreprehenſibilem. Reſpondeo, hoc eſſe omnibus commune, qui nondum Spiritu Chriſti ſunt regenerati. nam utcunque in ſpeciem laudabilis ſit quorundam vita, quia non erumpunt in conſpectum hominum concupiſcentiæ: nihil tamen purum eſt nec incorruptum, extra fontem omnis puritatis.

Philipp. 3. verſ. 6.
1 Theſſ. 2. verſ. 10.

Notanda præterea definitio, quid ſit *ambulare ſecundum carnis concupiſcentias*, facere ſcilicet quæ carni libent ac menti: hoc eſt, vivere ad ingenii mentiſque ſuæ arbitrium: nam Caro hic ingenium, vel naturæ (quam vocant) inclinationem ſignificat. Additur nomen διανοιῶν, quæ à mente proficiſcuntur. Mens porro rationem, qualiſcunque eſt in homine à natura, comprehendit. quare nomen Concupiſcentiæ non tantum ad inferiores appetitus, vel ad partem ſenſualem, quam vocant, pertinet: ſed ad ſummum uſque pertingit. *Et eramus natura filii iræ.* Pronunciat univerſos, ſine exceptione, ſub reatu eſſe, donec per Chriſtum liberentur, tam Judæos quam Gentiles, quemadmodum ad Galatas cap. 2. ut nulla ſit juſtitia, nulla ſalus, nulla denique excellentia extra Chriſtum. Per filios iræ, ſimpliciter intellige perditos ac morte æterna dignos. Ira enim judicium Dei ſignificat: ideo *filii iræ* perinde valet atque coram Deo damnati. Tales fuiſſe Judæos, & quicunque in Eccleſia excelluerunt, Paulus hic docet: idque natura, id eſt, ipſa origine, & ab utero matris. Locus eſt inſignis adverſus Pelagianos, & quicunque peccatum originale negant: nam quod naturaliter ineſt omnibus, id certe eſt origi-

originale. naturaliter vero nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet. ergo peccatum in nobis hæret: quia Deus non damnat innocentes. Pelagiani cavillabantur peccatum ab Adam in univerſum humanum genus propagatum eſſe, non origine, ſed imitatione: ſed Paulus nos cum peccato gigni teſtatur, quemadmodum ſerpentes ſuum venenum ex utero afferunt. Alii, dum vere peccatum eſſe negant, non minus repugnant Pauli verbis: nam ubi damnatio, illic certe peccatum eſſe oportet: quia Deus non innoxiis hominibus, ſed peccato iraſcitur. Nec mirum eſt, pravitatem quæ nobis à parentibus eſt ingenita, peccatum coram Deo cenſeri: quia ſemen quod adhuc latet, ipſe cernit ac judicat. Una tamen quæſtio hic occurrit, cur Paulus Judæos iræ & maledictioni ſubjiciat, ut reliquos: quum tamen eſſent ſemen benedictum. Reſpondeo, naturam eſſe communem: Judæos tantum in hoc differre à Gentibus, quod Deus eos promiſſionis gratia, ab exitio liberat: ſed illud ſuperveniens remedium. Altera quæſtio, Quum Deus ſit auctor naturæ, qui fiat ut ſit extra culpam, ſi natura ſimus perditi. Reſpondeo, duplicem eſſe naturam: prior à Deo eſt condita, altera eſt illius corruptio. Hæc igitur damnatio cujus meminit Paulus, nequaquam à Deo manat, ſed à depravata natura: quia nunc non naſcimur qualis initio creatus fuit Adam, ſed ex degenere & vitioſo homine adulterinum ſemen.

4. Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter multam ſuam dilectionem qua nos dilexit,

5. Etiam quum eſſemus mortui peccatis, convivificavit cum Chriſto: (Gratia eſtis ſalvati)

6. Et ſimul excitavit, & ſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu:

7. Ut demonſtraret in ſeculis ſupervenientibus exuperantes divitias gratiæ ſuæ, in benignitate erga nos in Chriſto Jeſu.

4. *Deus autem.*] Sequitur jam ſecundum membrum, cujus ſumma eſt, Deum Epheſios ab exitio, cui prorſus addicti erant, liberaſſe: ſed aliis verbis utitur. Deus, qui dives eſt in miſericordia, inquit, vos cum Chriſto vivificavit. Significat non aliam eſſe vitam animæ, quam quæ à Chriſto nobis inſpiratur. quare tunc incipimus vivere, quum in ipſum inſerimur, ut fruamur communi vita. Unde colligimus quid ante intellea erit per mortem. Mors enim illa, & hæc reſurrectio, res ſunt inter ſe oppoſitæ. Hoc porro incomparabile beneficium eſt, vitæ Filis Dei nos fieri participes, ut uno Spiritu vegetemur: ideoque hac in parte extollit Dei miſericordiam, cujus divitias prædicans, liberaliter & magnifice fuiſſe effuſam intelligit. Tametſi autem his verbis totam ſalutem noſtram, Dei miſericordiæ adſcribit, expreſſius tamen continuo poſt cauſam in gratuita bonitate locat, ubi dicit, hoc factum eſſe propter multam dilectionem. Nam hac ſola conſideratione motum fuiſſe Deum ſignificat. quemadmodum & Joannes
1 Joan. 4. verſ. 19. dicit, Non quia priores dilexerimus eum, ſed ipſe prior dilexit nos. Particula *etiam*, habet emphaſin: qualis eſt ad Roman. 6. cap.

5. *Gratia eſtis ſalvati.*] Neſcio an quiſpiam alius hoc interpoſuerit: quia tamen nihil habet à contextu alienum, libenter amplector, tanquam à Paulo ſcriptum. Et videmus ut nunquam ſibi in prædicanda gratiæ amplitudine ſatisfaciat: ideoque identidem pluribus verbis inculcat, nihil eſſe in ſalute noſtra quod non ſit Deo tribuendum. Certe qui ingratitudinem hominum rite expendet, non faſtidiet hanc parentheſin quaſi ſupervacuam.

6. *Et ſedere fecit in cæleſtibus.*] Quod de reſurrectione hic meminit ac ſeſſione in cælis, nondum quidem oculis cernitur: verum, quaſi in præſenti poſſeſſione jam eſſemus, ea beneficia nobis collata eſſe docet, quo magis ſtatus noſtri converſionem attollat, dum ab Adam ad Chriſtum traducimur: perinde ſcilicet acſi ex profundiſſimis inferis ad cælum nos transferri diceret. Et certe quamvis ſalus noſtra in ſpe ſit adhuc abſcondita, quantum ad nos ſpectat: in Chriſto nihilominus beatam immortalitatem & gloriam poſſidemus. Ideo addit, *in Chriſto*: quia nondum hæc quæ commemorat, in membris apparent, ſed in ſolo capite: propter arcanam tamen unitatem, ad membra certo pertinent. Alii vertunt, Per Chriſtum: ſed melius convenit In Chriſto, propter illam quam notavi, rationem. Et hinc colligi debet uberrima conſolatio, quod in Chriſti perſona certum pignus & primitias habemus eorum omnium quæ nobis deſunt.

7. *Ut demonſtraret.*] Iterum repetit cauſam finalem, ut ſe Epheſii in aſſidua ejus meditatione exerceant: ac eo ſint de ſalute ſua certiores, quo juſtiorem ejus cauſam agnoſcent, nempe ut glorificetur Deus. Addit etiam, Dominum voluiſſe omnibus ſeculis conſecrare tantæ bonitatis memoriam, quo magis inviſos reddat qui gratuitam Gentium vocationem impugnabant: nam rem omnibus ſeculis memorabilem conabantur ſtatim opprimere. Cæterum hinc admonemur, perpetua recordatione celebrandam eſſe miſericordiam Dei, qua patres noſtros dignatus eſt in populum ſuum cooptare. Gentium enim vocatio mirabile eſt divinæ bonitatis opus, quod filiis parentes, & avi nepotibus tradere per manus debent, ut nunquam ex hominum animis ſilentio deleatur. *Divitias gratiæ ſuæ, in benignitate.* Nunc demonſtrat, vel repetitione confirmat, amorem illum quo nos proſequutus eſt Deus in Chriſto, ex miſericordia oriri. Dicit enim, Ut patefaceret opulentiam gratiæ ſuæ. quomodo? In benignitate erga nos, tanquam arborem ſcilicet in fructu. Non tantum igitur gratuitum Dei amorem fuiſſe affirmat, ſed Deum quoque in eo exhibuiſſe opulentiam gratiæ ſuæ: neque eam vulgarem, ſed eminentem. Notanda etiam repetitio nominis *Chriſti*: quia nihil gratiæ neque amoris à Deo ſperari vult, niſi ipſo intercedente.

8. Gratia enim eſtis ſalvati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum eſt.

9. Non ex operibus: ne quis glorietur.

10. Ipſius enim opus ſumus, creati in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

8. *Gratia eſtis ſalvati.*] Eſt quaſi concluſio ſuperiorum: ideo enim & de electione, & de vocatione gratuita diſſeruit, ut ad hanc ſummam perveniret, Eos ſola fide ſalutem conſequutos eſſe. Primum ergo ſalutem Epheſiorum aſſerit Dei unius eſſe opus, & quidem gratuitum: eos vero hanc gratiam fide amplexos. Hinc enim conſiderandus eſt Deus: inde homines. Deum quicquam nobis debere negat. eſt igitur mera gratia, non merces, aut retributio, quod ſalvat. Nunc quæritur quomodo ſalutem ex manu

Dei ſibi oblatam percipiant homines. reſpondet, fide. hinc concludit, nihil igitur hic eſſe noſtrum. Nam ſi ex parte Dei eſt ſola gratia: nos autem nihil præter fidem afferimus, quæ nos ſpoliat omni laude: ſequitur non eſſe ex nobis. Nonne hoc modo & liberum arbitrium, & bonæ intentiones, & præparationes fictitiæ, & merita, & ſatisfactiones conticeſcant oportet? Nihil eſt enim horum quod non partem laudis in ſalute hominum ſibi vendicet: ita non eſſet in ſolidum laus gratiæ, ut Paulus docet. Jam quum ex parte hominis, ſolum recipiendæ ſalutis modum in fide conſtituat, alia media rejicit quibus niti ſolent homines. Fides porro hominem vacuum Deo adducit, ut Chriſti bonis impleatur. ideoque addit, *non ex vobis*: ut nihil ſibi arrogantes, ſolum agnoſcant Deum ſalutis ſuæ auctorem.

Dei donum eſt.] Pro eo quod dixerat, ſalutem eorum eſſe ex gratia, nunc aſſerit eſſe donum Dei: pro eo quod dixerat, Non ex vobis, nunc dicit, *Non ex operibus*. Proinde videmus ut nihil hominibus reliquum faciat in comparanda ſalute. Nam hic tribus verbis complectitur quod tam longa diſputatione agitat in Epiſtola ad Romanos, item etiam ad Galatas: Ex ſola Dei miſericordia provenire nobis juſtitiam: Offerri in Chriſto, idque per Euangelium: Sola fide, citra operum meritum, percipi. Atque ex hoc loco promptum eſt inane illud cavillum refutare, quo Papiſtæ evadere conantur, Paulum de ceremoniis loqui, quum abſque operibus juſtificari nos docet. Certo enim certius eſt non hic agi de una operum ſpecie, ſed totam hominis juſtitiam, quæ operibus conſtat, rejici: imo totum hominem, & quicquid à ſe habet. Notanda enim antitheſis Dei & hominis, gratiæ & operum. cur opponeretur Deus homini, ſi de ſolis ceremoniis eſſet controverſia? Itaque fateri coguntur Papiſtæ, Paulum hic totam ſalutis noſtræ gloriam Dei gratiæ tribuere. ſed aliud commentum excogitant: hoc ideo dici, quia Deus primam gratiam conferat. Atqui nimis ſunt inepti qui ſe ita expediri putant, quum Paulus hominem cum ſuis facultatibus excludat, non tantum à principio conſequendæ ſalutis, ſed in totum ab ipſa ſalute. Bis autem ſtulti ſunt, quod non animadvertunt hanc concluſionem, *Ne quis glorietur*. Locus enim ſemper manet humanæ gloriæ, quamdiu extra gratiam aliquid valent merita. Non ſtat igitur Pauli ſententia, niſi ſolida laus uni Deo & ejus miſericordiæ deferatur. Cæterum hunc locum male vulgo exponunt: quia Doni vocabulum reſtringunt ad fidem ſolam. Nam Paulus ſuperiorem ſententiam aliis verbis repetit. Non intelligit ergo fidem eſſe donum Dei, ſed ſalutem donari nobis à Deo, aut Dei dono obtingere.

10. *Ipſius enim opus.*] A privatione contrarii probat quod dixit, nos gratia ſalvatos eſſe: ſiquidem nulla ſuppetere nobis opera, quibus ſalutem poſſimus mereri. quicquid enim bonorum operum habemus, id eſſe fructum regenerationis. Unde ſequitur, opera ipſa eſſe partem gratiæ. Quod dicit, nos eſſe opus Dei, non accipiendum eſt de communi creatione, qua fit ut homines naſcamur: ſed novas eſſe creaturas nos aſſerit, qui Spiritu Chriſti formati ſimus ad juſtitiam, non propria virtute. Hoc in ſolos fideles competit, qui quum ex Adam nati eſſent vitioſi & perverſi, Chriſti gratia ſpiritualiter regenerantur, ut incipiant eſſe novi homines. Ergo quicquid eſt in nobis boni, opus eſt Dei ſupernaturale. Et expoſitio ſequitur in contextu: nam ideo nos eſſe opus Dei adjungit, quia creati ſimus non in Adam, ſed in Chriſto: neque ad quamlibet vitam, ſed ad bona opera. Quid jam reſtat libero arbitrio, ſi quæcunque à nobis proficiſcuntur bona opera, accepta Spiritui Dei feruntur? Expendant pii lectores verba Apoſtoli. non dicit, adjuvari nos à Deo: non dicit, præparari voluntatem, ut proprio Marte deinde currat: non dicit, facultatem nobis conferri bene volendi, ut noſtrum ſit poſtea utrumvis eligere: quemadmodum garrire ſolent qui extenuant Dei gratiam quoad poſſunt: ſed docet nos eſſe Dei opus: & quicquid eſt boni in nobis, eſſe ejus creationem. quo ſignificat, formari totum hominem ejus manu, ut bonus ſit. Non ergo facultas tantum bene volendi, aut neſcio quæ præparatio, aut adminiculum, ſed ipſa recta voluntas, ejus opus eſt. alioqui etiam non valeret Pauli argumentum. Intendit probare, hominem ſibi nequaquam acquirere ſalutem, ſed gratis à Deo conſequi. probatio eſt, quod homo nihil ſit, niſi Dei gratia. Quiſquis ergo ſeorſum à Dei gratia aliquid vel minimum homini arrogat, tantundem illi concedit poteſtatis ad ſalutem acquirendam.

Creati ad bona opera.] Multum aberrant à Pauli mente qui torquent hunc locum ad lacerandam fidei juſtitiam. Quia pudet eos prorſus negare, fide nos juſtificari, idque fruſtra à ſe fieri vident: confugiunt ad hujuſmodi cuniculum, nos fide juſtificari, quia initium juſtitiæ à fide ſit, qua Dei gratiam recipimus: ſed nos fieri juſtos regeneratione, quia renovati Chriſti Spiritu, ambulemus in bonis operibus. Ita fidem quaſi januam faciunt, qua ingredimur in juſtitiam: ſed hanc nos operibus adipiſci imaginantur: vel ſaltem juſtitiam definiunt eſſe rectitudinem, ubi homo ad bene vivendum eſt reformatus. Non curo quam vetus ſit error: ſed perperam faciunt qui ad ejus confirmationem teſtimonium ex hoc loco ſumunt. Reſpicienda eſt Pauli intentio. dum oſtendere vult, nos Deo nihil contuliſſe unde nobis ſit obnoxius: docet, ipſa etiam quæ facimus bona opera, ab ipſo provenire: unde ſequitur, nihil nos eſſe, niſi mera ejus liberalitate. Nunc dum iſti inferunt, nos ergo dimidia ex parte juſtificari operibus: quid hoc ad Pauli mentem? & quid ad cauſam quam tractat? Aliud enim eſt, diſputare in quo juſtitia conſiſtat: aliud, quum docetur eam non eſſe à nobis, rationem addere, Quia nihil habeamus in bonis operibus proprium, ſed à Dei Spiritu formati ſimus ad bona omnia: idque per Chriſti gratiam. Nam Paulus quum juſtitiæ cauſam definit, in hoc præcipue cardine verſatur, nunquam fore tranquillas conſcientias, niſi in remiſſionem peccatorum recumbant. Hic nihil tale attingit: quia nihil aliud tractat, niſi totum quod ſumus, id nos eſſe Dei gratia. *Quæ præparavit Deus.* Hoc ne ad doctrinam Legis referas, quemadmodum Pelagiani: quaſi intelligeret Paulus, Deum præcipere quid juſtum ſit, & rectam vivendi regulam tradere: nam potius urget illud quod docere cœperat, ſalutem à nobis non proficiſci. Dicit igitur, bona opera, antequam naſceremur, à Deo eſſe præparata: intelligens, non proprio Marte nos eſſe idoneos ad recte vivendum, ſed quatenus aptamur Dei manu & formamur. quod ſi præoccupavit Dei gratia, locum jactantiæ noſtræ abſtulit. Quare diligenter notanda eſt vox Præparationis: quia ex ordine ipſo demonſtrat Paulus, nihil nobis bonorum operum reſpectu à Deo deberi. Qui ſic? deprompta enim ſunt ex ejus theſauro, in quo longe ante repoſita fuerant: nam quos vocavit, eos juſtificat & re- *Rom 8.*
generat. *verſ. 30.*

11. Quamobrem memores eſtote quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ vocatur Circumciſio, in carne manufacta:

12. Illo tempore eratis abſque Chriſto, alienati à republica Iſraëlis, hoſpites tabularum promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo.

13. Nunc

13. Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui quondam eratis procul, facti eſtis propinqui per Chriſti ſanguinem.

11. *Quamobrem memores eſtote.*] Semper ad hypotheſin deſcendit, ut digito rem indicet, ac preſſius urgeat. jubet enim iterum Epheſios recordari quales fuerint ante vocationem. Hæc conſideratio illis ob oculos ponebat quam nulla ſibi eſſet ſuperbiendi cauſa. poſtea oſtendit modum reconciliationis: ut ſolo Chriſto contenti, non putent aliis ſubſidiis ſe indigere. Hæc primi membri ſumma eſt, Memineritis, quo tempore eratis incircumciſi, vos etiam à Chriſto, à ſpe ſalutis, ab Eccleſia & regno Dei fuiſſe alienos, ita ut nihil eſſet vobiscum Deo commercii. Secundi vero, Nunc in Chriſtum inſiti, ſimul Deo reconciliati eſtis. Quid valeret, ac in eorum animis efficeret hujuſmodi recordatio, ſuperius dictum eſt. *Gentes in carne.* Primum commemorat, ipſos caruiſſe populi Dei inſignibus. Nam Circumciſio, ſymbolum erat quo inſigniebatur populus Dei, ut diſcerneretur ab aliis: Præputium autem, profani hominis indicium erat. Quum ergo Deus Sacramenta gratiis ſuis adjungere ſoleat: ex eo quod Sacramento privati erant, colligit, neque gratiæ ipſos fuiſſe participes. Non eſt quidem perpetuum argumentum: valet tamen, quantum ad ordinariam Dei diſpenſationem. unde illud, Ejiciatur Adam, ne forte gu- Geneſ. 3.
ſtet de arbore vitæ, ac vivat. Certe etiamſi totam at- verſ. 20.
borem voraſſet, non recuperaſſet tamen ex ſolo eſu vitam: verum Dominus per ſigni privationem, illi rem quoque auferebat. Ita hic Paulus præputium objicit Epheſiis, tanquam pollutionis ſignum. Sanctificationis ſymbolum illis tollit, ut rem quoque ſignificatam adimat. Falluntur ergo qui putant hæc omnia in contemptum externæ Circumciſionis dici. Quanquam ſimul fateor, adjectum eſſe epithetum, *in carne manufacta*, ut indicaret eſſe duplicem Circumciſionem, atque ita retunderet Judæorum gloriam, qui literali Circumciſione fruſtra ſuperbiunt: Epheſios autem omni ſcrupulo eximeret, quum eam habere ſe agnoſcerent quæ erat præcipua, imo quæ erat tota externi ſigni veritas. Præputium ergo in carne vocat, quia in corpore ſuo geſtarent pollutionis ſuæ ſignum: interea tamen ſubindicat, eis nihil nunc obeſſe præputium, quia ſpiritualiter à Chriſto ſint circumciſi. Poteſt hoc conjunctim legi, In carne manufacta: vel diviſim, ut carnalem vocet primum, deinde factam hominum manu. Circumciſionem porro ejuſmodi opponit Circumciſioni Spiritus, quæ fit in corde, quam Coloſſ. 2. v. 11. appellat Circumciſionem Chriſti. *Ab ea quæ vocatur.* Circumciſio poſſet hic eſſe nomen collectivum, pro ipſis Judæis: vel proprie accipi pro ipſa re: & tunc ſenſus eſſet, ideo nominatos fuiſſe Præputium, quia carerent ſacro ſymbolo, ad differentiam ſcilicet. atque hic poſterior ſenſus addito epitheto comprobatur: verum id ad ſummam argumenti parum facit.

12. *Eratis abſque Chriſto.*] Jam declarat, non tantum ab externa teſſera, ſed à rebus etiam omnibus extorres fuiſſe Epheſios, quæ ad ſalutem hominum & felicitatem ſunt neceſſariæ. Quia autem promiſſionum omnium & ſpei fundamentum eſt Chriſtus; ideo primum alienos ab ipſo fuiſſe dicit. qui autem Chriſtum non habet, ei nihil reſtat, niſi exitium: nam & politia Iſraëlis in ipſo fundata erat. quomodo enim, niſi in ipſo ſolo, Dei populus in ſancti corporis unitatem colligaretur? Idem & de *tabulis promiſſionis* ſentiendum. Nam ex illo capite promiſſiones omnes dependent, In ſemine tuo benedicentur Geneſ. 22.
omnes gentes: & ſine illo fiunt irritæ. unde illud, verſ. 18.
Quæcunque ſunt promiſſiones, in Chriſto eſſe Etiam 2 Cor. 1.
& Amen. Sublato porro ſalutis fœdere, nulla ſpes verſ. 20.
manet. διαθήκας hic Tabulas vertere placuit, quas vulgo inſtrumenta nominant. Solenni enim ritu fœdus ſuum pepigit Deus cum Abraham & poſteris ejus, ut eſſet perpetuo Deus illorum. Hujus fœderis confectæ fuerunt tabulæ per manum Moſis: quæ depoſitæ fuerunt in populo Iſraëlitico inſtar peculiaris theſauri, ad Gentes autem non pertinebant, *Et ſine Deo in mundo.* Atqui neque Epheſii, neque alii unquam Gentiles omni prorſus religione caruerunt: cur ergo vocantur à Paulo ἄθεοι, quum ille proprie ſit ἄθεος, qui nullum divinitatis ſenſum habet, & omne numen qualecunque ſit, ridet? Certe non ſolemus ſuperſtitioſos vocare ἀθέους: ſed qui nulla religione tanguntur, imo omnes potius extinctas cupiunt. Reſpondeo, Paulum ſic merito loquutum eſſe, quia omnes de falſis diis opiniones pro nihilo ducebat. ut certe omnia idola, quum ſint nihil inter pios, nihili fieri debent. Itaque quicunque verum Deum non colunt, utcunque varios habeant cultus, multiſque ceremoniis ſe fatigent, ſunt ſine Deo. adorant enim quod neſciunt. Hoc diligenter obſervemus, non exprobrari ἀθεότητα Epheſiis, qualiter olim Diagoras & ſimiles, ejuſmodi probro notati fuerunt: ſed hoc crimine damnari qui ſe religioſiſſimos putaverunt: quandoquidem in idolis figmentum eſt ac fallacia, non divinitas. Jam ſuperiora repete: & colligere promptum erit, extra Chriſtum non eſſe niſi idola. Deum enim illis adimit quos prius à Chriſto excluſerat. & certe ut Joan. dicit, Qui non habet Filium, 2 Joan. 1.
non habet Patrem. Quare ſciamus, omnes eos aber- verſ. 9.
rare à vero Deo, qui viam hanc non tenent. Rogabit quiſpiam, an nemini ergo ex Gentibus ſe Deus unquam pateſecerit. Reſpondeo, nullam inter Gentes fuiſſe Dei manifeſtationem abſque Chriſto, nihilo magis quam inter Judæos. Neque enim hoc vel unius eſt ſeculi, vel unius gentis, quum dicit, Ego ſum Joan 14.
via: ſed unum ſe eſſe pronunciat per quem ad Deum verſ. 6.
omnes perveniant.

13. *Nunc autem in Chriſto.*] Vel ſubaudiendum eſt participium, ut ſit ſenſus, Poſtquam in Chriſto eſtis recepti: vel particula quæ ſequitur, *per Chriſti ſanguinem*, tantum erit expoſitio clarior. Utrovis modo accipias, ſenſus eſt, Epheſios quum procul à Deo & ſalute abeſſent, ſic conciliatos eſſe Deo per Chriſtum, ut jam propinqui ſint in ejus ſanguine. Nam Chriſti ſanguis diſſidium illud ſuſtulit quod inter illos & Deum erat, fecitque ex hoſtibus filios.

14. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & interſtitium maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua:

15. Legem mandatorum in decretis poſitam abolens, ut duos conderet in ſeipſo in unum novum hominem, faciens pacem:

16. Ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, inimicitias in ipſa interimens.

Nunc ad Judæos quoque beneficium reconciliationis extendit: ac docet, omnes per unum Chriſtum Deo conjungi. In quo falſam Judæorum confidentiam refutat, qui ſpreta Chriſti gratia, ſacrum Deo populum ſe eſſe jactabant, & hæreditatem ſelectam. Nam ſi Chriſtus eſt pax noſtra: ſequitur, à Deo diſſidere omnes qui ſunt extra eum. Pulcherrimus ſane titulus Chriſti, quod ſit pax inter Deum & homines: ne quis dubitet Deum ſe habere propitium ſi in Chriſto maneat. Nominatim dicit, *ex utriſque unum*

unum feciſſe. Neceſſaria erat hæc partitio. omnem cum Gentibus communicationem ſua prærogativa indignam putabant: ut tale ſupercilium illis retundat, dicit tam illos quam Gentes io unum corpus coaluiſſe. Nunc omnia ſimul collige, & hunc ſyllogiſmum conficies, Si Judæi cum Deo pacem babere volunt, neceſſe eſt ut Chtiſtum habeant conciliamrem. Chriſtus autem pax eorum aliter oon erit, quam ſi ex ipſis & Gentibus unum corpus efficiat. Ergo Judæis nibil eſt cum Deo, niſi Gentes in ſocietatem admittant.

14. *Interſtitium maceriæ.*] Ut hunc locum intelligamns, duo ſunt obſeryaoda: diviſos fuiſſe Judæos à Gentibus ad certum tempus, Dei ordinatione: & ceremonias, bujus diſſidii fuiſſe ſymbola, ut palam teſtatum foret. Nam Deus præteritis Gentibus, populum illum peculiarem ſibi delegerat. Magnum divortium, quod alii ſunt domeſtici Eccleſiæ, alii autem extranei ab Eccleſia. Hoc eſt
Deut. 32. verſ. 8. quod dicit Moſes in Cantico, Quum ſecerneret Altiſſimus Gentes, quum diſtribueret populos, poſuit in Jacob funiculum ſuum. Vides fixos à Deo limites quibus populum uoum à reliquis diſcernat. inde inimicitia cujus meminit hic Paulus. Segregantur enim alii ab aliis, dum rejectis Gentibus, ſolos Judæos ſibi cooptat Deus, & ſanctificat, à communis humani generis pollutione ipſos liberando. Additæ poſtea ſunt ceremoniæ, quæ tanquam parietes, Dei hæreditatem includerent, ne omnibus pervia, aut aliis poſſeſſionibus permiſta foret, adeoque Gentes à Dei regno arcerent. Nuoc dicit Apoſtolus, & ſublatas eſſe inimicitias, & parietem dirutum. Nam Chriſtus beneficium adoptioois proferendo ultra Judææ terminos, effecit ut omnes nuoc ſimus fra-
Geneſ. 9. verſ. 27. tres. Ita impletum eſt vaticinium illud, Japheth in tabernaculis Sem habitabit. Jam clara ſunt verba Pauli. Impediebat paries medius ne Chriſtus Gentes Judæis aggregaret. parietem ergo diruit. Poſtea ratio diruti parietis exprimitur, diſſidii abolitio per Chriſti carnem: ſiquidem Filius Dei communem omnibus naturam induendo, perfectam unitatem in corpore ſuo conſecravit.

15. *Legem mandatorum in decretis.*] Quod metaphorice per nomeo parietis intellexerat, nunc planius exprimit, abolitas per Chriſtum ceremonias fuiſſe dicens; in quibus erat diſcriminis profeſſio. Nam Circumciſio, ſacrificia, ablutiones, certorum ciborum abſtinentia, quid aliud erant quam ſanctificatioois ſymbola, quæ Judæos admonerent ſortem ſuam à reliquis eſſe diverſam: quemadmodum nuoc alba crux & rubra Gallos à Burgundis diſceroit? Significat itaque Paulus, non tantum adſcitas eſſe Gentes in communionem gratiæ, ne quid amplius differrent à Judæis: ſed inſigoe quoque diſſidii fuiſſe ſublatum, quia abrogatæ ſint ceremoniæ: quemadmodum ſi Princeps unus diſſidentes populos ſub ditionem ſuam redigeret, non tantum animis vellet eſſe conjunctos, ſed priſtinæ ſimultatis teſſeras & inſignia tolleret. quemadmodum obligatione remiſſa, chirographum ſcinditur. qua ſimilitudine in eodem argumento uſus eſt Paulus ad Coloſſ. cap. 2. v. 14. Quidam particulam *in decretis*, conjungunt cum participio *abolens*: ſed perperam. Nam de Lege ceremoniali ita loqui ſolet: in qua Dominus non modo ſimplicem viveodi regulam præſcribebat, ſed alligabat etiam Judæos variis decretis. Unde colligere licet, Paulum noonisi de Lege ceremoniali hic tractare: quia Lex moralis noo interſtitium eſt quod nos à Judæis ſeparet: quum doctrinam comprebendat non minus nobis quam Judæis communem. Cæterum ex boc loco refelli etiam poteſt quorundam error, qui putant Circumciſionem & alios veteres ritus hodie quoque manere, quoad Judæos: etiamſi ab illis liberæ ſint Gentes. Hoc enim pacto maneret adhuc medius paries inter nos: quod falſum eſſe convincitur. *Ut duos conderet in ſeipſo.* Quum dicit, In ſeipſo, avertit ab hominum diverſitate Epheſios, ne alibi quam in Chriſto unitatem quærant. Utcunque ergo duo ante fuerint conditione inæquali, in Chriſto unus homo fiunt. Neque fruſtra addit, *in unum hominem novum.* ſignificat enim (quod apertius alibi *Galat. 5. verſ. 19.*
docet) in Chriſto neque Circumciſionem, neque præputium valere quicquam: oullius pretii eſſe quævis externa: ſed novam creaturam primum & ultimum locum tenere. una ergo eſt regeneratio ſpiritualis quæ oos coagmentat. Quod ſi per Chriſtum renovamur omnes, jam deſinant ſibi placere Judæi in priſtina ſua cooditione: ſed patiantur Chriſtum eſſe omoium, tam in ſe, quam in aliis: ut alibi habetur.

16. *Ut reconciliaret ambos.*] Non tantum inter nos factam fuiſſe pacificationem aſſerit, ſed cum Deo rediiſſe in gratiam: idque ut Judæos ſignificet non minus opus habere Mediamre quam Gentes. Nihil enim Lex, nihil ceremoniæ, nihil Abrahæ genus, nihil omoes prærogativæ quibus fuerant ornati, illis alioqui profuiſſent. Omnes enim peccatores: & remiſſio peccatorum nonniſi intercedente Chriſti gratia obtioetur. Repetit, *In uno corpore*, ut ſciant Judæi, ſe ita demum placere Deo, ſi cum Gentibus unitatem colant. *Per crucem.* Ideo addidit nomen Crucis, ut ſacrificium expiationis notaret: nam quum inter Deum & nos peccatum odii ſit cauſa, nonniſi illo abolito, grati unquam Deo erimus. Deletum eſt igitur morte Chriſti, io qua ſe Patri obtulit hoſtiam expiatricem. quanquam hac etiam de cauſa mentionem crucis facit, quoniam per eam abrogatæ ſuot omoes ceremoniæ. unde ſequitur, *Perimens in ipſa inimicitias:* nam proculdubio ad crucem referri debet. Cujus tamen particulæ duplex poteſt eſſe ſenſus: vel qnod Chriſtus morte ſua Patrem hobis placando, iram ejus abſtulerit: vel quod Judæos pariter & Gentes redimendo, reduxerit in unum gregem. Secundus mihi videtur probabilior: quia convenit cum ſuperiore membro, *Inimicitias abolens in carne ſua.*

17. Et veniens euangelizavit pacem vobis, qui eratis procul, & pacem iis qui propinqui erant:
18. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.
19. Ergo non amplius eſtis hoſpites & inquilini, ſed cives ſanctorum & domeſtici Dei:
20. Superædificati fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, cujus lapis ſummus angularis eſt ipſe Chriſtus.
21. In quo totum ædificium coagmentatum, creſcit in templum ſanctum in Domino:
22. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

Nihil prodeſſet illud totum quod docuit de reconciliatione per Chriſtum facta, niſi per Euangelium publicaretur. Ideo ſubjungit, fructum hujus pacis nunc oblatum eſſe tam Judæis quam Gentibus. unde ſequitur, non ſolis Judæis, ſed etiam Gentibus Chriſtum veniſſe in ſalutem. Nam Euangelii prædicatio, quæ promiſcue utriſque deſtinata eſt, certum eſt ejus rei teſtimonium. Eundem ordinem tenet io 2 ad Corinth. cap. 5. verſ. 20. Eum qui peccatum non ooverat, pro nobis peccatum fecit. deinde, Et depoſuit apud oos miniſterium reconciliationis: itaque Chriſti nomioe legatione fungimur.

Primum

Primum ſalutis materia proponitur in Chriſti morte: poſtea deſcribitur modus, quo ſe nobis ac mortis ſuæ beneficium Chriſtus communicat. Sed hic Paulus in circumſtantiam hanc proprie incumbit, ut Gentes Judæis conjungat in regno Dei. Ergo ſicuti prius utriſque fecit Chriſtum communem, ita etiam nunc in Euangelio ſocios facit: ſignificans, utcuoque Legem haberent, ſimul opus habuiſſe Euangelio: & Deum Gentes æquali gratia dignatum eſſe. quos ergo æqua gratiæ participatione Deus inter ſe conjunxit, homo ne ſeparet. Voces, *procul*, & *prope*, non ad loci diſtantiam referuntur: ſed Judæos Deo propinquos facit ratione fœderis: Gentes vero remotas, quæ à regno Dei exulabant, quamdiu nullam habebant ſalutis promiſſionem.

17. *Euangelizavit pacem.*] Non ipſe quidem ore proprio, ſed per Apoſtolos. Oportuit enim Chriſtum à mortuis reſurgere, antequam Gentes in communicationem gratiæ vocaret. Unde illud, Non
Mat. 15. verſ. 24. ſum miſſus niſi ad oves quæ perierant domus Iſraël.
Matt. 10. verſ. 5. quin etiam Apoſtolis prohibet, dum adhuc eſt in mundo, ne primam ſuam legationem ad Gentes perferant. Ergo per Apoſtolos ſuos, tanquam per tubas, Euangelium Gentibus promulgavit. itaque quod non ejus tantum nomine ac mandato factum eſt à diſcipulis, ſed quaſi in ejus perſona, merito ei ſoli tribuitur. ſic enim loquimur, tanquam ipſo Chriſto per nos exhortante. Et ſane perquam infirma eſſet Euangelii fides, ſi in homines tantum reſpiceremus. ſed inde tota auctoritas, quod homines agnoſcimus eſſe Dei organa, & Chriſtum per os eorum nobis loquentem audimus. Obſerva etiam, Euangelium eſſe pacis nuncium, quo Deus ſe nobis propitium teſtatur, paternamque ſuam dilectionem nobis defert. Quare ſublato Euangelio, bellum & inimicitiæ inter Deum & homines manent. ſicuti rurſum hic proprius eſt Euangelii effectus, pacificare conſcientias, & tranquillas reddere: quas alioqui miſera inquietudine torqueri neceſſe eſt.

18. *Quoniam per ipſum ambo acceſſum habemus.*] Probatio eſt ab effectu, & ſimul pacis declaratio: quia patet nobis ad Deum acceſſus. nam impii, dum altum ſomnum dormiunt, ſe interdum deludunt vana pacis opinione: ſed tunc quieſcunt demum, quum inducta ſibi divini judicii oblivione, quam longiſſime ab eo recedunt. quare non abs re Paulus definitionem hanc Euangelicæ pacis addidit, ut ſciamus non eſſe ſitam in ſtupore conſcientiæ, in falſa confidentia, in ſuperbo faſtu, in miſeriæ propriæ ignorantia: ſed in ſerena tranquillitate, quæ Dei conſpectum appetat tanquam amabilem, potius quam reformidet. Chriſtus autem eſt qui januam nobis reſerat: imo ipſe eſt janua. Porro quum hæc janua bifores habeat valvas, ac proinde tam Gentibus quam Judæis ſit aperta: ſequitur, Deum utriſque eſſe expoſitum, ad exhibendam paternam charitatem. Addit, *in uno Spiritu*, quo directore & duce ad Chriſtum quoque accedimus, & per quem clama-
Rom 8. verſ. 15. mus Abba, Pater. nam inde accedendi fiducia. Varia fuerunt media apud Judæos, quibus ad Deum accederent. nunc unicum eſt omnibus: nempe regi Chriſti Spiritu.

19. *Ergo non amplius eſtis.*] Alludit ad id quod dixerat, quondam fuiſſe Epheſios fœderis hoſpites: nam eos nunc ſolos alloquitur. perinde acſi diceret, Mutata eſt veſtra conditio: Deus enim ex inquilinis vos fecit Eccleſiæ ſuæ cives. Honorem vero iſtum quo dignatus eos Deus fuerat, pluribus verbis extollit. *Cives ſanctorum* appellat: ſecundo, Dei domeſticos: poſtremo, Lapides coaptatos in ſtructuram templi Dei. Prima appellatio ſumpta eſt à ſimilitudine quæ tam frequenter occurrit in Scripturis, ubi Eccleſia civitati comparatur. magna dignatio, qui profani ante, & omni piorum conſortio indigni erant, nunc jus habere ejuſdem civitatis cum Abraham, ſanctis omnibus Patriarchis, Prophetis & Regibus, imo cum ipſis Angelis. altera tamen non minor, quod Deus in familiam ſuam eos cooptavit. Eccleſia enim, domus Dei.

20. *Superædificati.*] Tertia dignatio, in qua etiam exprimitur qualiter & domeſtici Dei & cives ſanctorum facti ſint Epheſii, fiantque reliqui omnes: nempe ſi fundati ſint in Apoſtolorum & Prophetarum doctrina. unde etiam de vera aut falſa Eccleſia judicium facere licet. quod in primis neceſſarium eſt. Nam quum nulla ſit magis perículoſa hallucinatio: lapſus tamen eſt valde proclivis. Nulli fere audacius Eccleſiæ nomine ſe jactant, quam qui inanem ejus titulum mentiuntur: quod hodie videre eſt. atqui ne erremus, hic nobis à Paulo indicatur veræ Eccleſiæ nota. Quin *fundamentum* hic pro doctrina ſumatur, minime dubium eſt. neque enim Patriarchas nominat, aut pios Reges: ſed eos ſolos qui officium habebant docendi, & quos Eccleſiæ ſuæ ædificationi Deus præfecerat. Itaque docet Paulus, fidem Eccleſiæ in hac doctrina debere eſſe fundatam. Quid ergo de iis ſentiendum, qui ſolis hominum figmentis nituntur, & interea nos defectionis accuſant, quia puram Dei doctrinam amplectamur? Sed notanda fundationis ratio: nam proprie unicum fundamentum eſt Chriſtus, quia unus totam Eccleſiam ſuſtinet; unus eſt fidei regula & menſura. ſed in Chriſto fundatur Eccleſia per doctrinæ prædicationem: unde Prophetæ & Apoſtoli vocantur architecti. Perinde ergo eſt acſi diceret Paulus, Prophetis & Apoſtolis nihil aliud fuiſſe propoſitum, niſi ut in Chriſto Eccleſiam fundarent. Hoc verum eſſe comperiemus, ſi initium fiat à Moſe. nam ipſe Chriſtus eſt finis Legis: idem, Euangelii ſumma. Meminerimus ergo, non alibi acquieſcendum nobis eſſe, ſi velimus inter fideles cenſeri: ſi in Scripturis ſacris velimus rite proficere, ad eum dirigenda eſſe omnia. Similiter admonemur ubi quærendum ſit verbum Dei: apud Prophetas ſcilicet & Apoſtolos. atque ut diſcamus eos inter ſe conjungere, oſtenditur inter utroſque conſenſus: quod habeant commune fundamentum, & communiter in extruendo Dei templo laborent. Neque enim ideo ſupervacua Prophetarum doctrina, quod doctores habemus Apoſtolos: ſed unum atque idem agunt utrique. Hoc ideo dico, quod ſicut olim Marcionitæ Prophetas ex præſenti loco expunxerant: ita hodie fanatici ſpiritus, Marcionitis ſimiles, Legem & Prophetas nihil ad nos pertinere clamitant quod Euangelium finem omnibus impoſuerit. Atqui Spiritus ſanctus ubique ſe ita loquutum eſſe per os Prophetarum teſtatur, ut velit in illorum ſcriptis audiri. Atque hoc ad aſſerendam fidei noſtræ auctoritatem non parum facit: quod videmus, omnes Dei ſervos ab initio ad finem uſque, tam bene ſibi conſtare, ut ſymphonia ipſa clare demonſtret, Deum unum eſſe qui in omnibus loquitur. Proinde religionis noſtræ exordium à creatione mundi petendum eſt. quo fit ut de antiquitate fruſtra glorientur tam Papiſtæ quam Turcæ, aliique omnes ſectarii: qui nihil ſunt quam veræ puræque religionis ſpurii. *Lapis ſummus angularis.* Adeo ſunt impudentes qui hoc honoris transferunt ad Petrum, ut aſſerant fundatam in eo fuiſſe Eccleſiam, ut hoc quoque teſtimonio abutantur in prætextum erroris ſui: quia objectant Chriſtum vocari primarium lapidem aliorum reſpectu, ideoque plures eſſe lapides quibus fulciatur Eccleſia. Sed facilis eſt ſolutio: variis enim metaphoris utuntur Apoſtoli pro locorum circumſtantia, in eundem tamen ſenſum. Firmum illud manet, Non 1 Cor 3. verſ. 11.
poſſe aliud fundamentum poni. ergo hic non ſignificat, angulum duntaxat unum, aut partem fundamenti eſſe Chriſtum: quia ſecum pugna-

ret. Quid igitur? vult in unam ſpiritualem ſtructuram Judæos & Gentes aptare. erant autem quaſi duo parietes diverſi: Chriſtum proinde medium in angulo collocat, qui utroſque coaduner. hæc ratio eſt metaphoræ. Continuo tamen poſt ſatis declarat ſe Chriſtum minime ad unam aliquam partem ædificii reſtriogere, quum dicit, *Totum in ipſos coagmentari.* quod ſi verum eſt, ubi erit Petrus? Quin etiam ad Corinthios, dum fundamentum vocat, non intelligit in eo inchoari Eccleſiam, in aliis perfici: ſed quia aliorum miniſterium cum ſuo comparat, (debuerat autem ipſe fundare Eccleſiam Corintbiorum, ſucceſſoribus peragendi ædificii partes relinquere) ideo hanc diviſiooem ponit. Quantum ad præſentem locum ſpectat, docet omnes qui ſunt in Chriſto coagmentati, eſſe Dei templum. Primum requiritur coaptatio, ut ſe invicem complectantur fideles, & ſe alii aliis mutua communicatione accommodent: alioqui non ædificium eſſet, ſed confuſa moles. ſed præcipua ſymmetria in fidei unitate conſiſtit: deinde ſequitur profectus, vel incrementum. Quicunque non ita ſunt fide & charitate uniti, ut in Chriſto proficiant, profanam habent ædificationem, cui nibil eſt cum templo Dei commune.

21. *Creſcit in templum* &c.] Alibi ſinguli fideles vocantur templa: hic autem ex omnibus dicit conſtare templum Dei. utrumque & vere & appoſite dicitur. Nam ita in unoquoque noſtrum Deus habitat, ut velit nos omnes ſancta unitate ſimul complecti, & hoc modo unum ex multis efficere. Ergo qui ſeorſum templum eſt, aliis aggregatus, fit lapis templi. quod ad commendandam unitatem dicitur. 2 Cor. 6. verſ. 16.

22. *In quo & vos coædificamini.*] Græca terminatio ambigua eſt, ſicuti Latina. nam imperativo modo & indicativo peræque convenit: & utrumque contextus admittit. Mihi tamen imperativus magis placet. Epheſios enim, meo judicio, hortatur ut creſcant in fide Chriſti magis ac magis, poſtquam in ea ſemel fuerunt fundati: atque ita pars ſint novi templi, quod tunc Deo paſſim per Euangelium in toto mundo extruebatur. Nomen *Spiritus* iterum repetit, duplici de cauſa. primum ut admoneat, nihil valere humanas omnes virtutes, niſi Spiritus Dei operetur: deinde ut ſpiritualem modum externis omnibus & Judaicis mediis opponat.

CAP. III.

HUjus rei gratia, ego Paulus vinctus Jeſu Chriſti, pro vobis Gentibus legatione fungor:

2. Si quidem audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, mihi erga vos datæ,

3. Quod per revelationem mihi patefecerit arcanum, quemadmodum ſcripſi paulo ante.

4. Ad quod poteſtis attendentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti.

5. Quod aliis ſeculis non innotuit filiis hominum, quemadmodum nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis per Spiritum,

6. Gentes eſſe cohæredes, & concorporeas, & conſortes promiſſionis ejus in Chriſto per Euangelium.

1. *Hujus rei gratia.*] Non dubium quin Pauli vincula, quæ io confirmationem Apoſtolatus ejus valere debebant, in contrariam partem traherent adverſarii. Ergo nunc indicat Epheſiis, ſuis vinculis eorum vocationem comprobari & aſſeri: neque enim alia de cauſa captus fuerat, niſi quod Gentibus publicaverat Euangelium. quum igitur forti & conſtanti animo ſtaret, non parva inde confirmatio accedebat Gentibus, quod ſerio functus eſſet ſuo munere. Verum quo plus auctoritatis ſibi conciliet, magnifice loquitur de ſuo carcere, quum ſe dicit *legatione fungi.* Erat quidem hæc ridicula jactantia coram mundo & impiis: ſed apud pios, gravitatis & fidei plena. Nam Chriſti gloria non tantum vinculorum igoominiam delet, ſed etiam quod probroſum alioqui erat, reddit in primis glorioſum. Si ſimpliciter dixiſſet, Ego ſum vinctus, tunc nomen legationis locum non haberet. Non enim hic honor vinculis debetur, quæ ut plurimum maleficiorum & ſcelerum ſunt ſigna: ſed qui vinctus eſt Jeſu Chriſti, illius catenæ ipſa regum diademata & ſceptra, nedum legatorum inſignia, digoitate ſuperant: non quia id appareat in hominum conſpectu: ſed noſtrum eſt, cauſam æſtimare. Et tantum reverentiæ apud nos babere Chriſti nomen, ut quæ exiſtimaotur ab hominibus ſumma probra, oobis ſint ſumma decora. Commendat autem Paulus Epheſiis perſequurionem quam ſuſtinebat, quum dicit, eam ſe pro Gentibus ſuſtinere. Id autem plurimum valebat movendis eorum animis, quum audirent, ſalutis ſuæ cauſa, in moleſtia & periculis eum eſſe.

2. *Si quidem audiſtis.*] Credibile eſt quum ageret Epheſi, eum tacuiſſe de his rebus: quia etiam nulla neceſſitas poſtulabat. nondum enim illic de Gentium vocatione mota erat controverſia. Nam ſi habitus fuiſſet ſermo, reduceret illis in memoriam: quod non facit, ſed tantum de fama communi & Epiſtola ſua meminit. Et certe non ultro ingerebat ſupervacuas diſceptationes: ſed coactus adverſariorum improbitate, quum opus erat, ſuſcipiebat miniſterii ſui defeoſionem. *Diſpenſatio* hic accipitur pro mandato, vel ordinatione divina, vel pro commiſſione, ut vulgo appellant.

3. *Quod per revelationem.*] Ne quid temere in ſuo Apoſtolatu tentaſſe videarur, ac nunc temeritatis ſuæ pœnas luere: ideo tam diligenter Deum geſtorum ſuorum allegat auctorem. & quoniam rei novitate fiebat ut paucos haberet ſuffragatores, ideo vocat *arcanum.* Hoc igirur nomine removet invidiam quæ inde oriri poterat, quod vulgo non placebat ejus factum. Atque in ea re non tam habet ſui ratiooem, quam Epheſiis conſulit: quorum magnopere referebat, certiores fieri, certo Dei decreto ſe vocatos fuiſſe Pauli miniſterio. Ita nomeo Arcani perverſis mundi judiciis & opinionibus, quæ tunc vulgo prævalebant, opponit: ne protinus ſuſpectum ſit quod minus eſt notum. Porro arcanum ſibi patefactum eſſe dicit revelatione: in quo ſe à fanaticis homioibus disjungit, qui Deo & Spiritui ſancto adſcribunt quicquid ſomniaverint. Jactant quidem etiam ſpeudoprophetæ revelationes, ſed mentiuntur. Paulo autem conſtabat revelationis ſuæ veritas, & aliis etiam demonſtrare poterat: & certe quaſi de re probe teſtata loquirur. *Scripſi paulo ante.* Vel hic memoria repetit quod jam ſecundo capite attigerat: vel de altera Epiſtola loquitur: quod fere omnium conſenſu receptum eſt. ſi prior expoſitio placeat: optime convenit, ſcripſiſſe eum paucis, quia hoc argumentum quaſi in tranſcurſu delibaverat: ſed quia poſterior magis, ut dixi, ohtinuir, eam in verſione ſequutus ſum. Itaque particulam ἐν ὀλίγῳ, quam Eraſmus Paucis tranſtulit, ad tempus referre viſum eſt. Nam hoc modo ſubeſſet tacita comparatio inter hanc ſcriptiooem & illam ſuperiorem. atque minime

minime quadraret brevitatem notari, ubi non potuit magis conciſe reſtringere, quam hic obiter attingit, ſermonem. Exiguum vero tempus deſignans, videtur appellare, data opera, recentem eorum memoriam: etſi de hac re non contendo. Plus eſt difficultatis in proximo membro quod ſequitur, πρὸς ὃ δύνασθε ἀναγινώσκοντες νοῆσαι &c. Vertit Eraſmus, Ex quibus poteſtis legentes intelligere: ſed non patitur ſyntaxis Græca, meo judicio, ut ἀναγινώσκειν τὸ pro Legere ſumatur. Proinde lectoribus conſiderandum relinquo an non aptior ſit ſenſus, Ad quod poteſtis attendentes (vel agnoſcentes) intelligere. atque ita participium cum præpoſitione πρὸς contexetur. Si tamen ſeorſum & abſolute accipias ἀναγινώσκοντες, ſenſus utcunque conſtabit, ſic, Legendo poteſtis ſecundum id quod ſcripſi, intelligere: ut ita πρὸς ὃ tantundem valeat atque καθ' ὃ: atque hic conjecturas poſui ut in re dubia. Cæterum ſi recipimus quod omnibus fere probatur, Apoſtolum ante ſcripſiſſe Epheſiis, Epiſtola hæc non ſola nobis periit. Nec tamen eſt quod obganniant impii, mutilam eſſe Scripturæ doctrinam, vel minus abſolutam aliqua ex parte. Si Pauli ſollicitudo rite à nobis reputetur, ſi vigilantia & aſſiduitas, ſi zelus & ſtudii fervor, ſi humanitas in juvandis fratribus ac promptitudo: facile erit inde conjicere, quam multas ſcripſerit Epiſtolas huc & illuc, tam publice quam privatim. Verum quas Dominus neceſſarias eſſe providebat Eccleſiæ ſuæ, eas ſua providentia æternæ memoriæ conſecravit. Sciamus ergo nobis ſufficere quod relictum eſt, nec fortuito accidiſſe quod tam pauca extant: ſed mirabili Dei conſilio, qualecunque eſt hoc quod habemus, Scripturæ corpus fuiſſe attemperatũ.

4. *Cognitionem meam in myſterio.*] Ex hac tam frequenti repetitione colligere licet quam neceſſaria res ſit, vocationis certitudo, tam in populo quam miniſtris. Paulus tamen alios magis quam ſe reſpicit. Paſſim quidem male audiebat, quod promiſcuum faceret Euangelium Judæis & Gentibus. ſed non tam erat ſollicitus ſua cauſa, quam quod videbat concuti multorum fidem, quum de ejus Apoſtolatu, improborum calumniis turbati, dubitare inciperent: ideo toties ad ſuam de voluntate mandatoque Dei notitiam revocat Epheſios. Quod autem prius ſimpliciter vocaverat Arcanum, nunc vocat *myſterium Chriſti*. ſignificat debuiſſe occultum latere, donec patefieret ejus adventu. quemadmodum Chriſti vocari poſſunt vaticinia quæcunque ad ejus regnum pertinent. Primum autem notanda eſt expoſitio Arcani: deinde conſiderabimus cur dicat ignotum fuiſſe omnibus ſeculis. Arcanum hoc fuiſſe dicit, quod Gentes in promiſſionis ſocietatem venire debuerint, & ita fieri vitæ participes in Chriſto, idque per Euangelium. aliæ ſunt rationes hujus appellationis, quum Euangelio tribuitur: ſed quæ præſenti loco non conveniant. Gentium itaque vocatio, arcanum Chriſti erat: hoc eſt, implendum ſub regno Chriſti. Sed cur negat fuiſſe
Jeſa.19. v.18,19. cognitam, quum tot vaticiniis prædicta foret? Nam paſſim aſſerunt Prophetæ, venturos ex toto orbe populos ut Deum adorent: erigendum eſſe tam in Aſſyria quam in Ægypto altare, & omnes pariter loquuturos lingua Chanaan. quibus verbis ſignificant cultum Dei veri, & eandem fidei confeſſionem ubique propagandam. Regnum Chriſti extendunt ab Oriente in Occidentem, & omnes terræ populos illi ſubjiciunt. Videmus quoque ut Apoſtoli multis locis teſtimonia ad eam rem citent: neque id ex poſterioribus ſolum Prophetis, ſed etiam ex Moſe. Qui potuit igitur eſſe abſconditum quod tot præconum voce promulgatum fuerat? quid quod ſine exceptione Paulus omnes à notitia excludit? dicemusne Prophetas de rebus ſibi ignotis loquutos, & ſonum edidiſſe abſque intelligentia? Reſpondeo, non ſic accipienda eſſe Pauli verba, quaſi de his rebus nulla prorſus cognitio fuerit. Semper enim in populo aliqui fuerunt, qui Dei gratiam agnoſcerent adventu Meſſiæ in toto mundo publicandam, & generis humani inſtaurationem ſperarent. Ipſi vero Prophetæ ex certa revelatione vaticinabantur: ſed interea nec tempus nec ratio illis conſtabat. Gentibus ſciebant aliquando communicandam eſſe Dei gratiam: ſed quando, quomodo, aut quibus mediis, id vero totum eos latebat. Ejuſmodi ignorantiæ inſigne fuit ſpecimen in Apoſtolis. non tantum de ea re edocti erant Prophetarum vaticiniis: ſed audierant claram Magiſtri vocem, Adhuc alias oves habeo, quæ non ſunt de hoc ovili: illas quoque oportet aggregari, ut fiat unum ovile, & unus Paſtor. rei tamen novitas eos impediebat quominus plane caperent. Quin etiam accepto illo mandato, Ite, prædicate omni creaturæ: item, Eritis mihi teſtes à Samaria uſque ad ultimas nationes: Gentium vocationem deinde horrent ac refugiunt, non ſecus ac portentum: modus enim illis erat incognitus. Priuſquam in rem præſentem ventum eſſet, obſcura tantum & confuſa apprehenſione excipiebant Chriſti verba: habebant enim in ceremoniis tanquam velum aliquod oculis ſuis oppoſitum. Unde nihil eſt abſurdi, ſi myſterium hoc vocet Paulus, & abſconditum fuiſſe dicat: quia ceremoniarum abrogatio, quæ aditus erat, neſciebatur.

Joan.10. verſ.16. Marc.16. verſ.15. Act.1. verſ.8.

5. *Nunc autem revelatum.*] Ne arrogantiæ imputaretur, quod ſe ſcire jactabat quæ ignoraverant omnes Patriarchæ, Prophetæ & ſancti Reges, primum communem aliis ſecum eſſe notitiam hanc admonet, ac præcipuos Eccleſiæ doctores ſibi ſocios facit: deinde refert hoc acceptum Spiritui ſancto, cujus in poteſtate eſt, quantum cuique voluerit, impertiri. Neque enim alia eſt ſciendi menſura niſi quam nobis ipſe terminat. Tribus vocabulis exprimit, Gentes in Dei populum fuiſſe cooptatas, ut melius oſtendat qua conditione debuerit hoc fieri: nempe dum indifferenter æquantur Judæis, ut unum corpus efficiant. ac ne rei novitas quempiam offendat, dicit hoc fieri oportuiſſe per Euangeliũ, cujus certe tunc nova erat & prius inaudita prædicatio: quum tamen è cælo eſſe, confeſſum erat inter omnes pios. quid igitur mirum ſi Deus orbem renovando, inſolitam rationem teneat?

7. Cujus factus ſum miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei, quod mihi datum eſt ſecundum efficaciam potentiæ ejus.

8. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, ut euangelizem in Gentibus imperveſtigabiles divitias Chriſti:

9. Et omnibus conſpicuum faciam quæ ſit communio myſterii quod abſconditum fuit à ſeculis in Deo, qui omnia creavit per Jeſum Chriſtum:

10. Ut nunc patefieret principatib. & poteſtatib. in cæleſtibus per Eccleſiam varie multiplex ſapientia Dei,

11. Secundum propoſitum æternum, quod ſtatuit in Chriſto Jeſu Domino noſtro,

12. Per quem habemus audaciam, & aditum in fiducia, per fidem ejus.

13. Quare peto ne deficiatis in afflictionibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.

7. *Cujus factus ſum.*] Quia Euangelium inſtrumentum eſſe docuerat communicandæ Gentibus gratiæ, nunc ſibi munus hoc fuiſſe mandatum adjungit: atque ita perſonæ ſuæ accommodat quod de re dixerat. Ne tamen ſibi videatur plus tribuere quam oportet, primo donum eſſe prædicat gratiæ Dei: deinde in hoc dono prædicat Dei potentiam: acſi diceret, Nolite reſpicere quid ſim meritus: quia Dominus ultro mihi ſua liberalitate hoc contulit, ut ſim Apoſtolus Gentium: non mea dignitate, ſed ejus gratia. Nolite etiam reſpicere qualis fuerim. nam Domini eſt, homines nihili extollere. Hæc eſt pœnitentiæ ejus efficacia, ex nihilo grande aliquid efficere.

8. *Mihi omnium ſanctorum.*] Se ac ſua omnia quantum poteſt extenuat, ut Dei gratiam altius evehat,

evebat, & ſimul hac confeſſione præveniat adverſarios in objectionibus quas contra afferre poterant; Quiſnam bic eſt, ut reliquis omnibus Deus ipſum prætulerit? quibus dotibus alios excellebat, ut præ omnibus delectus fuerit? Tollit ergo omnem dignitatis & virtutum comparationem, dum ſe minimum omnium fuiſſe fatetur. Neque vero ſimulate loquitur, quum ita ſe dejicit: quemadmodum plerique fictam bumilitatem præ ſe ferunt, quum intus in animis turgeant; & verbo ſe minimos fatentur, quum tamen ſummi haberi velint, ſeque ſummo honore dignos putent. Ex animo Paulus ſuam parvitatem agnoſcit: imo alibi longe dejectius de ſe loquitur, Indignus qui vocer Apoſtolus, 1 ad Corinth. cap. 15. v. 9. item quum ſe ex peccatoribus primum facit, 1 ad Timoth. 1. v. 5. Verum obſervemus, dum ſe facit omnium abjectiſſimum, cum reputare qualis ſit ex ſeipſo, & ſeorſum à gratia Dei: acſi diceret, ſuam vilitatem non fuiſſe impedimento quominus, aliis præteritis, deſignaretur Gentium Apoſtolus. Nam quum ſibi datum fuiſſe
1 Tim. 2. verſ. 7. dicit, peculiare donum ſignificat: quia comparative loquitur. non quod ſolus ad hoc munus obeundum fuerit electus, ſed quia inter Gentium doctores primas tenebat: quo jure etiam alibi hunc titulum quaſi peculiarem uſurpat. Per *imperveſtigabiles Chriſti divitias*, intelligit immenſos & incredibiles gratiæ theſauros, quibus Gentes Deus præter ſpem repente dignatus fuerat. quo admonet, quam cupide Euangelium amplecti, quantoque in pretio habere Epheſii debeaot: de quo diximus in Epiſtola ad Galat. cap. 2. c. 15. Et certe ut communem habebat Apoſtolatus functionem cum reliquis: ita proprius hic erat ejus honor, Gentibus deſtinatum eſſe Apoſtolum.

9. *Quæ ſit communio myſterii.*] Communionem appellat promulgationem: quum ſcilicet Deus homines conſilii ſui, quod ante occultum habuerat, vult fieri participes. Et utitur apta ſimilitudioe, quum dicit, φωτίσαι πάντας: quaſi plena luce affulgeat Dei gratia in ſuo Apoſtolatu. *Quod abſconditum fuit in Deo.* Vitat odium novitatis, ſicuti jam prius. Nominatim autem in Deo fuiſſe abſconditum pronunciat, ut occurrat bominum temeritati, qui indignum eſſe putant quicquam à ſe ignorari. quaſi vero non ſit in arbitrio Dei, recondita peoes ſe habere ſua conſilia, donec ea communicare velit hominibus. Quæ vero iſta eſt arrogantia, imo inſania, oon concedere Deo ut plus ſapiat quam nos? Quare meminerimus, reprimendam eſſe noſtram audaciam, quoties immenſa divinæ præſcientiæ altitudo nobis proponitur. Huc pertinet quod divitias Cbriſti vocavit Imperveſtigabiles, ſignificans materiam eſſe reverentia & admiratione dignam, quamvis ſenſu noſtro non apprehendatur. *Qui omnia creavit per Chriſtum.* Non tam de prima creatione interpretari libet, quam de inſtauratione ſpirituali. Tametſi enim verum eſt illud, Verbo Dei creata eſſe omnia, quemadmodum tot locis habetur: circumſtantia tamen loci poſtulat ut de renovatione iotelligamus, quæ continetur in beneficio redemptionis. Niſi forte quis argumentum ducere malit à creatione ad renovationem, hoc ſenſu, Per Chriſtum Deum Pater creavit omnia. non igitur mirum ſi nunc Gentes omnes, ipſo mediatore, in integrum reſtituat. quæ expoſitio mihi non diſplicet. Simili argumento utitur 2 Corintb. capite 4. verſ. 9. Deus qui juſſit ex tenebris lucem ſplendeſcere, idem eſt qui illuxit cordibus veſtris. Colligit enim ex mundi creatione, officium eſſe Dei, illuminare tenebras: ſed quod illic viſibile fuit, transfert ad Spiritum, ubi agitur de regno Chriſti.

10. *Patefieret principatibus.*] De Angelis hoc dici, quidam abſurdum eſſe putant: propterea quod in ſplendore vultus Dei plus ceroant, quam ut talis ignorantia illis conveniat. Referunt ergo ad diabolos: ſed inconſiderate. quid enim egregium de Euangelio prædicaret Apoſtolus, aut de Gentium vocatione, ſi nunc primum diabolis innotuiſſe diceret? Atqui certum eſt, huc ipſum incumbere, ut Dei miſericordiam erga Gentes, & ſimul Euangelii dignitatem quam poteſt maxime amplificet: quod ut faciat, teſtatur in Euangelii prædicatione in medium proferri multiplicem Dei gratiam, quæ ne Angelis quidem cæleſtibus ſemper nota fuerit. unde ſequitur, debere hominibus eſſe pluſquam admirabilem Dei ſapientiam, in eo quod Gentes Judæis adjunxit in ſalutis conſortium. Ideo πολυποίκιλον vocat, quia ſoleot eam homines falſo metiri una ſpecie, dum totam & ſingulas ejus partes minime capiunt. Exempli gratia, Dei ſapientiam Judæi incluſam eſſe imaginabantur in diſpenſatione ſibi cognita & uſitata, qualis ſub Lege fuerat. Deus autem aliud ſapientiæ ſuæ documentum ac ſpecimen deprompſit, Euangelium omnibus indifferenter publicando: non quod nova fuerit ſapientia, ſed quod magis ampla eſt ac multiplex, quam ut ingenii noſtri modulo comprehendatur. Quare ſciamus, qualemcunque ejus notitiam ſimus conſequuti, tenuem duntaxat eſſe portiunculam. Quod ſi in Gentium vocatione, in cælo agnoſcitur ab Angelis, & reverenter excipitur, quam indignum eſt in terra ab hominibus reſpui, vel deſpici? Verum quod binc alii colligunt, intereſſe concionibus Angelos, ut communiter nobiſcum proficiant, ſpeculatio eſt parum firma. Semper reſpiciendum eſt quibus verbi ſui miniſterium deſtinaverit Deus. Nam ſi in fide non ambulant Angeli, qui Dei conſpectu fruuntur: neque etiam externa verbi adminiſtratione opus habent. Reſtat igitur, quæ in hominum uſu eſt, prædicationem nonniſi homioum neceſſitati ſervire. Pauli autem verba hunc habent ſenſum, quod Eccleſia ex Judæis pariter ac Gentibus collecta, quaſi ſpeculum ſit, in quo contemplantur Angeli mirificam Dei ſapientiam, quam prius neſcierant. Opus enim vident ſibi novum, & cujus ratio in Deo latebat: talis eſt profectus, non quia ex ore homioum aliquid diſcant.

11. *Secundum propoſitum æternum.*] Videmus quam diligenter caveat ne objici poſſit conſilii mutatio in Deo: ideo repetit jam tertio, fuiſſe æternum ſemperque fixum decretum: ſed quod debuerit in Cbriſto ſanciri, quia in ipſo ſtatutum erat. ita legitimum publicandi decreti tempus ad Cbriſti regnum pertinere ſignificat. Ad verbum eſt, Secundum propoſitum quod fecit. ſed Facere accipio pro Statuere: quia non de exequutione tantum decreti agitur, ſed de ipſa ordinatione: quæ tameſi omnia ſecula præceſſit, retenta fuit in Dei ſinu uſque ad Chriſti manifeſtationem.

12. *Per quem habemus audaciam.*] Significat hoc bonoris dandum eſſe Chriſto, ut toti mundo Patrem conciliet. Gratiam hanc à fructu commendat: quia ſicuti communis Gentibus eſt fides, ita in Dei conſpectum eas admittit. Quoties autem nos per Chriſtum & ejus fidem Paulus conjungit Deo, ſubeſt tacita antitbeſis, quæ omnes alios aditus obſtruit, alios omnes conjunctionis modos tollit. Hic tamen habemus inſignem & utiliſſimam doctrinam: ſiqoidem & quæ fidei vis ſit ac natura, eleganter exprimit Paulus, & quæ fiducia in vera Dei invocatione requiratur. De fidei effectu & officiis ſi multum oobiſcum litigent Papiſtæ, non eſt mirum: neque enim quid ſibi velit *fidei* vocabulum, capiunt. quod ex præſenti loco poſſent diſcere, niſi eſſent falſis opinionibus jam præoccupati. Primum fidem Cbriſti oominat Paulus, ſignificans, in Cbriſto nobis exhibitum quicquid reſpicere debet fides: unde ſequitur, nudam & confuſam de Deo notitiam non habendam eſſe pro fide, ſed quæ in

Cbriſtum

Chriſtum ſe dirigit, ut illic Deum quærat: quod fieri nequit, niſi quum iotelligitur Chriſti virtus & officium. Ex fide procreari docet audaciam & fiduciam; quarum hæc ordine prior, alteram deinde ſecum trahit. Tres itaque gradus ſunt faciendi. nam primum Dei promiſſionibus credimus: deinde his acquieſcentes concipimus fiduciam, ut bono ſimus tranquilloque animo: hinc ſequitur audacia, quæ facit ut profligato metu, intrepide & conſtanter nos Deo commendemus. Fidem qui à fiducia ſeparant, perinde faciunt acſi quis conetur ſuum à ſole calorem vel lumen auferre. Fateor quidem, pro modo fidei, in aliis exiguam, in aliis majorem eſſe fiduciam: nuſquam tamen reperietur fides ſine his effectis aut fructibus. Proinde argumentum erit certiſſimum vel infidelitatis vel fidei, conſcientia trepida & vacillans ob dubitationem, vel ſecura, conſtans, & invicta adverſus inferorum portas. Hæc ſancta eſt præſumptio (ut loquuntur) dum freti Chriſto Mediatore, certo acquieſcimus in paterno Dei amore: certo nobis audemus vitam æternam polliceri: nec mortem, nec inferos expaveſcimus. Obſervandum etiam quod dicit, *aditum in fiducia.* nam in hoc differunt ab impiis filii Dei, quod quum illi quietem in Dei oblivione reponant, nec unquam bene habeant, niſi quum longiſſime à Deo recedunt: hi pacem habent cum Deo, & alacriter libenterque ad eum accedunt. Colligimus præterea ex hoc loco, requiri in vera invocatione fidociam: adeoque hanc clavem eſſe quæ nobis januam regni cæleſtis reſerat. nam qui huc & illuc alternant hæſitandu, nunquam exaudientur, ut inquit Jacobus. Proinde. Sorbooici ſophiſtæ quum hæſitare præcipiant, oeſciunt quid ſit Deum invocare. *Jacob. 1. verſ. 6.*

13. *Quare peto ne deficiatis.*] Jam vides quorſum prius fecerit mentionem vinculorum: ne ſcilicet debilitarentur animis, audita ejus perſequutione. O pectus heroicum, quod ex carcere & morte ipſa ſuggerebat aliis conſolationem qui extra periculum erant! *Afflictiones* ſe pro Epheſiis ſuſtinere commemorat, quia cedebant in piorum omoium ædificatiooem. Quanta enim fidei confirmatio inde populo accedit, quum vitæ propria jactura, doctrinam ſuam Paſtor ſancire non dubitat? quare etiam addit, *quæ eſt gloriatio veſtra.* nam ita illuſtrabatur ejus prædicatio, ut Eccleſiæ omnes in quibus docuerat, merito gloriarentur ſe fidem habere optimo pignore comprobatam.

14. Hujus rei gratia flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti,

15. Ex quo omnis cognatio in cælis & ſuper terram nominatur,

16. Ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, potentia roborari per Spiritum ſuom in hominem interiorem:

17. Ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, ut ſitis in charitate radicati & fundati,

18. Quo valeatis compreheodere cum omoibus ſanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & profunditas, & altitudo:

19. Cognoſcere, ioquam, dilectionem Chriſti, quæ cognitionem exuperat: ut completi ſitis in omoem plenitudinem Dei.

14. *Hujus rei.*] Preces pro illis ſuas commemorat, non tantum ſui erga illos affectus teſtandi cauſa, ſed etiam ut ſimiliter ipſi quoque precentur. fruſtra enim omnis doctrina ſpargitur, niſi Dominus ſua benedictione eam fœcundet. Diſcant ergo Paſtores exemplo Pauli, non tantum admonere & hortari: verum ſimul à Domino petere ſuis laboribus proventum, ne ſint infructuoſi. Quanquam non debet hoc dare ignaviæ cauſam, quum audiunt nihil ſe profecturos ſua induſtria & labore, niſi quoad Dominus benedixerit: ſed inutile fore quicquid ſtudii & diligentiæ impenderint. quin potius ſtrenue laborare debent ſerendo & rigando: modo interim à Domino petant incrementum & expectent. Hoc modo refellitur Pelagianorum & Papiſtarum calumnia, dum arguunt ſupervacuam fore omnem doctrinam, ſi ſola Spiritus ſancti gratia mentes illuminet, ſi corda formet in obedientiam. Nam ideo illuminamur & renovamur à Spiritu ſancto, ut apud nos valeat doctrina, ſitque efficax: ne cæcis proferatur lumen, ne ſurdis veritas canatur. Ergo ſolus ita Dominus agit in nobis, ut inſtrumentis tamen ſuis agat. ideo Paſtorum officium eſt, gnaviter docere: populi rurſum, ſedulo attendere ad doctrinam. ſed utroſque oportet, ne inanibus exercitiis ſe fatigent, ad Dominum confugere. Quum dicit, *flectere genua*, à ſigno rem denotat: non quod oratio ſemper requirat genuflexionem, ſed quoniam hoc reverentiæ ſignum communiter adhibeatur, præſertim ubi non perfunctoria eſt ſed ſeria oratio.

15. *Ex quo omnis cognatio.*] Relativum Ex quo, tam in Patrem quam in Filium poteſt competere. oon placet quod Eraſmus ad Patrem nominatim reſtringit. Neque enim tollenda erat libertas lectoribus: imo altera expoſitio longe eſt probabilior. Nam alludit Apoſtolus ad eam cognationem quæ Judæis erat inter ſe, ob communem patrem Abraham, qui erat initium generis. Ex adverſo autem, dum tollere vult diſcrimen inter Judæos & Gentes, dicit non homines ſolum univerſos io unam familiam, unumque genus per Chriſtum redactos eſſe: ſed Angelis etiam factos eſſe contribules. Siquis de ipſo Deo interpretatur, non ita conveniet: ſiquidem in promptu eſſet exceptio, Deum olim præteritis Gentibus, Judæos ſibi in populum peculiarem adoptaſſe. ſed quum ad Chriſtũ veniuntur, tunc fit quod Paulus docet. Coëunt enim & coaleſcunt omnes in unam domum, ut ſub uno Deo Patre ſint invicem fratres. intelligamus ergo, Chriſti auſpiciis cognationem inter Judæos & Gentes ſacratam eſſe: quia nos reconcilians Patri, unum ſimul omnes fecerit. Non eſt ergo amplius quod glorientur Judæi aut progenie Abrahæ, aut hac vel illa tribu, quo deſpiciant reliquos tanquam profanos, ſibi honorem ſancti populi vendicent: una enim eſt cognatio æſtimanda, tam in cælo quam ſuper terram, tam inter Angelos quam homines: nempe ſi ad Chriſti corpus pertinemus. Nam extra ipſũ nihil quam diſſipatio reperietur: ipſe autem ſolus vinculũ eſt noſtræ colligationis.

16. *Ut det vobis.*] Optat Paulus roborari Epheſios, quibus non vulgarem pietatis laudem ante tribuerat. ſed nunquam eouſque progreſſi ſunt fideles, quin adhuc creſcendum ſit. Summa itaque piorum in hac vita perfectio eſt, proficiendi ſtudium. ejuſmodi confirmationem teſtatur opus eſſe Spiritus: unde ſequitur, non eſſe ex propria hominum facultate. Nam ſicut à Spiritu Dei eſt omnis boni initium, ita & incrementa: deinde acceptam fert Dei gratiæ, quum utitur verbo Donandi. quod minime admittunt Papiſtæ, quum dicunt, ſecundas gratias nobis retribui: prout quiſque meritus fuerit, prima gratia bene utendo. Nos vero cum Paulo agnoſcamus donum eſſe gratiæ Dei, non tantum quod cœpimus bene currere, ſed quod progredimur: non tantum quod renati ſumus, ſed quod in dies magis augemur. Et quo apertius Dei gratiam aſſerat, dicit, *Secundum divitias gloriæ ſuæ.* quod bifariam poteſt exponi: vel, Secundum divitias ſuas glorioſas: ut genitivus valeat epithetum, pro uſu linguæ Hebraicæ: vel, Secundum gloriam ſuam opulentam & copioſam. Ita nomen Gloriæ, pro miſericordia poſitum erit, quemadmodum cap. 1. v. 6. hic ſecundus ſenſus magis arridet. *In hominem interiorem.* Homo interior Paulo animam ſignificat, & quicquid ad ſpiritualem animæ vitam pertinet: ſicut exterior, corpus cum ſuis appendicibus, hoc eſt, ſanitate corporis, honoribus, divitiis, ætatis flore, gratia, & quicquid tale eſt. Secundæ ad Corinth. 4. v. 16. Si exterior homo noſter corrumpitur, interior reoovatur de die in diem: hoc eſt, ſi mundo cadimus, hoc facit ut magis ac magis in nobis

vigeat

vigeat ſpiritualis vita. Non ergo vult Paulus roborari ſanctos, ut in mundo excellant & floreant, ſed ut Dei virtute fortes ſint eorum animæ, quod ad regnum Dei.

17. *Ut inhabitet Chriſtus.*] Declarat quale ſit interioris hominis robur. nam quum in Chriſto Pater omnium donorum plenitudinem repoſuerit: qui Chriſtum habet in ſe manentem, ei nihil deeſt. Fallunt ergo qui aliter Spiritum Dei ſe poſſe adipiſci ſperant, quam dum adepti ſunt Chriſtum. quemadmodum rurſus ſtulta eſt ac præpoſtera eorum imaginatio, qui Chriſtum percipi à nobis poſſe ſomniant abſque Spiritu. Atqui utrumque tenendum eſt, eatenus nos fieri Spiritus ſancti participes, quatenus Chriſto communicamus: quia non alibi invenietur
Jeſa. 61. verſ. 2. Spiritus, quam in Chriſto, ſuper quem dicitur propterea requieviſſe: nec Chriſtum à Spiritu ſuo poſſe divelli, ut ſit quaſi mortuus & vacuus ſua virtute. Bene ergo Paulus eos ſpirituali Dei virtute pollere definit, in quibus Chriſtus habitat. partem etiam deſignat, ubi legitima eſt Chriſti ſedes, nempe cor: ut ſciamus, non ſatis eſſe ſi in lingua verſetur, aut in cerebro volitet. Modum præterea exprimit, quo tantum bonum obtinetur: *habitet*, inquit, *per fidem.* præclara fidei laus, quod Filius Dei per ipſam noſter efficitur, ut domicilium in nobis habeat: neque enim fide ſolum agnoſcimus Chriſtum pro nobis paſſum, & pro nobis à morte ſuſcitatum: ſed eum, ut ſe nobis offert poſſidendum ac fruendum, recipimus. quod diligenter notandum eſt. Plerique pro eodem accipiunt, Chriſti eſſe participem, & Chriſto credere: atqui participatio quam habemus cum Chriſto, eſt fidei effectus. Summa ſit, Non procul intuendum eſſe Chriſtum fide, ſed recipiendum eſſe animæ noſtræ compleau, ut in nobis habitet: atque hoc modo fieri ut Spiritu Dei impleamur. *Ut ſitis in charitate.* Recenſet fructus habitationis, charitatem, & agnitionem divinæ gratiæ, & ejus amoris qui nobis exhibitus fuit in Chriſto. Hanc eandem eſſe veram & ſolidam animæ virtutem, ſequitur: ideo quoties de ſanctorum perfectione agit, duabus his partibus eam conſtare docet. Duæ ſimilitudines quas adhibet, exprimunt quam firma & conſtans debeat eſſe in nobis charitas. Multi enim leviter tincti ſunt charitate: ſed quæ facile evaneſcit aut diſcutitur, quia parum altas habet radices. Paulus autem vult eam penitus animis noſtris infixam eſſe, ut ſit quaſi bene fundatum ædificium & profunda plantatio. Ille eſt ſimplex ac genuinus ſenſus, Nos ita radicitus infitos eſſe debere in charitate, & ita funditus in profundo ejus affectu conditos, ut nihil inde nos dimoveat. Unde patet, eos nugari qui ex Pauli verbis colligunt, ſalutis noſtræ fundamentum ac radicem eſſe charitatem. neque enim diſputat Paulus ubi ſalus noſtra fundata ſit, idque omnes vident: ſed quam firma & tenax debeat in nobis eſſe charitas.

18. *Quo valeatis comprehendere.*] Secundus fructus, ut percipiant Epheſii quanta ſit erga homines Chriſti dilectio. talis autem apprehenſio vel notitia, ex fide eſt. Quum in ea re ſanctos omnes illis ſocios adjungit, indicat præſtantiſſimum eſſe bonum quod poſſint in præſenti vita conſequi: ſupremam eſſe ſapientiam, ad quam omnes filii Dei aſpirant. Cæterum quod ſequitur, quum per ſe clarum ſit, hactenus variis interpretationum opinionibus obſcuratum fuit. Auguſtinus in argutia nihil ad rem pertinente ſibi valde placuit. quærit enim hic myſterium neſcio quod in figura crucis: deinde ex latitudine facit charitatem, ex altitudine ſpem, ex longitudine patientiam, ex profunditate humilitatem. Hæc ſubtilitate ſua placent: ſed quid ad Pauli mentem? nihilo certe magis quam quod Ambroſius ſphæricam formam deſignari putat. Verum aliorum interpretationibus omiſſis, dicam quod omnes ſimplex & verum eſſe agnoſcent: Paulus enim nihil per iſtas dimenſiones intelligit, quam Chriſti charitatem, de qua continuo poſt: ſignificans, eum cui vere & perfecte cognita eſt, undequaque ſapere: acſi dixiſſet, Quaquaverſum reſpiciant homines, nihil reperient in ſalutis doctrina quod non huc referendum ſit. Continet enim una Chriſti dilectio omnes ſapientiæ numeros. ideo quo facilior ſit ſenſus, ita reſolvi debent verba, Ut valeatis comprehendere dilectionem, quæ eſt longitudo, latitudo, profunditas & altitudo ſapientiæ noſtræ: hoc eſt, tota perfectio. Similitudinem enim ſumit à Mathematicis, ut à partibus totum deſignet. quoniam hic omnium fere communis eſt morbus, rerum inutilium ſtudio ardere. utilis valde eſt iſta admonitio: quid ſcire nobis expediat, & quid Dominus conſiderare nos velit ſurſum, deorſum, ad dextram & ſiniſtram, à fronte & à tergo. Dilectio Chriſti nobis proponitur, in cujus meditatione nos exerceamus dies ac noctes: & in quam nos quaſi demergamus. Hanc unam qui tenet, ſatis habet: extra eam nihil eſt ſolidum, nihil utile, nihil denique rectum aut ſanum. Circumeas licet in cælum, terras, maria: non altius tranſcendes, quin legitimum ſapiendi finem tranſilias.

19. *Quæ cognitionem exuperat.*] Sic alibi, Pax Dei *Phil. 4.*
quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda ve- *verſ. 7.*
ſtra. nam hominem ut ad Deum accedat, ſupra ſe & mundum attolli oportet. Hoc eſt quod ſophiſtas impedit quominus concedant, nos de gratia Dei poſſe eſſe certos. nam fidem metiuntur humani ſenſus apprehenſione. Atqui Paulus ſcientiam hic ſtatuit, quæ ſit omni notitia ſuperior. & merito: nam ſi huc facultas humana conſcenderet, fruſtra peteret nunc Paulus ipſe, à Deo donari. Meminerimus ergo, fidei certitudinem eſſe ſcientiam: ſed quæ Spiritus ſancti magiſterio, non ingenii noſtri acumine diſcitur. Plura ſi volent, ex Inſtitutione petant lectores. *Ut ſitis completi.* Uno verbo jam declarat quid per varias dimenſiones intellexerit: nempe qui Chriſtum habet, eum omnia habere quæ requiruntur ad noſtram in Deo perfectionem. nam hoc ſignificat *Dei plenitudo.* Alioqui homines in ſeipſis complementum habere ſe fingunt: ſed ut quiſquiliis aut vento turgeant. Perperam autem illi & impie delirarunt, qui complementum Dei interpretati ſunt, Plenam divinitatem: quaſi homines fiant Deo æquales.

20. Ei autem qui poteſt cumulate ſuper omnia facere quæ petimus aut cogitamus, ſecundum potentiam in nobis agentem,

21. Sit gloria in Eccleſia per Jeſum Chriſtum, in omnes ætates ſeculi ſeculorum. Amen.

Tandem erumpit in gratiarum actionem, quæ tamen exhortationem ſimul continet ad bene ſperandum. Porro gratiarum actio huc ſpectat, ut incitentur magis ac magis Epheſii ad æſtimandam Dei gratiam pro ſua dignitate. *Gloria*, inquit, *Deo ſit per Chriſtum.* nempe quia per eum effuſa erat Dei miſericordia in Gentes. Addit *in Eccleſia*: quo ſignificat, Dei gratiam in Gentium vocatione eſſe talem quæ debeat inter omnes fideles, quam late patet Eccleſia, celebrari. Perpetuitas ad augendam magnitudinem valet.

20. *Qui poteſt.*] Refertur hoc ad futurum tempus, ideo eſt ſpei doctrina. & certe non poſſumus Deo juſtas ex animo gratias agere pro acceptis beneficiis, niſi perſuaſi ſimus, ejus bonitatem perpetuam erga nos fore. Quum autem dicit Deum poſſe, non intelligenda eſt potentia longe remota ab actu, ut loquuntur: ſed quæ ſe proferat, & reipſa à nobis ſentiatur.

Debent

Debent enim fideles eam ſemper conjungere cum opere, ubi de rebus ſibi promiſſis, & de ſua ſalute agitur. Quicquid enim poteſt Deus, facturus eſt proculdubio, ſi promiſit. id confirmat prioribus experimentis, vel præſenti, quæ ſe in illis exerebat, Spiritus efficacia. Secundum id quod jam in nobis ſentimus, inquit. quicquid enim boorum nobis Deus confert, documeotum eſt ejus erga nos gratiæ, amoris, virtutis: unde in poſterum debemus meliorem fiduciam coocipere. Notandum eſt membrum illud, *Cumulate.* item, *Super omnia facere quæ petimus aut cogitamus*: ne timeamus exceſſum io recta fide. Nunquam eoim tantum expectabimus bonorum à Deo, quin vota omnia & ſenſus omnes noſtros immeoſa ſua liberalitate ſuperet.

Cap. IV.

OBſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione ad quam vocati eſtis,

2. Cum omni humilitate & manſuetudine, cum tolerantia ſufferentes vos invicem in dilectione:

3. Studentes ſervare unitatem ſpiritus, in vinculo pacis.

4. Unum corpus & unus ſpiritus: quemadmodum vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.

5. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma:

6. Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper * omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.

* vel, *ſuper omnes, & per omnia.*

Hæc tria capita tantum cootinent præceptiones de moribus: ac primum quidem eos hortatur ad mutuam coocordiam. qua occaſione de Eccleſiæ regimine tractat: quoniam ita ſit compoſitum à Domino, ut vioculum ſit unitatis inter nos ſervandæ.

1. *Ego vinctus in Domino.*] A vioculis, quæ videbantur eum deſpicabilem reddere, majorem (ut etiam alibi viſum eſt) ſibi auctoritatem vendicat. Erant enim veluti ſigillum honorificæ illius legationis quam obtiouerat. Nam quicquid eſt Chriſti, etiamſi coram mundo ſit ignominioſum, ſummo cum honore ſuſcipiendum à oobis eſt: ut plus reverentiæ babeat Apoſtoli carcer, quam omnes Regum pompæ & triumphi. *Digne ambuletis.* Generalis ſententia & quaſi præfatio commuois, ea qua manat quicquid poſtea ſequitur. De vocatiooe eorum prius diſſeruit: nuoc admonet hoc reſtare, ut ſe Deo morigeros præbeant, ne ſint tanta gratia indigni. Quum ad ſpecies deſcendit, primum locum dat humilitati. ratio eſt, quia de unitate verba facturus erat. primus autem gradus quo ad eam pervenitur, eſt humilitas. Hæc enim manſuetudinem ea ſe parit, quæ nos deinde reddit patientes. fratres autem noſtros ſuſtinendo, retinemus unitatem, quæ alioqui centies quotidie abrumperetur. Meminerimus ergo, principium colendæ fraternæ benevolentiæ eſſe humilitatem. unde enim protervia, faſtus, contumeliæ adverſus fratres? unde riaæ, unde ioſultationes & probra, niſi quia ſe quiſque nimis amat, & nimis ſibi placet? Ergo qui arrogantiam depoſuit, & ſibi deſiit placere, manſuetus erit & facilis. tali porro moderatiooe quiſquis erit præditus, multa fratribus ignoſcet, multa tolerabit. Quare notandus eſt hic ordo & contextus: quia de patientia ioutiliter quis præcipiet, niſi manſuefecerit animos, & ferociam correxerit: fruſtra de manſuetudine concionabitur, niſi ab humilitate ſumpſerit exordium. Quod dicit *In dilectione*, ſignificat quod alibi dicit, hanc eſſe propriam charitatis naturam, ut ſit patiens. ergo ubi regnabit ac vigebit charitas, multa alii in aliis feremus. Cæterum non immerito commendat patientiam, ut maneat unitas ſpiritus. Quotidie enim accidunt innumera offendicula, quæ diſſidia ioter oos excitare poſſent, præſertim in tanta moroſitate quanta laborat humanum ingenium. *Unitatem ſpiritus* quidam pro ſpirituali accipiunt, quam in nobis efficit Dei Spiritus. & certe is eſt ſolus qui nos reddit unanimes, adeoque facit unum. ſed ego ſimplicius interpretor de animorum concordia. Colligari unitatem docet *pacis vinculo*, propterea quod ea contentionibus naſcuntur fere odia & ſimultates. Placide ergo vivendum, ut maneat inter nos benevolentia.

4. *Unum corpus.*] Clarius exprimit quam perfecta eſſe debeat unitas Chriſtianorum: nempe quæ omni ex parte adeo valeat, ut in unum corpus & unam animam coaleſcamus. quibus verbis totum homioem deſignat: quaſi diceret, nos penitus corpore & anima, non ex parte duntaxat, debere eſſe unitos. Et valido argumeoto hoc confirmat: quia in unam hæreditatem & unam vitam vocati ſimus omnes. inde enim ſequitur, potiri nos vita æterna aliter non poſſe, quam ſi ioter oos vivamus unanimes in hoc mundo. Nam ideo ſimul omnes Deus una voce iovitat, ut eodem fidei conſenſu ioter ſe uniti, mutuo alii alios juvare ſtudeant. O ſi aoimis noſtris inſideret hæc cogitatio, hanc legem nobis eſſe propoſitam, ut non magis diſſidere inter ſe poſſint filii Dei, quam regnum cælorum dividi! quanto in colenda fraterna beoevoleotia eſſemus cautiores? quanto nobis horrori eſſent omoes ſimultates, ſi reputaremus, ut decet, eos omnes ſe alienare à regno Dei qui à fratribus ſe disjungunt? Sed neſcio qui fit ut ſecure nos eſſe filios Dei gloriemur, mutuæ inter oos fraternitatis obliti. Diſcamus itaque ea Paulo, ejuſdem hæreditatis minime eſſe capaces, niſi qui uoum corpus ſunt & unus ſpiritus.

5. *Unus Dominus.*] Priore ad Corioth. 12. v. 5. ſimpliciter hac voce Domini, imperium Dei ootat: hic vero, quia paulo poſt de Patre nominatim loquitur, proprie Chriſtum intelligit, qui ordinatus eſt nobis à Patre Dominus. non poſſumus autem illius dominio ſubeſſe niſi unanimes. Quoties hic legis vocabulum Unus, intellige emphatice poſitum: acſi diceret, Non poteſt dividi Chriſtus, non poteſt ſcindi fides: non ſunt diverſi Baptiſmi, ſed unus omnibus communis: non poteſt Deus in partes varias diſtrahi. ergo unitatem ioter nos ſanctam coli decet, quæ tot vinculis eſt colligata. Nam & fides, & Baptiſma, & Deus Pater, & Chriſtus uoire nos debent, ita ut quodammodo in unum hominem coaleſcamus omnes. Cæterum hæc omnia unitatis argumenta expendi magis debent, quam enarrari queanr. ideo breviter Apoſtoli mentem indicare mihi ſufficit: plenam tractationem concionibus relinquo. Porro unitas fidei cujus meminit, ab unica & æterna Dei veritate peodet, in qua fuodata eſt. *Unum Baptiſma.* Perperam ex hoc loco quidam colligunt, non iterandum eſſe Baptiſma inter Chriſtianos. neque enim hoc vult Apoſtolus: ſed idem eſſe omnibus commuoe: ideoque per ipſum initiari nos in uoam animam & unum corpus. Quod ſi valet illa ratio, multo validior erit iſta, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum eſſe: quia uoum eſt Baptiſma, quod trium nomine conſecratur. Quid enim habebunt vel Ariani,

riani, vel Sabelliani, quod reſpondeant ad iſtam objectionem? Baptiſmus tantam vim habet ut nos unum efficiat. in Baptiſmo autem iovocatur nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. negabuntne unam eſſe diviniratem quæ ſit hujus ſacræ & myſticæ unitatis fundamentum? Ergo fateamur neceſſe eſt, ex Baptiſmi ioſtitutione probari tres perſonas in una Dei eſſentia.

6. *Unus Deus & Pater.*] Hoc eſt præcipuum: quia inde manant reliqua omoia. Unde enim fides? unde Baptiſmus? unde Chriſti etiam dominium, cujus auſpiciis copulamur, niſi quia Deus Pater ſe in nos diffundens, his quoque mediis viciſſim nos ad ſe colligit? Duæ particulæ, ἐν πᾶσιν, ϗ ἐπὶ πάντων, tam neutro quam maſculino genere poſſunt accipi. & uterque ſenſus non male quadrabit: imo utrovis modo transferas, idem erit ſenſus. Tametſi enim Deus ſua virtute ſuſtinet fuvetque omnia & regit: non tamen bic Paulus de illa univerſali gubernatione loquitur, ſed de ſpirituali tantum, quæ ad Eccleſiam pertinet. Deus enim Spiritu ſaoctificationis diffuſus eſt per omnia Eccleſiæ membra, & omnia complectitur ſuo imperio, & in omnibus habitat. Deus autem non diſſidet ipſe ſecum: ergo neceſſe eſt ut nos io unum coadunet. de qua ſpirituali unitate meminit Chriſtus, Joan. 17. v. 11. Illod quidem verum eſt generaliter de omnibus non bominibus tantum, ſed etiam creaturis, In ipſo ſumus, & movemur, & vivimus. *Act. 17. verſ. 28.* Item, Ego omnia impleo. *Jerem. 23. verſ. 23.* verum expendi debet hujus loci circumſtantia. Tractat enim Paulus de mutua fidelium inter ſe conjunctione, quæ oihil commune habet vel cum impiis, vel cum brutis animalibus. Ad eam ergo reſtringitur quod dicit de imperio & præſentia Dei. qua etiam ratione nomen Patris appoſuit, quod nonniſi Cbriſti membris competit.

7. Unicuique autem noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti.
Pſal 68. 8. Propterea dicit, Poſtquam aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem, & de-
verſ. 19. dit dona hominibus.
9. Illud autem, Aſcendit, quid eſt niſi quod etiam deſcenderat prius in inferiores partes terræ?
10. Qui deſcendit, ipſe eſt etiam qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia.

7. *Unicuique.*] Nunc modum deſcribit quo Deus mutuam inter nos conjunctionem tuetur ac retinet: nempe dum neminem donat tanra perfectione, ut ſibi ſufficiat ipſe privatim ac ſeorſum ab aliis, aut ſeipſo ſit contentus: ſed certum modum ſingulis impertit, ut nonniſi inter ſe communicando, habeant quantum ſatis eſt ad ſtatus ſui conſervationem. De varietate donorum diſputat etiam prioris ad Corinthios capite 12. v. 4. in eundem propemodum finem. nam illic docet, tantum abeſſe ut talis diverſitas concordiæ noceat fidelium, ut magis ad eam fovendam & confirmandam valeat. Summa igitur præſentis loci eſt, quod Deus in neminem omnia contulerit: ſed quiſque certam potius menſuram receperit, ut alii aliis indigeant: & in commune conferendo quod ſingulis datum eſt, alii alios mutuo juvent. Nomine *gratiæ* & *donationis*, admonet non eſſe ſuperbiendum, quantiſcunque dotibus polleamus: quandoquidem eo magis obſtricti ſumus Deo. Porro Chriſtum facit auctorem: quia ſicut à Patre fecit initium, ita in ipſum vult nos & noſtra omnia colligete: quemadmodum videbimus.

8. *Propterea dicit.*] Quia nonnihil à genoino ſenſu hoc teſtimonium detorſit Paulus, ut propoſito ſuo accommodaret: impii eum criminantur, quaſi Scriptura abuſus fuerit. Quin etiam Judæi, quo plus habeant coloris ad maledicendum, naturalem ipſum ſenſum calumnioſe depravant: quod de Deo prædicatur, ad Davidem vel ad populum transferendo. David, inquiunt, vel populus, in altum aſcendit, quum tot victoriis elatus, factus eſt hoſtibus ſuis ſuperior. Atqui ſi quis totum Pſalmi contextum expendat, reperiet ſoli Deo proprie hoc tribui. totus Pſalmus quaſi epinicion eſt, quod David ob victorias ſibi conceſſas canit Deo: verum ex tebus per manum ſuam geſtis occaſione ſumpta, quæ Deus alias magnifice ediderat pro ſalute populi ſui, obiter commemorar. ſcopus eſt, ut glorioſam Dei potenriam & bonitatem in Eccleſia ſpectandam proponat. Inter alia dicit, Aſcendiſti in altum. Caro enim Deum jacere & dormire putat, niſi quum palam exercet ſua judicia. itaque hominum judicio, quum oppreſſa eſt Eccleſia, Deus quodammodo eſt bumiliatus: ubi autem ejus liberandæ cauſa manum ultricem exerit, videtur ſe erigere, & ſuum tribunal conſcendere. Loquutio eſt ſatis frequens & nota: denique liberatio Eccleſiæ bic vocatur Dei exaltatio. Paulus vero quum videret à Davide celebrari triumphum de omnibus Dei victoriis, quaſcunque in Eccleſiæ ſuæ ſalutem retulerat, merito hunc verſum de aſcenſione Dei accommodavit ad Chriſti perſonam. Hic enim præcipuus eſt triumphus quem Deus unquam egit, quum Chriſtus devicto peccato, ſubacta morte, Satana profligato, in cælum magnifice ſublatus eſt, ut glorioſo imperio Eccleſiam regeret. Hactenus non eſt cur objiciat quiſquam, Paulum hoc teſtimonio abuſum eſſe præter mentem Davidis. nam quum David in perpetuo Eccleſiæ ſtatu Dei gloriam conſideret: nulla certe reperietur magis triumphalis & memoranda Dei aſcenſio, qoam qua ſublatus eſt Chriſtus ad Patris dexteram, ut ſibi omnes principatus & dominationes ſubjiceret, atque ita fieret æternus Eccleſiæ ſuæ vindex & cuſtos. *Captivam duxit.* Captivitas hic nomen eſt collectivum, pro hoſtibus captivis. ſignificat ergo ſimpliciter, quod Deus in ſuam poteſtatem hoſtes redegerit. quod plenius in Chriſto impletum eſt, quam alias unquam: neque enim Satanam modo & peccatum & mortem, totoſque inſeros proſtravit: ſed ex rebellibus quotidie facit ſibi obſequentem populum, quum verbo ſuo carnis noſtræ laſciviam domat: rurſus hoſtes ſoos, hoc eſt, impios omnes, quaſi ferreis catenis tenet conſtrictos, dum illorum furorem cohibet ſua virtute, ne plus valeant quam illis concedit. Verum quod proxime ſequitur, plus aliquanto babet difficultatis. nam quum habeat Pſalmus, Deum accepiſſe dona: Paulus econverſo refert, *dediſſe:* atque ita contrarium ſenſum reddere videtur. Sed in hoc quoque nibil eſt abſurdi: quia non ſolet Paulus recitare verba quoties Scripturam citat: ſed contentus locum indicaſſe, rem potius ipſam ſequitur. Certum eſt autem, Deum non ipſi ſibi, ſed populo ſuo dona accepiſſe, de quibus meminit David. unde & paulo ante dictum erar in Pſalmo, diſtributa eſſe ſpolia inter familias Iſraël. Ergo quum hic accipiendi fuerit finis ut daret, à re ipſa minime diſceſſit Paulus, utcunque verbum mutaverit. Quanquam ego in diverſam ſententiam magis indino, Paulum data opera verbum mutaſſe: nec adduxiſſe tanquam ex Pſalmo ſumptum, ſed potius ex ſeipſo protuliſſe quod præſenri inſtituto aptum erat. Quum ergo de Chriſti exaltatione pauca verba Pſalmi citaſſet, de ſuo adjecit, eum dediſſe dona: ut ſit minoris & majoris comparatio. qua oſtendere vult Pau-

lus

lus quanto præſtantior ſit iſta Dei aſcenſio in Chriſti perſona, quam fuerit in veteribus Eccleſiæ triumphis. quanto ſcilicet excellentius eſt, victorem liberaliter omnia omnibus largiri, quam à victis ſpolia colligere. Quod alii exponunt, Chriſtum à Patre accepiſſe quæ nobis diſtribueret, coactum eſt, & prorſus alienum à propoſito. Nulla, meo judicio, magis germana ſolutio eſt quam illa, quod loco Pſalmi breviter indicato, Paulus ſibi libere permiſerit addere quod in Pſalmo non habetur, Chriſto tamen alioqui convenit: imo in quo excellit ac præferenda eſt Chriſti aſcenſio veteribus illis Dei gloriis quas David recenſet.

9. *Illud autem, Aſcendit.*] Rurſum hic Paulum exagitant calumniatores, quod frivola & puerili argutatione ad realem Chriſti aſcenſum trahere conetur quod de illuſtratione divinæ gloriæ figurate dictum eſt. Quis enim ignorat, inquiunt, in verbo Aſcendit eſſe metaphoram? nullum ergo pondus habet qood infert, oportuiſſe *prius deſcendere*. Reſpondeo, non hic contendere more dialectico quid neceſſario ex Prophetæ verbis ſequatur, vel inferri queat. Noverat, metaphorice Davidem de exaltatione Dei loquutum. ſed quia rurſus negari non poteſt quin Deum ad tempus quodammodo humiliatum fuiſſe innuat, qui eum prædicat fuiſſe exaltatum: merito Paulus prius illud ex hoc ſecundo colligit. Jam vero quis unquam inferior Dei fuit deſcenſus, quam dum Chriſtus ſeipſum exinanivit? ergo ſi unquam ſe magnifice extulit Deus poſtquam viſus fuerat inglorius jacuiſſe, id præcipue factum eſt quum Chriſtus ex infirma hac noſtra conditione in cæleſtem gloriam receptus eſt. denique non hic quærenda eſt ſcrupuloſe literalis Pſalmi expoſitio, quum tantum ad Prophetæ verba alludat Paulus: qualiter etiam locum Moſis ad ſuum inſtitutum deflectit, Rom. c. 10: 6. Præterquam autem quod nihil niſi proprie & convenienter accommodat Paulus ad Chriſti perſonam, clauſula Pſalmi ſatis demonſtrat, ad ejus regnum pertinere quæ illic canuntur. Vaticinium enim apertum continet de Gentium vocatioue, ut alia taceam. *In inferiores partes.* Hoc vero inepte torquent quidam vel ad limbum, vel ad inferos: quum de præſentis tantum vitæ conditione agat Paulus. Et argumentum quod ſumunt ex gradu comparativo, nimis infirmum eſt. comparatur enim non una pars terræ cum altera, ſed tota terra cum cælo: acſi diceret, Ex ſede tam excelſa, in hoc noſtrum profundum barathrum deſcendiſſe.

10. *Super omnes cælos.*] Perinde eſt acſi diceret, Extra mundum hunc creatum. Nam quum dicitur Chriſtus in cælo eſſe, non ſic accipere debemus quaſi reſideat inter ſphæras, ut ſtellas numeret: ſed illic Cælum ſignificat locum ſphæris omnibus ſuperiorem, qui poſt reſurrectionem Filio Dei eſt deſtinatus. non quod proprie locus ſit extra mundum: ſed quia de regno Dei loqui, niſi more noſtro non poſſumus. Qui autem inde colligunt, Chriſtum locorum intervallo non diſtare à nobis, eo quod idem valeant, Eminentia ſupra omnes cælos, & Aſcenſus in cælum: non animadvertunt, quum ſupra cælos, vel in cælis locatur, excludi quicquid eſt circumferentiæ ſub ſole & ſtellis, adeoque ſub tota viſibilis mundi machina. *Ut impleret omnia.* Quoniam Implere ſæpe Perficere ſignificat, poſſet hic quoque ſic accipi. nam ſuo in cælum aſcenſu Chriſtus poſſeſſionem adit datæ ſibi à Patre dominationis, ut omnia regat ſua virtute, & moderetur. Elegantior tamen, meo judicio, erit ſenſus, ſi duo in ſpeciem contraria jungantur, quæ tamen reipſa inter ſe congruant. Nam quum audimus aſcenſum Chriſti, protinus nobis in mentem venit, eum procul à nobis remotum eſſe: & eſt etiam ſane, quoad corpus & humanam præſentiam. Paulus autem admonet, ita ſubductum fuiſſe à nobis corporali præſentia, ut omnia tamen impleat: nempe Spiritus ſui virtute. Nam quacunque patet Dei dextera, quæ cælum & terram complectitur, diffuſa eſt ſpiritualis Chriſti præſentia: & ipſe immenſa virtute ſua adeſt, utcunque corpus cælo contineri oporteat; ſecundum Petri ſententiam. Videmus ut alluſio ad ſpeciem repugnantiæ, non parvam addat gratiam. *Actor. 3. verſ. 21.*
Aſcendit, ſed ut cælum & terram impleret, qui ante exiguo ſpatio continebatur. Sed annon prius implebat? certe ſua divinitate, fateor: ſed virtutem ſui Spiritus non ita exercebat, nec in ea ſuam præſentiam exhibebat, ſicut adita regni ſui poſſeſſione. Joan. 7. verſ. 39. Nondum Spiritus datus erat, quia Jeſus nondum erat glorificatus. Et 16. v. 7. Expedit vobis ut vadam. niſi enim abiero, Paracletus non veniet. Denique ſicut tunc cœpit ſedere ad dexteram Patris, cœpit etiam implere omnia.

11. Et ipſe dedit alios quidem Apoſtolos, alios autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores,

12. Ad inſtaurationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.

13. Uſquedum occurramus omnes in unitatem fidei, & cognitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

14. Ne amplius ſimus pueri qui fluctuemur, & circumferamur quovis vento doctrinæ, per aſtum hominum, per verſutiam ad circumventionem impoſturæ.

Redit ad illam gratiarum diſpenſationem cujus meminerat: & fuſius declarat quod breviter prius attigit, Ex iſta varietate confici in Eccleſia unitatem, ſicut varii toni in muſica ſuavem melodiam conficiunt. tamen externum verbi miniſterium commendat ab utilitate quæ inde provenit. Summa eſt, Quod Euangelium per certos homines prædicatur ad id munus ordinatos, hanc œconomiam eſſe qua Dominus Eccleſiam ſuam vult gubernare, ut incolumis maneat in hoc mundo, & tandem ſolidam ſuam perfectionem obtineat. Cæterum mirari quis poſſit cur Paulus, quum de Spiritus ſancti donis eſſet ſermo, nunc officia, donorum loco commemoret. Reſpondeo, quoties à Deo vocati ſunt homines, dona neceſſario conjuncta eſſe officiis. neque enim Deus Apoſtolos aut Paſtores inſtituendo, larvam illis duntaxat imponit: ſed dotibus etiam inſtruit: ſine quibus rite functionem ſibi injunctam obire nequeunt. Quiſquis ergo Dei auctoritate conſtituitur Apoſtolus, non inani & nudo titulo, ſed mandato ſimul & facultate præditus eſt. Nunc ſingula verba expendamus.

11. *Ipſe dedit.*] Primum ſignificat, non eſſe hoc inventum humanum, ſed ſacroſanctam Chriſti inſtitutionem, quod regitur Eccleſia verbi prædicatione. Neque enim Apoſtoli ſe ipſi crearunt, ſed electi fuerunt à Chriſto: neque hodie qui veri ſunt Paſtores, ſe temare ingerunt proprio arbitrio, ſed à Domino excitantur: denique regimen Eccleſiæ, quod verbi miniſterio conſtat, non ab hominibus excogitatum, ſed à Filio Dei poſitum eſſe docet. proinde tanquam inviolabili ejus decreto acquieſcendum: & quicunque hoc miniſterium vel reſpuunt, vel aſpernantur, eos in Chriſtum auctorem injurios & rebelles eſſe. Ipſe ergo eſt qui dedit: quia niſi excitet, nulli erunt. Unde etiam colligimus, neminem fore ido-

neum aut parem tam præclaro muneri, niſi qui à Chriſto formatus & factus fuerit. Quod ergo Euangelii miniſtros habemus, ejus eſt donum: quod excellunt neceſſariis donis, ejus eſt donum: quod munus ſibi commiſſum exequuntur, ſimiliter ejus donum eſt. *Alios quidem Apoſtolos.* Quum his nomen unum & munus, illis autem aliud aſſignat, ſemper hoc ad illam diverſitatem membrorum refertur, ex qua tamen univerſi corporis integritas conſtituitur: ut tam æmulationem & invidiam, quam ambitionem tollat. Hoc enim eſt quod rectum donorum uſum corrumpit, dum ſibi quiſque addictus eſt, dum quiſque placet, dum minores invident majoribus. Admonet ergo, ſingulis aliquid datum: non ut ſeorſum ſibi quiſque habeat quod accepit, ſed ut in commune omnes conferant. De officiis quæ hic recenſet, nonnihil dictum fuit duodecimo capite prioris ad Corinthios. Hic tantum perſtringam, quantum loci expoſitio flagitare videbitur. Quinque functionum ſpecies enumerat: de quibus varie diſputari ſcio. nam & quidam ex duabus poſtremis unam tantum faciunt. Ego, aliorum omiſſis opinionibus, quod mihi videtur dicam. Apoſtolos accipio, non generaliter ſecundum etymologiam, ſed in propria ſignificatione, pro ſelectioribus illis quos Chriſtus in præcipuum honorem evexit, quales fuerunt Duodecim: in quorum ordinem poſtea aſcitus fuit Paulus. Illorum officium fuit, quaquaverſum in toto orbe publicare Euangelii doctrinam, plantare Eccleſias, & regnum Chriſti erigere. Ita non habebant ſinguli proprias Eccleſias ſibi attributas: ſed omnibus commune mandatum erat prædicandi Euangelii quocunque veniſſent. Iis proximi erant *Euangeliſtæ*, & munus affine habebant: tantum gradu dignitatis erant diſpares. ex quo genere erant Timotheus & ſimiles. nam quum in ſalutationibus illum ſibi adjungit Paulus, non tamen facit in Apoſtolatu ſocium: ſed nomen hoc peculiariter ſibi vendicat. Ergo ſecundum Apoſtolos iſtorum ſubſidiaria opera uſus eſt Dominus. His duobus generibus Paulus interpoſuit *Prophetas.* quo nomine multi intelligunt eos qui pollebant dono vaticinandi de rebus futuris: qualis fuit Agabus. Ego, quoniam hic agitur de doctrina, malo interpretari quemadmodum 14. prioris ad Corinthios, pro eximiis ſcilicet prophetiarum interpretibus, ut eas in rem præſentem, ſingulari quodam revelationis dono accommodarent: ſic tamen ut donum vaticinandi, quatenus doctrinæ annexum erat, non excludam. Per *Doctores & Paſtores* unum officium ideo deſignari quidam putant, quia disjunctiva particula, quemadmodum in prioribus, non habetur, quæ alterum ab altero diſcernat. qua in ſententia ſunt Chryſoſtomus & Auguſtinus. Nam quæ in commentariis Ambroſianis leguntur, nimis puerilia ſunt & indigna Ambroſio. Et illis quidem ex parte ſubſcribo, Paulum de Paſtoribus & Doctoribus promiſcue loqui, acſi unus idemque eſſet ordo: neque etiam nego Doctoris nomen in omnes Paſtores aliquatenus competere. verum ratio illa me non movet, ut duo hæc confundam quæ video inter ſe differre. Tametſi enim omnium Paſtorum eſt docere: peculiare tamen eſt donum interpretandæ Scripturæ, ut dogmatum ſanitas retineatur. & Doctor aliquis eſſe poterit, qui tamen concionando non erit appoſitus. Paſtores ergo ſunt, meo judicio, quibus certi gregis cura commiſſa eſt: quibus Doctorum nomen attribui non diſplicet, modo interim ſciamus alterum eſſe Doctorum genus, qui tam formandis Paſtoribus quam erudiendæ toti Eccleſiæ præſunt. non quin idem interdum Paſtor eſſe queat qui Doctor eſt: ſed quia facultates ſunt diverſæ. Notandum præterea eſt, ex officiis quæ hic enumerat Paulus, poſtrema tantum duo perpetuo eſſe. nam Deus Apoſtolis, Euangeliſtis & Prophetis Eccleſiam ſuam nonniſi ad tempus ornavit: niſi quia ubi collapſa eſt religio, Euangeliſtas extra ordinem excitat, qui puram doctrinam poſtliminio in lucem revocent. Sine Paſtoribus autem & Doctoribus nullum poteſt eſſe Eccleſiæ regimen. Porro habent Papiſtæ cur conquerantur, ſuum primatum quem jactant, hic affectum eſſe gravi contumelia. Hic diſputatio eſt de unitate: colligit Paulus non cauſas modo quæ eam inter nos ſtabiliunt, ſed etiam ſymbola quibus fovetur. tandem venit ad Eccleſiæ regimen. Si primatum aliquem unius ſedis agnoſceret: nonne afferre in medium debuit, unum caput miniſteriale membris omnibus præfectum, cujus auſpiciis in unitatem colligamur? Certe aut Pauli oblivio excuſari nequit, qui imprudenter quod maxime appoſitum erat, adeoque præcipuum in cauſa, prætermiſerit: aut fatendum eſt rem eſſe à Chriſti inſtitutione alienam. imo aperte fictitium hunc primatum evertit, quum uni Chriſto eminentiam tribuens, Apoſtolos & Paſtores univerſos ita illi ſubjicit, ut inter ſe collegæ ſint & ſocii. Nullus ergo locus eſt in Scriptura qui tyrannicam illam hierarchiam, in qua unum terrenum caput conſtituitur, fortius evertat. Paulum quoque ſequutus Cyprianus, quæ legitima ſit Eccleſiæ monarchia, breviter & præclare definit. Unus, inquit, eſt Epiſcopatus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Epiſcopatum uni Chriſto vendicat: in eo adminiſtrando partem ſingulis aſſignat, & quidem in ſolidum, ne quis ſupra alios ſe extollat.

12. *Ad inſtaurationem.*] Ego in verſione Eraſmum ſequutus ſum: non quia prorſus ejus opinio mihi placeret, verum ut lectoribus eligere liceat quod maxime probaverint, ubi illius verſionem cum Vulgari & cum mea contulerint. Vetus interpres habet, Conſummationem: Græce apud Paulum eſt καταρτισμὸς, quod vocabulum ſignificat Coaptationem rerum in quibus debet eſſe ſymmetria & proportio, quemadmodum in humano corpore eſt juſta & bene digeſta membrorum coagmentatio. unde etiam pro Perfectione ſumitur. Sed quoniam hic Paulus ſtatum bene & ordine compoſitum indicare voluit, mihi magis probatur Conſtitutio. Nam dicunt proprie Latini, conſtitui Remp. aut regnum, aut provinciam, quum ex diſſipatione omnia in rectum & legitimum ſtatum reſtitui contingit. *In opus miniſterii.* Deus quidem per ſe hoc præſtaret ſi vellet: ſed has partes hominum miniſterio delegavit. Proinde hoc vice occupationis eſt additum: ne quis obſtrepat, Annon poteſt Eccleſia conſtitui & rite ordinari, niſi hominum opera? Requiri miniſterium Paulus docet, quia ita placet Deo. Pro eo quod dixerat, Conſtitutionem ſanctorum, mox ſubjungit, *Ædificationem corporis Chriſti*, eodem ſenſu. nam illa eſt legitima noſtra integritas & perfectio, ſi coaleſcamus omnes in unum Chriſti corpus. Non potuit honorificentius verbi miniſterium commendare, quam dum hunc illi effectum tribuit. Quid enim præſtantius quam conſtitui Chriſti Eccleſiam, ut juſta ſua & perfecta integritate conſtet? atqui tam præclarum opus & divinum, externo verbi miniſterio perfici, Apoſtolus hic prædicat. Unde eos inſanire palam eſt, qui præterito hoc medio ſe in Chriſto perfectos fore ſperant. cujuſmodi ſunt fanatici, qui arcanas Spiritus revelationes ſibi fingunt: & ſuperbi, qui privatam Scripturæ lectionem ſufficere ſibi putant, ut nihil indigeant communi Eccleſiæ miniſterio. Nam ſi Eccleſiæ ædificatio à ſolo Chriſto eſt, ipſius etiam ſane eſt præſcribere quam ædificandi rationem eſſe velit. Paulus autem aperte hic teſtatur, non alio modo, ſecundum Chriſti præſcriptum, rite coagmentari nos & perfici, quam per externam prædicationem, dum per homines patimur nos regi ac doceri. Hæc univerſalis eſt regula, quæ tam ad ſummos quam ad infimos extenditur. Et certe Eccleſia, communis eſt piorum omnium mater, quæ tam reges quam plebeios gignit in Domino, nutrit & gubernat:

quod ſit mioiſterio. Proinde ſupra Chriſtum ſapere voluot qui hu oc ordinem vel negligunt, vel contemount. quamobrem væ eorum ſuperbiæ. Non negamus quidem poſſe nos ſola Dei virtute perfici citra hominum adminiculum: ſed hic quid Deo placuerit, quid ſtatuerit Chriſtus, non quæ ſit Dei poteotia, diſputamus. Iſta porro non vulgaris erga homioes Dei eſt dignatio, quod ad perficiendam eorum ſalutem utitur hominum opera. Et optimum eſt fovendæ unitatis exercitium, quod ad communem doctrinam, quaſi ad ducis vexillum, aggregamut.

13. *Uſquedum occurramus.*] Quæ prius in miniſterii commendationem protulit elogia, nunc longius extendit. quod enim dixerat, hominum miniſterio gubernari Eccleſiam, & ordinari, ut ſit numeris omnibus abſoluta: ne quis putet unius ſolum diei eſſe illam neceſſitatem, docet uſque in finem oportere ita fieri. Vel ut clarius loquat, hic admonet, uſum miniſterii non eſſe temporalem, ſicuti pædagogiæ cujuſpiam: ſed perpetuum quamdiu in mundo verſamur. Somniant enim fanatici homines, inutile eſſe miniſterium ſimulatque ad Chriſtum introducti fuerimus. Superbi, qui plus ſapere voluot quam oportet, quaſi puerilia rudimenta contemnunt. Paulus autem reclamat, pergendum eſſe in hoc curſu, donec amplius nihil nobis deſit: hoc eſt, uſque ad mortem proficiendum ita eſſe ſub unius Chriſti magiſterio, ut non pudeat nos Eccleſiæ eſſe diſcipulos, cui partes iſtas Chriſtus mandavit. *In unitatem fidei.* Sed annon ſtatim ab initio regnare debet inter nos fidei unitas? regnat quidem (fateor) inter Dei filios: ſed nondum ita abſolute ut ſibi mutuo occurrerint. nam in tanta naturæ imbecillitate ſatis eſt, ſi magis in dies ac magis alii aliis, & omnes ſimul Chriſto accedant. Nomen enim Occurſus, arctiſſimam illam colligationem ſignificat, ad quam adhuc aſpiramus, nunquam pervenimus, niſi carne hac exuti, quæ ſemper multis ignorantiæ & incredulitatis reliquiis eſt implicita. Quod ſequitur de *cognitione Filii Dei*, exegetice poſitum exiſtimo. voluit enim Apoſtolus exponere quænam ſit vera fides, & ubi conſiſtat: nempe quum Filius Dei cognoſcitur. nam in ipſum ſolum reſpicere debet fides, ab illo pendere, in illo quieſcere & concludi. ultra ſi tendat, evaneſcet: neque amplius erit fides, ſed fallacia. Meminerimus ergo, veram fidem ita in Chriſto contineri, ut præter eum nihil ſciat, adeoque nec ſcire appetat. *In virum perfectum.* Appoſitive legendum eſt: acſi dixiſſet, Quæ eſt ultima Chriſtianorum perfectio. & cur iſtud? quia eſt plena ætas in Chriſto. neque enim ſtulti homines in Chriſto perfectionem ſuam quærunt ut decebat. Sed inter nos iſtud principium valere debet, nihil eſſe extra Chriſtum, niſi noxium & exitiale. Quiſquis ergo vir eſt in Chriſto, ille demum omni ex parte eſt abſolutus. *Ætas plenitudinis*, pro juſta, vel matura. Hic porro nulla ſit mentio ſenectutis, quæ in hoc progreſſu locum non habet: nam cum iſta ſpirituali Chriſti ætate ſimul etiam creſcit vigor: quod autem ſeneſcit, ad interitum inclinat.

14. *Ne amplius ſimus.*] Quemadmodum de maturitate virilis ætatis diſſeruit, ad quam tendimus toto vitæ curriculo: ita non debere nos pueris eſſe ſimiles, dum in ejuſmodi profectu ſumus, admonet. Aliquid enim medium ſtatuit inter pueritiam & provectam ætatem. Pueri quidem ſunt, qui nondum greſſum firmarunt in via Domini, ſed vacillant: qui nondum conſtitutum habent quam viam tenere debeant, ſed modo huc, modo illuc inclinant, ſemper inconſtantes. Qui autem vere fundati ſunt in Chriſti doctrina: tametſi nondum perfecti ſint, habent tamen tantum prudentiæ & roboris, ut ſciant deligere quid ſit optimum, & conſtanter pergant in recto curſu. ita fidelium vita, quæ aſſiduo profectu ad ſtatum ſuum gradum aſpirat, adoleſcentiæ ſimilis eſt. Quod ergo dixi, nunquam in hac vita nos eſſe viros, non debet trahi ad alterum extremum, quod vocaot: acſi non fieret progreſſus extra pueritiam. nam poſtquam Chriſto nati ſumus, debemus adoleſcere, ita ut noo ſimus intelligentia pueri. Hinc apparet qualis ſub Papatu ſit Chriſtianiſmus: ubi quam diligentiſſime poſſunt, in hoc laborant Paſtores, ut plebem in prima infantia detineant. *Qui fluctuemur & circumferamur.* Duabus metaphoris elegaoter miſeram eorum trepidationem exprimit, qui ſolide non recumbunt in verbum Domini. Primum naviculis facit ſimiles, quæ medio in mari variis fluctibus jactatæ, certum curſum non tenent: nec arte aut conſilio reguntur, ſed abripiuntur quocunque impetus tulit. Deinde comparat eos vel ſtipulis, vel aliis rebus infirmis, quæ prout ſe ventus moverit, agitantur huc & illuc, & ſæpe in cootrarias partes: ſic inquam neceſſe eſt inſtabiles moveri, quibus fundamentum in quo acquieſcant, non eſt æterna Dei veritas. Hæc juſta pœna eſt adverſus omnes qui in homines potius quam Deum reſpiciunt. Contra vero teſtatur Paulus, fidem quæ Dei verbo nititur, invictam ſtare adverſus omnes Satanæ inſultus. *Quovis vento doctrinæ.* Pulchra metaphora, dum omnes hominum doctrinas, quibus ab Euangelii ſimplicitate diſtrahimur, appellat ventos. Deus enim verbum ſuum dedit, in quo actis radicibus maneamus immoti. homioes autem huc & illuc ſuis figmentis nos abducunt. Quum addit, *per aſtum hominum*, ſignificat ſemper futuros impoſtores qui fidei noſtræ immineant, & inſidias tendant: ſed nihil profecturos, ſi Dei veritate fuerimus muniti. quorum utrumque diligenter notandum eſt. Turbantur enim permulti, ſimulatque emergunt vel ſectæ, vel impia aliqua dogmata. atqui nec Satan quieſcere poteſt quin ſemper puram Chriſti doctrinam conetur & tentet obſcurare ſuis mendaciis: & Deus fidem noſtram his certaminibus vult probari. Deinde quum audimus iſtud eſſe optimum & præſentiſſimum remedium, ne circumveniamur ullis erroribus, opponere doctrinam illam quam à Chriſto & Apoſtolis didicimus: ea vero non vulgaris conſolatio eſt. Unde apparet quanta ſit Papatus & quam execranda impietas, ubi omnem verbo Dei certitudinem abrogant, & aliam fidei conſtantiam eſſe negant, quam ſi ab hominum auctoritate pendeamus. Nam ſi quis hæſitet, fruſtra verbum Dei conſuli docent: ſed decretis ſuis ſtandum eſſe. Nos vero Legem, Prophetas & Euangelium amplexi, fructum hunc quem prædicat Paulus, non dubitemus nos inde percepturos: nequid nobis noceant omnes hominum impoſturæ. adorientur quidem nos, ſed non prævalebunt. Fateor ſane, ab Eccleſia petendam eſſe ſanam doctrinam: quia illi diſpenſationem commiſit Deus. Sed quum Papiſtæ Eccleſiæ prætextu doctrinam ſepeliunt, ſatis produnt ſe diabolicam habere ſynagogam. Quod ego verti *aſtutiam*, Græcum nomen eſt κυβεία, translatum ab aleatoribus: quod inter eos multæ ſint fallendi artes. Additur πανουργία: quo verbo ſignificat, exercitatos eſſe in fallaciis Satanæ miniſtros. Huc accedit, quod ad ſtruendas inſidias excubant. quæ omnia excitare & acuere ſtudium noſtrum debent, ne ſi proficere negligamus in verbo Domini, ab hoſtibus circumventi, nimis ſeveras ignaviæ noſtræ pœnas demus.

15. Veritatem autem ſectantes in charitate, creſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſt um:

16. Ex quo totum corpus compoſitum & compactum per omnem juncturam ſubmi-

Digitized by Google

niſtrationis ſecundum efficaciam in menſura uniuſcujuſque partis, incrementum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

15. *Veritatem autem.*] Jam docuit nos non debere eſſe pueros, ratione & judicio deſtitutns. id ut confirmet, jubet nos creſcere in veritate: atque id eſt quod prius dixi, ita nos adhuc diſtare virili ætate, ut tamen ſimus pueri majores. Tantum enim firmitudinis deber in nobis habere Dei veritas, ne unquam moveamur de gradu, quibuſcunque machinis nos Satan impetat. & tamen quia nondum adepti ſumus plenum & juſtum robur, proficiendum eſt uſque ad mortem. Finem profectus demonſtrat, ut ſolus Chriſtus inter nos emineat: nnſque nonniſi in ipſo fortes ſimus aut proceri. Iterum hic vides ut neminem hominum excipiat, quin omnes io ordinem cogantur, ut ſe corpori ſubjiciant. Quid eſt igitur Papatus, niſi deformis gibbus, qui totam Eccleſiæ ſymmetriam confundit, dum unus homo capiti ſe opponens, è membrorum numero ſe eximit? Hoc negant Papiſtæ: qui Papam duntaxat miniſteriale caput eſſe fingunt. Sed illo cavillo non effugiunt, quin tamen idoli ſui tyrannis ſit prorſus ordini adverſa quem Paulus bic commendat. Summa, Chriſtum unum creſcere oportet, omnes autem minui, ut bene compoſita ſit Eccleſia. Quicquid autem augmenti acquirimus, ea proportione modificari debet, ut in gradu noſtro manentes, extnllendo capiti ſerviamus. Quum autem jubet oos veritati operam dare in charitate, particulam *in*, more Hebraico, accipit prn Cum. Non enim vult ſingulos ſibi addictos eſſe, ſed veritatis ſtudin adjungere etiam mutuæ communicationis ſtudium, ut placide ſimul proficiant. Sic ergo, auctore Paulo, habenda eſt ratin conſenſus, ne interea negligatur veritas, vel ea omiſſa, inter ſe homines pro ſuo arbitrio conſpirent. quo refellitur Papiſtarum improbitas, dum poſthabito Dei verbo, nos ad ſua placita adigere contendunt.

16. *Ex quo totum.*] Optima ratione confirmat, noſtra omnia incrementa huc debere tendere, ut altius provehatur Chriſti gloria: quoniam ipſe eſt qui nobis omnia ſuppeditat: idem ipſe eſt qui noa ſervat incolumes, ut niſi in ipſo, ſalvi eſſe non poſſimus. Quemadmodum enim ex radice bumorem ducit tota arbor: ita quicquid habemus vigoris, à Chriſto fluere nobis docet. Verum tria notanda ſunt. Primum, illud quod dixi, quicquid vitale eſt aut ſalubre quod per membra ſpargitur, id à capite manare: ut in membris nihil ſit præter adminiſtrationem. Secundum, quod talis ſit diſtributio, ut inter ſe communicare opus habeanr propter finitam cujuſque menſuram. Tertio, quod ſine mutua charitate ſalvum eſſe nequear corpus. itaque dicit à capite per membra, tanquam per canales, ſubminiſtrari quicquid fovendo corpori neceſſarium eſt. Dicit item corpus tunc demum vegetum eſſe & recte valere ſi connexum ſit. Præterea certum modum attribuit unicuique membrn. Ultimo docet charitate ædificari Eccleſiam. *In ædificationem ſui facit.* Significat nullum eſſe utile augmentum niſi quod univerſo corpori reſpondeat. Fallitur ergo ſi quis ſeorſum creſcere appetir. Quid enim vel cruri, vel brachio profuerit, ſi enormi copia abundet, ſi longius os exrendatur, niſi quod gravabitur noxio tumore? Ita ſi in Chriſto volumus cenſeri, oemo ſibi aliquid ſit: ſed alii aliis ſimus quicquid ſumus. id ſit per charitatem: quæ ubi non regnat, nulla eſt Eccleſiæ ædificatio, ſed mera diſſipatio.

17. Hoc ergo dico & teſtificor in Domino, ne ambuletis amplius quemadmodum & Gentes reliquæ ambulant,

18. In vanitate mentis ſuæ, excæcatæ in intelligentia, alienatæ à vita Dei propter ignorantiam quæ in illis eſt, propter cæcitatem cordis earum.

19. Quæ poſtquam dolore tangi deſierunt, ſeipſas tradiderunt laſciviæ, ad perpetrandam omnem immunditiem cum aviditate.

17. *Hoc ergo dico.*] Poſtquam de regimine diſſeruit, quod conſtituit Chriſtus ut Eccleſiam ſuam ædificet, jam admnnet quales in vita Chriſtianorum fructus parere debeat illa doctrioa cujus meminit. vel ſi mavis, per ſpecies enarrare incipit, quænam ſit illa ædificatio quæ ex doctrina ſequi debet. Ac primum quidem ab infidelium vanitate eos revocat, argumentum inducens à repugnantibus. nam eos qui edocti ſunt in Chriſti ſchola, & ſalutis doctrina ſunt illuminati, vanitatem ſectari, & nihil differre ab infidelibus & cæcis, quibus nulla unquam affulſit lux veritatis: nimis abſurdum eſt. Quare merito ex ſuperioribus concludit ut vita demonſtrent ſe non fruſtra Chriſti fuiſſe diſcipulos. & quo plus vehementiæ habeat exhortatio, conteſtatur eos per nomen Dei: ut ſciant aliquando reddendam eſſe rationem ſi contempſerint. *Quemadmodum & reliquæ Gentes.* Intelligit eos qui nondum ad Chriſtum converſi erant: ſed interim Epheſios admonet quam oeceſſaria ſit illis reſipiſcentia, quum naturaliter ſimiles ſint perditis & damnatis homioibus: acſi diceret, Miſera, & quam merito horretis, aliarum Gentium conditio vos ad mutandum ingenium incitet. Vult ergo differre ab incredulis fideles: & cauſas diſcriminis opponit, quemadmodum videbimus. Quod ad priores ſpectat, mentem eorum damnat vanitatis. Porro meminerimus eum generaliter loqui de omnibus qui Spiritu Chriſti regeniti non ſunt. Mentem eorum vanam eſſe pronunciat. atqui ea eſt quæ primas tenet in hominis vita, quæ ſedes eſt rationis, quæ voluntati præit, quæ vitioſos appetitus coërcet. Unde & Regina etiam à Sorbonicis theologaſtris nuncupatur. At vero Paulus nihil reliquum facit præter vanitatem Quaſi etiam parum expreſſe loquutus foret, filiam ejus διάνοιαν nihilo meliore titulo inſignit. Sic enim interpretor hoc vocabulum. nam etſi Cogitationem ſignificat, quia tamen hic ſingulari numero poſitum eſt, ad facultatem ipſam refertur. Plato circa finem libri ſexti de Republica, medium illi locum inter νόησιν καὶ πίστιν aſſignar. ſed quum docet verſari circa geometrica, nimis reſtringit, quod ad præſentem locum pertinet. Nam quemadmodum Paulus homines nihil videre prius aſſeruit, ita nunc addit, ratiocinando cæcos eſſe, etiam in ſummis rebus. Eant nunc homioes & libero arbitrin ſuperbiant, cujus moderatricem tanta ignominia notari audiunt. Sed huic ſententiæ, ut videtur, experientia palam repugnat. neque enim ita cæci ſunt homines, quin aliquid cernant: neque vani, quin aliquid judicent. Reſpondeo, quod ad regnum Dei, & totam ſpiritualis vitæ rationem, tale eſſe lumen rationis humanæ ut parum à tenebris differat: quoniam mox extinguitur antequam vitam monſtraverit. talem quoque eſſe perſpicientiam, ut nihilo plus valeat quam cæcitas: quonoiam antequam ad frugem perveniat, protinus evaoeſcit. Sunt enim vera principia quaſi ſcintillæ: ſed quæ naturæ pravitate ſuffocantur, antequam applicentur ad verum uſum. Exempli gratia, Eſſe Deum, & eum colendum eſſe à nobis, omnes ſciunt; ſed ſit vitio noſtro, & ignoran-

tia

tia quæ in nobis prævalet, ut à confuſa illa notitia ſtatim ad idolum tranſiliamus, & illud colamus Dei loco. In Dei cultu deterius etiamnum erratur, præſertim in priore Legis tabula. Quod ad ſecundam, conſentit quidem judicium noſtrum cum Dei regula, in ipſis externis factis: ſed fons ipſe malorum omnium, concupiſcentia ſcilicet, nos latet. Deinde notandum eſt, Paulum non de naturali modo cæcitate, quæ nobis eſt inſita ab utero, loqui: ſed pariter complecti magis craſſam excæcationem qua Deus priora peccata ulciſcitur, quemadmodum videbimus. Tantum denique ratione & intelligentia pollent homines, ut reddantur coram Deo inexcuſabiles. verum quamdiu ſinuntur ingenio ſuo vivere, nihil quam errare, labi & impingere in omnibus, tam conſiliis quam factis, poſſunt. Hinc etiam apparet quanti æſtimentur & quo in pretio ſint fictitii cultus apud Deum, quum ex abyſſo vanitatis & labyrintho ignorantiæ prodeant.

18. *Alienatæ à vita Dei.*] Vita Dei bifariam accipi poteſt: vel quæ cenſetur coram Deo (ut gloria Dei, Joannis 12. v. 43.) vel quam Deus electis ſuis communicat per Spiritum regenerationis. Utrovis modo ſumas, eadem tamen ſententia erit, non diverſa. nam communis hæc vita qua ſumus homines, nihil aliud eſt quam inane ſimulacrum vitæ: non modo quia cito præterit, ſed etiam quod animæ noſtræ vivendo mortuæ ſunt, quum Deo non adhærent. Sciamus ergo, in hoc mundo tres eſſe vitæ gradus. nam una eſt vita univerſalis, quæ motu duntaxat & ſenſu conſtat, cujus etiam participes ſunt beſtiæ: ſecunda eſt humana, qua ſumus filii Adæ: tertia eſt ſupernaturalis, quam ſoli fideles obtinent. Atqui omnes quidem à Deo ſunt, ideoque poteſt unaquæque vita, Dei nominari. nam de prima habetur Actor. 17. v. 28. in Pauli concione, In ipſo nos ſumus, & movemur, & vivimus. Item Pſalm. 104. v. 30. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. De ſecunda, Job. 10. v. 12. Vitam dediſti mihi: & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum. Sed per excellentiam regeneratio fidelium hic nominatur vita Dei: quoniam tunc proprie vivit Deus in nobis, & nos fruimur ejus vita, quum Spiritu ſuo nos gubernat. Ab hac univerſos mortales qui non ſunt in Chriſto novæ creaturæ, alienos facit Paulus. hinc apparet quam miſera ſit noſtra conditio, quamdiu in carne, hoc eſt, in nobis, manemus. Hinc etiam æſtimatio fieri poteſt virtutum omnium moralium, quas vocant. quales enim actiones producet ea vita quam Dei eſſe Paulus negat? ergo ut aliquid boni exire à nobis incipiat, neceſſe eſt primum nos per Chriſti gratiam renovari. Hoc demum veræ & vitalis (ut ita loquar) vitæ initium erit. & notanda eſt ratio quæ continuo ſubjicitur: *Propter ignorantiam*, inquit. Nam ſicuti Dei cognitio, vera animæ vita eſt: ita exadverſo ignorantia eſt mors. ac ne ejuſmodi ignorantia adventitium malum eſſe crederetur, (quemadmodum Philoſophi errores aliunde contrahi judicant) Paulus radicem eſſe docet in cæcitate cordis. quo ſignificat reſidere in ipſa natura. Prima igitur cæcitas, qua occupatæ ſunt hominum mentes, peccati originalis eſt pœna: propterea quod Adam poſt ſuam defectionem vera Dei luce privatus eſt: extra quam omnia ſunt horribiles tenebræ.

19. *Dolore tangi deſierunt.*] Poſtquam de naturalibus vitiis loquutus eſt, nunc deſcendit ad extremum omnium malorum quod homines ſibi propriis malefactis accerſunt: nempe quum obſtupefacti, & extincto conſcientiæ dolore, ad omnem nequitiam ſe proſtituunt. Natura corrupti ſumus, & propenſi ad malum, imo penitus malo addicti. qui Spiritu Chriſti deſtituuntur, ſibi indulgent laxantque frena. ita fit ut iram Dei novis ſubinde offenſis in ſe provocent. Dominus tamen ſtimulis conſcientiæ eos pungit, ſed nihil moventur: quin potius ad omnes monitiones obdureſcunt. tali obſtinatione merentur à Deo prorſus rejici. Hujus rejectionis ſignum eſt indolentia cujus hic fit mentio: dum ſcilicet is qui peccando Deum offendit, nullo judicii metu tangitur, ſed ſecure pergit, ac intrepide ſe oblectat, ſibique placet ac blanditur: imo nullo pudore afficitur, nullam honoris curam habet. Tormentum malæ conſcientiæ, quo eam cruciat horror divini judicii, atrio inferorum conferri poteſt. ſed talis ſecuritas & veternus, exitialis eſt gurges. quemadmodum & Solomon di- *Prov. 18.*
cit, Impius quum in profundum venerit, contemnit. *verſ. 3.*
Quare non immerito Paulus hoc tanquam horribile divinæ ultionis exemplum in medium adducit, quod homines à Deo relicti, ſopita conſcientia, extincto divini judicii timore, amiſſo denique ſenſu, tanquam attoniti, belluino impetu ſe ad omnem turpitudinem projiciunt. Non eſt hoc quidem univerſale: quia multos Deus etiam ex reprobis immenſa ſua bonitate retinet, ne extrema confuſione mundus miſceatur. inde fit ut non in omnibus tam projecta libido, tamque effrenata intemperies appareat. Verum ſatis eſt, tale ſpeculum in aliquibus conſpicuum eſſe: ut nos quoque terreamur, ne quid ſimile nobis contingat. *Laſciviam* pro petulantia accipio, qua intemperanter & licentioſe exultat caro, Dei Spiritu non coërcita. *Immunditiem* pro omne genus flagitiis. Poſtremo addit, *Cum aviditate.* verbum Græcum ſæpe avaritiam ſignificat: & ita exponitur hoc loco à quibuſdam, ſed parum congruenter. Nam quia pravæ & vitioſæ cupiditates ſunt inſatiabiles, ideo Paulus comitem illis & quaſi pediſequam adjungit aviditatem, quæ moderationi opponitur.

20. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum:

21. Si quidem ipſum audiſtis & in ipſo eſtis edocti, quemadmodum eſt veritas in Jeſu:

22. Ut deponatis ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias erroris.

23. Renovemini autem ſpiritu mentis veſtræ.

24. Et induatis novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis.

Nunc antitheſin facit vitæ Chriſtianæ, ut inde pateat, quam indignum ſit pio homine, indifferenter ſe polluere Gentium ſordibus. Quia in tenebris ambulant Gentes, ideo non diſcernunt inter honeſtum & turpe: quibus autem lucet Dei veritas, diſſimiles illis eſſe debent. Quibus vanitas ſenſus ſui vivendi regula eſt, non mirum eſt ſi fœdis concupiſcentiis ſint impliciti: at Chriſti doctrina, de ingenii noſtri abnegatione præcipit. Nihil ergo de Chriſto didicit qui nihil vita ab infidelibus differt. neque enim à mortificatione carnis ſeparari poteſt Chriſti cognitio. Cæterum ut eorum attentionem & ſtudium magis acuat, non ſolum dicit audiſſe Chriſtum, ſed gradatim auget, quod *in ipſo quoque edocti fuerint.* acſi diceret, non leviter indicatam fuiſſe hanc doctrinam, ſed probe traditam & expoſitam.

21. *Quemadmodum eſt veritas.*] Hac particula perſtringit evanidam Euangelii ſcientiam, qua plerique fruſtra ſunt inflati, quum nihil de vitæ novitate teneant. Putant enim illi ſe valde ſapere: ſed Apo-

Apoſtolus mendaci & imaginaria tantum opinione imbutos eſſe docet. ita duplicem ſtatuit Chriſti notitiam: quarum prior ſit vera & genuina, altera vero fucata & adulterina. non quod reipſa duplex ſit: verum quia plerique ſibi falſo perſuadent Chriſtum ſe cognoſcere, qui nihil niſi carnale ſapiunt. Ergo
2 Cor. 5. quemadmodum in ſecunda ad Corinthios dicit, Si
verſ. 17. quis in Chriſto, ille ſit nova creatura: ita etiam hic verum eſſe & ſincerum negat quod tenetur de Chriſto, niſi adſit mortificatio carnis.

22. *Ut deponatis ſecundum priſtinam.*] Requirit in homine Chriſtiano pœnitentiam aut renovationem vitæ. eam conſtituit in abnegatione noſtri, & Spiritus ſancti regeneratione. A priore itaque parte incipit, jubens deponere aut exuere hominem veterem. translatione hac à veſtibus ſumpta frequenter utitur: & nos rationem alibi attigimus. Quid etiam per *veterem hominem* intelligat, tam ſextò capite ad Romanos, quam aliis locis docuimus: nempe ingenium quod afferimus ex matris utero. nam in perſonis duabus, Adæ ſcilicet & Chriſti, duas quaſi naturas nobis deſcribit. Quoniam prius ex Adam naſcimur, naturæ pravitas quam ex illo contrahimus, dicitur Vetus homo: quia deinde renaſcimur in Chriſto, correctio vitioſæ naturæ dicitur homo Novus. Summa, Qui exuere vult hominem veterem, naturæ ſuæ renunciet. qui in epithetis Veteris & Novi putant Apoſtolum alludere ad vetus & novum Teſtamentum, parum ſolide philoſophantur. Porro quo melius oſtendat, non eſſe ſupervacuam hanc exhortationem apud Epheſios, priſtinæ vitæ memoriam illis renovat. acſi diceret, Vetus homo in vobis regnavit, quo tempore nondum Chriſtus ſe vobis patefecerat. ergo priſtinæ vitæ renunciandum eſt, ſi vultis illum abjicere. *Qui corrumpitur.* A fructibus deſignat veterem hominem: hoc eſt, à pravis cupiditatibus, quæ homines in exitium illectant. quod autem dicit, Corrumpi, in eo alludit ad nomen Vetuſtatis. Nam ipſa vetuſtas proxima eſt corruptioni. Cave autem cum Papiſtis craſſas tantum & quaſi palpabiles libidines intelligas, & quarum manifeſta eſt turpitudo inter homines: ſed eas quoque ſub hoc verbo comprehende, quæ laudi interdum magis dantur quam vitio. quales ſunt, ambitio, aſtutia, & quæcunque vel ex amore noſtri, vel ex diffidentia noſtra procedunt.

23. *Renovemini autem.*] Secundum membrum in regula pie ſanctèque vivendi: nempe ut Spiritu Chriſti vivamus, potius quam noſtro. ſed quid ſibi vult *ſpiritus mentis*? Ego ſimpliciter accipio, acſi dixiſſet, Renovemini, non tantum quod ad inferiores appetitus aut concupiſcentias quæ palam ſunt vitioſæ, ſed etiam quod ad partem illam animæ, quæ nobiliſſima & præſtantiſſima habetur. Hic enim rurſus ponit reginam illam, quæ propemodum adoratur à Philoſophis: & ſpiritum mentis noſtræ divino ac cœleſti tacite opponit, qui aliam in nobis ac novam mentem generat. Unde colligere promptum eſt quid ſit in nobis ſanum aut incorruptum, quum rationem aut mentem potiſſimum corrigi præcipiat, in qua nihil videtur eſſe præter virtutem & laudis materiam.

24. *Induatis novum hominem.*] Sic reſolvere convenit, Induite novum hominem: quod nihil aliud eſt quam ſpiritu, hoc eſt, intus renovari: & quidem in totum, ita ut initium à mente fiat, quæ pars maxime intacta eſſe videtur ab omni vitio. Quod de creatione ſubjicitur, tam ad primam creationem hominis, quam ad reformationem quæ fit Chriſti gratia, referri poteſt, utraque expoſitio vera erit. Nam & initio creatus fuit Adam ad imaginem Dei, ut juſtitiam Dei quaſi in ſpeculo repræſentaret. ſed quoniam imago illa deleta eſt per peccatum, ideo nunc in Chriſto inſtaurari oportet. Nec ſane aliud eſt regeneratio piorum, quam reformatio imaginis Dei in illis: quemadmodum 2. ad Corinth. 3. v. 18. dictum eſt. Quanquam longe uberior eſt ac potentior Dei gratia in hac ſecunda creatione, quam prima fuerit. ſed hoc tantum reſpicit Scriptura, quod ſumma noſtra perfectio, ſit conformitas & ſimilitudo quæ nobis eſt cum Deo. Ad eam vero quum formatus eſſet Adam, perdidit quod acceperat. nobis igitur per Chriſtum reſtitui neceſſe eſt. Quare huc ſpectare docet regenerationem, ut ex errore reducamur ad eum finem ad quem ſumus conditi. *In juſtitia.* Juſtitiam pro rectitudine ſi generaliter accipias, *ſanctitas* quiddam erit altius: hoc eſt, puritas qua ſumus Deo conſecrati. Verum non diſplicet ita diſtingui, ut ſanctitas quidem ad primam Legis tabulam, juſtitia autem ad ſecundam pertineat. quemadmodum in cantico Zachariæ, Serviamus illi in ſanctitate & juſtitia, omni- Luc. 1.
bus diebus vitæ noſtræ. Et certe ita recte Plato quo- verſ. 74
que docet, quod ὁσιότης ſita ſit in cultu Dei: altera pars juſtitiæ homines reſpiciat. Genitivus *veritatis*, loco epitheti poſitus eſt, qui tam juſtitiæ quam ſanctitati convenit. Utramque enim ſinceram oportere eſſe admonet: quia hic cum Deo negotium eſt, qui nullo fuco decipitur.

25. Quare depoſito mendacio, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quia ſumus viciſſim inter nos membra.

Pſal. 4: 5. 26. Iraſcimini, & ne peccetis: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

27. Et ne detis locum diabolo.

28. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando quod bonum eſt manibus, ut habeat quod eroget opus habenti.

25. *Quare depoſito.*] Ex illo capite doctrinæ, hoc eſt, de juſtitia novi hominis, omnes piæ exhortationes, tanquam ex fonte rivi, fluunt. nam ſi quis omnia vitæ præcepta colligat, parum efficiet ſine hoc principio. Aliam methodum habent Philoſophi, ſed in doctrina pietatis hæc eſt unica vitæ inſtituendæ ratio. Nunc ergo ſequentur particulares exhortationes, quas deducet Paulus ex illa communi doctrina. Et primum quidem, eo quod in veritate Euangelii veracem juſtitiam, & ſanctitatem poſuerat: nunc à genere ad ſpeciem argumentatur, ut ſint inter ſe veraces. *Mendacium* hic pro qualibet fraude & ſimulatione vel aſtutia, *veritas* pro ſimplicitate capitur. Requirit ergo ſinceram inter eos communicationem in omnibus negotiis. Additur & altera confirmatio, *Quia ſumus viciſſim inter nos membra.* eſt enim monſtrum ſi membra inter ſe non conſentiant, imo ſi fraudulenter inter ſe agant.

26. *Iraſcimini.*] Incertum eſt an Paulus reſpexerit ad Pſalmum quartum. nam in Græca translatione hæc verba habentur. quanquam alii malunt, Contremiſcite. Verbum tamen Hebraicum רגז tam iracundia turbari, quam pavore ſignificat. Quod ad circumſtantiam Pſalmi, ſenſus hic bene conveniet, Nolite ſimiles eſſe phreneticis qui intrepide quovis ruunt: ſed conturbet vos audaciæ veſtræ reputatio. Nam Geneſis 45. v. 23. hoc verbum legitur pro Contendere vel Rixari. vult ergo eos, cum animis ſuis diſceptando, turbari, ut à furioſis conatibus deſiſtant. Paulus autem, meo judicio, tantum alluſit ad locum illum, hac ratione. Tria ſunt vitia quibus iraſcendo, Deum offendimus. Primum eſt, quod levibus & ſæpe nullis de cauſis iraſcimur, vel certe privatis injuriis vel offenſis commoti: alterum, quod ſemel commoti metas tranſilimus, & abripimur immodico exceſſu: tertium, quod iram quæ debuerat in nos vel in pec-

cata

cata ferri, convertimus in fratres noſtros. Commodum ergo Paulus, quum vellet deſcribere quænam ſit juſta iræ moderatio, trita illa ſententia uſus eſt, *Iraſcimini, & ne peccetis.* Id autem fiet, ſi materiam iræ in nobis quæramus magis quam in aliis, indignationem noſtram in propria vitia evomentes. Quod ad alios, potius vitiis iraſcamur quam perſonis: nec ex privatis offenſis iram concipiamus, ſed potius nos ad iram inflammet zelus gloriæ Domini. Poſtremo ita concitetur ira in nobis, ut quum opus eſt, reſideat: ne miſceatur cum turbulentis carnis affectibus. *Sol non occidat.* Quoniam vix fieri poteſt quin proſiliamus interdum ad injuſtam vitioſamque iracundiam, quæ eſt affectus humani ad malum propenſio: Paulus ad ſecundum remedium deſcendit, ut tunc ſaltem reprimamus nos ſubito, nec ſinamus iram noſtram temporis ſpatio obdureſcere. Illud quidem primum eſſet, Iraſci, & non peccare: ſed quia in tanta naturæ humanæ infirmitate pluſquam difficile eſt, ſit hoc ſecundum remedium, non fovere iram diutius in animis noſtris, nec illi dare ſpatium temporis quo ſe confirmet. Ideo prohibet ne ſol occidat ſuper eam: quo ſignificat dandam eſſe operam ut ante occaſum ſolis placati ſimus, ſi forte nobis iraſci contigerit.

27. *Et ne detis locum.*] Scio qualiter nonnulli exponant: & Eraſmus Calumniatoris nomen uſurpans, palam oſtendit ſe de malevolis hominibus intelligere. Ego tamen non dubito quin Paulus admoneat, cavendum eſſe ne Satan animis noſtris poſſeſſis, tanquam hoſtis occupata arce, pro libidine ſua nos agat. Nam quotidie experimur quam incurabilis ſit morbus diuturnum odium: aut ſaltem quam difficulter ſanetur. unde hoc, niſi quia diabolo cordis noſtri poſſeſſionem tradidimus quum obviam eundum foret? Ergo priuſquam odii veneno cor imbuatur, mature excutienda eſt ira.

28. *Qui furabatur.*] Non tantum de craſſioribus furtis agit quæ legibus puniuntur, ſed de occultioribus, quæ ſub hominum judicium non cadunt: ut ſunt omne genus rapinæ, quibus aliena ad nos trahimus. Nec tantum jubet ut abſtineamus ab injuſta & illicita bonorum alienorum uſurpatione: ſed etiam ut fratribus ſubveniamus, quantum in nobis eſt. Tu qui aliena rapiebas, non modo tibi acquiras victum juſto & innoxio ſudore, ſed etiam aliis. Primum regula hæc nobis præſcribitur, ne quis fratrum jactura commodum ſuum procuret: ſed honeſto labore vitam toleret. deinde charitas ulterius nos adducit, ut non ſibi quiſque ſeorſum vivat, aliis præteritis: ſed alii aliorum neceſſitatibus ſublevandis ſe impendant. Sed quæritur an Paulus neceſſitatem omnibus imponat manibus laborandi: nimis enim hoc durum eſſet. Reſpondeo, ſimplicem eſſe ſenſum verborum, ſi quis rite expendat. Nam ubi fraudare quenquam prohibuit, quia multi cauſantur inopiam: ejuſmodi objectionem ut præveniat, potius laborandum eſſe manibus docet. acſi diceret, Tibi nulla recuſanda eſt conditio, quantumvis dura & moleſta, quo nemini ſis injurius: neque id modo, ſed ut ſuccurras fratrum neceſſitati. Hoc autem poſterius membrum non parum amplificat. nam argumentum continet à majori ad minus. *Quod bonum eſt.* Quoniam multa ſunt opificia quæ voluptatibus etiam parum caſtis ſerviunt, commendare etiam hoc voluit ut labores deligamus, qui utilitatem proximis noſtris afferant. nec mirum: nam ſi ejuſmodi voluptarias artes, quæ nihil quam corruptelas gignere queunt, Ethnici quoque ipſi ignominia notandas duxerunt, ut Cicero: an eas Chriſti Apoſtolus inter legitimas Dei vocationes cenſeret?

29. Omnis ſermo ſpurcus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis eſt bonus ad ædificationem uſus, ut det gratiam audientibus.

30. Et ne contriſtetis Spiritum ſanctum Dei, quo obſignati eſtis in diem redemptionis.

31. Omnis amarulentia, & indignatio, & ira, & clamor, & maledicentia, removeatur à vobis cum omni malitia.

29. *Omnis ſermo.*] Primum ex fidelium ſermonibus omnem ſpurcitiem removet: quo nomine comprehendit amatorias omnes illecebras, quæ libidine inficere ſolent hominum animos. Deinde non contentus vitium ſuſtuliſſe, præcipit ut ſint ad ædificationem compoſiti: quemadmodum ad Coloſ. Sermo veſter ſale ſit conditus, &c. Hic tamen alia loquutione utitur: *Si quis bonus eſt*, inquit, *ad ædificationem uſus*. quod perinde valet acſi dixiſſet uno verbo, Si uſui eſt. Genitivum quidem *uſus*, licebit, more Hebraico, in adjectivum reſolvere: ut ſit Ædificatio utilis. Sed dum conſidero quam frequens ſit metaphora in verbo Ædificandi apud Paulum, & quam late pateat: priorem illam expoſitionem tenere malo. ita Ædificationem uſus, interpretor ædificationis noſtræ profectum. Nam ædificare, promovere eſt. Quomodo autem illud fiat, ſubjicit: *dando* ſcilicet *gratiam audientibus*. conſolationem porro & admonitionem, & omnia ſalutis adminicula, Gratiæ nomine intelligit.

Coloſ. 4. verſ. 6.

30. *Et ne contriſtetis.*] Quum Spiritus ſanctus habitet in nobis, omnes tam animæ quam corporis noſtri partes illi ſacras eſſe oportet. Quod ſi nos proſtituimus ad aliquod inquinamentum, jam illum quaſi ex ſuo hoſpitio ejicimus. id quo familiarius exprimat, tribuit Spiritui ſancto humanos affectus, gaudium & triſtitiam. Date, inquit, operam ut Spiritus ſanctus libenter in vobis habitet, quaſi in domicilio læto ac jucundo: nec ullam triſtitiæ materiam illi date. Quidam ſecus exponunt, Quod Spiritum Dei contriſtemus in aliis, dum pios fratres qui Spiritu Dei aguntur, offendimus obſcœno ſermone, vel aliis modis. Nam piæ aures quicquid pietati adverſum eſt, non modo reſpuunt, ſed quum tale quid audiunt, gravi dolore vulnerantur. at quod ſequitur, oſtendit aliam fuiſſe mentem Pauli. *Quo obſignati eſtis*, inquit. Quia ergo Spiritu nos ſuo Deus obſignavit, illi ſumus moleſti dum non ſequimur ejus ductum, ſed profanis affectibus nos polluimus. Non poteſt ſatis pro dignitate explicari ſententiæ hujus gravitas, Quod Spiritus ſanctus gaudet atque hilaris eſt in nobis dum illi nos morigeros per omnia præbemus, nihil cogitamus aut loquimur niſi purum & ſanctum: quod rurſus afficitur mœrore quoties aliquid vocatione noſtra indignum admittimus. Nunc reputet apud ſe quiſque quam horrenda ſit impietas, Spiritum Dei pungere ea triſtitia ut à nobis tandem diſcedere cogatur. Apud Jeſaiam capite 30. v. 10. eadem eſt loquendi forma, ſed diverſo ſenſu. Propheta enim exacerbare Dei Spiritum ſimpliciter dixit, quemadmodum dicere ſolemus, hominis animum. *Quo obſignati.* Eſt enim Spiritus Dei quaſi ſigillum quo à reprobis diſcernimur: & quod impreſſum eſt cordibus noſtris, ut certa ſit nobis adoptionis gratia. Addit, *In diem redemptionis*: hoc eſt, donec in hæreditatis promiſſæ poſſeſſionem nos Deus inducat. Solet enim vocari dies redemptionis, quia tunc demum è miſeriis omnibus eximemur. De utraque loquutione jam ſatis alibi dictum eſt: ac præſertim ad Rom. cap. 8. v. 23. de ſecunda.

de priore vero 1. ad Corinth. cap. 1. v. 30. niſi quod verbum Obſignandi aliter hic exponi poteſt: nempe quod Deus Spiritum quaſi notam ſuam nobis impreſſerit, ut in filiis ſuis cenſeat quoſcunque videt ita ſignatos.

31. *Omnis amarulentia.*] Quemadmodum iracundiam prius damnavit, ita nunc eandem ſententiam repetens, ſimul conjungit accidentia quæ eam comitari fere ſolent: ut ſunt clamoſæ contentiones & convitia. Inter ὀργῆς καὶ θυμοῦ parum eſt diſcriminis: niſi quod hoc interdum ad potentiam, illud vero ad actum refertur. hic autem nihil differunt: niſi in priore dicamus magis ſubitum eſſe impetum. Non fruſtra porro *malitiam* removet, ut illa ſuperiora corrigantur. Significat autem hoc verbo, animi pravitatem, quæ humanitati & æquitati eſt oppoſita, & malignitas vulgo nuncupatur.

32. Sitis autem mutuo comes, miſericordes, condonantes vobis inter vos, quemadmodum & Deus vobis in Chriſto condonavit.

32. *Sitis autem mutuo comes.*] Amarulentiæ opponit comitatem, quæ eſt facilitas tam in moribus quam in vultu & ſermone. Et quia nunquam regnabit inter nos ea virtus, niſi vigeat etiam συμπάθεια: ideo miſericordiam nobis commendat: quæ ſcilicet in eo ſita eſt, non tantum ut malis fratrum noſtrorum condoleſcamus, perinde ac noſtris; ſed ut vera humanitate præditi, non ſecus moveamur in utramque partem, quicquid illis acciderit, acſi ſuſtineremus eorum perſonam. Contraria eſt immanitas, ubi tam ferrei & barbari ſunt homines, ut ſuſque deque ferant quicquid alios pati vident. *Condonantes vobis.* Alii de beneficentia interpretantur: ideoque Eraſmus vertit, Largientes. nec repugnat verbi ſignificatio: ſed loci circumſtantia in aliam magis partem nos ducit: nempe ut ſimus ad ignoſcendum faciles. Fieri enim interdum poteſt ut ſint aliqui ſuaves & teneri ad commiſerationem: ſed indigne læſi, non tam facile remittunt injurias. Ergo ne ii qui alioqui naturæ benignitate ad humanitatem propenſi ſunt, hominum ingratitudine deficiant: hortatur ut ſe præbeant alii aliis placabiles. Et quo plus valeat exhortatio, exemplum Dei proponit, qui longe plus nobis per Chriſtum condonavit, quam quiſquam mortalium fratribus ſuis queat. vide ad Coloſſ. 3. verſ. 5.

Cap. V.

Sitis ergo imitatores Dei, quemadmodum filii dilecti:

2. Et ambulate in charitate, quemadmodum & Chriſtus nos dilexit, ac ſeipſum tradidit pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.

1. *Sitis ergo imitatores.*] Perſequitur eandem ſententiam & confirmat, eo quod filios patri ſimiles eſſe oporteat. admonet autem nos eſſe filios Dei: debere ergo nos ipſum, quantum in nobis eſt, beneficentia referre. Ita videmus in diſtinctione capitum male diſcerptas fuiſſe ſententias, quæ inter ſe prorſus cohærent. Teneamus autem hoc argumentum, Si filii Dei ſumus, debere nos eſſe ejus imitatores. Nam &
Mat. 5. verſ. 44. Chriſtus non aliter nos fore Dei filios pronunciat, niſi etiam indignis benefacimus. Poſtquam Deum imitandum propoſuit, idem facit de Chriſto. nam is eſt verum noſtrum exemplar. Eadem, inquit, charitate complectimini vos invicem, qua nos Chriſtus complexus eſt. eſt enim quod in Chriſto cernimus, nobis vera regula.

2. *Ac ſeipſum tradidit.*] Hoc ſingulare fuit argumentum ſummæ charitatis, quod Chriſtus quaſi ſui oblitus, propriæ vitæ non pepercit, ut nos à morte redimeret. Hujus beneficii ſi participes velimus eſſe, ſimiliter erga proximos affecti ſimus oportet. non quod tantam perfectionem quiſquam noſtrum conſequutus ſit: verum ad eam pro noſtro modulo aſpirandum & enitendum eſt. Quod additur de *victima boni odoris*, primum ad commendandam Chriſti gratiam valet: deinde etiam præſenti cauſæ ſervit. Non poteſt quidem ſatis exprimi verbis, mortis Chriſti fructus & efficacia: ut teneamus, hoc unicum eſſe pretium quo reconciliati ſumus Deo. Atque hæc fidei doctrina priorem gradum occupat. Cæterum quo plus Chriſtum nobis præſtitiſſe audimus, eo magis ſumus illi obſtricti. Præterea colligendum eſt ex Pauli verbis, nulla noſtra officia accepta eſſe Deo, niſi mutuo inter nos amemus. Nam ſi hominum reconciliatio per Chriſtum facta, ſacrificium fuit boni odoris: tunc demum bonus à nobis odor ad Deum perveniet, ſi ſacer hic ſuffitus in nos diffuſus fuerit. quo pertinet illud Chriſti, Relinque ad altare munus tuum, & vade, & reconciliare fratri Matth. 5. verſ. 23.
tuo.

3. Scortatio vero & omnis immunditie, aut avaritia, ne nominentur quidem inter vos: ſicut decet ſanctos.

4. Turpitudo, ſtultiloquium, facetiæ, quæ non conveniunt: ſed magis gratia.

5. Hoc enim ſcitis, quod omnis ſcortator, vel immundus, vel avarus qui eſt idololatra, non obtinebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei.

* vel, incredulos. 6. Nemo vos decipiat inanibus verbis. nam propter hæc venit ira Dei in filios * inobedientes.

7. Ne ſitis igitur illorum conſortes.

3. *Scortatio.*] Hoc caput & tertium ad Coloſſenſes multa habent inter ſe congruentia, quæ prudens lector ſine mea opera conferre poterit. Tria hic recenſet, quæ tam aliena vult eſſe à Chriſtianis, ut ne nomen quidem audiatur: quod rebus incognitis ſolet accidere. Per *immunditiem* fœdas omnes & impuras libidines ſignificat. Ita à *ſcortatione* differt hoc nomen, tanquam genus à ſpecie. Tertio ponit *avaritiam*, quæ nihil aliud eſt quam immodica habendi cupiditas. Et præcepto addit auctoritatem, dicens ſe nihil ab illis requirere, quam quod *ſanctos decet*. quo verbo avaros omnes, & ſcortatores, & impuros à numero & ſocietate ſanctorum rejicit. Tribus illis addit alia tria: *turpitudinem*, quo nomine intelligo quicquid indecorum eſt, ac piorum modeſtiæ minus conſentaneum: deinde *ſtultiloquium*, quo nomine ſermones intelligo vel ineptos ac inanes nulliuſque frugis, vel etiam profanos, & ſua vanitate noxios.

Porro

Porro quooiam ineptiæ ſermonis, *facetiarum* & leporis prætextu ſæpe teguntur: ideo nominatim urbanitatem, quæ alioqui arridet acſi virtus eſſet laude digna, tanquam ſtultiloquii partem condemnat. Vocabulum Græcum εὐτραπελία, apud Ethnicos ſcriptores in bonam partem accipitur, pro acuta & ſalſa urbanitate, liberali ingenioſoque homine digna. Sed quia difficillimum eſt dicacem eſſe quin ſis etiam mordax, & in ipſis facetiis quædam eſt affectatio pietati minime conſona: merito ab ea nos Paulus revocat. Et de omnibus iſtis ſimul pronunciat, quod non conveoiant: hoc eſt, quod pugnent cum officio Chriſtianorum.

4. *Sed magis gratia.*] Alii malunt gratiarum actionem. mihi placet Hieronymi interpretatio. Debuit enim Paulus ſuperioribus vitiis generale aliquid opponere quod in ſermonibus noſtris eluceat. Nam ſi dixiſſet, Interea dum illi frivolis nugis & ſcurrilitate ſe oblectant, vos agite gratias Deo: fuiſſet nimis reſtrictum. Patitur autem Græcum vocabulum εὐχαριστία, ut nos Gratiam vertamus. Senſus autem erit, Sermones noſtros vera ſuavitate & gratia perfuſos eſſe debere: quod fiet ſi miſcebimus utile dulci.

5. *Hoc enim ſcitis.*] Ne vitiorum quæ reprehendit illecebris ineſcati, oſcitanter vel minus attente ſuas admonitiones excipiant: gravi & ſevera denuociatione eos terret, quod illa vitia regnum Dei nobis claudant. Jam vero quum illorum conſcientiam appellat, ſignificat de re minime dubia ſe loqui. Sicuti durum id videtur eſſe, & Dei bonitati adverſum, abdicari omnes hæreditate regni cælorum, qui vel ſcortationis, vel avaritiæ culpa ſint contacti: facilis eſt reſponſio, Apoſtolum veniam lapſis non negare qui reſipuerint, ſed de ipſis peccatis ſententiam

1 Cor. 6. ferre. Nam Corinthios iiſdem verbis affatus, mox

verſ. 11. adjungit, Et vos quidem hæc fuiſtis, ſed nunc juſtificati eſtis. Nam ubi eſt pœnitentia, quum ſit illic etiam reconciliatio cum Deo, deſinunt eſſe homines quod fuerant. Cæterum, qui vel ſcortatores ſunt, vel immundi, vel avari, quamdiu tales ſunt, nihil ſibi commune cum Deo eſſe ſciant: & umnem ſalutis ſpem ſibi ademptam. *Regnum Dei & Chriſti* dixit, quia Deus Filio ſuo tradidit, ut per ipſum nos adipi-

Galat. 5. ſcamur. *Avarus qui eſt idololatra.* Nam avaritia,

verſ. 20. ut alibi inquit, idolorum cultus eſt: non ille qui tam frequenter damnatur in Scriptura, ſed alterius generis. neceſſe enim eſt ut Deum abnegent avari omnes, ejuſque loco ſibi divitias conſtituant: tam cæca eſt rabies miſeræ illius cupiditatis. Sed cur potius hoc avaritiæ tribuit Paulus, quum in alios etiam carnis affectus non minus competat? qui magis avaritia hoc ignominiæ titulo notanda eſt, quam ambitio, quam inanis ſui confidenria? Reſpondeo, Quia morbus iſte late patet, & quaſi ſua contagione occupat plurimorum animos, neque morbus judicatur, quin potius laudatur communi opinione: ideo durius exagitari à Paulo, ut falſam upinionem ex cordibus noſtris evellat.

6. *Nemo vos decipiat.*] Semper fuerunt impii canes qui ſannis exciperent ac facete riderent Prophetarum minas: quales hodie quoque cernimus. Tales enim veneficos ſeculis omnibus diabolus ſubornat, qui dum ſacrilegis dicteriis eludunt Dei judicium, conſcientias non adeo fundatas in timore Dei, quaſi faſcinis quibuſdam ſopiant. Hoc leve delictum eſt, inquiunt: ſcortatio luſus eſt Deo: Deus ſub Lege gratiæ non eſt tam crudelis: non ideo nos finxit ut ſit noſter carnifex: naturæ fragilitas nos excuſat: & ſimilia. Ex adverſo clamat Paulus cavendas eſſe ejuſmodi fallacias quibus illaqueantur in exitium conſcientiæ. *Propter hæc enim.* Si præſens tempus, more Hebraico, per futurum exponas, erit communicatio ultimi judicii: ſed ego iis aſſentior qui indefinite accipiunt *Venit*, pro Venire ſolet: ut commonefaciat eos de ordinariis Dei judiciis, quorum exempla ſunt ante oculos. Et ſane niſi cæci eſſemus ac ſocordes, Deus ſatis frequentibus pœnarum exemplis teſtatur, ſe juſtum eſſe horum malorum vindicem: idque tam privatim animadvertendo in ſingulos homines, quam publice iram ſuam in urbes & regna & populos exerendo. Eſt autem notandum quod dicit, *Adverſus incredulos*, aut *rebelles.* nam quia fideles alloquitur, non tam eos vult terrere propriis periculis, quam expergefaeere, ut horrenda Dei judicia in reprobis tanquam in ſpeculis contemplari diſcant. Neque enim Deus filiis ſuis formidabilem ſe facit, quo ipſum fugiant: ſed paterno more, quoad poteſt, ad ſe allicit. Inde concludit, ne ſe pernicioſa impiorum ſocietate implicent, quorum prævident talem exitum.

8. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in domino, tanquam filii lucis ambulate:

9. (Fructus enim lucis in omni bonitate, & juſtitia, & veritate)

10. Probantes quid ſit acceptum Deo.

11. Et ne communicetis operibus infructuoſis tenebrarum: quin potius etiam redarguitote.

12. Quæ enim clam fiunt ab illis, turpe eſt vel dicere.

13. Omnia autem dum coarguuntur, à luce manifeſtantur: omne enim quod manifeſtat, lux eſt.

14. Quamobrem dicit, Surge qui dormis, & exurge ex mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.

8. *Eratis aliquando.*] Præceptionibus ſubinde, ad pondus addendum, aſpergit confirmationes, ac permiſcet. ut hoc loco, quia de incredulis meminerat, & mouerat Epheſios ne in ſceleribus & interitu illorum eſſent participes: confirmar addita ratione, quantum ab illorum vita & factis diſtare debeant. Simulque præteritæ vitæ recordationem illis refricat, ne ſint ingrati Deo. Longe, inquit, alii debetis eſſe quam olim: Deus enim vos ex tenebris lucem fecit. *Tenebras* vocat totam hominis naturam ante regenerationem: quia ubi non lucet Dei claritas, nihil eſt præter horrendam cæcitatem. *Lumen* rurſus appellat qui Spiritu Dei ſunt illuminati: paſſive ſcilicet, pro lucidis. Nam contiouo poſt, eodem ſenſu, ponit *filios lucis:* dum concludit, Ambulandum ergo eſſe tanquam in luce, quia ex tenebris erepti ſint, Dei miſericordia. Nota, *in Domino* nos dici *lumen*, quia extra Chriſtum, Satan omnia occupat, quem ſcimus principem eſſe tenebrarum.

9. *Fructus enim lucis.*] Inſerit hanc parentheſin, ut viam indicet qua ambulare filios lucis convenit. Quanquam non ponit integram deſcriptionem, ſed tantum exempli cauſa attingit partes quaſdam ſanctæ & piæ vitæ. Quum autem uno capite vult totum complecti, revocat eos ad Dei voluntatem: perinde acſi diceret, Quiſquis recte & extra errandi periculum vivere appetit, is ſe componat in obſequium

ſequium Dei, & ejus voluntatem habeat pro regula: nam iſte demum rationalis eſt Dei cultus, quemadmodum ad Romanos capite 12. v. 1. docet, vivere ex ſolo illius præſcripto: ſecundum illud, Obedientia melior quam victimæ. *1 Sam. 15. verſ. 22.* Mirum autem unde in multos Græcos codices obrepſerit nomen Spiritus: quum magis congruat, Fructus autem lucis ſunt. tametſi hoc de ſententia Pauli nihil detrahit. Manet enim ſemper illud, Ambulandum eſſe fidelibus tanquam in luce, quia ſunt filii lucis. id fieri, quum non vivunt ſuo arbitrio, ſed Dei obſequio ſe totos addicunt: nec quicquam ſuſcipiunt, niſi ex illius juſſu. Præterea talem obedientiam fructibus teſtatam fieri, *bonitate* ſcilicet, *juſtitia*, *veritate*, & ſimilibus.

11. *Et ne communicetis.*] Quoniam inter tenebras verſantur filii lucis, hoc eſt, in medio generationis pravæ & tortuoſæ: non fruſtra monentur ne ſe malis operibus commiſceant. Non ſatis eſt igitur ſi quis ſua ſponte nihil mali facinoris ſuſcipiat: ſed cavendum eſt etiam ne ſocios nos, vel adjutores præbeamus aliis in malo perpetrando. denique ab omni conſortio vel conſenſus, vel conſilii, vel nutus, vel cujuslibet adjutorii abſtinendum eſt: nam his omnibus modis communicamus. Quin etiam ne perfunctum quis ſe putet connivendo, etiam nominatim jubet coarguere: quod eſt diſſimulationi contrarium. Nunc quotuſquiſque ſe eximet à reatu: quum pauciſſimi ab annuendi ſimulatione caveant, ubi Deum palam offendi cernent: diſſimulent vero fere omnes? Potius tamen peribunt centum mundi, quam non ſtet firma Dei veritas. *Coarguendi* verbum, metaphoræ tenebrarum reſpondet. Nam ἐλέγχειν, propriè eſt in medium proferre quod ante ignotum erat. Quoniam ergo impii ſibi adulantur in vitiis, & ea latere, aut pro virtutibus haberi volunt: Paulus coargui jubet. *Infructuoſa* vocat, non modo quæ nihil afferant utilitatis, ſed etiam quæ per ſe noxia ſint.

12. *Quæ enim clam fiunt.*] Vult oſtendere quantum profecturi ſint redarguendo impios. Illi, inquit, modo hominum oculos lateant, perpetrare quidvis, etiam flagitia dictu horrenda, ſibi permittunt. Nam ut vulgari proverbio dicitur, Nox pudore vacat. unde hoc, niſi quia in tenebris ignorantiæ demerſi, turpitudinem ſuam nec vident ipſi, nec videri à Deo & Angelis cogitant? At verbo Dei, tanquam illata face, aperiuntur eorum oculi. Ita pudere eos pigereque incipit. Sancti ergo ſuis monitionibus cæcos infideles illuminant: & ignorantia obrutos, ex latebris ſuis protrahunt in lucem. Perinde ergo eſt acſi diceret, Quum domum clauſam habent infideles, & ab hominum conſpectu ſubducti ſunt, *turpe eſt vel dicere* quam nequiter & flagitioſe proruant ad omnem licentiam. An vero excuſſo pudore, adeo frena ſibi laxarent, niſi tenebræ facerent audaciam: quaſi impune fiat quod fit in abdito? vos autem coarguendo, quaſi lucem inferetis, ut ſua turpitudine pudefiant. Talis autem pudor ex turpitudinis ſuæ agnitione, primus gradus eſt ad reſipiſcentiam. Id etiam eſt quod habetur prioris ad Corinthios cap. 14. v. 24. Si ingreſſus fuerit infidelis in cœtum veſtrum, coarguitur ab omnibus, judicatur ab omnibus: & occulta cordis ejus manifeſta fiunt: ita procidens in faciem, adorat Deum. Niſi quod hic translatione uſus eſt. Eraſmus, mutando verbum Coarguendi, totum ſenſum corrupit. huc enim intendit Paulus, non fore ſine fructu, ſi opera infidelium coarguantur.

13. *Omnia autem.*] Quia medium eſt participium quod hic legitur, tam paſſive quam active verti poteſt. Vetus interpres, paſſivam ſignificationem prætulit. quod ſi placeat ſequi, nomen *lucis* perinde valebit ac Lucidum, ut prius: & tunc ſenſus erit, conſpicua fore mala opera quæ latebant, poſtquam verbo Dei manifeſtata fuerint. Si active ſumamus, duplex adhuc eſſe expoſitio poterit. prior, Quicquid manifeſtat, eſt lux. ſecunda, Quod manifeſtat quidvis vel omnia, lux eſt: ut ſingularis numerus valeat pluralem. neque hoc impedit articulus, quod Eraſmus veritus eſt: quia non tam exacte unumquemque articulum ſuo loco ordinare ſolent Apoſtoli, & inter elegantes etiam ſcriptores id eſſet tolerabile. Ego ſane non aliam fuiſſe Pauli mentem judico. ſequor enim contextum. Quia hortatus erat ut coarguendo mala opera infidelium, eruerent ea ex tenebris, nunc addit, proprium lucis officium eſſe quod illis præcipit, nempe *manifeſtare*. Lux eſt, inquit, quæ omnia manifeſtat. Inde ſequebatur eos eſſe indignos hoc titulo, niſi in lucem proferrent quæ tenebris involuta erant.

14. *Quamobrem dicit.*] Laborant interpretes in loco indicando, quia videtur Paulus teſtimonium citare ex Scriptura quod nuſquam invenitur. Dicam quod ego ſentio. Primum inducit Chriſtum per ſuos miniſtros loquentem. nam hæc ordinaria eſt concio quæ quotidie audiri debet ex Euangelii præconibus. Quid enim aliud eſt eis propoſitum, quam ut mortuos excitent ad vitam? juxta illud, Veniet *Joan. 5.* hora, & jam eſt, quum mortui audient vocem Filii *verſ. 25.* Dei: & qui audierint, vivent. Nunc loci circumſtantiam expendamus. dixerat Paulus redarguendos eſſe infideles, ut in lucem producti, agnoſcere ſua mala incipiant. Nunc Chriſtum loquentem inducit: quia hæc vox aſſidue reſonet in Euangelii prædicatione, Surge qui dormis. Cæterum interea non dubito quin ad Prophetarum vaticinia alludat quæ hoc ipſum prædicunt de regno Chriſti: quale eſt illud Jeſaiæ, *Jeſa. 60.* Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen *verſ. 1.* tuum, &c. Quum ergo ita ſit, excitare conemur quantum in nobis eſt, dormientes ac mortuos, ut eos adducamus ad lucem Chriſti. Nam quod addit, *Et illuceſcet tibi Chriſtus*, non ſignificat tunc demum affulgere nobis ejus lumen, ubi ſurrexerimus ex morte, quaſi præveniamus ejus gratiam: verum ſimpliciter demonſtrat Paulus, nos reſurgere à morte in vitam, quum nos Chriſtus illuminat: idque prioris ſententiæ confirmandæ cauſa, infideles ſcilicet à cæcitate revocandos, ut ſalvi fiant. Quod aliqui codices pro ἐπιφαύσει, legunt ἐφάψεται, hoc eſt, Continget, manifeſtus eſt error. Itaque lectionem illam ſine controverſia repudio.

15. Videte igitur quomodo exacte ambuletis: non tanquam inſipientes, ſed tanquam ſapientes:

16. Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

17. Quare ne ſitis imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini.

18. Et ne inebriemini vino, in quo ineſt laſcivia: ſed impleamini Spiritu,

19. Vobiſipſis loquentes pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, canentes & pſallentes in corde veſtro, Domino:

20. Gratias agentes ſemper de omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.

15. *Videte igitur.*] Si aliorum diſcutere tenebras fideles debent fulgore ſuo, quanto minus cæcutire ipſi debent in proprio vitæ inſtituto? quibus enim tenebris ſe occultabunt, quibus illuxit Sol juſtitiæ Chriſtus? Debent igitur acſi in celeberrimo theatro eſſent, vivere, quia ſub conſpectu Dei & Angelorum vivunt. Hos inquam teſtes revereantur, etiamſi mortales omnes latere queant. Omiſſa autem metaphora Tenebrarum & Lucis, jubet eos exacte vitam componere *tanquam ſapientes*, hoc eſt, qui in veræ ſapientiæ ſchola inſtituti ſint à Domino. nam hæc noſtra intelligentia eſt, ducem ac magiſtrum habere Deum qui nos doceat de ſua voluntate.

16. *Redimentes tempus.*] A circumſtantia temporis confirmat ſuam exhortationem. *Dies malos* eſſe dicit, hoc eſt, omnia ſcandalis & corruptelis eſſe plena, ut difficile ſit pios manere illæſos dum inter tot ſpinas incedunt. Quum ita corruptum eſt ſeculum, videtur diabolus tyrannidem occupaſſe, ut tempus non poſſit Deo conſecrari, niſi quodammodo redemptum. Quod autem erit pretium redemptionis? infinitis illecebris, quæ facile nos perverterent, cedere, extricare nos à curis & voluptatibus mundi, omnibus denique impedimentis renunciare. Intenti ergo ſimus ad occaſionem modis omnibus recuperandam. imo quod multi ſolent ignaviæ ſuæ prætendere, multa eſſe offendicula, nimis arduum laborem, vigilantiam noſtram potius acuat.

17. *Ne ſitis imprudentes.*] Qui in Legis meditatione ſe exercebit dies & noctes, facile victor evadet ſupra difficultates, quaſcunque Satan oppoſuerit. Unde enim fit ut errent alii, alii labantur, alii impingant, retro abeant alii, niſi quia paulatim nos à Satana ſinimus obfuſcari, ut nobis excidat Dei voluntas, cujus aſſidua recordatione exerceri nos decuerat? Et nota iterum, prudentiam à Paulo definiri, quum Dei voluntatem iotelligimus. Quomodo diriget adoleſcens viam ſuam? inquit David: Cuſtodiendo ſermones
Pſal. 119. verſ. 9. tuos, Domine. De juvenibus loquitur: ſed eſt etiam hæc ſenum prudentia.

18. *Et ne inebriemini vino.*] Quum eos vetat inebriari, largas omnes & immodicas potationes prohibet. Perinde ergo eſt acſi diceret, Ne ſitis intemperantes in potu. Et ſimul admonet quid mali pariat ebrietas, nempe ἀσωτία. quo nomine intelligo laſcivias omne genus, & diſſolutiones: nam ſi Luxuriam interpreteris, friget ſenſus. Significat ergo ebrioſos diffluere petulanter in omnem immodeſtiam, nec pudore ullo teneri: ſed dominari proterviam, ubi regnat vinum. ita qui alioqui moderationis & honeſti reſpectu tanguntur, ebrietatem fugere & abominari debent. Quia autem ut ſe ad hilaritatem invitent, largius potare ſolent filii hujus ſeculi; ejuſmodi lætitiæ carnali ſanctam aliam opponit, qua nos Spiritus Dei exhilaret. Et hujus quoque effectus ſuperiori contrarios recenſet. Quid gignit ebrietas? diſſolutam proterviam, ut quaſi excuſſo freno indecenter homines exultent. Quid ſpiritualis lætitia, quum ea perfuſi ſumus? *Hymnos, pſalmos, laudes Dei, gratiarum actiones.* Hi vere jucundi fructus & delectabiles. *Spiritus* hic ſignificat Gaudium in Spiiitu ſancto. In verbo *implemini*, alluſio eſt ad largiorem potum: ut ſit obliqua antitheſis. *Loqui ſibi ipſis*, pro Inter ſe. Neque enim ſingulos intus ſibi canere jubet. nam quod poſtea ſubjicit, *Canentes in corde*, perinde valet acſi dixiſſet, Ex corde: non tantum lingua, ut hypocritæ faciunt. Quid differant hymni à pſalmis, & quid rurſum pſalmi à canticis, difficile eſt certa definitione tradere. Quanquam nonnihil attingam ad Coloſſenſes capite 4. Epithetum Spiritualis ad argumentum pertinet: quia ut plurimum publicæ & vulgo uſitatæ cantiones ſunt de rebus frivolis, adeoque parum caſtis.

20. *Gratias agentes ſemper.*] Significat hanc voluptatem eſſe ejus generis, quæ nunquam ſatietate gignere faſtidium debeat: hoc eſſe exercitium quod laſſitudine carere debet. Deus enim innumeris beneficiis novam ſubinde gaudendi & gratias agendi nobis materiam ſuppeditat. interim admonet, impiæ turpiſque ſocordiæ fore ceſſationem, niſi fideles ſtudium & exercitium laudandi Dei tota vita continuent.

* vel, Dei. 21. Subditi eſtote invicem in timore * Chriſti.

22. Mulieres ſuis maritis ſubditæ ſint, tanquam Domino:

23. Quoniam vir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, qui idem eſt ſervator corporis.

24. Cæterum quemadmodum Eccleſia ſubeſt Chriſto, ita & mulieres ſuis maritis in omnibus.

25. Viri diligite veſtras uxores: quemadmodum & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea,

26. Ut eam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo:

27. Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam tale: ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis.

28. Ita viri debent diligere ſuas uxores, tanquam ſua corpora.

21. *Subditi eſtote.*] Nam ita nos obſtrinxit Deus alios aliis, ut nemo ſe eximere à ſubjectione debeat. ac ubicunque regnat charitas, illic mutua eſt ſervitus. Ne reges quidem ac gubernatores excipio: ſiquidem in hoc præſunt ut ſerviant. Quare non ſine cauſa omnes hortatur ut ſint invicem ſibi ſubjecti. Sed quia nihil humano ingenio magis eſt adverſum, quam aliis ſe ſubmittere: revocat nos ad timorem Chriſti, qui ſolus poteſt noſtram ferociam domare, ne jugum recuſemus: & ſubigere arrogantiam, ne ſervire nos proximis pudeat. Ad Pauli ſenſum parum refert, paſſive an active accipias *Chriſti timorem*. hoc eſt, vel quia timemus Chriſtum, ideo ſubjecti ſimus proximis: vel quia ejuſmodi timore piorum omnium mentes ſub Chriſti regno imbutas eſſe convenit. Alii codices legunt, Timorem Dei. forte ita mutavit quiſpiam, cui prior loquutio, quæ tamen optime convenit, durior viſa fuerat.

22. *Mulieres.*] Nunc ad gradus deſcendit: quia præter illud univerſale ſubjectionis vinculum, alii aliis arctius ſunt devincti: ut eſt uniuſcujuſque vocatio. Porro œconomia tribus quaſi jugis conſtat, in quibus mutua eſt partium obligatio. Jugum primum eſt conjugii inter virum & uxorem: ſecundum jugum conficiunt parentes & liberi: tertium dominos & ſervos continet. Ita in œconomia ſunt diverſæ ſex perſonæ, quarum ſingulis hic præcipiet Paulus quale ſit ſuum officium. A mulieribus incipit, quas maritis ſubjectas eſſe jubet, non ſecus ac Chriſto. non quia ſit æqualis auctoritas, ſed quia mulieres obedire Chriſto nequeant, niſi ſe obſequentes viris præbendo. Sequitur ratio: quia idem ordo conſtitutus eſt à Chriſto inter virum & uxorem, quem ipſe tenet cum ſua Eccleſia. Porro hæc comparatio magis afficere debuit, quam ſi de nuda Dei ordinatione loquutus foret. Nam duo poſuit: quod

Deus viruin præfecerit uxori: & quod hujus præfecturæ imago in Chriſto extet, qui caput eſt Eccleſiæ, ſicuti vir uxoris.

23. *Qui idem eſt ſervator.*] Quidam relativum Chriſti eſſe putant, alii autem mariti. magis Chriſto congruit, meo quidem judicio: ſed ita ut ad præſentem cauſam accommodet. Nam debet conſtare etiam in hac parte ſimilitudo, Sicuti Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præeſt in ejus ſalutem, ita nihil eſſe mulieri utilius nec magis ſalubre, quam ut marito ſubſit. Perire igitur affectant quæ renuunt ſubjectionem ſub qua ſalvæ eſſe poterant. Tametſi propter adverſativam particulam quæ ſequitur, poſſet ita eaponi per occupationem, Habet quidem id peculiare Chriſtus, quod eſt ſervator Eccleſiæ. nihilominus ſciant mulieres, ſibi maritos præeſſe, Chriſti exemplo, utcunque pari gratia non polleant. Alia tamen expoſitio verior eſt. nec adeo me movet conjunctio adverſativa, ἀλλὰ, qua utitur Paulus pro Cæterum.

25. *Viri diligite veſtras uxores.*] A maritis viciſſim requiritur dilectio: ſed eam non debere eſſe vulgarem ſignificat, quum illis quoque proponit exemplum Chriſti. Nam ſi in gradu honoris, illius gerunt imaginem, & quaſi perſonam ſuſtinent: etiam in officio ipſum referre debent. *Et ſeipſum tradidit.* Hoc quidem ad exprimendam amoris vehementiam, quem viri debent uxoribus, valet. ſed mox ſumpta occaſione delabitur ad commendandam Chriſti gratiam. Imitentur ergo viri Chriſtum in eo quod pro Eccleſia mori non dubitavit. quod autem morte ſua redemit Eccleſiam, hæc peculiaris illi virtus fuit: quam minime datum eſt hominibus ſua imitatione aſſequi. Jam vero addit, *Ut eam ſanctificaret*: hoc eſt, ut ſegregaret eam ſibi. ita enim Sanctificationis vocabulum accipio. Porro id fit per remiſſionem peccatorum & regenerationem Spiritus.

26. *Mundans lavacro aquæ.*] Internæ & arcanæ ſanctificationi addit etiam externum ſymbolum: quia in hoc conſpicua eſt illius confirmatio: acſi diceret, illius ſanctificationis pignus Baptiſmo exhibitum fuiſſe. Quanquam ſana interpretatione hic opus eſt, ne ex Sacramento (quod ſæpe accidit) prava ſuperſtitione idolum ſibi faciant homines. Quod Baptiſmo nos ablui docet Paulus, ideo eſt, quod illic nobis ablutionem noſtram teſtatur Deus, & ſimul efficit quod figurat. Niſi enim conjuncta eſſet rei veritas, aut exhibitio, quod idem eſt: impropria hæc loquutio eſſet, Baptiſmus eſt lavacrum animæ. Interea cavendum, ne quod unius Dei eſt, vel ad ſignum, vel ad miniſtrum transferatur: hoc eſt, ut miniſter cenſeatur ablutionis auctor, ut aqua putetur animæ ſordes purgare: quod nonniſi Chriſti ſanguini convenit. Denique cavendum, ne ulla fiduciæ noſtræ portio vel in elemento, vel in homine hæreat: quando hic demum verus ac rectus Sacramenti uſus eſt, recta nos ad Chriſtum manu ducere, & in ipſo ſiſtere. Quod autem aliqui in hoc Baptiſmi elogio magis extenuando ſudant, ne ſigno nimium tribuatur, ſi vocetur animæ lavacrum: perperam faciunt. Nam primum Apoſtolus non docet ſignum eſſe quod mundet, ſed aſſerit ſolius Dei eſſe opus. Eſt ergo Deus qui mundat: nec transferri hoc honoris ad ſignum fas eſt, aut ſigno communicari. Verum ſigno Deum tanquam organo uti, non eſt abſurdum. non quia virtus Dei incluſa ſit in ſigno: ſed quia nobis eam pro imbecillitatis noſtræ captu, tali adminiculo diſtribuat. id quoſdam male habet, quia putant Spiritui ſancto auferri quod eſt ejus proprium, & quod illi Scriptura paſſim vendicat. Sed falluntur. nam ita Deus per ſignum agit, ut tota ſigni efficacia nihilominus à Spiritu ſuo pendeat. Ita nihil plus ſigno tribuitur, quam ut ſit inferius organum: & quidem à ſeipſo inutile, niſi quatenus aliunde vim ſuam mutuatur. Quod præterea verentur ne libertas Dei ſit alligata, frivolum eſt. Neque enim efficax eſt ſignis Dei gratia, quin citra adminiculum ſigni libere eam diſtribuat, ſi velit. deinde multi ſignum recipiunt, qui tamen gratiæ non fiunt participes: quia ſignum omnibus eſt commune, hoc eſt, bonis indifferenter ac malis: Spiritus autem nonniſi electis confertur. atqui ſignum, ut diximus, abſque Spiritu eſt inefficax. Participium Græcum καθαρίσας, eſt præteriti temporis: acſi dicas, Poſtquam mundavit. Verum quia apud Latinos nullum eſt tale participium activum, malui tempus negligere, quam vertendo Mundatam, pervertere quod erat longe majoris momenti: nempe ut ſoli Deo relinquatur mundandi officium. *In verbo.* Additio minime ſupervacua: nam verbo ſublato, perit tota vis Sacramentorum. quid enim aliud ſunt Sacramenta, quam verbi ſigilla? Atque una hæc conſideratio quamlibet ſuperſtitionem nobis excutiet. Unde enim fit ut in ſignis obſtupeſcant ſuperſtitioſi, niſi quia mentes non advertunt ad verbum quod eos ad Deum dirigeret? Sane ubi alio reſpicimus quam ad verbum, nihil ſani, nihil puri, ſed alia ex aliis deliria naſcuntur. & tandem quæ Dei auctoritate conſecrata in hominum ſalutem fuerant ſigna, profaneſcunt, ac degenerant in craſſas idololatrias. Adeoque ſolo verbo differunt piorum Sacramenta ab omnibus infidelium figmentis. Porro Verbum promiſſionem hic ſignificat, qua vis & uſus ſigni explicatur. unde apparet, nullam in Papatu legitimam eſſe ſignorum obſervationem. Nam & verbum quidem ſe habere jactant, ſed quod ſit incantationis vice: quia illud lingua incognita demurmurant: & ita quaſi mortuo elemento potius quam hominibus deſtinatum foret. Nulla myſterii explicatio ad populum, quæ ſola facit ut mortuum elementum incipiat eſſe Sacramentum. In verbo, tantum valet atque Per verbum.

27. *Siſteret eam ſibi glorioſam.*] Finem Baptiſmi & ablutionis noſtræ declarat: ut ſancte & inculpate Deo vivamus. Neque enim ideo nos purgat Chriſtus ut protinus revolvamur in noſtras ſordes, ſed ut tota vita puritatem retineamus ſemel ab ipſo acceptam. Atque hanc quidem primum ſub figura deſcribit, quæ argumento conveniebat. *Ut ſit ſpecioſa*, inquit. Nam ſicuti formæ elegantia in uxore cauſa eſt amoris, ita Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam ornat ſanctitate, ut ſit hoc benevolentiæ pignus. Quare hac metaphora alludit ad conjugium: ſed poſtea rem ipſam abſque figura exprimit, dicens, Chriſtum ſibi conciliaſſe Eccleſiam quæ ſancta ſit & irreprehenſibilis. Hic ergo verus eſt Eccleſiæ decor, hæc pudicitia conjugalis, nempe ſanctitas & innocentia. Siſtendi verbo, ſignificat Paulus, in oculis Domini, non hominum opinione, ſanctam debere eſſe Eccleſiam. dicit enim, ut ſibi ſiſteret, non ut aliis oſtenderet. quanquam arcanæ iſtius puritatis fructus in externis poſtea operibus apparent. Quod autem Pelagiani hoc teſtimonio ſe armabant ad probandam juſtitiæ perfectionem in hac vita: in eo prudenter ab Auguſtino refutati ſunt. Neque enim, quid jam factum ſit, Paulus commemorat: ſed in quem finem Chriſtus mundaverit Eccleſiam. Quum autem aliquid dicitur eſſe factum ut aliud poſtea ſequatur, ſtulte & perperam inde quis inferat, hoc poſterius, quod ſequi debet, jam eſſe factum. Quanquam non negamus jam inchoatam eſſe Eccleſiæ ſanctitatem: ſed male perfectionem iſti ſtatuunt ubi quotidianus eſt profectus.

28. Qui diligit uxorem ſuam, ſeipſum diligit.

29. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam quemadmodum & Chriſtus Eccleſiam.

30. Quia membra ſumus corporis ejus, ex ejus carne & ex ejus oſſibus.

* Geneſ. 2. verſ. 22. 31. Hujus cauſa * relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam.

32. Arcanum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.

33. Cæterum vos quoque ſinguli, ſuam quiſque uxorem diligat: mulier autem timeat maritum.

28. *Qui diligit.*] Nunc argumentum ſumit à natura ipſa, ut viros hortetur ad amandas uxores. Natura, inquit, unicuique ingenitus eſt amor ſui. nemo autem amare ſeipſum poteſt quin amet uxorem. Porteotum ergo eſt, quiſquis uxorem non amat. Probat minorem: quia hac lege inſtitutum ſit conjugium à Domioo, ut ex duobus unum efficiat. & quo ſanctior habeatur unitas, iterum in Chriſto & Eccleſia nobis commendatam eſſe docet. Iſta eſt ſumma. Valet quidem aliquatenus hoc argumennum in univerſa hominum ſocietate. Dicit enim Jeſaias, Carnem tuam ne deſpexeris: quum demonſtrare vult quid homo homini debeat. ſed illud ad communem naturam refertur. Inter virum & uxorem alia longe eſt ratio: quia non ſimilitudine tantum naturæ inter ſe cohærent, ſed conjugii nexu in unum hominem ſunt coadunati. Ergo quiſquis religioſe conſiderat rationem conjugii, fieri neqnit quin uxorem diligat.

Jeſa. 58. verſ. 7.

29. *Quemadmodum & Chriſtus.*] Pergit conjugii jura in Chriſto & Eccleſia ſancire: quia hoc exemplo nihil habebat efficacius. Et primo quidem quod de ſingulari viri erga uxorem amore præcepit, Chriſtum præſtitiſſe docet. deinde illius, quam in conjugio poſuerat, unitatis ſpecimen in ipſo & Eccleſia extare teſtatur. Et eſt locus inſignis de myſtica communicatione quam habemus cum Chriſto. Dicit *nos eſſe* ejus *membra, ex carne & oſſibus.* Primum, non eſt hyperbolica loquutio, ſed ſimplex: deinde non tantum ſignificat Chriſtum eſſe naturæ noſtræ participem, ſed altius quiddam exprimere voluit ἐμφατικώτερον. Refert enim Moſis verba, Geneſeos capite 2. v. 24. Quis ergo erit ſenſus? quemadmodum Heva ex Adæ mariti ſui ſubſtantia formara eſt, ut eſſet quaſi pars illius: ita nos, ut ſimus vera Chriſti membra, ſubſtantiæ ejus communicatione nos coaleſcere in unum corpus. Denique eam noſtri com Chriſto unionem hic Paulus deſcribit, cujus in ſacra Cœna ſymbolum & pignus nobis datur. Nam quod quidam perperam hunc locum ad Cœnam torqueri cauſantur, quum hic nulla fiat Cœnæ mentio, ſed conjugii: vehementer errant. Nam quum in Cœna doceant commemorationem fieri mortis Chriſti: communicationem non admittant, qualem nos ex Chriſti verbis aſſerimus: utimur hoc teſtimonio adverſus eos. Paulus nos ex membris & oſſibus Chriſti eſſe teſtatur. Miramur ergo ſi corpus ſuum in Cœna fruendom nobis exhibet, ut ſit nobis vitæ æternæ alimentum? ita oſtendimus nullam nos in Cœna repræſentationem docere, niſi cujus effectus & veritas à Paulo prædicatur.

31. *Hujus cauſa.*] Duo ſimul conjungit. nam ita tractat de ſpirituali Chriſti unione cum Eccleſia, ut ſimul ad communem legem conjugii idipſum extendat. Quod hic citat ex Moſe, ad generalem conjugii regulam pertinet: ſed continuo poſt ſubjicit, *in Chriſto & Eccleſia* eſſe completum. Libenter enim, quoties datur opportunitas, immoratur in prædicandis Chriſti beneficiis. hanc tamen ipſam prædicationem accommodat præſenti cauſæ. Porro incertum eſt, inducatne Moſes Adam loquentem, an doctrinam in ſua perſona ex creationis hiſtoria colligat. Nec multum ſane refert, utrumvis accipias. nam ſemper erit Dei oraculum quod maritis præſcribet quid uxoribus debeant. Quod dicit, *Relinquet patrem, & adhærebit uxori*, perinde valet acſi dixiſſet, Potius relinquat patrem, quam non adhæreat uxori. Neque enim tollit vinculum conjugale reliqua humanitatis officia: nec ita inter ſe male conveniunt Dei inſtitura, ut nemo fungi officiis boni & fidelis mariti queat, niſi qui ſe ac ſua officia patri ſubtraxerit: verum gradus hic notantur. Et comparatione utitur Moſes, quo melius exprimat quam recta ſit & ſancta viri cum uxore conjunctio. Obligatio enim filii ergo patrem, eſt ioviolabile jus naturæ. huic dum præfertur illa qua maritus adſtrictus eſt uxori, vis ejus melius intelligitur. Non ergo deſinet patri ſe filium præſtare qui bonus maritus eſſe volet: ſed coojugium tanquam ſanctiſſimum conjunctionis genus aliis omnibus præferet. *Et erunt duo.* Id eſt, erunt unus homo: vel (ut vulgo loquuntur) conſtituent unam perſonam. quod certe nulla alia neceſſitudo efficit. Totum autem ex eo pendet, quod uxor ex carne & ex oſſibus viri formata eſt: eadem ergo uoionis inter nos & Chriſtum ratio, quod ſe quodammodo in nos transfundit. Neque enim oſſa ſumus ex oſſibus ejus, & caro ex carne, quia ipſe nobiſcum eſt homo: ſed quia Spiritus ſui virtute nos in corpus ſuum inſerit, ut vitam ex eo hauriamus.

32. *Arcanum hoc magnum.*] Concludit admiratione, quod de ſpirituali Chriſti & Eccleſiæ conjunctione dixerat. Exclamat enim magnum eſſe arcanum. quo innuit, non poſſe verbis explicari quantum rei dignitas poſtulat. Et ſane fruſtra ſe homines macerabunt, ſi carnis ſuæ ſenſu comprehendere modum & rationem ſtudeant. hic enim Deus immenſam Spiritus ſui potentiam exerit. Quare præpoſteri ſunt qui nihilo plus in hac re concedunt, quam ingenii ſui modulo conſequuti fuerint. Quum nobis in ſacra Cœna carnem & ſanguinem Chriſti exhiberi negant, Modum, inquiunt, definias: aut non perſuadebis. Atqui ego myſterii altitudine in ſtuporem abripior: neque vero me pudet, admiratione meam ignorantiam cum Paulo fateri. quanto enim id ſatius quam extenuare carnis meæ ſenſu quod Paulus altum myſterium eſſe pronunciat? Idque docet ipſa ratio. quicquid enim ſupernaturale eſt, id profecto captum ingenii noſtri ſuperat. Proinde magis laborandum ut Chriſtum ſentiamus potius in nobis viventem, quam ut commuoicationis ratio nobis pateat. Cæterum admirabile Papiſtarum acumen, qui ex verbo Myſterii, unum ex ſeptem ſacramentis matrimonium eſſe colligunt: perinde acſi ex aqua vinum elicereot. Septem numerant ſacramenra, quum duo Chriſtus omnino inſtituerit: ut matrimonium ea illis unum eſſe probent, adducunt præſentem locum. Quo prætextu? Quia vetus Interpres tranſtulit Sacramentum, ubi Apoſtolus nomen Myſterii poſuerat. Quaſi vero non ſatis vulgaris ſit uſus hujus vocabuli apud Latinos ſcriptores, quum Myſterium volunt dicere. quaſi etiam non uſus fuerit Paulus in hac eadem Epiſtola, de Gentium vocatione loquens. Sed nunc quæritur ao matrimonium

ſit ſolenne gratiæ Dei ſymbolum, quod inſtitutum ſit io eum finem ut ſpirituale aliquid oobis teſtetur ac repræſentet: ut Baptiſmus, ut Cœna Domini. Nulla eſt ratio cur id aſſeraot, niſi quia decepti ſunt ambigua ſignificatione nominis, vel potius linguæ Græcæ ignorantia. Nam ſi quis admonuiſſet, nomen Myſterii ab Apoſtolo fuiſſe poſitum: nullus unquam error extitiſſet. Videmus itaque quo malleo & ſuper quam incudem hoc ſacramentum fabricaverint. Quanquam in eo quoque ſuam ſocordiam prodiderunt, quod non expenderunt correctionem mox additam, *Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Nominatim enim cavere voluit, ne quis de conjugio intelligeret: adeoque apertius loquutus eſt quam ſi abſque exceptione ſenrentiam hanc protuliſſet. Magnum myſterium, quod vitam ſuam Chriſtus virtutemque Eccleſiæ inſpirat. Quis autem inde Sacramentum excuderet? Videmus ergo quam craſſæ ignorantiæ fuerit iſta ballucinatio.

33. *Vos quoque ſinguli.*] Quia paululum digreſſus fuerat à propoſito, tametſi ipſa quoque digreſſio cauſæ ſerviebat: ut tamen fieri ſolet in brevibus præceptis, colligit in ſummam quod ab ipſis obtinere cupit: ut viri diligant uxores, ut mulieres timeant maritos: *timoris* nomine reverentiam ſignificans, quæ illas obſequentes reddat. Nuſquam enim erit voluntaria ſubjectio, niſi præcedat reverentia.

Cap. VI.

Filii, obedite parentibus veſtris in Domino. hoc enim eſt juſtum:

2. Honora patrem tuum & matrem. quod eſt mandatum primum cum promiſſione:

3. Ut bene tibi ſit, & ſis longævus ſuper terram.

4. Vos etiam patres, ne ad iram provocetis filios veſtros: ſed educate eos in diſciplina & correptione Domini.

1. *Filii, obedite.*] Hooris nomen latius patet, quam Obedientiæ. Cur ergo genus ad ſpeciem reſtriogit? nempe quia obedientia teſtimonium eſt ejus honoris quem debent filii parentibus: ideo eam potiſſimum exigit. deinde io ea præſtanda plus eſt difficultatis. Fugit enim ſubjectionem humanum ingenium, & ſe ægre ſub alterius imperium cogi patitur. Docet experientia quam rara ſit hæc virtus. nam quotumquemque cernimus parentibus ſuis morigerum? Eſt igitur in Pauli doctrina ſynecdoche: ſed nominatur præcipua pars, & quæ reliquas omnes ſecum trahit. *In Domino.* Præter naturæ legem quæ recepta eſt ioter omnes gentes, Dei quoque auctoritate ſancitam docet filiorum obedientiam. Inde tamen ſequitur, eatenus obediendum eſſe pareotibus, ne lædatur erga Deum pietas, quæ primum gradum obtinet. Nam ſi ad Dei inſtitutum tanquam ad ſuam regulam, exigenda eſt filiorum ſubjectio: præpoſterum foret, per eam ab ipſo Deo abduci. *Hoc enim eſt juſtum.* Hoc additum eſt cohibendæ illius ferociæ cauſa, quam omnibus fere à natura inſitam diximus. Juſtum autem probat, quia Dominus ita præcepit: neque enim diſputare fas eſt, aut in controverſiam revocare quale ſit quod ſtatuit, is cujus voluntas certiſſima eſt regula juſtitiæ & rectitudinis. Porro quia ex honore obedientiam elicit, mirum non eſt. nam Deus ceremonias non moratur. Itaque ſub voce Honoris complectitur omnia officia quibus ſerio ſuam erga parentes obſervantiam & pietatem teſtantur filii.

2. *Quod eſt mandatum primum.*] Quæ præceptis annexæ ſunt promiſſiones, ad nos alliciendos ſpectant, quo libentius pareamus. proinde hoc veluti condimento ſuavem & amabilem reddit Paulus ſubjectionem quam filiis imponit. Et non ſimpliciter commemorat mercedem à Deo eſſe propoſitam, ſi quis patri & matri obediat: ſed huic mandato id eſſe peculiare. Si ſingula præcepta ſuas haberent promiſſiones, non tantam vim haberet hæc de qua nunc agitur, ad commendationem præcepti. At primum eſt hoc præceptum, inquit Paulus, quod ſingulari promiſſione, quaſi ſigillo, Deus confirmare voluit. Quanquam id difficultate non caret: ſecundum enim præceptum ſimiliter promiſſionem continet, Ego Exod. 10
Deus qui facio miſericordiam, &c. ſed quum ea ſit verſ. 6.
univerſalis, quæ ad totam Legem promiſcue pertinet, non dicemus annexam eſſe mandato. Verum ergo manet quod dicit Paulus, non aliud mandatum promiſſione inſigniri, quam quod de obedientia patribus debita præcepit. Promiſſio eſt de longitudine vitæ: unde intelligimus, præſentem vitam cenſeri inter non contemnenda Dei dona. Sed & hoc & alia ex Inſtitutione diſcant lectores: tantum hic breviter notabo, mercedem promitti filiorum erga patres obſequio probe congruentem: quum bene illis fore pronunciat Deus in hac vita, qui ſe gratos exhibuerint parentibus, per quos eam adepti ſunt.

3. *Super terram.*] Apud Moſen nominatim terra Chanaan exprimitur: quod Judæis extra illam nec felix, nec optabilis vita eſſe poterat: ſed quia in totum orbem hodie effuſa eſt eadem Dei benedictio, merito loci deſignationem omiſit Paulus, quæ ex diſcrimine illo pendebat, quod nonniſi ad Chriſti adventum duravit.

4. *Vos etiam patres.*] Viciſſim hortatur patres, ne immodica ſævitia filios exaſperent. Hinc enim naſcitur odium: ex quo fit demum ut jugum prorſus excutiant. Ideo ad Coloſſenſes additur, Ne deſpon- Coloſſ. 3.
deant animum. Ingenua enim tractatio & moderata verſ. 21.
magis liberos retinet in parentum timore, & obſequendi ſtudium ac alacritatem illis auget. contra durities & illiberalis auſteritas eos ad cootumaciam inflammat, & pios affectus extinguit. Proinde jubet Paulus, humaniter eos foveri. Nam verbum ἐκτρέφειν proculdubio indulgentiam & comitatem ſonat. Rurſus tamen, ne hæc ſit nimium diſſoluta, ut interdum eſſe ſolet, quaſi injecto freno eam contrahit, dicens, *in diſciplina & correptione Domini.* Neque enim ita blandos filiis parentes vult eſſe Deus, ut parcendo corrumpant. Sit igitur comitas temperata, ut contineantur in diſciplina Domini, & corrigantur etiam dum errant. Frequenter enim admonenda eſt ætas illa, ac freno etiam coërcenda oe laſciviat.

5. Servi, obedite dominis ſecundum carnem, cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, tanquam Chriſto:

6. Non quaſi ad oculum ſervientes, tanquam hominibus ſtudentes placere, ſed tanquam ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,

7. Cum

Digitized by Google

7. Cum benevolentia, ſervientes Domino & non hominibus:

8. Scientes quod unuſquiſque quicquid boni fecerit, recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.

9. Et vos domini mutuum officium præſtate erga illos, remittentes minas: ſcientes quod illorum & veſter Dominus eſt in cælis, & non eſt apud eum perſonarum acceptio.

5. *Servi obedite dominis.*] Servis exhortandis ideo magis inſiſtit, quod illorum condiſio, ut eſt moleſta & acerba, ita difficilis eſt ad ferendum. Nec de externis tantum obſequiis concionatur, ſed magis de voluntario timore: quia rariſſimum exemplum eſt ut quis ſe libenter alieno imperio ſubmittat. Porro non loquitur de mercenariis famulis, quales hodie ſunt in uſu: ſed veteribus illis quorum perpetua erat ſervitus, niſi quis domini beneficio manumiſſus foret. quos ſic domini emebant pecunia, ut ad ſordidiſſimas operas abuterentur: adeoque jus haberent in eos vitæ & necis ſibi legibus permiſſum. Tales jubet dominis obedire: ne carnis libertatem Euangelio ſibi partam eſſe ſomnient. Sed quoniam peſſimos etiam quoſque pœnæ timor cogebat, Chriſtianos ſervos ab impiis diſcernit affectu. *Cum timore*, inquit, *& tremore*, hoc eſt, cum ſollicita reverentia, quam efficiet cordis ſimplicitas. Sed quia difficile eſt impetrare ut homini tantum deferant, niſi qua ſuperior neceſſitas eos adſtringat: jubet eos Deum reſpicere. Inde ſequitur, non ſatis eſſe ſi obſequia ſua probent hominum oculis: requirit enim Deus veritatem & ſincerum cordis affectum. Deo autem obtemperare eos teſtatur, quum fideliter ſerviunt dominis: acſi diceret, Nolite putare hominum arbitrio vos in ſervitutem conjectos eſſe: Deus eſt qui vobis hoc oneris impoſuit, qui veſtras operas dominis locavit. Ita qui bona conſcientia ſtudet quod debet domino ſuo reddere, non erga hominem tantum, ſed erga Deum officio ſuo defungitur. *Benevolentiam* opponit obſcuræ indignationi, qua turgent animi ſervorum. nam etſi palam fremere non auſint, nec contumaciæ ſigna dare: adeo tamen indigne ferunt imperium, ut nonniſi invitiſſimi & animo reluctante, dominis pareant. Quiſquis legerit quæ de ſervorum ingenio & moribus paſſim extant in ſcriptis veterum, facile intelliget, quot hic ſunt præceptiones, totidem in illo hominum genere regnaſſe morbos, quibus mederi operæpretium fuerit. Pertinet autem hæc doctrina etiam ad famulos & ancillas noſtri temporis. Deo enim ſemper curæ eſt œconomia, cujus eſt auctor. imo ita colligere debent, quo magis tolerabilis eſt eorum conditio, ſe minus fore excuſabiles, niſi modis omnibus ſtudeant ita ſe gerere quemadmodum hic Paulus jubet. Quod vocat *dominos ſecundum carnem*, mitigat quod potuiſſet eſſe nimis aſperum in ſtatu ſervili. Significat enim manere illis nihilominus intactam libertatem ſpiritualem, quæ præcipue expetenda eſt. ὀφθαλμοδουλείας meminit, quia communis fere ſervorum omnium eſt adulatio: verum ſimulatque terga vertit dominus, contemptu ejus, nec ſine ludibrio laſciviunt. Pios ergo Paulus ab hac fallaci ſimulatione procul remotos eſſe jubet.

8. *Unuſquiſque quicquid boni.*] Præclara conſolatio: quod ſi negotium illis ſit cum ingratis dominis & malignis, Deus acceptum ſibi feret quicquid hominibus, licet indignis, impenderent. Hæc enim cogitatio plerumque ſervos ignaviores reddit, quod dum faſtum & arrogantiam dominorum expendunt, putant ſe operam perdere. Paulus autem docet, apud Deum repoſitam illis mercedem pro officiis quæ male videntur apud homines parum humanos collocari: proinde non eſſe cauſam cur abducantur à recto curſu. Addit, non diſcerni illic inter ſervum & liberum, quod ſoleant eorum labores minoris in mundo æſtimari. Negat igitur ita eſſe apud Deum: ſed eſſe illic pretioſa eorum, non minus quam Regum officia: quia depoſita externa perſona, quiſque ex cordis integritate æſtimabitur.

9. *Et vos domini.*] Quum magnam licentiam permitterent leges dominis: quicquid jure civili uſitatum erat, id ſibi eſſe licitum multi interpretabantur, imo euſque ſævitiæ quidam progrediebantur, ut coacti fuerint Rom. Imperatores eorum cohibere tyrannidem. Quanquam etiamſi nulla Principum edicta ſervis ſuccurrerent, non illis plus concedit Deus, quam patitur charitatis regula. Quum ſumma æquitate temperare volunt Philoſophi nimium in ſervos rigorem, docent utendum eſſe non ſecus ac mercenariis. ſed utilitatem tantum ſequuntur: hoc eſt, quid utile ſit patrifamilias, & quid œconomiæ aptum, conſiderant. Longe aliud principium ſumit hic Paulus. Præſcribit enim quid ſecundum Dei inſtitutionem liceat: & quatenus etiam ſervis ſint debitores. Primo dicit, Eadem facite: pro quo tranſtuli, *Mutuum officium præſtate.* Nam quo ſenſu dixit ad Coloſſenſes, τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα, eodem nunc τὰ αὐτὰ Coloſſ. 4.
poſuit. quorſum autem illud, niſi ut ſervetur jus verſ. 1.
analogum quod vocant? Non eſt quidem æqualis domini & ſervi conditio: ſed eſt tamen aliquod jus mutuum inter eos, quod ſicuti ſervum domino obnoxium reddit, ita viciſſim proportione habita dominium obſtringit aliquatenus ſervo. Iſtam analogiam male homines metiuntur: quia non exigunt ad legem charitatis, quæ ſola vera eſt menſura. Id intellexit Paulus per verbum Eadem: quia omnes propenſi ſumus ad ea exigenda quæ nobis debentur: quum autem viciſſim faciendum eſt officium, nemo eſt qui non conetur ſe eximere. Præſertim vero inter eos regnat ejuſmodi iniquitas qui & plus valent, & honore ſunt ſuperiores. *Remittentes minas.* Contumelias omne genus, quæ manant ex dominorum ſuperbia, uno verbo complectitur: acſi vetaret nimis imperioſe dominari, ut conſpectus eorum ſit formidabilis, acſi ſemper mali aliquid minitarentur quoties ſervos compellant. Minarum enim & omnis atrocitatis hoc initium eſt, quod ſervos domini, quaſi ſua tantum cauſa natos, nihilo pluris faciunt quam pecudes. Ergo ſub una ſpecie vetat ne contumelioſe & atrociter tractentur. *Illorum Dominus & veſter.* Perquam neceſſaria admonitio. ideo enim nihil non audemus in eos qui nobis ſubjecti ſunt, quia neque reſiſtendi facultas illis eſt, neque in jus adeundi poteſtas conceditur, nullus vindex, nullus defenſor apparet, vel etiam qui miſerationis cauſa dignetur querimonias audire. Denique hic accidit quod vulgo dicitur, Impunitatem eſſe matrem licentiæ. Verum hic Paulus admonet, ita præeſſe ſervis dominos, ut habeant communem in cælis Dominum, cui ſit reddenda ratio. *Et non eſt acceptio.* Perſtringunt nobis oculos perſonæ, ut neque jus, neque æquitas locum habeat: ſed Paulus illas coram Deo quicquam valere negat. Perſona eſt quicquid præter cauſæ veritatem in homine reſpicimus in judicando: ut cognatio, forma, nobilitas, divitiæ, amicitia, & quæ ſunt ejus generis, favorem conciliant: quæ contraria ſunt, contemptum afferunt, & aliquando etiam odium. Quoniam in hominum judiciis ut plurimum regnant præpoſteri iſti affectus ex perſonæ intuitu concepti: qui dignitate pollent, ſibi perinde blandiuntur acſi iiſdem corruptelis Deum ſibi propitium habituri eſſent: Quiſnam ille eſt ut rationem ejus habeat Deus, & patrocinium contra me ſuſcipiat? Ex adverſo hic Paulus aſſerit falli dominos, ſi putant ſervos ſuos coram

ram Deo viles aut nihili fore, quia tales ſint coram mundo. nam Deo curæ non eſſe perſonas, nec hominis abjectiſſimi cauſam pilo deteriorem fore quam ſummi Principis.

10. Quod ſupereſt, fratres mei, ſitis fortes in Domino, & in robore potentiæ ipſius.
11. Induite totam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.
12. Quia non eſt nobis lucta adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus mundanos principes tenebrarum ſeculi hujus, adverſus ſpirituales malitias in cæleſtibus.
13. Quapropter aſſumite totam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare.

10. *Quod ſupereſt.*] Iterum ad generales exhortationes redit: ac primum quidem jubet eos *fortes eſſe*, vel colligere animum & robur. quia ſemper multa ſunt quæ nos debilitent: & nobis ad reſiſtendum parum animi ſuppetit. Sed quia in hac noſtra infirmitate frigida eſſet exhortatio, niſi Dominus adeſſet, manumque porrigeret ad opem ferendam, imo niſi totam virtutem ſuppeditaret: addit *in Domino.* acſi diceret, Non eſt quod reſpondeatis, deſtitui vos facultate: tantum requiro ut in Domino ſitis fortes. Ac etiam explicationis cauſa mox ſubjicit *robur potentiæ.* quæ additio ad fiduciam augendam valet: præſertim quum auxilium quod Deus ſolet præſtare fidelibus, illuſtret. Nam ſi Dominus non vulgari potentia ſuis opitulatur, non eſt quod hæſitemus in pugna. Sed dicet quiſpiam, Quorſum attinebat præcipere Epheſiis ut Dei virtute fortes eſſent, quod certe non erat in eorum manu? Reſpondeo, duo hic membra conſideranda eſſe. nam ad fortitudinem eos hortatur: deinde quia in ſeipſis deficiunt, admonet petendum eſſe à Domino quod non habent: & ſimul promittit, expoſitam illis fore Dei virtutem, ſi eam expetant.

11. *Induite totam armaturam.*] Deus non uno auxilii genere nos munire paratus eſt: modo ne impigri ſimus ad ſumendum quod nobis offert. Sed in eo peccamus fere omnes, quod oblata nobis gratia perfunctorie & oſcitanter utimur. quemadmodum ſi miles, ubi conferendæ ſunt manus cum hoſte, galeam ſumat, clypeum negligat. Hanc ſecuritatem, vel potius ignaviam ut corrigat Paulus, ſimilitudinem mutuatur à re militari: ac jubet nos totam Dei armaturam induere. quo ſignificat debere nos omni ex parte inſtructos eſſe, ne quid nobis deſit. Arma ad propulſandos omnes inſultus nobis offerùntur à Domino: reſtat ut in uſum noſtrum ea accommodemus, non relinquamus de tigno aut pariete ſuſpenſa. Quo autem nos vigilantiores reddat, non tantum aperto Marte pugnandum eſſe admonet: ſed nobis cum hoſte vafro & aſtuto negotium eſſe, qui clam per inſidias nos adoriatur. Id enim valet nomen *μεθοδείας*, quo utitur.

12. *Non eſt nobis lucta.*] Periculum adhuc magis exprimit, dum hoſtis naturam docet, & comparando amplificat, quum dicit, *Non adverſus carnem & ſanguinem.* Significat enim multo plus eſſe difficultatis, quam ſi adverſus homines pugnandum foret. Illic enim humanis viribus reſiſtitur, gladius opponitur gladio, homo cum homine confligit, vis vim, ars artem excipit: ſed hic alia eſt ratio: nam hoſtes ſunt quos nulla humana virtus ſuſtinere queat. hæc ſumma eſt. Cæterum per carnem & ſanguinem homines intelligit. ideo autem ſic nominat, ut ſit antitheſis inter eos & ſpirituales aſtutias: acſi diceret, non eſt nobis corporalis lucta. Hujus ſententiæ nobis venire in mentem debet quoties provocati hominum injuriis, ſollicitamur ad ultionem. Nam quum toto impetu nos ferat natura in ipſos homines: quaſi freno injecto cohibebitur præpoſtera illa cupiditas, ſi conſideremus homines ipſos qui nobis moleſti ſunt, nihil aliud eſſe quam jacula ex Satanæ manu emiſſa: in quibus frangendis dum occupamur, ad omnes interea ictus ſumus expoſiti. Ergo ſine profectu, adeoque cum magna noxa luctabimur adverſus carnem & ſanguinem. recta petendus eſt hoſtis ille qui ex abdito nos invadit & vulnerat: imo qui antequam videatur, occidit. Verum revertamur ad Paulum. Hoſtem formidabilem nobis proponit: non ut metu nos exanimet, ſed potius ut diligentiam acuat & ſollicitudinem. nam aliquid medium eſſe oportet. Facit ut plurimum neglectus hoſtis, ut opprimamur propter ſocordiam: rurſum terror nobis cor adimit, ut victi ſimus, etiam adhuc intacti. Paulus de potentia hoſtis loquendo, ita nos commovet, ut reddat acriores. Prius diabolum nominaverat: nunc pluribus epithetis eum inſignit, unde intelligant lectores, quam non ſit hoſtis ille contemnendus. *Principatus & poteſtates* nominat, ad incutiendum terrorem, non quo dejiciamur, ut dixi: ſed quo excitemur ad cavendum. Poſtquam vocavit *κοσμοκράτορας*, hoc eſt, mundi principes, explicandi cauſa addit, *tenebrarum ſeculi.* ſignificat enim diabolum ideo regnare in mundo, quia nihil ſit aliud mundus quam tenebræ: unde ſequitur, mundi corruptelam locum dare regno diaboli. Neque enim ſedem haberet in pura & integra Dei creatura. ſed totum eſt ab hominum vitio. Per Tenebras autem deſignari infidelitatem & Dei ignorantiam una cum fructibus, ſatis notum eſt. Quia ergo tenebræ occupant totum mundum, ideo princeps mundi diabolus. Quum appellat *malitias*, non modo taxat malignum & pravum diaboli ingenium: ſed admonet, ſedulo excubandum eſſe ne circumveniamur. Quo etiam pertinet adjectivum *ſpirituales.* nam ab hoſte inviſibili majus eſt periculum. Habet præterea emphaſim particula quæ ſequitur, *in cæleſtibus.* eo enim plus nobis eſt negotii ac moleſtiæ, quod ex loco ſuperiore nos aggrediuntur & oppugnant: adeoque cervicibus noſtris imminent. Quod autem hoc teſtimonio abuſi ſunt olim Manichæi ad probandum ſuum de duobus principiis delirium, facile refellitur. Fingebant diabolum quendam eſſe *ἀντίθεον*, in quo ſubigendo juſtus Deus multum ſudaret. At Paulus non tribuit hic diabolis principatum quem ſibi invito Deo uſurpent, quem eodem contra nitente exerceant: ſed quem Deus juſta vindicta illis adverſus impios concedit, ut paſſim docet Scriptura. Neque enim hic diſputat, quid adverſus Deum valeant, ſed quam nobis debeant eſſe formidoloſi, ut ſimus ad cavendum ſolliciti. Nihil etiam juvantur his verbis qui mediam aëris regionem à diabolo creatam eſſe, & poſſideri ſomniarunt. neque enim certos fines illis aſſignat Paulus quos ſua ditione obtineant: ſed tantum indicat, illos in conflictu, etiam loco eſſe ſuperiores.

13. *Quapropter aſſumite.*] Non concludit abjiciendas eſſe haſtas, quia tantum ſit in hoſte potentiæ: ſed animos colligendos ad repugnandum. Quanquam exhortatio ſimul victoriæ promiſſionem continet. nam dicendo, *ut poſſitis*, innuit certo nos ſtaturos, ſi modo armis Dei induti, alacriter pugnemus, idque uſque ad finem: poſſet enim alioqui nos frangere certaminum multitudo & varietas. Ideo dicit, *in die malo, & omnibus peractis.* Ac priore quidem voce tam eorum ſecuritatem excitat, ut ſe ad

duros

duros conflictus & moleſtiarum ac diſcriminis plenos compararent: quam eos ſpe victoriæ animat, quia etiam in extremis periculis ſuperiores futuri ſint. Altero autem membro fiduciam hanc extendit ad totum vitæ curſum. Nullum ergo erit tantum diſcrimen, cui non prævaleat Dei virtus: nec in medio ſtadio deficient qui ea inſtructi adverſus Satanam bellabunt.

14. State igitur, ſuccincti lumbos veritate, & induti thoracem juſtitiæ,

15. Et calceati pedes præparatione Euangelii pacis:

16. In omnibus aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia tela maligni ignita extinguere.

17. Et galeam Salutaris accipite, & gladium Spiritus, qui eſt verbum Dei:

18. Per omnem precationem & orationem omni tempore precantes in Spiritu, & in hoc ipſum vigilantes, cum omni aſſiduitate & deprecatione pro omnibus ſanctis:

19. Et pro me, ut mihi detur ſermo in apertione oris mei cum fiducia, ut patefaciam myſterium Euangelii:

20. Pro quo legatione fungor in catena: ut confidenter me geram in eo, quemadmodum oportet me loqui.

14. *State igitur.*] Nunc quæ ſint arma illa quæ induere juſſerat, deſcribit. Neque tamen adeo ſcrupuloſe exquirenda eſt uniuſcujuſque nominis ratio: quia ſatis habuit ſi tantum alluderet ad habitum militarem. Proinde frivola eſt eorum curioſitas qui multum operæ in eo ſumunt, ut reperiant cur potius juſtitia thorax ſit quam baltheus. Conſilium enim Pauli fuit, ea breviter attingere quæ præcipue requiruntur in homine Chriſtiano: & ea aptare ſimilitudini prius adductæ. *Veritatem*, quo vocabulo intelligit ſincerum animum, baltheo comparat. Erat autem baltheus olim in ornatu militari una ex præcipuis partibus. Interim tamen ad fontem ſinceritatis reſpicit: quia nos Euangelii puritas omnibus fallaciis purgare, & fucos omnes abſtergere ex cordibus noſtris debet. Secundo commendat juſtitiam, & vult eſſe loco thoracis ad pectus muniendum. De juſtitia gratuita, aut imputatione juſtitiæ quæ peccatorum remiſſione conſtat, hic à quibuſdam, meo judicio, intempeſtive mentio ingeritur. nam de vitæ innocentia agit Paulus. Integritate igitur primum, deinde pia & ſancta vita vult eſſe ornatos.

15. *Calceati.*] Alludit (niſi fallor) ad caligas militares: nam hæ quoque inter arma cenſebantur, quorum nullus domi uſus erat. Senſus eſt, Quemadmodum milites adverſus frigus & alias noxas crura tegebant ac pedes: ſic Euangelio nos oportere eſſe calceatos, quo illæſi hunc mundum tranſeamus. *Euangelium pacis* cur dicat, non obſcurum eſt: nempe ab effectu, quia legatio eſt noſtræ cum Deo reconciliationis, quæ ſola pacatas reddit conſcientias. Sed quid ſibi vult nomen Præparationis? Alii exponunt, præcipi ut ad Euangelium parati ſimus. Ego autem hunc quoque Euangelii effectum eſſe interpretor, quod parati tam ad iter faciendum quam ad militiam ſimus, impedimentis omnibus ſoluti. Natura enim tardi ſumus, & parum agiles: exadverſo viæ aſperitas & multa obſtacula nos morantur, minima offenſa nos debilitat. His Paulus opponit Euangelium tanquam optimum ſuſcipiendæ & peragendæ expeditionis inſtrumentum. Ergo non ſatis commode Eraſmus periphraſin adhibuit, Ut ſitis parati.

16. *Aſſumpto ſcuto fidei.*] Quum unum ſint fides & verbum Dei, Paulus tamen duo illis officia aſſignat. Unum eſſe dico, quia verbum, objectum eſt fidei: nec aliter in uſum noſtrum applicari poteſt, quam per fidem. ſicuti rurſum nihil eſt fides & nihil poteſt ſine verbo. Sed Paulus neglecto tam ſubtili diſcrimine, de ſpirituali armatura libere loqui ſibi permiſit. Nam & prioris ad Theſſalonicenſes 5. v. 8. thoracis nomen fidei & charitati communiter adſcribit. Unde apparet, nihil aliud voluiſſe dicere, quam probe munitum eſſe omnibus partibus, quiſquis iſtis quas nominat virtutibus præditus erit. Non abs re autem quæ præcipua ſunt pugnandi inſtrumenta, fidei & verbo Dei comparat: gladium ſcilicet ac ſcutum. Nam certe in pugna ſpirituali hæc duo primas tenent: nempe quia fide repellimus omnes diaboli inſultus: verbo autem Dei hoſtis ipſe prorſus conficitur. hoc eſt, Si in nobis verbum Dei efficax per fidem erit, ſatis ſuperque armati erimus tam ad repellendum quam ad profligandum hoſtem noſtrum. Qui autem eripiunt Chriſtiano populo verbum Dei, quid aliud agunt quam quod neceſſariis armis ſpoliant, ut ſine conflictu pereat? Nemo enim eſt cujuſvis ordinis, quem non oporteat militem eſſe Chriſti. Porro militare inermes ac gladio deſtituti qui poterimus? *Poſſitis tela omnia.* Improprie loquitur: debuerat enim potius uti verbo Excipiendi, vel Diſcutiendi, vel ſimili aliquo. Verum plus expreſſit quum dixit *extinguere:* reſpexit enim ad epithetum quod jam poſuerat. acſi dixiſſet, Non modo acuta ſunt & penetrabilia Satanæ tela: ſed quod magis exitiale eſt, etiam ignita. Ac fides non modo ad retundendum acumen, ſed ad reſtinguendum etiam ardorem ſufficiet. Hæc enim victoria eſt quæ vincit mundum, ut inquit Joannes. 1 *Joan.* 5. *verſ.* 4.

17. *Et galeam Salutaris.*] Ad Theſſalonicenſes, illo quod nunc citavi capite, galeam nominat Spem ſalutis: quod eodem ſenſu dictum accipio. Caput enim optima galea munitum eſt, quum ſpe erecti ſuſpicimus in cælum ad illud Salutare quod nobis promiſſum eſt. Ergo non aliter Salutare nobis eſt galea, quam ſperando.

18. *Per omnem precationem.*] Poſtquam arma induit Epheſiis, precibus eos certare docet. Atque hæc veriſſima eſt ratio. nam invocatio Dei præcipuum eſt exercitium fidei & ſpei: eadem eſt quæ à Deo impetrat quicquid eſt bonorum. Precatio autem & oratio parum differunt, niſi quod illa eſt tanquam ſpecies, hæc autem genus. Commendat autem in orando perſeverantiam, quum dicit, *In omni aſſiduitate.* hoc enim verbo admonet, ne defatigemur inſtandum eſſe alacri animo: infracto ſtudio continuandas eſſe preces, ſi non ſtatim conſequamur quod volumus. Sicui magis placet Sedulitas, non repugno. Sed quid ſibi vult *omni tempore?* an bis idem repetit, quum jam de continuo ſtudio egiſſet? Non ita ſentio: verum ubi rebus proſpere fluentibus quieti ſumus ac læti, nulla fere precandi cogitatio nos ſollicitat: imo nunquam ad Deum, niſi malis coacti, confugimus. Nullum ergo tempus elabi vult Paulus quo intermittamus precandi memoriam. Ita In omni tempore, perinde valet atque tam ſecundis rebus quam adverſis. *Pro omnibus ſanctis.* Nullum eſt momentum quo non incitare ad orandum nos debeat propria inopia: ſed alia eſt etiam ratio ſine intermiſſione orandi, quia fratrum neceſſitates tangere nos debent. quod autem erit tempus quo non laborent aliqua Eccleſiæ membra, & ope noſtra indigeant? Proinde ſiquando ſumus ad orandum frigidi, aut negligentiores quam par ſit, propterea quod nulla nos præſens neceſſitas urgeat: in mentem nobis protinus veniat quam multi ſint fratres noſtri qui ſub

variis & graviſſimis ærumnis fatiſcunt, qui ſummis animi anguſtiis premuntur, qui ad extremum malorum ſunt redacti. Valde ferreos eſſe nos oportebit, niſi excutiatur nobis ille torpor. Quæret hic quiſpiam an pro ſolis fidelibus ſit orandum. Reſpondeo, Paulum ita commendare Epheſiis pios, ut tamen alios non excludat: neque tamen dubium eſt quin ſicuti in aliis charitatis officiis, ita in precibus prima debeat eſſe cura ſanctorum.

19. *Et pro me.*] Peculiariter ſui memores in precibus Epheſios eſſe jubet: unde colligimus neminem tanta donorum affluentia pollere, qui non opus habeat tali fratrum ſubſidio, quamdiu in hoc mundo degit. Quis enim hac neceſſitate potius eximetur quam Paulus? & tamen fratrum preces implorat: neque id per ſimulationem, ſed quia ſerio cuperet adjuvari. Nunc audiamus quid ſua cauſa peti velit: nempe ut ſibi detur apertio oris. Quid ergo? an obmuteſcebat, vel metu impediebatur à confeſſione Euangelii? Minime: ſed metuendum erat ne præclare exorſus, in poſterum deficeret. Adde quod tanto zelo ardebat aſſerendi Euangelii, ut ſibi nunquam ſatisfaceret. Et ſane ſi reputemus quæ ſit negotii dignitas & magnitudo, longe impares nos omnes eſſe fatebimur. Ideo poſtea adjungit, *Quemadmodum oportebat me loqui:* ſignificans opus eſſe raræ virtutis, Euangelio teſtimonium reddere quale oportet. Expende autem ſingula verba. Dicit, *cum fiducia:* quo ſignificat timorem obſtare noſtræ libertati quominus pleno ore & intrepida lingua prædicemus Chriſtum. contra autem, liberam & minime fucatam confeſſionem à Chriſti miniſtris requiri. Neque enim optat aſtute reſpondendi, vel potius cavillandi ſibi dari facultatem: ut ambagibus adverſarios eludat. Os apertum cupit, quod erumpat in liquidam & firmam confeſſionem. Ore enim ſemiclauſo proferuntur ambigua & perplexa reſponſa. Ergo, *in apertione oris:* hoc eſt, tanta libertate, quæ nullam formidinem ſapiat. Sed videtur hoc incredulitatis ſignum fuiſſe in Paulo, quod quaſi de conſtantia ſua dubitans, aliorum interceſſionem implorat. Non ita eſt: neque enim alienum à Dei voluntate remedium quærit, aut ejus verbo minus conſentaneum, quod faciunt increduli: ſed tantum iis ſubſidiis nititur quæ ſibi à Domino conceſſa, adeoque promiſſa & commendata eſſe videt. Jubet Dominus ut alii viciſſim pro aliis orent fideles. Hinc ad ſingulos redit non exigua conſolatio, quod ſalutis ſuæ curam reliquis mandari audiunt: & habent auctorem Deum, ut ſciant, non fruſtra pro ſe, ab aliis fundi preces. An fas eſſet recuſare quod illis offertur à Domino? Sufficere quidem hoc debebat, quod certus eſt unuſquiſque ex Dei promiſſione, ſe, quoties oraverit, exauditum iri. Verum ſi ad cumulum ſuæ liberalitatis hoc quoque addere Deus voluerit, alios pro nobis precantes ſe exauditurum: an repudianda foret iſtæc ejus liberalitas? ac non potius obviis ulnis avide amplectenda? Meminerimus ergo, Paulum non diffidentia vel dubitatione impulſum confugere ad fraternas interceſſiones: ſed ideo cupide eas expetere, quia nihil quod ſibi à Domino datum eſſet, prætermittere volebat. Ridiculi ergo Papiſtæ, qui ex hoc Pauli exemplo colligunt mortuos eſſe invocandos. Nam Epheſiis Paulus ſcribebat, quibuſcum illi erat ea quam dixi communicatio. Nos quid commercii habemus cum mortuis? Perinde eſt acſi dicerent, vocandos eſſe ad epulas noſtras & convivia Angelos, quia ejuſmodi officiis fovetur inter homines charitas.

21. Ut autem ſciatis vos etiam quæ circa me aguntur, quid faciam, omnia vobis patefaciet Tychicus dilectus, frater & fidelis miniſter in Domino.

22. Quem miſi ad vos in eum finem ut ſtatum meum cognoſceretis, & conſolaretur corda veſtra.

23. Pax fratribus, & dilectio cum fide à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.

24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in ſinceritate. Amen.

Ad Epheſios miſſa fuit è Roma per Tychicum.

21. *Ut autem ſciatis.*] Rumoribus vel dubiis vel falſis plerumque turbari ſolent non modo infirmi, ſed etiam graves alioqui & conſtantes. hoc periculum antevertit Paulus, *Tychicum* mittendo, qui de omnibus certiores faceret Epheſios. In quo animadvertenda eſt pia ſollicitudo quam habebat Paulus de Eccleſiis. Nam quum mors illi aſſidue obverſaretur ante oculos: neque metus mortis, neque ſui cura ipſum impediebat quominus etiam remotiſſimis quibuſque conſuleret. Diceret alius, ſibi plus ſatis circa ſe eſſe negotii: potius debere omnes ad opem ſibi ferendam accurrere, quam à ſe vel minimum quicquam levationis expectare. Non ita Paulus: ſed mittit quaquaverſum qui Eccleſias à ſe fundatas confirment. Tychicum laudat, quo plus fidei adhibeatur ejus dictis. Dubium tamen eſt, quum *miniſtrum in Domino fidelem* eum appellat, de publicone Eccleſiæ miniſterio, an de obſequiis privatim ſibi exhibitis loquatur. Dubitationem facit quod hæc duo conjungit ſimul, Dilectus frater, & Miniſter fidelis. prius refertur ad Paulum: ideo de ſecundo idem videri queat. Ego tamen de publico miniſterio potius interpretor: quia mihi veriſimile eſt, non quemvis hominem à Paulo fuiſſe miſſum, ſed qui aliquid haberet dignitatis ad movendos ſua præſentia Epheſios.

23. *Pax fratribus.*] Pacis nomen accipio, ut in ſalutationibus, pro felici rerum ſucceſſu. Quanquam ſiquis malit ſignificari concordiam, quia mox fit dilectionis mentio: neque id diſplicet: imo videtur melius fluere contextus. Optat enim concordes inter ſe & tranquillos eſſe Epheſios: quod benevolentia & fidei conſenſu poſſe obtineri, ſtatim ſignificat. facit enim amor ut ſe in pace contineant homines: amorem mutuo conciliat fides, ejuſque vinculum eſt. Cæterum ex precatione notandum eſt, tam fidem & dilectionem, quam pacem ipſam, Dei eſſe dona quæ nobis per Chriſtum largitur: imo Chriſtum una cum Patre, eorum eſſe auctorem.

24. *Gratia cum omnibus.*] Senſus eſt, Deus proſequatur eos omnes favore ſuo qui Jeſum Chriſtum pura conſcientia diligunt. Græca vox, quam ego, Eraſmum ſequutus, tranſtuli *ſinceritatem*, Incorruptionem ſonat. quod propter metaphoræ elegantiam notandum eſt: ſubindicare enim voluit Paulus, tunc demum omni corruptela fore vacuum cor hominis, ſi omni hypocriſi vacet. Porro hæc precatio vice oraculi habenda eſt, ut Deum nobis tunc fore propitium ſciamus, ſi corde ſincero diligamus Filium ejus, in quo dilectionis erga nos ſuæ teſtimonium ac pignus nobis exhibuit: modo abſit hypocriſis, quia major pars ab Euangelii profeſſione non abhorrens, umbratilem ſibi Chriſtum fingit, quem fucatis tantum officiis colat. atque utinam hodie non tam multis exemplis teſtatum foret, non fruſtra in Chriſti amore à Paulo requiri ſinceram puritatem.

IN

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES

ARGUMENTUM.

PHilippos urbem eſſe Macedoniæ, ſitam io Thraciæ finibus, ſatis notum eſt: in cujus campis victus à Cæſare fuit Pompeius: deinde ab Aotonio & Octavio Brutus & Caſſius. Ita Romanæ ſeditiones locum duobus memorandis præliis celebrem reddiderunt. Quum Paulus oraculo in Macedo- *Act. 16.*
oiam accitus eſſet, in ea primum urbe Eccleſiam fundavit, quemadmodum refert in Actis Lucas: *verſ. 16.*
qnam non modo conſtanter in fide perſtitiſſe, ſed etiam temporis ſucceſſu, & homioum numero, & virtutum profectu auctam fuiſſe, teſtis eſt hæc Epiſtola. Porro hæc ad Philippenſes ſcribendi Paulo ratio fuit. Quum per Epaphroditum paſtorem ſuum illi miſiſſent quæ vincto ad vitam tolerandam alioſque extraordinarios ſumptus opus erant: nnn dubium eſt quin Epaphroditus totum ei ſimul ſtatum Eccleſiæ expoſuerit, monitorque fuerit ad ea ſuggerenda de quibus monendi forent. Apparet autem, à pſeudoapoſtolis qui tunc paſſim ad ſpargendas ſanæ doctrinæ corruptelas oberrabant, fuiſſe tentatos: ſed quia io veritate perſtiterant, laudat Paulus eorum conſtantiam. Cæterum memor humaoæ fragilitatis, & fortaſſe monitus ab Epaphroditn mature eſſe coofirmaodos, ne demum labaſcerent: admooitiooes adjungit quales illis convenire noverat. Ac primum quidem de pio erga illos animi ſui affectu teſtatus, quo fidem ſibi conciliet, de ſe ac ſuis vinculis tractat: ne fractiore ſint animo, quia illum captum,& de vita periclitari vident. Oſtendit igitur, adeo nihil inde mioui Euangelii gloriam, ut potius argumentum ſit confirmationis: ac ſimul eos exemplo ſun incitat, ut parati ſint ad omnia. Tandem brevi ad unitatem & patientiam exhortatione caput primum claudit. Quia autem ambitio fere perpetua eſt diſcordiarum mater, unde ſit ut januam patefaciat novis & alienis doctrinis: initio ſecundi capitis vehementius eos obteſtatur, ut nihil prius habeant humilitate & modeſtia. ad id pluribus utitur argumentis. Et quo melius eos retioeat, Timotheum ſe illis brevi miſſurum promittit: imo ſpem quoque facit ſui adventus. poſtea excuſat moram Epaphroditi. Tertio capite in pſeudoapoſtolos invehitur, refellitque tam inanes eorum jactantias, quam Circumciſionis doctrinam quam urgebant. omnibus illorum commentis opponit unum Chriſtum: arrogantiæ, tam priorem ſuam vitam quam præſens inſtitutum, io quo relucebat vera imago Chriſtianæ pietatis. Et hunc perfectionis noſtræ ſcopum eſſe admonet, quo 'enitendum ſit tota vita: communicationem habere cum Chriſtn mortis & reſurrectionis: ſuoque exemplnid comprobat. Quartum caput à particularibus monitis incipit: ſed mox ad generalia deſcendit. Epiſtolam vero claudit ſuæ erga Philippenſes gratitudinis teſtimonin; ne putent male collocatum quod ad ſublevandam ejus inopiam erogaverant.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

PAulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis.

2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri,

4. Semper in omni precatione mea pro vobis omnibus cum gaudio precationem faciens,

5. Super communicatione veſtra in Euangelium, à primo die hucuſque:

6. Hoc ipſum perſuaſus, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Jeſu Chriſti.

1. P*Aulus* &c.] Quum titulos inſcribere ſoleat Paulus ad fidem ſibi ſuoque miniſterio aſtruendam: non fuit opus longioribus elogiis apud Philippenſes, qui eum experti erant verum Chriſti Apoſtolum, & adhuc ſine controverſia agnoſcebant. Nam conſtanter & æquabili tenore in vocatione Dei perrexerant. *Epiſcopis*. Paſtores ſeorſum nominat bonoris cauſa. Porro colligere binc licet nomen Epiſcopi omnibus verbi miniſtris eſſe commune, quum plures uni Eccleſiæ Epiſcopos attribuat. Sunt igitur ſynonyma Epiſcopus & Paſtor. Atque bic locus ex iis unus eſt quos Hieronymus ad illud probandum citat in Epiſtola ad Euagrium, & in expoſitione Epiſtolæ ad Titum. Poſtea invaluit uſus, ut quem ſuo collegio præficiebant in ſingulis Eccleſiis Presbyteri, Epiſcopus vocaretur ſolus. id tamen ex bominum conſuetudine natum eſt, Scripturæ auctoritate minime nititur. Fateor quidem, ut ſunt bominum ingenia & mores, non poſſe ordinem ſtare inter verbi miniſtros, quin reliquis præſit unus. De ſingulis corporibus loquor: non de totis provinciis, multo autem minus de orbe univerſo. Verum quanquam de verbis non eſt litigandum: præſtaret tamen Spiritum ſanctum linguarum auctorem in loquendo ſequi, quam formas loquendi ab ipſo poſitas in deterius mutare. Nam ex corrupta verbi ſignificatione boc mali ſequutum eſt, quod perinde acſi non eſſent omnes Presbyteri collegæ, ad eandem vocati functionem, unus ſibi prætextu novæ appellationis dominium in alios arripuit. *Diaconis*. Poteſt bifariam accipi hoc nomen: vel pro miniſtris & curatoribus pauperum: vel pro Senioribus qui conſtituebantur ad mores regendos. Sed quoniam uſitatius eſt in priore ſenſu apud Paulum: potius intelligo œconomos, qui diſtribuendis eleemoſynis & recipiendis præerant. Reliqua pete ex ſuperioribus Commentariis.

3. *Gratias ago.*] Incipit à gratulatione, ob duas cauſas: ut hoc argumento ſuam erga Philippenſes dilectionem probet: deinde ut præterita laudando, in poſterum quoque ad pergendum eoſdem hortetur. Alterum etiam amoris ſui ſignum ponit, ſollicitudinem quam exerebat in precationibus. Notandum autem quod quoties de rebus lætis facit mentionem, protinus in gratiarum actionem erumpit. quæ conſuetudo nobis quoque familiaris eſſe debebat. Notandum ſimul quibus de rebus agat Deo gratias: nempe de communicatione Philippenſium in Euangelium Chriſti. Inde enim ſequitur, Dei gratiæ acceptam ferri debere. Quum dicit, *in omni memoria veſtri*, hoc ſignificat, Quoties veſtri recordor, &c.

4. *Semper in omni precatione.*] Sic connecte verba, Semper faciens pro vobis omnibus precationem in omni mea precatione. Nam quemadmodum prius dixerat, ipſorum recordationem ſibi materiam eſſe gaudii: ita nunc ſubjungit, ſibi venire ipſos in mentem quoties precatur. Poſtea addit, ſe cum gaudio pro illis precationem facere. *Gaudium* ad præteritum tempus refertur, precatio ad futurum. Gaudebat enim felicibus initiis, perfectionem vero optabat. Ita ſemper acceptis Dei beneficiis gaudere nos decet: ut quæ nobis adhuc deſunt, ab ipſo petere meminerimus.

5. *Super communicatione.*] Nunc omiſſo altero membro, quale ſit ſuum gaudium commemorat: nempe quod in Euangelii communicationem pervenerant: hoc eſt, participes facti erant Euangelii: quod fide ſcilicet fieri notum eſt. nihil enim ad nos Euangelium, ut eo potiamur, donec fide à nobis receptum fuerit. quanquam nomen Communicationis, ad communem ſanctorum ſocietatem referri poteſt: acſi diceret, aggregatos fuiſſe omnibus Dei filiis in Euangelii fidem. Porro quum dicit, *à primo die*, promptitudinem eorum laudat, quod ſtatim ſe dociles præbuerint ſimulatque propoſita illis fuit doctrina. Particula *hucuſque*, notat perſeverantiam. Scimus autem quam raræ ſit virtutis, Deum vocantem mox ſequi, & conſtanter uſque in finem pergere. Multi enim tardi ſunt & difficiles ad obediendum, plures levitate & inconſtantia deficiunt.

6. *Hoc ipſum perſuaſus.*] Ad argumentum gaudii accedit fiducia in reliquum vitæ tempus. Sed dicat quiſpiam, Quid in tanta naturæ imbecillitate, inter tot impedimenta, ſalebras, præcipitia, ſibi de craſtino

ſtino polliceri auſint homines? Sane hanc fiduciam noo de bominum conſtantia aut virtute colligebat Paulus: ſed tantum ex eo quod Deus ſuum erga Philippenſes amorem declaraverat. Atque omnino hæc vera eſt beneficiorum Dei recognitio, quum ex illis in poſterum bene ſperandi materiam concipimus. Nam quum teſtimonia ſint tum bonitatis ejus, tum etiam paternæ erga nos benevolentiæ: cujus ingratitudinis foret, nullam inde ſpei & boni animi confirmationem capere? Adde quod Deus hominum ſimilis non eſt, qui fatigetur benefaciendo, vel exhauriatur. Ergo aſſidua beneficiorum Dei meditatione ſe exerceant fideles, quo ſpem futuri temporis foveant & confirment: ac ſemper bunc ſyllogiſmum
Pſal. 138. verſ. 8. ſecum reputent, Deus opus manuum ſuarum inchoatum non deſerit, teſte Propheta: nos opus ſumus
Jeſa. 64. verſ. 8. manuum ejus: ergo quod in nobis cœpit, perficiet. Quum dico nos eſſe opus manuum ejus, non de creatione ſola accipio: ſed de vocatione qua ſumus adoptati in filios. Eſt enim nobis electionis noſtræ ſignum, quod Dominus efficaciter nos Spiritu ſuo ad ſe vocaverit. Quæritur tamen hic, numquis de aliorum ſalute certus eſſe poſſit. nam Paulus hic non de ſe, ſed de Philippenſibus loquitur. Reſpondeo, longe aliam cuique de propria ſalute certitudinem eſſe, quam de aliena. Mihi enim Spiritus Dei, vocationis meæ teſtis eſt, ſicuti ſingulis electis: de aliis non habemus teſtimonium, niſi ab externa Spiritus efficacia, hoc eſt, quatenus ſe gratia Dei uſque ad noſtram notitiam in illis exerit. magnum ergo diſcrimen eſt: quia intus manet incluſa fidei certitudo, neque ad alios ſe diffundit. Sed ubicunque cernimus quæcunque divinæ electionis indicia apprehendi à nobis poſſunt, protinus ad bonam ſpem excitari nos oportet: tam ne ſimus in proximos maligni, eoſque æquo & bumano charitatis judicio fraudemus, quam ut Deo grati ſimus. Hæc autem generalis eſt tam in nobis quam in aliis regula, ut de viribus noſtris diffiſi, ab uno Deo toti pendeamus.

Uſque in diem Jeſu Chriſti.] Præcipuum quidem eſt ut intelligas, uſque ad finem certaminis: certamen vero morte finitur. Sed quia ſic de ultimo Chriſti adventu Spiritus in Scripturis loqui ſolet, melius erit extendere progreſſum gratiæ Dei uſque ad carnis reſurrectionem. Tametſi enim qui ex corpore mortali ſunt liberati, non amplius militent cum carnis concupiſcentiis, ſintque extra teli jactum, ut aiunt: tamen nihil erit abſurdi, ſi dicantur eſſe in profectu: quia nondum pertigerunt quo aſpirant, nondum potiuntur felicitate & gloria quam ſperarunt, denique nondum illuxit dies qui revelet abſconditos in ſpe theſauros. Atque adeo quum de ſpe agitur, ſemper ad bearam reſurrectionem, tanquam ad ſcopum, referendi ſunt oculi.

7. Sieuti juſtum eſt mihi, hoc de vobis omnibus ſentire, propterea quod in eorde vos habeam, eſſe omnes partieipes gratiæ meæ, & in vineulis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelii.
8. Teſtis enim mihi eſt Deus ut deſiderem vos omnes in viſceribus Jeſu Chriſti.
9. Et hoc preeor, ut charitas veſtra adhue magis ae magis abundet eum agnitione, omnique intelligentia:
10. Ut probetis quæ utilia ſunt, quo ſitis ſinceri & inoffenſi uſque in diem Chriſti,
11. Impleti fructibus juſtitiæ, qui ſunt per Jeſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei.

7. *Sicuti juſtum eſt.*] Maligni enim ſumus donorum Dei interpretes, niſi eos habemus pro filiis Dei in quibus vera pietatis ſigna emicant, quibus notis Spiritus adoptionis ſe profert. Dicit ergo Paulus hoc ſibi æquitatem ipſam dictare ut de Philippenſibus bene in perpetuum ſperet, quos ſibi in participationem gratiæ adjunctos eſſe cernit. Ego non temere huoc locum aliter tranſtuli quam Eraſmus: quod prudens lector facile animadvertet. Nam commemorat quale habeat de Philippenſibus judicium: quæ illi cauſa erat bene ſperandi. Dicit igitur, illos conſortes eſſe ejuſdem gratiæ, *in vinculis & defenſione* Euangelii. *In corde habere*, eſt intimo cordis affectu eos tales reputare. Semper enim pro viribus adfuerant Philippenſes Paulo, ut ſe illi ad ſuſtinendam Euaogelii cauſam, quoad licebat, comites adjungerent. Ita, quamvis abeſſent corpore, tamen propter pium affectum quem teſtati fuerant quibuſcunque poterant officiis, ſecum vinctos agnoſcit. Habeo igitur vos in corde; hoc eſt, ſincere ac citra ſimulationem, certo non levi aut dubia opinione. Quales? *Socios gratiæ.* qua in re? *In vinculis*, quibus defeoditur Euangelium. Tales quum agooſceret, æquum etat de illis bene ſperare.

Gratiæ meæ, & in vinculis.] Ridiculum boc eſſet coram mundo, carcerem deputare in Dei beneficio. at ſi vere æſtimamus, bonor eſt non vulgaris quo nos Deus dignatur, quum pro ejus veritate perſequutio-
Mat. 5. verſ. 11. nem patimur. Neque enim fruſtra dictum eſt, Beati eritis quum vos probris omnibus affecerint, ac vexaverint propter nomen meum. Meminerimus ergo, etiam ſocietatem crucis Chriſti, taoquam ſingularem Dei gratiam, prompto gratoque animo amplexandam nobis eſſe. Vinculis addit, *defenſionem & confirmationem Euangelii*, quo melius exprimat quam honorabile nobis obſequium injungit Deus, quum nos hoſtibus ſuis ad reddendum Euangelio ſuo teſtimonium opponit. Perinde enim eſt acſi nobis Euangelii patrocinium mandaret. Hac ſcilicet cogitatione armati martyres, potuerunt omnes impiorum furores contemnere, omniaque tormenta ſuperare. Atque utinam hoc in mentem veniret omnibus qui ad confeſſionem fidei vocantur, ſe patronos eſſe delectos à Chriſto ad agendam ejus cauſam. Nam conſolatione tali ſubnixi, aoimoſiores eſſent quam ut adeo facile ad perfidam defectionem flecterentur. Verum quæret hic quiſpiam, num ab homioum conſtantia pendeat Euangelii confirmatio. Reſpondeo, Dei veritatem per ſe magis firmam eſſe, quam ut opus habeat aliunde fulciri. nam ut mendaces ſumus omnes, Deus tamen verax manet. Sed non eſt abſurdum, infirmas conſcientias talibus adminiculis in ea confirmari. Habet igitur boc genus confirmationis, cujus Paulus meminit, relationem ad homioes. quemadmodum noſtra experientia diſcimus, boc ſaltem tot martyrum cædibus fuiſſe profectum, ut totidem quaſi ſigillis Euaogelium cordibus noſtris obſignaretur. Unde illud Tertulliani, eorum ſanguioem ſemen eſſe Eccleſiæ. quem ego quodam carmine ſum imitatus,

Sanctus at ille cruor, divini aſſertor honoris,
Gignendam ad ſobolem, ſeminis inſtar erit.

8. *Teſtis enim mihi eſt Deus.*] Nunc expreſſius ſuum erga illos amorem declarat. cujus approbandi cauſa jusjurandum adhibet. idque merito: quia ſcimus quam chara apud Deum ſit Eccleſiæ ſuæ ædificatio. Erat autem in primis utile, Pauli amorem probe eſſe teſtatum Philippenſibus. Neque enim parum hoc valet ad fidem doctrinæ faciendam, quum perſuaſus eſt populus, à doctore ſe amari. Deum appellat teſtem veritatis, qui ſolus eſt veritas: & ſui affectus, qui ſolus eſt ſcrutator cordium. In verbo *deſiderandi*, ſpecies eſt pro genere: amoris autem
ſignum

ſignum eſt, quia deſideramus quæ chara ſunt. *In viſceribus.* Opponit Chriſti viſcera carnali affectui, ut ſignificet ſanctum ac pium eſſe ſuum amorem. Nam qui ſecundum carnem amat, reſpectum habet ſui commodi: & poteſt ſubinde pro rerum & temporum varietate animum mutare. Interim admonet ad quam regulam exigi debeant fidelium affectus: nempe ut abdicata propria voluntate, Chriſto gubernacula permittant. Et certe non aliunde manare poteſt vera charitas, quam ex Chriſti viſceribus. & non leviter pungere nos debet hic ſtimulus, Chriſtum ſua viſcera quodammodo aperire, quibus mutuum inter nos amorem foveat.

9. *Hoc precor, ut charitas.*] Redit ad precationem quam obiter tantum uno verbo attigerat. exponit igitur ſummam eorum quæ illis petebat à Deo: ut ipſi quoque diſcant ſuo exemplo orare, & ad profectum iſtorum donorum aſpirent. Quod nonnulli charitatem Philippenſium accipiunt pro ipſis Philippenſibus: qualiter vulgo barbari loqui ſolent, Veſtra reverentia, Veſtra paternitas: abſurdum eſt. Neque enim tale exemplum extat in Paulo, necdum in conſuetudinem venerant tales ineptiæ. deinde minus plena eſſet ſententia: & alioqui ſimplex & naturalis verborum ſenſus optime quadrat. vera enim Chriſtianorum incrementa ſunt, quum proficiunt in agnitione & intelligentia, deinde in charitate. Itaque particula, *In*, ſecundum phraſin linguæ Hebraicæ, capitur hic pro Cum: ſicuti etiam tranſtuli. niſi forte quis malit exponere Per: ut inſtrumentum vel cauſam formalem notet. Nam quo majores in cognitione progreſſus facimus, eo magis debet creſcere in nobis charitas. Tunc ſenſus eſſet, Ut charitas veſtra ſecundum intelligentiæ menſuram creſcat. *Omnis intelligentia*, pro plena & ſolida, non autem omnium rerum.

10. *Ut probetis quæ.*] Definitio Chriſtianæ ſapientiæ, cognoſcere quid è re ſit vel expediat, non in vanis argutiis ac ſpeculationibus ingenium torquere. neque enim Dòminus inutiliter fideles ſuos vult occupari, ut diſcant quod nihil proſit. Hinc collige quo loco habenda ſit Sorbonica theologia, in qua ſi vitam conſumpſeris, nihilo plus inde ædificationis in ſpem cæleſtis vitæ, vel ſpiritualis fructus reportes, quam ex Euclidis demonſtrationibus. Certe etiamſi nihil falſi doceret, hoc tamen nomine merito execrabilis eſſe debet, quod pernicioſa eſt ſpiritualis doctrinæ profanatio. Utilis enim Scriptura, ut inquit Paulus: illic nihil præter frigidas leptologias repe- 2 Tim. 3.
rire eſt. *Quo ſitis ſinceri.* Hæc eſt utilitas quam ex verſ. 16.
cognitione reportamus: non ut ſuis quiſque rationibus allute conſulat, ſed ut pura conſcientia vivamus coram Deo. Sequitur, *Et inoffenſi.* Græcum nomen ἀπρόσκοποι ambiguum eſt. Chryſoſtomus active exponit, quod ſicuti coram Deo puros & integros eſſe voluerit, ita nunc velit coram hominibus honeſtam vitam ducere, ne quibus malis exemplis proximos lædant. Id ego non rejicio: paſſiva tamen ſignificatio contextui aptior eſt, meo judicio. In hoc ſiquidem prudentiam illis optavit, ut inoffenſo gradu pergant in vocatione ſua uſque in diem Chriſti. ſicuti contra ignorantia fit ut ſæpe labamur, impingamus, erremus. Et quot ſcandala identidem nobis Satan objiciat, quæ curſum noſtrum vel abrumpant, vel impediant, quiſque noſtrum pro ſe experitur.

11. *Impleti fructibus juſtitiæ.*] Hocquidem jam ad externam vitam pertinet: bona enim conſcientia fructus ſuos operibus producit. itaque fertiles eſſe cupit bonis operibus in Dei gloriam. Tales fructus dicit eſſe per Chriſtum, quia manant ex Chriſti gratia. hoc enim benefaciendi nobis initium eſt, quum ejus Spiritu ſanctificamur: nam ſuper ipſum requievit, ut de plenitudine ejus hauriamus omnes. Et quoniam hic ſimilitudinem ab arboribus Paulus ducit: ſylveſtres ſumus oleaſtri & inutiles, donec in Chriſtum ſumus inſiti, qui viva ſua radice frugiferas
arbores nos reddit: juxta illud, Ego ſum vitis, vos Joan. 15.
palmites. Finem ſimul demonſtrat, ut Dei gloriæ verſ. 1.
ſerviamus. Nulla enim tam præclara in ſpeciem vita eſt, quæ non vitietur coram Deo & fœteat, niſi ad hunc ſcopum dirigatur. Quod autem Paulus juſtitiam operum hic nominat, nihil pugnat adverſus gratuitam juſtitiam fidei. neque enim protinus ſequitur, illic eſſe juſtitiam ubi ſunt fructus juſtitiæ: quoniam juſtitia coram Deo non eſt, niſi plena & ſolida obedientia Legis: quæ in nullo ſanctorum reperitur, qui tamen bonos & ſuaves juſtitiæ fructus pro ſuo modo producunt. nempe quia ſicut inchoat in nobis Deus juſtitiam per regenerationem Spiritus: ita quod deeſt, per remiſſionem peccatorum ſufficit, ut tota nihilominus juſtitia ex fide pendeat.

12. Scire autem vos volo, fratres, quod quæ mihi acciderunt, magis in profectum ceſſerunt Euangelii,

13. Ut vincula mea in Chriſto illuſtria fuerint in toto prætorio, & reliquis omnibus locis:

14. Et multi ex fratribus in Domino, vinculis meis confiſi, uberius auſi fuerint abſque timore ſermonem Dei loqui.

15. Nonnulli quidem per invidiam & contentionem: alii autem etiam per benevolentiam Chriſtum prædicant.

16. Alii, inquam, ex contentione Chriſtum annunciant, non pure, exiſtimantes afflictionem ſe ſuſcitare meis vinculis:

17. Alii autem ex charitate, ſcientes quod in defenſionem Euangelii poſitus ſim.

12. *Scire autem vos.*] Experimur omnes in nobis quantopere ſoleat offendi caro humilitate crucis. Patimur quidem nobis Chriſtum prædicari crucifixum: ſed ubi cum ſua cruce apparet, quaſi novitate perculſi, vel refugimus, vel horremus. neque id tantum in noſtris perſonis, ſed eorum quoque qui nobis Euangelium tradunt. Id accidere Philippenſibus poterat, ut Apoſtoli ſui perſequutione nonnihil dejicerentur. Et credibile eſt, malos operarios qui minimis quibuſque nocendi occaſionibus imminebant, non ceſſaſſe quin ſancti viri calamitati inſultarent, ac inde contemptibile redderent ejus Euangelium. Quod ſi nihil hac via proficerent, promptum erat calumniari ipſum, quod toti mundo inviſus eſſet: ſimulque formidinem injicere Philippenſibus, ne ſibi infauſta ſocietate conflarent abſque cauſa ingentem invidiam apud omnes. ſunt enim iſtæ uſitatæ Satanæ artes. Huic periculo occurrit Apoſtolus, dum ſuis vinculis provectum fuiſſe Euangelium commemorat. Finis ergo hujus narrationis eſt, ut Philippenſes animet, ne abſterreantur ſua perſequutione.

13. *Ut vincula mea.*] *In Chriſto* poſuit, pro In negotio, vel in cauſa Chriſti. ſignificat enim illuſtria fuiſſe ſua vincula ad provehendum Chriſti honorem. Quod aliqui Per Chriſtum exponunt, coactum videtur. Et *illuſtria* malui quam Manifeſta, utpote quæ Euangelium ſua fama nobilitaverint.

acſi

Digitized by Google

acſi diceret, Satan quidem hoc conatus eſt, & impii fore putarunt ut Euangelium deſtrueretur: ſed Deus tam illius conatus, quam ſpem horum fruſtratus eſt: idque dupliciter. nam quum Euangelium ante obſcurum & ignotum eſſet multis, factum eſt ut innoteſceret: neque id modo, ſed etiam ut illuſtraretur tam in prætorio quam in reliqua urbe. *Prætorium* accipio pro aula & palatio Neronis: quod Fabius & ætatis illius ſcriptores vocant Auguſtale. Nam quum Prætoris nomen generale eſſet initio, ac magiſtratus omnes ſignificaret qui præcipuum imperium haberent, (unde factum eſt ut Dictator, ſummus Prætor diceretur) manſit deinde conſuetudo, ut Prætorium vocaretur in bello tabernaculum vel Conſulis, vel ejus qui præerat: in urbe autem palatium Cæſaris, ex quo monarchiam Cæſares occuparunt. alioqui Prætorium etiam vocatur conſeſſus Prætoris.

14. *Multi ex fratribus.*] Hoc exemplo docemur, ſanctorum vexationes quas pro Euangelio patiuntur, materiam nobis eſſe fiduciæ. Eſſet quidem terribile ſpectaculum, & quod potius ad nos exanimandos valeret, ſi duntaxat perſequutorum ſævitiam & rabiem videremus. Sed dum ſimul apparet manus Domini quæ ſub infirmitate crucis ſuos reddit invictos, ac triumphare facit: hac freti, plus ſolito audere debemus, jam in perſona fratrum pignus victoriæ noſtræ habentes. Hujus agnitio timorem noſtrum debet vincere, ut in mediis periculis intrepide loquamur.

15. *Nonnulli quidem.*] Alius fructus vinculorum Pauli, quod non ſoli fratres animabantur ad fiduciam, ejus exemplo: & quidem alii ut ſtarent in gradu, alii ut ad docendum alacriores fierent: ſed etiam qui ei male volebant, alio conſilio incitabantur ad publicandum Euangelium.

16. *Alii, inquam, ex contentione.*] Epexegeſis qua plenius ſuperiorem ſententiam declarat. repetit enim duo eſſe genera hominum qui ſuis vinculis ad Chriſtum annunciandum incitentur. Alios contentione impelli, hoc eſt, pravo affectu: alios pio ſtudio, quia velint una ſuſcipere Euangelii defenſionem. Illos dicit non pure annunciare Chriſtum: quia non erat rectus zelus. neque enim hoc pertinet ad doctrinam: quia fieri poteſt ut qui puriſſime docet, non ſit tamen ſincero animo. Quod autem impuritas hæc, animi fuerit, & non apparuerit in doctrina, colligere licet ex contextu. Paulus certe non libenter vidiſſet Euangelium adulterari. atqui ſe gaudere teſtatur prædicatione iſtorum non ſimplici nec ſincera. Sed quæritur quomodo nocere illi potuerit talis prædicatio. Reſpondeo, plurimas occaſiones nobis eſſe incognitas, qui temporum circumſtantias non tenemus. Quæritur rurſum, quum annunciari nequeat Euangelium niſi ab intelligentibus, quæ cauſa iſtos impulerit ad perſequendam quam probabant doctrinam. Reſpondeo, cæcam eſſe ambitionem, imo rabioſam belluam: ideo non eſſe mirum ſi falſi fratres telum ex Euangelio arripiant ad vexandos bonos & pios Paſtores. Nihil certe hic dicit Paulus quod ego non ſim expertus. vivunt enim adhuc hodie qui Euangelium non alio animo prædicarunt, quam ut perſequendo pios Paſtores, impiorum furori obſequium præberent. Quod ad Pauli hoſtes ſpectat, operæpretium eſt obſervare, ſi Judæi fuerint, quam inſanum fuerit eorum odium: ut etiam obliviſcerentur quam ob cauſam ipſum odiſſent. Nam dum ferebantur ad ipſum perdendum, promovendo Euangelio, cujus occaſione illi erant infeſti, navabant operam. ſed putabant ſcilicet Chriſti cauſam in unius hominis capite ſtare vel cadere. Si autem erant æmuli, quos ambitio ita transverſos raperet, agnoſcenda eſt mira Dei bonitas, qui tam perverſis eorum ſtudiis talem dederit ſucceſſum.

17. *Quod in defenſionem.*] Qui vere Chriſtum amabant, turpe ſibi ducebant fore niſi comites ſe adjungerent Paulo cauſam illius agenti. atque ita nobis agendum eſt, ut laborantibus Chriſti ſervis manus, quantum in nobis eſt, porrigamus. Obſerva iterum hanc loquutionem de Euangelii defenſione. nam quum tanto honore nos Chriſtus dignetur, quæ excuſatio ſi cauſæ ejus fuerimus prævaricatores? aut quid nobis expectandum ſi illam noſtro ſilentio prodiderimus, niſi ut noſtram viciſſim deſerat qui ſolus apud Patrem advocatus vel patronus eſt noſter?

18. Quid enim? cæterum quovis modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annunciatur. atque in hoc gaudeo, quin etiam gaudebo.

19. Novi enim quod hoc mihi cedet in ſalutem per veſtram precationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Jeſu Chriſti,

20. Secundum expectationem & ſpem meam quod in nulla re pudefiam: ſed cum omni fiducia quemadmodum ſemper, ita & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.

21. Mihi enim vivendo Chriſtus eſt, & moriendo lucrum.

18. *Cæterum quovis modo.*] Quoniam improbus eorum de quibus loquutus eſt animus poterat detrahere gratiam doctrinæ: dicit hoc eſſe magni æſtimandum, quod Euangelium tamen promovebant, qualiſcunque eſſet animus. Deus enim malis & vitioſis interdum inſtrumentis præclarum opus efficit. ergo de ejuſmodi ſucceſſu gaudere ſe dicit: quia hoc uno contentus erat, ſi videret Chriſti regnum creſcere. quemadmodum quum audiebamus, impurum canem Carolum Avenione & alibi ſemina purioris doctrinæ ſpargere in multorum cordibus, gratias agebamus Deo, qui nequiſſimo & perditiſſimo nebulone ad gloriam ſuam uteretur. Atque hodie gaudemus, Euangelii curſum per multos promoveri, quibus tamen aliud eſt propoſitum. quanquam autem gaudebat Paulus Euangelii incrementis: nunquam tamen, ſi fuiſſet in ejus manu, tales ordinaſſet miniſtros. Gaudendum ergo ſi per impios aliquid boni Deus efficiat: ſed non ideo aut collocandi ſunt à nobis in miniſterio, aut habendi pro legitimis Chriſti miniſtris.

19. *Novi enim quod.*] Quia ad conflandam Paulo invidiam quidam Euangelium publicabant, quo magis in eum accenderent hoſtium ſævitiam, occupat ſibi non nocituros eorum improbos conatus, quia Dominus in contrarium finem ipſos vertet. acſi dicat, Tametſi meam perniciem illi machinantur: confido tamen nihil effecturos aliud omnes eorum conatus, niſi ut Chriſtus in me glorificetur: quod mihi eſt ſalutare. Nam de ſalute corporis eum non loqui, ex ſequentibus patet. unde autem hæc Paulo fiducia? nempe ex eo quod alibi docet, veris Dei cultoribus *Rom. 8.*
omnia eſſe adjumento in bonum: etiam ſi totus mundus cum principe ſuo diabolo, in eorum exitium conſpiret. *verſ. 28.*

Per veſtram precationem.] Quo eos acrius ſtimulet ad precandum, teſtatur ſe confidere Dominum id daturum eorum precibus. neque tamen ſimulat: qui enim in ſanctorum precibus ſubſidium reponit, Dei promiſſione nititur. Interea nihil derogatur gratuitæ Dei bonitati, ex qua ſunt preces & exoratio. *Et ſubminiſtrationem.* Ne putemus, quia hæc duo jungit

uno contextu, ideo paria eſſe. itaque ſic reſolvi debet oratio, Novi hoc totum mihi ceſſurum in ſalutem, per adminiſtrationem Spiritus, adjuvantibus etiam vobis orando: ut ſubminiſtratio Spiritus ſit cauſa efficiens; oratio autem, inferius adminiculum. Notanda etiam verbi Græci proprietas. vocatur enim ἐπιχορηγία quum ſuggeritur quod deeſt: qualiter omnia quibus deſtituimur, nobis Spiritus Dei inſtillat. *Et Spiritum Jeſu Chriſti* nominat, ut ſignificet, nobis omnibus, ſi Chriſtiani ſumus, eſſe communem: quia tota plenitudine in eum effuſus eſt, ut ſingulis ſuis membris pro gratiæ ſuæ menſura, quantum expedit diſtribuat.

20. *Secundum expectationem.*] Si quis objiciat, Unde autem tibi iſta notitia? reſpondet, Ex ſpe. nam quum certum ſit, Deum ſpem noſtram minime velle fruſtrari, ſpes ipſa dubia eſſe non debet. Notet ergo diligenter pius lector adverbium hoc, Secundum: ut certo ſecum ita conſtituat, fieri non poſſe quin expectationi noſtræ reſpondeat Dominus, quæ quidem in verbo ſuo fundata ſit. Promiſit autem ſe nunquam defuturum nobis etiam inter omnia tormenta, ſiquando vocemur ad nominis ſui confeſſionem. ſperent itaque Pauli exemplo omnes pii, neque pudefient.

Cum omni fiducia.] Videmus ut ſperando, carnis votis nequaquam indulgeat: ſed ſpem ſuam ſubjiciat Dei promiſſioni. *Magnificabitur*, inquit, *Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.* quanquam nominatim corpus exprimens, ſignificat inter certamina vitæ præſentis ſe de ſucceſſu minime eſſe dubium. nam de hac re facti ſumus à Deo certiores. Ergo ſi expoſiti ad Dei arbitrium, & idem habentes in vita propoſitum quod Paulus, felicem exitum quocunque modo ſperamus: non amplius timendum erit ne quid adverſi eveniat. Nam ſi illi vivimus & morimur, illius ſumus in vita & in morte, Rom. 14. v. 8. Modum exprimit Chriſti magnificandi, nempe in perfecta fiducia. unde ſequitur, dejici ipſum noſtra culpa, & extenuari quantum in nobis eſt, quum timore labaſcimus. An igitur eos non pudet, quibus leve delictum videtur, in confeſſione veritatis trepidatio? Sed qui puderet, quum adeo ſint proſtituta fronte, ut abnegationem quoque excuſare audeant? Addit, *Quemadmodum ſemper*: ut à præteritis gratiæ Dei experimentis fidem ſuam ſtabiliant. ita Rom. 5. v. 4. Probatio ſpem parit.

21. *Mihi enim vivendo.*] Hactenus hunc locum, meo judicio, male verterunt & expoſuerunt interpretes. ſic enim diſtinguunt: quod Chriſtus fuerit Paulo vita, & mors lucrum. Ego autem Chriſtum in utroque membro orationis facio ſubjectum: ut tam in vita quam in morte lucrum eſſe prædicetur. Græcis enim vulgare, ſubaudire particulam ἐπὶ. præterquam autem quod hic ſenſus minus eſt coactus, etiam melius cohæret cum proxima ſententia, & pleniorem continet doctrinam. Indifferens ſibi eſſe & in æquo affirmat, vivatne an moriatur: quoniam Chriſtum habens, utrumque lucro apponat. Et certe unus eſt Chriſtus qui tam in morte quam in vita nos facit beatos. alioqui ſi mors miſera, vita nihilo felicior. Adeo ut difficile ſit definire, Extra Chriſtum ſitne mori utilius quam vivere. Rurſum adſit Chriſtus, & vitam noſtram perinde ac mortem benedicet: ut ſit utraque nobis fauſta & expetenda.

22. Quod ſi vivere in carne operæpretium eſt: etiam quid eligam ignoro.

23. Coarctor enim ex duobus, cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto: multo enim hoc melius.

24. Manere vero in carne, magis neceſſarium propter vos.

25. Atque hoc confiſus, novi quod manebo & permanebo cum omnibus vobis, in veſtrum profectum & gaudium fidei:

26. Ut gloriatio veſtra exuperet in Chriſto Jeſu de me, per meum rurſus adventum ad vos.

22. *Quod ſi vivere.*] Quemadmodum deſperati homines perplexi ſunt debeantne vitam longius prorogare in miſeriis, an morte finire ſuas ærumnas: ita econverſo Paulus adeo ſe æquo animo tam ad mortem quam ad vitam paratum eſſe dicit, quia utriuſque conditio beata ſit fidelibus, ut de optione ambigat. *Si operæpretium eſt*, hoc eſt, ſi mihi conſtet major vitæ meæ fructus quam mortis, non video utrum debeam præoptare. *Vivere in carne*, per contemptum poſuit, melioris vitæ comparatione.

23. *Coarctor enim.*] Non alia mercede vivere optabat Paulus, quam ut ſerviret Chriſti gloriæ, & fratribus prodeſſet. proinde neque aliam utilitatem reputat in vita, quam fratrum ſalutem. Sibi autem privatim melius eſſe agnoſcit cito mori, quia futurus ſit cum Chriſto. in optione vero demonſtrat quanta ardeat charitate. Non hic de commodis terrenis agitur, ſed de ſpirituali bono quod merito piis ſummopere optabile eſt. Paulus tamen quaſi ſui oblitus, non tantum ſe medium continet, ne plus in ſuum quam Philippenſium bonum propendeat: ſed tandem concludit ipſorum rationem in corde ſuo præponderare. Hoc ſcil. vere eſt Chriſto vivere & mori, quum nobis poſthabitis ferimur quo nos Chriſtus vocat, ac rapimur.

Cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto.] Conjunctim legenda ſunt hæc duo. per ſe enim mors nunquam expetetur: quia pugnat hoc deſiderium cum ſenſu naturæ: ſed expetitur propter cauſam, vel propter alium finem. Deſperati ad eam confugiunt tædio vitæ: fideles ad eam libenter properant, quia liberatio eſt à ſervitio peccati, & tranſitus in regnum cælorum. Hoc eſt quod nunc dicit Paulus, Cupio mori, quia hoc modo perveniam ad Chriſti conjunctionem. Interea non deſinunt fideles mortem horrere: ſed quum oculos convertunt ad vitam illam quæ mortem ſequitur, conſolatione iſta facile vincunt formidinem. Certe quiſquis in Chriſtum credit, ita debet eſſe animatus, ut ad mentionem mortis caput attollat, lætus nuncio ſuæ redemptionis. Unde apparet quam multi ſint titulo tenus duntaxat Chriſtiani: quando major pars, audito mortis nomine, perinde acſi nullum unquam de Chriſto verbulum audiſſent, non modo expaveſcunt, ſed prope redduntur exanimes. O bona conſcientia, quantum polles ac vales! Bonæ autem conſcientiæ fundamentum eſt fides: imo ipſa eſt conſcientiæ bonitas. *Diſſolvi.* Notanda eſt hæc loquutio. Mortem profani homines abolitionem hominis vocant, quaſi totus intereat. Paulus hic nos commonefacit, mortem eſſe ſolutionem animæ à corpore. Et hoc melius continuo poſt exprimit, dicens quæ poſt mortem fideles conditio maneat, ut ſcilicet cum Chriſto habitent. Sumus etiam cum Chriſto in hac vita, quatenus regnum Dei intra nos eſt, & Chriſtus in nobis habitat per fidem, ſeque nobis adfuturum pollicitus eſt uſque ad finem mundi: ſed præſentiam illam ſpe tantum percipimus. Ideo quoad ſenſum noſtrum, dicimur nunc ab ipſo peregrinari. Vide 2 Corinth. 5. v. 6. Valet hic locus ad refellendum eorum deliramentum qui animas à corporibus diviſas dormire ſomniant. nam Paulus

aperte

aperte teſtatur, nos frui Chriſti præſentia quum diſſolvimur.

25. *Atque hoc confiſus.*] Quidam, quia abſurdum videbatur fateri Apoſtolum fruſtratum eſſe ſua exſpectatione, exiſtimant poſtea ex vinculis fuiſſe liberatum, multaſque orbis regiones perluſtraſſe: ſed fruſtra id timent. Spes enim ſuas ſancti ex Dei verbo moderari ſolent, ut non plus animis præſumant, quam Deus promiſit. Ita ubi certum habent divinæ voluotatis teſtimooium, illic certa quoque perſuaſione nituntur, quæ nihil admittit dubitationis. Talis eſt de perpetua remiſſione peccatorum, de auxilio Spiritus ad gratiam finalis (quam vocant) perſeverantiæ, de reſurrectiooe carois. Talis etiam fuit Prophetarum de ſuis vaticiniis certitudo. In reliquis nihil niſi ſub conditione ſperant: ideoque eveotus omoes ſubjiciuot Dei providentiæ, cui permittunt acutius videre quam ſibi. *Manere*, ſignificat hic, aliquantiſper: Permanere, ad longum tempus.

26. *Ut gloriatio veſtra.*] Pro eo quod dicit ἐν ἐμοὶ, ego tranſtuli *de me*: quia bis repetitur præpoſitio in diverſo ſenſu. Nemo certe negabit quin fideliter expreſſerim mentem Pauli. Quod autem alii dicunt, Per Chriſtum, non probo. Nam *In Chriſto*, poſitum eſt pro Secundum Chriſtum, vel Chriſtiane: ut ſpeciem gloriationis ſanctam oſtenderet. Alioqui eoim in ſolo Deo jubemur gloriari. ideo objici Paulo à malevolis poterat, Qui licet Philippenſibus de te gloriari? Hanc calumniam anticipat quum dicit, Secuodum Chriſtum id facturos, gloriantes ſcilicet de Chriſti miniſtro in Domini gloriam: idque ratione doctrinæ magis quam hominis, & adverſus pſeudoapoſtolos: qualiter David ſe cum hypocritis conferendo, jactat ſuas juſtitias.

27. Tantum digne Euangelio Chriſti conſervamini: ut ſive veniens, videam vos: ſive abſens, audiam de vobis quod ſtetis in uno ſpiritu, una anima, concertantes fide Euangelii,

28. Nec ulla in re terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt demonſtratio exitii: vobis autem ſalutis, idque à Deo.

29. Quia vobis donatum pro Chriſto, non tantum ut in illum credatis, ſed etiam ut pro ipſo patiamini:

30. Idem habentes certamen, quale vidiſtis in me, & nunc auditis de me.

27. *Tantum digne.*] Hac formula utimur quum ad novum ſermnnem volumus tranſire. ita hic perinde valet acſi dixiſſet, Verum de me viderit Dominus: vos autem &c. quicquid de me agatur, vos nihilominus pergite in recto curſu. Quum puram & honeſtam converſationem Euangelio dignam vocat, econverſo innuit, facere injuriam Euangelio qui aliter vivunt. *Ut ſive veniens.* Quoniam Græca Pauli oratio hiulcula eſt, ex participio Videns, feci verbum *videam*. ſi hoc non placet, ſubaudias verbum principale Intelligam: hoc ſenſu, Sive quum venero, & videro vos: ſive abſens, audiam de ſtatu veſtro: intelligam utroque modo, tam aſpectu ipſo, quam per nuncium, vos ſtare in uno ſpiritu. Cæterum de verbis minus laborandum, ubi ſenſus conſtat.

Stetis in uno ſpiritu.] Hæc quidem una eſt ex præcipuis virtutibus Eccleſiæ. atque ideo hæc eſt fovendæ ſanitatis unica ratio, quia diſſidiis collabitur. Etſi autem Paulus hoc antidoto voluit occurrere novis & alienis doctriois: duplicem tamen unitatem requirit, ſpiritus & animæ. ſicuti hoc primum eſt, ut ioter nos conſentiamus: deinde ut ſimus concordes. Nam quum ſimul copulantur hæc duo nomina, ſpiritus intelligentiam, anima autem voluntatem ſignificat. Porro ordine præcedit conſenſus: deinde ex ea naſcitur voluotatum conjunctio. *Concertantes fide.* Hoc fortiſſimum eſt vioculum concordiæ, dum nobis ſimul eſt ſub eodem vexillo militandum. nam hæc occaſio ſæpe etiam maximos hoſtes reconciliavit. Proinde quo magis confirmet unitatem inter Philippenſes, admonet illos eſſe commilitones, quibus hoſtis communis & bellum commune debeant conjungere animos ad ſanctam conſpirationem. Loquutio qua Græce uſus eſt Paulus, ambigua eſt: quare vetus Interpres vertit, Collaborantes fidei: Eraſmus, Adjuvantes fidem: quaſi fidei opem ipſi pro virili adferrent. Sed quum dativus apud Græcos ponatur pro ablativo inſtrumenti, propterea quod ablativo caret lingua illa: noo dubito quin ſit hic ſenſus Apoſtoli, Conjungat vos Euangelii fides, præſertim quum illa vobis ſit communis armatura adverſus eundem hoſtem. hoc modo particulam σὺν, quam alii ad fidem referunt, ego refero ad Philippenſes: & melius, niſi fallor. Primum nemo ignorat, quam efficax ſit incitamentum ad concordiam, ubi ſimul bellandum eſt. deinde ſcimus, in ſpirituali bello nos fidei clypeo armari ad hoſtem repellendum: imo & panoplia & victoria eſt noſtra fides. Ideo etiam hoc membrum adjuoxit, ut finem piæ conjunctionis indicaret. Conſpirant etiam impii in malum, ſed maledicta eſt eorum conſenſio: nos igitur ſub fidei vexillo unanimes militemus.

28. *Nec ulla in re terreamini.*] Secundum quod Philippenſibus commendat, eſt fortitudo animi, ne turbentur adverſariorum furore. Tunc ubique fere ardebant ſæviſſimæ perſequutiones, quia toto impetu rapiebatur Satan ad prohibenda Euangelii initia: tantoque impotentius inſaniebat, quanto potentius exerebat Chriſtus Spiritus ſui gratiam. Jubet ergo Philippenſes ſtare intrepidos, neque perturbari. *Quæ illis eſt demonſtratio.* Hæc propria eſt verbi Græci ſignificatio: & nulla ratio coëgit alios transferre Cauſam. Nam impii dum adverſus Dominum belligerantur, jam quaſi præludio argumentum exitii ſui oſtendunt: & quo ferocius inſultant piis, eo ſe magis parant ad ruinam. Nuſquam certe Scriptura docet, afflictiones quas ſancti ferunt ab impiis, cauſam eſſe ſalutis ipſorum. Demonſtrationem vero, aut argumentum alibi etiam Paulus vocat, 2 Theſ. 1. v. 5. Atque pro eo quod hic habemus ἔνδειξιν, illic ponit ἔνδειγμα. Eſt igitur hæc eximia conſolatio, quod dum ab adverſariis impetimur ac vexamur, documentum habemus noſtræ ſalutis. Sunt enim perſequutiones filiis Dei quædam adoptioois ſigilla, ſi fortiter & æquis aoimis eas ſuſtinent. impii jam ſuæ damnationis ſpecimen edunt: quia impingunt in lapidem, à quo conterentur. *Idque à Deo.* Reſtringitur hoc ad poſterius membrum, ut gratiæ Dei guſtus, crucis acerbitatem leniat. Naturaliter ſignum vel demonſtrationem ſalutis nemo apprehendet in cruce: ſunt enim res in ſpeciem contrariæ. Ideo Paulus revocat Philippenſes ad aliam conſiderationem: quod ſcilicet Deus ſua benedictione vertat in occaſionem ſalutis, quæ alioqui videntur nos facere miſeros. Probat hoc, quia donum Dei ſit, crucis tolerantia. certum autem eſt, ſalutaria nobis omnia Dei dona eſſe. Vobis, inquit, donatum eſt, non ſolum ut in Chriſtum credatis, ſed etiam ut pro ipſo patiamini. Ergo ipſæ paſſiones vobis teſtimonia ſunt gratiæ Dei. quum ita ſit, hinc habetis argumentum ſalutis. O ſi penitus in animis noſtris hæreret hæc perſuaſio, in Dei beneficiis deputandas eſſe perſe-

perſequutiones: quantus in pietatis doctrina factus eſſet progreſſus! Et quid tamen certius, quam ſummam eſſe divinæ gratiæ dignationem, quod patimur pro nomine ejus vel contumeliam, vel carceres, vel ærumnas, vel tormenta, vel mortem denique: tunc enim nos ſuis inſignibus decorat. Sed plures reperientur, qui potius jubeant Deum cum talibus donis faceſſere, quam grato animo amplectantur oblatam crucem. Væ itaque ſtupori noſtro.

29. *Ut credatis.*] Prudenter inſeparabili copula fidem cum cruce connectit, ut ſciant Philippenſes, hac lege ſe vocatos eſſe in Chriſti fidem, ut perſequutiones pro ejus nomine ſuſtineant: acſi diceret, non magis eorum adoptionem ſeparari poſſe à cruce, quam ipſum Chriſtum à ſe avelli. Hic clare teſtatur Paulus, gratuitum eſſe Dei donum tam fidem, quam conſtantiam in ferendis perſequutionibus. Et certe altior eſt ſapientia cognitio Dei, quam ut proprio acumine ad eam conſcendamus: & noſtra imbecillitas quotidianis experimentis ſe oſtendit, quum manum ſuam paululum ſubtrahit Deus. Quo tamen melius exprimat gratuitum eſſe utrumque, nominatim dicit, Chriſti cauſa, vel certe ſuper Chriſti gratia nobis donari: quo excludit omnem meriti reſpectum. Pugnat etiam hic locus adverſus Scholaſticum dogma: quo tradunt poſteriores gratias, præmia eſſe noſtri meriti, quia prioribus recte uſi fuerimus. Equidem non nego, quin Deus rectum gratiarum ſuarum uſum remuneretur in nobis gratiis amplioribus: modo ne meritum gratuitæ ejus liberalitati, & Chriſti merito opponas, quod illi faciunt.

30. *Idem habentes certamen.*] Suo quoque exemplo confirmat quod dixi: quod non parum auctoritatis addit doctrinæ. Et eadem opera admonet, nihil eſſe cur ſuis vinculis turbentur, ſpectantes finem certaminis.

CAP. II.

* vel, *exhortatio.*

SIqua igitur * conſolatio in Chriſto, ſiquod ſolatium dilectionis, ſiqua communicatio Spiritus, ſiqua viſcera & miſericordiæ:

2. Implete gaudium meum ut idem ſentiatis, eandem habentes charitatem, unanimes, unum ſentientes.

3. Nihil per contentionem, aut inanem gloriam, ſed per humilitatem alii alios exiſtiment ſeipſis excellentiores.

4. Non conſiderans quiſque quod ſuum eſt, ſed quiſque quod eſt aliorum.

1. *Siqua igitur.*] Valde pathetica eſt iſta exhortatio, in qua modis omnibus obſecrat Philippenſes ut concordiam mutuo inter ſe colant: ne ſi inteſtinis contentionibus ſcindantur, pſeudoapoſtolorum impoſturis ſint expoſiti. Semper enim in diſcordiis aperta eſt janua Satanæ ad ſpargendas impias doctrinas, ad quas repellendas optima munitio eſt conſenſus. Quia nomen παρακλήσεως ſæpe pro Exhortatione capitur, poſſet initium hoc modo exponi, Siquid valet apud vos exhortatio quæ fit nomine mandatoque Chriſti. Contextui tamen alter ſenſus melius quadrat, Siqua eſt apud vos *Chriſti conſolatio*, qua meos dolores mitigetis, & *ſi quod ſolatium* & levamen afferre vultis: quod certe debetis ex charitate, ſi cogitatis illam *Spiritus communicationem* quæ unum efficere nos omnes debet: ſiquis humanitatis & miſericordiæ ſenſus in vobis reſidet, qui ad ſublevandas meas miſerias vos commoveat: implete &c. Hinc colligimus quantum in Eccleſia bonum ſit unitas, & quanto ſtudio Paſtoribus procurandum. Et ſimul obſervandum eſt ut ſe demittat, miſericordiam illorum ſuppliciter implorans, qui reverentiam patrio jure exigere tanquam à filiis poterat. Imperium adhibere novit, quum opus eſt: nunc preces adhibere maluit, quia aptiores fore noverat ad penetrandos affectus: & quia ſciebat verba ſe ad dociles & morigeros facere. Ita non recuſandum eſt Paſtori quin perſonas quaslibet induat, Eccleſiæ cauſa.

2. *Implete gaudium meum.*] Et hic perſpicere eſt quam parum de ſe fuerit ſolicitus, modo Eccleſia Chriſti recte haberet. Tenebatur carcere incluſus & conſtrictus catenis, reus erat capitalis judicii, ante oculos erant tormenta, imminebat carnifex: nihil tamen iſta omnia impediunt quominus ſolidum gaudium gaudeat, ſi videat Eccleſiis bene eſſe. Porro hoc præcipuum in felici Eccleſiæ ſtatu ducit, ſi regnet illic conſenſus mutuus, & fraterna concordia. Ita Pſalmus etiam docet, Caput lætitiæ noſtræ eſſe recordationem Jeroſolymæ. *Pſal. 137. verſ. 6.* Quod ſi illud Paulo erat gaudii complementum, pluſquam crudeles futuri erant Philippenſes, ſi inter ſe diſſentiendo, ſancti viri pectus duplici mœrore cruciarent. *Ut idem ſentiatis.* Summa hæc eſt, ut ſententiis & voluntatibus ſint conjuncti. Ponit enim conſenſum in doctrina, & mutuam charitatem: deinde idem repetens (meo quidem judicio) unanimes eſſe jubet, unumque ſentientes. Particula τὸ αὐτὸ hoc valet, ut ſe alii aliis accommodent. Ergo initium charitatis eſt, in ſententiis convenire: verum id non ſufficit niſi corda in mutuum ſimul amorem coaleſcant. Quanquam non abſurdum eſſet ita transferre, Ut eadem ſitis cogitatione, mutuam habere charitatem, eſſe unanimes, unum ſentire. Participia enim pro infinitivis uſurpari non, eſt rarum. Sequutus ſum tamen quod minus coactum videbatur.

3. *Nihil per contentionem.*] Iſtæ duæ ſunt nocentiſſimæ peſtes ad turbandam Eccleſiæ pacem. Excitatur contentio dum ſuam quiſque ſententiam pertinaciter vult tueri: ubi autem ſemel efferbuit, præceps fertur in eam viam qua ingreſſa eſt. Inanis autem gloria animos titillat, ut unicuique blandiantur ſua inventa. Proinde hæc una eſt ratio diſſidiis obviandi, ſi placide conſulendo & agendo, contentiones vitemus: præſertim vero ſi non agamur ambitione. ambitio enim omnium contentionum eſt flabellum. *Inanis gloria* ſignificat quamlibet carnis gloriam. quid enim habent homines, quo in ſe glorientur, præter vanitatem? *Sed per humilitatem.* Utrique morbo unum remedium opponit, ſubmiſſionem. & merito: nam mater eſt modeſtiæ, qua fit ut cedentes jure noſtro, aliis deferamus, neque facile tumultuemur. Definit autem quæ ſit vera humilitas: dum ſcilicet quiſque ſe aliis poſtponit. Si quid autem eſt in tota vita difficile, hoc eſt in primis. Itaque non mirum, ſi tam rara virtus ſit humilitas. Nam (ut ille inquit) Regis quiſque intra ſe animum habet, omnia ſibi arrogando. En ſuperbia. deinde ex ſtulta noſtri admiratione naſcitur fratrum contemptus. Ac tam longe abſumus ab eo quod præcipit hic Paulus, ut ægre quiſpiam ferat alios ſibi æquales. nemo enim eſt qui non eminere cupiat. Sed quæritur qui fieri poſſit, ut qui reipſa excellit præ aliis, exiſtimet eos præſtantiores quos procul à ſe diſtare novit? Reſpondeo, hoc totum à recta æſtimatione donorum Dei, & noſtrarum infirmitatum pendere. Nam utcunque præclaris dotibus quis polleat, reputare debet, non in hoc ſibi eſſe collatas ut ſibi placeat, ſe efferat, vel etiam habeat in pretio.

Rurſum ſe exerceat excutiendis & agnoſcendis ſuis vitiis: & habebit largam bumilitatis materiam. In aliis contra, quicquid eſt virtutum, bonore proſequetur; vitia charitate ſepeliet. Hanc regulam qui tenebit, non difficulter alios ſibi præferet. Atque etiam hoc voluit Paulus, quum adderet, non debere ſingulos habere ratiooem ſui, ſed proximorum: vel, ſibi non debere eſſe addictos. Fieri ergo poterit ut pio bomini, licet præſtantiorem ſe noverit, potior tamen ſit aliorum ratio.

5. Hoc enim ſentiatur in vobis quod & in Chriſto Jeſu:

6. Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſet Deo æqualem ſe eſſe.

7. Sed ſeipſum exinanivit, forma ſervi accepta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo.

8. Humiliavit, inquam, ſeipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem vero crucis.

9. Quamobrem & Deus illum ſuperexaltavit: & dedit illi nomen, quod eſſet ſuper omne nomen:

10. Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum,

11. Et omnis lingua confiteatur quod Dominus Jeſus in gloriam eſt Dei Patris.

5. *Hoc ſentiatur.*] Humilitatem, ad quam bortatus verhis fuerat, nuhc commendat Chriſti exemplo. Sunt autem duo membra: quorum in priore invitat nos ad Chriſti imitationem, quia ſit vitæ regula: ſecundo allicit, quia ſit hæc via qua ad veram gloriam perveoitur. Jubet ergo ſingulos eundem habere affectum qui fuit in Chriſto. Poſtea declarat quale humilitatis exemplar nobis in Chriſto ſit propoſitum. Genus paſſivum verbi retinui; quanquam non improbo quod alii verterunt, quia nihil de ſenſu mutatur: tantum volui ut lectores ipſam loquendi formam qua uſus eſt Paulus, tenerent.

6. *Quum in forma Dei eſſet.*] Non eſt ſimilium comparatio, ſed majoris & minoris. Humilitas Chriſti fuit, è ſummo gloriæ faſtigio ſe dejicere ad infimam ignominiam: noſtra humilitas eſt, nos falſa opinione non efferre. Ceſſit ille ſuo jure: à nobis tantum boc requiritur, ne plus nohis ſumamus quam oportet. Itaque binc orditur, quod quum in forma Dei eſſet, non duxiſſet ſibi eſſe illicitum, in eadem forma ſe gerere: at qui ſe exinanivit. Quam igitur abſurdum eſt, quum Filius Dei ex tanta altitudine deſcenderit, nôs qui nibil ſumus, efferri ſuperhia? Forma Dei, hic majeſtatem ſignificat. Quemadmodum enim homo ex formæ aſpectu cognoſcitur: ita majeſtas quæ in Deo relucet, ipſius eſt figura. Aut ſi aptiorem ſimilitudinem malis, forma Regis eſt apparatus & ſplendor qui Regem indicat: ut ſceptrum, diadema, chlamys, apparitores, tribunal, & cætera regni inſignia. forma Conſulis, toga, prætexta, ſella eburnea, lictores cum virgis & ſecuribus. Chriſtus ergo ante mundum conditum in forma Dei erat: quia apud Patrem gloriam ſuam obtinebat ab initio, ut dicit Joan. 17. v. 5. Nam in Dei ſapientia, priuſquam carnem noſtram indueret, nihil humile erat vel abjectum, ſed magnificentia Deo digna. Talis quum eſſet, abſque injuria poterat æqualem ſe Deo gerere: ſed non præ ſe tulit quod erat, neque palam ſumpſit in oculis bominum quod jure ſuum erat. *Non rapinam arbitratus.* Non fuiſſet injuria, ſi æqualis Deo apparuiſſet. nam quod dicit, Non fuiſſet arbitratus, peainde valet acſi dixiſſet, Sciebat quidem id ſibi licere faſque eſſe: ut ſciamus voluntariam fuiſſe ſubmiſſionem, non neceſſitatis. Hactenus tranſtulerunc in modo indicativo, Arbitratus eſt: verum contextus requirit modum ſuhjunctivum. Et ſatis uſitatum eſt Paulo, præteritum indicativi pro ſubjunctivo accipere, potentialem (ut vocant) particulam ſubaudiendo ἄν. Sic Rom. 9. v. 3. ηὐχόμην pro Optarim: & 1 Cor. 2. v. 8. εἰ γὰρ ἔγνωσαν, ſi cognoviſſent. Nemo autem non videt Paulum huc uſque de Chriſti gloria tractare, quæ ad amplificandam ejus ſubmiſſionem pertinet: non ergo quid fecerit Chriſtus commemorat, ſed quid illi facere licuerit. Porro in bis verbis clare aſſeri æternam ejus divinitatem qui non videt, prorſus eſt cæcus. Nec ſatis verecunde Eraſmus, qui tam hunc locum, quam alios ſimiles eludere ſuis cavillis conatur. Fatetur quidem ubique Chriſtum eſſe Deum: ſed quid me juvat ortbodoxa ejus confeſſio, ſi nulla Scripturæ auctoritate fulciatur mea fides? Fateor ſane Paulum de divina Chriſti eſſentia oon facere mentionem: ſed non ſequitur propterea quin locus ad profligandam Arrianorum impietatem ſufficiat, qui fingebant Chriſtum Deum creatum, & Patre minorem: conſuhſtantialem negabant. Ubi enim æqualitas cum Deo abſque rapina, niſi in ſola eſſentia Dei: manet enim ſemper idem Deus, qui per Jeſaiam clamat, *Jeſa 48.*
Vivo ego, non dabo gloriam meam alteri. Forma *verſ. 11.*
figuram ſignificat, vel apparentiam; ut vulgo loquuntur. Id quoque fateor: ſed an extra Deum reperietur talis forma non fallax, neque ementita? Sicut ergo à ſuis virtutibus cognoſcitur Deus, & opera ejus teſtimonia ſunt æternæ ejus divinitatis, Rom. 1. v. 20. ita rite divina Chriſti eſſentia prohatur ex Chriſti majeſtate, quam æqualem cum Patre habebat antequam ſeipſum humiliaret. Mihi certe ne omnes quidem diaboli hunc locum extorqueant: quia in Deo firmiſſimum eſt argumentum à gloria ad eſſentiam: quæ duo inſeparabilia ſunt.

7. *Seipſum exinanivit.*] Inanitio hæc eadem eſt cum humiliatione de qua poſtea videbimus. Sed ἑαυτὸν ἐκένωσε hoc dictum, pro In nihilum redigi. Non potuit quidem Chriſtus abdicare ſe divinitate: ſed eam ad tempus occultam tenuit, ne appareret ſub carnis infirmitate. Itaque gloriam ſuam non minuendo, ſed ſupprimendo, in conſpectu hominum depoſuit. Quæritur an id fecerit quatenus homo. Eraſmus affirmat. Sed ubi erat forma Dei aotequam homo eſſet? Itaque reſpondendum eſt, de toto Chriſto Paulum loqui, ut eſt Deus manifeſtatus in carne: hanc tamen inanitionem non convenire niſi ſoli humanitati. quemadmodum ſi de homine ita loquar, Homo quum ſit mortalis, nimis ſtupidus eſt qui nihil niſi mundum cogitat: totum quidem hominem intelligo, mortalitatem vero non attribuo oiſi parti ejus, boc eſt, corpori. Quum ergo una ſit Chriſti perſona ex duabus naturis conſtans, merito dicit Paulus, eum qui Filius erat Dei, re ipſa Deo æqualis, abſtinuiſſe tamen ſua gloria, quum in carne ſpeciem ſervi præ ſe tulit. Quæritur etiam ſecundo, quomodo exinanitus dicatur, qui tamen miraculis ſemper & virtutibus Filium Dei ſe comprobavit: &
in quo teſtatur Joannes, ſemper conſpicuam fuiſſe *Joan. 1.*
gloriam dignam Filio Dei. Reſpondeo, carnis hu- *verſ. 14.*
militatem nihilominus fuiſſe ioſtar veli, quo divina
majeſtas tegebatur. qua ratione nec ſuam transfigu- *Mat. 17.*
rationem voluit publicari, donec reſurrexiſſet: & *verſ. 9.*
quum horam mortis ſentit appropinquare, tunc di- *Joan. 17.*
cit, Pater clarifica Filium. Ideo & Paulus Filium *verſ. 1.*

Rom. 1: 4. Dei fuiſſe declaratum alibi docet per reſurrectiooem. 2 Cor. 13. verſ. 4. Item alibi, paſſum fuiſſe ex infirmitate carois. Denique ſic enituit Dei imago in Chriſto, ut tamen abjectus eſſet exteroo aſpectu, & hominum opinione in nihilum redactus. nam geſtabat ſervi formam, & ea conditione naturam noſtram induerat, ut in ea Rom. 15. verſ. 8. ſervus eſſet Patris: imo etiam hominum. Paulus enim miniſtrum Circumciſionis vocat: & ipſe de ſe Mat. 20. verſ. 28. teſtatur, quod venerit ad miniſtrandum. Et longe Jeſa. 42. verſ. 1. aote idem ab Jeſaia fuerat prædictum, Ecce ſervus meus, &c. *In ſimilitudine hominum.* [illegible] hic perinde valet ac Conſtitutus. Paulus eoim ſignificat redactum fuiſſe io hominum ordinem, ut ſpecie ipſa nihil à communi hominum ſorte differret. Marcionitæ hoc teſtimonio abuſi ſunt ad probandum ſuum phantaſma quod ſomniabant: ſed nullo negotio refelli poſſunt: quia hic Paulus nihil aliud diſputat, niſi qualiter ſe geſſerit Chriſtus, aut qua conditione verſatus ſit in mundo. Qui vere erit homo, tamen aliis diſſimilis cenſebitur ſi ita ſe gerat quaſi exemptus eſſet ab aliorum lege. Hoc in Chriſto fuiſſe Paulus oegat, ſed ita vixiſſe, ut quivis ex homioum numero appareret. & tamen longe aliud erat quam homo, etiamſi vere eſſet homo. Nimis ergo pueriliter Marcionitæ, qui ex ſimili cooditione ducebant argumentum ad negandam naturæ veritatem. *Repertus*, hic ſignificat Cognitum, vel conſpectum. Nam de æſtimatione tractat, ut dictum eſt. hoc eſt, ſicuti prius aſſeruit re ipſa fuiſſe Deum Patri æqualem, ita hic commemorat tanquam abjectum & communis ſortis habitum fuiſſe. Semper aotem repetendum eſt quod nuper dixi, voluntariam fuiſſe ſubmiſſionem.

8. *Factus eſt obediens.*] Jam hæc ingens erat humilitas, ſe ex domino feciſſe ſervum: ſed ulterius progreſſum fuiſſe dicit, quod quum non modo immortalis eſſet, ſed vitæ mortiſque dominus, tamen Patri obſequutus fuerit uſque ad mortem obeundam. Fuit iſta extrema dejectio: præſertim ubi conſideratur genus mortis, quod mox ſubjungit exaggerandi cauſa. Nam ita moriendo non tantum ignominioſus fuit coram hominibus, ſed etiam coram Deo maledictio. Tale certe eſt humilitatis exemplum, ut omnium hominum mentes abſorbere debeat: taotum abeſt ut pro dignitate verbis poſſit explicari.

9. *Propterea ſuperexaltavit.*] Addita conſolatione, ſummopere expetendam docet abjectionem, quam humanum ingeoium refugit. Nemo quidem non fatebitur juſtum à nobis poſtulari, quum jubemur imitari Chriſtum. Sed hæc ratio nos movet ut eum libentius imitemur, quum audimus nihil eſſe nobis melius quam formari ad ejus imagioem. Quod autem beati ſint quicunque ſponte humiliaotur cum Chriſto, probat ejus exemplo: nam à deſpectiſſima ſorte evectus fuit in ſummam altitudinem. Quicunque ergo ſe humiliat, ſimiliter exaltabitur. quis nunc ſubmiſſionem recuſet, qua in gloriam regni cæleſtis conſcenditur? Hic locus occaſionem dedit Sophiſtis, vel ipſi potius eam arripuerunt, ut dicereot Chriſtum primo ſibi meritum eſſe, deinde aliis. Primum, etiamſi nihil falſi dicerent, tamen fugiendæ ſunt profanæ iſtæ cogitationes quæ Chriſti gratiam obfuſcant: dum imaginamur alia quam ſalutis noſtræ cauſa veniſſe. Quis non videat hoc à Satana ſuggeri, Chriſtum in cruce paſſum, ut ſibi compararet operis ſui merito quod non habebat? Nam Spiritus ſanctus nihil aliud vult nos in morte Chriſti cernere, guſtare, reputare, ſentire, agnoſcere, quam meram Dei bonitatem: tantumque Chriſti ipſius, ac tam inæſtimabilem amorem erga nos, ut ſui oblitus, ſe vitamque ſuam nobis impenderit. Quoties de morte Chriſti loquitur Scriptura, fructum pretiumque illius in nobis ſtatuit: quod per eam redempti ſimus, Deo reconciliati, reſtituti in juſtitiam, à ſordibus noſtris mundati, vita acquiſita ſit, janua vitæ aperta. Quis ergo neget, iſtos Satanæ inſtinctu contra reclamare, præcipuum eſſe fructum in ipſo Chriſto, ipſum priorem ſui quam noſtri rationem habuiſſe, ſibi ante gloriam eſſe promeritum, quam nobis ſalutem? Deinde verum eſſe nego quod aſſeruot: & Pauli verba impie ab ipſis torqueri in ſui mendacii probationem, dico. Nam quod dictio illativa conſequentiam hic magis ſonet quam cauſam, hinc patet, quod alioqui ſequetur, hominem divinos honores poſſe mereri, & ipſum Dei thronum acquirere. quod non modo abſurdum, ſed dictu etiam horreodum eſt. Quam enim Chriſti exaltatiooem hic Apoſtolus prædicat? nempe ut in ipſo impleatur quicquid ſibi apod Jeſaiam vendicat ſolus Deus. Ergo Dei gloria, & quæ ſic illi propria eſt majeſtas, ut alio transferri nequeat, merces erit humani operis. deinde ſi dictionem urgeant nullo abſurditatis reſpectu, reſpooſio facilis eſt: ſic nobis datum à Patre eſſe, ut tota vita ſpeculum ſit nobis deſtinatum. Quemadmodum igitur ſpeculum etiamſi ſplendorem habeat, non ſibi habet, ſed in eum finem ut penes alios ſit uſus & commodum: ita nec Chriſtus ſibi quicquam vel quæſivit, vel accepit, ſed nobis omoia. Quid enim quæſo nova exaltatione indigebat qui æqualis erat Patri? Diſcant ergo pii lectores, Sorbonicos ſophiſtas cum tortis ſuis ſpeculationibus deteſtari. *Dedit illi nomen.* Nomen hic pro dignitate capitur: quod eſt in omnibus linguis ſatis tritum. Jacet ſine nomine truncus. præſertim vero Scripturæ familiaris eſt loquutio. Significat ergo, ſummam Chriſto poteſtatem eſſe datam, & in ſupremo honoris gradu eſſe collocatum: ut nulla neque in cælo, neque in terris par dignitas reperiatur: unde ſequitur nomen eſſe divinum. Atque id etiam exponit adducens verba Jeſaiæ: ubi Propheta de cultu Dei per totum orbem propagando diſſerens, ita loquentem inducit Deum, Vivo ego, mihi flectetur omne genu, & omnis lingua jurabit mihi, &c. Jeſa. 45. verſ. 23. Certum eſt autem adorationem illic notari, quæ ſoli Deo peculiariter convenit. Scio quoſdam ſubtiliter philoſophari in nomine Jeſu, quaſi à nomine ineffabili Jehovah ſit deductum. Sed in rationibus quas allegant, nihil ſolidi reperio: ego autem inanibus argutiis non oblector: & periculoſum eſt in re tanta ludere. Præterea quis non videt, coactam eſſe, & nihil minus quam genuinam expoſitionem, quum Paulus loquatur de tota Chriſti majeſtate, reſtringere ejus ſententiam ad duas ſyllabas? perinde acſi quis elementa in dictione Alexander excutiat, ut magnitudinem inveniat nominis quod ſibi peperit Alexander. Illorum igitur argutia parum firma: commentum vero alienum à meote Pauli. Sed pluſquam ridiculi ſunt Sorbooici ſophiſtæ, qui ex præſenti loco colligunt, genu flectendum eſſe quoties nomen Jeſu pronunciatur: quaſi vox eſſet magica, quæ totam in ſono vim haberet incluſam. Atqui de honore loquitur Paulus, qui Filio Dei, non ſyllabis exhibendus eſt.

10. *Omne genu flectatur.*] Tametſi hoc quoque ritu adorantur homines: non eſt tamen dubium, adorationem hic notari quæ eſt Dei propria: cujus ſymbolum eſt genuflexio. In quo obſervare convenit, noo ioteriore modo cordis affectu, ſed externa quoque profeſſione colendum eſſe Deum, ſi velimus illi reddere quod ſuum eſt. Itaque econverſo, quum vult deſignare legitimos ſuos cultores, dixit illos 2 Reg. 19. verſ. 18. non flexiſſe genu coram imagine Baal. Sed hic exoritur quæſtio, ad divinitatemne, an ad humanitatem Chriſti hoc pertineat. Utrumvis enim non vacat abſurdo. Divinitati enim nihil dari potuit novum. Humanitati per ſe aut ſeorſum nequaquam competit tanta exaltatio, ut pro Deo adoretur. Reſpondeo, de tota Chriſti perſona hoc, ut multa alia, prædicari, quatenus eſt Deus manifeſtatus in carne. Nequa enim aut ſecundum humanitatem ſolam, aut ſecundum

dum ſolam divinitatem humiliavit ſeipſum: ſed quia carne noſtra indutus, ſub ejus infirmitate delituit. Ita rurſus Filium ſuum Deus in eadem carne, in qua abjectus & ignobilis vixerat in mundo, evexit ad ſummum honoris gradum, ut ad dexteram ſuam ſedeat. Sed videtur Paulus ſibi male conſtare, qui ad Romanos 14. v. 11. hoc idem teſtimonium citat, dum probare vult Chriſtum ſemel fore judicem vivorum & mortuorum. Atqui non eſſet appoſitum ad eam rem, ſi jam impletum foret: quemadmodum hic teſtatur. Reſpondeo, ita regnum Chriſti habere, ut creſcat in dies, ac in melius provehatur: perfectionem vero nondum conſtare, neque conſtaturam ante ultimum diem judicii. Ita utrumque verum eſt: & Chriſto nunc ſubjecta eſſe omnia: & hanc tamen ſubjectionem non fore plenam ante diem reſurrectionis: quia tunc perficietur quod nunc inchoatum eſt duntaxat. Proinde vaticinium hoc non abſque ratione diverſis temporibus varie accommodatur, ut alia omnia Chriſti regnum non definiunt articulo temporis, ſed in toto ſuo curſu deſcribunt. Cæterum inde colligimus, Chriſtum eſſe Deum illum æternum qui per Jeſaiam loquutus eſt. *Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Quum à cælis uſque ad inferos omnia Chriſto ſubjiciat Paulus: pueriliter nugantur Papiſtæ, purgatorium eliciendo ex ejus verbis. Talis autem eſt eorum ratiocinatio: tantum abeſſe quin diaboli Chriſto genu flectant, ut omnibus modis in eum ſint rebelles, & aliis auctores rebellionis: quaſi vero non ſcriptum ſit, eos ad ſolam Dei mentionem contremiſcere. Quid igitur, quum ad Chriſti tribunal coram ventum fuerit? Fateor ſane illos non ſponte eſſe, nec propenſo obſequio fore unquam ſubjectos. ſed neque Paulus de voluntaria obedientia hic loquitur: quin potius tale retorqueamus in ipſos ἀντιστρόφως, Ignis purgatorius, ſecundum eos, temporalis eſt, & in die judicii abolebitur. ergo de purgatorio non poteſt hic locus intelligi: quia Paulus alibi impletum iri hoc vaticinium negat, donec Chriſtus in judicium apparuerit. Quis non videt, in putidis iſtis argutiolis eſſe his pueros? *Jacob. 2. verſ. 19.*

11. *In gloriam eſt Dei Patris.*] Poſſet etiam legi In gloria: quoniam particula εἰς ſæpe loco ἐν accipitur. Ego tamen malo retinere propriam ſignificationem, hoc ſenſu, quod Dei majeſtas ſicuti per Chriſtum manifeſtata fuit hominibus, ita in Chriſto reluceat: & Pater glorificetur in Filio. Vide Joan. 5. & 17. & habebis hujus loci expoſitionem.

12. Itaque amici mei, quemadmodum ſemper obediſtis, ne quaſi in præſentia mea ſolum, ſed nunc multo magis in abſentia mea, cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.

13. Deus enim eſt qui efficit in vobis & velle & efficere, pro bona voluntate.

14. Omnia facite abſque murmurationibus & diſceptationibus,

15. Ut ſitis tales, de quibus nemo conqueratur, & ſinceri, filii Dei irreprehenſibiles, in medio generationis pravæ & tortuoſæ: inter quos lucete tanquam luminaria in mundo:

16. Sermonem vitæ ſuſtinentes, in gloriam meam, in diem Chriſti, quod non fruſtra cucurrerim, nec fruſtra laboraverim.

12. *Itaque &c.*] Totam illam proximam exhortationem claudit generali ſententia, ut ſub manu Domini ſe humilient. Nam id facile efficiet ut depoſita omni ferocitate, faciles ſint inter ſe ac manſueti. Hæc ſola idonea ratio eſt qua manſueſcere diſcat humanum ingenium, ubi Dei comparatione in ſeipſum inquirit, qui ſibi ſeorſum in ſuis latebris placebat. *Quemadmodum ſemper obediſtis.* Laudat priorem obedientiam, ut magis ad pergendum eos animet. Quia autem hypocritarum eſt, oculis ſe probare: ubi autem ſubducti ſunt è conſpectu, ſibi liberius quaſi amota reverentiæ & timoris cauſa, indulgere: admonet ne ad oculum modo ſe obſequentes præbeant, ſed etiam abſenti obediant: idque multo magis. nam ſi adeſſet, coram aſſiduis monitionibus ſtimulare ipſos & urgere poſſet: nunc ergo opus eſt, dum procul abeſt monitor, ut ipſi ſibi inſiſtant. *Cum timore & tremore.* In hoc Philippeoſes ſuam obedientiam vult teſtari & approbare, ut ſint ſubmiſſi & humiles. Hic porro fons eſt humilitatis, agnoſcere quam ſimus miſeri, & omnis boni inopes: ad quem ipſos revocat hac ſententia. Unde enim ſuperbia, niſi ex ſecuritate, quam parit cæca confidentia, dum nobis placemus, & potius inflati ſumus virtutis noſtræ fiducia, quam recumbimus in Dei gratiam? Huic vitio contrarius eſt timor, ad quem hortatur. Tametſi autem in contextu prior eſt exhortatio, quam doctrina: ordine tamen eſt poſterior, quoniam ex ea ducitur. Proinde à doctrina incipiam.

13. *Deus eſt qui operatur.*] Hæc eſt vera machina ad deſtruendam omnem altitudinem. hic gladius ad conficiendam omnem ſuperbiam, dum audimus, nos prorſus nihil eſſe, ac nihil poſſe, niſi ſola Dei gratia. Intelligo gratiam ſupernaturalem quæ provenit ex Spiritu regenerationis. Nam quatenus ſumus homines, jam in Deo ſumus, & vivimus, & movemur. verum hic de alio motu diſputat Paulus, quam illo univerſali. Videamus nunc quantum Deo tribuit, quid relinquat nobis. Duæ ſunt præcipuæ partes in agendo, voluntas & potentia effectus: utramque in ſolidum Deo aſſerit. quid amplius nobis reſtat in quo gloriemur? Nec dubium eſt quin perinde valeat hæc partitio, acſi Paulus uno verbo totum dixiſſet. Voluntas enim, fundamentum eſt: effectus, abſoluta ædificii ſuperficies. Ac multo plus expreſſit, quam ſi Deum initii & finis auctorem dixiſſet. Tunc enim cavillarentur Sophiſtæ, aliquid medium relinqui hominibus. nunc autem quid omnino proprium nobis reperient? Multum ſudant in ſuis ſcholis ut liberum arbitrium concilient cum Dei gratia. Dico quale ipſi fingunt, quod & flexibile ſit proprio motu, & propriam ſeparatamque facultatem habeat, qua Dei gratiæ cooperetur. De nomine non litigo, ſed de re ipſa. Ut ergo liberum arbitrium conveniat cum gratia, ita partiuntur: ut Deus quidem liberam electionem in nobis reparet, qua poſſimus bene velle, ita facultatem bene volendi ferunt Deo acceptam: homini vero bonam voluntatem aſſignant. Atqui hanc Paulus abſque exceptione, Dei opus eſſe pronunciat. Non enim dicit, corda noſtra tantum flecti vel incitari, vel adjuvari bonæ voluntatis infirmitatem: ſed bonam voluntatem prorſus à Deo effici. Quod autem calumniantur, nos ſimiles facere homines lapidibus, quum docemus nihil eos boni habere, niſi à mera gratia: impudenter faciunt. Fatemur enim, nos à natura habere voluntatem: ſed quoniam peccati corruptione mala eſt, tunc bona eſſe incipit quum reformata eſt à Deo. Nec dicimus hominem quicquam boni facere, niſi volentem: ſed tunc quum voluntas regitur à Spiritu Dei. Ergo quod ad hanc partem ſpectat, videmus Deo integram aſſeri: ac frivolum eſſe quod ſophiſtæ docent, offerri nobis gratiam, & quaſi in medio poni, ut eam amplectamur ſi libeat. Niſi enim efficaciter ageret Deus in nobis, non diceretur efficere bonam voluntatem.

De ſecunda parte idem ſentiendum. Deus inquit, eſt ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν. Perducit igitur ad finem uſque pios affectus quos nobis inſpiravit, ne ſint irriti: Eze. 11. verſ. 20. ſicut per Ezechielem promittit, Faciam ut in præceptis meis ambulent. Unde colligimus perſeverantiam quoque merum eſſe ejus donum. *Pro bona voluntate.* Alii interpretantur, Bonum animi propoſitum. Ego potius ad Deum refero, ac benevolum ejus affectum intelligo, quem vulgo beneplacitum vocant. Nam & in hac ſignificatione frequentior eſt verbi Græci uſus, & contextus id requirit. Huc enim tendit Paulus, ut omnia Deo tribuat, nobis auferat. Ergo non contentus tribuiſſe Deo & bonæ voluntatis & operis effectum, utrumque gratuitæ ejus miſericordiæ adſcribit: quo excludit ſophiſtarum commentum de gratia ſubſequenre, quam imaginantur meriti eſſe mercedem. Totum igitur curſum vitæ noſtræ, ſi recte vivimus, dirigi à Deo tradit: idque gratuita ejus bonitate. *Cum timore & tremore.* Hinc Paulus infert exhortationem: cum timore ut ſalutem ſuam peragant. Timorem & tremorem augendi cauſa, ſuo more conjungit, pro ſerio timore & ſollicito. Ergo tam ſomnolentiam, quam confidentiam excutit. Operandi verbo ignaviam caſtigat, quæ ſemper ad quærendos profectus ingenioſa eſt. Suave autem fomentum habere videtur in gratia Dei: quia ſi in nobis operatur, cur non reſides torpeamus? Atqui Spiritus ſanctus admonet, ſe velle in vivis organis operari: ſed mox arrogantiam retundit, timorem & tremorem commendans. Ac notanda eſt diligenter illatio: A Deo, inquit, habetis omnia. Ergo ſolliciti & humiles eſtote. Nihil enim eſt quod magis ad modeſtiam & timorem erudire nos debeat, quam dum audimus, nos ſola Dei gratia ſtare: mox ruituros, ſi manum ille ſuam vel tantillum ſubtrahat. Fiducia noſtri ſecuritatem generat & ferociam. Hoc experimur, quicunque propriis viribus confidunt, eos inſoleſcere arrogantia, & ſimul ſecuros dormire. Utriuſque igitur mali remedium eſt ſi nobis diffiſi, toti pendeamus ab uno Deo. Et certe is vere profecit tam in gratiæ Dei cognitione, quam ſuæ infirmitatis, qui expergefactus à ſecuritate, Dei opem ſedulo requirit: qui vero ſuarum virium fiducia ſunt elati, eos neceſſe eſt ſimul ebrios eſſe ſecuritate. Quare impudens eſt calumnia qua nos gravant Papiſtæ, nempe quod extollendo Dei gratiam, & liberum arbitrium deprimendo, ſocordes reddamus homines, excutiamus timorem Dei, ſollicitudinem tollamus. Atqui vident lectores Paulum hic non ex Papiſtarum doctrina, ſed ex noſtra, colligere materiam exhortationis. *Deus*, inquit, *omnia facit in vobis*: ergo cum timore vos illi ſubjicite. Non equidem nego quin multi, audientes nihil eſſe boni in nobis, ſibi in ſuis vitiis liberius indulgeant. Sed nego hanc eſſe doctrinæ culpam, quæ accepta ut decet, ſollicitudinem in cordibus noſtris parit. Cæterum abutuntur hoc loco Papiſtæ ad labefactandam fidei certitudinem. nam qui trepidat, is incertus eſt. Sic ergo accipiunt Pauli verba, quaſi nos tota vita in fiducia ſalutis vacillare oporteat. Atqui niſi Paulum ſecum velimus committere, hic ad dubitationem nequaquam hortatur: quandoquidem ubique fiduciam & πληροφορίαν commendat. Sed facilis eſt ſolutio, ſiquis verum ſenſum abſque contentione quærit. Duæ ſunt timoris ſpecies: una eſt quæ ſollicitudinem cum humilitate generat: altera, dubitationem. Prior opponitur tam carnis ſecuritati & ignaviæ, quam elationi: altera, certitudini fidei. Deinde obſervandum eſt, ſicuti in Dei gratia certo acquieſcunt fideles, ita dum ad ſuam fragilitatem referunt oculos, minime ſecuros dormire, ſed periculorum timore excitati ad preces. Attamen tantum abeſt ut timor hic tranquillum conſcientiæ ſtatum perturbet, ac fiduciam concutiat, ut potius confirmet. Facit enim noſtri diffidentia ut fortius reclinemus in Dei miſericordiam. Atque id ſonant Pauli verba. nihil enim à Philippenſibus requirit, quam ut ſe Deo cum vera ſui abnegatione ſubmittant. *Veſtram ſalutem operamini.* Quemadmodum olim Pelagiani, ita hodie Papiſtæ locum hunc faſtuoſe jactant ad extollendam hominis virtutem. Quin etiam dum illis objicitur ſuperior ſententia, Deus eſt qui operatur &c. hoc quaſi clypeo protinus eam retundunt, Operamini ſalutem veſtram. Quum ergo Deo & homini communiter tribuatur opus, dimidium ſingulis aſſignant. In ſumma, ex verbo Operandi, liberum arbitrium; ex nomine Salutis, meritum æternæ vitæ eliciunt. Reſpondeo, ſalutem pro toto vocationis noſtræ curſu accipi: & hoc nomine comprehendi omnia quibus Deus eam, ad quam nos gratuita ſua electione deſtinavit, perfectionem implet. Id nemo niſi pervicax & impudens, negabit. Eam dicimur Perficere, quum à Spiritu ſancto gubernati, ad beatam vitam aſpiramus. Deus eſt qui vocat, qui ſalutem offert: officii noſtri eſt, fide amplecti quod dat, obedientia reſpondere ejus vocationi. ſed neutrum habemus ex nobis. Tunc ergo facimus, quum ipſe ad agendum nos præparavit. Verbum quo utitur, proprie ſignificat, ad finem perducere: ſed memoria tenendum eſt quod dixi, Paulum non diſputare quouſque facultas noſtra ſe extendat, ſed ſimpliciter docere, Deum ita agere in nobis, ut non tamen ſinat nos pigreſcere, ſed arcano inſtinctu impulſos ſtrenue exerceat.

14. *Abſque murmurationibus.*] Hi ſunt fructus humilitatis ad quam cohortatus fuerat. Nam quiſquis nihil ſibi tribuens, ſollicite ſe Deo ſubjicere didicit, placide etiam ſe gerit inter homines. Ubi ſibi quiſque placet, duo vitia illic regnant: quod alii aliis obloquuntur: deinde apertas contentiones. Adjicit tertium, ne dent aliis occaſionem conquerendi: quod ex moroſitate nimia provenire ſolet. Non ſunt quidem ſemper reformidanda odia: verum danda opera eſt ne culpa noſtra reddamus nos odioſos: quo impleatur illud in nobis, Gratis me habuerunt odio. Pſal. 35. verſ. 19. Quanquam ſiquis latius extendat, non repugno. Nam inde murmura & diſceptationes, dum ſibi quiſque ultra modum ſtudens, aliis dat occaſionem conquerendi. Imo active poteſt capi hæc dictio, ut ſignificet Non moleſtos, nec querulos. Atque hæc ſignificatio contextui non male conveniet: quia ſemen fere omnium jurgiorum & obtrectationum μεμψιμοιρία eſt. Adjungit, *ſinceros*: quia ex purgatis animis nunquam emergent illæ fæces.

15. *Filii Dei irreprehenſibiles.*] Sic reſolvi debet, Irreprehenſibiles, quia filii Dei eſtis. Nam Dei adoptio, cauſa eſſe debet vitæ inculpatæ, ut Patrem noſtrum aliqua ſimilitudine referamus. Quanquam autem nunquam extitit talis perfectio in mundo ut nihil reprehenſione dignum inveniretur: irreprehenſibiles tamen vocantur qui toto ſtudio illuc aſpirant, quemadmodum alibi dictum eſt. *In medio generationis pravæ.* Vivunt quidem in terra fideles impiis permiſti: communem aerem ſimul hauriunt, communi fruuntur ſolo. ac tunc etiam magis diſperſi erant: quia vix reperta fuiſſet pia una domus quæ non undique circumdaretur incredulis. Eo magis ſtimulat Philippenſes Paulus, ut ſollicite ſibi caveant ab omnibus corruptelis. Senſus eſt igitur, Eſtis quidem incluſi inter malos: ſed interea memineritis Dei adoptione vos ſeparatos eſſe ab illis. ſint igitur conſpicuæ notæ in vita quæ vos diſcernant. Quin etiam magis excitare vos debet ad piæ ſanctæque vitæ ſtudium hæc ratio, ne vitiis illorum & contagione impliciti, para quoque ſitis regenerationis tortuoſæ. Quod infideles appellat *generationem pravam & tortuoſam*, ad circumſtantiam loci ſpectat. Cavendum enim eo diligentius monet, quia multa ſcandala ingerantur ab infidelibus quæ rectum eorum curſum turbent: totaque infidelium vita quaſi labyrinthus ſit diverſorum flexuum qui à via nos abducant. Cæterum

ſunt

ſunt nihilomious perpetua epitheta, quæ omnium gentium & temporum fidelibus competunt. Nam ſi pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quales erunt ejuſmodi radicis fructus? Docemur ergo his verbis, nihil eſſe in vita hominis purum, nihil rectum, donec à Spiritu Dei reformatus fuerit. *Inter quos lucete tanquam luminaria in mundo.* Dubia eſt verbi Græci terminatio. poſſet enim legi indicativo modo, Lucetis: ſed exhortationi melius quadrat imperativus. Vult fideles inſtar lampadum eſſe, quæ in mundi tenebris luceant. acſi diceret, Sunt quidem infideles filii noctis: & in mundo nihil eſt præter tenebras. Sed in hunc finem illuminavit vos Deus, ut refulgeat vitæ veſtræ puritas in his tenebris, quo illuſtrior ap-
Jeſa. 60. verſ. 2. pareat ſua gratia. Sic etiam apud Prophetam habetur, Super te orietur Dominus, & videbitur in te ejus gloria. Mox ſequitur, Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore vultus tui. Tametſi de doctrina potius illic concionatur Jeſaias: hic autem Paulus de vitæ exemplo. doctrinæ etiam re-
Mat. 5. verſ. 14. ſpectu, Chriſtus peculiariter alibi Apoſtolos Lucem mundi appellat.

16. *Sermonem vitæ ſuſtinentes.*] Ratio cur luminaria eſſe debeant: quia portant ſermonem vitæ, à quo illuminantur, ut etiam aliis luceant. Alludit autem ad lucernas in quibus collocantur ellychnia quæ ardeant, ac nos lucernis facit ſimiles. Sermonem Dei comparat ellychnio, unde eſt lumen. Si aliam ſimilitudinem malis, Nos candelabra ſumus: doctrina Euangelii, candela eſt, quæ nobis impoſita fulgorem circumquaque reddit. Significat autem nos injuriam facere verbo Dei, niſi vitæ puritate in no-
Mat. 5. verſ. 15. bis refulgeat. Huc pertinet Chriſti dictum, Nemo lucernam accendit, & ponit ſub modio, &c. Sic autem dicimur portare ſermonem vitæ, ut interea ab ipſo portemur: quandoquidem ſumus in eo fundati. Sed modus portandi de quo Paulus agit, hic eſt: quod doctrinam ſuam hac lege apud nos depoſuit, non ut ejus lucem ſuppreſſam & otioſam teneamus, ſed ut proferamus ad alios. Summa eſt, Quicunque illuminati ſunt cæleſti doctrina, lucem circumferre, quæ probra eorum prodat & retegat, niſi ſancte & caſte ambulent: ſed lucem hanc ideo accenſam eſſe, ut non ipſi modo dirigantur in recta via, ſed aliis quoque eam præmonſtrent. *In gloriam mihi.* Augendi animi cauſa, id ſibi fore glorioſum teſtatur, ſi non fruſtra laboraverit in illis. Non quia perdant operæ ſuæ pretium ac mercedem qui fideliter laboraverint, ſed ſine effectu. Verum quum ſucceſſus miniſterii noſtri ſit ſingularis Dei benedictio: non miremur ſi eum quoque inter reliqua ſua dona coronet Deus. Quemadmodum ergo honorabilem Pauli Apoſtolatum nunc faciunt tot Eccleſiæ per ipſum acquiſitæ Chriſto: ita non dubium eſt quin hæc trophæa locum habitura ſint in regno Chriſti: ſicut paulo poſt dicet, Vos eſtis corona mea. Nec dubium quin eo ſplendidior futurus ſit triumphus, quo ampliores res geſtæ erabunt. Siquis roget, quomodo glorietur
Paulus nunc in ſuis laboribus, qui alibi vetat, non *2 Cor 11. verſ. 11.*
alibi quam in Domino gloriari: facilis reſponſio eſt, Ubi nos noſtraque omnia proſtravimus coram Deo, & totam in Chriſto gloriam noſtram repoſuimus, licere quoque per Chriſtum in Dei beneficiis gloriari, ſicuti viſum eſt in Epiſtola priore ad Corinth. Particula *In diem Domini*, ſtimulus eſt Philippenſibus ad perſeverantiam, dum illis proponitur Chriſti tribunal unde expectanda eſt fidei merces.

17. Quinetiam ſi immoler ſuper hoſtia & ſacrificio fidei veſtræ, gaudeo & congaudeo vobis omnibus.

18. De hoc ipſo gaudete, & congaudete mihi.

19. Spero autem in Domino, Timotheum brevi me ad vos miſſurum, ut ego quoque tranquillo ſim animo, poſtquam ſtatum veſtrum cognoverim.

20. Neminem enim habeo pari animo præditum, qui germane res veſtras curaturus ſit.

21. Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Chriſti Jeſu.

22. Porro experimentum ejus tenetis, quod tanquam cum patre filius, ita mecum ſervivit in Euangelium.

23. Hunc igitur ſpero me miſſurum, ſimulac mea negotia videro.

24. Confido autem in Domino quod ipſe quoque brevi ſim venturus.

17. *Si immoler.*] Græce eſt σπένδομαι. quamobrem mihi alludere videtur ad hoſtias quarum mactatione inter veteres ſanciebantur pactiones & fœdera. Nam σπονδὰς proprie vocant Græci victimas quibus pacta mactantur. hoc modo vocat mortem ſuam fidei illorum confirmationem, ut certe futura erat. Verum quo totus locus ſit clarior, dicit ſe Deo ſacrificaſſe, quum eos conſecravit per Euangelium. Similis eſt loquutio ad Romanos capite 15. v. 16. illic enim ſe inducit ſacerdotem, qui Gentes Deo immolet per Euangelium. Quemadmodum autem Euangelium eſt ſpiritualis gladius ad cædendas victimas: ita fides eſt quaſi ipſa oblatio. nulla enim fides ſine mortificatione, per quam Deo conſecramur. Ponit autem θυσίαν & λειτουργίαν: quorum prius refertur ad Philippenſes qui Deo fuerunt oblati: ſecundum autem ad Paulum: nam eſt ipſe ſacrificandi actus. Tantum quidem valet atque adminiſtratio, & ita complectitur functiones & munera cujuſvis generis: ſed hic ad cultum Dei proprie ſpectat, quemadmodum Latini dicunt Operari ſacris. Nunc Paulus dicit ſe lætum fore ſi immolandus ſit ſuper ejuſmodi ſacrificio: quo ſcilicet magis ratum ſit & firmum. Hoc eſt ea animo docere Euangelium, quum parati ſumus proprio ſanguine, quod docemus, ſancire. Cæterum hinc colligenda eſt utilis doctrina de natura fidei: non eſſe ſcilicet rem inanem, ſed quæ hominem Deo conſecret. Simul habent hic Euangelii miniſtri eximiam conſolationem, qui prædicantur eſſe Dei ſacerdotes ad offerendas illi hoſtias. Quo enim ardore incumbere debet in prædicandi ſtudium qui novit acceptum hoc Deo ſacrificium eſſe? De hoc genere ſacrificii quum nihil teneant miſeri Papiſtæ: aliud confingunt, quod extremum eſt ſacrilegium. *Congaudeo*, inquit, *vobis*: ut ſi contigeret ipſum mori, ſcirent id fieri ſuo profectu, fructumque ex morte ſua perciperent.

18. *Gaudete.*] Hac alacritate ſua Philippenſes animat & accendit ad mortem fortiter obeundam, in qua nihil mali patiantur fideles. Ante enim docuit lucro ſibi fore mortem: hic tamen præcipue cavet ne mors ſua conturbet Philippenſes. Negat igitur triſtitiæ cauſam eſſe: imo lætandum potius, quia frugiferam ſenſuri ſint. Etſi enim gravis per ſe jactura erat privari tali doctore: illa tamen compenſatio non erat levior, quod ſanguine ejus ſanciebatur Euangelium. Interea admonet ſibi privatim mortem lætam fore. Quod Eraſmus in præſenti vertit, Gaudetis, prorſus alienum eſt.

19. *Spero autem.*] Promittit illis adventum Timothei,

Digitized by Google

motbei, ut ejus expectatione ſe virilius ſuſtineant, neque cedant impoſtoribus. Quemadmodum enim in bello ſpes ſubſidii retinet militum animos ne frangantur: ita etiam bæc cogitatio multum animi dare poterat Philippenſibus, Veniet brevi qui hoſtium noſtrorum machinationibus ſe opponat. Quod ſi tantum valebat ſola expectatio, multo efficacior futura erat præſentia. Notanda conditio qua ſe Dei providentiæ ſubjicit, nihil niſi ea præeunte deliberans: ut certe nihil in futurum ſtatuere licet, niſi ſub manu Domini, ut ita loquar. Quum addit, *Ut tranquillo ſim animo:* amorem erga eos ſuum declarat: utpote qui tam anxius eſſet eorum periculis, ut niſi cognito eorum proſpero ſtatu, non bene haberet.

20. *Neminem babeo pari animo.*] Quanquam nonnulli diverſum ſenſum eliciunt: ego ſic interpretor, Neminem babeo æque animatum ad res veſtras curandas. Potius enim cum aliis, meo judicio, Timotheum Paulus comparat, quam ſecum: & quidem eo conſilio ſingulare ei elogium tribuit, ut propter raritatem majore ſit in pretio.

21. *Omnes enim quæ ſua ſunt.*] Non loquitur de iis qui plane abjecerant ſtudium pietatis, ſed de iis ipſis quos pro fratribus habebat, imo quos ferebat in ſuo contubernio. Illos tamen ita calere dicit in rebus ſuis curandis, ut ſint ad opus Domini frigidiores. Videtur in ſpeciem non eſſe boc grave vitium, ſua quærere: ſed quam ſit in ſervis Chriſti intolerabile, inde patet, quod prorſus inutiles reddit quos occupat. Fieri enim nequit ut ſe Eccleſiæ impendat qui ſibi addictus eſt. Ergone, inquies, nihili homines & fucos Paulus ſecum fovebat? Reſpondeo, non ita accipiendum, quaſi ſuis tantum commodis intenti, nullam prorſus Eccleſiæ curam haberent: ſed quod impliciti privatis commodis, ad publicum Eccleſiæ bonum promovendum negligentiores eſſent. Neceſſe enim eſt alterutrum in nobis affectum regnare: ut vel nobis poſthabitis, feramur ad Chriſtum, & quæ ſunt Chriſti: vel in noſtram utilitatem nimium propenſi, defunctorie Chriſto ſerviamus. Hinc apparet quantum ſit impedimentum Eccleſiæ miniſtris, ſua quærere. nec valent iſtæ excuſationes, Nemini ſum injurius, Habenda eſt etiam mei ratio, Non ſum adeo ferreus, quin mearum etiam commoditatum reſpectu ſolliciter. Jure enim tuo cedendum eſt, ut officium facias: tui ratio Chriſti gloriæ neque præferenda eſt, neque æquanda. Quocunque te vocat Chriſtus, eundum eſt propere, aliis omnibus relictis: ita reſpicienda tibi eſt vocatio tua, ut ab omnibus avocamentis ſenſus tuos omnes avertas. Licet alibi opulentius vivere: at Deus te alligavit Eccleſiæ quæ tenuiter modo te alat. alibi plus honoris: ſed eum tibi locum attribuit Deus in quo bumiliter vivas. alibi ſalubrius cælum, aut amœnior regio: ſed hic tibi ſtatio ordinata eſt. optares tibi cum humaniore populo eſſe negotium: offendit te vel ingratitudo, vel ferocitas, vel ſuperbia: denique tibi cum ingenio & moribus gentis minime convenit: atqui luctandum tibi eſt tecum, & vis quodammodo contrariis votis afferenda, ut Spartam quam nactus es colas. non enim es liber aut tui juris. Denique tui obliviſcaris, ſi velis Deo ſervire. Quod ſi tam ſevere reprebendit eos Paulus, quos major ſui quam Eccleſiæ cura tangebat: quale judicium expectant qui ſuis negotiis prorſus abrepti, Eccleſiæ ædificationem pro nihilo ducunt? ſi nunc blandiuntur ſibi, Deus tamen non ignoſcet. Eatenus concedendum eſt Eccleſiæ miniſtris ſua quærere, ut non impediantur à quærendo Chriſti regno. ſed boc modo jam non dicentur ſua quærere, quoniam à præcipuo ſcopo æſtimatur vita hominis. Quod *omnes* dicit, non urgenda eſt particula univerſalis, ut nullam exceptionem admittas. erant enim alii quoque, qualis Epaphroditus: ſed pauci. verum omnibus tribuit quod paſſim erat vulgare. Quum autem audimus conquerentem Paulum, aureo illo ſeculo, quo virtutes omnes effloruerunt, tam raros fuiſſe vere cordatos: ne animos deſpondeamus, ſi bodie talis ſit noſtra conditio. tantum ſibi quiſque caveat, ne jure in hoc catalogo cenſeatur. Velim tamen mihi reſpondeant Papiſtæ, ubi tunc erat Petrus: quem oportuit eſſe Romæ, ſi vera ipſi narrent. O triſte & fœdum elogium quod illi Paulus inureret. fabulantur ergo quum fingunt Eccleſiæ Romanæ tunc præfuiſſe. Obſerva τὰ Χριστοῦ vocari Eccleſiæ ædificationem: quia tunc vere ejus negotium agimus quum laboramus in excolenda ejus vinea.

22. *Porro experimentum.*] Ad verbum eſt, probationem ejus cognoſcitis: niſi malis imperativo modo, cognoſcite: (vix enim per tempus experimentum capere licuerat) ſed in eo parum eſt momenti. Hoc præcipue notandum, quod fidei & modeſtiæ teſtimonium reddit Timotbeo. fidei eſt quod in Euangelium teſtatur ſerviiſſe ſecum: talis enim conjunctio ſignum erat veræ ſinceritatis. Modeſtiæ autem, quod ſe tanquam patri ſubmiſit. Hanc virtutem laudari nominatim à Paulo, non eſt mirum. fuit enim ſeculis omnibus rara. Hodie quotuſquiſque reperietur juvenum, qui ſenioribus vel tantillum concedat? tanta inſolentia in illa ætate exultat atque ebullit. Hoc loco ut multis aliis, cernimus quam ſedulu pios miniſtros ornare Paulus ſtudeat: neque tam ipſorum cauſa, quam quod totius Eccleſiæ intereſt tales amari & coli, ſummaque auctoritate pollere.

24. *Confido quod ipſe.*] Hoc quoque adjecit, ne putarent aliquid accidiſſe quod profectionis, cujus prius meminerat, conſilium mutaret: ſemper tamen ſub conditione loquitur, Si Domino placuerit. Nam etſi liberationem à Domino ſperabat, diximus tamen quia nulla erat certa promiſſio, hanc ſpem minime fuiſſe fixam, ſed quaſi ſuſpenſam ex arcano Dei conſilio.

25. Porro neceſſarium exiſtimavi Epaphroditum, fratrem, & cooperarium, & commilitonem meum, Apoſtolum autem veſtrum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos.

26. Quandoquidem deſiderabat vos omnes, & erat anxius animi, propterea quod audieratis ipſum infirmatum fuiſſe.

27. Et certe infirmatus fuit, ut eſſet morti vicinus. ſed Deus miſertus eſt illius: neque illius ſolum, ſed etiam mei: ut ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.

28. Studioſius itaque miſi illum, ut eo viſo rurſus gaudeatis, & ego magis vacem dolore.

29. Excipite ergo illum in Domino cum omni gaudio, & qui tales ſunt in pretio habete:

30. Quia propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, exponens periculo animam,
* vel, officio. ut ſufficeret quod deerat veſtro erga me * miniſterio.

25. *Epaphroditum.*] Poſtquam illos ereait ſuo & Timothei adventu promiſſo, in præſentia quoque munit Epaphroditum præmittens: ne interim dum rerum ſuarum certior fiebat, (hæc enim cauſa erat moræ) Paſtore carerent qui recte compoſitum ſtatum tueretur. Multis autem nominibus Epaphroditum ipſum commendat: quod ſit frater & adjutor in negotio Euangelii, quod ſit commilito ſuus. qua voce exprimit qualis ſit conditio miniſtrorum Euangelii; nempe ut in continua militia verſentur. neque enim patietur ipſos Satan Euangelium abſque pugna promovere. Bellum igitur indictum ſibi ac paratum ſciant qui ad Eccleſiæ ædificationem ſe accingunt. Eſt quidem hoc Chriſtianis omnibus commune, merere in Chriſti caſtris: quia omnium hoſtis eſt Satan. Verum præ aliis ſpeciale id verbi miniſtris, qui ordines ducunt ac præferunt vexillum. Præcipue tamen jactare ſua ſtipendia licuit Paulo, qui omni genere præliorum uſque ad miraculum exercitatus fuit. Laudat igitur Epaphroditum, quod ſuorum certaminum ſocius fuerit. Nomen *Apoſtoli* hic generaliter (ut multis aliis locis) capitur pro quolibet Euangeliſta. niſi quis malit pro legato à Philippenſibus miſſo accipere: ut conjunctim legantur hæc duo, legatus ad miniſterium Paulo exhibendum. Sed prior ſenſus melius (meo judicio) convenit. Ponit etiam inter ejus laudes, quod ſibi in carcere miniſtraverit: qua de re moa plenius dicetur,

26. *Deſiderabat vos.*] Signum veri Paſtoris, quod quum procul abeſſet, pioque officio volens diſtineretur, tamen afficiebatur gregis ſui cura & deſiderio: quumque intelligeret ſua cauſa triſtes eſſe oves, anxius erat ipſarum dolore. Viciſſim pia Philippenſium ſollicitudo pro Paſtore ſuo indicatur.

27. *Sed Deus miſertus eſt illius.*] Gravitatem morbi ea preſſerat, quod uſque ad deſperationem vitæ ægrotaſſet Epaphroditus, ut clarius eniteret Dei bonitas in reddita ſanitate. Sed mirum eſt, Apoſtolum prorogatum Epaphrodito vitæ tempus deputare in Dei miſericordia, quum ante teſtatus ſit mortem ſe præoptare. Et quid melius nobis quam ea tot mundi ærumnis liberatos migrare in regnum Dei? præcipue vero ereptos ea peccati ſervitute, in qua ſe miſerum eſſe alibi eaclamat, plenius frui libertate Spiritus, qua adhæreamus Filio Dei.
Rom. 7. verſ. 24.
Longum eſſet enumerare omnia quæ faciunt ut mors fidelibus potior ſit vita & optabilior. Qualis igitur Dei miſericordia, quum nihil quam miſerias noſtras prorogat? Reſpondeo, hæc omnia non efficere quin tamen vita hæc per ſe æſtimata, præclarum ſit Dei beneficium. Præſertim qui Chriſto vivunt, feliciter hic in ſpem cæleſtis gloriæ exercentur: ideoque iis vitam lucro eſſe, paulo ante vidimus. Deinde aliud etiam conſiderandum eſt, non eſſe parvam dignatiooem quum ſe Deus in nobis glorificat. non tam enim reſpicere vitam ipſam convenit, quam vivendi finem. *Sed etiam mei: ut ne triſtitiam.* Fatetur Paulus acerbam ſibi futuram fuiſſe Epaphroditi mortem: & in eo ſibi parcitum ſuiſſe à Deo agnoſcit, quod reſtitutus fuit ſuæ valetudini. Ergo non jactat Stoicorum ἀπάθειαν, quaſi ferreus eſſet ac immunis ab humanis affectibus. Quid igitur? dicet quiſpiam: ubi eſt invicta illa magnitudo animi? ubi indefeſſa conſtantia? Reſpondeo, Chriſtianam patientiam procul à contumacia Philoſophica diſtare: nedum à præfracta illa & immani duritia Stoicorum. Cujus enim virtutis eſſet patienter ferre crucem, ſi in ea nullus ineſſet doloris & acerbitatis ſenſus? Dum vero hunc ſenſum vincit Dei conſolatio, ut non repugnemus, ſed potius volentes tergum præbeamus ferulis: tum vero ſacrificium obedientiæ offerimus Deo acceptum. Ita Paulus fatetur moleſtiam ſe aliquam ſentire & dolorem ex vinculis: ſed eadem illa vincula ob Chriſtum ſuaviter oihilominus ferebat. Fatetur ſe graviter laturum fuiſſe Epaphroditi mortem: ſed tandem affectum ſuum compoſuiſſet ad Dei voluntatem. Quanquam nondum plane ſoluta eſt tota difficultas: nam & tunc probamus noſtram obedientiam, quum vitioſos noſtros affectus frenamus, nec cedimus carnis infirmitati. Duo itaque ſunt notanda: primum affectus quos Deus initio naturæ noſtræ indidit, per ſe non eſſe malos: quia non proveniunt ex naturæ corruptæ vitio, ſed à Deo auctore manant. talis eſt dolor qui ea morte amicorum capitur. Deinde alias fuiſſe Paulo complures cauſas cur lugeret mortem Epaphroditi, nec eas ſolum excuſabiles, ſed prorſus neceſſarias. Hoc primo fidelibus perpetuum eſt, quod in morte cujuſvis de ira Dei adverſus peccatum commonefiunt. ſed Paulus magis Eccleſiæ jactura movebatur, quam cernebat optimo Paſtore deſtitui in tanta bonorum paucitate. Ejuſmodi affectus qui ſublatos prorſus & extinctos volunt, non ſaxeos tantum fingunt homines, ſed feros & truculentos. Cæterum in hac naturæ vitioſitate adeo omnia ſunt in nobis perverſa, ut quocunque moveantur animi noſtri, ſemper modum excedant. Hinc fit ut nihil per ſe tam ſit purum aut rectum quod non aliquid contagionis trahat. Quin Paulus (ut homo erat) humanum aliquid paſſus fuerit in ſuo dolore, non nego. nam & infirmitate laborabat, & tentationibus agitari oportuit, ut certando & reſiſtendo vincendi haberet materiam.

21. *Studioſius miſi illum.*] Non eaiguo ſolatio illi erat Epaphroditi præſentia: adeo tamen Philippenſium ſalutem præferebat ſuæ commoditati, ut dicat ſe lætari ejus diſceſſu; quia triſtis erat, ſua occaſione diſtrahi à grege illi commiſſo, ejuſque officiis quamlibet jucundis invitus fruebatur cum eorum jactura. ideo hilariorem ſe fore Philippenſium gaudio.

29 *Excipite eum cum omni gaudio.*] Omne accipit pro ſincero & effuſo. Rurſuſque eum commendat Philippenſibus. adeo totus in hoc eſt, ut plurimi æſtimentur quicunque ſe probant bonos & fidos Paſtores: neque enim de uno tantum agit, ſed jubet cunctos tales in pretio haberi. ſunt margaritæ ex Dei theſauris pretioſæ: & quo rariores ſunt, eo majore digni pretio. Nec dubium eſt quin ſæpe ingratitudinem noſtram & ſuperbum faſtidium, privando nos bonis Paſtoribus, puniat Deus, dum videt optimos quoſque à ſe datos fere contemni. Qui ergo munitam eſſe Eccleſiam cupit adverſus luporum inſidias & inſultus, exemplo Pauli curet bonis Paſtoribus ſtabilitam auctoritatem: ſicut econverſo nihil magis ſatagunt diaboli organa, quam illam quibuſcunque poſſunt modis peſſundare.

30. *Quia propter opus Chriſti.*] Ad illam infirmitatem refero, quam ſibi aſſidua ſedulitate contraaerat. morbum ergo Epaphroditi inter ejus virtutes refert: ut certe illuſtre erat ſpecimen ferventis ejus zeli. Ægrotare quidem virtus non eſt: ſed ea eſt virtus, ut Chriſto ſervias, tibi non parcere. Sentiebat Epaphroditus valetudini ſuæ fore periculum ſi ultra modum ſibi inſtaret: malebat tamen valetudinem negligere, quam deeſſe officio. Et quo magis hoc factum Philippenſibus commendet, dicit fuiſſe ſupplementum defectus ipſorum: quia ſcilicet procul diſſiti, non poterant operam ſuam Paulo Romæ impendere. Ergo Epaphroditus hac de cauſa miſſus, vices eorum obibat. Vocat opus Domini, obſequia ſibi eahibita, ut certe nihil eſt in quo melius poſſimus operam Deo locare, quam dum ſervos ejus pro Euangelii veritate laborantes juvamus.

Cap. III.

QUod reliquum eſt, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem ſcribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum eſt.

2. Videte canes, videte malos operarios: videte concifionem.

3. Nos enim ſumus Circumciſio, qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu, non autem in carne confidimus.

4. Tametſi ego etiam in carne fiduciam habeo. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis:

5. Circumciſus die octavo, ex genere Iſraël, tribu Benjamin: Hebræus ex Hebræis, ſecundum Legem Phariſæus:

6. Secundum zelum perſequens Eccleſiam: ſecundum juſtitiam quæ eſt in Lege, irreprehenſibilis.

1. *Gaudete in Domino.*] Concluſio eſt ſuperiorum. quia enim quotidianis rumoribus Satan eos percellere non deſinebat, jubet ſecuros eſſe & bono animo. hac ratione ad conſtantiam eos hortatur, ne deficiant à ſuſcepta ſemel doctrina. Et particula *quod reliquum eſt*, continuum tenorem denotat, ne per multa obſtacula ſanctum gaudium protendere deſinant. Rara virtus, ubi nos crucis amaritudine exacerbare molitur Satan, ut inſuave ſit Dei nomen, in ſolo gratiæ Dei guſtu acquieſcere, ut moleſtiæ omnes, dolores, curæ, mœrores dulceſcant. *Eadem ſcribere vobis.* Hic incipit de pſeudoapoſtolis agere: cum quibus tamen non pugnat conſerta manu, ut io Epiſtola ad Galatas: ſed paucis verbis graviter eos refellit, quantum ſatis erat. Nam quia Philippenſes tentaverant modo, non expugnaverant: noo adeo oeceſſaria erat juſta diſputatio ad refelleodos errores, quibus nunquam aures præbuerant. Simpliciter ergo monet ut diligentes ſint & attenti in diſcernendis & cavendis impoſtoribus. Primo autem *canes* appellat, metaphora inde ducta quod ventris ſaturandi cauſa, impuro latratu veram doctrinam impetebant. Perinde ergo eſt acſi impuros aut profanos diceret. oeque enim his aſſentior qui putaot ita dictos quod inviderent aliis, aut eos morderent. Secundo vocat *malos operarios*, ſignificans ſub prætextu ædificandæ Eccleſiæ eos nihil aliud quam perdere & deſtruere omnia. multi enim ſatagunt, quos præſtaret manere otioſos. Quemadmodum præco ille à Graccho per ludibrium, quod ignavus ſedebat, rogatus quidnam ageret, reſponſum habuit in promptu, Imo vero qoid tu agis? Erat enim dux pernicioſi tumultus. Paulus ergo inter operarios vult haberi diſcrimen, ut à malis ſibi caveant fideles. In tertio nomine elegans eſt *παρονομασία*. Gloriabantur illi, ſe Circumciſionem eſſe: eludit hanc jactantiam *conciſionem* vocando, qui lacerarent Eccleſiæ unitatem. In quo exemplum habemus, Spiritum ſanctum in ſuis urganis non ſemper refugiſſe leporem & facetias: à quibus tamen ſcurrilitas abeſſet, indigna ejus majeſtate. Infinita ſunt exempla in Prophetis, ac præſertim in Jeſaia: ut nullus ſit profaous auctor, qui jucundis vocum alluſionibus & figuris magis abundet. Verum magis multo obſervanda eſt vehementia qua Paulus in pſeudoapoſtolos invehitur: quæ certe erumpet ubicunque fervor erit pii zeli. Sed interea cavendum, ne qua intemperies, aut immodica acerbitas ſub colore zeli obrepat. Porro quum dicit, eadem ſcribere ſibi haud eſſe moleſtum: innuere videtur, ſe jam alias ſcripſiſſe Philippenſibus. Verum ita accipere non erit abſurdum, nunc ſcriptis commonefieri de iiſdem rebus, quas ſæpius coram audierant. Neque enim dubium eſt quin voce diſſeruiſſet apud eos ſæpius, quantopere cavendæ ſint iſtæ peſtes. non tamen ipſum piget repetere: quia periculum imminebat Philippeoſibus ex ſilentio. Et certe boni paſtoris eſt, non modo pabulum gregi ſuppeditare, & ſuo ductu regere oves: ſed lupos caulis ingruentes abigere. neque id ſemel: ſed perpetuo ſtare in excubiis, neque unquam fatigari. Nam quum perpetuo vigilent fures & latrones in Eccleſiæ perniciem, qualis excuſatio erit Paſtori, ſi poſtquam fortiter eos aliquoties repulerit, ad nonum aut decimum inſultum deficiat? Utilem vero ejuſmodi repetitionem Philippenſibus eſſe commemorat: ne (ut fieri interdum ſolet) nimis faſtuoſo ſint palato, ac cum emnant quaſi rem ſupervacuam. Sunt enim plerique adeo moroſi, ot bis idem dici non ſuſtineant: nec interea reputant quod illis quotidie ioculcatur, vix tandem poſt annum decimum ſuæ memoriæ hærere. Quod ſi utile Philippenſibos fuit audire hanc Pauli exhortationem, ut diſcernerent lupos: quid ſibi volunt Papiſtæ, dum nullum de ſua doctrina judicium fieri ſuſtinent? Nam quos (obſecro) alloquebatur Paulus, quum dicebat, *Videte*? nonne eos, quibus nullum ipſi diſcernendi jus permittunt? Et de iiſdem etiam loquitur Chriſtus ſimiliter, Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me: alienum fugiunt, neque audiunt ejus vocem. Joan 10. v. 5, 27.

3. *Nos enim ſumus Circumciſio.*] Hoc eſt, Nos ſumus verum Abrahæ ſemen, & hæredes teſtamenti, quod ſymbolo Circumciſionis ſancitum fuit. Vera enim Circumciſio, ſpiritus eſt, oon literæ: interior & in corde ſita, non ſecundum carnem viſibilis. Per cultum ſpiritualem, intelligit eum qui nobis in Evangelio commendatur: conſtatque fiducia & invocatione Dei, abnegatione noſtri & pura conſcientia. Subaudieoda autem eſt antitheſis: quia ex adverſo taxat Legalem cultum, quem ſolum urgebant pſeudoapoſtoli: acſi diceret, Illi externis obſervationibus Deom coli præcipiunt, & quia ceremonias Legis obſervant, falſo jactant ſe Dei eſſe populum. nos vere ſumus circumciſi, qui in ſpiritu & veritate *Deum colimus*. Sed hic quæret quiſpiam, an veritas excludat Sacramenta. nam idem de Baptiſmo & Cœna dici poſſet. Reſpondeo, principium illud ſemper notandum eſſe, figuras eſſe abrogatas Chriſti adventu: & mutatam Baptiſmo Circumciſionem. Ex hoc principio ſequitur, nunc purum & legitimum Dei cultum à ceremoniis Legalibus immunem eſſe: & veram Circumciſiooem fidelibus conſtare citra figuram. *Et gloriamur in Chriſto.* Continuanda eſt antitheſis, Nos in re ipſa, quum illi in ſymbolis hæreant: nos in corpore manemus, quum illi ad umbras reſpectent. Nec male reſpondet contrarium membrum quod mox oppoſuit, Non habemus in carne fiduciam. Nam Carnis nomine complectitur quicquid eſt externum in homine unde gloria petitur, quemadmodum ex contextu patebit: vel ut brevius dicam, Carnem appellat, quicquid eſt extra Chriſtum: in quo non leviter pungit perverſos iſtos Legis zelotas, quia Chriſto non contenti ad alienas glorias traosvolent. Gloriari, & Fiduciam habere, pro eodem poſuit. Effert enim fiducia hominem, ut gloriari etiam audeat: itaque res conjunctæ. Rom. 2. verſ. 29.

4. *Tametſi*

4. *Tametſi ego etiam*] Non de affectu loquitur, ſed ſe quoque gloriandi argumentum habere ſignificat, ſi libeat aliorum ſtultitiam imitari. Senſus ergo eſt: Mea quidem gloria in Chriſto ſita eſt: verum ſi in carne oporteat gloriari, mihi etiam non deeſt materia. Atque hinc diſcimus qualiter refellenda ſit eorum arrogantia qui extra Chriſtum ſuperbiunt. Si eadem quibus ſe veoditant, ſuppetunt etiam nobis, ne patiamur illos Chriſto inſultare inepta jactantia, quin noſtras quoque glorias regeramus: ut intelligaot nos non invidia facere, quod pro nihilo ducimus, imo ſponte abjicimus quæ maximi faciunt. Sit tameo hæc ſemper clauſula, vanam eſſe & ridiculam omnero carnis fiduciam. *Si quis fiduciam in carne, ego magis.* Non conteotus ſe æquare cuivis illorum, etiam ſe præfert. Quare non poteſt in hac cauſa eſſe ſuſpectus, quaſi invideat illorum præſtantiæ: & Chriſtum extollat, deprimendi ejus quod ſibi deeſt, cauſa. Dicit ergo, ſi in contentionem veotum fuerit, ſe reliquis fore ſuperiorem. Nihil enim habebant (ut mox videbimus) quod non viciſſim haberet cum illis commune: in quibuſdam vero longe antecellebat. Improprie dixit fiduciam ſe habere, qui ſine fiducia præditus erat gloriis carnalibus quibus alii turgebant.

5. *Circumciſus die octavo.*] Ad verbum eſt, Circumciſio octavi diei. ſed quo ad ſenſum, oihil intereſt: ſignificat enim ſe legitimo ritu & ſecundum præſcriptum Legis fuiſſe circumciſum. Ordinaria autem illa Circumciſio pluris habebatur: deinde judicium erat generis, de quo mox ſubjicit. Nam in alienigenianoo eadem erat ratio: quia poſtquam fuerant proſelyti, circumcidebantur adoleſceotes aut viri, interdum etiam ſenes. Dicit itaque ſe genere eſſe *Iſraëlitam.* Tribum deſignat, nun (meo quidem judicio) quod plus haberet præſtantiæ *tribus Benjamin*, quam aliæ: ſed ad coofirmandaio geoeris fidem: ut moris erat ſingulos ex ſua tribu cenſeri. Huc pertinet quod rurſus addit ſe *Hebræum eſſe ex Hebræis.* Vetuſtiſſimum enim erat hoc nomen, utpote quo ipſe quoque
Geneſ. 14. verſ. 13. Abraham inſignitur à Moſe. Summa igitur eſt, ab ultima origine Paulum eſſe ex ſemioe Jacob progenitum: adeo ut inde poſſit ultra atavos & abavos citare. *Secundum Legem Phariſæus.* Poſtquam de generis nobilitate diſſeruit, nunc deſcendit ad dotes perſonæ (ut vocant) peculiares. Vulgo ſatis notum eſt, ſectam Phariſæorum opinione ſanctimoniæ ac doctrinæ fuiſſe præ aliis celebrem: ejus ſe fuiſſe commemorat. Phariſæos à diviſione fuiſſe appellatos, communis opinio eſt: verum mihi magis probatur quod à ſanctæ memoriæ viro Capitone aliquando accepi, nomen inde habuiſſe quod pollere ſe jactarent duno interpretandæ Scripturæ. פרש enim Hebræis eſt interpretatio. Quum alii ſe literales eſſe profiterentur, hi ſe malebaot cenſeri Phariſæos, qui veterum interpretationes tenerent. Et certe conſtat eos antiquitatis prætextu totam Scripturam ſuis commentis adulteraſſe. quia tamen ſimul ſanas quaſdam interpretationes per manus veterum traditas retinuerant, ſummus illis honor deferebatur. Sed quid ſibi vult particula, *ſecundum Legem?* Nam certe oihil Legi Dei magis adverſum, quam ſectæ: una eoim illic Dei veritas traditur, quæ vinculum eſt unitatis. Deinde ſectas omnes ſub Jonathæ pontificatu exortas eſſe, teſtis eſt Juſephus, libro antiquit. 13. Legis nomine improprie utitur Paulus pro religionis doctrina, utcunque corruptiſſima eſſet eo tempore: qualis eſt hodie Chriſtianiſmus io Papatu. Sed quia multi erant ex ordine doctorum minus periti & exercitati, fervoris quoque ſui facit mentiooem. Fuit quidem hoc graviſſimum peccatum in Paulo, Eccleſiam perſequi. ſed quia diſceptationem habebat cum oebulonibus, qui Chriſtum miſceodo cum Moſe, Legis zelum obtendebant: exadverſo commemorat, ſe tam acrem fuiſſe zelotem Legis, ut ob hanc cauſam eſſet Eccleſiæ perſequutor.

6. *Secundum juſtitiam quæ eſt in Lege.*] Dubium non eſt quin hic totam juſtitiam Legis intelligat. nam de ſolis ceremoniis accipere, nimis eſt jejunum. Senſus itaque generalior eſt, quod vitæ integritatem coluerit, quæ ab homine Legis ſtudioſo requiri poterat. Rurſus objicitur, juſtitiam Legis perfectam eſſe coram Deo. Summa enim eſt, ut homines Deo plane adhæreant. & quid ultra ad perfectionem deſiderari poteſt? Reſpondeo, Paulum hic de juſtitia loqui, quæ communi hominum exiſtimationi ſatisfaceret. Legem enim ſeparat à Chriſto. Quid autem Lex ſioe Chriſto, niſi mortua litera? Ut res clarius pateat, dico eſſe duplicem juſtitiam Legis. Una eſt ſpiritualis: nempe perfectus amor Dei & proximorum. ea continetur in doctrina, nunquam in vita ullius hominis extitit. Altera eſt literalis, quæ in hominum conſpectu apparet: quum interim hypocriſis regnet io corde, & coram Deo nihil ſit quam iniquitas. Ita Lex duos habet reſpectus: unum Dei, alterum hominum. Erat ergo Paulus hominum judicio ſanctus, & immunis ab omni reprehenſione. Rara laus, & prope ſingularis: videamus tamen quanti eam fecerit.

7. Verum quæ mihi lucra erant, ea exiſtimavi, propter Chriſtum, jacturam.

8. Quin etiam omnia exiſtimo jacturam eſſe, propter eminentiam cognitionis Chriſti Jeſu Domini mei: propter quem omnium jacturam feci, & exiſtimo rejectamenta eſſe, ut Chriſtum lucrifaciam,

9. Et inveniam in ipſo: non habens meam juſtitiam quæ ex Lege eſt, ſed quæ eſt per fidem Chriſti: quæ, inquam, ex Deo eſt juſtitia in fide,

10. Ut cognoſcam ipſum, & potentiam reſurrectionis ejus, & communicationem paſſionum ejus, dum configuror morti ejus,

11. Si quo modo perveniam ad reſurrectionem mortuorum.

7. *Quæ mihi lucra erant.*] Lucra ſibi fuiſſe dicit ante cognitum Chriſtum. ſola enim Chriſti ignorantia facit, ut efferamur vana confidentia. Quare ubi falſam propriæ virtutis opinionem, ubi arrogantiam, ubi faſtum cernimus, illic ſciamus Chriſtum non cognoſci. Contra, ſimulatque illucet Chriſtus, momento evaneſcunt, aut certe vileſcunt quæcunque prius falſo ſplendore nobis perſtringebant oculos. Quæ igitur Paulo adhuc cæco lucra fuerant, vel potius lucri colore eum deceperant, ea illuminatus damna eſſe agnovit. Cur damna? quia impedimento erant quominus ad Chriſtum accederet. Quid porro magis noxium quam quod à Chriſti acceſſu nos arcet? Loquitur autem potiſſimum de juſtitia ſua nam ad Chriſtum non admittimur, niſi nudi & inanes propriæ juſtitiæ. Ergo Paulus agnovit, nihil ſibi magis eſſe pernicioſum propria juſtitia: utpote qua à Chriſto excluderetur.

8. *Quin etiam exiſtimo.*] Significat ſe manere in ſententia: quia ſæpe fit ut rerum novarum delectatione abrepti, alias omnes obliviſcamur: poſtea autem nos pœniteat. Quare Paulus, poſtquam dixit ſe renunciaſſe impedimentis omnibus, ut Chriſtum poſſideret: jam addit, ſibi manere hunc animum. *Propter eminentiam cognitionis.* Extollit Euangelium adverſus alias omnes perſuaſiones quæ nos decipiunt. Videntur enim multa eminere: ſed

Chriſti cognitio ſua ſublimitate adeo omnia exuperat, ut præ ipſa una nihil non ſit deſpicabile. Hinc igitur diſcamus quanti æſtimanda ſit cognitio unius Chriſti. Quod *Dominum ſuum* vocat, id ad exprimendam affectus vehementiam facit. *Propter quem omnium jacturam feci.* Plus dicit quam antea: ſaltem ſignificantius loquitur. Similitudo eſt ſumpta à navigantibus, qui urgente periculo naufragii, jactum faciunt omnium, ut ſalvi in portum, nave exonerata, perveniant. Spoliari ergo maluit Paulus omnibus quæ habebat, quam ſolo Chriſto privari. Sed quæritur, an neceſſe ſit & divitiis, & honoribus, & geoeris nobilitati, & externæ etiam juſtitiæ nos renunciare, quo fiamus Chriſti participes. nam ſunt omnia illa dona Dei per ſe nequaquam aſpernanda. Reſpondeo, Apoſtolum hic non tam loqui de rebus ipſis, quam de qualitate. Eſt quidem illud verum, Regnom cælorum ſimile eſſe pretioſæ margaritæ, cujus redimendæ cauſa dubitare nemo debeat, quicquid habet, vendere. ſed in rebus aliud eſt ſubſtantia, aliud qualitas. Non neceſſe haboit Paulus ſe abdicare à tribu ſua & à genere Abrahæ, fierique allophylum, ut fieret Chriſtianus: ſed fiduciam generis abjicere. Non debuit ex caſto impudicus, ex ſobrio intemperans, ex gravi & honeſto diſſolutus fieri: ſed ea uere falſam perſuaſionem juſtitiæ propriæ, & in eam deſpuere. Nos quoque non adverſus operum ſubſtantiam diſputamus, quum tractamus de juſtitia fidei: ſed adverſus illam qoalitatem quam illis imponunt ſophiſtæ, quod illis homines juſtificari contendunt. Se igitur ſpoliavit Paulus, non operibus, ſed perverſa fiducia operum qua fuerat inflatus. Quod ad divitias & honores ſpectat, ubi affectom depoſuerimus, parati quoque erimus res ipſas abjicere, quoties ita exiget Domlnus, & ita oportet. Non eſt ſimpliciter neceſſarium te eſſe pauperem, ut ſis Chriſtianus: verum ſi ita Domino placuerit, te paratum eſſe convenit ad ſubeundam paupertatem. Denique Chriſtianos fas non eſt quicquam babere extra Chriſtum. Extra Chriſtum eſſe dico, quicquid obſtaculo nobis eſt quominus ſolus Chriſtus noſtra ſit gloriatio, & in nobis penitus regnet. *Et exiſtimo rejectamenta.* Hic vero non verbis ſolum, ſed etiam re ipſa multum amplificat quod prius dixlt. Nam qui abjiciunt merces & alia in mare ut ſalvi evadant, non ldeo tamen contemnuot divitias: ſed quia malunt miſeri & inopes vivere, quam demergi cum ſuis opibus, eas quidem perdunt, ægre tamen & cum gemitu: ubi vero enatarunt, earum amiſſionem lugent. Paulus autem contra aſſerit, non modo ſe reliquiſſe quicquid ante habebat pretioſum: ſed ſibi inſtar ſtercoris fœtere, vel ſordere inſtar rerum quæ contemptim projiciuntur. Chryſoſtomus Paleas interpretatur. Grammatici autem σκύβαλον dictum putant, quaſi κυσίβαλον, quod projicitur canibus. Et certe merito fœtere debet nobis quicquid alienum eſt à Chriſto: quum apud Deum abominatio ſit. Merito etiam ſordere debet, quum nihil ſit quam falſa imaginatio. *Ut Chriſtum lucrifaciam.* Hoc verbo inouit, non poſſe aliter Chriſtum lucrifieri, quam ſi noſtra omnia perdamus. Vult enim nos eſſe ſola ſua gratia divites: vult unus in ſolidum noſtra eſſe beatitudo. Qualis autem ratio ſit perdendi, prius dictum eſt: nempe ut nihil nos abducat ab unius Chriſti fiducia. Quod ſi Paulus ea vitæ innocentia & integritate, ooo dubitavit pro damno & ſtercoribus ducere ſuam juſtitiam: quid ſibi volunt hodierni Pharifæi, qui omni flagitiorum genere coopperti, ſua tameo merita adverſus Chriſtum efferre non erubeſcant?

9. *Et inveniam in ipſo.*] Verbum eſt paſſivum: ideo alii omnes verterunt, Inveniar. Sed frigide contextum prætereunt, quaſi nulla ſubeſſet emphaſis. Si paſſive legas, antitheſis ſubaudienda eſt, Paulum ſuiſſe perditum antequam inventus eſſet in Chriſto. quemadmodum dives mercator perdito ſimilis eſt, quamdiu onuſtam habet navem opibus: poſt jactum invenitur. hic enim maxime valet dictum illud, Perieram, niſi periiſſem. Sed quia verbum κερδαίνομαι, in paſſiva terminatione ſignificationem habet activam, tuncque Recuperare ſignificat quod ſponte ceſſeris, quemadmodum pluribus exemplis Budæus demonſtrat: non dubitavi ab aliorum opinione diſcedere. Nam hoc modo plenior erit ſenſus, & uberior doctrina, Paulum renunciaſſe omnibus quæ habebat, ut recuperaret in Chriſto: idque melius verbo lucrifaciendi reſpondet, quia ſignificat non exiguum illud aut vulgare eſſe lucrum, quum in ſe Chriſtus omnia contineat. Et certe nihil nobis deperit, dum ad Chriſtum venimus nudi & exinaoiti: quia quæ ante falſo nos habere putavimus, tunc incipimus vere obtinere. Melius ergo declarat quantæ ſint Chriſti divitiæ: quia in ipſo conſequimur omnia, & invenimus. *Non habens meam juſtitiam.* Inſignis locus, ſi quis certam juſtitiæ fidei definitionem habere cupiat, & renere veram ejus naturam. Comparat enim hic Paulus duas juſtitias inrer ſe: unam dicit eſſe propriam hominis, quam eandem Legis juſtitiam appellat: alteram ex Deo eſſe tradit, & per fidem obtineri, ac in fide Chriſti repoſitam. Has ita facit inter ſe contrarias ut ſtare ſimul nequeant. Duo igitur hic notanda ſunt: cedendam eſſe ac reſignandam Legis juſtitiam, ut fide ſis juſtus: deinde juſtitiam fidei provenire ea Deo, non eſſe hominis propriam. De utroque nobis hodie magna lis eſt cum Papiſtis. nam neque fidei juſtitiam ea Deo eſſe concedunt totam, ſed partem attribuunt homini: & eas ſimul commiſcent, quaſi altera alteram non tolleret. Diligenter ergo expendere convenit ſingula Pauli verba: quia nullum eſt cui non ſubſit magnum pondus. Negat fideles habere propriam juſtitiam: atqui oon poteſt negari quin ſi qua eſſet operum juſtitia, merito noſtra diceretur. Ergo operum juſtitiæ locum nullum penitus relinquit. Cur autam Legis juſtitiam appellet, oſtendit ad Romanos capite 10. v. 5. nempe quia hoc eſt Legis edictum, Qui ſecerit hæc, vivet in ipſis. Lex ergo juſtom prononciat hominem ex operibus. Neque eſt quod cavilleotur Papiſtæ, reſtringi hoc totum debere ad ceremonias. Primo enim frivolum eſt nugamentum, quod Paulus ceremoniis duntaxat juſtus fuerit. deinde hac ratione opponit duas iſtas juſtitias, quod una ſit hominis, altera ex Deo. Alteram igitur ſignificat eſſe operum mercedem, alteram gratuitum Dei donum. Ita generaliter meritum hominis opponit Chriſti gratiæ. nam quum Lex afferat opera, fides offert nudum hominem Deo, ut Chriſti juſtitia induatur. Quod igitur joſtitiam fidei aſſerit ex Deo aſſe, non ideo tantum eſt quia fides ſit Dei donum, ſed quia Deus nos juſtificet ſua bonitate: vel quod juſtitiam ab ipſo nobis donatam, fide recipiamus.

10. *Ut cognoſcam ipſum.*] Deſcribit vim & naturam fidei: quod ſcilicet ſit Chriſti cognitio: nec ea nuda vel confuſa, ſed dum percipitur virtus reſurrectioois ipſius. *Reſurrectionem* poſuit pro redemptionis complemento: ita ut morrem ſub ſe cootineat. Sed quia parum eſt, Chriſtum agnoſcere crucifixum & excitatum à mortuis, niſi fructum quoque apprehendas: nominatim de efficacia loquitur. Tunc ergo rite cognoſcitur Chriſtus, dum ſentimus quid valeat mors ejus & reſurrectio, & qualiter in nobis ſit efficax. Omnia autem illic nobis ſuot poſita: eapiatio & abolitio peccati, liberatio à reatu, ſatisfactio, mortis victoria, juſtitiæ acquiſitio, ſpes beatæ immortalitatis. *Et communicationem paſſionum.* Poſtquam de gratuita juſtitia loquutus eſt, quam reſurrectione Chriſti partam, fide obtioemus: ſubjungit de exercitiis piorum, idque ne videatur otioſam fidem inducere quæ nullos pariat effectus in vita.

Et ſubindicat, hæc eſſe ſtudia quibus exerceri ſuos velit Dominus: quum jejuna ceremoniarum elementa pſeudoapoſtoli obtruderent. Qui ergo fide compos eſt factus omnium bonorum Chriſti, is ſibi propoſitam eſſe conditionem agnoſcat, ut tota vita configuretur morti ejus. Cæterum duplex eſt ſocietas & communicatio mortis Chriſti. Altera eſt interior, quam Scriptura vocare ſolet mortificationem carnis, aut crucifixionem veteris hominis: de quo tractat Paulus ad Romanos capite ſexto. Altera eſt exterior, quæ vocatur mortificatio externi hominis: ea eſt crucis tolerantia. de qua tractat octavo ejuſdem Epiſtolæ capite: atque hic etiam, niſi fallor. Nam poſt comprehenſam reſurrectionis virtutem, proponitur nobis Chriſtus crucifixus, ut per tribulationes & ærumnas ipſum ſequamur: ideoque mortuorum reſurrectio diſerte exprimitur, ut ſciamus moriendum eſſe antequam vivamus. Hæc eſt continua fidelium meditatio, quamdiu peregrinantur in terra. hæc vere eximia eſt conſolatio, quod in omnibus miſeriis ſumus ſocii crucis Chriſti, ſi ſumus ejus membra, ut per afflictiones via nobis pateat ad æternam beatitudinem. quemadmodum alibi habetur, Si commorimur, ſimul vivemus: ſi compatimur, ſimul regnabimus. (2 Tim 2. verſ. 11.) Huc igitur comparatos eſſe nos omnes convenit, ut tota vita noſtra, nihil quam mortis imaginem repræſentet, donec mortem ipſam pariat. Sicuti vita Chriſti nihil aliud fuit quam mortis præludium. Sed hac conſolatione interea fruimur, quod finis eſt æterna beatitudo. Mors enim Chriſti cum reſurrectione conjuncta eſt. Ideo dicit Paulus, ſe ejus morti fieri conformem, ut ad gloriam reſurrectionis perveniat. Particula *ſi quo modo*, non eſt dubitationis, ſed difficultatem notat, excitandi ſtudii noſtri cauſa: neque enim leve certamen eſt, dum luctamur cum tot ac tantis obſtaculis.

12. Non quod jam apprehenderim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi ego quoque apprehendam, quemadmodum & apprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.

13. Fratres, ego meipſum nondum arbitror apprehendiſſe: unum autem, ea quæ retro ſunt oblitus, ad ea quæ ante ſunt, me extendens,

14. Secundum ſcopum ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.

15. Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſentitis, etiam hoc vobis Deus revelabit.

16. Cæterum quo pervenimus, ut idem ſentiamus, eadem procedamus regula.

17. Simul imitatores mei eſtote, fratres, & conſiderate eos qui ſic ambulant: quemadmodum nos habetis pro exemplari.

12. *Non quod jam apprehenderim.*] In hoc incumbit Paulus, ut Philippenſibus perſuadeat, nihil aliud cogitare quam Chriſtum, nihil aliud ſapere, nihil aliud appetere, nulla alia meditatione occupari. Huc plurimum valet quod nunc addit, ſe qui impedimentis omnibus renunciaſſet, nondum tamen ſcopum attigiſſe: ideo ſemper ulterius tendere & eniti. quanto hoc magis agendum erat Philippenſibus, qui procul adhuc ab ipſo diſtabant? Sed quæritur quid Paulus nondum ſe conſequutum eſſe dicat. Nam certe ex quo ſumus inſiti per fidem in corpus Chriſti, jam Dei regnum ingreſſi ſumus: & quemadmodum ad Epheſios habetur, ſedemus jam per (Epheſ. 2. verſ. 6.) ſpem in cæleſtibus. Reſpondeo, ſalutem noſtram in ſpe interea ſitam eſſe: ut certa quidem ſit hæreditas, nondum tamen ejus poſſeſſione fruamur. Quanquam hic Paulus alio reſpicit, nempe ad fidei & mortificationis, cujus meminerat, profectum. Dixerat ſe contendere & eniti ad reſurrectionem mortuorum per communicationem crucis Chriſti: addit ſe nondum id fuiſſe aſſequutum. Quid? nempe ut in ſolidum communicet Chriſti paſſionibus, ut perfectum habeat guſtum potentiæ reſurrectionis, ut ipſum plane cognoſcat. Proficiendum igitur exemplo ſuo admonet: ac rem tantæ molis eſſe Chriſti cognitionem, ut qui ea ſola elaborant, nunquam tamen perfecti ſint quamdiu vivunt. Cæterum hoc Pauli doctrinæ nihil derogat, quia tantum comprehenderat quantum ad exequendum munus ſibi commiſſum ſufficeret. Interea proficere ipſum oportuit, ut divinus omnium doctor ad humilitatem erudiretur. *Quemadmodum & apprehenſus.* Membrum hoc interpoſuit vice correctionis, ut totum ſuum ornatum tribueret Dei gratiæ. Non multum refert, legasne Quemadmodum, an Quatenus: ſenſus enim idem ſemper manet, Paulum fuiſſe apprehenſum à Chriſto, ut Chriſtum apprehenderet: hoc eſt, nihil niſi impulſu & directione Chriſti egiſſe. Ego tamen quod clarius erat, elegi, quando libera videbatur optio.

13. *Nondum arbitror me apprehendiſſe.*] Non hic revocat fidem ſuæ ſalutis in dubium, quaſi adhuc eſſet ſuſpenſus: ſed repetit quod dixerat, ſe adhuc proficiendo ulterius tendere, quia nondum ad finem ſuæ vocationis pervenerat. Id declarat continuo, ſe in hoc unum intentum eſſe dicens, relictis omnibus aliis. Comparat autem vitam noſtram ſtadio, cujus ſpatium nobis ad currendum definierit Deus. Quemadmodum enim nihil profuerit curſori ex carceribus egreſſum eſſe, niſi ad metam uſque pertingat: ſic etiam conficiendum eſt nobis curriculum vocationis uſque ad mortem: neque ante ceſſandum, quam adepti ſimus quod petimus. Deinde ſicuti via definita eſt curſori, ne huc aut illuc vagando, fruſtra ſe fatiget, nihil promovens ad metam: ita etiam ſcopus nobis eſt propoſitus, quo recta debemus curſum noſtrum deſtinare, nec patitur Deus nos temere evagari. Tertio, ſicuti curſorem expeditum eſſe oportet, nec ad ullas remoras greſſum ſiſtere, ſed omnibus ſuperatis, continuare ſuum curſum: ita nobis cavendum eſt ne ullis avocamentis mentem animumve accommodemus: ſed potius danda opera ut diſtractione omni ſoluti, eorum ſtudium ad unam Dei vocationem applicemus. Hæc tria in una ſimilitudine comprehendit Paulus. Quum dicit ſe unum hoc agere, & priora omnia obliviſci, ſtrenuitatem exprimit, & excludit omnia avocamenta. Quum dicit ſe inſequi juxta ſcopum, ſignificat ſe extra viam non errare. *Quæ retro ſunt oblitus.* Alludit ad curſores qui nuſquam deflectunt oculos, ne celeritatem curſus ſui retardent: præcipue vero à tergo non reſpectant, quantum ſpatii emenſi fuerint, ſed feſtinant recta ad metam. Ita Paulus docet, ſe non conſiderare quis fuerit, nec quid egerit: ſed tantum ſe intendere ad deſtinatum ſcopum, & quidem tanto ardore ut quaſi extentis brachiis illuc feratur. Talis enim ſubeſt metaphora in participio quo utitur. Si quis objiciat, recordationem anteactæ vitæ eſſe utilem ad nos incitandos, tum quia jam collatæ gratiæ nobis addunt animum ad ſperandum; tum quia peccatis admonemur, corrigendam eſſe vitam in melius: reſpondeo, ejuſmodi cogitationes non avertere oculos à fronte ad tergum, ſed potius juvare aciem, ut ſcopum acutius cernamus. Paulus autem hic damnat reſpectus qui alacritatem vel

franguot, vel minuunt. Quemadmodum ſi quis perſuaſus ſe ſatis magnos progreſſus feciſſe, quia defunctus ſibi videbitur, pigreſcet, ac volet aliis tradere lampada: vel ſi quem ſollicitet deſiderium relictæ conditionis, non poteſt totum ſtudium ad id quod agit applicare. Ejuſmodi erant cogitationes à quibus oportuit Pauli animum averſum eſſe, ſi vocationem Chriſti ſerio perſequi vellet. Quia autem hic de conatu, ſtudio, curſu, perſeverantia mentio erat: ne quis poſitam in illis ſalutem putaret, vel etiam adſcriberet hominum induſtriæ quod aliunde provenit: cauſam omnium notare volens, addidit *In Chriſto Jeſu*.

15. *Quicunque perfecti ſumus.*] Ne quis de vulgo hominum hoc dictum acciperet, quaſi pueris in Chriſto præſcriberet rudimenta: teſtatur eſſe regulam quam omnes perfecti tenere debeant. Eſt autem hæc regula, Abdicandam rerum omnium fiduciam, ut in ſola Chriſti juſtitia gloriemur, & poſthabitis omnibus, aſpiremus ad communicationem paſſionum ejus quæ nos ad beatam reſurrectionem ducat. Ubi nunc erit ſtatus perfectionis, quem fingunt monachi? ubi erit confuſa farrago tot inventionum? ubi denique totus Papatus, qui nihil aliud eſt quam imaginaria perfectio, quæ nihil commune habet cum hac Pauli regula? Certe qui unum hoc verbum intellexerit, clare agnoſcet, fœtida eſſe ſtercora, quæcunque de juſtitia & ſalute conſequenda docentur in Papatu. *Si quid aliter.* Eadem opera & eos humiliat, & in bonam ſpem attollit. admonet enim ne in ſua ignorantia ſuperbiant: & tamen jubet eſſe bono animo, quum dicit expectandam eſſe revelationem Dei. Scimus enim quantum ſit obſtaculum veritatis, pervicacia. Hæc igitur optima ad docilitatem præparatio, ſi non placemus nobis in errore. Ideo tacite Paulus indicat, dandum eſſe locum Dei revelationi, ſi nondum aſſequuti ſumus quod quærimus. Et quum gradatim proficiendum docet, addit illis animum, ne deficiant in curſu medio. Quanquam ſimul extra controverſiam, quod docuerat, aſſerit, dum aliis qui à ſe diſſentiunt, revelatum iri quod adhuc neſciunt, docet. Perinde enim id valet acſi dixiſſet, Vobis aliquando oſtendet Dominus hoc ipſum quod dixi, eſſe perfectam & rite ſapiendi & bene vivendi regulam. Nemo ita loqui jure poſſet, niſi cui certa conſtat ſuæ doctrinæ ratio & veritas. Interea etiam diſcamus ex hoc loco, tolerandam eſſe ad tempus ignorantiam in fratribus infirmis, & ignoſcendum eſſe ſi non ſtatim illis datum ſit, penitus nobis ſubſcribere. Certus erat Paulus de ſua doctrina, & tamen qui nondum poterant eam recipere, iis dat proficiendi ſpatium: nec propterea deſinit fratrum loco eos habere, tantum cavet ne ſibi in errore blandiantur. Quod Latini codices habent Revelavit, in præterito: tanquam ineptum & minime conſentaneum, ſine difficultate rejicio.

16. *Cæterum quo pervenimus.*] In diſtinctione variant Græca quoque exemplaria. nam in quibuſdam duæ ſunt integræ ſententiæ. Si magis placeat diviſio, ſenſus erit quem Eraſmus reddidit. Ego diverſam lectionem magis amplector: ut hortetur Paulus ad imitationem ſui, ut tandem ad eundem ſcopum perveniant: nempe ut idem ſentiant, & eadem procedant regula. Nam ubi viget ſincerus affectus, qualis in Paulo regnabat, facilis eſt via ad ſanctam piamque concordiam. Quia ergo nondum perceperant quæ eſſet vera perfectio, ut eo pervenirent, vult eſſe imitatores ſui, hoc eſt, pura conſcientia Deum quærere, nihil arrogare ſibi, placide ſubjicere ſuum ſenſum Chriſto. Nam in Pauli imitatione continentur omnes illæ virtutes, tectus zelus, timor Domini, modeſtia, ſui abnegatio, docilitas, amor & ſtudium concordiæ. Simul autem jubet eſſe imitatores ſui, hoc eſt, omnes uno conſenſu & una mente. Nota, metam perfectionis ad quam Philippenſes invitat ſuo exemplo, eſſe ut idem ſentiant, & eadem progrediantur regula. Sed ante poſuit doctrinam in qua conſentire, & regulam ad quam ſe formare debeant.

17. *Conſiderate eos.*] Hoc verbo ſignificat, ſibi perinde eſſe quos ſibi deligant ad imitandum, modo ſe forment ad illam puritatem cujus ipſe erat exemplar. quo tollitur omnis ambitionis ſuſpicio: ſocios enim refugit, quiſquis ſibi addictus eſt. Et ſimul admonet, non eſſe omnes promiſcue imitandos: quemadmodum clarius ſubjungit.

18. Multi enim ambulant (quos ſæpe dicebam vobis, ac nunc etiam flens dico, inimicos eſſe crucis Chriſti.

19. Quorum finis perditio, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum) terrena cogitantes.

20. Noſtra autem converſatio in cælis eſt, ex quibus etiam Salvatorem expectamus, Dominum Jeſum Chriſtum:

21. Qui transformabit corpus noſtrum humile, ut ſit conforme corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciam qua poteſt etiam ſibi ſubjicere omnia.

18. *Multi enim.*] Iſta eſt propoſitio ſimplex, (meo quidem judicio) Multi ambulant terrena cogitantes. qua ſignificat multos eſſe qui humi repunt, non ſentientes vim regni Dei. Notas autem inſerit quibus tales diſcerni queant, quas ſuo loco excutiemus. Quidam per Terreſtria intelligunt ceremonias, & externa mundi elementa, quæ oblivionem inducunt veræ pietatis. ſed ego ad carnalem affectum referre malo: quod ſcilicet Dei Spiritu non regeniti, nihil niſi mundum ſapiant. quod ex ſequentibus clarius patebit: nam invidiam hinc illis conflat, quod ſui tantum honoris, otii, & quæſtus cupidi, Eccleſiæ ædificationem negligerent. *Quos ſæpe dicebam.* Oſtendit quam non ab re ſæpius monuerit Philippenſes, quia nunc eadem per literas conatur reducere in memoriam, quæ prius coram dixerat. Et lachrymæ argumento ſunt, non æmulatione vel odio hominum, non maledicendi cupiditate, non ingenii petulantia eum impelli, ſed pio zelo: quia videat miſere Eccleſiam perdi ab ejuſmodi peſtibus. Ita ſcilicet nos affici convenit, ut dum cernimus ab improbis & nihili hominibus Paſtorum locum occupari, gemamus, & ſaltem lachrymis teſtemur, nos Eccleſiæ calamitati condoleſcere. Operæpretium etiam eſt notare de quibus agat Paulus: non de apertis ſcilicet hoſtibus, qui ex profeſſo doctrinam everſam cuperent: ſed de fucis & nebulonibus, qui ambitionis aut ventris cauſa peſſundabant Euangelii virtutem. Plus certe interdum tales nocent, qui ſeipſos quærendo, miniſterii vim enervant, quam ſi palam repugnarent Chriſto. Nequaquam ergo illis parcendum eſt, quin illos digito, quoties expediat, indicemus. Conquerantur poſtea ut libuerit, de noſtra moroſitate; modo nihil nobis objiciant quod non liceat Pauli exemplo tueri. *Inimicos eſſe crucis.* Alii exponunt Crucem pro toto redemptionis myſterio: atque hoc dici interpretantur, quod Legem prædicando, beneficium mortis Chriſti exinanirent. Alii autem, quod crucem fugerent, nec ſe vellent periculis objicere pro Chriſto. Ego generalius accipio, quod amicos ſimulantes eſſent deterrimi hoſtes Euangelii. Neque enim rarum eſt Paulo, totam Euangelii

prædi-

prædicationem Crucis nomine deſignare. Nam ut alibi dicit, Si quis in Chriſto, nova creatura.

19. *Quorum finis perditio.*] Hoc addit, ut periculo territi Philippenſes, eos diligentius caveant, ne ſe implicent illorum exitio. Quia autem ejuſmodi nebulones oſtentatione & variis artibus ita perſtringunt ſæpe ad tempus oculos ſimplicium, ut etiam optimis Chriſti ſervis præferantur: ingenti fiducia prononciat Apoſtolus, gloriam qua nunc ſunt inflati, ignominia mutatum iri. *Quorum Deus venter eſt.* Quod Circumciſionem urgebant & ceremonias, id negat eos facere Legis zelo: ſed io hominum gratiam, ut quieti viverent, & abſque moleſtia. Videbant enim Judæos mira rabie ardere adverſus Paulum & ſimiles, nec poſſe alia conditione Chriſtum à ſe pure annunciari quin eandem in ſe rabiem excitarent. *Ergo* otio commoditatique ſuæ conſulentes, miſcebant eas corruptelas quæ reſtinguerent aliorum flammas.

20. *Noſtra autem converſatio in cælis.*] Hæc ſententia proſteroit omnes inanes pompas quibus ſe larvati Euangelii miniſtri jactare ſolent: & odioſe perſtringit omnia eorum ſtudia, quoniam ſuper terram volitando, minime in cælum adſpirent. Docet enim, nihili æſtimanda omnia, præter ſpirituale Dei regnum: quis cæleſtem vitam in boc mundo vivere debeant fideles. acſi diceret, Cogitaot illi terrena: nos igitur alienari ab ipſis convenit, quorum in cælis eſt converſatio. Permiſti quidem ſumus hic infidelibus & bypocritis: imo paleæ eminent in area Domini ſupra triticum. Deinde obnoxii ſumus communibus terreſtris vitæ ærumnis: indigemus etiam cibo & potu, & reliquis neceſſitatibus: ſed tamen menre & affectu in cælo nos verſari oportet. Nam & curſim prætereundum eſt per haoc viam: & mortui eſſe mundo debemus, ut in nobis Chriſtus vivat, & nos viciſſim illi vivamus. Hic locus fons eſt uberrimus multarum exbortationom, quas elicere cuivis facile eſt. *Ex quibus etiam* Ex coojunctione quam habemus in Chriſto, probat noſtram politiam io cælis eſſe. neque enim membra à ſuo capite diviſa eſſe convenit. Itaque quum in cælo ſit Chriſtus, ut illi adhæreamus, extra mundum animis nos habitare neceſſe eſt. Deinde ubi theſaurus noſter, ibi & cor noſtrum. Cbriſtus beatitudo & gloria noſtra in cælis eſt: ſurſum ergo animæ noſtræ cum ipſo habitent. Ideo nominatim vocat Salvatorem. Unde oobis ſalus? nempe adveniet nobis è cælo Cbriſtus Salvator: abſurdum igitur, nos in terra occupari. Epitbetum hoc *Salvatoris*, ſervit loci circumſtantiæ. Nam ideo dicimur in cælo eſſe animis, quia inde ſolum nobis ſpes ſalutis affulgeat. Cbriſti adventus, ſicuti impiis erit terribilis, ita eorum animos potius avertit è cælo, quam illuc incitet. Judicem enim ſibi venturum ſciunt, & quantum in ſe eſt, fugiunt. Ex his Pauli verbis ſuaviſſimam conſolationem colligunt piæ animæ, quod audiunt expetendum ſibi eſſe adventum Chriſti, quia futurus ſit ſalutaris. Contra vero certum incredulitatis ſignum eſt, ad quamvis ejus mentionem eapaveſcere. Vide octavum caput ad Romanos. Cæterum dum vanis deſideriis alii circumferuntur, Paulus fideles uno Chriſto vult eſſe contentos. Præterea diſcimus ea boc loco, nihil bumile aut terrenum de Chriſto imaginandum eſſe: quia ſuſpicere nos in cælum jubet Paulus ut eum quæramus. Qui autem ſubtiliter diſputant, non incluſum eſſe Chriſtum, aut abſtruſum in aliquo cæli angulo; ut inde probent, ubique eſſe ejus corpus, cælumque & terram implere: neque nibil dicunt, oeque totum. Nam ſicuti temerarium ac ſtultum foret, ultra cælos conſcendere, & ſtationem in hac vel illa regione, aut ſedile, aut ambulationem aſſignare Cbriſto: ita etiam carnali ulla cogitatione ipſum è cælo detrabere ut in terra quæramus, ſtultum ac peroicioſum eſt deliramentum. Ergo ſurſum corda, ut ſint cum Domino.

21. *Qui transformabit.*] Hoc argumento magis etiamnum Philippeoſes extimulat, ut animis in cælum ſublatis Cbriſto penitus adhæreant: quia ſcilicet corpus hoc quod geſtamus, non perpetuum eſt domicilium, ſed caducum tabernaculum quod mox in nibilum redigetur. deinde tot miſeriis ubnoxiom eſt, tot pudendis infirmitatibus ſubjectum, ut merito abjectum & ignominiæ plenum vocari queat. Unde autem ejus reſtitutio ſperanda? ex cælo, in Chriſti adventu. Ergo oulla pars eſt noſtri quæ non in cælum toto deſiderio aſpirare debeat. Præſentem corporum noſtrorum bumilitatem cernimus cum in vita, tum præcipue in morte: gloria, quam habebunt conformem Chriſti corpori, incomprehenſibilis eſt. Nam ſi exiguum guſtum quem præbebat in transfiguratione, non ferebant diſcipuli: quis noſtrum plenitudinem aſſequatur? Contenti nunc ſimus teſtimonio noſtræ adoptionis, divitias noſtræ bæreditatis cogrituri, quando illis fruemur. *Secundum efficaciam.* Quia nibil magis incredibile, nec magis à ſenſu carnis diſſentaneum, quam reſurrectio: hac de cauſa Paulus infinitam Dei potentiam oobis ponit ob oculos, quæ omnem dubitationem abſorbeat. Nam inde naſcitur diffidentia, quod rem ipſam metimur iogenii noſtri anguſtiis. Nec *potentiæ* tantum meminit, ſed *efficaciæ*: quæ eſt effectus, vel potentia in actum ſe exerens, ut ita loquar. Quum autem nobis in mentem venit, Deum qui omnia creavit ex nihilo, terræ & mari poſſe imperare, aliiſque elementis, ut depoſitum reddant: protinus animi in ſpem firmam, adeoque in ſpiritualem reſurrectionis conſpectum eriguntur. Sed notare quoque operæpretium eſt, jus & poteſtatem ſuſcitandi mortuos, imo quidvis ſuo arbitrio agendi, conferri in Chriſti perſonam: quo encomio divina ejus majeſtas ſplendide ornatur. Quin etiam binc colligimus creatum ab ipſo fuiſſe mundum: quia ſibi omnia ſubjicere, noonisi uoius eſt Creatoris.

Cap. IV.

Itaque, fratres mei dilecti & deſiderati, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino, dilecti.

2. Evodiam hortor, & Syntychem hortor, ut unum ſentiant in Domino.

3. Sane rogo etiam te, germane compar, adjuva eas quæ in Euangelio idem mecum certamen ſuſtinuerunt, cum Clemente etiam, & reliquis adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.

1. *Itaque, fratres.*] Doctrinam ſuo more vehementioribus eabortationibus claudit, quo eam hominum animis tenacius infigat. Et blandis appellationibus in eorum affectus ſe inſinuat, quæ tamen non ſunt adulationis, ſed ſinceri amoris. *Gaudium* ſuum ipſos vocat & *coronam*, quod lætus ſua opera acquiſitos io fide perſtare, triumpbum illum de quo diximus, ſperaret, quum Domiorus res ſois auſpiciis geſtas coronabit. Quum jubet eos *ſic ſtare in Domino*, ſignificat ſtatum eorum ſibi probari. Quanquam particula Sic, referri poſſet ad doctrinam ſuperiorem. ſed illud aptius, ut præſentem ſtatum laudando, ad perſeverantiam eos hortetur. Dederant quidem jam aliquod ſpecimen ſuæ conſtantiæ:

Paulus tamen humanæ imbecillitatis conſcius, in poſterum eos confirmatione opus habere cenſet.

2. *Evodiam hortor, & Syntychem.*] Communi fere opinione receptum eſt, Paulum neſcio quid diſſidii voluiſſe componere inter duas iſtas mulieres. qua de re etſi nolim contendere, levior tamen eſt conjectura in verbis Pauli, quam ut perſuadeat rem ita habere. Apparet ex teſtimonio quod illis reddit, cordatiſſimas fuiſſe mulieres. Tantum enim illis tribuit, ut vocet commilitones in Euangelio. proinde quum in earum conſenſione multum eſſet poſitum momenti, in diſcordia vero ingens periculum: ad concordiam ipſas peculiariter animat. Notandum autem, quoties de conſenſu loquitur, vinculum etiam addere, *In Domino.* Nam & extra Dominum maledicta ſemper erit omnis conſpiratio: & nihil eſt disjunctum, quod non debeat in Chriſto recolligi.

3. *Rogo etiam te, germane.*] De genere nolo diſputare: virum itaque an fœminam alloquatur, in medio relinquo. Quanquam nimis infirmum eſt Eraſmi argumentum, qui mulierem fuiſſe, inde colligit, quod hic mulierum fiat mentio: quaſi vero non continuo ſubjiciat nomen *Clementis* in eadem cauſa. Verum ego ab illa diſputatione ſuperſedeo: tantum nego uxorem Pauli hoc nomine deſignari. Qui affirmant, auctores citant Clementem & Ignatium. Si vere citarent, non contemnerem certe tantos viros. Sed quum adulterina ſcripta proferantur ab Euſebio, & ſuppoſita ab indoctis monachis: non multum fidei merentur apud ſanos lectores. Ergo de re ipſa citra hominum præjudicium quæramus. Quum priorem ad Corinthios ſcriberet Paulus, tunc
1 Cor. 7. ſe fuiſſe cælibem commemorat. Inconjugatis, inquit, & viduis dico: bonum eſt ſi permaneant ſicut ego ſum. Scripſit eam Epiſtolam Epheſi, quum diſceſſum pararet. non multo poſt Hieroſolymam profectus eſt, ubi conjectus fuit in vincula, & Romam perductus. Quam alienum ducendæ uxori fuerit tempus, quod partim in vinculis conſumpſit, nemo non videt. Adde quod ad ſubeunda vincula & perſequutiones jam tum accinctus erat: quemad-
Actor. 21. verſ. 13. modum teſtatur apud Lucam. Nec tamen me latet quid objici contra ſoleat, Paulum ſcilicet conjugatum abſtinuiſſe à conſuetudine uxoris. Sed verba aliter ſonant: cælibes enim optat poſſe manere in ſua ipſius conditione. quæ porro eſt illa conditio, niſi cælibatus? Quod illud adducunt, Annon licet mihi 1 Cor. 9.
uxorem circumducere? ut illi uxorem fuiſſe probent: nimis frivolum eſt, ut nulla ſolutione indigeat. verſ. 5.
Jam vero ut demus Paulum fuiſſe maritum: unde illi uxor Philippis? quam urbem non ſæpius quam bis ingreſſus fuiſſe legitur: ubi nunquam menſes duos integros illum ſubſtitiſſe, credibile eſt. Denique nihil minus conſentaneum, quam de uxore hic loqui: ac ne de ulla quidem muliere, mihi probabile. lectoribus tamen relinquo judicandum. Συλλαμβάνεσθαι, quo verbo hic Paulus utitur, eſt adjuvandi cauſa idem apprehendere & amplecti. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Liber vitæ, catalogus eſt iſtorum qui præordinati ſunt ad vitam: ſicut apud Moſen, Exod. 32. v. 32. Hunc catalogum Deus repoſitum apud ſe habet. Itaque nihil aliud eſt liber, quam æternum conſilium in ejus pectore definitum. Pro eo dicit Ezechiel, Scripturam domus Iſraël, cap. 13. v. 9. Eadem ratione Pſalm. 69. v. 29. habetur, Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur: hoc eſt, non cenſeantur inter Dei electos, quos Eccleſiæ ſuæ ac regni finibus aſcribit. Si quis objiciat, temere igitur facere Paulum, qui de arcanis Dei jus ſibi pronunciandi uſurpet: Reſpondeo, nos ex ſignis utcunque poſſe judicare, quibus electionem ſuam Deus palam facit: quantum tamen fert captus noſter. Ergo in quibuſcunque relucere cernimus adoptionis notas, eos interim habeamus pro filiis Dei, donec libri aperiantur qui penitus omnia patefaciant. Solius quidem Dei eſt nunc ſuos cognitos habere, & tandem ſegregare agnos ab hœdis: ſed noſtrum eſt, ex charitate agnos judicare omnes qui Paſtori Chriſto obedienter ſe ſubjiciunt, qui ſe aggregant in ejus ovile, & ibi conſtanter manent: noſtrum eſt tanti æſtimare Spiritus ſancti dona, quæ peculiariter electis ſuis confert, ut ſint nobis quaſi electionis abſconditæ ſigilla.

4. Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete.

5. Moderatio veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus prope eſt.

6. De nulla re ſitis ſolliciti: ſed in omnibus, oratione & precatione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

7. Et pax Dei quæ exuperat omnem intelligentiam, cuſtodiet corda veſtra & cogitationes veſtras in Chriſto Jeſu.

8. Quod reliquum eſt, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque gravia, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque honeſta, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate.

9. Quæ & didiciſtis, & ſuſcepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc facite, & Deus pacis erit vobiſcum.

4. *Gaudete in Domino.*] Exhortatio eſt temporibus accommodata. Quoniam enim ſtatus piorum valde turbatus erat, undique ingruebant pericula: fieri poterat ut mœrore vel impatientia victi deficerent. Ergo eos infeſtis & turbulentis rebus, nihilominus in Domino gaudere jubet. ut certe tum maxime ſpirituales conſolationes quibus nos Dominus reficit & exhilarat, vim ſuam exerere debent quum totus mundus ad deſperationem nos ſollicitat. Reputandum autem ex circumſtantia temporis, quam efficax fuerit vox iſta è Pauli ore emiſſa, qui præcipua triſtitiæ cauſa eſſe poterat. Nam ſi perſequutionibus terrentur, aut vinculis, aut exilio, aut morte: hic in medium prodit Apoſtolus, qui inter vincula, in medio ardore perſequutionum, in mortis denique metu non modo lætus eſt, ſed alios quoque exhilarat. Summa igitur eſt, Quicquid acciderit, fideles tamen, qui ſtantem à parte ſua Dominum habent, habere ſatis amplam gaudendi materiam. Repetitio amplificationi ſervit: acſi diceret, Sit hoc vobis firmum & ſtabile, gaudere in Domino: neque id ad momentum, ſed ut gaudium in eo veſtrum perpetuetur. Nam certe in eo differt à gaudio mundi, quod fallax, caducum, evanidum eſſe experimur: Chriſtus autem Luc. 9.
etiam maledictum eſſe pronunciat. Ergo illud de- verſ. 25.
mum in Deo fixum gaudium eſt quod nunquam nobis excutitur.

5. *Moderatio veſtra.*] Dupliciter poteſt exponi: vel quod jubeat eos potius cedere de jure ſuo, quam ut de ipſorum acerbitate vel rigore quiſpiam queri poſſit. acſi dixiſſet, Omnes quibus nobiſcum eſt aliquid negotii, veſtram æquitatem & humanitatem ſentiant: ut notitia experimentum ſignificet. Vel quod

quod eos ad omnia æquo animo ferenda hortetur. qui ſenſus poſterior mihi magis placet. Nam τὸ ἐπιεικὲς vocant etiam Græci animi moderationem, ubi non facile commovemur injuriis, ubi non facile rebus adverſis turbamur, ſed retinemus æqualem ſtatum. Pro quo Cicero dixit, Tranquillus animus meus, qui æqui boni facit omnia. Talem æquitatem quæ eſt quaſi mater patientiæ, exigit hic à Philippenſibus: & quidem quæ omnibus appareat, prout ſcilicet uſus poſtulabit, effectus ſuos proferendo. Modeſtiæ nomen congruere non eſt viſum: quia non vetat Paulus hoc loco ſuperbe inſoleſcere, ſed placide ſe gerere in omni negotio, ſibique temperare etiam in tolerandis vel injuriis, vel incommodis. *Dominus prope eſt.* Prolepſis, qua antevertit objectionem. Reclamat enim ſenſus carnis ſuperiori ſententiæ. Nam quum noſtra manſuetudine magis inſoleſcat libido improborum, & quo paratiores nos vident ad ferendum, eo plus ad inferendas injurias audeant: difficulter adducimur ut in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras. Inde illa proverbia, Ululandum inter lupos, Devoratum protinus iri à lupis, qui ovium inſtar ſe geſſerint. Itaque concludimus, retundendam eſſe ferociam improborum pari violentia, ne impune nobis inſultent. His cogitationibus opponit hic Paulus divinæ providentiæ fiduciam. Reſpondet, inquam, Dominum prope eſſe, cujus virtus eorum audaciam, cujus bonitas eorum malitiam ſuperet. Illum nobis adfuturum promittit, ſi mandato ſuo pareamus. Quis autem non malit ſola Dei manu protegi, quam omnia mundi præſidia ad manum habere? Pulcherrima ſententia: ex qua primum diſcimus, omnis impatientiæ cauſam eſſe ignorationem providentiæ Dei: hinc fieri ut tam cito & levi de cauſa tumultuemur, & ſæpe etiam deſpondeamus animos, quod non agnoſcimus nos Domino curæ eſſe. Contra, hoc unicum remedium eſſe ad pacificandos animos, ſi neque fortunæ temeritati, neque impiorum libidini nos eſſe expoſitos ſcientes, ſed paterna Dei cura nos gubernari, toti in ejus providentiam recumbamus. Denique qui hoc tenet, Deum ſibi adeſſe, habet in quo ſecurus acquieſcat. Porro duobus modis Dominus prope eſſe dicitur: vel quia judicium ejus prope eſt: vel quia paratus eſt ad
Pſal. 145. verſ. 18. opem ſuis ferendam, in qua ſignificatione capitur hoc loco: ſicut etiam in Pſalmo, Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum. Senſus ergo eſt, Miſera eſſet piorum conditio, ſi Dominus procul abeſſet. Verum quoniam eos in fidem tutelamque ſuam recepit, ac tuetur manu ſua quæ ubique præſens eſt: hac cogitatione ſe fulciant, ne terreantur impiorum furore. Notum eſt ac vulgare, Sollicitudinem accipi pro Anxietate, quæ ex divinæ potentiæ vel opis diffidentia naſcitur.

6. *Sed in omnibus.*] Eſt ſingularis numerus apud Paulum: ſed neutrum genus. ἐν παντὶ igitur perinde valet atque In omni negotio: quia προσευχὴ & δέησις fœ-
Pſal. 55. verſ. 23. 1 Petr. 5. verſ. 7. minina ſunt. His verbis hortatur Philippenſes, quemadmodum omnes pios David & Petrus, ut ſollicitudines ſuas in Dominum rejiciant. Neque enim ſumus ferrei, quin concutiamur tentationibus. Sed hoc ſolatium, hæc levatio: deponere, vel (ut magis proprie loquar) exonerare in ſinum Dei quicquid nos angit. Fiducia quidem tranquillitatem animis noſtris affert: ſed ita, ſi exerceamur precibus. Ergo quoties impetimur aliqua tentatione, ſtatim ad orationem, tanquam ad ſacrum aſylum, refugiamus. Petitiones hic accipit pro deſideriis aut votis. Ea vult Deo patefieri per orationem & precationem: perinde acſi corda ſua effunderent fideles coram Deo, dum ſe illi & ſua omnia commendant. Videntur quidem nonnihil ſublevari qui huc illuc reſpectant ad vana mundi ſolatia: ſed unus eſt certus portus, in Dominum recumbere. *Cum gratiarum actione.* Quia multi ſæpe perperam Deum orant expoſtulabundi, vel obmurmurantes, quaſi juſtam ejus accuſandi cauſam habeant: alii, niſi protinus ſuis votis obſequatur, moram ferre nequeunt: ideo Paulus gratiarum actionem precationibus conjungit: acſi diceret, ita optanda eſſe à Domino quæ nobis ſunt neceſſaria, ut tamen ejus arbitrio ſubjiciamus noſtros affectus, ac gratias agamus poſtulantes. Et certe hoc in nobis efficiet gratitudo, ut Dei voluntas præcipua ſit votorum noſtrorum ſumma.

7. *Et pax Dei.*] Quidam futurum tempus in modum optativum vertentes, precationem ex hac ſententia faciunt: ſed falſo. Eſt enim promiſſio, in qua fructum oſtendit firmæ in Deum fiduciæ, & invocationis. Id ſi feceritis, inquit, *Pax Dei cuſtodiet mentes & corda veſtra.* Scriptura animam hominis, quoad facultates, in duas partes ſolet dividere, mentem & cor: mens intelligentiam ſignificat, cor autem omnes affectus aut voluntates. Ergo hæc duo nomina totam animam comprehendunt, hoc ſenſu, Pax Dei vos cuſtodiet, ne pravis cogitationibus aut deſideriis deficiatis à Deo. Vere autem pacem Dei vocat, quæ à præſenti rerum intuitu non pendet, nec ad varias mundi inclinationes nutat, ſed in ſtabili & immutabili Dei verbo fundata eſt. Vere etiam dicit, ſuperiorem eſſe omni intelligentia aut ſenſu: quia nihil humano ingenio magis adverſum, quam in ſumma deſperatione nihilominus ſperare, in ſumma penuria videre opulentiam, in ſumma imbecillitate non ſuccumbere: promittere denique nihil nobis defuturum, quum omnibus deſtituimur: atque id totum quidem in ſola Dei gratia, quæ ipſa non cognoſcitur niſi per verbum & interiorem arrham Spiritus.

8. *Quod reliquum eſt.*] Sequuntur generales exhortationes quæ ad totam vitam extenduntur. Primo loco commendat *veritatem*, quæ nihil aliud eſt quam integritas bonæ conſcientiæ, cum ſuis fructibus. Secundo *gravitatem*, aut ſanctitatem: utrumque enim ſignificat τὸ σεμνὸν: quæ virtus in hoc ſita eſt, ut digne vocatione noſtra ambulemus, procul omni profana immunditie. Tertio *juſtitiam*, quæ ad mutuam inter homines communicationem pertinet, ne quem lædamus, ne quem fraudemus. Quarto *puritatem*, quæ caſtimoniam denotat in omnibus vitæ partibus. Verum nondum Paulo ſufficiunt hæc omnia, niſi ſtudeamus nos omnibus reddere amabiles (quatenus in Domino licet,) & bonæ famæ etiam rationem habeamus. Sic enim interpretor [illegible] & [illegible]. *Si qua laus.* Pro eo quod eſt laudabile. nam & in moribus adeo corruptis tanta eſt judiciorum perverſitas, ut ſæpe quod vitioſum eſt laudetur: ac ne veram quidem apud homines laudem Chriſtianis appetere fas eſt, qui prohibentur alibi quam in ſolo Deo gloriari. Non jubet ergo Paulus captare plauſus vel laudes ex recte factis, neque etiam vitam formare ad populi judicia: ſed tantum ſtudere bonis operibus quæ laudem merentur: ut impii & Euangelii hoſtes dum Chriſtianos derident ac vituperant, cogantur tamen eorum mores laudare. Cæterum λογίζεσθαι dicitur Græcis, quod Latinis Cogitare, pro Meditari. Meditatio autem præcedit: deinde ſequitur opus.

9. *Quæ didiciſtis, accepiſtis, audiſtis.*] Hac verborum repetitione ſignificat, in his prædicandis ſe fuiſſe aſſiduum. acſi diceret, Hæc mea doctrina, hæc traditio, hic ſermo apud vos fuit. Contra, hypocritæ nihil præter ceremonias urgebant. Turpe autem erat ſanctam inſtitutionem quam penitus imbiberant, & qua fuerant probe imbuti, deſerere. *Vidiſtis in me.* Hoc vero primum eſt in concionatore, ut non ore tantum loquatur, ſed vita: doctrinæque ſuæ fidem vitæ probitate conciliet. Itaque merito Paulus ſuæ exhortationi auctoritatem inde conciliat, quod vita non minus quam ore virtutum dux fuerat ac magiſter. *Et Deus pacis.* Loquutus fuerat de pace Dei: nunc expreſſius id confirmat, quum Deum ipſum

 pacis

pacis auctorem cum illis fore promittit. Nam Dei præſentia quicquid eſt bonorum nobis affert. acſi diceret, ſenſuros Deum ſibi adeſſe, qui omnia bene & proſpere vertat, modo piis ſanctiſque operibus incumbant.

10. Gaviſus ſum autem in Domino valde, quod aliquando reviguiſtis in ſtudio mei: de quo etiam cogitabatis, ſed deerat opportunitas.

11. Non quod ſecundum penuriam loquar. ego enim didici, in quibus ſum, iis contentus eſſe.

12. Novi & humilis eſſe, novi & excellere: ubique & in omnibus inſtitutus ſum & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati.

13. Omnia poſſum in Chriſto, qui me corroborat.

14. Cæterum bene feciſtis ſimul communicando afflictioni meæ.

10. *Gaviſus ſum autem.*] Nunc animi ſui gratitudinem declarat erga Philippenſes, ne ipſos pœniteat beneficentiæ: ſicuti fieri ſolet quum putamus contemni aut pro nihilo duci noſtra officia. Miſerant ei per Epaphroditum ſubſidia neceſſitatis. munus id ſibi acceptum eſſe teſtatur: ac ſe gaudere dicit, quod novum reſumpſerint vigorem ad curam ſui habendam. metaphora ſumpta ab arboribus, quarum vis hyeme intus contracta latet, vere florere incipit. Sed mox, addita correctione, hoc quoque dictum temperat, ne videatur anteacti temporis negligentiam perſtringere. Dicit igitur, antea quoque de ſe fuiſſe ſollicitos: ſed temporum commoditatem non tuliſſe ut maturius eorum benignitate ſublevaretur. ita culpam in tempus alienum rejicit. Particulam ἐφ᾽ ᾧ, ad perſonam Pauli retuli., & illa eſt propria ſignificatio, deinde contextui Pauli aptior.

11. *Non quod ſecundum penuriam.*] Secunda correctio, qua prævenit ſuſpicionem animi puſilli, rebuſque adverſis fracti. Referebat enim conſtantiam ejus & moderationem Philippenſibus notam eſſe, quibus erat vitæ exemplar. Sic ergo pronunciat eorum liberalitate ſe fuiſſe exhilaratum, ut patienter defectum laturus fuerit. Penuria hic refertur ad affectum. nunquam enim animo pauper eſt, qui ſorte ſibi à Deo data contentus eſt. *In quibus ſum*, inquit: hoc eſt, qualiſcunque ſit mea conditio, ea mihi ſufficit. Quare? nam ſancti ſciunt ita placere Deo. Sufficientiam ergo non metiuntur rerum copia, ſed Dei voluntate, quam ex re ipſa æſtimant: quia perſuaſi ſunt, ejus providentia & arbitrio res ſuas gubernari.

12. *Novi & humilis eſſe.*] Sequitur diſtributio, quod utriuſque fortunæ animum habeat capacem. Res proſperæ animos ultra modum inflare ſolent: adverſæ, dejicere. Ab utroque vitio immunem ſe eſſe teſtatur. Novi (inquit) humilis eſſe, hoc eſt, patienter ferre humilitatem. περισσεύειν his ponitur, ſed priore loco capitur pro excellere, ſecundo pro abundare: ut ſuis antithetis reſpondeant. Qui præſenti rerum copia novit ſobrie & temperanter uti cum gratiarum actione, paratus ad omnia reſignanda quoties Domino viſum fuerit, communicans etiam cum fratribus pro modo facultatis, qui etiam non effertur: is didicit excellere & ſaturari. Eximia & rara virtus, multoque major quam paupertatis tolerantia. In hac Pauli ſcientia diſcenda exerceantur omnes qui volunt eſſe Chriſti diſcipuli. ſe interim ita aſſuefaciant ad tolerandam inopiam ut illis dura & moleſta non ſit, ubi contigerit ſua opulentia eos nudari.

13. *Omnia poſſum in Chriſto.*] Quia de maximis rebus gloriatus fuerat: ne ſuperbiæ id tribueretur, vel ne aliis ſtultæ jactantiæ occaſionem daret; ſubjicit, hac fortitudine ſe à Chriſto inſtrui. Omnia, inquit, poſſum: ſed in Chriſto, non propria virtute: Chriſtus enim eſt qui mihi ſuppeditat robur. Unde colligimus, Chriſtum in nobis non minus fortem & invictum fore, ſi debilitatis noſtræ conſcii, ſola ejus virtute nitamur. Quum dicit, Omnia, intelligit duntaxat quæ ſunt ſuæ vocationis.

14. *Cæterum bene feciſtis.*] Quam prudenter & caute utrimque agit, circumſpiciens ne in hanc vel illam partem nimium inclinet. Magnifice ſuam conſtantiam prædicando, cavere voluit ne putarent Philippenſes ipſum inopiæ ſuccubuiſſe. Nunc cavet, ne fortiter loquendo contempſiſſe ipſorum beneficium videatur: quod eſſet non modo inhumanum & contumax, ſed etiam ſuperbum. Et ſimul occurrit, ſiquis alius ex Chriſti ſervis indigeat eorum ope, ne pigri ſint ad eum juvandum.

15. Noſtis autem & vos, Philippenſes, quod initio Euangelii, quando exivi ex Macedonia, nulla mecum Eccleſia communicaverit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.

16. Nam & Theſſalonicam ſemel atque iterum mihi quod opus erat, miſiſtis.

17. Non quia requiram donum, ſed requiro fructum qui exuperet in rationem veſtram.

18. Accepi autem omnia & abundo. impletus ſum, poſtquam ab Epaphrodito accepi quæ miſſa ſunt à vobis in odorem bonæ fragrantiæ, ſacrificium acceptum, gratum Deo.

19. Deus autem meus implebit quicquid vobis opus eſt, ſecundum divitias ſuas in gloria per Chriſtum Jeſum.

20. Porro Deo & Patri noſtro gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

21. Salutate omnes ſanctos in Chriſto Jeſu. Salutant vos qui mecum ſunt fratres.

22. Salutant vos omnes ſancti: maxime qui ſunt ex domo Cæſaris.

23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Scripta eſt è Roma per Epaphroditum.

15. *Noſtis autem.*] Excuſandi cauſa hoc additum interpretor, quod ſæpius ab illis accipiat. nam ſi reliquæ Eccleſiæ officium feciſſent, nimius accipiendo videri poterat. Sic igitur ſe purgando, laudat eos: & laudando, modeſte aliis parcit. Nobis etiam cavendum, Pauli exemplo, ne pii, dum vident nos ad accipiendum nimis propenſos, merito inexplebiles judicent. Vos, inquit, etiam noſtis: quaſi diceret, Non habeo neceſſe alios citare teſtes: nam ipſi quoque noſtis. ſæpe enim contingit, ut qui alios ceſſare in officio putat,

putat, largior ſit ad ſuccurrendum. Ita alios aliorum liberalitas fugit. *In ratione dati & accepti.* Alludit ad tationes pecuniarias: quarum duæ ſunt partes, una accepti, altera expenſi. Has compenſatione mutua referri ad æqualitatem convenit. Talis erat inter Paulum & Eccleſias contracta ratio. quum Euangelium illis miniſtraret Paulus, mutua erat obligatio ad ſuppeditandas vitæ neceſſitates: quemadmodum
1 Cor. 9. vers. 11. alibi dicit, Spiritualia vobis ſi impendimus, quid magni ſi carnalia reddatis? Itaque ſi Pauli neceſſitati ſubveniſſent aliæ Eccleſiæ, nihil gratuitum dediſſent, ſed ſolviſſent debitum: acceptum enim referre illi debebant Euangelium. Id tamen factum negat fuiſſe, quia nihil expenderint ſua cauſa. Quam turpis ingratitudo, & quantæ indignitatis plena, talem Apoſtolum, cui ultra quam pares eſſent ſolvendo, obſtrictos ſe noverant, negligere? quanta rurſus ſancti viri manſuetudo, adeo leniter ac manſueto animo ferre eorum inhumanitatem, ut ne acerbiore quidem verbo accuſet?

17. *Non quia requiram donum.*] Iterum ſiniſtram cupiditatis immodicæ opinionem à ſe rejicit: ne obliquam inſinuationem eſſe putent, quaſi omnium vices ſoli ſubire debeant: ipſe autem eorum facilitate abutatur. Teſtatur ergo ſe non tam ſuo quam ipſorum commodo ita conſulere. Dum accipio, inquit, à vobis, tantondem vobis accreſcit. ſunt enim totidem nomina quæ expenſa feratis in tabulas rationum. Pendet hujus verbi ſenſus ab illa ſimilitudine permutationis aut compenſationis in re pecuniaria.

18. *Accepi omnia & abundo.*] Expreſſius ſe habere affirmat quantum ſatis ſit, & illorum liberalitatem ornat egregio teſtimonio, quum dicit *ſe impletum.* Erat proculdubio mediocris ſumma quam miſerant: ſed illa mediocritate abundare ſe dicit ad ſatietatem. Verum præſtantius eſt elogium muneris quod ſequitur, quum illud appellat ſacrificium Deo acceptum, & oblatum in odorem bonæ fragrantiæ. Quid enim optari poteſt melius quam ut beneficia ſacræ ſint oblationes, quas Deus è manibus
Mat. 25. vers. 40. noſtris accipiat, & quarum odore delectetur? Eadem ratione dicit Chriſtus, Quicquid feceritis uni ex minimis iſtis nomine meo, mihi feciſtis. Sed metaphora ſacrificiorum multum addit ponderis: qua docemur, non modo hominibus impendi quod Deus mandat charitatis officium, ſed ſpiritualem ſacrumque ipſi Deo cultum præſtari. Sicut in Epiſtola ad Hebræos habetur, talibus hoſtiis rite litari. Væ autem noſtræ ignaviæ, quod quum Deus ad ſacerdotii honorem tam benigne nos invitet, ſacrificia etiam in manum porrigat: neque illi ſacrificamus, & quæ deſtinata erant ad ſacras oblationes, non tantum conſumimus in uſus profanos, ſed flagitioſe prodigimus in polluτiſſimas corruptelas. Aræ enim quibus imponi debebant ex facultatibus noſtris ſacrificia, pauperes ſunt & ſervi Chriſti. Illis neglectis, alii in luxum omne genus, alii in gulam, alii in lenocinia, alii in palatia diſſipant. Hebr. 13. vers. 16.

19. *Deus autem meus implebit.*] Alii legunt, Impleat, in optativo: quod tametſi non rejicio, magis tamen probo alteram lectionem. Nominatim Deum vocat ſuum, quia ille ſibi factum imputat & agnoſcit quicquid ſervis ſuis præſtatur. Vere ergo in agro Domini ſeminaverant, unde ſperanda erat certa & copioſa meſſis. Neque tantum in futura vita mercedem illis promittit, ſed etiam quoad uſus præſentis vitæ. acſi diceret, Ne putetis vos opibus imminutos: Deus cui ſervio, abunde ſufficiet quicquid vobis opus erit. Particula, *In gloria*, reſolvi debet in adverbium Glorioſe, pro magnifice, aut ſplendide. Sed addit, *Per Chriſtum*, cujus nomine gratum Deo eſt quicquid facimus.

20. *Porro Deo & Patri noſtro gloria in ſecula.*] Poteſt generalis eſſe gratiarum actio, qua claudat Epiſtolam: vel ſpecialiter ad proximum membrum de liberalitate Paulo impenſa referri. Nam quod illi ſubvenerant Philippenſes, ita debuit illis referre acceptum, ut agnoſceret ſubventum ſibi eſſe Dei miſericordia.

22. *Salutant vos omnes ſancti.*] In ſalutationibus primos nominat ſuos contubernales, poſtea omnes ſanctos in genere: hoc eſt, totam Romanam Eccleſiam, ſed præcipue domeſticos Neronis. Quod obſervatu dignum eſt. neque enim vulgare ſpecimen eſt divinæ miſericordiæ, quod Euangelium in illam ſcelerum omnium & flagitiorum abyſſum penetraverit. Ac eo quidem admirabilius, quo rarius eſt exemplum, ſanctitatem in aulis regnare. Quod nonnulli conjectarunt, hic Senecam inter alios deſignari, nihil habet coloris. Nam neque ullo unquam vel indicio ſe Chriſtianum eſſe probavit. neque erat ex domo Cæſaris, ſed ſenator & prætorius.

IN
EPISTOLAM
AD
COLOSSENSES

ARGUMENTUM.

TRes fuerunt orbes vicinæ in Phrygia, quarum in hac Epiſtola mentionem facit Paulus: Laodicea, Hierapolis, & Coloſſæ: quas ſub imperio Neronis terræmotu concidiſſe, Oroſius teſtis eſt. Itaque non multo poſt ſcriptam Epiſtolam, luctuoſo perinde ac horribili caſu tres celebres Eccleſiæ perierunt. Inſigne ſcilicet divini judicii ſpeculum: ſi quidem nobis oculi non deeſſent. Coloſſenſes non à Paulo quidem, fideliter tamen & pure ab Epaphra & aliis miniſtris inſtituti fuerant in Euangelio. Verum ſtatim cum ſuis zizaniis obrepſerat Satan, pro ſolenni perpetuoque ſuo more, ut rectam illic fidem perverteret. Putant aliqui, duo fuiſſe hominum genera, qui abducere tentarent Coloſſenſes ab Euangelii puritate. hinc enim Philoſophos de aſtris, de fato, & ſimilibus nugis diſputando, Judæos autem illinc ſuas ceremonias urgendo, multas nebulas obduxiſſe quæ Chriſtum obruerent. Sed qui ita ſentiunt, moventur nimis levi conjectura: quia ſcilicet Paulus de thronis, & poteſtatibus, & cæleſtibus creaturis meminit. Nam quod addunt etiam nomen Elementorum, pluſquam ridiculum eſt. Sed quia mihi aliorum opiniones refellere non eſt propoſitum, tantum dicam quid mihi videatur, & quod firmis rationibus licet colligere. Primum ſatis patet ex Pauli verbis, in hoc fuiſſe nebulones iſtos ut Chriſtum cum Moſe miſcerent, & una cum Euangelio retinerent Legis umbras: unde probabile eſt fuiſſe Judæos. Quia autem ſpecioſis fucis pingebant ſuas fallacias: ideo Paulus inanem philoſophiam appellat. Quanquam ſimul (meo judicio) ad argutias quibus ludebant in hoc vocabulo, reſpexit: ſubtiles illas quidem, ſed tamen futiles & profanas. Aditum enim ad Deum per Angelos comminiſcebantur, & multas ejuſmodi ſpeculationes ingerebant, quales in libris Dionyſii de cæleſti hierarchia continentur, ex ſchola Platonicorum hauſtæ. Hic ergo ſcopus eſt præcipuus ad quem tendit, ut in Chriſto omnia eſſe doceat: ideoque ipſum unum ſatis ſuperque debere eſſe Coloſſenſibus. Verum hunc tenet ordinem. Poſt inſcriptionem ſibi uſitatam, illos laudando, attentiores ad ſe audiendum reddit. Deinde ut novis omnibus alienis commentis viam præcludat, teſtimonium doctrinæ reddit quam ab Epaphra prius receperant. Poſtea dum fidei augmentum illis precatur à Domino, innuit adhuc nonnihil illis deeſſe: ut ſibi viam ſternat ad firmiorem catecheſin. Exadverſo divinam erga eos gratiam ſuis elogiis prædicat, ne eam parvifaciant. Sequitur catecheſis, in qua omnes ſalutis noſtræ partes in ſolo Chriſto ſitas eſſe docet: nequid alibi quærant. & eos quicquid eſt bonorum, in Chriſto conſequutos eſſe commemorat, quo diligentius conſervare ad extremum ſtudeant. Ac ſane vel unum hoc caput abunde ſufficit, ut Epiſtolam hanc, quantumvis brevem, habeamus inſtar incomparabilis theſauri. Quid enim in tota cæleſti doctrina majus quam Chriſtum habere graphice depictum: ut ejus virtutem, officium, & omnes qui ab eo nobis proveniunt fructus, perſpicere liceat? Nam & hoc maxime uno differimus à Papiſtis, quod quum utrique nominemur Chriſtiani, ac profiteamur nos in Chriſtum credere, illi ſibi fingunt lacerum, deformatum, exinanitum ſua virtute, officio ſuo nudatum, denique talem ut potius ſpectrum ſit quam Chriſtus ipſe: nos autem amplectimur qualis hic deſcribitur à Paulo, vivum ſcilicet ac efficacem. Itaque, ut uno verbo dicam, verum Chriſtum hæc Epiſtola à fictitio diſcernit. quo nihil nec melius, nec præſtantius deſiderari poteſt. Circa finem primi capitis auctoritatem ſibi rurſum à perſona ſibi impoſita conciliat: & magnifice commendat Euangelii dignitatem. Secundo capite clarius aperit quam habuerit ſcribendi cauſam: nempe ut occurreret periculo quod illis inſtare videbat. ubi de ſuo erga eos amore obiter tractat: ut agnoſcant ſuam ſalutem illi curæ eſſe. Inde ad exhortationem tranſit, qua ſuperiorem doctrinam quaſi ad præſentem uſum accommodat: nam & jubet ipſos in ſolo Chriſto conquieſcere, & vanitatis damnat quicquid eſt extra Chriſtum. Nominatim de Circumciſione, ciborum abſtinentia, aliiſque externis exercitiis loquitur: quibus perperam Dei cultum alligabant. Item de præpoſtero Angelorum cultu, quos in vicem Chriſti ſubrogabant. Et Circumciſionis occaſione adductus, obiter etiam attingit quale officium, & qualis fuerit ceremoniarum natura: unde conſtituit, per Chriſtum fuiſſe abrogatas. Hæc uſque ad finem ſecundi capitis. Capite tertio, vanis illis præceptionibus ad quarum obſervationem fideles adigere volebant pſeudoapoſtoli, opponit vera pietatis officia, quibus nos occupari vult Dominus. Et à fonte ipſo orditur, hoc eſt, mortificatione carnis, & vitæ novitate. unde rivos deducit, hoc eſt, particulares exhortationes: alias quæ ad omnes pariter Chriſtianos, alias quæ privatim ad certos homines ſpectant, pro ratione vocationis. Principio quarti capitis idem argumentum proſequitur: deinde ubi ſe commendavit eorum precibus, multis ſignis declarat quantopere ipſos amet, ac eorum ſaluti cupiat conſulere.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater,

2. Sanctis qui ſunt Coloſſis, & fidelibus fratribus in Chriſto. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3. Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes,

4. Audita fide veſtra quæ eſt in Chriſto Jeſu, & charitate erga omnes ſanctos,

5. Propter ſpem repoſitam vobis in cælis, de qua prius audiſtis per ſermonem veritatis, nempe Euangelii.

6. Quod ad vos pervenit, quemadmodum & in univerſo mundo fructificat & propagatur, ſicut etiam in vobis, ex quo die audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.

7. Quemadmodum & didiciſtis ab Epaphra dilecto conſervo noſtro, qui eſt fidelis erga vos miniſter Chriſti:

8. Qui etiam nobis manifeſtavit charitatem veſtram in Spiritu.

1. P*Aulus Apoſtolus.*] Jam ſæpius dictum eſt quorſum pertineant iſtæ inſcriptiones. Quia autem Coloſſenſibus nunquam viſus fuerat: ideoque apud ipſos nondum tam firma erat ejus auctoritas, ut ſolum privatum nomen ſufficeret: Dei voluntate ordinatum ſe Chriſti Apoſtolum præfatur. Unde ſequebatur, eum non temere facere quod ignotis ſcriberet, eo quod legatione ſibi à Deo mandata fungeretur. Neque enim uni Eccleſiæ addictus erat, ſed ad omnes patebat ejus Apoſtolatus. *Sanctorum* nomen quod illis tribuit, magis honorificum eſt: ſed *fratres fideles* appellans, blandius ad ſe audiendum allicit. Reliqua ex ſuperioribus Epiſtolis petenda.

3. *Gratias agimus Deo.*] Fidem Coloſſenſium & charitatem laudat, quo eos ad pergendi alacritatem & conſtantiam melius confirmet. Deinde quum talem de ipſis perſuaſionem ſe habere oſtendit, eorum animos ſibi conciliat, quo ſint ad recipiendam ſuam doctrinam magis propenſi ac dociles. Semper obſervandum, quod gratulationis loco, gratiarum actione utitur. quo docet, in omni gaudio protinus debere nobis occurrere memoriam divinæ bonitatis: quia ejus beneficium eſt quicquid nobis lætum ac felix contingit. Suo præterea exemplo nos admonet, ut non tantum ea quæ nobis confert Dominus, ſed etiam quæ aliis, gratiarum actione proſequamur. Sed quibus de rebus gratias agit Domino? de fide & charitate Coloſſenſium. Ergo utrumque dari à Deo fatetur: alioqui ficta eſſet gratiarum actio. Et quid habemus, niſi ex ejus liberalitate? Quod ſi inde minima quæque nobis proveniunt, quanto magis fatendum eſt hoc idem de iſtis duobus donis, in quibus tota præſtantiæ noſtræ ſumma poſita eſt? *Deo & Patri.* Ita reſolve, Deo qui Pater eſt Chriſti. Neque enim alium Deum fas nobis eſt cognoſcere, quam qui ſe nobis in Filio ſuo exhibuit. Atque hæc clavis eſt quæ nobis januam ſola reſerat, ſi volumus ad verum Deum accedere. Nam & ideo nobis Pater eſt, quia in Filio unigenito nos complexus eſt, & in eodem paternum ſuum favorem nobis ſpeculandum proponit. *Semper pro vobis.* Alii ſic exponunt, Gratias agimus Deo ſemper pro vobis: hoc eſt, aſſidue. Alii autem, Orantes pro vobis ſemper. Poteſt etiam ſic exponi, Quoties pro vobis oramus, ſimul gratias agimus Deo. Atque hic eſt ſimplicior ſenſus, Gratias agimus Deo, & ſimul oramus. quo ſignificat, nunquam tam perfectum eſſe fidelium ſtatum in hoc mundo, ut non ſemper aliquid deſit. Nam & qui optime cœpit, poteſt quotidie centies deficere: & continuos progreſſus facere neceſſe eſt, ubi adhuc ſumus in itinere. Sic ergo de gratiis jam acceptis meminerimus gaudendum eſſe, & agendas Deo gratias, ut perſeverantiam & incrementa ſimul ab eo petamus.

4. *Audita fide veſtra.*] Hoc & amoris erga illos, & curæ pro ipſorum ſalute incitamentum erat, quum audiret, fide & charitate eos excellere. Et certe hanc vim erga nos habere debent tam præſtantia Dei dona, ut ubicunque apparent, nos rapiant in amorem ſui. Fidem *in Chriſto* dicit, ut ſemper meminerimus proprium fidei ſcopum eſſe Chriſtum. *Charitatem* ponit *erga ſanctos:* non ut alios excludat, ſed quia ut quiſque nobis in Deo conjunctus eſt, ita peculiari amore illum debemus arctius complecti. Vera igitur charitas ad univerſos homines ſe extendet, quia & omnes caro noſtra ſunt, & ad imaginem Dei creati: ſed quantum ad gradus, initium à domeſticis fidei faciet.

5. *Propter ſpem repoſitam vobis in cælis.*] Neque enim unquam otioſa in nobis erit ſpes vitæ æternæ, quin dilectionem in nobis pariat. Neceſſe enim eſt ut qui theſaurum vitæ ſibi in cælis reconditum eſſe certo perſuaſus eſt, neglecto mundo illuc aſpiret.

Digitized by Google

Meditatio autem cæleſtis vitæ affectus noſtros tam ad Dei cultum quam ad ſtudia charitatis rapit. Abutuntur boc teſtimonio ſophiſtæ ad extollenda operum merita, quaſi ſpes ſalutis ex operibus penderet: ſed frivolum eſt argumentum. Neque enim ſequitur, in operibus ideo fundatam eſſe, quia nos ad ſtudium bene vivendi exſtimulet: quum ad id nihil efficacius ſit quam gratuita Dei bonitas, quæ omnem operum fiduciam in nihilum redigit. Cæterum metonymia eſt in verbo Spei: quia capitur pro re ſperata. Nam ſpes in animis noſtris, eſt gloria quam ſperamus in cælis. Sed tamen quum dicit, Spem nobis in cælo eſſe repoſitam, ſignificat, perinde certos debere eſſe fideles de promiſſione æternæ felicitatis, acſi jam theſaurum baberent certo in loco reconditum. *De qua prius audiſtis.* Quia res eſt ſupra captum mentis noſtræ ſalus æterna: ideo addit, illius certitudinem per Euangelium allatam fuiſſe Coloſſenſibus. & ſimul præfatur ſe oibil allaturum novi: ſed tantum hoc agere ut in recepta prius doctrina eos confirmet. Eraſmus tranſtulit, Sermonem veracem Euangelii. Nec me latet, more Hebraico, genitivum ſæpe locn epitbeti ſumi apnd Paulum: ſed hic verba Pauli majorem babent emphaſin. Nam *κατ' ἐξοχὴν Euangelium* nominat *Sermonem veritatis*, bonnris cauſa: qun ſolidius firmiuſque inſiſtant in revelatione illius accepta. Ita nomen Euangelii appoſitive contexitur.

6. *Quemadmodum & in univerſo mundo fructificat.*] Hoc ad pinrum tam confirmationem quam conſolationem valet, videre longe lateque Euangelii effectum, multis ad Chriſtum colligendis. Non pendet quidem ejus fides à ſucceſſu, ut ideo credamus quia multi credunt. Etiamſi univerſus mundus deficiat, etiamſi cælum ipſum ruat: non debet vacillare pii hominis conſcientia: quia Deus nihilominus, in qun fundata eſt, verax manet. Sed boc non obſtat quominus adjuvetur fides noſtra, quoties Dei virtutem perſpicit: quæ certe potentius ſe exerit, quo plures Chriſto lucrifiunt. Adde quod in multitudine credentium tunc perſpiciebatur tot vaticiniorum complementum, quæ Chriſti regnum ab Oriente in Occideotem extendunt. An boc parvum eſt aut vulgare fidei adminiculum, oculis impletum cernere de regno Chriſti per omnes orbis regiones dilatando, quod Prophetæ longe ante prædixerant? Quod dico, nemo eſt fidelium qui non in ſe experiatur. Voluit igitur Paulus Coloſſenſes hac ſententia magis animare: ut paſſim reſpiciendo Euangelii fructum & augmenta, illud alacriore zelo amplecterentur. *Αὐξανόμενον* in quibuſdam exemplaribus non legitur, quod ego verti *propagari:* quia tamen contextui erat aptius, nolui omittere. Et apparet ex veterum commentariis, hanc lectionem ſemper magis fuiſſe uſitatam. *Ex quo die audiſtis, & cognoviſtis gratiam.* Laus docilitatis, quod ſtatim amplexi ſunt ſanam doctrinam: laus conſtantiæ, quod io ea perſtiterunt. Et proprie vocatur Euangelii fides, gratiæ Dei cognitio: quia nemo unquam Euangelium guſtavit, niſi qui ſe Deo reconciliatum ſciret, & ſalutem apprebenderet in Chriſto oblatam. *In veritate*, ſignificat vere & abſque fuco. nam ſicut ante teſtatus eſt, Euangelium eſſe iodubiam veritatem: ita nunc addit, ſincere illis fuiſſe traditum: idque *ab Epaphra.* Nam quum jactent, multi autem mali ſint operarii, quorum vel ignorantia, vel ambitione, vel avaritia, illius puritas adulteratur: magnopere refert, diſcerni fidos miniſtros à minus probis. Neque enim ſatis eſt, Euaogelii nomen tenere: niſi ſciamus hoc eſſe verum Euangelium quod à Paulo & Epaphra prædicatum eſt. Quare ſuo calculo Paulus confirmat doctrinam Epapbræ: ut Coloſſenſes in ea retineat, eademque opera ipſos revocet à nebulonibus qui alienas doctrinas inducere moliebantur. Et ſimul ornat ipſum Epapbram inſigni titulo, quo plus auctoritatis habeat. Reddit poſtremo amabilem Coloſſenſibus, quum teſtem ipſum ſibi fuiſſe dicit eorum charitatis. Hoc ubique ſatagit Paulus, ut quos fideliter Chriſto ſervire novit, ſua commendatione chariſſimos Eccleſiis reddat: ſicut econverſo in hoc toti ſunt Satanæ miniſtri, ut à fidis Paſtoribus ſimplicium animos ſiniſtris ſermonibus alienent. *Charitatem in Spiritu*, pro ſpirituali dilectione accipio cum Chryſoſtomo: cui in ſuperioribus non aſſentior. Porro ſpiritualis dilectio eſt, quæ non reſpicit mundum: ſed pietatis auſpiciis eſt conſecrata, & quaſi interiorem habet radicem, quum amicitiæ carnales ab externis cauſis pendeant.

9. Propterea nos quoque, ex quo die audivimus, non ceſſamus pro vobis orare, & petere ut impleamini cognitione voluntatis ipſius, in omni ſapientia & prudentia ſpirituali:

10. Ut ambuletis digne Deo, in omne obſequium, in omni bono opere fructificantes, & creſcentes in cognitione Dei:

11. Omni robore roborati, ſecundum potentiam gloriæ ipſius, in omnem tolerantiam & patientiam, cum gaudio.

9. *Propterea nos quoque.*] Sicut in gratulatione amorem erga eos ſuum prius oſtendit, ita nunc in ſtudio precandi. Et ſane ut in quibuſque magis conſpicua eſt Dei gratia, ita peculiariter amplecti eos & colere debemus, ac de illorum ſalute eſſe ſolliciti. Quid autem illis precatur? Ut Deum plenius cognoſcant. quo ſubindicat, illis adhuc deeſſe nonnihil, ut ſibi ad eos inſtituendos viam ſternat, & ampliori doctrinæ audientiam conciliet: qui enim ſe aſſequutos eſſe putant quicquid ſcitu dignum eſt, ſpernunt ac faſtidiunt quicquid ulterius affertur. Hanc igitur perſuaſionem tollit Coloſſenſibus, ne ſit illis impedimento quominus libenter proficiant, ac limari patiantur quod eſt in illis inchoatum. Quam vero cognirionem illis optat? Nempe *divinæ voluntatis.* qua verbo quælibet bominum commenta, & quaſvis ſpeculationes alienas à verbo Dei refutat. neque enim alibi quam io verbo quærenda eſt ejus voluntas. Adjungit, *In omni ſapientia:* quo ſignificat unicam recte ſapiendi regulam eſſe voluntatem illam Dei, cujus meminerat. Quiſquis enim ſimpliciter ea ſcire cupit quæ placuit Deo revelare, is demum novit quid ſit recte ſapere: ſiquid ultra appetamus, id nihil aliud erit quam deſipere modum non tenendo. Per vocabulum *συνέσεως*, quod Prudentiam vertimus, intelligo dijudicationem, quæ ex intelligentia manat. utraque *ſpiritualis* vocatur Paulo: quia non aliter ad eas pervenitur, quam Spiritus directione. Ani- 1 Cor. 2.
malis enim homo non percipit ea quæ Dei ſunt. verſ. 14.
Quamdiu reguntur homines carnis ſuæ ſenſu, habent ipſi quoque ſuam ſapientiam, ſed quæ mera eſt vanitas, utcunque in ea ſibi placeant. Videmus qualis ſit theologia ſub Papatu, quid contineant Philoſophorum libri, quam ſapientiam in pretio habeant profani bomines. Sed meminerimus, eam quæ ſola commendatur à Paulo, incluſam eſſe in Dei voluntate.

10. *Ut ambuletis digne Deo.*] Primum docet quis ſpiritualis intelligentiæ ſit finis, & quorſum in Dei ſchola proficiendum ſit: nempe ut vivamus digne Deo, hoc eſt, ut appareat in vita noſtra, non fruſtra nos à Deo fuiſſe edoctos. Quicunque ad hunc ſcopum

pum non dirigunt ſua ſtudia, fieri poteſt ut multum ſudent ac laborent, ſed nihil quam vagantur per ambages, nullo profectu. Deinde admonet, hoc in primis agendum nobis eſſe, ſi velimus ambulare digne Deo, ut totum vitæ curſum ad Dei voluntatem conferamus, proprio ſenſu abdicato, cunctiſque carnis noſtræ affectibus valere juſſis. Quod etiam iterum confirmat, quum addit, In omne obſequium, vel (ut vulgo loquuntur) complacentiam. Ergo ſi quæritur quænam ſit vita Deo digna, teneatur ſemper hæc Pauli definitio: nempe eam eſſe quæ relictis hominum placitis, relicto denique totius carnis ingenio, ad unius Dei obſequium exigitur. Hinc ſequuntur bona opera: quos fructus à nobis Deus requirit. *Creſcentes in cognitione Dei.* Iterum repetit non eouſque ipſos perveniſſe quin novis augmentis indigeant. qua admonitione eos præparat, & quaſi manuducit ad proficiendi ſtudium: quo ſe promptos ad audiendum, docileſque exhibeant. Quod autem Coloſſenſibus hic dicitur, ſibi dictum univerſi fideles accipiant: atque hinc colligant communem exhortationem, ſemper eſſe in pietatis doctrina creſcendum uſque ad mortem.

11. *Omni robore roborati.*] Quemadmodum illis antea precatus eſt tam ſanam intelligentiam, quam rectum ejus uſum: ita etiam nunc animum & conſtantiam precatur. Hoc modo eos admonet ſuæ imbecillitatis: quia fortes negat fore, niſi auxilio Domini. neque id modo, ſed ut magis hanc gratiam amplificet, addit, Secundum potentiam ipſius glorioſam: acſi diceret, tantum abeſſe ut quis ſuapte virtute fretus ſtare queat, ut magnifice Dei virtus ſe demonſtret, noſtræ infirmitati opitulando. Poſtremo qua in re explicare ſe debeat robur fidelium, docet: nempe in omni patientia & tolerantia. Nam & aſſidue cruce exercentur in hoc mundo: & mille quotidie tentationes ſe ingerunt ad eos opprimendos: & nihil vident eorum quæ Deus promiſit. Mira igitur patientia ſe muniant oportet: quo impleatur illud Jeſaiæ, *Jeſa. 30.* In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra. *verſ. 15.* Particulam *cum gaudio*, cum hac ſententia connectere melius eſt. Etſi enim diverſa lectio apud Latinos uſitatior eſt, in hanc tamen magis conſentiunt Græci codices: & certe non ſuſtinetur patientia, niſi alacritate: nec unquam forti animo ſtabit, niſi cui ſuavis erit ſua conditio.

12. Gratias agentes Deo & Patri, qui nos fecit idoneos ad participationem hæreditatis ſanctorum in lumine:

13. Qui eripuit nos ex poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii ſui dilecti:

14. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum:

15. Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus univerſæ creaturæ:

16. Quoniam in ipſo creata ſunt omnia tum quæ in cælis ſunt tum quæ ſuper terram: viſibilia & inviſibilia: ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates.

17. Omnia per ipſum, & in ipſum creata ſunt: & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.

12. *Gratias agentes.*] Iterum redit ad gratulationem, ut hac occaſione recenſeat quibus beneficiis donati ſint per Chriſtum. atque ita ingreditur in plenam Chriſti deſcriptionem. Hoc enim unicum erat remedium Coloſſenſibus adverſus omnes inſidias quibus eos tentabant pſeudoapoſtoli, probe tenere quid eſſet Chriſtus. Unde enim fit ut circumferamur tot variis doctrinis, niſi quia nobis non eſt perſpecta Chriſti virtus? Solus enim Chriſtus facit ut ſubito alia omnia evaneſcant. Itaque nihil eſt quod tantopere moliatur Satan, quam nebulas obducere ad Chriſtum obſcurandum: quia ſcit, hoc modo januam apertam eſſe quibuslibet mendaciis. Hæc igitur ſola eſt ratio tam retinendæ, quam reſtituendæ puræ doctrinæ, Chriſtum ponere ob oculos qualis eſt cum bonis ſuis omnibus, ut virtus ejus vere ſentiatur. Hic non agitur de nomine. Papiſtæ communiter nobiſcum unum Chriſtum confitentur: quantum interea inter nos & illos intereſt? nempe quia illi, dum confeſſi ſunt Chriſtum eſſe Filium Dei, virtutem ejus transferendo ad alios, hucque & illuc diſtrahendo, prope inanem ipſum relinquunt. ſaltem ſpoliant eum magna parte ſuæ gloriæ: ut nominetur Filius Dei, non ſit tamen qualem Pater erga nos eſſe voluit. Quod ſi Papiſtæ ex animo reciperent quæ hoc capite continentur, mox inter nos conveniret: ſed concideret totus Papatus, quia non ſtat niſi Chriſti ignoratione. Hoc proculdubio agnoſcet quiſquis ſtatum primi hujus capitis conſiderabit. Nihil enim aliud hic agitur, niſi ut ſciamus Chriſtum eſſe principium, medium, & finem: ab ipſo omnia petenda: extra ipſum nihil eſſe, nec poſſe inveniri. Nunc igitur ſedulo & acriter obſervent lectores, quibus coloribus Chriſtum nobis Paulus depingat. *Qui nos fecit idoneos.* Adhuc de Patre loquitur: quia eſt principium & cauſa efficiens (ut loquuntur) noſtræ ſalutis. ut nomen Dei majeſtatem clarius exprimit, ita nomen Patris clementiam & benevolum affectum. Utrumque intueri nos in Deo convenit, ut majeſtas timorem & reverentiam nobis incutiat, paternus amor fiduciam nobis conciliet. Itaque hæc duo non fruſtra conjunxit Paulus: ſi tamen placet lectio quam ſequutus eſt vetus Interpres, cui ſuffragantur vetuſtiſſimi quidam Græci codices. Quanquam nihil erit abſurdi ſi dicamus Patris voce fuiſſe contentum. Deinde ſicuti neceſſe eſt gratiam ejus incomparabilem Patris nomine exprimi: ita etiam non minus neceſſe eſt nos Dei nomine rapi in admirationem tantæ bonitatis, quod is qui Deus eſt, eouſque ſe demiſerit. Cujus autem beneficii Deo agit gratias? quod ſe & alios reddiderit idoneos ad participandam ſanctorum hæreditatem. Naſcimur enim filii iræ, exules à regno Dei: ſola eſt Dei adoptio quæ nos efficit idoneos. Adoptio autem à gratuita electione pendet: Spiritus regenerationis, eſt adoptionis ſigillum. Addit, *In lumine*, ut eſſet antitheton quod tenebris regni Satanæ opponeretur.

13. *Qui eripuit nos.*] En principium ſalutis noſtræ, Quum nos Deus eripit è profundo exitii in quo demerſi ſumus. Nam ubi abeſt ejus gratia, illic tenebræ: quemadmodum habetur apud Jeſaiam, Ecce tenebræ *Jeſa. 60.* operient terram, & caligo populos: ſuper te autem *verſ. 2.* orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Primum noſipſi tenebræ vocamur: deinde totus mundus. Et Satan princeps tenebrarum: ſub cujus tyrannide tenemur vincti, donec Chriſti manu aſſeramur. Hinc collige, totum mundum cum fucata ſua & ſapientia & juſtitia, nihil quam tenebras cenſeri coram Deo: quia nulla lux extra Chriſti regnum. *Tranſtulit in regnum.* Hæc jam auſpicia noſtræ beatitudinis, quum transferimur in Chriſti regnum. quia tranſimus à morte in vitam. Hoc quoque adſcribit Paulus Dei gratiæ: ne quis proprio curſu tantum bonum aſſequi ſe putet. Quemadmodum igitur opus Dei eſt noſtra à peccatis & mortis ſervitute liberatio: ita & tranſitus in Chriſti regnum. Chriſtum vocat *Filium*

dilectionis, vel Deo Patri dilectum: quia ſolus eſt in quo acquieſcit ejus anima, ut habetur Matth. 17. v. 5. & per quem alii omnes diliguntur. Sic enim ſentiendum eſt, nos aliter non eſſe Deo gratos, quam per Chriſtum. Nec dubium eſt quin oblique hoſtile diſſidium notare velit Paulus, quod eſt hominibus cum Deo uſquedum in Mediatore dilectio refulgeat.

14. *In quo habemus redemptionem.*] Jam ordine perſequitur, omnes ſalutis noſtræ partes in Chriſto contineri: & ipſum ſolum, ut eſt principium omnium & finis, debere eminere, & conſpicuum cerni ſupra omnes creaturas. Primo dicit in eo nos habere redemptionem: & eam continuo interpretatur, *remiſſionem peccatorum*. Hæc enim duo inter ſe appoſitive cohærent. nam certe Deus, peccata nobis remittendo, ab æternæ mortis reatu nos eximit. Hæc noſtra libertas, hæc adverſus mortem gloriatio, quod nobis peccata non imputantur. Hanc redemptionem dicit acquiſitam eſſe *Chriſti ſanguine*: nam ſacrificio mortis ejus expiata ſunt omnia mundi peccata. Meminerimus ergo, hoc unum eſſe reconciliationis pretium: ideoque blaſphemiam eſſe quicquid de ſatisfactionibus Papiſtæ nugantur.

15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis.*] Altius conſcendit, diſſerendo de Chriſti gloria. Imaginem Dei inviſibilis appellat: quo ſignificat eum ſolum eſſe, per quem Deus alioqui inviſibilis, nobis manifeſtatur.
Joan. 1. ſecundum illud, Deum nemo vidit unquam: Uni-
verſ. 18. genitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis manifeſtavit. Scio qualiter veteres exponere ſoleant. quia enim certamen habebant cum Arrianis, æqualitatem Filii cum Patre & ὁμουσίαν urgent: interea tacent quod eſt præcipuum: quomodo Pater in Chriſto ſe nobis cognoſcendum exhibeat. Quod in vocabulo Imaginis, totum ſuum præſidium conſtituit Chryſoſtomus, dum contendit, creaturam non poſſe dici Creatoris imaginem: nimis infirmum eſt. imo à Paulo refel-
1 Cor. 11. litur: cujus verba ſunt, Vir eſt imago & gloria Dei.
verſ. 17. Ne quid ergo habeamus niſi ſolidum, notandum eſt, nomen Imaginis non prædicari de eſſentia, ſed habere ad nos relationem. Ideo enim imago Dei Chriſtus, quia Deum quodammodo nobis facit viſibilem. quanquam inde etiam colligitur ὁμουσία. Neque enim Deum vere Chriſtus repræſentaret, niſi Verbum eſſet Dei eſſentiale: quando hic non agitur de iis quæ per communicationem in creaturas etiam competunt: ſed agitur de perfecta Dei ſapientia, bonitate, juſtitia & potentia: quibus repræſentandis nulla creatura ſufficeret. Erit igitur nobis in hoc vocabulo validum telum adverſus Arrianos: ſed tamen ab illa relatione quam dixi, incipiendum, non inſiſtendum in ſola eſſentia. Summa eſt, Deum in ſe, hoc eſt, in nuda ſua majeſtate, eſſe inviſibilem: nec tantum corporeis oculis, ſed humanis etiam mentibus: revelari autem nobis in ſolo Chriſto, ut eum tanquam in ſpeculo contemplemur. Nam in Chriſto ſuam juſtitiam, bonitatem, ſapientiam, virtutem, ſe denique totum nobis exhibet. Cavendum ergo ne alibi eum quæramus: nam extra Chriſtum quicquid ſe Dei nomine venditabit, idolum erit.

Primogenitus univerſæ creaturæ.] Ratio hujus appellationis mox ſequitur: *Quoniam in ipſo creata ſunt omnia.* quemadmodum tertio poſt verſu primogenitus ex mortuis dicitur, quia per ipſum reſurgimus omnes. Ergo non ideo tantum primogenitus, quod tempore præceſſerit omnes creaturas: ſed quia in hoc à Patre ſit genitus, ut per ipſum conderentur: ſitque veluti hypoſtaſis aut fundamentum omnium. Stulte autem Arriani, qui inde ratiocinabantur, eſſe igitur creaturam. Neque enim quid in ſeipſo ſit, hic tractatur, ſed quid in aliis efficiat.

16. *Viſibilia & inviſibilia.*] Superior diviſio cæleſtium & terreſtrium utramque ſpeciem comprehendebat. Sed quia de Angelis præcipue hoc aſſerere volebat Paulus, nunc inviſibilium meminit. Non igitur ſolum quæ oculis patent cæleſtes creaturæ, ſed etiam ſpirituales per Filium Dei conditæ ſunt. Quod ſtatim ſequitur, *Sive throni*, &c. perinde valet acſi diceret, Quocunque nomine cenſeantur. Per Thronos, quidam Angelos intelligunt. ſed ego potius cæleſte palatium majeſtatis Dei ſignificari puto: quod non eſt tale ſomniandum quale poteſt mens noſtra capere, ſed quale Deo ipſi convenit. Solem & Lunam, totumque cæli ornatum conſpicimus: ſed gloria regni Dei à ſenſu noſtro eſt abſcondita: quia ſpiritualis eſt, & cælis ſuperior. Denique per Thronos intelligamus ſedem illam beatæ immortalitatis, quæ ab omni mutatione eſt exempta. Reliquis nominibus Angelos proculdubio deſignat. Eos vocat poteſtates, principatus, dominationes, non quia proprium aliquod regnum exerceant, aut propria virtute ſint præditi: ſed quia miniſtri ſunt divinæ potentiæ & dominationis. Eſt autem uſitatum, prout vim ſuam exerit Deus in creaturis, eatenus etiam ad ipſas transferri ejus nomina. Ita ſolus ipſe & Dominus & Pater: ſed patres quoque & domini, quos dignatur hoc honore. Inde fit ut tam Angeli quam Judices dii nuncupentur. Quamobrem & hoc loco inſigniuntur Angeli magnificis elogiis: quæ declarant, non quid per ſe valeant aut ſeorſum à Deo, ſed quid per illos agat Deus, & quas illis functiones delegaverit. Quæ ita accipere convenit, ut nihil de unius Dei gloria detrahatur. neque enim ita ſuam virtutem communicat Angelis, ut ſe imminuat: non ita per ipſos operatur, ut potentiam illis ſuam reſignet: non ita in illis gloriam ſuam vult relucere, ut in ipſo obſcuretur. Conſulto autem Paulus ita honorifice extollit Angelorum dignitatem, ne quis putet obſtare quominus ſolus Chriſtus ſupra eos emineat. Itaque quaſi per modum conceſſionis uſurpat hæc nomina: acſi diceret, nihil derogare Chriſto totam eorum excellentiam, quamlibet ſplendidis titulis orneotur. Qui ſubtilius philoſophantur in his vocabulis, ut ordines Angelorum inde eliciant, fruantur ſuis deliciis: ſed à Pauli mente certe procul diſcedunt.

17. *Omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt.*] Quatuor rationibus Angelos Chriſto ſubjicit, ne ejus gloriam obſcurent: Quia per ipſum ſunt creati. Secundo. Quia ad ipſum tanquam ad legitimum finem; referri debet eorum creatio. Tertio, quod ipſe ſemper fuerit antequam crearentur. Quarto, quod eos ſuſtineat ſua virtute, & in ſtatu conſervet. Quanquam non de ſolis Angelis hoc affirmat, ſed de toto quoque mundo. Ita Filium Dei in celſiſſima honoris ſede collocat, ut præſideat tam Angelis quam hominibus, cogatque in ordinem omnes creaturas in cælo & in terra.

18. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, ipſe principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primas tenens:

19. Quoniam in ipſo placuit omnem plenitudinem inhabitare,

20. Et per ipſum reconciliare omnia ſibi, pacificando per ſanguinem crucis ejus, per ipſum, tam quæ ſunt ſuper terram, quam quæ ſunt in cælis.

18. *Caput corporis.*] Poſtquam generaliter de Chriſti excellentia diſſeruit, deque ſummo ejus in omnes creaturas principatu: iterum redit ad ea quæ peculiariter ad Eccleſiam ſpectant. In nomine Capitis, alii plura conſiderant. Et certe aliquanto poſt, eadem tranſlatione utetur in hunc ſenſum, quod

ſicuti

ſicuti caput in corpore humano vice eſt radicis, unde vitalis facultas in omnia membra diffunditur: ita Eccleſiæ vitam à Chriſto fluere, &c. Hic vero potiſſimum, meo judicio, de gubernatione loquitur. Docet igitur Chriſtum eſſe ſolum qui poteſtatem habeat regendæ Eccleſiæ, ad quem unum reſpicere debeant fideles, à quo pendeat corporis unitas. Papiſtæ dum idoli ſui tyrannidem probare volunt, Eccleſiam cauſantur fore *ἀκέφαλον*, niſi Papa tanquam caput in ea dominetur. Atqui oe Angelis quidem hoc honoris concedit Paulus: nec tamen Eccleſiam truncat ſuo capite: quia Chriſtus ut hunc titulum ſibi vindicat, ita officium vere eaercet. Nec me latet cavillum quo effugiunt, Papam caput eſſe miniſteriale. verum magis auguſtum eſt Capitis nomen, quam ut ad hominem quempiam mortalem, quovis colore transferri debeat, Chriſti præſertim injuſſu. Modeſtius Gregorius, qoi Petrum ſcribit præcipuum quidem eſſe membrum Eccleſiæ, ipſum tamen & reliquos Apoſtolos ſub uno capite eſſe membra, epiſt. 92. lib. 4. *Ipſe principium.* Quoniam *ἀρχὴ* interdum Græcis finem ſignificat quo omnia referuntur, poſſemus accipere, Chriſtum hoc modo eſſe *ἀρχήν*: malo tamen ita reſolvere Pauli verba, quod ſit principium, quia primogenitus eſt ex mortuis. nam in reſurrectione eſt rerum omnium inſtauratio: atque ita initium ſecundæ & novæ creationis, quia prior collapſa erat in ruina primi hominis. Quia igitur Chriſtus reſurgendo, regnum Dei auſpicatus eſt, merito dicitur principium: quia tunc vere incipimus eſſe coram Deo, quum renovamur ut ſimus novæ creaturæ. *Primogenitus ex mortuis* dicitur non modo quia primus reſurrexit, *1 Cor. 15. verſ. 20.* ſed quia reſtituit etiam aliis vitam. ſicut alibi vocatur Primitiæ reſurgentium. *Ut ſit in omnibus.* Inde concludit, illi competere primatum in omnibus. nam ſi auctor eſt omnium & reſtitutor, jure illi deberi hunc honorem conſtat. Quanquam particula In omnibus, bifariam poteſt accipi: vel in omnes creaturas, vel omni in re. Sed hoc non magni refert: quia ſimpliciter coguntur omnia ſub ejus imperium.

19. *Quoniam in ipſo placuit.*] Quo magis firmum ſit quod prædicavit de Chriſto, nunc quoque addit, ita fiaum Dei providentia fuiſſe. Et certe ut myſterium hoc reverenter adoremus, ad fontem illum nos revocati oeceſſe eſt. Hoc, inquit, Dei conſilio factum eſt ut inhabitet in eo omnis plenitudo. Intelligit autem, juſtitiæ, ſapientiæ, virtutis, bonorumque omnium. Nam quicquid habet Deus, id in Filium ſuum contulit, ut glorificetur in eo: ſicut habetur Joan. 5. v. 20. Simul autem admonet, hauriendum eſſe ea plenitudioe Chriſti quicquid boni ad ſalutem noſtram eapetimus: quoniam ita Deo ſtatum eſt, non aliter ſe ac ſua dona hominibus communicare, quam per Filium. Perinde igitur eſt acſi diceret, Chriſtum eſſe nobis omnia, extra ipſum oihil nos habere. Unde ſequitor, quicuoque Chriſto derogant, vel imminuunt ejus virtutem, vel ſuis officiis eum ſpoliant, vel denique ea hac plenitudine guttam delibant, eos quantum in ſe eſt, æteroum Dei conſilium labefactare.

20. *Et per ipſum reconciliare omnia ſibi.*] Hoc quoque magnificum eſt Chriſti elogium, quod non aliter quam per ipſum, conjuncti eſſe Deo poſſumus. Primum reputemus, in hoc ſitam nobis eſſe felicitatem, ut Deo adhæreamus: rurſus nihil eſſe miſerius quam ab eo eſſe alienatos. Pronunciat igitur nos per ſolum Chriſtum beatos eſſe, quia ipſe vinculum ſit noſtræ cum Deo conjunctionis: rurſus eatra ipſum eſſe miſerrimos, quia à Deo ſimus excluſi. Quod autem Chriſto tribuit, meminerimus eſſe ejus proprium: ut in nullum alium hujus laudis portio transſcribatur. Quare ſubaudiendæ ſunt antitheſes, ſi hæc Chriſti prærogativa eſt, minime io alios competere. Nam ea profeſſo diſputat contra eos qui Angelos pacificatures fingebant, per quos aditus pateficeret ad Deum. *Pacificando per ſanguinem crucis ejus.* De Patre loquitur, quod propitiatus fuerit ſuis creaturis per Chriſti ſanguinem. Vocat autem ſanguinem crucis: quia ideo pignus & pretium noſtræ cum Deo pacificatiunis fuit ſanguis Chriſti, quia in cruce fuſus. Victimam enim expiatricem fieri oportuit Dei Filium, & peccati reatum ſuſtinere, ut eſſemus juſtitia Dei in illo. Sanguis ergo crucis, ſaoguinem ſacrificii ſignificat quod immolatum in cruce fuit ad placandum iram Dei. Addendo, Per ipſum, nihil novum dicere, ſed quod jam diaerat, certius exprimere, & altius etiamnum animis noſtris infigere voluit: nempe ſic Chriſtum unum reconciliationis eſſe auctorem, ut alia quævis media eacludat. Nemo enim alius pro nobis crucifiaus. Ergo ipſe ſolus eſt per quem & cujus gratia Deum habemus propitium. *Tam ſuper terram quam in cælis.* Si rationales tantum creaturas intelligere libeat, erunt homines & Angeli. Quanquam nihil abſurdi erit, ad omnes ſine eaceptione extendere. verum ne ſubtilius philoſophari neceſſe ſit, placet de Angelis & hominibus eſſe dictum: ac de his quidem nulla difficultas quin pacificatore apud Deum indigeant. De Angelis autem, quæſtio non facilis ad explicandum. Quorſum enim reconciliatio, ubi oullum fuit diſſidium aut ſimultas? multi hac ratiooe permoti, ira eapoſuerunt præſentem locum, Angelos io concordiam reductos eſſe cum hominibus, atque ita cæleſtes cum terrenis rediiſſe in gratiam. Sed aliud ſonant verba Pauli, *Deum ſibi reconciliaſſe.* coacta igitur eſt illa ſolutio. Reſtat ut videamus qualis ſit Angelorum & hominum reconciliatio. Dico homines Deo reconciliatos eſſe, quod ante ab eo eſſent alieoati per peccatum, quod judicem ſenſuri erant in ſoum exitium, niſi interveniſſet gratia Mediatoris ad iram ejus placandam. Genus ergo pacificationis inter Deum & homines fuit, quod per Chriſtum abolitæ fuerunt inimicitiæ, itaque Deus ex judice factus eſt Pater. Inter Deum & Angelos lunge diverſa ratio. Illic enim nulla defectio, nullum peccatum, ideoque nullum divortium. Sed tamen duabus de cauſis Angelos quoque oportuit cum Deo pacificari. nam quum creaturæ ſint, eatra lapſus periculum non erant, niſi Chriſti gratia fuiſſent confirmati. Hoc autem non parvum eſt momentum ad pacis cum Deo perpetuitatem, fixum habere ſtatum in juſtitia, ne caſum aut defectionem amplius timeat. Deinde in hac ipſa obedientia quam præſtant Deo, non eſt tam exquiſita perfectio, ut Deo omni ex parte & citra veniam ſatisfaciat. Atque huc proculdubio ſpectat ſententia iſta ex libro Job, In Angelis ſuis reperiet iniquitatem. nam ſi de diabolo exponitur, quid magnum? pronunciat autem illic Spiritus, ſummam puritatem ſordere, ſi ad Dei juſtitiam eaigatur. Conſtituendum igitur, non eſſe tantum in Angelis juſtitiæ, quod ad plenam cum Deo conjunctionem ſufficiat. itaque pacificatore opus habent, per cujus gratiam penitus Deo adhæreant. Unde recte Paulus, qui in ſolis hominibus negat reſidere Chriſti gratiam, ſed Angelis etiam commnnem facit: nec injuria fit Angelis, quum ad Mediatorem ablegantur, ut ejus beneficio ſolidam cum Deo pacem habeant. Si quis prætextu uoiverſalis notæ quæſtionem moveat de diabolis, an Chriſtus eorum quoque ſit pacificator, reſpondeo, ne impiorum quidem. Tametſi fateor eſſe diſcrimen, quia his offertur beneficium redemptionis, illis non item. Sed hoc nihil ad Pauli verba, quæ nihil aliud continent quam ſolum eſſe Chriſtum per quem adhærent Deo omnes creatoræ, quæ quicquam habent cum ipſo conjunctionis.

21. Et vos quum aliquando eſſetis alienati, & inimici cogitatione in operibus malis,

22. Nunc reconciliavit in corpore carnis ſuæ per mortem: ut ſiſteret vos ſanctos & irreprehenſibiles in conſpectu ſuo.

23. Si quidem permanetis fide fundati & firmi, & non dimoveamini à ſpe Euangelii quod audiſtis: quod prædicatum eſt apud univerſam creaturam quæ ſub cælo eſt: cujus factus ſum ego Paulus miniſter.

21. *Et vos quum aliquando.*] Nunc generalem doctrinam per hypotheſin ad ipſos accommodat, ut reos ſe majoris ingratitudinis ſentiant, ſi patiantur à Chriſto ſe traduci ad nova commenta. Et ordo hic diligenter eſt notandus: quia magis afficit peculiaris doctrinæ applicatio, ut ita loquar. Deinde ad experientiam eos revocat, ut in ſe agnoſcant redemptionis beneficium, cujus meminerat. acſi diceret, Vosipſi documentum eſtis ejus gratiæ quam ego per Chriſtum hominibus eſſe exhibitam prædico. Eratis enim *alienati*: à Deo ſcilicet. eratis *inimici*, nunc recepti eſtis in amorem. unde id factum eſt? nempe quia Deus per Chriſti mortem placatus, vobiſcum rediit in gratiam. Quanquam in hac ſententia eſt perſonæ mutatio: quod enim de Patre hactenus docuit, nunc de Chriſto prædicat. ſic enim exponere neceſſe eſt, quia dicit in corpore carnis ſuæ. Vocabulum *διανοίᾳ* ad auxeſin poſitum interpretor, acſi dixiſſet, penitus & toto mentis ſenſu abalienatos fuiſſe à Deo: ne quis philoſophice alienationem in parte aliqua eſſe fingat, ſicuti theologi Papales ad inferiores concupiſcentias reſtringunt. Imo, inquit Paulus, quod vos Deo reddebat exoſos, totam mentem occupabat. Denique exprimere voluit, hominem, quantus eſt, prorſus diſſidere à Deo, & illi eſſe inimicum. Senſum vertit vetus Interpres, Eraſmus Mentem: ego *cogitationis* nomine uſus ſum, pro eo quod Galli intentionem vocant. Nam & ea vis eſt Græcæ vocis, & Pauli ſenſus ita poſtulat. Porro nomen Inimici, tam paſſivam quam activam ſignificationem quum habeat, utroque modo vere nobis congruit quamdiu ſumus extra Chriſtum. Nam & naſcimur filii iræ, & omnis carnis cogitatio ſimultas eſt adverſus Deum. *In operibus malis.* Ab effectis probat interius odium quod in corde latet. Nam quia ſe eximere ab omni culpa contendunt homines, donec palam fuerint convicti, Deus eorum impietatem externis operibus demonſtrat: ut fuſius tractatur Romanorum 1. v. 19. Porro quod de Coloſſenſibus hic audimus, ad nos quoque pertinet. natura enim nihil differimus. Hoc tantum intereſt, quod alii vocantur ſtatim ab utero matris, quorum malitiam antevertit Deus ne in fructus manifeſtos erumpant: alii poſtquam errarunt bonam vitæ partem, in ovile reducuntur. Chriſto tamen pacificatore indigemus omnes, quia peccati ſervi ſumus: & ubi eſt peccatum, illic inter Deum & homines inimicitia.

22. *In corpore carnis ejus.*] Loquutio in ſpeciem abſurda: ſed perinde valet Corpus carnis, atque corpus humanum quod nobiſcum habuit commune Filius Dei. Exprimere ergo voluit eandem nobiſcum naturam induiſſe Filium Dei: hoc (inquam) humile, terrenum, & infirmitatibus multis obnoxium corpus geſtaſſe, ut Mediator noſter eſſet. Quum addit, *Per mortem*, iterum nos ad ſacrificium revocat. Filium enim Dei hominem fieri oportuit, & carnis noſtræ participem, ut frater noſter eſſet: victimam fieri moriendo oportuit, ut Patrem nobis placaret. *Ut ſiſteret vos ſanctos & irreprehenſibiles.* Secunda pars præcipua ſalutis noſtræ, vitæ novitas ſcilicet. Nam his duobus membris præcipue conſtat totum redemptionis beneficium, peccatorum remiſſione, & regeneratione ſpirituali: Jer. 31. v. 33. Hoc jam quod dixit, magnum erat, acquiſitam nobis eſſe juſtitiam morte Chriſti, ut abolitis peccatis, Deo grati ſimus. Sed nunc aliud accedere æque præclarum docet, nempe Spiritus ſancti donationem, qua reformamur ad imaginem Dei. Et locus eſt obſervatione dignus, non conferri nobis gratuitam juſtitiam in Chriſto, quin Spiritu etiam regeneremur in obedientiam juſtitiæ: quemadmodum alibi docet, Chriſtum nobis factum eſſe juſtitiam & ſanctificationem. Illud conſequimur acceptatione gratuita: hoc autem dono Spiritus ſancti, dum novi homines efficimur. utriuſque autem gratiæ individuus eſt nexus. Cæterum notemus ſanctitatem hanc inchoatam eſſe in nobis duntaxat, & indies progreſſus facere: ſed non fore perfectam, donec Chriſtus ad omnium inſtaurationem apparuerit. Nam perperam olim Cæleſtini & Pelagiani hoc loco abutebantur, ut excluderent gratiam remiſſionis peccatorum. Fingebant enim perfectionem in hoc mundo, quæ Dei judicio ſatisfaceret, ut ſupervacua eſſet miſericordia. Paulus autem nequaquam hic docet quid in hoc mundo impleatur: ſed quis finis ſit vocationis noſtræ, & quæ bona nobis à Chriſto afferantur. *1 Cor. 1. verſ. 30.*

23. *Si quidem permanetis.*] Hortatio ad perſeverantiam, qua admonet irritum fore quicquid hactenus gratiæ illis collatum erat, niſi maneant in ſinceritate Euangelii. Atque ita ſignificat eos adhuc eſſe in profectu, nondum metam attigiſſe. Nam tunc inſidiis pſeudoapoſtolorum periclitabatur apud eos fidei ſtabilitas. graphice autem depingit fidei certitudinem, quum in ea jubet Coloſſenſes fundatos eſſe ac ſtabiles. Neque enim ſimilis eſt fides opinationi quæ variis motibus quatitur: ſed habet firmam conſtantiam quæ omnibus inferorum machinis reſiſtat. Itaque tota Papalis theologia nunquam vel tenuem guſtum veræ fidei dabit: quæ pro axiomate habet, ſemper eſſe dubitandum tam de præſenti ſtatu gratiæ, quam de finali perſeverantia. Poſtea etiam relationem notat quæ fidei eſt cum Euangelio, quum dicit, tunc fore ſtabiles in fide Coloſſenſes ſi non labefactentur à ſpe Euangelii: hoc eſt, quæ per Euangelium nobis affulget. nam ubi Euangelium, illic ſpes eſt ſalutis æternæ. Sed meminerimus, ſummam omnium in Chriſto contineri. Ideo hic fugere doctrinas omnes præcipit quæ à Chriſto abducunt, ut alibi occupentur hominum mentes. *Quod audiſtis.* Quia Euangelii nomen ſuperbe etiam jactare ſolent pſeudoapoſtoli qui Chriſtum lacerant & conſcindunt: & hoc uſitatum Satanæ artificium, falſo Euangelii prætextu conſcientias turbare, ut confuſa ſit Euangelii veritas: ideo nominatim Paulus aſſerit, hoc genuinum, hoc indubium eſſe Euangelium quod audierant Coloſſenſes, ab Epaphra ſcilicet, ne aurem præberent contrariis doctrinis. Addit præterea confirmationem, illud ipſum eſſe quod per totum orbem prædicatum ſit. Non vulgaris, inquam, eſt iſta confirmatio, quum audiunt ſe habere univerſalem Eccleſiam ſibi conſentientem: nec ſe aliud doctrinæ genus ſequi, quam quod Apoſtoli pariter docuerint, & ubique receptum ſit. Ridicula autem Papiſtarum jactantia, quod doctrinam noſtram hoc argumento impugnant, quia non ubique prædicetur cum approbatione & applauſu, quia paucos habeamus conſentientes. Neque enim ſi rumpantur, hoc nobis unquam eripient, nihil aliud hodie nos tradere, quam olim prædicatum ſit à Prophetis & Apoſtolis, totoque ſanctorum choro obedienter receptum. Neque enim Euangelium Paulus approbari voluit omnium ſeculorum conſenſu: ut ſi repudiaretur, vacillaret ejus auctoritas. Sed

potius

Digitized by Google

Marc. 16. verſ. 15. potius ad illud Chriſti mandatum reſpexit, Ite, prædicate Euangelium univerſæ creaturæ. quod pendet ex tot vaticiniis Prophetarum, quæ regnum Chriſti in totum orbem propagatum iri denunciabant. Quid ergo aliud ſibi vult Paulus his verbis, quam aquis illis vivis irrigatos etiam fuiſſe Coloſſenſes, quæ à Jeruſalem ortæ, per totum orbem fluxuræ erant? Nos quoque non fruſtra, nec ſine eximio fructu & conſolatione gloriamur, nos illud idem habere Euangelium quod ex edicto Domini prædicatum fuit inter omnes populos, quod ab omnibus Eccleſiis receptum, in cujus profeſſione vixerunt ac mortui ſunt omnes pii. Nec vulgare adjumentum eſt nobis adverſus tot inſultus muniendis, conſenſus univerſæ Eccleſiæ: quæ quidem digna eſt tam inſigni titulo. Et libenter Auguſtino ſubſcribimus, qui hoc præcipue argumento refellit Donatiſtas, quod Euangelium afferant inauditum & incognitum omnibus Eccleſiis. Merito ſane. nam ſi verum eſt Euangelium quod nulla Eccleſiæ approbatione obſignatum proponitur, ſequitur inanes ac falſas eſſe tot promiſſiones, quibus prædicitur in totum orbem perferenda Euangelii prædicatio: & quæ affirmant, colligendos eſſe ex omnibus populis & regionibus filios Dei, &c. Papiſtæ autem quid? Prophetis & Apoſtolis valere juſſis, præterita veteri Eccleſia, ſuam ab Euangelio defectionem pro conſenſu catholicæ Eccleſiæ haberi volunt. quid ſimile? Ergo quum de conſenſu Eccleſiæ diſputatio eſt, ad Apoſtolos eorumque prædicationem redeamus: ut hic Paulus facit. Porro ne quis ſuperſtitioſe univerſalem notam accipiat: nihil aliud ſignificat Paulus, quam paſſim longe lateque eſſe prædicatum. *Cujus factus ſum.* Agit etiam de ſua perſona: quod operæpretium erat. ſemper enim cavendum ne temere nos ingeramus ad officium docendi. Ergo ſibi munus injunctum eſſe teſtatur, ut ſibi jus & auctoritatem conciliet. Et quidem ſuum Apoſtolatum ſic cum eorum fide conjungit, ut reſpuere ejus doctrinam nequeant, niſi Euangelium quod amplexi ſunt, deſerendo.

24. Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt afflictionibus Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.

25. Cujus factus ſum miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei quæ mihi data eſt erga vos, ad implendum ſermonem Dei:

26. Myſterium reconditum à ſeculis & generationibus, quod nunc revelatum eſt ſanctis ejus,

27. Quibus voluit Deus patefacere quæ ſint divitiæ gloriæ myſterii hujus in Gentibus, qui eſt Chriſtus in vobis, ſpes gloriæ:

28. Quem nos prædicamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.

29. In quam rem etiam laboro, decertans ſecundum potentiam ejus, quæ operatur in me potenter.

24. *Nunc gaudeo*] Prius à vocatione ſibi auctoritatem aſſeruit: nunc autem occupat, ne quid de Apoſtolatus ſui honore detrahant vincula & perſequutiones quas pro Euangelio ſuſtinebat. nam iſtis etiam occaſionibus abutitur Satan, ut ſervos Dei viliores reddat. Præterea animat eos ſuo exemplo, ne perſequutionibus terreantur: & zelum ſuum commendat, ut plus habeat gravitatis. Quin etiam non vulgari pignore ſuum erga eos amorem teſtatum reddit, dum ſe libenter eorum cauſa afflictiones quas ſuſtinet, perferre aſſerit. Unde autem hoc gaudium, dicet quiſpiam? Nempe quia fructum cernebat inde emergentem. acſi diceret, Suavis eſt mihi afflictio pro vobis: quia non fruſtra eam patior. Quemadmodum ad Theſſalonicenſes priore Epiſtola, gaudere ſe dicit in omni neceſſitate & afflictione, propter auditam ipſorum fidem. *Adimpleo quæ deſunt* &c. Copulam accipio vice cauſalis. reddit enim rationem cur patiendo lætus ſit: quia ſocius in ea re ſit Chriſti. nihil autem hac ſocietate beatius optari poteſt. Et communem piis omnibus conſolationem proponit, quod in omnibus ærumnis, præſertim vero ſiquid pro Euangelio ſuſtinent, participes ſunt crucis Chriſti, ut beatæ reſurrectionis conſortio fruantur. Quin etiam ita impleri affirmat quæ deſunt Chriſti afflictionibus. nam ſicuti loquitur ad Romanos capite 8. v. 29. Quos Deus elegit, hos quoque prædeſtinavit, ut conformes fiant imaginis Chriſti: quo ſit primogenitus inter fratres. Porro ſcimus tantam capitis & membrorum eſſe unitatem, ut nomen *Chriſti*, totum corpus interdum comprehendat. Sicuti prioris ad Corinth. 12. v. 12. illic enim quum de Eccleſia ſermonem haberet, tandem concludit, rem in Chriſto ita habere ut in humano corpore. Quemadmodum ergo ſemel paſſus eſt in ſe Chriſtus, ita quotidie patitur in membris ſuis: atque hoc modo implentur paſſiones quas Pater illius corpori ſuo decreto deſtinavit. Secunda cogitatio quæ ſuſtinere animos noſtros & ſolari debet in afflictionibus, Dei providentia ita fixum eſſe & conſtitutum, ut Chriſto configuremur in crucis tolerantia, & quam habemus cum ipſo communicationem, huc quoque extendi. Addit & tertiam rationem, quia fructuoſæ ſint paſſiones ſuæ, neque paucis duntaxat, ſed toti Eccleſiæ. Prius dixerat pro Coloſſenſibus ſe pati: nunc amplius aſſerit, fructum ad totam Eccleſiam pervenire. De quo fructu dictum eſt ad Philippenſes capite 1. v. 12. Quid hac expoſitione clarius minuſque coactum, & magis ſimplex? Paulum ideo in perſequutione lætum eſſe, quia reputet quod alibi ſcribit, circumferendam eſſe mortificationem Chriſti in corpore noſtro, ut vita ejus manifeſtetur in nobis. Item ad Timotheum, Si compatimur, etiam ſimul regnaturos: ſi commorimur, etiam ſimul victuros: felicem igitur & glorioſum exitum fore. Deinde non recuſandam eſſe conditionem quam Eccleſiæ ſuæ ordinavit Deus, ut membra Chriſti congruentem cum ſuo capite ſymmetriam habeant. Tertio, libenter perferendas eſſe afflictiones, quæ utiles ſint piis omnibus, & totius Eccleſiæ ſalutem promoveant, Euangelii doctrinam illuſtrando. Atqui his omnibus poſthabitis & neglectis, novum commentum excuderunt Papiſtæ, quo ſuas indulgentias probarent. Indulgentias vocant pœnarum remiſſionem quæ nobis fit per martyrum merita. Nam quum gratuitam peccatorum remiſſionem negent, ſed redimi fingant operibus ſatisfactoriis: ubi ſatisfactiones juſtam menſuram non implent, advocant in ſubſidium martyrum ſanguinem, ut coram Dei judicio ad expiationem valeat cum Chriſti ſanguine. Atque hanc mixturam Theſaurum vocant Eccleſiæ: cujus claves poſtea quibus viſum eſt committunt. Nec eos pudet in tam execrabilis blaſphemiæ ſuffragationem torquere præſentem locum: quaſi Paulus hic aſſerat paſſiones ſuas expiandis hominum peccatis valere. Urgent vocem ὑστερήματα, quaſi Paulus neget ſufficere quæ paſſus eſt Chriſtus, ad redemptionem hominum. Nemo autem non videt Paulum ita loqui, quia oporteat

teat per afflictiones piorum adduci corpus Eccleſiæ ad ſuam perfectionem, dum membra capiti ſuo configurantur. Ac timerem calumniæ ſuſpicionem in recitandis talibus portentis, niſi eorum libri teſtes eſſent, nihil me illis falſo imputare. Urgent etiam quod dicit Paulus ſe pro Eccleſia pati. Mirum eſt, argutum bunc ſenſum nemini veterum in mentem veniſſe. omnes enim nobiſcum interpretantur, Pro Eccleſia pati ſanctos, quia fidem Eccleſiæ confirmant. Papiſtæ autem inde colligunt, Sanctos eſſe redemptores, quia expiandis peccatis ſanguinem fundant. Sed ut clarius perſpiciant lectores eorum impudentiam: fateor tam martyres pro Eccleſia paſſos eſſe quam Chriſtum, ſed diverſis modis: quod Auguſtini verbis malo, quam meis exprimere. Sic enim ſcribit tractatu in Joan. 84. Etſi fratres pro fratribus morimur: nullus tamen ſanguis martyris in peccatorum remiſſionem funditur: quod fecit Chriſtus pro nobis. neque in hoc quid imitaremur, ſed quid gratularemur, nobis contulit. Item libro ad Bonifacium quarto, Sicut ſolus Dei Filius factus eſt filius hominis ut nos faceret Dei filios: ita etiam pro nobis ſolus ſuſcepit ſine culpa pœnam, ut per ipſum ſine meritis conſequamur indebitam gratiam. Quibus ſimile eſt illud Leonis Epiſcopi Romani, Accepere juſti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius debitum quiſpiam ſuo fine perſolvit. Hunc autem verbis Pauli ineſſe ſenſum, facile ex contextu patet. ſubnectit enim ſe pati ſecundum diſpenſationem ſibi commiſſam. Scimus autem non redimendæ, ſed ædificandæ Eccleſiæ miniſterium illi fuiſſe commiſſum: & ipſe hoc diſerte continuo profitetur. Id eſt
2 Tim. 2. verſ. 10. quod etiam ſcribit ad Timotheum, ſe ſuſtinere omnia propter electos, ut ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Jeſu. Et ſecundæ ad Corinthios cap. 1. v. 4. ſe perferre libenter omnia pro ipſorum conſolatione & ſalute. Diſcant igitur pii lectores odiſſe ac deteſtari profanos iſtos ſophiſtas, qui ut ſuis figmentis colorem inducant, ita ex profeſſo corrumpunt Scripturas & adulterant.

25. *Cujus factus ſum ego miniſter.*] En quo nomine patiatur pro Eccleſia: nempe quia miniſter eſt, non ad dandum redemptionis pretium (ut Auguſtinus ſcite & pie loquitur) ſed prædicandum. Porro aliter ſe miniſtrum Eccleſiæ nunc appellat, atque
1 Cor. 2. verſ. 4. alibi miniſtrum Dei, & nuper Euangelii. Serviunt enim Deo Apoſtoli & Chriſto, ad promovendam utriuſque gloriam: ſerviunt Eccleſiæ in ſalutem, & ipſum Euangelium adminiſtrant. Diverſa igitur in iſtis loquutionibus eſt miniſterii ratio: ſed unum abſque alio conſtare nequit. Dicit autem, *erga vos:* ut munus illius ad ſe quoque pertinere ſciant. *Ad implendum ſermonem.* Finem aſcribit ſui miniſterii: ut efficax ſit Dei ſermo. quod fit dum obedienter recipimus. Hæc enim Euangelii virtus eſt, ut potentia
Rom. 1. verſ. 16. Dei ſit in ſalutem omni credenti. Verbo igitur ſuo efficaciam & effectum dat Deus per Apoſtolos. Quanquam enim ipſa prædicatio, qualiſcunque ſit eventus, impletio eſt ſermonis: fructus tamen demum oſtendit, non fruſtra ſparſum eſſe ſemen.

26. *Myſterium reconditum.*] Euangelii commendatio, quod ſit admirabile Dei ſecretum. Non abs re Paulus toties Euangelium quam maximis poteſt
1 Cor. 1. verſ. 18. laudibus extollit. videbat enim Judæis eſſe ſcandalum, Græcis ſtultitiam. Et nos quoque hodie videmus quanto ſit in odio hypocritis, quam ſuperbe à mundo contemnatur. Paulus ergo, ut tam iniqua & perverſa judicia refutet, magnifice extollit Euangelii dignitatem, quoties ita fert occaſio. atque ad id variis argumentis utitur pro loci circumſtantia. Hic vocat Sublime arcanum, quod incognitum fuerit ſeculis & generationibus: hoc eſt, ab initio mundi per tot ætatum circuitus. Quod autem de Euangelio loquatur, apparet ex cap. 16. v. 25. Epiſtolæ ad Rom., ad Epheſios cap. 3. v. 9. & ſimilibus. Sed ratio appellationis quæritur. Nonnulli, quia Paulus nominatim Gentium vocationem attingit, hanc ſolam rationem appellationis eſſe judicant, quod Dominus quaſi ex inſperato gratiam ſuam effuderit in Gentes, quas vitæ æternæ communicatione in perpetuum privaſſe videbatur. Atqui propius omnia intuenti, hanc tertiam eſſe rationem patebit, non ſolam: quod quidem pertinet ad præſentem locum, & illum alterum ad Romanos, quem citavi. Prima enim eſt, quod quum ſub obſcuris tam verborum quam ceremoniarum involucris ante Chriſti adventum Eccleſiam ſuam gubernaſſet Deus, ſubito plena claritate affulſit per Euangelii doctrinam. Secunda, quod quum nihil ante cerneretur præter externas figuras, exhibitus fuerit Chriſtus ſecum ferens plenam veritatem qua latuerat. Tertia eſt quam dixi, quod totus orbis qui hactenus à Deo alienus fuerat, in ſpem ſalutis vocetur, & omnibus offeratur eadem æternæ vitæ hæreditas. Harum rerum attenta conſideratio coget nos myſterium hoc quod prædicat Paulus, ſuſpicere & adorare: quamlibet contemptim habeatur à mundo, vel etiam rideatur. *Quod nunc revelatum eſt.* Ne quis aliorſum traheret nomen Myſterii, quaſi de re adhuc abſtruſa & ignota loqueretur, addit nunc tandem fuiſſe publicatum, ut hominibus innoteſceret. Quod igitur ſuapte natura arcanum erat, patefactum Dei voluntate fuit. quare non eſt quod nos obſcuritas abſterreat poſt Dei revelationem. Addit, *ſanctis:* quia non omnibus revelatur Dei brachium, ut ejus conſilium intelligant.

27. *Quibus voluit.*] Hic vero frenum injicit hominum audaciæ, ne plus ſapere vel inquirere ſibi permittant, quam oportet: ſed hoc uno contenti eſſe diſcant, ita Deo placuiſſe. Dei enim voluntas abunde ſufficere nobis debet pro cauſa. hoc tamen præcipue dictum eſt ad gratiæ Dei commendationem: quia innuit Paulus, homines minime cauſam præbuiſſe Deo ut participes fierent hujus arcani, quum docet ipſum ſponte fuiſſe huc adductum, & quia voluerit. Vulgare enim eſt apud Paulum, Dei beneplacitum quibuslibet hominum meritis & externis cauſis opponere. *Quæ ſint divitiæ.* Semper obſervandum quam magniloquus ſit in extollenda Euangelii dignitate. ſciebat enim eam eſſe hominum ingratitudinem, ut hunc inæſtimabilem theſaurum, & quantumvis excellentem Dei gratiam ſecure nihilominus contemnant, aut certe vilipendant. Ergo non contentus nomine *myſterii*, addit *gloriam:* & eam quidem non exiguam aut vulgarem. divitiæ enim amplitudinem ſignificant Paulo, ut notum eſt. Nominatim *in Gentibus* apparuiſſe docet has divitias. quid enim magis admirabile quam Gentiles, qui tot ſeculis demerſi fuerant in morte, ut viderentur penitus deſperati, repente accenſeri Dei filiis, & hæreditatem ſalutis accipere? *Qui eſt Chriſtus in vobis.* Quod de Gentibus dixerat in genere, accommodat ipſis Coloſſenſibus, ut efficacius in ſe agnoſcant, & majore reverentia exoſculentur Dei gratiam. Dicit ergo, Qui eſt Chriſtus. quo ſignificat totum illud arcanum in Chriſto contineri: & omnes ſapientiæ cæleſtis divitias obtineri quum habetur Chriſtus: quemadmodum apertius paulo poſt aſſeret. Addit, In vobis: quia nunc Chriſtum poſſideant, à quo nuper erant tam alieni ut nihil ſupra. Poſtremo Chriſtum vocat *ſpem gloriæ:* ut ſciant nihil ad plenam beatitudinem ſibi deeſſe poſtquam Chriſtum adepti ſunt. Hoc autem admirabile Dei opus eſt, quod in vaſculis teſtaceis & fragilibus reſideat ſpes cæleſtis gloriæ.

28. *Quem nos prædicamus.*] Hic vero ad ſuam prædicationem transfert quicquid prius de mirifico & adorando Dei arcano pronunciavit: atque ita exponit quod jam attigerat de commiſſa ſibi diſpenſatione.

tione. Huc enim tendit ut ſuum Apoſtolatum ornet, ſuæque doctrinæ auctoritatem vendicet. Poſtquam enim Euangelium in ſublime extulit, nunc addit, eſſe illud divinum arcanum quod prædicat. Verum non abs re nuper inſeruit, Chriſtum eſſe illius arcani ſummam: ut ſcirent nihil doceri poſſe Chriſto abſolutius. Quæ ſequuntur verba, magnum etiam pondus habent. ſe doctorem facit omnium hominum: quo ſignificat nullum tanta ſapientia præſtare, qui ſe eximere à ſuo magiſterio debeat. acſi diceret, Conſtituit me Deus in excelſo loco publicum arcani ſui præconem, ut ſine exceptione totus mundus ex me diſcat. *In omni ſapientia*, perinde valet acſi talem aſſereret ſuam doctrinam, quæ hominem ad ſolidam ſapientiam, & cui nihil deſit, perducat. Atque hoc eſt quod addit continuo, quicunque ſe veros diſcipulos præbuerint, eos reddi perfectos. vide ſecundum caput prioris ad Corinthios. Quid autem poteſt expeti melius quam quod ſummam perfectionem nobis confert? Iterum repetit, *In Chriſto*, ne quid ſcire præter unum Chriſtum velint. Ex hoc loco etiam colligere licet veræ ſapientiæ definitionem: nempe qua perfecti ſiſtamur coram Deo, idque in Chriſto, non alibi.

29. *In quam rem.*] Duabus circumſtantiis auget gloriam ſui Apoſtolatus, ſuæque doctrinæ. Primum ſtudii ſui mentionem facit: quod eſt argumentum difficultatis. Sunt enim plurimum præſtantiſſima quæ ſunt ardua. Alterum eſt firmius, quod Dei potentiam in ſuo miniſterio relucere commemorat. Porro non de ſucceſſu tantum loquitur prædicationis ſuæ, (quanquam in eo quoque apparet Dei benedictio) ſed etiam de efficacia Spiritus, in qua ſe evidenter Deus monſtrabat. Nam ſuos conatus quum humanum modum ſuperarent, merito adſcribit Dei potentiæ, quam potenter in hac parte operantem conſpici aſſerit.

CAP. II.

VOlo autem vos ſcire quantum certamen habeam pro vobis, & iis qui ſunt Laodiceæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne:

2. Ut conſolationem accipiant corda ipſorum, ubi compacti fuerint in charitate, & in omnes divitias certitudinis intelligentiæ, in agnitionem myſterii Dei, & Patris & Chriſti:

3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & intelligentiæ abſconditi.

4. Hoc autem dico, ne quis vos decipiat perſuaſorio ſermone.

5. Nam etſi corpore ſum abſens, ſpiritu tamen ſum vobiſcum, gaudens & videns ordinem veſtrum, & ſtabilitatem veſtræ in Chriſtum fidei.

1. *Volo autem vos ſcire.*] Amorem erga eos ſuum teſtatur, quo plus fidei habeat & auctoritatis. libenter enim iis credimus quos ſcimus ſalutis noſtræ eſſe ſtudioſos. Nec vulgaris amoris ſignum eſt, quod de illis erat ſollicitus in media morte: hoc eſt, quum de vita periclitaretur. Et quo ſtudii ſui & curæ vehementiam magis exprimat, vocat *certamen*. Non reprehendo quod Eraſmus vertit Sollicitudinem: vis tamen verbi Græci obſervanda eſt: quia ἀγὼν ponitur, ubi eſt contentio. Eodem argumento confirmat, ſuum miniſterium ad eos ſpectare. nam unde tam anxia de ipſorum ſalute cogitatio, niſi quia Gentium Apoſtolus debuit etiam ignotos amore curaque complecti? Quia autem vulgo nulla dilectio eſt inter ignotos, extenuat notitiam quæ contrahitur ex aſpectu, quum dicit, *quicunque non viderunt faciem meam in carne.* Eſt enim inter Dei ſervos alius aſpectus quam carnis, qui amorem conciliet. Quia communi fere conſenſu receptum eſt, priorem ad Timotheum Laodicea fuiſſe ſcriptam: ideo quidam Galatiæ attribuunt hanc Laodiceam, cujus mentionem facit Paulus: quum illa metropolis fuerit Phrygiæ Pacatianæ. Verum mihi veriſimilius videtur, mendoſam eſſe illam inſcriptionem: quemadmodum ſuo loco annotabitur.

2. *Ut conſolationem.*] Nunc ſignificat quid illis deſideret: ac oſtendit, vere Apoſtolicum eſſe ſuum affectum. nihil enim aliud ſibi cordi eſſe aſſerit, quam ut ſint colligati in fide & charitate. Ergo non præpoſtero ſtudio (ut in quibuſdam accidit) ſe impulſum fuiſſe demonſtrat, ut tantam Coloſſenſium & aliorum curam ſuſciperet: ſed quia ratio officii ſic poſtulabat. Conſolatio hic capitur pro vera tranquillitate in qua conquieſcant. ejus tunc demum compotes fore aſſerit, ſi in charitate & fide compacti ſint. Hinc apparet ubi ſitum ſit ſummum bonum, & quibus rebus conſtet: nempe dum in unam fidem mutuo conſentientes, mutua etiam charitate ſumus conjuncti. hoc, inquam, ſolidum pii animi gaudium: hæc beata vita. Sicuti autem charitas ab effectu hic commendatur, quod vera lætitia piorum animos perfundit: ita rurſum ejus cauſa oſtenditur, quum dicit, In omnem plenitudinem intelligentiæ. Vinculum enim ſanctæ unitatis eſt Dei veritas, dum eam uno conſenſu amplectimur. Pax enim & concordia cum hominibus ex illo fonte manat. *Divitias certitudinis intelligentiæ.* Quia plerique tenui guſtu contenti, nihil præter confuſam & evanidam notitiam habent, nominatim ponit Divitias intelligentiæ: quo nomine ſignificat plenam & luculentam perceptionem. & ſimul admonet, pro intelligentiæ menſura etiam in charitate proficiendum eſſe. Nomine Certitudinis, fidem ab opinione diſcernit. Is enim vere demum cognoſcit Deum, qui non vacillat dubitatione aut nutat: ſed qui ſtat in firma conſtantique perſuaſione. Hanc conſtantiam & ſtabilitatem Paulus ſæpius πληροφορίαν vocat. quo etiam nomine hic utitur, & cum fide perpetuo conjungit: ut certe non poteſt ab ea magis avelli, quam à ſole calor aut lumen. Diabolicum igitur Scholaſticorum dogma, quod ſublata certitudine, conjecturam moralem (quam appellant) in illius locum ſubſtituit.

In agnitionem myſterii.] Hoc membrum appoſitive legendum eſt. nam exponit quæ ſit illa ſcientia cujus meminit: nempe aliud non eſſe quam Euangelii cognitionem. Venditant enim & pſeudoapoſtoli ſuas impoſturas, ſapientiæ titulo. ſed Paulus filios Dei in ſolo Euangelio retinet, ne quid aliud ſcire appetant. Cur pro Euangelio ponat Myſterii nomen, jam dictum eſt. Verum hinc diſcamus, ſola fide, non ratione, nec perſpicacia humanæ mentis, Euangelium poſſe capi: quia alioqui res eſt à nobis abſcondita. Myſterium Dei paſſive interpretor, in quo revelatur Deus. Nam continuo adjungit, *Et Patris & Chriſti.* qua particula ſignificat non poſſe Deum cognoſci, niſi in Chriſto: ſicuti rurſus neceſſe eſt Patrem cognoſci, ubi Chriſtus cognoſcitur. utrumque enim affirmat Joannes, Qui habet Filium, habet & Patrem: qui non habet Filium, neque Patrem habet. Ergo quicunque extra Chriſtum aliquid de Deo ſcire ſe putant, idolum ſibi fingunt Dei loco. Sicuti etiam econverſo Chriſtum ignorat, qui non perducitur per eum ad Patrem, adeoque totum

Deum in ipſo amplectitur. Eſt interea locus memorabilis ad probandam Chriſti deitatem, & unam cum Patre eſſentiam. Nam præfatus de notitia Dei, mox tam ad Filium quam ad Patrem accommodat. unde ſequitur, Filium cum Patre eundem eſſe Deum.

3. *In quo ſunt.*] Particula In quo, vel totum illud complexum refert, de agnitione myſterii: vel ad proximum tantum ſpectat, nempe Chriſtum. Tametſi autem parum eſt diſcriminis inter hoc & illud, poſterius tamen magis placet, & eſt magis receptum. Senſus eſt igitur, in Chriſto latere theſauros omnes ſapientiæ & ſcientiæ. quo ſignificat nos perfecte ſapere, ſi Chriſtum vere cognoſcimus: adeo ut inſania ſit, præter ipſum quicquam ſcire velle. Nam quum Pater totum ſe in illo patefecerit, extra Deum ſapere vult qui non eſt ſolo Chriſto contentus. Si de myſterio exponere libeat, ſenſus erit, totam piorum ſapientiam in Euangelio incluſam eſſe, quo nobis Deus in Filio ſuo revelatur. *Theſauros* autem dicit *abſconditos*, quia non eminent magno ſplendore conſpicui: ſed potius ſub crucis humilitate, & ſimplicitate contemptibili quaſi deliteſcunt. Eſt enim ſemper crucis prædicatio (ut habuimus ad Corinthios) mundo ſtultitia. Inter *ſapientiam & intelligentiam* hoc loco non pono magnum diſcrimen, quia tantum duplicatio ad augendum valet: acſi dixiſſet, nihil alibi poſſe inveniri ſcientiæ, eruditionis, doctrinæ, ſapientiæ.

4. *Hoc dico, ne quis*] Quia hominum figmenta (ut poſtea videbimus) ſpeciem habent ſapientiæ, præoccupatos eſſe oportet piorum animos hac perſuaſione, ſatis ſuperque unam eſſe Chriſti notitiam. Et certe hæc clavis eſt quæ januam omnibus pravis erroribus obſerare poteſt. Quid enim in cauſa fuit cur tot impiis opinionibus, tot idololatriis, tot ſtultis ſpeculationibus ſe homines implicuerint, niſi quia deſpecta Euangelii ſimplicitate, altius aſpirare auſi ſunt? Quicquid ergo errorum eſt in Papatu, huic ingratitudini acceptum ferri debet, quod non acquieſcentes in uno Chriſto, alienis doctrinis ſe dederunt. Bene itaque Apoſtolus ad Hebræos, dum hortari volens fideles ne peregrinis doctrinis aut novis ſinant ſe abduci, hoc primum fundamento utitur, Chriſtus heri & hodie, & in ſecula. quibus verbis ſignificat, extra periculum eſſe qui in Chriſto manent: omnibus autem fallaciis & deceptionibus eſſe expoſitos, quibus non ſufficit Chriſtus. Ita hic Paulus, quiſquis non vult decipi, eo principio munitum eſſe vult, non eſſe fas homini Chriſtiano quicquam præter Chriſtum ſapere. Etiamſi ſpecioſiſſimum habet colorem quicquid poſtea affertur, nihili tamen fiet. Nulla denique erit pithanologia quæ animos eorum vel minimum digitum flectat, qui ſuam mentem Chriſto addixerint. Locus certe inſigniter efferendus. nam ut is omnibus impiis dogmatibus obviavit qui docuit homines nihil ſcire præter Chriſtum, ita eadem eſt ratio qua hodie totum Papatum deſtruamus, quem ex Chriſti ignorantia conflatum eſſe conſtat.

5. *Nam etſi corpore ſum abſens, ſpiritu.*] Ne quis objiceret, ex loco tam remoto parum opportunam eſſe admonitionem: dicit amorem erga eos ſuum facere ut illis adſit ſpiritu, & quaſi ex re præſenti judicet quid illis expediat. Et præſentem eorum ſtatum laudando, admonet ipſos ne inde labantur, aut declinent. *Gaudens*, inquit, *& videns*, hoc eſt, quia video. Copula enim particulam cauſalem valet, quod Latinis & Græcis eſt uſitatum. perinde eſt acſi diceret, Pergite qua cœpiſtis: ſcio enim vos hactenus tenuiſſe rectum curſum, quoniam non obſtat loci diſtantia quominus vos oculis mentis aſpiciam. *Ordinem & ſtabilitatem.* Duo ponit quibus conſtat Eccleſiæ perfectio, ordinem inter ipſos, & fidem in Chriſtum: Ordinis nomine tam conſenſum, quam mores rite compoſitos, & totam diſciplinam ſignificans. *Fidem* à conſtantia & ſtabilitate laudat, ſignificans inanem eſſe fidei umbram, ubi animus nutat & alternat inter varias opiniones.

6. Quemadmodum igitur ſuſcepiſtis Chriſtum Jeſum Dominum, in ipſo ambulate:
7. Radicati in ipſo, & ædificati, & confirmati in fide, quemadmodum edocti eſtis, abundantes in ea cum gratiarum actione.

6. *Quemadmodum.*] Laudi attexit exhortationem, in qua docet nihil illis profuturum quod ſemel Chriſtum receperint, niſi in ipſo permaneant. Porro quia pſeudoapoſtoli, Chriſti nomen obtendunt ad fallendum: bis occurrit huic periculo, dum pergere ipſos jubet quemadmodum edocti fuerant, & quemadmodum receperant Chriſtum. Nam his verbis admonet, ita conſtanter adhærendum eſſe doctrinæ quam ab Epaphra traditam amplexi erant, ut ſibi ab alia quavis doctrina & fide caveant. Sicuti dicebat Jeſa. 30. verſ. 22. Jeſaias, Hæc eſt via, ambulate in ea. Et ſane ita agendum eſt ut veritas Euangelii, poſtquam nobis eſt patefacta, nobis ſit murus aheneus ad repellendas omnes impoſturas. Tribus autem metaphoris exprimit qualem ab ipſis requirat fidei conſtantiam. Prima eſt in verbo *ambulandi*. Comparat enim puram Euangelii doctrinam, ut eam didicerant, viæ certæ; quam quiſquis tenuerit, extra erroris periculum futurus eſt. Hortatur ergo ſi non velint aberrare, ut ne à curſu quem ingreſſi ſunt, deflectant. Secunda ſumpta eſt ab arboribus. ſicuti enim arbor radicibus profunde actis ſatis habet fulturæ ad ſuſtinendos omnes ventorum & procellarum impetus; ita ſi quis in Chriſto alte ac penitus fixus ſit, tanquam in firma radice, nullis Satanæ machinationibus dejici poterit à recto ſtatu. Contra ſi quis non defixerit radices in Chriſto, facile circumferetur quovis vento doctrinæ, non ſecus atque arbor nullis fulta radicibus primo quoque flatu abripitur. Tertia metaphora eſt fundamenti. domus enim quæ fundamento non ſuſtinetur, mox corruit. Idem & iis accidit qui aliis fulturis quam Chriſto incumbunt: vel certe qui non ſunt in eo ſolide fundati, ſed habent quaſi ſuſpenſum fidei ſuæ ædificium propter infirmitatem ac levitatem. Hæc duo obſervanda ſunt in verbis Apoſtoli: immotam eſſe eorum firmitatem qui in Chriſtum recumbunt: & curſum minime dubium, vel errori obnoxium. atque ita eximia eſt laus fidei ab effectu. Deinde euſque proficiendum eſſe nobis in Chriſto, dum profundas in eo radices egerimus. Unde colligere promptum eſt, eos tantum vagari per devia, & inquietos fluctuare, qui Chriſtum non tenent.

7. *Et confirmati in fide.*] Jam abſque figura repetit quod per translationes dixerat: nempe viæ proſequutionem, radicis & fundamenti fulturam, eſſe firmitudinem & conſtantiam fidei. Et obſerva, quia probe edocti fuerint, hoc illis argumentum proponi, ut tuto ſecureque in fide ſibi comperta gradum figant. *Abundantes.* Non vult eos tantum ſtare immobiles, ſed magis in dies ac magis augeſcere. Quum addit, *Cum gratiarum actione*, vult ſemper eſſe memores unde fides ipſa proveniat: ne efferantur arrogantia, ſed potius cum timore acquieſcant in Dei dono. Et certe ingratitudo ſæpiſſime in cauſa eſt cur nos tam luce Euangelii, quam aliis Dei gratiis privemur.

8. Videte

8. Videte ne quis vos prædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum:
9. Quoniam in ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter,
10. Et eſtis in ipſo completi, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis:
11. In quo etiam eſtis circumciſi Circumciſione non manufacta, exuendo corpus peccatorum carnis, Circumciſione inquam Chriſti,
12. Conſepulti cum ipſo per Baptiſmum: in quo & conſurrexiſtis per fidem efficaciæ Dei, qui ſuſcitavit illum ex mortuis.

8. *Videte ne quis.*] Iterum cui veneno antidotum à ſe datum opponi debeat, admonet. Tametſi enim commune eſt illud adverſus omnes diaboli impoſturas remedium, ut diximus: habebat tamen peculiarem tunc uſum inter Coloſſenſes, cui accommodari debebat. Videte, inquit, ne quis vos prædetur. Verbo utitur admodum proprio. alludit enim ad prædones, qui dum violenter rapere gregem nequeunt, fraude abigunt pecudes. Ita Eccleſiam facit Chriſti ovile, & hujus ovilis ſepta puram Euangelii doctrinam. Nos ergo qui ſumus Chriſti oves, ſignificat tuto in loco quieſcere, dum fidei unitatem tenemus. pſeudoapoſtolos autem prædonibus facit ſimiles, qui à caulis nos abducunt. Vis ergo in grege Chriſti cenſeri, vis manere in ejus caulis? ne latum unguem à doctrinæ puritate deflectas. Nam certe boni paſtoris officium faciet Chriſtus nos protegendo, ſi tantum vocem ejus audierimus, alienorum voces reſpuerimus. Denique caput decimum Joannis, expoſitio eſt præſentis loci. *Per Philoſophiam.* Quia multi falſo putarunt hic damnari à Paulo Philoſophiam, definiendum eſt quid intelligat per hoc nomen. Meo autem judicio, intelligit quicquid ex ſe comminiſcuntur homines, dum volunt proprio ſenſu ſapere: idque non abſque ſpecioſo rationis prætextu, ut ſit in ſpeciem probabile. Neque enim in rejiciendis hominum commentis, quæ nullam habent commendationem, multum eſt negotii: ſed in iis quæ fallaci ſapientiæ opinione mentes capiunt. Aut ſi uno verbo quis malit, Philoſophia nihil aliud eſt quam perſuaſorius ſermo, qui pulchris ac plauſibilibus argumentis ſe inſinuet in animos hominum. Tales, fateor, erunt omnes Philoſophorum argutiæ, ſiquid de ſuo addere velint ad purum Dei ſermonem. itaque Philoſophia nihil aliud erit quam ſpiritualis doctrinæ corruptela, ſi Chriſto permiſceatur. Sed meminerimus, Paulum ſub Philoſophiæ nomine tantum damnaſſe omnes adulterinas doctrinas quæ naſcuntur ex humano capite, qualemcunque habeant rationis colorem. Quod proxime ſequitur de *inani deceptione*, ſic reſolvo, Cavete à Philoſophia, quæ nihil aliud eſt quam inanis deceptio: ut ſit hoc additum appoſitive. *Secundum traditionem hominum.* Propius demonſtrat quam philoſophiam improbet: ſimulque duplici nomine eam coarguit vanitatis: quia ſit non ſecundum Chriſtum, ſed ſecundum hominum placita, & ſita ſit in elementis mundi. Nota autem quod tam mundi elementis, quam hominum traditioni Chriſtum opponit. quo ſignificat, quicquid in hominum cerebro fabricatum eſt, non eſſe Chriſto conſentaneum: qui unicus à Patre Doctor nobis ordinatus eſt, ut in ſimplicitate Euangelii ſui nos retineat. Ea autem vel exiguo humanarum traditionum fermento corrumpitur. Significat item alienas à Chriſto eſſe omnes doctrinas quæ in elementis mundi cultum Dei conſtituunt, quem ex Chriſti regula ſpiritualem eſſe ſcimus: quæ etiam hominum mentes nugis illis ac tricis impediunt, quum recta nos ad ſe vocet Chriſtus. Sed quid vocat *elementa mundi?* non dubium quin ceremonias. nam continuo poſt exempli loco ſpeciem unam adducit, Circumciſionem ſcilicet. Cur autem ita vocet, duplex ratio afferri ſolet. alii tranſlationem eſſe putant: ut elementa ſint puerilia rudimenta, quæ non perducunt ad ſolidam doctrinam. alii accipiunt in proprio ſignificatu, pro rebus externis & corruptioni ſubjectis, quæ nihil ad Dei regnum faciunt. Prior expoſitio magis arridet: ſicut & ad Galatas capite 4. verſ. 3.

9. *Quoniam in ipſo habitat.*] Ratio cur non conveniant cum Chriſto elementa illa mundi quæ traduntur ab hominibus. ſunt enim additamenta ad ſupplendum defectum, ut loquuntur. Atqui in Chriſto eſt perfectio, cui nihil addi poteſt. Ergo quicquid ex ſe admiſcent homines, pugnat cum natura Chriſti, quia eum damnat imperfectionis. Solum hoc argumentum ſufficiet ad refellenda omnia Papiſtarum figmenta. Quorſum enim ſpectant, niſi ut perficiant quod eſt à Chriſto inchoatum? atqui hæc minime eſt ferenda in Chriſtum contumelia. Ipſi quidem cauſantur ſe nihil Chriſto addere: quia ſint quaſi pars Chriſtianiſmi quæ Euangelio attexuerunt: ſed non effugiunt ejuſmodi cavillo. Nam Paulus non de imaginario, ſed de prædicato Chriſto loquitur, qui ſe per certam doctrinam revelavit. Porro quum dicit, *plenitudinem Deitatis habitare in Chriſto*, nihil aliud ſibi vult quam totum Deum in ipſo inveniri: ut aliquid Deo melius ac præſtantius appetat qui ſolo Chriſto non eſt contentus. Summa eſt, quod Deus in Chriſto ſe nobis plene atque in ſolidum exhibuerit. Adverbium *corporaliter*, varie exponunt interpretes. Ego improprie poſitum non dubito, pro Subſtantialiter. opponit enim hanc Dei manifeſtationem quam habemus in Chriſto, reliquis omnibus quæ unquam fuerunt. Deus enim ſæpius ſe exhibuit hominibus, ſed in parte: in Chriſto autem totum ſe nobis communicat. Alias etiam ſe manifeſtavit, ſed in figuris, aut virtute & gratia: in Chriſto autem eſſentialiter nobis apparuit. Ita impletur illud Joannis, Qui habet Filium, habet & Patrem: Deum *1 Joan. 2 verſ. 23.*
enim habent vere præſentem, ipſoque penitus fruuntur qui Chriſtum poſſident.

10. *Et eſtis in ipſo completi.*] Addit perfectam illam Deitatis eſſentiam quæ eſt in Chriſto, in hoc nobis prodeſſe, ut in eo nos quoque perfecti ſimus: acſi diceret, Quod totus Deus in Chriſto reſidet, ideo eſt ut ipſum adepti, ſolidam in ipſo perfectionem poſſideamus. Duplicem ergo injuriam Deo faciunt qui non acquieſcunt in ſolo Chriſto. nam præter id quod Dei gloriæ derogant, aliquid ſupra ejus perfectionem appetendo, ſunt etiam ingrati, quod aliunde quærunt quod jam in Chriſto habent. Non intelligit tamen Paulus, Chriſti perfectionem in nos transfundi, ſed in ipſo eſſe quo expleamur, ita ut nihil amplius nobis deſit. *Qui eſt caput.* Hanc particulam rurſus inſeruit propter Angelos, ſignificans Angelos quoque noſtros fore, ſi Chriſtum habuerimus. verum de hac re poſtea. Sed interim tenendum eſt, ſurſum & deorſum cancellos nobis circumdari, ne à Chriſto vel tantillum divertat fides noſtra.

11. *In quo etiam eſtis circumciſi.*] Hinc apparet diſceptationem illi eſſe cum pſeudoapoſtolis qui Legem Euangelio miſcebant, eoque modo Chriſtum quaſi biformem fingebant. Speciem vero unam nominat exempli cauſa. Circumciſionem Moſaicam non ſupervacuam modo, ſed à Chriſto alienam eſſe probat, quia deſtruat ſpiritualem Chriſti circumciſionem. Nam in hunc finem data fuit Circumciſio Patribus, ut figura eſſet rei abſentis. qui

igitur

igitur poſt Chriſti adventum retinent illam figuram, completum fuiſſe negant quod figurat. Meminerimus ergo Circumciſionem externam hic cum ſpirituali conferri, non ſecus ac figuram cum veritate. Figura eſt rei abſentis. ergo præſentiam veritatis abolet. Hoc eſt quod contendit Paulus, quia in Chriſto completum eſt quod Circumciſione manufacta adumbratum fuit: nullum eſſe nunc hujus fructum nec uſum. Ideo *Circumciſionem Chriſti* eſſe pronunciat, quæ fit in corde: & ideo externam illam minime jam requiri: quia ubi res extat, evaneſcit umbratile illud ſignum, quod locum non habet niſi in rei abſentia. *Exuendo corpus.* Corpus appellat maſſam ex omnibus vitiis conflatam, eleganti metaphora. Nam ſicuti corporibus noſtris ſumus circumdati, ita etiam obvoluti undique ſumus congerie vitiorum. Et ſicuti corpus ex variis membris eſt compoſitum, quæ ſingula proprias ſuas actiones & officia habent: ita ex illa vitioſitatis congerie ſe exerunt omnia peccata, tanquam membra univerſi. Similis eſt loquutio ad Romanos capite 6. v. 13. *Carnem* ſuo more accipit pro natura corrupta. Eſt ergo corpus peccatorum carnis, vetus homo cum ſuis operibus. Tantum in ratione loquendi eſt diverſitas: quia proprie hic maſſam vitiorum exprimit, quæ emergunt ex natura corrupta. Hoc per Chriſtum nos dicit conſequi: ut certe tota regeneratio ejus eſt beneficium. Ille eſt qui præputium cordis noſtri circumcidit, hoc eſt, qui omnes carnis concupiſcentias mortificat, non manu ſed Spiritu ſuo. Ergo in eo extat veritas figuræ.

12. *Conſepulti cum ipſo per Baptiſmum.*] Declarat etiamnum apertius modum ſpiritualis Circumciſionis: nempe quia Chriſto conſepulti, conſortes ſumus mortis ejus. Id nominatim nos conſequi per Baptiſmum docet: quo melius pateat, nullum eſſe uſum Circumciſionis ſub regno Chriſti. Poterat enim alioqui objicere quiſpiam, Cur Circumciſionem aboles hoc prætextu, quia effectus ejus ſit in Chriſto? annon etiam ſpiritualiter circumciſus fuit Abraham? atqui hoc minime obſtitit quominus ſignum rei adderet. non eſt igitur ſupervacua externa Circumciſio, etiamſi interior per Chriſtum conferatur. Ejuſmodi objectionem anticipat Paulus, facta Baptiſmi mentione: Circumciſionem, inquit, ſpiritualem peragit in nobis Chriſtus, non intercedente veteri illo ſigno quod ſub Moſe valuit, ſed Baptiſmo. Rei ergo exhibitæ ſignum eſt Baptiſmus: quam abſentem figurabat Circumciſio. Argumentum eſt ab œconomia quam Deus ordinavit. nam qui Circumciſionem retinent, modum fingunt diſpenſationis ab eo diverſum, quem Deus inſtituit. Quod dicit, Nos ſepeliri cum Chriſto, plus eſt quam crucifigi. ſepultura enim continuum mortificationis progreſſum exprimit. Quod fieri hoc per Baptiſmum tradit, ſicuti etiam ad Romanos capite 6. v. 4. loquitur ſuo more, tribuens Sacramento efficaciam, ne fruſtra ſignificet quod non ſit. Per Baptiſmum ergo ſepelimur cum Chriſto, quia mortificationem quam illic figurat Chriſtus, efficaciter ſimul peragit: ut res ſigno ſit conjuncta.

In quo & conſurrexiſtis.] Amplificat gratiam quam in Chriſto obtinemus, quæ longe Circumciſionem antecellit. Non tantum in mortem Chriſti inſerimur, inquit, ſed reſurgimus etiam in novitate vitæ. quo magis ſunt in Chriſtum injurii qui ad Circumciſionem reducere nos tentant. Et addit, *Per fidem.* nam certe per illam percipimus quod offertur nobis in Baptiſmo. Sed quam fidem? *Efficaciæ* vel operationis ejus. quo ſignificat fidem in Dei virtute eſſe fundatam. Verum quia fides non vagatur in confuſa & indefinita (ut loquuntur) potentiæ divinæ contemplatione: exprimit quam efficaciam reſpicere debeat, nempe qua ſuſcitavit Chriſtum à mortuis. Sumit autem pro confeſſo, quia fideles à capite ſuo avelli impoſſibile eſt, eandem Dei virtutem quæ ſe exeruit in Chriſto, communiter ad eos omnes diffundi.

13. Et vos quum mortui eſſetis delictis & in præputio carnis veſtræ, ſimul vivificavit cum ipſo, condonando vobis omnia peccata:

14. Et deleto quod contra nos erat, chirographo in decretis, quod erat nobis contrarium, & illud ſuſtulit è medio affixum cruci,

15. Exſpolians principatus & poteſtates, traduxit palam triumphans de his * in illa.

* *vel, in ſeipſo.*

13. *Et vos quum mortui.*] Quod in genere diſſeruit admonet Coloſſenſes ut in ſeipſis recognoſcant: quæ longe efficaciſſima eſt docendi ratio. Porro quia Gentiles erant quum ad Chriſtum ſunt converſi, inde admonet quam abſurdum ſit ad Moſaicas ceremonias à Chriſto tranſilire. *Eratis*, inquit, *mortui in præputio.* Poteſt tamen vel in propria ſignificatione accipi hoc nomen, vel tranſlatitie. ſi proprie accipias, ſenſus erit, Præputium ſymbolum eſt alienationis à Deo: nam ubi non eſt fœdus gratiæ, illic immunditiès, & inde maledictio & interitus. Atqui vos ex præputio Deus ad ſe vocavit: ergo ex morte. Ita præputium non faceret cauſam mortis, ſed teſtimonium quod alieni eſſent à Deo. Scimus autem non aliter vivere homines, quam ſi Deo ſuo adhæreant, qui ſolus eſt ipſorum vita. Unde ſequitur impios omnes dum ſibi maxime vivi & florentes videntur, eſſe tamen ſpiritualiter mortuos. Hoc modo conveniet hic locus cum ſecundo capite ad Epheſios, ubi
Epheſ. 2. verſ. 11. dicitur, Memineritis quod aliquando quum eſſetis Gentes, vocatique præputium ab ea Circumciſione quæ manu fit in carne, illo tempore eratis abſque Chriſto, alienati à politia Iſraël, & hoſpites promiſſionum. In tranſlatione eſſet quidem alluſio ad naturale præputium: ſed tamen Paulus hic loqueretur de contumacia cordis humani adverſus Deum, & natura pravis affectibus inquinata. Ego priorem expoſitionem magis amplector, quia melius quadrat contextui. Commemorat enim Paulus, præputium impedimento non fuiſſe quominus vitæ Chriſti fierent conſortes. Unde ſequitur, Circumciſionem gratiæ Dei derogare, quam jam adepti erant. Quod vero mortem præputio aſcribit, hoc non eſt tanquam cauſæ, ſed tanquam ſymbolo. ſicuti & altero loco ad Epheſios, quem citavimus. Et eſt uſitatum Scripturæ, à privatione ſigni, rei privationem notare: ut Geneſ. 3. v. 22. Ne forte Adam de fructu vitæ edat, & vivat. Arbor enim vitam non conferebat: ſed ablata ſignum erat mortis. Utrumque breviter hic Paulus expreſſit. dicit mortuos fuiſſe delictis. hæc cauſa eſt: nam peccata nos alienant à Deo. Addit, *In præputio carnis.* Hæc erat externa immundities, teſtimonium ſpiritualis mortis.

Condonando vobis.] Non ſola quidem remiſſione peccatorum nos vivificat Deus: ſed hic peculiariter ejus mentionem facit: quia gratuita reconciliatio cum Deo, quæ evertit operum juſtitiam, maxime pertinet ad cauſam præſentem, ubi agitur de abrogatis ceremoniis, quemadmodum in Epiſtola ad Galatas fuſius diſſeruit. Nam pſeudoapoſtoli, ceremonias ſtabiliendo, laqueo conſcientias obligabant, quo eas Chriſtus ſolvit.

14. *Deleto quod contra nos erat.*] Nunc conſerta manu cum pſeudoapoſtolis pugnat. Nam hic erat

ſtatus

ſtatus cauſæ, an ceremoniarum obſervatio neceſſaria eſſet ſub regno Chriſti. Contendit autem Paulus, ceremonias fuiſſe abolitas. atque ut id probet, comparat eas chirographo, quo Deus nos quaſi adſtrictos tenet, ne poſſimus reatum inficiari. Nunc dicit ita oos fuiſſe liberatos à reatu, ot chirographum etiam deletum fuerit, ne memoria extaret. Scimus enim in nominibus, manente chirographo, etiam obligationem vigere: chirographi contra inductiooe, aut laceratione, abſolvi debitorem. Unde ſequitur beneficium Chriſti minuere eos omnes qui ceremonias adhuc urgent: quaſi non eſſet per ipſum nobis parta abſolutio. reſtituunt enim chirographo ſuum vigorem: ut nos adhuc teneat obnoaios. Eſt igitur hæc vere Theologica ratio, ad probandam ceremoniarum abrogationem: quoniam ſi Chriſtus nos plene redemit à reatu, memoriam quoque obligationis tollere debuit, quo pacatæ ſint ac tranquillæ conſcientiæ coram Deo. ſunt enim hæc duo annexa. Quum varie hunc locum eaponant interpretes, nemo eſt qui mihi ſatisfaciat. Alii ſimpliciter de Lege morali Paulum loqui putant: ſed falſo. nam Decreta vocare ſolet Paulus illam partem quæ in ce-
Epheſ. 2. remoniis eſt ſita: ut in Epiſtola ad Epheſios, & paulo
verſ. 15. poſt. Præſertim tamen locus ad Epheſios convincit, de ceremoniis Paulum hic loqui. Melius itaque alii qui ad ceremonias reſtringunt. ſed in eo errant ipſi quoque, quod rationem non adduot cur vocetur chirographum, vel potius diverſam à vera aſſignant: nec rite banc ſimilitudinem accommodant contextui. Eſt autem ratio, quod ceremooiæ omnes Moſaicæ confeſſionem aliquam reatus ſecum babebant, quæ ipſarum cultores quaſi arctiore vinculo, coram judicio Dei adſtringeret. Eaempli gratia, Ablutiones quid aliud erant, quam ſordium teſtimonium? Quoties victima aliqua immolabatur, nonoe populus qui adſtabat, intuebatur illic mortis ſuæ imaginem? Nam quum homioes in ſuum locum ſubſtituerent innoaium animal, confitebantur ea ſe morte dignos eſſe. Denique quot illic erant ritus, tot eraot ſpectacula reatus hominum & chirographa obligationis. Siqois objiciat, fuiſſe ſacramenta gratiæ Dei: quemadmodum hodie nobis eſt Baptiſmus, & Euchariſtia: reſponſio facilis eſt. duo enim io ceremoniis veteribus ſunt conſideranda: qood tempori congruebant, & deinde quod bomines ducebaot ad regnum Chriſti. Quicquid tunc agebatur, nihil præ ſe ferebat aliud quam obligationem. Gratia quodammodo ſuſpenſa erat uſque ad Chriſti adventum: non quod ab ea excluderentur Patres, ſed non habebant præſentem ejus oſtenſionem io ſuis ceremoniis. Nihil enim videbant præter ſanguioem pecudum in ſacrificiis: in ablutionibus nihil præter aquam. Ergo quoad præſentem conſpectum, manebat reatus: imo ceremoniæ ipſæ reatum obſignabant. Io hunc modum loquitur etiam Apoſtolus in tota Epiſtola ad Hebræos: quia Chriſtum exadverſo ceremoniis opponit. Nunc autem quid? Filius Dei morte ſua noo tantum nos liberavit à mortis condemnatione: ſed quo abſolutio certior foret, ceremonias illas abrogavit, ne quod extaret monumentum obligationis. Hæc eſt pleoa libertas, quod ſanguine ſuo delevit Chriſtus noo tantum peccata noſtra, ſed omne chirographum quod nos Dei judicio obnoaios teſtari poſſet. Eraſmus in verſione ſua turbavit conteatum Pauli, dum poſuit, Quod erat nobis contrarium per decreta. Hanc igitur lectionem quam poſui, ut vera eſt ac genuina, retine. *Suſtulit è medio, affixum cruci.* Modum oſtendit quo Chriſtus chirographum induxit. nam ſicuti affiaait cruci ſuæ noſtram maledictionem, noſtra peccata, pœnas etiam nobis debitas: ita & illam ſervitutem Legis, & quicquid ad ligandas conſcientias pertinet. Affiaus enim cruci, in ſe recepit omoia, adeoque ligavit, ne quid amplius juris in nos habeant.

15. *Exſpolians principatus.*] Diabolos proculdubio iotelligit, quibus has partes aſſignat Scriptura, quod nos accuſant coram Deo. Atqui Paulus exarmatos eſſe dicit, ne quid adverſum nos proferant, ipſa teſtificatione reatus noſtri abolita. Nominatim hoc addit, quo ſignificet victoriam Chriſti quam de Satana ſibi & nobis peperit, à pſeudoapoſtolis deformari: & nos privari illius fructu quaodo ceremonias veteres reſtituunt. Nam ſi libertas noſtra ſpolium eſt quod Chriſtus diabolo eripuit, quid alii faciunt qui nos volunt in ſervitutem redigere, niſi quod ſpolia reſtituunt Satanæ, quibus nudatus fuerat? *Triumphans de his in illa.* Patitur quidem ſermo Græcus ut legamus In ſeipſo. Imo major pars codicum habet ἐν αὑτῷ, cum adſpiratione: ſed omnino poſtulat loci circumſtantia ut aliter legamus. quod enim de Chriſto frigide eſſet dictum, concinne ad crucem refertur. Quemadmodum enim crucem prius comparaverat inſigni trophæo, vel pompæ triumphi, in qua traduxit Chriſtus ſuos hoſtes: ita etiam nunc ſimilem facit currui triumphali, in quo conſpicuus apparuit. Etſi enim in cruce nihil niſi maledictio: ſic tamen abſorpta fuit virtute Filii Dei, ut quodammodo novam naturam induerit. Nullum enim tribunal tam magnificum, nullus regalis thronus tam præclarus, oulla tam inſignis triumphi pompa, nullus tam ſublimis currus, quam ſit illud patibulum io quo Chriſtus mortem & diabolum mortis principem ſubegit, adeoque penitus contrivit ſub pedibus ſuis.

16. Itaque ne quis vos judicet vel in cibo, vel in potu, vel in parte diei feſti, vel neomeniæ, vel ſabbathorum:

17. Quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.

18. Ne quis vobis palmam eripiat, volens in humilitate & cultu Angelorum *id facere*, in ea quæ non vidit ſe ingerens, fruſtra inflatus à mente carnis ſuæ,

19. Et non tenens caput, ex quo totum corpus per juncturas & connexiones ſubminiſtratum & compactum, ereſcit incremento Dei.

16. *Itaque ne quis.*] Quod de Circumciſione prius dixit, ounc eatendit ad ciborum dierumque diſcrimen. Circumciſio enim prima initiatio erat in obſervationem Legis: alia deinde ſequebantur. *Judicare*, hic ſignificat culpæ reum facere, vel religionem injicere, ita ut amplius liberi non ſimus. Negat igitur, in poteſtate hominum eſſe ſubjicere nos obſervationi rituum quos morte ſua Chriſtus ſuſtulit: & eaimit nos ab eorum jugo, ne patiamur nos legibus, quas tulerint, illigari. Chriſtum autem tacite cunctis mortalibus opponit, ne quis tam audacter ſe efferat, ut quod ab illo datum eſt, eripere tentet. *In parte diei feſti.* ἐν μέρει aliqui accipiunt pro Participatione. Chryſoſtomus ideo Partem dixiſſe arbitrator, quod non omnes dies feſtos ſervabant, neque etiam exacte feriabantur ea Legis præſcripto. quod dilutum eſt. Vide an non accipi poſſit pro Segregatione. nam qui dierum faciunt diſcrimen, quaſi unum ab alio dividunt. Talis partitio conveniebat Judæis, ut dies præceptos ſancte colerent, ab aliis ſegregando. Inter Chriſtianos talis diviſio ceſſavit. Atqui, dicet quiſpiam, nos adhuc retinemus aliquam dierum obſervationem. Reſpondeo, nos dies nequaquam ſervare, quaſi io feriis aliqua ſit religio,

aut

Digitized by Google

aut quaſi fas non ſit tunc laborare: ſed reſpectum haberi politiæ & ordinis, non dierum. Atque id eſt quod continuo ſubjungit.

17. *Quæ ſunt umbra futurorum.*] Ideo Chriſtianos ab illis ſervandis liberat, quia umbræ fuerint, quo tempore Chriſtus adhuc quodammodo abſens erat. Nam umbras opponit revelationi; abſentiam vero eahibitioni. Qui ergo umbras illas adhuc ſectantur, perinde faciunt acſi quis hominis formam ex umbra conſideraret, quum illum haberet coram in conſpectu. Nam Chriſtus jam patefactus eſt nobis, adeoque illo tanquam præſente fruimur. *Corpus*, inquit, *eſt Chriſti*: hoc eſt, in Chriſto. Nam ſubſtantia illarum rerum, quas ceremoniæ olim figurabant, nobis eapoſita eſt ante oculos in Chriſto: quia in ſe continet quicquid illæ futurum deſignabant. Ergo aut Chriſti manifeſtationem obruit, aut Chriſtum ſpoliat ſua virtute, & quaſi inanem reddit, qui ceremonias revocat in uſum. Ideo ſi quiſquam mortalium judicis officium in hac parte ſibi uſurpet, ne obſequamur: quum Chriſtus legitimus judex nos abſolvat. Nam quum dicit, Nemo vos judicet: non alloquitur pſeudoapoſtolos, ſed prohibet ne Coloſſenſes collum iniquo jugo ſubmittant. Per ſe quidem, abſtinere à carne ſuilla, nihil nocet: ſed pernicioſa eſt obligatio, quia Chriſti gratiam evacuat. Siquis interroget, Quid igitur ſentiendum de noſtris Sacramentis? annon etiam abſentem Chriſtum figurant? Reſpondeo, longe à ceremoniis veteribus differre. Quemadmodum enim pictores non exprimunt primo ductu imaginem vivis coloribus & εἰκονικῶς, ſed rudes & obſcuras lineas primum ex carbone ducunt: ita ſub Lege impolitam, & quaſi primæ manus fuiſſe repræſentationem Chriſti: in noſtris vero Sacramentis ad vivum expreſſam conſpici. Quanquam longius Paulus reſpexit: opponit enim nudum umbræ aſpectum corporis ſoliditati: ac deliri hominis eſſe admonet, inanes umbras prehenſare, quum liceat manibus tractare ſolidum corpus. Porro noſtra Sacramenta ita Chriſtum aſpectu & loci diſtantia abſentem figurant, ut ſemel exhibitum fuiſſe teſtentur, & nunc quoque offerant fruendum. Non ſunt igitur nudæ umbræ: ſed potius præſentiæ Chriſti ſymbola. continent enim illud Etiam & Amen omnium promiſſionum Dei, quod in Chriſto eſt ſemel patefactum.

18. *Ne quis palmam*] Alludit ad curſores vel athletas, quibus hac conditione deſtinata eſt palma, ſi non deficiant in medio ſtadio, vel poſt inchoatum certamen. Admonet igitur pſeudoapoſtolos nihil aliud moliri, niſi ut palmam ipſis intercipiant: quia abducunt eos à rectitudine curſus ſui. unde ſequitur, non ſecus ac noxioſiſſimas peſtes, eſſe ſugiendos. Et locus eſt diligenter notandus: eos omnes qui à ſimplicitate Chriſti nos abducunt, brabium ſupernæ vocationis nobis intervertere. *Volens in humilitate.* Subaudiendum eſt aliquid: ideo in textu inſerui, *id facere.* Nam periculi genus indicat, quod cavere debebant: acſi diceret, Fraudare vos palma volunt, quicunque ſub humilitatis prætextu, Angelorum cultum vobis commendant. Faciunt enim ut relicto unico ſcopo, extra viam erretis. *Humilitatem & cultum Angelorum* conjunctim lego. nam illam hic conſequebatur. Quemadmodum hodie Papiſtæ, dum philoſophantur de Sanctorum cultu, idem prætendunt. Nam ex dejectione hominis ratiocinantur, quærendos igitur eſſe mediatores, qui nobis ſubveniant. Atqui ideo ſe humiliavit Chriſtus, ut recta nos ad ipſum conferamus, quamlibet miſeri ſimus peccatores. Scio cultum Angelorum aliter exponi à multis: nempe pro eo quem hominibus fingunt ab Angelis traditum. ſemper enim hoc titulo diabolus venditavit ſuas impoſturas. Hodie Papa nugas omnes quibus adulteravit purum Dei cultum, jactat eſſe revelationes. Similiter olim Theurgi, ab Angelis ſibi per manus traditum aſſerebant quicquid ſuperſtitionum ementiebantur. Itaque illi Paulum fictitios omnes cultus hic taxare putant, qui Angelorum auctoritate falſo commendantur. ſed potius (meo judicio) commentum taxat de Angelis colendis. Unde tam ſedulo in hoc incubuit ſtatim ab initio Epiſtolæ, ut Angelos in ordinem redigeret, ne Chriſti ſplendorem obſcurarent. Denique ſicuti viam ſibi primo capite ſtraverat ad tollendas ceremonias: ita etiam ad alia omnia impedimenta, quæ nos abſtrahunt ab uno Chriſto. in hoc ordine eſt cultus Angelorum. Ab initio coluerunt Angelos ſuperſtitioſi homines, ut illorum opera acceſſus ad Deum ſibi pateret. Hoc errore Chriſtianam quoque Eccleſiam imbuerunt Platonici. Nam utcunque Auguſtinus acriter in eos invehatur libro decimo De civitate Dei, & multum damnet quicquid illi diſputant de colendis Angelis: videmus tamen quid acciderit. Siquis ſcripta Platonis conferat cum theologia Papiſtica, reperiet omnino à Platone iſtos hauſiſſe quæ de Angelorum cultu garriunt. Summa hæc eſt, honorandos eſſe Angelos, quos Plato vocat Dæmonas χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας. Hanc ſententiam ponit in Epinomide: confirmat in Cratylo, & multis aliis locis. Ab eo quid omnino differunt Papiſtæ? At Mediatorem non negant Filium Dei. Ne iſti quidem cum quibus certat Paulus. ſed adminiculo Angelorum quum ad Deum perveniri fingerent, ideoque exhibendum illis aliquem cultum: ita Angelos collocabant in ſede Chriſti, eoſque Chriſti officio ornabant. Sciamus ergo damnari hic à Paulo fictitios omnes cultus qui vel Angelis, vel mortuis exhibentur, quaſi poſt Chriſtum, vel cum Chriſto ſubſidiarii ſint mediatores. Nam tantundem à Chriſto recedimus, dum minimam partem eorum quæ illi propria ſunt, transferimus ad quoſvis alios: ſive Angeli ſint, ſive homines. *In ea quæ non vidit ſe ingerens.* Verbum ἐμβατεύειν, cujus participio hic uſus eſt Paulus, varias habet ſignificationes. Quod Eraſmus tranſtulit poſt Hieronymum, Faſtuoſe incedens, non male quadraret, ſi extaret exemplum hujus ſignificationis apud auctorem idoneum. Videmus enim quotidie quanta confidentia quantoque ſupercilio definiant temerarii homines de rebus ignotis. Adeoque in præſentia cauſæ quam tractat Paulus, extat inſigne documentum. nam quum de Sanctorum vel Angelorum interceſſione nugantur theologi Sorbonici, perinde atque ex Tripode pronunciant, mortuos noſtrarum neceſſitatum conſcios & ſpectatores eſſe, quia in reflexo Dei lumine omnia videant. Et tamen quid eſt minus certum? imo quid magis obſcurum ac perplexum? Sed hæc magiſtralis ſcilicet eſt eorum licentia, intrepide & audacter aſſerere quod non modo ipſi neſciunt, ſed quod ſciri ab hominibus nequit. Senſus ergo conveniret, ſi ea verbi ſignificatio eſſet uſitata: verum ſimpliciter capitur apud Græcos pro Incedere. Significat etiam interdum Inquirere. Si ita hoc loco accipere libeat, perſtringet Paulus ſtultam curioſitatem in rerum obſcurarum, & quæ adeo ſenſum noſtrum latent ac ſuperant, inveſtigatione. Verum ego mihi Pauli mentem videor aſſequutus, ac fideliter reddidiſſe, hoc modo, Ingerens ſe in ea quæ non vidit. Iſta enim eſt vulgaris ſignificatio verbi ἐμβατεύειν, cernere hæreditatem, vel poſſeſſionem uſurpare, vel pedem aliquo ponere. Quare Budæus hunc locum ita vertit, In eorum quæ non vidit, poſſeſſionem pedem ponens, vel ingrediens: cujus auctoritatem ego ſequutus ſum, ſed verbum magis proprium elegi. Perrumpunt enim revera tales, & ſe ingerunt in arcana, quorum nullam revelationem ad nos adhuc pervenire vult Deus. Locus obſervandus ad redarguendam eorum temeritatem qui ulterius inquirunt quam liceat.

Fruſtra inflatus à mente carnis.] Mentem carnis vocat humani ingenii perſpicaciam, quantacunque ſit.

ſit. Nam opponit eam ſpirituali ſapientiæ quæ cæli-
Mat. 16. tus nobis revelatur: ſecundum illud, Caro & ſanguis
verſ. 17. non revelavit tibi. Quiſquis ergo ſuæ rationi innititur, quia carnis totum acumen in eo viget, eum Paulus fruſtra inflatum eſſe pronunciat. Et vere flatus eſt quicquid ex ſe homines ſapiunt. nihil ergo ſolidum niſi in verbo Dei, & Spiritus illuminatione. Et nota eos vocari inflatos qui ſe humilitatis ſpecie inſinuant. Fit eoim (ut eleganter ſcribit Auguſtinus ad Paulinum) miris modis in hominis anima, üt de falſa humilitate magis infletur, quam ſi aperte ſuperbiret.

19. *Non tenens caput.*] Uno verbo damnat quicquid non refertur ad Chriſtum. Ac ſuam ſententiam confirmat, eo quod inde fluunt ac pendent omnia. Proinde ſiquis nos alio vocet quam ad Chriſtum, etiamſi alioqui gravidus foret cælo & terra, vanus eſt ac ventoſus: ideo ſecure jubeamus eum faceſſere. Obſerva autem de quibus loquatur, nempe de iis qui non aperte repudiabant vel abnegabant Chriſtum, ſed qui officium ejus & virtutem non probe tenentes, alia ſalutis adminicula, & media (ot vulgo loquuntur) excogitando, non ſolide in eo fixi erant.

Ex quo totum corpus per juncturas.] Hoc ſimpliciter intelligit, non aliter ſtare Eccleſiam, quam ſi omnia illi à Chriſto capite ſubminiſtrentur: itaque in eo totam ejus incolumitatem contineri. Corpus quidem ſuos habet nervos, ſuas commiſſuras & connexiones: verum hæc omnia non niſi à capite vigorem ſuum ſumunt, ut tota colligatio inde ſit. Quid igitur agendum eſt? recta erit corporis conſtitutio, ſi caput ſolum, quod ſingulis membris ſuppeditat quicquid habent, abſque ullo obſtaculo emineat. Id Paulus nominat *Incrementum Dei.* quo ſignificat, non probari Deo quodvis augmentum, ſed quod ad caput dirigitur. Nam videmus ut non modo procerum ſit ac amplum Papæ regnum, ſed prodigioſa magnitudine turgeat. Verum quia illic non cernitur quod requirit hic Paulus in Eccleſia: quid dicemus, niſi corpus eſſe gibberoſum, & molem incompoſitam, quæ in ſe tuitura ſit?

20. Si igitur mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: quid tanquam viventibus in mundo decreta vobis perſeribuntur?

21. Ne eſitaveris, ne guſtaveris, ne attigeris:

22. Quæ ſunt omnia in corruptionem ipſo abuſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum.

23. Quæ ſpeciem quidem habent ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate animi, & neglectu corporis: non in honore aliquo ad expletionem carnis.

20. *Si mortui eſtis.*] Prius dixerat affixa Chriſti cruci fuiſſe decreta: nunc alia dicendi figura utitur,
Galat. 2. illis nos eſſe mortuos. ſicuti alibi, nos Legi mortuos
verſ. 19. eſſe docet, ac Legem viciſſim nobis. Mortis nomen abrogationem ſignificat: ſed eſt expreſſius κατ' ἐμφατικώτερον. Dicit ergo nihil eſſe Coloſſenſibus cum decretis. Quare? co quod decretis ſint mortui cum Chriſto, hoc eſt, poſtquam ſunt regeneratione cum Chriſto mortui, ejus beneficio liberati ſint à decretis, ut nibil amplius ad ipſos pertineant. Hinc concludit, decretis eos mioime teneri, quæ illis pſeudoapoſtoli impoaere teotabant.

21. *Ne eſitaveris, ne guſtaveris.*] Hactenus reddiderunt, Ne attrectaveris. ſed quum mox ſequatur aliud verbum, quod idem ſignificat: nemo non videt quam frigida ſit & abſurda repetitio. Porro verbum ἅπτεσθαι inter alia Græcis eſt Eſitare, quemadmodum tranſtuli. Utitur Plutarchus in Cæſare, quum narrat ejus milites io rerum omnium penuria eſitaſſe animalia, quæ prius eſui non erant. Eſt autem hic ordo cum alias genuinus, tum etiam aptiſſimus loci circumſtantiæ. μιμητικῶς enim exprimit Paulus quo progredi ſoleat eorum moroſitas qui legibus ſuis conſcieotias illaqueant. Ab initio ſunt jam plus æquo rigidi. ideo initium facit à prohibitione, non tantum veſcendi, ſed leviter edendi. Poſteaquam adepti ſunt quod voluerant, tranſcendunt illud imperium, ut nefas deinde pronuncient guſtare quod edi nolunt. Tandem io ipſo tactu piaculum conſtituunt. Nullus denique eſt finis, ubi ſemel tyrannidem ſibi in animas ſumpſerunt homioes, quin novæ quotidie leges veteribus addantur, ac ſubinde exoriantur nova decreta. Hujus rei quam luculentum eſt ſpeculum in Papatu! Proinde eleganter Paulus, qui admonet humanas traditiones labyrinthum eſſe, quo magis ac magis implicantur cooſcientiæ: imo eſſe laqueos, qui ſic ioitio ſtringunt, ut ſucceſſu tandem temporis ſtrangulent.

22. *Quæ ſunt omnia in corruptionem.*] Duplici argumento refutat decreta quorum meminit: quia religionem conſtituant in rebus externis & caducis, quæ nihil ad ſpirituale Dei regnum pertinent: deinde quia ſiot ex bominibus, noo Deo. Priore argu-
mento etiam in Epiſtola ad Romanos pugnat, Re- *Rom. 14.*
gnum Dei noo eſt in eſca & potu. Item ad Corin- *verſ. 17.*
thios, Eſca ventri & venter eſcis: Deus utrumque *1 Cor. 6.*
deſtruet. Et Chriſtus ipſe, Quicquid in os intrat, non *verſ. 13.*
coinquinat hominem: quia in alvum deſcendit, & *Mat. 15.*
ejiciiur. Summa eſt, cultum Dei, veram pietatem & *verſ. 18.*
Chriſtianorum ſanctimoniam non conſiſtete in potu, & cibo, & veſtitu: quæ ſunt res fluxæ & corruptioni obnoxiæ, & quæ pereunt abuſu. Nam abuſus proprie dicitur earum rerum quas uſus cortumpit. Nihil itaque ſunt placita de iis rebus quæ ad religionem conſcientiis injiciendam feruntur. Atqui in Papatu vix aliam ſanctitatem reperias, quam in rerum corruptibilium obſervatiunculis. Sequitur altera refutatio, quod ſcilicet ab bominibus ſint profecta, nec Deum habeant auctorem. quo fulmine proſternit & abſorbet univerſas hominum traditiones. Quid enim? hæc eſt ratiocinatio Pauli, Injuriam Chriſto faciuot, & ejus mortem exinaniunt qui conſcientias rediguot in ſervitutem. Nam quicquid eſt ex bominum inventione, conſcientiam non ligat.

23. *Quæ ſpeciem quidem habent.*] Occupatio eſt: in qua dum concedit adverſariis quod obtendere poterant, ſimul id totum pro nihilo ducit. Perinde enim eſt acſi diceret, ſe non morari quod ſpeciem habeant ſapientiæ. Cæterum veritati opponitur ſpecies. eſt enim apparentia (ut vulgo loquuntur) quæ ſimilitudine decipit. Obſerva autem quibus coloribus hæc ſpecies conſtet ſecundum Paulum. Tres autem nominat, electitium cultum, humilitatem, & corporis neglectum. Superſtitio Græcis dicitur ἐθελοθρησκεία: quam vocem hic uſurpat Paulus. Sed reſpexit ad etymologiam ipſam. nam ad verbum ἐθελοθρησκεία eſt voluntarius cultus, quem ſibi proprio arbitratu deligunt bomines, Dei injuſſu. Humanæ igitur traditiones ideo nobis arrident, quod ſunt ingenio noſtro conſentaneæ: quiſque enim in ſuo cerebro reperiet illarum ideas. hic eſt primus color. Secundus eſt humilitas, quia prætenditur Dei pariter & hominum obedieotia: ut ne in-

 juſta

juſta quidem onera recuſent homines. Et fere hoc habent ejuſmodi traditiones, ut videantur eſſe humilitatis proxima exercitia. Placent etiam tertio colore, quia videntur plutimum valere ad carnis mortificationem, dum corpoti non parcitur. Sed Paulus valere jubet iſtos ſucos. nam & quod altum eſt hominibus, abominatio ſæpe eſt apud Deum. deinde hæc eſt prævaricatrix obedientia, & perverſa ac ſacrilega humilitas, quæ Dei auctoritatem transfert ad homines: & corporis neglectus non tanti eſt ut debeat venditari pro Dei cultu. Sed mirabitur quiſpiam, Paulum non magis laborate in detrectandis iſtis larvis. Reſpondeo, ipſum merito ſola voce Speciei fuiſſe contentum. Nam principia quæ ex adverſo ſumpſerat, ſunt invicta, In Chriſto eſſe corpus: ideo nihil quam miſeris hominibus illudere qui umbram illis objicerent. Deinde regnum Chriſti ſpirituale nequaquam eſſe occupatum caducis & corruptibilibus elementis. Tertio, morte Chriſti interiſſe tales obſervationes, ne quid ad nos pertineant. Quarto, Deum eſſe unicum Legislatorem noſtrum. Quicquid contra ingeri poterit, etiamſi quid habeat fulgoris, ſpecies eſt evanida. Secundo ſatis habuit admonere Coloſſenſes ne inanium rerum objectu deciperentur. illis improbandis neceſſe non fuit longius immorari. Tritum enim inter omnes pios eſſe debet, non metiendum eſſe Dei cultum ſenſu noſtro: nec ideo cultum aliquem eſſe legitimum, quia nobis arrideat. Tritum & illud, hanc humilitatem nos debere Deo, ut ſimpliciter obediamus ejus juſſis, ne innitamur noſtræ prudentiæ, &c. humilitatis vero erga homines hanc eſſe metam, ut per charitatem ſe quiſque aliis ſubmittat. Quum autem contendunt, ciborum abſtinentia reprimi carnis petulantiam, facilis eſt reſponſio: non ideo abſtinendum eſſe ab aliquo certo cibo, tanquam immundo, ſed frugaliter veſcendum eſſe quibus veſcimur: tum ut ſobrie & temperanter diſpenſemus Dei dona, tum ut ne impliciti largiore cibo & potu, obliviſcamur quæ Dei ſunt. Quare ſufficiebat dicere has eſſe larvas: ut moniti Coloſſenſes ſibi caverent à falſo prætextu. Ita hodie Papiſtas non deficiunt ſpecioſi prætextus, quibus ſuas leges quantumvis partim impias & tyrannicas, partim futiles ac nugatorias, commendent. Verum ubi illis omnia conceſſerimus, manet tamen illa Pauli refutatio, quæ ſola ſatis ſuperque eſt ad diſcutiendos illorum fumos: ut taceam quam procul diſtent ab illa tam honeſta ſpecie quam Paulus deſcribit. Prima hodie ſanctitas Papatus eſt in monachatu. qualis autem ea ſit, pudet ac piget commemorare, ne adeo tetrum fœtorem moveam. Porro hic conſiderare operæpretium eſt, quam proclive ſit, imo quam præceps feratut hominis ingenium ad fictitios cultus. Nam hic graphice depingit Apoſtolus veteris monachatus ſtatum: qui centum poſt mortem ejus annis perinde invaluit, acſi nunquam verbum feciſſet. Mire ergo inſanus hominum ardor ad ſuperſtitionem, qui tam aperta Dei ſententia cohiberi non potuit quominus erumperet. quod teſtantur hiſtoriæ.

Non in honore aliquo.] Honor Curam ſignificat, ex uſu linguæ Hebraicæ. Viduas honora: hoc eſt, *1 Tim. 5.*
earum rationem habe. Id autem Paulus vituperat, *verſ. 3.*
quod abjicere corporis curam doceant. Nam ſicuti vetat Deus, ne præter modum indulgeamus corpori, ita quantum neceſſe eſt illi, dari præcipit. Ideo Paulus ad Rom. cap. 13. v. 14. non ſimpliciter damnat carnis ſollicitudinem, ſed quæ ſervit cupiditatibus. Ne habeatis carnis curam, inquit, ad concupiſcentias. Quid ergo vitioſum eſſe notat Paulus in traditionibus illis de quibus agit? quod honorem corpori nullum habeant pro carnis expletione: hoc eſt, pro modo neceſſitatis. Nam Expletio hic mediocritatem ſignificat, quæ ſe ad ſimplicem naturæ uſum reſtringit: atque ita voluptati & ſuperfluis omnibus deliciis opponitur. natura enim paucis contenta eſt. Proinde negare quod requirit ad tolerandum vitæ neceſſitatem, non minus à pietate alienum eſt, quam inhumanum.

Cap. III.

ERgo ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.

2. Quæ ſurſum ſunt cogitate, non quæ ſuper terram.

3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

4. Ubi autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc etiam vos cum ipſo apparebitis in gloria.

Vanis illis exercitiis quæ pſeudoapoſtoli urgebant, quaſi illic ſita eſſet perfectio, vera opponit quibus occupari Chriſtianos decet: quod non parum ad cauſam valet. Nam dum perſpicimus quid nos Deus velit agere, facile poſtea contemnimus hominum inventa. Dum autem apparet longe eſſe ſublimius & præſtantius quod nobis Deus commendat, quam quod homines inculcant: creſcit animi alacritas ad Deum ſequendum, hominibus poſthabitis. Hic Paulus Coloſſenſes hortatur ad meditationem cæleſtis vitæ. Quid autem adverſarii? detinere eos volebant in puerilibus rudimentis. Iſta igitur doctrina facit ut ceremoniæ magis vileſcant. Unde conſtat, ita Paulum hortari hoc loco ut ſuperiorem doctrinam confirmet. Solidam enim pietatem deſcribens ac vitæ ſanctimoniam, huc tendit ut vanæ illæ ſpecies humanarum traditionum evaneſcant. Simul prævenit objectionem qua poſſent eum gravare pſeudoapoſtoli, Quid ergo? tu homines mavis eſſe otioſos quam iſtis qualibuſcunque exercitiis vacare? Quum ergo ſtudiis longe potioribus incumbere jubet Chriſtianos, præcidit anſam huic calumniæ. imo invidia non parva ipſos onerat, quod nihili avocamentis rectum piorum curſum impediant.

1. *Si conſurrexiſtis.*] Aſcenſio reſurrectionem comitatur. ergo ſi Chriſti membra ſumus, in cælum conſcendere nos oportet: quia excitatus à mortuis, in cælum receptus eſt, ut ſecum nos traheret. Quærimus autem quæ ſurſum ſunt, dum vere animis peregrinamur in hoc mundo, non autem affixi ſumus. Verbum Cogitandi magis exprimit aſſiduitatem ſtudii & vehementiam: acſi diceret, Sit hæc tota veſtra meditatio: huc ingenium, huc animum applicate. Cæterum ſi nihil debemus niſi cæleſte cogitare, eo quod Chriſtus ſit in cælo: quanto minus ipſum Chriſtum in terra quærere conveniet? Meminerimus ergo hanc eſſe veram de Chriſto cogitationem & ſanctam, quæ nos ſtatim in cælum rapit ut ipſum illic adoremus, & cum eo habitent mentes noſtræ. Quod ad dexteram Dei pertinet, non eſt incluſa cælo: ſed totum mundum implet. Ejus porro mentionem hic fecit Paulus, ut ſignificaret Chriſtum ſua virtute nos complecti: ne loci diſtantiam, cauſam divortii inter nos & ipſum putemus eſſe: ſimul ut nos ejus majeſtas in ſui reverentiam totos efferat.

2. *Non*

2. *Non quæ ſuper terram.*] Non intelligit ut paulo poſt, vitioſas cupiditates quæ regnant in hominibus terrenis: neque etiam opes, aut agros, aut ædes, & quæcunque alia præſentis vitæ, quibus perinde utendum quaſi non utamur: ſed adhuc perſequitur ſuam diſputationem de ceremoniis, quas ſimiles tricis facit, quæ nos humi repere cogant. Chriſtus, inquit, nos ſurſum ad ſe vocat: iſtæ deorſum vos reducunt. Eſt enim concluſio & expoſitio eorum quæ nuper attigerat de interitu ceremoniarum per Chriſti mortem. acſi diceret, Ideo ceremoniæ vobis mortuæ ſunt per Chriſti mortem, & vos illis, ut in cælum cum Chriſto ſublati, tantum ſuperna cogitetis. Ergo terrena omittite. Non contendam adverſus alios qui ſecus ſentiunt: ſed certe videtur mihi Apoſtolus ita gradatim procedere, ut primum traditiones de rebus leviculis opponat cæleſtis vitæ meditationi: deinde ulterius procedat, quemadmodum videbimus.

3. *Mortui enim eſtis.*] Reſurgere cum Chriſto non poteſt niſi qui prius fuerit cum ipſo mortuus. Ideo à reſurrectione argumentum ducit ad mortem, tanquam à conſequente ad antecedens, ſignificans nos mundo oportere eſſe mortuos, ut Chriſto vivamus. Superna cur docuit quærenda eſſe? quia ſurſum vita eſt piorum. Cur nunc omittenda docet quæ ſunt ſuper terram? quia mundo ſunt mortui. acſi diceret, Reſurrectionem quam dixi, mors antecedit. Ergo utrumque in vobis ſpectari oportet. Dignum hoc obſervatu, quod vitam noſtram dicit eſſe abſconditam: ne fremamus, aut conqueramur, ſi vita noſtra ſub ignominia crucis, ſub variis ærumnis ſepulta, nihil à morte differat: ſed patienter expectemus revelationis diem. Ac ne moleſta ſit expectatio, notemus iſtas particulas, *In Deo*, & *Cum Chriſto*: quæ ſignificant, extra periculum eſſe vitam noſtram, tametſi non appareat. Nam & Deus fidelis eſt, ideoque non abnegabit depoſitum, nec fallet in ſuſcepta cuſtodia: & Chriſti ſocietas majorem etiamnum ſecuritatem affert. Quid enim magis expetendum, quam vitam noſtram manere cum ipſo vitæ fonte? Quare non eſt quod terreamur, ſi undique circumſpicientes, vitam nuſquam cernamus. Spe enim ſalvi ſumus. Ea vero quæ jam patent oculis, non ſperantur. Neque vero tantum mundi opinione vitam abſconditam eſſe docet, ſed etiam quoad ſenſum noſtrum: quia hoc verum & neceſſarium eſt ſpei noſtræ experimentum, ut tanquam morte circumdati, vitam alibi quæramus quam in mundo.

4. *Ubi autem apparuerit.*] Pulchra conſolatio, quod adventus Chriſti vitæ noſtræ erit manifeſtatio. Et ſimul admonet quam præpoſtera ſit futura cupiditas, ſi quis recuſet ad illum uſque diem ſuſtinere. Nam ſi vita noſtra in Chriſto incluſa eſt: donec ipſe apparuerit, latere eam oportet.

5. Mortificate igitur membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, ſcortationem, immunditiem, mollitiem, concupiſcentiam malam, & avaritiam quæ eſt idololatria:
6. Propter quæ venit ira Dei in filios inobedientiæ.
7. In quibus vos quoque ambulabatis aliquando, quum viveretis in illis.
8. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ex ore veſtro.

5. *Mortificate igitur.*] Hactenus de contemptu mundi loquutus eſt: nunc longius provehitur, & ingreditur altiorem philoſophiam, de carnis mortificatione. Ut hoc clarius fiat, notemus duplicem eſſe mortificationem. prior reſpicit ad ea quæ circa nos ſunt, de qua hactenus egit. altera eſt interior: nempe ingenii & voluntatis, totiuſque naturæ noſtræ corruptæ. Vitia autem quædam enumerat, quæ improprie vocat membra, ſed tamen eleganter. Naturam enim noſtram, quaſi maſſam ex diverſis vitiis conflatam imaginatur. Membra igitur noſtra ſunt quæ veluti affixa nobis hærent. Terrena etiam appellat, alludens ad illud quod dixerat, Non quæ ſuper terram: alio tamen ſenſu. Perinde autem valet hæc loquutio acſi dixiſſet, Admonui terrena eſſe negligenda: in hoc tamen laborandum eſt ut vitia quæ vos in terra detinent, mortificetis. Significat autem nos, quamdiu vitia carnis noſtræ in nobis vigent, eſſe terrenos: cæleſtes autem fieri renovatione Spiritus. *Scortationi* ſubjungit *immunditiem*: quo nomine omnes laſcivias deſignat, quibus ſe libidinoſi homines conſpurcant. His additur πάθος, hoc eſt, *mollities*, quæ omnes libidinis illecebras comprehendit. Quanquam hæc vox alioqui animi perturbationes ſignificat, atque intemperantes motus præter rationem: ſed huic loco non male congruit Mollities. Cur *avaritia* dicatur ſimulachrorum cultus, pete ex Epiſtola ad Epheſios, ne bis idem.

6. *Propter quæ venit.*] Non reprehendo quod tranſtulit Eraſmus, Venire ſolet. quia tamen præſens tempus loco futuri ſæpe capitur in Scriptura, ea conſuetudine linguæ Hebraicæ: malui relinquere mediam lectionem quæ ad utrumque ſenſum aptari poſſet. Ergo aut de uſitatis Dei judiciis admonet Coloſſenſes, quæ quotidie cernuntur: aut de vindicta quam ſemel denunciavit impiis, & quæ illis imminet, non tamen patefiet ante ultimum diem. Quanquam libenter recipio priorem illum ſenſum, quod Deus qui perpetuus eſt mundi judex, ſcelera de quibus agitur, punire ſoleat. Nominatim vero ſuper incredulos aut inobedientes dicit venturam eſſe iram Dei, aut ſolere venire, potius quam ut ipſis tale quiddam minetur. Nam Deus iram ſuam in reprobis conſpicere nos mavult, quam in nobis eam ſentire. Promiſſiones quidem gratiæ quum proferuntur in medium, unuſquiſque piorum non ſecus eas amplecti debet, ac ſibi proprie deſtinatas. Minas autem iræ & exitii ita horreamus, ut quæ in reprobos competant, nobis ſint documento. Iraſci quidem ſæpe etiam filiis dicitur Deus: & ſevere eorum peccata interdum caſtigat. Sed hic de æterno exitio agit Paulus, cujus ſpeculum in reprobis apparet. In ſumma, quoties minatur Deus, quaſi oblique pœnam nobis oſtendit, ut eam in reprobis intuentes, à peccando abſterreamur.

7. *In quibus ambulabatis.*] Male Eraſmus qui ad homines retulit, vertens, Inter quos. nam de vitiis proculdubio Paulus intellexit: in quibus dicit verſatos eſſe Coloſſenſes quo tempore in illis vivebant. Nam Vivere & Ambulare inter ſe differunt, quemadmodum potentia & actus: vivere præcedit, ambulare ſequitur. Ad Gal. 5. v. 25. Si vivitis Spiritu, Spiritu ambulate. His verbis ſignificat indignum eſſe, ſi amplius addicti vitiis, quibus mortui ſunt per Chriſtum, ad ea ferantur. Vide cap. 6. ad Rom. Argumentum eſt à privatione cauſæ ad effectus privationem.

8. *Nunc autem* &c.] Poſtquam deſiiſtis in carne vivere ſcilicet. nam hæc mortificationis vis ac natura eſt, ut in nobis extinguantur omnes corrupti affectus, ne poſthac ſolitos fructus in nobis peccatum gignat. Ubi Indignationem reddidi, Græce eſt θυμὸς: quod nomen magis præcipitem excandeſcentiam ſignificat, quam ſit ὀργή. hic autem diverſas à prioribus vitiorum ſpecies recenſet, ut videre promptum eſt.

Digitized by Google

9. Ne mentiamini alii adverſus alios, poſtquam exuiſtis veterem hominem cum actionibus ſuis:

10. Et induiſtis novum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus qui creavit eum:

11. Ubi non eſt Græcus nec Judæus, Circumciſio nec Præputium, barbarus, Scytha, ſervus, liber: ſed omnia & in omnibus Chriſtus.

12. Induite igitur tanquam electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſerationum, comitatem, humilitatem, manſuetudinem, tolerantiam,

13. Sufferentes vos mutuo, & condonantes ſi quis adverſus alium litem habeat: quemadmodum Chriſtus condonavit vobis, ita & vos.

9. *Ne mentiamini.*] Quum mentiri prohibet, damnat quamlibet verſutiam, & omnes malas fallendi artes. Neque enim de calumniis tantum accipio, ſed generaliter oppono ſinceritati. itaque brevius ſic reddere liceret, ac neſcio an etiam melius, Ne mentiamini alii aliis. Proſequitur autem ſuum illud argumentum de ſocietate quam habent fideles cum morte & reſurrectione Chriſti: ſed aliis loquendi formis utitur. Vetus homo ſignificat quicquid afferimus ex utero matris, & quicquid ſumus natura. Eum exuunt quicunque renovantur per Chriſtum. contra, Novus homo eſt qui Spiritu Chriſti reformatus eſt in obedientiam juſtitiæ: vel natura in veram integritatem reſtituta per eundem Spiritum. Vetus autem ordine novum præcedit: quia ex Adam prius nati, deinde per Chriſtum renaſcimur. Quemadmodum autem quod habemus ex Adam ſeneſcit, atque ad interitum inclinat: ſic quod per Chriſtum conſequimur, perpetuo manet, non eſt caducum, ſed potius ad immortalitatem fertur. Locus hic notandus eſt, quia ex eo colligi poteſt definitio regenerationis. Continet enim duas partes; veteris hominis depoſitionem, & inſtaurationem novi: quarum Paulus hic meminit. Ac notandum eſt, veterem hominem ab operibus ſuis, tanquam arborem à fructibus, diſcerni. unde ſequitur, veteris hominis nomine intelligi pravitatem nobis ingenitam.

10. *Qui renovatur in agnitionem.*] Primum novitatem vitæ in agnitione conſiſtere docet: non quia ſimplex & nuda agnitio ſufficiat, ſed loquitur de Spiritus ſancti illuminatione, quæ viva eſt atque efficax, ut non tantum illuſtret accenſa veritatis luce, ſed totum hominem transformet. Atque hoc eſt quod continuo addit, renovari nos ad imaginem Dei. Imago autem Dei in tota anima reſidet, quum non ratio tantum, ſed voluntas etiam recta eſt. Hinc etiam diſcimus, tum quis finis ſit regenerationis noſtræ, hoc eſt, ut Deo reddamur ſimiles, ac in nobis reluceat ejus gloria: tum quæ ſit Dei imago, cujus mentio fit apud Moſem, nempe totius animæ rectitudo & integritas: ita ut homo ſapientiam Dei, juſtitiam, & bonitatem, quaſi ſpeculum repræſentet. Ad Epheſios paulo aliter loquitur, ſed eodem ſenſu: vide locum cap. 4. v. 24. Simul admonet Paulus, nihil eſſe præſtantius quo aſpirent Coloſſenſes, quia ſumma hæc ſit noſtra perfectio & beatitas, imaginem Dei geſtare.

Geneſ. 9. verſ. 6.

11. *Ubi non eſt Judæus.*] Hoc data opera adjecit, ut rurſus abſtraheret Coloſſenſes à ceremoniis. Hoc enim ſonant verba, Chriſtianam perfectionem externis iſtis obſervationibus nihil indigere: imo res eſſe ab ea penitus alienas. Nam ſub diſcrimine Præputii & Circumciſionis, Judæi & Græci, externa omnia comprehendit per ſynecdochen. Quæ ſequuntur, *Barbarus, Scytha, ſervus, liber*, ad amplificationem ſunt addita. *Omnia & in omnibus Chriſtus.* Hoc eſt, Chriſtus ſolus proram & puppim (ut aiunt) principium & finem tenet. Porro per Chriſtum intelligit ſpiritualem Chriſti juſtitiam, quæ ceremonias abolet, ut prius viſum eſt. Sunt igitur in vera perfectione ſupervacuæ: adeoque nullum locum habere debent, quia alioqui fieret Chriſto injuria, quaſi ad ſupplendum ejus defectum hæc adminicula accerſere opus foret.

12. *Indutte igitur.*] Quemadmodum partes aliquot recenſuit veteris hominis, ita etiam nunc recenſet novi. Tunc, inquit, conſtabit vos eſſe renovatos per Chriſtum, ſi fueritis miſericordes & comes, &c. Nam hi ſunt effectus & teſtimonia renovationis. Ergo exhortatio à ſecundo membro pendet: ideoque retinet metaphoram in verbo Induendi. Primo loco ponit *Viſcera miſerationum*: qua loquutione ſerium, & quaſi viſceralem miſericordiæ affectum notat. Secundo, *Comitatem*. Sic enim vertere libuit χρηστότητα, qua nos reddimus amabiles. Huic adjungit *Humilitatem*: quia nemo comis erit ac tractabilis, niſi qui depoſito faſtu & altitudine animi, ad modeſtiam ſe ſubmiſerit, ſibi nihil arrogans. *Manſuetudo* quæ ſequitur, latius patet quam comitas. nam illa præcipue eſt in vultu ac ſermone: hæc etiam in affectu interiore. At quoniam ſæpe fit ut incidamus in homines pravos & ingratos: patientia opus eſt, quæ lenitatem foveat in nobis. Tandem exponit quid intelligit per *Tolerantiam*: nempe ut cum venia nos mutuo amplectamur, & ignoſcamus etiam ubi quid peccatum fuerit. Verum quia ardua res eſt ac difficilis, doctrinam confirmat Chriſti exemplo, ac docet idem à nobis requiri: ut quemadmodum toties ac tam graviter rei, à Chriſto nihilominus recepti ſumus in gratiam, eandem humanitatem exhibeamus proximis, quicquid in nos peccaverint, condonando. Ideo dicit, *Si quis adverſus alium litem habeat.* Quo ſignificat, ne juſtas quidem ſecundum hominem ultiones eſſe perſequendas.

Tanquam electi Dei.] Electos hic accipio pro Segregatis. acſi diceret, Ea conditione vos ſibi elegit Deus, ſanctificavit, recepitque in amorem ſuum, ut ſitis miſericordes, &c. Has virtutes qui non habet, fruſtra ſe jactat ſanctum eſſe, ac Deo dilectum: fruſtra ſe in numerum fidelium inſerit.

14. Proptet omnia hæc, charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis:

15. Et pax Dei palmam obtineat in cordibus veſtris, ad quam etiam eſtis vocati in uno corpore, & grati ſitis.

16. Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulente in omni ſapientia, docendo & commonefaciendo vos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus cum gratia, canentibus in cordibus veſtris Domino.

17. Et quicquid feceritis ſermone vel opere, omnia in nomine Domini Jeſu, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

14. *Propter omnia*] Quod alii verterunt, Super omnia hæc, pro inſuper, vel præter hæc, frigidum eſt, meo judicio. Magis conveniret, Præ his omnibus. Sed ego ſignificationem vocis ἐπὶ magis uſitatam elegi. Nam quum omnia quæ hactenus recenſuit, ex charitate manent: merito nunc hortatur Coloſſenſes, inter ſe ut charitatem colant, eorum cauſa: hoc eſt, ut ſint miſericordes, manſueti, faciles ad

ignoſcen-

ignoſcendum. acſi diceret, tunc fore tales ſi charitatem habeant. Nam ubi deeſt charitas, fruſtra omnia hæc requiruntur. Ac quo magis eam commendet, vocat *vinculum perfectionis:* quo ſignificat virtutum omnium chorum ſub ea contineri. Nam hæc vere regula eſt totius vitæ & omnium actionum: ad quam quicquid non exigitur, vitioſum eſt, qualemcunque alioqui ſplendorem habeat. Hæc cauſa eſt cur vocetur hic vinculum perfectionis: quia nihil eſt in vita noſtra bene compoſitum quod non ad ipſam dirigatur: ſed quicquid aggredimur, mera eſt diſſipatio. Cæterum ridiculi ſunt Papiſtæ qui hoc teſtimonio abutuntur ad juſtificationem operum adſtruendam. Charitas, inquiunt, vinculum eſt perfectionis. atqui perfectio eſt juſtitia: ergo per charitatem juſtificamur. Reſponſio duplex eſt. nam Paulus hic non diſputat quomodo perfecti reddantur homines coram Deo: ſed quomodo perfecte inter ſe vivant. Eſt enim hæc genuina loci expoſitio, reliqua bene habitura quoad vitam noſtram, ſi vigeat inter nos charitas. Verum illo conceſſo, charitatem eſſe juſtitiam: fruſtra & pueriliter inde contendunt, nos charitate juſtificari. ubi enim reperietur perfecta charitas? Nos autem non ideo dicimus juſtificari homines ſola fide, quia Legis obſervatio non ſit juſtitia: ſed quod quum omnes ſimus transgreſſores Legis, deſtituti propria juſtitia, cogimur à Chriſto juſtitiam mutuari. Sola igitur fidei juſtitia ſupereſt, quia nuſquam perfecta eſt charitas.

15. *Et pax Dei.*] Pacem Dei appellat quam Deus inter nos ſancivit: quemadmodum patebit ex ſequentibus. eam vult in cordibus noſtris regnare. Sed utitur metaphora valde propria. nam ut inter athletas, qui alios omnes ſuperavit, palmam reportat: ita vult pacem Dei ſuperiorem eſſe omnibus carnis affectibus, qui nos ſæpe ad contentiones, diſſidia, rixas, ſimultates abripiunt. Prohibet ergo ne frenum pravis ejuſmodi affectibus laxemus. Sed quia difficile eſt eos coërcere, remedium quoque oſtendit: ut penes Dei pacem ſit victoria: quia frenum eſſe oportet, quo omnes carnis affectus cohibeantur. Ideo dicit, *in cordibus:* quia illic ſentimus aſſidue ingentes pugnas, dum caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Membrum hoc, *ad quam eſtis vocati*, declarat qualis ſit iſta pax: nempe unitas, quam inter nos Chriſtus ſuis auſpiciis conſecravit. Nam ita nos ſibi Deus reconciliavit in Chriſto, ut inter nos vivamus unanimes. Et addit, *in uno corpore:* quo ſignificat, non aliter nobis cum Deo convenire, niſi inter nos cohæreamus, tanquam unius corporis membra. Quum jubet *gratos eſſe*, non tam ad memoriam beneficiorum id refero quam ad morum ſuavitatem. ideo ut tollatur ambiguitas, malo, Sitis amabiles: quanquam fateor, ſi gratitudo ſenſus noſtros occupet, fieri non poſſe quin ad fovendum inter nos mutuum amorem propenſi ſimus.

16. *Sermo Chriſti inhabitet.*] Vult doctrinam Euangelii illis eſſe familiarem. unde licet colligere quo ſpiritu hodie agantur qui atrociter illam populo Chriſtiano interdicunt, ac tumultuoſe clamitant, nullam peſtem magis cavendam eſſe, quam Scripturæ lectionem plebi vulgari. Nam certe Paulus hic ordinum omnium viros ac mulieres alloquitur. nec tantum vult eos tenuem duntaxat guſtum capere ſermonis Chriſti, ſed jubet ut in ipſis habitet: hoc eſt, fixam ſedem habeat, idque largiter, quo magis in dies proficere ſtudeant ac creſcere. Verum quia in multis præpoſterum eſt diſcendi ſtudium, dum ad ambitionem ſuam abutuntur verbo Domini, vel ad inanem curioſitatem, vel ipſum quovis modo adulterant: ideo adjungit, *in omni ſapientia.* Ut inde ſcilicet edocti ſapiamus quod oportet. Porro ſapientiam hanc breviter definit, *ut ſeipſos doceant* Coloſſenſes. Doctrina hic pro utili eruditione capitur, quæ ad ædificationem valet: ſicuti ad Romanos capite 12. v. 7. Qui docet, in doctrina. Item ad Timotheum, Omnis Scriptura ad docendum eſt utilis. *2 Tim. 3. verſ. 16.*
Hic verus eſt uſus ſermonis Chriſti. Jam vero quia interdum per ſe doctrina friget: ac (quemadmodum ille inquit) dum ſimpliciter oſtenditur quid rectum ſit, virtus laudatur & alget: ſimul addit admonitionem, quæ eſt veluti doctrinæ confirmatio & ſtimulus. Neque intelligit ſingulis tantum prodeſſe debere Chriſti ſermonem, ut ipſos doceant: ſed mutuam doctrinam & admonitionem exigit. *Pſalmis, hymnis.* Non reſtringit Chriſti ſermonem ad has ſpecies: ſed magis ſignificat uſque adeo ad ædificationem debere eſſe compoſitos omnes noſtros ſermones, ut etiam qui hilaritati ſerviunt, nihil ſapiant vanum. acſi diceret, Incredulis ineptam hanc oblectationem relinquite, quam ex ludicris & nugatoriis jocis ac facetiis capiunt. Veſtri autem ſermones non ſeveri modo, ſed etiam læti & hilares utilitatem aliquam contineant. Pro obſcœnis illorum cantilenis, aut ſaltem parum modeſtis & gravibus, decent vos hymni & cantica quæ reſonent laudem Dei. Porro ſub his tribus nominibus complexus eſt omne genus canticorum: quæ ita vulgo diſtinguunt, ut Pſalmus ſit in quo concinendo adhibetur muſicum aliquod inſtrumentum præter linguam. Hymnus proprie ſit laudis canticum, ſive alta voce, ſive aliter canatur. Oda non laudes tantum contineat, ſed parænes & alia argumenta. Spirituales autem Chriſtianorum cantiones eſſe vult, non ex frivolis & nihili nugis compoſitas. Nam ad argumentum hoc refertur. Particulam, *in gratia*, Chryſoſtomus varie exponit. ego autem ſimpliciter accipio, quemadmodum & inferius capite 4. v. 6. quum dicit, Sermo veſter ſale ſit conditus, in gratia: hoc eſt, pro dexteritate quæ grata ſit, & ſua utilitate placeat auditoribus: ut opponantur ſcurrilitati & ſimilibus ineptiis. *Canentes in cordibus.* Hoc ad affectum pertinet. nam ſicuti alios incitare, ita etiam ex corde canere debemus, ne ſit externus duntaxat oris ſonus. Quanquam non ita accipiendum eſt, acſi unumquemque ſibi intus canere juberet: ſed utrumque vult conjungi, modo corda linguas præeant.

17. *Et quicquid feceritis.*] Hæc & ſuperiora jam expoſuimus in Epiſtola ad Epheſios, ubi eadem fere ad verbum habentur. Quia jam inceperat de Chriſtianæ vitæ partibus diſſerere, & pauca tantum præcepta attigerat, nimis autem longum fuiſſet ſigillatim reliqua perſequi: ideo ſummatim concludit, ſic inſtituendam eſſe vitam, ut quicquid dicimus aut facimus, hoc totum regatur auſpiciis Chriſti, & in ejus gloriam, tanquam in ſcopum reſpiciat. Commode enim utrumque hoc verbo comprehendemus: nempe ut exordium ab invocatione Chriſti habeant ſtudia noſtra omnia, & ejus gloriæ ſerviant. Ex invocatione ſequitur Dei benedictio: quæ materiam gratiarum actionis nobis ſuppeditat. Ac notandum quod docet per Chriſtum agendas eſſe Patri gratias, ſicuti per ipſum obtinemus, quicquid in nos boni Deus confert.

18. Mulieres, ſubditæ eſtote propriis maritis, quemadmodum decet in Domino.
19. Viri, diligite uxores: & ne amari ſitis adverſus illas.
20. Filii, obedite parentibus veſtris per omnia. hoc enim placet Domino.
21. Patres, ne provocetis liberos veſtros, ne dejiciantur animis.
22. Servi, obedite per omnia iis qui ſecundum carnem ſunt domini: non exhibitis ad

oculum obſequiis, tanquam hominibus placere ſtudentes, ſed in ſimplicitate cordis, ut qui timeatis Deum.

23. Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino, & non hominibus:

24. Scientes quod à Domino recipietis mercedem hæreditatis. nam Domino Chriſto ſervitis.

Deut. 10. verſ. 17. 25. Qui autem injuſte egerit, mercedem reportabit ſuæ iniquitatis: & non eſt perſonarum acceptio.

18. *Mulieres.*] Sequuntur jam particularia (quæ vocant) officia, quæ ex ſingulorum vocatione pendent. in quibus tractandis ſupervacuum foret multum verborum inſumere: quia jam in Epiſtola ad Epheſios dixi fere quantum opus erat. Hic tamen breviter adjiciam quæ præſentis loci expoſitioni proprie conveniunt. Mulieribus præcipit ut ſubjectæ ſint. Hoc clarum eſt: ſed quod ſequitur, ambiguum, *Quemadmodum decet in Domino.* Quidam enim ſic contexunt, Subjectæ eſtote in Domino, quemadmodum decet. Ego tamen aliter potius, Sicut in Domino decet: hoc eſt, ſecundum Domini inſtitutionem: ut mulierum ſubjectionem Dei auctoritate confirmet. A maritis requirit amorem, & ne ſint amarulenti: quia periculum eſt ne imperio ſuo abutantur ad tyrannidem.

20. *Filii, obedite parentibus.*] Liberis injungit ut ſine exceptione obediant parentibus. Sed quid ſi parentes ad illicitum quidpiam adigere eos velint: an ſine diſcrimine etiam tunc parebunt? Atqui pluſquam indignum foret, poſthabito Deo, hominum auctoritatem prævalere. Reſpondeo, hic quoque Epheſ. 6. verſ. 1. ſubaudiendum eſſe quod alibi exprimit: nempe, in Domino. ſed quorſum univerſalis particula? iterum reſpondeo, ut oſtenderet, non juſtis tantum imperiis obediendum eſſe, ſed etiam iniquis. Multi enim ita demum parentibus ſe præbent morigeros, ſi grave ſibi aut incommodum non fuerit. Atqui hoc unum cogitare debent filii, qualeſcunque nacti ſint parentes, eos tamen ſibi contigiſſe Dei providentia, qui filios parentibus ordinatione ſua ſubjicit. *Per omnia* igitur, ut nihil quantumvis ſibi durum aut moleſtum recuſent: per omnia, ut in rebus mediis perſonæ deſerant: per omnia, ut ſibi, inquirendo ac diſceptando, vel altercando æquum jus non ſumant. ſemper tamen uſque ad aras. Parentibus immodicam aſperitatem prohibet, ne ſic abſterreantur liberi, ut nullius diſciplinæ liberalis ſint capaces. Videmus enim quotidianis experimentis quid valeat ingenua educatio.

22. *Servi, obedite.*] Quicquid de ſervis hic legitur, expoſitione non indiget: quia jam expoſitum eſt ad Epheſios cap. 6. v. 5. præter hæc duo, Nam Domino Chriſto ſervitis. Item, Qui injuſte egerit, mercedem iniquitatis recipiet. Priore ſententia hoc ſignificat, ita ſerviri hominibus, ut Chriſtus tamen primatum in dominio obtineat, ſitque primarius dominus. Eximia ſane conſolatio omnibus qui in ſubjectione ſunt, quod dum libenter ſerviunt dominis ſuis, obſequia ſua perinde Chriſto grata eſſe audiunt, acſi illi præſtita eſſent. Unde etiam colligit Paulus, mercedem ab ipſo recepturos: ſed mercedem hæreditatis. quo ſignificat, idipſum quod operibus rependitur, gratuito dari nobis à Deo: nam hæreditas ex adoptione eſt. Secundo membro iterum conſolatur ſervos, quod ſi premantur injuſta dominorum ſævitia, Deus ipſe ultionem capiet, nec inflictas ipſis injurias ideo negliget quod ſervi ſint: quum apud eum non ſint perſonarum reſpectus. Poſſet enim hæc cogitatio illis animum minuere, ſi putarent nullam ſui, aut non magnam haberi rationem coram Deo, non eſſe curæ ſuas miſerias. Deinde ſæpe fit ut ſervi ipſi occupent ulciſci malam & inhumanam tractationem. Huic igitur malo occurrit, quum admonet expectandum eſſe Dei judicium cum tolerantia.

Cap. IV.

Domini, quod juſtum eſt, ſervis exhibete, mutuamque æquabilitatem, ſcientes quod vos quoque Dominum habeatis in cælis.

2. Orationi inſtate, vigilantes in ea, cum gratiarum actione.

3. Orate ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis januam ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, cujus etiam cauſa vinctus ſum:

4. Ut manifeſtem illud, quemadmodum oportet me loqui.

1. *Domini, quod juſtum eſt.*] Quod juſtum eſt, priori loco ponit. qua voce humanitatem illam deſignat de qua præcepit in Epiſtola ad Epheſios. Sed quia ſervilis conditio ab heris deſpicitur quaſi è ſublimi, ut nulla ſe lege obſtringi putent: in ordinem eos cogit Paulus: quia utrique pariter ſubjaceant Dei imperio. hinc iſta cujus meminit æquabilitas. *Mutuamque æquabilitatem.* Alii ſecus exponunt: ſed non dubito quin Paulus ἰσότητα hic poſuerit pro jure analogo, aut diſtributivo: quemadmodum ad Epheſ. 6. verſ. 8. Epheſios τὸ αὐτό. Neque enim ſic habent domini obnoxios ſibi ſervos, quin viciſſim aliquid ipſis debeant: quemadmodum jus analogum valere debet inter omnes ordines.

2. *Orationi inſtate.*] Redit ad generales exhortationes, in quibus non debemus requirere exactum ordinem: fuiſſet enim hoc modo ab oratione incipiendum. ſed Paulus id minime ſpectavit. Porro hic in oratione duo commendat: primo aſſiduitatem: deinde alacritatem, vel ſeriam intentionem. Nam quum dicit, Inſtate, ad perſeverandum hortatur. Vigilantiam autem opponit frigori & oſcitantiæ. Addit *gratiarum actionem*, quia ſic pro neceſſitate præſenti rogandus eſt Deus ut non obliviſcamur interim accepta beneficia. Deinde non debemus ita eſſe importuni, ut fremamus & indignemur ſi protinus votis noſtris Deus non obtemperet: ſed æquis animis excipere quicquid dederit. Ita duplex gratiarum actio neceſſaria eſt. Qua de re aliquid etiam dictum fuit ad Philippenſes capite 4. v. 6.

3. *Orate ſimul & pro nobis.*] Non facit hoc per ſimulationem: ſed quia neceſſitatis ſuæ ſibi conſcius, ſerio optabat illorum precibus juvari, & perſuaſus erat eas ſibi profuturas. Quis ergo nunc audeat fratrum interceſſiones contemnere, quibus Paulus indigere ſe profitetur? Et certe non fruſtra inſtituit Dominus hoc charitatis exercitium inter nos ut alii pro aliis oremus. Non ergo tantum debent ſinguli pro fratribus orare: ſed etiam viciſſim ex aliorum quoque precibus ſuppetias, quoties ita res tulerit, ſedulo expetere. At puerile eſt Papiſtarum argumentum, qui inde mortuos implorandos eſſe colligunt, ut pro nobis orent. Quid enim ſimile? fratrum precibus ſe Paulus commendat, quibuſcum ſibi ex Dei

man-

mandato mutuam communicationem eſſe novit: quis negabit in mortuis ceſſare hanc rationem? Omiſſis ergo talibus ineptiis, redeamus ad Paulum. quemadmodum inſigne modeſtiæ exemplum in eo habemus, quod Paulus alios ad opem ſibi ferendam advocat: ita etiam admonemur, rem eſſe plenam maximæ difficultatis, conſtanter perſtare in defenſione Euangelii, præſertim quum urget periculum. Non enim ſine cauſa Eccleſias ſibi in hoc adeſſe cupit. Et ſimul mirum zeli ardorem conſidera. Non eſt de ſua ſalute ſollicitus, non petit pro ſe fundi ab Eccleſiis preces ut eripiatur ex periculo mortis: hoc uno contentus eſt, ſi perſtet invictus & intrepidus in confeſſione Euangelii. adeo vitam ſuam Chriſti gloriæ & Euangelii propagationi ſecure poſtponit. Cæterum per *januam ſermonis* ſimpliciter ſignificat
Epheſ. 6. verſ. 19. quod ad Epheſios dicit, Oris apertionem: Chriſtus autem vocat Os & ſapientiam. Senſu enim nihil differt hæc loquutio ab illa, ſed forma tantum. Eleganti ſiquidem metaphora hic expreſſit, nihilo facilius nobis eſſe, confidenter de Euangelio loqui, quam per clauſam & obſeratam januam irrumpere. Eſt enim hoc vere divinum opus: quemadmodum & Chriſtus dicebat, Non eſtis vos qui loquimini, ſed Mat. 10.
Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Propoſita verſ. 20.
igitur difficultate, magis Coloſſenſes ad orandum ſtimulat, quum teſtatur non aliter ſe recte poſſe loqui, niſi dirigatur à Domino ſua lingua. Secundo argumentatur à rei dignitate, quum Euangelium vocat *myſterium Chriſti.* Neque enim perfunctorie laborandum eſt in re tanta. Tertio commemorat etiam ſuum periculum.

4. *Quemadmodum oportet.*] Hæc particula difficultatem amplificat: nam innuit non eſſe rem vulgarem. Ad Epheſios addit, ἵνα παῤῥησιάσωμαι. unde patet eum intrepidam fiduciam ſibi optaſſe, qualis Euangelii majeſtatem decet. Porro quum hic nihil aliud agat Paulus, quam quod ſibi dari cupit gratiam implendi ſui officii: meminerimus regulam ſimiliter nobis præſcribi, ut non cedamus adverſariorum furori, ſed ad mortem uſque enitamur ad publicandum Euangelium. Quia autem id ſuperius eſt noſtris facultatibus, precibus inſtare convenit ne deſtituat nos Dominus Spiritu fiduciæ.

5. Sapienter ambulate erga extraneos, tempus redimentes.
6. Sermo veſter ſemper in gratia ſit, ſale conditus: ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.
7. Res meas omnes patefaciet vobis Tychicus dilectus frater, & fidelis miniſter ac conſervus in Domino.
8. Quem miſi ad vos hac de cauſa, ut ſciretis ſtatum meum, & conſolaretur corda veſtra.
9. Cum Oneſimo fideli & dilecto fratre, qui eſt ex vobis. Omnia patefacient vobis quæ hic ſunt.

5. *Sapienter ambulate.*] Extraneos opponit domeſticis fidei. Civitatis enim inſtar eſt Eccleſia, cujus incolæ ſunt omnes fideles, mutua propinquitate inter ſe conjuncti: alieni autem ſunt infideles. Sed cur Paulus iſtos præ fidelibus vult reſpici? Tres ſunt cauſæ. primum ne ponatur cæcis offendiculum: quia nihil magis proclive quam incredulos noſtra imprudentia in deterius impelli, ac vulnerari eorum animos, ut magis ac magis à religione abhorreant. Deinde ne illis præbeatur materia obtrectandi Euangelio, atque ita proſtituatur ludibrio Chriſti nomen, infeſtiores reddantur, excitentur turbæ & perſequutiones. Poſtremo ne dum illis ſumus permiſti in convictu & aliis negotiis, inquinemur eorum ſordibus, ac ſenſim profaneſcamus. Quo pertinet etiam quod ſequitur, *Redimentes tempus.* Quia videlicet eorum converſatio ſit periculoſa. Nam ad Epheſios ratio-
Epheſ. 5. verſ. 16. nem aſſignat, Quia dies mali ſunt. acſi diceret, in tanta ſeculi corruptela eripiendam eſſe benefaciendi occaſionem, & cum obſtaculis luctandum. Quo itaque pluribus ſcandalis obſepta eſt via noſtra, eo intentius cavendum eſt ne pedes noſtri impingant, vel per ignaviam ceſſemus.

6. *Sermo veſter.*] Requirit ſermonis ſuavitatem quæ ſua utilitate alliciat auditores. neque enim ſermones tantum palam improbos aut impios damnat, ſed etiam nihili & otioſos. Ideo ſale conditos eſſe jubet. Habent ſuos ſales profani homines, ſed de illis non loquitur: imo quia plauſibiles ſunt, ac favorem ut plurimum conciliant facetiæ, ab earum uſu & conſuetudine oblique arcet fideles. Inſulſum enim ducit quicquid non ædificat. Eodem ſenſu ponitur nomen *gratiæ*: ut contrarium ſit dicacitati, lœdoriis, & quibuslibet nugis quæ vel lædunt vel evaneſcunt.

Ut ſciatis quomodo.] Qui ſe aſſuefecit circumſpectis ſermonibus, non incidet in multas abſurditates, in quas ſubinde labuntur homines loquaces & garruli: ſed continuo uſu acquiret ſibi recte & appoſite reſpondendi peritiam. Quemadmodum rurſus neceſſe eſt ut futiles homines ridendos ſe propinent, quoties de re aliqua interrogantur. qua in re juſtas pœnas luunt ineptæ ſuæ loquacitatis. Nec dicit tantum quid, ſed etiam *quomodo:* nec omnibus indifferenter, ſed *unicuique.* Nam hæc pars eſt non ultima prudentiæ, ſingulorum habere reſpectum.

7. *Res meas.*] Ut ſciant Coloſſenſes quantam habeat ipſorum curam, quaſi dato pignore eos confirmat. Nam quum eſſet in carcere, & de vita periclitaretur, poſthabita ſui ratione, illis proſpicit, Tychicum ad eos mittendo. In quo elucet tam ſingularis ſancti Apoſtoli zelus, quam prudentia: neque enim hoc parum eſt, quod dum captivus tenetur, & verſatur in extremo diſcrimine ob Euangelium, non tamen ceſſat, quin promovendo Euangelio incumbat, accurat omnes Eccleſias. Ita corpus quidem eſt incluſum, ſed animus ad ſatagendum ſollicitus ſe longe lateque diffundit. Prudentiæ eſt, quod idoneum mittit hominem & cordatum qui eos confirmet quantum opus erat, & pſeudoapoſtolorum aſtutiæ reſiſtat: deinde quod Epaphram apud ſe retinet, donec perſpexerint qualis & quantus in doctrina conſenſus foret inter omnes veros doctores: idemque audierint à Tychico quod prius ab Epaphra didicerant. Hæc exempla diligenter meditemur, ut nos accendant ad imitationem ſimilis ſtudii. Addit *Oneſimum*, quo plus habeat ponderis legatio. Quanquam incertum eſt quis fuerit hic Oneſimus. nam vix eſt credibile, hunc eſſe ſervum illum Philemonis: quia furis & fugitivi nomen dedecori ſubjectum fuiſſet. Ambos ornat honeſtis titulis, quo magis proſint: ac Tychicum præſertim, qui docendi munere functurus erat.

10. Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus cognatus Barnabæ: de quo accepiſtis mandata, ſi venerit ad vos, ut ſuſcipiatis ipſum:

11. Et Jeſus qui dicitur Juſtus: qui ſunt ex Circumciſione. hi ſoli cooperarii in regnum Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.

12. Salutat vos Epaphras qui eſt ex vobis ſervus Chriſti, ſemper decertans pro vobis in precationibus, ut ſtetis perfecti & completi in omni voluntate Dei.

13. Teſtimonium enim illi reddo, quod multum ſtudium veſtri habeat, & eorum qui ſunt Laodiceæ & Hierapoli.

10. *Concaptivus.*] Hinc apparet, acceſſiſſe alios Paulo, poſtquam Romam fuit perductus. Et credibile eſt, in hoc incubuiſſe hoſtes principio ut periculi ſocietate abſterrerent omnes pios ab ipſo juvando, idque ad tempus valuiſſe: poſtea collectis animis quoſdam ſpreviſſe quicquid terroris objiciebatur. *Ut ſuſcipiatis ipſum.* Nonnulli codices habent, Suſcipite, imperativo modo: ſed perperam. exprimit enim ſpeciem illius mandati quod acceperant Coloſſenſes: nempe quod fuerit commendatio vel Barnabæ, vel Marci. quod ſecundum probabilius eſt. Græce eſt modus infinitivus, ſed qui ſic reſolvi debet ut poſui. Obſervemus autem, ſedulos fuiſſe in reddendis teſtimoniis: ut probos viros à falſis fratribus, à fucis, ab impoſtoribus, & multis erronibus diſcernerent. Quæ ſollicitudo hodie pluſquam neceſſaria eſt: ſive quod frigide excipiuntur probi doctores, ſive quod impoſtoribus creduli & ſtulti homines nimis liberaliter ſunt expoſiti.

11. *Hi ſoli cooperarii.*] Ex Circumciſione ſcilicet. alios enim poſtea nominat, ſed ex Præputio. Paucos ergo Judæos Romæ eſſe ſignificat qui Euangelio ſe præbeant adjutores: quin potius totam gentem Chriſto adverſam eſſe. Quanquam Operarios intelligit eos duntaxat qui pollebant neceſſariis ad promovendum Euangelium dotibus. Ubi autem Petrus eo tempore? Certe aut indigne præteritus hic fuit, nec ſine injuria: aut fabulantur qui Romæ tunc fuiſſe aſſerunt. Euangelium porro vocat *regnum Dei.* nam & ſceptrum eſt quo Deus ſuper nos regnat, & per ipſum cooptamur in vitam æternam. Verum de hac loquutione plura alibi.

12. *Semper decertans.*] Boni Paſtoris exemplum, cui locorum diſtantia Eccleſiæ oblivionem minime inducit quin trans mare ejus curam ſecum deferat. Et notanda vis orationis, quæ exprimitur in verbo Certandi. Tametſi enim hic affectus vehementiam notare voluit Apoſtolus, ſimul tamen admonet Coloſſenſes, ne Paſtoris ſui preces irritas exiſtiment: quin potius exiſtiment, eas ſibi non pœnitendo eſſe ſubſidio. Poſtremo colligamus ex Pauli verbis, hanc Chriſtianorum eſſe perfectionem, dum ſtant completi in voluntate Dei: ne aliunde ſuſpendant vivendi conſilium.

14. Salutat vos Lucas medicus dilectus, & Demas.

15. Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ, & Nympham & Eccleſiam quæ eſt domi ipſius.

16. Et quum lecta fuerit apud vos Epiſtola, facite ut etiam in Laodicenſium Eccleſia legatur: & eam quæ ex Laodicea eſt ut vos legatis.

17. Et dicite Archippo, Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.

18. Salutatio, mea manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.

Miſſa è Roma per Tychicum & Oneſimum.

14. *Salutat vos Lucas.*] Non aſſentior iis qui Lucam Euangeliſtam intelligunt. nam & notiorem fuiſſe judico, quam ut opus fuerit tali indicatione: & ſplendidiore elogio fuiſſet inſignitus: certe coadjutorem ſuum, aut fidum ſaltem comitem, & certaminum participem vocaſſet. Potius conjicio tunc abfuiſſe, & alterum Medici epitheto ab illo diſcerni. Quanquam non contendo ut de re certa, ſed tantum conjecturas affero. *Demas* cujus meminit, is eſt haud dubie à quo ſe poſtea relictum fuiſſe conqueritur, 2 Tim. 4. v. 10. Quum de domeſtica Nymphæ Eccleſia loquitur, meminerimus, in una familia præſcribi quales eſſe deceat omnes Chriſtianorum familias: nempe ut totidem ſint parvæ Eccleſiæ. Quare ſciat unuſquiſque hoc ſibi impoſitum eſſe onus, ut domum ſuam erudiat in timore Domini, contineat ſub ſancta diſciplina, denique Eccleſiæ imaginem illic formet.

16. *In Laodicenſium Eccleſia legatur.*] Ergo utcunque inſcripta eſſet Coloſſenſibus, debuit tamen aliis prodeſſe. Idem & de omnibus Epiſtolis ſentiendum. Certis quidem Eccleſiis ſemel fuerunt ſcriptæ: ſed quia perpetuam doctrinam continent, & communem ſeculis omnibus: nihil refert qualem habeant titulum. Argumentum enim ad nos pertinet. Alteram Epiſtolam cujus ſimul facit mentionem, falſo putarunt à Paulo ſcriptam eſſe. Bis autem hallucinati ſunt qui Paulum arbitrati ſunt ad Laodicenſes ſcripſiſſe. Non dubito quin Epiſtola fuerit ad Paulum miſſa: cujus lectio utilis eſſet Coloſſenſibus: ut ſolent urbes vicinæ multa habere inter ſe communia. Impoſtura autem nimis craſſa fuit, quod nebulo neſcio quis, hoc prætextu Epiſtolam ſupponere auſus eſt adeo inſulſam, ut nihil à Pauli ſpiritu magis alienum fingi queat.

17. *Dicite Archippo.*] Quantum conjicere licet, hic Archippus, interea dum aberat Epaphras, Paſtoris vices obibat. Forte autem non erat talis ut per ſe ſatis eſſet ſtrenuus, niſi excitaretur. Vult ergo ipſum Paulus totius Eccleſiæ hortatione animari in melius. Poterat ipſe privato ſuo nomine eum admonere: ſed has partes Coloſſenſibus injungit, ut ſciant ſtimulos à ſe quoque ipſi addendos eſſe, ſi frigidum videant ſuum Paſtorem; & Paſtor ipſe non recuſet ab Eccleſia moneri. Eximia enim poteſtate præditi ſunt verbi miniſtri, ſed quæ legibus ſoluta non ſit. Ideo ſe dociles præbeant neceſſe eſt, ſi volunt alios probe docere. Quod Paulus rurſum ſua vincula commendat, eo ſignificat ſe non leviter laborare. Erat enim memor humanæ infirmitatis: ac quaſdam proculdubio ejus punctiones in ſe ſentiebat quum tantopere flagitaret ut omnes pii ſuæ anguſtiæ memores eſſent. Cæterum non eſt hoc ſignum diffidentiæ, quum præſidia à Domino ſibi deſtinata, undique accerſit. Manus ſubſcriptio, ut alibi viſum eſt, ſignificat tunc jam ſuppoſititias Epiſtolas volitaſſe, ut fraudi occurrere neceſſe fuerit.

Eximiæ Pietatis & Doctrinæ Viro,

MATURINO CORDERIO,

Lauſannenſis Scholæ Moderatori.

TE quoque in partem laborum noſtrorum venire æquum eſt, cujus ductu, in literarum ſtadium ingreſſus, huc ſaltem uſque progreſſus ſum, ut Eccleſiæ Dei aliquid prodeſſem. Quum puer, guſtatis duntaxat Latinæ linguæ rudimentis, Lutetiam à patre miſſus eſſem, mihi divinitus ad exiguum tempus oblatus fuiſti præceptor, qui veram diſcendi rationem ſic traderes, ut deinde poſſem aliquanto melius proficere. Nam quum primo ordini ſumma cum laude præfuiſſes: quia diſcipulos ab aliis magiſtris ambitioſe formatos, meras tantum ampullas, nihil ſolidi afferre videbas, ut tibi deintegro fingendi eſſent: hujus moleſtiæ pertæſus, eo anno ad quartam claſſem deſcenderas. Tuum quidem hoc conſilium fuerat: ſed mihi ſingulari Dei beneficio talis diſciplinæ auſpicium contigit Tametſi vero brevem ejus uſuram capere licuit, propterea quod ab homine ſtolido, cujus arbitrio, vel potius libidine, ſtudia noſtra regebantur, altius mox traducti fuimus: ſic tamen inſtitutione tua deinde fui adjutus ut progreſſus qualeſcunque ſequuti ſunt, tibi merito acceptos feram. Atque hoc poſteris teſtatum eſſe volui, ut ſiqua ex meis ſcriptis ad eos perveniet utilitas, aliqua ex parte abs te manaſſe agnoſcant. Genevæ, 13. Kal. Mart. M. D. L.

IN
EPISTOLAM
AD
THESSALONICENSES I.

ARGUMENTUM.

MAjor pars hujus Epiſtolæ exhortationibus conſtat. Theſſalonicenſes inſtituerat Paulus in recta fide. quum autem perſequutiones illic graſſari audiret, Timotheum miſerat, qui eos ad certamen animaret, ne metu fatiſcerent: ut eſt hominum infirmitas. Admonitus poſtea à Timotheo de toto eorum ſtatu, variis argumentis ipſos confirmat, tum ad conſtantiam fidei, tum ad tolerantiam, ſiquid pro Euangelii teſtimonio ferendum ſit. Hæc tribus primis capitibus. Principio quarti capitis generaliter eos hortatur ad vitæ ſanctitatem: deinde mutuam benevolentiam, & quæ inde manant officia, illis commendat. Sub finem vero quæſtionem de reſurrectione attingit: ubi declarat qualiter excitandi ſimus omnes à morte. unde apparet, fuiſſe impios homines aut leves qui importune multa frivola ingerendo, fidem eorum labefactare tentarent. Quare ut ſtultis ac ſuperfluis diſputationibus anſam præcidat, breviter tradit quid ſentire debeant. Et quinto capite ſeverius etiamnum prohibet de temporibus inquirere: ſed perpetuo vigilandum eſſe admonet, ne ſubito & inopinato Chriſti adventu opprimantur. Hinc deſcendit ad varias exhortationes: atque ita claudit Epiſtolam.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

PAulus & Sylvanus & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

BRevitas inſcriptionis, reverenter apud Theſſalonicenſes exceptam fuiſſe Pauli doctrinam indicat, & ſine controverſia honorem illi ab omnibus habitum quem merebatur. Nam quod in aliis Epiſtolis ſe Apoſtolum inſcribit, hoc facit auctoritatis ſibi vendicandæ cauſa. Quod ergo hic ſimpliciter ſine honoris titulo privatum nomen uſurpat, id argumento eſt, fuiſſe ultro ab iis ad quos ſcribit, agnitum qualis erat. Conati quidem fuerant hanc quoque Eccleſiam turbare Satanæ miniſtri: ſed irritas fuiſſe eorum machinationes apparet. Duos autem ſibi adjungit, quaſi communes Epiſtolæ auctores. Nihil præterea hic habetur, quod non alibi expoſitum fuerit: niſi quod dicit, Eccleſiam *in Deo Patre & Chriſto.* quibus verbis (ni fallor) vere apud Theſſalonicenſes Eccleſiam Dei eſſe declarat. Eſt igitur hæc nota, veluti approbatio veræ & legitimæ Eccleſiæ. Simul tamen inde colligendum eſt, non alibi quærendam eſſe Eccleſiam, niſi ubi præeſt Deus, ubi Chriſtus regnat: non aliam denique niſi quæ in Deo fundata eſt, quæ Chriſti auſpiciis collecta eſt, & in ejus nomen unita.

2. Gratias agimus Deo ſemper de omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in precibus noſtris:

3. Indeſinenter memores veſtri, propter opus fidei, & laborem charitatis, & patientiam ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti coram Deo & Patre noſtro:

4. Scientes, fratres dilecti, à Deo eſſe electionem veſtram.

5. Quia Euangelium noſtrum non fuit erga vos in ſermone ſolum, ſed in potentia, & in Spiritu ſancto, & in certitudine multa: quemadmodum noſtis quales fuerimus in vobis propter vos.

2. *Gratias agimus.*] Fidem eorum & reliquas virtutes laudat ſuo more: non tam ut laudet, quam ut ad perſeverantiam hortetur. Hic enim ad pergendi ſtudium non levis eſt ſtimulus, quum reputamus Deum præclaris nos donis ornaſſe, ut compleat quod cœpit: nos eo duce ac directore, in recto curſu progreſſos eſſe, ut perveniamus uſque ad metam. Nam ſicuti inanis virtutum, quas ſtulte ſibi arrogant homines, fiducia eos inflat ſuperbia, & in poſterum ſecuros ac ignavos reddit: ita donorum Dei agnitio pias mentes humiliat, & ad ſollicitudinem acuit. Ideo pro gratulatione gratiarum actionem ponit: ut Dei beneficium eſſe admoneat quicquid prædicat eſſe in ipſis laude dignum. Et ſtatim ſe ad futurum tempus convertit, dum meminit precationis. Ita videmus quorſum ſuperiorem vitam commendet.

3. *Indeſinenter memores veſtri.*] Quanquam adverbium Indeſinenter conjungi poſſet ſuperioribus: melius tamen ſic cohæret. Quæ ſequuntur, ſic etiam verti poſſent, Memoria repetentes veſtrum opus fidei, laborem charitatis, &c. Nec obſtat articulus interpoſitus inter pronomen ὑμῶν, & nomen ἔργον: nam ita ſæpe invenitur apud Paulum. Hoc ideo dico ne quis inſcitiæ damnet veterem Interpretem qui ſic reddidit. Quia tamen ad rei ſummam parum intereſt, alterutrum eligat: ego Eraſmi verſionem retinui. Cæterum cauſam reddit cur tantopere ſit eorum ſtudioſus, & ſedulo pro ipſis precetur: quia ſcilicet dona Dei in illis animadverterit, quæ in ſui amorem & reverentiam incitare ipſum debeant. Et ſane quo quiſque magis & pietate & aliis virtutibus excellit, eo major nobis habenda eſt ejus cura & ratio. Quid enim magis amabile quam Deus? Ergo nihil eſt quod magis conciliare nobis homines debeat, quam dum ſe Dominus in illis per Spiritus ſui dona manifeſtat. Hæc ſumma omnium apud pios eſt commendatio: hoc ſanctiſſimum neceſſitudinis vinculum quo maxime obſtringuntur. Proinde dixi parum referre utrum legas, Memores fidei veſtræ, an Memores veſtri propter fidem. *Opus fidei* accipio pro effectu. Sed hic effectus duplici modo poteſt exponi, paſſive & active: vel quod fides in ſe illuſtre virtutis & efficaciæ Spiritus ſancti ſpecimen fuerit, quod potenter operatus ſit in ea excitanda: vel quod ipſa fructus deinde ſuos extra protulerit. Ego effectum in ipſa potius fidei radice, quam in fructibus conſtituo: acſi diceret, Rara vis fidei potenter in vobis ſe exeruit. Adjungit Laborem charitatis: quo ſignificat in charitate colenda, nihil refugiſſe moleſtiæ vel laboris. Et certe experimento cognoſcitur quam laborioſa ſit charitas. Illud vero ſeculum præſertim multiplicem dabat laborandi materiam fidelibus, ſi defungi vellent charitatis officiis. Plurimis

affli-

afflictiooibus mire premebatur Eccleſia. multi opibus nudati, multi domo profugi, multi deſtituti conſilio, multi teneri & imbecilles erant: omnium fere conditio perplexa erat. tot neceſſitates non patiebantut otiolam eſſe charitatem. Spei tribuit *patientiam*: ut eſt illi ſemper annexa. nam quod ſperamus, per patientiam eapectamus, Rom. cap. 8. v. 24. ſic autem reſolvi debet oratio, quod eorum patientiam in ſperando Chriſti adventu, recordetur Paulus. Hinc colligenda eſt brevis Chriſtiaoiſmi veri definitio, ut leria ſit ac vigoris plena fides, ut nullis laboribus parcatur dum juvandi ſunt proaimi, ſed in officiis charitatis ſtrenue ſe occupent pii omnes, ſtudiaque ſua impendant, ut in ſpem manifeſtationis Chriſti intenti, reliqua omnia deſpiciant, & patientia armati, tam longi temporis tædium, quam omnes mundi tentationes ſuperent. Paricula, *Coram Deo & Patre noſtro*, vel ad recordationem Pauli, vel ad hæc tria proaima referri poteſt. Ego ſic eapono, Quoniam de precibus loquutus erat, nunc affirmat, quoties mentem attollit in tegnum Dei, Theſſalonicenſium fidem, ſpem & patientiam ſimul illi in memoriam venire. Quia autem fucum omnem faceſſere oportet, dum in conſpectum Dei venitur: hoc additum eſt ut affirmatio plus haberet ponderis. Porro hoc benevolentiæ ſuæ teſtimonio magis dociles ac promptos reddere voluit.

4. *Scientes, fratres dilecti.*] Participium Scientes, tam Pauli quam Theſſalonicenſium perſonæ poteſt accommodari. Eraſmus ad Theſſalonicenſes refert. ego Chryſoſtomum ſequi malo, qui de Paulo ejuſque collegis intelligit: eſt enim (ut mihi quidem videtur) amplior confirmatio proaimæ ſententiæ. Nam hoc ad commendationem non parum valebat, quod Deus ipſe multis indiciis Theſſalonicenſes ſibi gratos ac charos eſſe teſtatus eſſet. *A Deo electionem.* Non mihi in totum diſplicet Chryſoſtomi interpretatio, quod Deus eaimios reddiderit Theſſalonicenſes, eorumque eacellentiam comprobarit. quanquam plus quiddam exprimere voluit Paulus: eorum enim vocationem attingit, in qua quoniam non vulgares virtutis Dei notæ apparuerant, inde colligit fuiſſe peculiariter vocatos cum certæ electionis teſtimonio. Nam ratio moa ſequitur, quod non illis nuda tantum allata eſſet prædicatio, ſed cum efficacia Spititus ſancti conjuncta, ut ſolidam apud eos fidem obtineret. Quum dicit, *In potentia & Spiritu ſancto*, hoc perinde, meo judicio, valet atque in potentia Spiritus ſancti: ut poſterius ad prioris declarationem ſit additum. Certitudo quam tertio loco ponit, vel in re fuit, vel in Theſſalonicenſium affectu. Ego magis notari puto, quod ſolidis argumentis ſancitum fuerit illic Pauli Euangelium: acſi Deus è cælo oſtenderet ratam ſibi eorum eſſe vocationem. Quum autem Paulus in medium argumenta profert, quibus electionem Theſſalonicenſium prorſus divinam eſſe certior factus erat: hac occaſione ſimul commendat ſuum miniſterium, ut ipſi quoque agnoſcant eum & collegas divinitus fuiſſe excitatos. Quidam ſub *Potentiæ* nomine miracula intelliguot. Ego latius extendo, ad ſpiritualem doctrinæ energiam. Nam ut priore ad Corinthios Epiſtola habuimus, eam ſermoni Paulus opponit: tanquam vivam Dei vocem, & cum effectu coojunctam, inani & mortuæ hominum facundiæ. Notandum autem eſt, electionem Dei quæ per ſe abſcondita eſt, ſuis notis patefieri, dum oves perditas ad ſe colligit, & gregi ſuo coadunat, vagiſque & alienis manum porrigit. quare hinc petenda electionis notitia eſt. Cæterum ut arcanum Dei conſilium, vocationem ejus negligentibus labyrinthus eſt: ita perverſe faciunt qui fidei & vocationis prætextu obſcurant primam illam gratiam unde manat ipſa fides. Fide, inquiunt, ſalutem conſequimur: ergo nulla eſt æterna Dei prædeſtinatio quæ nos à reprobis diſcernat. Perinde acſi dicerent, Ex fide eſt ſalus: ergo nulla eſt Dei gratia quæ nos in fidem illuminet. Quin potius, ut conjungi electio gratuita cum vocatione debet, tanquam cum ſuo effectu: ita primatum interim retineat neceſſe eſt. Particulam ὑπὸ conjongasne cum participio Dilecti, an cum nomioe Electionis, parum intereſt quoad ſenſum.

5. *Quemadmodum noſtis* &c.] Nunc Paulus agit quod prius dixi, ut iidem adducti rationibus Theſſalonicenſes, non dubitent ſe à Deo electos eſſe. Nam hoc fuerat Dei coonſilium in ornando Pauli miniſterio, ut manifeſtam illis faceret ſuam adoptionem. Ideo poſtquam dixit illos ſcire quales fuiſſent, cootiouo poſt addit, talem fuiſſe eorum cauſa: quo ſignificat totum hoc fuiſſe illis datum, ut certo perſuaſi eſſent amari ſe à Deo, ac eorum electio eatra controverſiam eſſet.

6. Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini, dum ſermonem amplexi eſtis in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti:

7. Ita ut fueritis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.

8. A vobis enim perſonuit ſermo Domini: nec in Macedonia tantum & in Achaia, ſed etiam in omni loco, fides veſtra quæ in Deum eſt manavit: ita ut non opus habeamus quicquam loqui.

6. *Et vos imitatores.*] Ut illis plus alacritatis addat, mutuum conſenſum & quaſi harmoniam prædicat inter ſuam prædicationem & eorum fidem. Niſi enim Deo reſpondeant homines, nullus profectus ſequetur ex oblata gratia. non quod ex ſeipſis id poſſint: ſed quia Deus, ut ſalutem noſtram inchoat, nos vocando; ita perficit, corda noſtra formando io obedientiam. Summa ergo eſt, quod divinæ electionis teſtimonium non modo in Pauli miniſterio apparuerit, eo quod Spiritus ſancti virtute fuerit præditum: ſed in Theſſalonicenſium quoque fide, ot hæc conformitas ſolida ſit illius approbatio. Dicit autem, Imitatores Dei & noſtri fuiſtis, quo ſenſu dicitur credidiſſe populus Deo & Moſi ſervo ejus. non quod diverſum aliquid à Deo habuerint Paulus & Moſes, ſed quia potenter per eos operatus eſt, tanquam miniſtros & organa. *Dum amplexi eſtis.* Promptitudo recipiendi Euangelii, imitatio Dei vocatur: quia ſicuti Deus liberaliter ſe Theſſalonicenſibus obtulerat, ſic illi voluntarie occurrerant. Dicit, *Cum gaudio Spiritus ſancti*, ut ſciamus non impulſu carnis, aut propriæ naturæ inſtinctu promptos & alacres fore homines ad obſequendum Deo, ſed hoc eſſe opus Spiritus Dei. Circumſtantia hæc; quod in tribulatiooe multa nihilominus amplexi fuerint Euangelium, ad amplificationem facit. Videmus enim permultos non alioqui alienos ab Euangelio, qui tamen crucis metu territi, refugiunt. Ergo qui intrepide inſtantes afflictiones cum Euangelio amplecti non dubitant, præclarum magnanimitatis ſpecimen in eo edunt. Atque hinc melius conſtat quam neceſſarium ſit Spiritum hic nobis opitulari. Euangelium enim non rite nec ſincere, niſi læto animo, recipi poteſt. Atqui nihil magis ingenio noſtro adverſum quam in afflictionibus gaudere.

7. *Ita ut fueritis.*] Altera amplificatio, quod ſuo exemplo fideles quoque provocaverint. hoc enim magnum eſt, ſic præcurrere eos qui viam prius ingreſſi erant, ut illis ſimus adjumento ad peragendum

Digitized by Google

dum ſuum curſum. Typum (quo verbo uſus eſt Paulus) Græci appellant quod Latinis eſt Exemplar: Gallis *Patron* ſignificat. ergo tam illuſtrem fuiſſe Theſſalonicenſium virturem in excipiendis afflictionibus ſcribit, ut reliqui fideles inde conſtantiæ regulam mutuati fuerint. Ad verbum autem reddere placuit *Exemplaria*, ne fruſtra quid mutarem ex Græco Pauli ſermone. deinde quia pluralis numerus (meo judicio) plus quiddam exprimit, quam ſi dixiſſet Eccleſiæ illius corpus ad imitationem eſſe propoſitum: quia ſenſus eſt, totidem fuiſſe typos, quot erant hominum capita.

8. *A vobis enim perſonuit.*] Elegans metaphora, qua ſignificat adeo vivam fuiſſe eorum fidem, ut ſuo veluti ſonitu alias gentes excitaverit. Sermonem enim Dei perſonuiſſe ab eis dicit, quia ſonora fuerit eorum fides ad conciliandam Euangelio fidem. Dicit hoc non modo factum fuiſſe in vicinis locis, ſed etiam procul manaſſe ac exauditum fuiſſe hunc ſonitum, ut res præconium ſuum non deſideret.

9. Ipſi enim de vobis annunciant qualem habuerimus ingreſſum ad vos: & quomodo converſi fueritis ad Deum ab idolis, ut ſerviretis Deo viventi & vero:

10. Et expectaretis è cælis Filium ejus quem excitavit à mortuis, Jeſum, qui nos liberat ab ira ventura.

Dicit celebrem ubique converſionis eorum famam fuiſſe. Quod de ſuo ad eos ingreſſu meminit, ad illam Spiritus potentiam refertur, qua Deus Euangelium ſuum illuſtraverat. Dicit vero utrumque apud alias gentes ultro narrari, quaſi memoratu dignum. In narratione quæ ſequitur, oſtendit primum qualis ſit hominum conditio antequam Dominus ipſos Euangelii ſui doctrina illuſtret: deinde in quem finem nos doceri velit, & quiſnam ſit Euangelii fructus. Nam etſi non eadem omnes colunt idola, omnes tamen idololatriæ addicti ſunt, atque in cæcitate & dementia demerſi. Ergo quod à diaboli impoſturis & omni ſuperſtitionum genere liberi ſumus, Dei beneficium eſt. Alios quidem cito, alios ſerius convertit: ſed quia communis eſt omnium averſio, nos prius converti neceſſe eſt, quam Deo ſerviamus. Hinc etiam veræ fidei colligitur vis & natura: quia ſcilicet Deo rite nemo credit, niſi qui abnegata ſenſus ſui vanitate, purum Dei cultum amplectitur ac ſuſcipit.

9. *Ad Deum viventem.*] Hic legitimæ converſionis ſcopus eſt. multos quidem videmus à ſuperſtitionibus deſciſcere, qui tamen hoc gradu facto adeo in pietate non proficiunt, ut in deterius labantur. Nam depoſito omni Dei ſenſu, in profanum & brutum contemptum ſe projiciunt. ſic olim ab Epicuro, Diogene Cynico, & ſimilibus deriſæ fuerunt vulgi ſuperſtitiones: ſed ita ut Dei cultum promiſcuum perverſis ineptiis miſcerent. Ergo videndum eſt ut ruinam errorum ſequatur ædificium fidei. Porro Apoſtolus, dum hæc epitheta Veri & Viventis tribuit Deo, idola oblique perſtringit, quod mortua ſint & nihili figmenta, & falſo dii nuncupentur. Finem converſionis ponit quem attigi, Ut Deo ſervirent. Ergo huc tendit Euangelii doctrina ut nos in cultum obſequiumque Dei traducat. Quamdiu enim ſervi ſumus peccati, liberi ſumus à juſtitia: quia ſine jugo laſcivimus ac vagamur. Quare nemo rite ad Deum converſus eſt, niſi qui ſe illi totum in ſervitutem tradere didicit. Sed quia res eſt pluſquam difficilis, in tanta naturæ corruptione: ſimul oſtendit quid nos in timore Dei & obſequio retineat ac confirmet, nempe Chriſti expectatio. Niſi enim in ſpem vitæ æternæ erecti ſimus, mundus nos protinus ad ſe rapiet. Quemadmodum enim ſola eſt divinæ bonitatis fiducia quæ nos ad Deum colendum inducit: ita ſola ultimæ redemptionis expectatio facit ne defatigemur. Ergo quiſquis in vitæ ſanctæ curſu perſeverare volet, totam mentem applicet ad ſpem adventus Chriſti. Atque hoc notatu dignum, quod pro Spe æternæ ſalutis ponit Chriſti expectationem. nam certe ſine Chriſto perditi ſumus ac deſperati: ubi autem prodit Chriſtus, ſimul affulget vita & proſperitas. Sed hoc fidelibus tantum dici meminerimus: nam ſicuti impiis venturus eſt judex, ita nihil quam expaveſcere ad ejus expectationem poſſunt. Atque hoc eſt quod poſtea ſubjicit, Chriſtum nos liberare ab ira ventura. Hoc enim non alii ſentiunt, niſi qui per fidem Deo reconciliati, jam pacatam conſcientiam habeant: alias formidabile eſt ejus nomen. Cæterum liberavit nos quidem morte ſua Chriſtus ab ira Dei: ſed quid liberatio illa valeat, patebit extremo die. Conſtat autem ſententia hæc duobus membris. Prius eſt, quod ira Dei, æternumque exitium humano generi imminet: quia peccarunt omnes ac deſtituuntur gloria Dei. Alterum, quod non alia effugiendi ratio eſt niſi per Chriſti gratiam: quia non fruſtra has illi partes Paulus vendicat. Sed hoc inæſtimabile eſt donum, quod pii quoties judicii fit mentio, Chriſtum ſibi redemptorem venturum ſciunt. Adde quod diſerte ponit Iram venturam, ut pias mentes ſurſum erigat, ne ſubſidant in præſentis vitæ intuitu. Nam quum fides viſio ſit rerum non *Hebr. 11. verſ. 1.* apparentium: nihil minus conſentaneum eſt quam ut iram Dei metiamur, prout quiſquam affligitur in mundo: ſicuti nihil magis abſurdum quam arripere caduca bona quibus fruimur, ut inde æſtimemus Dei gratiam. Diſcamus ergo, dum ſecure luxuriantur impii & nos miſere languemus, vindictam Dei quæ oculis carnis abſcondita eſt, timere, & acquieſcere in arcanis ſpiritualis vitæ deliciis.

10. *Quem ſuſcitavit.*] Chriſti reſurrectionem hic commemorat, in qua noſtræ reſurrectionis ſpes fundata eſt: nam undique mors nos obſidet. Itaque niſi in Chriſtum reſpicere diſcamus, ſingulis momentis concident nobis animi. Eadem ratione admonet, Chriſtum è cælo eſſe expectandum: quia nihil in mundo reperiemus quod nos ſuſtineat: ſunt autem infinitæ tentationes quæ nos exaniment. Alia quoque circumſtantia notanda eſt. nam quia in hunc finem reſurrexit Chriſtus, ut ejuſdem gloriæ nos omnes tandem conſortes faciat qui ſumus ejus membra: ſignificat Paulus, irritam fore reſurrectionem, niſi iterum appareat ſuorum redemptor, fructumque & effectum ejus quam in ſe exhibuit virtutis, ad totum Eccleſiæ corpus extendat.

CAP. II.

IPſi enim noſtis, fratres, quod ingreſſus noſter ad vos non inanis fuerit:

2. Imo quod perſequutionem paſſi, & probro affecti Philippis (ut ſcitis) fiduciam ſumpſimus in Deo noſtro proferendi apud vos Euangelium Dei, cum multo certamine.

3. Nam exhortatio noſtra, non ex impoſtura, neque ex immunditia, neque in dolo.

4. Sed quemadmodum probati fuimus à Deo ut crederetur nobis Euangelium, ſic loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra.

1. *Ipſi enim noſtis.*] Nunc omiſſo aliarum Eccleſiarum teſtimonio, in memoriam revocat Theſſalonicenſibus quæ ipſi experti erant: ac fuſius exponit qualiter ſe geſſerit apud eos, & ſimiliter alii duo collegæ: quia hoc plurimum habebat ponderis ad confirmandum eorum fidem. Nam hoc conſilio ſuam integritatem prædicat, ut Theſſalonicenſes ſe non tam ab homine mortali quam à Deo, ad fidem fuiſſe vocatos agnoſcant. Dicit ergo ſuum ad eos ingreſſum non fuiſſe inanem, ut ambitioſi homines multum pompæ oſtendunt, quum nihil habeant ſolidi: nam *inane* actuoſo hic opponit. Probat hoc duobus argumentis. prius eſt, quod Philippis perſequutionem & ignominiam ſuſtinuerat: alterum, quod Theſſalonicæ magnum certamen paratum erat. Scimus ignominia & perſequutionibus debilitari, adeoque penitus frangi hominum animos. Divinum itaque opus fuit, quod Paulus variis malis & ignominia affectus, quaſi integer, magnam & opulentam urbem aggredi non dubitavit, ut ejus populum Chriſto ſubjugaret. In hoc ingreſſu nihil cernitur quod vanam oſtentationem redoleat. In ſecundo membro eadem vis divina inſpicitur: neque enim cum applauſu aut favore munus ſuum obiit, ſed opus fuit acriter luctari. Interea ſtetit firmus ac imperterritus: unde apparet, manu Dei fuiſſe ſuffultum. nam hoc ſignificat, quum dicit ſe *fiduciam ſumpſiſſe*. Et ſane ſi omnes iſtæ circumſtantiæ diligenter expendantur, negari non poteſt quin magnifice Deus ſuam illic virtutem exeruerit. Quantum ad hiſtoriam pertinet, petenda eſt ex Actorum capite 16. & 17.

3. *Nam exhortatio noſtra.*] Alio argumento Theſſalonicenſes in ſuſcepta fide confirmat: quod ſcilicet fideliter ac pure in verbo Domini inſtituti fuerint: ſuam enim doctrinam omni deceptione & immunditia vacuam fuiſſe aſſerit. Atque ut tollatur omnis hujus rei dubitatio, conſcientiam eorum teſtem advocat. Tria porro quæ commemorat, ſic videntur poſſe diſtingui: ut *impoſtura* ad ipſam doctrinæ ſubſtantiam referatur, *immunditiес* ad animi affectum; *dolus* ad modum agendi. Primo itaque deluſos fuiſſe aut fallaciis circumventos negat, quum genus doctrinæ amplexi ſunt à ſe traditum. Suam deinde integritatem prædicat, quod nulla impura cupiditate, ſed ſincero tantum affectu inductus, ad eos venerit. Tertio, quod nihil fraudulenter aut malitioſe egerit, ſed potius ſimplicitatem exhibuerit dignam Chriſti miniſtro. Hæc quum eſſent Theſſalonicenſibus comperta, ſatis firmum habebant fidei ſuæ fundamentum.

4. *Quemadmodum probati.*] Altius etiamnum conſcendit: nam Deum Apoſtolatus ſui auctorem citat. Atque ita ratiocinatur, Deus quum mihi hoc munus injunxit, mihi teſtimonium reddidit fidelis ſervi: non eſt igitur quod de fide mea dubitent homines, quam ſciunt Deo probatam. Non gloriatur tamen Paulus ſe probatum fuiſſe qualis à ſeipſo fuerit. neque enim quid à natura habuerit, diſputat: nec propriam virtutem cum Dei gratia in certamen committit: ſed tantum dicit, ſibi non aliter quam fido & probato ſervo, commiſſum fuiſſe Euangelium. Probat autem Deus quos ſibi ad arbitrium ſuum formavit. *Non quaſi hominibus.* Quid ſit hominibus placere, dictum eſt in Epiſtola ad Galatas: & *Galat. 1. verſ. 10.* hic locus quoque optime oſtendit. Nam Paulus Deo & hominibus placere, tanquam res oppoſitas inter ſe confert. Deinde quum dicit, *Deo qui probat corda:* ſignificat eos qui captant hominum gratiam, non duci recta conſcientia, nec quicquam agere ex animo. Sciamus ergo hoc veris Euangelii miniſtris debere eſſe propoſitum, ut Deo ſua ſtudia impendant, idque faciant ex animo, non externo aliquo mundi reſpectu: ſed quia conſcientia hoc rectum & æquum eſſe dictat. Ita fiet ut non ſtudeant placere hominibus: hoc eſt, nihil ambitioſe agant in hominum gratiam.

5. Neque enim unquam in ſermone adulationis fuimus, quemadmodum noſtis, neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis.

6. Nec quæſiimus ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

7. Quum poſſemus in pondere eſſe tanquam Chriſti Apoſtoli, facti tamen ſumus mites in medio veſtri, perinde acſi nutrix aleret filios ſuos.

8. Ita erga vos affecti, libenter voluiſſemus diſtribuere vobis non ſolum Euangelium Dei, ſed noſtras ipſorum animas, propterea quod chari nobis facti eſtis.

5. *Neque enim unquam.*] Non ſine cauſa toties repetit, ſcire Theſſalonicenſes vera eſſe quæcunque narrat. Nullum enim certius teſtimonium quam eorum experientia quibuſcum loquimur. Et hoc ipſorum maxime intererat: quia non alio conſilio refert Paulus quam integre verſatus ſit, niſi ut ſua doctrina plus reverentiæ obtineat in ædificationem fidei eorum. Eſt autem proximæ ſententiæ confirmatio. nam qui placere hominibus cupit, neceſſe eſt ut ſe turpiter in adulationem flectat. Qui autem ſerio & recto animo in officium intentus eſt, procul ab omni aſſentationis ſpecie aberit. Quum addit, *Neque in occaſione avaritiæ*, ſignificat ſe nihil privati lucri venatum eſſe apud eos, docendo. πρόφασις tam occaſio quam prætextus Græcis dicitur: ſed huic loco prior ſenſus melius quadrat, ut ſit quaſi aucupium: acſi diceret, Non abuſus ſum Euangelio ad lucri captandi occaſionem. Quoniam autem tot habet flexuoſos receſſus hominum malitia, ut ſæpe avaritia & ambitio lateant: ideo Deum teſtem advocat. Ponit autem hic duo vitia: à quibus dum ſe immunem fuiſſe teſtatur, debere à Chriſti ſervis aliena eſſe admonet. ita ſi germanos Chriſti ſervos à fictis & adulterinis velimus diſcernere, ad hanc regulam exhibendi ſunt: & quiſquis probe Chriſto ſervire volet, ad eandem quoque regulam formare ſua ſtudia debet, ſuaſque actiones. Quia ubi regnat avaritia aut ambitio, ſequuntur innumeræ corruptelæ, ac totus homo in vanitatem effluit: duo enim ſunt iſti fontes ex quibus manat totius miniſterii corruptio.

7. *Quum poſſemus in pondere.*] Quidam exponunt, Quum poſſemus eſſe oneri: id eſt, vos gravare ſumptibus. ſed contextus poſtulat, ut τῷ βάρει pro auctoritate ſumatur. Dicit enim Paulus ſe adeo abfuiſſe ab inani pompa, à jactantia, à faſtu, ut legitimo etiam jure ſuo ceſſerit, quod ad vendicandam auctoritatem pertinet. Nam quum eſſet Chriſti Apoſtolus, majori quadam reverentia excipi merebatur: atqui ab omni dignitatis ſpecie abſtinuerat acſi gregarius aliquis fuiſſet miniſter. Hinc apparet quantum ab elatione alienus fuerit. Ubi nos vertimus *Mites*, vetus Interpres reddidit, Fuimus parvuli: ſed illa quam poſui lectio, apud Græcos magis recepta eſt. Utrumvis tamen legas, non dubium quin voluntariam ſubmiſſionem commendet. *Quemadmodum ſi nutrix.* Hac ſimilitudine duo membra comprehendit quæ attigerat: quod ſcilicet nec gloriam nec lucrum apud Theſſalonicenſes quæſierit. Mater enim in alendo infante nullum imperium, nullam dignitatem præ ſe fert. Talem ſe fuiſſe Paulus memorat, qui honore ſibi debito ſponte abſtinens, placide ſe & modeſte ad quævis officia demiſerit. Secundo, mater in liberis ſuis educandis rarum quendam & mirificum amorem demonſtrat: quia nullis parcit laboribus ac moleſtiis,

nullam ſollicitudinem refugit, nulla aſſiduitate fatigatur, ſuumque adeo ſanguinem hilari animo ſugendum præbet. Hoc modo Paulus ſe ita erga Theſſalonicenſes affectum fuiſſe prædicar, ut propriam vitam in eorum bonum impendere paratus fuerit. Hoc certe non ſordidi aut avari, ſed gratuito amantis erat: & hoc in clauſula exprimit, *Propterea quod chari nobis facti eſtis.* Interim memoria repetendum, quicunque inter veros Paſtores cenſeri volunt, debere hunc Pauli affectum induere: ut pluris ſalutem Eccleſiæ habeant quam ſuam vitam. Nec privati commodi ſtudio ad officium agantur: ſed ſincero eorum amore, quibus ſe conjunctos & obſtrictos eſſe ſciunt.

9. Memoria enim tenetis, fratres, laborem noſtrum & ſudorem. nam die ac nocte opus facientes, ne gravaremus quenquam veſtrum, prædicavimus apud vos Euangelium Dei.

10. Vos teſtes eſtis & Deus, ut ſancte & juſte & ſine querela vobis qui creditis fuerimus.

11. Quemadmodum noſtis, ut unumquemque veſtrum, quaſi pater ſuos liberos,

12. Exhortati ſimus, & monuerimus, & obteſtati ſimus, ut ambularetis digne Deo qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.

9. *Memoria enim.*] Hæc ad ſuperiorem probationem pertinent, quod ſibi non pepercerit ut illis parceret. Certe miro & pluſquam humano zelo fervere ipſum oportuit, dum una cum docendi labore, artes etiam manuarias tractat, victus qoærendi cauſa. atque in hac etiam parte, jure ſuo abſtinuit. 1 Cor. 9. verſ. 14. Lex enim Chriſti eſt, quemadmodum alibi docet, ut unaquæque Eccleſia miniſtris ſuis victum & reliqua neceſſaria ſuppeditet. Paulus ergo quum nullum Theſſalonicenſibus onus imponit, plus quiddam præſtat, quam ex officii neceſſitate exigi ab eo poſſet. Adde quod non tantum ſumptibus publicis parcit, ſed neminem privatim gravat. Porro non dubium eſt quin recta aliqua & ſpeciali cauſa ad hanc juris ſui abſtinentiam adductus fuerit: nam in aliis Eccleſiis conceſſa ſibi libertate uſus eſt, quemadmodum reliqui. A Corinthiis nihil accepit, ne pſeudoapoſtolis anſam in hac parte gloriandi præberet. Interea non dubitavit ab aliis Eccleſiis petere quod opus erat: 2 Cor. 11. verſ. 8. ſcribit enim dum gratuitam operam impendit Corinthiis, ſe Eccleſias quibus non ſerviebat, prædatum eſſe. Ergo utcunque non exprimatur hic ratio, conjicere tamen licet, ideo Paulum noluiſſe neceſſaria ſibi miniſtrari, ne ea res impedimentum Euangelio adferret. Nam & hoc bonis Paſtoribus ſemper curæ eſſe debet, non tantum ut ſtrenue in miniſterio ſuo currant, ſed ut omnes curſus ſui remoras tollant quantum in ſe eſt.

10. *Vos teſtes eſtis.*] Iterum Dei & eorum teſtimonio ad ſuam integritatem aſſerendam utitur: ac Deum quidem conſcientiæ, illos vero rei compertæ teſtes facit. *Ut ſancte*, inquit, *& juſte*, id eſt, quam ſincero Dei timore, & quanta fide atque innocentia erga homines: tertio, *Et ſine querela*, quo ſignificat ſe nullis dediſſe conquerendi vel obloquendi cauſam. Calumnias enim & ſiniſtros rumores vitare nequeunt Chriſti ſervi. nam quum mundo exoſi ſint, apud improbos male audire neceſſe eſt. Ideo hoc ad credentes reſtringit, qui recte & ſincere judicant, non autem maligne obtrectant abſque cauſa.

11. *Unumquemque quaſi pater.*] In iis maxime inſiſtit quæ ſunt officii ſui propria. compatavit ſe nutrici, nunc patri ſe comparat. Hoc autem vult, ſe non aliter de ipſis fuiſſe ſollicitum, quam pater de filiis eſſe ſoleat: & vere paterna cura ſe defunctum eſſe in illis docendis ac monendis. Et certe nemo unquam bonus erit Paſtor, niſi qui patrem ſe Eccleſiæ ſibi creditæ præſtabit. Nec vero univerſo modo corpori talem ſe fuiſſe aſſerit, ſed etiam ſingulis. Neque enim ſatis eſt, ſi Paſtor omnes pro ſuggeſtu in communi doceat, niſi particularem quoque adjungat doctrinam, prout vel neceſſitas poſtulat, vel occaſio ſe offert. Quare idem Paulus Act. 20. v. 26. mundum ſe profitetur à ſanguine omnium: qoia publice omnes & privatim ſingulos, domi admonere non ceſſaverit. Communis enim doctrina interdum friget, nec corrigi aut ſanari quidam poſſunt niſi peculiari medicina.

12. *Exhortati ſimus.*] Oſtendit quam ſerio incubuerit in eorum ſalutem. neque enim ſe perfunctorie de pietate erga Deum & vitæ Chriſtianæ officiis concionatum eſſe narrat, ſed exhortationes & conteſtationes adhibuiſſe dicit. Hæc viva eſt Euangelii prædicatio, quum homines non modo audiunt qnid rectum ſit, ſed exhortationibus punguntur & revocantur ad Dei judicium, ne vitiis ſuis indormiant. nam hoc eſt proprie Obteſtari. Quod ſi pii homines quorum promptitudinem tantopere laudat Panlus, neceſſe habebant exhortationum ſtimulis incitari, imo obteſtationum: quid nobis agendum eſt, in quibus magis regnar carnis pigrities? reprobis interea quorum inſanabilis eſt contumacia, horribilem Dei vindictam denunciare oportet, non tam ſpe profectus, quam ut reddantur inexcuſabiles. Participium παραμυθούμενοι quidam Conſolari vertunt. Quod ſi recipimus, conſolationibus uſum eſſe intelligit apud afflictos, qui Dei gratia ſuſtinendi ſunt, & reficiendi cæleſtium bonorum guſtu, ne deſpondeant animos, aut patientiam abjiciant. Contextui tamen altera ſignificatio aptior eſt, quod monuerit ſcilicet: nam tria verba ad idem referri conſtat. *Ut ambularetis.* Summam exhortationum ſuarum breviter perſtringit: nempe quod Dei miſericordiam commendans, illos monuerit ne ſuæ vocationi deeſſenr. Commendatio gratiæ in hoc membro ſita eſt, *Qui vocavit vos in ſuum regnum.* Nam quum in gratuita Dei adoptione fundata ſit noſtra ſalus, ſub hoc uno verbo comprehenditur quicquid bonorum nobis Chriſtus attulit. Reſtat nunc ut Deo vocanti reſpondeamus: hoc eſt, ut nos illi tales exhibeamus filios, qualis nobis pater eſt. Abdicari enim meretur ex Dei familia qui aliter vivit quam Dei filium deceat.

13. Quapropter nos quoque indeſinenter gratias agimus Deo, quod quum ſermonem Dei prædicatum à nobis percepiſtis, amplexi eſtis, non ut ſermonem hominum, ſed quemadmodum revera eſt, ſermonem Dei: qui etiam efficaciter agit in vobis credentibus.

14. Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à propriis tribulibus quemadmodum & ipſi à Judæis:

15. Qui Dominum Jeſum occiderunt, & proprios Prophetas, & nos perſequuti ſunt, & Deo non placent, & cunctis hominibus adverſi ſunt:

16. Qui obſiſtunt ne Gentibus loquamur ut ſalvæ fiant, ut compleantur eorum peccata ſemper: pervenit enim in eos ira uſque in finem.

13. *Quapropter nos.*] Poſtquam de ſuo miniſterio loquutus eſt, rurſum ad Theſſalonicenſes ſe convertit: ut ſemper mutuam illam harmoniam, cujus ante meminit, commendet. Dicit ergo ſe *gratias Deo agere, quod ſermonem ex ore ſuo auditum amplexi ſint, tanquam ſermonem Dei, ut vere erat.* Significat autem his verbis, reverenter, & qua decet obedientia, fuiſſe ab illis exceptum. Fieri enim non poteſt ſimulac invaluit hæc perſuaſio, quin obſequendi religio animos noſtros ſubeat. Quis enim non horreat Deo reluctari? quis non etiam Dei contemptum deteſtetur? Quod ergo nunc tam contemptui apud pleroſque habetur verbum Dei ut nullo fere in pretio ſit, quod multi nullo timore tanguntur, inde contingit quia ſibi cum Deo negotium eſſe non reputant. Proinde ex hoc loco diſcimus qualis Euangelio habenda ſit fides: nempe quæ ab hominum auctoritate non pendeat, ſed certæ & cognitæ Dei veritati innixa ſupra mundum ſe attollat. denique tantum ab opinione diſtet, quantum cælum à terra. Secundo, quæ reverentiam, timorem, & obedientiam ex ſe generet: quia homines divinæ majeſtatis ſenſu tacti, nunquam ſibi cum ea ludere permittent. Viciſſim admonentur doctores, ne quid niſi purum Dei ſermonem proferre audeant: nam ſi hoc licitum Paulo non fuit, nemini hodie erit. Probat autem ab effectu, fuiſſe Dei ſermonem quem tradiderat: quia fructum illum cæleſtis doctrinæ protulerat quem Prophetæ commendant in renovanda eorum vita. nam hominum doctrina nihil tale poſſet. Relativum nomen tam Deo quam ſermoni ejus aptari poteſt. Sed utrumvis eligas, eodem redibit ſenſus: nam quum in ſe Theſſalonicenſes divinam vim ſentirent, quæ ex fide manabat, ſtatuere poterant non evanidum fuiſſe humanæ vocis ſonitum quem perceperant, ſed vivam & efficacem doctrinam Dei. Quod ad verba ſpectat, Sermo prædicationis Dei, nihil aliud eſt quam ſermo Dei prædicatus ab homine, ut reddidi. Voluit enim Paulus nominatim exprimere contemptibilem apud eos non fuiſſe doctrinam, licet ab ore mortalis hominis prodiret, quod ejus auctorem agnoſcerent Deum. Laudat igitur Theſſalonicenſes, quod non ſubſtiterint in reſpectu miniſtri, ſed oculos ad Deum ſuſtulerint, ut ejus ſermonem reciperent. Quare particulam *ut*, quæ ad ſenſum explanandum valebat, inſerere non dubitavi. Male Eraſmus qui vertit Sermonem auditus Dei: acſi Deum intelligeret Paulus patefactum. poſtea mutavit, Sermonem quo Deum diſcebatis. non enim ab eo animadverſa fuit Hebraica phraſis.

14. *Vos enim imitatores.*] Si hoc ad proximam clauſulam reſtringere libeat, ſenſus erit, quod virtus Dei vel ſermonis ejus in eorum tolerantia ſe proferat, dum magno & infracto animo perſequutiones ſuſtinent. Ego tamen ad totam ſuperiorem ſententiam extendere malo. confirmat enim quod dixit, Theſſalonicenſes ſerio Euangelium tanquam à Deo ſibi oblatum fuiſſe amplexos, quia fortiter ſuſtineant contrarios Satanæ inſultus, nec recuſant quidvis pati potius quam ab ejus obedientia diſcedant. Et certe hoc non leve eſt fidei examen, quum Satan omnia machinando, nihil proficit, ut nos à Dei timore dimoveat. Interea periculoſæ tentationi prudenter occurrit, quæ illos percellere vel turbare poterat. nam ab ea gente graves moleſtias ſuſtinebant quæ ſola in mundo Dei nomine gloriabatur. Poterat, inquam, illis hoc venire in mentem, Si hæc vera eſt religio, cur eam tam infeſtis animis oppugnant Judæi, qui ſunt ſacer Dei populus? Ut hoc offendiculum tollat, primum admonet, hoc eos commune habere cum primis Eccleſiis quæ in Judæa erant: poſtea Judæos dicit obſtinatos eſſe Dei & omnis ſanæ doctrinæ hoſtes. Tametſi enim quum dicit *ipſos eſſe paſſos à ſuis tribulibus*, id de aliis quam de Judæis exponi poteſt, certe non ad ſolos Judæos debet reſtringi: quia tamen longius in deſcribenda eorum pervicacia & impietate inſiſtit, apparet eoſdem notari ſtatim ab initio. Credibile eſt aliquos ex ea gente ad Chriſtum fuiſſe Theſſalonicæ converſos. Atqui ex hiſtoria Actorum patet, illic non minus quam in Judæa perſequutores Euangelii Judæos fuiſſe. Ergo hoc promiſcue tam de Judæis quam de Gentibus dictum accipio, quia utrique à ſuis tribulibus magna certamina & atroces impetus ſuſtinebant.

15. *Qui Dominum Jeſum.*] Quia populus ille tot Dei beneficiis ornatus fuerat: propter veterum Patrum gloriam, auctoritate pollebat apud multos nomen ipſum. Necui ergo oculos hic fucus perſtringat, ita ſpoliat Judæos honore, ut nihil illis relinquat præter odium & extremam infamiam. En, inquit, virtutes quibus laudem apud bonos & pios merentur, Prophetas ſuos & tandem Filium Dei occiderunt, me ejus ſervum perſequuti ſunt, bellum cum Deo gerunt, cuncto mundo ſunt exoſi, ſunt inimici ſalutis Gentium: denique ſunt devoti æterno exitio. Quæritur cur Chriſtum & Prophetas ab iiſdem occiſos fuiſſe dicat. Reſpondeo, ad totum corpus hoc pertinere: ſignificat enim Paulus non eſſe novum aut inſolens, quod Deo repugnant: ſed ita implere patrum menſuram, quemadmodum Chriſtus loquitur. *Mat. 23. verſ. 31.*

16. *Qui obſiſtunt ne Gentibus loquamur.*] Non abs re (ut dictum eſt) tam prolixe immoratur in exagitanda Judæorum malitia. Nam quum ubique furioſe Euangelio ſe opponerent, ingens inde ſcandalum oriebatur: præſertim quum Euangelium clamarent profanari à Paulo, dum illud Gentibus vulgabat. Hac calumnia ſcindebant Eccleſias, ſpem ſalutis eripiebant Gentibus, & Euangelio viam obſtruebant. Hoc ergo crimine eos gravat Paulus, quod invideant Gentibus ſalutem: ſed addit, hoc fieri ut compleantur eorum peccata, ut illis omnem pietatis opinionem adimat. Quemadmodum ubi prius dicebat, Non placere Deo: hoc volebat, indignos eſſe quorum ratio inter Dei cultores haberetur. Loquutio tamen notanda eſt, quod qui male agendo pergunt, menſuram hoc modo judicii ſui implent, donec ad cumulum perveniant. Hæc cauſa eſt cur ſæpe differatur impiorum pœna, quia nondum maturæ ſunt (ut ita dicam) eorum impietates. Hinc monemur, ſedulo cavendum eſſe ne ſi peccata ſubinde peccatis addamus, quemadmodum paſſim fieri ſolet, cumulus tandem uſque in cælum conſcendat. *Pervenit enim.* Significat prorſus eſſe deſperatos, quia vaſa ſint iræ Domini. perinde enim hoc valet acſi diceretur, Urget eos ac perſequitur juſta Dei ultio, neque deſinet uſque dum pereant: quod in omnes reprobos competit, qui in mortem cui deſtinati ſunt, præcipites ruunt. Hoc autem ſic de univerſo Gentis corpore pronunciat Apoſtolus, ut tamen ſpem electis non præcidat. Nam quia major pars reſiſtebat Chriſto, generaliter quidem de tota gente loquitur. Sed tenenda eſt illa exceptio quam ipſe ponit ad Rom. cap. 11. verſ. 5. quod ſemper Dominus reſiduum aliquod habebit ſemen. Tenendum ſemper eſt Pauli conſilium, fugiendam ſedulo eſſe fidelibus eorum ſocietatem quos juſta Dei vindicta perſequitur, donec in cæca ſua obſtinatione pereant. *Ira* ſine adjecto, Dei judicium ſignificat: ſicut ad Rom. cap. 4. v. 15. Lex iram operatur. Item 12. v. 19. Date locum iræ.

17. Nos vero, fratres, orbati vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantius ſtuduimus faciem veſtram videre in multo deſiderio.

18. Itaque voluimus venire ad vos (ego quidem Paulus) & ſemel & bis, & obſtitit nobis Satan.

19. Quæ enim noſtra ſpes, vel gaudium, vel corona gloriationis? annon etiam vos coram Domino noſtro Jeſu Chriſto in ejus adventu?

20. Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

17. *Nos vero.*] Opportune bæc excuſatio addita eſt, ne ſe à Paulo deſertos eſſe putarent Theſſalonicenſes, quum taota neceſſitas ejus præſentiam flagitaret. Loquutus eſt de perſequutionibus quas patiebantur à ſuis: aberat interea ipſe, cujus officium erat ſupra alios omnes opitulari. Patrem ſe antehac vocavit: atqui patris non eſt filios in tantis anguſtiis deſerere. Suſpicionem ergo contemptus ac negligentiæ prævenit, dicens non animum ſibi defuiſſe, ſed negatam eſſe facultatem. Nec ſimpliciter ita loquitur, Volui ad vos venire, iter fuit mihi obſtructum: ſed vebementiam affectus ſui ſingularibus verbis exprimit: *Quum*, inquit, *vobis orbatus eſſem.* Orbitatis verbo teſtatur quam triſte ac durum illi fuerit ab illis abeſſe. Sequitur amplificatio deſiderii, quod abſentiam eorum ægre ad breve tempus tulerit. Non mirum eſt ſi diuturnitas tædium vel mœrorem afferat: at valde oos affectos eſſe oportet, ubi impatientes ſumus unius horæ. *Tempus* autem *boræ*, pro exiguo temporis ſpatio accepit. Sequitur correctio, quod *aſpectu*, *non corde* ſeparatus ab illis fuerit: ut ſciant loci diſtantiam minime ejus animum disjungere. Quanquam non minus apte referri hoc ad Theſſalonicenſes poterit, quod viciſſim conjuncti fuerint Paulo eorum animi inter corporum diſſidia. Nam ad rem noo parum ioterfuit, exprimi quantopere de mutuo erga ſe eorum amore confideret. Suum vero affectum melius demonſtrat quum dicit, *abundantius ſe ſtuduiſſe:* nam ſignificat adeo non imminutum fuiſſe amorem diſceſſu, ut magis accenſus fuerit. Quum dicit, *ſemel & bis voluimus*, teſtatur non ſubitum fuiſſe fervorem qui ſtatim refrixerit, (ut interdum accidere videmus) ſed hujus propoſiti ſe fuiſſe tenacem, quum varias occaſiooes captaverit.

18. *Obſtitit nobis Satan.*] Paulum ſemel fuiſſe impeditum narrat Lucas, quia Judæi inſidias illi in itinere ſtruebant: ſæpius vel idem vel ſimile accidere potuit. Hoc vero totum Satanæ non immerito aſſignat:, quia ut alibi docet, non eſt nobis lucta cum carne & ſanguine, ſed cum principibus aëris & nequitiis ſpiritualibus, &c. Impii eoim quoties nobis moleſti ſunt, ſub veaillo Satanæ militant, ſuntque ejus inſtrumenta ad nos vexaodos. Præſertim quum ad opus Domini ſtudia noſtra contendunt, quicquid obſtat, certum eſt à Satana proficiſci. Atque utinam hæc ſenteotia piorum omnium animis penitus inſideat: Satanam nibil non aſſidue moliri, quomodo Eccleſiæ ædificationem moretur vel perturbet: eſſemus profecto ad reſiſtendum magis iotenti: majori nobis curæ eſſet ſanæ doctrinæ conſervatio, qua nos privare hoſtis ille tam ardeoter ſtudet. Sciremus etiam quoties Euangelii curſus remoras patitur, unde impedimeotum proveniat. Alibi dicit non fuiſſe ſibi à Deo permiſſum: ſed utrumque verum eſt. Quamvis enim ſuas partes agat Satan, Deus tamen ſupremum jus retinet, ut quoties viſum eſt, invicto ac reluctante Satana, viam nobis aperiat. Vere ergo dicit Paulus Deum non permittere: utcuoque obſtaculum ſit à Satana.

19. *Quæ enim ſpes.*] Illum deſiderii ardorem cujus meminit, inde confirmat, quia in ipſis felicitatem ſuam quodammodo repoſitam habeat. Perinde enim valet hæc ſententia acſi dixiſſet, Niſi meipſum obliviſcar, neceſſe eſt ut vos expetam. *Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Porro quod *ſpem & coronam gloriæ ſuæ* eos appellat, non ita accipiendum quaſi alibi quam in ſolo Deo glorietur: ſed quia ita omnibus Dei beoeficiis gloriari in ſuo gradu licet, ita ut ſemper ſit ipſe ſcopus: quemadmodum fuſius expoſui in priorem ad Corinthios. Hinc vero colligendum eſt, Chriſti mioiſtros, prout quiſque ejus regnum propagaverit, gloriæ & triumphi in extremo die fore participes. Quare gaudere & gloriari non alibi jam nunc diſcant, quam in proſpero laborum ſuorum ſucceſſu, dum ſua opera Chriſti gloriam promoveri vident. Ita fiet ut quo decet amoris affectu, in Eccleſiam affecti ſiot. Particula *etiam*, denotat oon ſolos eſſe Theſſalonicenſes in quibus triumphet Paulus, ſed eſſe ex multorum numero. Cauſalis vero particula γὰρ, quæ paulo poſt ſequitur, improprie loco affirmativæ poſita eſt, Certe vos eſtis.

Cap. III.

Quare non amplius ſufferentes, cenſuimus ut Athenis relinqueremur ſoli:

2. Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum & miniſtrum Dei, & cooperarium noſtrum in Euangelio Chriſti, ut confirmaret vos, & vobis animum adderet ex fide noſtra,

3. Ut nemo turbaretur in his afflictionibus: ipſi enim noſtis quod in hoc ſumus conſtituti.

4. Etenim quum eſſemus apud vos, prædiximus vobis quod eſſemus afflictiones paſſuri: quemadmodum etiam accidit, & noſtis.

5. Quamobrem & ego non amplius ſuſtinens, miſi ut cognoſcerem fidem veſtram: ne forte tentaſſet vos is qui tentat, & exinanitus eſſet labor noſter.

1. *Quare non amplius ſufferentes.*] Hac narratione quæ ſequitur, deſiderii illius ſui fidem facit. Nam ſi alibi retentus, alium nemioem ſuo loco miſiſſet Theſſalooicam, poterat videri non adeo ipſos curare: ſed quum Timotbeum in vicem ſuam ſubrogat, ſuſpicionem illam avertit: præſertim quum ſibi ipſos præfert. Porro ſe majorem illorum, quam ſui ratiooem habuiſſe oſtendit, quod maluerit relinqui ſolus, quam ipſos deſtitui. Habeot enim pondus hæc verba, *Placuit ut ſolus relinquerer.* Timotheus valda fidus illi erat comes: nullos tunc alios ſecum habebat. ergo incommodum & moleſtum erat eo carere. Signum ergo rari amoris eſt & anxii deſiderii, quod ſe omni ſolatio privare non recuſat, ut ſubveniat Theſſalonicenſibus. eodem pertinet verbum εὐδοκήσαμεν, quod promptam animi inclinationem deſignat.

2. *Fratrem noſtrum.*] Has laodes ideo adſcripſit quo melius oſtenderet quam bene illis conſultum voluerit. Nam ſi vulgarem quempiam hominem illis miſiſſet, non multum juvare illos poterat. & quia Paulus ſine ſuo iocommodo boc feciſſet, nullum

inſigne

inſigne dediſſet paternæ erga eos curæ teſtimonium. Hoc vero magnum quod fratrem & cooperarium ſibi detrahit, & cui neminem (ut alibi teſtatur) parem reperiebat, quum ſuis commodis omnes ſtuderent. *Philip. 2. verſ. 20.* Interea auctoritatem conciliat doctrinæ quam à Timotheo perceperant, ut melius infixa eorum memoriæ maneat. Merito autem dicit, ſe ideo *miſiſſe Timotheum*, ut à ſuo exemplo confirmationem fidei acciperent. Terrere eos poterant parum læti rumores de perſequutionibus: ſed magis eos animare debebat intrepida Pauli conſtantia, ne fatiſcerent. Et certe huc etiam ſe extendit communicatio quam inter ſanctos & membra Chriſti eſſe decet, ut fides unius, aliorum ſit conſolatio. Ita quum audirent Theſſalonicenſes Paulum indefeſſo ſtudio pergere, ſuperare fortitudine fidei omnia diſcrimina omneſque difficultates, fidem ejus ubique adverſus Satanam & mundum victricem ſtare: hoc non parum conſolationis illis afferebat. Præſertim vero nos movent, vel ſaltem movere debent eorum exempla à quibus ſumus in fide inſtituti: quemadmodum dicitur in fine Epiſtolæ ad Hebræos. *Hebr. 13. verſ. 7.* Intelligit itaque Paulus ſuo exemplo debuiſſe ſuſtineri, ne in afflictionibus fatiſcerent. Quia autem offendi poterant ſi veritus fuiſſet Paulus ne ſuccumberent omnes perſequutioni: (quia hoc ſcilicet nimiæ diffidentiæ erat) temperat hanc aſperitatem, quum dicit, Ne quis, vel ut nemo. Merito autem hoc timendum fuit, quando ſemper in quovis cœtu aliqui ſunt infirmi.

3. *Ipſi enim noſtis.*] Quia libenter ſe omnes ſubeundæ crucis neceſſitate eximerent: admonet Paulus non eſſe cur in perſequutionibus expaveſcant fideles quaſi ad rem novam aut inſolitam, quia hæc noſtra ſit conditio quam nobis Dominus impoſuit, Nam hæc loquutio, *in hoc ſumus conſtituti*, tantundem valet acſi dixiſſet, hac lege nos eſſe Chriſtianos. Dicit autem ipſos ſcire: quia fortius pugnare ipſos decebat quum in tempore fuiſſent præmoniti. Adde quod apud rudes & ignaros Paulum aſſiduæ afflictiones reddebant contemptibilem: ideo nihil ſibi uſu veniſſe commemorat, niſi quod tanquam vates multo ante prædixerit.

5. *Ne forte tentaſſet.*] Hoc verbo docet timendas ſemper eſſe tentationes, quia proprium Satanæ officium ſit tentare. Quemadmodum autem ille undique inſidias nobis ſtruere, & laqueos circumcirca tendere non ceſſat: ita nos in excubiis eſſe oportet intentos ad cavendum. Ac jam aperte dicit quod initio quaſi nimis aſperum refugerat: nempe ſe fuiſſe ſollicitum ne irriti eſſent ſui labores, ſi forte prævaleret Satan. Atque hoc facit ut ſedulo advigilent ipſi, & acrius ſe exſtimulent ad reſiſtendum.

6. Nuper autem quum veniſſet Timotheus ad nos à vobis, & annunciaſſet nobis fidem & dilectionem veſtram, & quod bonam noſtri memoriam habetis ſemper, deſiderantes nos videre, quemadmodum & nosipſi vos:

7. Inde conſolationem percepimus, fratres, de vobis, in omni tribulatione & neceſſitate noſtra per veſtram fidem:

8. Quia nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.

9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo reddere de vobis, in omni gaudio quod gaudemus propter vos coram Deo noſtro,

10. Nocte ac die ſupra modum precantes, ut videamus faciem veſtram, & ſuppleamus quæ fidei veſtræ deſunt?

Hic alio argumento demonſtrat quam ſingulari erga eos amore ſit affectus, quod ſcilicet læto proſperi eorum ſtatus nuncio quaſi extra ſe raptus fuerit. Notandæ enim ſunt circumſtantiæ quas recenſet. in afflictione ac neceſſitate erat: non ergo videbatur hilaritati eſſe locus. Sed quum de Theſſalonicenſibus audit quod optabat, quaſi extincto malorum ſenſu, in gaudium & gratulationem effertur. quanquam gradatim ad hanc gaudii magnitudinem exprimendam procedit. Nam primo dicit, *conſolationem percepimus*: poſtea effuſum ubertim gaudium prædicat. Cæterum hæc gratulatio vim exhortationis habet: atque hoc conſilium fuit Paulo ut Theſſalonicenſes ad pergendum invitaret. Et certe hic acerrimus eſſe ſtimulus debuit, quum intelligerent ſancto Apoſtolo tantum ſolatii & gaudii accidere ex pietatis ſuæ profectu.

6. *Fidem & dilectionem.*] Quo frequentius apud Paulum occurrit hæc loquendi forma, eo diligentius notanda eſt: totam enim pietatis ſummam breviter indicat his duobus verbis. Quare quicunque ad hunc duplicem ſcopum collimant, in tota vita ſunt extra errandi periculum. Alii omnes quantumvis ſe torqueant, miſere vagantur. Tertium quod addidit de bona ſui memoria, ad Evangelii reverentiam ſpectat. Non enim alio nomine Paulum tam charum & in tanto pretio habebant.

8. *Quia nunc vivimus.*] Hic clarius adhuc patet ut ſeipſum prope oblitus fuerit Paulus Theſſalonicenſium cauſa; vel ſaltem poſthabito ſui reſpectu, primam ac potiſſimam ſuam cogitationem ad ipſos adjecerit. Quanquam non tam hominum ſtudio id fecit quam gloriæ Domini. Sic enim in ſancto pectore fervebat Dei & Chriſti zelus, ut reliquas omnes curas quodammodo abſumeret. Vivimus, inquit, hoc eſt, recte valemus, ſi vos in Domino perſeveratis. Et ſub adverbio Nunc, repetit quod prius dixerat, ſe afflictione & neceſſitate graviter fuiſſe oppreſſum: quicquid tamen mali patiatur in ſua perſona, id ſuo gaudio obſtare negat. acſi diceret, Ego etiamſi in me ſim mortuus, in ſalute veſtra vivo. Hinc admonentur omnes Paſtores qualis inter ipſos & Eccleſiam conjunctio eſſe debeat: nempe ut ſe beatos reputent quum Eccleſiæ bene eſt, etiamſi multis alioqui miſeriis ſint circumdati. Contra vero, quamvis alioqui res lætæ ſint ac ſecundæ, ſi cadere vident extructum à ſe ædificium, luctu & mœrore tabeſcant.

9. *Quam enim.*] Non contentus ſimplici affirmatione, quam ingens ſit gaudii ſui magnitudo exprimit, dum ſeipſum interrogat quales poſſit agere gratias Deo: ſic enim loquendo, nullam ſe invenire gratiarum actionem teſtatur quæ ad æquandum gaudium ſufficiat. *Gaudere ſe coram Deo* dicit, pro eo quod eſt, vere & abſque ſimulatione ulla.

10. *Supra modum precantes.*] Redit ad ſuum deſiderium: nunquam enim ita in ſolidum gratulari hominibus licet quamdiu in mundo vivunt, quin melius ſemper aliquid optemus. Sunt enim adhuc in via: labi vel errare poſſunt, aut etiam retrocedere. Optat ergo Paulus ſibi facultatem dari ut defectus fidei Theſſalonicenſium inſtauret: vel (quod idem eſt) fidem eorum quæ adhuc imperfecta eſt, ſuis numeris abſolvat. Atqui hæc fides eſt quam mire antehac celebravit. Sed hinc colligimus, qui alios longo ſpatio antecedunt, multum adhuc à meta diſtare. Itaque quantumvis progreſſi ſimus, veniant nobis ſemper in mentem noſtra ὑστερήματα: ne ultra eniti pigeat. Hinc etiam patet quam neceſſaria ſit nobis doctrinæ aſſiduitas: neque enim in hoc tantum ordinati

ſunt doctores ut uno die vel menſe homines adducant ad fidem Chriſti, ſed ut fidem inchoatam perficiant. Cæterum quod ſibi Paulus adſcribit quod Spi- 1 Cor. 14. verſ. 16 ritus ſancti proprium eſſe alibi prædicat: hoc ad miniſterium reſtringere oportet. Porro quum hominis miniſterium inferius ſit Spiritus efficacia, & illi (ut vulgo loquuntur) ſubalternum, nihil ea ea imminuit. Quum dicit ſe *die ac nocte* pluſquam abunde fuiſſe precatum: ea his colligi puteſt quam aſſiduus fuerit in orando Deo, & quam ardenter ac ſerio id fecerit.

11. Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus viam noſtram ad vos dirigat.

12. Vos autem Dominus impleat & abundare faciat charitate mutua inter vos & erga omnes: quemadmodum & nos ipſi affecti ſumus erga vos.

13. Ut confirmet corda veſtra irreprehenſibilia, in ſanctitate coram Deo & Patre noſtro, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum omnibus ſanctis ejus.

11. *Ipſe autem Deus.*] Nunc precatur ut remotis Satanæ obſtaculis, Dominus viam ſibi aperiat, & quodammodo dux ſit ac rector itineris ad Theſſalonicenſes. quo ſignificat nuſquam poſſe nos movere pedem cum ſucceſſu, niſi Dei auſpiciis: ubi tamen ipſe manum porrigit, Satanam fruſtra omnia moliri ut curſum noſtrum avertat. Notandum quod eaſdem Deo & Chriſto partes aſſignat: ut certe nihil bonorum nobis præſtat Pater quam per manum Chriſti. Sed quum ita de utroque pariter loquitur, communem Chriſti divinitatem & potentiam cum Patre eſſe docet.

12. *Vos autem Dominus.*] Altera precatio, ut interea dum obſtructum illi eſt iter, ſe tamen abſente, Dominus Theſſalonicenſes confirmet in ſanctitate, & charitate impleat. Atque hinc rurſum diſcimus in quo poſita ſit Chriſtianæ vitæ perfectio, nempe in charitate & pura ſanctitate cordis quæ ex fide manat. Charitatem illis mutuam primo inter ſe commendat, deinde erga omnes: nam ut initium fieri decet à domeſticis fidei, ita diffundere ſe animus noſter debet ad univerſum humanum genus. Deinde ut colenda eſt propior conjunctio, ita præterire non debemus eos qui procul ſunt diſſiti, quin ipſi in ſuum ordinem veniant. Vult abundare & impleri Theſſalonicenſes charitate: quia quantum proficimus in Dei notitia, creſcere ſimul debet in nobis fratrum amor, donec perverſo noſtri amore profligato, totum cor occupet. Theſſalonicenſibus precatur à Deo charitatem perfectam: ſignificans tam ejus incrementa, quam initium ab uno Deo eſſe. Unde apparet quam præpoſtere faciant qui vires noſtras Legis divinæ 1 Tim. 1. verſ. 5. præceptis metiuntur. Finis Legis, charitas, inquit Paulus: idem tamen Dei opus aſſerit. Ergo Deus quum vitam noſtram format, non reſpicit quid poſſimus, ſed quod ſupra vires noſtras eſt, à nobis exigit: ut à ſe petere diſcamus præſtandi facultatem. Quum dicit, *quemadmodum & nos ipſi erga vos*, ſuo exemplo eos ſtimulat.

13. *Ut confirmet corda veſtra.*] Corda hic pro Conſcientia poſuit, vel intima animæ parte: ſignificat enim ita placere demum hominem Deo, ſi cordis ſanctitatem, id eſt, non externam modo, ſed interiorem adfert. Sed quæritur an ſanctitate ſtemus apud Dei tribunal: nam ſi ita eſt, quorſum remiſſio peccatorum? atqui hoc videntur innuere Pauli verba, Ut ſint irreprehenſibiles conſcientiæ in ſanctitate. Reſpondeo, non excludi à Paulo remiſſionem peccatorum, qua fit ut ſanctitas noſtra quæ alioqui aſperſa eſt multis inquinamentis, Dei conſpectum ſuſtineat: ſemper enim fides, qua placatur nobis Deus ut vitiis noſtris ignoſcat, reliqua omnia præcedit: ſicuti fundamentum prius ædificio eſt. Cæterum non docet Paulus qualis in hoc mundo, vel quanta poſſit eſſe fidelium ſanctitas: ſed eam cupit augeri, donec evadat in ſuam perfectionem. Ideo dicit, *in adventu Domini:* ſignificans eouſque differri eorum complementum quæ nunc in nobis Dominus inchoat. *Cum omnibus ſanctis.* Bifariam exponi poteſt hæc particula: vel ut pura habeant corda Theſſalonicenſes, cum omnibus ſanctis, in Chriſti adventu: vel quod Chriſtus venturus ſit cum ſanctis ſuis. Tametſi hoc ſecundum recipio, quod ad verborum ſyntaxin pertinet: non tamen dubito quin ſanctos ideo nominaverit Paulus, ut admoneret nos in eum finem vocari à Chriſto, ut cum omnibus ſanctis colligamur: hæc enim cogitatio ſtudium ſanctitatis acuere in nobis debet.

Cap. IV.

Ergo quod reliquum eſt, fratres, rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ut abundetis magis:

2. Noſtis enim quæ præcepta dederimus vobis per Dominum Jeſum.

3. Hæc enim eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut vos abſtineatis ab omni ſcortatione,

4. Et ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore:

5. Non in affectu concupiſcentiæ, quemadmodum & Gentes quæ non noverunt Deum.

1. *Quod reliquum eſt.*] Hoc caput varias præceptiones continet: quibus Theſſalonicenſes ad ſanctam vitam inſtituit, vel in ejus ſtudio confirmat. Prius didicerant quænam eſſet pie vivendi regula & ratio: hoc illis in memoriam revocat: Quemadmodum, inquit, edocti eſtis. Porro ne videatur illis adimere quod dederat, non ſimpliciter hortatur ut ſic ambulent, ſed ut abundent magis. Quum ergo profectum urget, innuit jam eos in via eſſe. Summa eſt, hoc in primis curandum, ut in ſuſcepta doctrina proficiant: quam Paulus videtur frivolis & inanibus ſtudiis opponere, quibus videmus bonam mundi partem adeo ut plurimum occupari, ut via poſtremum locum teneat utilis ſanctaque vitæ rite formandæ meditatio. Admonet ergo Paulus quomodo inſtituti fuerint, atque huc toto ſtudio jubet eniti. Porro hic nobis lex præſcribitur, ut obliviſcentes quæ retro ſunt, ſemper tendamus ad ulteriorem progreſſum: atque huc ſimul incumbere Paſtores debent. Quod autem rogat quum jure imperare poſſit, humanitatis ac modeſtiæ eſt: quam imitari debent Paſtores, ut comiter, ſi fieri poteſt, populum alliciant magis quam violenter cogant.

3. *Hæc enim eſt voluntas Dei.*] Hæc generalis eſt doctri-

doctrina, ex qua tanquam fonte, particulares admonitiones ſtatim deducit. Quum dicit hanc eſſe Dei voluntatem, ſignificat nos hoc conſilio vocatos à Deo eſſe: acſi diceret, In hoc eſtis Chriſtiani, huc tendit Euangelium, ut vos ſanctificetis Deo. Quid valeat nomen *ſanctificationis*, jam alibi ſæpius dictum eſt: nempe ut renunciantes mundo, & carnis inquinamentis exuti, nos Deo velut in ſacrificium offeramus. nihil enim illi offerri decet, niſi purum ac ſanctum. *Ut abſtineatis*. Hæc una præceptio eſt quam ex proximo fonte derivat. ſanctitati enim nihil magis contrarium eſt quam ſcortandi fœditas, quæ totum hominem polluit. Ideo affectum concupiſcentiæ ad Gentes ablegat quæ Deum ignorant: acſi diceret, ubi regnat Dei cognitio, domari oportere concupiſcentias. Per *affectum concupiſcentiæ*, fœdas omnes carnis libidines deſignat: ſed tamen hoc modo inſamat deſideria omnia quæ nos ad voluptatem & delicias ſollicitant, ſicuti ad Romanos capite 13. v. 14. carnis haberi curam vetat pro ejus concupiſcentia. Nam ubi ſibi appetere homines permittunt, nullus eſt modus laſciviæ. Quare hæc una temperantiæ ratio eſt, cupiditates omnes frenare. Particulam hanc, *Et ſciat unuſquiſque veſtrum ſuum vas poſſidere*, nonnulli de uxore exponunt: acſi dictum eſſet, Mariti cum uxoribus pudice habitent. Sed quum promiſcue alloquatur viros & mulieres, non dubium eſt quin Vas pro corpore accipiat. Eſt enim ſuum cuique corpus veluti domicilium in quo habitat: vult ergo ut corpus noſtrum ab omni fœditate purum ſervemus. *Et honore*, id eſt, honeſte: quia corpus ſuum probro & macula aſpergit qui ipſum proſtituit ad ſcortationem.

6. Ne quis opprimat vel circumveniat in negotio fratrem ſuum: quia vindex erit Dominus iſtorum, quemadmodum & prædiximus vobis, & obteſtati ſumus.

7. Non enim vocavit nos Deus ad immunditiam, ſed ad ſanctificationem.

8. Itaque qui boc repudiat, non hominem repudiat, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nos.

6. *Ne quis opprimat.*] Alia exhortatio quæ tanquam rivus ex ſanctificationis doctrina ducitur. Vult, inquit, Deus nos ſanctificare, nè quis fratri ſuo injuriam inſerat. Nam quod Chryſoſtomus ſententiam hanc convertit cum priore: & ἐν τῷ πράγματι exponit, alienis uxoribus inhiare, & eas appetere: nimis coactum eſt. Poſtquam ergo unum immunditiei exemplum in laſciviis & libidine attigit Paulus, hanc quoque docet ſanctitatis partem eſſe, ut juſte & innocenter agamus cum proximis. Prius verbum ad violentas oppreſſiones refertur: ubi qui potentior eſt, audaciam ſumit ad nocendum. Alterum immodicas omnes & injuſtas cupiditates ſub ſe continet. Quum autem homines ſibi ut plurimum in libidine & avaritia indulgeant, revocat illis in memoriam quod prius docuerat: Deum ſcilicet horum fore ultorem. Notandum vero quod dicit, *Obteſtati ſumus.* tanta enim eſt hominum tarditas, ut niſi acriter perculſi, nullo divini judicii ſenſu tangantur.

7. *Non enim vocavit.*] Videtur eadem eſſe hæc ſententia cum ſuperiore, quod Dei voluntas ſit noſtra ſanctificatio: paulum tamen differt. Nam ubi de corrigendis carnis vitiis diſſeruit, Deum hoc velle probat à fine vocationis. nos enim quaſi in peculium ſibi ſegregat. Rurſum quod Deus nos ad ſanctitatem vocet, probat à contrariis, quia ab immunditia nos eripit ac revocat. unde concludit, Quicunque hanc doctrinam repudiant, non homines repudiare, ſed Deum vocationis ſcilicet auctorem, quæ tota concidit everſo de vitæ novitate principio. Ideo autem tam vehementer inſurgit, quia ſemper ſunt protervi homines, qui quum ſecure Deum contemnant, minas omnes ſubſannant judicii ejus, & ſimul omnia ſanctæ ac piæ vitæ præcepta ludibrio habent. Tales docendi non ſunt, ſed ſevera objurgatione tanquam ictu mallei feriendi.

8. *Qui etiam dedit.*] Quo melius à tali contemptu & pervicacia revocet Theſſalonicenſes, Spiritu Dei præditos eſſe admonet, quo diſcernant primum quid à Deo ſit: deinde inter ſanctitatem & immunditiam diſcrimen quale oportet ſtatuant: tertio judicium cæleſti auctoritate ferant contra omne inquinamenti genus, quod in ipſorum capita recidet, niſi alieni ſint à contagio. Ergo utcunque impii quæcunque de ſancta vita & timore Dei docentur, rideant, qui donati ſunt Spiritu Dei longe aliud teſtimonium habent in cordibus ſuis obſignatum. Cavendum igitur ne illud extinguant vel obliterent. Quanquam ad Paulum & reliquos doctores referri hoc poteſt, acſi dixiſſet eos non ex humano ſenſu immunditiem damnare, ſed ex Dei auctoritate pronunciare quod ab ejus Spiritu dictatum eſt: ego tamen libenter utroſque complector. Quædam exemplaria pronomen habent ſecundæ perſonæ, Vos, quod ad Theſſalonicenſes donum Spiritus reſtringit.

9. De fraterno autem amore non opus habetis ut ſcribam vobis: ipſi enim vos à Deo eſtis edocti, ut diligatis invicem.

10. Etenim hoc facitis erga omnes fratres qui ſunt in tota Macedonia. hortamur autem vos, fratres, ut abundetis magis:

11. Et altius contendatis ut colatis quietem, & agatis res veſtras, & laboretis manibus veſtris, quemadmodum vobis denunciavimus:

12. Ut ambuletis decenter erga extraneos, & nulla re opus babeatis.

9. *De fraterno autem.*] Quum prius magnifice extulerit eorum charitatem, nunc occupatione utitur, dicens, *Non opus habetis ut ſcribam vobis.* Reddit cauſam, *quia divinitus edocti ſint:* quo ſignificat inſculptam eſſe eorum cordibus charitatem, ut ſupervacuæ ſint literæ in charta ſcriptæ. Neq; enim tantum intelligit quod Joannes in ſua Canonica, Unctio docebit vos: ſed formata eſſe eorum corda ad charitatem, ut appareat Spiritum ſanctum intus dictare cum effectu quid agendum ſit, ut ſcripto præcipere non ſit opus. Subjicit argumentum à majori ad minus. nam quum eorum charitas per totam Macedoniam ſe diffundat, colligit non eſſe dubitandum quin ipſi mutuo inter ſe ament. Quare particula *etenim* valet Quin etiam, vel Imo: augendi enim cauſa (ut dixi) eam addidit.

10. *Hortamur autem.*] Quanquam ſatis voluntarios eſſe teſtatur ad omnia charitatis officia, non tamen deſinit hortari ut proficiant, quia nihil in hominibus perfectum. & certe quod optimum in nobis apparet, optandum eſt ut ſit melius. Verbum φιλοτιμεῖσθαι alii ſequentibus conjungunt, acſi juberet eos eniti ad colendam quietem: ſed aptius cum priori verbo cohæret. Poſtquam enim admonuit ut creſcant in charitate, ſanctam æmulationem illis commendat,

dat, ut mutuo inter ſe amore cerient: vel certe præcipit ut ſeipſum unuſquiſque vincere contendat. atque hoc poſterius magis amplector. Ergo ut perfecta ſit eorum charitas, contentionem in illis requirit, qualis eſſe in iis ſolet qui ad victoriam cupide aſpirant. Hæc optima eſt æmulatio, quum ſinguli benefaciendo, ſeipſos vincere conantur. Cur eorum ſententiæ non ſubſcribam, qui exponunt, Enitamini quietem agere, hæc una ratio ſatis valida mihi eſſe videtur, quod Paulus non poſuiſſet in re minus difficili tam arduum certamen: quod ad profectum charitatis optime congruit, ubi tot obſtacula ſe ingerunt. Neque enim diſplicet altera verbi ſignificatio, Ut ſiot in commune liberales.

11. *Colatis quietem.*] Jam dixi hoc membrum ſeparandum eſſe à prioribus. nam hæc nova ſententia eſt. Quieſcere autem hoc loco ſignificat placide & ſine tumultu agere: quemadmodum etiam Gallice loquimur, *ſans bruit.* In ſumma, jubet eos pacatos eſſe & tranquillos. huc pertinet quod continuo poſt adjungit, *& agatis res veſtras.* Videre enim eſt eos qui ſe in aliena negotia importune ingeruot, multum tumultuari, ſibique & aliis moleſtos eſſe. Hæc igitur optima tranquillæ vitæ ratio, dum unuſquiſque vocationis ſuæ officiis intentus, exequitur quæ ſibi à Domino mandata ſunt, & in iis ſe occupat: dum agricola ſe in operibus ruſticis exercet, opifex artem ſuam tractat: atque ita ſinguli intra proprios fines ſe continent. Simulatque hinc deflectunt homines, omnia incompoſita ſunt ac turbulenta. Cæterum non ita vult ſingulos agere ſua ut ſibi quiſque ſeorſum vivat, omiſſa aliorum cura: ſed tantum otioſam levitatem corrigere vult, quæ tumultuoſos in publicum homines reddit qui domi ſedatam vitam agere debebant. *Laboretis manibus.* Manuarium laborem duabus de cauſis commendat: ut ſibi ſufficiant ad tolerandam vitam, & honeſte ſe gerant etiam coram infidelibus. Nihil enim turpius inerti ac nihili homine, qui nec ſibi nec aliis utilis, tantum ad edendum & bibendum natus videtur. Porro hic labor vel operandi ratio late patet: quod enim de manibus loquitur, in eo eſt ſynecdoche: ſed non dubium quin omnem exercitatiooem comprehendat humanæ vitæ utilem.

13. Nolo autem vos ignorare, fratres, de iis qui obdormierunt, ut ne contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent

14. Nam ſi eredimus quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Chriſtum, adducet cum eo.

13. *Nolo autem vos.*] Non eſt veriſimile ſpem reſurrectionis convulſam fuiſſe apud Theſſalonicenſes à profanis hominibus: quemadmodum Coriothi factum fuerat. Videmus enim ut Corinthios ſevere caſtiget: hic autem tanquam de re non dubia loquitur. fieri tamen poteſt ut non ſatis infixa eorum animis fuerit hæc perſuaſio: atque ideo in lugendis mortuis aliquid ex veteri ſuperſtitione retinuerint. Hæc enim eſt ſumma, non eſſe lugendos ultra modum mortuos, quia ſimus omnes excitandi. Unde enim fit ut nullum finem nec modum habeat infidelium luctus, niſi quia nulla apud eos reſurrectionis ſpes eſt? Nos ergo qui de reſurrectione edocti ſumus, nonniſi moderate lugere decet. Poſtea de modo reſurrectionis diſſeret: propterea aliquid attinget de temporibus. Sed hoc loco tantum cohibere nimium mœrorem voluit, qui nunquam ita apud eos regnaſſet, ſi viguiſſet ſeria reſurrectionis cogitatio & memoria. Non autem prorſus lugere vetat, ſed moderationem requirit in luctu: dicit enim, *Ut ne contriſtemini, ſicut alii qui ſpem non habent.* More infidelium eos triſtari vetat, qui frena dolori laxant: quia mortem habent pro ultimo ioteritu, & perire exiſtimant quicquid è mundo tollitur. Quum autem ſciant fideles ſe ex mundo migrare, ut tandem colligantur in regnum Dei, ſimilem lugendi cauſam non habent: quare doloris temperamentum eſſe debet reſurrectionis cognitio. Dormientes vocat mortuos, communi Scripturæ more. quo verbo mortis acerbitas mitigatur: multum enim differt ab interitu dormitio. Cæterum non ad animam, ſed corpus refertur: jacet enim in ſepulchro cadaver, quaſi in lecto, donec hominem Deus excitet. Itaque deſipiunt qui inde colligunt animas dormire. Tenemus nunc Pauli mentem: nempe quod fidelium mentes ad conſiderandam reſurrectionem attollit, ne in ſuorum morte nimio mœrori indulgeant: abſurdum enim eſſe ut nihil differant ab infidelibus, qui ideo oullum adhibent mœrori finem vel modum, quia in morte nihil niſi interitum agooſcunt. Qui hoc teſtimonio abutuntur, ut Stoicam indolentiam, hoc eſt, ferream duritiem ſtatuant inter Chriſtianos, nihil tale reperient in Pauli verbis. Quod objiciunt dolendum non eſſe in morte noſtrorum, ne Deo reſiſtamus, id in omnibus rebus adverſis valeret: ſed aliud eſt frenare dolorem noſtrum ut ſubjiciatur Deo, aliud abjecto humano ſenſu, inſtar lapidum obdureſcere. Sit ergo piorum dolor conſolatione miſtus, quæ eos ad patientiam erudiat. Id efficiet ſpes beatæ immortalitatis, quæ patientiæ mater eſt.

14. *Nam ſi credimus.*] Illud fidei noſtræ axioma ſumit, Ideo excitatum eſſe Chriſtum à mortuis, ut ejuſdem ſimus reſurrectionis participes: unde infert, nos cum eo æternum victuros. Hæc porro doctrina (quemadmodum prioris ad Corinthios capite 15. v. 13. dictum eſt) ex alio principio pendet, quod non ſibi Chriſtus, ſed nobis mortuus eſt ac reſurrexit. Proinde qui de reſurrectione dubitant, magnam faciunt Chriſto injuriam: imo quodammodo ipſum è cælo detrahunt, quemadmodum ad Romanos cap. 10. v. 6. habetur. *Dormire per Chriſtum*, eſt retinere in morte conjunctionem quam habemus cum Chriſto: nam qui fide in Chriſtum inſerti ſunt, mortem cum eo communem habent, ut ſint vitæ ſocii. Quæritur autem annon reſurrecturi etiam ſint infideles: nam reſurrectiooem Paulus non aſſerit niſi in Chriſti membris. Reſpondeo, Paulum non aliud hic attingere niſi quod præſeoti inſtituto congruebat. Neque enim hic terrendi erant impii, ſed corrigendus piorum immodicus dolor, ac ſanandus conſolationis medicina, ut facit.

15 Hoc enim vobis dicimus in ſermone Domini, quod nos qui vivemus & ſuperſtites erimus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.

16. Quoniam ipſe Dominus cum clamore, cum voce Archangeli & tuba Dei deſcendet è cælo, ac mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primum:

17. Deinde nos qui vivemus, ac reſidui erimus, ſimul cum ipſis rapiemur in nubibus, in occurſum Domini in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus.

18. Itaque conſolamini vos mutuo in ſermonibus iſtis.

15. *Hoc enim vobis* &c.] Modum nunc brevitet deſcribit quo excitandi ſunt fideles ex morte. Quum autem de re maxima & humano ingenio incredibili verba facit, & ſimul promittit quod eſt ſupra hominum poteſtatem & arbitrium: præfatut nihil ſe proferre ſuum vel bumanum, ſed Dominum eſſe auctorem. Probabile autem eſt, *ſermonem Domini* vocari, ſumptum ex ejus concionibus. Tametſi enim ex revelatione didicerat Paulus omnia regni cæleſtis arcana: boc tamen ad fidem reſurrectionis adſtruendam aptius erat apud fideles, quum referret quæ proprio Cbriſti ore prodita fuerant: acſi diceret, Non primi extitimus teſurrectionis teſtes, ſed Magiſter ipſe eam aſſeruit. *Nos qui vivemus.* Hoc ideo dictum eſt, ne putarent eos ſolos reſurrectionis fore compotes qui uſque ad Cbriſti adventum ſuperſtites forent: alienos vero ab ea eſſe qui prius morte ſublati eſſent. Ab illis, inquit, reſurrectionis ordo incipiet: non ergo ſine illis teſurgemus. Hinc apparet tenuem & obſcuram, variiſque erroribus implicitam fuiſſe fidem ultimæ reſurrectionis apud nonnullos, quum fingerent mortuos ea privatos eſſe. Vitam enim æternam ad eos ſolos pertinere imaginabantur, quos Cbriſtus ultimo adventu vivos adhuc in terris deprehenderet. His erroribus ut medeatur Paulus, priorem mortuis ordinem aſſignat: deinde ſequuturos docet qui tunc in vita hac reſtabunt. Quod autem in prima perſona loquens, ſe quaſi unum facit ex eorum numero qui uſque ad diem extremum victuri ſunt: eo vult Theſſalonicenſes in expectationem erigere, adeoque pios omnes tenere ſuſpenſos, ne ſibi tempus aliquod promittant. Nam ut demus ipſum ex peculiari revelatione ſciviſſe venturum aliquanto ſerius Chriſtum: banc tamen Eccleſiæ communem doctrinam tradi oportuit, ut fideles omnibus boris parati eſſent. Interea ſimul anſam curioſitati multorum præcidi oportuit: quod prolixius deinde faciet. Cæterum quum dicit, Nos qui ſumus ſuperſtites, tempus præſens loco futuri, more Hebraico uſurpat.

16. *Quoniam ipſe Dominus.*] Ponit vocem *κελεύσματος*: mox ſubjungit *vocem Archangeli*, expoſitionis vice, ſignificans qualis futurus ſit ille bortatorius clamor: nempe quod Archangelus præconis fungetur officio, ut citet vivos & mortuos ad Chriſti tribunal. Quanquam enim hoc Angelis omnibus commune erit, tamen ut in ordinibus fieri ſolet, primarium unum ſtatuit qui aliis præcinat. Cæterum de *tuba* relinquo aliis ſubtiliuſ diſſerendum: neque enim aliud habeo, quam quod in priorem ad Corintbios breviter attigi. Certe non aliud fuit boc loco Apoſtoli conſilium, quam magnificam & reverentiæ plenam Judicis ſpeciem guſtandam præbere, donec eam plene cernamus. Hoc guſtu interea contentos eſſe nos decet. *Mortui qui in Chriſto.* Iterum aſſerit mortuos qui in Chriſto ſunt, hoc eſt, in Chriſti corpore continentut, priores reſurrecturos: ut ſciamus non illis minus quam vivis repoſitam eſſe in cælo ſpem vitæ. De reprobis tacet, quia nihil hoc ad piorum conſolationem in qua nunc verſatur. Superſtites dicit cum illis ſimul raptum iri. in bis nulla mortis mentio: quate innuere videtur mortis fore expertes. Hic multum ſe torquet Auguſtinus, tum libro De civitate viceſimo, tum in reſponſione ad Dulcitium: quia ſecum pugnare videatur Paulus, qui alibi negat renaſci poſſe ſemen niſi moriatut. 1 Cor. 15.
Verum ſolutio facilis eſt: quia ſubita immutatio, vers. 36.
mortis inſtar erit. Mors quidem ordinaria, ſeparatio eſt animæ à corpore. Verum nihil obſtat quominus aboleat Dominus momento corruptibilem hanc naturam, ut novam ſua virtute creet: ſic enim impletur quod fieri oportere idem Paulus docet, ut abſor- 2 Cor. 5.
beatur mortalitas à vita. vers. 4.
Quod in confeſſione noſtra habetur, Cbriſtum judicem mortuorum fore ac vivorum, Auguſtinus ſine figura verum eſſe agnoſcit: tantum in illo ſcrupulo bæret, quomodo reſurgant qui non ſunt mortui. Verum (ut dixi) illa eſt mortis ſpecies, dum in nihilum redigitur hæc caro, ut nunc eſt corruptioni obnoxia. Tantum boc eſt diſcrimen, quod qui dormiunt aliquo temporis ſpatio, corporis exuunt ſubſtantiam: qui autem ſubito innovabuntur, nonniſi qualitatem exuent.

17. *Et ſic ſemper.*] Semel ad Cbriſtum aggregatis promittit æternam cum eo vitam. quibus verbis abunde Origenis & Cbiliaſtarum deliria refutantur. Neque enim alium finem habitura eſt fidelium vita quam Cbriſti, ex quo ſemel in unum regnum collecti fuerint. Chriſto autem mille annos tribuere, ut poſtea regnare deſinat, pluſquam horrendum dictu eſt. Atqui in hanc abſurditatem cadunt qui mille annis terminant fidelium vitam: quia vivere eos cum Chriſto oportet quamdiu erit Chriſtus ipſe. Notandum etiam quod dicit, *Erimus*: nam ſignificat tunc nos vitam æternam utiliter ſperare, quum nobis ſperamus proprie eſſe deſtinatam.

18. *Conſolamini.*] Apertius jam demonſtrat quod prius dixi, in fide reſurrectionis eſſe nobis juſtam conſolationis materiam: modo Cbriſti ſimus membra, & illi tanquam capiti noſtro vere uniti ſimus. Quanquam Apoſtolus non modo unumquemque ſibi quærere doloris ſolatium jubet, ſed aliis etiam miniſtrare.

CAP. V.

PORro de temporibus & articulis temporum, non opus habetis ut vobis ſcribatur:
2. Ipſi enim optime ſcitis quod dies Domini tanquam fur in nocte, ſic veniet.
3. Quando enim dixerint, Pax & ſecuritas: tunc repentinus ipſis ſuperveniet
interitus, quaſi dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient.
4. Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, ut dies ille vos quaſi fur opprimat.
5. Omnes vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum.

1. *Porro de temporibus.*] Nunc tertio loco eos à curioſa & inutili temporum inquiſitione retrahit: interea vero admonet ot aſſidue ad Chriſtum excipiendum ſint parati. Quanquam occupatione utitur, opus eſſe negans de illis ſcribi quæ curioſi bomines deſiderant. Nam hoc nimiæ incredulitatis ſignum, non credere quæ Dominus prædicit, niſi diem certis circumſtantiis deſignet, ac veluti digito oſtendat. Quia ergo inter ambiguas opiniones vacillant qui ſibi flagitant notari temporum atticulos, acſi ex probabili demonſtratione conjecturam capere vellent, ideo piis ſupervacuas ejuſmodi diſputationes eſſe dicit. Alia etiam ratio eſt, quod fideles non plus ſcire appetunt, quam in Dei ſchola diſcere licet. diem porro adventus ſui nobis eſſe abſconditum voluit Chriſtus, ut ſuſpenſi quaſi in excubiis ſtemus.

2. *Optime ſcitis.*] Exactam notitiam opponit anxio inveſtigandi ſtudio. Quid autem Theſſalonicenſes probe tenere aſſerit? nempe diem Chriſti repente & ex inſperato venturum, ut incredulos, quaſi fur dormienter, opprimat. Hoc autem contrarium eſt evidentibus ſignis, quæ ejus adventum mundo eminus oſtentent: ſtultum ergo eſſet, ex præſagiis vel oſtentis velle ſtatum habere tempus.

3. *Quando*

Digitized by Google

3. *Quando enim dixerint.*] Explicatio ſimilitudinis: ſimilis erit dies Domini furi nocturno. Cur hoc? quia minime expectatus ſubito incredulis adveniet, ut eos quaſi dormientes occupet. Unde autem dormitio? nempe ex alto Dei contemptu. Supinam hanc oſcitantiam ſæpe impiis exprobrant Prophetæ: & certe non extremum modo illud judicium, ſed quotidiana ſecure expectant. Quamvis Dominus exitium denunciet, pacem & omnia proſpera ſibi polliceri non dubitant. Atque in hanc exitialem ſocordiam ideo labuntur, quia non ſtatim quæ Dominus futura pronunciat, impleri vident: ſtatuunt enim fabuloſum eſſe quod non mox oculis apparet. Ideo Dominus, ut hanc ſecuritatem contumaciæ plenam vindicet, ſubito irruit: & ex ſumma felicitate impios præter ſpem omnium præcipitat. Talia interdum repentini adventus documenta edit: ſed præcipuum erit illud, quum Chriſtus ad judicandum orbem deſcendet.
Mat. 24. Quod ipſe etiam teſtatur, tempus illud ſeculo Noë comparans: quia tanquam in altiſſima pace luxuriabuntur omnes. *Quaſi dolor partus.* Aptiſſima ſimilitudo: quia nullum malum eſt quod magis repente corripiat, & quod acrius & infeſtius primo ſtatim impetu urgeat. Adde quod *mulier prægnans* doloris materiam intus in utero geſtat abſque ſenſu, donec inter epulas & riſus, vel in medio ſomno corripitur.

4. *Vos autem, fratres.*] Nunc quale ſit fidelium officium admonet: ut ſcilicet diem illum quamvis remotum, ſpe aſpiciant. Atque huc pertinet metaphora *diei* & *lucis.* impios ſecure deliciantes opprimet Chriſti adventus, quia tenebris obruti, nihil cernunt: nulla enim denſior caligo quam Dei ignorantia. At nos quibus per Euangelii ſui fidem Chriſtus illuxit, multum ab illis differimus: vere enim impletur in nobis illud Jeſaiæ, quod dum tenebræ Jeſa 60.
operiunt terram, ſuper nos oritur Dominus, & gloria ejus in nobis conſpicua eſt. vers. 1. Abſurdum ergo eſſe admonet, nos velut ſopitos à Chriſto deprehendi, vel nihil videntes, quum plena lux nobis affulgeat. *Filios lucis* appellat, more Hebraico, luce præditos: ſicut filios diei, qui die fruuntur. Atque hoc rurſum confirmat, quum dicit, nos non eſſe *noctis vel tenebrarum:* quia ſcilicet Dominus nos inde eripuit. Perinde enim eſt acſi diceret, non eſſe nos hac conditione illuminatos à Domino ut in tenebris erremus.

6. Ergo ne dormiamus ut reliqui, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.
7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.
8. Nos autem qui ſumus diei, ſobrii ſimus, induti thorace fidei & charitatis, & galea, ſpe ſalutis:
9. Quia non conſtituit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:
10. Qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum ipſo vivamus.

6. *Ergo ne dormiamus.*] Alias metaphoras adjungit priori affines. Sicut enim nuper oſtendit minime conſentaneum eſſe ut in luce cæcutiant, ſic nunc admonet indecorum ac turpe eſſe, dormire medio die, aut inebriari. Quemadmodum vero Euangelii doctrinam qua nobis Sol juſtitiæ Chriſtus patefit, diem appellat: ita quum de ſomno & ebrietate loquitur, non ſomnum naturalem, neque ebrietatem ex vino intelligit, ſed mentis ſtuporem: quum Deum & nos ipſos obliti, ſecure vitiis noſtris indulgemus. Ne dormiamus, inquit: hoc eſt, ne in ſocordiam demerſi, obſtupeſcamus in mundo, quemadmodum reliqui: hoc eſt, infideles, quibus ignorantia Dei inſtar obſcuræ noctis, ſenſum & rationem adimit. *Sed vigilemus*, hoc eſt, intento animo reſpiciamus in Dominum. *Et ſobrii ſimus*: hoc eſt, abjectis hujus mundi curis quæ onere ſuo nos degravant, excuſſis pravis cupiditatibus, ſoluti & alacres tendamus in cælum. Hæc enim ſpiritualis eſt ſobrietas, dum ita parce & continenter utimur hoc mundo, ne ejus illecebris ſimus impliciti.

8. *Induti thorace.*] Hoc addit quo melius torporem nobis excuteret: nam veluti ad arma conclamat, ut oſtendat non eſſe dormiendi tempus. Belli quidem nomen ſubticet; verum dum nos armat thorace & galea, præliandum eſſe admonet. Quare quiſquis opprimi ab hoſte timet, expergefieri debet, ut ſit aſſidue in excubiis. Sicuti ergo hortatus eſt ad vigilantiam, eo quod Euangelii doctrina ſit inſtar diurnæ lucis: ita nunc altero argumento nos excitat, quia bellandum ſit cum hoſte. unde ſequitur, nimis periculoſam eſſe ſegnitiem. Videmus enim ut milites, etiamſi alioqui ſint intemperantes, propinquo tamen hoſte, exitii metu à crapula & deliciis omnibus ſe abſtineant, & ſedulo excubent ad cavendum. Quum ergo ſemper nobis inſtet Satan, & mille pericula intentet, ſaltem non minus ſedulos & vigilantes eſſe oportet. Cæterum in armorum nominibus, fruſtra à quibuſdam ſubtilior quæritur interpretatio: nam hic Paulus aliter loquitur, quam ad Epheſios capite 6. v. 17. illic enim juſtitiam, thoracem facit. Hoc ergo ad tenendam ejus mentem ſufficiet, quod docere vult, Chriſtianorum vitam ſimilem eſſe perpetuæ militiæ, quia Satan moleſtus & infenſus illis eſſe non deſinit. Sedulo itaque paratos & erectos ad reſiſtendum eſſe vult: deinde armis opus eſſe admonet, quia tam potentem hoſtem ſuſtinere nequeant, niſi bene muniti. [illegible] veró hic non enumerat: ſed tantum recenſet duas armaturæ partes, *thoracem* & *galeam.* Interea quod ad ſpiritualem munitionem ſpectat, nihil omittit: nam qui *fide, charitate,* & *ſpe* inſtructus eſt, nulla ex parte inermis deprehendetur.

9. *Quia non conſtituit.*] Quia de ſpe ſalutis loquutus erat, proſequitur illam partem: ac dicit nos huc deſtinatos eſſe à Deo ut ſalutem per Chriſtum conſequamur. Poſſet autem ſimpliciter locus exponi hoc modo, induendam eſſe ſalutis galeam, quia Deus nos perire nolit, ſed potius ſalvos eſſe. Et hoc quidem vult Paulus: ſed ulterius (meo judicio) tendit. Quia enim nobis ut plurimum formidoloſus eſt Chriſti dies, finem ejus mentione facere volens, nos in ſalutem conſtitutos eſſe dicit. Vox Græca [illegible], tam fruitionem (ut loquuntur) quam acquiſitionem ſignificat. Certe non intelligit Paulus nos à Deo vocatos eſſe ut comparemus nobis ſalutem: verum ut eam obtineamus, ſicuti acquiſita eſt per Chriſtum. Animat vero Paulus fideles ad ſtrenue pugnandum, propoſita victoriæ fiducia: nam ſemivictus eſt qui timide ac dubitanter pugnat. His ergo verbis trepidationem quæ ex diffidentia naſcitur, eximere voluit. Non aliunde autem melior ſalutis certitudo, quam ex decreto Dei colligi poteſt. *Ira* hoc loco, ut alibi, pro judicio aut vindicta Dei adverſus reprobos capitur.

10. *Qui mortuus eſt.*] A fine mortis Chriſti confirmat quod dixit. nam ſi ideo mortuus eſt ut nos participes faceret ſuæ vitæ, non eſt quod de ſalute noſtra ambigamus. Dubium tamen eſt quid nunc per ſomnium & vigilias intelligat: videri enim poſſet vitam & mortem deſignare, & hic ſenſus eſſet plenior. Quanquam de quotidiano ſomno non inepte etiam exponere liceat. Summa eſt, in hoc mortuum eſſe

Chri-

Chriſtum, ut ſua vita quæ perpetua eſt, & fine caret, nos donaret. Porro non mirum eſt quod jam nunc affirmat nos cum Chriſto vivere: quia fide in regnum Chriſti ingreſſi, tranſimus à morte in vitam: Chriſtus ipſe in cujus corpus inſiti ſumus, ſua virtute nos vivificat: & Spiritus qui in nobis habitat, vita eſt propter juſtitiam.

11. Quare * exhortamini vos invicem, & ædificate ſinguli ſingulos, ſicut & facitis. * vel, *conſolamini.*
12. Rogamus autem vos, fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant in vobis, & præſunt vobis in Domino, & admonent vos:
13. Ut eos habeatis in ſummo pretio cum charitate propter opus ipſorum: pacem habete * cum ipſis. * vel, *inter vos.*
14. Hortamur autem vos, fratres, monete inordinatos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote erga omnes.

11. *Exhortamini.*] Idem eſt verbum quod habuimus in fine proximi capitis: quod illic Conſolari vertimus, quia contextus id exigebat. nec male etiam huic loco eadem ſignificatio quadraret. Nam quæ hactenus tractavit, utriuſque materiam ſuppeditant, tam conſolationis quam exhortationis. Quod ergo illis datur à Domino, inter ſe communicare jubet. Addit, ut ſe *ædificent:* hoc eſt, confirment in ea doctrina. Sed ne videatur eorum negligentiam perſtringere, ſimul dicit eos ſponte facere quod præcipit. Verum quæ noſtra eſt ad bonum ſegnities, qui optime omnium ſunt animati, ſtimulis tamen ſemper indigent.

12. *Rogamus autem.*] Admonitio valde neceſſaria. Quia enim parvi ducitur regnum Dei, vel ſaltem non æſtimatur pro ſua dignitate: hinc etiam ſequitur contemptus piorum doctorum. Plerique veru eorum hac ingratitudine offenſi, non tam quia ſe contemni vident, quam quod inde colligunt, non haberi Domino ſuo honorem, tepidiores redduntur. Et Deus etiam juſte mundum ulciſcitur, quod bonis miniſtris, quibus ingratus eſt, eum privat. Quare non tam miniſtrorum intereſt, quam totius Eccleſiæ, haberi in pretio eos qui fideliter præſunt. Atque hac de cauſa Paulus tam ſollicite ipſos commendat. *Agnoſcere* hic ſignificat Habere rationem aut reſpectum: ſed innuit Paulus ideo minus honoris exhiberi ipſis doctoribus quam deceat, quoniam vulgo non conſideratur eorum labor. Sed notandum eſt quibus titulis Paſtores deſignet. Primo dicit eos laborare: unde ſequitur è numero Paſtorum excludi omnes otioſos ventres. Porro ſpeciem laboris exprimit, quum addit, *qui vos admonent*, vel inſtituunt. Quicunque ergo munus docendi non obeunt, fruſtra ſe Paſtorum nomine venditant. Tales quidem Papa facile in ſuum catalogum recipit, ſed eos è ſuo expungit Spiritus Dei. Quia autem contemptim (ut dictum eſt) habentur in mundo, ſimul præfecturæ nomine illos ornat. Tales qui docendo impendunt operam, nec aliter præſunt niſi ut ſerviant Eccleſiæ, Paulus in pretio non vulgari haberi jubet. Nam ad verbum ſic loquitur, Pluſquam abunde honore proſequi. nec immerito: obſervanda enim eſt ratio quam mox ſubjicit, nempe *propter opus ipſorum* Eſt autem Opus hoc, ædificatio Eccleſiæ, æterna animarum ſalus, mundi reparatio, denique regnum Dei & Chriſti. Hujus operis inæſtimabilis eſt excellentia ac dignitas: ergo quos tantæ rei miniſtros facit Deus, nobis eximios eſſe oportet. Verum ex Pauli verbis colligere licet judicium Eccleſiæ mandari, ut veros Paſtores diſcernat. Nam fruſtra notæ iſtæ adſcriberentur, niſi vellet à fidelibus eas animadverti. Et quum jubet honorem deferri laborantibus, & iis qui docendo rite & fideliter gubernant: otioſos certe & improbos neque dignatur ullo honore, neque dignos eſſe oſtendit. *Præſunt in Domino.* Hoc additum videtur ad notandum ſpirituale regimen. Tametſi enim reges quoque & magiſtratus Dei ordinatione præſunt: quia tamen Eccleſiæ gubernationem Dominus peculiariter vult ſuam agnoſci, ideo nominatim *præeſſe in Domino* dicuntur qui Chriſti nomine & mandato Eccleſiam gubernant. Cæterum hinc colligere licet quantum abſint à Paſtorum ac Præſulum ordine qui tyrannidem à Chriſto prorſus alienam exercent. Certe ut quis inter legitimos Paſtores cenſeatur, neceſſe eſt ut ſe in Domino præeſſe oſtendat, nec ab eo quicquam habeat ſeparatum. Hoc autem quid aliud eſt quam pura doctrina Chriſtum in ſua ſede collocare, ut ſolus ſit Dominus & Magiſter?

13. *Cum charitate.*] Alii vertunt, Per charitatem. Paulus enim dicit, In charitate: quod ſecundum Hebraicæ linguæ phraſin valet Per aut Cum. Ego tamen malo ita exponere, quod non tantum ipſos revereri, ſed etiam amare jubeat. Nam ut amabilis eſt Euangelii doctrina, ſic ejus miniſtros diligere convenit. Durius autem eſſet illud, Per charitatem habere in pretio, quum apte cohæreat amoris cum honore conjunctio. *Pacem habete.* Quanquam hic locus varie legitur etiam apud Græcos, mihi tamen magis arridet ea lectio quam reddidit vetus Interpres, & ſequutus eſt Eraſmus: nempe Pacem habete cum eis, vel colite. Voluit enim (meo judicio) Paulus Satanæ artibus obviam ire, qui non ceſſat omnia moliri, ut vel jurgia, vel diſſidia, vel ſimultates excitet inter plebem & Paſtorem. Itaque quotidie videmus quam levi aut nulla de cauſa Eccleſiæ ſuis Paſtoribus ſint infenſæ: quia ſcilicet minus quam par ſit, viget hoc pacis colendæ ſtudium quod tantopere Paulus commendat.

14. *Monete inordinatos.*] Communis eſt doctrina, ut nobis curæ ſit fratrum ſalus. Id fit docendo, monendo, corrigendo, erigendo: ſed quoniam varia ſunt hominum ingenia, non abs re præcipit Apoſtolus ut ſe fideles ad hanc varietatem accommodent. Jubet ergo inordinatos moneri, hoc eſt, eos qui diſſolute vivunt. Et Monitio pro Objurgatione capitur, quæ eos in ordinem reducat: nam & digni ſunt majori ſeveritate, nec alio remedio adduci poſſunt ad reſipiſcentiam. Erga *puſillanimes* alia moderatio tenenda eſt: nam conſolatione opus habent. infirmi quoque ſunt ſublevandi. Puſillanimes autem vocat qui fracto ſunt & afflicto animo. His itaque *infirmis* ſic indulget, ut inordinatos durius compeſci velit. Rurſum ita inordinatos aſpere moneri jubet, ut infirmi comiter & humane tractentur, ut puſillanimes conſolationem accipiant. Fruſtra ergo qui præfracti ſunt & indomiti, blande ſe mulceri poſtulant: quoniam remedia morbis ſunt accommodanda. Patientiam tamen erga omnes commendat: nam ſeveritas quoque adverſus inordinatos aliqua lenitate temperanda eſt. Quanquam patientia hæc tædio proprie opponitur. nihil enim proclivius eſt, quam fatigari in curandis fratrum morbis. Qui ſemel atque iterum puſillanimem ſolatus eſt, ſi tertio idem agendum ſit, ſentiet neſcio quam moleſtiam, adeoque indignationem quæ eum in officio pergere non patitur. Ita ſi monendo vel objurgando non proficimus ſtatim quantum optandum eſſet, ſpem de ulteriore profectu abjicimus. Ejuſmodi patientiæ frenum injicere Paulus voluit, moderationem erga omnes nobis commendans.

15. Videte

Digitized by Google

15. Videte ne quis malum pro malo cuiquam reddat: ſed ſemper benignitatem ſectamini, & mutuam inter vos, & in omnes.
16. Semper gaudete.
17. Indeſinenter orate.
18. In omnibus gratias agite: hæc enim Dei voluntas in Chriſto Jeſu erga nos.
19. Spiritum ne extinguatis.
20. Prophetias ne contemnatis.
21. Omnia probate, quod bonum eſt tenete.
22. Ab omni ſpecie mala abſtinete.

15. *Videte ne quis.*] Quia difficilis eſt hujus præcepti obſervatio in tanta ingenii noſtri ad vindictam propenſione, ideo attentos ad cavendum eſſe jubet. Nam iſtud Videre, ſedulum ſtudium ſignificat. Tametſi autem ſimpliciter prohibet ne certent inter ſe injuriis: non tamen dubium quin omnes ſimul noxios affectus damnare voluerit. Nam ſi *malum malo reddere* fas non eſt, vitioſa eſt omnis nocendi cupiditas. Propria Chriſtianorum eſt hæc doctrina, non retaliare injurias, ſed æquo animo perferre. Ac ne putarent Theſſalonicenſes ultionem tantum adverſus fratres ſuos prohiberi: nominatim exprimit, Ne cuiquam male faciant. ſpecioſæ enim interdum excuſationes obtendi ſolent: Quid? illum adeo nequam, ſceleſtum & crudelem cur non liceat mihi ulciſci? Verum quia ultio ſine exceptione nobis interdicitur, qualiſcunque ſit is qui nos læſit, abſtinendum eſt à noxa. *Sed ſemper benignitatem.* Hoc poſteriore membro non tantum à vindicta abſtinendum eſſe docet, ſiquis nos læſerit: ſed colendam erga omnes beneficentiam. Etſi enim mutuam inter fideles primo eſſe vult, poſtea tamen ad omnes quamvis indignos, eam extendit: ut ſtudeamus malum bono vin-
Rom. 12. verſ. 21. cere, quemadmodum idem alibi docet. Primus ergo patientiæ gradus eſt non ulciſci injurias: ſecundus vero, etiam hoſtes beneficiis proſequi.

16. *Semper gaudete.*] Hoc ad moderationem animi refero, dum placide in rebus adverſis ſe retinet, neque frena dolori laxat. Ideo hæc tria ſimul connecto, *Semper gaudere*, *Indeſinenter orare*, & *Gratias Deo agere in omnibus.* Nam quum aſſiduas preces commendat, rationem oſtendit perpetuo gaudendi: quia hoc modo levationem in omnibus malis noſtris à Deo petimus. Sic ad Philipp. 4. v. 4. ubi dixit, Gaudere in Domino: iterum dico, gaudete. Moderatio veſtra nota ſit omnibus. Ne ſitis ſolliciti: Dominus prope eſt. poſtea rationem demonſtrat, Sed in omni precatione veſtræ poſtulationes innoteſcant Deo, cum gratiarum actione. Illic, ut videmus, cauſam gaudii ponit animum tranquillum ac ſedatum, qui vel injuriis, vel rebus adverſis ultra modum non turbetur. Cæterum ne dolor, triſtitia, anxietas, metus nos opprimant, jubet in providentiam Dei recumbere. Porro quia ſæpe obrepunt dubitationes, an curæ ſimus Deo: remedium quoque præſcribit, ut precando, noſtras ſollicitudines quaſi in ejus ſinum exoneremus, quemadmodum David Pſal. 37. v. 5. & 55. v. 23. præcipit, & ejus exemplo Petrus. Quia autem in votis nimium ſumus præcipites, temperamentum adſcribit, ut quæ deſunt expetentes, non tamen deſinamus gratias agere. Eandem ſeriem, licet paucioribus verbis, hic contexit. Nam primo loco, tanti vult à nobis æſtimari Dei beneficia, ut eorum agnitio & meditatio triſtitiam omnem ſuperet. Et ſane ſi reputamus quid nobis Chriſtus contulerit, nulla erit tanta doloris acerbitas quæ non leniatur, & locum cedat ſpirituali gaudio. Niſi enim regnet in nobis hoc gaudium, ſimul à nobis regnum Dei exulat, vel nos ab ipſo. Et valde ingratus eſt Deo, cui non tanti eſt Chriſti juſtitia & ſpes vitæ æternæ, ut in media triſtitia gaudeat. Sed quoniam facile animi noſtri fatiſcunt, donec impatientiæ ſuccumbant: notandum eſt remedium quod mox adjungit. Jacentes enim & proſtrati erigimur precibus, quia in Deum rejicimus quod nos gravabat. Quoniam autem multa quotidie, imo ſingulis momentis pacem noſtram inquietare, & gaudium excutere nobis poſſent: ideo continenter nos orare jubet. De hac autem precandi aſſiduitate alibi diximus. Gratiarum actio, ut dixi, quaſi temperamentum ſubjicitur. Multi enim ſic orant, ut tamen obmurmurent Deo, ac fremant, niſi protinus obſequatur eorum votis. Atqui deſideria noſtra ſic frenari convenit, ut contenti eo quod datur, gratiarum actionem ſemper miſceamus votis. Petere quidem licet, gemere etiam & conqueri: ſed ita ut nobis magis adlubeſcat Dei voluntas, quam noſtra.

18. *Hæc enim Dei voluntas.*] Nempe ut gratias agamus, ſecundum Chryſoſtomi ſententiam. Ego pleniorem ſenſum contineri puto ſub his verbis: quod talis ſit erga nos Dei affectus in Chriſto, ut in afflictionibus quoque largum habeamus materiam gratias agendi. Quid enim ad nos placandos aptius aut magis appoſitum, quam dum audimus Deum ſic nos in Chriſto complecti, ut in bonum ac ſalutem vertat quicquid nobis accidit? Meminerimus ergo, hoc ſingulare eſſe corrigendæ impatientiæ remedium, ab intuitu præſentium malorum quæ nos cruciant, oculos referre in diverſam conſiderationem, qualiter erga nos affectus ſit Deus in Chriſto.

19. *Spiritum ne extinguatis.*] Hæc metaphora ducta eſt à vi & natura Spiritus: nam quum proprium Spiritus officium ſit illuſtrare mentes, atque ideo vocetur lux noſtra: proprie dicimur eum extinguere dum ejus gratiam exinanimus. Sunt qui putant idem dici, hoc & proximo membro. Ergo ſecundum eos, Spiritum extinguere nihil aliud eſt quam contemnere prophetias. Verum quia diverſis modis extinguitur Spiritus, hæc duo inter ſe diſtinguo, tanquam genus & ſpeciem. Tametſi enim contemptus prophetiæ, eſt extinctio Spiritus: Spiritum tamen illi etiam extinguunt qui quum profectu quotidiano magis ac magis accenſas à Deo ſcintillas excitare debeant, ſua ignavia in nihilum redigunt dona Dei. Itaque latius patet hæc admonitio, de non extinguendo Spiritu, quam proxima de non ſpernendis prophetiis. Senſus prioris eſt, Eſtis Spiritu Dei illuminati: videte ne veſtra ingratitudine lux iſta vobis pereat. Valde utilis admonitio: nam eos qui ſemel illuminati fuerant, ubi reſpuunt tam pretioſum Dei donum, vel clauſis oculis ſe abripi ſinunt in mundi vanitatem, horrenda cæcitate percuti cernimus, ut ſint aliis in exemplum. Cavendum igitur à ſocordia qua Dei lumen in nobis ſuffocatur. Cæterum qui hinc colligunt, in hominis arbitrio eſſe vel extinguere vel fovere lucem oblatam, ut gratiæ efficaciam extenuent, ac facultates extollant liberi arbitrii, male ratiocinantur. Quanquam enim efficaciter in ſuis electis operatur Deus, neque tantum lucem illis admovet, ſed facit ut videant, oculos cordis illis aperit, apertoſque tenet: quia tamen ſemper ad deſidiam caro inclinat, exhortationum ſtimulis opus habet. Verum quod Pauli voce Deus præcipit, intus ipſe præſtat. Interea partes noſtræ ſunt petere à Domino, ut lampadi accenſæ oleum ſuppeditet, ſervet putum ellychnium, atque etiam promoveat.

20. *Pro-*

20. *Prophetias ne contemnatis.*] Opportune hæc ſententia alteri ſubnectitur. nam quum per doctrinam, Spiritus Dei nobis maxime illuceat: qui doctrinæ locum negant, quantum in ſe eſt, extinguunt Spiritum: ſemper enim conſiderandum qualiter aut quibus mediis ſe nobis communicare Deus velit. Ergo quicunque ſub magiſterio Spiritus ſancti proficere cupit, Prophetarum ſe miniſterio doceri ſuſtineat. Cæterum Prophetiæ nomine non intelligo vaticinandi donum, ſed quemadmodum prioris ad Corinthios cap. 14. v. 3. ſcientiam interpretandæ Scripturæ: ut Propheta ſit divinæ voluntatis interpres. Nam eo quem citavi loco, Paulus doctrinam ad ædificationem, & exhortationem Prophetis tribuit, & has quaſi partes enumerat. ſit ergo Prophetia in hoc loco, Scripturæ interpretatio in uſum præſentem accommodata. Eam ſperni vetat Paulus, niſi ſponte velimus errare in tenebris. Eſt autem inſignis ſententia ad externæ prædicationis commendationem. Somniant fanatici homines, pueros eſſe qui in Scripturæ lectione vel auditu verbi retinentur: quaſi nemo ſit ſpiritualis, niſi doctrinæ contemptor. Superbe igitur humanum miniſterium, adeoque Scripturam ipſam deſpiciunt, ut Spiritum aſſequantur. Deinde quotquot illis deliria ingerit Satan, pro arcanis Spiritus revelationibus faſtuoſe venditant. Tales ſunt Libertini & ſimiles furiæ. Et quo quiſque indoctior, eo majore arrogantia inflatus ac turgidus. Nos vero Pauli exemplo diſcamus Spiritum cum voce hominum conjungere, quæ nihil eſt quam illius organum.

21. *Omnia probate.*] Quoniam ſæpe temerarii homines & ſpiritus impoſtores, nugas ſuas prophetiæ titulo prætexunt, poſſet hac ratione vel ſuſpecta vel etiam odioſa reddi prophetia. Quemadmodum hodie multi ad ipſum prædicationis nomen propemodum nauſeant, quia tam multi ſunt inſulſi ac imperiti, qui ſua nihili commenta pro ſuggeſtu effutiunt: alii etiam impii ac ſacrilegi, qui execrandas blaſphemias deblaterant. Quoniam itaque talium hominum vitio fieri poterat ut faſtidioſe exciperetur prophetia, imo vix locum teneret, Paulus jubet Theſſalonicenſes probare omnia: ſignificans, etiamſi non omnes exacte loquantur ad abſolutam regulam, prius tamen judicandum eſſe, quam damnetur ulla doctrina vel reſpuatur. Bifariam hic peccari ſolet: nam alii, quia falſo nominis Dei prætextu vel decepti ſunt, vel ſciunt vulgo pleroſque decipi, promiſcue rejiciunt quamlibet doctrinam: alii ſtulta credulitate quicquid Dei vulgo nomine propoſitum eſt, abſque delectu amplectuntur. Utrumque vitioſum eſt. nam priores faſtuoſo illo præjudicio imbuti, viam ad proficiendum ſibi præcludunt: alteri vero ad omnes errorum ventos ſe temere exponunt. Paulus ab his duobus extremis ad medium revocat Theſſalonicenſes, dum vetat quicquam damnare, niſi prius examinatum: & rurſum admonet, judicium adhibendum eſſe priuſquam quod in medium affertur, pro indubio recipiant. Et ſane hæc Dei nomini ſaltem reverentia debetur, ut prophetiam quæ dicitur ab eo profecta, non aſpernemur. Verum ſicuti rejectionem debet præcedere examen vel diſcretio, ita & ſuſceptionem veræ & ſanæ doctrinæ. Neque enim ea levitate pios eſſe convenit, ut indifferenter falſum non minus quam verum arripiant. Hinc colligimus, Spiritu judicii eos donari à Deo ut diſcernant, ne circumveniantur hominum impoſturis. Niſi enim diſcretione eſſent præditi, fruſtra Paulus diceret, *Probate, & tenete quod bonum eſt.* Quod ſi recte probandi facultate deſtitui nos ſentimus, ab eodem Spiritu qui per Prophetas ſuos loquitur, petenda eſt. Pronunciat autem hoc loco Dominus per os Pauli, nullis hominum vitiis, nulla vel temeritate vel inſcitia, nullo denique abuſu debere impediri doctrinæ curſum, quin ſemper in Eccleſia vigeat. Nam quum prophetiæ abolitio, Eccleſiæ ſit interitus, potius cælum ſinamus terræ miſceri, quam ut ceſſet prophetia. Sed videtur hic Paulus nimis vagam in docendo licentiam permittere, dum vult probari omnia: nam audienda ſunt ut probentur. atqui hoc modo janua impoſtoribus aperta foret ad ſpargenda ſua mendacia. Reſpondeo, eum nunc minime poſtulare audientiam falſis doctoribus, quorum os alibi obſtruendum eſſe docet, & quos tam ſevere excludit: nihilo etiam magis tollere ordinem in eligendis doctoribus, quem tantopere alibi commendat. Sed quoniam tanta diligentia nunquam adhiberi poteſt quin prophetent interdum qui minus quam deceat ſunt inſtructi, & interdum boni & pii doctores a ſcopo aberrent: eam modeſtiam requirit à fidelibus, ut tamen audire non detrectent. Nihil enim periculoſius quam ea moroſitas: qua fit ut nobis inſipida ſit quævis doctrina, dum probare quæ recta ſit, non ſuſtinemus.

22. *Ab omni ſpecie mala.*] Nonnulli univerſalem eſſe ſententiam putant, acſi abſtinere præciperet ab omnibus quæ mali ſpeciem præ ſe ferunt. Ita ſenſus eſſet, non ſufficere interius conſcientiæ teſtimonium niſi habeatur & fratrum ratio, ut obviam eatur offendiculis, fugiendo quicquid malum videri poteſt. Qui Speciem dialectice exponunt generi ſubjectam, nimis craſſe hallucinantur. Speciem enim dixit quæ vulgo Apparentia. Et poteſt legi tam Mala, quam Mali in genitivo: eadem tamen ſignificatione. Ego potius Chryſoſtomum & Ambroſium ſequor, qui cum proxima ſententia contexunt. Quanquam neuter eorum explicat Pauli mentem: & forte quid ſibi velit, non prorſus aſſequuti ſunt. Breviter dicam quod ſentio. Primum ſpeciem mali, vel malam, interpretor, quum nondum ita comperta eſt doctrinæ falſitas ut merito rejici queat, ſed tamen aliqua hæret ſiniſtra ſuſpicio, & timetur ne quid veneni lateat. Ergo ab eo genere doctrinæ, quod malum etiamſi non ſit, apparet, abſtinere præcipit: non quod in totum rejici permittat, ſed quia recipi, aut fidem obtinere non debet. Cur enim prius quod bonum eſt teneri juſſit, nunc abſtineri vult non ſimpliciter à malo, ſed à mali ſpecie? quia ubi dijudicatione in lucem producta fuerit veritas, tunc demum ei fidem haberi decet: ubi autem ſubeſt falſi metus, aut mens dubitatione eſt implicita, pedem referre, vel gradum (ut loquuntur) ſuſpendere convenit, nequid dubia perplexaque conſcientia amplectamur. In ſumma, docet qualiter nobis utilis futura ſit prophetia citra periculum: nempe ſi attenti erimus ad omnia probanda, & ſi levitas ac feſtinatio aberit.

23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos: & integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine reprehenſione in adventu Domini noſtri Jeſu cuſtodiatur.
24. Fidelis qui vos vocavit, qui & faciet.
25. Fratres, orate pro nobis.
26. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.
27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola omnibus ſanctis fratribus.
28. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen.

Ad Theſſalonicenſes prima ſcripta fuit ex Athenis.

23. *Ipſe autem Deus.*] Poſtquam varia præcepta dedit, tandem deſcendit ad precationem. Et certe fruſtra ſpargitur doctrina, niſi eam Deus in animos noſtros inſerat. Unde apparet quam præpoſtere faciant

Digitized by Google

ciant qui ex Dei præceptis metiuntur hominum vires. Paulus ergo quum ſciret inutilem eſſe omnem doctrinam, donec cordibus noſtris eam Deus quaſi digito ſuo inſculpat, precatur Deum ut Theſſalonicenſes ſanctificet. Cur Deum *pacis* hic nominet, mihi non ſatis conſtat: niſi referre ad ſuperiora libeat, ubi fraterni conſenſus, & patientiæ & æquitatis meminit. Scimus autem ſub verbo *ſanctificandi*, contineri totam hominis renovationem. Jam ex parte quidem renovati erant Theſſalonicenſes: ſed optat Paulus ut quod reliquum eſt, Deus perficiat. unde colligimus, tota vita proficiendum eſſe in ſanctitatis ſtudio. Cæterum ſi Dei officium eſt totum hominem reformare, nihil libero arbitrio reſiduum fit. Nam ſi noſtrum eſſet Deo cooperari, ita loquutus eſſet Paulus, Sanctificationem veſtram Deus adjuvet, vel promoveat. Quum autem dicit, *ſanctificet totos*, ſolum illum facit ſolidi operis auctorem. *Et integer ſpiritus.* Hoc expoſitionis vice additum eſt, ut ſciamus quænam ſit totius hominis ſanctificatio: nempe quum ipſe ſpiritu, anima, & corpore integer, vel purus ac impollutus ſervatur uſque ad diem Chriſti. Quia autem nunquam in hac vita conſtat tanta integritas, quotidie aliquid addi ad puritatem, & ex ſordibus aliquid repurgari convenit quamdiu in mundo vivimus. Notanda eſt autem hæc hominis partitio: nam aliquando homo ſimpliciter corpore & anima conſtare dicitur: ac tunc anima ſpiritum immortalem ſignificat, qui in corpore habitat tanquam in domicilio. Quoniam autem duæ præcipuæ ſunt animæ facultates, intellectus & voluntas: Scriptura interdum diſtincte hæc duo ponere ſolet, quum exprimere vult animæ vim ac naturam: ſed tunc anima, pro ſede affectuum capitur, ut ſit pars ſpiritui oppoſita. Ergo quum hic audimus nomen Spiritus, ſciamus notari rationem, vel intelligentiam: ſicut Animæ nomine deſignatur voluntas & omnes affectus. Scio à multis ſecus exponi Pauli verba: nam animam vocari putant motum vitalem; ſpiritum vero, partem hominis renovatam. atqui tunc abſurda eſſet Pauli precatio. Deinde alius eſt Scripturæ uſus, quemadmodum dixi: quum Jeſaias dicit capite 25. v. 9. Anima deſideravit te nocte, ſpiritus meus te cogitavit; nemo dubitat quin de intelligentia & affectu ſuo loquatur, atque ita duas animæ partes enumeret. eodem ſenſu in Pſalmis junguntur duæ iſtæ voces. Atque hoc Pauli ſententiæ melius quadrat. Quomodo enim totus homo integer, niſi quum puræ ſunt & ſanctæ cogitationes, quum recti omnes & bene compoſiti affectus, quum ipſum denique corpus nonniſi bonis operibus ſuam operam miniſteriumque impendit? Nam facultas intelligendi à Philoſophis tanquam domina ſtatuitur: affectus ſunt medii ad imperandum: corpus obſequium præſtat. Videmus nunc quam bene conveniant omnia. Tunc enim purus & integer eſt homo, ſi nihil mente cogitat, nihil corde appetit, nihil corpore exequitur, niſi quod probatur Deo. Quod autem totius hominis cuſtodiam & omnium ejus partium ita Deo commendat Paulus, inde colligendum eſt, nos innumeris periculis eſſe expoſitos, niſi illius tutela nos protegeret.

24. *Fidelis qui vos vocavit.*] Sicuti precando teſtatus eſt quantam de ſalute Theſſalonicenſium curam haberet; ita nunc in fiducia divinæ gratiæ eos confirmat. Obſerva autem quo argumento perpetuum illis Dei auxilium promittat: nempe quia eos vocavit. quibus verbis ſignificat, ſperandam eſſe gratiæ continuationem, ex quo ſemel Dominus nos ſibi in filios cooptavit. Neque enim unius diei ſe patrem nobis fore pollicetur, ſed hac lege nos adoptat, ut perpetuo nos foveat. Ergo vocatio teſtimonium nobis æternæ gloriæ eſſe debet: nam opus manuum ſuarum non vult mutilum deſerere. Porro fideles alloquitur Paulus, qui non externa modo prædicatione vocati fuerant, ſed à Chriſto ad Patrem adducti, ut eſſent ex filiorum numero. De *Oſculo*, ut ſolenne fuit ſalutationis ſymbolum, alibi dictum eſt. His autem verbis ſuum erga ſanctos omnes amorem declarat.

27. *Adjuro vos per Dominum.*] Incertum eſt, timueritne (quod ſæpe accidit) ne maligni ac invidi homines Epiſtolam ſupprimerent: an aliud præcavere voluerit periculum, ne perverſa quorundam prudentia & cautione contineretur inter paucos. Semper enim reperiuntur qui negent utile eſſe vulgari quæ alioqui optima agnoſcant. Certe quocunque artificio vel prætextu tunc machinatus fuerit Satan, ne in omnium notitiam perveniret Epiſtola, colligere ex Pauli verbis licet quam ſerio & acriter ſe opponat. Neque enim res levis aut frivola eſt adjuratio per Dei nomen. Habemus itaque, Spiritum Dei, quæ Pauli miniſterio in hac Epiſtola prodidit, velle toti Eccleſiæ publicari. Unde apparet, diabolis quoque ipſis præfractiores eſſe qui à lectione ſcriptorum Pauli hodie populum Dei arcent: utpote qui tam ſevero exorciſmo non moventur.

Eximio

Eximio Viro

BENEDICTO TEXTORI,

M E D I C O.

QUum te in artis tuæ ſcientia excellere judicent qui ſunt idonei ejus rei cognitores: ego exactam fidem ac diligentiam, quam tum in curandis ægrotis, tum in reſponſis dandis adhibere ſoles, pro ſumma virtute ſemper duxi. Sed in mea præſertim valetudine vel reſtituenda, vel tuenda, ſic te ſedulo intentum fuiſſe perſpexi: ut facile conſtaret, non tam unius hominis abs te haberi rationem, quam commune Eccleſiæ bonum ſtudio ac curæ tibi eſſe. Putaret forte alius quiſpiam, levius ideo eſſe officium, quod non privatim ſibi duntaxat impenſum foret. Ego autem bis me potius tibi obſtrictum eſſe ſentio: quod quum in obeundis amicitiæ partibus nihil omnino prætermitteres, de miniſterio quoque, meo quod mihi propria vita charius eſſe debet, fueris perinde ſollicitus. Mortuæ præterea uxoris memoria, quantum tibi debeam, quotidie admonet, non modo quod ope tua ſæpius levata, ſemel ex gravi ac periculoſo morbo reſtituta fuit: ſed quod in poſtremo etiam qui nobis eam eripuit, nihil in ipſa juvanda, ad induſtriam, laborem, ſtudium, reliqui feceris. Porro quia non aliam à me tibi mercedem ſolvi pateris: ut mutuum aliquod eſſet meæ erga te benevolentiæ teſtimonium, huic Commentario nomen tuum inſcribere volui. Genevæ, Calendis Juliis. M. D. L.

I N
E P I S T O L A M
A D
T H E S S A L O N I C E N S E S II.

ARGUMENTUM.

HAnc Epiſtolam Roma eſſe miſſam, ut vulgo habent Græci codices, mihi non eſt probabile: nam de ſuis vinculis aliquid attigiſſet, ſicuti in aliis ſolet. Deinde circa initium tertii capitis ſibi inſtare periculum ſignificat ab hominibus importunis: unde conjici poteſt, quum Hieroſolymam tenderet, ex itinere ſcripſiſſe. Et jam olim Athenis fuiſſe ſcriptam, paſſim receptum fuit apud Latinos. Hæc autem ſcribendi cauſa fuit: ne ſe neglectos putarent Theſſalonicenſes, quod alio feſtinans Paulus, ad eos non veniſſet. Primo capite hortatur eos ad patientiam. Secundo, vanam & fabuloſam opinionem quæ de propinquo Chriſti adventu ſparſa invaluerat, hoc argumento refellit, quia prius oporteat fieri diſceſſionem in Eccleſia, & bonam orbis partem perfide à Deo deficere: imo Antichriſtum regnare in templo Dei. Tertio capite, poſtquam ſe precibus eorum commendavit, & breviter animavit ad conſtantiam, ſevere corrigi jubet eos qui otioſe ex alieno vivunt: quod ſi non obtemperent, excommunicandos eſſe docet.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
THESSALONICENSES II.

CAPUT PRIMUM.

PAulus, & Sylvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre
noſtro & Domino Jeſu Chriſto.
2. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.
3. Gratias agere debemus Deo ſemper de vobis, fratres, quemadmodum di-
gnum eſt, quia vehementer augeſcit fides veſtra, & exuberat charitas mutua uniuſcujuſ-
que omnium veſtrum:
4. Ut noſipſi de vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, de tolerantia veſtra & fide in omni-
bus perſequutionibus veſtris & afflictionibus, quas ſuſtinetis,
5. Oſtenſionem juſti judicii Dei: ut digni habeamini regno Dei, pro quo & pati-
mini.
6. Siquidem juſtum eſt apud Deum, reddere iis qui vos affligunt, afflictionem:
7. Et vobis qui affligimini, relaxationem nobiſcum.

1. E*Ccleſiæ in Deo.*] De forma ſalutationis verba facere, ſupervacuum foret. Hoc modo notatu dignum eſt, Eccleſiam in Deo & Chriſto dici quæ non tantum collecta eſt ſub fidei vexillo, ut Deum unum Patrem colat, & in Chriſtum confidat: ſed quæ opus ac ædificium eſt tam Patris quam Chriſti: quia dum nos ſibi Deus adoptat & regenerat, ex ipſo eſſe incipimus in Chriſto. 1 Corinth. 1. v. 30.

2. *Gratias agere.*] Incipit à laude, ut ſibi tranſitum ad cohortationem faciat: ſic enim plus proficimus apud eos qui jam in curſu ſunt, dum ſuperiores eorum progreſſus non tacendo, admonemus quantum adhuc diſtent à meta, & ſtimulamus ad peragendum. Quoniam autem priore Epiſtola fidem eorum & charitatem laudaverat, nunc prædicat utriuſque incrementa. Et ſane hæc piis omnibus tenenda eſt ratio, ut ſe quotidie examinent, ac videant quouſque ſint progreſſi. Hæc igitur vera laus fidelium, ſi indies creſcant in fide & charitate. Quum dicit, *Semper*, ſignificat ſibi aſſidue ſuppeditari novam materiam. Prius gratias de ipſis egerat Deo: nunc dicit eſſe quare rurſus agat, nempe propter quotidianos progreſſus. Quum autem gratias agit Deo hoc nomine, ab ipſo eſſe teſtatur non minus incrementa, quam initium fidei & charitatis. nam ſi eſſent ex virtute hominum, ficta eſſet, aut certe de nihilo gratiarum actio. Præterea oſtendit non vulgares, ac ne mediocres quidem ſolum, ſed uberrimos eſſe illorum profectus. quo turpior eſt noſtra ſegnities, dum vix pedem unum longo tempore promovemus. *Quemadmodum dignum eſt.* His verbis oſtendit Paulus nos ad gratias Deo agendas obſtringi, non modo quum nobis benefacit, ſed etiam quum ejus erga fratres noſtros beneficia reputamus. Ubicunque enim relucet Dei bonitas, laude ipſam proſequi decet. Deinde ſic chara nobis eſſe debet fratrum ſalus, ut quicquid illis datum eſt, debeamus inter bona noſtra cenſere. Quin etiam ſi reputamus qualis & quam ſancta ſit corporis Chriſti unitas, vigebit hæc mutua inter nos communicatio, ut uniuſcujuſque membri bona, in lucro totius Eccleſiæ deputemus. Ergo in laudandis Dei beneficiis ſemper reſpicienda eſt Eccleſiæ univerſitas.

4. *Ut noſipſi de vobis.*] Non potuit ampliorem illis laudem tribuere, quam quum dicit ſe aliis Eccleſiis ipſos proponere in exemplar. id enim ſibi volunt hæc verba, Gloriamur in vobis apud alias Eccleſias. neque enim ambitioſe Theſſalonicenſium fidem jactabat Paulus: ſed quatenus eorum prædicatio ſtimulus eſſe poterat ad imitationis ſtudium. Cæterum non dicit ſe gloriari de fide ipſorum & charitate, ſed de patientia & fide: unde ſequitur, patientiam fructum eſſe ac teſtimonium fidei. Ideo ſic reſolvi debent hæc verba, Gloriamur de patientia quæ ex fide provenit, & eam teſtatur de vobis excellere: alioqui non congruet contextus. Et certe nihil eſt quod nos ſuſtineat in tribulationibus, quam fides. Quod inde ſatis patet, quia ſimulac Dei promiſſiones fugiunt, toti collabimur. Ergo quo quiſque magis in fide profecerit, eo ad ferenda fortiter omnia erit patientia inſtructior. Quemadmodum rurſus, mollities & impatientia in adverſis, infidelitatem noſtram arguit: præſertim vero ubi ſuſtinendæ ſunt pro Euangelio perſequutiones, illic ſe profert vis fidei.

5. *Oſtenſionem juſti judicii Dei.*] Aliorum expoſitiones omitto: hunc puto genuinum eſſe ſenſum, quod injuriæ & perſequutiones quas innocentes & pii ab improbis & ſceleratis ſuſtinent, quaſi in ſpeculo demonſtrent Deum aliquando mundi judicem. Ac omnino hæc ſententia antiſtrophos eſt profanæ opinioni, quam concipere ſolemus quoties bonis male, & malis bene eſt. Putamus enim fortuito volvi mundum, nullamque Deo gubernationem relinquimus. Hinc fit ut corda hominum occupet impietas & contemptus, ut inquit Solomo: nam qui indigne aliquid patiuntur, vel Deum incuſant, vel non putant ab eo curari res hominum. Audimus quid Ovidius dicat, Sollicitor nullos eſſe putare deos. Imo fatetur David, pro- *Pſal. 73.*
pterea quod res ita confuſas in mundo videbat, pe- *verſ. 2.*
dem ſuum, quaſi in lubrico fere lapſum eſſe. Contra impii ſucceſſu magis inſoleſcunt, quaſi nulla ſcele-

rum pœna eos maneret: quemadmodum Dionyſius in proſpera navigatione deos jactabat ſacrilegis eſſe amicos. Denique quum videmus impune graſſari impiorum ſævitiam adverſus innoxios, ſenſus carnis ſtatuit nullum eſſe judicium, nullas ſcelerum eſſe pœnas, nullam juſtitiæ eſſe mercedem. Paulus autem ex adverſo pronunciat, quum Deus ita ad tempus impiis parcit, & ad ſuorum injurias diſſimulat, velut in ſpeculo nobis oſtendi futurum ejus judicium. Nam iſtud pro conceſſo ſumit, fieri non poſſe quin Deus, ut æquus eſt judex, quietem aliquando reſtituat miſeris qui injuſte nunc vexantur: & piorum oppreſſoribus præmium rependat quod meriti ſunt. Ergo ſi tenemus hoc fidei principium, quod Deus ſit juſtus mundi judex, ac ejus officium ſit mercedem cuique ſecundum opera ſua rependere: hoc alterum ſine controverſia ſequetur, præſentem ἔνδειγμα eſſe demonſtrationem judicii quod nondum apparet. Nam ſi juſtus eſt mundi judex Deus, reſtitui oportet quæ nunc ſunt confuſa. atqui nihil magis inordinatum quam impios impune moleſtos eſſe bonis, & effreni violentia graſſari: bonos autem nulla ſua noxa crudeliter vexari. Hinc colligere promptum eſt, Deum aliquando conſcenſurum tribunal, ut ſtatum hujus mundi corrigat in melius. Proinde ſententia illa quam ſubjicit, juſtum eſſe Deo reddere afflictionem, &c. fundamentum eſt ejus doctrinæ, quod Deus futuri judicii ſigna oſtendat, quum nunc abſtinet ab officio judicis. Et ſane ſi nunc res tolerabilem in modum eſſent compoſitæ, ut agnoſci poſſet abſolutum Dei judicium: ejuſmodi temperamentum nos in terra detineret. Deus itaque ut nos excitet ad ſpem futuri judicii, nunc tantum aliqua ex parte mundum judicat. Multa quidem documenta edit ſui judicii: ſed ita ut nos cogat longius ſpem noſtram extendere. Inſignis certe locus, quia docet quemadmodum excitandæ ſint mentes noſtræ ab omnibus mundi obſtaculis, quoties aliquid adverſi patimur: nempe ut in mentem nobis veniat juſtum Dei judicium, quod nos extra hunc mundum tollet. Ita mors nobis erit vitæ imago. *Digni habeamini.* Non tanti ſunt ullæ perſequutiones, ut nos regno Dei dignos faciant. neque hic Paulus diſputat de cauſa dignitatis, ſed tantum ſumit communem Scripturæ doctrinam, quod Deus abolet in nobis quæ mundi ſunt, ut meliorem in nobis vitam inſtauret: deinde quod pretium vitæ æternæ per afflictiones nobis oſtendit. Denique modum ſimpliciter deſignat quo aptantur & quaſi expoliuntur fideles ſub Dei incude: quia per afflictiones mundo renunciare, & ad cæleſte Dei regnum tendere docentur. Deinde confirmantur in ſpe æternæ vitæ, dum pro ea militant. Nam hic eſt ingreſſus de quo concionatus eſt ſuis diſcipulis Chriſtus. *Luc. 9: 23.*

6\. *Reddere afflictionem.*] Jam diximus cur Dei ultionem adverſus reprobos attingat: ut ſcilicet diſcamus recumbere in expectationem futuri judicii quia Deus malos nondum ulciſcitur, quos tamen ſcelerum pœnas dare neceſſe eſt. Simul autem intelligunt fideles, non eſſe cauſam cur momentaneæ & fluxæ impiorum felicitati invideant, quæ paulo poſt in horrendum exitium mutanda eſt. Quod ſubjicit de piorum *relaxatione*, convenit cum illa Petri ſententia, ubi diem ultimi judicii, diem refrigerii vocat. *Actor. 3. verſ. 20.* In hac tamen bonorum & malorum declaratione clarius exprimere voluit quam iniqua & præpoſtera eſſet mundi gubernatio, niſi Deus pœnas & præmia in aliud judicium differret. nam hoc modo mortuum eſſet Dei nomen. Itaque eum officio ſuo virtuteque ſpoliant quicunque non intenti ſunt ad hanc de qua Paulus loquitur juſtitiam. Addit, *nobiſcum*, ut fidem doctrinæ ex fidei ſenſu conciliet. Oſtendit enim ſe non philoſophari de rebus ignotis, dum in eadem cauſa & in eodem ordine ſe cum illis locat. Scimus autem quanto plus auctoritatis mereantur qui & longo uſu exercitati ſunt in iis quæ docent, nec quicquam poſtulant ab aliis niſi quod parati ſunt ipſi præſtare. Non ergo in umbra præcipit Paulus qualiter ſub ſole pugnare debeant Theſſalonicenſes: ſed ſtrenue pugnans, ad eandem ipſos militiam hortatur.

quum manifeſtabitur Dominus Jeſus è cælo cum Angelis potentiæ ſuæ.

8\. In igne flammanti, qui ultionem infliget iis qui non noverunt Deum, & non obediunt Euangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti:

9\. Qui pœnam dabunt interitum æternum à facie Domini, & à gloria potentiæ ipſius,

10\. Quum venerit ut ſanctificetur in ſanctis ſuis, & admirabilis reddatur in omnibus qui credunt (quia fides habita ſit teſtimonio noſtro erga vos) in illa die.

Quum manifeſtabitur.] Proximæ ſententiæ confirmatio. Nam quum unum ſit hoc ex fidei noſtræ capitibus, venturum è cælo Chriſtum, nec fruſtra venturus ſit: finem adventus ejus quærere debet fides. Hic porro eſt, ut ſuis adveniat redemptor, imo ut totum orbem judicet. Deſcriptio quæ ſequitur, huc ſpectat, ut pii intelligant, quo magis formidabile judicium hoſtes ſuos manet, eo majori curæ eſſe Deo ſuas afflictiones. Nam hæc ſumma ægritudinis & mœſtitiæ cauſa eſt, quod putamus Deum leviter malis noſtris tangi. Videmus in quas querimonias ſubinde erumpat David, dum faſtu & inſolentia hoſtium ſuorum utitur. Ergo hoc totum ad fidelium conſolationem poſuit, quod tribunal Chriſti depingit horrore plenum, ne præſenti ſua dejectione frangantur, dum vident ſuperbe ſe ac contumelioſe ab impiis calcari. Qualis vero futurus ſit *ignis* ille, & ex qua materia: diſputandum relinquo hominibus ſtulte curioſis. mihi tenere ſufficit quod docere in animo habuit Paulus, Chriſtum injuriarum quas nobis reprobi inferunt, ſeveriſſimum fore ultorem. Metaphora autem flammæ & ignis, ubi de ira Dei agitur, Scripturæ ſatis trita eſt. *Angelos potentiæ* vocat, in quibus ſuam potentiam exeret. Angelos enim ſecum adducet ad illuſtrandam regni ſui gloriam: unde & alibi Angeli majeſtatis dicuntur.

8\. *Qui ultionem infliget.*] Quo melius perſuadeat fidelibus, non impunitas fore perſequutiones quas ferunt, hoc quoque Dei ipſius intereſſe docet: quia iidem qui pios perſequuntur, Deo ſunt rebelles. Ergo Deum, non ſalutis modo noſtræ, ſed gloriæ etiam ſuæ cauſa, vindicem adverſus eos eſſe oportet. Porro hoc ad Chriſtum refertur, Qui reddet ultionem: ſignificat enim Paulus, has illi à Deo Patre injunctas eſſe partes. Quæri autem poteſt an vindictam appetere nobis liceat, quia Paulus eam promittit, quaſi jure appetatur. Reſpondeo, fas non eſſe de quoquam vindictam appetere: quia omnibus bene precari jubemur. Deinde tametſi in genere vindictam adverſus reprobos expetere poſſimus: quia tamen nondum eos diſcernimus, ſalutem omnibus optare oportet. Interea impiorum exitium cum deſiderio licite ſperari poteſt, modo regnet in cordibus noſtris purus & recte compoſitus Dei zelus, abſit autem omnis inordinata cupiditas. *Qui non noverunt.* Incredulos his duobus titulis deſignat: quod Deum ignorent, & non obediant Euangelio Chriſti. Nam ſi per fidem Euangelio obeditur, quemadmodum

docet primo capite & ultimo ad Romanos: incredulitas, reſiſtendi cauſa eſt. Eoſdem damnat ignorantiæ Dei: nam viva Dei cognitio reverentiam ex ſe gignit. Itaque ſemper cæca eſt incredulitas: non quod prorſus omni luce & intelligentia vacui ſint increduli, ſed quia ſic obtenebratam habent mentem, ut videndo non videant. Non abs re pronunciat
Joan. 17. verſ. 17. Chriſtus hanc eſſe vitam æternam, noſſe verum Deum, &c. Ergo ex defectu hujus ſalutaris notitiæ, ſequitur Dei contemptus, & tandem mors. Qua de re plura diſſerui primo capite prioris ad Corinth.

9. *Interitum æternum à facie.*] Per appoſitionem oſtendit qualis ſit pœna cujus meminerat, nempe interitus fine carens, & mors immortalis. Mortis perpetuitas ex eo probatur, quod Chriſti gloriam habet ſibi adverſam. atqui ea æterna eſt, nec finem habet. itaque vis ejus nunquam ceſſabit. Inde & terribilis pœnæ atrocitas colligi poteſt: quia tanta futura eſt quanta eſt Chriſti gloria & majeſtas.

10. *Quum venerit ut ſanctificetur.*] Quia hactenus de pœna reproborum concionatus eſt, nunc revertitur ad pios, ac dicit venturum Chriſtum ut in illis glorificetur: hoc eſt, ut gloria illa ſuos irradiet, ut ſint ejus participes: acſi diceret, Chriſtum non ſibi privatim habiturum hanc gloriam, ſed communem fore *ſanctis omnibus*. Hæc ſumma eſt & ſingularis piorum conſolatio, quod quum in gloria regni ſui manifeſtabitur Dei Filius, in eandem ſecum ſocietatem eos colliget. Subeſt autem antitheſis inter præſentem ſtatum ſub quo laborant ac gemunt fideles, & illam ultimam reſtitutionem. Nunc enim mundi probris ſunt expoſiti, viles ac nihili ducuntur: tunc autem pretioſi erunt, plenique dignitatis, quum ſuam gloriam in eos Chriſtus diffundet. Finis eſt, ut pii quaſi oculis clauſis prætereant breve hoc terreſtris vitæ iter, ſemper mente ad futuram regni Chriſti manifeſtationem intenti. Quorſum enim pertinet mentio adventus in potentia, niſi ut ſpe tranſiliant ad beatam illam reſurrectionem quæ adhuc abſcondita eſt? Et notandum quod poſtquam ſanctos dixit, vice expoſitionis addit, *credentes:* quo ſignificat nullam ſine fide ſanctitatem eſſe in hominibus, ſed omnes eſſe profanos. In fine iterum repetit, *in die illa:* nam cum hac ſententia illud cohæret. Ideo autem repetit, ut fidelium vota cohibeat, ne ultra modum feſtinent. *Quia fides habita.* Quod generaliter de ſanctis dixit, nunc ad Theſſalonicenſes accommodat: ne dubitent ſe ex illo eſſe numero. Quia fidem, inquit, apud vos obtinuit mea prædicatio, jam vos aggregavit Chriſtus ad ſuorum numerum, quos factus eſt gloriæ ſuæ conſortes. *Teſtimonium* vocat doctrinam: quia Apoſtoli ſunt Chriſti teſtes. Diſcamus ergo tunc ratas in nobis eſſe Dei promiſſiones quum fidem apud nos inveniunt.

11. In quam rem etiam oramus ſemper pro vobis, ut vos habeat dignos vocatione Deus noſter, & impleat omne beneplacitum bonitatis, & opus fidei cum potentia:

12. Quo glorificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in ipſo, ſecundum gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti.

11. *In quam rem.*] Ut ſciant ſibi opus eſſe continuo Dei auxilio, teſtatur ſe pro illis precari. Quum dicit In hanc rem, intelligit ut perveniant ad ſupremam illam curſus ſui metam, quemadmodum ex reliquo contextu patet, *Ut impleat omne beneplacitum* &c. Videtur tamen quod primo loco poſuit eſſe ſupervacuum: jam enim Deus ipſos ſua vocatione dignatus erat. Sed de fine vel complemento loquitur, quod in perſeverantia ſitum eſt. Nam ut ſumus ad deficiendum proni, per nos non ſtaret quominus irrita ſubinde fieret noſtra vocatio, niſi eam ſtabiliret Deus. Quare nos habere dignos dicitur quum ad ſcopum uſque perducit. *Et impleat.* Mirus eſt Paulus in extollenda Dei gratia: nam Beneplaciti nomine non contentus, ex bonitate Dei manare dicit. niſi forte quis malit beneficentiam ex beneplacito: quod idem valet. Nos vero quum gratuitum Dei placitum, cauſam audimus eſſe noſtræ ſalutis, & illud ejuſdem Dei bonitate eſſe fundatum, nonne ſumus pluſquam inſani ſi vel minimum quicquam arrogare noſtris meritis audemus? Neque enim leve his verbis ineſt pondus. poterat uno verbo dicere, Ut impleatur fides veſtra: ſed Beneplacitum vocat. Deinde clarius adhuc exprimit, non aliunde inductum fuiſſe Deum, quam ſua bonitate: in nobis enim nihil invenit præter miſeriam. Nec vero ſalutis noſtræ principium duntaxat gratiæ Dei adſcribit Paulus, ſed omnes ejus partes. Ita refutatur illud Sophiſtarum commentum, nos quidem præveniri Dei gratia, ſed eam ſubſequentibus meritis adjuvari. At Paulus in toto ſalutis curſu nihil præter meram Dei gratiam agnoſcit. Quia autem Dei beneplacitum jam in ipſo perfectum eſt, proxima particula ad effectum qui in nobis apparet, referens, mentem ſuam exponit quum addit, *Opus fidei.* Et Opus quidem vocat, Dei reſpectu, qui fidem in nobis operatur vel efficit: acſi diceret, Ut ædificium fidei quod cœpit abſolvat. Nec temere dicit, *Cum potentia:* innuit enim fidei perfectionem rem eſſe arduam & ſummæ difficultatis. quod nos etiam plus ſatis experimur: & ratio etiam in promptu eſt, ſi expendimus quanta ſit noſtra imbecillitas, quam varia undique obſtacula nobis ingerantur, quam graves ſint Satanæ inſultus. Ergo niſi nobis non vulgariter ſubveniat Dei virtus, nunquam ad ſuum culmen conſurget fides. Nihilo enim facilius eſt fidem in homine perficere, quam turrim ex aqua ſtruere, quæ ſoliditate ſua procellas omnes & tempeſtatum impetus ſuſtineat, & altitudine nubes ſuperet. neque enim nos minus fluidi quam aqua: & fidei altitudo cælos penetret neceſſe eſt.

12. *Quo glorificetur.*] Revocat nos ad præcipuum totius vitæ noſtræ finem, ut Domini gloriæ ſerviamus. Notatu vero in primis dignum quod addit, viciſſim in Chriſto glorificandos eſſe qui ejus gloriam illuſtraverint. Nam in eo primum relucet admirabilis Dei bonitas, quod gloriam ſuam in nobis qui cooperti ſumus ignominia, vult eſſe conſpicuam. Sed duplex hoc miraculum eſt, quod deinde ſua nos gloria irradiat, acſi mutuas vices referret. Ideo addit, *Secundum gratiam Dei & Chriſti.* Nihil enim hic noſtrum, tam in ipſa actione quam in effectu vel fructu. ſolo enim Spiritus ſancti ductu vita noſtra componitur in Dei gloriam. Et quod tantus inde fructus provenit, hoc ingenti Dei miſericordiæ acceptum ferre convenit. Interea niſi ſumus pluſquam ſtupidi, toto ſtudio ad provehendam Chriſti gloriam nos eniti par eſt, quæ cum noſtra conjuncta eſt. Quo ſenſu communem faciat Dei & Chriſti gloriam, nunc dicere ſuperſedeo, quia alibi dictum eſt.

CAP. II.

CAP. II.

vel, de adventu.

ROgo autem vos, fratres, * per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtri in ipſum aggregationem,

2. Ne cito dimoveamini à mente, neque turbemini vel per ſpiritum, vel ſermonem, vel per epiſtolam tanquam à nobis ſcriptam, quaſi inſtet dies Chriſti.

1. *Rogo autem.*] Quanquam legi poteſt, De adventu, ut in margine annotavi: melius tamen quadrat obſecratio, quæ ex re præſenti ſumpta eſt.
1 Cor. 15. verſ. 31.
Quemadmodum in priore ad Corinthios, ubi de ſpe reſurrectionis diſſerit, jusjurandum uſurpat per illam gloriam quæ ſperanda eſt fidelibus. Atque hoc multo plus habet efficaciæ, quum fideles per Chriſti adventum adjurat, ne ejus diem temere adeſſe credant. ſimul enim admonet de eo nonniſi religioſe & ſobrie eſſe cogitandum. Obteſtatio enim per eas res fieri ſolet quæ reverentiam apud nos habent. Senſus ergo eſt, Sicuti res vobis pretioſa eſt Chriſti adventus, quo nos ſimul ad ſe colliget, & reipſa perficiet corporis unitatem, quam ex parte adhuc fide colimus: ita per eum vos obſecro, ne creduli nimium ſitis ſi quis quocunque colore diem ejus inſtare affirmet. Quia nonnihil attigerat priore Epiſtola de reſurrectione: fieri poteſt ut leves quidam & fanatici homines occaſionem inde arripuerint, propinquum & certum diem ſtatuendi. Neque enim veriſimile eſt, prius exortum fuiſſe hunc errorem apud Theſſalonicenſes. Nam reverſus illuc Timotheus, Paulum certiorem fecerat de toto eorum ſtatu: atque ut homo prudens & exercitatus, nihil omiſerat quod ad rem faceret. Paulus autem ſi admonitus fuiſſet, tacere non poterat de re tam ſeria. Ita exiſtimo, quum lecta eſſet Pauli Epiſtola, ubi continebatur viva reſurrectionis deſcriptio, cœpiſſe curioſos homines de tempore intempeſtive philoſophari. Fuit autem prorſus hoc exitiale commentum, ſicut & alia ejus generis, quæ poſtea non ſine Satanæ artificio ſparſa fuerunt. Nam ubi dies aliquis propinquus eſſe dicitur, niſi ſtatim adveniat, ut impatiens eſt longioris moræ hominum natura, langueſcunt animi, & languorem paulo poſt ſequitur deſperatio. Hic ergo Satanæ aſtus fuit, quia ſpem reſurrectionis palam evertere non poterat, ut eam furtim quaſi per cuniculos labefactaret, diem ejus propinquum & mox futurum promittere. Et poſtea non deſiit varia machinari, quibus reſurrectionis fidem paulatim ex hominum animis deleret, quia aperte evellere non poterat. Eſt quidem hoc ſpecioſum, diem noſtræ redemptionis præfigi, ideoque vulgi plauſu excipitur: ſicuti videmus Lactantii & Chiliaſtarum deliria multum olim placuiſſe: atqui non alio tendebant, quam ad diruendam ſpem reſurrectionis. Non fuit hoc Lactantii conſilium, ſed abuſus eſt pro ſua vafritie Satan, ejus & ſimilium curioſitate, ut nihil in religione certum aut fixum relinqueret: & hodie quoque eundem movere lapidem non ceſſat. Nunc videmus quam neceſſaria fuerit Pauli admonitio: quoniam alioqui ſpecioſo prætextu ſubverſa fuiſſet tota religio apud Theſſalonicenſes.

2. *Ne cito dimoveamini à mente, neque turbemini.*] Mentem vocat compoſitam fidem quæ in ſana doctrina acquieſcit. Illo autem figmento quod repudiat, quaſi in ecſtaſin rapti fuiſſent. Et tres impoſturæ ſpecies notat, à quibus cavere debeant: *Spiritum, ſermonem, & ſuppoſititiam Epiſtolam.* Spiritus nomine fictas prophetias intelligit: ac modum illum loquendi inter pios tritum fuiſſe apparet, ut vaticiniis imponerent nomen Spiritus, honoris cauſa. Nam ut juſtam habeant auctoritatem prophetiæ, in Spiritum Dei potius quam in homines reſpicere convenit. Verum ut mos diaboli eſt, ſe transfigurare in Angelum lucis, hunc titulum furati ſunt impoſtores ut fucum ſimplicibus facerent. Quanquam autem hanc larvam Paulus illis detrahere poterat, tamen per conceſſionem ſic loqui maluit. acſi diceret, Utcunque Spiritum revelationis obtendant, ne credite. Quemadmodum & Joannes, Probate, inquit, ſpiritus numquid ex Deo ſint. 1 Joan. 4. verſ. 4.
Sermo doctrinam quamlibet (meo judicio) comprehendit: dum rationibus, vel conjecturis, vel aliis coloribus inſiſtunt falſi doctores, ut ſua commenta perſuadeant. Quod addit de Epiſtola, teſtimonio eſt, veterem fuiſſe hanc impudentiam, aliena nomina ſupponendi. Quo magis admiranda eſt Dei erga nos miſericordia, quod quum vivo adhuc & vivente Paulo, falſo ejus nomen in ſcriptis adulterinis prætenderent, integra ejus ſcripta ad noſtram uſque ætatem ſervata ſunt. Certe neque fortuito, neque hominum induſtria fieri hoc poterat: niſi Deus ipſe, virtute ſua, Satanam & omnes ejus miniſtros compeſcuiſſet. *Quaſi inſtet dies Chriſti.* Videtur hoc pugnare cum multis Scripturæ locis, ubi Spiritus diem illum inſtare pronunciat. Sed facilis eſt ſolutio: inſtat enim Dei reſpectu, apud quem mille anni ſunt tanquam dies unus. Interea ſic vult Dominus à nobis aſſidue expectari, ut certum ſpatium minime præfiniamus. Vigilate, inquit: quia neſcitis diem neque horam. Falſi autem iſti vates quos Paulus refellit, quum ſuſpenſos tenere deberent hominum animos, ne moræ tædio fatigarentur, jubebant de brevi adventu ſecuros eſſe.

3. Ne quis vos decipiat ullo modo: quia niſi prius venerit diſceſſio, & niſi revelatus fuerit ſceleratus ille filius perditus,

4. Adverſarius, & qui ſe extollit adverſus omne quod dicitur Deus aut numen: ita ut ipſe in templo Dei tanquam Deus ſedeat, oſtendens ſeipſum quaſi ſit Deus.

3. *Ne quis vos.*] Ne ſibi lætum redemptionis diem fruſtra tam brevi promittant, triſte illis vaticinium proponit de futura Eccleſiæ diſſipatione. Eadem prorſus hæc concio eſt cum illa Chriſti qua uſus eſt apud diſcipulos, quum rogaſſent de fine ſeculi. Hortatur enim ut ſe ad dura certamina comparent. & poſtquam de maximis & prius inauditis calamitatibus diſſeruit, quibus prope in vaſtitatem redigenda
Mat. 24. verſ. 36.
erat terra, ſubjicit: Nondum eſſe finem: ſed hæc initia eſſe dolorum. In hunc modum Paulus diu militandum fidelibus eſſe pronunciat, antequam ad triumphum veniant. Eſt autem hic inſignis locus, & apprime dignus obſervatu. Fuit hæc gravis & periculoſa tentatio, quæ vel maxime cordatos poſſet concutere, ac dejicere è ſtatu: videre Eccleſiam quæ tantis laboribus ſenſim ac difficulter erecta fuerat mediocrem in ſtatum, ſubito quaſi tempeſtate convulſam, ruere. Præmunit ergo Paulus non Theſſalonicenſium modo, ſed piorum omnium mentes: ut quum Eccleſiam diſſipari contigerit, non terreantur quaſi re nova, vel non expectata. Sed quia hunc locum varie torſerunt interpretes, hoc primo agendum eſt, ut teneamus genuinam Pauli mentem. Negat venturum Chriſti diem, donec in apoſtaſiam prolapſus fuerit mundus, ac regnum Antichriſti in Eccleſia obtinuerit: nam quod de imperii Romani

defectione locum hunc expoſuerunt, magis frivolum eſt quam ut longa refutatione opus habeat. Ac miror tam multos ſcriptores, doctos alioqui & acutos, in re tam facili hallucinatos eſſe: niſi quod quum erraſſet unus, turmatim alii ſine judicio ſequuti ſunt. Apoſtaſiam ergo vocat Paulus, perfidam à Deo defectionem: nec eam unius hominis vel paucorum, ſed quæ longe lateque in majori hominum multitudine graſſetur. Nam quum apoſtaſia ſine adjectione nominatur, non poteſt reſtringi ad paucos. Jam non alii poſſunt intelligi apoſtatæ, quam qui prius nomen Chriſto & Euangelio dederunt. Prædicit ergo Paulus generalem quandam viſibilis Eccleſiæ defectionem: acſi diceret, Eccleſiam prius in deformes & horrendas ruinas oportet redigi, quam adveniat plena ejus reſtitutio. Hinc colligere promptum eſt quam utile ſit hoc Pauli vaticinium: videri enim poſſet non fuiſſe Dei ædificium quod repente dirutum fuit, quod tamdiu in ruinis jacuit, niſi multo ante Paulus hoc futurum monuiſſet. Imo plerique hodie, quum diuturnam Eccleſiæ diſſipationem ſecum reputant, vacillare incipiunt, acſi Dei coofilio non fuiſſet hoc gubernatum. Romanenſes vero ut idoli ſui tyrannidem excuſent, prætexunt hunc colorem: fieri non potuiſſe ut Chriſtus ſponſam ſuam desereret. Verum habent hic infirmi quo ſe ſuſtineant, quum audiunt jam olim fuiſſe prædictam quam cernunt deformitatem in Eccleſia: Romanenſium vero impudentia aperte refellitur, quia pronunciat Paulus, venruram defectionem, ubi ſub Chriſti imperium redactus fuerit mundus. Cur autem Dominus Eccleſiam (quæ ſaltem videbatur) ita fœdum in modum prolabi paſſus fuerit, mox videbimus. *Revelatus fuerit.* Prorſus anile commentum fuit de Nerone, quod raptus eſſet de mundo, iterum prodituros ad vexandam ſua tyrannide Eccleſiam: & tamen ſic faſcinatæ erant veterum mentes, ut Neronem putarent fore Antichriſtum. Paulus autem non de uno homine loquitur, ſed de regno quod à Satana occupandum ſit, ut ſedem abominationis in medio Dei templo erigat: quod videmus impletum in Papatu. Latius quidem defectio graſſata eſt: nam Mahometes, ut erat apoſtata, Turcas ſuos à Chriſto alienavit. Omnes hæretici ſuis ſectis Eccleſiæ unitatem ſciderunt. Ita totidem fuerunt à Chriſto diſceſſiones. Sed Paulus ubi admonuit talem fore diſſipationem ut major pars à Chriſto diſcederet, majus quiddam addit: tantam fore perturbationem, ut Satanæ vicarius Eccleſiæ dominium occupet, atque illic præſideat loco Dei. Regnum autem iſtud abominationis, ſub unius perſonæ nomine deſcribit: quia unum eſt, utcunque alii aliis ſuccedant. Nunc intelligunt Lectores ſectas omnes quibus ab initio imminuta fuit Eccleſia, totidem fuiſſe defectionis rivos, quæ aquam à recto curſu abducere incepit: ſectam vero Mahometis, inſtar violentæ exundationis fuiſſe, quæ dimidiam plus minus partem ſuo impetu raperet. Reſtabat vero ut reſiduam partem veneno ſuo Antichriſtus inficeret. ita oculis noſtris cernimus, eventu comprobatum fuiſſe hoc memorabile Pauli vaticinium. In hac expoſitione quam affero, nihil coactum eſt. Somniabant ejus ætatis fideles, ſe poſt exigui temporis moleſtias, in cælum eſſe transferendos: Paulus autem contra prædicit, ubi hoſtes extraneos aliquandiu infeſtos habuerint, plus malorum inſtare domi: quia paſſim abripiendi ſint ad fœdam perfidiam qui fidem Chriſto dederunt: quia ipſum Dei templum ſacrilega tyrannide polluendum ſit, ita ut illic dominetur ſummus hoſtis Chriſti. Revelatio hic pro aperta tyrannidis poſſeſſione capitur: acſi dixiſſet Paulus non venturum diem Chriſti donec palam ſe oſtenderit hic tyrannus, & quaſi ex profeſſo totum Eccleſiæ ordinem everterit.

4. *Adverſarius, & qui ſe extollit.*] Duo epitheta, ſcelerati & filii perditi, primum exprimunt quam horrenda ſit futura confuſio, ne rei indignitas infirmos animos percellat: deinde pios ad deteſtationem inducunt, ne degenerent una cum aliis. Nunc vero Paulus quaſi in tabula depingit vivam Antichriſti effigiem: nam ex his verbis colligere promptum eſt, quale ſit ejus regnum & quibus in rebus conſiſtat. Quum enim Adverſarium nominat, quum dicit arrogaturum ſibi quæ Dei propria ſunt, ut pro numine in templo colatur: directe ejus regnum Chriſti regno opponit. Ergo ut ſpirituale regnum Chriſti, ita hanc tyrannidem in animas eſſe oportet, ut Chriſti regnum æmuletur: & poſtea vim fallendi per impias doctrinas & ficta portenta, illi attribuet. Ergo ut Antichriſtum cognoſcas, Chriſtum ex diametro illi opponere convenit. Ubi tranſtuli, *Omne quod dicitur Deus:* magis recepta eſt apud Græcos lectio, Omnem qui dicitur. Conjici tamen poteſt tam ex Veteri translatione, quam ex nonnullis Græcorum commentariis, corrupta fuiſſe Pauli verba. Et proclivis fuit unius literæ lapſus, præſertim ubi magna erat figuræ affinitas: nam ubi ſcriptum erat πᾶν τὸ, librarius quiſpiam, vel nimium audax lector, fecit πάντα. Quanquam hæc varietas, quantum ad ſenſum, non ita multum habet momenti: hoc enim ſine controverſia voluit Paulus, Antichriſtum ſibi rapturum quæ unius Dei propria ſunt, ut ſupra omne divinum numen ſe efferat: quo tota religio totuſque Dei cultus ſub ejus pedibus jaceat. Hæc igitur particula, Omne quod cenſetur Deus, perinde valet acſi dixiſſet, Omne quod cenſetur divinitas: & σέβασμα, hoc eſt, in quo Dei veneratio conſiſtit. Hic autem non agitur de ipſius Dei nomine, ſed de majeſtate & cultu, ac in univerſum de omnibus quæ ſibi vendicat: acſi dixiſſet Paulus, Religio vera eſt qua ſolus verus Deus colitur: hanc ad ſe filius perditus transferet. Nunc quiſquis ex Scriptura edoctus erit, quænam Deo maxime ſint propria, & ex adverſo intuebitur quid ſibi Papa uſurpet: etiamſi puer ſit decennis, non multum laborabit in noſcendo Antichriſto. Scriptura Deum pronunciat unicum eſſe Legiſlatorem qui ſervare poteſt ac perdere: unicum Regem, *Jacob 4. verſ. 12.* cujus officium eſt verbo ſuo regere animas: eundem facit omnium ſacrorum auctorem: juſtitiam & ſalutem ab uno Chriſto petendam docet: modum ſimul & rationem aſſignat. Nihil horum eſt quod non ſui juris Papa eſſe aſſerat. Suum eſſe gloriatur ligare quibus viſum eſt legibus conſcientias, & æternis pœnis ſubjicere. Sacramenta pro libidine ſua vel nova inſtituit, vel quæ à Chriſto inſtituta erant, corrumpit & vitiat, imo penitus abolet, ut in eorum vicem ſubſtituat quæ finxit ipſe ſacrilegia: media conſequendæ ſalutis aliena à doctrina Euangelii comminiſcitur: totam denique religionem pro ſuo nutu mutare non dubitat. Quid obſecro eſt ſe efferre ſupra omne quod numen reputatur, ſi hoc Papa non facit? Quum ita Deum ſpoliat ſuo honore, nihil præter inanem Dei titulum reſiduum facit: totam vero ejus poteſtatem ad ſe transfert. Atque hoc eſt quod paulo poſt ſubjicit Paulus, fore ut ſe filius perditus pro Deo oſtentet. neque enim (ut dictum eſt) inſiſtit in vocula iſta Deus: ſed eam fore ſuperbiam Antichriſti ſignificat, ut ſe eximens è ſervorum numero & ordine, & Dei tribunal conſcendens, divina non humana poteſtate imperet. Scimus enim idolum eſſe quicquid erigitur in Dei locum, etiamſi Dei nomen non habeat. *In templo Dei.* Hoc uno verbo abunde refellitur eorum error, imo ſocordia, quibus Papa ideo Chriſti vicarius eſt quia ſuam in Eccleſia ſedem habeat, qualitercunque ſe gerat. nam Paulus non alibi Antichriſtum locat, quam in ipſo Dei Sanctuario. Non enim externus eſt hoſtis, ſed domeſticus, qui ſub ipſo Chriſti nomine Chriſtum oppugnat. Sed quæritur quomodo vocetur Eccleſia ſpecus tot ſuperſtitionum, quæ columoa debebat eſſe veritatis. Reſpondeo,

deo, ſic vocari, non quod retineat omnes Eccleſiæ qualitates: ſed quia aliquid reſiduum habeat. templum ergo Dei eſſe fateor, in quo dominatur Papa, ſed innumeris ſacrilegiis profanatum.

5. Annon memoria tenetis, quod quum adhuc eſſem apud vos, hæc vobis dicebam?

6 Et nunc quid detineat ſcitis, donec ille reveletur ſuo tempore.

7. Myſterium enim jam operatur iniquitatis, ſolum tenens modo donec è medio tollatur.

8. Et tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus deſtruet ſpiritu oris ſui: & abolebit illuſtratione adventus ſui.

5. *Annon memoria.*] Hoc doctrinæ addebat non parum ponderis, quod eam prius audierant ex ore Pauli, ne ad tempus excogitatum putarent. Quod autem mature eos de Antichriſti regno admonuerat, & futura Eccleſiæ vaſtatione, quum nulla adhuc de his rebus mota eſſet quæſtio: proculdubio videbat doctrinam eſſe cognitu in primis utilem. Et ſane ita res habet. multa viſuri erant illi quos alloquebatur, quæ eos turbarent: poſteritas vero, quum bonam eorum partem qui Chriſti fidem profeſſi erant, quaſi œſtro, vel potius furia percitam, à pietate deſciſcere, & in exitium ruere cerneret, quid aliud quam titubare poterat? Verum hic erat murus aheneus: ſic fuiſſe conſtitutum à Deo, quia digna tali ultione erat hominum ingratitudo. Hic videre eſt quam obliviosi ſint homines, ubi de æterna eorum ſalute agitur. Obſervanda etiam Pauli manſuetudo, qui quum acrius excandeſcere poſſet, tantum leniter eos caſtigat: eſt enim hæc paterna exprobratio, quod oblivio rei tam ſeriæ & utilis obrepſerit.

6. *Et nunc quid detineat.*] τὸ κατέχον proprie Impedimentum, vel cauſam moræ hoc loco ſignificat. Chryſoſtomus, qui putat poſſe non niſi de Spiritu, vel Romano imperio intelligi, mavult in hanc alteram partem inclinare. Rationem habet probabilem, quia de Spiritu ænigmatice non loquutus eſſet Paulus, ſed de imperio loquens, odium fugere voluerit. Cur autem Romani imperii ſtatus moretur Antichriſti revelationem, cauſam aſſignat: quia ſicuti à Perſis & Medis everſa fuit Babylonis monarchia, Macedones rurſum, victis Perſis, monarchiam occuparunt, & tandem à Romanis ſubacti fuerunt Macedones: ita Antichriſtus vacantem Romani imperii principatum ad ſe rapturus ſit. Nihil horum eſt quod non re ipſa comprobatum poſtea fuerit: vere ergo loquitur Chryſoſtomus, quod ad hiſtoriam ſpectat. Sed ego aliam fuiſſe Pauli mentem arbitror: nempe quod Euangelii doctrinam huc & illuc propagari oportuerit, donec totus fere orbis reus contumaciæ & deſtinatæ malitiæ peractus foret. Neque enim dubium quin hoc impedimentum, qualecunque eſſet, ex ore Pauli Theſſalonicenſes audiſſent: nam illis reducit in memoriam quæ prius coram docuerat. Nunc expendant lectores utrum ſit probabilius, Paulum concionatum eſſe, prius circumferendam per omnes terræ partes Euangelii lucem antequam Deus ita Satanæ frena laxaret, an Romani imperii potentiam obſtare quominus ſurgeret Antichriſtus: quia non poſſet niſi vacuam poſſeſſionem irrumpere. Ego certe Paulum audire mihi videor, verba facientem de univerſali Gentium vocatione, Quod omnibus offerenda eſſet Dei gratia, quod orbem Chriſtus perluſtraturus eſſet ſuo Euangelio: quo magis teſtata eſſet ac convicta hominum impietas. Hæc igitur dilatio erat, donec completus eſſet Euangelii curſus: quia gratuita ad ſalutem invitatio ordine prior erat. Ideo addit, *ſuo tempore:* quia matura erat ultio poſt repudiatam gratiam.

7. *Myſterium iniquitatis.*] Hoc revelationi opponitur: quia enim nondum tantas vires collegerat Satan, ut palam Antichriſtus Eccleſiam opprimeret, dicit eum furtim & clanculum moliri quod aperte ſuo tempore facturus erat. Jaciebat igitur tunc in occulto fundamenta, quibus poſtea ædificium ſuperſtrueret, ut factum eſt. Atque hinc plenius confirmatur quod jam dixi, non unum notari hominem ſub Antichriſti nomine, ſed regnum unum quod ſe in multas ætates extendit. Eodem ſenſu dicit Joannes, venturum quidem Antichriſtum, ſed jam ſuo tempore plures fuiſſe. *1 Joa. 2. verſ. 18.* Monet enim eos qui tunc vivebant, ut ſibi caveant ab hac exitiali peſte quæ tunc varie pullulabat: exoriebantur enim ſectæ, quæ veluti ſemina erant ejus infauſti lolii, quod totam Dei ſegetem prope ſuffocavit ac perdidit. Cæterum quamvis occultam operationem ſignificet Paulus, Myſterii tamen potius nomine, quam alio uſus eſt, alludens ad myſterium ſalutis, de quo alibi loquitur: *Coloſſ. 1. verſ. 28.* ſedulo enim conflictum repugnantiæ inculcat inter Filium Dei & hunc filium perditum. *Solum tenens modo.* Quum utrumque de uno dicat, tenere ad tempus principatum, & brevi ſublatum iri è medio, non dubito ad Antichriſtum referre: & participium Obtinens, reſolvi debet in futurum tempus. Nam hoc (meo judicio) in conſolationem fidelium addit, temporale fore Antichriſti regnum, cui præfixus ſit à Deo finis: poterant enim objicere fideles, Quorſum attinet Euangelium prædicari, ſi nunc tyrannidem molitur Satan, quam perpetuo obtineat? Hortatur ergo ad patientiam, quia Deus Eccleſiam ſuam ad tempus ſolum affligat, ut in eam recumbant fideles.

8. *Et tunc revelabitur.*] Quum ſcilicet illud τὸ κατέχον ceſſaverit: neque enim tempus revelationis deſignat, quum è medio ſublatus fuerit qui nunc principatum tenet: ſed ad ſuperiora reſpicit. Dixerat enim aliquid obſtare quominus apertam regni poſſeſſionem Antichriſtus invaderet. Addidit poſtea, jam clandeſtinum impietatis opus moliri. Tertio conſolationem interpoſuit, ex eo quod finienda eſſet tyrannis. Nunc iterum repetit, ſuo tempore revelandum qui adhuc occultus erat: & repetitio huc pertinet, ut armis ſpiritualibus instructi fideles, ſtrenue nihilominus ſuo Chriſto militent, nec ſe patiantur ſubmergi, utcunque impietatis diluvium ita exundet. *Quem Dominus.* Interitum regni Antichriſti prædixerat: nunc modum interitus deſcribit, quod ſcilicet verbo Domini in nihilum redigetur. Incertum eſt autem loquaturne de ultima Chriſti apparitione, quum judex è cælis patefiet. Videntur quidem ita ſonare verba: ſed non intelligit Paulus Chriſtum hoc uno momento facturum. Itaque ſic habendum eſt, abolendum penitus & omni ex parte Antichriſtum, quum ultimus ille inſtaurationis omnium dies adveniet. Significat tamen Paulus interea Chriſtum ſuis radiis, quos ante adventum ſuum emittet, tenebras in quibus regnabit Antichriſtus, profligaturum: quemadmodum ſol priuſquam appareat nobis, irradiatione ſua fugat noctis tenebras. Hæc itaque verbi victoria in hoc mundo ſe profert: nam *Spiritus oris*, non aliud quam verbum ſignificat: quemadmodum & undecimo capite Jeſaiæ, *Jeſa. 11. verſ. 4.* ad quem locum alludere videtur Paulus: nam illic Propheta ſceptrum oris, & ſpiritum labiorum, pro eodem accipit: atque is quoque ipſis armis inſtruit Chriſtum, ut hoſtes ſuos profliget. Hæc inſignis eſt veræ ſanæque doctrinæ commendatio,

quod

quod ad omnem impietatem abolendam ſufficere & contra omnes Satanæ machinas ſemper fore victrix dicitur: ſicuti dum paulo poſt, ejus prædicatio dicitur Chriſti ad nos adventus. Quum addit Paulus, *illuſtrationem adventus*, ſignificat eam fore aſpectus Chriſti lucem quæ tenebras Antichriſti abſorbeat: interea tacite ſubindicat Antichriſto permiſſum iri regnandi vices, quum ſe Chriſtus veluti ſubduxerit, quemadmodum accidere ſolet, quoties ſe offerenti tergum obvertimus. Et certe fuit triſtis ille Chriſti diſceſſus, quum lucem ſuam male & indigne exceptam hominibus abſtulit, quemadmodum ſequitur. Iterum docet Paulus, ſola ejus præſentia contra omnes Satanæ aſtutias ſatis tutos fore omnes Dei electos.

* vel, *efficaciam.*

9. Cujus adventus eſt ſecundum * operationem Satanæ, in omni potentia, & ſignis, & prodigiis mendacibus,

10. Et in omni deceptione injuſtitiæ in iis qui pereunt: pro eo quod dilectionem veritatis non ſunt amplexi, ut ſalvi fierent.

* vel, *efficaciam.*

11. Propterea mittet illis Deus * operationem impoſturæ, ut credant mendacio:

12. Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed oblectati ſunt injuſtitia.

9. *Cujus adventus.*] Confirmat quod dixit, argumento à contrariis. Nam quod Antichriſtus non conſiſtat, niſi Satanæ impoſturis: ſimulatque illucet Chriſtus, neceſſe eſt ipſum evaneſcere. Denique quia tantum in tenebris regnat, dies exoriens regnum illius caliginem profligat & extinguit. Tenemus nunc Apoſtoli conſilium: docere enim voluit, nullam fore Chriſto difficultatem in deſtruenda Antichriſti tyrannide, quæ nullis niſi Satanæ præſidiis fulta eſt. Interea tamen notas adſcribit quibus ille perditus diſcerni queat. Poſtquam enim de operatione vel efficacia Satanæ loquutus eſt, ſpecialiter eam deſignat, quum addit, *In ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni deceptione.* Et ſane ut regno Chriſti hoc ſit contrarium, partim in falſa doctrina & erroribus, partim in fictis miraculis ſitum eſſe oportet. Continetur enim Chriſti regnum doctrina veritatis, & Spiritus virtute. Ergo Satan ut in vicarii ſui perſona, Chriſto ſe opponat, induit Chriſti larvam: ſimul tamen arma deligit quibus recta Chriſtum oppugnet. Chriſtus Euangelii ſui doctrina mentes noſtras in vitam æternam illuſtrat: Antichriſtus Satanæ magiſterio edoctus, impia doctrina impios conſtringit in exitium. Chriſtus Spiritus ſui potentiam ad ſalvandum exerit, & miraculis Euangelium ſuum obſignat: adverſarius, Satanæ efficacia, nos à Spiritu ſancto alienat, & ſuis præſtigiis confirmat miſeros homines in errore. Signa mendacia appellat, non tantum quæ falſo & mendaciter finguntur ab aſtutis hominibus ad ludendos ſimplices (cujuſmodi fallaciis ſcatet totus Papatus: ſunt enim pars ejus potentiæ quam prius attigit) ſed mendacium in eo ſtatuit, quod Satan, quæ alioqui vere ſint Dei opera, in adverſum finem trahit, & miraculis abutitur ad obſcurandam Dei gloriam. Non tamen interea dubium eſt quin præſtigiis illudat: ut in Magis Pharaonis habemus exemplum.

10. *In iis qui pereunt.*] Limitat Satanæ potentiam, ne electis Dei noceat: quemadmodum & Chriſtus eos ab hoc periculo eximit. Unde apparet non niſi ejus permiſſu tantum valere Antichriſtum. Fuit autem hæc neceſſaria conſolatio. Nam alioqui pavore exanimari pios omnes neceſſe foret, ſi viderent apertum gurgitem totam viam occupantem, qua ſibi tranſeundum eſſet. Paulus ergo utcunque ſollicitos eſſe velit, quo ſibi caveant ne ſecuritate nimia defluant, imo ſe projiciant in exitium: jubet tamen bene ſperare, quia frenata eſt Satanæ potentia, ne alios quam reprobos in ruinam dare poſſit. *Pro eo quod dilectionem veritatis* &c. Ne conquerantur reprobi ſe innoxios perire, & Dei ſævitia potius quam proprio delicto eſſe morti devotos: oſtendit Paulus quam juſtis de cauſis adeo ſevera Dei vindicta in illos ventura ſit: quia ſcilicet veritatem ſibi oblatam, quo decet affectu non fuerint amplexi, imo ſponte ſalutem recuſaverint. Atque hinc clarius apparet quod jam dixi, oportuiſſe mundo prædicari Euangelium, antequam Deus Satanæ tantum permitteret: quia nonniſi extrema hominum ingratitudine provocatus, tam fœdam templi ſui profanationem unquam paſſurus eſſet. In ſumma, teſtatur Paulus Antichriſtum juſtæ Dei vindictæ miniſtrum fore adverſus eos qui ad ſalutem vocati, Euangelium reſpuerint, ac potius adjecerint animum ad impietatem & errores. Quare non eſt quod nunc objiciant Papiſtæ, indignum fuiſſe Chriſti clementia, Eccleſiam ſuam ſic abjicere. Nam quamvis immanis fuerit Antichriſti dominatio, non tamen perierunt niſi qui digni erant: imo qui ſponte mortem oppetierunt. Et certe quum vox Filii Dei ubique perſonuiſſet, ſurdas, imo obſtinatas reperit hominum aures: & quanquam vulgaris fuit Chriſtianiſmi profeſſio, pauci tamen vere & ex animo ſe Chriſto addixerunt. Nihil itaque mirum ſi tam ſceleratum contemptum mox obſequuta eſt ſimilis ultio. Quæritur an non in alios cadat excæcationis pœna, niſi qui data opera Euangelio fuerunt rebelles. Reſpondeo, peculiare hoc judicium quo apertam contumaciam ultus eſt Deus, non obſtare quin ſtupore percutiat, quoties viſum eſt, qui nunquam verbum de Chriſto audierunt: quia Paulus non diſputat in genere, quibus de cauſis ab initio Deus Satanam cum ſuis mendaciis graſſari ſiverit: ſed quam horribilis vindicta immineat craſſis novæ & prius inſolitæ gratiæ contemptoribus. Recipere dilectionem veritatis dixit, pro eo quod eſt, Animum adjicere ad eam diligendam. Unde diſcimus, fidem ſemper cum ſuavi & ſpontanea Dei reverentia eſſe conjunctam: quia non rite creditur verbo Dei, niſi dum amabile & jucundum eſt.

11. *Operationem impoſturæ.*] Significat non modo locum fore erroribus, ſed excæcatum iri reprobos, ita ut abſque judicio in mortem ruant. Quemadmodum enim Spiritu ſuo nos intus illuminat Deus, ut efficax ſit apud nos ſua doctrina: oculoſque & corda nobis aperit, ut illuc penetret: ita juſto judicio tradit in ſenſum reprobum quos exitio deſtinavit, ut clauſis oculis, & ſtupida mente, quaſi faſcinati, Satanæ & ejus miniſtris ſe fallendos tradant. Et certe illuſtre ejus rei ſpectaculum in Papatu habemus. Nullis verbis exprimi poteſt quam portentoſa ſit illic errorum colluvies, quam craſſa & pudenda ſit ſuperſtitionum abſurditas, quam aliena à ſenſu communi deliria. Quicunque mediocrem habent ſanæ doctrinæ guſtum, de portentis illis cogitare nequeunt ſine ſummo horrore. Qui fit ergo ut totus in illis obſtupeſcat, niſi quod homines cæcitate percuſſi ſunt à Domino, & quaſi in truncos converſi?

12. *Ut judicentur omnes.*] Hoc eſt, ut pœnam luant impietate ſua dignam. Ita non eſt quod expoſtulent cum Deo qui pereunt, quia adepti ſunt quod quærebant. Tenendum eſt enim quod Deuteron. cap. 13. v. 3. habetur, Examinari corda hominum, quum prodeunt falſæ doctrinæ, quia non prævalent niſi apud eos qui corde ſincero Deum non diligunt.

quibus ergo placet injuſtitia, fructum ejus colligant. Quum dicit Omnes, ſignificat non excuſari contemptum Dei immenſa eorum turba & multitudine qui obedire Euangelio renuunt. totius enim mundi judex eſt Deus, ut non minus de centum millibus, quam de uno homine pœnas ſumat. Participium *εὐδοκήσαντες* ultroneam (ut ita loquar) propenſionem ad malum ſonat: ita enim ingratis præciditur omnis excuſatio, dum tantam ex injuſtitia voluptatem capiunt, ut illam præferant Dei juſtitiæ. Nam qua vi impulſos ſe fuiſſe dicent, ut ſe veſana defectione alienarent à Deo, ad quem naturæ ductu agebantur? certe volentes & ſcientes mendaciis aurem præbere conſtat.

13. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quia elegit vos Deus ab initio in ſalutem: in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis:

14. Quo vocavit vos per Euangelium noſtrum in poſſeſſionem * gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. * vel *glorioſam.*

13. *Nos autem debemus.*] Nunc apertius Theſſalonicenſes à reprobis ſegregat, ne fides eorum futuræ defectionis metu titubet. quanquam non ipſis tantum conſulere, ſed etiam poſteris voluit. Nec tantum illos confirmat, ne in idem ferantur cum mundo præcipitium, ſed hac comparatione gratiam Dei erga eos magis commendat: quod quum cernant totum fere orbem quaſi violenta tempeſtate ſimul in morte abripi, ipſi Dei manu in quieto & firmo vitæ ſtatu retineantur. Ita convenit Dei judicia in reprobis intueri, ut nobis veluti ſpecula ſint ad conſiderandam ejus erga nos miſericordiam. Sic enim ſtatuendum eſt, quod miſere cum illis non perimus, nonniſi ſingulari Dei gratia fieri. Hac ratione *dilectos à Domino* vocat: ut melius cogitent, non alia ſe cauſa ab illa quaſi univerſali mundi clade eripi, niſi quia Deus illos gratuito amavit. Sic Moſes monebat, Non ideo tam magnifice extulit vos Deus, quia ſitis aliis potentiores, vel majore numero: ſed quia Patres veſtros dilexit. Deut. 7. v. 8. Nam quum audimus Amoris
1 *Joan.* 4. nomen, protinus in mentem venire debet illud Joan-
verſ. 19. nis. Non quod priores dilexerimus eum. In ſumma, duo hic agit Paulus: fidem enim confirmat, ne pii metu perculſi deficiant: & eos ad gratitudinem hortatur, ut pluris Dei erga ſe miſericordiam æſtiment. *Elegit vos.* Cauſam exprimit cur non eadem omnes ruina involvat & opprimat: quia ſcilicet quoſcunque elegit Deus, in eos nihil poteſt Satan quin ſalvi fiant: etiam ſi cælum terræ miſceatur. Varie legitur hic locus. Vetus interpres reddit Primitias, tanquam Græce eſſet *ἀπαρχὴν*. ſed quia omnes fere Græci codices habent *ἀπ' ἀρχῆς*, hanc potius lectionem ſequutus ſum. Siquis malit Primitias, ſenſus erit, fideles quaſi ſepoſitos eſſe in ſacram oblationem: metaphora à veteri Legis ritu ſumpta. Teneamus tamen quod magis receptum eſt, nempe quod ab initio electos eſſe Theſſalonicenſes dicat. Quidam exponunt, quod inter primos vocati fuerant: ſed hoc alienum eſt à ſenſu Pauli, nec circumſtantiæ loci convenit. Neque enim paucos tantum qui ſtatim ab exordio Euangelii ad Chriſtum adducti fuerint, metu liberat: ſed hæc conſolatio pertinet ſine exceptione ad omnes Dei electos. Quod ergo dicit *Ab initio*, ſignificat non eſſe periculum ne eorum ſalutem, quæ in æterna Dei electione fundata eſt, evertat quantumvis turbulenta rerum mutatio. acſi diceret, Utcunque omnia miſceat Satan in mundo & confundat, ſalus veſtra tamen in tuto repoſita eſt, priuſquam crearetur mundus. Hic ergo verus eſt ſecuritatis portus, quod Deus qui pridem nos elegit, ab omnibus quæ nobis impendent malis nos eripiet. Electi enim ſumus in ſalutem: tuti ergo erimus ab interitu. Sed quia noſtrum non eſt penetrare in arcanum Dei conſilium, ut illic ſalutis noſtræ quæramus certitudinem: ſigna vel teſſeras electionis ponit, quæ ad ejus fiduciam ſufficere nobis debent. *In ſanctificatione Spiritus*, inquit, *& fide veritatis.* quod duobus modis exponi poteſt, Cum ſanctificatione, vel Per ſanctificationem. Non tamen magni refert utrumvis eligas: quando certum eſt, nihil aliud velle Paulum, quam electioni ſubjicere propiora ſigna, quæ illam per ſe incomprehenſibilem nobis patefaciunt, & cum ea individuo nexu cohærent. Ergo ut ſciamus nos à Deo electos eſſe, non eſt quod ſciſcitemur quid ante mundi creationem decreverit: ſed in nobis reperimus legitimam probationem, ſi nos Spiritu ſuo ſanctificaverit, ſi in fidem Euangelii ſui illuminaverit. Nam & Euangelium, nobis adoptionis noſtræ teſtimonium eſt, & Spiritus eam obſignat: & qui aguntur Dei Spiritu, filii Dei ſunt: & qui fide Chriſtum poſſidet, is habet vitam æternam. Hæc diligenter notanda ſunt, ne præterita voluntatis Dei revelatione, in qua acquieſcere nos jubet, eam ex arcano ejus conſilio eruere volentes (à cujus inquiſitione nos ſubmovet) in profundum labyrinthum nos ingurgitemus. Fide ergo Euangelii, & Spiritus gratia, qua regenerati ſumus, contentos nos eſſe decet. Atque hinc refellitur eorum improbitas qui electionem Dei prætextum faciunt omnis nequitiæ: quando Paulus illam cum fide & regeneratione ſic conjungit, ut non aliunde velit eam æſtimari.

14. *Quo vocavit vos.*] Idem repetit, licet paulo aliis verbis. Non enim vocantur filii Dei, niſi in fidem veritatis. Sed hic Paulus oſtendere voluit quam idoneus ſit teſtis ad eam rem confirmandam cujus miniſter fuerat. Itaque ſe veluti ſponſorem conſtituit, ne dubitent Theſſalonicenſes Euangelium quod ab eo edocti erant, ſalvificam eſſe Dei vocem qua excitentur à morte, & à Satanæ tyrannide aſſerantur. Euangelium appellat ſuum, non quaſi apud ſe natum: ſed cujus illi mandata prædicatio fuerat. Quod addit, In acquiſitionem, vel poſſeſſionem gloriæ Chriſti: tam active quam paſſive capi poteſt: vel quod vocati ſint, ut ſemel communem poſſideant gloriam cum Chriſto: vel quod eos Chriſtus acquiſierit in ſuam gloriam. Atque ita altera erit confirmationis ratio, quod non ſecus eos ac propriam hæreditatem tuebitur, & in ſalute eorum aſſerenda, gloriæ ſuæ vindex erit. qui poſterior ſenſus (meo judicio) melius convenit.

15. Itaque, fratres, ſtate, & tenete inſtitutiones quas didiciſtis vel per ſermonem, vel per Epiſtolam noſtram.

16. Ipſe vero Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus ac Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam per gratiam,

17. Conſoletur corda veſtra, & ſtabiliat vos in omni opere & ſermone bono.

Exhor-

Exhortationem iſtam merito infert ex ſuperioribus: quia conſtantia noſtra & perſeverandi virtus, non alia re quam divinæ gratiæ fiducia nititur. Ubi autem Deus ad ſalutem, quaſi porrecta manu nos vocat, ubi ſe Chriſtus fruendum offert Euangelii doctrina, ubi Spiritus in ſigillum & arrham vitæ æternæ nobis datus eſt: etiam cælum ruat, non tamen nos animis labaſcere oportet. Itaque Paulus ſtare Theſſalonicenſes jubet, non ſtantibus modo aliis, ſed magis robuſta firmitudine: ut quum viderint fere omnes à fide excidere, plenaque confuſionis eſſe omnia, nihilominus in ſtatu maneant. Et certe ſic nos adverſus omnia ſcandala munire debet vocatio, ut ne univerſalis quidem mundi ruina noſtram firmitudinem concutiat, nedum evertat.

15. *Tenete inſtitutiones.*] Quod nonnulli ad præcepta externæ politiæ reſtringunt, mihi non placet: modum enim ſtandi indicat. Atqui ad inflexibile robur inſtrui, res longe altior eſt externa diſciplina. Quare totam doctrinam (meo judicio) hoc numine complectitur: acſi diceret, habere eos in quo firmi conſiſtant, ſi ut erant ab eo inſtituti, pergant in ſana doctrina. Non nego apte vocari *παραδόσεις*, quæ fovendæ pacis & retinendi ordinis cauſa ab Eccleſiis ſtatuuntur. & ſic accipi fateor quum de humanis traditionibus agitur, Mat. 15. v 6. Cæterum Paulus capite proximo Traditionem ponet, pro regula à ſe tradita: & ipſa verbi ſignificatio generalis eſt. Contextus autem (ut dixi) poſtulat ut hic ſumatur de tota doctrina in qua inſtituti fuerant. De re enim omnium maxima agitur, ut in horribili Eccleſiæ concuſſione ſtabilis maneat eorum fides. Inepti autem ſunt Papiſtæ qui hinc ſuas traditiones ſervandas eſſe colligunt. Sic quidem ratiocinantur, Si Paulo traditiones mandare licuit, aliis etiam doctoribus licere. & ſi illas ſervari pium fuit, has quoque non minus ſervandas eſſe. Verum ut illis concedam, Paulum de præceptis ad externum Eccleſiæ regimen pertinentibus loqui: non tamen ab eo fabricata, ſed
1 Cor. 7. verſ. 35. divinitus tradita fuiſſe dico. Teſtatur enim alibi, non eſſe ſibi propoſitum, conſcientiis laqueum injicere: quemadmodum nec illi nec Apoſtolis omnibus fas fuit. Magis etiamnum ridiculi ſunt, dum fœtidam ſuperſtitionum ſuarum colluviem volunt hoc titulo venditare, acſi Paulinæ eſſent traditiones. Sed valeant nugæ illæ, quando ſincerum Pauli ſenſum tenemus. Et partim ex Epiſtola judicium fieri poteſt quaſnam traditiones commendet: dicit enim, *Sive per ſermonem*, (hoc eſt, conciones) *ſive per Epiſtolam*. Quid autem continent Epiſtolæ, niſi puram doctrinam? quæ totum Papatum, & quævis aliena ab Euangelii ſimplicitate figmenta funditus proſternit.

16. *Ipſe vero Dominus noſter.*] Quod opus maxime divinum Chriſtu adſcribit, & eum indifferenter cum Patre facit ſummorum bonorum auctorem: ut nobis eo luculenter probatur Chriſti divinitas: ita admonemur, non aliter obtinere nos poſſe quicquam à Deo, niſi in Chriſto ipſo quæramus. Et quum à Deo illis dari petit quæ præceperat, ſatis innuit quam parum valeant exhortationes, niſi Deus corda intus moveat & afficiat. Certe inanis tantum ſonitus aures feriet, niſi efficaciam habeat à Spiritu doctrina. Quæ poſtea addit, *Qui dilexit vos, & dedit conſolationem* &c. ad impetrandi fiduciam ſpectant. Vult enim perſuaſum eſſe Theſſalonicenſibus, Deum facturum quæ precatur. Unde autem probat? quia ſemel eos ſibi charos eſſe monſtravit, dum jam præclaris eos beneficiis proſequutus eſt, atque hoc modo ſe illis in poſterum devinxit. Id ſibi vult *æterna conſolatio.* eodem & *ſpei* nomen ſpectat: ut perpetuam donorum continuationem certo expectent. Quid autem petit? ut Deus conſolatione ſua eorum corda ſuſtineat. nam hoc ejus officium eſt, ne anxietate vel diffidentia concidant: deinde ut det illis perſeverare, tam in piæ & ſanctæ vitæ curſu, quam in ſana doctrina. De hac enim potius, quam de communi ſermone eum loqui puto: ut cohæreat cum ſuperioribus.

Cap. III.

QUod reliquum eſt, orate, fratres, pro nobis, ut ſermo Domini currat & glorificetur, quemadmodum & apud vos:

2. Et ut liberemur ab importunis & malignis hominibus. non enim omnium eſt fides.

3 Fidelis autem Dominus, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à maligno.

4 Confidimus autem in Domino de vobis, quod quæ vobis præcipimus, & facitis, & facturi eſtis.

5. Dominus autem dirigat corda veſtra in dilectionem Dei, & expectationem Chriſti.

1. *Orate pro nobis.*] Quanquam potenter illi aderat Dominus, & precandi ardore ſuperabat alios omnes: non tamen negligit fidelium preces, quibus nos Dominus vult adjuvari. Nos quoque ejus exemplo hoc adminiculum ſedulo expetere convenit, & fratres ſtimulare ut pro nobis orent. Cæterum quum addit, *Ut ſermo Dei currat:* oſtendit, ſe non tam privatam habere ſui curam & rationem, quam totius Eccleſiæ. Cur enim Theſſalonicenſium precibus commendatus eſſe cupit? ut ſcilicet Euangelii doctrina ſuum curſum habeat. Non tam igitur ſe unum reſpici vult, quam & Chriſti gloriam, & communem Eccleſiæ ſalutem. Curſus, propagationem ſignificat: Gloria, quiddam amplius. nempe ut vim efficaciamque ſuam habeat prædicatio ad reformandos in imaginem Dei homines. Itaque ſanctitas vitæ & integritas in Chriſtianis, eſt Euangelii decus: ſicuti Euangelium infamant qui ore illud profitentur, flagitioſe interea & nequiter viventes. Dicit, *Quemadmodum apud vos:* nam incitamentum hoc eſſe debet piis, ut omnes alios ſui ſimiles videant. Ideo qui jam ingreſſi ſunt in regnum Dei, quotidie jubentur orare ut illud adveniat.

2. *Ut liberemur.*] Non male, meo judicio, vetus Interpres ἀτόπους reddidit Importunos. Hoc autem nomine, ſicut & proximo τῶν πονηρῶν, deſignat Paulus improbos ac perfidos homines, qui ſub Chriſtianorum nomine in Eccleſia latebant: aut certe Judæos, qui inſano Legis zelo Euangelium furioſe perſequebantur. Sciebat autem quantum ſibi periculi ab utriſque inſtaret. Quanquam Chryſoſtomus eos tantum notari putat qui malitioſe oppugnabant Euangelium pravis dogmatibus: non autem manu armata, ut Alexander, Hymenæus, & ſimiles: ſed ego generaliter ad quodvis diſcriminum & hoſtium genus extendo. Tunc Jeroſolymam proficiſcebatur, & ſcribebat ex medio itinere. Atqui jam divinitus fuerat admonitus, ſibi illic inſtare vincula & perſequutiones. Liberationem porro intelligit, ut victor evadat, ſive per mortem, ſive per vitam. *Non omnium*

eſt

eſt fides. Poſſet ita reſolvi, Non in omnibus eſt fides. Verum hæc loquutio & ambigua & magis obſcura foret. Retineamus ergo Pauli verba, quibus ſignificat fidem rarius eſſe Dei donum, quam ut in omnibus reperiatur. Multos ergo vocat Deus, qui fide non accedunt: multi accedere ſe ſimulant qui cor habent remotiſſimum. Porro non de quibuſvis loquitur, ſed tantum domeſticos perſtringit. Videbant enim Theſſalonicenſes plurimos à fide abhorrere: imo videbant quam exiguus eſſet credentium numerus. Quare de cæteris fuiſſet hoc dictu ſupervacuum: ſed Paulus negat, omnes qui fidem profitentur, tales revera eſſe. ſi Judæos omnes comprehendas, videbantur illi propinqui eſſe Chriſto: quia ex Lege & Prophetis ipſum agnoſcere debebant. Certe peculiariter eos notat Paulus quibuſcum ſibi futurum erat negotium. illos autem fuiſſe veriſimile eſt, qui quum ſpeciem haberent ac titulum pietatis, ab ea tamen procul aberant. hinc conflictus Ergo ut oſtendat, non fruſtra vel abs re ſe timere certamina cum improbis hominibus ac perverſis, dicit fidem non eſſe communem omnium: quia ſemper bonis permiſti ſint nequam & reprobi, tanquam bonæ ſegeti zizania. Et hoc nobis in memoriam venire debere, quoties negotium nobis faceſſunt improbi, qui tamen in Chriſtianorum grege cenſeri volunt, Non omnium eſſe fidem. Imo quum interdum audimus turbari pravis factionibus Eccleſias, ſit hic nobis clypeus adverſus ejuſmodi ſcandala. Non enim ſolum piis doctoribus ſæpe erimus injurii, ſi de eorum fide dubitemus, quoties illis domeſtici hoſtes injuriam faceſſunt: ſed ſubinde vacillabit fides noſtra, niſi multos in iis qui Chriſtianorum nomen jactant, perfidos eſſe meminerimus.

3. *Fidelis autem Dominus.*] Quoniam fieri poterat ut ſiniſtris rumoribus perculſi eorum animi, in aliquam dubitationem de Pauli miniſterio venirent: poſtquam admonuit, non ſemper inveniri fidem in hominibus, ipſos ad Deum revocat, ac fidelem eſſe dicit, qui eos confirmet adverſus omnes hominum machinas, quibus eos concutere molientur. acſi diceret, Illi quidem perfidi: ſed firma ſatis in Deo ſultura eſt, ne concidatis. Fidelem Dominum appellat, qui ſibi uſque in finem conſtat in tuenda ſuorum ſalute, illis in tempore opitulatur, & nunquam in periculis
1 Cor. 10. verſ. 13. deſerit. Sicuti ad Corinthios, Fidelis Dominus qui non ſinet vos tentari ſupra quam ferre poſſitis. Cæterum de aliis magis quam de ſe anxium fuiſſe Paulum, oſtendunt hæc ipſa verba. In eum maligni homines improbitatis ſuæ aculeos dirigebant, in eum totus impetus irruebat: curam interea ſuam ad Theſſalonicenſes convertit, nequid hæc illis tentatio noceat. Nomen *Maligni*, tam ad rem, hoc eſt, malitiam, quam ad perſonas improborum referri poteſt. Ego tamen de Satana improborum omnium capite, libenter interpretor. Parum enim foret ab aſtu aut violentia hominum eripi, niſi nos Dominus ab omni ſpirituali noxa protegeret.

4. *Confidimus autem.*] Hac præfatione tranſitum ſibi facit ad præceptionem quam mox ſubjicit. Fiducia enim, quam ſe de illis habere dicit, multo eos reddebat promptiores ad parendum, quam ſi obedientiam, quaſi dubitans aut diffidens, poſtulaſſet. Spem vero hanc quam de illis concepit, dicit in Domino eſſe fundatam: quoniam illius eſt corda flectere ad ſubmiſſionem, & in ea retinere. vel hac voce (quod mihi probabilius eſt) teſtari voluit, non eſſe ſibi in animo quicquam mandare, niſi ex imperio Domini. Ergo hoc & ſibi jubendi & illis parendi terminos ſtatuit, ne quid niſi in Domino Quicunque ergo hanc modeſtiam non tenent, fruſtra obtendunt Pauli exemplum, ut Eccleſiam legibus ſuis adſtringant ac ſubjiciant. Forte huc etiam ſpectavit, ut ſalva apud Theſſalonicenſes maneat Apoſtolatus ſui reverentia, quantumvis improbi ejus honorem dejicere conentur: nam precatio quam ſtatim ſubnectit, in hunc tendit finem. Modo enim corda ad Dei amorem & Chriſti patientiam formata maneant, reliqua habebunt: ſeque Paulus nihil aliud cupere profitetur. Unde apparet quam non ſibi propriam dominationem quærat. Contentus enim eſt, modo in Dei amore & ſpe adventus Chriſti perſeverent. Precatio fiduciæ adjuncta, admonet non remittendum eſſe precandi ſtudium propterea quod bene ſperemus. Quum autem hic ſummatim exprimat quæ noverat Chriſtianis eſſe maxime neceſſaria: quantum quiſque ad perfectionem promovere cupit, in his duobus proficere ſtudeat. Et certe regnare non poteſt in nobis amor Dei quin fraterna quoque charitas vigeat. Expectatio autem Chriſti nos ad mundi contemptum, carnis mortificationem, & crucis tolerantiam inſtituit. Quanquam patientia Chriſti exponi poſſet quam in nobis gignit Chriſti doctrina. ſed ego de ſpe ultimæ redemptionis intelligere malo. Nam hoc unum in præſentis vitæ militia nos ſuſtinet, quod redemptionem expectemus: deinde hæc expectatio tolerantiam requirit inter continua crucis exercitia.

6. Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut vos ſubducatis ab omni fratre qui inordinate ambulat, & non juxta inſtitutionem quam accepit à nobis.

7. Ipſi enim ſcitis quomodo oporteat nos imitari: quia non inordinate egimus inter vos,

8. Neque gratis panem comedimus à quoquam, ſed cum labore & ſudore, nocte dieque facientes opus, ne cui veſtrum graves eſſemus.

9. Non quod non habeamus poteſtatem, ſed ut nosipſos exemplar proponeremus vobis ad imitandum nos.

10. Etenim quum eſſemus apud vos, hoc vobis præcepimus ut qui laborare non vult, is neque comedat.

Nunc ad particularis vitii correctionem deſcendit. quia ignavi erant homines quidam, & ſimul curioſi & garruli, qui ut ſibi victum ex alieno corraderent, per domos oberrabant: eorum ſegnitiem foveri indulgentia vetat: ſancteque eos vivere docet qui honeſto & utili labore, vitæ neceſſaria ſibi comparant. Ac primum *inordinatos* vocat, non qui diſſolutæ ſunt vitæ, aut manifeſtis flagitiis infames, ſed ignavos & nihili homines, qui nulla honeſta & utili occupatione ſe exercent. Hæc enim vere eſt ἀταξία, non reſpicere quorſum conditi ſimus, & vitam noſtram ad finem non componere: quando hæc demum ordinata eſt vita, quum vivimus ad Dei præſcriptum. Extra hunc ordinem nihil eſt in vita humana niſi confuſum. Atque id notatu dignum eſt, nequis ſibi extra legitimam Dei vocationem placeat. Ita enim Deus vitam hominum diſtinxit, ut ſe quiſque proximis addicat. Ergo qui ſibi tantum vivit, nullam ad rem utilis generi humano, imo aliis oneri eſt, neminem juvans, merito cenſetur ἄτακτος. Quare tales Paulus arcendos pronunciat à fidelium conſuetudine, ne dedecore Eccleſiam afficiant.

6. *Præcipimus autem vobis.*] Eraſmus vertit, Per nomen: acſi eſſet obteſtatio. quod ego tametſi non

omnino rejicio, tamen potius exiſtimo particulam *In*, eſſe ſupervacuam, ut plurimis aliis locis: idque ex uſu linguæ Hebraicæ. Ita ſenſus erit, præceptionem hanc non ut ab homine mortali, ſed à Chriſto ipſo profectam, reverenter debere excipi. atque ita Chryſoſtomus interpretatur. Porro ſubductio hæc de qua loquitur, non ad publicam excommunicationem pertinet, ſed ad conſuetudinem privatam. Vetat enim ſimpliciter, ne quid familiaritatis habeant fideles cum ejuſmodi fucis, qui nullum habent honeſtum vitæ genus, in quo ſe exerceant. Nominatim vero dicit, *Ab omni fratre*: quia ſi Chriſtianos ſe profitentur, minime omnium ſunt tolerabiles: quia ſunt veluti religionis probra & maculæ. *Non juxta inſtitutionem*, nempe quam mox ſubjiciet, Ne cibus detur laborem recuſanti. Sed antequam huc veniat, quale illis exemplum in ſe præbuerit, refert. Nam multo plus fidei & auctoritatis obtinet doctrina, quum nihil aliud imponimus oneris aliis, quam in nos ſuſcipimus ipſi. Commemorat autem ſe dies & noctes fuiſſe in opere manuario, ne quem ſumptibus gravaret. Qua de re aliquid etiam priore Epiſtola attigerat, unde petenda lectoribus eſt plenior hujus rei explicatio. Quod *ſe panem ullius gratis comediſſe* negat: certe etiamſi manibus non laboraſſet, non erat id facturus. Neque enim gratuitum eſt quod jure debetur: & laboris quem Eccleſiæ impendunt doctores, longe majus eſt pretium, quam victus quem ab ea recipiunt. Sed hic Paulus inconſideratos homines reſpicit. neque enim tantum eſt in omnibus æquitatis ac judicii, ut quæ verbi miniſtris debeatur merces, agnoſcant. Quin potius ea eſt quorundam malignitas, ut etiamſi nihil de ſuo conferant, victum tamen illis invideant, tanquam otioſis hominibus. Et mox ſatis declarat ſe proprio jure ceſſiſſe, quum à ſtipendio abſtinuit. quo ſignificat multo minus ferendum eſſe, ut qui nihil agunt, de alieno vivant. *Ipſos ſcire* dicit *quomodo imitari ſe oporteat.* non ſimpliciter contendit, exemplum ſuum legis inſtar debere haberi: ſed ſenſus eſt, eos tenere quid imitatione dignum ſpectaverint: imo hoc ipſum de quo nunc agitur, propoſitum ad imitationem fuiſſe.

9. *Non quod non habeamus.*] Quemadmodum labore ſuo exemplum edere Paulus voluit ne alienum panem ignavi homines, tanquam fuci ederent: ita illud idem nocere verbi miniſtris noluit, ut eos legitimo victu fraudarent Eccleſiæ. In quo perſpicitur ſingularis ejus moderatio & humanitas: & quam procul ab eorum ambitione abfuerit qui in hoc abutuntur ſuis virtutibus, ut fratrum jus imminuant. Periculum erat ne Theſſalonicenſes, quia gratuitam initio prædicationem Euangelii habuerant ex Pauli ore, legem in poſterum ſtatuerent aliis miniſtris: ut maligna eſt hominum natura. Occurrit ergo Paulus, & ſibi plus licuiſſe docet quam uſurpaverit, ut reliquis ſua libertas integra maneat. Eadem ratione plus incutere pudoris nihil agentibus voluit, quemadmodum ſupra attigi. eſt enim argumentum à majori ad minus.

10. *Qui laborare non vult.*] Quum ſcriptum ſit, *Pſal.128.*
Beatus es, laborem manuum tuarum comedens: *verſ.4.*
item, Benedictio Domini ſuper manus laborantis: *Prov.10.*
certum eſt deſidiam ac inertiam à Deo maledici. De- *verſ.4.*
inde ſcimus ad hoc creatum eſſe hominem ut aliquid agat. quod non modo Scriptura nobis teſtatur, ſed natura etiam Gentes docuit. Æquum ergo eſt, ut qui ſe à communi lege eximere volunt, victu etiam, laboris mercede priventur. Quum autem præcipit Apoſtolus, ne tales ederent, non ſignificat præceptum illis dediſſe, ſed vetuiſſe ne Theſſalonicenſes illis victum ſuppeditando, ignaviam alerent. Porro notandum eſt varias eſſe laborandi ſpecies. Quiſquis enim hominum ſocietatem induſtria ſua juvat, ſive familiam regendo, ſive privata negotia adminiſtrando, ſive conſulendo, ſive docendo, & quacunque alia ratione, is inter otioſos numerandus non eſt. Nam inertes fucos taxat Paulus qui alienis vivunt ſudoribus, quum ipſi in commune nihil conferant officii ad juvandum humanum genus. Quales ſunt noſtri monachi & ſacrifici, qui nihil agendo, large ſaginantur: niſi quod tædii fallendi cauſa in templis cantillant. Hoc ſane eſt (ut Plautus inquit) muſice vivere.

11. Audimus enim quoſdam verſantes inter vos inordinate, nihil operis agentes, ſed curioſe ſatagentes.

12. Talibus autem præcipimus, & obſecramus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuum ipſorum panem edant.

13. Vos autem, fratres, ne defatigemini benefaciendo.

11. *Audimus quoſdam.*] Veriſimile eſt, hoc fucorum genus, quoddam fuiſſe otioſi monachatus ſemen. Nam ſtatim ab initio extiterunt qui religionis prætextu vel arroderent alienas menſas, vel ad ſe callide attraherent ſimplicium ſubſtantiam. Et Auguſtini tempore jam adeo invaluerant, ut coactus fuerit proprium librum ſcribere adverſus otioſos monachos: ubi merito de eorum ſuperbia conqueritur, quod Apoſtolum monentem ſpernentes, non tantum ab infirmitate ſe excuſant: ſed ideo ſanctiores aliis omnibus videri volunt, quia vacant à laboribus. merito invehitur in hanc indignitatem, quod ubi laborioſi ſunt ſenatores, opifex aut ſordidus non tantum otioſus vivat, ſed deſidiam pro ſanctitate venditet. Hæc quidem illic. Sed interea ſic graſſatum eſt malum, ut decimam fere orbis partem occupent ignavi ventres, quibus unica religio eſt bene refertos vacationem habere ab omni laboris moleſtia. Atque hujuſmodi vitæ genus, hujus vel illius nunc Ordinis, nunc Regulæ nomine inſigniunt. Quid autem ex adverſo Spiritus per os Pauli? nempe irregulares & inordinatos omnes pronunciat, quocunque titulo cenſeantur. Nihil hic referre neceſſe eſt quantum ſemper otioſa monachorum vita ſanioribus diſplicuerit. Memorabile eſt illud veteris monachi dictum, quod à Socrate refertur hiſtoriæ tripartitæ libro 8. Monachum qui manibus non laborat, prædoni eſſe ſimilem. Alia non commemoro, neque opus eſt: ſufficiat nobis hæc Apoſtoli ſententia qua pronunciat diſſolutos eſſe & quaſi exleges. *Nihil operis.* In Græcis participiis elegans eſt παρονομασία, quam ego utcunque imitari ſum conatus, quum tranſtuli, Nihil eos agere operis, ſed curioſe ſatagere. Vitium autem notat quo ut plurimum laborant otioſi homines, nempe quod importune tumultuando, ſibi & aliis ſunt moleſti. Videmus enim eos qui nihil habent negotii, longe plus fatigari, nihil agendo, quam ſi in opere valde ſerio occuparentur. Huc illuc curſitant: quocunque veniunt, magnam laſſitudinem præ ſe ferunt: colligunt omnes rumores, eos turbulente diſſipant: dicas eos regni unius molem humeris ſuſtinere. Hujus rei an ullum poteſt illuſtrius ſpeculum haberi quam in monachis? quod enim hominum genus magis inquietum? ubi major regnat curioſitas? Quum autem morbus hic in publicum exitialis ſit, otio non eſſe indulgendum admonet Paulus.

12. *Talibus autem præcipimus.*] Utrumque vitium cujus meminerat, corrigit: tumultuoſam inquietudinem, & otium ab utili labore. Jubet ergo primum ut quietem colant, hoc eſt, placide ſe contineant intra vocationis ſuæ terminos: quod lingua noſtra dicimus, *ſans faire bruit.* Ita enim res habet: maxime omnium pacati ſunt qui juſtis ſe laboribus exercent:

ſe

ſe autem & alios perturbant qui nihil habent operis. Deinde alterum præceptum ſubjicit, ut laborent, hoc eſt, intenti ſint in ſuam vocationem, ac juſtis honeſtiſque exercitiis incumbant, ſine quibus erronea eſt hominis vita. Unde & hoc tertium ſequitur, ut *ſuum ipſorum panem edant.* quo ſignificat oportere ſuo eſſe contentos, ne aliis graves ſint vel importuni. *Prov. 5. verſ. 15.* Bibe aquam ex tuis fontibus, inquit Solomo: & defluant rivi ad vicinos. Hæc prima lex æquitatis, Ne quis aliena uſurpet, ſed eo tantum utatur quod ſuum vocare jure poteſt. Altera, Ne quiſque ſeorſum, tanquam gurges aliquis, abſorbeat quod habet; ſed in proximos ſit beneficus, eorumque inopiam ſua abundantia ſublevet. Ita jubet Apoſtolus eos qui prius otioſi fuerant, laborare, non tantum ut ſibi victum *Epheſ. 4. verſ. 18.* acquirant, ſed ut fratrum quoque neceſſitati opitulentur: quemadmodum & alibi docet.

13. *Vos autem, fratres.*] Ambroſius hoc additum putat, ne opem ſuam maligne pauperibus ſubtraherent divites, quia juſſerat *quemque ſuum panem edere.* Et ſane videmus quam multi ad captandum inhumanitatis prætextum plus æquo ingenioſi ſint. Chryſoſtomus ita interpretatur, quod juvandi ſint nihilominus ignavi homines ſi eſuriunt, utcunque merito damnentur. Ego ſimpliciter exiſtimo, Paulum offendiculo quod ex paucorum ignavia naſci poterat, voluiſſe occurrere. Fieri enim ſolet, ut qui alioqui ad beneficentiam maxime prompti ſunt & alacres, dum vident male collocando ſe beneficia perdere, refrigeſcant. Admonet ergo Paulus, utcunque multi ſint indigni, alii noſtra liberalitate abutantur, non eſſe propterea ceſſandum quin juvemus eos qui ope noſtra indigent. Sententia obſervatu digna, utcunque pauperum ingratitudo, moroſitas, ſuperbia, protervia, aliæque indignitates fatigare nos poſſint, aut tædio frangere, contra tamen eſſe luctandum: ut nunquam deſiſtamus in benefaciendi ſtudio.

14. Siquis autem non obedit ſermoni noſtro, per epiſtolam hunc notate: & ne commiſceamini illi, ut pudefiat.

15. Et ne tanquam inimicum cenſeatis, ſed admonete tanquam fratrem.

16. Ipſe autem Deus pacis det vobis pacem ſemper omnibus modis. Dominus ſit cum omnibus vobis.

17. Salutatio, mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni Epiſtola.

18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Ad Theſſalonicenſes ſecunda miſſa fuit ex Athenis.

14. *Siquis non obedit ſermoni noſtro.*] Jam teſtatus eſt prius, ſe nihil præcipere niſi ex Domino. Quare non in hominem contumax futurus erat qui parere nollet, ſed Deo ipſi rebellis: ideoque tales ſevere caſtigandos eſſe docet. Ac primum quidem eos vult apud ſe deferri, ut ſua auctoritate eos coërceat: deinde excommunicari jubet, ut pudore tacti reſipiſcant. Unde colligimus non eſſe parcendum eorum famæ qui aliter corrigi nequeunt, niſi eorum vitia retegantur: ſed videndum ut medico indicemus morbos, qui ſanare eos ſtudeat. *Nec commiſceamini illi.* Non dubito quin de excommunicatione agat. præterquam enim quod ſeveram caſtigationem merebatur ἀταξία quam notavit, contumacia intolerabile vitium eſt. Prius dixerat, Subducite vos ab illis, quia inordinate vivunt. Nunc vero, Ne commiſceamini, quia monitionem meam reſpuunt. Plus ergo quiddam hac ſecunda loquutione exprimit quam priori. aliud enim eſt ſubducere ſe à familiaritate cujuſpiam, aliud arcere prorſus à ſocietate ſua. In ſumma, qui moniti non obediunt, eos à communi fidelium cœtu excludit. Quo docemur excommunicationis diſciplina utendum eſſe adverſus omnes præfractos, qui aliter in ordinem cogi non ſuſtinent, & ignominia notandos, donec ſubacti & domiti parere diſcant. *Ut pudefiat.* Sunt quidem alii excommunicandi fines: ne contagio ſcilicet latius ſerpat, & ne privatum unius hominis flagitium in commune Eccleſiæ dedecus redundet, atque ut ſeveritatis exemplum alios ad timorem erudiat. ſed Paulus hic unum attigit: ut pudore ad reſipiſcentiam cogantur qui peccarunt. Nam qui ſibi in vitiis placent, magis ac magis redduntur obſtinati. ſic alitur peccatum indulgentia & diſſimulatione. Optimum ergo hoc remedium eſt, quum pudor incutitur peccatori, ut ſibi diſplicere incipiat. Eſſet quidem hic per ſe tenuis profectus, habere hominem verecundiam: ſed Paulus ulteriorem progreſſum reſpexit, dum ſcilicet agnitione ſuæ turpitudinis confuſus peccator, hoc modo ad plenam correctionem adducitur. Eſt enim pudor, ſicuti triſtitia, utilis ad peccati odium præparatio. Quare hoc freno coërcendi ſunt (ut dixi) quicunque laſciviunt, ne ex impunitate creſcat audacia.

15. *Ne tanquam inimicum cenſeatis.*] Rigori temperamentum mox adhibet: nam ſicuti alibi præcipit, *2 Cor. 2. verſ. 7.* cavendum eſt ne abſorbeatur mœrore qui peccavit: quod fieret ſi immodica eſſet ſeveritas. Itaque videmus talem debere eſſe hujus diſciplinæ uſum, ut eorum ſaluti conſulatur in quos animadvertit Eccleſia. Fieri autem non aliter poteſt quin exulceret ſeveritas, ubi modum excedit. ergo ſi prodeſſe volumus, neceſſaria eſt manſuetudo & lenitas, ut qui reprehenduntur, nihilominus ſe amari intelligant. In ſumma, huc non tendit excommunicatio, ut alienet homines à grege Domini, ſed potius ut palatos & vagos revocet. Sed notandum eſt quo ſigno fraternum amorem probari jubeat: non blanditiis ſcilicet, vel adulatione, ſed monitionibus. ſic enim fiet ut ſalutis ſuæ curam haberi ſentiant quicunque non erunt incurabiles. Interim ab anathemate diſcernitur excommunicatio. Nam quos cenſuræ ſuæ ſeveritate notat Eccleſia, Paulus non prorſus abjici debere admonet, quaſi à ſpe ſalutis abdicati eſſent: ſed dandam operam ut ad ſanam mentem revocentur.

16. *Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem.*] Videtur hæc precatio proximæ ſententiæ annexa, ut concordiæ & lenitatis ſtudium commendet. Vetuerat hoſtilem in modum tractare etiam contumaces, donec fraternis monitionibus ad ſanam mentem reducerentur. Opportune ſubjicere præceptum potuit de colenda pace: ſed quia hoc vere divinum eſt opus, ad precationem confugit, quæ tamen ipſa vim quoque præcepti habet. Quanquam alio etiam ſpectare poteſt, ut homines immorigeros Deus compeſcat, ne quietem Eccleſiæ perturbent.

17. *Salutatio, mea manu.*] Hic periculum rurſus cavet cujus prius meminerat, ne ſcilicet epiſtolæ illi falſo adſcriptæ, in Eccleſias obreperent. Hoc enim vetus fuit Satanæ artificium, ſuppoſititia ſcripta obtrudere, ut veris fidem derogaret. Deinde ementitis Apoſtolorum titulis, impios errores ſpargere ad ſanam doctrinam adulterandam. Atqui ſingulari Dei beneficio factum eſt ut irritis ejus fraudibus, ſana & integra Chriſti doctrina, per miniſterium Pauli & aliorum ad nos perveniret. Ultima precatio exponit quomodo Deus fidelibus ſuis adſit, nempe gratiæ Chriſti præſentia.

Illuſtriſſ. & vere Chriſtiano Principi,

D. EDUARDO,

Sommerſeti Duci, Comiti Hertphordiæ, &c. Angliæ & Hyberniæ Protectori, Tutorique Regio,

JOANNES CALVINUS S.

QUum præclari iſti ſermones, qui tum de aliis tuis virtutibus plane heroicis, tum vero de ſingulati tua pietate habentur, Illuſtriſſime Princeps, tantum ubique tui amorem in bonorum omnium animis, quibus alioqui de facie ignotus es, excitent: neceſſe eſt incredibili te charitatis ac reverentiæ affectu proſequantur quicunque in regno Angliæ recte ſapiunt: quibus non modo palam cernere quæ alii audienres mirantur bona, datum eſt; ſed fructum inde petcipere, quantus à præſtantiſſimo gubernatore provenire, cum ad totum populi corpus, tum ad unumquodque membrum ſolet. Neque enim quæ conſtanti fama celebrantur tuæ laudes, vanitatis ſuſpectæ eſſe poſſunt, quaſi ab adulatoribus profectæ, quum in rebus tuis geſtis illuſtre extet earum teſtimonium. In privato & mediocris fortunæ pupillo difficilis eſt adminiſtratio tutelæ: tu vero non Regis modo, ſed ampliſſimi regni tutelam tibi injunctam ea dexteritate ac prudentia ſuſtines, ut ſueceſſum omnes mirentur. Ac ne inter leges modo & in tranquillo reipublicæ ſtatu niteret tua virtus, eam in bello quoque ſpectandam propoſuit Deus, quod pari felicitate ac fortitudine hactenus auſpiciis tuis geſtum eſt. Neque tamen interea tot tantæque difficultates, quas reputare cuivis promptum eſt, tu vero expertus es, impedimento tibi fuerunt, quominus inſtaurandæ religionis curam in primis ſuſciperes. cogitatio ſane non magis principe viro digna, quam publico regni bono utilis. Nam hæc demum ſtabilis eſt regnorum felicitas, fideliſque cuſtodia, ſi is in quo fundata ſunt & per quem ſervantur, Filius Dei illis præſideat. Itaque melius rem Anglicanam ſtabilire non poteras, quam profligatis idolis purum ibi Dei cultum erigendo. Nam id fieri non poteſt quin reſtituatur genuina pietatis doctrina, quæ ſacrilega Antichriſti Romani tyrannide nimis diu oppreſſa jacuit: quod eſt Chriſtum in ſuo tribunali collocare. Atque hoc eximium alioqui facinus eo majori laude propterea dignum eſt, quo pauciores hodie inter eos qui gubernacula tenent, reperiuntur qui principatus ſui inſignia ſpirituali Chriſti ſceptro ſubmittant. Præclare igitur Sereniſſimo Regi conſultum eſt, cujus pueritiæ talis ex ſua cognatione obtigit moderator. Nam tametſi indolem ejus in primis generoſam omnes prædicant: tamen & fotmandis ad virilem conſtantiam ejus moribus, & conſtituendæ Anglicanæ Eccleſiæ, dum ætas ipſum non patitur has obire vices, talis artifex erat pluſquam neceſſarius. Nec dubito quin ipſe jam nunc agnoſcat, divinitus te ſibi darum eſſe, ex cujus manu res ex voto compoſitas paulo poſt reciperet. Me vero nec tanta locorum diſtantia, nec conditionis meæ humilitas impedire potuit quominus præſtantiſſimum hunc propagandæ Chriſti gloriæ effectum tibi gratularer. Et ſane quum me unum ex iis eſſe voluerit Deus, quorum opera laboreque ſinceriorem Euangelii doctrinam hodie mundo reſtituit: cur non te quoque ſingulari Dei beneficio ejuſdem doctrinæ pattonum ac vindicem ordinatum, qualicunque locorum intervallo ſim abs te diſſitus, qua poſſum obſervantia proſequar? Et quoniam non aliud hujus rei teſtimonium reddere licebat, ſaltem arrhæ loco, hos in duas Pauli Epiſtolas meos Commentarios tibi offerendos eſſe putavi. Nec vero fortuitum munus quod offerrem arripui, ſed judicio elegi quod videbarur optime convenire. Hic Timotheum ſuum admonet Paulus quali doctrinæ genere ædificanda ſit Eccleſia Dei, quibus & vitiis & hoſtibus reſiſtendum, quam multa devoranda tædia: hortarur ne ullis difficultatibus cedat, ut omnia diſcrimina animi fortitudine ſuperet, ut improbotum proterviam auctoritate coërceat, ne quid hominum gratiæ ambitioſe largiatur. Denique in his duabus Epiſtolis, quaſi in viva tabula depictum habemus verum Eccleſiæ regimen. Tu quum inſtaurandæ Eccleſiæ Anglicanæ, quam ſcelerata Papatus impietas, ut alias fere omnes Chriſtiani orbis, miſere corruperat, ſtrenuam operam impendas ſub Regis tui auſpiciis, & multos ad eam rem Timotheos in opere habeas: ſancta certe veſtra ſtudia melius componere non poteſtis, quam ad hoc Pauli quaſi præſcriptum exigendo. Nam neque hic quicquam habetur quod non ſit temporibus noſtris valde aptum: & rurſus nihil ferme in Eccleſiæ architectura neceſſarium eſt, quod non hinc etiam haurire liceat. Labor autem meus mediocre ſaltem adjumentum (ut ſpero) afferet: quod experientia tamen cognoſci malo, quam verbis jactare. Tibi porro, Nobiliſſime Princeps, ſi fuerit probatus, erit cur mihi plurimum gratuler.

Pro

Pro ſingulari quidem tua humanitate quin officium hoc meum boni conſulturus ſis, non dubito. Dominus, in cujus manu ſunt fines terræ, ſtatum Regni Anglicani diu incolumem florentemque tueatur: Regem ſereniſſimum tuum Spiritu Principali ornet, tum bonis omnibus cumulet: tibique in præclaro iſto curſu det feliciter pergere, ut per te nomen ejus magis ac magis propagetur. Genevæ, VIII. Calend. Auguſti. M. D. LVI.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEUM I.

ARGUMENTUM.

HAnc Epiſtolam aliorum magis quam Timothei cauſa ſcriptam fuiſſe judico: & mihi aſſentientur qui diligenter omnia expenderint. Non equidem nego quin ejus quoque docendi & monendi rationem Paulus habuerit: ſed multa hic contineri dico quæ ſupervacuum fuiſſet ſcribere, ſi cum ſolo Timotheo habuiſſet negotium. Juvenis erat, nondum ea auctoritate inſtructus quæ ſufficeret ad cohibendos homines protervos qui contra inſurgerent. Apparet autem ex Pauli verbis, fuiſſe tunc nonnullos, qui quum oſtentatione pollerent, non libenter cuivis erant ceſſuri: qui tanta deinde ambitione flagrabant, ut nullum turbandæ Eccleſiæ finem facturi eſſent, niſi quiſpiam major Timotheo ſe interponeret. Apparet ſimiliter, multa Epheſi fuiſſe conſtituenda quæ Pauli calculum & nomen deſiderarent. Ergo quum Timotheum multis de rebus monere haberet in animo, ſub ejus quoque nomine alios eadem opera monere voluit. Ac primo quidem capite, adverſus quoſdam ambitioſos armat, qui vanis quæſtionibus agitandis ſe venditabant. Eos porro Judæos fuiſſe colligi poteſt, qui quum Legis zelum ſimularent, neglecta ædificatione, tantum curioſas diſputationes ingerebant. Hæc autem profanatio eſt Legis Dei minime ferenda, ex ea nihil excerpere quod proſit: ſed tantum garriendi materiam captare, ejuſque prætextu ad onerandam frivolis nugis Eccleſiam abuti. Cujuſmodi ſcilicet corruptela pluribus quam oportuit ſeculis regnavit in Papatu. Quid enim aliud fuit Scholaſtica theologia, quam immenſum inanium & nihili ſpeculationum chaos? Et hodie extant plerique, qui ut acumen ſuum oſtentent in tractando Dei verbo, non ſecus ac in profana philoſophia, ludere ſibi permittunt. In ejuſmodi vitio coarguendo auctorem ſe Timotheo profitetur Paulus: & quid ex Lege præcipue diſcendum ſit, admonet: ut appareat Legis eſſe corruptores qui ea ſecus utuntur. Porro ne contemptui ſit ſua auctoritas, poſtquam indignitatem ſuam confeſſus eſt, ſimul qualis eſſe cœperit per Dei gratiam, honorifice prædicat. Tandem caput concludit gravi denunciatione, qua & Timotheum in ſana doctrina & bona conſcientia confirmat: & alios terret, propoſito Hymenæi & Alexandri exemplo. Secundo capite, jubet omnes in precibus publicis commendari Deo, & nominatim Principes ac Magiſtratus: ubi obiter etiam attingit quid utilitatis percipiat mundus ex civili gubernatione. Cur autem pro omnibus concipi debeant preces, ratio additur quia Deus Euangelium omnibus offerendo & Chriſtum mediatorem, omnes ſe velle ſalvos fieri demonſtret. quod etiam confirmat à ſuo Apoſtolatu, qui Gentibus proprie deſtinatus erat. Inde omnes, cujuſcunque ſint loci aut regionis, ad Deum orandum invitat: & hac occaſione qualem modeſtiam & ſubjectionem in ſacro cœtu præ ſe ferre debeant mulieres, diſſerit. Capite tertio, ubi indicavit quam præclarum ſit munus Epiſcopatus, verum Epiſcopum depingit, ac dotes enumerat quæ in eo requiruntur. Poſtea quales eſſe debeant Diaconi & uxores tam horum quam illorum, præſcribit. Ac quo plus diligentiæ ac religionis in omnibus obſervandis adhibeat Timotheus, reducit illi in memoriam quid ſit in Eccleſiæ adminiſtratione quæ domus Dei eſt ac columna veritatis, verſari. Tandem totius cæleſtis doctrinæ præcipuum caput & quaſi cardinem de Filio Dei in carne manifeſtato commemorat: præ quo reliqua omnia quibus ſolis immorari videbat homines oſtentationi deditos, levia ducenda ſint. Jam quod ad ſequentia pertinet, initio capitis quarti tam falſas doctrinas de conjugii & ciborum prohibitione, quam ineptas fabulas cum hoc capite non congruentes, ſevere damnat. Et deinde ſubjicit, eos ſibi & piis omnibus qui caput hoc tenent, ſolos eſſe adverſarios qui ferre nequeunt ut ſpes collocetur in Deum vivum. In fine capitis rurſus nova exhortatione Timotheum confirmat. Quinto capite, ubi modeſtiam in reprehenſionibus & lenitatem illi commendavit, de viduis diſputat, quæ tunc in Eccleſiæ miniſterium cooptabantur. Ac vetat omnes promiſcue recipi, ſed quæ tota vita probatæ ad annum ſexageſimum pervenerint, & nullum habeant onus domeſticum. Inde ad Presbyteros tranſit, & qualiter tractandi ſint tum in victu, tum in diſciplina admonet. Hanc doctrinam gravi conteſtatione quaſi ſancit: & iterum prohibet ne quos temere in ordinem presbyterii recipiat. Hortatur ut levandæ valetudinis cauſa vinum bibat aquæ loco. In fine capitis hortatur ut in peccatis occultis judicium ſuſpendat. Sexto capite, de ſervorum officio præcipit: & hac occaſione in falſos doctores invehitur, qui de otioſis ſpeculationibus litigando, quæſtui magis quam ædificationi intenti ſunt: & quam exitioſa ſit peſtis avaritia, docet. Inde iterum ad conteſtationem priori ſimilem revolvitur, ne fruſtra Timotheo hæc præceperit. Sub finem, poſtquam obiter de divitibus meminit, iterum prohibet Timotheo ne ſe inanibus doctrinis impediat. Vulgatæ Græcorum inſcriptioni quæ habet hanc Epiſtolam fuiſſe Laodicea miſſam, non aſſentior. Nam quum Paulus ex vinculis ſcribens Coloſſenſibus, teſtetur Laodicenſes nunquam ſibi fuiſſe viſos: coguntur qui in illa ſunt opinione quam repudio, duplicem facere Laodiceam in Aſia minori, quum alteram non celebrent ſcriptores. Deinde Paulus Timotheum Epheſi reliquerat, ut declarant ejus verba, quum iret in Macedoniam. Hanc Epiſtolam aut ſcripſit ex itinere, priuſquam illuc appuliſſet, aut jam profectione confecta, reverſus. atqui longius à Macedonia diſtare Laodiceam conſtat, quam Epheſum ipſam. Neque rurſus veriſimile eſt, ipſum in reditu prætérita Epheſo Laodiceam ſe contuliſſe: præſertim quum illuc eum multæ cauſæ vocarent. Itaque magis exiſtimo aliunde eum ſcripſiſſe. Quanquam hoc ipſum non eſt tanti ut velim cum diſſentientibus contendere: fruatur quiſque ſuo judicio: tantum indico quid magis ſit (meo judicio) probabile.

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
TIMOTHEUM I.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum ordinationem Dei Salvatoris noſtri, & Domini Jeſu Chriſti ſpei noſtræ,

2. Timotheo germano filio in fide, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre noſtro, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

3. Quemadmodum rogavi te ut maneres Epheſi, quum proficiſcerer in Macedoniam, volo denuncies quibuſdam, ne aliter doceant:

4. Neque attendant fabulis & genealogiis nunquam finiendis: quæ quæſtiones præbent magis, quam ædificationem Dei, quæ in fide conſiſtit.

1. P*Aulus Apoſtolus.*] Si ſoli Timotheo ſcripſiſſet, ooo opus erat adſcribere boe epithetum, & ita aſſerere ut facit. Contentus enim proculdubio fuiſſet Timotheus ſolo nomine. Sciebat enim eſſe Chriſti Apoſtolum: nec iodigebat ulla probatione, quo fidem illi deferret, ſatis jam ad id ſponte propenſus & diuturno uſu aſſuetus. Alios ergo potius reſpicit, qui non tam erant ad ipſum audiendum voluntarii, vel non tam facile ejus dictis acquieſcebant. Talium homioum cauſa ſe Apoſtolum Chriſti eſſe teſtatur, ne parvipendere auſint quod ſeribit. Et Apoſtolatum ſuum confirmat ordinatione vel decreto Dei: quia nemo Apoſtolum creare ſe ipſe poteſt: ſed quem Deus ordinavit, ille verus eſt Apoſtolus, dignuſque bonore. Neque Deum Patrem ſolum Apoſtolatus ſui facit auctorem, ſed illi Chriſtum adjungit. Et certe in Eccleſiæ gubernatione nihil agit Pater, oiſi per Filium, & ita communiter cum Filio. *Deum Salvatorem* vocat: quem titulum Filio tribuere ſæpius ſolet: Patri tamen eo ipſo convenit, quia is eſt qui nobis dedit Filium. Merito igitur illi ſalutis noſtræ gloria adſcribitur. Unde enim ſalvi ſumus? nempe quia ſie nos dilexit Pater, ut per Filium nos redimere voluerit ac ſalvare. Quod autem *Chriſtum* appellat *ſpem noſtram*, proprie illi convenit. tune enim ineipimus bene ſperare, quum in Chriſtum reſpicimus: quandoquidem in eo ſolo reſidet tota ſalutis noſtræ materia.

4. *Timotheo germano filio*] Non eſt boc parvæ laudis elogium, quo ſignificat Paulos ſe pro vero ac non degenere filio agnoſcere Timotheum. & talem ab aliis vult agnoſci: imo perinde Timotheum commendat acſi eſſet alter ipſe. Sed qui convenier hoc
Mat. 23. *verſ.* 9. cum ſententia Chriſti? Nolite vobis patrem vocare in terra. Item cum illo Apoſtoli teſtimonio? Etſi
1 *Cor.* 4 *verſ.* 15. moltos habetis patres ſecundum carnem: unus tamen eſt Pater ſpirituum. Reſpondeo, Paulum ita
Hebr. 12. *verſ.* 9. ſibi uſurpare nomen patris, ut Deo oullam honoris ſui particulam abroget aut minuat. Vulgare dictum eſt, Non pugnare quod ſubordinatur. Tale eſt paternum in Paulo nomen, reſpectu Dei. Unicus in fide Pater omnium eſt Deus, quia omnes verbo ſuo & Spiritus ſui virtute regenerat: quia ſolus eſt qui fidem confert. Sed quibus ad eam rem dignator uti miniſtris, eos in bonoris ſui communicationem etiam admittit, nihil tamen ſibi derogando. Erat ergo Deus ſpiritualis Timothei pater: & quidem ſolus, proprie loquendo. ſed Paulus qui miniſter fuerat Dei in gignendo Timotheo, quaſi ſubalterno jure titulum ſibi vendicat. *Gratia, miſericordia.* Secundum hoc, hoc eſt, Miſerieordiæ nomen, præter ſuum morem interpoſuit, forte ſingulari erga Timotheum amore impulſus. Porro non ſervat exactum ordinem: quod enim poſterius eſt, priore loco poſuit, gratiam ſcilicet quæ ex miſericordia manat. Nam ideo nos in gratiam initio recipit Deus, & deinde amore nos proſequitur, quia miſericors eſt. Verum non eſt inſolitum, cauſam ſubjungi effectui, explicationis cauſa. De vocabulis Gratiæ & Pacis, alibi dictum eſt.

3. *Quemadmodum rogavi te.*] Vel oratio eſt defectiva, vel particula ἵνα abundat. Utroque modo ſenſus erit clarus. Primo reducit Timotheo in memoriam qua de caoſa Epheſi manere rogatus fuerit. Nam quia adjutorem ſibi tam charum & fidelem nonniſi ægre & neceſſitate coactus à ſe dimiſerat, ut vices illie ſuas, quibus ſuſtinendis non alius quilibet par fuiſſer, ſtrenue obiret: acriter ſtimulari hac cogitatione debuit Timotheus, non ſolum ne fruſtra tempus tereret, ſed præclare nec vulgari modo ſe gereret. Hinc itaque quaſi per modum illationis hortatur, ut ſe opponat falſis doctoribus qui puram doctrinam adulterabant. In eo quod Timotheo Epheſi mandaverat ſuas partes, obſervanda eſt pia ejus ſollicitudo. Sic enim ſatagebat in colligendis pluribus Eccleſiis, ut priores non relinqueret deſtitutas Paſtore. Et ſane (ut ille inquit) Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri. *Denunciandi* verbum poteſtatem ſignificat. Vult enim Paulus eum inſtruere poteſtate ad alios coërcendos. *Ne aliter doceant.* Verbum Græcum quo uſus eſt Paulus, eſt compoſitum: ideoque transferri poteſt, vel Secus docere, ac novo modo: vel Tradere diverſam doctrinam. Quod Eraſmus vertit, Sectari, non placet: quia de auditoribus poſſet accipi. Paulus autem eos intelligit qui ambitionis cauſa novam doctrinam ingerebant. Si legamus, Aliter docere, larius hoc patebit. nam prohibebit hoc verbo ne patiatur Timotheus oovas docendi formas induci, quæ cum vera & genuina quam tradiderat, minus congruant. Sic in

Digitized by Google

in altera Epiſtola hypotypoſin, hoc eſt, vivam effigiem doctrinæ ſuæ commendat. Sicut enim una eſt Dei veritas, ita ſimplex ejus tradendæ ratio, minime fucata ſcilicet, & quæ Spiritus majeſtatem potius quam humanæ eloquentiæ pompam reſipiat. Ab hac quiſquis recedit, deformat ipſam doctrinam & vitiat. Ergo Aliter docere, referre oportebit ad formam. Si legamus, Aliud docere, ad materiam referetur. Notandum tamen eſt, non vocari aliam doctrinam tantum quæ palam cum pura Euangelii doctrina pugnet, ſed quæcunque purum Euangelium vel corrumpit novis & adventitiis figmentis, vel profanis ſpeculationibus obſcurat. Omnia enim hominum figmenta totidem ſunt Euangelii corruptelæ. Et qui Scripturis ludunt profano more, ut Chriſtianiſmum in artem oſtentationis convertant, Euangelio tenebras inducunt. Totum itaque hoc docendi genus alienum eſt à verbo Dei, & ab illa doctrinæ puritate in qua Epheſios manere jubet Paulus.

4. *Neque attendant fabulis.*] Fabulas vocat (meo judicio) non tam mendacia conficta, quam nugas aut ineptias quæ nihil habent ſolidi. Fieri enim poteſt ut non ſit aliquid falſum, quod tamen erit fabuloſum. qua ſignificatione Tranquillus fabularem hiſtoriam poſuit: & Livius fabulari, pro inepte & abſque ratione garrire. Nec dubium eſt quin μῦθος (quo verbo hic uſus eſt Paulus) Græcis ſignificet φλυαρίας, hoc eſt, nugas. Porro quum ſpeciem unam addidit exempli cauſa, omnem dubitationem ſuſtulit. Diſputationes enim de genealogiis numerat inter fabulas: non quia commentitium ſit quicquid de illis dici poteſt, ſed quia inane & infructuoſum. Sic ergo reſolvere licebit hunc locum, Non attendant fabulis, quales, aut cujus generis ſunt genealogiæ. Atque illa eſt fabularis hiſtoria cujus meminit Suetonius: quæ etiam inter Grammaticos à ſanis hominibus merito ſemper deriſa fuit. Neque enim poterat non ridicula videri hæc curioſitas, utili rerum cognitione poſthabita, ætatem conſumere in quærenda Achillis vel Ajacis proſapia, ingenium ſuum fatigare in numerandis Priami filiis. Si hoc non fertur in puerili ſcientia, ubi oblectationi eſt locus, quanto minus in cæleſti ſapientia erit tolerabile? *Genealogias* vocat *infinitas*, propterea quod inanis curioſitas nullum habet modum, ſed ex labyrintho ſubinde in labyrinthum revolvitur.

Quæ quæſtiones præb.] Æſtimat à fructu doctrinam. quæcunque enim non ædificat, repudianda eſt, etiamſi nihil aliud habeat vitii: quæcunque vero ad concertationes ſolum excitandas valet, duplici nomine damnanda eſt. Tales porro ſunt omnes argutiæ quibus ingenium ſuum ambitioſi homines exercent. Meminerimus ergo ad hanc regulam exigendas eſſe omnes doctrinas, ut ea demum probetur quæ ad ædificationem facit: quæ vero diſceptationum materiam præbent abſque fructu, reſpuantur tanquam Eccleſia Dei indignæ. Hoc examen ſi fuiſſet aliquot ſupra ſeculis obſervatum, etiamſi multis erroribus contaminata fuiſſet religio, ſaltem non adeo invaluiſſet diabolica iſta ars litigandi, quæ Scholaſticæ theologiæ nomen obtinuit. Quid enim illic continetur præter rixas, aut otioſas ſpeculationes, unde nullus profectus redit? Proinde quo quiſque in ea doctior, eo miſerior judicandus eſt. Scio quibus eam coloribus excuſationum prætexant: ſed nunquam efficient ut Paulus cunctas tales damnando, ſit mentitus. *Ædificationem Dei.* Ædificant enim ejuſmodi argutiæ in ſuperbia, ædificant in vanitate: ſed non in Deo. Ædificationem Dei nominat, vel quæ Deo probatur, vel quæ ſecundum Deum eſt. Eam porro docet in fide conſiſtere. quo dicto non excludit charitatem, nec timorem Dei, nec pœnitentiam: nam hæc omnia quid aliud ſunt quam fructus fidei quæ pietatem ſemper ex ſe parit? Quia ergo in ſola fide ſciebat fundatum eſſe totum Dei cultum, ideo ſatis habuit fidem nominare, unde reliqua dependent.

5. Porro finis præcepti eſt charitas, ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata.

6. A quibus poſtquam nonnulli aberrarunt, deflexerunt ad vaniloquium,

7. Volentes eſſe Legis doctores, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

8. Scimus autem quod Lex bona ſit, ſi quis ea legitime utatur:

9. Sciens illud, quod juſto non ſit Lex poſita, ſed injuſtis & inobſequentibus, impiis & peccatoribus, irreligioſis & profanis, parricidis & matricidis, homicidis,

10. Scortatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, & ſi quid aliud eſt quod ſanæ doctrinæ adverſetur,

11. Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod concreditum eſt mihi.

Quoniam nebulones illi, quibuſcum negotium habebat Timotheus, Legis prætextu ſe jactabant: ideo anticipat Paulus, ac docet Legem non modo illis nihil ſuffragari, ſed potius eſſe adverſam: cum Euangelio autem quod ipſe docuerat, optime convenire. Neque enim abſimilis erat illorum defenſio ei quam hodie nobis quæſtionarii opponunt: nos ſcilicet nihil moliri aliud quam ut aboleatur ſacra theologia: quaſi eam ſoli in ſinu ſuo foverent. Ita illi de Lege loquebantur ut invidiam Paulo conflarent. Quid autem ille? quo fumos illos diſcutiat, ultro per occupationem, ſuam doctrinam optime cum Lege congruere demonſtrat: & eos omnes perperam Lege abuti qui in alium finem ea utuntur. Quemadmodum hodie poſita veræ theologiæ definitione, palam apparet, nos cupere ipſam reſtitutam, quæ miſere lacerata & deformata fuit ab iſtis nugatoribus, qui theologorum titulo fruſtra inflati, nihil præter dilutas ac frigidas nugas tenent. *Præceptum* hic pro Lege accepit, partem pro toto.

5. *Charitas ex puro corde.*] Ad hunc ſcopum ſi Lex dirigenda eſt ut inſtituamur in charitate, quæ ex fide & bona conſcientia procedat: ſequitur ex adverſo, perverſos eſſe Legis interpretes qui ad curioſas quæſtiones ejus doctrinam convertunt. Cæterum non magni intereſt, charitatem hoc loco ad utramque Legis tabulam, an ad ſecundam tantum referas. Jubemur Deum ex toto corde diligere, & proximos ut noſmetipſos. Sed quum de charitate fit mentio in Scriptura, ſæpius ad ſecundum membrum reſtringitur. Hic quidem non dubitarem Dei & proximi charitatem intelligere, ſi ſolum charitatis nomen poſitum eſſet à Paulo. ſed quum addat fidem, & bonam conſcientiam, & cor purum: non erit hæc quam ſubjiciam interpretatio aliena ab ejus mente, & circumſtantiæ loci apte quadrabit. Hæc Legis ſumma eſt, ut Deum colamus ſincera fide, & pura conſcientia: deinde ut nos mutuo amemus. quiſquis hinc deflectit, ille depravat Legem Dei, in alienum finem detorquendo. Sed hic exoritur dubitatio, quod charitatem fidei præferre videtur Paulus. Reſpondeo, eos qui ita ſentiunt, nimis pueriliter ratiocinari. Neque enim ſi charitas priore loco nominatur, ideo priorem habet honoris gradum: quandoquidem

ſimul docet Paulus, ex fide eam manare. Cauſa autem effectum ſuum profecto ordine antecedit. Et ſi rite expeodatur totus contextus, perinde valet quod Paulus dicit, acſi dixiſſet, Hoc conſilio data nobis eſt Lex ut in fide nos erudiret, quæ mater eſt bonæ conſcientiæ & charitatis. Ita exordium à fide, non à charitate fieri debet. Cot purum & bona conſcientia parum intet ſe differunt. Utrumque ex fide manat. Nam de puro corde habetur Actorum 15. v. 9. quod Deus fide corda purificet. De bona conſcientia teſta-
1 Petr. 3. tur Petrus, quod fundata ſit io reſurrectione Chriſti.
verſ. 21. Hinc porro docemur, nuſquam eſſe veram charitatem, ubi non eſt timot Dei, & conſcientiæ integritas. Nec leviter prætereundum eſt, quod ſingulis addit epitheta. Nihil enim magis vulgare, ſicuti nihil magis facile eſt, quam fidem & bonam cooſcientiam jactare. Sed quotuſquiſque eſt qui factis ab omni ſe hypocriſi remotum eſſe demonſtret? Præſertim notandum eſt epithetum fidei: quo ſignificat fallacem eſſe ejus profeſſionem, ubi non apparet bona conſcientia, ubi charitas ſe non exerit. Jam quum fide conſtet ſalus hominum, fide autem & bona conſcientia & charitate conſtet perfectus Dei cultus, nihil mirum ſi in his Paulus conſtituat Legis ſummam.

6. *A quibus poſtquam.*] Perſtat in metaphora ſcopi, vel finis. Nam verbum ἀστοχεῖν, cujus participium hic habetur, ſignificat à ſcopo deflectere, vel aberrare. Eſt autem inſignis locus, quo *vaniloqui* condemnat doctrinas omnes quibus hic unus finis non eſt propoſitus. Et ſimul omnium ingenia & cogitationes evaneſcere admonet, ubi alio reſpiciunt. Fieri quidem poterit ut multos ſui admiratione percellant inutiles argutiæ: ſtat tamen Pauli ſententia, Quicquid in pietate non ædificat, eſſe ματαιολογίαν. Quate ſummopere cavendum ne aliud quæramus in ſacroſancto Dei verbo, quam ſolidam ædificationem, ne ipſe alioqui in nobis vindicet ejus abuſum tam ſevero exemplo.

7. *Volentes eſſe.*] Non taxat eos qui aperte impugnant Legis doctrinam, ſed qui potius ſe ejus titulo venditant. Tales negat quicquam intelligere, quum inutiliter in quæſtionibus curioſis ingenium fatigant. Et ſimul eorum atrogantiam perſtringit, quum addit, *de quibus affirmant.* Nulli enim audaciores reperientur ad res incognitas temere aſſerendas, quam ejuſmodi fabularum magiſtri. Videmus hodie quo faſtu & ſupercilio magiſtrales ſuas determinationes crepent Sorbonicæ ſcholæ. Quibus autem de rebus? nempe quæ penitus abditæ ſunt humanis ingeniis, nullo Scripturæ verbo, nulla unquam revelatione patefactæ. Majore confidentia purgatorium ſuum affirmant, quam mortuorum reſurrectionem. Quod de Sanctorum interceſſione commenti ſunt, niſi habeatur pro certo oraculo, totam religionem convulſam eſſe clamitant. Quid de cæleſtibus hierarchiis, de relationibus, & ſimilibus commentis commemorem immenſos labyrinthos? genus ipſum eſt infinitum. In his omnibus pronunciat Apoſtolus impleri quod veteri proverbio celebratum eſt, Audacem eſſe inſcitiam. ſicuti & ad Coloſſ. cap. 2. v. 4. dicit, Inflatos ſenſu carnis, in ea quæ neſciunt ſe ingerere.

8. *Scimus quod Lex bona.*] Iterum calumniam præoccupat, qua ipſum gravabant. Nam quoties eorum oſtentationi reſiſtebat, hoc quaſi clypeo ſe tuebaotur, Quid ergo? viſne ſepultam eſſe Legem, & deletam ex hominum memoria? Fatetur ergo Paulus, ut hac calumnia eos depellat, bonam eſſe Legem, ſed uſum ejus legitimum requiri. ubi argumentatur à conjugatis. Nomen enim *legitimi* ab ipſa *Lege* deductum eſt. verum ultra progreditur: nam & Legem pulchre cum ſua doctrina convenire docet, & eandem in ipſos retorquet.

9. *Quod juſto non ſit Lex poſita.*] Non inſtituit Apoſtolus diſputare de toto Legis officio: ſed homines ipſos reſpicit. Fere enim contingit ut qui ſummi Legis zelotæ videri affectant, tota vita ſe prodant ſummos eſſe contemptores. Cujus rei præclarum hodie ſpecimen relucet in aſſertoribus juſtitiæ operum & liberi arbitrii patronis. Perpetuo in ore habent perfectam vitæ ſanctitatem, merita, ſatisfactiones: tota autem vita clamitat, eos pluſquam impios & profanos eſſe, provocare quibuſcunque modis iram Dei, & judicium ejus ſecure contemnere. Magnifice extollunt liberam boni & mali electionem: factis autem produnt ſe eſſe Satanæ mancipia, & quidem arctiſſimis ſervitutis compedibus diſtricta. Quum tales eſſent Pauli adverſarii, ut ſtolidam eorum inſolentiam compeſceret, admonuit Legem eſſe quaſi Dei gladium ad ipſos jugulandos exertum: ſibi vero ſuique ſimilibus non eſſe caoſam cur Legem horrori vel odio haberent, quæ juſtis, hoc eſt, piis & voluntariis Dei cultoribus non ſit adverſa. Nec me latet, doctos quoſdam viros ſubtiliorem ex his verbis ſenſum elicere: quaſi penitus theologice de Legis natura diſputaret Paulus. Colligunt enim, Legem nihil ad filios Dei, qui Spititu ſuot regenerati, pertinere: quia juſtis non ſit lata. Sed loci circumſtantia ſimplicius me accipere cogit hanc ſententiam. Sumit enim vulgare illud principium, Ex malis moribus natas eſſe bonas leges: ac Legem Dei aſſerit latam eſſe ad coërcendam impiorum nequitiam: quia qui ſponte boni ſunt, Legis imperio non indigent. Nunc quæritur an unus quiſpiam mortalium eximatur ab hoc numero. Reſpondeo, Paulum hic nomioare juſtos, non qui ſint omnibus numeris abſoluti (qualis nemo reperietur) ſed qui præcipuo cordis affectu ad bonum aſpirant: ut illis pium deſiderium ſit quaſi lex voluntaria, abſque alieno impulſu aut freno. Ergo adverſariorum impudentiam coarguere voluit, qui Legis nomine ſe armabant adverſus pios viros, veram Legis regulam tota vita exprimentes: quum ipſi maxime opus haberent Lege, & tamen eam non magnopere curarent. quod melius oppoſito membro exprimitur. Quod ſi quis non admittat, tacite vel oblique exprobrari adverſariis quæ hic flagitia recenſet Paulus, ſimplex tamen manebit calumniæ depulſio. quod ſi recto & non fucato Legis ſtudio ducerentur, inſtruere ſe potius illius armis debuiſſent ad gerendum cum ſceleribus & maleficiis bellum, quam ejus colorem ſuæ ambitioni & ineptæ garrulitati prætexere. *Injuſtis & inobſequentibus.* Pro Injuſtis melius vertere interpretes poterant Exleges: nam Græce habetur ἀνόμοις, à quibus parum differunt inobſequentes, quos ſecundo loco poſuit. *Peccatores* accipit pro ſceleratis, aut qui vitæ ſuot turpis ac flagitioſæ. Pro *irreligioſis & profanis*, non abſurde quis transferret Profanos & impuros: ſed ego in vocibus levis momenti nolui eſſe tam moroſus. Plagium apud veteres alieni ſervi ſubreptitio aut ſollicitatio vocabatur, aut falſa liberi hominis venditio. Si quis plura requirat, petat à Jureconſultis, Ad legem Flaviam. Cæterum genera quædam attingit hic Paulus, quæ breviter omnes tranſgreſſiones comprehendunt. Radix eſt contumacia & rebellio, quam primis duobus vocabulis notavit. Per Impios & peccatores, videntur prioris & ſecundæ tabulæ tranſgreſſores deſignari. His ſubjicit profanos & impuros, vel turpi vita inquinatos. Quum autem tribus præcipue modis lædantur proximi, violeotia, fraudibus, & libidine, tres iſtos modos ordine taxavit, ut promptum eſt videre. Violentia enim eſt in homicidis & parentum percuſſoribus: ſecuodo ſœdæ libidines notantur: tertio ad fraudes aliaque maleficia deſcendit.

10. *Si quid eſt aliud.*] Hoc membro contendit, adeo non pugnare ſuum Euangelium cum Lege, ut ſit optima ejus confirmatio. Teſtatur enim ſe comprobare ſua prædicatione eandem ſententiam quam Dominus Lege ſua tulit adverſus ea omnia quæ ſanæ doctrinæ contraria ſunt. Unde ſequitur, eos Legis

aoi-

animam minime tenere qui ab Euangelio recedunt, ſed umbram duntaxat ſectari. *Sana doctrina* frigidis
infra. 6. verſ. 4. quæſtionibus opponitur, circa quas alibi præpoſteros doctores languere dicit, quæ ab effectu merito morbidæ cenſentur. *Euangelium gloriæ*, pro glorioſo. in quo tamen acriter eos perſtringit qui exterminando Euangelio imminebant, in quo Deus ſuam gloriam exerit. Nominatim addit ſibi *fuiſſe creditum*, ut omnes intelligant non aliud eſſe Dei Euangelium, quam quod prædicat: ideoque fabulas omnes quas prius reprehendit, alienas eſſe tam à Lege quam ab Euangelio Dei.

12. Et gratiam habeo qui me potentem reddidit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, quod fidelem me judicavit, ponendo in miniſterium,

13. Qui prius eram blaſphemus & perſequutor, & violentus: ſed & miſericordiam adeptus ſum, quod ignorans feci in incredulitate.

12. *Gratiam habeo.*] Magna Apoſtolatus dignitas, quam ſibi Paulus vendicavit. ipſe autem ſuperioris vitæ reſpectu, nequaquam tanto honore dignus cenſeri poterat: ideo, ne arrogantiæ damnetur, neceſſario ad perſonæ ſuæ mentionem deſcendit: & ſuæ quidem indignitatis liberam confeſſionem edit. Cæterum nihilominus ſe gratia Dei eſſe Apoſtolum prædicat. imo quod videbatur auctoritatem illi abrogare, in ſuum commodum transfert, quod eo magis in ſe reluceat Dei gratia. Chriſto gratias dum agit, à ſeipſo removet invidiam, & anſam huic quæſtioni præcidit, Dignus ſit nec ne functione tam honorifica. quoniam utcunque per ſe non excellat, ſufficit tamen à Chriſto fuiſſe electum. Multi quidem eadem verborum forma humilitatem præ ſe ferunt, ſed procul abſunt à Pauli ſinceritate, cujus conſilium fuit, non tantum animoſe gloriari in Domino, ſed omni propria gloria cedere. Qua de re autem agit gratias? quod in miniſterio fuerit collocatus. inde enim colligit, ſe fidelem judicatum. Neque enim Chriſtus ambitioſe quoſvis aſſumit, ſed tantum eligit idoneos: ergo quoſcunque honore dignatus eſt, hos tanquam dignos amplectamur. Ne-
Pſ. 109. verſ. 9. que his repugnat, quod Judas ſecundum Pſalmi vaticinium ad breve tempus evectus eſt, ut mox caderet. Diverſa enim fuit Pauli ratio, ſicut in alium finem, &
Actor. 9. verſ. 15. alia lege honorem adeptus eſt, dum pronunciavit Chriſtus, ſibi vas fore electum. Atqui videtur hoc modo Paulus fidelitatem qua prius pollebat, cauſam facere ſuæ vocationis. Si ita eſſet, ficta eſſet atque abſurda gratiarum actio. neque enim tum Deo acceptum referret ſuum Apoſtolatum, quam proprio merito. Nego igitur hunc eſſe ſenſum, quod ideo in ordinem Apoſtolicum fuerit cooptatus, quia præcognita eſſet Deo ejus fides: nihil enim prævidere boni in illo potuit Chriſtus, niſi quod Pater in eum
Joan. 15. verſ. 16. contulerat. Quare manet illud ſemper verum, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Potius argumentum ſuæ fidei inde ducere voluit, quia Apoſtolus creatus erat à Chriſto. nam quos ita creat, quaſi ſuo decreto pronunciat habendos eſſe fideles. In ſumma, judicium hoc non refertur ad præſcientiam, ſed potius teſtimonium ſignificat, quod hominibus redditur. acſi dixiſſet, Gratiam habeo Chriſto, qui me in miniſterium vocando, palam fecit meam ſibi fidem probari. Interponit & aliud Chriſti beneficium, quod ipſum confirmaverit, vel *potentem reddiderit*: quo verbo non modo intelligit ſe Dei manu principio ſemel fuiſſe formatum, ut idoneus ad munus ſuum foret, ſed ſimul complectitur continuam gratiæ ſubminiſtrationem. Neque enim ſatis fuiſſet, ſemel eſſe fidelem declaratum, niſi eum perpetuo auxilio confirmaſſet Chriſtus. Utrumque ergo ſe ex Chriſti gratia fatetur habere, quod ſemel evectus eſt, & quod permaneat in ſtatu.

13. *Blaſphemus & perſequutor.*] Blaſphemus adverſus Deum, perſequutor & violentus adverſus Eccleſiam. Videmus quam ingenue agnoſcat quod illi probro dari poterat, quam non extenuet ſua peccata, quam libenter ſuam indignitatem fatendo, magnitudinem gratiæ Dei amplificet. Nam *Perſequutoris* nomine non contentus, furorem ſuum ac ſævitiam altero nomine magis exprimere voluit. *Quia ignorans feci in incredulitate.* Veniam, inquit, meæ incredulitatis obtinui, quia ex ignorantia manabat. Nam perſequutio & violentia, nihil quam incredulitatis fructus erant. Atqui videtur innuere, nullum eſſe veniæ locum niſi ubi ſuppetit ignorantiæ excuſatio. Quid ergo? an ſi quis ſciens peccaverit, nunquam ignoſcet Deus? Reſpondeo, notandum eſſe Incredulitatis nomen, quod dictum Pauli ad priorem Legis tabulam reſtringit. Secundæ tabulæ transgreſſiones, etiamſi voluntariæ ſunt, condonantur: qui ſciens & volens priorem tabulam violat, quia recta ſe Deo opponit, peccat in Spiritum ſanctum. Neque enim infirmitate labitur, ſed adverſus Deum impie ruendo, certum reprobationis ſuæ ſignum edit. Et hinc colligi poteſt definitio peccati in Spiritum ſanctum: primum, quod ſit directa in Deum contumacia in transgreſſione prioris tabulæ: deinde quod ſit malitioſa veritatis rejectio. Ubi enim non reſpuitur, deſtinata malitia, Dei veritas: non reſiſtitur Spiritui ſancto. Denique incredulitas loco generis ponitur: malitioſum autem propoſitum, quod opponitur ignorantiæ, eſt quaſi differentia. Perperam itaque faciunt qui peccatum in Spiritum ſanctum conſtituunt in transgreſſione ſecundæ tabulæ. Perperam & illi qui inconſideratum & cæcum impetum damnant tanti criminis. nam tunc demum peccatur in Spiritum ſanctum, quum voluntarium bellum ſuſcipiunt adverſus Deum homines mortales, ut lucem Spiritus ſibi oblatam extinguant. Horrenda eſt enim ejuſmodi impietas, & immanis audacia. Nec dubium eſt quin tacita denunciatione terrere voluerit omnes qui ſemel illuminati fuerunt, ne adverſus cognitam veritatem impingant: quia exitialis ſit caſus. Nam ſi propter ignorantiam Paulo ſuas blaſphemias ignovit Deus: qui ſcienter dataque opera blaſphemant, nullam veniam ſperare debent. Sed videtur id fruſtra dici: nuſquam enim ſine ignorantia poteſt eſſe incredulitas, quæ ſemper cæca eſt. Reſpondeo, ex infidelibus alios ita eſſe cæcos, ut falſa recti imaginatione fallantur: alios autem ſic excæcatos, ut malitia tamen prævaleat. Paulus non omnino vacuus erat pravo affectu: ſed inconſideratus zelus abripiebat hominem, ut rectum eſſe putaret quod agebat. Non erat ergo adverſarius Chriſti propoſito, ſed errore & inſcientia. Phariſæi qui mala conſcientia Chriſtum calumniabantur, non omnino erant immunes ab errore & ignorantia: ſed ambitio, & impium ſanæ doctrinæ odium, imo furioſa adverſus Deum contumacia illos incitabat, ut malitioſe & conſulto, non inſcienter, Chriſto ſe opponerent.

14. Exuberavit autem ſupra modum gratia Domini noſtri cum fide & dilectione quæ eſt in Chriſto Jeſu.

15. Fidelis ſermo, & dignus omnino qui accipiatur, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum ut peccatores ſalvos faceret, quorum primus ſum ego.

16. Verum

Digitized by Google

16. Verum ideo miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem clementiam, in exemplar iis qui credituri eſſent in ipſo in vitam æternam.

17. Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli ſapienti Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

14. *Exuberavit autem.*] Iterum Dei erga ſe gratiam amplificat, non modo invidiæ tollendæ ac gratitudinis ſuæ teſtandæ cauſa: ſed etiam ut eam opponat improborum calumniis, qui toti in hoc erant ut ejus Apoſtolatum deprimerent. Quum autem dicit exuberaſſe, & quidem ſupra modum, innuit deletam eſſe ſuperiorum memoriam, adeoque abſorptam, ne quid illi obeſſet apud bonos talem prius fuiſſe. *Cum fide & dilectione.* Utrumque poteſt ad Deum referri, hoc ſenſu, quod Deus veracem ſe præſtiterit, & dilectionis in Chriſto ſuæ ſpecimen præbuerit, quum dignatus ipſum fuerat ſua gratia. Malo tamen ſimplicius accipere, ut fides & dilectio ſigna ſint ac teſtimonia ejus gratiæ, cujus meminerat, ne quid fruſtra & temere jactare putaretur. Ac fides quidem incredulitati opponitur: dilectio in Chriſto ſævitiæ, quam exercuerat adverſus fideles: acſi diceret, ſe ita fuiſſe à Deo mutatum, ut alius ſit ac novus homo. A ſignis ergo & effectis eminentiam gratiæ commendat, quæ abolere debet ſuperioris vitæ memoriam.

15. *Fidelis ſermo.*] Poſtquam ſuum miniſterium ab infamia & iniquis obtrectationibus aſſeruit: eo non contentus, retorquet in ſuum commodum quod illi poterat ab adverſariis objici probri loco. Utile enim Eccleſiæ fuiſſe docet, ſe prius talem extitiſſe quam ad Apoſtolatum vocaretur: quia hoc modo Chriſtus peccatores omnes, tanquam dato pignore, ad certam ſpem veniæ obtinendæ vocaverit. Nam quum velut ex immani truculentaque bellua verſus fuerat in paſtorem, inſigne gratiæ ſuæ ſpecimen ediderat Chriſtus, unde fiduciam omnes conciperent, nullis quamlibet gravibus & atrocibus peccatis aditum ſibi ad ſalutem præcludi. Verum primo generalem ſententiam profert, *Chriſtum veniſſe ut ſalvos faceret peccatores:* & eam præfatione ornat, qua uti ſolet in rebus maxime ſeriis. Ut certe in religionis doctrina hoc præcipuum eſt caput, ad Chriſtum venire, ut in nobis perditi, ſalutem ab eo recuperemus. Præfatio ergo hæc nobis ſit inſtar buccinæ ſonantis ad publicandum gratiæ Chriſti præconium, quo plus fidei apud nos habeat: ſit nobis quaſi ſigillum ad imprimendam cordibus noſtris de remiſſione peccatorum fiduciam, quæ difficulter alioqui in animos hominum penetrat. Quæ etiam cauſa fuit Paulo cur attentionem excitaret his verbis, *fidelis ſermo*, niſi quia ſemper homines ſecum diſceptant de ſua ſalute? Nam ut millies in Chriſto ſalutem nobis offerat Deus Pater, & Chriſtus ipſe de officio ſuo concionetur: non tamen propterea deſinimus trepidare, vel ſaltem diſputare nobiſcum an ita ſit. Proinde quoties nobis in mentem veniet ulla de peccatorum remiſſione dubitatio, hoc veluti clypeo fortiter eam repellere diſcamus: veritatem eſſe indubiam, & dignam quæ abſque controverſia recipiatur. *Peccatores ſalvos faceret.* Subeſt in hoc verbo emphaſis. nam qui officium Chriſti eſſe fatentur ſalvare, cogitationem tamen hanc difficilius admittunt, quod ejuſmodi ſalus ad peccatores pertineat. Semper enim abripitur ſenſus noſter ad reſpectum dignitatis. ſimulatque indignitas apparet, concidit fiducia. Proinde quo quiſque peccatis ſuis magis gravatur, eo majore animo ad Chriſtum confugiat, hac ſcilicet doctrina fretus, veniſſe ut ſalutem non juſtis, ſed peccatoribus afferat. Notandum etiam eſt, Paulum à generali Chriſti officio argumentum ducere, ne abſurdum novitas faceret quod de ſua perſona nuper teſtatus eſt. *Quorum primus ſum ego.* Cave exiſtimes, modeſtiæ cauſa Apoſtolum mentitum eſſe. Veram enim non minus quam humilem confeſſionem edere voluit, atque ex intimo cordis ſenſu depromptam. Sed quæret hic quiſpiam, curnam ſe inter peccatores præcipuum numerat, qui tantum ſanæ doctrinæ ignorantia lapſus eſt, alioqui tota vita inculpabilis apud homines? Atqui his verbis admonemur quam grave ſit apud Deum & atrox crimen infidelitas: præſertim ubi accedit obſtinatio & ſæviendi rabies. Facile quidem eſt apud homines, totum id quod de ſe confeſſus eſt Paulus, extenuare colore zeli inconſiderati. Sed pluris obedientiam fidei facit Deus, quam ut pro levi delicto incredulitatem cum pervicacia conjunctam ducat. Quare diligenter notandus eſt hic locus, hominem coram mondo non modo innoxium, ſed eximiis virtutibus præſtantem, vitæque laudatiſſimæ, quia Euangelii doctrinæ fuerit adverſarius, propter incredulitatis ſuæ contumaciam, unum ex graviſſimis peccatoribus cenſeri. Nam inde colligere promptum eſt quid valeant coram Deo omnes hypocritarum pompæ, dum contumaciter Chriſto reſiſtunt.

16. *Ut in me primo oſtenderet Jeſus.*] Quum dicit, Primo, alludit ad id quod nuper dixerat, ſe primum eſſe inter peccatores. Ideo tantundem valet ac Præcipue vel in primis. Significat autem, ſtatim ab initio Deum propoſuiſſe tale exemplar, quod tanquam ex illuſtri excelſoque theatro conſpici poſſet, ne quis diffideret paratam ſibi fore veniam, modo fide accederet ad Chriſtum. Et certe prævenitur noſtra omnium diffidentia, dum ejus quam quærimus gratiæ typum, in Paulo ſic videmus expreſſum.

17. *Regi autem ſeculorum.*] Præ ardore erumpit in iſtam exclamationem: quia deerant verba quibus ſuam gratitudinem exprimeret. Nam epiphonemata præcipue locum habent ubi abrumpere orationem cogimur, quia rei magnitudo ſuperat. Quid autem Pauli converſione admirabilius? Quanquam nos ſimul omnes admonet ſuo exemplo, nunquam de gratia divinæ vocationis eſſe cogitandum, quin tandem efferamur admiratione. Adde quod hoc tam magnificum encomium totius ſuperioris vitæ memoriam abſorbet. Qualis enim abyſſus eſt Dei gloria? Epitheta quæ hic tribuit Deo, tametſi perpetua ſunt, tamen proprie conveniunt loci circumſtantiæ. Vocat Regem æternum vel ſeculorum, in quem nulla cadit mutatio: *inviſibilem*, quia lucem habitat inacceſſam, ut poſtea dicet: *ſolum ſapientem*, quia infatuet ac vanitatis damnet omnem hominum ſapientiam. Summa vero redit ad eam clauſulam, qua utitur ad Romanos 11. v. 33. O profunditatem divitiarum, &c. quam abſcondita ſunt Dei conſilia, quam inſcrutabiles viæ ejus? Vult enim immenſam ac incomprehenſibilem Dei ſapientiam ita reverenter à nobis ſuſpici, ut ſi opera ejus ſenſus noſtros ſuperant, admiratio tamen nos contineat. Dubium tamen eſt: quum in poſtremo epitheto dicit Soli: velitne Deo gloriam omnem ſoli vendicare, an vocet ipſum ſolum ſapientem, an vero ſolum Deum eſſe dicat. Secundus ſenſus magis mihi probatur. Præſentis enim cauſæ maxime interfuit, arcano Dei conſilio ſubjici quamvis hominum intelligentiam. Neque tamen inficior quin Deum unum omni gloria dignum eſſe prædicet. ſic enim gloriæ ſuæ ſcintillas huc illuc in creaturas ſpargit, ut tota penes eum & in ſolidum maneat. Sed utrumque exprimit, nihil gloriæ eſſe extra Deum.

18. Hoc

18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes ſuper te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

19. Habens fidem & bonam conſcientiam: à qua averſi quidam circa fidem naufragium fecerunt:

20. Ex quibus ſunt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non maledicere.

18. *Hoc præceptum.*] Quicquid de perſona ſua interpoſuit, fuit quaſi digreſſio ab inſtituto. Nam quum Timotheum inſtruere auctoritate vellet, ſumma ipſum præditum eſſe oportuit. mature itaque opinionem refutavit, quæ ſibi obſtare poterat. Nunc autem poſtquam probavit, nihilo minoris apud pios æſtimandum eſſe ſuum Apoſtolatum, quia aliquando Chriſti regnum oppugnaſſet, quaſi ſublato obſtaculo ad exhortationis ſuæ contextum redit. Ergo præceptum eſt cujus initio meminit. *Filium* vocando, non ſuam modo benevolentiam apud eum teſtatur, ſed aliis etiam commendat ipſum hoc nomine. Porro ut magis eum animet, reducit in memoriam quale à Spiritu Dei teſtimonium habuerit. Nam erat hic non parvus ſtimulus, quod divinitus miniſterium ejus fuerat approbatum: & quod prius Dei oraculis vocatus fuerat, quam electus hominum ſuffragiis. Turpe eſt non reſpondere hominum expectationi: quanto itaque turpius erit irritum quoad in te ſit, facere Dei judicium? Sed primum ſciendum eſt de quibus loquatur *Prophetiis*. Putant aliqui revelatione admonitum fuiſſe Paulum, ut Timotheo munus injungeret. quod verum eſſe fateor: ſed addo revelationes ab aliis proditas. neque enim Paulus numero plurali fruſtra uſus eſt. Proinde ex ejus verbis colligimus, plures fuiſſe editas prophetias de Timotheo, quæ ipſum Eccleſiæ commendarent. Nam quum juvenis adhuc eſſet, poterat contemptui eſſe illius ætas: expoſitus etiam calumniis fuiſſet Paulus, quod adoleſcentulos ante tempus promoveret ad ſenile officium. Præterea Deus illum ad res magnas & arduas deſtinaverat. non enim fuit unus ex vulgo, ſed Apoſtolis proximus, qui Paulo abſente, ſæpe ejus perſonam ſuſtinebat. Quare opus habuit ſingulari teſtimonio, unde pateret non hominum temeritate tantum illi deferri, ſed electum ab ipſo Deo eſſe. Neque enim tunc ordinarium fuit aut multis commune, ornari Prophetarum encomiis: ſed quia in Timotheo peculiares erant cauſæ, noluit eum Deus ab hominibus admitti, niſi ſua voce jam probatum: noluit eum ad obeundam functionem accedere, niſi Propheticis oraculis accitum. Sicuti etiam Paulo & Barnabæ contigit, dum Gentibus ordinati ſunt doctores. Erat enim res nova & inſolens, nec alioqui potuiſſent famam temeritatis effugere. Objiciet nunc quiſpiam, Si Deus per ſuos Prophetas ante pronunciaverat qualis futurus eſſet miniſter Timotheus, quorſum attinebat eum moneri ut ſe talem præſtaret? an potuit Dei oraculis fidem abrogare? Reſpondeo, non aliter potuiſſe evenire quam Deus promiſerat: ſed interim non debuit Timotheus deſidiæ ſe ac torpori dare, ſed vivum agileque organum Dei providentiæ obſequendo ſe exhibere. Quare Paulus non abs re, dum calcar illi addere vult, prophetias commemorat quibus ſe pro illo Deus quaſi ſponſorem Eccleſiæ conſtituerat. Nam inde admonebatur ad quid vocatus foret. Ideoque addit, *Milites in illis:* quo ſignificat Timotheum tali Dei approbatione fretum, animoſius debere pugnare. Quid enim plus alacritatis addere nobis vel debet, vel poteſt, quam quum ſcimus nos divinitus ordinatos ad agendum quod agimus? Hæc arma ſunt noſtra, hæc præſidia quibus muniti non deficimus. *Militiæ* nomine ſubindicat certandum eſſe. Atque in univerſum piis id convenit: proprie tamen Chriſtianis doctoribus, qui ſunt velut anteſignani aut duces. Perinde ergo eſt acſi diceret, Tu ſi non potes abſque certamine munus tuum exequi, memineris te Dei oraculis ad victoriæ ſpem certiſſimam eſſe inſtructum: atque hac recordatione te excites. Bona enim eſt militia, hoc eſt, glorioſa & ſalutaris, quam ſub Dei auſpiciis militamus.

19. *Habens fidem & bonam conſcientiam.*] Fidei nomen generaliter accipio pro ſana doctrina. Qua ſignificatione & capite 3. c. 8. myſterium fidei ponit. Et certe duo hæc præcipue in Doctore requiruntur: ut puram Euangelii veritatem retineat, deinde eam adminiſtret bona conſcientia & ſincero zelo. Ubi utrumque iſtorum aderit, ſponte etiam reliqua ſequentur. *A qua averſi quidam.* Oſtendit quam neceſſarium ſit bonam conſcientiam cum fide conjungi: quia e converſo malæ conſcientiæ pœna ſit à recto defectio. Qui non pura animi integritate ſerviunt Domino ſed pravis affectibus indulgent, etiamſi prius ſanam intelligentiam habuerint, ab ea prorſus excidunt. Locus diligenter obſervandus. Scimus incomparabilem eſſe ſanæ doctrinæ theſaurum. quare nihil magis timendum quam ut nobis auferatur. atqui unicam ejus cuſtodiendi rationem Paulus hic præſcribit, ſi obſeratus fuerit bona conſcientia: idque quotidie experimur. Unde enim fit ut abjecto Euangelio tam multi ad impias ſectas proruant, vel errorum portentis implicentur? Nempe quia hoc excæcationis genere hypocriſin ulciſcitur Deus: quemadmodum ſincerus Dei timor ad perſeverantiam confirmat. Duo hinc diſcenda ſunt. Primum admonentur doctores & Euangelii miniſtri, atque in eorum perſona totæ Eccleſiæ, quantopere fucatam & fallacem veræ doctrinæ profeſſionem horrere debeant, quam adeo puniri audiunt. Deinde tollitur ſcandalum, quod pleroſque non leviter turbat, dum aliquos vident qui prius Chriſto & Euangelio nomen dederant, non modo relabi ad priſtinas ſuperſtitiones: ſed quod longe deterius eſt, prodigioſis erroribus faſcinatos teneri. Nam talibus exemplis Euangelii majeſtas palam vindicatur, ac palam oſtendit Deus ſe ejus profanationem nullo modo ferre poſſe. Atque id omnium ſeculorum experientia docuit. quicquid errorum ab exordio Chriſtianæ Eccleſiæ extitit, ab hoc fonte manavit: quia in aliis ambitio, in aliis avaritia ſincerum Dei timorem obruebat. Mala igitur conſcientia, omnium hæreſeon mater, & hodie permultos videmus, qui rectam fidem non ſincere amplexi fuerant, pecudum inſtar ad Epicureorum deliria rapi, ut ipſorum hypocriſis detegatur. Quin etiam quum paſſim graſſetur Dei contemptus, & flagitioſi perditique omnium fere ordinum mores demonſtrent nihil aut quam minimum eſſe integritatis in mundo, valde timendum eſt ne brevi lux quæ accenſa fuerat, extinguatur, & pauciſſimis Deus puram Euangelii intelligentiam relinquat. Metaphora à naufragio ſumpta aptiſſime quadrat. nam innuit, ut ſalva fides ad portum uſque perveniat, navigationis noſtræ curſum bona conſcientia regendum eſſe: alias naufragii eſſe periculum: hoc eſt, ne fides mala conſcientia tanquam gurgite, in mari procelloſo mergatur.

20. *Hymenæus & Alexander.*] Priorem iterum nominabit in ſecunda Epiſtola: ubi etiam naufragii quod fecerat, ſpecies notatur. dicebat enim reſurrectionem eſſe factam. Credibile eſt Alexandrum quoque tam abſurdo errore fuiſſe dementatum. Et hodie miramur ſi quoſdam variis præſtigiis deludat Satan, quum unum ex Pauli comitibus tam horrendo præcipitio periiſſe cernamus? Cæterum ambos Timotheo nominat tanquam homines notos. Ego quidem non

Digitized by Google

non dubito quin hic ille ſit Alexander cujus mentionem facit Lucas Actorum 19. v. 33. qui tumultum, niſi repulſus eſſet, componere voluit. erat autem Epheſius. Et hanc Epiſtolam diximus maxime ſcriptam fuiſſe Epheſiorum cauſa. Nunc audimus qualem habuerit exitum. audientes colamus bona conſcientia fidei noſtræ poſſeſſionem, ut ſalva nobis ad extremum maneat.

Quos tradidi Satanæ.] Quemadmodum diximus
1 Cor. 5. verſ. 5. in quintum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios, ſunt qui interpretantur extraordinariis flagellis fuiſſe coërcitos: idque referunt ad δυνάμεις, cujus meminit Paulus ejuſdem Epiſtolæ capite 12. verſ. 28. Nam ut dono ſanationis præditi erant Apoſtoli ad teſtandam erga pios Dei gratiam & beneficentiam: ita adverſus impios & rebelles armati erant potentia, vel ut vexandos diabolo traderent, vel ut aliis flagellis in eos animadverterent. Cujus potentiæ ſpeci-
Act. 5. verſ. 1. Act. 13. verſ. 6. men edidit Petrus in Anania & Sapphira: Paulus vero in Barjeſu mago. At mihi de excommunicatione exponere magis placet: nam ut credamus aliter quam excommunicatione caſtigatum fuiſſe Corinthium illum inceſtum, nulla probabilis conjectura affertur. Si autem illum excommunicando, Satanæ tradidit Paulus, cur non eadem loquutio idem hic valebit? Adde quod vim excommunicationis optime explicat. Nam quum in Eccleſia ſedem regni ſui habeat Chriſtus, extra non eſt niſi Satanæ dominium. Proinde qui ab Eccleſia exterminatur, eum tantiſper ſub tyrannide Satanæ degere neceſſe, dum Eccleſiæ reconciliatus, ad Chriſtum redeat. Unum excipio, quod pro mali atrocitate perpetuum iſtis anathema denunciare potuit: de quo nihil tamen auſim pro certo aſſerere. Sed quid ſibi vult proxima particula, *ut diſcant non maledicere?* nam qui ab Eccleſia ejectus eſt, plus licentiæ ſibi uſurpat: quia tanquam communis diſciplinæ jugo ſolutus, petulantius inſurgit. Reſpondeo, utcunque exultet eorum improbitas, aditum tamen præcludi, ne ſua contagione gregem inficiant. Nam eo maxime nocent improbi, dum ejuſdem fidei prætextu ſe inſinuant. Nocendi ergo facultas illis eripitur, dum notantur publica infamia, ut nemo ſimplicium ignoret profanos eſſe homines & execrandos: ideoque omnes ab eorum communicatione abhorreant. Ipſos etiam interdum contingit, irrogata ſibi talis ignominiæ nota confuſos, à protervia deſiſtere. Ergo etiamſi improbiores reddantur aliquando, tamen non ſemper inutile eſt ad domandam ferociam remedium.

CAP. II.

ADhortor igitur ut ante omnia fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:

2. Pro regibus & omnibus in eminentia conſtitutis, ut placidam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate.

3. Hoc enim bonum & acceptum coram Salvatore noſtro Deo,

4. Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

1. *Adhortor igitur.*] Hæc pietatis exercitia continent nos atque etiam confirmant in ſincero cultu Dei, ac timore, foventque bonam conſcientiam de qua dixerat. Quare non abs re illativa particula utitur: quia ex ſuperiore præcepto exhortationes iſtæ pendent. Ac initio quidem de publicis orationibus diſſerit: quas jubet non pro fidelibus modo concipi, ſed pro univerſo genere humano. Poterant enim nonnulli ita ſecum reputare, Cur de infidelium ſalute eſſemus ſolliciti, quibuſcum nihil eſt nobis neceſſitudinis? Nonne ſatis eſt, ſi fratres pro fratribus mutuo oremus, ac commendemus Deo totam ſuam Eccleſiam? nihil enim ad nos extranei. Huic ſiniſtræ opinioni occurrit Paulus, ac jubet Epheſios ſuis precibus complecti omnes mortales, nec eas ad corpus Eccleſiæ reſtringere. Porro quid inter ſe differant tres ſpecies ex quatuor quas Paulus enumerat, fateor me non penitus tenere. Puerile quidem eſt, quod Pauli verba Auguſtinus ad ritus ſuo tempore uſitatos detorquet. Simplicior eſt eorum expoſitio qui Deprecationes eſſe putant, quibus petimus liberari à malis: Obſecrationes, quibus utilia nobis poſcimus: Interpellationes, quibus ad Deum injurias nobis illatas deploramus. Quanquam ego non ita ſubtiliter diſtinguo, vel ſaltem aliam diſtinctionem magis probo. προσευχὰς ſane Græci vocant omne genus orationis: δεήσεις autem eas precationum formas ubi certum aliquid petitur. Hoc modo inter ſe convenirent hæc duo nomina, tanquam genus & ſpecies. ἐντεύξεις vocare ſolet Paulus quas alii pro aliis ſuſcipimus preces. Pro quo Latina translatio habet Interceſſiones. Quanquam Plato in Alcibiade ſecundum aliter accipit, nempe pro ſeipſo certam precationem concipere. In ipſa autem libri inſcriptione & compluribus locis ſatis quod dixi oſtendit, προσευχὴν nomen eſſe generale. Sed ne plus æquo laboremus in re non neceſſaria, Paulus (meo judicio) ſimpliciter jubet, quoties publicæ orationes habentur, ſupplicare & deprecari pro omnibus, etiam qui in præſentia nihil nobiſcum habent conjunctionis. Neque tamen ſupervacua eſt verborum congeries: ſed mihi videtur Paulus conſulto tres voces in eundem finem ſimul conjungere, ut precandi ſtudium & aſſiduitatem magis commendet, ac vehementius urgeat. Scimus enim quanta ſit in hoc pietatis officio noſtra ſegnities. Nihil igitur mirum ſi eam pluribus ſtimulis excitet Spiritus ſanctus per os Pauli. In *gratiarum actione* nihil eſt obſcurum. Nam quemadmodum vult infidelium ſalutem commendari Deo, ita & propter lætos eorum ac proſperos ſucceſſus gratias agi. Iſta enim admirabilis Dei bonitas quam quotidie oſtendit, quum Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, digna eſt quam laude proſequamur. & charitas noſtra uſque ad indignos extendere ſe debet.

2. *Pro regibus.*] Nominatim de regibus meminit, & magiſtratibus reliquis, quia præ aliis exoſi eſſe poterant apud Chriſtianos. Quotquot enim erant illo tempore magiſtratus, totidem erant quaſi jurati Chriſti hoſtes. Poterat igitur obrepere iſta cogitatio, non eſſe pro illis orandum qui totas vires opeſque ſuas conferrent ad oppugnandum Chriſti regnum, cujus propagatio in primis optanda eſt. Occurrit autem Apoſtolus, ac diſerte jubet pro illis etiam precari. Et certe non efficit hominum pravitas quominus amanda ſit Dei inſtitutio. Proinde quum magiſtratus ac principes Deus ad conſervationem humani generis creaverit, utcunque multi degenerent à divina ordinatione, non tamen ceſſare propterea debemus quin & amemus quod Dei eſt, & ſalvum cupiamus. Hæc cauſa eſt cur debeant fideles, in quacunque regione degant, non modo legibus & magiſtratuum imperio parere, ſed in ſuis etiam precibus eorum ſalutem commendare Deo. Dicebat
Iſraëlitis Jeremias, Orate pro pace Babylonis: quoniam in pace ejus, pax veſtra. Jer. 29. verſ. 7.
Hæc univerſalis eſt doctrina, ut ordinatas à Deo poteſtates cupiamus ſalvas & pacatas ſtare. *Ut placidam.*] Propoſita utilitate

litate ſtimulum nobis addit. fructus enim enumerat qui ex Principatu rite compoſito nobis proveniunt. Primus eſt tranquilla vita. gladio enim ſunt armati magiſtratus ut nos in pace contineant. Niſi compeſcerent improborum audaciam, latrociniis & cædibus omnia eſſent plena. Hæc igitur pacis tuendæ ratio, quum unicuique redditur quod ſuum eſt, nec impune graſſatur potentiorum violentia. Secundus fructus eſt *pietatis* conſervatio: dum ſcilicet incumbunt magiſtratus ad fovendam religionem, ad aſſerendum Dei cultum, ad ſacrorum reverentiam exigendam. Tertius eſt cura publicæ *honeſtatis*. Nam hoc etiam fit magiſtratuum beneficio, ne ad belluinas fœditates ſe homines proſtituant, aut indecore laſciviant: ſed potius vigeat modeſtia & moderatio. Hæc tria ſi tollantur, qualis erit humanæ vitæ ſtatus? Si qua ergo vel publicæ tranquillitatis, vel pietatis, vel honeſtatis cura nos taogit, meminerimus eorum quoque habendam eſſe curam quorum miniſterio tam præclara bona ad nos perveniunt. Unde colligimus omnis humanitatis expertes eſſe fanaticos homines, nec aliud quam feram barbariem ſpirare, qui magiſtratus è medio ſublatos cupiunt. Quantum enim hæc diſcrepant, ut vigeat jus & honeſtum, ut floreat religio, orandum eſſe pro Regibus: & non modo regni nomen, ſed totam politiam religioni eſſe adverſam? atqui prioris ſententiæ auctorem habemus Spiritum Dei: ſecundam ergo à diabolo eſſe oportet. Si roget quiſpiam an etiam pro Regibus orandum ſit à quibus nihil tale percipimus: reſpondeo, huc tendere vota noſtra, ut Spiritu Dei gubernati, bonorum quibus antea nos privabant, miniſtri nobis eſſe incipiant. Non ergo pro iis tantum qui jam digni ſunt, orare nos decet: ſed rogandus Deus ut ex malis bonos faciat. Tenendum enim ſemper iſtud principium, tam ad religionis quam ad tranquillitatis & honeſtatis publicæ cuſtodiam deſtinatos eſſe à Deo magiſtratus, non aliter quam terra procreandis alimentis ordinata eſt. Quemadmodum itaque pro pane quotidiano orantes, Deum rogamus ut terram ſua benedictione fœcundet: ſic in illis prioribus beneficiis ordinarium medium quod ſua providentia conſtituit, reſpicere debemus. Huc accedit, quod ſi beneficiis iſtis, quorum diſpenſationem magiſtratibus Paulus aſſignat, deſtituimur: id contingit noſtra culpa. Inutiles enim magiſtratus nobis reddit ira Dei, non ſecus ac terram ſterilem. Quare noſtrum eſt ejuſmodi flagella deprecari quæ peccatis noſtris irrogantur. Præterea hic officii ſui viciſſim admonentur Principes, & quicunque magiſtratum gerunt. Neque enim ſatis eſt, ſi jus cuique ſuum reddendo, injurias omnes coërceant, pacemque foveant: niſi & religionem promovere, & honeſta diſciplina mores componere ſtudeant. Neque enim fruſtra hortatur David, (*Pſal. 2. verſ. 12.*) ut Filium oſculentur: nec fruſtra Jeſaias denunciat (*Jeſa. 49. verſ. 23.*) fore Eccleſiæ nutricios. Quare non eſt quod ſibi blandiantur, ſi ad cultum Dei aſſerendum adjutores ſe præbere neglexerint.

3. *Hoc enim bonum eſt.*] Poſtquam utile eſſe docuit quod præcipiebat, jam validius argumentum proponit, Deo ita placere. nam ubi conſtat de ejus voluntate, inſtar omnium rationem eſſe nobis debet. Bonum accipit pro recto & legitimo. Quia autem Dei voluntas regula eſt ad quam exigenda ſunt officia noſtra omnia: rectum inde eſſe probat, quia Deo acceptum eſt. Locus notatu apprime dignus: unde & generalis doctrina elicitur, veram demum regulam bene riteque agendi eſſe, reſpicere ad Dei placitum, nec aliud ſuſcipere niſi quod probat: & lex etiam pie orandi ſtatuitur, ut præeuntem ſequamur Deum, utque omnes noſtræ preces ad ejus nutum & præſcriptum ſint compoſitæ. quæ ratio ſi valuiſſet, non tot hodie corruptelis ſcaterent preces in Papatu. Unde enim quæſo probabunt, Deo ſe auctore ad mortuos patronos confugere? deinde pro mortuis intercedere? Denique quid in tota ſua precandi forma Deo placere oſtendent? Sequitur deinde hujus etiam ſecundi membri confirmatio: quia velit Deus omnes homines ſalvos facere. Quid autem magis æquum quam ut huic Dei decreto vota noſtra ſubſerviant? Poſtremo autem Deo cordi eſſe omnium ſalutem demonſtrat, quia omnes ad veritatis ſuæ agnitionem vocet. Argumentum eſt à poſteriori. Nam ſi Dei potentia eſt Euangelium omni (*Rom. 1. verſ. 16.*) credenti: certum eſt invitari omnes ad ſpem vitæ æternæ quibus Euangelium offertur. Denique ſicut vocatio documentum eſt arcanæ electionis, ita quos facit Deus Euangelii ſui participes, eos ad ſalutis poſſeſſionem admittit: quia Euangelium juſtitiam Dei nobis revelat, quæ certus eſt in vitam ingreſſus. Hinc apparet quam pueriliter hallucinentur qui locum hunc prædeſtinationi opponunt. Si Deus, inquiunt, omnes indifferenter vult ſalvos fieri, falſum eſt alios ad ſalutem, alios ad exitium æterno ejus conſilio eſſe prædeſtinatos. Aliquid forte dicerent, ſi Paulus hic de ſingulis hominibus ageret: quanquam tunc quoque non deeſſet ſolutio. Nam etſi Dei voluntas non ex occultis ipſius judiciis æſtimanda eſt, ubi externis ſignis eam nobis patefacit: non tamen propterea ſequitur quin conſtitutum intus habeat quid de ſingulis hominibus fieri velit. Cæterum id, quia nihil ad præſentem locum facit, prætereo. nam Apoſtolus ſimpliciter intelligit, nullum mundi vel populum, vel ordinem à ſalute excludi: quia omnibus ſine exceptione Euangelium proponi Deus velit. Eſt autem Euangelii prædicatio vivifica. merito itaque colligit, Deum omnes pariter ſalutis participatione dignari. At de hominum generibus, non ſingulis perſonis, ſermo eſt. nihil enim aliud intendit, quam Principes & extraneos populos in hoc numero includere. Quod autem his quoque Euangelii doctrinam communem eſſe velit Deus, conſtat ex teſtimoniis jam citatis, & ſimilibus. Neque enim de nihilo dictum eſt, Nunc (*Pſal. 2. verſ. 10.*) Reges intelligite. Item eodem Pſalmo, Dabo Gentes tibi in hæreditatem, & in poſſeſſionem terminos terræ. In ſumma, indicare Paulus voluit, non eſſe conſiderandum quales tunc eſſent Principes, ſed quales eſſe Deus vellet. Eſt autem officium charitatis, quoſcunque vocatione ſua complectitur Deus, eorum ſalutis curam ſtudiumque ſuſcipere, idque piis votis teſtari. Atque huc pertinet, quod *Deum* vocat *noſtrum Salvatorem*. Unde enim nobis ſalus niſi ex gratuita Dei beneficentia? Atqui Deus idem qui jam nos ſalutis fecit compotes, ad eos quoque gratiam ſuam extendere aliquando poterit. Qui jam nos ad ſe traxit, poterit illos nobiſcum adducere. Facturum autem pro confeſſo ſumit: quia Prophetarum vaticiniis ita prædictum erat de univerſis tam ordinibus quam nationibus.

5. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus:

6. Qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus, *ut eſſet* teſtimonium temporibus ſuis.

7. In quod poſitus ſum præco & Apoſtolus. veritatem dico in Chriſto, non mentior, doctor Gentium in fide & veritate.

5. *Unus Deus.*] Parum valida in ſpeciem foret hæc ratio, Deum ideo velle omnes ſalvos eſſe quia unus eſt: niſi à Deo ad homines tranſitus fieret. Chryſoſtomus, & poſt eum alii ſic accipiunt: non eſſe plures deos, ſicuti idololatræ comminiſcuntur. Sed aliud fuiſſe Pauli conſilium arbitror: ut hic ſit tacita comparatio unius Dei cum toto mundo diverſiſque nationibus, ex qua naſcitur mutuus reſpectus. Quemadmodum ad Romanos, capite 3. verſ. 29. Numquid Judæorum Deus tantum? annon & Gentium? imo unus Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex fide, & Præputium per fidem. Ergo utcunque in hominibus tunc eſſet diverſitas, quia multi ordines alieni erant à fide, multæque Gentes: ad unitatem Dei fideles revocat Paulus, ut ſciant cum omnibus ſibi eſſe conjunctionem, quia unus ſit omnium Deus: ut ſciant non in perpetuum à ſpe ſalutis excluſos qui ſub ejuſdem Dei ſunt poteſtate. Idem ſibi vult quod de uno Mediatore continuo ſubjicit. nam ſicuti unus eſt Deus omnium creator & pater, ita unicum Mediatorem eſſe dicit, per quem acceſſus nobis ad Deum patet: atque hunc Mediatorem non uni tantum genti, vel paucis hominibus certæ conditionis eſſe datum, ſed omnibus: nam ſacrificii, quo peccata expiavit, fructum ad omnes pertinere. imo quoniam magna pars mundi ſe tunc alienaverat à Deo, Mediatoris diſerte meminit, per quem appropinquant qui longe diſtabant. Particula univerſalis ſemper ad hominum genera referri debet, non ad perſonas. acſi dixiſſet, non ſolos Judæos, ſed Gentiles quoque: non ſolos plebeios, ſed etiam Principes redemptos eſſe morte Chriſti. Quum itaque commune mortis ſuæ beneficium omnibus eſſe velit, injuriam illi faciunt qui opinione ſua quempiam arcent à ſpe ſalutis. *Homo Jeſus.* Hominem dum prædicat, non negat eſſe Deum: ſed quum vinculum notare vellet noſtræ cum Deo conjunctionis, humanæ potius naturæ meminit, quam divinæ. quod ſedulo obſervandum eſt. Hinc enim factum eſt ab initio, ut homines ſibi hos vel illos fingendo mediatores, longius à Deo receſſerint: quia hoc errore præoccupati, Deum procul abeſſe, quo ſe verterent neſciebant. Huic malo Paulus medetur, quum nobis Deum quaſi præſentem ſiſtit, quia ad nos uſque deſcendit, ne ſupra nubes quærendus eſſet. Idem ergo hic dicitur quod ad Hebræos capite 4. v. 15. Non habemus Pontificem qui compati infirmitatibus noſtris nequeat, quum tentatus fuerit per omnia. Et ſane ſi id omnium animis inſideret, porrigi nobis fraternam manum à Filio Dei, & naturæ ſocietate nobis conjunctum, ut nos ex hac noſtra tam abjecta conditione in cælum uſque attollat: quis non rectam hanc viam tenere mallet, quam in deviis ſalebris vagari? Proinde quoties orandus eſt Deus, ſi in mentem venit ſublimis illa & inacceſſa majeſtas, ne ejus formidine abſterreamur, ſimul occurrat etiam homo Chriſtus qui comiter nos invitat, noſque veluti manu prehenſat, qui Patrem ex formidabili ac tremendo propitium & facilem nobis reddat. Hæc ſola clavis eſt, qua nobis janua cæleſtis regni reſeratur, ut appareamus cum fiducia in Dei conſpectu. Proinde atiam videmus Satanam omnibus ſeculis hunc lapidem volviſſe, ut inde homines averteret. Omitto quam variis artibus, ante Chriſti adventum diſtraxerit hominum mentes ad media comminiſcenda quibus ad Deum pervenirent. Jam ab Eccleſiæ Chriſtianæ exordio, quum nuper apparuiſſet Chriſtus cum tam præclaro pignore: adhuc in terris ex ejus ore ſuaviſſima illa vox propemodum reſonaret, Venite ad me omnes, &c. erant tamen quidam fallendi artifices, qui Angelos pro mediatoribus obtruderent ipſius loco: quemadmodum ex Epiſtola ad Coloſſenſes colligere promptum eſt. Sed quod tunc clanculum moliebatur Satan, ſub Papatu eo uſque perduxit, ut vix milleſimus quiſque mediatorem Chriſtum, vel titulo tenus agnoſceret. atque ita ſepultum erat nomen, ut res magis eſſet ignota. Nunc poſtquam ſanos pioſque Doctores excitavit Deus, qui tanquam poſtliminio revocare in hominum memoriam ſtuduerunt quod unum ex notiſſimis fidei noſtræ principiis eſſe debuerat: omnia excogitant Romanenſes ſophiſtæ quibus rem clariſſimam obſcurent. Primum ita illis nomen eſt inviſum, ut ſi quiſpiam Chriſti mediatoris faciat mentionem præteritis Sanctis, mox ſuſpicione gravetur hæreſeos. Quia autem repudiare in totum non audent quod hic à Paulo docetur, inſulſo commento eludunt: unum vocari, non ſolum. Quaſi unum ex magna turba Deum nominaverit. cohærent enim hæc duo membra, Unum eſſe Deum, & unum Mediatorem. Quare qui Chriſtum unum aliquem ex multis faciunt, idem ad Deum quoque trahant oportet. An eo prorumperent impudentiæ, niſi cæcus furor ad opprimendam Chriſti gloriam eos raptaret? Alii ſibi videntur acutiores, dum Chriſtum unicum ſtatuunt Mediatorem redemptionis: Sanctos autem interceſſionis mediatores nominant. atqui horum quoque inſulſitatem coarguit loci circumſtantia, quandoquidem hic de precibus ex profeſſo tractatur. Pro omnibus, inquam, orare Spiritus præcipit, quia unicus noſter Mediator omnes ad ſe admittat: ſicuti morte ſua omnes reconciliavit Patri. Et adhuc Chriſtiani cenſeri volunt qui tam ſacrilega audacia Chriſtum ſpoliant ſuo honore. Objicitur tamen quod ſpeciem repugnantiæ habeat. nam hoc ipſo loco Paulus jubet nos pro aliis intercedere: quod ad Romanos capite 8. v. 34. Chriſto quaſi proprium aſſignat. Reſpondeo, ſanctorum interceſſiones, quibus ſe mutuo juvant, apud Deum minime obſtare quominus tamen unicum omnes interceſſorem habeant. Nemo enim vel pro ſe, vel pro alio, niſi Chriſti patrocinio fretus, exauditur. Quod itaque alii pro aliis intercedimus, adeo non tollit unicam Chriſti interceſſionem, ut inde maxime pendeat, eoque referatur. Putabit quiſpiam, nos igitur poſſe facile conciliari cum Papiſtis, ſi unicæ Chriſti interceſſioni ſubjiciant quaſcunque ipſi Sanctis tribuunt. Non ita eſt. nam ideo transferunt intercedendi officium ad Sanctos, quoniam alias deſtitui nos advocato fingunt. Hoc eſt vulgare inter ipſos principium, nos patronis opus habere, quia indigni ſumus qui per nos appareamus in Dei conſpectu. Ita loquendo, Chriſtum honore ſuo privant. Deinde execranda eſt blaſphemia, affingere Sanctis dignitatem quæ nobis apud Deum gratiam conciliet. à quo tam longe abſunt tam Prophetæ omnes quam Apoſtoli & Martyres, uſque ad ipſos Angelos, ut patrono ipſi quoque eodem nobiſcum opus habeant. Deinde merum eſt figmentum, natum in eorum cerebris, mortuos pro nobis intercedere. Ergo in eo fundare preces noſtras, eſt fidem penitus à Dei invocatione avellere. Atqui Paulus regulam Dei rite invocandi præſcribit, fidem ex verbo Dei conceptam, Rom. cap. 10. v. 17. Merito itaque repudiamus quod curioſi homines extra Dei verbum imaginantur. Sed ne prolixior ſim quam loci expoſitio flagitat, ſumma ſit, Chriſto uno fore contentos qui vere didicerint ejus officium: mediatores ſibi propria libidine fabricari, eorum eſſe qui nec Deum nec Chriſtum noverunt. Unde conſtituo, Papiſtarum doctrinam quæ & Chriſti patrocinium obſcurat, imo fere ſepelit, & fictitios inducit patronos abſque ullu Scripturæ teſtimonio: tum impiæ diffidentiæ, tum etiam impiæ temeritatis plenam eſſe.

Mat. 11. verſ. 28.

Coloſſ. 2. verſ. 18.

6. *Qui dedit ſemetipſum.*] Non eſt ſupervacua hoc loco Redemptionis commemoratio. Sunt enim res neceſſario conjunctæ, ſacrificium mortis Chriſti, & perpetua interceſſio: ſuntque duæ ſacerdotii partes. nam hac ſignificatione Sacerdos noſter Chriſtus vocatur,

Pſal. 10. verſ. 14.

Hebr. 7. verſ. 17. vocatur, quod ſemel peccata noſtra morte ſua expiavit, ut Deum nobis propitium redderet: & nunc ſanctuarium cæli ingreſſus, ad impetrandam nobis gratiam coram Patre apparet, ut ejus nomine exaudiamur. Quo melius detegitur ſacrilega Papiſtarum impietas, qui dum in hoc officio Sanctos qui mortui ſunt, Chriſto ſocios adjungunt, ſimul ad eos transferunt ſacerdotii gloriam. Lege quartum caput ad Hebræos circa finem, & initium quinti: reperies quod dico, interceſſionem qua propitiatur nobis Deus, in ſacrificio fundatam eſſe. quin etiam tota veteris ſacerdotii ratio hoc demonſtrat. Sequitur ergo, nihil ex officio intercedendi a Chriſto transferibi poſſe ad alios, quin ſacerdotii titulo nudetur. Præterea quum ἀντίλυτρον appellat, alias omnes ſatisfactiones evertit. Quanquam non me latet Papiſtarum argutia: fingunt enim redemptionis pretium quod morte ſua perſolvit Chriſtus, in Baptiſmo nobis applicari, ut deleatur originale peccatum: poſtea ſatisfactionibus nos reconciliari Deo. Hoc modo, quod erat univerſale & perpetuum beneficium, ad exiguum tempus & ſpeciem unam reſtringunt. Sed plenam hujus rei tractationem ex Inſtitutione pete. Ut eſſet *teſtimonium.* Hoc eſt, ut hæc gratia pateſieret tempore conſtituto. Dixerat, Pro omnibus: quæ particula quæſtionem movere poterat, cur ergo peculiarem unum populum elegiſſet Deus, ſi omnibus communiter ſe propitium patrem exhibeat, ac una omnibus communis erat redemptio in Chriſto? Huic quæſtioni anſam præcidit, quum revelandæ gratiæ opportunitatem refert ad Dei conſilium. Nam ſi hyeme non miramur emarcidas arbores, agros nive coopertos, prata gelu rigentia: veris temperie revireſcere quæ ad tempus quodammodo emortua fuerant, quia ordinatæ ſunt à Deo temporum vices: cur non ipſius providentiæ in aliis idem juris concedemus? an propterea Deum inconſtantiæ arguemus, quia quod ſemper apud ſe decretum fixumque habuit, ſuo tempore profert in medium? Quare etſi hoc repentinum mundo accidit & minime expectatum, quod Chriſtus Judæis ac Gentibus promiſcue redemptor apparuit: ne tamen putemus ſubitum hoc fuiſſe Deo: ſed potius admirabili ejus providentiæ diſcamus ſubjicere ſenſus omnes noſtros. Ita fiet ut nihil quod ab ipſo proditum erit, nobis non ſit maxime tempeſtivum. Ideo frequenter apud Paulum occurrit hæc admonitio: præſertim quum de Gentium vocatione agitur, quæ ſua novitate multos tunc percellebat & quaſi reddebat attonitos. Quibus hac ſolutione non ſatisfit, Deum occulta ſua ſapientia diſtribuiſſe temporum vices: hi aliquando experientur, quo tempore otioſum fuiſſe putant, fabricaſſe inferos curioſis.

7. *In quod poſitus ſum.*] Ne temere (ut multi ſolent) de re ſibi parum comperta aſſerere videatur, ſe ad hoc prædicat divinitus ordinatum, ut Gentes prius à regno Dei alienas, ad Euangelii participationem adducat. Nam Apoſtolatus ejus ad Gentes, certum erat divinæ vocationis fundamentum. Et ideo tantopere in ipſo aſſerendo laborat: ut certe apud multos non abſque difficultate recipiebatur. Juſjurandum quoque vel obteſtationem adhibet, ut in re maxime ſeria, doctorem ſe eſſe Gentium: idque *in fide & veritate.* quæ duo bonam conſcientiam ſignificant: ſed eam quoque fultam eſſe oportet certitudine divinæ voluntatis. Proinde non tantum ſincero affectu ſe Gentibus Euangelium prædicare intelligit: ſed etiam ſana & intrepida conſcientia, eo quod nihil agat niſi Dei mandato.

8. Volo igitur orare viros in omni loco, ſuſtollentes puras manus, abſque ira & diſceptatione.

9. Conſimiliter & mulieres in amictu decoro cum verecundia & temperantia ornare ſemetipſas, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſtitu ſumptuoſo:

10. Sed quod decet mulieres profitentes pietatem per bona opera.

8. *Volo igitur* &c.] Pendet hæc illatio ex proxima
Galat. 4. verſ. 5. ſententia: nam, ut in Epiſtola ad Galatas vidimus, Spiritu adoptionis præditos eſſe nos oportet, ut Deum rite invocemus. Poſtquam ergo Chriſti gratiam omnibus expoſuit, ideoque ſe Gentibus datum eſſe Apoſtolum meminit, ut eodem redemptionis beneficio promiſcue cum Judæis fruerentur: omnes pariter ad orandum invitat. Fides enim invocationem parit. Unde & ad Romanos cap. 15. v. 9. Gen-
Pſal. 67. verſ. 5. tium vocationem probat iſtis teſtimoniis, Exultent Gentes cum populo ejus. Item, Omnes Gentes lau-
Pſal. 117. verſ. 1. date Dominum. Item, Confitebor tibi inter Gentes. Valet enim reciprocum argumentum à fide ad invo-
Pſal. 18. verſ 50. cationem, & ab invocatione ad fidem, tanquam à
2 Sam 22. verſ. 50. cauſa ad effectum, & ab effectu ad cauſam. quod obſervatione dignum eſt: quia inde admonemur, Deum ſe nobis patefacere verbo ſuo ut à nobis invocetur: & hoc præcipuum eſſe exercitium fidei. Quare particula, *in omni loco*, peræque hic valet atque initio
1 Cor. 2. verſ. 1. prioris ad Corinthios: ut nullum ſit jam diſcrimen inter Gentilem & Judæum, inter Græcum & Barbarum: quia Deus communis eſt omnium Pater: & jam in Chriſto impletum ſit quod vaticinatus erat Malachias, non modo in Judæa, ſed in toto orbe offerri Deo pura ſacrificia. *Suſtollentes puras manus.* Acſi diceret, modo adſit bona conſcientia, nihil obſtare quominus ubique invocent Deum omnes Gentes. Sed rei loco ſignum poſuit. nam puræ manus ſunt puri
Jeſa. 1. verſ. 15. cordis indices: quemadmodum econverſo Jeſaias exprobrat Judæis, quod manus ad Deum ſanguinolentas extollant, dum invehitur in eorum crudelitatem. Porro ceremonia hæc uſitata fuit omnibus ſeculis: quia natura hic nobis ingenitus eſt ſenſus, quum Deum quærimus, ſurſum aſpicere. adeoque ſemper valuit, ut ipſi quoque idololatræ, quum alioqui Deum affigerent ligneis & lapideis ſimulachris, morem tamen in cælum tollendi manus retinerent. Diſcamus ergo ceremoniam eſſe veræ pietati congruentem, modo reſpondeat quæ per eam figuratur veritas: nempe ut admoniti Deum in cælo quærendum eſſe, primum de ipſo terrenum vel carnale nihil imaginemur: deinde exuamus affectus carnales, ne quid impediat quominus animi noſtri ſupra mundum aſſurgant. Idololatræ vero & hypocritæ manus inter orandum attollendo, ſimiæ ſunt: quia dum externo ſymbolo profitentur ſe mentes ſurſum habere erectas, priores in ligno & lapide hærent, quaſi illic incluſus eſſet Deus: ſecundi aut inanibus curis, aut pravis cogitationibus impliciti, in terra jacent: proinde contrario geſtu teſtimonium adverſum ſe ferunt. *Abſque ira.* Nonnulli fremitum indignationis exponunt, dum ſecum tumultuatur conſcientia, & quaſi cum Deo expoſtulat: quod accidere ſolet quum res adverſæ gravius nos premunt. Tunc enim ægre ferimus, non ſtatim Deum nobis ſuccurrere, & impatientia turbamur. Concutitur etiam fides variis inſultibus: nam quia non apparet ejus auxilium, obrepunt nobis dubitationes, an curam noſtri habeat, an ſalvos velit nec ne, & ſimiles. Talem conſternationem hæſitantis animi, *diſceptationis* voce notari putant. Ita ſecundum eos ſenſus eſſet, pacata conſcientia & intrepida fiducia orandum eſſe. Alii (ut Chryſoſtomus)

mus) requiri putant non tam erga Deum quam homines placidos animos, & omni perturbatione vacuos: quia nihil eſt quod puram Dei invocationem magis impediat, quam rixæ & contentiones. Unde *Matth. 5. verſ. 23.* etiam jubet Chriſtus, ſi quis diſſideat cum fratre, prius reconciliari quam munus ad altare offerat. Horum utrumque veriſſimum eſſe fateor: ſed dum præſentis loci circumſtantiam expendo, non dubito quin reſpexerit Paulus ad diſceptationes quæ inde oriebantur, quod Judæi Gentes ſibi æquari indignabantur, & ideo controverſiam movebant de earum vocatione: imo eas repudiabant, arcebantque à gratiæ conſortio. Vult ergo Paulus, ſedatis ejuſmodi contentionibus, omnes ubivis Gentium ac terrarum Dei filios unanimes orare. Quanquam nihil prohibet quin ex particulari ſententia eliciamus generalem doctrinam.

9. *Conſimiliter & mulieres.*] Quemadmodum viros juſſit tollere puras manus, ita nunc præſcribit qualiter mulieres ad rite orandum comparatas eſſe deceat. Ac videtur inter virtutes quas commendat, & externam Judæorum ſanctificationem, tacita ſubeſſe antitheſis. Nam innuit nullum eſſe profanum locum, & unde non ad Deum acceſſus pateat, modo ſuis vitiis non arceantur tam viri quam mulieres. Porro ſumpta occaſione vitium quo fere laborare ſolent mulieres, corrigere voluit. Fieri quoque poteſt ut Epheſi, in urbe opulenta & celebri emporio, magis graſſatum ſit. Eſt autem nimia ornatus cura & cupiditas: vult ergo ut ad pudorem & temperantiam compoſitus ſit earum ornatus. Nam inde luxuria & immodicus ſumptus, vel quod ſuperbiæ, vel quod laſciviæ cauſa oſtentare ſe appetunt. Atque inde petenda eſt regula mediocritatis. Nam quia res eſt indifferens veſtitus, (ut ſunt res omnes externæ) difficile eſt præſcribere certum modum quouſque liceat. Magiſtratus quidem leges ſumptuarias ferre poterit, quibus libidinem utcunque coërceat: ſed pii doctores, quorum eſt regere conſcientias, ſemper debent uſus legitimi finem reſpicere. Ita hoc ſaltem erit extra controverſiam, quicquid non eſt cum pudore & temperantia conſentaneum in veſtitu, eſſe improbandum. Quanquam ab affectu ſemper eſt incipiendum. nam ubi intus regnat protervia, illic nullus pudor: ubi regnat intus ambitio, illic nulla modeſtia in externo veſtitu extabit. Sed quia hypocritæ vitioſos ſuos affectus quibuſcunque poſſunt coloribus fucare ſolent, neceſſario protrahendi ſunt ad id quod apparet. Magnæ improbitatis erit negare, honeſtis & caſtis mulieribus pudorem convenire, tanquam proprium & perpetuum ornamentum: ſimiliter, moderationem ab omnibus ſervandam eſſe. Quicquid ergo erit his contrarium, fruſtra excuſabunt. Certas deinde ſpecies exceſſus nominatim reprehendit: ut ſunt capilli complexi, margaritæ, & aurea monilia. non quod vetitus ſit in totum auri vel margaritarum uſus: ſed quod hæc ubicunque refulgent, ſecum fere trahunt alia mala quæ dixi, & ex ambitionis fonte naſcuntur aut impudicitiæ.

10. *Quod decet mulieres.*] Nam certe cultum honeſtæ & piæ mulieris à meretricio differre oportet. Illæ autem ſunt diſcretionis notæ quas poſuit: deinde ſi operibus teſtanda eſt pietas, in veſtitu etiam caſto apparere hæc profeſſio debet.

11. Mulier in quiete diſcat, cum omni ſubjectione.

12. Docere autem mulieri non permitto, neque auctoritatem ſibi ſumere in virum: ſed quietam eſſe.

13. Adam enim creatus fuit prior, deinde Eva.

14. Et Adam non fuit deceptus: ſed mulier decepta, transgreſſionis rea fuit.

15. Servabitur autem per generationem, ſi manſerit in fide, & charitate, & ſanctificatione, cum temperantia.

11. *Mulier in quiete.*] Poſtquam de veſtitu loquutus eſt, nunc addit qua ſe modeſtia gerere in ſacro cœtu debeant mulieres. Ac primum jubet eas placide diſcere: nam quies ſilentium ſignificat, ne loquendi vices ſibi uſurpent in publico. quod ſtatim clarius exponit, dum eas vetat docere. Non ut illis auferat munus inſtituendæ familiæ, ſed tantum ut à munere docendi arceat, quod ſolis viris Deus mandavit. qua de re tractavimus in Epiſtola ad Corinthios priore. Si quis Deboram & ſimiles objiciat, quas aliquando gubernando populo, Dei mandato præfectas legimus: reſponſio eſt facilis, extraordinariis Dei factis non everti communem politiam cui nos voluit alligatos. Ergo ſi aliquando prophetandi & docendi locum tenuerunt mulieres, idque Dei Spiritu excitatæ: potuit hoc qui ab omni lege immunis eſt. ſed quia hoc ſingulare eſt, non pugnat cum perpetua & uſitata politia. Addit quod proximum eſt officio docendi, *Ne ſibi auctoritatem ſumant in viros.* Nam iſta eſt ratio cur docere prohibeantur, quia hoc non patitur earum conditio. Subjectæ enim ſunt: docere autem eſt poteſtatis, vel ſuperioris gradus. Quanquam videtur ratio non ſatis firma: quum Prophetæ quoque & doctores Regibus ſint ſubjecti, aliiſque magiſtratibus. Reſpondeo, nihil eſſe abſurdi quin præſit aliquis, & ſimul pareat: ſecundum diverſos reſpectus. ſed in muliere id non valet, quæ natura (hoc eſt, ordinaria Dei lege) ad parendum nata eſt. Nam γυναικοκρατίαν omnes prudentes ſemper inſtar portenti repudiarunt. Quare cælum quodammodo terræ miſcebitur, ſi docendi jus arripiant mulieres. Jubet ergo eas quieſcere: hoc eſt, ſe continere intra ſuum ordinem.

13. *Adam enim creatus.*] Duas rationes adducit cur viris mulieres ſubeſſe oporteat: quia & hanc legem Deus impoſuit ab initio, & pœnam quoque mulieri inflixit. Docet igitur, etiamſi in prima & originali integritate ſtetiſſet humanum genus, ita ferre genuinum naturæ ordinem, qui à Dei præſcripto fluxit, ut mulieres ſubjectæ ſint. Neque obſtat quod Adam à prima dignitate excidens, imperio ſe ipſe privavit. nam in ruinis quæ peccatum ſequutæ ſunt, manent adhuc quædam divinæ benedictionis reliquiæ: & mulieri ſua culpa prodeſſe non debuit. Quod tamen adducit Paulus mulierem ſecundo loco creatam eſſe, videtur hæc parum valida eſſe ſubjectionis ratio: nam & Joannes Baptiſta tempore Chriſtum præceſſit, dignitate tamen longe inferior. Sed Paulus circumſtantias omnes quæ à Moſe referuntur, tametſi non exprimat, voluit tamen à lectoribus expendi. Moſes autem docet, ita poſteriore loco creatam eſſe mulierem, ut ſit quaſi viri acceſſio: & hac lege fuiſſe viro adjunctam, ut præſto adſit ad exhibenda obſequia. Quum ergo non duo capita Deus æqua poteſtate creaverit, ſed viro addiderit adjumentum inferius, merito ad illum creationis ordinem nos Apoſtolus revocat, in quo relucet æterna & inviolabilis Dei inſtitutio.

14. *Et Adam non fuit deceptus.*] Reſpicit ad pœnam mulieri inflictam, Quia obediſti voci ſerpentis, *Geneſ. 3.*
ſub viri poteſtate eris, & ad illum appetitus tuus. *verſ. 16.*
Nam quia exitiale conſilium dederat, digna fuit quæ ab alieno jure & arbitrio pendere diſceret: quia virum abduxerat à Dei imperio, digna fuit quæ omni libertate privata, ſub jugum redigeretur. Cæterum non ſimplicem aut nudam transgreſſionis cauſam hic Apoſtolus obtendit, ſed pronunciata à Deo ſententia

nititur.

nititur. Quanquam videntur hæc duo nonoibil pugnare, quod mulieris ſubjectio pœna ſit transgreſſioois: & tamen illi fuerit à creatione impoſita. nam inde ſequitur, prius addictam fuiſſe ſervituti, quam delinqueret. Reſpondeo, nibil impedire qoominus & naturalis ab initio fuerit conditio parendi: & deinde propter peccatum accidentalis ſerviendi eſſe cœperit, ut jam minus liberalis ſit ſubjectio, quam prius fuiſſet. Cæterum locus bic quibuſdam occaſionem præbuit ut negareot Adam errore lapſum eſſe, ſed uxoris tantum illecebris fuiſſe victum. Putant igitur mulierem tantum aſtu diaboli deceptam, ut ſe & virum diis ſimiles fore crederet: Adæ vero nihil fuiſſe perſuaſum, ſed fructum guſtaſſe ut morem uxori gereret. Atqui banc opinionem promptum eſt refellere. Niſi enim fidem babuiſſet Satanæ
Geneſ. 3. verſ. 22. mendacio, non illi exprobraret Deus, Ecce Adam quaſi unus ex nobis. Sunt aliæ rationes, quas taceo: quia non longa refutatione indiget error, nulla probabili coojectura ſultus. Paulus enim ſuis verbis non ſignificat, Adam non eadem implicitum fuiſſe diaboli fallacia: ſed taotum, cauſam vel originem transgreſſionis ab Evæ profectam eſſe.

15. *Servabitur autem.*] Quia imbecillitas ſexus mulieres reddat magis ſuſpicioſas & timidas: & talis erat ſuperior ſententia, quæ vehementer percellere & conſternere vel maxime viriles animos poſſet: ideo adbibita cooſolatione temperat quod dixit. neque enim nos ideo accuſat vel coarguit Spiritus Dei, ut pudore confuſis inſultet: ſed proſtratos mox erigit. Poterat boc (ut jam dixi) exanimare mulieres, quum ſibi imputari audirent totius bumani generis exitium. qualis enim eſt hic reatus? præſertim quum in ſubjectione ira Dei aſſidue verſetur ob oculos. Ergo Paulus ut illas ſoletur, ac ſuam illis conditionem tolerabilem reddat, ſpem ſalutis relictam eſſe admonet, utcuoque ſuſtineant pœnam temporalem. Duplex iſte conſolatioois fructus notandus eſt: quod propoſita ſalutis ſpe retioeantur, oe reatus ſui commemoratione perterritæ, in deſperationem ruant: deinde quod aſſueſiunt ad tolerandam æquis & traoquillis animis ſerviendi neceſſitatem, ut libenter ſe viris ſubmittant, quum admonentur boc genus obſequii & ſibi eſſe ſalutare, & Deo acceptum. Si ad operum adſtruendam juſtitiam hic locus torqueatur, ut faciunt Papiſtæ, ſimplex eſt ſolutio: quia bic non diſputat Apoſtolus de cauſa ſalutis, noo poſſe nec debere ex ejus verbis colligi quid mereantur opera: ſed tantum oſtendi qua nos via perducat Deus ad ſalutem, cui nos ſua gratia deſtinavit. *Per generationem.* Ridiculum hoc foret hominibus natutis, Chriſti Apoſtolum non modo hortari mulieres ad dandam operam procreandæ ſoboli, ſed hoc opus tanquam pium & ſanctum ita urgere, ut rationem eſſe dicat obtinendæ ſalutis. quio etiam videmus quibus probris thorum conjugalem infamaverint hypocritæ, qui ſanctiores videri præ aliis omnibus volebant. Sed adverſus ſaonas impiorum facilis eſt defenſio. Primum enim oon taotum de gignenda prole hic tractat Apoſtolus, ſed de perferendis moleſtiis omnibus, quæ & duræ ſunt & multiplices, tam in partu quam io educatione liberorum. Deinde, quicquid hypocritæ judicent, vel mundi ſapientes, pluris hanc obedientiam facit Deus, quum mulier ad quid vocata ſit reputans, impoſitæ ſibi divinitus conditioni ſe ſubjicit, nec tædium geſtatioois, nec ciborum faſtidium, nec morbos, nec difficultatem pariendi, imo potius dirum cruciatum, nec ſollicitudinem pro fœtu, nec alia quæ ſunt officii ſui detrectat: quam ſi beroicis alioqui virtutibus ſe oſtentaret, Dei interim vocationi obſequi detrectans. Adde quod non potuit aptior afferri cooſolatio, nec efficacior, quam ſi ratiooem & medium (ut ita loquar) ſalutis conſequendæ io ipſa pœna oſtenderet. *Si manſerint in fide.* Quia vetus Interpres Generationem liberorum poſuerat, vulgo receptum fuit ut ad liberos referreot hoc membrum. atqui onica vox eſt apud Paulum τεκνογονία. Proinde ad mulieres referri neceſſarium eſt. Quod autem plurale verbum eſt, nomen vero ſingulare, nihil habet incommodi. Siquidem nomen indefinitum, ubi ſcilicet de omnibus communis eſt ſermo, vim collectivi babet: ideoque mutationem numeri facile patitur. Porro ne totam mulierum virtutem in conjugalibus officiis includeret, continuo poſt etiam majores adjicit virtutes, quibus pias mulieres excellere convenit, ut à profanis differant. Imo tunc demum generatio gratum eſt Deo obſequium, quom ex fide & charitate procedit. His duobus adjungit *ſanctificationem*, qoæ totam vitæ puritatem continet, dignam Chriſtianis mulieribus. Poſtremo ſequitur *temperantia*, cujus paulo ante meminerat, de veſtitu loquens: ſed nunc eam latius ad alias vitæ partes extendit.

Cap. III.

Certus ſermo, Si quis Epiſcopatum appetit, præclarum opus deſiderat.

2. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris maritum, ſobrium, temperantem, * compoſitum, hoſpitalem, aptum ad docendum:

3. Non † vinolentum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum: ſed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia:

* vel, honeſtum. † vel, ferocem.

4. Qui domui ſuæ bene præſit, qui filios habeat in ſubjectione, cum omni reverentia.

5. Quod ſi quis propriæ domui præeſſe non novit, Eccleſiam Dei quomodo curabit?

6. Non novitium, ne inflatus in condemnationem incidat diaboli.

7. Oportet autem illum & bonum teſtimonium habere ab extraneis: ne in probrum incidat & laqueum diaboli.

1. *Certus ſermo.*] Quod Cbryſoſtomus clauſulam eſſe putat ſuperioris doctrinæ, mibi ooo placet. Solet enim Paulus hanc formulam præfando magis uſurpare: deinde non erat illi tantæ affirmationis uſus. quod autem nunc dicturus eſt, plus habet aliquanto ponderis. Sit igitur præfatio ad notandam rei gravitatem habita, quia jam Paolus novum ſermonem ingreditur de Paſtoribus creandis, & ordinando Eccleſiæ regimine. *Si quis Epiſcopatum.* Quoniam mulieribus interdixerat officium docendi, ſumpta inde occaſione, nunc de Epiſcopatu ipſo diſſerit: primo, quo melius appareat quam non ſine cauſa molieres admittere noluerit ad tam arduum munus exercendum: deinde, ne ſolas mulieres arcendo, viros omnes promiſcue admittere videatur: tertio, quia expediebat Timotheum & alios admoneri quanta in eligendis Epiſcopis religio ſervanda eſſet. Talis ergo eſt contextus, mea ſententia, ac ſi diceret Paulus, adeo non eſſe idoneas mulieres obeundæ tantæ functioni, ut ne viris quidem ipſis indiſcriminatim patefieri aditum oporteat. Proinde admonet, non vulgare eſſe opus, ut ſibi quilibet permittat id ſuſcipere. Nam quum dicit καλὸν, non dubito quin ad vetus proverbium alludat, quod ſæpius à Platone

repetitor, δύσκολα τὰ καλά: quo Græci ſignificant, quæ pulchra ſunt, eadem ardua & difficilia eſſe: atque ita difficultatem cum excellentia conjungit. imo ſic argumentatur, non eſſe cujuſvis Epiſcopatu fungi, quia res ſit eximia. Jam puto ſeoſum Pauli eſſe ſatis perſpicuum: quem tamen nemo interpretum aſſequutus eſt, quod videam. Summa eſt, habendum eſſe in recipiendis Epiſcopis delectum, quia munus ſit laborioſum ac difficile: ac diligenter, qui ad illud aſpirant, debere ſecum reputare an pares futuri ſint ferendo tanto oneri. Audax ſemper eſt imperitia: & circumſpecta rerum cognitio modeſtum reddit hominem. unde fit ut tanta confidentia ſæpe munus gubernandi ambiant qui nihil habent vel ingenii, vel prudentiæ, niſi quod clauſis oculis ruunt? Sic dicebat Quintilianus, Indoctos fortius dicere: quum trepident ſummi oratores. Ut in appetendo Epiſcopatu ejuſmodi temeritatem cohibeat Paulus, admonet primo, non otioſam eſſe dignitatem, ſed *opus*. deinde non quodvis opus, ſed *præclarum*, & ideo arduum, plenumque difficultatis: ut eſt re vera. Neque enim leve eſt, in tanta adminiſtratione ſuſtinere perſonam Filii Dei, ubi agitur de regno Dei erigendo & propagando, ubi de animarum ſalute curanda, quas ſanguinis ſui pretio Dominus ipſe dignatus eſt, de regenda Eccleſia quæ eſt Dei hæreditas. Sed non eſt hic propoſitum concionari: & hoc argumentum rurſus attinget Paulus proximo capite. Verum quæritur an ullo modo Epiſcopatum appetere liceat. Videtur enim abſurdum ut quis voto præveniat Dei vocationem. atqui Paulus, dum temerarium deſiderium reprehendit, permittere videtur ut circumſpecte & modeſte quis appetat. Reſpondeo, ſi aliis in rebus damnatur ambitio, in Epiſcopatu multo gravius damnandam eſſe. Atqui Apoſtolus de pio deſiderio loquitur, quo ſtudent ſancti homines quicquid habent doctrinæ conferre ad Eccleſiæ ædificationem. Nam ſi docendi munus appetere omnino nefas eſſet, quorſum ſe diſcendo compararent qui totam adoleſcentiam in ſacræ Scripturæ lectione conſumunt? annon Theologicæ ſcholæ, Paſtorum ſunt ſeminaria? Proinde qui ita ſunt inſtituti, non modo licite poſſunt, ſed etiam debent, etiam antequam in munus ſint cooptati, voluntaria oblatione ſe ac ſuam operam ſacrare Deo: modo tamen non ſe ingerant ipſi, ac ne voto quidem ſuo ſe deſignent Epiſcopos: ſed tantum parati ſint ad munus obeundum, ſi eorum opera flagitetur. Quod ſi legitimo ordine non fuerint vocati, ſciant aliter viſum eſſe Deo, neque indigne ferant ſe fuiſſe aliis poſthabitos. Verum ita affecti erunt, qui nullo ſui reſpectu, Deo & Eccleſiæ tantum ſervire optabunt: & ſimul erunt ea modeſtia, ut minime invideant ſi alii tanquam digniores præferantur. Si objiciat quiſpiam, tantæ molis eſſe Eccleſiæ regimen, ut horrorem ſanis hominibus incutere potius debeat quam provocare ad ſui deſiderium: reſpondeo, piorum deſiderium non recumbere in fiduciam propriæ induſtriæ aut virtutis, ſed Dei auxilio, à quo noſtra eſt ſufficientia:
2 Cor. 3. verſ. 5. quemadmodum alibi tractat Paulus. Cæterum obſervandum eſt quid Paulo ſit Epiſcopatus: eoque magis, quod veteres ſuorum temporum conſuetudine à vero ſenſu abducti fuerunt. Nam quum Paulus generaliter comprehendat omnes Paſtores, ipſi Epiſcopum accipiunt qui ex unoquoque collegio eligebatur ut fratribus præeſſet. Meminerimus ergo perinde valere hoc nomen, acſi Miniſtros, vel Paſtores, vel Presbyteros nominaſſet.

2. *Oportet ergo.*] Illativa particula expoſitionem quam poſui confirmat. nam pro muneris dignitate colligit, hominem requiri præditum raris dotibus, & non quemlibet ex vulgo. Si eſſet Bonum opus, ut habet communis tranſlatio, vel Honeſtum, ut reddidit Eraſmus: illatio non quadraret. Vult autem *Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem*: pro quo ad Titum poſuit, ἀνέγκλητον: utroque nomine ſignificans, non debere ulla infamia notatum eſſe, quæ auctoritatem illi deroget. Neque enim inter homines reperietur qui purus ſit omni vitio. ſed aliud eſt, laborare communibus vitiis quæ exiſtimationem non lædunt, quia cadunt in homines honeſtiſſimos: aliud, probroſi eſſe nominis, vel aliqua turpitudine eſſe fœdatum. Ergo ne auctoritate careat Epiſcopus, jubet eligi qui ſit honeſtæ & integræ famæ, nullique notabili vitio obnoxius. Porro non tantum præſcribit Timotheo quales eligere debeat, ſed etiam ſingulos admonet qui ad gradum illum aſpirant, ut ſe vitamque ſuam diligenter examinent. *Unius uxoris maritum.* Puerile eſt commentum, interpretari Unius Eccleſiæ Paſtorem. Receptior eſt altera expoſitio, debere recipi qui non fuerit duplici conjugio implicitus, jam tamen cælibem, unica uxore mortua. Sed enim tam hic quam primo ad Titum capite, verba ita ſonant, Qui ſit: non autem, Qui fuerit. Et infra capite quinto, quum aget de viduis, diſtincte utetur præteriti temporis participio. Præterea hoc modo pugnaret ipſe ſecum: utpote qui alibi teſtatur ſe talem nolle injicere laqueum conſcientiis. Sola igitur Chryſoſtomi expoſitio vera eſt, polygamiam hic nominatim in Epiſcopo damnari, quæ tunc apud Judæos pro lege fere obtinuerat. Partim hoc habebant ex perverſa Patrum imitatione: (nam qui legebant, Abraham, Jacob, Davidem & ſimiles pluribus ſimul uxoribus fuiſſe conjugatos, idem ſibi quoque licere arbitrabantur) partim hanc corruptelam ex vicinis gentibus traxerant. nunquam enim apud Orientales qua decebat religione & fide culta fuerunt conjugia. Quicquid ſit, polygamia apud eos vulgo invaluerat. Itaque non immerito Paulus maculam hanc ab Epiſcopi perſona alienam eſſe jubet. Neque tamen eorum opinionem improbo qui putant Spiritum ſanctum diabolicæ ſuperſtitioni voluiſſe occurrere, quæ poſtea obrepſit. acſi dixiſſet, adeo non cogendos ad cælibatum Epiſcopos, ut maxime pios deceat conjugium. Hoc modo non exigeret ab illis tanquam rem neceſſariam, ſed tantum laudaret tanquam ab officii dignitate minime alienam. Simplicius tamen eſt ac firmius quod jam dixi, ab ordine Epiſcopali arceri polygamiam à Paulo, quia ſignum ſit hominis libidinoſi, & fidem conjugalem non ſervantis. Verum hic objicitur, non debuiſſe quod in omnibus eſt vitioſum, in ſolis Epiſcopis damnari vel prohiberi. Solutio facilis eſt, non ideo protinus aliis fieri licentiam, quum Epiſcopis nominatim hoc interdicitur. Neque enim dubium eſt quin Paulus in univerſum damnaverit quod cum perpetua Dei Lege pugnabat. Fixum enim eſt decretum, Erunt duo in carnem unam. Sed potuit in aliis utcunque tolerare quod in Epiſcopo nimis turpe, ideoque non ferendum fuiſſet. Neque enim hic lex in poſterum ſancitur, ne Epiſcopus qui unam habet uxorem, ſecundam aut tertiam inducat: ſed ab ordine Epiſcopali repellit Paulus quicunque tale flagitium admiſerint. Quod itaque jam factum corrigi non poterat, fert coactus, ſed non niſi in plebe. Quid enim remedii? an ſecundas ac tertias uxores repudiaſſent qui ſub Judaiſmo in polygamiam ſe conjecerant? atqui tale repudium non caruiſſet injuria. Quod ergo integrum non erat, intactum reliquit: tantum excepit, ne quis Epiſcopus tali macula aſperſus eſſet. *Sobrium.* Eraſmus reddidit Vigilantem. Quando νηφάλιον Græcis utrumque ſignificat, eligant utrum volent lectores. σώφρονα malui reddere *temperantem*, quam Sobrium: quia σωφροσύνη latius patet quam ſobrietas. *Compoſitus* eſt, qui decenter & honeſte ſe gerit. *Hoſpitalitas* eſt erga extraneos: cujus frequentior apud veteres uſus fuit. turpe enim fuiſſet honeſtis hominibus, & præſertim notis, in cauponas divertere. Hodie alia ratio eſt tamen, ſemperque erit virtus hæc in Epiſcopo multas ob cauſas neceſſaria. Adde quod in crudeli piorum

rum vexatione neceſſe fuit multos ſubinde mutare locum: ideoque domos Epiſcopales neceſſe fuit eſſe exulum perfugia. Imo Eccleſias ipſa temporum neceſſitas ad mutuum levamen coëgit, ut aliæ aliis præberent hoſpitia. Porro niſi in hoc officii genere viam aliis monſtraſſent Epiſcopi, plerique humanitatem, illorum exemplo neglexiſſent: atque ita exanimati fuiſſent miſeri exules. *Aptum ad docendum.* Doctrinæ in Epiſtola ad Titum expreſſior fit mentio: hic tantum breviter dexteritatem ponit. Neque enim ſatis eſt ſi quis recondita eruditione polleat, niſi accedat etiam docendi gratia. Multi enim, vel quia linguæ ſunt impeditæ, vel quia non ſatis perſpicacis ingenii, vel quia non ſatis populares, intus ſuppreſſum retinent quod norunt. Tales ſibi (ut aiunt) & Muſis canere decet. Qui populi regendi curam habent ad docendum, appoſiti ſint oportet. Neque vero linguæ tantum volubilitas hic requiritur: nam pleroſque videmus diſertos, quorum prompta loquacitas nihil habet ædificationis: ſed potius commendatur prudentia, ut ſcite ad uſum populi accommodetur Dei verbum. Operæpretium autem eſt reputare quam nihil ad ſe pertinere ducant Papiſtæ quicquid Apoſtolus præſcribit. Neque vero ſingulis vel excutiendis, vel enumerandis inſiſtam. unum hoc, qua diligentia apud eos ſervatur? Et ſane dos ſupervacua iſta foret, quando miniſterium docendi quaſi vile & ſordidum à ſe depellunt, quod tamen Epiſcopi maxime proprium erat. At neminem latet quantum abſit à Pauli regula, Epiſcopali titulo κατ᾽ ἐξοχὴν ſuperbe gloriari: ſi modo theatrico habitu appareat. Quaſi cornuta mitra, annulus bene gemmatus, argenteum pedum, & ſimiles nugæ cum luſoria pompa, ſpirituale Eccleſiæ regimen conſtituant: quod nihilo magis à doctrina poteſt avelli, quam noſtrum unuſquiſque à propria anima.

3. *Non vinolentum.*] Non tantum ebrietatem hoc verbo notant Græci, ſed quamvis intemperiem in vino ingurgitando. Et certe non tantum Paſtori nimis indecora eſt immodica vini potatio, ſed etiam quod fere multa pejora ſecum trahit: ut ſunt rixæ, ineptæ geſticulationes, laſciviæ: & quæ recenſere non eſt neceſſe. Verum antitheſis quæ paulo poſt ſubjicitur, Paulum ultra progredi oſtendit. Nam ſicuti percuſſori alienum à pugnis, & turpis lucri cupido ἀφιλάργυρον opponit: ita & τῷ παροίνῳ manſuetum, vel æquum. Vera igitur eſt Chryſoſtomi interpretatio, temulenti ac ferocis ingenii homines ab Epiſcopatu rejici. Quod percuſſorem accipit idem Chryſoſtomus, pro eo qui lingua ferit (hoc eſt, conviciatur aut jurgiis protervius inſurgit) non recipio. Nec me movet ejus ratio: nihil fore magnum, ſi manu non cædat Epiſcopus. Generaliter enim puto hic reprehendi militarem ferociam, qua nihil minus decet Chriſti ſervos. Quanto enim ſe ludibrio exponant notum eſt, qui ad infligendum pugni ictum, ne dicam ad gladium exerendum, ſunt promptiores quam ad pacandas ſua gravitate aliorum lites. *Percuſſores* ergo vocat minaces, & Martii caloris. *Turpiter lucri cupidi*, ſunt avari omnes: nam ubicunque erit avaritia, ſimul erit hoc turpe cujus meminit Apoſtolus. Qui dives fieri vult, & cito vult fieri: inquit ille. Hinc fit ut avari omnes, etiamſi palam id non appareat, ad fœdos & illicitos quæſtus animum adjiciant. Quare huic vitio opponit contemptum pecuniæ: ſicuti nullum eſt aliud remedium, quo corrigatur. Qui paupertatem, inquam, æquo libentique animo non feret, nunquam effugiet morbum illum ſordidæ ac ſervilis cupiditatis. Percuſſoris vocabulo oppoſuit *æquum & alienum à pugnis.* Æquus autem, quem temulento diximus opponi, vocatur qui placido & moderato animo injurias ferre novit, qui multa condonat, qui indignitates devorat, qui nec aſpero rigore formidabilis eſt, nec ad ſummum jus omnia exigit. Alienus à pugnis, qui fugit contentiones & certamina. Nam ut alibi ſcribit, Non decet ſervos Domini eſſe pugnaces. 2 Tim. 2. verſ. 24.

4. *Qui domui ſuæ bene præſit.*] Hinc apparet, non requiri à Paulo Epiſcopum humanæ vitæ expertem, ſed bonum & probatum patremfamilias. Nam utcunque vulgo plus habeat admirationis cælibatus & vita philoſophica, quæ prorſus remota ſit à communi more: experientia tamen ipſa prudentibus quidem & conſideratis hominibus hoc demonſtrat, eos ad regendam Eccleſiam magis formatos eſſe & aptiores qui communem vitam non ignorant, ſed in humanæ converſationis officiis ſunt exercitati. Ideoque obſervanda eſt ratio quæ paulo poſt additur, Minime parem fore gubernandæ Eccleſiæ Dei, qui familiæ præeſſe neſciet. Atqui tales ſunt permulti, imo fere omnes qui ex otioſa & ſolitaria vita, quaſi ex latebris, extrahuntur: ſylveſtres ſcilicet quodammodo & nullius humanitatis. Non tamen hic aſtutum hominem probat Apoſtolus, & rei domeſticæ callentem, ſed qui familiam gubernare didicerit honeſta diſciplina. De *liberis* etiam præcipue loquitur, qui debent patris referre ingenium. Proinde magnum erit dedecus Epiſcopi, ſi filios habeat flagitioſæ & infamis vitæ. De uxoribus aget poſtea: nunc (ut dixi) præcipuam domus partem attingit. Primo capite ad Titum, oſtendit quid hic ſignificet per nomen *reverentiæ*. Nam poſtquam dixit non oportere præfractos & immorigeros eſſe filios Epiſcopi, ſimul addit, Neque obnoxios probro diſſolutionis, aut intemperantiæ. Vult ergo in ſumma, moribus eſſe ad omnem caſtitatem, modeſtiam, & gravitatem compoſitis. Argumentum quod ſequitur à minori ad majus, per ſe clarum eſt, Nequaquam fore parem regendo populo, qui ad regendam familiam ſit ineptus. Præterquam enim quod inde conſtat, neceſſariis virtutibus deſtitui: quid auctoritatis habere poterit in populo, quum propria domus contemptibilem eum reddat?

6. *Non novitium.*] Quia multi tunc præſtanti ingenio & doctrina adducebantur ad fidem, tales Paulus ad Epiſcopatum, ſtatim atque Chriſto nomen dederint, admitti prohibet. nam oſtendit quantum ſit in ea re periculi: ventoſos enim fere eſſe conſtat, plenoſque oſtentatione. Ita fiet ut arrogantia & ambitio præcipites eos agat. Quod dicit Paulus, nos experimur. neque enim ad audendum modo fervidi ſunt novitii, ſed etiam ſtulta confidentia turgidi, acſi nubes transvolare poſſent. Proinde non ſine cauſa ab honore Epiſcopatus arceantur, donec temporis ſucceſſu domita ſit ingenii altitudo. *Judicium diaboli* tribus modis interpretari licet. Nam diabolum quidam pro Satana accipiunt, alii pro calumniatoribus. Priorem ſenſum magis amplector, quia rarum eſt ut judicium maledicentiam ſignificet. Sed rurſus judicium Satanæ tam active quam paſſive ſumi poteſt. Hunc poſteriorem ſenſum Chryſoſtomus ſequitur, cui ego facile aſſentior. Eſt enim elegans antitheſis, quæ indignitatem auget, Si is qui præficitur Eccleſiæ Dei, ſua elatione in eandem cum diabolo condemnationem ruat. Quanquam activam ſignificationem non rejicio, fore ut diabolo cauſam ſui accuſandi præbeat. Sed verior Chryſoſtomi opinio.

7. *Teſtimonium ab extraneis.*] Difficillimum hoc eſſe videtur, ut pius vir teſtes habeat infideles ſuæ integritatis, qui mentiendi adverſum nos libidine inſaniunt. Sed intelligit Apoſtolus, ut quod ad externam conſuetudinem, etiam infideles cogantur eum agnoſcere probum virum. Nam etſi omnibus Dei filiis ſine cauſa obtrectant: non poſſunt tamen ſceleratum judicare qui honeſte & innocenter inter eos verſatus ſit. Talem probitatis notitiam hic Paulus notat. Ratio additur, *Ne in probrum incidat*, &c. Quod ego ita expono, Infamiæ expoſitus, perfrictæ frontis eſſe incipiat, tantoque majore licentia ſe proſtituat ad omnem nequitiam. quod eſt diaboli plagis ſe irretire. Quid enim ſpei reſtat ubi nullus eſt peccandi pudor?

8. Diaconos ſimiliter graves, non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucri cupidos:

9. Habentes myſterium fidei in pura conſcientia.

10. Et hi probentur primum: deinde miniſtrent ubi irreprehenſibiles comperti fuerint.

11. Uxores ſimiliter graves, non calumniatrices, ſobrias, fideles in omnibus.

12. Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui honeſte præſint liberis & domibus ſuis.

13. Nam qui bene miniſtraverint, gradum ſibi * bonum acquirunt, & multam libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

* vel, *honeſtum.*

8. *Diaconos ſimiliter.*] Non eſt quod variæ interpretationes ſcrupulum nobis injiciant. Certum eſt, Apoſtolum de iis tractare qui publicam in Eccleſia functionem exercent. quo refellitur eorum opinio, qui miniſtros domeſticos putant hoc nomine deſignari. Quod autem alii ad Presbyteros referunt Epiſcopo inferiores, caret fundamento. nam ex aliis locis patet, commune omnibus Presbyteris fuiſſe nomen: idque fateri omnes coguntur: præſertim locus in primo capite ad Titum eam ſignificationem eſſe comprobat. Reſtat ut Diaconos intelligamus quorum mentionem facit Lucas Actorum capite 6. v. 3. ii ſunt qui curam pauperum habebant. Sed de officio eorum qui plura volet, petat ex Inſtitutione. Quatuor primæ virtutes, quibus ipſos vult eſſe præditos, ſatis per ſe notæ ſunt. niſi quod ſedulo notandum eſt, eum admonere ne ſint *bilingues*: quia vitium eſt quod in illa adminiſtratione difficulter cavetur: & tamen ab ea remotiſſimum (ſi quod aliud) eſſe debebat.

9. *Habentes myſterium fidei.*] Perinde eſt acſi dixiſſet, Qui puram religionis doctrinam teneant, & quidem ex animo, cum ſerio Dei timore: vel, Qui rite ſint in fide inſtituti, ne quid ignorent quod hominibus Chriſtianis eſt cognitu neceſſarium. Summam tamen piæ doctrinæ honorifice Myſterium appellat: ut certe Deus per Euangelium ſapientiam terrenis hominibus patefacit, quam in cælo ſuſpiciunt Angeli. quare nihil mirum ſi humanum captum ſuperet. Proinde eam cum ſumma reverentia amplectendam eſſe meminerimus: & quia ad tantam altitudinem nunquam conſcenderemus proprio Marte, ſuppliciter Deum rogemus ut eam Spiritu revelationis nobis referet. Rurſus quum videmus impios vel ridere, vel nihili guſtare: divinæ eſſe gratiæ agnoſcamus, quod quæ aliis abſcondita, nobis in corde ſunt & in oculis, ut inquit Moſes. Ergo Diaconos in myſterio fidei vult eſſe eruditos: quia etſi docendi munus non habent, nimis tamen abſurdum foret, publicam in Eccleſia perſonam ſuſtinere, & rudes eſſe in fide Chriſtiana: præſertim quum ſæpe incidat neceſſitas monendi & conſolandi, niſi partibus ſuis deeſſe velint. Additur *pura conſcientia*, quæ extenditur ad totam vitam: tum vero ut ſciant ſe Deo ſervire.

Deut. 30. verſ. 11.

10. *Et hi probentur.*] Vult non ignotos ſed compertæ probitatis eligi, quemadmodum Epiſcopos. Et hinc apparet *irreprehenſibiles* dici qui nullo notabili vitio laborent. Porro hæc probatio non eſt unius horæ, ſed in longa experientia conſiſtit. Summa eſt, Ubi de creandis Diaconis agetur, non debere quoslibet temere & ſine delectu obtrudi: ſed deſignandos eſſe quos anteacta vita ſic commendet, ut jam quaſi habito examine conſtet eſſe idoneos.

11. *Uxores ſimiliter graves.*] Uxores intelligit tam Diaconorum quam Epiſcoporum. debent enim maritis eſſe adjutrices in officio: quod fieri nequit, niſi præ aliis bene ſint moratæ. Et quoniam uxorum meminerat, idem præcipit de *Diaconis* quod ante de Epiſcopis: nempe ut *unica uxore* quiſque eorum contentus, caſti & honeſti patrisfamilias ſit exemplum: *liberosque* & totam *domum* in ſancta diſciplina contineat. Atque hinc refellitur eorum error qui de famulis domeſticis locum hunc accipiunt.

13. *Qui bene miniſtraverint.*] Quia uno aut altero ſeculo poſt Apoſtolorum mortem invaluerat uſus ut ex Diaconorum ordine eligerentur Presbyteri, vulgo hunc locum expoſuerunt de tranſitu ad gradum ſuperiorem, quaſi Apoſtolus ad honorem Presbyterii vocet qui fideles ſe Diaconos præſtiterint. Ego, etſi non nego Diaconorum ordinem interdum ſeminarium eſſe poſſe ex quo ſumantur Presbyteri: tamen ſimplicius accipio Pauli verba, qui probe defuncti fuerint hoc miniſterio, non parvo honore dignos eſſe: quia non ſit ſordidum aliquod exercitium, ſed honorificum in primis munus. Porro hac particula ſignificat quantum Eccleſiæ interſit, hoc munus à viris ſelectis adminiſtrari: quia exiſtimationem & reverentiam conciliat ſancta adminiſtratio. Cæterum pluſquam ridiculi ſunt Papiſtæ, dum in Diaconis ſuis facere ſe obtendunt quod Paulus præſcribit. Initio quorſum Diaconos ſuos creant, niſi ut in pompa calicem geſtent, & ludicris neſcio quibus ſpectaculis paſcant oculos imperitorum? Adde quod ne id quidem ſervant. neque enim ab annis quingentis Diaconus unus creatus eſt, niſi ut hoc gradu facto mox ad Presbyterium conſcenderet. Quantæ igitur impudentiæ eſt quod jactant ad gradum altiorem eos evehi qui probe miniſtraverint, quum eos tantum ſacerdotio ſuo dignentur qui nullam prioris officii partem unquam attigerunt? *Et libertatem in fide.* Merito hoc addidit. nihil enim eſt quod æque libertatem pariat, ut bona conſcientia & vita à crimine probroque immunis: quemadmodum econverſo timidos eſſe oportet qui male ſibi conſcii ſunt. Quod ſi licentia interdum exultant, neque æquabilis ea eſt ac perpetua, nec quicquam habet ponderis. Ideo etiam exprimit libertatis ſpeciem. In fide, inquit, *quæ eſt in Chriſto*: quo ſcilicet majore fiducia Chriſto ſerviant. Sicuti rurſus os habent quaſi obturatum & conſtrictas manus, ſuntque ad bene agendum inhabiles, qui turpiter in ſua functione verſati ſunt: quia nihil illis habetur fidei, nihil auctoritatis tribuitur.

14. Hæc tibi ſcribo, ſperans brevi ad te venire.

15. Quod ſi tardavero, ut videas quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis.

16. Et ſine controverſia magnum eſt pietatis myſterium: Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus in Spiritu, viſus Angelis, prædicatus Gentibus, fidem obtinuit in mundo, receptus eſt in gloria.

14. *Hæc tibi ſcribo.*] Spem adventus ſui facit Timotheo, partim ut eum animet, partim ut eorum proterviam comprimat qui ſua abſentia magis inſoleſcebant. Neque tamen ficte quicquam Timotheo promittit, vel per ſimulationem alios territat. Omnino enim ſperabat ſe venturum: ut veniſſe probabile eſt, ſi hanc Epiſtolam ſcripſit quo tempore Phrygiam peragrabat. ſicuti refert Lucas Actor. 18. v. 38. Hoc autem

autem nobis argumento ſit quanta ſollicitudine curaverit Eccleſias, qui præſenti malo remedium in breve tempus differre non ſuſtinuerit. Quanquam continuo poſt addidit, Epiſtolam inſtruendo Timotheo ſcriptam eſſe, ſi forte ſibi contingeret moram facere opinione ſua longiorem.

15. *Quomodo oporteat in domo Dei verſari.*] Hac loquutione commendat officii pondus ac dignitatem: quia ſint Paſtores veluti œconomi quibus regendam ſuam domum commiſit Deus. Si quis amplæ familiæ curam ſuſtineat, noctes ac dies anxio ſtudio incumbit, ne quid ſua negligentia, vel imperitia, vel ſocordia peſſum eat. Si hominibus tantum datur, quanto plus Deo ipſi dandum erit? Porro Eccleſiam ſuam hoc nomine non fruſtra Deus ipſe dignatur: utpote qui non modo nos adoptionis gratia in filios recepit, ſed etiam in medio noſtri habitat. Accedit non vulgaris amplificatio, ex eo quod vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Quid enim magnificentius potuit dici? quid æterna illa veritate auguſtius magiſque ſacroſanctum, qua & Dei gloria & hominum ſalus continetur? Si in unum cumulum congerantur omnes profanæ philoſophiæ laudes quibus à ſuis ſectatoribus ornatur, quid hoc ad dignitatem cæleſtis ſapientiæ, quæ ſola & lux, & veritas, & doctrina vitæ, & via, & regnum Dei prædicari meretur? Atqui ea ſolius Eccleſiæ miniſterio in terris conſervatur: quantum ergo onus Paſtoribus incumbit, qui tam inæſtimabilis theſauri cuſtodiæ præſunt? Impudenter autem nugantur Papiſtæ, qui colligunt ex Pauli verbis ſua omnia deliria pro Dei oraculis habenda eſſe quia ſint columna veritatis, ideoque errare nequeant. Primo videndum eſt quorſum Paulus Eccleſiam inſigniat tam ſplendido titulo. Proculdubio voluit, propoſita officii magnitudine, admonitos eſſe Paſtores quanta illud fide, diligentia, reverentia adminiſtrare debeant. Etenim quam horribilis futura eſt ultio, ſi eorum culpa intercidat illa veritas quæ imago eſt divinæ gloriæ, lux mundi, ſalus hominum? Hæc ſane cogitatio trepidationem aſſiduam debet incutere Paſtoribus: non ut eos exanimet, ſed ad majorem vigilantiam acuat. Inde colligere promptum eſt quo ſenſu Paulus ita loquatur. Eccleſia enim ideo columna eſt veritatis, quia ſuo miniſterio eam tuetur ac propagat. Deus non deſcendit ipſe è cælo ad nos, neque Angelos quotidie mittit ad ſuam veritatem promulgandam: ſed utitur Paſtorum opera, quos in hunc finem ordinavit. Ut craſſius exprimam, nonne Eccleſia mater eſt piorum omnium, quæ ipſos regenerat Dei verbo, quæ educat alitque tota vita, quæ confirmat, quæ ad ſolidam perfectionem uſque perducit? Eadem quoque ratione columna veritatis prædicatur: quia doctrinæ adminiſtrandæ munus quod Deus penes eam depoſuit, unicum eſt inſtrumentum retinendæ veritatis, ne ex hominum memoria pereat. Ergo elogium hoc ad miniſterium verbi refertur: quo ſublato, concidet Dei veritas. Non quia per ſe minus firma ſit, niſi hominum humeris fulciatur, quemadmodum etiam iidem Papiſtæ blaterant. nam iſta eſt execrabilis blaſphemia, Incertum eſſe Dei verbum donec ab hominibus certitudinem quaſi precario mutuetur. Simpliciter intelligit Paulus quod aliis verbis tradit de-
Rom. 10. cimo ad Romanos capite, Quoniam fides eſt ex au-
verſ. 17. ditu, nullam fore niſi ſit prædicatio. Itaque hominum reſpectu ſuſtinet Eccleſia veritatem: quia eam præconio ſuo celebrat, quia puram & ſinceram retinet, quia tranſmittit ad poſteros. Quod ſi non reſonet Euangelii doctrina, ſi nulli ſint pii miniſtri qui ſua prædicatione veritatem à tenebris & oblivione vindicent, ſtatim mendacia, errores, impoſturæ, ſuperſtitiones, omneque genus corruptelæ regnum vendicabunt. Denique ſilentium in Eccleſia, eſt exilium oppreſſioque veritatis. In hac expoſitione quid omnino eſt coactum? Nunc quando tenemus Pauli mentem, redeamus ad Papiſtas. Primum dum ad ſe transferunt hoc encomium, improbe faciunt, alienis plumis ſe veſtiendo. Nam ut evehatur Eccleſia ſupra tertium cælum, nego id totum ad eos ullo modo pertinere. Quin etiam locum præſentem adverſus eos retorqueo. Nam ſi Eccleſia columna eſt veritatis: ſequitur non eſſe apud eos Eccleſiam, ubi non modo ſepulta jacet veritas, ſed horrendum in modum diruta & everſa, pedibus calcatur. An hoc eſt vel ænigma, vel cavillum? Paulus Eccleſiam non vult agnoſci, niſi in qua excelſa & conſpicua ſtat Dei veritas: in Papatu nihil tale apparet, ſed disjectio tantum & ruinæ: ergo genuina Eccleſiæ nota illic non extat. Sed inde hallucinatio, quia quod præcipuum erat, non conſiderant, Suſtineri Dei veritatem pura Euangelii prædicatione: neque hominum ingenio aut ſenſu niti fulturam, ſed ex alto magis pendere, nempe ſi à ſimplici Dei verbo non diſceditur.

16. *Magnum pietatis myſterium.*] Alia rurſus amplificatio. Ne enim minoris quam decebat, hominum ingratitudine fieret Dei veritas, extollit ejus pretium, quum admonet, magnum eſſe pietatis arcanum: quia ſcilicet non agatur de rebus abjectis, ſed de revelatione Filii Dei, in quo abſconditi ſunt the- Coloſſ. 2.
ſauri omnes ſapientiæ. Ex tantarum rerum magnitu- verſ. 3.
dine munus ſuum æſtimare debent Paſtores, quo plus religionis & timoris adhibeant ad illud exercendum. *Deus manifeſtatus.* Vulgaris interpres, omiſſo Dei nomine, ad myſterium refert quæ ſequuntur, inſcite omnino & perperam: ut clarius ex ipſa tractatione patebit. quanquam Eraſmum habet ſuffragatorem: qui tamen ipſe ſibi fidem elevat, ut mea refutatione opus non ſit. Græci certe omnes in hanc lectionem conſentiunt, Deus manifeſtatus in carne. Verum ut demus nomen Dei non fuiſſe expreſſum à Paulo, ſubaudiendum tamen eſſe Chriſti nomen fatebitur quiſquis prudenter omnia expendet. Ego tamen ſine difficultate, receptam à Græcis lectionem ſequor. Quod manifeſtationem Chriſti qualem poſtea deſcribit, vocat magnum arcanum, ratio in promptu eſt: hæc enim eſt altitudo, profunditas, & latitudo ſapientiæ, cujus meminit ad Epheſios 3. v. 18. ad quam ſenſus omnes noſtros obſtupeſcere neceſſe eſt. Nunc ordine excutiamus ſingula. Non potuit magis proprie de Chriſti perſona loqui quam his verbis, Deus manifeſtatus in carne. Nam primo diſertum hic teſtimonium habemus utriuſque naturæ; verum enim Deum & verum hominem ſimul pronunciat. Secundo notatur inter duas naturas diſtinctio, quum hinc vocat Deum, inde manifeſtationem in carne ponit. Tertio unitas perſonæ ſignificatur, quum unum eundemque eſſe tradit: qui quum Deus eſſet, manifeſtatus fuit in carne. Ita hoc uno teſtimonio vera & orthodoxa fides adverſus Arrium, Marcionem, Neſtorium, & Eutychem egregie munitur. Cæterum magnam emphaſin continent iſta antitheta, *Deus in carne.* Quantum enim intereſt inter Deum & hominem? Et tamen immenſam Dei gloriam ſic videmus in Chriſto conjunctam cum hac noſtra carnis putredine, ut unum efficiant. *Juſtificatus in Spiritu.* Sicuti carnem induendo, ſe exinanivit Filius Dei: ita & in ipſo ſpiritualis apparuit virtus quæ Deum eſſe teſtaretur. Porro locum hunc varie exponunt. ſed ego germanum Apoſtoli ſenſum, ut à me quidem percipitur, contentus explicaſſe, nihil præterea addam. Primum Juſtificatio hic approbationem divinæ potentiæ ſignificat. Ut Pſ. 19:10. Judicia Dei juſtificata: hoc eſt, æquiſite & ad unguem perfecta. Et Pſ. 51:6. Juſtificari Deum, pro eo quod eſt, laudem juſtitiæ ejus conſpicuam reddi. Sic & Mat. 11. v. 19. quum dicit Chriſtus juſtificatam eſſe ſapientiam à filiis ſuis, intelligit honorem illi ſuum exhibitum. Item Lucas cap. 7. v. 35. quum publicanos juſtificaſſe Deum commemorat, intelligit, debita reverentia &

grati-

gratitudine proſequutos eſſe Dei gratiam quam in Chriſto cernebant. Ergo tantundem valet quod hic legimus, acſi dixiſſet Paulus, eundem qui humana carne veſtitus apparuit, ſimul tamen declaratum fuiſſe Dei Filium, ut carnis infirmitas nihil derogaverit ejus gloriæ. Spiritus nomine comprehendit quicquid in Chriſto divinum fuit ac ſupra hominem: idque duas ob cauſas. Nam quia in carne humiliatus fuerat, nunc exadverſo illuſtrationem gloriæ ponens, Spiritum oppoſuit. Deinde gloria illa unigeniti Dei Filio digna, quam Joannes in Chriſto ſpe- *Joan. 1. verſ. 14.* ctatam fuiſſe docet, non externa pompa, non terreno ſplendore conſtabat, ſed ſpiritualis fere tota erat. Eadem loquendi forma uſus eſt primo ad Ro- *Rom. 1. verſ. 3.* manos, Qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, declaratus autem Filius Dei in potentia Spiritus: niſi quod ſpeciem unam illic adjicit, nempe reſurrectionem. *Viſus Angelis, prædicatus Gentibus.* Mira omnia & ſtupenda: quod Gentes quæ hactenus in cæcitate mentis erraverant, dignatus eſt Deus revelatione Filii ſui, quæ cæleſtes quoque Angelos latuerat. Nam quod Angelis viſum eſſe dicit, intelligit tale ſpectaculum fuiſſe, quod tam novitate quam præſtantia ſua Angelos in ſe converterit. Quam vero nova res & inſolens fuerit Gentium vocatio, diximus ſecundo ad Epheſios capite. Nec mirum eſt, Angelis fuiſſe novum ſpectaculum: qui tametſi de humani generis redemptione cognoverant, modum tamen non tenuerunt ab initio: & celatos ideo oportuit, quo plus admirationis haberet tanta Dei bonitas. *Fidem obtinuit in mundo.* Jam illud erat in primis admirabile, quod ejuſdem revelationis & Gentes profanas, & Angelos perpetuos regni ſui hæredes, æque compotes fecerat Deus. Sed tanta etiam Euangelii prædicati efficacia miraculum fuit non vulgare, quum Chriſtus tot ſuperatis impedimentis, in obedientiam fidei ſubegit qui videbantur eſſe prorſus indomabiles. Nihil certe minus credibile videbatur: adeo aditus omnes præcluſi erant & obſerati. Fides tamen eluctata eſt, ſed incredibili victoriæ genere. Poſtremo *in gloriam receptum eſſe* dicit: nempe ab hac mortali & ærumnoſa vita. Ergo ſicuti in mundo quoad fidei obedientiam, ita & in Chriſti perſona mira fuit converſio, dum ex tam abjecta ſervi conditione evectus eſt ad dexteram Patris, ut illi flectatur omne genu.

CAP. IV.

SPiritus autem clare dicit quod in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, & doctrinis dæmoniorum,

2. In hypocriſi falſiloquorum, cauterio notatam habentium conſcientiam,

3. Prohibentium matrimonia contrahere, jubentium abſtinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & qui cognoverunt veritatem:

4. Quod omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione ſumatur.

5. Sanctificatur enim per ſermonem Dei & precationem.

1. *Spiritus autem.*] Diligenter admonuerat de multis Timotheum. Jam neceſſitatem oſtendit: quia occurrendum ſit periculo quod imminere Spiritus ſanctus denunciat: venturos ſcilicet falſos doctores qui nugas pro fidei doctrina obtrudant, qui totam ſanctitatem collocantes in externis exercitiis, ſpiritualem Dei cultum, qui ſolus eſt legitimus, obſcurent. Et ſane fuit hoc ſervis Dei perpetuum certamen cum talibus quales hic depingit Paulus. Quia enim natura homines ad hypocriſin feruntur, facile illis perſuadet Satan, ceremoniis & externa diſciplina rite coli Deum: imo abſque magiſtro hanc omnes fere perſuaſionem animis infixam habent. Accedit poſtea Satanæ aſtus ad errorem confirmandum. Inde factum eſt ut ſeculis omnibus extiterint impoſtores qui fictitios cultus commendarent quibus obruebatur vera pietas. Porro hæc peſtis alteram parit, quod in rebus liberis imponitur neceſſitas. Nam mundus facile ab eo ſe prohiberi ſinit quod per Deum licitum erat, ut impune Dei leges ſibi tranſgredi liceat. Hic ergo Paulus in perſona Timothei non Epheſios modo, ſed omnes ubique terrarum Eccleſias præmonet de fucatis doctoribus qui fictitios cultus inſtituendo, & conſcientias illaqueando novis legibus, verum Dei cultum adulterant, & corrumpunt puram fidei doctrinam. Hic proprius eſt ſcopus: quem notari in primis neceſſe eſt. Porro quo majore attentione excipiant omnes quod dicturus eſt, præfatur certum eſſe & minime obſcurum oraculum Spiritus ſancti. Non eſt quidem dubium quin reliqua ex eodem Spiritu hauſerit: verum utcunque ſemper audiendus ſit tanquam Chriſti organum, tamen in cauſa magni ponderis peculiariter voluit hoc teſtatum, nihil ſe proferre niſi ex Spiritu prophetiæ. Solenni itaque præconio nobis hanc prophetiam commendat: nec eo contentus, addit eſſe claram, nec ullo ænigmate implicitam. *In poſterioribus.* Hoc vero nemo tunc expectaſſet, ut in tanta Euangelii luce deficerent. Sed hoc eſt ſcilicet quod dicit Petrus, falſos doctores, ſicut populo Iſraëlitico mo- *2 Pet. 3.* leſti olim fuerunt, ita Chriſtianæ Eccleſiæ ſemper *verſ. 3.* fore infeſtos. Perinde ergo eſt acſi diceret, Nunc floret Euangelii doctrina: ſed non diu quieſcet Satan, quin zizaniis ſuffocare ſtudeat purum ſemen. Proderat hæc admonitio ſeculo Pauli, ut ſedulo inſtantes puræ doctrinæ tam Paſtores quam reliqui, non circumvenirentur. Nobis hodie non minus eſt utilis, quum nihil cernimus accidiſſe quod non fuerit diſerto Spiritus vaticinio prædictum. Animadvertere præterea hic licet quantam Eccleſiæ ſuæ curam agat Deus, dum ita mature occurrit periculis. Multiplices quidem artes habet Satan quibus in errorem nos inducat, & miris inſidiis nos adoritur: verum ea adverſo ſatis munit nos Dominus, niſi ſponte decipi nobis liberet. Quare non eſt quod queramur potentiores eſſe tenebras luce, aut ſuperari veritatem à mendacio: ſed potius noſtræ incuriæ ignaviæque pœnas damus, quum abducimur à recta ſalutis via. Sed objiciunt qui ſibi in ſuis erroribus indulgent, vix poſſe diſcerni quoſnam aut quales deſignet Paulus. quaſi vero Spiritus hanc prophetiam de nihilo ediderit, & tanto ante promulgaverit. Nam ſi nullum eſt certum diſcrimen, ſupervacua foret, adeoque ridicula tota præſens admonitio: ſed abſit ut fruſtra nos irritari putemus à Dei Spiritu, & periculi denunciatione non ſimul oſtendi cavendi rationem. Atqui illam calumniam ſatis per ſe refutant Pauli verba. nam quaſi digito oſtendit malum quod fugiendum monet. Neque enim in genere de pſeudoprophetis verba facit, ſed clare ſpeciem exprimit falſæ doctrinæ: nempe quæ pietatem alligando externis elementis, ſpiritualem Dei cultum pervertit ac profanat, ut jam dixi. *Deſciſcent quidam à fide.* Incertum de magiſtriſne loquatur, an de auditoribus. malo tamen ad poſteriores referre: quia magiſtros deinde vocat *ſpiritus impoſtores.* Et hoc eſt

Digitized by Google

eſt, [illegible], non modo fore qui ſpargant impia dogmata, & fidei puritatem inficiant: ſed diſcipulos etiam non defore quos trahant in ſuam ſectam. Hinc autem naſcitur major perturbatio, quum ita mendacium invaleſcit. Porro non leve eſt vitium quod notat, ſed atrociſſimum crimen, apoſtaſia *à fide*: & tamen prima ſpecie non videtur in ipſa doctrina quam attingit, tantum eſſe mali. Quid enim? an propter ciborum vel conjugii prohibitionem funditus everſa eſt fides? Sed conſideranda eſt altior ratio: quod perverſum Dei cultum homines pro libidine comminiſcuntur, quod regnum invadunt in conſcientias, quod uſum bonarum rerum à Domino permiſſum vetare audent. Ubi ſemel vitiatus eſt cultus Dei, nihil amplius integrum aut ſanum: imo tota fides periit. Quare rideant nos Papiſtæ licet, quum tyrannicas eorum leges exagitamus de obſervationibus externis: ſcimus tamen cauſam maxime ſeriam & graviſſimam nos agere: quia diſſipatur fidei doctrina ſimulatque talibus corruptelis inficitur Dei cultus. Neque enim de carne aut piſcibus lis eſt, neque de nigro aut cineritio colore, neque de die Veneris aut Mercurii: ſed de inſanis hominum ſuperſtitionibus qui Deum talibus nugis placare volunt: & cultum illi carnalem fingendo, idolum Dei loco ſibi fingunt. Quis hanc à fide diſceſſionem eſſe neget? *Spiritus.* Prophetas aut doctores intelligit: quos ideo ſic nominat, quia Spiritum jactant, atque hoc titulo ſe venditant ad populum. Eſt quidem hoc perpetuo verum, qualeſcunque ſint homines, Spiritus inſtigatione lo-
1 Reg. 21. qui: ſed non idem ſpiritus omnes inſtigat. Nam Sa-
verſ. 23. tan aliquando ſpiritus eſt mendax in ore pſeudoprophetarum ad decipiendos infideles qui decipi merentur. quiſquis autem debitam Chriſto gloriam tribuit,
1 Cor. 12. ex Spiritu Dei loquitur, teſte Paulo. Verum loquu-
verſ. 3. tio iſta de qua nunc agimus, hinc initio manavit quod ſervi Dei, ut res erat, ſe habere ex Spiritus revelatione profitebantur quæcunque in medium afferebant. unde illis inditum fuit Spiritus nomen cujus erant organa. Satanæ vero miniſtri falſa æmulatione, tanquam ſimiæ, idem poſtea jactare cœperunt: & nomen quoque falſo ad ſe traxerunt. Se-
1 Joan. 4. cundum hanc rationem dicit Joannes, Probate ſpiri-
verſ. 1. tus, numquid ex Deo ſint. Et Paulus ſeipſum exponit, addendo, *Doctrinis dæmoniorum:* quod perinde eſt acſi dixiſſet, attendentes pſeudoprophetis, & diabolicis eorum dogmatibus. Iterum obſerva quam non levis ſit error nec diſſimulandus, quum alligantur hominum figmentis conſcientiæ, & ſimul vitiatur cultus Dei.

2. *In hypocriſi falſiloquorum.*] Si ad dæmonia referas, tunc ſignificabit hoc nomen homines diaboli inſtigatione fallentes. Poteſt tamen etiam ſubaudiri, hominum loquentium. Porro ad ſpeciem nunc deſcendit, quum dicit eos mentiri in hypocriſi, & *cauterio notatam habere conſcientiam.* Et quidem ſciendum eſt, hæc duo ita eſſe conjuncta, ut prius ex ſecundo naſcatur. Nam malæ conſcientiæ, & ſcelerum cauterio aduſtæ, ſemper ad hypocriſin, tanquam ad promptum aſylum, confugiunt: hoc eſt, fucos excogitant quibus fallantur Dei oculi. Quid enim aliud faciunt qui ſtudent eum placare externis obſervationum fucis? Ergo hypocriſis pro loci præſentis circumſtantia, definienda eſt. Nam primo ad doctrinam referri debet: deinde eam doctrinæ ſpeciem ſignificat quæ ſpiritualem Dei cultum exercitiis corporalibus mutando, genuinam ejus puritatem adulterat. ita fictitios omnes placandi aut promerendi Dei modos comprehendit. Summa hæc ſit, diaboli inſtigatione ferri quicunque fucatam ſanctimoniam inducunt: quia externis ritibus nunquam rite Deus
Joan. 4. colitur. Nam veri cultores eum adorant in Spi-
verſ. 24. ritu & veritate. Secundo, hoc eſſe inutile medicamentum quo dolores ſuos mitigant hypocritæ, vel potius emplaſtrum quo malæ conſcientiæ vulnera nullo profectu ſumma ſua pernicie occultant.

3. *Prohibentium matrimonia contrahere.*] Speciali deſignatione poſita, nunc duo quoque individua notat, conjugii ſcilicet prohibitionem, & ciborum. Sunt enim ex illa hypocriſi, quæ relicta vera ſanctitate, alienos colores in fucum acceſſit. Nam qui ab ambitione, odio, avaritia, crudelitate, aliiſque ſimilibus non abſtinent, earum rerum abſtinentia quarum libertatem permiſit Deus, juſtitiam acquirere ſibi tentant. Quorſum enim iſtis legibus onerantur conſcientiæ, niſi quia perfectio extra Dei Legem quæritur? Hoc autem non fit niſi ab hypocritis qui ut impune tranſgrediantur cordis juſtitiam quam Lex requirit, interiorem ſuam nequitiam obſervatiunculis iſtis tegere, quaſi velis oppoſitis, tentant. Clara fuit hæc periculi denunciatio, ut non fuerit difficilis cautio, ſi quidem aures Spiritui ſancto tam diſerte monenti, homines præbuiſſent. Videmus tamen in plurimis prævaluiſſe Satanæ tenebras, ut nihil tanta lux inſignis & memorandi oraculi profuerit. Etenim non multo poſt Apoſtoli mortem exorti ſunt Encratitæ (qui nomen ſibi à continentia indiderunt) Tatiani, Cathari, Montanus cum ſua ſecta, & tandem Manichæi, qui ab eſu carnium & conjugio abhorrerent, & tanquam res profanas damnarent. Quanquam autem propter ſuam arrogantiam, quod alios ſuis placitis obnoxios facere volebant, ab Eccleſia fuerunt repudiati: eos tamen ipſos qui illis reſtiterunt, plus æquo in eorum errorem declinaſſe conſtat. Nolebant quidem iſti quos dico, Legem imponi Chriſtianis: ſed interea pluſquam par eſſet ſuperſtitioſis obſervationibus deferebant, ſi quis fugeret conjugium, ſi quis carnem non guſtaret. Tale eſt ingenium mundi: ſemper carnali more Deum quaſi carnalis eſſet, ſibi colendum ſomniat. Paulatim rebus in deterius collapſis obtinuit hæc tyrannis ne ſacerdotibus aut monachis fas eſſet matrimonium contrahere: nec quiſpiam carnem guſtare certis diebus auderet. Quare non immerito Papiſtis hodie objicimus hanc prophetiam, quando cælibatum & ciborum abſtinentiam ſeverius urgent quam ullum Dei præceptum. Ipſi autem ingenioſo cavillo effugere ſe putant, quum Pauli verba torquent adverſus Tatianos, aut Manichæos, ac ſimiles. quaſi vero non idem patuiſſet Tatianis effugium, rejiciendo etiam Pauli ſententiam ad Cataphryges & auctorem illorum Montanum. quaſi non promptum fuiſſet Cataphrygibus, Encratitas ſupponere, veluti reos, ſuo loco. At Paulus non de perſonis hic agit, ſed de re ipſa. Quamobrem etiamſi centum diverſæ ſectæ proferantur, quæ tamen eadem laborent hypocriſi in cibis prohibendis, omnes eundem ſuſtinebunt reatum. Unde ſequitur, nullo profectu obtendi à Papiſtis veteres hæreticos, quaſi ſoli illi taxentur. ſemper videndum eſt an ſint in eadem noxa. Excipiunt, ſe Encratitis & Manichæis eſſe diſſimiles: quia non ſimpliciter uſum conjugii & carnium interdicunt, ſed certis tantum diebus cogunt ad carnis abſtinentiam; ſolos autem monachos & ſacerdotes cum monialibus ad votum cælibatus cogunt. Verum hæc quoque nimis frivola eſt excuſatio. Nam ſanctimoniam nihilominus in his rebus locant: deinde falſum & adulterinum Dei cultum inſtituunt: poſtremo conſcientias alligant neceſſitati, à qua debebant eſſe liberæ. Extat apud Euſebium libro quinto fragmentum quoddam ex ſcriptis Apollonii, ubi inter cætera Montano exprobrat, primum fuiſſe qui nuptias ſolverit, & jejuniorum leges impoſuerit. Non dicit, in univerſum prohibuiſſe matrimonium aut cibos. Satis eſt ſi quis religionem conſcientiis injiciat, & earum obſervatione Deum colere præcipiat. Nam rerum liberarum prohibitio, ſive generalis ſit, ſive ſpecialis, ſemper eſt tyrannis diabolica. Clarius tamen id de cibis verum eſſe, ex proximo membro patebit.

patebit. *Quos Deus creavit.* Notanda ratio, debere nos in uſu ciborum conceſſa à Deo libertate eſſe contentos, quia eos creaverit in hunc finem. Hoc piis omnibus inæſtimabile gaudium eſt, quum ſciunt alimenta omnia quibus veſcuntur, ſibi de manu in manum à Domino porrigi, ut purus ſit ac legitimus illorum uſus. Quanta vero hominum arrogantia eſt, eripere quod Deus largitur? an cibos ipſi crearunt? an Dei creationem poſſunt irritam facere? Semper itaque nobis in mentem veniat, eum qui creavit, liberum quoque uſum feciſſe, quem fruſtra impedire conantur homines. Creavit, inquam, cibos Deus *ad percipiendum:* hoc eſt, ut illis fruamur. Addit autem, *cum gratiarum actione:* quia nihil Deo pro ſua liberalitate rependere poſſumus, quam gratitudinis teſtimonium. Atque ita majore odio gravat impios legislatores, qui ſacrificium laudis quod Deus in primis poſtulat ſibi offerri, novis & abortivis edictis impediunt. Porro non poteſt eſſe gratiarum actio ſine ſobrietate & temperantia: neque enim Dei beneficeorum vere agnoſcit qui ea perperam abutitur.

Mat. 5. verſ. 45. *Fidelibus & iis qui cognoverunt.* Quid ergo? annon ſolem ſuum quotidie oriri facit Deus ſuper bonos & malos? annon ejus juſſu terra impiis panem producit? annon ejus benedictione etiam peſſimi aluntur? Eſt enim univerſale illud beneficium quod David Pſal. 104. v. 14. decantat. Reſpondeo, Paulum de uſu licito hic agere, cujus ratio coram Deo nobis conſtat. Hujus minime compotes ſunt impii, propter impuram conſcientiam quæ omnia contaminat: quemadmodum habetur ad Titum capite primo v. 15. Et ſane, proprie loquendo ſolis filiis ſuis Deus totum mundum & quicquid in mundo eſt, deſtinavit. qua ratione etiam vocantur mundi hæredes. Nam hac conditione conſtitutus initio fuerat Adam omnium dominus, ut ſub Dei obedientia maneret. Proinde rebellio adverſus Deum jure quod illi collatum fuerat, ipſum una cum poſteris ſpoliavit. Quoniam autem ſubjecta ſunt Chriſto omnia, ejus beneficio in integrum reſtituimur, idque per fidem. Quare veluti alienum furantur, aut prædantur infideles quodcunque uſurpant. Poſteriore membro definit quos vocet fideles: nempe qui notitiam habent ſanæ doctrinæ. Neque enim fides, niſi ex verbo Dei: ne falſo putemus confuſam eſſe opinionem, quemadmodum fingunt Papiſtæ.

4. *Quia omnis creatura.*] Ciborum uſus exiſtimari debet partim ex illorum ſubſtantia, partim ex ejus perſona qui veſcitur. Utroque igitur argumento pugnat Apoſtolus. Nam quod ad cibos attinet, puros eſſe aſſerit, quia ſint à Deo conditi: conſecrari vero nobis illorum uſum fide & precatione. Bonitas creaturarum cujus meminit, relationem habet ad homines: & eam quidem non ad corpus aut valetudinem, ſed ad conſcientias: ne quis ſcrupuloſe extra loci circumſtantiam philoſophetur. nam uno verbo ſignificat Paulus, non eſſe immunda nobis coram Deo vel polluta quæcunque ex Dei manu proveniunt, & nobis in uſum deſtinantur, quin illis veſci, quoad conſcieatiam, liceat. Si quis objiciat, multa animalia olim pronunciata fuiſſe immunda in Lege: & fructum quem arbor ſcientiæ boni & mali proferebat, exitialem homini fuiſſe: reſponſio eſt, non ideo tantum puras vocari creaturas quia Dei ſint opera, ſed quia ejus beneficentia nobis ſint datæ. Semper enim reſpicienda eſt Dei ordinatio, & quid jubeat, aut prohibeat.

5. *Sanctificatur enim.*] Confirmatio eſt proximæ particulæ, Si cum gratiarum actione ſumatur. Et eſt argumentum à contrariis: ſunt enim contraria Sanctum & Profanum. Nunc videamus qualis ſit omnium bonorum quæ ad ſuſtinendam præſentem vitam pertinent, ſanctificatio. Eam Paulus ſermone Dei & oratione conſtare teſtatur. ſed notandum eſt, fide oportere apprehendi hunc ſermonem, ut proſit. Tametſi enim Deus ipſe ſolo Spiritu oris ſui omnia ſanctificat: nos tamen id beneficium nonniſi fide percipimus. Huc accedit oratio: quia & à Deo panem noſtrum quotidianum petimus ex Chriſti mandato: Matth. 6. verſ. 11. & gratiarum actione proſequimur ejus bonitatem. Porro doctrina Pauli ex hoc principio manat, quod nullius boni legitima eſt poſſeſſio, niſi quod teſtetur conſcientia jure noſtrum eſſe. Jam vero quis noſtrum ſibi vel granum unum tritici vendicare audeat, niſi verbo Dei ſit doctus, ſe mundi eſſe hæredem? Dictat quidem hoc communis ſenſus, mundi copias naturaliter deſtinatas eſſe in uſus noſtros: ſed quum in Adam nobis ademptum ſit mundi dominium, quicquid attingimus donorum Dei, polluitur noſtris ſordibus: & nobis viciſſim impurum eſt, donec liberaliter Deus ſuccurrat, & nos in corpus Filii ſui inſerens, deintegro conſtituat mundi dominos, ut omnibus quæ ſuppeditat, tanquam noſtris opibus licite fruamur. Quare merito Paulus juſtam fruitionem verbo alligat, quo ſolo recuperamus quod in Adam erat perditum. Deum enim patrem agnoſci oportet, ut ſimus ejus hæredes: & Chriſtum caput, ut quæ ejus ſunt, noſtra fiant. Unde colligendum eſt, impuram eſſe uſurpationem omnium donorum Dei, niſi adſit vera cognitio, & invocatio nominis Dei: ac belluinum eſſe veſcendi morem, quum homines ſine ulla precatione ad menſam ſe ingerunt, ac bene ſaturi, ſepulta Dei mentione, alio ſe proripiunt. Quod ſi in alimentis communibus quæ una cum ventre corruptioni ſunt obnoxia, requiritur talis ſanctificatio: quid de ſpiritualibus Sacramentis eſt ſentiendum. Si verbum abſit, & invocatio Dei ex fide, quid reſtat niſi profanum? Hic notanda eſt diſtinctio inter benedictionem myſticæ & communis menſæ. Cibos enim quibus ad corpus paſcendum veſcimur, in hunc finem benedicimus, ut pura ſit ac legitima perceptio. at panem & vinum in myſtica Cœna auguſtiore modo conſecramus, ut nobis ſint corporis ac ſanguinis Chriſti pignora.

6. Hæc ſuggerens fratribus, bonus eris Jeſu Chriſti miniſter, innutritus ſermonibus fidei, & bonæ doctrinæ quam ſequutus es.

7. Profanas autem & aniles fabulas devita. quin potius exerce teipſum ad pietatem.

8. Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis: at pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſiones habeat vitæ præſentis ac futuræ.

9. Fidelis ſermo, dignuſque qui modis omnibus approbetur.

10. Nam in hoc & laboramus, & probris afficimur quod ſpem fixam habemus in Deo vivente, qui Servator eſt omnium hominum, maxime fidelium.

6. *Hæc ſuggerens.*] Hoc verbo ad frequentem earum rerum commonefactionem hortatur. quod iterum paulo poſt, & tertio repetet: ſunt enim res ejuſmodi quas ſæpius in memoriam revocari expediat. Ac notanda eſt antitheſis quæ ſubeſt: non enim doctrinam quam commendat, falſis opponit aut impiis dogmatibus, ſed nihili argutiis quæ non ædificant. Eas vult longa oblivione ſepultas eſſe, quum Timotheum aliis ſuggerendis intentum eſſe jubet.

Bonus

Bonus eris miniſter.] Quidvis potius ſæpenumero affectant homines, quam ſe Chriſto probare. hinc fit ut ingenii, facundiæ, reconditæ ſcientiæ laudem plures aucupentur. Atque eadem ratio eſt cur poſthabeantur res neceſſariæ, quæ ad conciliandam vulgi admirationem minus valent. At Paulus hoc uno contentum eſſe Timotheum jubet, ut fidelis ſit Chriſti miniſter. Et profecto titulus hic longe honorificentior nobis eſſe debet, quam ſi millies Seraphici ſubtileſque vocaremur. Meminerimus ergo, ſicuti ſummus eſt honos pii Paſtoris, cenſeri bonum Chriſti ſervum: ita nihil aliud in tota ſua adminiſtratione captandum illi eſſe. Nam quiſquis alio tendet, fieri poterit ut plauſum reportet ab hominibus, ſed Deo non placebit. Quare, ne privemur tanto bono, diſcamus nihil aliud expetere, aut tam pretioſum ducere, quin præ hoc uno vileſcant nobis omnia. *Innutritus.* Quia participium eſt medium, transferri etiam active poſſet, Enutriens: ſed quum nulla addita ſit conſtructio, videtur id mihi eſſe nonnihil coactum. Quare malo paſſive accipere, ut confirmet proximam exhortationem ab educatione Timothei: acſi diceret, Quemadmodum ab incunabulis fuiſti recte inſtitutus in fide, & quaſi una cum lacte imbibiſti ſanam doctrinam, & continuos in ea progreſſus hucuſque feciſti: da operam ut fideliter miniſtrando, talem eſſe te comprobes. Huc etiam convenit verbi compoſitio. *Fides* hic pro ſumma doctrinæ Chriſtianæ capitur. Et quod de *bona doctrina* mox addidit, exegeticum eſt. nam ſignificat aliis omnibus doctrinis nihil utilitatis ineſſe, quantumvis ſint plauſibiles. Particula hæc, *Quam ſequutus es*, perſeverantiam ſignificat. Nam multi qui à pueritia Chriſtum pure didicerant, poſtea degenerant temporis progreſſu: quibus diſſimilem facit Timotheum.

7. *Exerce teipſum.*] Poſtquam de doctrina præcepit, qualis eſſe debeat, nunc etiam admonet quale aliis exemplum conveniat dare. Laborandum autem in pietate eſſe docet. Nam quum dicit, Exerce, ſignificat hanc eſſe juſtam occupationem, hoc ſtudium, hanc curam: acſi diceret, Non eſt quod fruſtra in aliis te fatiges: ſummum operæpretium facturus es, ſi toto affectu totaque facultate in unam pietatem incumbas. Cæterum nomine *pietatis* intelligit ſpiritualem Dei cultum, qui poſitus eſt in pura conſcientia: quod melius ex ſequentibus patet, dum illi opponitur corporalis exercitatio. Neque enim corporis exercitationem conſtituit aut in venatu, aut in curſu, aut in foſſione, aut in lucta, aut in laboribus mechanicis: ſed hoc nomine appellat quæcunque religionis cauſa ſuſcipiuntur externæ actiones: ut ſunt vigiliæ, longa inedia, humi cubitio, & ſimilia. Quanquam hic non taxat ſuperſtitioſam earum rerum obſervationem: alioqui in totum damnaret, quemadmodum in Epiſtola ad Coloſſenſes facit. *Coloſſ. 2. verſ. 21.* nunc autem tantum extenuat, admonens non multum prodeſſe. Ergo ut maxime integer ſit animus, & rectus finis, tamen in externis actionibus nihil reperit Paulus quod magnifaciat. Valde neceſſaria admonitio. nam ſemper propendet mundus in illam partem, uti Deum externis obſequiis velit colere: quod eſt exitiale figmentum. Verum ut pravam merendi opinionem omittam: ſemper huc nos rapit natura, ut pluſquam oportet, tribuamus auſteræ vivendi formæ: quaſi eſſet non vulgaris Chriſtianæ ſanctitatis portio. Cujus rei non poteſt haberi documentum, quam quod recens adhuc publicato hoc edicto, immodica tamen ſui admiratione totum mundum obſtupefecit inanis corporalium exercitationum ſpecies. Inde monachatus, & tota fere præſtantior veteris Eccleſiæ diſciplina: ſaltem quæ vulgi opinione maximo in pretio habebatur. Niſi divinam neſcio quam, aut Angelicam perfectionem ſomniaſſent monachi veteres in ſua illa auſtera vivendi norma, nunquam tanto ardore eam expetiiſſent. Niſi etiam plus æquo æſtimaſſent Paſtores uſitatos macerandæ carnis ritus, nunquam in illis exigendis fuiſſent tam rigidi. Quid autem Paulus contra? ubi ſe quiſpiam diu in illis multumque fatigaverit, exiguum tenuemque profectum fore. Sunt enim nonniſi puerilis diſciplinæ rudimenta.

8. *At pietas ad omnia utilis.*] Hoc eſt, qui pietatem habet, illi nihil deeſt, etiamſi careat iſtis adminiculis. Nam pietas ſe ſola contenta eſt ad ſolidam perfectionem. Principium eſt, medium, & finis Chriſtianæ vitæ. ideo ubi integra eſt, nihil eſt mutilum. Chriſtus non adeo auſteram vitæ rationem tenuit, quam Joannes Baptiſta: an ideo pilo deterior? Summa ſit, incumbendum eſſe prorſus in unam pietatem: quia ubi ſemel eam aſſequuti fuerimus, nihil Deus in nobis amplius deſideret: corporalibus vero exercitiis dandam eatenus operam, ne pietatis ſtudium impediant vel morentur. *Quæ promiſſiones habeat.* Summa conſolatio, quod Deus nuſquam deeſſe piis velit. Nam ut perfectionem noſtram in pietate ſtatuerat, ita nunc eam facit veræ felicitatis complementum. Quia autem initium felicitatis eſt in hac vita, ideo ad hanc quoque extendit promiſſiones divinæ gratiæ, quæ ſolæ nos efficiunt beatos, & ſine quibus ſumus miſerrimi. Nam Deus in hac quoque vita ſe nobis fore patrem teſtatur. Verum meminerimus inter bona vitæ præſentis & futuræ diſcernere. nam eatenus nobis benefacit Deus in hoc mundo, ut guſtum duntaxat ſuæ bonitatis præbeat: & tali guſtu nos alliciat ad cæleſtium bonorum deſiderium, ut in illis acquieſcamus. Ita fit ut bona præſentis vitæ non modo permixta ſint plurimis ærumnis, ſed quaſi obruta. Neque enim nobis expedit hic abundare, ne luxuriemur. Porro ne quis operum merita hinc efferat, tenendum eſt quod jam diximus, pietatem non modo bonam conſcientiam erga homines ac Dei timorem, ſed fidem quoque & invocationem complecti.

9. *Fidelis ſermo.*] Nunc in ſententiæ clauſula ponit quod ante initio bis præfatus eſt: idque conſulto facere videtur, quia mox contrariam objectionem ſubnectet. Cæterum non abs re, tanta aſſeveratione utitur. eſt enim paradoxum valde pugnans cum ſenſu carnis, Deum ſuis in hoc mundo ſuppeditare quæ ad beate & feliciter vivendum pertinent: quum ſæpenumero deſtituti ſint bonis omnibus, ideoque putentur à Deo abjecti. Ergo non contentus ſimplici doctrina, hoc veluti clypeo contrarias omnes tentationes propulſat: atque hoc modo fideles admonet, ut januam aperiant Dei gratiæ quam infidelitas noſtra præcludit. Nam certe ſi beneficiorum Dei eſſemus capaces, liberalius nobiſcum ageret.

10. *Nam in hoc laboramus.*] Anticipatio eſt qua ſolvit illam quæſtionem, fideles quia premantur omne genus ærumnis, omnium eſſe miſerrimos. Ergo ut oſtendat non debere ab externa ſpecie æſtimari eorum conditionem, ſeparat eos à reliquis: primum in cauſa, deinde in exitu. unde ſequitur, nihil illis decedere ex promiſſionibus quas dixit, quum rebus adverſis vexantur. Summa eſt, non eſſe miſeros fideles in afflictionibus, quia bona conſcientia eos ſuſtentat, & proſper lætuſque exitus eos manet. Quia autem felicitas vitæ præſentis duobus potiſſimum membris conſtat, honore & commoditatibus: ponit duo contraria, *labores & probrum*: priore vocabulo ſignificans incommoda quævis & moleſtias, ut ſunt paupertas, frigus, nuditas, fames, exilia, ſpoliationes, vincula, verbera, & aliæ perſequutiones. Conſolatio hæc, *ſpem fixam habemus in Deo vivente*, ad cauſam refertur. Nam adeo non ſumus miſeri quum patimur propter juſtitiam, ut potius ea ſit juſta materia gratulationis. Adde quod afflictiones noſtræ cum ſpe in Deum vivum conjunctæ ſunt: *Rom. 5. verſ. 5.* imo ſpes eſt quaſi fundamentum. atqui ea nunquam pudefacit: ſequitur ergo, piis in lucro deputanda eſſe omnia. *Qui ſervator eſt.* Secunda conſolatio, quæ tamen ex priore dependet. nam liberatio

Digitized by Google

de qua loquitur, eſt quaſi fructus ſpei. Quod ut clarius pateat, ſciendum eſt eſſe argumentum à minori ad majus. Nam σωτὴρ nomen, hic eſt generale, pro eo qui tuetur ac conſervat. Intelligit Dei beneficentiam ad omnes homines pervenire. Quod ſi nemo eſt mortalium qui non ſentiat Dei erga ſe bonitatem, ejuſque ſit particeps, quanto magis eam experientur pii qui in eum ſperant? Annon peculiarem ipſorum geret curam? annon multo liberalius ſe in eos effundet? annon denique omni ex parte ſalvos ad finem præſtabit?

11. Præcipe hæc & doce.

12. Nemo tuam juventutem deſpiciat: ſed eſto exemplar fidelium, in ſermone, in converſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in caſtitate.

13. Donec venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.

14. Ne donum quod in te eſt, negligas, quod tibi datum eſt per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii.

15. Hæc cura, in his eſto: ut profectus tuus in omnibus manifeſtus fiat.

16. Attende tibiipſi & doctrinæ: permane in his. hoc enim ſi feceris, & teipſum ſervabis, & eos qui te audiunt.

11. *Præcipe hæc.*] Intelligit ejus generis eſſe doctrinam, cujus nullum debeat eſſe faſtidium, etiamſi quotidie audiatur. Nam & alia docenda ſunt. ſed emphaſin habet demonſtrativum Hæc: quia ſignificat non eſſe res levis momenti, quas ſemel quaſi tranſeundo attigiſſe ſufficiat: ſed potius quotidiana repetitione dignas eſſe, quia non poſſint nimium inculcari. Prudentem itaque Paſtorem decet ea pendere quæ maxime ſunt neceſſaria, ut illis inſiſtat. Nec eſt quod vereatur faſtidium. nam quiſquis Dei eſt, libenter ideo tidem audiet quæ toties dicere expedit.

12. *Nemo tuam juventutem.*] Hoc dicit tam aliorum reſpectu, quam ipſius Timothei. Quantum ad alios, non vult Timothei ætatem eſſe obſtaculo quominus eam quam meretur reverentiam obtineat: modo ſe alias ita gerat, ut decet Chriſti miniſtrum. Et ſimul ipſum Timotheum admonet, ut quod deeſt ætati, compenſet gravitate morum. acſi dixiſſet, Fac ut morum gravitate tantum reverentiæ tibi concilies, ne quid ætas tua juvenilis, quæ alioqui contemptui obnoxia eſſe ſolet, de tua auctoritate minuat. Unde agnoſcimus & juvenem adhuc fuiſſe Timotheum, qui tamen inter multos Paſtores longe eminebat: & perperam eos facere qui annorum numero metiuntur quantum homini debeant. Porro quæ vera ſint decora, mox præſcribit: Non externæ ſcilicet larvæ, ut ſunt lituus, infulæ, annulus, pallium, & ejuſmodi ineptiæ, puerorum crepundia: ſed doctrinæ ſanitas & ſanctitas vitæ. *Sermone & converſatione* quum dicit, hoc perinde valet acſi dixiſſet, dictis & factis, adeoque tota vita. Quæ ſequuntur, partes ſunt piæ converſationis, *Charitas, ſpiritus, fides, caſtitas.* Nomine Spiritus, intelligo fervorem zeli Dei. ſi quis tamen generalius malit accipere, non repugno. Caſtitas non tantum libidini opponitur, ſed puritatem totius vitæ ſignificat. Hinc diſcimus ineptos eſſe & ridiculos qui nihil honoris ſibi exhiberi conqueruntur, quum nihil habeant laude dignum: ſed potius contemptui ſe exponant tum ſua inſcitia, tum impuro vitæ exemplo, aut levitate, aut aliis ſordibus. Unica enim hæc via eſt comparandæ reverentiæ, ſi virtutum præſtantia nos à contemptu vindicemus.

13. *Donec venio.*] Noverat Timothei diligentiam, & tamen illi commendat aſſiduam Scripturæ lectionem. Quid enim Paſtores docebunt alios, niſi diſcendo ſint intenti? Quod ſi tantus vir admonetur ut proficere in dies ſtudeat, quanto magis in nos competit iſta admonitio? Væ igitur eorum ſocordiæ qui Spiritus oracula non revolvunt dies & noctes, ut inde inſtruantur ad munus ſuum exercendum. Pondus etiam addit circumſtantia temporis. nam quum ſe Paulus brevi venturum ſperaret, noluit tamen interea, licet exiguo tempore, reſidem manere Timotheum. quanto itaque diligentius in totam vitam proſpicere convenit? Cæterum ne otioſa lectio ſufficere credatur, ſimul oſtendit, in uſum eſſe explicandam, quum doctrinæ & exhortationi inſtare præcipit. acſi præciperet ipſum diſcere quod aliis communicaret. Notandus etiam eſt hic ordo, quod *lectionem, doctrinæ & exhortationi* præponit. Nam certe fons omnis ſapientiæ eſt Scriptura, unde haurire debent Paſtores quicquid proferunt ad gregem.

14. *Ne donum quod in te eſt.*] Hortatur ut in Eccleſiæ ædificationem conferat gratiam qua præditus eſt. Neque enim perire vult Dominus talenta aut inutiliter ſub terra defodi, quæ apud unumquemque depoſuit ut lucrum afferant. *Negligere* donum, eſt neglectim ſuppreſſum habere per deſidiam: ita ut quaſi rubigine contracta, nullo uſu deteratur. Ergo conſideret quiſque noſtrum quid facultatis habeat, ut id ſedulo in uſum applicet. Dicit gratiam illi *datam eſſe per prophetiam.* Quomodo? quia ſcilicet (ut ante diximus) Spiritus ſanctus oraculo Timotheum deſtinaverat ut in ordinem Paſtorum cooptarent. Neque enim delectus tantum fuerat hominum judicio, ut fieri ſolet: ſed præceſſerat Spiritus nuncupatio. Dicit collatam eſſe *cum impoſitione manuum.* quo ſignificat, una cum miniſterio neceſſariis etiam dotibus ornatum fuiſſe. Uſitatum fuit ac ſolenne Apoſtolis, Miniſtros per impoſitionem manuum ordinare. Ac de hoc quidem ritu, ejuſq; origine & ſignificatione, aliquid prius attigi: & reliqua ex Inſtitutione petere licet. *Presbyterium* qui hic collectivum nomen eſſe putant, pro collegio Presbyterorum poſitum, recte ſentiunt meo judicio. Tametſi omnibus expenſis, diverſum ſenſum non male quadrare fateor, ut ſit nomen officii. Ceremoniam pro ipſo actu ordinationis poſuit. Itaque ſenſus eſt, Timotheum, quum Prophetarum voce aſcitus fuit in miniſterium, & deinde ſolenni ritu ordinatus, ſimul gratia Spiritus ſancti inſtructum fuiſſe ad functionem ſuam exequendam. Unde colligimus non inanem fuiſſe ritum: quia conſecrationem quam homines impoſitione manuum figurabant, Deus Spiritu ſuo implevit.

15. *Hæc cura.*] Quo plus eſt difficultatis in fideli Eccleſiæ adminiſtratione, eo magis inſtare ſibi debet Paſtor, nervoſque omnes intendere: idque non ad exiguum modo tempus, ſed perſeveranter. Ergo admonet Paulus non eſſe locum oſcitantiæ vel remiſſioni: ſed requiri ſummam diligentiam & aſſiduitatem. Quum addit, *Ut profectus tuus manifeſtus fiat,* ſignificat in hoc eſſe elaborandum ut per ejus manum magis ac magis promoveatur Eccleſiæ ædificatio, atque dignum operæpretium extet. Eſt enim non unius diei opus: quare ad quotidianos progreſſus enitendum eſt. Alii referunt ad Timothei perſonam, ut in melius proficiat. ſed malo de miniſterii effectu interpretari. *In omnibus manifeſtus fiat,* tam maſculinum eſſe poteſt, quam neutrum. ita duplex erit ſenſus: vel ut omnes perſpiciant quæ ex ejus laboribus provenient incrementa: vel ut omni ex parte, aut modis omnibus

(quod

Digitized by Google

(quod idem eſt) ſe oſtendant. atque boc poſterius magis quadrat.

16. *Attende tibiipſi & doctrinæ.*] Duo ſunt curanda bono Paſtori: ut docendo invigilet, ac ſeipſum purum cuſtodiat. Neque enim ſatis eſt ſi vitam ſuam componat ad omnem honeſtatem, ſibique caveat ne quod edat malum exemplum: niſi aſſiduum quoque docendi ſtudium adjungat ſanctæ vitæ. Et parum valebit doctrina, ſi non reſpondeat vitæ boneſtas & ſanctitas. Non ergo abs re Paulus Timotbeum incitat ut tam privatim ſibi attendat, quam doctrinæ in communem Eccleſiæ uſum. Et rurſus commendat illi conſtantiam, ne unquam defatigetur. Multa enim identidem accidunt quæ poſſint nos abducere à recto curſu, niſi fixo pede fortiter ſtemus ad reſiſtendum. *Hoc ſi feceris.* Hic non levis eſt ſtimulus ad excitandam Paſtorum ſollicitudinem, quum audiunt ſuam & populi ſalutem in eo conſiſtere, ſi muneri ſuo gnaviter & continenter incumbant. Quia autem ut plurimum non multa oſtentatione pollet doctrina quæ ſolide ædificat, quid utile ſit ſpectandum admonet Paulus: acſi diceret, Paſcat homines gloriæ cupidos ſua ambitio, ſibi in argutiis applaudant: tibi ſatis ſit in tuam & populi ſalutem incumbere. Pertinet autem admonitio ad totum Eccleſiæ corpus, ne faſtidio ſit ſimplicitas quæ & animas vivificat, & ſuam illis ſanitatem fovet. Nec abſurdum videri debet quod Timotheo has partes aſſignat ſalvandæ Eccleſiæ. Nam certe quicquid Deo acquiritur, ſalvum eſt. prædicatione autem Euangelii colligitur ad Chriſtum. Et ſicuti Paſtoris infidelitas aut negligentia, Eccleſiæ eſt exitialis: ita merito fidei & diligentiæ adſcribitur ſalutis cauſa. Solus quidem Deus ſalvat, cujus gloriæ ne minimam quidem portionem ad homines transferri fas eſt. Sed nibil gloriæ ſuæ Deus derogat, quum ad ſalutem adminiſtrandam utitur hominum opera. Dei ergo ſolius beneficium eſt ſalus noſtra, quia & ab ipſo ſolo eſt, & ſola ejus virtute peragitur: ideoque illi tanquam unico auctori ferenda eſt accepta. Sed non excluditur propterea hominum miniſterium, nec id totum obſtat quin ſalutare ſit regimen illud quo conſtare Eccleſiæ integritatem alibi Paulus docet, ad Epheſios cap. 4. v. 11. Quin etiam & hoc quoque in ſolidum Dei eſt opus: quia & ipſe eſt qui format bonos Paſtores, & agit ſuo Spiritu: & eorum labori, ne irritus ſit, benedicit. Quod ſi ſuis auditoribus ſaluti eſt bonus Paſtor, ſciant mali & ignavi, eorum quibus præſunt imputandum ſibi eſſe exitium. Nam ſicuti gregis ſalus, paſtoris eſt corona: ita quicquid perierit, ab ignavis paſtoribus repoſcetur. *Servare* autem ſe Paſtor dicitur, quum fideliter munus ſibi iojunctum exequendo, vocationi ſuæ ſervit. non modo quia borrendam illam ultionem effugit (quam Dominus per Ezechielem minatur, Sanguinem de *Ezech. 33.*
manu tua repoſcam) ſed quia illud uſitatum eſt, ſalu- *verſ. 8.*
tem ſuam fideles peragere, quum in curſu ſalutis ſuæ pergunt. de qua loquutione diximus in ſecundum ca- *Phil. 2.*
put ad Philippenſes. *verſ. 12.*

CAP. V.

SEniorem ne aſpere objurges, ſed hortare ut patrem; juniores, ut fratres:

2. Mulieres natu grandiores, ut matres: juniores, ut ſorores, cum omni caſtitate.

3. Viduas honora, quæ vere ſunt viduæ.

4. Porro ſi qua vidua liberos aut nepotes habet, diſcant primum erga propriam domum pietatem colere, & mutuum rependere progenitoribus. hoc enim bonum & acceptum eſt coram Deo.

1. *Seniorem ne aſpere.*] Nunc lenitatem & moderationem Timotheo commendat in corrigendis vitiis. Medicina eſt correctio, quæ ſemper amari aliquid habet, ideoque minus adlubeſcit: deinde quia juvenis erat Timotheus, minus tolerabilis fuiſſet ejus ſeveritas, niſi admodum temperata. Præcipit ergo ut majores natu reprehendat tanquam parentes: imo utitur mitiore verbo, *hortandi* ſcilicet. Fieri autem nequit quin reverentia tangamur, ubi repræſentamus nobis ob oculos, patris vel matris perſonam. ita fit ut in locum durioris vebementiæ mox ſuccedat modeſtia. Notandum tamen quod non ita parci vult ſenibus aut indulgeri, ut impune & ſine correctione peccent: tantum vult eorum ætati baberi nonnihil bonoris, quo æquiore animo ſe admoneri ſinant. Quin etiam in minori ætate vult moderationem adbiberi, tametſi non æquali modo. Semper enim oleo temperandum eſt acetum. ſed hoc intereſt, quod majoribus deferenda eſt reverentia, æquales fraterna manſuetudine excipi debent. Hinc admonentur Paſtores, non muneris tantum habendam eſſe rationem, ſed peculiariter etiam videndum eſſe ſingulis quid ætatem ſuam deceat. neque enim eadem omnibus conveniunt. Veniat ergo illud in mentem, ſi decorum ſervant in ſcena hiſtriones, non eſſe Paſtoribus in tam excelſo loco negligendum. Particula, *cum omni caſtitate*, ad juniores pertinet: nam in illa ætate ſemper timenda eſt omnis ſuſpicio. Neque tamen vetat Paulus ne quid Timotheus agat libidinoſe, aut ne laſciviat cum juvenculis (hac enim prohibitione non fuit opus) ſed tantum præcipit cavendum ne improbis detur obloquendi anſa. Quod ut fiat, requirit caſtam gravitatem quæ luceat in omni congreſſu & colloquio: quo liberius cum juvenibus communicet abſque ulla ſiniſtra fama.

3. *Viduas honora*] Honoris nomen hoc loco non quamvis obſervantiam ſignificat, ſed peculiarem curam quam ſuſcipiebant Epiſcopi in veteri Eccleſia. Recipiebantur enim viduæ in Eccleſiæ fidem, ut ex publico alerentur. Tantundem ergo valet hæc loquutio acſi dixiſſet, In eligendis viduis, quæ ſint ſub tua & Diaconorum cura, earum tibi habenda eſt ratio *quæ veræ ſunt viduæ.* Qualis autem fuerit earum conditio, fuſius deinde tractabimus. Hic tamen notanda eſt ratio cur Paulus non admittat niſi prorſus viduas & orbas ſimul, quæ ſobole ſint deſtitutæ. Nam ea conditione ſe Eccleſiæ addicebant, ut abdicarent ſe omni privatæ familiæ cura, & omnia impedimenta abjicerent. Proinde merito Paulus matresfamilias recipi prohibet quæ jam diverſo officio obſtrictæ ſunt. Quum nominat Vere viduas, alluſio eſt ad nomen Græcum quod deducitur ἀπὸ τοῦ χηροῦσθαι, quod eſt deſtitui & privari.

4. *Si qua vidua.*] Varie exponitur hic locus. inde autem naſcitur ambiguitas, quod poſterius membrum tam ad viduas referri poteſt, quam ad earum liberos. Nec obſtat quod verbum *Diſcant* eſt plurale, quum de vidua loquutus ſit Paulus in numero ſingulari. Numeri enim mutatio ſatis uſitata eſt in oratione indefinita, hoc eſt, ubi de toto genere, non de individuo tractatur. Qui de viduis accipiunt, hunc putant eſſe ſenſum, Diſcant pia familiæ adminiſtratione beneficium educationis quod à majoribus acceperunt, erga minores rependere. ita Chryſoſtomus & alii quidam. Simplicius tamen

aliis videtur de liberis & nepotibus accipere. Matrem itaque (eorum judicio) aut aviam, materiam eſſe docet in qua exerceant ſuam pietatem. Nihil enim magis eſt naturale quam ἀντιπελαργία: quare minime æquum eſt eam ab Eccleſia impediri. prius ergo quam oneretur Eccleſia, faciant illi ſuum officium. Hactenus retuli quid alii ſentiant. Velim tamen lectores expendere an non aptior ſit hoc modo cohærentia, Diſcant pie ſe domi gerere: quaſi diceret, hoc utile fore rudimentum quo ſe ad cultum Dei aſſuefaciant, ſi domi erga ſuos piis officiis fungantur. Natura enim præcipit ut parentes noſtros ſecundum Deum colamus: ut hæc ſecundaria pietas ad primam nos deducat. Quia autem religionis prætextu ipſa naturæ jura violari cernebat Paulus: ut hoc vitium corrigeret, domeſtico tirocinio exerceri juſſit viduas ad Deum colendum. Porro verbum εὐσεβεῖν active omnes fere accipiunt, quia ſequitur accuſativus. verum nulla ratio cogit, quia Græcis familiare eſt ſubaudire præpoſitionem. Et apte contextui quadrat hæc expoſitio, ut pietatem humanam colendo, ſe in Dei cultu exerceant: ne ſtulta & nugatoria devotio (ut loquuntur) eas humanitatis ſenſu exuat. Porro viduæ mutuam vicem ſuis majoribus rependere diſcunt, ſobolem ab illis progenitam educando. *Hoc enim acceptum.* Monſtrum eſſe fatentur omnes, ſi quis ingratum ſe majoribus præbeat. id enim dictat ſenſus naturæ. Nec modo ingenita eſt omnibus hæc perſuaſio, ſecundum pietatis gradum eſſe erga parentes: ſed ipſæ quoque ciconiæ gratitudinem ſuo exemplo nos docent. Unde & nomen ἀντιπελαργία. Verum Paulus eo non contentus, idem à Deo ſancitum eſſe pronunciat: acſi diceret, Non eſt quod putet quiſpiam id natum eſſe ex hominum opinione: ſed Deus ita ordinavit.

5. Porro quæ vere vidua eſt ac deſolata, ſperat in Deo, & perſeverat in orationibus & obſecrationibus noctu & die.

6. Quæ autem in deliciis verſatur, vivens mortua eſt.

7. Et hæc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.

8. Quod ſi quis ſuis, & maxime familiaribus non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior.

5. *Quæ vere vidua eſt ac deſolata.*] Explicatius quam antea loquitur: quia vere eas demum viduas eſſe docet quæ ſolitariæ ſint & familia orbatæ. Tales *in Deo ſperare* dicit: non quod omnes id faciant, vel ſolæ. pleraſque enim viduas cernere licet orbas ac omni cognatione deſtitutas, quæ tamen & ſuperbæ ſunt & protervæ, & tam animo quam vita prorſus impiæ. Et qui progenie abundant, non impediuntur quominus ſpem habeant in Deo repoſitam: ut Job, & Jacob, & David. Alioqui maledicta eſſet πολυτεκνία quam Scriptura paſſim inter eximias Dei benedictiones recenſet. Verum Paulus hoc loco viduas in Deo ſperare dicit, quemadmodum prioris ad Corinthios capite 7. v. 32. ſcribit, cælibes tantum ſtudere ut Deo placeant, quia non ſint inſtar conjugatorum diviſi. Senſus eſt igitur, nullo eas avocamento diſtrahi quin reſpiciant in ſolum Deum: quia in mundo nihil reperiunt quo fulciantur. Hoc argumento ipſas commendat. nam ubi deficiunt humanæ opes omniaque præſidia, Eccleſiæ officium eſt manum porrigere ad opem ferendam: ideoque viduæ orbitas, & ſolitudo, Paſtoris opem implorat. *Perſeverat in orationibus.* Secundum argumentum commendationis: quia aſſidue precibus incumbunt. Unde ſequitur, juvandas eſſe ac ſuſtentandas Eccleſiæ impenſis. Interea his duabus notis diſcernit inter dignas & indignas. perinde enim valent hæc verba, acſi tantum eas recipi præciperet quæ nihil expectant opis ab hominibus, ſed pendent à ſolo Deo: & depoſitis aliis curis & occupationibus, intentæ ſunt ad precandum: alias minime idoneas eſſe aut commodas. Hæc quoque precandi aſſiduitas requirit ab aliis curis vacationem. Nam quæ circa familiam regendam occupantur, minus habent libertatis & otii. Omnes quidem jubemur aſſidue orare, ſed videndum quid ferat uniuſcujuſque conditio dum ad orandum ſeceſſus quæritur, & ab omnibus aliis negotiis immunitas. Quod in viduis

Luc. 2. laudat Paulus, Lucas de Hanna filia Phanuelis præ-

verſ. 3 6. dicat. atqui non idem omnibus conveniret: quia diverſa eſt vitæ ratio. Erunt ineptæ mulierculæ, Hannæ ſimiæ magis quam imitatrices, quæ circum altaria curſitabunt, & uſque ad meridiem ſuſurris ſuis ac murmuribus dabunt operam. Hoc prætextu ab omnibus domeſticis moleſtiis ſe eximent. reverſæ domum, niſi omnia ad nutum compoſita offenderint, inſanis clamoribus exagitabunt totam familiam, proſilient interdum ad verbera. Meminerimus ergo viduis & orbis non ſine cauſa hoc quaſi proprium tribui, vacare dies & noctes precibus, quia ſolutæ ſunt à juſtis impedimentis, quæ non idem permitterent familiam regentibus. Neque tamen monachis aut monialibus ſuffragatur hæc ſententia, qui murmura ſua vel boatus ita vendunt ut otioſi alantur. Quales olim fuerunt Euchitæ vel Pſalliani. Nihil enim ab Euchitis differunt monachi & ſacrifici Papales, niſi quod illi continenter precando, ſolos ſe pios ac ſanctos putabant: hi autem minori aſſiduitate ſe alios quoque ſanctificare fingunt. Nihil tale in mentem venit Paulo, ſed tantum indicare voluit quanto liberius vacare queant precibus quæ nihil aliunde habent diſtractionis.

6. *Quæ autem in deliciis.*] Poſtquam ſua nota veras viduas inſignivit, nunc alias opponit quæ rejiciendæ ſint. Participium quo utitur, σπαταλῶσα, ſignificat eam quæ ſibi indulget, molliterque ac delicate vivit. Quare eos (meo judicio) taxat Paulus quæ viduitate ſua in hoc abutuntur, ut ſolutæ jugo maritali, & omni moleſtia vacuæ, ſuavem in otio vitam degant. Multas enim videmus libertati ſuæ conſulere & commoditati, ſeque nimium hilariter tractare. Tales Paulus *vivendo mortuas eſſe* pronunciat. quod aliqui de infidelitate intelligunt: cui opinioni minime aſſentior. Mortuam enim congruentius dici puto, quæ inutilis ſit ac nihili. Quorſum enim vivimus, niſi ut frugi ſit noſtra opera? Et quid, ſi eſſet emphaſis in participio Vivens? Nam qui deſidem vitam appetunt quo vivant commodius, habent illud in proverbium, Non eſt vivere ſed valere vita. ita ſenſus eſſet, Si beatæ ſibi videntur dum agunt ex animi ſui voto, atque hanc demum vitam reputant in quiete deliciari, ego mortuas eſſe pronuncio. Quia tamen ſenſus hic nimium forte argutus eſſet: tantum volui obiter attingere, nihil aſſerens. Certum quidem eſt ignaviam hic damnari à Paulo, ut mortuas vocet quæ nulli ſunt uſui.

7. *Et hæc præcipe.*] Significat non tantum ſe præſcribere Timotheo quid ſequi debeat: ſed diligenter admonendas eſſe ipſas mulieres, ne ejuſmodi vitiis laborent. Neque enim ſe tantum Paſtor opponere debet pravis ſtudiis, aut ambitioni eorum qui ſe præter rationem ingerunt, ſed doctrina & continuis admonitionibus omnia pericula, quantum in ſe eſt, prævenire. Fuit quidem hoc gravitatis & conſtantiæ, non admittere viduas niſi quæ dignæ forent: ſed interim reddenda fuit ratio cur non admitterentur: imo prius monenda Eccleſia ne obtruderentur indignæ, vel ſeipſas ingererent. Cæterum Paulus hanc doctrinæ partem rurſus ab utilitate commendat: acſi dixiſſet, minime eſſe contemnendam,

dam, quia ſit vulgaris, quando ad ſummam rectæ & perfectæ vitæ ſpectat. Nihil autem in Dei ſchola magis diſcendum, quam ſanctæ & integræ vitæ meditatio: denique moralis doctrina argutis ſpeculationibus confertur, quarum nullus in vita profectus apparet, ſecundum illud, Omnis Scriptura utilis eſt, ut perfectus reddatur homo Dei, &c. *2 Tim. 3. verſ. 16.*

8. *Quod ſi quis.*] Eraſmus tranſtulit in fœminino genere: mihi generalis ſententia magis probatur. Solet enim Paulus, etiam quum aliquod particulare argumentum tractat, probationes ex generalibus principiis afferre: & rurſus elicere ex particularibus ſententiis univerſalem doctrinam. Et certe plus habebit hoc ponderis, ſi conveniat tam viris quam mulieribus. Dicit ergo eos *fidem abnegaſſe*, qui ſuos omnes, maximeque domum propriam non curant. Et merito: nulla enim in Deum eſt pietas, ubi quis ita humanitatis ſenſum exuere poteſt. An fides, quæ filios Dei nos facit, deteriores redderet brutis pecudibus? Manifeſtus ergo Dei contemptus eſt talis inhumanitas, & fidei abnegatio. Necdum eo contentus Paulus, crimen exaggerat, dicens, *infideli eſſe deteriorem* qui ſuorum oblivifcitur. Quod duabus de cauſis verum eſt: nam quo plus quiſque in cognitione Dei profecit, eo minus habet excuſationis. Ergo infidelibus ſunt pejores, qui in clara Dei luce cæcutiunt. Deinde hoc genus officii eſt quod natura ipſa dictat. ſunt enim στοργαὶ φυσικαί. Quod ſi natura duce infideles ultro propenſi ſunt ad ſuos amandos, quid de iis ſentiendum qui nullo tali affectu tanguntur? nonne impios ipſos feritate ſuperant? Si quis objiciat, multos quoque ex incredulis ſævos parentes eſſe ac belluinos: facilis ſolutio eſt, Paulum de parentibus loqui ſolis, qui duce natura & magiſtra, ſobolis ſuæ curam gerunt. Nam ſi quis ab hac integritate degeneret, pro monſtro habendus eſt. Quæritur autem cur domeſticos filiis ipſis præferat Apoſtolus. Reſpondeo, quum *ſuos, & maxime familiares* nominat, utroque loco de filiis & nepotibus ipſum loqui. Nam utcunque mancipati ſint liberi, aut in alienam familiam per conjugium tranſierint, aut quovis modo emigrarint ex ædibus parentum: nunquam tamen prorſus extinguitur jus naturæ, quin debeant majores natu, tanquam ſibi à Deo commiſſos, regere, aut ſaltem conſulere quoad poſſunt. In domeſticis autem arctior eſt obligatio. nam eos duplici nomine curare debent: eo quod ipſorum ſunt ſanguis, & ſimul pars familiæ cui præſunt.

9. Vidua deligatur non minor annis ſexaginta, quæ fuerit unius viri uxor,

10. In operibus bonis habens teſtimonium, ſi liberos educavit, ſi fuit hoſpitalis, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi afflictis ſubminiſtravit, ſi in omni bono opere fuit aſſidua.

11. Porro juniores viduas rejice. quum enim laſcivire cœperint adverſus Chriſtum, nubere volunt:

12. Habentes condemnationem, quod primam fidem rejecerint.

13. Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: nec ſolum otioſæ, verum etiam garrulæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet.

9. *Vidua deligatur.*] Iterum quales viduæ recipiendæ ſint in Eccleſiæ curam, oſtendit: & quidem explicatius quam antea. Ac primo ætatem deſignat, *ſexaginta annos:* nam quia publicis ſumptibus alebantur, decebat jam ſenio confectas eſſe. Deinde erat altera etiamnum validior ratio: nam ſe in miniſterium Eccleſiæ conſociabant. quod minime ferendum erat, ſi adhuc ad conjugium idoneæ fuiſſent. Ea conditione recipiebantur, ut earum inopiæ ſubveniret Eccleſia, ſuam interim operam pauperibus impenderent quoad patiebatur valetudo. Ita mutua erat obligatio inter ipſas & Eccleſiam. Robuſtiores, & quæ per ætatem adhuc erant vegetæ, iniquum erat aliis eſſe oneri. Præterea timendum erat ne mutato animi propoſito, ad novas nuptias aſpirarent. Hæ ſunt duæ cauſæ cur non velit niſi ſexagenarias recipi. Quo ad nubendi cupiditatem ſatis occurſum eſt periculo, ubi annum ſexageſimum exceſſit mulier: ſi præſertim unum duntaxat maritum tota vita experta fuerit. Eſt enim quoddam veluti pignus continentiæ & pudoris, quum mulier ad eam uſque ætatem pervenit, unico marito contenta. Non quod ſecundum conjugium improbet, aut ignominiæ notam aſpergat bis nuptis: quin potius juniores viduas ad nubendum hortatur: ſed quia ſollicite cavere voluit ne ullis neceſſitatem imponeret cælibatus, quæ maritis opus haberent. Qua de re mox plura.

10. *In operibus bonis.*] Quæ ſequuntur dotes, partim ad honorem, partim ad onus reſpiciunt. Non dubium eſt quin fuerint honeſta viduarum collegia, plenaque dignationis. Ideo non vult Paulus illuc cooptari niſi quæ ornatæ ſint egregio teſtimonio totius anteactæ vitæ. Jam non ad ſegne & ignavum otium deſtinabantur: ſed ut pauperibus & ægrotis miniſtrarent, donec viribus defectæ, tanquam emeritæ quieſcerent. Itaque ut ad obeundam functionem ſint aptiores, in officiis omnibus quæ ſunt illius propria, longo uſu exercitatas eſſe vult: qualia ſunt labor & ſedulitas in liberis educandis, hoſpitalitas, miniſteria erga pauperes, & reliqua beneficentiæ opera. Si quis hic interroget, Ergone repudiabuntur omnes ſteriles, quia nullos unquam liberos ſuſtulerint? reſpondendum, non ſterilitatem hic damnari à Paulo, ſed matrum delicias, quæ ſobolis alendæ tædia devorare dum recuſant, ſatis oſtendunt ſe minus officioſas fore erga extraneos. Et ſimul hanc piis matronis honorariam mercedem proponit, quæ ſibi non pepercerint: ut viciſſim ætas earum ſenilis Eccleſiæ gremio fovenda excipiatur. Per *lotionem pedum*, ſynecdochicas obſequia intelligit quæ ſanctis præſtari ſolent. moris enim tunc erat pedes lavare. Hoc officii genus in ſpeciem ſordidum & prope ſervile videri poterat: itaque hac quaſi nota inſignit ſedulas & minime delicatas aut molles fœminas. Quod proxime ſequitur, ad liberalitatem pertinet. Atque idem poſtremo generalius exprimit, quum dicit, *Si in bono opere fuit aſſidua.* Nam hic de beneficentia loquitur.

11. *Juniores viduas rejice.*] Non jubet excommunicari ab Eccleſia, aut aliqua ignominia notari: ſed tantum in illo honore, cujus ſupra meminit, impertiendo, habendam eſſe earum rationem negat. Quod ſi Dei Spiritus per os Pauli mulierem nullam ſexagenaria minorem, ordine illo dignam eſſe pronunciat, quod in illa ætate periculoſus ſit cælibatus: cujus audaciæ fuit, legem perpetui cælibatus juvenculis in ſummo ætatis fervore poſtea imponere? Non admittit, inquam, cælibatum Paulus, niſi in ætate jam effœta, & quæ periculum omne incontinentiæ jam evaſit. in velandis virginibus ad quadraginta deinde annos ventum eſt, poſtea ad triginta, tandem promiſcue ſine ulla exceptione ætatis, velare omnes cœperunt. Obtendunt continentiam virginibus quæ nunquam virum expertæ ſunt, multo faciliorem eſſe quam viduis. Sed non efficient quin timendum ſit periculum quod hic Paulus cavet, ac cavendum præcipit. Temere itaque, adeoque crudeliter laqueum injiciunt teneris adhuc puellis, quæ conjugio futuræ erant aptiores. *Quum enim laſcivire.* Laſcivire eas adverſus Chriſtum dicit, quæ condi-

tionis

tionisad quam vocatæ ſunt, oblitæ, hilarius quam decet exultant. Debuerant enim ſe continere ſub modeſtiæ jugo, ut gravibus matronis dignum eſt. Proinde mollior & ſolutior vita, quaſi laſcivia eſt adverſus Chriſtum, cui fidem ſuam obſtrinxerant. Quoniam aliquot ejuſmodi exempla viderat Paulus, generali remedio occurrit: neque recipiatur quam ætatis ratio unquam ſollicitare poſſit ad nubendi appetitum. Quot flagitiorum monſtra quotidie in Papatu coactus ille monialium cælibatus parit? quæ clauſtra non refringit libido? Ergo etiamſi res initio placuiſſet: tot tamen atque tam gravibus experimentis edocti, aliquando Pauli conſilio obtemperare debuerant. Atqui hoc adeo non faciunt, ut in dies magis ac magis iram Dei ſua obſtinatione provocent. Nec de ſolis monialibus loquor: ad perpetuum cælibatum ſacerdotes quoque & monachos cogunt. Ebulliunt interea fœdæ libidines, ut vix decimus quiſque caſte ſe habeat. In monaſteriis autem minimum malorum eſt vulgaris ſcortatio. Si Deum per os Pauli loquentem audire in animum inducerent, mox confugerent ad hoc remedium quod præſcribit. ſed tanta eſt ſuperbia, ut furioſe proſequantur quicunque huc eos revocant. Aliqui particulam *adverſus Chriſtum*, conjungunt cum verbo *nubendi*. quod tametſi ad Pauli mentem non multum refert, prior tamen ſenſus eſt probabilior.

12. *Habentes condemnationem.*] Habere damnationem aliqui exponunt Reprehenſionem mereri. Ego tamen ſeverius dictum accipio, ut æternæ mortis damnatione eas terreat Paulus: acſi hoc ipſum reprehenderet, eximium illum ordinem qui propius Chriſto unire debuerat, illis damnationis eſſe materiam. Et ratio additur, quia à fide Baptiſmi & Chriſtianiſmo prorſus deficiant. Scio ab aliis ſecus intelligi, nempe quod fallant datam Eccleſiæ fidem, nubendo: quum prius eſſent pollicitæ ſe ad mortem uſque cælibes victuras: quod nimis eſt frigidum. deinde cur vocaret *primam fidem?* Vehementius itaque inſurgit Paulus, & mali gravitatem amplificat, quod non tantum ignominia Chriſtum & Eccleſiam afficerent reſiliendo à ſuſcepta conditione, ſed primam quoque fidem impia defectione fallerent. Ita enim fieri ſolet ut qui ſemel pudoris fines tranſiliit, ad omnem impudentiam ſe proſtituat. Male eas habebat, probroſam eſſe ſuam levitatem apud pios, & ſuam ſalacitatem reprimi, aut ſaltem vituperationi eſſe obnoxiam. Hæc illis protervius exultandi erat occaſio, donec Chriſtianiſmum abjicerent. Optime quadrat iſta amplificatio. quid enim magis abſurdum, quam dum volumus perſonis conſulere, januam aperire Chriſti abnegationi? Quod votum perpetui cælibatus hinc ſtabilire volunt Papiſtæ, frivolum eſt. Ut demus ſolitam fuiſſe diſertis verbis interponi talem pactionem: id tamen nihil ad ipſos. Primum conſiderandus eſt finis. non ideo cælibes ſe fore promittebant olim viduæ ut ſanctiorem agerent vitam quam in conjugio: ſed quod non poterant marito & Eccleſiæ ſimul eſſe addictæ. ſub Papatu autem vovetur continentia, quaſi virtus per ſe accepta eſſet Deo. Deinde ea ætate ſe abdicabant tunc nubendi libertate, qua deſierant eſſe nubiles. Sexagenarias enim ad minimum eſſe oportebat, & quæ unico matrimonio contentæ, ſpecimen jam caſtitatis ſuæ dediſſent: nunc autem vota in hoc eduntur apud Papiſtas, ut conjugiis vel ante tempus, vel in medio ætatis fervore renuncient. Duabus autem maxime de cauſis tyrannicam de cælibatu legem improbamus: quod ſcilicet cultum eſſe fingunt coram Deo meritorium, & quod vovendi temeritate præcipitant animas in exitium. Neutrum erat in veteri inſtituto. non edebant directum continentiæ votum, quaſi minus Deo placeret vita conjugalis: ſed tantum quatenus exigebat functio ad quam eligebantur, conjugii vinculo ſe in totam vitam ſolvebant. nec ſe privabant nubendi libertate, niſi quum nubere vel maxime liberis jam abſurdum erat & intempeſtivum. Denique tantum à monialibus differebant iſtæ viduæ, quantum Hanna Prophetiſſa à Claudia Veſtali.

13. *Simul & otioſæ.*] Nihil eſt quod mulieres magis deceat quam domus cuſtodia. unde apud veteres teſtudo honeſtæ & probæ matrisfamilias imago fuit: atqui multæ contrario morbo laborant. Nihil enim eſt quod magis eas delectet quam huc & illuc curſitandi licentia: præſertim ubi exoneratæ familia, nihil habent domi quod agant. Adde quod iſtis viduis, honoris prætextu, quod veluti publicam perſonam gerebant, facilior quovis aditus patebat. Hanc opportunitatem nactæ, beneficio Eccleſiæ abutebantur ad deſidiam. deinde (ut fieri ſolet) ex otio naſcebatur *curioſitas*, quæ ipſa *garrulitatis* eſt mater. Veriſſimum enim eſt illud Horatii, Percontatorem fugito: nam garrulus idem eſt. Omni enim fide curioſos (ut inquit Plutarchus) carere æquum eſt, qui ſimulatque aliquid hauſerunt, nunquam ceſſant donec effutiverint. Præſertim mulieribus hoc contingit, quæ natura jam propenſæ ſunt ad loquacitatem, nulliuſque arcani capaces. Ergo non abs re hæc tria ſimul conjuncta ſunt à Paulo, otium, curioſitas, & garrulitas.

14. Volo igitur juniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare, nullam occaſionem dare adverſario, ut habeat maledicendi cauſam.

15. Nonnullæ enim jam deflexerunt poſt Satanam.

16. Quod ſi quis fidelis, aut ſi qua fidelis habet viduas, ſuppeditet illis, & non oneretur Eccleſia, ut iis quæ veræ viduæ ſunt, ſuppetat.

14. *Volo juniores nubere.*] Rident naſuti homines hoc Apoſtoli præceptum: Quaſi vero (inquiunt) calcar addendum ſit nimis citatæ earum cupiditati. quis enim neſcit omnes fere viduas ſponte nupturire? Superſtitioſi autem homines judicarent hanc nuptialem doctrinam Chriſti Apoſtolo parum congruere. Verum omnibus rite expenſis, agnoſcent ſani homines, Paulum nihil hic niſi neceſſarium & maxime ſalutare tradere. Nam & viduitas multis liberius proterviendi dat facultatem: & ab altera parte ſubinde emergunt ſpiritus in hypocriſi mentientes, qui ſanctimoniam conſtituunt in cælibatu, quaſi Angelica eſſet perfectio: matrimonium vero aut damnant in totum, aut vilipendunt, acſi carnis inquinamentum ſaperet. Pauci ſunt tam ex viris quam mulieribus qui vocationem ſuam reſpiciant. quotuſquiſque eſt virorum qui onus regendæ uxoris libenter ſuſcipiat? quia ſcilicet res eſt innumeris moleſtiis implicita. Quam ægre jugum ſubit mulier? Paulus ergo quum juniores nubere jubet, non ad nuptialem lætitiam eas invitat: nec hortatur ut libidini indulgeant, quum jubet eas liberos gignere: ſed dum ſexus infirmitatem & ætatem lubricam reputat, eas ad caſtum conjugium hortatur, & ſimul ad ſubeunda ſancti conjugii onera. Atque id præſertim facit ne contumelioſa videatur ipſarum rejectio ab ordine viduarum. Significat enim, earum vitam non minus Deo probatum iri ſi œconomiæ dent operam, quam ſi in viduitate maneant. Et ſane Deus ſuperſtitioſas hominum opiniones nihil moratur: ſed hanc obedientiam pluris æſtimat quam omnia, ubi ſuæ vocationi obſequimur potius, quam ferri nos ſinamus

mus

mus animi noſtri voto. Hac conſolatione audita, nihil habent cauſæ cur conquerantur ſibi fieri injuriam, aut moleſte ferant ſe excludi uno genere honoris. Audiunt enim, in vita conjugali non minus ſe placere Deo, quia ejus vocationi pareant. Quum de *liberis gignendis* loquitur, moleſtias omnes ſub uno verbo comprehendit, quæ perferendæ ſunt in educanda ſobole: quemadmodum ſub *domus adminiſtratione*, omnia œconomiæ officia. *Nullam occaſionem dare.* Nam ſicuti maritus uxoris quaſi velamen eſt: ita viduitas multis ſiniſtris ſuſpicionibus eſt obnoxia. Quorſum autem attinet, nulla neceſſitate calumniis armare Euangelii hoſtes? Atqui difficillimum eſt, mulierem viduam, florenti ætate, tam circumſpecte ſibi cavere quin reperiant improbi aliquem obloquendi colorem. Proinde ſi illis eſt cordi ædificatio, ut maledicis hominibus os obſtruant, genus vitæ eligant minus ſuſpicioſum. Communes hic Euangelii adverſarios potius intelligo, quam privatos cujuſque mulieris, quia indefinite loquutus eſt Paulus.

15. *Nonnullæ enim.*] Certum eſt, nullum eſſe tam ſanctum inſtitutum ex quo non aliquid prodeat mali, hominum pravitate. Verum quæ neceſſaria ſunt debent fixa manere, quicquid inde contingat: etiam ſi cœlum rueret. At ubi liberum eſt utramvis partem eligere, prout hoc vel illud eſſe utile, experientia compertum fuerit: etiam quæ ante placuerant, abrogare, prudentiæ eſt: ſicuti in cauſa præſenti. Minus provectæ ætatis mulieres in ordinem viduarum allegi, nihil neceſſe erat: uſus docebat rem eſſe periculoſam & noxiam: merito itaque Paulus in poſterum caveri vult ne quid tale contingat. Quod ſi quarundam defectio ſatis validum illi argumentum fuit ut remedium univerſale quæreret: quam multa hodie Papiſtis argumenta eſſent abolendi impuri ſui cælibatus, ſi quem ædificationis haberent reſpectum? Sed crudelibus impii ac diabolici decreti laqueis malunt ſtrangulari innumeras animarum myriades, quam nodum unum laxare. unde conſtat quam aliena ſit à ſancto Pauli affectu tyrannica eorum ſævitia. *Poſt Satanam.* Notanda loquutio: quia nemo vel tantillum poteſt à Chriſto deflectere quin Satanam ſequatur. nam regnum in omnes habet qui Chriſti non ſunt. Hinc admonemur quam exitialis ſit deflexio à recto curſu, quæ ex Dei filiis nos facit Satanæ mancipia: & à Chriſti gubernatione abductis Satanam nobis ducem præficit.

16. *Si quis fidelis.*] Quia fieri ſolet ut ſinguli propria onera libenter rejiciant in totam Eccleſiam, ideo nominatim id cavendum præcipit. De fidelibus loquitur qui ſuas viduas alere debeant. Nam quæ impiæ cognationi renunciaverant, eas ab Eccleſia ſuſcipi æquum erat. Quod ſi peccant qui ſibi parcentes, Eccleſiam patiuntur ſumptibus gravari: hinc colligamus quanto ſacrilegio ſe implicent qui fraude aut rapinis profanant quod ſemel dicatum erat Eccleſiæ.

17. Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.

Deut. 25. verſ. 4. 18. Dicit enim Scriptura, Non obligabis os bovi trituranti: &, Dignus eſt operarius mercede ſua.

Mat 10 verſ. 10. 19. Adverſus Presbyterum accuſationem ne admittas, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.

20. Peccantes, coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.

21. Conteſtor coram Deo, & Domino Jeſu Chriſto, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias abſque præcipitatione judicii, nihil faciens, alteram in partem declinando.

17. *Presbyteri qui bene.*] Hoc quoque ad retinendum Eccleſiæ ordinem in primis eſt neceſſarium: non negligi Presbyteros, ſed eorum haberi rationem. Quid enim inhumanius quam eos non eſſe curæ, qui totius Eccleſiæ curam gerunt? neque enim hic ætatis nomen eſt πρεσβύτερος, ſed officii. Quod *duplicem honorem* interpretatur Chryſoſtomus victum & reverentiam, non impugno: ſequatur ejus opinionem qui volet. Mihi tamen probabilius videtur, hic fieri comparationem inter viduas & Presbyteros. Prius juſſerat Paulus, honorem haberi viduis: atqui honore digniores ſunt Presbyteri quam illæ: quare his duplex honor earum reſpectu exhibendus. Sed ut oſtendat ſe larvas non commendare, addit, *Qui bene præſunt:* hoc eſt, qui fideliter & ſtrenue incumbunt ſuo muneri. nam ut centies quis locum obtineat, & titulum jactet, niſi munus ſimul exerceat, nullo jure ſtipendiis Eccleſiæ ſe ali poſtulabit. Denique ſignificat non titulo deberi honorem, ſed operæ quam impendunt qui ſunt in officio conſtituti. Præfert tamen eos qui *in verbo & doctrina laborant:* hoc eſt, qui docendo verbo ſunt intenti. Nam duæ iſtæ voces rem unam ſignificant, nempe verbi prædicationem. Sed ne verbi nomine otioſum ſtudium & ſpeculativum (ut vocant) quiſpiam intelligeret, adjecit *doctrinam.* Colligere autem hinc licet, duo fuiſſe tunc Presbyterorum genera: quia non omnes ad docendum ordinabantur. Nam aperte verba ſonant, quoſdam bene & honeſte præfuiſſe: quibus tamen non erant commiſſæ docendi partes. Et ſane ex populo deligebantur graves & probati homines, qui una cum Paſtoribus communi conſilio & auctoritate Eccleſiæ diſciplinam adminiſtrarent, ac eſſent quaſi cenſores moribus corrigendis. Hunc morem Ambroſius obſoleviſſe conqueritur Doctorum ignavia, vel potius ſuperbia, dum ſoli volunt eminere. Nunc ut ad Paulum redeam, victum præcipue ſuppeditari jubet Paſtoribus qui docendo ſunt occupati. Ea enim eſt mundi ingratitudo, ut de fovendis verbi miniſtris non multum ſit ſollicitus: & Satan hac arte tentat doctrina privare Eccleſiam, dum inopiæ & famis metu plurimos abſterret ne id oneris ſuſcipiant.

18. *Non obligabis os* &c.] Præceptum eſt politicum, quod nobis in genere æquitatem commendat: ſicuti in priorem ad Corinthios Epiſtolam diximus. Nam ſi prohibet ne inhumani ſimus brutis animalibus, quanto plus humanitatis exigit erga ipſos homines? Ergo perinde valet hæc ſententia, acſi generaliter diceretur, non eſſe labore alieno abutendum. Triturandi mos hodie multis Galliæ partibus eſt ignotus, ubi flagellis triticum excutiunt: ſoli Provinciales norunt quid ſit triturare. ſed hoc nihil ad ſenſum: quia tantundem de aratione dici poteſt. Quod ſubjicit continuo poſt, *operarium dignum eſſe mercede ſua*, non citat quaſi Scripturæ teſtimonium, ſed quaſi dictum proverbiale, quod omnibus dictat communis ſenſus. Quemadmodum teſtimonium & Chriſtus quum idem dicebat Apoſtolis, nihil aliud quam ſententiam proferebat omnium conſenſu approbatam. Ergo crudeles ſunt & omnis æquitatis immemores, qui jumenta, nedum homines eſurire ſinunt, quorum ſudorem exugunt in ſuum commodum. Quanto autem minus ferenda eorum ingratitudo qui victum Paſtoribus ſuis negant, quibus nullam ſatis dignam mercedem poſſunt rependere?

19. *Adverſus Presbyterum.*] Poſtquam ſtipendia juſſit erogari Paſtoribus, Timotheum etiam admonet, ne ſinat eos infamari calumniis, nec ulla crimi-

natione gravari, niſi quæ nitatur legitimo teſtimonio. Sed poſſet hoc videri abſurdum, quod legem, quæ omnium eſt communis, Presbyteris quaſi pecu-
Deut. 17. liarem facit. Hoc juris in cauſis omnibus Deus præ-
verſ. 6. ſcribit, ut ex ore duorum aut trium teſtium definian-
Mat. 18. tur. Cur ergo hoc quaſi ſingulari privilegio ſolos
verſ. 16. Presbyteros munit Apoſtolus, ut à falſis delationibus tuta ſit eorum innocentia? Reſpondeo, hoc eſſe neceſſarium remedium adverſus hominum malignitatem. Nulli enim calumniis & obtrectationibus magis ſunt obnoxii, quam pii doctores. Præterquam enim quod muneris difficultas facit ut interdum vel ſuccumbant, vel titubent, vel claudicent, vel hallucinentur, unde multas carpendi anſas arripiunt improbi: huc etiam accedit, quod quantumvis exacte fungantur ſuis partibus, ut ne minimum quidem erratum admittant, nunquam mille reprehenſiones effugiunt. Atque hic eſt aſtus Satanæ, alienare hominum animos à Miniſtris, ut doctrina paulatim veniat in contemptum. Ita non tantum fit injuria innocentibus, quod immerito læditur eorum exiſtimatio (quod tamen ipſum perquam indignum eſt in tam honeſto ordine) ſed detrahitur auctoritas ſacroſanctæ Dei doctrinæ. Atque id præcipue (ut dixi) molitur Satan. Neque enim hic tantum valet illud Platonis, Malignum eſſe vulgus, ac præſtantioribus invidere: ſed quo ſincerius quiſque Paſtorum promovere ſtudet regnum Chriſti, eo majore oneratur invidia, & proterviores adverſus eum fiunt inſultus. Jam vero ſimulatque aliqua de verbi miniſtris criminatio exiit, perinde acſi jam convicti forent, certa fide excipitur. Id accidit non tantum quia major ab illis exigitur integritas: ſed quia pleroſque fere omnes Satan ad nimiam crudelitatem inſtigat, ut nulla inquiſitione habita, cupide damnent ſuos Paſtores, quorum tueri famam potius debuerant. Ergo tantæ iniquitati non fruſtra ſe Paulus opponit: ac prohibet ſubjici improborum maledicentiæ Presbyteros, donec legitimis teſtimoniis ſint convicti. Neque enim mirum eſt ſi multos habeant hoſtes, quorum officium eſt, omnium vitia reprehendere, pravis omnium cupiditatibus adverſari, ſeveritate ſua cohibere quoſcunque errare vident. Quid ergo fiet ſi promiſcue audientur quæcunque de illis ſparſæ fuerint calumniæ?

20. *Peccantes argue coram omnibus.*] Quoties bonis cavetur, hoc mali ad immunitatem ſuam arripiunt. Itaque quod de repellendis injuſtis accuſationibus dixerat Paulus, ſic temperat hac ſententia, ne cui tamen impune hoc prætextu peccare liceat. Et ſane videmus quantis & quam multiplicibus privilegiis ſuum clerum munierit Papatus: ut quum nequiſſime vivant, ſint tamen ab omni reprehenſione immunes. Certe ſi cautiones obſerventur quas colligit Gratianus, (cauſa ſecunda, quæſt. 4. item quæſt. 7.) non erit periculum ne unquam ad reddendam vitæ rationem cogantur. Ubi enim ſeptuaginta duo teſtes reperientur, quos in Epiſcopo damnando requirit putidum edictum ſub nomine Sylveſtri? deinde quum totus laicorum ordo ab accuſatione arceatur, in clero etiam minores majoribus prohibeantur moleſtiam facesſere: quid impedit quominus ſecuri judicia omnia rideant? Proinde ſedulo hæc moderatio tenenda eſt, ut coërceantur linguæ petulantes, ne fictis criminibus Presbyteros infament: & tamen ut quiſquis inter eos male ſe geret, ſevere corrigatur. Nam de Presbyteris hoc dictum accipio, palam arguendos eſſe qui diſſolute vivunt. Quare? ut reliqui, dum ne illis quidem parci vident qui gradu & dignitate ſunt ſuperiores, tali exemplo moniti magis timeant. Nam ſicuti honeſtæ vitæ exemplo præire aliis debent Presbyteri: ita ſi delinquunt, ſeveritatem diſciplinæ exerceri erga ipſos convenit quæ omnibus ſit exemplo. Cur enim plus illis indulgeatur licentiæ, quorum peccata longe gravius quam aliorum nocent? Intellige autem quod dicit Paulus de ſceleribus aut flagitioſis peccatis, quæ publicum offendiculum ſecum ferunt. nam ſiquis ex Presbyteris abſque flagitio deliquerit, privatim magis admonendum eſſe certum eſt, quam palam redarguendum.

21. *Conteſtor coram Deo.*] Hæc obteſtatio interpoſita fuit à Paulo, non tantum ut in re maxime ſeria, ſed etiam propter ſummam difficultatem. Nihil enim difficilius quam tanta æquitate exercere judicia, ut neque gratia unquam flectaris, nec ſuſpicionibus des aditum, nec delationibus movearis, nec rigore ſis nimius, nec aliud in omnibus cauſis quam ipſam cauſam reſpicias. Nam inde jus æquabile, quum perſonis clauſi ſunt oculi. Meminerimus autem, hic ſub Timothei perſona admoneri omnes Paſtores: & Timotheum armari veluti clypeo, adverſus pravas omnes ſollicitationes, quæ non raro plurimum negotii ſolent vel optimis quibuſque exhibere. Timotheo igitur Deum ponit ante oculos, ut ſciat non minori religione ſibi adminiſtrandum eſſe ſuum munus, quam ſi ageret in conſpectu Dei & Angelorum. Poſtquam Deum nominavit, addit etiam Chriſtum. nam is eſt cui Pater omnem judicandi poteſtatem detulit, & coram cujus tribunali ſemel apparebimus. Angelos Chriſto adjungit, non tanquam judices, ſed tanquam futuros teſtes negligentiæ, aut temeritatis, aut ambitionis, aut malæ fidei. Adſunt enim ſpectatores, propter injunctam ſibi Eccleſiæ curam. Et ſane pluſquam ſtupidum & ſaxeum eſſe oportet, cui non excutiat torporem & oſcitantiam ſola hæc cogitatio, theatrum Dei & Angelorum eſſe Eccleſiæ gubernationem: ubi vero accedit ſolennis iſta conteſtatio, timorem ac ſollicitudinem duplicari neceſſe eſt. *Electos* vocat *Angelos*, non tantum ut à reprobis diſcernat, ſed excellentiæ cauſa, ut plus reverentiæ habeat eorum teſtimonium. *Abſque præcipitatione.* πρόκριμα Græcis, ſi verbum de verbo exprimas, Latine ſonat Præjudicium. Verum potius ſignificat feſtinationem nimiam, dum re nondum bene perſpecta, temere pronunciamus: aut ſignificat immodicum favorem, quum deferimus perſonis pluſquam æquum eſt, vel alios tanquam eximios, aliis præferimus: quod in judiciis ſemper eſt iniquum. Ergo hic vel levitatem, vel perſonarum acceptionem damnat Paulus. Eodem ſpectat fere quod ſequitur, non eſſe huc vel illuc declinandum. Dici enim vix poteſt quam difficulter ſe retineant qui judicandi munus ſuſtinent, inter tot ac tam varios impulſus. Nonnulli codices habent πρόσκλισιν. Sed prior lectio magis convenit.

22. Manus cito ne cui imponas: neque communices peccatis alienis. temetipſum purum cuſtodi.

23. Ne poſthac bibas aquam, ſed paululo vino utere propter ſtomachum tuum, & crebras tuas infirmitates.

24. Quorundam hominum peccata ante manifeſta ſunt, feſtinantia ad judicium: in quibuſdam vero etiam ſubſequuntur.

25. Similiter & bona opera ante manifeſta ſunt: & quæ ſecus habent, latere nequeunt.

22. *Manus*

22. *Manus cito ne cui imponas.*] Non dubium eſt quin depellere à Timotheo invidiam voluerit, & obviam ire multis querimoniis, quæ ſubinde oriuntur adverſus pios Chriſti ſervos, qui ambitioſis quorumvis precibus obſequi recuſant. Nam alii moroſitatis eos inſimulant, alii invidiæ, nonnulli etiam crudeles eſſe clamitant, quia non ſtatim admittant qui ſe vendicant qualicunque commendatione: quod hodie plus ſatis experimur. Paulus ergo Timotheum hortatur ne à gravitate diſcedat, nec ſe patiatur vinci præpoſteris ſtudiis: non tam quod opus haberet Timotheus ejuſmodi admonitione, quam ut ſua auctoritate compeſcat, qui alias ipſi Timotheo moleſti eſſe poterant. Primum impoſitio manuum ordinationem ſignificat: hoc eſt, ſignum pro re ipſa capitur. Prohibet enim ne quem minus adhuc probatum, nimia facilitate admittat. Sunt enim qui novitatis ſtudio promoveri cuperent vel ignotiſſimum quemque, ſimulatque ſpecimen unum vel alterum ediderit quod arrideat. Huic importunæ cupiditati gravem & prudentem Epiſcopum reſiſtere convenit: quemadmodum hic Paulus jubet Timotheum facere. *Neque communices.* Significat eodem implicari reatu qui illicitæ promotioni aſſentitur, atque ipſos præcipuos auctores. Quanquam ita exponunt quidam: ſi indignos admittat, quicquid poſtea deliquerint, culpam illi aut culpæ partem imputatum iri. Sed mihi hoc videtur ſimplicius, Etiamſi in hanc temeritatem alii prorumpant, noli te illis ſocium addere, ne ſimul reus fias. Sæpe enim accidit, ut nos, etiam recte alioqui ſentientes, abripiat aliorum ſtultitia & levitas. Huc etiam refero quod continuo poſt ſequitur, *Temetipſum purum cuſtodi:* acſi dixiſſet, Si quid perperam fiat ab aliis, vide ne ulla ex conſenſu vel approbatione contagio ad te perveniat. Si impedire non potes quominus ſe polluant, ſaltem tua conſilia ab illis conſtanter ſeparata eſſe convenit, quo purum te ſerves. Si quis generalem eſſe malit ſententiam, fruatur ſuo ſenſu: ſed magis conſentaneum eſt, meo judicio, ad circumſtantiam præſentis loci reſtringere.

23. *Ne poſthac bibas aquam.*] Quoniam hæc ſententia contextum abrumpit, quidam non eſſe Pauli ſuſpicantur. Atqui videmus Paulum non adeo fuiſſe curioſum in texenda orationis ſerie: atque hoc illi non eſſe infrequens ut diverſas ſententias abſque ordine permiſceat. Deinde fieri poteſt, ut quod ſcripta jam Epiſtola appoſitum fuerat extra ordinem verſuum, deinde librariorum errore in hunc locum obrepſerit. In eo tamen non ita anxie laborandum eſt, ſi illum quem dixi Pauli morem conſideramus: nempe quod res varias interdum miſcere ſolet. Porro ſumma eſt, ut Timotheus aliquantulum vini bibere aſſueſcat, valetudinis ſuſtentandæ cauſa. Non enim prohibet in totum ne bibat aquam, ſed ne utatur hoc ordinario poto. nam verbum ὑδροποτεῖν hoc ſignificat. Sed cur non ſimpliciter conſulit ut bibat vinum? Videtur enim, quum Pauxillum addit, velle obviam ire intemperantiæ: quod non fuit verendum in Timotheo. Reſpondeo, hoc potius fuiſſe expreſſum ut occurreret improborum calumniis, quibus promptum alioqui fuiſſet ejus conſilium ſubſannare, hoc ſcilicet colore, aut ſimili, Qualis iſthæc eſt philoſophia, quæ ad potandum vinum incitat? hæccine via eſt qua in cælum conſcenditur? Ut ejuſmodi ſannas præveniat Apoſtolus, teſtatur ſe neceſſitati duntaxat conſulere: & mediocritatem ſimul commendat. Apparet autem Timotheum non frugalem tantum in victu, ſed etiam auſterum fuiſſe: ut qui ne valetudini quidem ſuæ parceret. Ac certum eſt neque ambitione id ab eo, neque ſuperſtitione fuiſſe factum. Unde colligimus, non modo à luxu & deliciis fuiſſe alieniſſimum: ſed quo ſolutior eſſet ad opus Domini, aliquid etiam ex ordinariis alimentis reſcidiſſe. Neque enim natura, ſed continentiæ ſtudio erat abſtemius. At quam pauci hodie ſunt quibus neceſſe ſit aqua interdicere: quam multi vero qui reſtringendi ſint ad ſobrium vini potum? Porro hic apparet quam ſit neceſſe nobis etiam ubi recte agere cupimus, Spiritum prudentiæ à Domino petere, qui nos mediocritatem doceat. Rectum quidem ſcopum Timotheus ſpectabat: ſed quia reprehenditur à Spiritu Dei, exceſſum auſteri victus cognoſcimus in eo fuiſſe vitioſum. Simul traditur generalis regula, Sic in cibo & potu temperandum nobis eſſe, ut ſinguli valetudinis ſuæ rationem habeant, non vitæ prorogandæ cauſa, ſed ut quamdiu vivunt, Deo & proximis frugi ſint atque utiles. Quod ſi improbatur nimia continentia, dum morbos acceſſit vel fovet, quamvis abſit ſuperſtitio: quo loco habenda erit Cartuſianorum obſtinatio, quibus mori ſatius eſt quam in extrema neceſſitate pauxillum carnis guſtare? quod ſi parcis & ſobriis præcipitur ne valetudinem gravent nimia parſimonia, non levis pœna intemperantes manet, qui vires ſuas, ingluviem farciendo, opprimunt. Nec vero monendi ſunt, ſed tanquam brutæ pecudes à pabulo arcendi.

24. *Quorundam hominum peccata.*] Quoniam nihil eſt quod magis excruciet fideles Eccleſiæ miniſtros, quam ubi malis corrigendis nullam vident rationem: ubi coguntur ferre hypocritas, quorum nequitiam intelligunt: multos qui ſunt noxiæ peſtes, nequeunt arcere ab Eccleſia, ac ne impedire quidem quominus clandeſtinis artibus venenum ſuum ſpargant: hac conſolatione ſuſtentat Paulus Timotheum, fore ut aliquando, ubi Deo viſum fuerit, protrahantur in medium. Ita ad tolerantiam eum confirmat: quia æquo animo expectanda eſt opportunitas, quam Deus pro ſua ſapientia præſtituit. Miro etiam probos & ſanctos Paſtores torquet altera indignitas, quod ubi ſumma integritate officio perfuncti ſunt, multis iniquis ſermonibus perſtringuntur, onerantur multiplici invidia, vident rapi in contrariam partem quæ laudem merebantur. Hac etiam ex parte ſubvenit Paulus, quum admonet Timotheum, quibuſdam bonis operibus lucem in aliud tempus reſervari. Itaque ſi laus eorum quaſi ſub terram defodiatur hominum ingratitudine, id quoque placido animo eſſe ſuſtinendum donec revelationis tempus adveniat. Quanquam non his ſolum malis medetur: ſed quia nos ſæpe falli contingit in eligendis Miniſtris, dum ſe indigni aſtute inſinuant, boni autem nobis ſunt ignoti: deinde etiamſi non erremus ipſi judicando, non tamen aliis probare judicium noſtrum poſſumus: ſed qui optimi ſunt, repudiantur, nobis contra nitentibus: mali autem vel obrepunt, vel ſe obtrudunt: fieri non poteſt quin nos magnopere angat noſtra & Eccleſiæ conditio. Itaque Paulus in offenſione vel tollenda, vel ſaltem ſublevanda laborat. Hæc igitur ſumma ſit, ferenda eſſe quæ ſtatim corrigi nequeunt, gemendum ubi nondum remedio idoneum eſt tempus, morbis non eſſe vim adhibendam donec vel maturuerint, vel patefacti ſint: rurſus quoties virtuti non habetur ſuus honor, expectandum eſſe maturum revelationis tempus, ac tolerandum eſſe mundi ſtuporem, ac quieſcendum eſſe in tenebris donec illuceat dies. Venio nunc ad verba, poſtquam rem breviter complexus ſum. Quum dicit *peccata quorundam hominum ante manifeſtata eſſe*, intelligit mature patefieri, & quaſi ante tempus prodire in notitiam hominum. Et hoc ſimilitudine exprimit, quaſi currendo feſtinent ad ſuum judicium. Videmus enim ut multi præcipites ruant, ſponteque accerſant ſibi damnationem, etiamſi totus mundus ſalvos cupiat. Quoties autem id accidit, ſuccurrat nobis, arcano Dei providentiæ motu inſtigari reprobos ut ſpumas ſuas projiciant. *In quibuſdam ſubſequuntur.* Quod Eraſmus vertit, Quoſdam ſubſequuntur, non recipio. Tametſi videtur id Græcæ

cun-

conſtructioni magis quadrare, ſenſus tamen poſtulat ut ſubaudiatur particula ᾗ. caſus enim mutatio non tollit antitheſin. Nam ſicuti dixerat quorundam peccata celeriter ad judicium ſuum feſtinare: quorundam (vel aliorum) tardius venire in notitiam, ita nunc econverſo addit. Sed loco genitivi, poſuit dativum, In aliis. Significat autem, utcunque diutius quam optemus lateant quorundam peccata, & tarde proferantur in lucem, non tamen perpetuo fore occulta. nam & ipſa tempus ſuum habebunt. Quod ſi tamen magis placeat Eraſmi verſio, idem maneat ſenſus neceſſe eſt: nempe quamvis non properet Dei vindicta, à tergo tamen lente ſubſequi.

25. *Similiter & bona.*] Significat, interdum pietatem & alias virtutes mature ac tempeſtive ſuam laudem apud homines habere, ut in pretio ſint boni. Quod ſi ſecus accidat, non tamen paſſurum Dominum ut perpetuo opprimatur innocentia & integritas. ſæpe enim calumniis, tanquam nubibus, obſcuratur: ſed tandem impletur illud, Deum facere ut refulgeat inſtar auroræ. verum animo tranquillo opus eſt ad ſuſtinendum. Homines enim ſumus: itaque ſemper videndum quem modum habeat noſtra cognitio, ne ultra progrediamur: nam id eſſet Dei officium nobis arrogare.

Deut. 12. verſ. 3. Mat. 13. verſ. 43.

CAP. VI.

QUicunque ſub jugo ſunt ſervi, ſuos dominos omni honore dignos exiſtiment: ut ne Dei nomen & doctrina blaſphemetur.

2. Qui autem fideles habent dominos, ne deſpiciant eo quod fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quod fideles ſint & dilecti, & beneficentiæ participes.

Apparet, initio Euangelii ſervos, quaſi dato manumiſſionis ſigno, animos ſuſtuliſſe. nam paſſim multum laborat Paulus in cupiditate illa frenanda. Et ſane tam dura erat ſervitutis conditio, ut non mirum ſit fuiſſe in primis odioſam. Porro uſitatum eſt, arripere in carnis noſtræ commodum quicquid habet minimam ſpeciem. Ita quum audiebant, omnes nos eſſe fratres, protinus inferebant, indignum eſſe ut fratrum eſſent mancipia. Verum ut nihil tale veniſſet illis in mentem, ſemper tamen miſeris hominibus neceſſaria eſt conſolatio, quæ temperet ærumnarum acerbitatem. Deinde non ſine difficultate adduci poterant ut libenter & alacri animo, tam aſpero jugo ſubjicerent cervices. Huc igitur ſpectat præſens doctrina.

1. *Quicunque ſub jugo &c.*] Quia ſibi quiſque præſtantiam falſa opinione arrogat, nemo eſt qui æquo animo ferat, alios ſibi imperare. Qui effugere neceſſitatem nequeunt, parent illi quidem inviti ſuperioribus: ſed intus fremunt & indignantur, quia ſibi putant fieri injuriam. Omnes ejuſmodi diſputationes uno verbo præcidit Apoſtolus, quum voluntariam ſubjectionem exigit ab omnibus qui ſub jugo ſunt. Significat enim non eſſe inquirendum ſintne digni tali fortuna an meliore: quia ſufficiat, hac conditione eſſe obſtrictos. Et quum præcipit ut *dignos honore exiſtiment dominos* quibus ſerviant: non modo fidem & diligentiam in præſtandis obſequiis requirit, ſed ut eos ſuſpiciant & venerentur ex animo tanquam in altiore gradu collocatos. Nemo enim vel Principi vel domino præſtat quod debet, niſi eminentiam inſpiciens ad quam illos Deus evexit, honore ideo proſequitur, quia illis ſubeſt. Nam utcunque ſæpe indigni ſint, ipſa tamen præfectura qua dignatur ipſos Deus, honorem ſemper meretur. Adde quod nullus operam ſuam vel obſequia domino ſponte impendet, niſi perſuaſus fuerit ſe debere. Unde ſequitur, ſubjectionem ab hoc honore incipere quo Paulus dignos vult cenſeri. *Ne Dei nomen.* Semper in noſtrum commodum pluſquam oporteret ingenioſi ſumus. Ita ſervis, ſi infideles habeant dominos, prompta eſt objectio, indignum eſſe ut qui diabolo ſerviunt, imperent filiis Dei. Paulus autem in contrariam partem retorquet argumentum, ideo infidelibus dominis parendum eſſe ne male audiat nomen Dei & Euangelium: quaſi Deus ille quem colimus, ad rebellandum nos incitet: quaſi Euangelium contumaces reddat & præfractos qui aliis ſubjecti eſſe debent.

2. *Qui autem fideles.*] Fraternum nomen videtur æqualitatem ſtatuere, atque ita tollere dominium. Paulus ex adverſo ratiocinatur, eo libentius debere ſervos fidelibus dominis ſe ſubjicere, quia filios Dei agnoſcunt, & fraterno amore illis ſunt devincti, & ejuſdem gratiæ conſortes. Neque enim vulgaris eſt iſta dignatio, quod Deus nos terrenis heris in eo quod præcipuum eſt, æquavit: nam communem ſimul adoptionem habent. Hoc ergo non leve illis incitamentum eſſe debet ad ſervitutem æquo animo ferendam. Adde quod ſervitus magis tolerabilis eſt ſub manſuetis heris, qui nos diligunt, & quos mutuo diligimus. Ipſum etiam fidei vinculum optime inter ſe conciliat quibus diverſa eſt conditio.

Hæc doce & exhortare.

** vel alia.* 3. Si quis * aliter docet, nec acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ,

4. Inflatus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oritur invidia, contentio, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ,

5. Supervacuæ conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. ſejungere à talibus.

Hæc doce.] Intelligit hæc eſſe quibus docendis inſiſtere debeat, & doctrinæ vult exhortationes conjungi. Perinde ergo eſt acſi dixiſſet, quotidie inculcandum eſſe hoc doctrinæ genus: nec docendos modo eſſe homines, ſed exhortationibus quoque aſſiduis ſtimulandos ac urgendos.

3. *Si quis aliter.*] Quia verbum eſt compoſitum, poteſt etiam non male transferri, Alia docet. quanquam in ſenſu nulla eſt ambiguitas. Damnat enim eos omnes qui in hac docendi ratione non conveniunt: etiamſi non aperte neque ex profeſſo oppugnent ſanam doctrinam. Fieri enim poteſt ut qui nullum alioqui profitetur impium vel manifeſtum errorem, futili tamen garrulitate ſe venditando, pietatis doctrinam adulteret. Nam ubi in ipſa doctrina profectus nullus apparet, nullaque ædificatio, jam à Chriſti inſtituto diſceditur. Quum autem non de profeſſis impiorum dogmatum auctoribus loquatur Paulus, ſed de vanis doctoribus ac profanis, qui ambitione ſua vel avaritia ſimplicem & genuinam pietatis doctrinam deformant: videmus tamen quam acriter ac ſevere invehatur adverſus eos. nec mirum:

dici

Digitized by Google

dici enim vix poteſt quantum noceat fucoſa, & prorſus ad oſtentationem & inanem pompam compoſita prædicatio. Verum quos perſtringat, melius patet ex contextu. nam quod proxime ſequitur, *nec acquieſcat ſanis ſermonibus*, exegeticum eſt. Fieri enim ſolet ut ejuſmodi homines præpoſtera curioſitate abrepti, quicquid utile eſt ac ſolidum, deſpiciant: itaque inſtar petulantium equorum, ſine ratione laſciviunt. id vero quid aliud eſt quam reſpuere *ſanos Chriſti ſermones*? nam ſani vocantur ab effectu, quia ſanitatem nobis conferant, vel apti ſint ad eam fovendam. Idem ſignificat *doctrina quæ ſecundum pietatem eſt*. Neque enim pietati conſeotanea erit, niſi in timore cultuque Dei nos inſtituat, niſi fidem noſtram ædificet, niſi ad patientiam, humilitatem, omnia charitatis officia nos erudiat. Ergo quiſquis utilter docere non ſtudet, ſecus docet quam oportebat: imo nec pia, nec ſana eſt doctrina quocunque colore fulgeat, quæ ad profectum audientium non tendit. Tales primum ſuperbiæ damnat Paulus, & quidem inanis & ventoſæ: deinde quia nulla excogitari poteſt aptior ad caſtigandos ambitioſos pœna, quam dum inſcitiæ damnatur totum id quo ſibi placent: Paulus eos *nihil ſcire* pronunciat, utcunque multis argutiis turgeant. Nihil enim habent ſolidum, ſed meros tantum flatus. Et ſimul pios omnes admonet, ne ſe ventoſa iſta oſtentatione efferri patiantur quominus in Euangelii ſimplicitate defixi maneant.

4. *Sed languens.*] Eſt obliqua antitheſis inter ſanitatem doctrinæ Chriſti ac languorem iſtum. Nam quum multum diuque ſe fatigaverint ſubtiles iſti quæſtionarii, quem tandem fructum reportant ex ſuo labore, niſi quod ſubinde creſcit morbus? Ita non fruſtra tantum ſe macerant, ſed languorem contrahunt ex perverſa ſua curioſitate. ſequitur ergo longe abeſſe ut rite proficiant, quemadmodum oportebat Chriſti diſcipulos. *Quæſtiones & verborum pugnas* non abs re ſimul conjungit: priore enim vocabulo non quaſvis quæſtiones ſignificat quæ vel ex ſobrio moderatoque dicendi ſtudio naſcuntur, vel ad puram rerum utilium explicationem faciunt: ſed quales hodie in Sorbonicis ſcholis agitantur ad oſtendandum acumen. Illic quæſtio quæſtionem parit: quia nullus eſt modus, ubi quiſqiam plus ſcire quam expediat appetens, ſuæ vanitati indulget: hinc poſtea emergunt infinitæ rixæ. Quemadmodum enim craſſæ in calore nubes non ſine tonitru diſcutiuntur: ita neceſſe eſt ut ſpinoſæ iſtæ quæſtiones in certamina ebulliant. Cæterum λογομαχίας nominat contentioſas diſputationes de verbis magis quam de rebus, vel (ut vulgo loquuntur) ſine materia, aut ſubjecto. Nam ſi quis diligenter expendat quæcunque inter ſophiſtas fervent contentiones, deprehendet non ex rebus eas provenire, ſed ex nihilo eas excludi. In ſumma, quæſtiones omnes damnare voluit Paulus quæ nos ad nihili contentiones acuunt. *Ex quibus oritur invidia.* Ab effectis demonſtrat quantopere fugienda ſit ambitioſa ſciendi cupiditas. mater enim invidiæ eſt ambitio. Ubi autem regnat invidia, illic ſimul fervent convitia, rixæ, & reliqua mala quæ hic à Paulo numerantur. Addit, talibus *corruptam eſſe mentem, & eſſe veritate privatos*. Porro certum eſt hic taxari ſophiſtas, qui poſthabita ædificatione, verbum Dei in artem ſubtiliter diſſerendi & frivolas argutias convertunt. Si tantum oſtenderet Apoſtolus, inutilem reddi hoc modo ſalutis doctrinam, jam iſta eſſet minime tolerabilis profanatio: ſed longe gravior ac vehementior eſt iſta reprehenſio, quod tam perniciuſa mala quæ inde manant, & tam noxias peſtes recenſet. Ex hoc itaque loco diſcamus ſophiſticen deteſtari ut rem Eccleſiæ Dei magis peſtiferam quam ſatis credi poſſit.

5. *Quæſtum eſſe pietatem.*] Sic reſolve, Pietatem eſſe quæſtum, vel artem quæſtuoſam: quia ſcilicet totum Chriſtianiſmum lucro metiuntur. Perinde enim acſi non alium in finem prodita fuiſſent Spiritus ſancti oracula, quam ut eorum avaritiæ ſervirent, tanquam merce venum expoſita, negotiantur. Cum talibus vetat Paulus ſervos Chriſti quicquam habere commercii. Neque enim modo Timotheum jubet eſſe diſſimilem, ſed eos fugere quaſi noxias peſtes. Nam etſi palam non adverſentur Euangelio, quin potius falſa ejus profeſſione ſe jactent: contagioſa tamen eſt eorum ſocietas. deinde ſi nos vulgus hominum familiares illis eſſe videat, periculum eſt ne ſe amicitiæ noſtræ prætextu inſinuent. Summa igitur danda eſt à nobis opera, ut omnes intelligant adeo nos eſſe ab illis alienos, ut nihil nobiſcum habeant commune.

6. Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.

7. Nihil enim intulimus in mundum: certum quod neque efferre quicquam poſſumus.

8. Habentes autem alimenta & tegmina, his contenti erimus.

9. Nam qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas ſtultas & noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum.

10. Radix enim omnium malorum eſt avaritia: cui addicti quidam, aberrarunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis.

6. *Eſt autem quæſtus.*] Eleganter non ſine ironica correctione in contrarium ſenſum eadem verba mox retorquet: acſi dixiſſet, Perperam illi & nequiter, qui venalem habent Chriſti doctrinam: quaſi vero pietas eſſet quæſtus. quanquam certe, ſi quis recte æſtimet, pietas magnus eſt ac uberrimus quæſtus. Ideo autem ſic vocat, quod plenam & abſolutam beatitudinem nobis affert. Sacrilegi ergo illi, qui lucro nummario addicti, pietatem conferunt ad ſuum quæſtum. Nobis autem pietas ſatis magnum per ſe lucrum eſt: quia per eam conſequimur non tantum ut ſimus hæredes mundi, ſed etiam ut fruamur Chriſto omnibuſque ejus divitiis. *Cum ſufficientia.* Tam ad affectum animi, quam ad rem ipſam referri poteſt. Si ad animum referas, ſenſus erit, pios, dum nihil appetunt, ſed contenti ſunt ſua tenuitate, ſatis magnum lucrum eſſe conſequutos. Si rerum ſufficientiam accipias (quod mihi non minus arridet) erit promiſſio, qualis illa Pſal. 34. v. 11. Leones eſuriunt, & famelici vagantur: qui autem Dominum inquirunt, non deſtituentur omni bono. Semper enim adeſt ſuis Dominus: & quantum illorum neceſſitati ſufficit, ex ſua plenitudine ſuum cuique demenſum erogat. Ita vera felicitas in pietate ſita eſt: hæc vero ſufficientia veluti quoddam eſt auctarium.

7. *Nihil enim intulimus in mundum.*] Hoc ad finiendum ſufficientiæ modum addidit. Gurges eſt inexplebilis noſtra cupiditas, niſi coërceatur: hoc autem optimum frenum, ſi nihil plus appetamus quam poſtulat vitæ hujus neceſſitas. Nam ideo fines tranſilimus, quia ad mille vitas quas falſa imaginatione concipimus, ſollicitudo noſtra ſe extendit. Nihil eſt magis vulgare, nihil etiam magis confeſſum hac Pauli ſententia. verum ſimulatque omnes confeſſi fuerint, quod etiam oculis quotidie cernitur: unuſquiſque votis immenſa latifundia non ſecus abſorbet, quam ſi alvum haberet dimidii mundi capacem. Atque hoc eſt, quod habetur Pſal. 49. v. 14.

Quum

Quum ſtultitia patrum appareat in eo quod ſperabant bic ſe perpetuo manſuros, nihilominus poſteros illorum viam approbare. Ergo ut conſtet nobis ſufficientia, diſcamus animum ita compoſitum habere, ne plus appetamus quam quod ad tolerandam vitam neceſſarium eſt. Quum *alimenta & tegmina* nominat, delicias & abundantem copiam eacludit. Natura enim parvo contenta eſt: ſuperfluum autem, quicquid eauperat naturalem uſum. non quod liberalior uſus per ſe damnari debeat: ſed appetitus ſemper vitioſus eſt.

9. *Qui volunt diteſcere.*] Poſtquam ad continentiam hortatus eſt ac divitiarum contemptum, nunc admonet quam pernicioſa ſit babendi cupiditas, ac præſertim in Eccleſiæ miniſtris de quibus nominatim bic tractat. Non ſunt autem divitiæ, malorum quæ hic commemorat, cauſa: ſed appetitus, etiamſi quis alias ſit pauper. Nec vero Paulus tantum quid plerumque accidere ſoleat, ſed quid perpetuo accidere neceſſe ſit docet. Quiſquis enim hoc habet propoſitum ut diteſcat, diabolo ſe captivum tradit. Veriſſimum eſt illud Ethnici Poetæ, Qui dives fieri vult, & cito vult fieri. unde ſequitur, omnes qui feruntur ad divitias eapetendas, præcipites ruere. hinc etiam ſtultæ illæ, imo inſanæ cupiditates, quæ tandem eos in exitium demergunt. Hoc quidem malum eſt univerſale: ſed in Eccleſiæ Paſtoribus magis conſpicuum eminet. Ita enim eos dementat avaritia, ut nihil quantumvis abſurdum refugiant, ſimulatque auri fulgor vel argenti oculos perſtrinxit.

10. *Radix enim malorum.*] Non eſt cur in aliorum vitiorum comparatione nimis ſcrupuloſe laboremus. Certum eſt, ambitionem ac ſuperbiam ſæpe deteriores proferre fructus: atqui non provenit ex avaritia ambitio. De libidine Venerea idem poteſt dici: ſed Pauli conſilium non fuit, quæcunque nominari poſſint vitiorum ſpecies, eas ſub avaritia includere. Quid igitur? ſimpliciter intellexit, infinita mala inde oriri: quemadmodum vulgo loquimur, nihil eſſe malorum quod non pariat vel diſcordia, vel gula, vel ebrietas, vel aliud quodvis ſimile vitium. Et profecto de ſcelerata babendi cupidine veriſſime boc prædicare licet, nollam eſſe malorum ſpeciem quæ oon ab ea quotidie ſcaturiat: ut ſunt innumeræ fraudes, fallaciæ, perjuria, circumventiones, rapinæ, crudelitas, corruptelæ in judiciis, lites, odia, veneficia, cædes: denique omnes fere nocendi artes. Similes paſſim ſententiæ apud profanos ſcriptores occurrunt. Quare improbe faciunt quidam, hyperbolice hoc à Paulo dictum inſimulantes, qui Horatio vel Ovidio applauderent ſic loquenti. Utinam vero non comprobaret quotidiana experientia, rem ipſam ut eſt ſimpliciter fuiſſe indicatam. Sed meminerimus eadem ſcelera quæ ab avaritia manant, poſſe etiam vel ab ambitione vel aliis pravis affectibus oriri, ut certe oriuntur. *Cui addicti quidam.* Græca loquutio impropria eſt quum dicit, appeti avaritiam: ſed quæ ſenſum nihil obſcurat. Malum enim omnium atrociſſimum ab avaritia naſci pronunciat, defectionem à fide. Nam qui laborant hoc morbo, paulatim degenerant, donec abjiciant penitus fidem. Hinc *dolores* illi quos commemorat: quo nomine intelligo dira conſcientiæ tormenta quæ ſolent deſperatis hominibus accidere. quanquam aliis quoque præludiis avaros Deus exercet, dum ſibi ſunt ipſi carnifices.

11. Tu vero, ô homo Dei, hæc fuge: ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.

12. Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam, ad quam etiam vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.

* vel, *præcipio.* 13. * Denuncio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu qui teſtificatus eſt bonam confeſſionem coram Pontio Pilato,

14. Ut ſerves mandatum immaculatus & irreprehenſibilis, uſque ad revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti:

15. Quam ſuis temporibus manifeſtabit beatus & ſolus Princeps, Rex regnantium, & Dominus dominantium,

16. Qui ſolus habet immortalitatem, qui lumen habitat inacceſſum, quem vidit nullus

* vel *imperium.* hominum, nec videre poteſt. cui honor & * potentia æterna. Amen.

11. *Tu vero, ô homo Dei, hæc fuge.*] Hominem Dei vocando, pondus addit cobortationi. Porro ſi ad proximam ſententiam reſtringere placet quod de *ſectanda juſtitia, pietate, fide, patientia* præcipit, remedium opponit corrigendæ avaritiæ, admonens ſcilicet quales appetere divitias debeat, nempe ſpirituales. Poteſt tamen ad alia quoque membra extendi hæc præceptio, ut ſe ab omni vanitate ſubducens Timotheus, illam quæ nuper damnata eſt, [illegible] fugiat. Nam qui neceſſariis ſtudiis erit intentus, ſupervacuis facile abſtinebit. Nominat autem quaſdam virtutum ſpecies exempli cauſa, ſub quibus alias etiam intelligere convenit. Ergo quiſquis juſtitiæ ſtudio tenebitur, & ad pietatem, fidem, charitatem aſpirabit, tolerantiam & manſuetudinem ſectabitur: fieri non poterit quin ab avaritia ejuſque fructibus abhorreat.

12. *Certa bonum certamen.*] Quemadmodum in

2 *Tim.* 2. *verſ.* 4. proaima Epiſtola dicet, Qui militiæ nomen dedit, non implicatur alienis à ſua profeſſione negotiis. Itaque ut Timotbeum retrahat à nimia rerum terreſtrium cura, certandum eſſe admonet. Nam inde ſecuritas & indulgentia, quod major pars in otio quaſi per luſum Cbriſto ſervire vult, quum ſervos omnes ſuos Chriſtus ad militiam vocet. Quo autem eum animet ad obeundum fortiter ejuſmodi certamen, bonum appellat: hoc eſt, felix, & ideo minime fugiendum. Nam ſi dubio eventu & cum mortis periculo pugnare non dubitant terreni milites, quanto meliore animo certare nos convenit ſub Chriſti auſpiciis & vexillo, poſtquam de victoria certi ſumus? Præſertim quum nos præmium maneat, non quale militibus ſuis perſolvere ſolent alii imperatores: ſed glorioſa immortalitas, & cæleſtis beatitudo. Indignum ſane foret, tali ſpe propoſita nos fatigari vel labaſcere. atque id eſt quod continuo poſt ſubjicit, *Apprehende vitam æternam.* perinde enim eſt acſi diceret, Deus ad vitam æternam te vocat: igitur contempto mundo, illuc enitere. Apprehendere autem quum ipſam jubet, vetat in medio curſu ceſſare aut pigreſcere. acſi diceret, nihil actum eſſe donec futuram vitam adepti ſimus ad quam nos Deus invitat. Sic & Philip. cap. 3. v. 12. ſe ulterius eniti prædicat, quia nondum apprehenderit. Sed quia temere & fruſtra curretent homines niſi Deum baberent ſui curſus auctorem, incitandæ alacritatis cauſa, meminit etiam *vocationis*. Nibil eſt enim quod plus animi facere nobis debeat, quam dum audimus nos à Deo vocatos. Nam inde colligimus, non irritum fore laborem noſtrum cui præeſt Deus, & in quo nobis manum porrigit. Jam & iſta eſſet gravis exprobratio, Dei vocationem repudiaſſe. Quare bic acerrimus

ſtimulus

ſtimulus eſſe debet, Deus te ad vitam æternam vocat: cave ne alio abſtraharis, aut alioqui deficias priuſquam eam fueris conſequutus. *Et confeſſus bonam confeſſionem.* Commemoratione etiam ſuperioris vitæ magis ad pergendum ſtimulat. Turpius enim eſt deficere poſtquam recte cœperis, quam nunquam cœpiſſe. Ergo hoc argumento acuit Timotheum, quod ſtrenue & cum laude hactenus ſe geſſerit: ut primis ultima reſpondeant. Confeſſionem intelligo non verbis conceptam, ſed potius reipſa editam: neque id ſemel duntaxat, ſed in toto miniſterio. Senſus ergo eſt, Habes præclaræ tuæ confeſſionis multos teſtes cum Epheſi tum in aliis regionibus, qui te fideliter & ſerio in Euangelii profeſſione verſantem ſpectarunt. Quamobrem tali ſpecimine edito, jam tibi non licet, niſi cum ſummo pudore & dedecore, alium te præſtare quam egregium Chriſti militem. Hinc generaliter docemur, ut quiſque noſtrum magis excellit, minus eſſe excuſabilem ſi deficiat, magiſque ad recte pergendum Deo obſtrictum eſſe.

13. *Denuncio tibi.*] Tanta obteſtationum vehementia qua Paulus utitur, argumento eſt quam difficilis ſit ac rara virtus, perſtare in Euangelii miniſterio ut decet, uſque ad extremum. Tametſi enim alios quoque hortatur ſub Timothei perſona: ſimul tamen eum compellat. Porro quæ de Chriſto & Deo prædicat, ex circumſtantia præſentis cauſæ dependent. Nam quum Deo hoc tribuit quod *vivificet omnia*, vult occurrere crucis offendiculo, quæ nihil quam mortis ſpeciem præ ſe fert. Oculos ergo claudendos eſſe ſignificat, ubi mortem oſtentant ac minantur impii: vel potius in Deum ſolum eſſe defigendos, quia ipſe eſt qui mortuos reſtituit in vitam. Summa huc tendit, ut omiſſo mundi intuitu, in ſolum Deum reſpicere diſcamus. Quod de *Chriſto* mox ſubjicit, continet eximiam confirmationem. Admonemur enim, non ſub Platone aliquo nos philoſophari, qui otioſas diſputationes in umbra tractet: ſed doctrinam quam profitetur, morte Filii Dei ſancitam eſſe. Non enim multis verbis Chriſtus ſuam *confeſſionem ſub Pilato*, ſed reipſa (voluntariam ſcilicet mortem obeundo) aſſeruit. Nam etſi tacere Chriſtus coram Pilato maluit, quam pro ſua defenſione verbum facere, quia certæ damnationi jam devotus illuc venerat: in ejus tamen ſilentio æque magnificum patrocinium doctrinæ fuit, acſi clamoſe eam tutatus foret. Nam ſuo illam ſanguine & mortis ſacrificio melius quam voce ſancivit. Hanc vocat *bonam* confeſſionem. Nam Socrates quoque mortuus eſt: neque tamen mors ejus legitima fuit doctrinæ quam tenebat, comprobatio. At quum audimus fuſum eſſe ſanguinem Filii Dei, illud ſacroſanctum eſt ſigillum quod omni dubitatione nos eximit. Ergo quoties vacillant animi, meminerimus à Chriſti morte confirmationem eſſe ſubinde petendam. Cujus enim ignaviæ foret, talem ducem nobis præeuntem deſerere.

14. *Ut ſerves mandatum.*] Nomine Mandati ſignificat quæ hactenus de officio Timothei diſſeruit: quorum hæc fuit ſumma, ut ſe fidelem Chriſto & Eccleſiæ miniſtrum præberet. Quid enim opus eſt hoc extendere ad totam Legem? niſi forte ſimpliciter accipere quis malit pro functione illi injuncta. Neque enim conſtituimur Eccleſiæ miniſtri, quin ſimul nobis Deus præſcribat quidnam agere nos velit. Ita ſervare mandatum, nihil aliud eſſet quam munus ſibi commiſſum bona fide exequi. Omnino certe ad miniſterium Timothei refero. Quæ ſequuntur epitheta, quod ad caſum & terminationem ſpectat, Græce tam mandato quam perſonæ Timothei conveniunt: ſenſus tamen quem reddidi, multo eſt aptior. Admonet autem Paulus, vitæ ſanctitati & puris moribus ſtudendum eſſe, ſi velit Timotheus rite ſuo muneri ſatisfacere. *Uſque ad revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Dici non poteſt quam fuerit piis omnibus neceſſarium illo tempore, mentes habere in diem Chriſti prorſus defixas: quum in mundo quaquaverſum occurrerent innumera ſcandala. Undique impetebantur, omnibus odio erant & execrationi, omnium ludibriis expoſiti erant, quotidie premebantur novis ærumnis: nullus interea tot laborum & moleſtiarum fructus apparebat. Quid igitur erat reliquum, niſi ut cogitatione transvolarent ad beatum illum diem redemptionis noſtræ? Quanquam eadem hodie quoque ratio apud nos valet: imo fere omnibus ſeculis eſt communis. Quam multa enim aſſidue oculis noſtris ingerit Satan, quæ alioqui nos à recto propoſito centies abducerent? Omitto ignes, gladios, exilia, & omnes furioſos hoſtium impetus: omitto calumnias & alias vexationes: quam multa ſunt intus longe pejora? inſurgunt ambitioſi homines, ſubſannant Epicurei & Lucianici, inſultant protervi, fremunt hypocritæ, qui ſecundum carnem ſapiunt, oblique nos mordent, ſollicitamur variis artibus huc & illuc: denique ingens eſt miraculum quum in tam arduo & periculoſo munere quiſpiam infractus perſeverat. Hic tot difficultatibus unicum eſt remedium, oculos conjicere in Chriſti apparitionem, & illuc ſemper pendere. Quia autem præcipites in votis noſtris ſolemus ferri, & parum abeſt quin diem & horam præſtituamus Deo ne præſtare differat ſi quid promiſit: ideo nimiam feſtinationem mature cohibet in expectando Chriſti adventu. Nam hoc ſibi volunt hæc verba, *Quam ſuis temporibus repræſentabit beatus* &c. Æquiore enim animo expectant homines cujus nondum opportunum adeſſe tempus ſciunt. Qui fit ut in ſuſtinendo naturæ ordine ſimus tam patientes, niſi quod nos retinet iſta cogitatio, intempeſtive nos facturos ſi contra deſideriis noſtris luctemur? Ita ſcimus, Chriſti revelationi ſuum eſſe tempus deſtinatum quod patienter expectare nos oporteat.

15. *Beatus & ſolus Princeps.*] Iſtis elogiis ideo extollit Dei principatum, ne Principum hujus ſeculi fulgor oculos nobis perſtringat. Ac præcipue illo tempore neceſſaria fuit ejuſmodi admonitio. quanta enim tunc fuit regnorum omnium magnitudo & potentia, tantundem Dei majeſtas & gloria obſcurabantur. Nam quotquot rerum potiebantur, non modo infeſtiſſimi erant regni Dei hoſtes: ſed ſuperbe inſultabant Deo, ſacrumque ejus nomen pedibus calcabant. Ac quo majore faſtu deſpiciebant veram religionem, eo beatiores ſibi videbantur. Quis non ex tali rerum facie judicaſſet, Deum miſere victum & oppreſſum? Videmus quam inſolenter efferatur Cicero adverſus Judæos propter afflictas eorum fortunas, in Oratione pro Flacco. Dum ita rebus ſecundis inflatos eſſe impios vident boni, interdum exanimantur: quare Paulus, ut ab evanido iſto ſplendore piorum oculos avertat, beatitudinem, principatum, & regnum vendicat uni Deo. Solum Principem quum vocat, non evertit politicum ordinem, quaſi nulli in mundo eſſe debeant magiſtratus aut reges: ſed eum eſſe ſolum ſignificat qui à ſeipſo regnat ac ſuapte virtute. Quod etiam ex ſequentibus patet, quæ vice expoſitionis addidit, *Rex regnantium & Dominus dominantium*. Summa eſt, omnes mundi poteſtates ſummo ejus imperio ſubeſſe, ab ipſo pendere, ſtare denique & cadere ejus nutu. hoc vero imperium eſſe incomparabile, quia ad ejus gloriam nihil ſint reliqua omnia: & quum hæc caduca ſint & brevi interitura, illud perpetuo duret.

16. *Qui ſolus habet immortalitatem.*] In hoc incumbit Paulus ut nihil extra Deum felicitatis, nihil vitæ reliquum faciat. Ideo nunc dicit ſolum Deum eſſe immortalem, ut ſciamus nos cum omnibus creaturis, non proprie vivere, ſed vitam ab ipſo mutuari duntaxat. Hinc ſequitur, dum aſpiramus ad Deum fontem vitæ immortalis, hanc præſentem vitam pro nihilo ducendam eſſe. Sed objicitur, ſuam humanæ animæ, & Angelis eſſe immortalitatem: ideo hoc

non vere de ſolo Deo prædicari. Reſpondeo non hic negari quin Deus in quas velit creaturas immortalitatem diffundat, quum eam ſolus habere dicitur: perinde enim hoc valet acſi dixiſſet Paulus, ſolum Deum non à ſeipſo tantum eſſe immortalem & ſuapte natura, ſed immortalitatem in poteſtate habere: ut in creaturas non competat, niſi quatenus ſuam illis virtutem inſpirans, eas vegetat. Nam ſi vim Dei quæ indita eſt hominis animæ, tollas, ſtatim evaneſcet. idem & de Angelis ſentiendum. Ergo proprie loquendo non ſubeſt animarum vel Angelorum naturæ immortalitas, ſed aliunde manat, nempe ab arcana Dei inſpiratione: juxta illud, In ipſo vivimus & movemur & ſumus. (*Actor. 17. verſ. 28.*) Si quis plura & ſubtiliora deſideret, legat duodecimum Auguſtini librum De civitate Dei. *Lumen habitat.* Duo ſignificat, Deum nobis eſſe abſconditum, nec tamen cauſam obſcuritatis in ipſo eſſe, quaſi in tenebris lateat: ſed in nobis, quibus propter imbecillam mentis aciem, vel hebetudinem potius, non patet acceſſus ad ejus lumen. Cæterum *inacceſſum Dei lumen* intellige, ſi quis proprio Marte ad ipſum contendat. Niſi enim ſua gratia patefaceret nobis Deus aditum, non diceret Propheta, Qui ad eum accedunt, illuminantur. (*Pſal. 34. verſ. 6.*) Quanquam verum eſt, nunquam dum hac mortali carne circumdamur, nos euſque penetrare in ultima adyta Dei, ut nihil nos fugiat. ex parte enim cognoſcimus: & videmus quaſi per ſpeculum & in ænigmate. (*1 Cor. 13. v. 9. 12.*) Ingredimur ergo per fidem in lucem Dei, ſed ex parte. Interea verum eſt illud, eſſe lucem illam homini inacceſſam. *Quem nullus hominum vidit.* Majoris explicationis cauſa hoc additum eſt, ut diſcant homines fide in eum reſpicere, cujus ſpeciem oculis non cernunt, adeoque nec mentis intellectu. Neque enim hoc tantum ad corporeos oculos refero, ſed ad ipſam quoque animæ facultatem. Videndum ſemper quorſum tendat Apoſtolus. Difficile eſt omnia quorum præſenti conſpectu fruimur, poſthabere & negligere, ut ad Deum enitamur qui nuſquam apparet. Nam ſubinde obrepit hæc cogitatio, Qui ſcis an Deus ſit, quum tantum audias ipſum eſſe, non autem videas? Adverſus hoc periculum nos præmunit Apoſtolus, quum æſtimandum id eſſe negat ex ſenſu noſtro, quia id captum noſtrum ſuperet. Ideo enim non videmus, quia non eſt acies quæ in tantam altitudinem conſcendat. Longa eſt diſputatio apud Auguſtinum de hac ſententia: quia videtur pugnare cum eo quod habetur in prima Epiſtola Joannis, Tunc videbimus eum (*1 Joan. 3. verſ. 2.*) ſicuti eſt, quia ſimiles ei erimus. Eam diſputationem quum agitet pluribus locis, nullibi melius videtur expedire, quam in Epiſtola ad Paulinam viduam. Quod tamen ad ſenſum præſentis loci attinet, ſimplex eſt reſponſio, nos videre Deum non poſſe in hac natura: quemadmodum alibi dicitur, Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. (*1 Cor. 15. verſ. 50.*) Renovari enim nos oportet, ut ſimus Deo ſimiles, priuſquam eum videre nobis detur. Et ne ſimus ultra modum curioſi, ſemper illud ſuccurrat, plus in hac inquiſitione valere vivendi quam loquendi modum. Simul & illud cavere meminerimus quod prudenter Auguſtinus cavendum præcipit, ne dum altercando veſtigamus quomodo poſſit Deus videri, ipſam pacem ſanctificationemque perdamus, ſine qua nemo Deum videbit unquam.

** vel, denuntia.*

17. Iis qui divites ſunt in hoc ſeculo, * præcipe ne efferantur, neve ſperent in divitiarum incertitudine, ſed in Deo vivo qui abunde ſuppeditat omnia ad fruendum:

** vel, ad communicationem.*

18. Ut benefaciant, ut divites ſint in operibus bonis, faciles ad largiendum, * libenter communicantes,

19. Recondentes ſibiipſis fundamentum bonum in poſterum, ut vitam æternam apprehendant.

20. Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas clamorum inanitates, vaniloquia, & oppoſitiones falſo nominatæ ſcientiæ:

21. Quam quidam profitentes, aberrarunt à fide. Gratia tecum. Amen.

Ad Timotheum prima miſſa fuit ex Laodicea, quæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

17. *Iis qui divites ſunt.*] Veriſimile eſt, quum multi inter Chriſtianos tenues eſſent & abjecti, à divitibus (ut fieri ſolet) fuiſſe contemptos. idque Epheſi potiſſimum in urbe opulenta uſu venire potuit: illic enim ut plurimum magis regnat faſtus. Atque hinc colligimus quam periculoſa res ſit, bonorum affluentia. Neque enim fruſtra Paulus tam ſevera admonitione peculiariter divites compellat: ſed vitiis medetur, quæ perpetuo fere ſequuntur divitias, non ſecus atque umbra corpus: idque ingenii noſtri pravitate, qui ex Dei donis peccandi materiam ſemper arripimus. Duo autem nominatim ponit quæ debeant cavere divites, ſuperbiam & ſpem fallacem: quorum prius ex poſteriore naſcitur. & ideo videtur ſecundo loco additum, *neve ſperent* &c. ut fontem omnis ſuperbiæ notaret Paulus. Unde enim fit ut inſoleſcant divites, & alios deſpiciendo, ſibi nimium placeant, niſi quia beatos ſe eſſe imaginantur? Præcedit igitur inanis fiducia, deinde elatio ſequitur. Hæc vitia dum vult Paulus corrigere, primum contemptim de divitiis loquitur: nam particula, *in hoc ſeculo*, ad extenuationem tendit. quicquid enim ex ſeculo eſt, ejus naturam reſipit: ut ſcilicet fluxum ſit, ac cito prætereat. Spei quæ in divitiis locatur, fallaciam & vanitatem ex eo oſtendit, quod earum poſſeſſio tam eſt evanida, ut ſimilis ſit rei incognitæ. Nam dum eas tenere nos putamus, effluunt momento. quam igitur ſtultum eſt ſpem in illis figere? *Sed in Deo vivo.* Qui hoc tenebit, facile ſpem à divitiis ſuam abſtrahet. Nam ſi ſolus Deus eſt qui nobis ad neceſſarios vitæ uſus omnia ſuppeditat, transfertur ejus officium ad divitias, ſi ſpes in illis locatur. Obſerva autem eſſe tacitam antitheſin, quum prædicat Deum omnibus affatim dare. Senſus enim eſt, etiamſi plena rerum omnium copia affluamus, nos tamen nihil habere niſi ex ſola Dei benedictione: quoniam ea ſola eſt quæ nobis ſubminiſtrat quicquid opus eſt. Unde ſequitur valde falli qui in divitias recumbunt, & non toti pendent à Dei benedictione: in qua nobis ſita eſt victus & rerum omnium ſufficientia. Hinc etiam colligimus, non ideo tantum à ſpe divitiarum nos revocari, quia nonniſi ad uſum mortalis vitæ pertineant: ſed etiam quia nihil ſint niſi fumus. Neque enim pane alimur tantum, ſed Dei benedictione. Quum dicit, *abunde*, [illegible], ſignificat quam liberalis ſit erga nos Deus, imo erga univerſos mortales, adeoque bruta animalia. nam ultra neceſſitatem longe lateque ſe diffundit ejus beneficentia.

18. *Ut benefaciant.*] Superioribus remediis aliud etiam adjungit ad pravos divitum affectus corrigendos, dum præſcribit quis legitimus ſit bonorum uſus. Nam quo quiſque plus opibus abundat, eo amplior illi beneficentiæ materia ſuppetit. & quia ſemper ad erogandum pigriores ſumus quam deceat, plu-

ribus

Digitized by Google

ribus verbis eam virtutem commendat. Addit præterea ſtimulum ex mercedis promiſſione: Largiendo, inquit, & communicando meliorem ſibi theſaurum in cælo comparent, quam habere poſſint in terra. *Fundamenti* nomine ſtabilem & firmam durationem ſignificat. neque enim tineis, aut furibus, aut incendiis obnoxiæ ſunt divitiæ ſpirituales quas nobis in cælo recondimus, ſed perpetuo manent extra periculum conſtitutæ. Contra autem nihil in terra vere fundatum eſt, ſed omnia quodammodo fluctuant. Porro quod inde inferunt Papiſtæ, nos igitur bonis operibus vitam æternam promereri, nimis frivolum eſt. Acceptum certe fert Deus quicquid pauperibus impenſum fuerit: ſed quia vix centeſima ex parte officio ſuo ſatisfaciunt etiam perfectiſſimi, indigna eſt noſtra benignitas quæ in rationem per ſe coram Deo veniat: imo ſi ad calculum nos vocaret Deus, nemo erit qui non conturbetur. adeo longe abſumus à plena ſolutione. Sed poſtquam nos gratuito ſibi conciliavit Deus, officia noſtra qualiacunque ſint, ſic accepta habet, ut indebita mercede dignetur. Proinde remuneratio non ex meriti ratione pendet, ſed ex liberali Dei acceptione: adeoque fidei juſtitiæ non repugnat, ut ejus ſit quaſi appendix.

20. *O Timothee.*] Tametſi varie exponunt *depoſiti* nomen, ego ſimpliciter eo notari puto gratiam qua inſtructus erat Timotheus ad munus ſuum exequendum. Eadem vero ratione depoſitum nominatur qua & talentum. nam ea lege nobis committit quicquid donorum in nos confert Deus, ut reddenda ſit olim ratio, ſi noſtra ignavia perierit utilitas quæ inde provenire debuerat. Admonet igitur ut diligenter conſervet quod ſibi datum eſt, vel potius apud ſe depoſitum ne patiatur corrumpi vel adulterari: vel ne ſeipſum privet ac ſpoliet propria culpa. Sæpe enim ingratitudo noſtra, aut donorum Dei abuſus facit ut ipſa nobis auferantur. Proinde Timotheum admonet Paulus, ut bona conſcientia rectoque uſu, quod ſibi commiſſum eſt conſervare ſtudeat. *Devitans profanas.* Huc ſpectat admonitio, ut intentus ſit in ſolidam doctrinam: quod fieri non poteſt quin ab oſtentatione abhorreat. nam ubi regnat placendi ambitio, nullum amplius viget ædificationis ſtudium. Proinde quum mentionem faceret cuſtodiendi depoſiti, non abs re hanc cautionem mox adhibuit de fugienda profana garrulitate. Porro quod κενοφωνίας vertunt Inanitates vocum, non adeo diſplicet, niſi quod poſtea ambiguitate decepti, perperam exponunt. voces enim accipiunt pro vocabulis, ut eſt fatum, vel fortuna. Ego autem grandiloquentiam eorum, & inflatam magnis ampullis garrulitatem notari exiſtimo, qui Euangelii ſimplicitate non contenti, ipſum in profanam philoſophiam convertunt. Ergo αἱ κενοφωνίαι ſunt non in ſingulis vocibus, ſed in perpetua reſonantia quam deſpumant ambitioſi homines, qui plauſum magis captant quam Eccleſiæ profectum. Et aptiſſime expreſſit Paulus rem ipſam. nam quum grande neſcio quid reſonent, nihil tamen ſubeſt. eſt igitur inanis tinnitus, quem profanum etiam vocat: quoniam extincta eſt vis Spiritus ſimulatque Doctores ita inflant ſuas tibias ad ſuam eloquentiam venditandam. Contra tam claram ac teſtatam Spiritus ſancti prohibitionem perrupit nihilominus hæc peſtis: ac ſtatim quidem ab initio cœpit pullulare: ita vero demum graſſando obtinuit in Papatu, ut adulterina theologiæ larva quæ illic regnat, ſit vivum ſpeculum profanæ iſtius & inanis reſonantiæ cujus meminit Paulus. Omitto quod innumeris erroribus, deliriis ac blaſphemiis ſcatent eorum libri, ac clamoſæ illæ diſputationes. Verum etiamſi alias nihil docerent impium: quoniam tamen tota eorum doctrina nihil continet præter ſeſquipedales ampullas: quoniam à majeſtate Scripturæ, ab energia Spiritus, à Prophetica gravitate, à ſinceritate Apoſtolica prorſus aliena eſt: eo ipſo mera eſt genuinæ theologiæ profanatio. Quid enim obſecro de fide, aut pœnitentia, aut invocatione Dei: quid de hominum imbecillitate, Spiritus ſancti auxilio, gratuita peccatorum remiſſione: quid de officio Chriſti tractant quod ad ſolidam pietatis ædificationem valeat? Sed de his adhuc dicendum erit in altera Epiſtola. Certe quiſquis mediocri intelligentia & ingenuitate erit præditus, fatebitur totam magniloquentiam Papalis theologiæ, & omnes quæ in Scholis eorum ronant magiſtrales determinationes, nihil aliud quam profanas κενοφωνίας, nec alio titulo poſſe aptius deſignari. Et certè hæc juſtiſſima eſt humanæ arrogantiæ pœna, ut quicunque degenerant à Scripturæ puritate, profaneſcant. Quare non poſſunt nimis ſedulo intenti eſſe Eccleſiæ doctores ad cavendas ejuſmodi corruptelas, & arcendam inde juventutem. Vetus interpres καινοφωνίας legens cum diphthongo, tranſtulit Novitates. Et apparet ex veterum commentariis, lectionem hanc olim fuiſſe receptam inter multos, quam nunc etiam Græci quidam codices retinent. Verum prior illa quam ſequutus ſum, longe melius quadrat. *Et oppoſitiones.* Hoc quoque admodum proprie & eleganter. tantum enim tumoris habent argutiæ quibus ſe jactant homines gloriæ cupidi, ut germanam Euangelii doctrinam, quæ ſimplex eſt & ſubmiſſa, obruant. Pompam ergo illam quæ eminet, & quæ cum plauſu excipitur à mundo, vocat Apoſtolus Oppoſitiones. Ambitio quidem ſemper contentioſa eſt, ac certaminum mater: unde fit ut qui ſe jactare appetunt, quacunq; de re digladiari ſint parati. Huc tamen præcipue reſpexit Paulus, quod inanis ſophiſtarum doctrina altius in aëreas ſpeculationes & argutias exſurgens, ſua ſpecie non obſcurat modo ſimplicitatem veræ doctrinæ, ſed etiam opponit ac reddit deſpicabilem: ut mundus fere externo ſplendore ducitur. Non vult Paulus Timotheum propterea æmulatione pungi, ut ſimile aliquid tentet. Quum autem humanæ curioſitati magis adlubeſcant quæ ſubtilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, vel ſunt ad oſtentationem compoſita: Paulus ex adverſo pronunciat, *falſo nominari* ac putari *ſcientiam*, quæ ſe extollit adverſus ſimplicem & humilem pietatis doctrinam. quod diligenter obſervandum eſt, ut diſcamus ſecure ridere ac contemnere totam iſtam fucatam ſapientiam, cujus admiratione mundus obſtupeſcit, in qua tamen nulla ſubeſt ædificatio. Ea enim demum (auctore Paulo) vere & merito nominatur ſcientia, quæ in fiducia timoreque Dei (hoc eſt, in pietate) nos inſtituit.

21. *Quam quidam profitentes.*] Ab exitu etiam demonſtrat quam noxioſa res ſit, & quantopere fugienda. Deus enim ita eorum arrogantiam ulciſcitur qui comparandæ famæ ſtudio, pietatis doctrinam corrumpunt ac deformant, quod eos excidere patitur à ſanitate mentis, ut multis abſurdis erroribus ſe involvant. Quod etiam videmus accidiſſe in Papatu. nam poſtquam cœperunt profano more de myſteriis religionis noſtræ philoſophari, ſequuta ſunt innumera falſarum opinionum portenta. *Fides* hic, ut ſuperioribus aliquot locis, pro ſumma religionis & ſana doctrina capitur. Ejuſmodi exemplis moniti, ſi defectionem horremus à fide, maneamus in puro Dei verbo: ſophiſticen vero & omnes argutias, quum nefandæ ſint pietatis corruptelæ, deteſtemur.

IN EPISTOLAM AD TIMOTHEUM II.

ARGUMENTUM.

EX hiſtoria Lucæ vix certo colligi poteſt quando ſcripta fuerit prior Epiſtola. Non tamen dubito quin ab eo tempore Timotheum coram alloquutus fuerit Paulus: & fieri quoque poteſt (ſi receptæ famæ creditur) ut eo comite ac adjutore multis in locis uſus fuerit. Fuiſſe tamen adhuc Epheſi quum ad eum ſcriberetur hæc Epiſtola, colligere promptum eſt: quia Paulus ſub finem Priſcillam & Aquilam & Oneſiphorum ſalutat. quorum ultimus fuit Epheſius: alios autem illic ſubſtitiſſe quum in Judæam navigaret Paulus, teſtis eſt Lucas. Hic autem præcipuus eſt cardo in quo verſatur, ut Timotheum tam in fide Euangelii, quam in conſtanti ſinceraque ejus prædicatione confirmet. Sed non parum his exhortationibus momenti addit temporis circumſtantia. Mortem habebat Paulus ante oculos, quam ſubire paratus erat pro Euangelii teſtimonio. Quæcunque igitur hic legimus de Chriſti regno, de ſpe vitæ æternæ, de Chriſtiana militia, de fiducia confeſſionis, de certitudine doctrinæ: non tanquam atramento ſcripta, ſed ipſius Pauli ſanguine, accipere convenit. nihil enim aſſerit pro quo mortis ſuæ pignus non opponat. Proinde hæc Epiſtola quaſi ſolennis quædam eſt ſubſcriptio Paulinæ doctrinæ: eaque ex re præſenti. Jam vero memoria tenere operæpretium eſt quod in priore Epiſtola admonuimus, non unius tantum hominis cauſa ſcripſiſſe Apoſtolum, ſed propoſuiſſe ſub unius perſona communem doctrinam, quæ poſtea aliis per ejus manum traderetur. Ac primum quidem laudata fide Timothei in qua educatus fuerat à puero, ut in doctrina quam didicerat, & in munere ſibi commiſſo fideliter perſeveret, eum hortatur: & ſimul ne propter ſua vincula aut aliorum defectiones labaſcat, de ſuo Apoſtolatu & mercede ſibi repoſita gloriatur. Laudat etiam Oneſiphorum, ut reliquos animet ejus exemplo. Et quoniam dura eſt eorum conditio qui ſervire Chriſto volunt, ſimilitudines ſumit tam ab agricolis quam à militibus: quorum priores multum laboris in culturam terræ impendere non dubitant, priuſquam ullus fructus appareat: hi vero ſe abdicant curis & negotiis omnibus, ut ſe totos armis & imperatori ſuo addicant. Poſtea brevem Euangelii ſui ſummam complexus, Timotheo præcipit ut eam aliis quoque tradat, & curet ad poſteros propagari. Hinc iterum mentione vinculorum ſuorum facta, in ſanctam jactantiam exurgit, ut animi ſui magnitudine pios erigat. nam quæ nos in cælo corona maneat, omnes ſecum intueri jubet. Adhæc jubet à diſputationum pugnis & vanis quæſtionibus abſtinere, ædificandi ſtudium ex adverſo commendans. Et quo melius conſtet quam capitale ſit malum, quoſdam refert fuiſſe eo perditos. & nominatim duos commemorat, Hymenæum & Philetum: qui in prodigioſum delirium prolapſi, ita ut ſubverterent fidem reſurrectionis, horrendam ſuæ vanitatis pœnam dederant. Sed quia grave offendiculum afferre ſolent ejuſmodi lapſus, præſertim hominum inſignium & qui in aliqua exiſtimatione fuerunt, docet non debere hinc pios turbari: quia non omnes qui profitentur Chriſti nomen, vere Chriſti ſint: & Eccleſiam huic miſeriæ obnoxiam eſſe oporteat, ut inter malos & impios habitet in hoc mundo. quod tamen ne ultra modum percellat infirmas mentes, prudenter temperat: quia Dominus ſuos quos elegit, ad finem uſque ſervet. Redit poſtea ad Timotheum exhortandum quo fideliter miniſterium ſuum exequi pergat. Et quo plus illi ſollicitudinis incutiat, prædicit quam infeſta bonis & piis tempora immineant, quam pernicioſi homines mox ſint emerſuri. Sed adverſus omnia eum confirmat ſpe læti & proſperi exitus. Præſertim vero aſſiduam in ſana doctrina exercitationem illi commendat, rectum Scripturæ uſum indicans, ut ea ſe omni ex parte inſtructum eſſe ſciat ad ſolidam Eccleſiæ ædificationem. Poſtea mortem jam ſibi propinquam eſſe commemorat: ſed ita ut quaſi victor ad glorioſum triumphum properet. quod miræ fiduciæ ſpecimen eſt luculentum. Tandem, poſtquam Timotheum rogavit ut ad ſe quamprimum veniat, neceſſitatem oſtendit ex præſenti ſuo ſtatu. Hæc præcipua eſt Epiſtolæ clauſula.

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
TIMOTHEUM II.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ quæ eſt in Chriſto Jeſu,

2. Timotheo dilecto filio, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

1. P*Aulus.*] Jam ex ipſo procemio perſpicimus Paulum non ſolius Timothei habuiſſe rationem: alioqui ſuum Apoſtolatum non tam magnifice aſſereret. Quid enim verborum ornamentis opus fuiſſet apud eum cui res ſatis perſuaſa erat? Publicam ergo ſibi auctoritatem hic apud omnes vendicat: & eo diligentius facit, quod jam morti vicinus, totum miniſterii ſui curſum vult approbare: doctrinam in qua tradenda tantopere laboraverat, obſignare vult, ut ſancta ſit ad poſteros, ejuſque veram effigiem in Timotheo relinquere. Ac primum quidem ſuo more *Apoſtolum* ſe *Chriſti* nominat: unde ſequitur, non eum inſtar privati hominis loqui, vel contemptim hominis inſtar eſſe audiendum, ſed tanquam eum qui perſonam Chriſti ſuſtineat. Verum quia major eſt officii dignitas quam ut in ullum hominem competat, niſi Dei beneficio & certa deſignatione: ſimul elogium ſuæ vocationis profert, quum addit ſe *Dei voluntate* eſſe ordinatum. Proinde extra controverſiam eſt ejus Apoſtolatus, quum Deum habeat auctorem & vindicem. *Secundum promiſſionem.* Quo certior ſit ſua vocatio, eam cum promiſſionibus vitæ æternæ conjungit: acſi diceret, Quemadmodum ab initio Deus vitam æternam promiſit in Chriſto, ita nunc ejus promiſſionis publicandæ me conſtituit miniſtrum. In quo etiam finem oſtendit ſui Apoſtolatus: nempe ut homines Chriſto adducat, in quo vitam reperiant. Loquitur autem admodum proprie, quum promiſſionem vitæ jam olim quidem fuiſſe datam Patribus meminit, ſed vitam tamen hanc *in Chriſto* eſſe teſtatur: ut ſciamus, eorum fidem qui ſub Lege vixerunt, debuiſſe tamen in Chriſtum reſpicere: & vitam quæ promiſſionibus continebatur, fuiſſe quodammodo ſuſpenſam, donec in Chriſto fuit exhibita.

2. *Dilecto filio.*] Hoc nomine non amorem modo ſuum teſtatur erga Timotheum, ſed auctoritatem illi conciliat: quia in eo, tanquam in germana ſua progenie, vult agnoſci. Ratio autem appellationis eſt, quia eum in Chriſto genuerat. Nam etſi uni Deo convenit hic honor: ad miniſtros tamen etiam transfertur, quorum opera utitur ad nos regenerandos. *Gratia, miſericordia.* Nomen Miſericordiæ quod hic poſuit, ſolet in uſitatis ſalutationibus omittere: quod factum fuiſſe puto, quum ſolito majore vehementia affectum ſuum profunderet. Cæterum videtur inverſus eſſe ordo. nam quum miſericordia ſit cauſa gratiæ, præcedere debuit in contextu. Verum hoc quoque non male quadrat ut gratia ſubjiciatur, quo melius exprimat qualis ſit illa gratia, & unde manet: acſi per modum declarationis attexuiſſet, nos ideo amari à Deo quia eſt miſericors. Quanquam poteſt hoc etiam exponi de quotidianis Dei beneficiis, quæ totidem ſunt miſericordiæ ejus teſtimonia. Nam quoties nobis opitulatur, quoties à malis liberat, ignoſcit peccatis noſtris, infirmitati indulget: hoc facit quia noſtri miſeretur.

3. Gratiam habeo Deo quem colo à progenitoribus in pura conſcientia, ut aſſiduam tui mentionem facio in precibus meis die & noctu,

4. Deſiderans te videre, memor tuarum lachrymarum, ut gaudio implear:

5. Memoria repetens eam quæ in te eſt ſinceram fidem, quæ habitavit primum in avia tua Loide, & in matre tua Eunica: perſuaſum autem habeo quod etiam in te.

3. *Gratiam habeo.*] Vulgo ita exponunt, quod Paulus gratiam Deo habeat: deinde mox ſequatur cauſæ redditio, vel argumentum gratiarum actionis: quia ſine intermiſſione memor ſit Timothei. Sed expendant Lectores annon æque bene, ac etiam melius quadret hic ſenſus, Quoties tui recordor in precibus meis (id autem facio continenter) ſimul etiam de te gratias ago. nam particula ὡς frequentius ita accipitur. Et ſane ex altera verſione nonniſi frigidus ſenſus elici poteſt. Secundum hanc expoſitionem precatio ſignum erit ſollicitudinis: gratiarum actio ſignum gaudii: quia ſcilicet de Timotheo nunquam cogitabat, quin venirent in mentem præclaræ virtutes quibus ornatus erat. Hinc gratulationis materia. ſuavis enim & jucunda ſemper eſt piis donorum Dei recordatio. Utrumque porro eſt veræ benevolentiæ argumentum. *Mentionem* vocat ἀδιάλειπτον, quia nunquam eum prætereat quoties precatur. *Quem colo à progenitoribus.* Hanc teſtificationem oppoſuit notis illis calumniis quibus eum paſſim Judæi gravabant, quaſi deſertor eſſet patriæ religionis, & à Lege Moſis apoſtata. Ex adverſo teſtatur ſe Deum colere quem à majoribus acceperat: Deum ſcil. Abrahæ, qui ſe patefecit Judæis, qui Legem ſuam tradi-

tradidit per manum Moſis: non autem novitium aliquem Deum, quem ſibi ipſe nuper fabricaverit. Sed hic quæri poteſt, quum glorietur Paulus ſe religionem ſequi à majoribus proditam, an hoc ſatis firmum ſit fundamentum. nam inde ſequitur, hunc fore ſpecioſum colorem ad excuſandas omnes ſuperſtitiones: & crimen fore ſi quis à majorum ſuorum inſtitutis, qualiacunque ſint, vel minimum diſcedat. Reſponſio facilis eſt, non hic conſtitui certam legem, ut quiſquis receptam à patribus ſuis religionem ſequitur, is rite Deum colere cenſeatur: & rurſum qui deſciverit à conſuetudine majorum, crimen iode aliquod ſuſtineat. Nam circumſtantia hæc ſemper obſervari debet, quod Paulus non ab idololatris ducebat originem, ſed à filiis Abrahæ qui verum Deum adorabant. Scimus autem quid prooounciet Chriſtus Joannis 4. v. 22. ſolos ſcilicet Judæos tenere veram adorandi rationem, quum fictitios omnes Gentium cultus improbat. Non ergo hic Paulus nuda Patrum auctoritate nititur, nec quoslibet patres in medium adducit: ſed tollit falſam illam opinionem, qua ſciebat ſe iojuſte gravari, quod relicto Deo Iſraëlis, alienum ſibi Deum aſciverit. *In pura conſcientia.* Certum eſt, non ſemper puram fuiſſe
Rom. 7: 8. Pauli conſcientiam: utpote qui fatetur ſe per hypocriſin fuiſſe deceptum quum ſibi concupiſcendi licentiam indulgeret. Nam quod excuſat Chryſoſtomus ejus Phariſaiſmom, eo quod non malitia, ſed ignoratione Euangelium oppugnabat: id non ſatisfacit. neque enim vulgare elogium eſt puræ conſcientiæ, nec poteſt à ſincero & ſerio Dei timore ſeparari. Itaque ad præſens tempus reſtringo, boc modo, quod unum cum proavis ſuis & eundem Deum colat: ſed nunc colat ſincero cordis affectu, ex quo per Euangelium erat illuminatus. Nam eodem pertinent tot conteſtationes quibus utitur in
Actor. 24. Actis, Deſervio Patrio Deo, credens omnibus quæ
verſ. 14. in Lege ſunt ac Prophetis. Item, Et nunc de ſpe
Actor. 26 promiſſionis, quæ ad Patres noſtros facta eſt, judicio
verſ. 6. ſto ſubjectus, ad quam duodecim Tribus noſtræ de-
Actor. 28. venire ſperant. Item, Propter ſpem Iſraëlis vinctus
verſ. 20. ſum hac catena.

In precibus meis die & nocte.] Hinc apparet quanta illi fuerit precandi aſſiduitas. nec tamen aliud de ſe prædicat, quam quod ſuis omnibus commendat Chriſtus. Quare acui nos & accendi talibus exemplis ad imitationem decet, ut ſaltem frequentior ſit inter nos tam neceſſaria exercitatio. Si quis diurnas & nocturnas preces intelligat quas Paulus ſtatis horis concipere ſolitus fuerit, nihil erit abſurdi: quanquam ſimplicius interpretor nullum ei à precibus vacuum tempus fuiſſe.

5. *Memoria repetent.*] Non tam laudandi quam exhortandi Timothei cauſa, tum ejus fidem, tum aviæ matriſque commendat. nam ubi quis bene & ſtrenue cœpit, progreſſus ei debet animum addere: & exempla domeſtica acriores habent ſtimulos ad incitandum. Ideo proponit illi aviam Loidem, & matrem Eunicam, à quibus ſic fuerat educatus ab infantia, ut potuerit cum lacte imbibere pietatem. Ergo hac pia educatione admonetur Timotheus, ne à ſeipſo & à ſuis degeneret. Dubium autem eſt an fuerint hæ mulieres ad Chriſtum converſæ, & hoc fidei quam laudat Paulus, fuerit initium: an vero fides illis extra Chriſtianiſmum tribuatur. Hoc tamen poſterius mihi magis eſt veriſimile. Tametſi enim multis ſuperſtitionum corruptelis tuoc ſcatebant omnia: Dominus tamen ſuos babuit ſemper, quos non paſſus eſt cum vulgo corrumpi, ſed peculiariter ſibi ſanctificavit, ut in Judæis ſemper extaret aliquod hujus gratiæ pignus quam ſemini Abrabæ promiſerat. Vixiſſe igitur & mortuas eſſe in fide Mediatoris, etiamſi nondum revelatus illis erat Chriſtus, non eſt abſurdum. Nibil tamen aſſero, nec poſſem, niſi temere.

Perſuaſum autem babeo.] Hoc membrum proximam conjecturam apud me confirmat. Neque enim, meo judicio, de præſenti fide Timothei hic loquitur. Minueret enim de certa illa prioris elogii fide, ſi tantum diceret ſe fidem Timothei parem exiſtimare fidei aviæ & matris: ſed intelligo, ipſum à puero, quum nondum Euangelii notitiam adeptus eſſet, fuiſſe Dei timore & fide tali imbutum, ut eſſet vivum ſemen quod poſtea emerſit.

6. Propterea eommonefacio te ut exſuſcites donum Dei quod in te eſt per impoſitionem manuum mearum.

7. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis: ſed potentiæ, & dilectionis, & ſobrietatis.

8. Non ergo te pudeat teſtimonii Domini noſtri, neque mei qui ſum vinctus ipſius: ſed eſto partieeps afflictionum Euangelii, ſecundum potentiam Dei.

9. Qui nos ſervavit ae vocavit vocatione ſancta: non ſeeundum opera noſtra, ſed ſeeundum propoſitum ſuum & gratiam quæ data fuit nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia,

10. Revelata autem nunc fuit per apparitionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui mortem quidem abolevit, illuminavit autem vitam & immortalitatem per Euangelium:

11. In quod poſitus ſum præco & Apoſtolus, & Doctor Gentium.

12. Quam etiam ob eauſam hæc patior: ſed non pudeſio. novi enim cui erediderim: & perſuaſus ſum quod potens ſit depoſitum meum ſervare in diem illum.

6. *Propterea*] Quo ampliore Dei gratia præditus erat Timotheus, eo magis illum intentum eſſe debere ſignificat ad quotidiani profectus ſtudium. Notanda eſt enim illativa particula Propterea. Eſt autem pluſquam neceſſaria hæc exhortatio. fieri enim ſolet, & eſt quodammodo naturale, ut donorum excellentia ſecuritatem pariat, cui deinde accedit comes ignavia. & in hoc perpetuo incumbit Satan, ut quicquid in nobis eſt Dei, ſuffocet. Sedulo itaque nos contra eniti decet, ut quicquid inchoatum eſt boni in nobis, expoliamus: ut quod tepet, accendamus. nam metaphora qua Paulus utitur, ſumpta eſt ab igne exiguo, vel qui paulatim extingueretur, niſi flabellum ſubinde admovendo, & lignum novum ingerendo, vires reſumeret ac flammam. Proinde meminerimus in uſum applicanda eſſe dona Dei, ne rubiginem otioſa & ſuppreſſa contrabant. Meminerimus etiam ſtudioſe in illis proficiendum eſſe, ne ignavia noſtra ſuffocentur.

Quod in te eſt per impoſitionem.] Non dubium eſt quin fuerit communibus Eccleſiæ votis expetitus Timotbeus, non autem electus privato unius Pauli

arbitrio,

arbitrio. ſed non eſt abſurdum ut ſibi Paulus electionem privatim adſcribat, cujus præcipuus fuerat auctor. Quanquam hic de ordinatione potius quam de electione agit: hoc eſt, de ſolenni inſtituendi ritu. Porro non liquido conſtat, an quum aliquis conſecrandus erat Miniſter, omnes ſoliti fuerint manum imponere ejus capiti: an unus duntaxat loco & nomine omnium. Imo huc magis inclinat conjectura, unum tantum fuiſſe qui manus imponeret. Quod ad ceremoniam pertinet, eam mutuati fuerant Apoſtoli ex veteri gentis ſuæ conſuetudine: vel potius quum in uſu foret, retinuerant. Eſt enim hæc pars decori 1 Cor. 14. verſ. 40. quod Paulus alibi commendat. Quanquam dubitari poteſt an referatur præſens manuum impoſitio ad ordinationem, qua tunc Spiritus gratiæ de quibus ad Romanos cap. 12. & 1 Cor. 13. differit, per manuum impoſitionem conferebantur multis etiam aliis qui non inſtituebantur Paſtores. Sed ego ex priore Epiſtola facile colligo, Paulum de officio Paſtoris hic agere. nam quadrat hic locus cum illo, Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii. Hoc conſtituto, quæritur an per externum ſignum gratia fuerit data. Ad quam quæſtionem reſpondeo, quoties ordinabantur Miniſtri, precibus totius Eccleſiæ fuiſſe Deo commendatos: atque hoc modo impetratam illis fuiſſe gratiam à Deo, non autem virtute ſigni fuiſſe illis datam. Quanquam ſignum non fruſtra nec inutiliter adhibebatur: ſed teſſera erat minime fallax ejus gratiæ quam ex ipſa Dei manu percipiebant. Neque enim profana quædam fuit inauguratio ritus ille, ad conciliandam modo in hominum oculis auctoritatem inventa: ſed conſecratio coram Deo legitima, quæ non perficitur niſi Spiritus ſancti virtute. Præterea ſignum pro tota re vel actione accipit Paulus. ſignificat enim inſtructum fuiſſe gratia Timotheum, quum oblatus fuit Deo miniſter. Ita in hac loquutione eſt ſynecdoche. Sed objicitur alia etiamnum quæſtio. Nam ſi in ſua demum ordinatione gratiam conſequutus eſt Timotheus muneri ſuo peragendo neceſſariam: qualis fuit electio hominis nondum idonei aut formati, ſed Dei dono adhuc vacui & deſtituti? Reſpondeo, non ita fuiſſe tunc illi datum, quin prius haberet. certum eſt enim doctrina & aliis dotibus prius eum excelluiſſe, quam Paulus eum miniſterio deſtinaret. Sed minime abſurdum eſt, quum Deus opera ipſius uti vellet, adeoque eum vocaſſet, tunc quoque magis aptaſſe & cumulaſſe eum novis donis: vel priora quæ contulerat, duplicaſſe. Non ergo prius in Timotheo nullum erat donum, ſed magis tunc enituit quum illi impoſitum fuit docendi onus.

7. *Non enim dedit nobis.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ, qua Timotheum incitare pergit ad vim donorum quæ accepit, explicandam. Utitur autem hoc argumento, quod Deus miniſtros ſuos gubernet *Spiritu potentiæ*, quæ contraria eſt *timiditati.* Unde ſequitur, non debere per ignaviam jacere, ſed magna confidentia & alacritate erectos, illam Spiritus virtutem manifeſto effectu proferre & exerere. Locus eſt ad Romanos cap. 8. v. 14. in ſpeciem fere ſimilis: ſed tamen qui diverſum ſenſum habet ex ſua circumſtantia. Tractat enim illic de adoptionis fiducia, quam habent omnes fideles: nunc autem peculiariter agit de Miniſtris, ac eos hortatur ſub Timothei perſona, ut ſe gnaviter acuant ad magnanimitatem: quia non velit eos Dominus frigide obire munus ſuum, ſed potenter inſtare fretos Spiritus efficacia. Hinc admonemur nequaquam ulli noſtrum ſuppetere eam Spiritus altitudinem & infractam conſtantiam, quæ ad exercendum miniſterium noſtrum requiritur, donec cælitus induamur nova virtute. Et ſane majora ſunt & plura obſtacula, quam ut illis ſuperandis par futura ſit ulla hominis fortitudo. Deus eſt igitur qui nos inſtruit Spiritu potentiæ. Nam qui alioqui multum robur oſtentant, concidunt momento, ubi non ſuſtinentur divini Spiritus potentia. Secundo colligimus, quicunque ſervilem in modum timidi ſunt & abjecti, ut nihil pro defenſione veritatis audeant quum opus eſt, minime gubernari illo Spiritu à quo reguntur Chriſti ſervi. Unde ſequitur pauciſſimos hodie eſſe ex iis qui titulum gerunt Miniſtrorum, qui genuinam probationis notam habeant. Quotus enim quiſque reperitur qui fretus Spiritus potentia, conſtanter omnem altitudinem deſpiciat quæ inſurgit adverſus Chriſtum? nonne plerique fere omnes ſibi & otio ſuo conſulunt? nonne ſimulac increpuit aliquid, proſtrati ſilent? Ita fit ut in eorum miniſterio nulla appareat Dei majeſtas. Nomen Spiritûs metonymice hic ponitur, ut multis locis. Sed cur *dilectionem* poſtea addit *& ſobrietatem*? meo judicio, ut illam Spiritus potentiam diſcerneret ab intemperie fanaticorum hominum, qui quum ruant impetu turbulento, Spiritum Dei ferociter jactant. Ergo nominatim expreſſit, vim illam potentem ſobrietate & dilectione, hoc eſt, placido ædificandi ſtudio, eſſe temperatam. Cæterum non negat Paulus quin eodem fuerint Spiritu donati Prophetæ & Doctores ante Euangelii promulgationem: ſed hanc gratiam ſignificat nunc vigere potiſſimum debere & eminere ſub Chriſti regno.

8. *Non ergo te pudeat.*] Hoc dicebat quum probroſa res eſſet Euangelii confeſſio. prohibet igitur ne ambitio vel infamiæ metus eum impediat, vel remoretur à libertate prædicandi Euangelii. & hoc infert ex ſuperioribus. Nam qui armatus erit Dei virtute, non trepidabit obſtrepente mundo: ſed glorioſum ſibi ducet quod impii notabunt ignominia. Et merito Euangelium appellat *Domini teſtimonium*: quia tametſi minime nobis adjutoribus indiget, nobis tamen has partes imponit, ut teſtimonium reddamus ſibi ad gloriam ſuam aſſerendam. Hic magnus & ſingularis honor eſt quo nos dignatur, & quidem omnes (nemo enim Chriſtianus, qui non reputare debeat ſe eſſe Chriſti teſtem) ſed præcipue tamen Paſtores & Doctores. quemadmodum Chriſtus Apoſtolis dicebat, Vos eritis mihi teſtes. Actor. 1. verſ. 8. Proinde quo odioſior eſt in mundo Euangelii doctrina, eo fortius eluctari debent ad ingenuam ejus confeſſionem. Quum addit, *neque mei*, hoc verbo Timotheum admonet, ne ſibi, tanquam in communi cauſa, recuſet eſſe ſocius. Nam quum incipimus ſubducere nos ab eorum ſocietate qui propter Chriſti nomen perſequutionem ſuſtinent, quid aliud quam Euangelium quærimus ab omni perſequutione immune? Atqui quum non deeſſent multi impii qui ita inſultarent Timotheo, Non vides quid magiſtro tuo acciderit? an neſcis idem præmium te quoque manere? quid nobis doctrinam obtrudis quam exſibilari vides à toto mundo? neceſſe fuit eum erigi hac exhortatione, Non eſt quod te mei pudeat in quo nihil eſt pudendum. *Sum* enim *vinctus Chriſti*: hoc eſt, non ob maleficium aliquod vel crimen, ſed propter ejus nomen in vinculis teneor. *Sed eſto particeps afflictionum.* Rationem præſcribit qua fiat quod præcipit: nempe ſi ad tolerandas afflictiones ſe comparet Timotheus, quæ ſunt cum Euangelio conjunctæ. Quiſquis enim crucem horrebit ac refugiet, ſemper eum pudebit Euangelii. Quare non immerito Paulus, dum hortatur ad fiduciam confeſſionis, ne fruſtra id faciat, ſimul etiam concionatur de crucis tolerantia. Et addit, *ſecundum potentiam Dei*: quia ſtatim alioqui ſuccumberemus, niſi ille nos attolleret. Et continet hæc particula tam admonitionem quam conſolationem. Admonitio eſt ut oculos à præſenti infirmitate avertat, & fultus Dei auxilio, ſupra vires audeat ac nitatur. Conſolatio eſt quod ſi quid propter Euangelium patimur, Deus aderit liberator, cujus virtute futuri ſimus victores.

9. *Qui nos ſervavit &c.*] Ex beneficii magnitudine oſtendit quantum debeamus Deo. Salus enim qua nos dignatus eſt, quicquid io hoc mundo ſuſtinendum eſt malorum, facile abſorbet. *Servandi*, aut Salvandi verbum, tametſi generale eſt, hic tamen pro loci circumſtantia, ad æternam ſalutem reſtringitur. Itaque nimium ingratos fore ſignificat, quicunque ſalutem per Chriſtum adepti non caducam nec fluxam, ſed æternam, vitæ ſuæ evanidæ aut honori pepercerint potius, quam Redemptorem ſuum agnoſcerent. Salutis obſignationem ponit in *vocatione*. ſicuti enim in morte Chriſti perfecta eſt ſalus hominum: ita Deus per Euangelium facit nos illius compotes. Et *ſancta* nominatur vocatio, amplificandi cauſa. Hoc vero diligenter ootandum eſt: quia ſicut non alibi quam in Chriſto quærenda eſt ſalus; ita rurſum ſine fructu mortuus eſſet ac reſurrexiſſet, niſi quatenus in hujus gratiæ ſocietatem nos vocat. Poſtquam ergo ſalutem nobis peperit, reſtat hoc ſecundum, ut nos in corpus ſuum inſerens, bona ſua nobis fruenda communicet. *Non ſecundum opera.* Originem tam vocationis noſtræ quam totius ſalutis deſignat. non enim erant nobis opera quibus Deum præveniremus: ſed totum à gratuito ejus propoſito & electione pendet. Nam in duobus verbis, *propoſito & gratia*, eſt hypallage: ac poſterius in epithetum reſolvi debet, acſi dixiſſet Gratuitum. Quanquam enim Propoſitum ſolet Paulus accipere pro arcano Dei conſilio, cujus cauſa eſt penes ipſum: majoris tamen explicationis cauſa adjicere voluit Gratiam, quo certius omnem operum reſpectum excluderet. Et ipſa antitheſis ſatis aperte clamat non eſſe locum operibus, ubi regnat Dei gratia: præſertim ubi ad Dei electionem revocamur, qua Deus nondum natos antevertit. qua de re plura ad Epheſios capite 1. nunc enim breviter tantum attingo quæ illic copioſius tractavi. *Quæ data eſt.* Ab ordine temporis argumentatur, nobis ſalutem gratis eſſe datam, quam minime eramus promeriti. Nam ſi ante mundi creationem elegit nos Deus, non potuit operum habere rationem, quæ nulla erant quum nondum eſſemus ipſi. Nam quod ſophiſtæ cavillantur, Deum operibus quæ prævidebat, fuiſſe adductum, non longa ſolutione indiget. Qualia enim futura eraot opera ſi eſſemus à Deo præteriti, quum omnium bonorum fons & initium ſit ipſa electio? Donatio hæc gratiæ cujus meminit, nihil aliud eſt quam prædeſtinatio qua ſumus adoptati io Dei filios. Qua de re admonitos volui lectores, quia ſæpe Deus gratiam tunc demum nobis dara dicitur, ubi ejus effectum percipimus. Sed hic tractat Paulus quid apud ſe ſtatuerit ab initio. Dedit ergo quod nullo merito provocatus, oondum natis aſſignavit: ac io theſauris ſuis habuit repoſitum, donec reipſa patefaceret nihil ſe fruſtra ſtatuere. *Tempora ſecularia* hic nominat, ſicuti ad Titum capite 1. perpetuam annorum ſeriem à mundo condito. Nam illa ſubtilior diſputatio quam agitat pluribus locis Auguſtinus, aliena eſt à mente Pauli. Senſus ergo eſt, Antequam ab omnibus retro ſeculis tempora fluere inciperent. Porro notandum eſt quod ſalutis fundamentum in Chriſto conſtituit: neque enim eatra ipſum ulla eſt hominum vel adoptio, vel ſalus: quemadmodum etiam ad Epheſios capite 1. dictum eſt.

10. *Revelata autem nunc.*] Obſerva ut apte connectat fidem quam habemus ex Euangelio, cum arcana Dei electione, ac ſuum utrique locum aſſignet. Nunc Deus per Euangelium nos vocavit: non quia repentinum ceperit ſalutis noſtræ conſilium, ſed quia ſic ab ultima uſque æternitate ſtatuerat. Nunc apparuit Chriſtus in ſalutem noſtram: non quia nuper io eum ſalvandi virtus collata fuerit, ſed quia ante creatum mundum hæc gratia nobis erat in eo repoſita. Earum rerum cognitio per fidem nobis revelatur. Atque ita prudenter conjungit Apoſtolus Euangelium cum vetuſtiſſimis promiſſionibus Dei, ne ipſum contemptibile reddat novitas. Sed quæritur an Patres latuerit ſub Lege. nam ſi Chriſti demum adventu fuit revelata, ſequitur ante fuiſſe abſconditam. Reſpondeo, de plena exhibitione rei ipſius Paulum loqui, à qua Patrum quoque fides pendebat: ita nihil ipſis derogatur. Ideo enim Abel, Noah, Abraham, Moſes, David, & pii omnes unam nobiſcum ſalutem adepti ſunt, quia fiduciam locarunt in hac apparitione. Non igitur dum nobis revelatam eſſe Chriſti apparitione gratiam dicit, Patres arcet ab ejus communione, quos eadem fides hujus apparitionis nobiſcum participes facit. Chriſtus enim heri *Hebr. 13. verſ. 8.* ſicut hodie: ſed non ante præfixum à Patre tempus, quum morte & reſurrectione ſua nobis ſe exhibuit. Atqui huc communiter tanquam in unicum ſalutis pignus & complementum, tam noſtra quam Patrum reſpicit fides. *Qui mortem quidem abolevit.* Quum Euangelio adſcribit vitæ illuſtrationem, non intelligit, à verbo faciendum eſſe exordium, omiſſa Chriſti morte & reſurrectione: (nam verbum potius in ſubjectam materiam recumbit) ſed tantum ſignificat, non aliter fructum hujus gratiæ pervenire ad homines quam per Euangelium. juxta illud, Erat Deus *2 Cor 5. verſ. 19.* in Chriſto mundum ſibi reconcilians: & depoſuit apud nos ſermonem reconciliationis. Atque hoc inſigne eſt ac memorabile Euangelii encomium, quod vocatur vitæ illuſtratio. *Vitæ* ſubjicit *immortalitatem*: acſi diceret, veram & immortalem vitam. Niſi forte per Vitam iotelligere malis regenerationem, quam ſequitur beata immortalitas quæ adhuc ſperatur. Et certe, hoc noſtrum vivere eſt non quod habemus cum brutis animalibus commune, ſed quod participatione imaginis Dei conſtat. Quia autem in hoc mundo non apparet quid ſit, aut quid valeat talis vita: merito exprimendi cauſa, immortalitatem addidit, quæ eſt ejus vitæ quæ nunc abſcondita eſt, revelatio.

11. *In quod poſitus.*] Non fruſtra tantopere Euangelium una cum Apoſtolatu ſuo commendat. Nihil enim uſque adeo molitur Satan, quam ut ſanæ doctrinæ fidem quoquo modo ex animis noſtris exterminet: quia vero hoc non ſemper illi promptum eſt ſi nos invadat aperto Marte, clandeſtinis & obliquis artibus nos adoritur. Nam ut fidem abroget doctrinæ, piorum doctorum vocationem labefactat. Paulus ergo quum mortem haberet præ oculis, non ignorans veteres & uſitatas Satanæ inſidias, tam Euangelii doctrinam in genere, quam vocationem ſuam aſſerere voluit: ſicuti utrumque erat neceſſarium. Nam ut longæ conciones habeantur de Euangelii dignitate, non multum nobis proderunt, niſi teneamus quale ſit Euangelium. Multi enim conſentient in iſtud univerſale principium de certa Euangelii auctoritate, qui poſtea tamen oihil habebunt certi quod ſequantur. Hæc ratio eſt cur nominatim velit ſe agnoſci Paulus fidum & legitimum miniſtrum vivificæ illius doctrinæ cujus meminerat. Atque huc pertinet quod variis titulis ſe ornat in re una exprimenda. *Præconem* ſe vocat, cujus partes ſunt, Principum & magiſtratuum decreta publicare. *Apoſtoli* nomen proprium eſt. Porro quia inter *doctorem* & diſcipulos eſt relatio, hoc quoque tertium nomen ſibi adſcribit, ut ſciant qui ab eo diſcunt, habere ſe magiſtrum divinitus ſibi ordinatum. Quibus autem ſe poſitum eſſe teſtatur? Gentibus. nam de illis præcipua erat controverſia: quod Judæi negabant vitæ promiſſiones ad alios, niſi ad carnales Abrahæ filios, pertinere. Ergo ne dubia ſit Gentium ſalus, affirmat ſe ad eas peculiariter à Deo fuiſſe miſſum.

12. *Quam etiam ob cauſam hæc patior.*] Satis notum eſt, hinc magis quam ulla alia de cauſa fuiſſe accenſam Judæorum rabiem adverſus Paulum, quod Euangelium Gentibus commune faceret. quanquam particula, Ob quam cauſam, refert totum complexum:

Digitized by Google

plexom: ideoque ad boc poſtremum membrum de Gentibus reſtringi non debet. Ergo ne vincula quibus detinebatur, aliquid de ſua auctoritate minuegent, duobus argumentis contra pugnat. Cauſam enim ſibi glorioſam potius quam turpem eſſe oſtendit: quia non ob maleficium aliquod vinctus ſit, ſed quod Deo vocanti ſit obſequutus. Eſt autem incredibile ſolatium, quum poſſumus bonam conſcientiam iniquis hominum judiciis opponere. Secundo à ſpe proſperi eventus argumentatur, nihil eſſe in ſuis vinculis pudendum. Hoc præſidio quiſquis munitus erit, poterit maximas quaſque tentationes ſuperare. Et quum ſe *pudefieri* negat, alios animat ſuo exemplo ad eandem fortitudinem.

Novi enim cui crediderim.] Hoc unicum eſt aſylum quo ſe recipere debent omnes pii, quoties eos mundus habet pro damnatis & deſperatis: ut ſcilicet ſatis habeant quod Deo probantur. quis enim finis ſi ab hominibus pendeant? Atque binc colligendum eſt quantum ab opinione diſtet fides: qaia quum dicit Paulus, Novi cui crediderim, ſignificat nequaquam ſufficere ſi credas, oiſi Deum habeas auctorem: atque ejus rei tibi conſtet certitudo. Fides ergo neque hominum auctoritate nititur, neque ita in Deum recumbit ut hæſitet: ſed cum ſcientia conjuncta eſſe debet. alioqui parum eſſet firma adverſus innumeros Satanæ inſultus. Cui autem cum Paulo conſtat bæc ſcientia, is experitur non fruſtra vocari fidem noſtram, victoriam qua muodus vincitur: nec fruſtra
Mat. 16. dictum eſſe à Cbriſto, Portæ inferorum non præva-
verſ. 16. lebunt. Is, inquam, inter omnes procellas & tempeſtates tranquillus quieſcet, cui boc erit conſtitutum, Deum qui mentiri ac fallere nequit, loquutum eſſe, ac indubie præſtaturum quod promiſit. Rurſum ſi cui non erit obſignata hæc veritas, inſtar arundinis buc & illuc perpetuo nutabit. Proinde bic locus obſervatione dignus eſt, quia optime exprimit vim fidei, quum docet eam gloriam nos debere Deo tribuere io rebus maxime deploratis, ut ooo dubitemus ipſum fore veracem ac fidelem: deiode quum docet in verbo perinde eſſe acquieſcendum, acſi Deus è cælo nobis apparuiſſet. Nam quiſquis hac perſuaſione noo eſt inſtructus, nibil tenet. Semper autem meminerimus, Paulum noo in umbra philoſophari, ſed quaſi in re præſenti conſtitutum, ſerio teſtari quid valeat æternæ vitæ fiducia. *Perſuaſus ſum quod potens ſit.* Quoniam periculorum vis & magnitudo nos ſæpe coolternant, vel ſaltem ad diffidentiam ſollicitant animos noſtros: ideo neceſſe eſt boc clypeo nos munitos eſſe, ſatis in Dei virtute nobis eſſe præſidii. quemadmodum Chriſtus ubi nos ſecu-
ros eſſe jubet, hoc utitur argumento, Pater qui vos Joan. 10.
mibi dedit, major omoibus eſt. Quo ſignificat nos verſ. 29.
eſſe extra periculum, quum Dominus qoi nos in tutelam ſuam recepit, ad reſiſtendum abunde ſit potens. Non audet quidem Satan recta hanc cogitationem ingerete, Deum non poſſe, vel impediri qnominus impleat quod promiſit: (quoniam à tanta in Deum blaſphemia ſenſus noſter abhorret) ſed oculos menteſque noſtras præoccupando, ſenſum omnem divinæ poteotiæ adimit. Purgatum igitur animum eſſe oportet, qui non modo eam guſtat, ſed ejus guſtum inter quaſvis tentationes retinet. Cæterum de poteotia Dei quoties loquitur Paulus, actualem (ut ſic dicam) intellige: vel ἐνέργειαν, quemadmodum
ipſe alibi vocat. Fides enim Dei virtutem cum Coloſ. 1.
verbo ſemper conjungit, quod non procul imagi- verſ. 29.
natur, ſed intus conceptum babet ac poſſidet. Ita Rom. 4. v. 20. de Abraham, Non hæſitavit nec diſceptavit, ſed dedit gloriam Deo, certo perſuaſus quod quæ promiſerat, potens eſſet etiam implere. Obſerva etiam nomen *Depoſiti* pro vita æterna. nam inde colligimus, non aliter in manu Dei ſalutem noſtram eſſe, ac ſunt in manu depoſitarii quæ ipſius fidei cuſtodienda tradimus. Si penes nos eſſet ſalus noſtra, quot aſſidue periculis expoſita foret? nunc vero bene eſt quod apud talem cuſtodem repoſita, omni diſcrimine eſt ſuperior.

13. Formam habe ſanorum ſermonum, quos à me audiſti in fide & charitate quæ eſt in Chriſto Jeſu.

14. Egregium depoſitum cuſtodi, per Spiritum ſanctum qui inhabitat in nobis.

15. Noſti hoc quod averſati me fuerint omnes qui ſunt in Aſia: quorum ſunt Phygellus & Hermogenes.

16. Det miſericordiam Dominus Oneſiphori familiæ: quoniam ſæpe me refocillavit, & de catena mea non erubuit:

17. Sed quum eſſet Romæ, ſtudioſius quæſivit me, & invenit.

18. Det ei Dominus ut inveniat miſericordiam apud Dominum in die illo. & quam multa mihi Epheſi miniſtraverit, melius tu noſti.

13. *Formam habe.*] Quod alii exponunt, Doctrioa tua ſit veluti exemplar ad quod alii ſe forment, non recipio. Nihilo etism propius accedit ad Pauli mentem expoſitio Chryſoſtomi, ut habeat in promptu Timotheus virtutum imaginem cordi ſuo inſculptam, ex Pauli doctrina. Mihi potius videtur præcipere Apoſtolus Timotheo, ut tenax ſit doctrinæ quam didicit, non modo quod ad ſubſtantiam, ſed etiam quod ad figuram ipſam orationis. Nam ὑποτύπωσις, quod verbum bic uſurpat, eſt viva rerum expreſſio, acſi oculis præſentes ſubjicerentur. Sciebat Paulus quam proclivis ſit à pura doctrina vel lapſus, vel deflexio. Hanc ob cauſam ſollicite cavet ne declinet Timotheus ab ea docendi forma quam acceperat, ſuamque docendi rationem quaſi ad illud præſcriptum exigat: non quod in verbis tanta ſit religio, ſed quia ſupra modum noxia eſt doctrinæ vel minima deformatio. Hinc apparet qualis ſit in Papatu theologia, quæ uſque eo degeneravit ab iſto exemplari quod Paulus commendat, ut ſimilior ſit augurum vel aruſpicum ænigmatibus, quam doctrinæ ex Dei verbo ſumptæ. Quid enim obſecro Paulinum reſipiunt omnes Scholaſticorum libri? Hæc adulterandæ doctrinæ licentia oſtendit quam non abs re Paulus ad nativam formam retinendam Timotheum invitet. Et *ſanos ſermones* opponit noo tantum dogmatibus palam impiis, ſed frigidis quæſtionibus, quæ pro ſanitate nihil aliud quam languorem afferunt. *In fide & charitate.* Scio particulam ἐν ſæpenumero ex phraſi linguæ Hebraicæ ſumi pro Cum: ſed hic alia mihi videtur ſignificatio. ſiquidem hanc quaſi notam adſcripſit Paulus ſanæ doctrinæ, ut ſciamus quid contineat, & quæ ſit ejus ſumma: quam totam ſuo more ad fidem & charitatem revocat. Et utramque conſtituit in Chriſto: ut certe ejus cognitio duobus his membris præcipue conſtat. Tametſi enim eſt articulus ſingularis, qui cohæret cum charitatis nomine: idem tamen de fide ſubaudieodum eſt. Qui vertunt Cum fide & charitate, hunc faciunt ſenſum, ut Timotheus ſanæ doctrinæ adjungat pietatis & charitatis affectum. Fateor quidem neminem poſſe in ſana doctrina fideliter perſeverare, niſi qui vera ipſe fide & ſincera charitate præditus eſt. Verum prior expoſitio (meo judicio) melius quadrat: ut Paulus exegetice exprimat quales illi ſint ſermones,

& cujus

& cujus ſint argumenti. Summam autem in fide & charitate ſitam eſſe pronunciat: quarum fons ac principiom eſt, Chriſti cognitio.

14. *Egregium depoſitum cuſtodi.*] Latius patet iſta exhortatio. hortatur enim ut reſpiciat quid ſibi datum ſit à Deo, & tanto plus ſtudii & diligentiæ impendat, quanto excellentius eſt depoſitum. neque enim rei vulgaris tam ſevere ſolet exigi ratio. Ac Depoſiti quidem nomine, tam miniſterii honorem quam dotes omnes intelligo, quibus inſtructus erat Timotheus. Alii ad miniſterium ſolum reſtringunt: atqui potiſſimum ea notari puto quæ ipſo miniſterio potiora erant, nempe omnia Spiritus dona quibus excellebat. Nomen depoſiti alio quoque reſpectu uſurpat, ut meminerit Timotheus reddendam aliquando eſſe rationem. fideliter enim adminiſtrandum eſt quicquid nobis commiſit Deus. Et τὸ καλὸν pro eximio vel præclaro capitur. itaque non male Eraſmus Egregium poſuit, notandæ præſtantiæ cauſa: quam verſionem ſequutus ſum. Sed quæ eſt cuſtodiendi ratio? ne ſcilicet inertia noſtra pereat quod in nos Deus contulit: vel propter ingratitudinem vel abuſum auferatur. Multi enim abjiciunt Dei gratiam, multi ea jam accepta ſe privant ac ſpoliant. Quoniam tamen ejus cuſtodiæ difficultas vires noſtras ſuperat, ideo adjicit, *Per Spiritum ſanctum.* acſi diceret, Non requiro abs te pluſquam poſſis: nam quod ex te non habes, Spiritus Dei ſufficiet. Hinc ſequitur, non æſtimandas eſſe hominum vires ex Dei præceptis: quia ſicuti verbis jubet, ita etiam verba ſua cordibus inſcribit; ac vires ſuppeditando, efficit ne fruſtra jubeat. Quod ſequitur de *habitatione* Spiritus *in nobis*, ſignificat præſens eſſe ejus auxilium fidelibus: modo ne ſibi oblatum reſpuant.

15. *Noſti hoc.*] Defectiones iſtæ quas commemorat, poterant multorum concutere animos, & ſimul gignere varias ſuſpiciones: ut ſolemus fere omnia in ſiniſtram partem arripere. Ejuſmodi offendiculis occurrit Paulus cum heroica animi fortitudine, ot boni omnes eorum perfidiam deteſtari diſcant, qui ſervum Chriſti ita deſeruerant, quum ſolus capitis ſui periculo communem ſuſtineret cauſam: neque ideo ut vacillent, dum Paulum ipſum intelligunt minime Dei ope deſtitui. Nominat autem duos quos credibile eſt fuiſſe præ aliis celebres, ut aditum præcludat eorum calumniis. Eſt enim uſitatum transfugis ac militiæ Chriſtianæ deſertoribus, quo ſuam turpitudinem excuſent, quaſcunque poſſunt criminationes fingere adverſus fideles & probos Euangelii miniſtros. Phygellus & Hermogenes, quia ſciebant ignaviam ſuam merito infamem eſſe poſſe apud fideles, adeoque flagitioſæ perfidiæ damnari: non dubitaſſent Paulum gravare falſis rumoribus, & impudenter lædere ejus innocentiam. Ergo Paulus ut fidem eorum mendaciis deroget, notam quam merentur, illis inurit. Sic etiam hodie permulti, quia vel non admittuntur hic in miniſterium, vel etiam abdicantur honore propter ſuam nequitiam, vel non aluntur otioſi, vel perpetrato furto aut ſcortatione aufugere coguntur: per Galliam deinde & alias regiones volitant, ac quaſcunque poſſunt criminationes in nos regerendo, ſuæ innocentiæ approbationem inde mutuantur. Et tanta eſt quorundam fratrum imperitia, ut nos crudelitatis inſimulent, ſi quis noſtrum tales pingat ſuis coloribus. Atqui optandum foret ut frontem omnes haberent ſtigmate notatam, unde agnoſcerentur primo ſtatim congreſſu.

16. *Det miſericordiam Dominus.*] Ex hac precatione colligimus, minime perire officia ſanctis impenſa, etiamſi gratiam ipſi referre nequeant. Nam quod Deum precatur ut mercedem rependat, hoc vim habet promiſſionis. Et ſimul oſtendit Paulus ſuam gratitudinem, quum remunerandi vices in Deum tranſcribit, quia impar eſt ſolvendo. Quid ſi adfuiſſet remunerandi facultas? certe re ipſa teſtatus fuiſſet hominem ſe ingratum non eſſe. Porro notandum eſt quod quum Oneſiphori ſolius beneficentiam laudet, ob eum toti familiæ bene precatur. Unde colligimus, Dei benedictionem non tantum ſuper caput juſti, ſed ſuper totam domum reſidere. tantus eſt Dei amor erga ſuos, ut ſe ad omnes qui cum illis ſunt conjuncti, diffundat. Quod Oneſiphorum dicit *non erubuiſſe de ſua catena*, id non modo liberalitatis ſignum eſt, ſed etiam zeli: quandoquidem periculo ſe libenter objecerit ac hominum infamiæ, ut Paulum ipſum juvaret.

18. *Det ei Dominus ut inveniat.*] Quidam ita exponunt, Det illi Deus ut apud Chriſtum judicem miſericordiam reperiat. Et ſane hoc aliquanto eſt tolerabilius, quam locum illum Moſis, Pluit Domi- *Geneſ. 19.*
nus à Domino, ita exponere, Pluit Pater à Filio. *verſ. 24.*
Fieri tamen poteſt ut vehementia affectus Paulum ad repetitionem ſupervacuam impulerit, ut fieri ſolet. Hæc autem precatio nos docet, quanto uberior merces eos maneat qui ſine ſpe terreni præmii ſanctis exhibent ſua officia, quam ſi præſentem ex manu hominum reciperent. Quid autem precatur? ut miſericordiam inveniat. Qui enim erga proximos fuerit miſericors, talem erga ſe experietur Deum. quæ promiſſio niſi ad benignitatem exercendam acriter nos ſollicitet ac ſtimulet, pluſquam ſtupidi ſumus. Unde ſequitur etiam, Deum non merita noſtra ex dignitate præmiari: ſed hoc eſſe optimum & præſtantiſſimum quod nobis rependit præmium, dum nobis ignoſcit: ſeque non tam ſeverum oſtendit judicem, quam patrem indulgentem ac propitium.

CAP. II.

TU ergo, fili mi, fortis eſto in gratia quæ eſt in Chriſto Jeſu:
2. Et quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt ad alios etiam docendos.
3. Tu igitur feras afflictiones, ut bonus miles Jeſu Chriſti.
4. Nemo qui militat, implicatur vitæ negotiis, ut imperatori placeat.
5. Quod ſi quis etiam certaverit, non coronatur niſi legitime certaverit.
6. Laborare prius agricolam oportet quam fructus percipiat.
7. Intellige quæ dico. det enim tibi Dominus intellectum in omnibus.

1. *Tu ergo.*] Sicuti antea juſſerat depoſitum ſervare per Spiritum: ita etiam nunc præcipit ut in gratia roboretur. Quo dicto vult torporem & inertiam excutere. adeo enim ignava eſt caro, ut in medio curſu flacceſcant etiam qui præditi ſunt egregiis donis, niſi identidem excitentur. Dicet quiſpiam, Quorſum attinet hominem hortari ut *in gratia ſit fortis*, niſi aliquæ eſſent ad cooperandum liberi arbitrii partes? Reſpondeo, hoc ipſum quod flagitat Deus verbo ſuo à nobis, etiam Spiritu præſtare, ut in gratia quam nobis contulit, roboremur. neque tamen ſupervacuæ ſunt exhortationes: quia Spiritus Dei nos intus docens, facit ne fruſtra & inutiliter illæ inſonent auribus. Quiſquis ergo agnoſcet præſentem exhor-

exhortationem non aliter potuiſſe eſſe fructuoſam quam arcana Spiritus virtute, nunquam in ea liberum arbitrium ſtabiliet. Addit, *Quæ eſt in Chriſto Jeſu*, ob duas cauſas: ut doceat non aliunde contingere quam à ſolo Chriſto: & nemini Chriſtiano eam defuturam. Nam quum ſit unus Chriſtus omnibus communis, ſequitur omnes ejus gratiæ eſſe participes: quæ ideo in Chriſto eſſe dicitur, quod ipſam habere debeant quicunque ſunt Chriſti. Blanda hæc filii appellatio qua utitur, non parum ad conciliandam gratiam valet, quo melius in animum doctrina penetret.

2. *Et quæ à me audiſti.*] Iterum oſtendit quantum ſit de propaganda ad poſteros ſana doctrina ſollicitus: nec tantum hortatur Timotheum ut ſigumm ejus & lineamenta retineat, quemadmodum prius fecit: ſed etiam ut piis doctoribus eam per manus tradat, quo paſſim diffuſa, in multorum animis radices agat. Videbat enim fore ut facile intercideret, niſi mature plurium miniſterio ſpargeretur. Et ſane videmus quid paulo poſt Apoſtolorum mortem egerit Satan: perinde enim acſi aliquot jam ſeculis eorum fuiſſet ſepulta prædicatio, innumera deliria invexit, quæ prodigioſa abſurditate Gentium omnium ſuperſtitiones vincerent. Non igitur mirum eſt ſi Paulus, ut tale tantumque malum præcaveat, ſtudioſe vult ſuam doctrinam apud omnes pios Miniſtros deponi, qui ad eam tradendam idonei ſint. acſi diceret, Vide ut poſt mortem meam certa extet doctrinæ meæ teſtificatio. Id autem fiet, ſi quæ à me didiciſti, non ipſe modo fideliter doceas, ſed latius per alios cures publicanda. ergo quoſcunque videbis aptos ad eam rem, illorum fidei commendes hunc theſaurum. *Fideles homines* nominat, non à fide quæ inter omnes Chriſtianos eſt communis: ſed per excellentiam, qui rara fide polleant. Poſſemus etiam Fidos vertere: quia pauci ſunt, qui ſincere creditam ſibi doctrinam perpetuæ memoriæ conſervare ſtudeant. Alios impellit ambitio, eaque multiplex: alios avaritia, alios malignitas, alios periculorum metus tardat. ſingularis ergo hic requiritur fidelitas. *Per multos teſtes*. Non ſignificat teſtes à ſe fuiſſe adhibitos ſolenni ritu, Timothei cauſa: ſed quoniam nonnulli controverſiam movere poterant, eſſetne à Paulo profectum quod doceret Timotheus, an ab ipſo confictum: omnem dubitationem eximit hac ratione, quod non clanculum in angulo fuerat loquutus, ſed multi vivebant qui poſſent teſtari nihil proferre Timotheum, quod non ex Pauli ore prius audiſſent ipſi quoque. Ergo extra ſuſpicionem futura erat Timothei doctrina, quum haberet permultos condiſcipulos qui teſtimonium illi poſſent reddere. Hinc diſcimus quantum laborare debeat ſervus Chriſti pro conſervanda ac tuenda doctrinæ puritate. neque ſolum quamdiu vivit, ſed quam longiſſime ejus cura & ſtudium extendere ſe poterit.

3. *Tu igitur feras afflictiones.*] Non ſine magna neceſſitate hanc ſecundam exhortationem attexuit. Se enim ad ferendas afflictiones comparent oportet qui ſua obſequia Chriſto offerunt. itaque nunquam erit perſeverantia ſine tolerantia malorum. Et ideo addit, Sicuti decet *bonum militem Chriſti*. quo verbo ſignificat militare omnes qui Chriſto ſerviunt: & eorum militiam non malis inferendis, ſed magis patientia conſtare. Harum rerum meditatio pluſquam neceſſaria nobis eſt. Videmus quam multi haſtas quotidie abjiciant, qui magnum neſcio quid præ ſe ferebant. Unde id? quia cruci aſſueſcere nequeunt. Primum tanta eſt mollities, ut militiam horreant. deinde non aliam tenent militandi rationem, quam ut ferocia cum adverſariis certent: quid autem ſit poſſidere animas in patientia, diſcere non ſuſtinent.

4. *Nemo qui militat.*] Perſtat in ſimilitudine quam à militia ſumpſerat. Quanquam proprie loquendo, metaphorice prius dixit Chriſti militem: nunc vero comparatione utitur profanæ militiæ cum ſpirituali & Chriſtiana, hoc ſenſu, Ea eſt diſciplinæ militaris ratio, ut ſimulatque ſi miles imperatori nomen dedit, relicta domo & negotiis omnibus, nonniſi de bello cogitet: ita ut Chriſto penitus addicti ſimus, omnibus hujus ſeculi impedimentis ſolutos eſſe oportet. Per *negotia vitæ* intelligit familiæ adminiſtrandæ curam & ordinarias occupationes: ut agriculturam ſuam ruſtici, mercatores ſua commercia tabernaſque deſerunt, donec ſtipendiis ſuis ſint perfuncti. Nunc applicanda eſt comparatio ad rem præſentem: quod quiſquis vult ſub Chriſto militare, debet relictis omnibus mundi tricis & avocamentis, ſe illi totum ſuaque ſtudia addicere. Denique meminerimus veteris proverbii, Hoc age: quod ſignificat ita ſerio incumbendum eſſe peragendis ſacris, ut ſtudium noſtrum & intentionem nihil aliud impediat. Lectio illa vulgaris, Nemo militans Deo, &c. corrumpit totum Pauli ſenſum. Porro Eccleſiæ paſtores ſub Timothei perſona alloquitur hic Paulus. Generalis quidem eſt ſententia: ſed quæ peculiariter verbi miniſtris competit. Videant ergo hi primum quæ ſint à ſua functione aliena, ut ſoluti Chriſtum ſequantur. deinde videant alii, quiſque in ſuo ordine, quid eos à Chriſto abſtrahat: ne hic cæleſtis Imperator minus habeat in nos juris, quam ſibi vindicat homo quiſpiam mortalis in profanos milites qui in ejus nomen jurarunt.

5. *Quod ſi quis etiam certaverit.*] Nunc agit de perſeverantia, ne quis putet ſe uno aut altero conflictu eſſe perfunctum. Ac ſimilitudinem quidem ab athletis mutuatur, quorum nemo præmium obtinet, niſi ad extremum victor perſtiterit. Sic prioris ad Corinthios 9. cap. v. 24. Omnes quidem in ſtadio currunt, ſed unus accipit bravium. ſic currite, ut comprehendatis. Si quis itaque primo conflictu fatigatus, ſtatim ex campo ſe ad quietem ſubducat, inertiæ damnabitur potius quam ornabitur corona. Ita quum certare nos velit Chriſtus tota vita: qui in medio victoriæ curſu defecerit, honore ſe privat, etiamſi ſtrenue cœperit. *Legitime certare*, eſt proſequi certamen quantum vel quoad lex præſcribit: ne quis ſibi modum ante tempus definiat.

6. *Laborare prius agricolam.*] Non ignoro ſecus verti hunc locum ab aliis: & fateor eos ad verbum transferre quod Græce Paulus ſcripſit. ſed qui diligenter contextum expendent, mihi aſſentientur. Deinde nota eſt Græca iſta phraſis, Laborantem, pro Laborare. participium enim loco infinitivi ſæpe Græci uſurpant. Senſus igitur, non ante agricolas fructum colligere, quam in terræ cultura, in ſatione, & aliis ſudaverint. Quod ſi non parcunt laboribus agricolæ ut aliquando fructu potiantur, & patienter tempus meſſis expectant: quanto abſurdius eſt nos labores refugere, quos nobis injungit Chriſtus tanta mercede propoſita?

7. *Intellige quæ dico.*] Hoc non addidit propter ſimilitudinum quas poſuit, obſcuritatem: ſed ut ſibi ipſe ſuggereret Timotheus quanto præſtantior ſit ſub Chriſti auſpiciis militia, & quanto amplior merces. nam vix aſſidua meditatione hoc tandem ſentimus. Quæ ſubjicitur precatio, quaſi vice correctionis addita eſt. quia enim uſque ad incorruptibilem illam vitæ futuræ coronam non conſcendunt noſtræ mentes: Paulus ad Deum confugit, ut Timotheo det intellectum. Atque hinc colligimus, non minus fruſtra nos doceri niſi Dominus mentes aperiat, quam fruſtra darentur præcepta niſi ipſe ſuppeditaret vires implendi. Quis enim Paulo melius id potuit? atqui ut aliquo profectu doceat, diſcipulum ſibi à Deo formari poſtulat.

8. Memento

8. Memento Jeſum Chriſtum excitatum à mortuis, ex ſemine David, ſecundum Euangelium meum:

9. In quo laboro uſque ad vincula, tanquam maleficus. ſed ſermo Dei non eſt vinctus.

10. Quamobrem omnia tolero propter electos, ut ipſi quoque ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria æterna.

11. Fidelis ſermo: ſi enim commortui ſumus, etiam ſimul cum ipſo vivemus:

12. Si ſuſferimus, etiam ſimul regnabimus: ſi negamus, ille quoque negabit nos:

13. Si increduli ſumus, ille fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt.

8. *Memento Jeſum.*] Aliquam ejus doctrinæ partem, quam volebat ſalvam & integram ad poſteros pervenire, nominatim exprimit. Veriſimile autem eſt, eam potiſſimum attingi de qua maxime timebat. quod etiam ex ſequentibus patebit, quum de errore Hymenæi & Phileti loquetur. Negabant enim reſurrectionem, cujus habemus certum in hac confeſſione pignus, dum factam eſſe mentiebantur. Cæterum quam neceſſaria fuerit hæc Pauli admonitio, veteres hiſtoriæ oſtendunt. quaſcunque enim maculas potuit Satan, admovit ad deſtruendam hanc fidem. Nam quum ſint duo ejus membra, Chriſtum ex ſemine David eſſe genitum, & ex morte reſurrexiſſe: ſtatim à tempore Apoſtolorum exortus eſt Marcion, qui humanæ in Chriſto naturæ veritatem abolere conatus eſt. ſequuti ſunt deinde Manichæi. Et hæc peſtis hodie quoque graſſatur. Quod ad reſurrectionem ſpectat, quam multi & quam variis artibus ejus ſpem labefactare conati ſunt? Tantundem igitur valet iſta Pauli atteſtatio, acſi dixiſſet, Ne quis Euangelium meum calumniis depravet aut adulteret: ita docui, ita prædicavi, Chriſtum qui ex ſemine David natus homo erat, reſurrexiſſe à mortuis. *Euangelium* vocat *ſuum*, non ut ſe auctorem profiteatur, ſed miniſtrum. Cæterum in Chriſti reſurrectione certum habemus noſtræ omnium pignus. Proinde qui fatetur Chriſtum reſurrexiſſe, idem etiam de nobis futurum affirmat: quia non ſibi reſurrexit Chriſtus, ſed nobis. Non enim à membris ſuis avelli caput debet. Præterea in Chriſti reſurrectione continetur redemptionis & ſalutis noſtræ complementum. nam mors quoque adjungitur. Chriſtus ergo qui mortuus eſt, reſurrexit: cur? & in quem finem? hic ad nos veniendum eſt: atque hic etiam emergit vis & fructus utriuſque, nempe tam reſurrectionis quam mortis. Nam hoc principium ſemper tenendum eſt, Scripturam non ſolere de illis hiſtorice tantum ac frigide loqui, ſed fructum ſubaudiendo. *Ex ſemine David.* Hac particula non modo aſſeritur humanæ naturæ veritas in Chriſto: ſed etiam illi vendicatur honos & nomen Meſſiæ. Negant hæretici Chriſtum fuiſſe verum hominem, alii delapſum è cælo fingunt, alii tantum apparuiſſe in ipſo hominis ſpeciem: Paulus ex adverſo clamat, ex ſemine David fuiſſe. quo haud dubie pronunciat verum fuiſſe hominem, ex homine progenitum, nempe ex Maria. Hoc tam diſertum teſtimonium quo magis eludere conantur hæretici, impudentiam ſuam magis produnt. Judæi & alii Chriſti hoſtes eum eſſe negant qui olim promiſſus fuerat: Paulus autem affirmat Davidis eſſe filium, & ex ea familia ducere originem, ex qua Meſſiam deſcendere oportuit.

9. *In quo laboro.*] Eſt anticipatio. vincula enim apud imperitos fidem detrahebant illius Euangelio. Fatetur ergo, ſe, quod ad externam ſpeciem, inſtar ſcelerati hominis vinctum eſſe: ſed addit, ſua vincula non obſtare quominus libero curſu procedat Euangelium: imo electis ſalutare eſſe quod patitur, quia ad eorum confirmationem valeat. Hæc invicta eſt Martyrum Chriſti fortitudo dum conſcientia bonæ cauſæ quam agunt, eos ſupra mundum attollit: ut non tantum corporis dolores & cruciatus, ſed quamvis ignominiam quaſi ex alto deſpiciant. Imo hac cogitatione erigere ſe debent omnes pii, dum Euangelii miniſtros contumelioſe tractari vident ab adverſariis, ne propterea minus reverenter de doctrina ſentiant: ſed dent gloriam Deo, cujus virtute illam erumpere vident per omnia mundi obſtacula. Et ſane niſi nimium carni addicti eſſemus, ſola hæc conſolatio ſufficere nobis in perſequutionibus deberet: quod ſi impiorum ſævitia opprimimur, nihilominus propagatur Euangelium, & latius ſe diffundit. Nam quicquid illi moliantur, adeo non obruunt neque extinguunt Euangelii lucem, ut clarius emicet. Libenter ergo, vel ſaltem placatis animis feramus, tam corpus noſtrum quam nomen carcere occluſum teneri, modo perrumpat Dei veritas, ac longe lateque ſe diffundat.

10. *Quamobrem omnia tolero.*] Ab effectu demonſtrat quam nihil ſit in ſuis vinculis probroſum, quum ſcilicet electis magnopere ſint utilia. Quod ſe *propter electos tolerare* dicit, hoc argumento eſt, quanto pluris faciat Eccleſiæ ædificationem quam ſeipſum. Neque enim mori tantum, ſed etiam inter ſceleſtos deputari paratus eſt, ut Eccleſiæ ſalutem promoveat. Cæterum idem hoc loco docet Paulus quod primo ad Coloſſ. v. 24. ubi dicit ſe implere quæ deſunt Chriſti paſſionibus, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia. Unde Papiſtarum impudentia abunde refellitur, qui inde colligunt mortem ejus fuiſſe pro peccatis noſtris ſatisfactoriam. quaſi vero aliud morti ſuæ arroget Paulus, quam quod piorum fidem ſit confirmatura. Nam mox additur expoſitio, quum ſalutem non alibi ſtatuit quam in Chriſto. Sed petat plura qui volet ex eo capite quod citavimus. *Cum gloria æterna.* Hic finis eſt ſalutis quam in Chriſto conſequimur: Salus enim noſtra eſt Deo vivere. quæ incipit à regeneratione noſtra: abſolvitur autem plena noſtri liberatione, quum nos Deus ex mortalis vitæ ærumnis ſubductos, in regnum ſuum colligit. Ad hanc ſalutem accedit participatio cæleſtis, adeoque divinæ gloriæ. Ergo ut Chriſti gratiam amplificaret, nomen Æternæ gloriæ ſaluti appoſuit.

11. *Fidelis ſermo.*] Præfationem adhibet ſententiæ quam mox proferet: quia nihil à ſenſu carnis magis eſt alienum, quam moriendum eſſe ut vivamus, ac mortem eſſe vitæ aditum. Nam ex aliis locis colligere licet, Paulum in rebus valde ſeriis, aut creditu minus facilibus, ita præfari ſolitum. Summa autem eſt, non aliter nos vitæ & gloriæ Chriſti fore ſocios, niſi prius cum eo mortui & humiliati fuerimus. Sicut dicit ad Romanos 8. v. 29. electos omnes eſſe præordinatos, ut configurentur imagini ejus. Hoc tam exhortandis fidelibus, quam conſolandis dictum eſt. Quem enim non acuat iſta exhortatio, non moleſte ferendas eſſe afflictiones, quarum tam felix erit exitus? Eadem cogitatio ſuaviter temperat quicquid acerbitatis eſt in cruce: quia neque dolores, neque tormenta, neque probra, neque mors horrori nobis eſſe debent, in quibus communicamus cum Chriſto. præſertim quum omnia hæc, præludia ſint triumphi. Suo igitur exemplo pios omnes animat Paulus, ut hilari animo afflictiones pro Chriſti nomine ſuſcipiant, in quibus jam guſtum habent futuræ gloriæ. Quod ſi ab opinione noſtra id abhorret,

Digitized by Google

ret, ac crux ipſa adeo nos conſternat & oculos perſtringit, ut Chriſtum non ſentiamus: meminerimus hunc clypeum opponere, Fidelis ſermo. Et ſane ubi adeſt Chriſtus, illic agnoſcere debemus vitam & felicitatem. Ergo mordicus tenenda eſt iſta communicatio: quod non ſeorſum morimur, ſed cum Chriſto, ut nobis cum eo poſt ſit communis vita: nos cum eo pati, ut gloriæ ſimus conſortes. Cæterum per mortem intelligit totam illam externam mortificationem, de qua loquitur ſecundæ ad Corinthios 4. verſ. 10.

12. *Si negamus.*] Comminatio quoque additur, ad excutiendam ignaviam. Nihil enim iis cum Chriſto eſſe denunciat, qui perſequutionis terrore confeſſionem nominis ejus abjiciunt. Quam enim eſt indignum, pluris eſſe nobis caducam hanc mundi vitam, quam ſacroſanctum Filii Dei nomen? Et cur cenſeret inter ſuos qui perfide eum repudiant? Nihil hic valet infirmitatis patrocinium. niſi enim ſe vanis blanditiis ſponte fallerent homines, inſtructi Spiritu fortitudinis conſtanter reſiſterent. Quod flagitioſe Chriſtum abnegant, id non infirmitatis modo, ſed infidelitatis eſt: quia mundi illecebris excæcati, nullam in regno Dei vitam cernunt. Sed hæc doctrina meditatione opus habet magis quam explicatione. Clara enim ſunt Chriſti verba, Qui me negaverit, *Mat. 10. verſ. 33.* negabo & ego illum. Reſtat ut quiſque apud ſe reputet, non eſſe hoc puerile terriculamentum: verum ſerio pronunciari à judice, quod ſuo tempore verum fuiſſe conſtabit. Quod ſequitur continuo, *fidelem manere illum*, etiamſi fuerimus increduli, hunc habet ſenſum, Nihil Filio Dei aut ejus gloriæ decedere noſtra perfidia: quia ſeipſo contentus, minime noſtra confeſſione indigeat. acſi dixiſſet, Deſerant Chriſtum qui volent, nihil illi auferunt: ſiquidem ipſis perditis, integer manet. Quanquam plus exprimit, Chriſtum ſcilicet non eſſe noſtri ſimilem, ut à veritate ſua deſciſcat. Unde patet, alienari à Chriſto quicunque eum abnegant. Atque ita impiis defectoribus blanditias quibus ſe demulcent, excutit: quia ut ſunt verſipelles, Chriſtum ſimiliter multiformem & varium libenter fingerent. quod fieri poſſe negat Paulus. Interea tamen tenendum eſt quod priore loco attigi, fidem noſtram ideo fundari in perpetua & inflexibili Chriſti veritate, ne inconſtantia hominum vel defectione vacillet.

14. Hæc admone, conteſtans coram Domino, ne verbis diſceptent, ad nullam utilitatem, ad ſubverſionem audientium.

15. Stude teipſum probatum exhibere Deo, operarium non erubeſcentem, recte ſecantem ſermonem veritatis.

16. Cæterum profanas clamorum inanitates omitte. ad majorem enim proficient impietatem.

17. Et ſermo eorum, ut gangræna, paſtionem habebit. quorum de numero eſt Hymenæus & Philetus:

18. Qui circa veritatem aberrarunt, dicentes reſurrectionem jam eſſe factam, & ſubvertunt quorundam fidem.

14. *Hæc admone.*] Demonſtrativum Hæc, habet pondus: ſignificat enim ſummam illam Euangelii quam poſuit, & quas addidit exhortationes, eſſe tanti momenti, ut illis ſuggerendis nunquam debeat fatigari bonus Miniſter: res enim dignas eſſe quæ aſſidue tractentur, & quarum non poſſit eſſe nimia commemoratio. Hæc ſunt, inquit, quibus non tantum ſemel tradendis, ſed frequenter inculcandis te operam dare volo. Solam enim ædificationem reſpicere debet bonus doctor, & in eam ſolam inſiſtere. Exadverſo, non tantum à frigidis quæſtionibus eum abſtinere jubet, ſed alios etiam prohibere ne ipſas ſectentur. Λογομαχεῖν, eſt operam dare contentioſis diſputationibus, quas fere parit argutiarum ſtudium. *Conteſtatio coram Deo*, ad terrendum valet. atque ex hac ſeveritate colligimus quam pernicioſa res ſit Eccleſiæ, litigioſa ſcientia: hoc eſt, quæ poſthabita pietate oſtentationi ſervit: qualis eſt tota ſpeculativa (quam vocant) theologia Papatus. *Ad nullam utilitatem*. Duplici nomine λογομαχίαν damnat: quod fructu careat, & quod valde ſit noxia, infirmos turbando. Tametſi autem in verſione ſequutus ſum Eraſmum, quia minime diſſidebat à mente Pauli: volo tamen monitos lectores, ita reſolvenda eſſe Pauli verba, Quod nullam ad rem utile eſt. Dicit enim Græce, εἰς οὐδὲν χρήσιμον. ergo iſtud χρήσιμον in nominativo caſu lego, non accuſativo. & certe oratio ſic melius fluet: acſi dixiſſet, Quid enim attinet, quum nullus inde profectus veniat, multum autem mali? quia ſubvertitur multorum fides. Notemus primum, hac ſola de cauſa merito improbari doctrinam, quod nihil proſit. Neque enim curioſitati noſtræ obſequi vult Deus, ſed utiliter nos inſtituere. Valeant ergo ſpeculationes omnes ac faceſſant quæ ædificationem nullam afferunt. Sed hoc ſecundum longe deterius eſt, quum *ad ſubverſionem audientium* agitantur quæſtiones, alioqui jam infructuoſæ. Atque utinam animum huc adverterent qui ſemper ad digladiandum lingua ſunt armati: imo certandi materiam quavis ex quæſtione aucupantur: adeoque in ſingulis verbis aut ſyllabis aucupia tendunt. Sed alio rapit eos ambitio, & interdum etiam fatalis pene quidam morbus, quod in nonnullis expertus ſum. Quod autem de ſubverſione tradit Apoſtolus, veriſſimum eſſe res ipſa quotidie docet. Nam & naturale eſt, altercando amitti veritatem: Satan diſſidiorum prætextu ad turbandos infirmos abutitur, & deſtruendam eorum fidem.

15. *Stude teipſum.*] Quoniam ex hoc fonte naſcuntur omnes pugnæ in doctrina, quod ingenioſi homines ſe venditare coram mundo cupiunt: optimum & aptiſſimum remedium opponit hic Paulus, dum præſcribit Timotheo ut in Deum conjectos habeat oculos. acſi diceret, Alii plauſum captant theatri, tu autem ſtudeas approbare te ac tuum miniſterium Deo. Et certe nihil eſt quod vanam eminendi cupiditatem magis coërceat, quam dum reputamus nobis eſſe cum Deo negotium. Quod ἀνεπαίσχυντον Eraſmus tranſtulit, Non erubeſcendum, tametſi non impugno: malui tamen active exponere *Non erubeſcentem*, quia & magis uſitata eſt ſignificatio apud Græcos, & melius viſa eſt præſenti loco convenire. Subeſt enim adhuc antitheſis, Qui contentionibus turbant Eccleſiam, ideo tam acriter fervent, quod pudet eos vinci, ac ſibi turpe ducunt aliquid neſcire. Paulus contra ad Dei judicium nos revocat. ac primo quidem jubet eſſe non otioſos diſputatores, ſed *operarios*: quo nomine oblique perſtringit eorum ſtultitiam qui nihil agendo tantopere ſe torquent. Simus ergo operarii in ædificanda Eccleſia, atque ita operam noſtram impendamus Deo, ut fructus aliquis appareat: tunc nulla erit erubeſcendi cauſa. Quia utcunque garrulis oſtentatoribus diſputando pares non ſimus, ſufficiet tamen ædificandi ſtudio, induſtria, fortitudine, & doctrinæ efficacia eſſe ſuperiores. In ſumma, jubet Timotheum gnaviter laborare, ut coram Deo non pudefiat? quum ambitioſi unum

 hunc

hunc pudorem horreant, ne quid deperdant ex opinione acuminis vel reconditæ ſcientiæ. *Recte ſecantem.* Pulchra metaphora, & quæ ſcite exprimit præcipuum docendi finem. Nam quum ſolo Dei verbo contentos eſſe nos oporteat, quorſum quotidianæ conciones, & ipſum quoque Paſtorum munus? nonne in medio poſita eſt Scriptura? At Paulus ſecandi partes doctoribus aſſignat: acſi pater alendis filiis panem in fruſta ſecando, diſtribueret. Commendat autem rectam ſectionem Timotheo, ne in ſecando corticе occupatus (ut ſolent inepti homines) ipſam interiorem medullam intactam relinquat. Quanquam generaliter hoc nomine prudentem verbi diſtributionem, & quæ rite ad auditorum profectum attemperatur, intelligo. Alii enim mutilant, alii diſcerpunt, alii contorquent, alii diſrumpunt, alii cortice (ut dixi) hærentes, non perveniunt ad ipſam animam. His omnibus vitiis opponitur recta ſectio: hoc eſt, explicandi ratio ad ædificationem formata. Eſt enim quaſi regula ad quam exigere convenit omnem Scripturæ interpretationem.

16. *Cæterum profanas.*] Quid de his vocabulis ſentiam, dixi ultimo capite Epiſtolæ prioris: inde igitur petant lectores. Quo autem magis deterreat Timotheum ab iſta profana & ſonora garrulitate, admonet quendam eſſe veluti labyrinthum, vel potius profundum gurgitem, unde nullus patet exitus, ſed in quem magis ſe ac magis demergant homines.

17. *Et ſermo eorum, ut gangræna.*] Admonuit me Benedictus Textor medicus hunc locum male ab Eraſmo verſum fuiſſe, qui ex duobus morbis plane diverſis unum fecit. Cancrum enim poſuit loco gangrænæ. Atqui Galenus eum in aliis locis paſſim, tum vero ubi definitiones ponit in libello De tumoribus præter naturam, alterum diſtinguit ab altero. Et Paulus Ægineta, illius auctoritate, libro 6. cancrum ita definit: tumorem eſſe inæqualem, oris tumidis, aſpectu tetrum, lividum & abſque dolore. Poſtea duas ſpecies recenſet, ut faciunt alii medici. quoſdam enim cancros eſſe latentes ſine ulcere. quoſdam vero ulceroſos, ubi ſcilicet prævalet atra bilis ex qua gignuntur. De gangræna autem Galenus tam in libello jam citato, quam libro ſecundo ad Glauconem, Aëtius item libro decimo quarto, & idem Ægineta libro quarto ſic loquuntur: eam provenire ex magnis phlegmonis, ſi in aliquod membrum violenter incubuerint, ita ut pars illa deſtituta calore & ſpiritu vitali, ad extinctionem tendat. Quod ſi emortua penitus fuerit, tunc morbum Græci ſphacelon vocant, Latini ſiderationem, vulgus ignem ſancti Antonii. Reperio quidem Cornelium Celſum ita diſtinguere, ut cancer ſit genus, gangræna ſpecies. verum ejus error ex compluribus probatæ fidei medicorum locis palam refellitur. Potuit autem eum fallere vocum affinitas Cancer & Gangræna. Sed in Græcis vocibus poteſt ſimilis eſſe hallucinatio. καρκίνον enim illi cancrum appellant tam animal quam morbum: quum gangrænam putent Grammatici deduci ἀπὸ τοῦ γραίνειν, quod eſt edere. Proinde retinendum eſt hic vocabulum Gangrænæ quo uſus eſt Paulus: quod etiam Paſtioni optime convenit. Jam etymologiam notavimus. ſed omnes medici talem ejus naturam eſſe affirmant, ut niſi quam ociſſime ſuccurras, ad contiguas partes ſerpat, adeoque in oſſa penetret, nec graſſandi finem faciat, niſi homine extincto. Quum ergo gangrænam protinus ſequatur νέκρωσις vel ſideratio, mox ſuo contagio inficit reliqua membra uſque ad univerſalem corporis interitum: eleganter cum tam exitiali contagione Paulus adulterinas doctrinas comparat. Nam ſi aditum illis ſemel dederis, pervadunt uſque ad totius Eccleſiæ exitium. Quum igitur tam noxia ſit contagio, mature occurrere convenit: neque expectare dum progreſſu ipſo vires acquiſierit. non enim tunc erit ſubveniendi tempus. Hinc horribilis Euangelii extinctio in Papatu, quod inſcitia Paſtorum vel inertia diu & licenter graſſatæ ſunt corruptelæ quæ puritatem doctrinæ paulatim abolerent.

Quorum de numero.] Monſtrat digito peſtes ipſas, ut ſibi ab illis omnes caveant: nam ſi latere tales homines qui perniciem machinantur toti Eccleſiæ, patimur: quodammodo illis facultatem damus ad nocendum. Tegenda quidem ſunt fratrum vitia: ſed quorum contagio latius non graſſatur. Ubi autem multis eſt periculum, crudelis eſt noſtra diſſimulatio, niſi in tempore malum ipſum latens prodimus. Quid enim? an ut uni parcam, meo ſilentio peribunt centum aut mille? Neque vero ſoli Timotheo hoc dictum Paulus voluit: ſed omnibus gentibus ac ſeculis teſtatam eſſe voluit duorum hominum impietatem, ut viam præcluderet pravæ & exitiali eorum doctrinæ. Poſtquam autem receſſiſſe eos à veritate dixit, ſpeciem ipſam erroris deſignat, quod jactarent *reſurrectionem eſſe factam*: proculdubio allegoricam neſcio quam reſurrectionem fingendo. quod etiam hac ætate tentarunt impuri quidam canes. Atque hoc artificio præcipuum illud fidei noſtræ caput de reſurrectione carnis ſubruit Satan. Quod vetus eſt ac obſoletum hoc delirium, quod tam ſevere damnatum à Paulo, minus turbare nos debet: ſed quum audimus, jam tunc ab Euangelii exordio *ſubverſam fuiſſe quorundam fidem*, tale exemplum acuere debet noſtram diligentiam, ut mature à nobis & aliis tantam peſtem arceamus. Nam (quæ ad vanitatem eſt hominum propenſio) nulla eſt tam monſtroſa abſurditas, cui non apertæ ſint quorundam aures.

19. Firmum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, Novit Dominus qui ſint ſui. Et, Diſcedat ab injuſtitia quicunque invocat nomen Chriſti.

20. In magna quidem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea & fictilia: & alia quidem in honorem, alia in contumeliam.

21. Si quis ergo expurgaverit ſeipſum ab his, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum comparatum.

19. *Firmum tamen.*] Plus ſatis experimur quantum pariant offendiculi eorum defectiones qui eandem nobiſcum fidem aliquando ſunt profeſſi. præſertim vero id in hominibus notis contigit, & quorum nomen præ aliis celebratum fuit. Nam ſi quis ex vulgo deficiat, non ita movemur. At vero qui excelluerunt communi hominum opinione, ſicuti prius columnæ videbantur: ita cadere nequeunt quin alios in commune præcipitium trahant: ſaltem niſi aliunde fulciatur eorum fides. Hoc nunc agit Paulus. ſignificat enim non eſſe cauſam cur labaſcant pii, etiamſi videant ruere quos putabant eſſe firmiſſimos. Porro hac conſolatione utitur, hominum levitatem aut perfidiam non poſſe obſtare quominus Eccleſiam ſuam Deus ad extremum uſque ſervet. Ac primum quidem nos revocat ad Dei electionem quam metaphorice appellat *fundamentum*, firmam & ſtabilem ejus conſtantiam hoc nomine indicans. Quanquam hoc totum pertinet ad certitudinem ſalutis noſtræ comprobandam, ſiquidem ex electis Dei ſumus: acſi diceret, non pendere electos Dei ex variis eventis, ſed

inniti

inniti ſolido & immobili fundamento: quia in manu *Mat. 15. verſ. 13.* Dei ſit eorum ſalus. Nam ſicuti omnem plantationem quam non plantavit cæleſtis Pater, eradicari oportet: ita nullis ventis aut procellis obnoxia eſt radix quæ manu ejus eſt fixa. Sit ergo hoc primum: in hac tanta infirmitate carnis noſtræ electos tamen eſſe extra periculum, quia non ſtent propria virtute, ſed in Deo ſint fundati. Quod ſi fundamenta hominum manu facta tantum habent firmitudinis, quanto ſolidius erit quod ab ipſo Deo poſitum eſt? Scio à nonnullis referri hoc ad doctrinam ne quis ejus veritatem æſtimet ex hominum inconſtantia. verum ex contextu facile colligitur Paulum de Eccleſia Dei loqui, aut de electis. *Habens ſigillum hoc.* Quia nomen Signaculi quoſdam fefellit, qui notam vel inſigne ita vocari putarunt, ego Sigillum reddidi, quod minus habet ambiguitatis. Et ſane intelligit Paulus ſub arcana Dei cuſtodia, tanquam ſignatorio annulo, contineri ſalutem electorum, quemadmodum Scri- *Pſal 69. verſ 29. Phil. 4. verſ. 3.* ptura teſtatur ſcriptos eſſe in libro vitæ. Cæterum tam nomen Sigilli, quam ſententia quæ ſequitur, admonet non eſſe ex ſenſu noſtro judicandum de electorum vel multitudine vel paucitate. Quod enim obſignavit Deus, nobis vult quodammodo eſſe clauſum. Deinde ſi proprium Dei eſt, *noſſe quinam ſint ſui*, non mirum eſt ſi nos ſæpe magnus numerus lateat, ſi fallamur etiam in delectu habendo. Semper tamen notandum cur, & in quem finem, ſigilli mentionem faciat: nempe quum videmus tales caſus, ut *1 Joan. 2. verſ. 19.* mox veniat nobis in mentem quod docet Joannes, Ex nobis non fuiſſe qui à nobis exierunt. Unde ſequetur duplex fructus, quod non concutietur fides noſtra acſi ab hominibus penderet, neque etiam conſternabimur ut in rebus inopinatis fieri ſolet: deinde quod Eccleſiam nihilominus ſalvam fore perſuaſi, æquiore animo patiemur reprobos abire in ſuam ſortem cui deſtinati erant: quia manebit integer numerus quo Deus contentus eſt. Ergo quoties aliquid ſubitæ mutationis præter opinionem ac ſpem noſtram in hominibus accidit, ſtatim hoc nobis in mentem veniat, Novit Dominus qui ſui ſint. *Diſcedat ab injuſtitia.* Sicuti prius ſcandalo occurrit, ne ullius hominis defectio trepidationem nimiam incuteret fidelibus: ita nunc propoſito tali hypocritarum exemplo, docet non eſſe ficta profeſſione Chriſtianiſmi cum Deo ludendum. acſi diceret, Quum ita hypocritas Deus ulciſcitur, eorum nequitiam detegendo, diſcamus ſincera conſcientia eum timere, ne quid nobis ſimile contingat. Quiſquis ergo Deum invocat, hoc eſt, ſe ex populo Dei eſſe profitetur ac cenſeri vult, ab omni impietate procul abſit. Nam hic *invocare nomen Chriſti*, perinde valet atque gloriari ejus titulo, vel jactare ſe eſſe ex grege illius: quemadmodum Jeſaiæ 4. v. 1. & Geneſ. 48. v. 19. Invocari nomen viri ſuper mulierem, ſignificat mulierem cenſeri legitima conjugis appellatione: & nomen Jacob invocari ſuper totam ſobolem, eſt familiæ nomen retineri perpetua ſerie, eo quod originem ab ipſo ducat.

20. *In magna quidem domo.*] Jam ulterius pergit, ac ſimilitudine demonſtrat, adeo non debere nos turbari, quum aliquos videmus qui ad tempus eximiam pietatem & ſummum zelum præ ſe tulerant, turpiter retroagi: ut potius debeamus agnoſcere decoram & aptam providentiæ divinæ adminiſtrationem. Quis enim amplam domum vituperabit, ſi omni genere ſupellectilis abundet, ideoque vaſa habeat non tantum ad ſplendidos uſus accommodata, ſed etiam viles ac pudendos? Imo hæc diſtinctio ad ornatum pertinet, ſi quemadmodum fulget abacus & menſa auro & argento, ſic culina fictilibus & teſtaceis inſtructa eſt. Quid ergo miramur ſi Deus tam dives ac copioſus paterfamilias, in hoc mundo tanquam in ampla domo, varios habeat homines, tanquam multiplicem ſupellectilem? Cæterum non convenit inter interpretes, an domus magna Eccleſiam ſolam, an totum mundum ſignificet. Ac contextus quidem huc potius nos ducit, ut de Eccleſia intelligamus. neque enim de extraneis diſputat Paulus, ſed de ipſa Dei familia. Quod tamen pronunciat, generaliter verum eſt. adeoque alibi ab eodem Apoſtolo ad totum mundum extenditur: ad Romanos ſcilicet capite 9. v. 21. ubi reprobos omnes hoc nomine comprehendit. Proinde non valde pugnandum eſt ſi quis ad mundum ſimpliciter referat. Quanquam non dubium eſt quin Paulus huc tendat, non debere adeo videri abſurdum quod mali bonis permiſti ſint: quod præcipue fit in Eccleſia.

21. *Si quis ergo expurgaverit.*] Si reprobi, vaſa ſunt in contumeliam, eam in ſe incluſam habent: domum tamen non deformant, nec dedecus ullum afferunt patrifamilias, qui in varietate ſupellectilis unumquodque vas ad uſum quem meretur, deſtinat. Sed nos eorum exemplo diſcamus ad honeſtos & meliores uſus nos aptare. nam in reprobis, perinde ac in ſpeculis, conſpicimus quam deteſtanda ſit hominis conditio, niſi Dei gloriæ ex animo ſerviat. Ergo ejuſmodi exempla optimam exhortationis materiam nobis præbent, ut ſanctitati & innocentiæ ſtudeamus. Quod autem multi abutuntur hoc teſtimonio, ut penes volentem & currentem conſtituant quod alibi teſtatur Paulus eſſe miſerentis Dei, perquam frivolum *Rom. 9. verſ. 16.* eſt. Neque enim hic Paulus de electione hominum diſputat, ut doceat quænam ſit ejus cauſa, quemadmodum ad Romanos capite 9. ſed tantum vult nos diſſimiles eſſe impiis, quos exitio ſuo natos eſſe cernimus. Proinde ſtultum eſt, ex his verbis colligere ſitne in hominis poteſtate ſe aggregare in numerum filiorum Dei, ſibique auctorem eſſe ſuæ adoptionis. non hoc agitur in præſentia. Sufficiat brevis iſta admonitio adverſus eos qui jubent hominem facere ut prædeſtinetur. quaſi vero præſcribat Paulus hominibus quid agere debuerint antequam nati eſſent, imo ante conſtituta mundi fundamenta. Alii, qui liberum arbitrium hinc colligunt homini ſuppetere ad ſe præparandum, ut aptus ſit & formatus in obſequium Dei, minus quidem inepti ſunt prima ſpecie quam illi priores: nihil tamen firmum afferunt. Præcipit Apoſtolus ut ſe expurgent ab immunditie impiorum quicunque Domino ſe conſecrare cupiunt: idem paſſim Deus præcipit. Neque enim aliud hic audimus, quam quod habuimus jam apud eundem Paulum compluribus locis, ac præſertim in ſecunda ad Corinthios, Mundamini qui fertis vaſa Domini. Hinc ſine controverſia patet, nos vocari ad ſanctitatem. Sed alia eſt de vocatione officioque Chriſtianorum, alia de facultate vel potentia quæſtio. Requiri à fidelibus ut ſe purificent, non negamus: ſed has eſſe ſuas partes, alibi Dominus pronunciat, quum per Ezechielem *Ezech. 36. verſ. 25.* promittit ſe miſſurum aquas mundas, ut mundemur. Quare potius à Domino flagitandum ut nos purget, quam fruſtra in hoc tentandæ abſque ejus auxilio vires noſtræ. *Vas in honorem ſanctificatum* ſignificat ſeparatum in uſus honeſtos ac ſplendidos. Ita & patrifamilias *utile*, pro eo quod eſt ad gratos uſus accommodum. Poſtea metaphoram explicat, quum addit nos debere eſſe formatos *ad omne opus bonum*. Faceſſant ergo inſanæ fanaticorum hominum voces, Serviam gloriæ Dei ut Pharao. quid enim intereſt modo glorificetur Deus? Nam hic aperte Deus oſtendit qualiter nos ſibi ſervire velit, pie ſcilicet ac ſancte vivendo.

22. Juveniles cupiditates fuge: ſequere autem juſtitiam, fidem, dilectionem, pacem cum omnibus invocantibus Dominum ex puro corde.

23. Stultas vero & ineruditas quæſtiones vita, ſciens quod generant pugnas.

24. Atqui ſervum Domini non oportet pugnare: ſed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docendum, tolerantem malorum,

25. Cum manſuetudine * erudientem eos qui obſiſtunt: ſiquando det illis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis,

* vel, *caſtigantem.*

26. Et * excitationem à laqueo diaboli, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.

* vel, *reditum ad ſanam mentem.*

22. *Juveniles cupiditates.*] Concluſio ſuperiorum. nam quum facta inanium quæſtionum mentione, per hanc occaſionem ad notandos Hymenæum & Philetum delapſus eſſet, quos ambitio & vana curioſitas à recta fide abduxerat: iterum hortatur Timotheum ut à peſte tam noxia abſtineat. Atque in hunc finem vitandas admonet juveniles cupiditates: quo nomine non intelligit vel proterviam in Venerem, vel alias turpes laſcivias, vel diſſolutas libidines quibus ut plurimum juvenes laborant: ſed quoſvis impetus ad quos fervidior illa ætas plus æquo propenſa eſt. Si quod certamen motum fuerit, multo citius incaleſcunt juvenes quam maturæ ætatis viri: facilius irritantur, ſæpius labuntur imperitia, majore etiam confidentia & temeritate ruunt. Quare non immerito juvenem admonet Paulus ut ab ætatis vitiis diligenter ſibi caveat, quæ facile alioqui ad contentiones inutiles poſſent eum abripere. *Sequere juſtitiam.* Contrarios affectus commendat, qui mentem ejus retinere poſſint, ne exultet juvenili aliqua intemperie. acſi diceret, Hæc ſunt quibus totus addictus eſſe debes, tuumque ſtudium impendere. Ac primo quidem Juſtitiam nominat: hoc eſt, rectam vivendi rationem. poſtea adjungit *fidem* & *dilectionem*, quibus illa proprie conſtat. Pax ad præſentem cauſam maxime pertinet. contentioſos enim eſſe oportet ac litigandi cupidos qui quæſtionibus quas prohibet, delectantur. Hic Dei invocatio per ſynecdochen generaliter pro cultu capitur: niſi ad profeſſionem referre malis. Sed quia in cultu Dei hoc præcipuum eſt caput, ideo ſæpe Dei invocatio totam religionem vel cultum Dei ſignificat. Cæterum dubium eſt, quum *pacem* quærere jubet *cum omnibus Dominum invocantibus*, proponatne in exemplum omnes fideles, acſi diceret hoc debere omnibus veris Dei cultoribus commune eſſe ſtudium: an vero præcipiat ut cum illis Timotheus colat pacem. hic poſterior ſenſus videtur melius convenire.

23. *Stultas vero quæſtiones.*] Ideo ſtultas vocat, quia ſunt *ineruditæ:* hoc eſt, nihil ad pietatem conferunt, qualicunque alias acumine ſint vendibiles. Hoc enim vere demum ſapere eſt, quum utiliter ſapimus: quod diligenter notandum eſt. Videmus enim quam præpoſtera futilium argutiarum admiratione ducatur mundus, & quantopere eas appetat. Ne ergo nos placendi ambitio ad captandam ex tali oſtentatione gratiam ſollicitet, ſemper nobis occurrat hoc Pauli elogium: quæ in maximo pretio habentur quæſtiones, eſſe tamen inſulſas, eo quod ſint infructuoſæ. deinde malum etiam quod parere ſolent, exprimit: nec aliud dicit quam quod experimur quotidie: eas ſcilicet jurgandi & digladiandi præbere materiam. Neque tamen quicquam proficit major pars tot documentis admonita.

24. *Atqui ſervum Domini.*] Hoc eſt Pauli argumentum, Servum Dei alienum à litibus eſſe oportet: ſtultæ autem quæſtiones ſunt litigioſæ: ergo quiſquis ſervus Dei eſſe & haberi cupit, ab illis abhorrere debet. Quod ſi vel uno hoc nomine fugiendæ ſunt ſupervacuæ quæſtiones, quod ſervo Dei pugnare eſt indecorum: quam impudenter faciunt qui aſſidua certamina movendo, venditare ſe data opera audent? Nunc prodeat in medium Papiſtarum theologia: quid omnino in ea reperietur præter litigandi & pugnandi artem? Ergo quo quiſque magis in ea profecerit, eo magis erit ineptus ad ſerviendum Chriſto. Quum *placidum eſſe* jubet ſervum Chriſti, virtutem requirit contentionum morbo adverſam. Eodem pertinet quod mox ſequitur, ut ſit διδακτικός. Neque enim doctrinæ locus erit, niſi adſit moderatio & æquabile quoddam temperamentum. Quem enim modum tenebit doctor, ubi ad pugnam efferbuerit? Proinde ut quiſque ad docendum maxime eſt appoſitus, ita à rixis & certaminibus maxime abhorret. Verum quia interdum vel bilem, vel faſtidium movere poteſt quorundam hominum importunitas: ideo *tolerantiam* adjungit, ſimul cauſam notans cur ſit neceſſaria: nempe quia pius doctor tentare etiam debet, an reducere in viam poſſit contumaces & præfractos: quod fieri nequit niſi adhibita manſuetudine.

25. *Siquando det illis.*] Hac particula Siquando, vel Si forte, rei difficultatem notat: ut prope incredibilis ſit vel deſperata. Ergo intelligit Paulus, etiam erga indigniſſimos eſſe *manſuetudine* utendum: atque ut nulla principio ſpes appareat profectus, debere tamen periculum fieri. Eadem ratione *daturum Deum* commemorat. quia enim in manu Dei eſt hominis converſio: quis ſcit an qui hodie videntur indociles, Dei virtute ſubito in alios homines mutandi ſint? Quiſquis ergo cogitabit donum & opus Dei eſſe pœnitentiam, plus ſperabit multo: & hac fiducia animatus, plus laboris & ſtudii impendet ad erudiendos rebelles. Sic enim habendum eſt, noſtras eſſe partes, ſerendo & rigando incumbere: hoc dum agemus, expectandum eſſe à Domino incrementum. Ita nihil ex ſe proficiunt conatus omnes noſtri ac labores: & tamen Dei beneficio non ſunt irriti. Simul hinc colligere licet quæ ſit vera eorum pœnitentia qui ad tempus immorigeri fuerunt Deo. Nam ejus initium conſtituit Paulus *in agnitione veritatis.* quo ſignificat excæcatam eſſe hominis mentem, quamdiu adverſus Deum & ejus doctrinam proterve exultat. Illuminationem ſequitur liberatio à diaboli ſervitute. Nam infideles ita inebriat Satan, ut ſopiti, mala ſua non ſentiant. contra Dominus, ubi nobis veritatis ſuæ luce affulget, ab illo exitiali veterno nos expergefacit, abrumpit laqueos quibus detinebamur, & impedimentis omnibus ſublatis, nos in obſequium ſuum format.

26. *A quo captivi.*] Horrenda ſane conditio: quum diabolo tantum in nos licet, ut pro ſua libidine huc & illuc tanquam captiva mancipia impellat. Atqui talis eſt omnium eorum quos à Deo emancipat cordis ſui ferocia. atque hanc tyrannicam Satanæ dominationem quotidie palam cernimus in reprobis. Neque enim belluino impetu ac tam furioſe ruerent in fœda quævis & pudenda flagitia, niſi occulta vi Satanæ impulſi. Id eſt quod ad Epheſios cap. 2. v. 2. vidimus, Satanam in incredulis efficaciam ſuam exercere. Talia exempla nos monent, ut ſollicite nos contineamus ſub Chriſti jugo, ejuſque Spiritui nos gubernandos tradamus. Neque tamen ejuſmodi captivitas excuſat impios, ut ideo non peccent, quia Satanæ impulſu peccant. Tametſi enim quod tam impotenter feruntur ad malum, id à Satanæ dominatu provenit: nihil tamen coacti agunt, ſed toto affectu inclinant quo Satan eos rapit. ita fit ut voluntaria ſit eorum captivitas.

CAP. III.

* vel, *gravia.*

ILlud autem ſcito, quod extremis diebus inſtabunt tempora * periculoſa.

2. Erunt enim homines ſui amantes, avari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impii,

3. Carentes affectu, neſcii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum,

4. Proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quam Dei:

5. Habentes formam pietatis, quum vim ejus abnegarint. & iſtos averſare.

6. Ex iis enim ſunt qui ſubintrant in familias, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiſcentiis variis:

7. Semper diſcentes, quum tamen nunquam ad cognitionem veritatis pervenire valeant.

1. *Illud autem ſcito.*] Hac denunciatione diligentiam ejus magis acuere voluit. Ubi enim res ex voto noſtro habent, magis ſecuri reddimur: neceſſitas autem acrius pungit. Ergo admonet Paulus Eccleſiam fore obnoxiam gravibus morbis, qui raram Paſtorum fidem, ſedulitatem, vigilantiam, prudentiam, & conſtantiam indefeſſam requirant: acſi Timotheo præciperet ut ſe paret ad certamina quæ ardua ipſum manent, plenaque maximæ ſollicitudinis. Atque hinc diſcamus quam non deceat nos ullis difficultatibus vel cedere, vel terreri: ſed potius ad reſiſtendum animos colligere. Sub *extremis diebus* comprehendit univerſum Chriſtianæ Eccleſiæ ſtatum. Neque vero ætatem ſuam cum noſtra comparat, ſed potius qualis futura ſit regni Chriſti conditio, docet. Multi enim imaginabantur beatam neſcio quam pacem, & immunem omni moleſtia. Breviter, intelligit non ita bene etiam ſub Euangelio res fore compoſitas, ut profligatis omnibus vitiis, floreant omne genus virtutes: quare Paſtores Eccleſiæ Chriſtianæ non minus habituros negotii cum improbis & ſceleratis hominibus, quam olim habuerint Prophetæ & pii Sacerdotes. unde ſequitur, non eſſe otiandi tempus.

2. *Erunt homines.*] Notandum in quo aſperitatem vel duritiem temporum conſtituat: non in bello ſcilicet, nec fame, nec morbis, nec aliis calamitatibus vel incommodis quæ corpori accidunt: ſed in malis & pravis hominum moribus. Et ſane piis hominibus, Deumque vere timentibus nihil acerbius eſt quam cernere tales morum corruptelas. Sicuti enim nihil illis prius eſt Dei gloria: ita ejus contumelia vel contemptu ipſos maxime cruciari par eſt. Secundo notandum eſt de quibus loquatur. neque enim externos hoſtes, qui ex profeſſo Chriſti nomen oppugnant, ſed domeſticos perſtringit, qui cenſeri volunt inter Eccleſiæ membra. Nam euſque ſuam Eccleſiam exercere vult Deus, ut intus tales peſtes in ſinu ſuo gerat, etiamſi eas fovere horreat. Ergo ſi hodie nobis plerique ſunt permiſti quos merito execramur: diſcamus patienter gemere ſub iſto onere, quando hanc Chriſtianæ Eccleſiæ ſortem audimus. Porro mirum eſt, poſſe eos quorum tot ac tanta probra commemorat Paulus, pietatis ſpeciem retinere ejuſdem teſtimonio. Sed quotidiana experientia facit ne ſit hoc tam mirum. Nam incredibilis eſt hypocritarum protervia & improbitas: ut etiam in craſſiſſimis vitiis excuſandis ſint pluſquam impudentes, poſtquam ſemel Dei nomen falſo obtendere didicerunt. Quot probris olim ſcatebat Phariſæorum vita? & tamen, quaſi eſſent puri ab omni noxa, eximiæ ſanctitatis opinione pollebant. Hodie quoque quum tanta ſit ſpurcities in clero Papali, quæ vel ſuo fœtore totum mundum inficit: non deſinunt tamen cum ſua nequitia titulos juraque omnia ſanctorum faſtuoſe ſibi arrogare. Quod ergo dicit Paulus hypocritas, etiam dum laborant craſſiſſimis vitiis, ſub pietatis larva nihilominus fallere, non debet videri inſolens, quando exempla ſunt ante oculos. Et ſane dignus eſt mundus cui ita ſceleſti nebulones illudant: quando veram ſanctitatem vel contemnit, vel ferre non poteſt. Deinde ejuſmodi vitia enumerat Paulus quæ non protinus apparent: imo quæ fictam ſanctitatem ut plurimum comitantur. Quis enim hypocrita non ſuperbus? non amans ſui? non aliorum contemptor? non ferox ac crudelis? non fraudulentus? ſed hæc omnia latent hominum oculos. Cæterum ſingulis vocibus exponendis inſiſtere, ſupervacuum eſſet: neque enim expoſitione indigent. Tantum notent Lectores φιλαυτίαν quæ primo loco ponitur, eſſe quaſi fontem ex quo manant quæ deinde ſequuntur. Qui enim ſe amat, is arrogat ſibi omnia, reliquos omnes contemnit, immitis eſt, ſibi indulget in avaritia, perfidia, iracundia, contumacia adverſus parentes, neglectu bonorum, & ſimilibus. Quoniam autem Pauli conſilium fuit, talibus notis inurere pſeudoprophetas, ut conſpicui omnibus fiant: noſtrum eſt aperire oculos, ut cernamus qui digito monſtrentur.

5. *Et iſtos averſare.*] Hæc admonitio ſatis oſtendit, Paulum non de longa poſteritate loqui, neque vaticinari quid futurum eſſet multis poſt ſeculis: ſed quod de extremis temporibus dixerat, præſentibus malis oſtenſis, applicare ad ſuam ætatem. nam qui potuit averſari Timotheus qui multis poſt ſeculis demum exorituri erant? Ergo ſtatim ab exordio Euangelii talibus corruptelis laborare cœpit Eccleſia.

6. *Ex iis enim ſunt.*] Diceres, ex profeſſo Paulum hic vivam monachiſmi effigiem pingere. Verum ut monachorum nomen omittamus, notæ ipſæ quibus falſos & adulterinos doctores inſignit Paulus, ſatis apertæ ſunt: inſinuatio in familias, illecebræ captandis mulierculis, illiberalis adulatio, circumductio per varias ſuperſtitiones. Has notas ſedulo animadvertere convenit, ſi diſcernere cupimus inter fucos inutiles, & probos Chriſti miniſtros. Qui autem tales ſunt, tam atro carbone hic notantur, ut tergiverſando parum proficiant. *Subintrare in familias*, eſt penetrare aut obrepere captioſis artibus. Porro de mulieribus potius loquitur quam de viris, quod illæ talibus impoſturis magis ſunt expoſitæ. Dicit eas *captivas duci*, propterea quod variis artificiis ejuſmodi pſeudoprophetæ eas ſibi obnoxias reddunt, partim curioſe omnia rimando, partim blandiendo. Atque hoc eſt quod ſubjicit, *Oneratas peccatis*. Niſi enim malæ conſcientiæ vinculo ſtringerentur, non ita paterentur ſe ad aliorum nutum quolibet duci. *Concupiſcentias* generaliter accipio pro ſtultis & levibus deſideriis, quibus circumferuntur mulieres quæ Deum ex animo non quærunt, & tamen religioſæ & ſanctæ volunt haberi. Nullus enim finis, dum à conſcientia recedentes, novas ſubinde larvas induunt. Chryſoſtomus ad fœdas & obſcœnas cupiditates referre mavult: ſed mihi contextum intuenti, magis placet illa prior expoſitio. nam mox ſequitur,

quod *ſemper diſcant*, nunquam diſcant vere ſapere. Iſta igitur eſt agitatio inter varias cupiditates, dum nihil habentes apud ſe compoſitum, huc & illuc fluctuantur. Diſcunt inquam, ut ſunt curioſæ, deinde animo inquieto: ſed ita ut nihil unquam certi nec veri aſſequantur. Hoc autem præpoſterum eſt ſtudium, cui non reſpondet ſcientia. Quanquam videntur ſibi tales egregie ſapere: ſed nihil eſt quod ſciunt, dum veritatem non tenent, quæ fundamentum eſt omnis ſcientiæ.

8. Quemadmodum autem Jannes & Jambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.

9. Sed non proficient amplius: amentia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

10. Tu autem aſſectatus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, tolerantiam, dilectionem, patientiam,

11. Perſequutiones, afflictiones quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconii, Lyſtris: quas, inquam, perſequutiones ſuſtinuerim: ſed ex omnibus eripuit me Dominus.

12. Et omnes qui pie volunt in Chriſto Jeſu vivere, perſequutionem patientur.

8. *Quemadmodum Jannes.*] Hæc comparatio confirmat quod jam prius dixi de noviſſimis temporibus. Significat enim idem nobis accidere ſub Euangelio, quod experta eſt Eccleſia fere à prima ſua origine: ſaltem ex quo Lex publicata fuit. quemadmodum
Pſal. 129. verſ. 1. etiam de perpetuis Eccleſiæ certaminibus Pſalmus diſſerit, Sæpe oppugnarunt me à juventute mea, dicat nunc Iſraël: ſupra dorſum meum araverunt impii, protraxerunt ſulcos ſuos. Proinde non mirum eſſe admonet Paulus ſi exoriuntur adverſus Chriſtum hoſtes qui reſiſtunt Euangelio, quum ſuos antagoniſtas ſimililiter habuerit Moſes. Nam hæc ultimæ vetuſtatis exempla non parum ad conſolationem valent. Porro duos qui nominantur magos fuiſſe à Pharaone ſubornatos, ſatis convenit. Sed unde habuerit Paulus eorum nomina incertum eſt: niſi quod probabile eſt, de talibus hiſtoriis multa fuiſſe per manus tradita, quæ Deus nunquam paſſus fuiſſet intercidere. Et fieri poteſt ut Pauli tempore extiterint Prophetarum commentarii, qui uberius narrarent quæ breviter tantum perſtringit Moſes. Quicquid ſit, non temere ſuis nominibus eos appellat. Duos autem ideo fuiſſe conjicere licet, quod quum Dominus populo ſuo duos duces Moſem & Aaronem excitaſſet, totidem Pharao magos opponere voluerit.

9. *Sed non proficient amplius.*] Fiducia victoriæ Timotheum animat ad certamen: nam etſi ei moleſtiam exhibeant falſi doctores, promittit fore, & quidem brevi, ut ignominioſe concidant. quanquam huic promiſſioni minime eventus reſpondet. Et videtur Apoſtolus paulo poſt aliud longe diverſum pronunciare, quum dicit in pejus profecturos. Nec valet Chryſoſtomi ſolutio, ipſos in dies fore deteriores, ſed nihil aliis nocituros. nominatim ſiquidem addit, errantes, & in errorem mittentes. & ſane id ipſum comprobat experientia. Verius eſt itaque, Paulum diverſos habuiſſe reſpectus. nam quod profecturos negat, non eſt generale; ſed tantum intelligit Dominum patefacturum ipſorum amentiam multis, quos ſuis præſtigiis initio deceperant. Itaque ubi dicit, *omnibus fore manifeſtam eorum amentiam*, eſt ſynecdoche. Et certe qui maxime ad fallendum valent, initio quidem projiciunt magnas ampullas, magnos plauſus excitant: denique nihil non videntur facturi: ſed mox evaneſcunt eorum offuciæ. Aperit enim Dominus oculos multis, ut cernere incipiant quod eos pauliſper latuit. Nunquam tamen eouſque detegitur ſtultitia pſeudoprophetarum, ut omnibus innoteſcat. Deinde nunquam profligatus eſt unus error, quin ſubinde novi emergant. Ergo utraque admonitio neceſſaria eſt. ne deſpondeant animum pii Paſtores, quaſi fruſtra cum erroribus bellum gererent: docendi ſunt de proſpero ſucceſſu quem Dominus ſuæ doctrinæ dabit. Sed ne rurſus perfunctos ſe putent uno aut altero prælio, admonendi ſunt, novam ſemper militandi materiam fore. ſed de hoc ſecundo poſterius: in præſentia hoc nobis ſufficiat, proponi certam ſpem felicis exitus Timotheo, quo ſit ad pugnandum animoſior. Atque id confirmat eodem quod citaverat exemplo. Nam ſicuti prævaluit Dei veritas contra impoſturas magorum, ita victricem fore Euangelii doctrinam promittit contra quælibet nova figmenta.

10. *Tu autem aſſectatus.*] Hoc quoque argumento utitur ad incitandum Timotheum, quod non rudis & imperitus tiro in arenam prodeat: utpote quem Paulus ipſe ſua diſciplina diu formaverit. Nec tantum de doctrina agitur: nam quæ ſimul commemorat, non parum addunt ponderis: adeoque vivam boni doctoris imaginem nobis depingit hac ſententia: nempe qui non oratione modo formet ac inſtituat ſuos diſcipulos, ſed pectus quoque ſuum quodammodo illis aperiat, ut intelligant, ex animo ipſum docere quæ docet. Atque hoc ſignificat nomen *Propoſiti.* Addit etiam experimenta alia ſerii & minime ficti affectus: ut ſunt *fides*, *dilectio*, *tolerantia*, *patientia.* Talibus rudimentis imbutus fuerat Timotheus ſub Pauli magiſterio. Quanquam non tantum in memoriam revocat quæ abs ſe didicerit: ſed teſtimonium illi reddit ſuperioris vitæ, ut hoc modo ad perſeverantiam incitet. Laudat enim tanquam ſuarum virtutum imitatorem. acſi diceret, Jampridem aſſuefactus es ad mea inſtituta: perge modo qua cœpiſti. Vult tamen ut fidei, dilectionis & patientiæ ſuæ exemplum ſemper verſetur ante oculos Timothei: & ideo eas maxime perſequutiones commemorat, quæ illi magis notæ erant.

11. *Sed ex omnibus.*] Conſolatio quæ temperat afflictionum acerbitatem: quod ſcilicet proſperum ſemper finem habent. Si quis objiciat, non ſemper eundem de quo gloriatur ſucceſſum ſpectari: verum id quidem eſſe fateor, quod ad ſenſum carnis: neque enim tandem liberatus fuit Paulus ipſe. Verum quum aliquoties nos Deus liberat, hoc modo teſtatur ſe nobis adeſſe, & porro adſuturum. nam ex præſentis auxilii ſenſu vel experimento fiducia noſtra in futurum extendere ſe debet. Ergo perinde hoc valet acſi dixiſſet, Expertus es Deum mihi nunquam defuiſſe, ita non eſt quod dubites meo exemplo ipſum ſequi.

12. *Et omnes.*] Quia perſequutionum ſuarum meminerat, nunc quoque addit, nihil ſibi accidiſſe quod non maneat omnes pios. Atque hoc dicit partim ut ſe comparent fideles ad ſubeundam hanc ſortem, partim ne ob perſequutiones quas ſuſtinet ab impiis, ipſum boni ſuſpectum habeant: quemadmodum ſæpe fit ut iniquam fortunam ſequantur iniqua judicia. Nam qui minus propitios habet homines, mox quoque volgo judicatur Deo exoſus. Quare Paulus ſe filiis Dei aggregat, in hac generali ſententia: & ſimul filios Dei hortatur ut ferendis perſequutionibus ſe parent. Nam ſi hæc lex præſcribitur omnibus qui *in Chriſto pie volunt vivere*, neceſſe eſt ut Chriſto renuncient qui volunt immunes eſſe à perſequutionibus. Fruſtra enim Chriſtum disjungere

à cruce

Digitized by Google

à cruce ſua conabimur: quando hoc quaſi naturale eſt, ut mundus Chriſtum oderit etiam in ſuis membris. Odii vero comes eſt crudelitas, hinc perſequutiones. Denique ſciamus hac conditione nos eſſe Chriſtianos, ut multis ærumnis, ac certaminibus variis ſimus obnoxii. Sed quæritur an omnes oporteat eſſe Martyres. conſtat enim multos fuiſſe pios, qui nec exilium unquam, nec carcerem, nec fugam, nec aliud perſequutionis genus ſubierint. Reſpondeo, non unam eſſe rationem qua Satan perſequitur ſervos Chriſti: ſed tamen omnino neceſſe eſt, omnes qualicunque modo habere ſibi infeſtum mundum, ut eorum exerceatur fides, ac probetur conſtantia. Satan enim qui perpetuus eſt Chriſti hoſtis, neminem unquam patietur tota vita eſſe quietum: & ſemper erunt improbi qui nos tanquam ſpinæ pungant. Quin etiam ſimulatque ſe profert in homine fideli Dei zelus, impiorum omnium rabiem inflammat. atque ut non habeant gladium exertum, ſuum tamen virus evomunt vel fremendo, vel maledicendo, vel tumultuando, vel aliis modis. Ergo utcunque non eoſdem omnes ſuſtineant inſultus, nec iiſdem immiſceantur præliis, communem tamen habent militiam: nec omni ex parte quieti & à perſequutionibus immunes erunt.

13. Mali autem homines & impoſtores proficient in pejus, errantes; & mittentes in errorem.
14. Tu autem mane in iis quæ didiciſti, & quæ credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris.
15. Et quod à pueritia Sacras literas noviſti, quæ poſſunt te eruditum reddere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.
16. Omnis Scriptura divinitus inſpirata eſt ac utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia:
17. Ut integer ſit Dei homo, ad omne opus bonum formatus.

13. *Mali autem homines.*] Iſta eſt vel acerbiſſima perſequutio, dum videmus impios cum ſacrilega ſua audacia, cum blaſphemiis & erroribus invaleſcere. Ita Paulus alibi non gladio Iſmaëlis, ſed ludibrio, Iſaac fuiſſe vexatum tradit. (Galat. 4. verſ. 29.) Unde etiam colligere licet, proxime non unam duntaxat perſequutionis ſpeciem notaſſe: ſed generaliter loquutum eſſe de moleſtiis quas ſuſtinere coguntur filii Dei, dum pro gloria Patris ſui certant. Dixi autem paulo ante qualis ſit iſte profectus. neque enim tantum obſtinatos ad reſiſtendum fore prædicit: ſed nocendo quoque & aliis corrumpendis habituros ſucceſſum. Plus enim ſemper ad deſtruendum valebit unus nebulo, quam decem fidi doctores ad ædificandum, quamlibet ſtrenue laborent. Nec unquam deſunt Satanæ zizania, quæ puram ſegetem infeſtent. imo quum videntur profligati pſeudoprophetæ, alii ſubinde ex aliis pullulant. Cæterum inde nocendi facultas, non quod ſuapte natura validius ſit mendacium veritate, aut diaboli artes Spiritus Dei efficaciam ſuperent: ſed quod homines ſponte jam ad vanitatem & errores propenſi; facilius longe amplectuntur quod ingenio ſuo congruit. deinde quod juſta Dei vindicta excæcati, trahuntur tanquam captiva mancipia ad Satanæ libidinem. Atque hæc præcipua eſt cauſa cur tam efficax ſit impiarum doctrinarum peſtis, quod ita meretur hominum ingratitudo. Operæpretium autem eſt, hujus rei admoneri pios doctores, ut ad continuam militiam ſe parent: nec diuturnitate frangantur, vel ſuccumbant proterviæ hoſtium ac inſolentiæ.

14. *Tu autem mane.*] Utcunque graſſetur impietas, & ulterius perrumpat, jubet nihilominus Timotheum ſtare. Et certe hæc vera eſt fidei probatio, ubi contra Diabolum omnia machinantem indefeſſo ſtudio obnitimur: nec curſum reflectimus ad quemlibet venti flatum, ſed fixi manemus in Dei veritate, tanquam in ſacra anchora. Particula, *Sciens à quo didiceris*, poſita eſt ad commendandam doctrinæ certitudinem. Neque enim ſi quis perperam fuerit inſtitutus, in eo pergere debet. Dediſcere enim nos oportet quæcunque extra Chriſtum habuimus, ſi velimus eſſe ejus diſcipuli. quemadmodum hoc nobis puræ in fide inſtitutionis fuit exordium, obliviſci & abjicere totam Papatus inſtitutionem. Quare non indifferenter præcipit Apoſtolus Timotheo ut traditam ſibi doctrinam retineat: ſed eam demum cujus conſtat illi veritas. quo ſignificat adhibendum eſſe delectum. Porro non hoc ſibi arrogat tanquam homini privato, ut quod docuerit, ſit habendum pro oraculo: ſed confidenter apud Timotheum ſuam auctoritatem prædicat, cui ſciebat notam eſſe ſuam fidem, & ſuam vocationem probatam. Quod ſi certo perſuaſus erat ſe edoctum eſſe à Chriſti Apoſtolo, inde ſtatuebat non hominis eſſe, ſed Chriſti doctrinam. Hic locus admonet, tam ſedulo cavendam eſſe obſtinationem in rebus minus compertis (ut ſunt omnes hominum doctrinæ) quam Dei veritatem inflexa conſtantia retinendam eſſe. Præterea hinc diſcimus, fidei adjunctam debere eſſe prudentiam, quæ inter Dei & hominum ſermonem diſcernat, ne temere arripiamus quicquid proponitur in medium. Nihil enim à fide magis alienum quam levis credulitas quæ promiſcue quidvis & à quovis amplecti ſuſtinet: quia hoc præcipuum eſt fidei fundamentum, ſcire Deum ſibi eſſe auctorem. Quod addit, *creditam fuiſſe* doctrinam ipſam Timotheo, ad ἀξίωσιν valet. Plus enim quiddam eſt, committi inſtar depoſiti, quam ſimpliciter tradi. Porro Timotheus non quaſi unus quiſpiam è vulgo edoctus fuerat: ſed ut aliis fideliter per manus traderet quod acceperat.

15. *Et quod à pueritia.*] Hoc quoque non vulgare erat adjumentum, quod à pueritia aſſuefactus erat Scripturæ lectioni. nam hæc longa exercitatio multo inſtructiorem reddere hominem poteſt adverſus omnes circumventiones. Itaque prudenter olim cautum fuit, ut qui deſtinabantur verbi miniſterio, à pueris erudirentur in ſolidiore pietatis doctrina; adeoque Sacras literas penitus imbiberent, ne ad ipſum munus accederent novi adhuc & tirones. Atque hoc in ſingulari Dei beneficio ponendum eſt, ſi quis ita fuerit à teneris Scripturæ cognitione imbutus.

Quæ poſſunt te.] Inſigne Scripturæ ſacræ encomium, quod non aliunde petenda ſit ſapientia quæ ad ſalutem ſufficiat: ſicuti etiam proxima ſententia plenius exprimit. Verum ſimul quid in Scriptura ipſa quærendum ſit, admonet. nam & pſeudoprophetæ eam prætexunt. Quare ut nobis ad ſalutem ſit utilis, tenere rectum ipſius uſum neceſſe eſt. Quid enim ſi curioſis tantum quæſtionibus quis indulgeat? ſi in litera modo Legis hæreat, nec quærat Chriſtum? quid ſi pervertat genuinum ſenſum alienis commentis? Proinde non immerito nos ad fidem Chriſti revocat, tanquam ad ſcopum atque adeo ſummam. Nam & ex ea dependent quæ mox ſequuntur.

16. *Omnis Scriptura.*] Vel, Tota. quanquam ad ſenſum nihil intereſt. Proſequitur illud encomium quod breviter perſtrinxerat. Ac primum quidem ab auctoritate Scripturam commendat: deinde ab

utilitate quæ inde provenit. Ut Scripturæ auctoritatem aſſerat, *divinitus eſſe inſpiratam* docet. Nam ſi ita eſt, nihil amplius reſtat controverſiæ quin reverenter ſuſcipienda ſit ab hominibus. Hoc principium eſt quod religionem noſtram ab aliis omnibus diſcernit, quod ſcimus Deum nobis loquutum eſſe, certoque perſuaſi ſumus, non ex ſuo ſenſu loquutos eſſe Prophetas, ſed ut erant Spiritus ſancti organa, tantum protuliſſe quæ cælitus mandata fuerant. Quiſquis ergo vult in Scripturis proficere, hoc ſecum in primis conſtituat, Legem & Prophetias non eſſe doctrinam hominum arbitrio proditam, ſed à Spiritu ſancto dictatam. Siquis objiciat, undenam id ſciri poſſit: reſpondeo, ejuſdem Spiritus revelatione, tam diſcipulis quam doctoribus Deum patefieri auctorem. Neque enim Moſes & Prophetæ temere prodiderunt quæ habemus ex eorum manu: ſed quum Dei impulſu loquerentur, confidenter ac intrepide, ut res erat, teſtati ſunt, os Domini loquutum eſſe. Idem ergo Spiritus qui Moſen & Prophetas vocationis ſuæ reddidit certiores, nunc quoque teſtatur cordibus noſtris, eorum ſe miniſterio uſum eſſe ad nos docendos. Itaque non mirum ſi plerique de auctore Scripturæ dubitent. Nam utcunque illic Dei majeſtas ſe oſtendat: non tamen habent oculos niſi qui ſunt à Spiritu ſancto illuminati, ut cernant quod omnibus quidem eſſe debebat, ſolis tamen electis eſt conſpicuum. Hoc prius eſt membrum: eandem Scripturæ reverentiam deberi quam Deo deferimus, quia ab eo ſolo manavit, nec quicquam humani habet admiſtum. *Et utilis* &c. Sequitur nunc altera pars commendationis, quia perfectam bene beateque vivendi regulam contineat. Quod quum dicit, ſignificat eam corrumpi pravo abuſu, ubi non quæritur hæc utilitas. Atque ita oblique nebulones illos perſtringit, qui vanis ſpeculationibus, tanquam vento, populum paſcebant. Qua ratione poſſumus hodie damnare omnes qui poſtbabito ædificationis ſtudio, argutas tantum & frivolas quæſtiones agitant. Imo quoties frivolæ ejuſmodi argutiæ ingeruntur in medium, hoc clypeo repellendæ ſunt, quod utilis ſit Scriptura. unde ſequitur, nefas eſſe eam tractare inutiliter. Neque enim vel curioſitati noſtræ obſequi, vel oſtentationi indulgere, vel fabulandi & garriendi dare materiam voluit Dominus, quum Scripturas nobis tradidit: ſed prodeſſe. proinde rectus Scripturæ uſus ad profectum tendere ſemper debet. *Ad doctrinam.* Hic per ſpecies enumerat quam varia ſit ac multiplex utilitas. Ac primo quidem loco ponit doctrinam: ſicuti ordine alia omnia præcedit. fruſtra enim horteris, vel arguas, niſi prius docueris. Sed quia ſæpe friget per ſe doctrina, addit *redargutionem*, & *correctionem*. Porro quid ex Scripturis diſcamus, nimis longum eſſet explicare: & jam prius breviter ſummam notavit ſub Fidei nomine. Hæc igitur præcipua eſt ſcientia, fides in Chriſto. Hanc ſequitur inſtitutio formandæ vitæ: accedunt ſtimuli exhortationum & reprehenſionum. Ita qui Scripturis rite uti ſcit, huic nihil ad ſalutem, nihil ad bene vivendum deeſt. Redargutio & correctio parum differunt, niſi quod poſterius ex priore manat. nam reſipiſcentiæ initium, eſt malorum noſtrorum agnitio, & divini judicii ſenſus. *Inſtitutio in juſtitia*, pie ſancteque vivendi rationem ſignificat.

17. *Ut integer ſit.*] Integer pro abſoluto capitur, in quo nihil ſit mutilum. ſimpliciter enim aſſerit, Scripturam ad perfectionem ſufficere. Ergo quiſquis Scriptura contentus non eſt, plus ſapere expetit quam oporteat vel expediat. Verum hic objicitur quæſtio: quum Paulus de Scriptura loquatur, quæ cenſetur ſub nomine veteris Teſtamenti, quomodo ea dicitur hominem omni ex parte abſolvere. nam ſi ita eſt, videtur eſſe ſupervacuum quicquid deinde per Apoſtolos acceſſit. Reſpondeo, quantum ad ſubſtantiam ſpectat, nihil fuiſſe additum. nihil enim continent Apoſtolorum ſcripta quam meram ac germanam Legis & Prophetarum explicationem una cum rerum exhibitione. Proinde hoc elogio non male Scripturam Paulus ornavit: & quum hodie plenior ſit & luculentior Euangelii acceſſione ejus doctrina, quid dici poteſt, niſi certo ſperandum ut multo magis ſe exerat iſta utilitas quam Paulus prædicat, ſi nobis ipſam experiri libeat ac percipere?

Cap. IV.

Obteſtor igitur ego coram Deo & Domino Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos in apparitione ſua & in regno ſuo:

2. Prædica ſermonem, inſta tempeſtive, intempeſtive: argue, increpa, hortare cum omni lenitate & doctrina.

3. Nam erit tempus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed juxta concupiſcentias ſuas coacervabunt ſibi doctores, ut qui prurient auribus:

4. Et à veritate quidem aures avertent, ad fabulas autem convertentur.

1. *Obteſtor igitur.*] Notanda eſt diligenter illatio, qua apte Scripturam cum prædicatione connectit. quo etiam refellitur quorundam fanaticorum arrogantia, qui doctorum opera ſe nihil amplius indigere jactant, quia abunde Scripturæ lectio ſufficiat. Atqui Paulus ubi de Scripturæ utilitate diſſeruit, non tantum infert ipſam eſſe omnibus legendam, ſed doctores eam debere adminiſtrare: quod ſibi injunctum eſt. Ergo ſicuti tota noſtra ſapientia in Scripturis incluſa eſt, nec aliunde vel nos ſapere debemus, vel doctores haurire quod tradant: ita qui prætermiſſo vivæ vocis adminiculo, muta Scriptura contentus erit, experietur quantum malum ſit, præſcriptam à *Deo & Chriſto* diſcendi viam negligere. Meminerimus, inquam, ſic omnibus commendari Scripturæ lectionem, ut Paſtorum miniſterium eam minime impediat. Ideoque tam legendo quam audiendo proficere ſtudeant fideles: quia utrumque non fruſtra Deus ordinavit. Atque ut in re maxime ſeria obteſtationem adhibet Paulus, Timotheo Deum vindicem Chriſtumque judicem proponens, ſi in officio docendi ceſſaverit. Et certe quemadmodum inæſtimabili pignore oſtendit Deus, quum Filio unigenito non pepercit, quantæ curæ ſalutem Eccleſiæ ſuæ habeat: ita impune non ſinet perire animas vel exponi in prædam Paſtorum negligentia, quas tam charo pretio redemit. Præſertim autem inſiſtit in Chriſti judicio: quia ſicuti ejus perſonam ſuſtinemus, ita rationem malæ adminiſtrationis ſeverius repoſcet. *Judicabit Chriſtus* &c. hoc eſt, quos ſuperſtites adhuc in ſuo adventu reperiet, atque etiam qui ante mortui fuerint. nemo itaque judicium ejus effugiet. *Apparitio* Chriſti & *regnum* idem valent. nam tametſi nunc regnat in cælo & in terra: nondum tamen conſtat clara regni ejus manifeſtatio: quin potius & ſub cruce latet obſcurum, & violenter ab hoſtibus oppugnatur. Ergo tunc vere ſtabilitur ejus regnum, quum proſtratis inimicis, & omni adverſaria poteſtate vel ſublata, vel in nihilum redacta, ſuam majeſtatem proferet.

2. *Inſta intempeſtive.*] His verbis non aſſiduitatem modo commendat, ſed etiam contentionem quæ

omnia difficultatum obſtacula ſuperet. Nam quum ſimus natura molles nimium vel deſides, minimis quibuſque impedimentis facile cedimus: imo libenter interdum accerſimus deſidiæ noſtræ patrocinia. Jam conſideremus quot artibus inſtructus ſit Satan ad curſum noſtrum interpellandum: deinde quam tardi ſunt ad ſequendum qui vocantur, & quam faſtidioſi. Quare non multum loci reſtabit Euangelio, niſi importune inſtent Paſtores. Iſta porro importunitas tam ad Paſtorem quam ad populum referenda eſt. Ad Paſtorem quidem, ne ſuis tantum horis & pro ſua commoditate, docendi muneri incumbat: ſed nullis parcens laboribus nec moleſtiis, urgeat ſeipſum. Populi reſpectu aſſiduitas eſt importuna, dum ſollicitantur torpentes, dum alio properantibus manus injicitur, dum vanæ mundi occupationes corriguntur. Inſtare autem jubet *arguendo, increpando, hortando:* quibus verbis ſignificat, multis ſtimulis opus eſſe ad nos impellendos ut in recto curſu progrediamur. Nam ſi eſſet in nobis ea docilitas quæ eſſe debebat, nutu ſolo nos traheret Chriſti miniſter. Nunc autem ne moderatæ quidem exhortationes, ne dicam ſana conſilia, excutiendæ noſtræ tarditati ſufficiunt, niſi accedat major reprehenſionum & objurgationum vehementia.

Cum omni lenitate.] Valde neceſſaria exceptio. nam vel ſuo ipſæ impetu concidunt redargutiones, vel in fumum abeunt, niſi *doctrina* fulciantur. Sunt enim tam exhortationes quam reprehenſiones adjumenta doctrinæ tantum: ideoque ſine ea parum ſunt validæ. Cujus rei exemplo ſunt qui fervore tantum & acrimonia pollent, ſolida autem doctrina non ſunt muniti. Strenue enim ſe fatigant, magnos edunt clamores, tumultuantur: idque ſine profectu, quia ædificant abſque fundamento. Loquor de bonis alioqui, ſed parum eruditis & nimium fervidis. nam qui ad oppugnandam ſanam doctrinam conferunt quicquid habent vehementiæ, longe ſunt nocentiores, & indigni quorum hic fiat mentio. In ſumma, Paulus vult reprehenſiones fundatas eſſe in doctrina, ne merito ſpernantur tanquam futiles. Secundo acrimoniam vult lenitate temperatam eſſe. nihil enim difficilius eſt quam ubi ſemel incaluimus, modum imponere noſtro fervori. Jam ubi nos rapit impatientia, ſine profectu contendimus. præterquam enim quod ludibrio eſt noſtra aſperitas, irritat etiam populi animos. Adde quod acres & ſeveri homines ut plurimum tolerare nequeunt eorum quibuſcum agunt, duritiem, nec multa tædia & indignitates devorare ſuſtinent, quæ tamen concoquenda nobis ſunt, ſi prodeſſe cupimus. Proinde adhibeatur ſeveritati hoc lenitatis condimentum: ut illam appareat ex placido animo prodire.

3. *Nam erit tempus.*] Ex ipſa hominum pravitate oſtendit quam ſolliciti debeant eſſe Paſtores: brevi enim fore ut extinguatur Euangelium, intereatque ex hominum memoria, niſi ſummo ſtudio adnitantur pii doctores ipſum tueri. Interea autem dum eſt aliqua Chriſti reverentia, utendum occaſione ſignificat: acſi ingruente procella quiſpiam diceret non eſſe remiſſe laborandum, ſed gnaviter feſtinandum, quia mox non eadem futura ſit opportunitas. Quum dicit *ſanam doctrinam recepturos*, ſignificat non modo faſtidium & contemptum fore ſanæ doctrinæ, ſed etiam odium. & ſanam doctrinam ſuo more appellat ab effectu, quæ vere ad pietatem nos inſtituit. Eandem paulo poſt nominat *veritatem*, acſi diceret ſinceram ac genuinam tractationem verbi Dei. & *fabulis* opponit, hoc eſt, commentis inutilibus, quibus corrumpitur Euangelii ſimplicitas. Primum hinc diſcamus, quo major vulgo eſt hominum protervia ad ſpernendam Chriſti doctrinam, eo magis intentos eſſe debere ad eandem aſſerendam pios miniſtros, & eo ſtudioſius inſtare ut ſalva maneat: neque id modo, ſed ſua quoque ſedulitate prævenire Satanæ conatus. Quod ſiquando alias agendum fuit, nunc in tanta hominum ingratitudine pluſquam neceſſe eſt. Nam qui initio avide Euangelium arripiunt, & neſcio quid non vulgaris zeli oſtentant, paulo poſt concipiunt faſtidium: ex quo tandem & nauſea ſequitur. alii ſtatim ab initio vel furioſe rejiciunt, vel contemptim aurem accommodantes, ludibrio habent. alii non ſuſtinentes jugum ſibi imponi, calcitrant, & odio ſanctæ diſciplinæ à Chriſto prorſus alienantur: quin etiam ex amicis fiunt profeſſi hoſtes. Adverſus tantam ingratitudinem nihilominus luctandum eſt: imo majore nervorum contentione eſt enitendum, quam ſi ſponte omnes amplecterentur oblatum Chriſtum: tantum abeſt ut debeamus fracti cedere. Deinde admoniti de tali verbi Dei contemptu, adeoque rejectione, non debemus conſternari quaſi ad novum ſpectaculum, quum re ipſa impletur quod hic futurum Spiritus pronunciat. Et ſane quum natura propenſi ſimus ad vanitatem, nihil novum accidit nec inſolitum, ſi fabulis nos libentius damus quam veritati. Huc accedit quod ſimplex & humilis in ſpeciem Euangelii doctrina, noſtræ partim ſuperbiæ, partim curioſitati minime ſatisfacit. Jam vero quam pauci ſpirituali guſtu præditi ſunt, ut illis ſapiat vitæ novitas, & quicquid ad eam pertinet! quanquam Paulus de majori quadam unius ſeculi impietate vaticinatur, quæ nondum eruperat: cui jubet Timotheum mature occurrere. *Coacervabunt ſibi doctores.* Notandum eſt Coacervandi verbum, quo ſignificat tantam fore inſaniam ut paucis impoſtoribus minime contenti ſint futuri, ſed appetituri ingentem turbam. Nam ut eſt inexplebilis rerum vanarum & noxiarum cupiditas: ita ſibi hinc inde ſine ullo fine accerſit mundus quæcunque excogitare & fingere poteſt media, quibus ſeipſum perdat. & diabolus ſemper ad manum habet ſatis magnam talium doctorum copiam, quales à mundo expetuntur: ſemper enim fertilis impiorum hominum fuit ſeges, ut hodie eſt. Proinde nunquam Satanæ deſunt miniſtri ad fallendum: ſicuti nunquam deeſt fallendi materia. Nam hoc meretur tanta pravitas quæ perpetuo fere regnat inter homines, ut Deum ſalutari ſua doctrina vel repudient, vel deſpiciant: mendacium libentius amplexentur. Itaque quod ſubinde emergunt falſi doctores, atque etiam interdum quædam veluti examina ſcaturiunt, id juſtæ Dei ultioni feramus acceptum. Digni enim ſumus qui vel obruamur ejuſmodi colluvie, quando nullum apud nos locum invenit Dei veritas: aut ſi jam obtinuerit, ſtatim poſſeſſione pellitur. fabuloſis autem dogmatibus ita ſumus dediti ut nulla impoſtorum multitudo nobis ſit nimia. Ita in Papatu quanta eſt monachorum colluvies? Si alendus eſſet pius unus Paſtor pro decem monachis & totidem ſacrificis, ſtatim orirentur querimoniæ de impenſis. Ergo tale eſt mundi ingenium, ut cupidiſſime innumeros impoſtores coacervando, quicquid Dei eſt, exterminare cupiat. Nec vero alia tot errorum cauſa eſt, niſi quod ultro decipi malunt homines, quam recte doceri. Atque hoc eſt quod addit Paulus de *aurium prurito*. Cauſam enim tanti mali dum vult aſſignare, eleganti metaphora utitur, qua ſignificat tam delicatis auribus mundum fore, tamque rerum novarum perperam cupidis, ut varios ſibi magiſtros accumulet, atque ad nova identidem figmenta circumferatur. Unicum hujus vitii remedium: ſi doceantur fideles acquieſcere in pura Euangelii doctrina.

5. Tu

5. Tu vero vigila in omnibus, perfer afflictiones, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum probatum redde.

6. Ego enim jam immolor, & tempus meæ reſolutionis inſtat.

7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.

8. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: nec ſolum mihi, ſed etiam omnibus qui diligunt adventum ejus.

5. *Tu vero vigila.*] Pergit in ſupetiori exhortatione, ut quo magis ingraveſcunt morbi, majori ſedulitate incumbat Timotheus ad eos curandos: & quo propius inſtant pericula, eo intentius excubias agat. Et quia parata mox ſunt Chriſti miniſtris certamina dum fideliter ſe gerunt in ſuo officio: ſimul admonet ut malis tolerandis conſtans ſit ac infractus. *Opus facere Euangeliſtæ*, eſt præſtare quod Euangeliſta dignum eſt. Cæterum an hoc nomine generaliter ſignificet quoſvis Euangelii miniſtros, ao vero ſpeciale aliquod fuerit munus, incertum eſt. Magis tamen in hanc ſecundam partem inclino: quia ex quarto capite ad Epheſios haud dubie conſtat, ordinem fuiſſe inter Apoſtolos & Paſtores medium: ita ut eſſent Euangeliſtæ Apoſtolis ſecundi adjutores. Jam vero probabilius eſt Timotheum, quem ſibi Paulus proximum in omnibus collegam adſciverat, gradu & officii dignitate antecelluiſſe vulgares Paſtores, quam fuiſſe unum quemlibet ex eorum numero. Deinde honorifica officii mentio tam ad eum animandum, quam ad commendandam aliis ejus auctoritatem valet: quorum utrumque ſpectavit Paulus. In ulrimo membro ſi cum veteri Interprete legamus Imple, ſenſus erir, Non aliter ad plenum defungi munere tibi injuncto potes, niſi hæc agendo quæ præcepi: itaque vide ne in medio curſu deficias. Sed quia πληροφορεῖν fere accipitur pro fidem facere aut comprobare: hic magis placet ſenſus, qui & ipſe quoque optime quadrabit cootextui, Timotheum vigilando, & patienter ferendo afflictiones, ac doctrinæ inſtando, hoc conſequuturum ut miniſterii ſui veritas ſtabiliatur: quia ſcilicet ex talibus notis omnes eum probum Chriſti miniſtrum agnoſcent.

6. *Ego enim jam immolor.*] Reddit cauſam tam ſeriæ obteſtationis qua uſus eſt: acſi diceret, Ego quamdiu vixi, manum tibi porrexi: tibi meæ aſſiduæ exhortationes non defuerunt: tibi mea conſilia fuerunt magno adjumento, & exemplum etiam magnæ confirmationi: jam tempus eſt ut tibi ipſe magiſter ſis atque hortator, natareque incipias ſine cortice: cave ne quid morte mea in te mutatum animadvertatur. Cæterum notandæ ſunt loquutiooes quibus mortem ſuam deſignat. Nomine *reſolutionis* ſignificat nos moriendo non prorſus interire, quia taotum anima à corpore ſolvitur. unde colligimus, mortem nihil eſſe quam animæ à corpore migrationem. quæ definitio teſtimonium continet de animæ immortalitate. Immolatio peculiariter Pauli morti congruebat, quam obibat pro aſſerenda Chriſti veritate. Nam quamvis pii omnes tam vivendo obedienter, quam moriendo, hoſtiæ ſint Deo acceptæ: præſtantiore tamen modo immolantur Martyres, ſanguinem fundendo pro Chriſti nomine. Adde quod verbum σπένδεσθαι quod Paulus hic uſurpat, non quamvis immolationem ſignificat, ſed quæ fit in fœderibus ſanciendis. Ergo idem hoc loco ſignificat, quod clarius exprimit ad Philipp. cap. 2. v. 17. quum dicit, Quinetiam ſi immolor ſuper ſacrificio fidei veſtræ, gaudeo. Nam illic intelligit fidem Philippenſium non aliter morte ſua ſancitum iri, quam cæſis victimis fœdera olim ſanciebantur. non quod in Martyrum conſtantia proprie fundata ſit fidei noſtræ certitudo: ſed quia non parum ad confirmationem noſtram valet. Præclaro itaque elogio mortem ſuam hic ornavit Paulus quum vocavit doctrinæ ſuæ ſanctionem: ut inde pii magis animarentur ad perſeverandum, quam labaſcerent: ut ſæpe fieri ſolet. *Tempus reſolutionis.* Hæc quoque loquutio notaoda eſt: quia eleganter nimium mortis horrorem elevat, vim naturamque ejus iodicando. Qui fit enim ut tantopere conſternentur homioes ad quamvis mortis mentionem, niſi quia in morte cogitant interitum? Contra Paulus, reſolutionem vocans, negat hominem interire: ſed animam tantum à corpore ſuo ſolvi docat. Atque huc facit quod ſecure pronunciat *tempus inſtare*: quod facere non poſſet ſine mortis contemptu. Quanquam enim hic naturalis eſt affectus, qui exui in totum nunquam poteſt, ut mortem refugiat homo atque horreat: fide tamen vincendus eſt metus ille, ne impediat quominus obedienter hinc migremus quoties nos Deus vocaverit.

7. *Bonum certamen.*] Quia vulgo ſolet ex eventu fieri judicium, poterat damnari Pauli certamen, quum minus proſper eſſet exitus. Ideo jactat præclarum eſſe, qualecunque videatur mundo. quæ prædicatio, eximiæ fidei teſtimonium eſt. Neque enim tantum miſer habebatur Paulus, omnium opinione, ſed mors quoque ejus probroſa futura erat. quis ergo non dixiſſet ipſum infeliciter contendere? Sed ipſe à perverſis hominum judiciis non pendet: quin potius magnitudine animi ſe erigit ſupra omnes calamitates, ut nihil ejus felicitati ac gloriæ obſiſtat. Certamen igitur quod *certavit*, bonum & decorum eſſe pronunciat: adeoque ſibi de morte ipſa gratulatur, quia ſit veluti ſtadii ſui meta. ſcimus autem tunc voti compotes eſſe curſores, quum metam aſſequuti ſunt. Hoc quoque modo Chriſti athletis mortem eſſe optabilem ſignificat, quoniam finiat eorum labores: & ſimul ex adverſo admonet, nunquam eſſe in hac vita quieſcendum: quia nihil proſit à carceribus uſque ad dimidium ſpatium ſtrenue cucurriſſe, niſi ad metam uſque perventum fuerit. Quod ſequitur de *fide ſervata*, duplicem poteſt habere ſenſum, vel quod fidelis ad extremum fuerit miles duci ſuo: vel quod in recta doctrina perſtiterit. uterque ſenſus non male conveniet. Et certe non aliter potuit ſuam fidelitatem approbare Domino, quam conſtanter profitendo puram Euangelii doctrinam. Neque tamen dubito quin ad ſolenne militiæ jusjurandum alludat: acſi diceret ſe probum & fidum duci ſuo militem fuiſſe.

8. *Quod ſupereſt.*] Sicuti & de certamine ſuo, & curſu completo, & fide ſervata gloriatus eſt: ita nunc ſe non fruſtra laboraſſe affirmat. Poteſt enim fieri ut ſtrenuam quis operam navet, mercede tamen ſibi debita fruſtretur. At Paulus certam ſibi eſſe mercedem dicit. hæc autem certitudo inde illi conſtat, quod oculos ad diem reſurrectionis convertit: quod idem nobis agendum eſt. Nam circumcirca nihil aliud apparet quam mors: ergo non debemus hærere in mundi aſpectu, ſed potius Chriſti adventum nobis proponere. ita fiet ut nihil noſtræ felicitati derogет. Cæterum quia & *coronam juſtitiæ* & *juſtum judicem* nominat, & *reddendi* verbo utitur, hinc operum merita adverſus Dei gratiam conantur Papiſtæ adſtruere: ſed futilis eſt ipſorum argumentatio. Neque enim gratuita juſtificatio quæ nobis per fidem confertur, cum operum remuneratione pugnat. quin potius rite conveniunt iſta duo: gratis juſtificari hominem Chriſti beneficio, & tamen operum mercedem coram Deo relaturum. Nam ſimulatque nos

Digitized by Google

nos in gratiam recepit Deus, opera quoque noſtra grata habet, ut præmio quoque (licet indebito) dignetur. Quanquam bis hic hallucinantur Papiſtæ: primum quod inde colligunt, ideo nos Deum promereri, quia liberi noſtri arbitrii virtute bene agamus: deinde quod Deum nobis perinde obſtringunt, acſi nobis aliunde quam ex ejus gratia ſalus conſtaret. Atqui non ſequitur Deum nobis quicquam debere, quia juſte reddat quod reddit. juſtus enim eſt, etiam gratis benefaciendo. Et reddit quam promiſit mercedem, non quod ullo ipſum obſequio præveniamus, ſed quia eodem quo erga nos cœpit liberalitatis tenore, priora ſua dona poſterioribus cumulat. Fruſtra igitur & perperam hinc Papiſtæ probare contendunt, à virtute liberi arbitrii proficiſci bona opera: quando minime abſurdum eſt ut Deus ſua dona in nobis coronet. Nec minus etiam fruſtra & ſtulte conantur hinc deſtruere fidei juſtitiam, quando nihil diſſidet Dei bonitas, qua gratis hominem amplectitur, peccata non imputando, ab ea operum remuneratione quam eadem liberalitate reddet quæ promiſit. *Nec ſolum mihi.* Ut eodem reliqui omnes animo ſecum militent, ad coronæ ſocietatem eos invitat. Neque enim poſſet infracta ejus conſtantia nobis eſſe exemplo, niſi eadem ſpes coronæ propoſita omnibus eſſet. Inſigni autem nota pios deſignat, quum dicit, *Omnibus qui diligunt adventum ejus.* Et certe ubicunque vigebit fides, non ſinet animos in mundo torpere, ſed ad ſpem ultimæ reſurrectionis attollet. Significat igitur, omnes qui mundo ita ſunt addicti, & fluxam hanc vitam amant, ut non curent adventum Chriſti, nec ullo ejus deſiderio tangantur, ſeſe privare immortali gloria. Væ igitur ſtupori noſtro qui nos oppreſſos tenet ne unquam de Chriſti advęntu ſerio cogitemus, ad quem decebat totos intendere. Adde quod è fidelium numero excludit quibus formidabilis eſt Chriſti adventus, qui diligi non poteſt quin ſuavis ſit ac jucundus.

9. Da operam ut ad me venias cito.
10. Demas enim me reliquit, amplexus hoc ſeculum, & profectus eſt Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam:
11. Lucas eſt ſolus mecum. Marcum aſſume ut tecum adducas: eſt enim mihi utilis in miniſterium.
12. Tychicum autem miſi Epheſum.
13. Penulam quam Troade reliqui apud Carpum, quum venies, affer, & libros, & membranas.

9. *Da operam.*] Quum mortis tempus inſtare ſciret, non dubito quin multa habuerit de quibus in Eccleſiæ bonum coram conferre cum Timotheo vellet. Itaque non dubitat ex tranſmarina regione eum accerſere. Non erat certe levis cauſa cur eum ab Eccleſia cui præerat, evocaret: & quidem tam procul. inde licet colligere quantum habeant momenti talium virorum colloquutiones. Nam omnibus Eccleſiis diu profuturum erat quod brevi temporis ſpatio didiciſſet Timotheus: ut levis eſſet dimidii vel totius anni jactura præ compenſatione. Et tamen ex ſequentibus apparet, Paulum ſua etiam privata cauſa Timotheum vocare, quia fidis adjutoribus deſtituebatur. tametſi quod ſuæ perſonæ proprium erat, non præferebat Eccleſiæ commodis: ſed quia agebatur communis Euangelii cauſa. Nam ſicuti ipſe ex vinculis eam defendebat: ſic opus habebat aliorum opera ad defenſionem adjuvandam.

10. *Amplexus hoc ſeculum.*] Turpe ſane tali viro, Chriſtum amori ſeculi poſthabuiſſe. neque tamen cogitandum eſt, eum abnegato prorſus Chriſto, iterum ſe vel impietati, vel illecebris mundi addixiſſe: ſed tantum privata ſua commoda, vel ſuam ſecuritatem Pauli vitæ prætuleтat. Paulo adeſſe non poterat ſine multis moleſtiis & angoribus, ac cum præſenti vitæ ſuæ periculo: expoſitus erat multis probris, multas indignitates devorabat, cogebatur rerum ſuarum curam relinquere: tædio itaque crucis victus, rebus ſuis proſpicere voluit. nec dubium quin haberet propitiam auram quæ illi à mundo aſflabat. Porro fuiſſe unum ex præcipuis, inde conjicere licet, quod eum ioter paucos nominat Paulus ad Coloſſ. 4. v. 24. ſimiliter in Epiſtola ad Philem. v. 24. ubi etiam adjutoribus ſuis eum annumerat. Quare non mirum eſt ſi eum tam duriter hic perſtringat, quoniam majorem ſui quam Chriſti rationem habuerat. alii de quibus poſtea meminit, non diſceſſerant ab eo niſi juſtis de cauſis, & ipſo ſic volente. Unde apparet, non ita ſtuduiſſe ipſum ſibi, ut ſpoliaret Eccleſias ſuis Paſtoribus, duntaxat ut levationem inde aliquam ſentiret. Proculdubio ſemper hoc curæ habuit, eos ad ſe vocare, aut retinere ſecum, quorum abſentia aliis Eccleſiis non obeſſet. Hac ratione *Titum* ablegaverat *in Dalmatiam*, & alios alio, quum Timotheum accerſeret. Imo ne Timotheo abſente deſtituta aut nudata maneat Epheſiorum Eccleſia, *Tychicum* illuc *miſit*: atque id indicat Timotheo, ut ſciat non defuturum qui ſuas vices expleat.

13. *Penulam quam Troade.*] De vocabulo Penulæ non conſentiunt Interpretes: quia nonnulli volunt arculam eſſe, aut thecam librariam: alii genus veſtis viatoriæ frigoribus & pluviis arcendis aptum. Utravis autem interpretatio magis placeat, qui fit ut ſibi veſtem aut arculam ex loco tam remoto advehi jubeat Paulus? quaſi Romæ nulli eſſent opifices, vel nulla panni aut lignorum copia. Si arculam dixerimus libris, aut chartis, aut epiſtolis refertam, ſoluta erit quæſtio: (nullo enim pretio comparari poterat) ſed quia multi hanc conjecturam non recipient, facile amplector nomen Penulæ. Nec abſurdum eſt, tam procul à Paulo petitam fuiſſe, eo quod ex diuturno uſu futura eſſet illi commodior, vellet autem ſumptum effugere. Quanquam (ut verum fatear) mihi prior interpretatio magis arridet: præſertim quum mox ſubjiciat *libros & membranas.* unde apparet Apoſtolum, quum jam ad mortem ſe pararet, non tamen à lectione deſtitiſſe. Ubi ergo ſunt qui ſe euſque profeciſſe putant ut nulla amplius exercitatione indigeant? quis ſe cum Paulo conferre auſit? Magis etiam refellitur fanaticorum hominum furor, qui libris contemptis, damnataque omni lectione, ſolos ſuos ἐνθουσιασμοὺς jactant. Nos vero ſciamus hoc loco piis omnibus commendari aſſiduam lectionem ex qua proficiant. Quæret hic quiſpiam quid ſibi velit Paulus veſtem petendo, ſi mortem ſibi inſtare ſentiebat. Hæc quoque difficultas me movet ut de arcula accipiam. quanquam potuit aliquis eſſe tunc uſus veſtis, qui hodie nos latet. Itaque de his rebus minus laboro.

14. Alexander faber ærarius multis me malis affecit: reddat illi Dominus juxta facta ipſius.

15. Quem & tu cave: vehementer enim reſtitit ſermonibus noſtris.
16. In prima defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: ne illis imputetur.
17. Sed Dominus mihi adfuit, & corroboravit me: ut per me præconium confirmaretur, & audirent omnes Gentes.
* vel, *opere.* 18. Et ereptus fui ex ore leonis. & eripiet me Dominus ex omni * facto malo, ſervabitque in regnum ſuum cæleſte: cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.
19. Saluta Priſcam & Aquilam, & familiam Oneſiphori.
20. Eraſtus manſit Corinthi: Trophimum autem reliqui in Mileto languentem.
21. Da operam ut ante hyemem venias. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.
22. Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

Scripta è Roma ſecunda ad Timotheum, qui primus Epheſi ordinatus fuit Epiſcopus, quum Paulus iterum ſiſteretur Cæſari Neroni.

14. *Alexander.*] In hoc homine proditum fuit horribile defectionis exemplum. Præ ſe tulerat aliquod ſtudium in promovendo Chriſti regno, quod deinde hoſtiliter impugnavit. quo hoſtium genere nullum eſt nocentius, nec magis virulentum. Sed ab initio voluit Dominus Eccleſiam ſuam hujus mali non eſſe expertem. ne quum ſimilibus tentamur, animi nobis labaſcant. Obſervandum autem quæ ſint iſta multa mala quæ ſibi Alexandrum intuliſſe Paulus conqueritur: nempe quod ſuæ doctrinæ adverſatus ſit. Faber erat, non eruditus in ſcholis, ut multum diſputando valeret: ſed hoſtes domeſtici ſemper plus ſatis inſtructi ſunt ad nocendum. Et talium hominum improbitas ſemper fidem in mundo invenit: ut interdum plus difficultatis & negotii exhibeat maligna & impudens inſcitia, quam ſummum acumen cum doctrina conjunctum. Adde quod Dominus ſervos ſuos cum talibus quiſquiliis in certamen committeos, conſulto eos à mundi intuitu revocat, ne ſibi in pompa & ſplendore placeant. Jam ex Pauli verbis colligere licet gravius eum nihil tuliſſe, quam ſanæ doctrinæ oppugnationem. Nam ſi ejus perſonam læſiſſet Alexander, aut aliqua contumelia offeciſſet, toleraſſet boc totum æquiore animo: ſed ubi impetitur Dei veritas, ardet indignatione ſanctum pectus: quia illud impleri in omnibus Cbriſti
Pſal. 69. verſ. 10. membris oportet, Zelus domus tuæ comedit me. Atque huc pertinet tam ſevera imprecatio in quam erumpit, ut Dominus illi rependat. Paulo poſt, quum ſe deſertum ab omnibus fuiſſe conqueritur, non imprecator tamen illis Dei vindictam: quin potius ſe intercesſorem opponit pro venia impetranda. Quum in alios tam mitis ſit ac miſericors, qui ſit ut in hunc unum tam durum & inexorabilem ſe præbeat? Nempe quoniam alii metu & infirmitate lapſi erant, cupit illis à Domino ignoſci. nam ita fratrum infirmitati condoleſcere nos decet. Quia autem ille malitioſe & ſacrilega audacia inſurrexerat adverſus Deum, & agnitam veritatam ex profeſſo oppugnabat, nullam miſericordiam merebatur talis impietas. Non eſt itaque exiſtimandum, Paulum nimio calore proſiliiſſe in iſtam imprecationem. nam ex Dei Spiritu & zelo recte compoſito, tam Alexandro exitium æteroum quam aliis miſericordiam optavit. Quum autem duce Spiritu, Paulus cæleſte judicium hic proferat: colligere licet quam pretioſa ſit Deo ſua veritas, cujus oppognationem tam ſevere ulciſcitur. præſertim notandum eſt quam deteſtabile crimen ſit, contra puram religionem deliberata malitia inſurgere. Cæterum nequis Apoſtolum perperam æmulando, temere ſimiles imprecationes concipiat: tria bic ſunt obſervanda. Primum ne proprias injurias perſequamur: ne ſcilicet amor noſtri & privatæ utilitatis reſpectus (ut ſolet) nos abripiat. Deinde ne Dei gloriam aſſerendo, ullos noſtros affectus admiſceamus, qui ſemper rectum ordinem perturbant. Tertio ne adverſus quemlibet præcipites judicio feramur: ſed tantum adverſus reprobos qui ſua impietate tales ſe eſſe produnt: ut vota noſtra cum ipſo Dei judicio conſentiant. alioqui timendum ne idem nobis reſpondeatur quod diſcipulis Chriſtus reſpondit, qui promiſcue in omnes parum ſibi morigeros voto fulminabant, Neſciris cujus ſpiritus ſitis. Videban- *Luc. 9.*
tur quidem habere Eliam auctorem qui idem petie- *verſ. 55.*
rat à Domino: ſed quoniam multum diſtabant à ſpi- *2 Reg. 1.*
ritu Eliæ, præpoſtera erat imitatio. Proinde neceſſe *verſ. 10.*
eſt ut ante nobis judicium ſuum Dominus pateſaciat, quam erumpamus ad tales imprecationes: deinde ut Spiritu ſuo, tanquam freno, zelum noſtrum moderetur. Et quoties in memuriam noſtram ſubit Pauli in unum hominem vehementia, ſimul etiam mira iſta erga eos à quibus tam fuerat turpiter deſertus, manſuetudo occurrat: ut fratrum infirmitatibus compati ejus exemplo diſcamus. Porro ex his qui Petrum fingunt Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe, ſcire velim ubi tunc fuerit. Necdum enim ſecundum eos mortuus erat: quum dicant annum verſentem inter illius & Pauli mortem interfuiſſe. Deinde ad ſeptem annos extendunt ejus Pontificatum. Primæ defenſionis mentionem hic Paulus facit: cauſam non tam citò dicturus erat. An reatum tam perfidæ defectionis ſuſtinebit Petrus, ne Papæ titulum amittat? Certe omnibus rite expenſis, reperiemus fabuloſum eſſe quicquid de ejus Papatu creditum eſt.

17. *Dominus mihi adfuit.*] Hoc ad ſcandalum, quod ex turpi illa cauſæ deſertione oriri poſſe videbat, tollendum addidit. Quamvis enim ab officio ceſſaſſet Romana Eccleſia, quicquam inde jacturæ allatum fuiſſe Euangelio negat, quia unus ipſe cæleſti virtute fretus, ad totam molem ſuſtinendam par fuerit: & adeo in communi omnium metu fractus non fuerit, ut melius inde conſtiterit, Dei gratiam alienis ſubſidiis minime egere. Non enim jactat ſuam fortitudinem: ſed Domino gratias ogit quod ad extrema redactus non ſuccubuerit, nec fractus fuerit tam periculoſa tentatione. Fatetur ergo ſe manu Domini fuiſſe ſuſtentatum: atque hoc uno contentus eſt, quod interior Spiritus gratia ad ſuſtinendos omoes inſultus vice clypei fuerit. Addit cauſam, *Ut præconium confirmaretur.* Vocat autem Præconium, munus publicandi inter Gentes Euangelii, quod illi peculiariter mandatum erat. Aliorum enim prædicatio, quia continebotor inter Judæos, non tam ſimil[illegible]erat præconio. & hoc nomine paſſim non ſine cauſa utitur. Erat autem non vulgaris miniſterii ejus confirmatio, quod quum torus mundus furioſe in eum inſaniret, humana vero omnia præſidia ipſum deficerent, invictus tamen ſteterat. Reipſa enim comprobabar ſoum Apoſtolatum eſſe à Chriſto. Modum qooque confirmationis addit, Ubi *Gentes audierint*, Dominum illi tam potenter adfuiſſe. Nam inde colligere licebat, à Domino quoque eſſe vocationem tam Pauli quam ipſarum.

18. *Ereptus fui ex ore.*] Multi ſub nomine *leonis* Nero-

Digitized by Google

Neronem intelligunt. Ego potius hac loquutione generaliter periculum deſignari exiſtimo: acſi diceret, Ex præſenti incendio, vel ex faucibus mortis. Significat non ſine admirabili Dei auxilio ſe evaſiſſe: quoniam ejuſmodi erat periculum, à quo ſtatim alias poterat abſorberi. Idem quoque in poſterum ſperare ſe prædicat: non ut mortem effugiat: ſed ne vincatur à Satana, aut declinet à recto curſu. En quid potiſſimum expetere debeamus, non ut corpori ſit conſultum, verum ut omni tentatione ſtemus ſuperiores, potiuſque centum mortes oppetere ſimus parati, quam ullo malo opere nos polluere in mentem veniat. Quanquam non ignoro eſſe qui paſſive accipiant *opus malum* pro impiorum violentia: acſi dixiſſet Paulus, Non patietur Dominus mihi impios malefacere. ſed alter ſenſus longe melius quadrat, quod eum ab omni ſcelere purum & immunem ſervabit. Nam & continuo poſt ſubjicit, *In regnum ſuum cœleſte:* quo ſignificat veram eſſe demum illam ſalutem, ubi ſive per vitam, ſive per mortem, in regnum ſuum Dominus nos ducit. Inſignis etiam locus eſt ad continuam gratiæ Dei ſeriem contra Papiſtas aſſerendam. Ubi enim confeſſi ſunt, ſalutis exordium eſſe à Deo, continuationem libero arbitrio adſcribunt: ut hoc modo perſeverantia non donum ſit cœleſte, ſed hominis virtus. Atque Paulus hoc Deo munus aſſignans, ut nos ſervet in regnum ſuum, palam aſſerit, toto vitæ curriculo nos ejus manu regi, donec tota militia perfuncti, victoria potiamur. Atque hujus rei memorabile exemplum in Dema extat, cujus paulo ante meminit: quia ex nobili Chriſti athleta factus eſt turpis deſertor. Quæ ſequuntur, quia alibi vidimus, nova tractatione non indigent.

Eximiis duobus ſervis Chriſti,

GULIELMO FARELLO,

ET

PETRO VIRETO,

Symmyſtis & Fratribus Chariſſimis,

JOANNES CALVINUS S.

QUod meus hic Commentarius cum nominis veſtri inſcriptione in publicum exit, munus quamvis exiguum, ideo vobis non ingratum fore confido, quia ut id facerem, ipſum Epiſtolæ argumentum admonuit. Has in Creta partes ſuſcepit Titus, ut ædificio quod illic Paulus inchoatum reliquerat, extremam manum imponeret. Mihi eadem fere vobiſcum ratio eſt. quum enim magnis laboribus atque etiam periculis hanc Eccleſiam extruere exorſi eſſetis, ego poſt aliquod temporis ſpatium adjutor vobis primum acceſſi: deinde ſucceſſor ſum relictus, ut opus bene ac feliciter à vobis cœptum, in melius pro mea virili promovere ſtuderem. Hoc hodie quoque & collegæ mei agere contendimus: ſi minore quam optandum eſſet profectu, ex animo tamen ac fideliter, quantum noſtra fert mediocritas. Ut tamen ad vos redeam: quando eandem quam Tito Paulus impoſuit perſonam, vobis comparatus ſuſtineo, hæc ſimilitudo me invitare viſa eſt ad vos maxime deligendos quibus laborem hunc meum dicarem. Interea ſanctæ quæ inter nos eſt, conjunctionis erit ſaltem aliquod & huic ſeculo & forſan ad poſteros teſtimonium. Nunquam par amicorum tam ſincere inter ſe conjunctum in communi vita fuiſſe puto, quam nos in miniſterio noſtro fuimus. Cum utroque veſtrum hic functus ſum Paſtoris munere: adeo nulla æmulationis ſpecies, ut mihi unus vobiſcum eſſe viſus ſim. Locis poſtea disjuncti fuimus: nam te, Farelle, Neocomenſis Eccleſia, quam ex tyrannide Papatus Chriſto vendicaſti, ad ſe revocavit: Viretum Lauſanenſis Eccleſia eodem jure ſibi obſtrictum tenet. Cæterum ita ſinguli tuemur noſtras ſtationes, ut noſtra unitate in Chriſti ovile aggregentur filii Dei, imo in ejus corpus coaleſcant: disrumpantur vero hoſtes non extranei modo qui bellum ex profeſſo nobiſcum gerunt, ſed propiores iſti ac domeſtici qui nos intus exercent. Nam & hoc inter conjunctionis noſtræ bona numero, quod impuri canes, quorum morſus ad eam ſcindendam ac lacerandam penetrare nequeunt, latratu eam ſuo fruſtra exagitant. Sane eorum proterviam ſuſque deque ferre nos decet: quando vere coram Deo gloriari licet, & luculentis apud homines documentis probavimus, non aliam nos ſocietatem vel amicitiam colere, quam quæ auſpiciis Chriſti conſecrata, ejus Eccleſiæ hactenus fuit utilis: neque alio ſpectat, niſi ut omnes nobiſcum unum ſint in ipſo. Valete optimi & integerrimi fratres. Dominus Jeſus piis veſtris laboribus benedicere pergat. Genevæ, III. Calend. Decemb. M. D. XLIX.

IN EPISTOLAM AD TITUM

ARGUMENTUM.

QUum in Creta Eccleſiæ duntaxat fundamenta jeciſſet Paulus, alio properans (ut erat non unius tantum inſulæ Paſtor, ſed Gentium Apoſtolus) Tito proſequendi operis partes, tanquam Euangeliſtæ, mandaverat. Apparet autem ex hac Epiſtola, ſtatim poſt diſceſſum Pauli, Satanam incubuiſſe, non tantum ut perverteret Eccleſiæ regimen, ſed ut doctrinam quoque corrumperet. Erant qui per ambitinnem emergere cuperent in Paſtnrum ordinem: pravis illorum ſtudiis quia non obſequebatur Titus, male apud pleroſque audiebat. Erant rurſum ex Judæis qui Legis Moſaicæ prætextu, multas nugas ingerebant: tales vero cupide & multo cum favore audiebantur. Hoc itaque conſilio ſcribit Paulus, ut Titum ſua auctoritate armet ad tantum onus ſuſtinendum. Neque enim dubium eſt quin ſecure à quibuſdam contemptus fuerit, quaſi unus quilibet ex vulgo Paſtorum. Fieri etiam poteſt ut de eo vnlitarent querimoniæ, ipſum plus ſibi arrogare quam fas eſſet, quod Paſtores non reciperet niſi ſuo judicio probatos. Hinc colligere licet, Paulum nnn tam privatim ſcripſiſſe Tito, quam publice Cretenſibus. Neque enim probabile eſt Titum reprehendi quod nimia facilitate indignos eveheret ad Epiſcopatum: vel illi, tanquam rudi & nnvitio, præſcribi quo doctrinæ genere inſtituere populum debeat: ſed quia juſtus illi bnnor nnn babebatur, Paulus ſuam ei perſonam imponit tam in creandis Miniſtris, quam in tota Eccleſiæ adminiſtratione. Quia multi ſtulte aliam, quam traderet, doctrinæ formam appetebant: hanc Paulus aliis repudiatis, ſolam approbat: ac pergere, ſicuti cœpit, bortatur. Primum ergo docet quales eligere Miniſtros oporteat. Inter alias dotes, vult ſana doctrina inſtructum eſſe, qua reſiſtat adverſariis. Hac occaſinne perſtringit Cretenſium mores: peculiariter tamen Judæos notat, qui in ciborum diſcrimine aliiſque externis ſanctitatem locabant. Refellendis eorum ineptiis, vera pietatis & Chriſtianæ vitæ exercitia opponit. Et quo propius urgeat, quæ ſingulis vocationibus conveniant officia, deſcribit. his Titum jubet ſedulo & aſſidue inſiſtere: ſimulque rurſum alios admonet ne audiendo fatigentur. atque bunc redemptionis & ſalutis per Chriſtum partæ finem eſſe docet. Quod ſi quis contentioſus reclamet, vel obtemperare renuat, illum jubet omitti. Nunc videmus, non aliud ſpectare Paulum quam ut Titi cauſam ſuſcipiat, illique ad peragendum Dnmini npus adjutricem porrigat manum.

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
EPISTOLAM PAULI
AD
TITUM.

CAPUT PRIMUM.

PAulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis ejus quæ ſecundum pietatem eſt,

*vel, Propter ſpem. 2. * In ſpe vitæ æternæ quam promiſit is qui mentiri non poteſt, Deus ante tempora ſecularia:

*vel, per ſermonem. 3. Manifeſtavit autem propriis temporibus, * ſermonem ſuum in prædicatione, quæ mihi commiſſa eſt ſecundum ordinationem Servatoris noſtri Dei:

4. Tito germano filio, ſecundum communem fidem, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto Servatore noſtro.

1. SErvus Dei.] Indicat tam longa & accurata Apoſtolatus commendatio, Eccleſiæ magis quam unius Titi babitam à Paulo rationem. nam ejus Apoſtolatus extra controverſiam apud Titum erat. Solet autem Paulus ſuæ vocationis elogia prædicare ad auctoritatem ſibi aſſerendam. Itaque ut affectos eſſe videt quibus ſcribit, ita multus eſt in ſe ornando, vel parcus. Hic quoniam illi propoſitum eſt in ordinem eos cogere qui ſe proterve efferebant, ideo magnifice Apoſtolatum ſuum extollit. Scribit ergo non quæ Titus in cubiculo ſolus legat, ſed quæ proferat in publicum. Primo ſe Dei ſervum appellat: deinde miniſterii ſui ſpeciem addit, nempe quod ſit *Chriſti Apoſtolus*. Sunt enim varii gradus inter Dei ſervos. ſic à genere ad ſpeciem deſcendit. Tenendum etiam memoria eſt quod alibi dixi, Servi nomen hic aliud ſonare quam communem ſubjectionem, qualiter ſervi Dei vocantur omnes fideles: ſed accipi pro miniſtro cui certum aliquod munus injunctum eſt. Quo ſenſu olim Prophetæ hoc titulo inſigniebantur: & Chriſtus ipſe Prophetarum caput, Ecce ſervus meus, elegi eum. Sic David regiæ dignitatis intuitu, ſervum Dei ſe nominat. Fortaſſis etiam propter Judæos ſervum Dei ſe prædicat: quoniam ſolebant oppoſita Lege extenuare ejus fidem. Ergo ita vult baberi Cbriſti Apoſtolus, ut tamen glorietur ſe Deo æterno ſervire. Ita hæc duo elogia non modo inter ſe conciliat, ſed nexu individuo conjuncta eſſe docet. *Secundum fidem*. Siquis de ejus Apoſtolatu dubiter, optima ratione fidem illi conciliat, ipſum cum ſalute *electorum Dei* conjungens. acſi diceret, Mutuus eſt inter meum Apoſtolatum & fidem electorum Dei conſenſus: quare illum nemo niſi reprobus & à recta fide alienus, rejiciet. Electos porro intelligit, non modo qui tunc erant ſuperſtites, ſed quicunque fuerant ab initio mundi. Significat enim nullam ſe doctrinam afferre quæ non congruat cum fide Abrahæ & omnium Patrum. Ita ſiquis bodie baberi vult ſucceſſor, ejuſdem ſe doctrinæ miniſtrum probet neceſſe eſt. Sed in his verbis tacita quoque antitheſis incluſa eſt, nequid Euangelio deroget multorum incredulitas & contumacia. Nam tunc infirmos (ut hodie) ſcandalum hoc valde turbabat, quum eorum qui ſe Eccleſiæ titulo venditabant, major pars puram Chriſti doctrinam reſpueret. Quare Paulus, licet promiſcue Dei nomen omnes jactent, plurimos ex turba illa reprobos eſſe docet: quemadmodum alibi tradit, non omnes *Rom. 9.* qui genus ducunt ab Abraham ſecundum carnem, *verſ. 7.* eſſe legitimos Abrahæ filios. *Et agnitionem*. Copulam hic exegeticæ particulæ loco poſitam accipio, Nempe vel Scilicet. exponit enim qualis ſit illa fides cujus meminit. Quanquam non eſt plena ejus definitio: ſed deſcriptio ad loci præſentis circumſtantiam accommodata. Suum enim Apoſtolatum ut ab omni impoſtura & errore aſſerat, nihil continere teſtatur niſi certam & compertam veritatem, quæ homines ad purum Dei cultum inſtituat. Sed quia ſingulis verbis ineſt ſuum pondus, ſigillatim excutere operæpretium eſt. Primum quum fides agnitio nominatur, non ab opinione diſcernitur tantum, ſed ab informi illo Papiſtarum figmento. Fidem enim implicitam commenti ſunt omni intelligentiæ luce vacuam. At Paulus dum iſtud fidei quaſi proprium aſſignat, veritatem cognoſcere, nullam certe abſque notitia eſſe fidem, palam oſtendit. Et in nomine *veritatis*, melius exprimitur certitudo quam exigit fidei natura. Neque enim fides probabili ratione contenta eſt, niſi verum ipſum teneat. Porro non de qualibet veritate hic loquitur, ſed de cæleſti doctrina quæ bumanæ mentis vanitati opponitur. Nam ſicuti per illam ſe nobis Deus patefecit, ita ſola hoc honore digna eſt: ſicuti paſſim Scriptura tribuere illi ſolet. Joan. 16. v. 13. Et Spiritus vos ducet in omnem veritatem. Idem 17. verſ. 17. Sermo tuus veritas eſt. Galat. 3. verſ. 1. Quis vos faſcinavit ut non obediatis veritati? Coloſſ. 1. verſ. 5. Audito ſermone veritatis, Euangelio Filii Dei. 1 Timoth. 2. verſ. 4. Vult omnes ad agnitionem veritatis pervenire. Et 3. verſ. 15. Eccleſia columna eſt & firmamentum veritatis. Breviter, veritas iſta, recta eſt ac ſincera Dei cognitio quæ nos ab omni errore mendacioque liberat. Quo majore apud nos in pretio eſſe debet: quando nihil

Digitized by Google

miſerius eſt quam tota vita inſtar pecudum errare. Quod ſequitur, *ſecundum pietatem*, veritatem de qua loquutus fuerat, ſpecialiter reſtringit: ſimul tamen à fructu vel à fine commendat doctrinam Pauli: quia non alio ſpectet quam ut rite Deus colatur, puraque vigeat inter homines religio. quo ſuam doctrinam ab omni profanæ curioſitatis nota vindicat. Sicuti Actor. 24. verſ. 10. coram Felice; & deinde coram Agrippa facit, capite 26. verſ. 1. Nam quum merito piis ſuſpectæ, adeoque odioſæ eſſe debeant ſupervacuæ omnes quæſtiones quæ ad ædificationem nun faciunt: hæc ſola eſt legitima doctrinæ commendatio, quod ad reverentiam & timorem Dei nos inſtituat. Atque hinc etiam monemur, ut quiſque in pietate optime profecit, ita optimum eſſe Chriſti diſcipulum: ſicut is demum verus theologus cenſendus eſt qui in timore Dei conſcientias ædificat. Quod addit, *In ſpe vitæ æternæ*, non dubium eſt quin cauſam notet: id enim Græcis ſignificat ἐπὶ. Ideo vertere licebit, Propter ſpem, aut Super ſpe. nam à meditatione vitæ cæleſtis incipit & vera religio, &
Coloſſ. 1. verſ. 5. pietatis ſtudium: ſicuti Coloſſenſium fidem & charitatem laudans, earum cauſam & fundamentum ſtatuit ſpem in cælis repoſitam. Sadducæi enim & qui ſpem noſtram in hoc mundo includunt, quicquid ſimulent, nihil poſſunt quam contemptum Dei inducere, dum homines in pecudum conditionem aggregant. Proinde bono doctori hoc ſemper propoſitum eſſe debet, ut homines è mundo abductos, in cæli aſpectum convertat. Fateor quidem Dei gloriam nobis pluris eſſe debere quam ſalutem noſtram. Verum hoc minime nunc agitur, utrum dignitatis ordine præcedat. tantum dico, Nunquam homines vere Deum quærere, niſi ad eum pervenire confidant: ideoque ad pietatem nunquam animum adjicere, niſi de ſpe cæleſtis vitæ edoctos.

2. *Quam promiſit Deus.*] Quoniam Auguſtinus æterna pro ſecularibus tempora hic legebat, multum ſe torquet in temporum æternitate: niſi quod æterna tandem exponit quæ omnem antiquitatem ſuperant. In ſenſu vero ipſe & Hieronymus & alii conſentiunt, quod Deus ante mundi creationem ſtatuerit ſalutem dare, quam nunc per Euangelium manifeſtavit. Ita Promittendi verbo abuſus eſſet Paulus pro Decernere: ſiquidem ante homines natos nemo erat cui promitteret. Ergo ſicuti non rejicio hanc expoſitionem, ita dum omnia propius expendo, aliter ſentire cogor: nempe quod à multis retro ſeculis vita æterna hominibus promiſſa fuerit: neque iis modo qui tunc vivebant, ſed in noſtram quoque ætatem. Neque enim ſoli Abrahæ conſulit
Geneſ. 22. verſ. 18. Deus, quum dicit, In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes: ſed poſteros omnes reſpicit. Nec obſtat quod ſecundæ ad Timotheum primo capite datam fuiſſe ſalutem dicit ante tempora ſecularia, diverſo ſenſu. Eadem enim nihilominus eſt verbi ſignificatio utroque loco. nam quum αἰὼν Græcis continua ſit temporis ſeries ab initio ad finem uſque mundi, illic Paulus datam vel ordinatam fuiſſe ſalutem electis Dei tradit antequam fluere cœperint tempora. Hic vero quia de promiſſione tractat, non omnia ſecula comprehendit, ut nos abducat extra mundi creationem: ſed docet multa ſecula præteriiſſe ex quo ſalus fuit promiſſa. Si quis brevius malit, *ſecularia tempora* pro ſeculis ipſis accipere licet. Sed quoniam prius æterna Dei electione data fuit ſalus quam promiſſa: ideo in loco illo Epiſtolæ ad Timotheum, prior omnibus ſeculis donatio ſtatuitur: & ita ſubaudienda eſt nota univerſalis. Hic vero nihil aliud ſignificat quam promiſſionem in longo ſeculorum ordine antiquiorem eſſe: quia ſtatim à condito mundo cœpit. Eodem ſenſu ad Rom. cap. 1. v. 2. Euangelium quod ſuſcitato demum ex mortuis Chriſto publicari debuit, promiſſum in Scripturis per Prophetas fuiſſe docet. Plurimum enim à præſenti gratiæ exhibitione differt Patribus facta olim promiſſio. *Qui mentiri non poteſt.* Epithetum ἀψευδὴς non tam ornando Deo, quam fidei noſtræ confirmandæ additum eſt. Et certe quoties de ſalute noſtra agitur, nobis in mentem venire debet, ejus verbo fundatam eſſe qui nec fallere poteſt nec mentiri. imo hæc unica eſt totius religionis comprobatio, immutabilis Dei veritas.

3. *Manifeſtavit autem.*] Erat quidem jam hæc aliqua manifeſtatio, quum olim Deus per Prophetas ſuos loquutus eſt: ſed quia palam adventu ſuo exhibuit Chriſtus quæ illi obſcure prædixerant, deinde Gentes in fœderis ſocietatem aſcitæ fuerunt: hoc ſenſu nunc manifeſtatum eſſe dicit Paulus, quod prius tamen aliqua ex parte oſtenſum fuerat. *Tempora propria* idem hic ſignificat, quod ad Galat. 4. v. 4. Plenitudo temporum. Admonet enim hoc maxime opportunum agendi fuiſſe tempus, quum Domino agere placuit: ut hominum temeritati occurrat, qui ſemper inquirere audent cur non citius, cur potius hodie quam cras. Ergo ne præter modum ſimus curioſi, tempora in manu arbitrioque Dei ſic poſita eſſe docet, ut nihil non ordine ac tempeſtive agere cenſendus ſit. *Sermonem ſuum.* Vel ſubaudienda eſt præpoſitio Per (quod Græcis non eſt inſolens) vel Sermonem vocat Chriſtum: niſi forte aliquid ſubaudire placeat, ſententiæ implendæ cauſa. Mihi ſecunda expoſitio, niſi quod paululum coacta eſt, alioqui non diſpliceret. Sic Joannes initio ſuæ Epiſtolæ, Quod *1 Joan. 1. verſ. 1.*
audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod manus noſtræ contrectarunt de ſermone vitæ, & vita manifeſtata eſt. Itaque præfero quod ſimplicius eſt, Deum vitam per ſermonem de vita manifeſtaſſe, vel ſermonem de vita manifeſtaſſe per Euangelii prædicationem. *Prædicatio* de qua loquitur, eſt Euangelium promulgatum: ut certe hoc præcipuum eſt quod illic audimus, Chriſtum nobis dari, & in eo vitam. Porro quia non omnes promiſcue ad tantum munus ſunt idonei, nec ſe quiſquam ingerere debet: vocationem ſuam pro more aſſerit. Ubi diſcendum eſt quod ſæpe alias monuimus, nemini deberi honorem niſi qui ſe divinitus inſtitutum probaverit. Nam & Satanæ miniſtri faſtuoſe à Deo ſe vocatos eſſe jactant: ſed nulla eorum dictis fides conſtat. Paulus autem nonniſi rem notam & teſtatam profert, quoties ſuæ vocationis meminit. Præterea ex hoc loco elicimus quorſum Apoſtoli creati ſunt, nempe Euangelii promulgandi cauſa: ut alibi, Væ mihi niſi euangelizem: diſpenſa- *1 Cor. 9. verſ. 16.*
tio enim mihi credita eſt. Quare qui mutas perſonas in otio & deliciis agunt, pluſquam impudenter ſe jactant illorum ſucceſſores. *Servatoris noſtri.* Idem Patri & Chriſto epithetum accommodat: ut certe uterque Servator eſt, ſed diverſa ratione. Ideo enim Servator Pater quia Filii ſui morte nos redemit, ut vitæ æternæ hæredes efficeret: Filius autem, quia ſanguinem ſuum interpoſuit pignus ac pretium ſalutis noſtræ. ita nobis à Patre ſalutem attulit Filius: Pater vero per Filium contulit.

4. *Filio ſecundum communem fidem.*] Hinc conſtat quo ſenſu dicatur ſpiritualiter gignere miniſter verbi quos in Chriſti obedientiam adducit, nempe ut ſimul ipſe gignatur. Patrem ſe Titi facit Paulus, fidei reſpectu. Verum mox addit, hanc fidem ambobus eſſe communem: ut eundem ambo in cælis Patrem ex æquo habeant. Quare Deus de jure ſuo nihil minuit quum patres ſpirituales ſecum appellat, quorum miniſterio regenerat quos vult: ſicuti per ſe hi nihil agunt, ſed ex Spiritus efficacia duntaxat. Reliqua ex ſuperioribus Epiſtolis petenda erunt: ac præſertim ex priore ad Timotheum.

5. Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ deſunt, pergas corrigere, & conſtituas oppidatim presbyteros, quemadmodum tibi ordinavi:

6. Si quis eſt à crimine immunis, unius uxoris vir, liberos habens fideles, non infames ob laſciviam, non immorigeros.

5. *Hujus rei gratia.*] Hoc exordium clare demonſtrat Titum non tam admoneri ſua cauſa, quam commendari apud alios, ne quis eum impediat. teſtatur enim Paulus ſe illi mandaſſe ſuas vices: quare ut Apoſtoli vicarium agnoſci ab omnibus, & reverenter excipi convenit. Nam quia Apoſtolis nulla certa ſtatio erat aſſignata, ſed Evangelii per totum orbem ſpargendi munus injunctum: ideo quum ex urbe aut regione una ſe in aliam conferrent, ſubrogare in ſuum locum ſolebant idoneos homines, quorum opera abſolveretur quod inchoatum erat. Sic Paulus ſe Eccleſiam Corinthiorum fundaſſe prædicat: alios vero eſſe architectos qui ſuperædificare debeant, hoc eſt, ædificium promovere. Hoc quidem in omnes Paſtores competit: quoniam ſemper incrementis & profectu opus habebunt Eccleſiæ quamdiu mundus durabit. Sed ultra ordinarium Paſtorum munus, cura Eccleſiæ conſtituendæ Tito mandata erat. Paſtores enim conſtitutis jam Eccleſiis & in aliquem ordinem formatis præfici ſolent. Titus vero plus quiddam oneris ſuſtinebat, nempe ut Eccleſiis nondum rite compoſitis formam daret, ut certam politiæ rationem una cum diſciplina conſtitueret. Jacto enim fundamento diſceſſerat Paulus: proinde Titi partes erant, opus in ſuperficiem attollere, ut juſta ſtructuræ proportio extaret. Hoc vocat *corrigere quæ* adbuc *deſunt*. Neque enim tam facile eſt opus Eccleſiæ ædificatio, ut ſtatim ad ſummum perduci queat. Quamdiu in Creta fuerit Paulus, incertum eſt: aliquantum tamen temporis illic tranſegerat, fidelem impenderat operam erigendo Chriſti regno, non deerat ſumma peritia, quanta in homine poteſt inveniri, laborando erat indefeſſus: opus tamen fatetur ſe rude ac mutilum reliquiſſe. Hinc apparet difficultas. & nos hodie experimur non unius anni vel duorum eſſe laborem, collapſas Eccleſias in mediocrem ſtatum reſtituere. Quare qui per annos complures aſſidue progreſſi ſunt, adhuc ad multa corrigenda intentos eſſe oportet. Porro operæpretium eſt notare Pauli modeſtiam, qui libenter ab alio abſolvi patitur quod ipſe inchoavit. Et quidem quum ipſo longe inferior eſſet Titus, non recuſat eum habere ἐπανορθωτὴν qui operi ſuo extremam manum imponat. Sic affecti eſſe debent pii doctores, ut non ambitioſe quiſque ad ſe trahat omnia, ſed alii alios certatim juvent: & quiſquis majore ſucceſſu laboraverit, reliqui gratulentur potius quam invideant. Neque tamen corrigi voluit Paulus quæ ipſe vel inſcitia, vel oblivione, vel incuria omiſerat: ſed quæ per temporis brevitatem exequi non potuerat. Denique eam correctionem Tito injunxit qua fuiſſet ipſe perfunctus ſi in Creta diutius ſtetiſſet. non variando, non mutando quicquam, ſed quod deerat, addendo: quia non fert operis difficultas ut ſimul uno die omnia. *Conſtituas oppidatim.* Hoc in ſpirituali ædificio fere à doctrina ſecundum eſt, Paſtores creari qui Eccleſiæ gubernandæ curam habeant. Ideo præ aliis ejus mentionem hic Paulus facit. Diligenter hoc notandum, non poſſe incolumes ſtare Eccleſias ſine Paſtorum miniſterio: proinde ubicunque fuerit aliquod plebis corpus, illic præficiendum eſſe Paſtorem. Neque tamen ſingulis oppidis ſingulos attribuit Paſtores, ita ut nullus locus plus uno habeat: ſed nullas urbes vult Paſtoribus deſtitui. *Presbyteros* vel Seniores ſatis notum eſt ab ætate dici: utpote quum in eum ordinem interdum juvenes legerentur, ſicuti Timotheus. verum hoc omnibus linguis ſemper receptum fuit, ſic vocari honoris cauſa omnes gubernatores. Quum autem duplices fuiſſe Presbyteros, ex priore ad Timotheum Epiſtola colligamus: contextus ſtatim oſtendet hic non alios quam Doctores intelligi, hoc eſt, qui ad docendum ordinabantur: quia eoſdem mox vocabit Epiſcopos. Sed videtur nimium Tito permittere, dum jubet eum præficere omnibus Eccleſiis miniſtros. hæc enim fere regia eſſet poteſtas: deinde hoc modo & ſingulis Eccleſiis jus eligendi, & Paſtorum collegio judicium tollitur: id vero eſſet totam ſacram Eccleſiæ adminiſtrationem profanare. Verum reſponſio facilis eſt, non permitti arbitrio Titi ut unus poſſit omnia, & quos voluerit Epiſcopos Eccleſiis imponat: ſed tantum jubet ut electionibus præſit tanquam moderator, ſicuti neceſſe eſt. Hæc loquutio ſatis trita eſt: ſic dicitur Conſul, aut Interrex, aut Dictator Conſules creaſſe, qui comitia eligendis illis habuit. Sic quoque de Paulo & Barnaba loquitur in Actis Lucas: non quod ſoli præficerent, quaſi pro imperio, Paſtores Eccleſiis nec probatos nec cognitos: ſed quia idoneos homines, qui à populo electi vel expetiti fuerant, ordinarent. Diſcimus quidem ex hoc loco, non eam fuiſſe tunc æqualitatem inter Eccleſiæ miniſtros, quin unus aliquis auctoritate & conſilio præeſſet: nihil tamen hoc ad tyrannicum & profanum collationum morem, qui in Papatu regnat. longe enim diverſa fuit Apoſtolorum ratio.

6. *Si quis à crimine immunis.*] Ne quis Tito ſuccenſeat, quaſi nimium ſit moroſus aut ſeverus quoſdam repellendo, totam in ſe invidiam Paulus transfert. Se enim ita diſerte mandaſſe pronunciat ne quis admittatur, niſi qualem hic deſcribit. Ergo ſicut nuper Titum præfectum à ſe moderatorem creandis Paſtoribus fuiſſe teſtatus eſt, ut hoc illi jus concederetur ab aliis: ita nunc quid præſcripſerit narrat, ne malorum calumniis vel imperitorum invidiæ expoſita ſit ejus ſeveritas. Cæterum quia locus hic quaſi in tabula imaginem legitimi Epiſcopi nobis depingit, diligenter obſervandus eſt. Quia tamen quæ hic habentur, in priore ad Timotheum Epiſtola omnia fere expoſui, nunc leviter attingere ſatis fuerit. Ἀνέγκλητον intelligit, non qui ab omni vitio ſit immunis (talis enim inveniri nemo uſquam poſſet) ſed qui nulla infamia notatus ſit quæ illi auctoritatem deroget. vult ergo integræ eſſe exiſtimationis. Cur jubeat *unius uxoris maritum* eſſe, in priore ad Timotheum diximus. Trita adeo inter Judæos polygamia erat, ut prava conſuetudo in legem propemodum verſa eſſet. Si quis duas, priuſquam Chriſto nomen dediſſet, uxores duxerat, eum cogere ad alteram repudiandam fuiſſet inhumanum: itaque quod alioqui vitioſum erat, tolerabant Apoſtoli, quia corrigere non poterant. & qui ſe jam implicaverant multiplici conjugio, etiamſi retenta unica uxore pœnitentiam ſuam teſtari parati eſſent: dederant tamen intemperantiæ ſuæ ſignum, quod poſſet eorum famæ notam aliquam inurere. Perinde eſt igitur acſi juberet Paulus eos eligi qui pudice matrimonium coluerint, contenti ſingulis uxoribus: arceret autem eos quorum libido in plures uxores graſſata fuerit. Interea vero qui defuncta uxore alteram jam cœlebs inducit, nihilominus unius uxoris maritus cenſeri debet. Non enim eligendum docet qui fuerit maritus unius uxoris, ſed qui ſit.

Liberos habens fideles.] Quum prudentia & gravitas requiratur in Paſtore, ejus ſpecimen in familia ſpectari convenit. Nam qui domum ſuam regere non poteſt, quomodo regendæ Eccleſiæ par erit? deinde non ipſum modo Epiſcopum probro carere, ſed totam domum quaſi honeſtæ & caſtæ diſciplinæ ſpeculum eſſe oportet. ideo ad Timotheum non minus

accurate uxoribus præcipit quales eſſe debeant. Primum vero hic in liberis requirit ut ſint fideles: unde appareat, in ſana pietatis doctrina & timore Domini eſſe educatos. Secundo, ne ſint profuſi in luxum: ut hinc quoque agnoſci queat temperans & frugalis educatio. Tertio, ne ſint *immorigeri*: quia vix populum freno diſciplinæ contineret qui à liberis nullam reverentiam vel ſubjectionem poteſt impetrare.

7. Oportet enim Epiſcopum eſſe à crimine immunem, tanquam Dei œconomum, non præfractum, non iracundum, non vinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucro deditum:

8. Sed hoſpitalem, ſtudioſum benignitatis, temperantem, juſtum, ſanctum, moderatum,

9. Tenacem fidelis ſermonis qui ſecundum doctrinam eſt: ut potens ſit & exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere.

7. *Oportet Epiſcopum.*] Iterum repetit, eos qui ad Epiſcopatum aſpirant, debere illæſam famam afferre: idque ratione confirmat, quia quum Eccleſia ſit domus Dei, quiſquis ejus gubernationi præficitur, veluti œconomus Dei conſtituitur. Atqui male audiret inter homines qui œconomum aſſumeret probroſum & adverſæ famæ: longe ergo magis indignum, & minus tolerabile, Dei familiæ tales imponi præfectos. Nomen Diſpenſatoris, quod Eraſmus ab antiquo Interprete poſitum retinuit, minime exprimit Pauli mentem. Nam quo major in habendo delectu adhibeatur cura, hoc tam honorifico encomio Epiſcopatum ornat, quod ſit præfectura domus Dei:
1 Tim. 3. verſ. 15. ſicuti ad Timotheum, Ut ſcias quomodo te verſari oporteat in domo Dei quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Porro locus hic abunde docet, nullum eſſe Presbyteri & Epiſcopi diſcrimen: quia nunc ſecundo nomine promiſcue appellat quos prius vocavit Presbyteros. Imo idem proſequens argumentum, utrumque nomen indifferenter eodem ſenſu uſurpat: quemadmodum & Hieronymus tum hoc loco, tum in epiſtola ad Euagrium annotavit. Atque hinc perſpicere licet quanto plus delatum hominum placitis fuerit quam decebat, quia abrogato Spiritus ſancti ſermone, uſus hominum arbitrio inductus, prævaluit. Mihi quidem non diſplicet quod ſtatim ab Eccleſiæ primordiis receptum fuit ut ſingula Epiſcoporum collegia unum aliquem moderatorem habeant: verum nomen officii quod Deus in commune omnibus dederat, in unum ſolum transferri, reliquis ſpoliatis, & injurium eſt & abſurdum. Deinde ſic pervertere Spiritus ſancti linguam, ut nobis eædem voces aliud quam voluerit ſignificent, nimis profanæ audaciæ eſt. *Non præfractum.* Hoc vitium in Epiſcopo non abs re damnat: cujus officium eſt, non tantum comiter eos qui ultro accedunt, excipere; ſed etiam allicere qui ſe ſubducunt, ut omnes pariter Chriſto adducat. Atqui αὐθάδεια (ut quadam ad Dionem epiſtola inquit Plato) τῆς ἐρημίας ξύνοικος. hoc eſt, pertinacia, dum ſibi quiſpiam nimium addictus eſt, contubernalis eſt ſolitudinis. Societas enim & amicitia foveri nequit ubi quiſpiam ita ſibi placet, ut aliis cedere ac ſe accommodare renuat. Et certe omnis αὐθάδης, ſimulac ſe occaſio dederit, ſtatim fiet ſchiſmaticus. Unde apparet quam noxia ſit peſtis quæ diſſidiis Eccleſiam lacerat. Huic autem vitio primum docilitas, & deinde erga omnes comitas & modeſtia opponitur. Neque enim unquam bene docebit Epiſcopus, qui non paratus ſit etiam diſcere. Celebratur ab Auguſtino Cypriani ſententia, Tam patienter diſcat, quam ſcienter doceat. Deinde opus ſæpe habent conſilio & monitionibus Epiſcopi. ſi recuſent moneri, ſi ſana conſilia reſpuant, ſubinde cum magna Eccleſiæ jactura præcipites ruent. Remedium ergo his malis eſt, ne ſibi ſapiant. φιλάγαθον vertere malui *ſtudioſum benignitatis*, quam cum Eraſmo, bonarum rerum. Hanc enim virtutem cum hoſpitalitate Paulus avaritiæ & ſordibus opponere videtur. *Juſtum* vocat qui innocenter verſatur inter homines. *Sanctitas*, ad Deum reſpectum habet. nam & Plato duo hæc ſic diſtinguit.

9. *Tenacem* &c.] Hæc vero prima dos eſt Epiſcopi qui proprie docendi cauſa eligitur: quando aliter regi non poteſt Eccleſia quam verbo. *Fidelem ſermonem* vocat puram & ore Dei proditam doctrinam. Ejus tenacem vult eſſe Epiſcopum, ut non modo probe ſit inſtitutus, ſed conſtantem in ea aſſerenda ſe gerat. Sunt enim quidam leves qui facile in varia doctrinæ genera traduci ſe ſinunt: alii vel metu franguntur, vel moventur alia occaſione ut veritatis patrocinium deſerant. Eos itaque eligi Paulus jubet, qui veritatem Dei utroque brachio amplexi, & mordicus tenentes, nunquam ſibi excuti patiantur, aut ab ea divelli poſſint. Et certe nihil illa quam dixi levitate periculoſius eſt, ubi fixo pede non hæret Paſtor in ea doctrina cujus invictus aſſertor eſſe debuerat. In ſumma, non tantum requiritur in Paſtore eruditio, ſed tale doctrinæ puræ ſtudium, ut ab ea nunquam diſcedat. Sed quid ſibi vult, *ſecundum doctrinam?* nempe qui in Eccleſiæ ædificationem ſit utilis. Quicquid enim nullo cum pietatis fructu diſcitur ac ſcitur, Doctrinæ nomine cenſere Paulus non ſolet: quin potius ſpeculationes omnes quæ nihil utilitatis afferunt, quamlibet alioqui ſint acutæ, vanitatis damnat. Sic ad Romanos cap. 12. v. 7. Qui docet, id faciat in doctrina. hoc eſt, prodeſſe auditoribus ſtudeat. In ſumma, hoc primum eſt, ut ſanæ doctrinæ ſcientia inſtructus ſit Paſtor: alterum vero, ut firma animi conſtantia ejus confeſſionem ad extremum uſque retineat: tertium, ut ſuam docendi rationem ædificando accommodet; nec ambitioſe volitet per argutias frivolæ curioſitatis, ſed ſolidum duntaxat Eccleſiæ profectum quærat. *Ut potens ſit.* Duplex eſſe vox Paſtoris debet: altera ovibus colligendis, altera arcendis fugandiſque lupis & furibus. Utramque facultatem Scriptura ſuppeditat. nam qui probe in ea fuerit exercitatus, tam ad regendos dociles ſufficiet, quam ad hoſtes veritatis refellendos. Hunc duplicem Scripturæ uſum Paulus notat, quum dicit, Ut potens ſit *exhortari & adverſarios convincere.* Atque hinc diſcamus, primum quænam vera ſit Epiſcopi ſcientia, deinde in quem uſum conferenda ſit. Vere ſapit Epiſcopus qui rectam fidem tenet: rite ſcientia ſua utitur, dum ad populi ædificationem eam accommodat. Et hic eſt inſigne verbi Dei encomium, dum non ad regendos modo dociles, ſed frangendam hoſtium pervicaciam ſufficere prædicatur. Et certe ea eſt patefactæ à Domino veritatis potentia, ut facile adverſus mendacia omnia prævaleat. Eant nunc Papales Epiſcopi, & Apoſtolorum ſucceſſione glorientur: quorum bona pars adeo expers eſt omnis doctrinæ, ut inſcitiam, dignitatis ſuæ non minimam partem eſſe ducant.

10. Sunt

10. Sunt enim multi immorigeri, & vaniloqui; & mentium ſeductores; maxime qui ſunt ex Circumciſione:

11. Quibus oportet obturare os: qui totas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

12. Dixit quidam ex ipſis, proprius eorum Propheta, Cretenſes ſemper mendaces; malæ beſtiæ, ventres pigri.

13. Teſtimonium hoc eſt verum.

10. *Sunt autem.*] Poſtquam communem regulam præſcripſit, quæ ubique obſervanda eſt: quo tamen ad eam ſervandam magis intentus ſit Titus, peculiarem neceſſitatem illi proponit, quæ urgere ipſum præ aliis debeat. Admonet enim, illi negotium eſſe cum multis refractariis & indomitis capitibus, multos eſſe ventoſos & vana garrulitate inflatos, multos impoſtores: deligendos proinde ex oppoſito eſſe duces qui ad reſiſtendum idonei ſint ac bene inſtructi. Nam ſi filiis hujus ſeculi pericula curam ac vigilantiam augent: turpe eſſet; dum omnia molitur Satan, nos quaſi rebus pacatis ſecuros torpere. *Immorigeri.* Pro quo vetus Interpres reddidit Inobedientes, Eraſmus Intractabiles. Significat autem eos qui in ordinem ſe cogi non ſuſtinent, ac ſubjectionis jugum excutiunt. *Vaniloquos* appellat, non falſorum dogmatum auctores, ſed qui ambitioſæ oſtentationi dediti, inanes tantum argutias ſectantur. ματαιολογία enim utili ac ſolidæ doctrinæ opponitur. Itaque frigidas omnes ſpeculationes & nugatorias comprehendit, quæ meris tantum ampullis turgent, quum ad pietatem timoremque Dei nihil conducant. qualis eſt hodie in Papatu tota Scholaſtica theologia. Eoſdem tamen ſimul vocat *mentium ſeductores*: niſi malis de diverſis accipere. ſed ego eoſdem puto deſignari, quia ejuſmodi nugarum magiſtri ſuis illecebris mentes hominum demulcent & quaſi incantant, ne amplius admittant ſalubrem doctrinam. Dicit eos maxime eſſe ex Judæis: quia magis intereſt, ab omnibus tales peſtes cognoſci. Neque enim audiendi ſunt qui parcendum paucorum famæ cauſantur, ubi agitur magnum totius Eccleſiæ periculum. & eo nocentior erat gens illa quæ ſe aliis propter generis ſanctitatem præferebat. Hæc igitur ratio eſt cur acrius Judæos Paulus vexet, ut illis adimat nocendi facultatem.

11. *Quibus oportet obturare os.*] Ergo in excubiis eſſe decet bonum Paſtorem, ne pravas ac noxias doctrinas ſerpere tacitus ſinat, neve improbis moram concedat eas ſpargendi. Sed quæritur qui fieri poſſit ut obſtinatos & præfractos tacere cogat Epiſcopus. neque enim tales, utcunque ratione victi ſunt, tamen conticeſcunt: imo ſæpe quo apertius convicti ſunt ac fracti, redduntur petulantiores. Præterquam enim quod creſcit & accenditur malitia, ad impudentiam ſe proſtituunt. Reſpondeo, ubi verbi Dei gladio proſtrati, ac vi veritatis confuſi fuerint, poſſe illis ab Eccleſia imperari ſilentium: quod ſi pergant, ſaltem à fidelium conſuetudine arceri poſſe, ne quis illis ad nocendum aditus pateat. Quanquam obſtruere os, ſimpliciter accipit Paulus pro refellere ipſorum vaniloquentiam: utcunque nullum obſtrependi finem faciant. Nam qui verbo Dei convictus eſt, quicquid obloquatur, non habet quod dicat. *Totas domos ſubvertunt.* Si unius hominis fides ſubverteretur, quia agitur de exitio animæ unius Chriſti ſanguine redemptæ, mox ſe accingere deberet Paſtor ad reſiſtendum: quanto itaque minus tolerabile eſt, videre totas domos ſubverti? Modum ſubverſionis deſignat, quia *doceant quæ non oportet.* unde colligere licet quam periculoſa res ſit, vel minimum à ſana doctrina deflectere. Neque enim palam impia fuiſſe dogmata pronunciat, quibus multorum fidem ſubverterint: ſed quaſvis corruptelas intelligere poſſumus, quum à ſtudio ædificationis receditur. Ita eſt ſane: in hac tanta carnis infirmitate pluſquam proclive eſt labi. unde fit ut cito ac facile deſtruat Satan per ſuos miniſtros quod magno & diuturno labore pii doctores erexerant. Fontem etiam mali indicat *turpis lucri* cupiditatem. quo admonet quam exitioſa ſit peſtis in doctoribus. Simul enim atque ſe ad quæſtum proſtituunt, neceſſe eſt ut ſe componant ad hominum gratiam & obſequium. hinc protinus ſequitur puræ doctrinæ adulteratio.

12. *Proprius eorum Propheta.*] Non dubito quin hic ſit Epimenides, qui Cretenſis erat. Nam quum ex ipſis fuiſſe dicit, & proprium eorum Prophetam, ſignificat proculdubio fuiſſe gentilem Cretenſium. Cur Prophetam appellet, ambigitur. Quidam rationem afferunt: quia liber unde ſumpſit hoc teſtimonium Paulus, inſcriptus ſit περὶ χρησμῶν. Alii ironice Paulum loqui putant, qui talem ipſis prophetam aſſignet; dignum ſcilicet ea gente quæ Dei ſervos audire renuit. Sed quum Poëtæ interdum Græcis Prophetæ dicantur, quemadmodum apud Latinos, Vates: ſimpliciter pro Doctore hic accipio. Hinc autem appellatio (ut videtur) orta eſt; quod ſemper habiti ſunt genus θεῖον καὶ ἐνθουσιαστικόν. Unde & Adimantus apud Platonem 2. De Rep. poſtquam vocavit Poëtas Deorum filios, addit eorum quoque factos fuiſſe prophetas. Quare mihi videtur Paulus ad communem uſum ſermonem accommodare. Nec refert qua occaſione Epimenides ſuos conterraneos vocet mendaces: nempe quia Jovis ſepulchrum ſe habere jactent: ſed quoniam Poëta ex trita & veteri fama iſtud ſumit, Apoſtolus tanquam proverbiale aliquod dictum citat. Si verſum Latinum Græco reſpondentem habere placet, ſic non incommode reddetur:

Mendax, venter iners, ſemper mala beſtia Cres eſt.

Cæterum colligimus ex hoc loco, ſuperſtitioſos eſſe qui ex profanis ſcriptoribus nihil mutuari audent. Nam quum omnis veritas à Deo ſit, ſi quid ſcite & vere ab impiis dictum eſt, non debet repudiari, quia à Deo eſt profectum. Deinde quum omnia Dei ſint, cur fas non eſſet in ejus gloriam applicare quicquid in eum uſum apte conferri poteſt? Sed ea de re legatur Baſilii Oratio πρὸς τοὺς νέους ὅπως ἐξ ἑλ. &c.

13. *Teſtimonium hoc eſt verum.*] Utcunque vanus ſit teſtis: quod tamen vere ab eo dictum eſt, Paulus amplectitur. Porro dubium non eſt quin deterrimi fuerint Cretenſes, quos tam aſpere tractat. Nunquam enim tam durus fuiſſet adverſus eos; niſi provocatus maximis cauſis, qui clementer alioqui populos extrema ſeveritate dignos taxare ſolet. Quid contumelioſius his probris fingi poteſt, Ignavos eſſe, ventri deditos, nullius fidei; malas beſtias? Neque uni aut alteri hæc vitia exprobrantur, ſed damnatur tota gens. Admirabile ſane Dei conſilium, quod gentem adeo pravam, & ob vitia ſua infamem, in Euangelii ſui participationem inter primas vocavit: ſed æque mirifica bonitas, quod indignos communi vita, cæleſti gratia dignatus eſt. In illa ergo tam corrupta regione, quaſi in mediis inferis, ſtationem aliquam habuit Chriſti Eccleſia: nec propagari deſiit, tametſi malorum quæ illic regnabant, contagione infecta erat. Neque enim alienos ſolum hic

taxat Paulus, ſed eos nominatim qui Chriſto nomen dederant. Quia autem videbat hæc tam fœda vitia pridem egiſſe radices, & paſſim graſſari: ut ſanabiles ab ipſis curet, totius gentis famæ non parcit.

Quamobrem argue eos ſevere, ut ſani ſint in fide,

14. Neque attendant Judaicis fabulis, & præceptis hominum averſantium veritatem.

15. Omnia quidem pura puris: inquinatis autem & infidelibus nihil purum: ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia.

16. Deum profitentur ſe noſſe, operibus vero negant, quum ſint abominabiles, inobſequentes, & ad omne opus bonum reprobi.

Quamobrem argue.] Hæc pars eſt non poſtrema ejus circumſpectionis & prudentiæ qua præditum eſſe decet Epiſcopum: ut ſcilicet docendi rationem ad hominum ingenia moreſque inflectat. Neque enim ſic cum protervis & indomitis agendum, ut cum manſuetis ac docilibus. In his enim docendis adhibenda eſt lenitas quæ eorum docilitati reſpondeat: illorum protervia ſevere corrigenda eſt, maloque nodo (ut aiunt) aptandus eſt ſimilis cuneus. Cauſa enim notatur cur acriorem & magis rigidum eſſe Titum velit in illis arguendis: quia ſint malæ beſtiæ. *Ut ſani ſint in fide.* Incertum eſt tacitene hanc ſanitatem opponat morbis quorum meminit: an ſimpliciter præcipiat ut in ſana fide maneant. hoc poſterius mihi magis placet. Quum ergo jam per ſe plus æquo ſint vitioſi, & facile magis ac magis depraventur: vult eos ſeverius magiſque præciſe in ſincera fide contineri. Poſtea oſtendit quomodo ſana conſtet fides: nempe ubi nullis fabulis corrumpitur. ſed cavendo periculo hoc remedium præſcribit, ne animum advertant: vult enim Deus ita nos verbo ſuo intentos eſſe, ut præcluſus ſit nugis aditus. Et certe ubi ſemel obtinuit Dei veritas, inſipidum erit quicquid contra afferetur, ut mentes noſtras minime ad ſe convertat. Proinde ſi cupimus fidem integram retinere, ſenſus omnes noſtros ſollicite cohibere diſcamus, ne alienis commodis ſe dedant. Nam ſimulac quiſpiam fabulis attendere cœperit, fidei puritatem amittet.

14. *Fabulis Judaicis.*] Fabulas appellat frivola omnia commenta: acſi quis Nugas Latine diceret. Nam quod continuo poſt addit de *præceptis hominum*, idem ſignificat. Et *veritatis* hoſtes appellat, qui pura Chriſti doctrina non contenti, ſuas nænias admiſcent. Nam pro fabuloſo ducendum eſt quicquid ex ſe comminiſcuntur homines. Judæis præcipue hoc vitium adſcribit, quia divinæ Legis prætextu ſuperſtitioſos ritus ingerebant. Gentiles enim quum intelligerent ſe tota vita miſere fuiſſe deceptos, facilius prioris vitæ inſtituto renunciabant. Judæi autem, quoniam in vera religione fuerant educati, ritus quibus aſſueverant, pertinaciter tuebantur: Legis abrogatio perſuaderi illis non poterat. Hoc modo turbabant omnes Eccleſias: quia ſimulatque emergere alicubi Evangelium cœperat, ejus ſinceritatem admiſto ſuo fermento corrumpere non deſinebant. Quare Paulus non in genere modo prohibet ne à ſana doctrina degenerent, ſed præſens malum cui occurrere neceſſe erat, quaſi digito oſtendit, ut caveant.

15. *Omnia quidem pura.*] Speciem unam ex fabuloſis dogmatibus attingit. Ciborum enim delectum, qualis à Moſe ad tempus præſcriptus erat, purificationes & lavacra, quaſi res adhuc neceſſarias urgebant: imo totam fere ſanctitatem collocabant in his obſervatiunculis. Quam vero pernicioſum hoc eſſet Eccleſiæ, alibi diximus. Primum laqueus ſervitutis conſcientiis injiciebatur: deinde imperiti hac ſuperſtitione illigati, velum habebant oculis obductum, ne in pura Chriſti notitia proficerent. Si quis ex Gentibus hoc jugum, quia aſſuetus non eſſet, ſubire recuſabat, Judæi tanquam pro ſummo religionis capite acriter dimicabant. quare non immerito Paulus conſtanter talibus Evangelii corruptoribus ſe opponit. Hoc quidem loco non eorum modo errorem refutat, ſed vanitatem lepide ridet, quod nullo profectu in ciborum abſtinentia & ſimilibus, anxie laborent. Priore membro aſſerit Chriſtianam libertatem, dum nihil immundum eſſe fidelibus pronunciat. ſed interim pſeudoapoſtolos oblique perſtringit, quibus interior puritas, quam ſolam Deus æſtimat, nullius erat pretii. Ergo eorum inſcitiam arguit, quod non intelligant Chriſtianos abſque Legalibus ceremoniis puros eſſe: deinde hypocriſin exagitat, quod neglecta cordis integritate in frivolis exercitiis ſe occupent. Quia autem non agitur hic de valetudine corporis, ſed de conſcientiæ quiete, non aliud intelligit, quam ciborum diſcrimen quod ſub Lege valuit, eſſe jam ſublatum. Eadem tamen ratione conſtat, perperam facere eos qui religionem hac in parte conſcientiis injiciunt. Eſt enim hæc non unius ſeculi doctrina, ſed æternum Spiritus ſancti oraculum, cui nulla nova lege derogare fas eſt. Quare hoc uſque ad finem mundi verum eſſe oportet, nullius cibi uſum coram Deo illicitum eſſe. Ideo apte & congruenter hic locus adverſus tyrannicam Papæ legem citatur, quæ carnium eſum certis temporibus prohibet. Neque vero me latet quid cavillentur. negant ſe carnium eſum interdicere quia immundas eſſe dicant: (fatentur enim cibos omnes per ſe mundos ac puros eſſe) ſed alio reſpectu carnium abſtinentiam edici, ut ſcilicet dometur carnis laſcivia. Quaſi vero Dominus vetuerit olim ſuilla veſci quia immundos ſues judicaret. Purum enim per ſe ac mundum eſſe quicquid creavit Deus, Patres etiam ſub Lege duxerunt: ſed ideo immundos habebant, quia uſus à quo ipſos Dei prohibitio arcebat, erat illicitus. Puros ergo omnes non alio ſenſu Apoſtolus vocat, niſi quia liber omnium uſus eſt, quo ad conſcientiam. Ita ſi qua lex ad aliquam abſtinendi neceſſitatem conſcientias obſtringit, conceſſam à Deo libertatem impie eripit fidelibus. *Inquinatis autem.* Secundum membrum eſt, quo inutiles ac irritas talium magiſtrorum cautiones ſubſannat. Dicit enim, nihil illos proficere, cavendo in cibis certis immunditiem: quia nullum mundum attingere queant. Cur iſtud? polluti enim ſunt: ideo ſolo ipſorum attactu, quæ alioqui pura erant, inquinantur. Porro *infideles* non adjungit impuris quaſi diverſos, ſed exegetica eſt additio. Quia enim nulla eſt coram Deo quam fidei puritas, ſequitur infideles omnes eſſe immundos. quare nullis legibus vel regulis obtinebunt quam captant munditiem: quia quum impuri ſint ipſi, nihil ſibi in mundo purum reperient. *Sed inquinatæ ſunt.* Fontem oſtendit unde manant omnes ſordes quæ per totam hominis vitam ſparguntur. Niſi enim cor bene purgatum ſit, etiamſi maxime fulgeant & optimi ſint odoris opera coram hominibus: tamen apud Deum fœditate ſua & fœtore nauſeam provocabunt. Dominus enim cor intuetur, 1 Samuelis 16. v. 7. &, Oculi ejus veritatem reſpiciunt, Jeremiæ 5. verſ. 3. Unde fit ut quæ alta ſunt hominibus, abominatio ſint coram ipſo. *Mens* intellectum ſignificat: *Conſcientia* magis ad cordis affectus pertinet. Duo autem hic ſunt notanda: ex ſincero cordis affectu hominem æſtimari apud Deum, non operibus externis: deinde

deinde tantas eſſe infidelitatis ſordes, ut non hominem modo inficiant, ſed quicquid etiam attrectat. Qua de re legatur caput Aggæi ſecundum. Ideo alibi 1 Tim. 4. verſ. 5. docet Paulus, verbo nobis ſanctificari omnia: quia nihil pure uſurpant homines, niſi quod è manu Dei fide ſuſcipiunt.

16. *Deum profitentur ſe noſſe.*] Tractat eos ut merentur: nam hypocritæ qui minutis obſervationibus inſiſtunt, quæ præcipuæ erant Chriſtianæ vitæ partes, ſecure contemnunt. Ita fit ut vanitatem ſuam prodant, dum in apertis flagitiis apparet Dei contemptus. Et hoc eſt quod intelligit Paulus: qui in una cibi ſpecie continentes videri volunt, contumaciter (velut excuſſo jugo) laſcivire, fœdos & nequitiæ plenos eſſe ipſorum mores, nullam in tota eorum vita virtutis ſcintillam ſpectari. Dum βδελυκτοὶ nominat, videtur alludere ad fictitiam ſanctitatem, cui ſedulo dabant operam. Sed Paulus nullo profectu eos ſatagere pronunciat, quia non deſinant eſſe profani & deteſtabiles. Non abs re contumaciæ eos inſimulat: quia hypocritis nihil ſuperbius, qui etiam tantopere ſe fatigant in ceremoniis ut præcipua Legis impune contemnere liceat. Vocem ἀδόκιμοι commode accipere licebit in activa ſignificatione: quaſi dixiſſet, Judicio & mente deſtitui quo ad bona opera, qui in nugis volunt tam perſpicaces magiſtri videri.

CAP. II.

TU vero loquere quæ decent ſanam doctrinam.

2. Senes ut ſobrii ſint, graves, temperantes, ſani fide, dilectione, patientia.

3. Anus ſimiliter ut ſint in habitu religioſe decoro, non calumniatrices, non multo vino ſervientes, honeſti magiſtræ:

4. Quo adoleſcentulas temperantiam doceant, ut ament maritos & liberos,

5. Sint temperantes, puræ, domus cuſtodes, benignæ, ſubjectæ ſuis maritis: ne ſermo Dei male audiat.

1. *Tu vero loquere.*] Remedium abigendis fabulis oſtendit, ut Titus ædificationi inſiſtat. *Sanam doctrinam* appellat, quæ ad pietatem erudire homines poteſt. Evaneſcunt enim omnes nugæ, quum id quod ſolidum eſt traditur. Porro dum loqui præcipit quæ ſanæ doctrinæ conveniunt, perinde valet acſi diceret oportere in hac prædicatione Titum eſſe aſſiduum. neque enim ſufficeret ſemel aut iterum fieri iſtarum rerum mentionem. Et Paulus non de unius diei ſermone agit, ſed quamdiu Paſtoris officium aget Titus, vult in hac doctrina occupari. Sana doctrina dicitur ab effectu, quemadmodum econverſo dicit homines ineptos languere circa quæſtiones quæ nihil proſunt. Sana ergo Salubrem ſignificat, quæ animas vere paſcit. Ergo hac una voce, tanquam ſolenni edicto, ſpeculationes omnes quæ oſtentationi ſerviunt magis quam pietatem juvent, ab Eccleſia exterminat, ſicuti in utraque ad Timotheum fecit. Sanæ vero doctrinæ duas facit partes: alteram qua Dei gratia in Chriſto commendetur, unde ſciamus ubinam quærenda ſit ſalus: alteram qua formetur vita ad timorem Dei & innocentiam. Tametſi autem prior illa quæ fidem continet, longe antecellit, ideoque ſtudio majore inculcanda eſt: Paulus tamen quum ad Titum ſcriberet, in ſervando ordine ſollicitus non fuit. Eſt enim illi cum perito homine negotium: cui injuriam faceret ſi illi ſingula dictaret, ut novitiis aut tironibus fieri ſolet. Docet quidem ſub Titi perſona totam Cretenſem Eccleſiam: decorum tamen ſervat, ne diffidere ejus prudentiæ videatur. Præterea in exhortationibus ideo eſt longior, quia præcipue ad ſanctæ & honeſtæ vitæ ſtudium revocandi erant qui otioſis tantum quæſtionibus erant intenti. Nihil enim eſt quod vagam hominum curioſitatem melius compeſcat, quam dum agnoſcunt in quibus ſe officiis exercere debeant.

2. *Senes ut ſobrii ſint.*] Ab officiis particularibus incipit, quo magis popularis ſit ſermo. id autem facit non modo ut ſe attemperet ad eorum captum, ſed ut magis unumquemque premat. Generalis enim doctrina minus afficit. ubi autem paucis exemplis propoſitis, ſingulos vocationis ſuæ admonuit, nemo eſt cui non promptum ſit colligere, ſibi à Domino ſatis mandari negotii in quo ſe exerceat. Proinde non eſt quod hic methodum requiramus: quia conſilium Pauli duntaxat fuit, breviter indicare quibus de rebus loqui debeant pii doctores, non autem plenam rerum tractationem ſuſcipere. Senum meminit primo loco. eos vult eſſe ſobrios: quia vitium ſenectuti eſt nimis familiare bibacitas. Gravitatem quam ſubjicit, conciliant mores bene compoſiti. Nihil enim fœdius quam ſenex juveniliter laſciviens, & qui ſua incontinentia adoleſcentum impudentiam auget. Ergo in ſenum vita reluceat σεμνὸν, hoc eſt, dignitas quædam quæ adoleſcentes ad verecundiam cogat. Id potiſſimum conſequetur temperantia, quam mox ſubjicit. *Sani fide.* Neſcio an obliqua ſit alluſio ad varios ſenum morbos, quibus opponat hanc animæ ſanitatem: mihi certe ita videtur, tametſi nihil affirmo. Summam autem Chriſtianæ perfectionis his tribus partibus comprehendit, non ſine cauſa. Fide enim Deum colimus: quia neque invocatio, neque alia pietatis exercitia ſeparari ab ea poſſunt. *Dilectio* extenditur ad omnia ſecundæ tabulæ præcepta. Sequitur *patientia*, quaſi utriuſque condimentum. Nam nec abſque ea diu ſtaret fides: & quotidie multa accidunt, quorum vel indignitate, vel acerbitate offenſi, ad charitatis officia non languidi modo, ſed exanimes eſſemus, niſi eadem patientia nos ſuſtineret.

3. *Anus ſimiliter.*] Matronas ætate provectas ut plurimum videre eſt aut laſcive adhuc ſe colere, aut aliquid habere in veſtitu ſuperſtitioſum: raro medium tenent. Utrique vitio occurrere Paulus voluit, modum præſcribens qui & decoro & religioni congruat: aut ſi mavis ſimplicius, ut ipſo quoque habitu ſanctas & pias ſe eſſe teſtentur. Alia etiam duo vitia quibus fere obnoxiæ ſunt, corrigit, dum *calumniatrices* ac vinoſas eſſe vetat. Loquacitas, morbus eſt muliebris: eum ſenectus augere ſolet. Huc accedit quod ſibi nunquam ſatis diſertæ videntur mulieres, niſi dicaces ſint ac maledicæ, niſi de omnibus detrahant. ita fit ut vetulæ ſæpenumero calumnioſa ſua garrulitate, quaſi face ardenti, multas domos inflamment. Multæ etiam bibulæ ſunt. quo fit ut modeſtiæ & gravitatis oblitæ, indecenter proterviant. Cæterum quo magis attentæ ſint ad officium, docet non ſatis eſſe ſi honeſte ſibi vivant, niſi etiam *adoleſcentulas* inſtitutis ſuis forment ad honeſtam ac pudicam vitam. Ideo addit, ut ſuo exemplo juniores reddant temperantes & graves: quæ ſcilicet alioqui ætatis fervore exultant.

4. *Ament maritos.*] Non aſſentior iis qui præcepta recenſeri putant quæ tradere debeant matronæ adoleſcentulis: nam ſi quis contextum diligenter expendat,

pendat, facile animadvertet Paulum officia mulierum perſequi, quæ ſenioribus etiam conveniunt. Deinde conſtructio inepta eſſet, σωφρονίζωσι, σώφρονας εἶναι. Quanquam dum provectioribus matronis quales eſſe debeant, præſcribit, ſimul junioribus proponit quod ſequitur exemplum: ita promiſcue utraſque docet. In ſumma, vult mulieres amore conjugali, & liberorum charitate retineri, ne libidinoſis amoribus ſe occupent: vult ſobrie & continenter domum ſuam regere: prohibet in publico vagari: caſtas eſſe jubet, ſimul tamen modeſtas, ut ſubjectæ ſint virorum imperio. Nam quæ aliis virtutibus pollent, interdum ferociendi inde occaſionem arripiunt, ut maritis parum ſint morigeræ. Quod autem addit, *Ne ſermo Dei male audiat*, proprie ad mulieres ſpectare putant quæ junctæ erant viris incredulis, qui ex malis uxorum moribus poterant Euangelium æſtimare. idque videtur Petri verbis confirmari, prioris Epiſtolæ cap. 3. v. 1. Verum quid ſi non de ſolis maritis loquatur? Et certe probabilius eſt talem requiri vitæ probitatem, ne ſuis vitiis Euangelium vulgo infament. reliqua petantur ex quinto capite prioris Epiſtolæ ad Timotheum.

6. Juniores ſimiliter hortare ut temperantes ſint:

7. In omnibus teipſum exhibens exemplar bonorum operum in doctrina, integritatem, gravitatem,

8. Sermonem ſanum, irreprehenſibilem: ut adverſarius pudefiat, nihil habens quod de nobis obloquatur.

9. Servos ut dominis ſuis ſubjecti ſint, in omnibus placere ſtudentes, non reſponſatores.

10. Non furaces, ſed fidem omnem oſtendentes bonam: ut doctrinam Servatoris noſtri Dei ornent in omnibus.

6. *Juniores.*] Juvenes tantum ad temperantiam inſtitui præcipit: quia hæc virtus (ut docet Plato) totam hominis mentem ſanat. Ergo perinde eſt acſi diceret, bene compoſitos & rationi obtemperantes.

7. *Teipſum exhibens.*] Nam parum alioqui auctoritatis habebit doctrina, niſi in vita Epiſcopi, tanquam in ſpeculo, vis ejus & majeſtas eluceat. Vult ergo doctorem eſſe exemplar, cui ſe diſcipuli conforment. Quæ ſequuntur, propter obſcurum orationis complexum ambigua ſunt. Ponit enim *In doctrina.* mox ſubjicit in accuſativo caſu, *integritatem, gravitatem*, &c. Omiſſis aliorum interpretationibus, afferam quod mihi videtur maxime probabile. Primum hæc verba ſimul connecto, *Bonorum operum in doctrina.* Nam quum juſſerit bonorum operum ſtudium, docendo urgeri: vult bona opera quæ huic doctrinæ reſpondeant, ſpectari in ejus vita. Proinde particula In, convenientiam denotat. Jam quæ ſequuntur, nihil habent obſcuritatis. Nam ut doctrinæ ſuæ typum in moribus referat, integrum & gravem eſſe jubet. *Sanus ſermo* ad communem vitam (meo judicio) & privata colloquia refertur. Abſurdum enim foret, de publica doctrina interpretari: quum tantum velit Titum in factis & dictis congruentem habere vitam ſuæ prædicationi. Quare ſermones ejus puros eſſe jubet ac remotos ab omni corruptela. *Irreprehenſibilis* tam ad ſermonem quam ad perſonam Titi aptari poteſt. Hoc poſterius magis amplector: ut reliqui accuſativi (quod ſyntaxis Græca facile patitur) inde pendeant, hoc ſenſu, Nempe ut te irreprehenſibilem præbeas gravitate, integritate, ſanis ſermonibus.

8. *Ut adverſarius.*] Tametſi alii fines ſpectandi ſunt homini Chriſtiano: non tamen hic negligi debet, ut impiis os obſtruatur: ſicuti paſſim admonemur non eſſe illis dandam occaſionem maledicendi. Quæcunque enim probra in noſtris moribus poſſunt arripere, ea in Chriſtum, ejuſque doctrinam torquent. Ita fit ut noſtra culpa, contumeliæ ſubjaceat ſacrum Dei nomen. Proinde quo nos acrius videmus ab hoſtibus obſervari, eo magis intenti ſimus ad cavendas eorum calumnias: atque ita eorum malignitas ſtudium bene agendi in nobis acuat.

9. *Servos.*] Jam dictum eſt Paulum breviter duntaxat quædam attingere exempli cauſa: non autem res totas explicare, quemadmodum ſi eas ex profeſſo tractandas ſuſciperet. Itaque dum ſervos jubet *dominis placere per omnia*, hoc placendi ſtudium ad ea reſtringi debet quæ recta ſunt: idque ex aliis ſimilibus locis, ubi nominatim additur exceptio, ne quid niſi ſecundum Deum. Obſervare autem licet, præcipue hic, Apoſtolum inſiſtere, ut qui ſub aliorum poteſtate ſunt, morigeri ſint ac obſequentes. quod non abs re facit. Nihil enim humano ingenio magis adverſum ſubjectione: & periculum erat ne Euangelii prætextu magis præfracti redderentur, quia indignum putarent, ſe ſubjacere impiorum imperio. Quo plus ſtudii & diligentiæ adhibendum fuit Paſtoribus, ad contumaciam hanc vel frangendam, vel reprimendam. Cæterum duo *ſervilia* vitia perſtringit: tergiverſandi proterviam, & furandi cupidinem. Plenæ ſunt comœdiæ exemplis nimium promptæ dicacitatis qua ſervi dominos eludunt. Nec ſine cauſa facta eſt olim nominum permutatio, ut ſervos vocarent Fures. Ita præcepta ad ſingulorum mores accommodare, prudentiæ eſt. *Fidem* pro fidelitate poſuit erga dominos. Ergo *fidem omnem oſtendere*, eſt verſari fideliter abſque fraude vel noxa, in tractandis domini rebus.

10. *Ut doctrinam.*] Acerrimus hic exhortationis aculeus eſſe nobis debet, quum audimus honeſtis noſtris moribus ornari Dei doctrinam, quæ tamen ſpeculum eſt gloriæ ejus. Et certe id uſu venire communiter videmus: ſicuti rurſum flagitioſa vita noſtra illam dedecore afficit. Solet enim ex operibus noſtris æſtimari. Verum hæc quoque circumſtantia notanda eſt, quod ornamentum Deus à ſervis accipere dignatur, quorum tam vilis & abjecta erat conditio, ut vix cenſeri ſoliti ſint inter homines. Neque enim famulos intelligit quales hodie in uſu ſunt: ſed mancipia, quæ pretio empta, tanquam boves aut equi poſſidebantur. Quod ſi eorum vita ornamentum eſt Chriſtiani nominis, multo magis videant qui in honore ſunt, ne illud turpitudine ſua maculent.

11. Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus,

12. Inſtituens nos, ut abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter & juſte & pie vivamus in hoc ſeculo:

13. Expectantes beatam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti,

14. Qui

14. Qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem, ſtudioſum bonorum operum.

15. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni auctoritate. nemo te contemnat.

11. *Apparuit enim* &c.] A fine redemptionis argumentatur, quem docet eſſe ſtudium pie & recte vivendi. Unde ſequitur, boni doctoris officium eſſe, potius hortari ad ſanctam vitam, quam vanis quæſtionibus occupare hominum mentes. Redemit nos (inquit Zacharias in ſuo cantico) ut in ſanctitate & innocentia ſerviamus illi omnibus diebus vitæ noſtræ. Ejuſdem rationis eſt quod dicit Paulus, Gratia Dei apparuit: nos erudiens. Significat enim, vice inſtitutionis eſſe nobis debere ad vitam recte formandam. Arripiunt alii in occaſionem licentiæ quod de miſericordia Dei prædicatur: alios impedit ſocordia, ne de vitæ novitate cogitent. At vero Dei gratiæ manifeſtatio exhortationes ad pie vivendum neceſſario ſecum trahit. *Salutaris omnibus.* Nominatim univerſis communem eſſe teſtatur, propter ſervos de quibus loquutus erat. Interea non intelligit ſingulos homines: ſed ordines potius notat, aut diverſa vitæ genera. Atque hoc non parvam emphaſin habet, quod Dei gratia ad ſervile uſque genus ſe demiſerit. Nam quum Deus ne infimos quidem & poſtremæ ſortis homines deſpiciat, pluſquam abſurdum foret, nos ad amplexandam ejus bonitatem pigros eſſe ac deſides.

12. *Ut abnegata impietate.*] Nunc regulam vitæ bene inſtituendæ tradit, & unde fieri debeat initium: nempe à prioris vitæ abnegatione. cujus duas partes recenſet, impietatem & mundana deſideria. Sub impietate non tantum ſuperſtitiones comprehendo, in quibus erraverant: ſed profanum Dei contemptum, qualis regnat in hominibus donec illuminati ſint in veritatis notitiam. Utcunque enim aliquam religionem præ ſe ferant, nunquam tamen ſincere aut ex animo Deum timent ac reverentur: quin potius ſopitas habent conſcientias, ut nihilo minus reputent, quam Deo eſſe ſerviendum. *Mundanas cupiditates* vocat omnes carnis affectus: quoniam donec ad ſe nos Dominus traxit, nihil reſpicimus quam mundum. Meditatio enim cæleſtis vitæ à regeneratione incipit. Prius vero in mundum inclinant ſtudia omnia, & in mundo hærent. *Temperanter & juſte & pie.* Quemadmodum tria ante poſuit quum vellet ſummam complecti Chriſtianæ vitæ: nunc eam definit tribus iſtis, pietate, juſtitia, & temperantia. Pietas, erga Deum religio eſt: juſtitia inter homines locum habet. utraque harum qui præditus eſt, ei nihil deeſt ad perfectam virtutem. Et certe in Lege Dei ſumma perfectio traditur, cui nihil omnino addi poteſt. Sed quemadmodum exercitia pietatis ſunt quaſi prioris tabulæ appendices; ita temperantia cujus hoc loco Paulus meminit, non alio quam ad Legis obſervationem ſpectat: & quemadmodum ante de patientia dixi, prioribus additur veluti condimentum. Nec varius eſt Apoſtolus qui nunc patientiam, nunc temperantiam nominat, quaſi ſanctæ vitæ complementum. neque enim diverſæ ſunt virtutes: quum ὑπομονὴ ſub ſe tolerantiam comprehendat. Addit, *In hoc ſeculo:* quia Dominus præſentem vitam fidei noſtræ probationi deſtinavit. Quamvis enim nondum fructus recte factorum appareat: nobis tamen ad ſtudium bene agendi ſufficere ſpes debet. atque hoc eſt quod ſtatim addit.

13. *Expectantes beatam ſpem.*] A ſpe futuræ immortalitatis exhortationem deducit. Et certe fieri non poteſt quin illa ſi penitus animis noſtris inſideat, nos totos addicat Deo. Contra, qui mundo & carni vivere non deſinunt, nunquam vere guſtarunt quid valeat æternæ vitæ promiſſio. Dominus enim in cælum vocando, à terra nos abducit. Spem hic poſuit pro re ſperata: alioqui impropria eſſet loquutio. ſic autem appellat felicem vitam quæ nobis in cælo eſt repoſita. Simul declarat quando futuri ſimus ejus compotes, & quid nos reſpicere deceat quoties ſalutis noſtræ ſubit deſiderium vel cogitatio. *Gloriam Dei* interpretor, non tantum qua in ſe glorioſus ipſe erit, ſed quia tunc ſe quaquaverſum diffundet, ut omnes ſuos electos ejus faciat participes. *Magnum* ideo nominat: quia ejus magnitudo, quam nunc inani mundi fulgore excæcati homines extenuant, ac interdum quoque quantum in ſe eſt exinaniunt, demum ultimo die ſe proferet. Mundi enim ſpecies, dum magna oculis noſtris apparet, ſic oculos perſtringit, ut Dei gloria quaſi in tenebris lateat. At Chriſtus adventu ſuo fumos mundi omnes diſcutiet, ut nihil amplius obſcuret gloriæ ſuæ ſplendorem, nihil amplitudinem diminuat. Demonſtrare quidem Dominus quotidie ſuis operibus ſuam majeſtatem: ſed quia homines impedit ſua cæcitas ne eam conſpiciant, latere nihilominus in obſcuro dicitur. At Paulus jam nunc fide vult à fidelibus conſiderari quod ultimo die manifeſtabitur: ideoque magnifieri Deum quem mundus vel contemnit, vel ſaltem pro ſua dignitate minime æſtimat. Porro dubium eſt, conjunctimne hæc legenda ſint, *Chriſti magni Dei & Servatoris:* an vero de Patre & Filio disjunctim. Arriani hunc poſteriorem ſenſum arripientes, probare inde conati ſunt Filium eſſe Patre minorem: quia hic diſtinctionis cauſa à Paulo dicatur Magnus Deus. Orthodoxi Eccleſiæ doctores, ut obſtruerent aditum huic calumniæ, vehementer contenderunt, utrumque de Chriſto prædicari. Verum brevius & certius refellere licet Arrianos: quia Paulus de revelatione gloriæ magni Dei loquutus, mox Chriſtum adjunxit, ut ſciremus in hujus perſona fore illam gloriæ revelationem: acſi diceret, ubi Chriſtus apparuerit, tunc patefactum nobis iri divinæ gloriæ magnitudinem. Hinc diſcimus primum, nihil eſſe quod nos ad ſtudium bene agendi alacriores reddat, quam ſpem futuræ reſurrectionis. Deinde in hanc debere ſemper eſſe intentos fideles, ne in recto curſu fatigentur: niſi enim toti inde pendeamus, ſubinde delabimur ad mundi vanitates. Sed quoniam formidabilis eſſe nobis poſſet Domini adventus in judicium, proponitur nobis Chriſtus Servator, qui idem futurus eſt judex.

14. *Qui dedit ſeipſum.*] Aliud exhortationis argumentum, à fine aut effectu mortis Chriſti. Ideo ſe obtulit pro nobis Chriſtus, ut nos redimeret à peccati ſervitute, & acquireret ſibi quaſi in peculium. Ergo ejus gratia neceſſario ſecum affert vitæ novitatem: quia redemptionis beneficium faciunt irritum qui ſerviunt adhuc peccato. Jam vero à peccati ſervitute vindicamur, ut ſerviamus Dei juſtitiæ. Proinde hoc ſecundum mox addidit, de *populo peculiari, bonorum operum ſtudioſo.* quo ſignificat, perire in nobis redemptionis fructum, ſi mundi concupiſcentiis adhuc tenemur impliciti. Ac quo melius exprimeret, nos Chriſti morte ad bona opera fuiſſe conſecratos, uſus eſt Purificandi verbo. nam indignum eſſet, iiſdem nos rurſum inquinari ſordibus, à quibus nos Filius Dei ſanguine ſuo purgavit.

15. *Hæc loquere.*] Perinde valet hæc clauſula acſi juberet aſſidue inſiſtere in illam ædificationis doctrinam, neque unquam fatigari: quia nimium inculcari nequeat. Doctrinæ etiam addere jubet exhortationum & objurgationum aculeos. neque enim ſatis eſt commonefieri de ſuo officio homines, niſi acriter etiam urgeantur. Qui autem ſuperiora illa tenet, ſemperque in ore habet, materiam

habebit

habebit non docendi modo, ſed etiam corrigendi. *Cum omni auctoritate.* Non aſſentior Eraſmo qui ἐπιταγῆς vertit præcipiendi ſtudium. Probabilior Chryſoſtomi ſententia, qui Severitatem interpretatur adverſus atrociora peccata. Quanquam ne hic quidem videtur Pauli mentem aſſequutus: vult enim ut ſibi auctoritatem in his tradendis ac reverentiam Titus vendicet. nam curioſi homines & argutiarum cupidi, piæ & ſanctæ vitæ præcepta quaſi trita & vulgaria faſtidiunt. Ut huic faſtidio occurrat Titus, jubetur pondus imperii ſui doctrinæ addere. Eodem etiam (meo judicio) pertinet quod mox ſequitur, *Nemo te contemnat.* Putant alii admoneri Titum ut ſibi vitæ integritate audientiam ac dignitatem conciliet. ac verum quidem eſt, mores ſanctos & inculpatos facere doctrinæ auctoritatem, verum alio reſpexit Paulus: nam populum ipſum magis quam Titum hic compellat. Quia tam delicatæ multis erant aures, ut illis deſpectui eſſet Euangelii ſimplicitas: quia ſic pruriebant rerum novarum deſiderio, ut ædificationi nullus fere locus foret: ejuſmodi hominum ſuperbiam retundit, & ſevere denunciat ut ab omni ſanæ & utilis doctrinæ contemptu deſiſtant. Ita confirmatur quod initio præfatus ſum, Cretenſibus potius quam uni privatim homini ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam.

CAP. III.

ADmone illos ut principatibus & poteſtatibus ſubditi ſint, ut magiſtratibus pareant, ut ad omne opus bonum ſint parati.

2. Ne de quoquam male dicant, ut ſint non pugnaces, humani, omnem exhibentes manſuetudinem erga omnes homines.

3. Nam eramus & nos ſtulti quondam, inobedientes, errantes, ſervientes cupiditatibus & voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odioſi, invicem odio proſequentes.

1. *Admone illos.*] Ex compluribus locis apparet, multum negotii habuiſſe Apoſtolos, ut plebem ſub magiſtratuum & principatuum imperio continerent. Natura enim appetentes principatus ſumus omnes: ita fit ut nemo ſe alteri libenter ſubjiciat. Præterea quum tunc viderent omnes fere mundi poteſtates Chriſto eſſe adverſas, putabant indignas eſſe quibus haberetur ullus honor. Judæi præcipue, ut erant gens indomita, fremere ac tumultuari non deſinebant. Poſtquam ergo de particularibus officiis Paulus meminit, generaliter nunc vult omnes moneri ut placide colant ordinem politicum, legibus pareant, magiſtratibus obediant. Subjectio enim quam requirit erga Principes, & obedientia erga magiſtratus, ad edicta & leges, aliaſque politiæ partes extenditur. Quod continuo poſt ſubjicit, ad eandem rem accommodari poteſt: quaſi diceret, Quicunque bene & honeſte vivere non recuſant, libenter fore magiſtratibus obſequentes. Nam quum ordinati ſint ad humani generis conſervationem, qui eos ſublatos cupit, vel excutit eorum jugum, recti & æqui hoſtis eſt, adeoque omnis humanitatis expers. Si quis tamen abſque circumſtantia accipere malit, non repugno: & certe non dubium eſt quin in hac ſententia beneficentiam illis in tota vita erga proximos commendet.

2. *Ne de quoquam.*] Modum nunc fovendæ cum omnibus pacis & amicitiæ præſcribit. Scimus nihil eſſe proclivius humano ingenio, quam præ ſe alios omnes deſpicere. Ita fit ut multi donis Dei cum fratrum contemptu ſuperbiant: contemptum mox ſequitur contumelia. Chriſtianos ergo, tametſi præ aliis excellant, vetat aliorum probris ſe jactare. interea non vult impiorum vitiis ipſos aſſentari: tantum obtrectandi libidinem damnat. Quum alienos à pugnis eſſe jubet, perinde eſt acſi diceret, fugiendas eſſe lites ac jurgia. Ideo bene vetus Interpres, qui reddidit, Non litigioſos. aliis enim modis quam gladio aut manu pugnatur. Et hunc eſſe ſenſum, ex ſequentibus liquet: remedia enim mali oſtendit, quum præcipit ut ſe æquos & manſuetos omnibus præbeant: æquitas enim ſummo juris rigori opponitur, manſuetudo amarulentiæ. Ergo ſi omne genus contentionum ac pugnarum fugere placet, primum diſcamus lenitate multa temperare, deinde multa etiam ignoſcere. Nam qui ultra modum rigidi ſunt ac moroſi, ignem ſecum ferunt inflammandis certaminibus. Dicit autem, *Erga omnes:* ut ſignificet, infimis quoque & abjectiſſimis parcendum eſſe. Fideles, quia impios pro nihilo ducebant, non putabant ulla clementia eſſe dignos. Talem aſperitatem quæ nonniſi è faſtu naſcitur, corrigere Paulus voluit.

3. *Nam eramus & nos.*] Nihil eſt ſubigendæ noſtræ ſuperbiæ & ſimul rigori temperando aptius quam quum oſtenditur, quicquid torquemus in alios, poſſe in caput noſtrum recidere. Veniam enim facile dat qui mutuo petere cogitur. Et certe non alia cauſa eſt quæ nos fratribus inexorabiles reddat, niſi vitiorum noſtrorum ignorantia. Severi quidem ſunt adverſus peccantes qui verum habent Dei zelum: ſed quia à ſeipſis incipiunt, ſemper eorum ſeveritas cum miſericordia conjuncta eſt. Ergo ne fideles ſuperbe & inhumaniter aliis inſultent qui adhuc in ignorantia & cæcitate detinentur, reducit illis Paulus in memoriam quales fuerint: acſi diceret, Si tam acriter exagitandi ſunt quos nondum fidei luce dignatus eſt Deus, eodem jure potuiſtis olim inclementer vexari. noluiſſetis certe quenquam eſſe vobis adeo inhumanum: eandem igitur moderationem erga alios nunc tenete. Duo autem in verbis Pauli intelligenda ſunt. prius eſt, ut qui nunc illuminati ſunt à Domino, priſtinæ ſuæ ignorantiæ memoria humiliati, non ſe faſtuoſe efferant, nec iniquius aut durius eos tractent, quam ſe putarunt tractandos quum eſſent ſimiles. alterum, ut reputent ſuo exemplo poſſe cras inſeri in Eccleſiam qui hodie extranei ſunt, & correctis vitiis poſſe fieri donorum Dei participes, quibus nunc deſtituuntur. Utriuſque rei ſpeculum elucet in fidelibus, qui aliquando tenebræ fuerunt, poſtea cœperunt lux eſſe in Domino. Quare debet priſtinæ ſuæ conditionis agnitio ad συμπάθειαν eos flectere. Præſens autem Dei gratia documento eſt, poſſe alios quoque ad ſalutem adduci. ita videmus oportere nos coram Deo humiliari, ut manſueti ſimus erga fratres. ſæva enim & omnium contemptrix eſt ſuperbia. Alibi quum nos ad lenitatem hortatur, ſuæ unumquemque noſtrum infirmitatis commonefacit: hic ultra procedit, quoniam vitia à quibus jam liberati ſumus, vult nos recordari, ut quæ adhuc in aliis reſident, non ultra modum inſectemur. Porro quum hic breviter depingat Paulus hominis ingenium, quale eſt donec Chriſti Spiritu reformetur: intueri in hac deſcriptione licet quam miſeri ſimus extra Chriſtum. Primo *ſtultos* vocat infideles, quia mera ſit vanitas, tota hominum ſapientia, quamdiu Deum non cognoſcunt. vocat deinde *inobedientes:* quia ſicut ſola eſt fides quæ vere Deo obedit: ita incredulitas ſemper contumax & rebellis eſt. quanquam ἀπειθεῖς poſſemus vertere Incredu-

Galat. 6.

Incredulos, ut ſtultitiæ ſpeciem exprimat. Tertio dicit incredulos *errare:* ſolus enim Chriſtus via eſt, & lux mundi. *[Joan. 8. verſ. 12. & 14. verſ. 6.]* quare neceſſe eſt omnes à Deo alienos, vagos & erraticos eſſe tota vita. Hactenus naturam infidelitatis indicavit: nunc etiam addit fructus qui ex ea manant, nempe varia deſideria, & *voluptates, invidiam, malitiam*, & quæ illis ſunt ſimilia. Verum quidem eſt, non omnibus vitiis ſingulos pariter laborare: ſed quum omnes pravis deſideriis ſerviant, tametſi alii alio ferantur, ſummatim complexus eſt Paulus quales paſſim fructus pariat incredulitas. qua de re dictum eſt circiter finem primi capitis ad Romanos. Cæterum quum his notis Dei filios Paulus ab incredulis diſcernat: ſi fideles volumus cenſeri, cor omni malitia purum habere nos oportet, amare & mutuo amabiles eſſe convenit. cupiditates vero in nobis dominari abſurdum eſt: quæ ideo variæ dicuntur (meo judicio) quoniam libidines quibus homo carnalis circumagitur, veluti contrarii ſunt fluctus, qui dum inter ſe confligunt, hominem ipſum verſant huc & illuc, ut variet atque alternet fere in ſingula momenta. Talis certe eſt omnium inquietudo qui ſe carnis deſideriis permittunt: quia nulla niſi in Dei timore ſtabilitas.

4. Sed poſtquam bonitas & amor erga homines apparuit Servatoris noſtri Dei,
5. Non ex operibus quæ eſſent in juſtitia quæ nos feciſſemus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti:
* vel, *quem.* 6. * Quod effudit in nos opulenter per Jeſum Servatorem noſtrum:
7. Ut juſtificati illius gratia, hæredes efficeremur ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Aut verbum principale in hac ſententia eſt, Deum nos ſua miſericordia ſalvos feciſſe: aut oratio eſt defectiva. Ita ſubaudiendum erit, mutatos fuiſſe in melius, novoſque factos fuiſſe homines, ex quo eorum miſertus eſt Deus: acſi diceret, Tunc cœpiſtis demum ab illis differre, quum vos Deus Spiritu ſuo regenuit. Quia tamen in verbis Pauli conſtat plenus ſenſus, nihil addere neceſſe eſt. Porro ſe inter alios numerat, quo efficacior ſit exhortatio.

4. *Poſtquam apparuit.*] Principio quæri poſſet an tunc cœperit innoteſcere mundo Dei bonitas quum exhibitus fuit Chriſtus in carne. nam certe & bonum, & clementem ſibi & propitium ab initio ſenſerunt Patres & experti ſunt. non fuit igitur hæc prima bonitatis paternique erga nos amoris manifeſtatio. Reſponſio facilis eſt, quod non aliter guſtarunt Dei bonitatem Patres ſub Lege, quam in Chriſtum reſpiciendo, à cujus adventu pendebat tota eorum fides. Ita dicitur apparuiſſe Dei bonitas, quum ejus pignus exhibuit, ac re ipſa comprobavit ſe non fruſtra toties hominibus ſalutem eſſe pollicitum. Sic *[Joan. 3. verſ. 16. Rom. 5. verſ. 8.]* Deus dilexit mundum (inquit Joannes) ut Filium unigenitum traderet. Alibi etiam Paulus, Confirmat Deus charitatem ſuam erga nos, quod quum inimici eſſemus, Filium ſuum miſit, &c. Hæc uſitata eſt loquendi ratio in Scripturis, quod per Chriſti mortem reconciliatus fuit mundus Deo: quem tamen ſeculis omnibus ſcimus benignum fuiſſe patrem. Sed quia divini erga nos amoris cauſam & materiam ſalutis noſtræ nonniſi in Chriſto invenimus, non abs re dicitur Deus bonitatem ſuam in eo nobis oſtendiſſe. Quanquam alia eſt loci hujus ratio, ubi Paulus non de communi illa Chriſti manifeſtatione loquitur, quum homo in mundum prodiit: ſed de manifeſtatione quæ fit per Euangelium, dum ſe peculiariter electis offert ac patefacit. Neque enim priore illo Chriſti adventu renovatus fuit Paulus: imo Chriſtus reſurrexerat in gloriam, ſalus in nomine ipſius plurimis non in Judæa tantum, ſed per vicinas regiones affulſerat, quum Paulus infidelitate cæcus, gratiam hanc modis omnibus extinguendam curabat. Ergo tunc ſibi & aliis apparuiſſe Dei gratiam intelligit, dum illuminati ſunt in Euangelii notitiam. Nec vero aliter quadrarit applicatio: quia non indifferenter de ſuæ ætatis hominibus agit, ſed proprie compellat eos qui ſegregati erant ex reliquo numero. acſi dixiſſet, olim fuiſſe ſimiles incredulis qui adhuc in tenebris demerſi ſunt: nunc autem non proprio merito, ſed Dei gratia ab illis differre: quemadmodum ad Corinthios 4. verſ. 7. eadem ratione arrogantiam omnem carnis retundit. Quis enim te diſcernit, vel reddit aliis præſtantiorem? *Bonitas & amor.* Bonitatem priore loco recte poſuit, quæ Deum ad nos amandos inclinat. neque enim in nobis inveniet quod amare debeat: ſed ideo amat, quia bonus eſt & miſericors. Cæterum utcunque ſuam omnibus bonitatem & dilectionem teſtetur, non tamen eam agnoſcimus niſi fide, dum ſe in Chriſto patrem declarat. Fruebatur Paulus, antequam vocatus eſſet ad fidem Chriſti, innumeris Dei bonis, quæ paternæ Dei clementiæ guſtum illi dare poterant: eruditus fuerat à puero per Legis doctrinam. Errat tamen in tenebris ne ſentiat Dei bonitatem, donec Spiritus mentem ejus illuſtret, atque interveniat Chriſtus teſtis ac ſponſor gratiæ Dei Patris, à qua, ſine ipſo, ſumus omnes alieni. Ita humanitatem Dei nonniſi fidei luce patefactam intelligit.

5. *Non ex operibus.*] Meminerimus Paulum hic ſermonem habere ad fideles, ac modum deſcribere quo in regnum Dei ingreſſi ſint. Negat eos quicquam operibus fuiſſe promeritos ut ſalutis fierent participes, vel ut Deo reconciliarentur per fidem: ſed hoc bonum adeptos fuiſſe dicit ſola Dei miſericordia. Proinde ex ejus verbis colligimus, nihil nos afferre ad Deum, ſed mera ejus gratia præveniri, nullo operum reſpectu. Nam quum dicit, Non ex operibus *quæ feciſſemus*, ſignificat nihil poſſe nos quam peccare, donec regeniti ſimus à Deo. Pendet enim hæc negatio ex ſuperiori affirmatione, ubi dixerat, ſtultos & immorigeros eſſe, variiſque cupiditatibus addictos qui nondum reformati ſunt in Chriſto. ac ſane ex tam corrupta maſſa quodnam prodiret bonum opus? Inſaniunt ergo qui hominem ſuis (ut vocant) præparationibus accedere ad Deum fingunt. Tota enim vitæ periodo longius ab eo diſcedunt, donec ſua manu ab errore eos in viam retrahit. Denique quod nos potius quam alii cooptati ſumus in Chriſti participationem: id totum Paulus aſſignat Dei miſericordiæ, quia nulla in nobis fuerint juſtitiæ opera. quæ ratio non valeret, niſi ſumeret illud pro confeſſo, injuſtum & Deo exoſum eſſe quicquid ante fidem molimur. Inepti vero ſunt qui ex præterito verbi tempore cavillantur, futura hominum merita à Deo reſpici quum ipſos vocat. Paulus, inquiunt, dum provocari Deum negat noſtris meritis quo ſua gratia nos dignetur, reſtringit hoc ad tempus præteritum. Ergo ſi præcedenti tantum juſtitiæ non eſt locus, futura juſtitia in rationem venit. Atqui principium uſurpant quod Paulus ubique rejicit, quum gratuitam electionem ſtatuit bonorum operum fundamentum. Si ex ſola Dei gratia habemus, ut ad bene vivendum ſimus idonei: quæ futura noſtra merita intueri poterit Deus? Si ante Dei vocationem tale in nobis regnum occupat iniquitas, ut nullum progrediendi finem factura ſit donec cul-

men ſuum impleat: quo futuræ juſtitiæ noſtræ reſpectu allici Deus poterit ad nos vocandos? faceſſant igitur tales nugæ. Paulus non alia ratiune præterita opera nominavir, niſi ut omne meritum excluderet. Perindeenim valent ejus verba acſi dixiſſet, Si ullum meritum jactamus, qualia fuerunt noſtm opera? Stat enim axioma illud, non meliores fore homines quam fuerint, niſi eos Dominus ſua vocatione corrigeret. *Salvos nos fecit.* De fide loquitur: & nos jam ſalutem adeptos eſſe docet. Ergo utcunque peccato impliciti corpus mortis circumferamus, certi tamen de ſalute noſtra ſumus, ſi modo fide ioſiti
Joan. 5. verſ. 24. ſimus in Chriſtum: ſecundum illud, Qui credit in Filium Dei, tranſivit de morte in vitam. Paulo poſt tamen, Fidei nomine interpoſito, nos reipſa nondum adepros eſſe oſtendet quod Chriſtus morte ſua præſtitit. Unde ſequitur, ea parte Dei ſalutem noſtram impletam eſſe, cujus fruitio in finem uſque militiæ noſtræ differtur. Atque id eſt quod alibi quoque
Rom. 8. verſ. 24. idem Paulus docet, nos ſpe ſalvos eſſe factos. *Per lavacrum regenerationis.* Non dubito quin ſaltem ad Baptiſmum alludat. imo facile patiar de Baptiſmo locum exponi: non quod in eaterno aquæ ſymbolo incluſa ſit ſalus, ſed quia parram à Chriſto ſalutem Baptiſmus nobis obſignat. Tractat Paulus de exhibitione gratiæ Dei, quam fide conſtare diximus. Quum ergo pars revelationis Baptiſmo conſtet, quatenus ſcilicet fidei confirmandæ deſtinatus eſt, merito ejus mentionem facit. Deiode quum Baptiſmus veluti ingreſſus ſit in Eccleſiam, ac ſymbolum noſtræ in Chriſtum inſitionis, tempeſtive hic adducitur à Paulo, dum oſtendere vult quomodo apparuerit nobis Dei gratia: ut talis ſit orationis cooteatus, Deus nos ſalvos fecit ſua miſericordia, cujus ſalutis ſymbolum ac pignus dedit in Baptiſmo, nos in ſuam Eccleſiam cooptans, & inſerens in corpus Filii ſui. Solent autem Apoſtoli à Sacramentis ducere argumeotum, ut rem illic ſignatam probent: quia principium illud valere debet inter pios, Deum non inanibus nobiſcum figuris ludere, ſed virtute ſua intus præſtare quod externo ſigno demonſtrat. Quare Baptiſmus congruenter & vere lavacrum regenerationis dicitur. Vim & uſum Sacramentorum recte is tenebit qui rem & ſignum ita connectet, ut ſignum non faciat inane aur inefficax: neque tamen ejus ornandi cauſa, Spiritui ſancto detrahat quod ſuum eſt. Tametſi autem neque abluuntur Baptiſmo impii, neque renovantur, nihilominus vim iſtam quod ad Deum retinet: quia utcunque Dei gratiam reſpuant, illis tamen offertur. Porro hic fideles Paulus compellat: in quibus quia ſemper Baptiſmus eſt efficax, merito cum ſua veritate & effectu conjungitur. Monemur autem hac loquutione, niſi velimus exinanire ſacrum Baptiſmum, virtutem ejus novitate vitæ eſſe comprobaodam. *Renovationis Spiritus ſancti.* Quanqnam ſigni meminit ut conſpicuam nobis Dei gratiam faceret: tameo ne in illo hæreamus, mox ad Spiritum nos revocat: ut ſciamus nos ejus virtute,
Eze. 36. verſ. 25. non aqua mundari. juxta illud Ezechielis, Effundam ſuper vos aquas mundas: nempe Spiritum meum. Et certe ſic cum Propbetæ verbis congruunt Pauli verba, ut idem ab utroque dici appareat. Quare initio diai, Paulum, quum proprie de Spiritu ſancto agat, ſimul alludere ad Baptiſmum. Ergo Spiritus Dei eſt qui nos regenerat, facitque novas creaturas: ſed quia inviſibilis & occulta eſt ejus gratia, viſibile in Baptiſmo ejus ſymbolum conſpicitur. Alii Renovationem legunt in accuſativo, quod ego quidem non improbo: ſed altera lectio melius (judicio meo) convenit.

6. *Quod effudit.*] Relativum opud Græcos tam lavacro quam Spiritui convenit: nam illis utrumque nomen eſt neutrum, tametſi quo ad ſenſum, non multum refert: elegantior tamen erit metaphora, ſi lavacro aptetur relativum. Neque vero huic ſententiæ repugnat quod omnes promiſcue baptizantur: nam quum effuſum lavacrum docet, non tam de ſigno quam de reſignata loquitur, in qua ſita eſt ſigni veritas. Quum dicit *opulente*, ſignificat quo quiſque noſtrum majoribus donis excellit, eo magis Dei miſericordiæ eſſe obſtrictum, quæ ſola nos locupletat, quum à nobis prorſus bonorum omnium inopes ac vacui ſimus. Si quis objiciat, non omnes Dei filios tantæ upulentiæ eſſe compotes, quin potius Dei gratiam tenuiter io multos ſtillare: reſponſio eſt, nemini diſtribui tam exiguam menſuram, quin vere cenſeri poſſit dives: quoniam minima Spititus gutta (ut ita loquar) veluti perennis fons eſt qui nunquam areſcit. Ergo ad opulentiam ſufficit, quod, quantulumcunque nobis detur, nunquam deficiat. *Per Jeſum Chriſtum.* Is enim ſolus eſt in quo adoptamur. ergo idem eſt per quem efficimur Spiritus participes, qui adoptioois noſtræ arrha eſt & teſtis. Docet itaque Paulus hoc verbo, non alios donari Spiritu regeoerationis, quam qui ſunr Chriſti membra.

7. *Ut juſtificati.*] Si regenerationem accipimus proprio & uſitato ſenſu, videri poſſet Apoſtolus juſtificatos ponere pro regeneratis: atque hoc aliquando ſignificat, ſed rarius. nulla tamen neceſſitas cogit à propria & magis genuina ſignificatione diſcedere. Conſilium Pauli eſt, quicquid ſumus & habemus, acceptum ferre gratiæ Dei, ne ſuperbe eatollamur adverſus alios. Commendat ergo bic Dei miſericordiam, illi cauſam ſalutis noſtræ in ſolidum tribuens. Sed quia de infidelium vitiis loquutus erat, non debuit gratiam regenerationis omittere, quæ medicina eſt illis ſanandis. Verum hoc non obſtat quominus ſtatim ad commendationem miſericordiæ redeat: imo utrumque permiſcet, nobis gratuito remiſſa eſſe peccata, & nos in obedientiam Dei fuiſſe renovatos. Hoc quidem conſtat, Paulum juſtificationem aſſerere gratuitum eſſe Dei donum: tantum quæritur quid per nomen Juſtificationis ſignificet. Contextus videtur poſtulare ut longius quam ad juſtitiæ imputationem extendat: in quo ſenſu raro (ut dixi) invenitur apud Paulum. nibil tamen impedit quominus ad remiſſionem peccatorum poſſit reſtringi. Quod dicit *ejus gratia*, tam Chriſto quam Patri convenit. neque de alterutra expoſitione pugnandum eſt: quia ſemper hoc ſtabit, nos Dei gratia per Chriſtum juſtitiam adeptos eſſe. *Hæredes ſecundum ſpem.* Particula hæc vice expoſitionis addita eſt. dixerat nos Dei miſericordia ſalvos factos eſſe: atqui ſalus noſtra adhuc abſcondita eſt: ideo nunc vitæ hæredes nos eſſe dicit, non quia præſentem ejus poſſeſſionem adierimus, ſed quia ſpes plenam & ſolidam ejus certitudinem nobis affert. Summa eſt, quum mortui eſſemus, reſtitutos fuiſſe in vitam, Chriſti beneficio: quum Deus Pater Spiritu ſuo nos donavit, cujus virtute purgati & renovati ſumus, in eo poſitam eſſe noſtram ſalutem: ſed quia adhuc in mundo verſamur, nondum nos frui vita æterna, tantum eam ſperando obtioere.

8. Fidelis ſermo: de his volo ut confirmes quo bonis * operibus præeſſe curent qui crediderunt Deo: hæc enim honeſta ſunt & utilia hominibus.

**vel, bona opera extollere, vel illis dare primatum.*

9. Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones ac pugnas Legales omitte: ſunt enim inutiles ac ſupervacuæ.

8. *Fidelis ſermo.*] Hanc loquutionem uſurpat quum aliquid vult ſerio aſſerere: quemadmodum in utraque ad Timotheum Epiſtola vidimus. Ideo mox ſubjicit, *Volo ut confirmes.* διαβεβαιοῦσθαι ſub paſſiva terminatione activam ſignificationem habet. Significat autem aſſeveranter aliquid dicere. Quare jubetur Titus, aliis omiſſis, hæc quæ certa ſunt & indubia tradere, hæc urgere, his inſiſtere, dum alii de rebus vanis fabulantur. Unde etiam colligimus, non temere quidvis aſſerendum eſſe Epiſcopo: ſed quorum illi comperta eſt veritas. Hæc, inquit, affirma: quoniam vera ſunt ac fide digna. Sed rurſum admonemur, hoc eſſe Epiſcopi officium, fortiter ac ſtrenue affirmare ac tueri quæ & certæ ſunt fidei, & pietatem ædificant. *Quo bonis operibus.* Complectitur quæcunque de uniuſcujuſque officio, & de ſtudio pie ſancteque vivendi ante diſſeruit: acſi Dei timorem ac recte compoſitos mores otioſis ſpeculationibus opponeret. Sic enim vult inſtitui populum, ut primam bonorum operum curam habeant qui crediderunt Deo. Cæterum quoniam verbum προΐστασθαι varie accipitur apud Græcos, hic quoque locus diverſas interpretationes admittit. Chryſoſtomus exponit, Ut ſtudeant eleemoſynis juvare proximos. Et quidem προΐστασθαι interdum ferre opem: ſed tunc conſtructio exigeret ut bona opera intelligamus juvare. quod durum eſſet. Melius quadraret Promovendi verbum, quod Gallice dicimus *Advancer*. Quid ſi dicamus Intenti ſint, ut qui præfecturam gerunt? quæ etiam una eſt verbi ſignificatio. Niſi quis malit quod ego in margine appoſui, Curent bonis operibus dare principatum. Nec certe male convenit, ut jubeat ea Paulus regnare in vita fidelium, quum negligi alioqui ſoleant. Utcunque autem ambigua ſit loquutio, mens Pauli ſatis liquet, finem eſſe Chriſtianæ doctrinæ, ut ſe bonis operibus exerceant fideles. Ita vult eos ſtudium ſuum curamque huc applicare. & videtur Apoſtolus, quum dicit φροντίζωσι, eleganter alludere ad inanes eorum contemplationes, qui ſine fructu & extra vitam philoſophantur. Cæterum non ita de bonis operibus ſollicitus eſt, ut dum fructus colligit, radicem contemnat, nempe fidem. Utriuſque partis rationem habet: & fidei quoque priorem locum, ut par eſt, tribuit. Nam ſtudioſos bonorum operum eſſe jubet qui crediderunt Deo: quo intelligit ſic debere fidem præire, ut opera ſubſequantur. *Hæc enim honeſta ſunt.* Ego ad doctrinam potius quam ad opera refero, hoc ſenſu, Præclarum eſt ac utile ſic inſtitui homines. ergo eadem ſunt iſta bona & utilia hominibus, quibus aſſerendis Titum prius docuit incumbere. τὰ καλὰ vertere poſſumus aut Bona, aut ſpecioſa, vel honeſta: quanquam melius (ut arbitror) vertemus Præclara. Innuit enim quæcunque alia traduntur, nullius pretii eſſe, quia nulli ſiot uſui vel fructui: ſicuti econverſo laude dignum quod conducit ad ſalutem.

9. *Stultas autem.*] Non longa diſputatione opus eſt ad hujus loci expoſitionem: quæſtiones opponit ſanæ certæque doctrinæ. Tametſi enim ut invenias, quærere neceſſe eſt: eſt tamen quærendi modus, ut teneas quod eſt utile cognitu: deinde, ut fixus in veritate agnita maneas. Qui autem curioſe omnia veſtigant, deinde nuſquam conſiſtunt, vere ſunt quæſtionarii. Denique quod præcipua in laude ducunt ſcholæ Sorbonicæ, damnatur hic à Paulo. tota enim Papiſtarum theologia nihil eſt aliud quam quæſtionum labyrinthus. Stultas vocat, non quod primo aſpectu tales appareant (quin ſæpe inani ſapientiæ oſtentatione fallunt) ſed quia nihil ad pietatem conducunt. Quum addit *genealogias*, ſpeciem unam ſtultarum quæſtionum ponit exempli cauſa, dum ſcilicet curioſi homines fructum ex Sacris hiſtoriis colligere negligentes, generum origines, & ejuſmodi nugas arripiunt, quibus ſe fatigent abſque fructu. de qua vanitate diximus initio prioris Epiſtolæ ad Timotheum. *Contentiones* merito adjungit: quia quum ambitio regnet in quæſtionibus, fieri non poteſt quin mox erumpant in contentionem & rixas: vult enim illic quiſque vincere. Huc accedit audacia de rebus incertis affirmandi, quæ neceſſario conflictus movet. *Pugnas Legales* odioſe vocat, quæ Legis prætextu concitabantur à Judæis: non quod Lex eas ex ſe gignat, ſed quia illi Legis defenſionem ſimulantes, turbabant pacem Eccleſiæ præpoſteris ſuis certaminibus de ceremoniarum obſervatione, de ciborum delectu, & ſimilibus. *Sunt enim inutiles.* Ergo in doctrina ſemper utilitas ſpectanda eſt: ut quicquid ad pietatem nihil confert, nullo ſit loco. Neque tamen dubium eſt quio ſophiſtæ illi de rebus nihili garriendo, dignas in primis & utiles cognitu eſſe jactarent: ſed Paulus nullam niſi in ædificanda fide & ſancta vita utilitatem agnoſcit.

10. Hæretieum hominem poſt unam & alteram admonitionem fuge:
11. Sciens quod everſus ſit qui eſt ejuſmodi, & peceet, à ſeipſo damnatus.
12. Quum miſero ad te Artemam vel Tychicum, da operam ut ad me venias Nicopolim: illic enim decrevi hyemare.
13. Zenam Legiſperitum & Apollo ſtudioſe deducito: ne quid illis deſit.
14. Diſcant autem & noſtri, bonis * præeſſe, in neceſſarios uſus: ne ſint infructuoſi.

* vel (ut prius) *dare illis principatum ut emineant.*

15. Salutant te qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos diligunt in fide. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

Ad Titum, qui primus Cretenſium Eccleſiæ ordinatus fuit Epiſcopus, ſcripſit ex Nicopoli Macedoniæ.

10. *Hæreticum hominem.*] Hoc merito adjecit: quia jurgiis & altercationibus nullus finis erit, ſi velimus obſtinatos vincere diſputando. Nam neque illis unquam deerunt verba, & illis animos addet improbitas, ne unquam pugnando fatigentur. Poſtquam ergo Tito præſcripſit qualem tradere doctrinæ formam debeat, nunc vetat, cum hæreticis confligendo, multum temporis terere, quia ſemper pugna pugnam, & diſputatio diſputatiooem pareret. Nam hæc Satanæ aſtutia eſt, improba talium hominum loquacitate implicare bonos ac fidos Paſtores, ut eos à docendi ſtudio abducat. Cavendum itaque ne rixoſæ nos diſputationes occupent: quia neque interea vacabit operam noſtram Domini gregi impendere, & contentioſi homines nunquam moleſti nobis eſſe deſinent. Quod ergo vitari jubet, perinde valet acſi negaret, magnopere eſſe laborandum ut illis ſatisfiat: imo nihil eſſe melius quam digladiandi anſam, quam captant, illis præcidi. Valde neceſſaria admonitio. nam & qui libenter alioqui à pugnis verborum abſtinerent, pudore interdum trahuntur in arenam: quia cedere turpis ignaviæ videtur. Irritant præterea quamvis placidum ingenium feroces hoſtium jactantiæ: quia ferendum non videtur ut impune veritati (ut faciunt) inſultent. Nec deſunt interea homines aut cupidi, aut nimium fervidi, qui ad con-

flictum ſolliciteot. Atqui Paulus non vult, multum ac diu cum hæreticis diſputando, Chriſti ſervum occupari. Nunc videndum quid per Hæretici nomen intelligat. Vulgo trita eſt diſtinctio inter hæreticum ac ſchiſmaticum: quæ tamen hic à Paulo (ni fallor) confunditur. Neque enim tantum eos deſignat qui certum errorem aut perverſum aliquod dogma fovent ac tuentur: ſed in univerſum quicunque ſanæ doctrinæ non acquieſcunt, quam nuper propoſuit. Ita ambitioſos omnes, præfractos, contentioſos, qui libidine impulſi turbant Eccleſiæ pacem, ac diſſidia concitant, hoc nomine comprehendit. In ſumma, quiſquis ſua protervia unitatem Eccleſiæ abrumpit, is hæreticus vocatur à Paulo. Sed moderatio adhibenda eſt, ne quiſquis ſententiæ noſtræ non ſubſcribit, cum protinus faciamus hæreticum. Sunt enim quædam de quibus ſi diſſentiant inter ſe Chriſtiani, non tamen in ſectas dividentur. Sic enim fieri alibi præcipit idem Paulus, quum jubet expectare, ſalva concordia, Dei revelationem, ad Phil. c. 3. v. 16. Verum quoties eouſque procedit pervicacia, ut quiſpiam ſibi addictus, vel diſceſſionem faciat à corpore, vel à grege quoſdam ſubtrahat, vel impediat ſanæ doctrinæ curſum: hic ſtrenue obviandum eſt. In ſumma, hæreſis vel ſecta, & Eccleſiæ unitas, res ſunt inter ſe oppoſitæ. Quum hæc Deo pretioſa ſit, & nobis ſummo in pretio eſſe debeat, illam ſummopere deteſtari convenit. Quare ſectæ vel hæreſeos nomen, quamvis inter philoſophos & politicos homines ſit honorificum, merito infame eſt inter Chriſtianos. Tenemus nunc quoſnam intelligat Paulus, quum jubet hæreticos omitti & vitari. Sed notandum ſimul eſt quod continuo poſt ſequitur: nempe, *poſt unam & alteram admonitionem.* nam neque aliter diſcernere licebit quiſnam ſit hæreticus, nec rejicere fas eſſet niſi quem prius conati eſſemus ad ſanam mentem reducere. Admonitionem porro intelligit non quamlibet, vel hominis privati: ſed quæ fit à Miniſtro, publica Eccleſiæ auctoritate. Perinde enim valent ejus verba acſi diceret, graviter quaſi cenſoria correctione reprimendos eſſe. Qui autem colligunt ex hoc loco, ſola excommunicatione compeſcendos eſſe pravorum dogmatum auctores, nec eſſe ultra in eos ſæviendum: non ſatis appoſite ratiocinantur. Aliæ enim Epiſcopi, aliæ magiſtratus ſunt partes. Tito ſcribens Paulus, non diſſerit de officio magiſtratus, ſed quid Epiſcopo conveniat. Quanquam moderatio ſemper optima: ne tam vi & armata manu coërceantur, quam corrigantur diſciplina Eccleſiæ, ſi quidem ſint ſanabiles.

11. *Sciens quod everſus ſit.*] Everſum nominat in quo nulla reſipiſcentiæ ſpes eſt: quia ſi reſtitui poſſet quiſpiam noſtro labore, nequaquam eſſet omittendus. Metaphora ſumpta eſt ab ædificio quod non modo aliqua ſui parte collapſum eſt, ſed funditus dirutum, ut inſtaurationi non ſit locus. Hujus everſionis ſignum addit, malam conſcientiam, quum dicit, tales qui monitionibus non obtemperant, *per ſe eſſe damnatos.* nam quum pervicaciter reſpuant veritatem, certum eſt ſponte & data opera peccare: nullo itaque profectu monerentur. Simul autem colligimus ex Pauli verbis, non eſſe quenquam temere aut præcipitanter pro hæretico habendum. Dicit enim, Sciens quod everſus ſit. Caveat ergo Epiſcopus ne moroſitati ſuæ indulgens, durius tractet, tanquam hæreticum quem nondum eſſe novit.

13. *Zenam Legiſperitum.*] Incertum eſt jurisne civilis an Legis Moſaicæ peritum intelligat. ſed quum ex Pauli verbis elicere liceat, hominem tenuem fuiſſe & alienæ opis indigum: probabilius eſt ipſum ejuſdem fuiſſe ordinis cujus erat Apollos: hoc eſt, apud Judæos divinæ Legis interpretem. Tales enim frequentius eſurire ſolent, quam qui forenſes cauſas ſuo conſilio gubernant. Zenæ egeſtatem dixi ex Pauli verbis colligi poſſe: quia Deducere hic viatico proſequi ſignificat, quemadmodum ex contextu liquet. Ne enim ſumptu gravari ſe querantur Cretenſes, quibus id oneris injungit, admonet non debere eſſe infructuoſos: ideoque urgendos eſſe ut bonis operibus ſint intenti. verum de hac loquutione prius dictum eſt. Sive ergo excellere bonis operibus eos jubeat, ſive eminentem locum dare: ſignificat utile illis eſſe, præberi exercendæ liberalitatis materiam, ne ſint infrugiferi, hoc prætextu quia deſit occaſio, vel neceſſitas non poſtulet. Quæ ſequuntur, jam in aliis Epiſtolis fuerunt expoſita.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM.

PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater, Philemoni amico & cooperario
noſtro,
2. Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ quæ domi
tuæ eſt:
3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Jeſu Chriſto.
4. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in precibus meis,
5. Audiens tuam dilectionem & fidem quam habes erga Dominum Jeſum & erga
omnes ſanctos:
6. Ut communicatio fidei tuæ efficax ſit cognitione omnis boni quod in vobis eſt erga
Chriſtum Jeſum.
7. Gratiam enim habemus multam & conſolationem ſuper dilectione tua: quia viſcera ſanctorum per te refocillata ſunt, frater.

Quanta fuerit ſpiritus Paulini celſitudo, etſi ex gravioribus ejus ſcriptis perſpici melius poteſt, hæc quoque Epiſtola teſtis eſt: in qua argumentum tractans humile alias & abjectum, ſuo tamen more ſublimis ad Deum evehitur. Fugitivum ſervum & furem domino remittens, pro illo deprecatur veniam. verum hanc cauſam agens, tam graviter de æquitate Chriſtiana concionatur, ut videatur magis totam Eccleſiam reſpicere, quam privatim curare unius hominis negotium: ita modeſte & ſuppliciter pro infimo homine ſe demittit, ut vix alibi uſquam magis ad vivum ſit expreſſa ingenii ejus manſuetudo.

1. *Vinctus Jeſu Chriſti.*] Eodem ſenſu quo alibi Apoſtolum Chriſti vel miniſtrum, hic ſe vinctum Chriſti appellat: quia ejus vincula quibus propter Euangelium detinebatur, legationis quam pro Chriſto obibat, inſignia erant vel teſſeræ. Itaque ea commemorat comparandæ ſibi auctoritatis cauſa, non quod contemptum timeret (quia minime dubium eſt majorem fuiſſe ejus reverentiam & pretium apud Philemonem, quam ut ullo elogio fuerit opus) ſed quia cauſam acturus erat ſervi fugitivi, in qua plurimum valebat deprecatio. *Philemoni.* Hunc Philemonem credibile eſt fuiſſe ex ordine Paſtorum: neque enim titulum hunc quo eum ornat Paulus, *cooperarium* vocans, ſolet tribuere homini privato. *Archippum* etiam adjungit, quem eundem fuiſſe Eccleſiæ miniſtrum apparet: ſi tamen is eſt cujus fit mentio circiter finem Epiſtolæ ad Coloſſenſes: quod à probabili conjectura non abhorret. nam quod hunc ſecundum vocat *commilitonem*, in Miniſtros id quoque peculiariter competit. Tametſi enim communis eſt omnibus Chriſtianis militia: quia tamen in ea velut ſigniferi ſunt doctores, ideo præ aliis ad bellandum parati eſſe debent: & Satan quoque illis ut plurimum infeſtior eſt: ac fieri poteſt ut Archippus quorundam certaminum quæ ſuſtinuit Paulus, ſocius fuerit ac particeps: & certe hac voce utitur Paulus quoties de perſequutionibus meminit. Familiæ autem Philemonis ſummam tribuit laudem, quum *domeſticam Eccleſiam* nominat. Neque etiam hæc parva laus patrifamilias, quod ita familiam ſuam inſtituit, ut ſit Eccleſiæ imago, & Paſtoris quoque munus intra privatos parietes obeat. neque etiam omittendum quod uxor ſimilis fuerit: quia non abs re eam Paulus commendat.

4. *Gratias ago*] Notandum, quod pro quo gratias agit, pro eodem ſimul precatur. Nunquam enim tanta eſt vel perfectiſſimis gratulandi materia, quamdiu in hoc mundo vivunt, quin precibus indigeant ut det illis Deus non tantum perſeverare uſque in finem, ſed in dies etiam proficere. Hæc autem laus quam Philemoni tribuit, breviter complectitur totam Chriſtiani hominis perfectionem. Ea duabus partibus continetur, fide in Chriſtum, & charitate erga proximos. Nam huc omnes vitæ noſtræ actiones omniaque officia referuntur. Et fides in Chriſtum, quia in eum proprie intuetur: ſicuti neque aliter quam per eum ſolum cognoſci poteſt Deus Pater, neque alibi quam in eo reperitur quicquid bonorum quærit fides. Charitatem vero non ita ad ſanctos reſtringit, quaſi erga alios nulla eſſe debeat. Nam quum hæc ſit charitatis doctrina, carnem noſtram non deſpicere, & honore proſequi Dei imaginem, quæ naturæ noſtræ inſculpta eſt: certe totum genus humanum comprehendit. Sed quoniam arctiore neceſſitudinis vinculo nobiſcum conjuncti ſunt domeſtici fidei, & eos peculiariter Deus commendat, ideo jure primas obtinent. Contextus orationis aliquantum eſt confuſus: ſed in ſenſu nihil eſt obſcuritatis. niſi quod dubium eſt an adverbium *ſemper* vel cum priore membro, vel cum ſequenti cohæreat. Poteſt enim hic ſenſus elici, quoties pro Philemone preces conciperet Apoſtolus, gratiarum actionem ab eo fuiſſe inſertam: quia ſcilicet gaudii materiam præbebat ejus pietas. Precamur enim ſæpe pro quibuſdam in quibus nihil reperitur niſi

dolore

dolore & lachrymis dignum. quanquam altera diſtinctio magis recepta eſt, Paulum gratias agere pro Philemone, & ſemper ejus mentionem facere in precibus. Libera ergo ſit optio lectoribus: ſed mihi prior ſenſus melius congruere videtur. In reliquo contextu eſt ordinis ioverſio: quia poſtquam de charitate & fide loquutus eſt, aljungit, *erga Chriſtum & ſanctos*: quum potius antitheſis requireret, ſecundo loco poni Chriſtum, in quem fides noſtra reſpicit.

6. *Ut communicatio fidei.*] Hoc vero membrum nonnihil obſcurum eſt. ſed conabor ita elucidare, ut mentem Pauli utcunque teneant lectores. Primo ſciendum eſt, non pergere Apoſtolum in laude Philemonis: ſed potius exprimere quid illi à Domino poſtulet. Cohærent enim hæc verba cum eo quod prius dixerat, ſe illius eſſe memorem in orationibus. Quid ergo Philemoni precatus eſt? ut fides ejus ſe e aerens per bonos fructus, vera, non inanis comprobaretur. Fidei enim communicationem appellat, quum intus non latet otioſa, ſed per veros effectus ſe profert ad homines. Tametſi autem fides occultam in corde ſedem habet, ſe tamen hominibus communicat per bona opera. Ergo perinde eſt acſi dixiſſet, Ut fides tua ſe communicando, efficaciam ſuam in omni bono demonſtret. Cognitio autem omnis boni, pro experientia capitur. Optat enim ut ab effectis fides comprobetur efficax: quod fit, dum homines quibuſcum verſamur, piam & ſanctam vitam noſtram cognoſcunt. Ideo dicit, *Omnis boni quod in vobis eſt.* Nam quicquid in nobis boni eſt, fidem noſtram patefacit. Particula εἰς Χριστὸν, poteſt exponi Erga Chriſtum. Ego tamen, ſi liceat, malim accipere pro ἐν Χριστῷ. Nam ſic in nobis reſident Dei dona, ut tamen eorum non ſimus participes, niſi quatenus ſumus membra Chriſti. Quia tamen præceſſit In vobis, vereor ne loquutionis aſperitas offendat. itaque in verbis nihil mutare auſus ſum: tantum admonitos volui lectores, ut omnibus expenſis, eligant utrum placuerit.

7. *Gratiam habemus.*] Tametſi apud Græcos receptior eſt hæc lectio: vertendum tamen cenſeo, Gaudium. nam quia inter χαρὰν & χάριν parum eſt diſcriminis, proclive fuit in una litera hallucinari: deinde alibi χαρὰν pro gaudio uſurpat Paulus, ſi tamen Chryſoſtomo creditur. Jam quid gratia ad conſolationem? Satis autem conſtat quidnam hic ſibi velit: nempe magna ſe lætitia & conſolatione affici, quia Philemon piorum neceſſitatibus opem tulerit. Hoc autem raræ eſt charitatis, ex aliorum bono tantum percipere gaudii. Adde quod non privatum modo gaudium profert Apoſtolus, ſed complures fuiſſe lætatos quod humaniter & benigne piis hominibus opitulatus eſſet Philemon. *Refocillare viſcera* accipitur apud Paulum, pro Afferre levationem à moleſtiis: vel miſeris ita ſuccurrere, ut pacatis animis & omni moleſtia ac triſtitia vacuis quieſcant. Nam Viſcera affectus ſignificant. ἀνάπαυσιν vero tantundem valet ac tranquillitas. ideo longe falluntur qui ad ventrem & alimenta hoc torquent.

8. Quapropter multam in Chriſto fiduciam habens imperandi tibi quod decet,

9. Propter charitatem magis rogo, quum talis ſim, nempe Paulus ſenex: nunc vero etiam vinctus Jeſu Chriſti.

10. Rogo autem te pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Oneſimo.

11. Qui aliquando tibi inutilis fuit: nunc autem & mihi & tibi utilis.

12. Quem remiſi: tu vero illum, hoc eſt, mea viſcera, ſuſcipe.

13. Quem ego volebam apud meipſum retinere, ut pro te mihi miniſtraret:

14. Sed abſque tua ſententia nihil volui facere, ut non quaſi ſecundum neceſſitatem eſſet bonum tuum, ſed voluntarium.

8. *Multam in Chriſto fiduciam.*] Hoc eſt, quum imperare tibi pro jure meo poſſim, facit charitas tua ut malim rogare. Jubendi vero poteſtatem duplici nomine ſibi vendicat: quia & *ſenex ſit, & pro Chriſto vinctus.* Ideo ſe propter Philemonis charitatem magis rogare dicit: quia injungimus pro imperio quæ neceſſitate extorquere volumus etiam ab invitis: apud eos autem qui ultro parent, juſſu opus non eſt. Et quia libentius qui ultro parati ſunt ad officium, placide ſibi oſtendi audiunt quid factu opus ſit, quam imperio interpoſito: non abs re Paulus apud hominem morigerum preces adhibet, ſuoque exemplo docet, dandam eſſe operam Paſtoribus ut diſcipulos blande alliciant potius quam trahant. Et certe dum ad preces deſcendens, jure ſuo cedit, hoc ad impetrandum multo plus valet quam ſi juberet. Porro nihil ſibi arrogat niſi in Chriſto: hoc eſt, propter impoſitam ſibi perſonam. Neque enim quos Chriſtus Apoſtolos conſtituit, auctoritate vult carere. Sed quum addit, τὸ ἀνῆκον, ſignificat non quidvis licere doctoribus: ſed his finibus contineri ipſorum poteſtatem, ne quid niſi quod decet, atque alioqui cujuſque officio conſentaneum eſt, præcipiant. Hinc (ut nuper dixi) admonentur Paſtores, qua fieri poteſt ſumma comitate mulcendos eſſe animos, quoties hac ratione plus proficitur: ſed ita ut ſciant qui tam blande tractantur, minus à ſe exigi quam debeant. Nomen *Senis* non ætatem, ſed officium hic ſignificat. Quod autem ſe non Apoſtolum nominat, ideo fit quia cum collega in verbi miniſterio illi negotium eſt, cum quo familiariter loquitur.

10. *Rogo pro filio.*] Quoniam minus ponderis habere ſolent preces quibus nulla juſtæ commendationis cauſa ſubeſt, oſtendit Paulus ſe neceſſario officio adduci ut pro Oneſimo intercedat. Hic vero operæpretium eſt expendere quantum ſe demittat, dum filii nomen & ſervo, & fugitivo, & furi defert. Quod autem eum à ſe genitum prædicat, miniſterio id factum eſt, non virtute. Neque enim humanum eſt opus, hominis animam refingere & reformare ad Dei imaginem. atqui de hac ſpirituali generatione nunc agitur. Quia tamen fide regeneratur anima, & fides eſt ex auditu, *Rom. 10. verſ. 17.*
ideo doctrinæ adminiſter patris vices gerit. Deinde quum ſermo Dei ab homine prædicatus, ſemen ſit vitæ æternæ: non mirum eſt eum vocari patrem, ea cujus ore ſemen illud concipimus. Quanquam interea tenendum eſt, ſic efficax eſſe in anima regeneranda hominis miniſterium, ut proprie Deus ipſe Spiritus ſui virtute regeneret. Quare iſtæ loquutiones Deum cum hominibus in certamen minime committunt, ſed tantum oſtendunt quid per homines Deus agat. Quum dicit, ſe *in vinculis genuiſſe*, circumſtantia hæc commendationi addit pondus.

12. *Illum, hoc eſt, viſcera mea.*] Nihil ad molliendam Philemonis iracundiam efficacius dici potuit. nam ſi in ſervum ſuum fuiſſet implacabilis, in Pauli viſcera hoc modo ſæviebat. Mira vero Pauli bonitas, quod vile mancipium, deinde furem & erronem, recipere quodammodo in ſua viſcera non dubitavit, ut ab iracundia domini ſui protegeret. Et certe ſi ſuo

pretio

pretio à nobis æſtimaretur hominis ad Deum converſio, eodem modo nos quoque amplecteremur quos ſincere & abſque fuco reſipuiſſe conſtaret.

13. *Quem volebam apud me.*] Aliud argumentum mitigando Philemoni, quod ſervum illi remittat Paulus, cujus miniſterio maxime alioqui indigebat. fuiſſet enim inhumanum, tale Pauli ſtudium rejicere. Et ſubindicat non ingratum ſibi fore munus ſi remittatur: ut id fiat potius quam domi aſpere tractetur. Quanquam addit etiam alias circumſtantias: quod domini vices in ejuſmodi officio ſupplebat Oneſimus: deinde quod ipſe modeſtiæ cauſa, nihil de jure Philemonis detrahere voluerit: tertio, quod plus laudis habiturus ſit Philemon, ſi redditum ſuæ poteſtati ſervum, ultro & liberaliter remittat. Ex hoc autem poſtremo colligimus, quibuſcunque poſſumus officiis juvandos eſſe Chriſti martyres, dum pro Euangelii teſtimonio laborant. Nam ſi exilia, carceres, flagella, contumelias, bonorum ſpoliationes reputamus eſſe Euangelii, quemadmodum hic vocat Paulus: quiſquis eorum ſocius recuſat eſſe & particeps, ſe à Chriſto ipſo ſeparat. Commune certe omnibus eſt Euangelii patrocinium. Itaque qui ejus cauſa perſequutionem ſuſtinet, non jam ut privatus quiſpiam habeodus eſt, ſed qui publicas Eccleſiæ vices obit. unde ſequitur, communem piis omnibus curam pro ipſo incumbere, ne in unius hominis perſona Euangelium deſerant: ſicuti ſæpe fieri ſolet.

14. *Ut non quaſi.*] Hoc ex generali regula ſumptum eſt, non alia placere Deo ſacrificia niſi quæ voluntaria ſunt. Ita & de eleemoſynis idem Paulus loquitur, 2 Corinth. 9. v. 7. Τὸ ἀγαθὸν hic pro beneficentia capitur. Et *neceſſitas* voluntati opponitur, ubi liberæ alacritatis experimentum capi non poteſt. Nam quod liberaliter ſuſcipitur officium, non alieno impulſu, ſolidam laudem demum meretur. Notatu etiam dignum eſt quod Paulus præteriti temporis culpam pro Oneſimo agnoſcens, mutatum eſſe affirmat: ac ne dubitet Philemon, alio ingenio & novis moribus ſervum ad ſe redire, Paulus ejus reſipiſcentiam proprio experimento ſibi compertam eſſe dicit.

15. Forte enim ideo ſeparatus fuit ad tempus, ut perpetuo eum retineres.
16. Non jam ut ſervum, ſed ſuper ſervum, fratrem dilectum maxime mihi, quanto magis tibi & in carne & in Domino?
17. Si igitur me habes conſortem, ſuſcipe eum tanquam me.
18. Si vero qua in re te læſit, vel aliquid debet, id mihi imputa.
19. Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego ſolvam: ut ne dicam tibi quod & teipſum mihi debes.

15. *Forte enim ideo ſeparatus.*] Si quid ex hominum peccatis iracundiæ contraximus, mitigari convenit, ubi videmus quæ perverſe alioqui egerant, Dei conſilio in alium finem converſa eſſe. Læta etiam cataſtrophe in malis quaſi remedium eſt, quod nobis ad delendas offenſas, Dei manu porrigitur. Ita Joſeph, dum admirabili Dei providentia factum eſſe *Gen. 48. verſ. 5.* reputat ut pro mancipio venditus, in eum tamen locum evectus foret unde fratres & patrem alere poſſet, perfidiæ & crudelitatis fratrum oblitus, ſe præmiſſum eſſe dicit eorum cauſa. Paulus ergo ſervi fuga non debere tantopere Philemonem offendi admonet, quia boni non pœnitendi cauſa fuerit. Nam quum animo eſſet fugitivus, illum domi ſuæ habens Philemon, non vere poſſidebat: quum pravus eſſet ac infidus, non poterat ipſo commode frui. dicit ergo pauliſper vagatum eſſe, ut locum mutando, alius fieret, ac rediret novus homo. Et prudenter omnia temperat, quum fugam vocat diſceſſum: & addit illum *ad tempus fuiſſe*. Poſtremo brevi jacturæ, commodi uſus perpetuitatem opponit. Fugæ quoque utilitatem aliam in medium citat, quod non modo ejus occaſione correctus ſit Oneſimus, ut frugi ſervus eſſe incipiat: ſed quod factus ſit domini frater. Porro ne recenti adhuc offenſa exulceratus animus fraternum nomen ægre admitteret, Paulus illum primo loco *fratrem* agnoſcit. Hinc colligit, Philemonem multo illi conjunctiorem eſſe, quia par & eadem in Domino ſit neceſſitudo utrique vel ſecundum Spiritum: ſecundum carnem vero Oneſimus membrum ſit ipſius familiæ. Hic demum perſpicitur rara Pauli modeſtia, qui fraterno titulo nullius pretii mancipium dignatur: imo fratrem ſibi conjunctiſſimum nominat. Et certe nimiæ ſuperbiæ foret, ſi quos pro fratribus habere pudeat quos Deus in filiis ſuis cenſet. Quod autem dicit, *quanto magis tibi*, his verbis non ſignificat Philemonem gradu ſuperiorem eſſe ſecundum Spiritum: verum ſenſus eſt, Quum mihi potiſſimum ſit frater, tibi magis eſſe debet, quum duplex ſit inter vos conjunctionis vinculum. Cæterum quia certo ſtatuendum eſt, Paulum non temere nec futiliter (ut plerique ſolent) pro homine non ſatis cognito ſpondere, ac extollere ejus fidem, antequam firmis documentis eam expertus eſſet: memorabile pœnitentiæ ſpecimen nobis in Oneſimo proponitur. Scitur quam prava fuerint ſervorum ingenia, ut vix centeſimus quiſque ad bonam frugem unquam veniret. Jam ex fuga conjicere licet, conſuetudine & habitu obduruiſſe Oneſimum ad malitiam. Rara ergo & admirabilis virtus, ſic repente exuere quæ imbiberat vitia, ut vere teſtari poſſit Apoſtolus, jam alium hominem eſſe factum. Ex eodem fonte nobis oritur utilis doctrina, Dei electos interdum modo incredibili præter communem ſenſum per flexuoſas ambages, imo per labyrinthos ad ſalutem adduci. Vivebat Oneſimus in domo pia & ſancta: inde ſuis maleficiis exulans, quaſi data opera procul ſe à Deo & vita æterna ſubducit. Atqui exitialem ejus fugam Deus occulta providentia mirabiliter dirigit, ut in Paulum incidat.

17. *Si ergo me habes conſortem.*] Hic ſe magis adhuc ſubmittit, fugitivo jus honoremque ſuum reſignans, & quaſi eum ſubſtituens ſuo loco: quemadmodum ſe paulo poſt ſponſorem ejus loco ſubjiciet. Magni enim referebat, Oneſimo placabilem & humanum eſſe dominum, ne eum immodicus rigor ad deſperationem impelleret. idcirco tam anxie laborat Paulus. Et nos ejus exemplo monemur quanto ſtudio adjuvandus ſit peccator qui reſipiſcentiam nobis ſuam probavit. Quod ſi noſtrarum partium eſt, apud alios intercedere ad impetrandam pœnitentibus veniam, multo magis benigne & clementer excipiendi à nobis ſunt.

18. *Si vero qua in re te læſit.*] Hinc colligere licet aliquid etiam domino furatum eſſe Oneſimum, ut mos fugitivis fuit. & tamen ſceleris invidiam mitigat, quum addit, *Vel ſiquid debet*. Neque enim contracta erat civilis ratio inter eos, ſed tantum propria noxa obſtrictus erat ſervus domino. Tanto itaque major Pauli humanitas, qui pro maleficio quoque ſatisfacere paratus eſt. Particula iſta, *Ne dicam quod & teipſum mihi debes*, exprimere voluit quantam habeat impetrandi fiduciam. acſi diceret, Nihil eſt quod mihi negare ſuſtineas, etiamſi teipſum poſcerem. Eodem ſpectant quæ ſequuntur de hoſpitio & aliis, ut mox videbimus. Reſtat una quæſtio, quomodo pecuniæ ſolutionem promittat qui niſi adjutus fuiſſet ab Eccleſiis, non habebat unde parce & fruga-

frugaliter viveret. Videtur certe in hac penuria & egeſtate, ridicula eſſe promiſſio: ſed facile eſt videre hac loquendi forma Paulum deprecari ne quid à ſervo repoſcat Philemon. etſi enim non ironice loquitur, obliqua tamen figura petit ut nomen hoc inducat & deleat. Senſus ergo eſt, Nolo ut cum ſervo tuo litiges, niſi me velis ejus loco habere debitorem. Nam ſtatim addit Philemonem eſſe prorſus ſuum. qui vero totum hominem ſibi vendicat, non eſt cur de ſolvenda pecunia ſit ſollicitus.

20. Certe frater ego te fruar in Domino: refocilla mea viſcera in Domino.
21. Perſuaſus de tua obedientia ſcripſi tibi, ſciens etiam quod ſupra id quod ſcribo, facturus ſis.
22. Simul vero præpara mihi hoſpitium: ſpero enim quod etiam per veſtras precationes donabor vobis.
23. Salutant te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu:
24. Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas cooperarii mei.
25. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

Ad Philemonem miſſa fuit è Roma per Oneſimum ſervum.

20. *Certe frater.*] Hæc affirmatio ad hortandi vehementiam poſita eſt: acſi dixiſſet, Tunc conſtabit demum, nihil à me tibi ſeparatum eſſe, quin & ipſe mihi vere ſis addictus, & tua omnia mei arbitrii ſint, ſi abolitis offenſis in gratiam recipias qui ſic mihi conjunctus eſt. Ac iterum repetit idem loquendi genus de *viſcerum refocillatione.* hinc vero colligimus, fide Euangelii non everti politicum ordinem, neque jus ac imperium abrogari dominis in ſervos. Neque enim unus ex plebe erat Philemon, ſed in excolenda Chriſti vinea Pauli cooperarius: & tamen non eripitur dominatio in ſervum quæ legibus permiſſa erat, ſed tantum humaniter, data venia, eum recipere jubetur. imo ſuppliciter deprecatur Paulus ut priſtinum locum obtineat. Porro tam ſubmiſſa Pauli deprecatio admonet quam à vera reſipiſcentia procul adhuc abſint qui contumaciter ſua vitia excuſant, vel ſine pudore & ſine humilitatis ſigno ſic fatentur ſe peccaſſe acſi nunquam peccaſſent. Certe quum tam illuſtrem Chriſti Apoſtolum videret Oneſimus tam anxie ſua cauſa rogare, multo magis humiliari oportuit, quo heri ſui animum ad clementiam flecteret. Huc pertinet, quod excuſat ſe confidentius ſcripſiſſe, quia ſciret Philemonem, pluſquam rogatus eſſet, facturum.

22. *Simul vero præpara.*] Hæc fiducia inſtar ſtimuli eſſe debuit ad permovendum Philemonem: deinde ſpem gratulationis ei facit ſuo adventu. Quanquam autem neſcitur an ſolutus poſtea fuerit Paulus ex vinculis: nihil tamen eſt abſurdi, ſi ſpes qualem de temporali Dei beneficio conceperit, eum fruſtrata fuerit. Neque enim de ſua liberatione aliter fuit perſuaſus, quam ſi ita Deo viſum eſſet. Itaque ſemper animum ſuum ſuſpenſum tenuit, donec eventu patefieret Dei voluntas. Notandum etiam eſt quod dicit, fidelibus donari quicquid ſuis precibus impetrant: nam hinc colligimus, quamvis effectu non careant preces noſtræ, non valere tamen ſuo merito: quia gratuitum eſt quod illis conceditur.

24. *Demas.*] Hic eſt à quo poſtea deſertus fuit, quemadmodum in ſecunda ad Timotheum Epiſtola conqueritur. Quod ſi unum ex Pauli adjutoribus tædio fractum ad ſe iterum retraxit mundi vanitas, nemo unius anni fervori nimium confidat: ſed reputans quantum ſibi adhuc itineris in ſtadio ſuperſit, petat à Domino conſtantiam.

Poten-

Potentiſſ. ac Sereniſſ. Principi

SIGISMUNDO AUGUSTO,

Dei gratia, Poloniæ Regi, Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Mazoviæ, &c. domino & hæredi,

JOANNES CALVINUS S.

QUum tam multi hodie inſulſi homines, paſſim ac temere ſcripturiendo, imperitos & minus acutos lectores ſuis nugis occupent, Clariſſ. Rex, ad hoc vitium alia quoque indignitas accedit, quod dum Regibus aliiſque Principibus viris inſcribunt ſuas ineptias, ut his fucandis, vel ſaltem tegendis ſplendorem mutuentur: non tantum ſacra alioqui nomina profanant, ſed partem illis quodammodo ſui dedecoris aſpergunt. Facit ergo importuna talium hominum temeritas ut excuſatione opus habeant graves ac moderati ſcriptores, ſiquando magnis viris publice dicare inſtituunt labores ſuos: in quibus tamen adeo nihil eſt pœnitendum, ut eorum quibus offeruntur, magnitudini luculente reſpondeant. Hoc ideo præfari libuit, ne ex eorum numero unus eſſe videar, qui perinde ac ſi liceret quicquid vulgo fieri (quamlibet perperam) conſuevit, aliorum exemplo audere ſibi permittunt. Neque vero me fugit quantum hoc ſtultæ confidentiæ ſpeciem habeat, quod ego (ut reliqua taceam) ignotus homuncio & obſcurus, Regiam tuam majeſtatem compellare non dubito. Verum auditis conſilii mei rationibus, ſi meum factum, ô Rex, probaveris, quid alii judicent non eſt quod magnopere laborem. Principio itaque, tametſi neque meæ tenuitatis ſum immemor, neque rurſum quæ tuæ Majeſtati reverentia debeatur, ignoro: una tamen pietatis tuæ fama quæ fere apud omnes ſinceræ Chriſti doctrinæ ſtudioſos obtinuit, ad eximendum quemvis metum ſatis eſt: munus enim mecum affero, quod illa repudiare tibi non permittet. Quum Epiſtola quæ ad Hebræos inſcribitur, uberem de æterna Chriſti divinitate, ſummoque magiſterio, & unico ſacerdotio diſputationem contineat (quæ præcipua ſunt cæleſtis ſapientiæ capita) & in his explicandis ſic verſetur, ut totam Chriſti virtutem ac officium nobis ad vivum exprimat: merito incomparabilis theſauri locum atque honorem in Eccleſia obtinere debet. Apud te vero, qui Filium Dei regnare atque eminere unice cupis, quin ſuum pretium habitura ſit non dubito. Ejus ego interpretatione ſuſcepta non dico quid profecerim: niſi quod fidem ſaltem ac diligentiam, ubi guſtum ceperis, tibi probatum iri certo confido. Atque ut mihi neque ingenii, neque eruditionis laudem arrogo, ita quid mihi in Scriptura intelligenda à Domino datum ſit (quando hoc non eſt niſi in eo gloriari) ubi res ita fert, profiteri non pudet. Si qua autem ad juvandam hac in parte Dei Eccleſiam in me eſt facultas, ejus ſpecimen non obſcurum in hac mea lucubratione edere ſtudui. Quare munus (ut dixi) fore ſpero quod mihi apud tuam Majeſtatem, ô Rex, non tantum ad excuſationem ſatis valeat, ſed gratiæ quoque non parum conciliet. Forſan & Majeſtati tuæ, ad inſtaurandum Chriſti regnum ultro jam properanti, & plurimis qui ſub tuo imperio degunt, ad illud ſuſcipiendum, hoc novum quaſi invitamentum erit. Regnum habes amplum atque illuſtre, multiſque ornamentis refertum: ſed hæc ſolida ejus demum erit felicitas, ſi Chriſtum ſibi, ut ejus fide tutelaque muniatur, præſidem ſummumque gubernatorem adoptet. Nam hic eſt cui ſceptrum tuum ſubmittere, adeo ab iſta in qua collocatus es celſitudine non eſt alienum, ut vel longe omnibus mundi triumphis ſit glorioſius. Nam quum inter homines propria magni & excelſi animi virtus cenſeatur, gratitudo: quid Regibus magis eſſet indecorum, quam ſi adverſus Dei Filium, à quo in ſummum honoris faſtigium evecti ſunt, ingratos ſe præberent? Proinde non ingenua modo, ſed pluſquam regia ſervitus hæc eſt, quæ nos in Angelorum ordinem attollit, dum inter nos erigitur Chriſti thronus, ut vox ejus cæleſtis, unica ſummis perinde ac infimis vivendi ſit & moriendi regula. Nam etſi trita hodie ac omnibus fere vulgaris hæc profeſſio eſt, Chriſti ſe imperio parere: pauciſſimi tamen ſunt qui eam quam jactant obedientiam illi præſtent. Id autem non aliter fit, quam ubi ad certum ſacræ ejus doctrinæ præſcriptum tota componitur religio. Hic vero emergunt miri conflictus, dum homines, non ſuperbia modo inflati, ſed prodigioſa inſania faſcinati, minus perpetuis cæleſtis Magiſtri oraculis, quam inanibus ſuis figmentis deferunt. Nam quoſcunque obtendant colores qui ad nos oppugnandos operam ſuam locant Romano Antichriſto: hic omnium contentionum, quibus jam per triginta annos tam acriter vexata eſt Eccleſia, fons reperietur,

quod

quod qui ptimi inter Chriſti diſcipulos haberi volunt, ejus ſe doctrinæ ſubjicere non ſuſtinent. Eouſque graſſata eſt tum ambitio, tum audacia, ut ſub innumeris mendaciis ſepulta lateat Dei veritas, ut omnia ejus inſtituta fœdiſſimis corruptelis ſint inquinata, vitiatus omni ex parte ejus cultus, everſa penitus fidei doctrina, adulteratus Sacramentorum uſus, regimen Eccleſiæ in barbaram tyrannidem converſum, fœda ſacrorum omnium nundinario inſtituta, ad effrenatam impiorum tyrannidem traducta ſit Chriſti poteſtas, in Chriſtianiſmi locum horrenda & craſſiſſimis ludibriis plena rerum omnium profanatio ſubierit. His dum tot ac tam atrocibus malis unum afferimus remedium, ut loquenti è cælis Dei Filio detur in terris audientia, inſurgunt extemplo magni iſti Atlantes: non qui Eccleſiam humeris fulciant, ſed qui confictum à ſe Idolum vanis titulorum ampullis in ſublime efferant. Hunc porro tam acriter nobis reclamandi prætextum habent, quod pacem ſtatumque Eccleſiæ noſtra interpellatione turbamus. Ubi ad cognitionem ventum eſt, ingenioſi artifices Eccleſiam nobis pingunt quæ totam gubernandi rationem à Chriſto ſeparatam alienamque habeat. Hoc autem quid aliud eſt quam nefariam ac ſacrilegam corporis à ſuo eapite divulſionem moliri? Hinc quam frivola ſit apud multos Chriſtianiſmi jactantia, liquet: quum maxima pars nihil minus quam pura Euangelii doctrina regi ſe patiatur. Quod vero agnoſcis, ô Rex, ut integram regni ſui poſſeſſionem adeat Chriſtus, ſeria tot ſuperſtitionum repurgatione opus eſſe, ſingularis id prudentiæ eſt: ſuſcipere vero atque aggredi quod ita neceſſarium vere judicas, raræ cujuſdam virtutis Te quidem divinitus inſtar Ezechiæ cujusdam aut Joſiæ eſſe deſtinatum, qui puriorem Euangelii doctrinam, quæ Satanæ aſtu hominumque perfidia in toto mundo vitiata fuit, brevi in regno Poloniæ reſtituas: multa ſunt quæ ſpem bonis omnibus propemodum certam faciant. Nam ut alias omittam præclaras tuas virtutes, quas exteri quoque prædicant, tuæ autem ditionis homines magno eum fructu ſentiunt: cum ſemper in te mirum pietatis ſtudium enituit, tum vero pietas ipſa hodie refulget. Sed iſtud præcipuum, quod mentem tuam ita irradiarit Euangelii ſui luce Sol juſtitiæ Chriſtus, ut & veram adminiſtrandæ Eccleſiæ rationem non aliunde quam ab ipſo petendam ſcias, & ſimul diſcernas quantum inter germanam quam inſtituit, religionis formam, & hanc quæ poſtea invecta eſt, commentitiam ac degenerem interſit. Nam & corruptum deformatumque Dei cultum, quia innumeræ in ejus locum ſuſperſtitiones irrepſerint, intelligis: gratiam Chriſti multis tenebris indigne obrutam, vim mortis ejus imminutam, ipſum fere laeeratum ac diſcerptum, everſa funditus ſalutis fiducia: conſcientias miſere, imo horrendum in modum vexatas fuiſſe atque cruciatas, à ſincera rectaque Dei invocatione in varias perplexaſque ambages miſeros homines abductos, Eccleſiam crudeli tyrannide oppreſſam: denique nullam Chriſtianiſmi partem ſinceram relictam eſſe. Hac te intelligentia, ô Rex nobiliſſime, non fruſtra à Deo fuiſſe inſtructum eredibile eſt, quin miniſtrum ad res magnas elegerit. Ac ne innoxius piorum ſanguis de inclyto *Poloniæ* regno vindictam expoſcens, tantam ejus felicitatem nunc retardet: ne qua gutta funderetur hactenus, mirifica Dei indulgentia factum fuit. Ea fuit clementia & manſuetudine felicis memoriæ Rex Sigiſmundus Majeſtatis tuæ pater, ut quum ſævitiæ contagio tot Chriſtiani orbis regiones occupaſſet, ipſe puras manus continuerit. Jam vero tua nobilitas, adeoque eximii quique inter tuos proceres non modo Chriſtum ſe illis offerentem facile admittunt: ſed cupide jam ad eum aſpirant. Quin etiam video Joannem à Laſeo, ex illuſtri Comitum familia genitum, aliis quoque gentibus facem prætuliſſe. Quo minus ferenda eſt Eccii improbitas, qui ſuum de ſacrificio Miſſæ libellum Sigiſmundo Regi Majeſtatis tuæ patri inſcribendo, fœdam, quantum in ſe fuit, tam illuſtri regno maculam inuſſit. quanquam non fuit hoc mirum in Sileno illo, qui ebrioſorum Princeps, non minus in altare quam in ſterquilinium vomere ſolebat. Ego vero ſi hunc meum laborem tuæ Majeſtati nuncupans ac dicans, hoc ſaltem profecero ut à nomine Polonico eluantur fœtidæ ſuæ Eccii ſordes, ne illic hæreant quo tam indigne fuerant congeſtæ: mihi non parum videbor conſequutus. & ſane vix ex tota Scriptura eligi ad eam rem aptior potuit ullus liber. Huc enim potiſſimum incumbit Apoſtolus noſter, ut quod Eccius aſſerit ſacrificium, eum Chriſti ſacerdotio manifeſte pugnare oſtendat. Miſſæ quidem nulla hic fit mentio, quam tunc Satan ex inferis nondum eructaverat. Sed dum unico ſacrificio, quod in cruce peregit Chriſtus, contentam eſſe Eccleſiam jubet, ut omnes immolandi ritus deſinant: novis certe iſtorum commentis viam præcludit. Clamat hic Apoſtolus, ſemel duntaxat in cruce immolatum fuiſſe Chriſtum: Eccius victimam hanc quotidie renovari fingit. Pronunciat Apoſtolus ſolum Dei Filium fuiſſe idoneum Sacerdorem qui ſe Patri offerret, ideoque jurejurando conſtitutum: Eccius ſacerdotium in ejus perſona reſidere negat, ſed ejus functionem ad conductitios ſacrificos transſcribit. Neque vero me latet quibus cavillis & hæc & alia ejuſmodi argumenta eludere conetur. Sed timendum non eſt ne alios eludat quam qui ſponte vel cæcutiunt, vel lucem fugitant. Quanquam ſic Thraſonico ſuo faſtu inebriatus fuit, ut ſe inſolenter jactando, plus operæ inſumeret, quam ſubtiliter diſputando. Ego tamen ne fruſtra cani mortuo inſultare videar,

non

non aliud addam in præſentia, niſi hunc quoque fore Commentarii mei uſum, ut quam nebulo ille crapulæ ſuæ labem, putidum ſuum librum exhalando, ingeſſit in nomen Polonicum, abſtergat. Qui autem legere ſuſtinuerint, ne ejus decipulis capiantur, timendum non eſt. Porro quum laborem hunc meum tuæ Majeſtati offerendo, non tibi modo privatim, ô Rex, aliquam obſervantiæ ſignificationem dare voluerim, ſed toti eam mundo teſtatam facere: nunc ſuper eſt, ſuppliciter ut Majeſtatem tuam rogem, ne meum hoc qualecunque ſtudium repudiet. Certe ſi quem ad pios tuos conatus incitandos ſtimulum attulerit, ampliſſimum ejus fructum tuliſſe me putabo. Agedum ergo, Magnanime Rex, fauſtis Chriſti auſpiciis curam cum regia tua celſitudine, tum heroica virtute dignam ſuſcipe: ut æterna Dei veritas, qua & ejus gloria, & hominum ſalus continetur, quacunque imperium tuum patet, jus ſuum Antichriſti latrocinio ereptum recuperet. Arduum ſane opus, tantæque molis ut merito ſollicitudinem ac metum vel cordatiſſimis injiciat. Sed primo, nullum eſt tantum diſcrimen quod non alacriter ſubire, nulla tanta difficultas quam non conſtanter perferre, nullum tantum certamen cui non intrepide nos offerre, pro tam neceſſaria cauſa deceat & oporteat. Deinde quia proprium eſt Dei opus, non tam hic reſpiciendum quouſque ſe humanæ facultates extendant, quam danda ejus virtuti gloria, ut ea non adjutrice modo, ſed directrice etiam freti, ultra vires audeamus. Eccleſiæ (inquam) & fundandæ, & inſtaurandæ munus non abs re paſſim Scriptura Deo vendicat. Præterquam enim quod res eſt per ſe omnino divina, & quæ omnem mundi captum longe ſuperat: ſimul atque initium aliquod emergit, quaſcunque nocendi artes habet Satan, eas quaſi in acervum congerit, ut longiorem progreſſum vel abrumpat, vel moretur. Scimus autem mundi principi nunquam deeſſe innumeros ſatellites qui ad oppugnandum Chriſti regnum operam ſuam locare ſemper ſint parati. alios inſtigat ambitio, alios venter impellit. Hæc nos certamina, pro noſtra tenuitate, mediocriter exercent: tua vero Majeſtas longe majores difficultates proculdubio experietur. Ergo quiſquis ad promovendam & ſalutis doctrinam, & Eccleſiæ ſalutem accingitur, invicta conſtantia armatum eſſe oportet. Atqui quoniam res eſt viribus noſtris ſuperior, idem è cælo nobis arma ſuppeditat. Noſtrum eſt interea quæ paſſim in Scripturis occurrunt promiſſiones animis habere inſculptas: Dominum ſicuti Eccleſiæ fundamenta manu ſua jecit, ita non paſſurum ut diruta maneat, quin de colligendis inſtaurandiſque ruinis ſit ſollicitus. Nam ita loquendo, ſe nunquam in hoc opere nobis defuturum promittit. Sicuti enim otioſos ſuæ virtutis ſpectatores nos ſedere non vult: ita laborantes manus fulciendo auxilii præſentia, ſatis clare ſe principem architectum eſſe demonſtrat. Proinde quod toties ipſe non temere repetit atque inculcat, ne pigeat memoria repetere, quoties cum hoſtibus congrediendum eſt, qui aſſidue infeſti prorumpunt. ſunt enim & copia prope infiniti (ut dictum eſt) & genere varii. Unum autem hoc ad nos animandos abunde ſufficiet, quod ducem habemus adeo invictum, ut quo pluribus impetitur præliis, eo plures in manu habeat & victorias & triumphos. Vale, Invictiſſime Rex. Dominus Jeſus te Spiritu prudentiæ gubernet, Spiritu fortitudinis ſuſtineat, omni benedictionum genere proſequatur, Majeſtatem tuam florentiſſimam diu conſervet, regnumque tueatur. Amen. Genevæ, X. Calend. Junii. M.D.XLIX.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

ARGUMENTUM.

NOn tantum de auctore bujus Epiſtolæ varie olim diſputatum fuit, ſed ipſa quoque vix ſero recepta fuit in Latinis Eccleſiis. Suſpectam habebant quaſi Novato ſuffragaretur in neganda lapſis venia: ſed quam vana fuerit illa ſuſpicio, ſuis locis tractabitur. Ego vero eam inter Apoſtolicas ſine controverſia amplector: nec dubito Satanæ artificio fuiſſe quondam factum ut illi auctoritatem quidam detraherent. Nullus enim eſt ea Sacris libris qui de Chriſti ſacerdotio tam luculente diſſerat, unici quod morte ſua obtulit ſacrificii vim digoitatemque tam magnifice extollat, de ceremoniarum tam uſu quam abrogatione uberius tractet: qui denique plenius explicet Chriſtum eſſe finem Legis. Quare ne patiamur Dei Eccleſiam, & noſipſos tanto bono ſpoliari: ſed ejus poſſeſſionem conſtanter nobis aſſeramus. Quis porro eam compoſuerit, non magnopere curandum eſt. Putant alii Paulum eſſe, alii Lucam, alii Barnabam, alii Clementem, ut refert Hieronymus. Quanquam Lucæ tantum & Clementis Euſebius meminit, libro ſexto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Scio Chryſoſtomi tempore paſſim inter Paulinas à Græcis fuiſſe receptam. ſed Latini aliter ſenſerunt: præſertim qui propiores fuerunt Apoſtolorum temporibus. Ego ut Paulum agnoſcam auctorem, adduci nequeo. Nam qui dicunt nomen fuiſſe de induſtria ſuppreſſum, quod odioſum eſſet Judæis, nibil afferunt. Cur enim mentionem feciſſet Timothei, ſi ita eſſet? Hoc enim indicio ſe prodebat. Sed ipſa docendi ratio & ſtylus alium quam Paulum eſſe ſatis teſtantur: & ſcriptor ipſe unum ſe ex Apoſtolorum diſcipulis profitetur, capite ſecundo: quod eſt à Paulina conſuetudine longe alienum. Præterea quæ de catechiſmi conſuetudine adducit capite 6. Pauli ætati minus congruerent. Alia ſunt quæ ſuis locis adnotabimus. Scio qualis de ſtylo excuſatio adduci ſoleat: non poſſe ſcilicet judicium inde fieri, eo quod Epiſtolam hanc ex Hebraica lingua in Græcam vel Lucas, vel alius quiſpiam tranſtulerit. Atqui ea conjectura nullo negotio refellitur. Ut enim alios locos qui ex Scriptura citantur, prætercam: ſi Hebraice ſcripta fuiſſet Epiſtola, nulla in nomine Teſtamenti fuiſſet alluſio, in qua ſcriptor immoratur. Non potuit, inquam, ex alio fonte hauriri quod de jure Teſtamenti capite nono diſputat, quam ex Græca voce. Nam διαθήκη ambiguam apud Græcos ſignificationem habet ברית autem Hebræis non niſi Fœdus ſignificat. Hæc una ratio ſani judicii bominibus ſufficiet ad probandum quod dixi, Græco ſermone ſcriptam fuiſſe Epiſtolam. Quod autem objicitur ex adverſo, probabilius eſſe Judæis nonniſi ſua lingua Apoſtolum ſcripſiſſe, nihilo plus babet ponderis. quotus enim quiſque tunc fuit qui avitam linguam intelligeret? quam quiſque regionem incolebat, ejus idioma didicerat. Porro lingua Græca latius patebat quam aliæ omnes. Jam venio ad argumentum. Principio, non hic eſt ſtatus cauſæ, ut Jeſum filium Mariæ Judæis perſuadeat eſſe Chriſtum & Redemptorem illis promiſſum: quia enim ad eos ſcribit qui jam Chriſto nomen dederant, caput illud pro confeſſo ſumit. Sed in hoc cardine verſatur, ut probet quale ſit officium Chriſti: unde pateat, ejus adventu finem eſſe ceremoniis impoſitum. Hanc diſtinctionem notare operæpretium eſt. Nam ſicuti Apoſtolo ſupervacuus fuiſſet labor, bunc eſſe Chriſtum qui exhibitus fuerat, apud eos probare qui jam ita perſuaſi erant: ſic eos doceri qualis eſſet oportuit, quia finem, vim & fructum adventus ejus nondum tenebant, ſed falſa Legis interpretatione occupati, umbram præhenſabant pro corpore. Ejuſmodi hodie negotium nobis eſt cum Papiſtis. nobiſcum enim fatentur Chriſtum eſſe Filium Dei qui Redemptor mundo promiſſus fuerat: ſed quum ad rem ventum eſt, eum pluſquam dimidia virtutis ſuæ parte nudant. Orditur autem à Chriſti dignitate: quia Judæis abſurdum videbatur, Legem Euangelio poſthaberi. Ac primum quidem illud ſtatuit de quo erat diſceptatio, allatam à Chriſto doctrinam primas tenere, quia ſit omnium prophetiarum clauſula. Sed quoniam reverentia quam Moſi deferebant, obſtare poterat, docet Chriſtum longe omnibus præcellere. Ac poſtquam ſummatim attigit quibus nominibus præcellat, nominatim Angelos illi ſubmittit, ut cum illis reliquos omnes cogat in ordinem. Prudenter autem hac ratione progreditur: nam ſi à Moſe cœpiſſet, magis odioſa fuiſſet comparatio. Ubi autem ea Scripturis conſtat, cæleſtes quoque principatus ſubſidere infra Chriſtum: non eſt cur recuſet Moſes vel ullus quiſpiam mortalium illis aggregari: ut ſupra omnes tam homines quam Angelos Filius Dei emineat. Itaque poſtquam Angelos Apoſtolus ſub Chriſti dominium & poteſtatem redegit, moa quaſi ſumpta fiducia, quaoto inferior ſit Moſes, pronunciat: nempe quantum differt ſervus à Domino. Quod ergo tribus primis capitibus Chriſtum in ſummo gradu principatus collocat, huc tendit, ut eo loquente omnes ſileant, nec quicquam nos impediat quominus ejus doctrinæ ſolidam audientiam præſtemus. Quanquam ſecundo capite eum nobis fratris loco in carne noſtra proponens, hoc modo nos allicit, ut libentius nos totos illi devoveamus ac tradamus. & ſimul exhortationes minaſque admiſcet, ſiquis vel ad obſequendum ſit tardior, vel contumaciter repugnet: idque agit prope ad finem uſque quarti capitis. Inde tranſit ad explicandum Chriſti ſacerdotium, cujus vera & pura cognitio omnes Legis ceremonias abolet. Sed ubi breviter tantum indicavit quam debeat nobis illud eſſe amabile, & quam ſuaviter acquieſcere in eo liceat: pauliſper ad increpandos Judæos digreditur, eo quod in primis elementis tanquam pueri hæſitarent, ubi etiam gravi & ſevera denunciatione eos terret. periculum enim eſſe ne ſi ad proficiendum adeo ſint ſegnes, tandem abjiciantur à Domino. Verum hanc aſperitatem mox temperat, quum dicit meliora ſe ſperare: ut eorum potius animos erigat ad ſtudium profectus, quam dejiciat. Poſtea ad ſacerdotii tractationem redit, in qua docet primo, differre ipſum à veteri ſacerdotio quod ſub Lege fuit. deinde eſſe præſtantius, quod in ejus locum ſuccedat, & jurejurando ſanciatur: quod æternum ſit, ſemperque vigeat: quod qui eo fungitur, Aaronem & reliquos omnes ex genere Levitico, honore ſuperet. quorum omnium adumbratam fuiſſe imaginem in perſona Melchiſedec oſtendit. Quo autem certius abrogatas eſſe Legis ceremonias probet, in alium finem inſtitutas una cum tabernaculo fuiſſe commemorat: nempe ut cæleſti prototypo ſervirent. Unde ſequitur, non eſſe in illis manendum: niſi velimus

con-

contempta meta, in medio viæ deſidere. Ad hoc Jeremiæ locum adducit, ubi promittitur Novum teſtamentum: quod nihil aliud eſt quam Veteris correctio. unde ſequitur, infirmum illud fuiſſe & caducum. Poſtea de ſimilitudine congruentiaque umbrarum & veritatis in Chriſto exhibitæ diſputans, concludit, unico Chriſti ſacrificio abrogatos fuiſſe ritus omnes à Moſe inſtitutos: quia perpetua ſit hujus ſacrificii efficacia, & in eo non modo abſoluta ſit Novi teſtamenti ſanctio, ſed verum & ſpirituale complementum externi illius ſacerdotii quod ſub Lege viguit. Doctrinæ rurſus exhortationem annectit inſtar ſtimuli, ut impedimentis omnibus valete juſſis, Chriſtum qua decet reverentia excipiant. Tot Patrum exempla quæ recenſet capite undecimo, mihi videntur in hunc finem eſſe adducta, ut agnoſcerent Judæi, ſi à Moſe traducti eſſent ad Chriſtum, adeo ſe à ſanctis Patribus non diſcedere ut hac maxime in re illis conjuncti forent. Nam ſi præcipua in illis virtus fuit fides, radixque omnium virtutum: ſequitur, hanc eſſe præcipue qua cenſeantur Abrahæ & Prophetarum filii. Contra, degeneres eſſe omnes qui Patrum fidem non ſequuntur. Hoc ad Euangelii commendationem non parum valet, quod nobis in eo cum univerſa quæ ab initio mundi fuit Eccleſia conſenſus eſt ac ſocietas. Duo quæ ſuperſunt capita, varias formandæ vitæ præceptiones continent, de ſpe, de tolerantia crucis, de perſeverantia, de gratitudine erga Deum, de obedientia, de miſericordia & charitatis officiis, de caſtitate, & ſimilibus. Demum Epiſtolam precatione claudit: niſi quod ſpem illis facit adventus ſui.

JOANNIS CALVINI

COMMENTARII

IN

EPISTOLAM PAULI

AD

HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.

DEus olim multifariam multiſque modis loquutus Patribus per Prophetas,
2. Extremis hiſce diebus loquutus eſt nobis per Filium, quem conſtituit hæredem omnium, per quem etiam ſecula condidit.

1. **D***Eus olim* &c.] Hoc exordium ad commendationem doctrinæ Chriſti pertinet. neque enim reverenter tantum excipiendam eſſe docet, ſed in ea ſola acquieſcendum. Quo id melius intelligatur, notanda eſt ſingulorum membrorum antitheſis. Primum, Filium Dei Prophetis opponit: deinde nos Patribus; tertio variam ac multiplicem loquendi rationem quam Deus apud Patres tenuit, poſtremæ revelationi quæ nobis per Chriſtum allata eſt. Sed in hac diverſitate, unum tamen Deum nobis proponit: ne quis putet Legem cum Euangelio pugnare, vel alium eſſe hujus quam illius auctorem. Itaque ut ſummam hujus propoſitionis teneas, hæc tibi figura pingenda eſt.

Deus loquutus eſt

Olim per Prophetas:	Nunc per Filium.
Tunc Patribus:	Nunc autem nobis.
Tunc multifariam:	Nunc ut in fine temporum.

Hoc jacto fundamento, conſenſus inter Legem & Euangelium ſtatuitur: quia Deus qui ſemper eſt ſui ſimilis, & cujus ſermo conſtans eſt, ac immobilis veritas, utriſque communiter eſt loquutus. Sed notandum eſt inter nos & Patres diſcrimen: quia aliter olim apud eos ſermonem temperavit, quam hodie apud nos. Ac primum quidem apud illos Prophetis uſus eſt: nobis vero proprium Filium legatum conſtituit. Conditio igitur noſtra in hac parte jam potior eſt. Porro in ordine Prophetarum cenſetur & Moſes, ut ſit unus ex eorum numero qui Filio ſunt longe minores. In modo quoque revelationis excellimus. nam viſionum & reliqui regiminis diverſitas quæ fuit ſub veteri Teſtamento, argumento erat, nondum ſtatum eſſe fixumque regimen, quale rebus optime compoſitis eſſe decet. Huc pertinet quod dicit *Multifariam multiſque modis.* Eandem enim formam perpetuo uſque in finem proſequutus eſſet Deus, ſi fuiſſet illa numeris omnibus abſoluta. ſequitur ergo, varietatem fuiſſe imperfectionis notam. Porro has duas voces ita accipio, ut Multifariam referam ad diverſas temporum vices. Eſt enim Græce πολυμερῶς: quod licebit ad verbum transferre, Per multas partes: quemadmodum fieri ſolet, quum in poſterum plenius loqui inſtituimus. πολυτρόπως vero diverſitatem (meo judicio) in forma ipſa deſignat. Quum *nobis loquutum eſſe* dicit *his poſtremis temporibus*, ſignificat non amplius eſſe cauſam cur expectatione novæ revelationis ſimus ſuſpenſi. Neque enim particularis eſt ſermo quem attulit Chriſtus, ſed extrema clauſula. Hoc ſenſu noviſſimum tempus & dies noviſſimos accipiunt Apoſtoli. Atque id etiam

1 Cor. 10. vers. 11. eſt quod intelligit Paulus quum ſcribit, in nos fines ætatum incidiſſe. Quod ſi nunc poſtremum loquutus eſt Deus, huc uſque progredi convenit: quemadmodum etiam quum eo perveneris, ſiſtendus eſt gradus. Quorum utrumque cognitu valde neceſſarium eſt. Nam & Judæis magnum erat impedimentum quod non reputabant Deum in aliud tempus diſtuliſſe pleniorem doctrinam. Itaque Lege ſua contenti, non properabant ad metam. Ea quo autem Chriſtus apparuit, contrarium malum graſſari cœpit in mundo. appetunt enim homines ultra Chriſtum pergere. Quid enim eſt aliud totus Papatus, quam hujus limitis transgreſſio, quem figit Apoſtolus? Proinde ſicuti omnes invitat hoc loco Spiritus Dei ut ad Chriſtum uſque perveniant: ita noviſſimum cujus meminit, tranſilire prohibet. Denique ſapientiæ noſtræ terminus, hic in Euangelio locatur.

2. *Quem conſtituit hæredem.*] His encomiis ornat Chriſtum, ut nos in ejus reverentiam adducat. Nam quum illi omnia ſubjecerit Pater, ad ejus imperium nos quoque pertinemus. & ſimul indicat nihil inveniri poſſe extra ipſum boni, quum hæres ſit univerſalis. Unde ſequitur, nos & miſerrimos eſſe, & bonorum omnium inopes, niſi ille nos ſuis opibus juvet. Porro hunc honorem jure deberi Filio Dei addit, ut omnium habeat poteſtatem, quia per ipſum omnia ſint condita: quanquam hæc duo Chriſto tribuuntur diverſo reſpectu. Per ipſum enim creatus eſt mundus, quatenus æterna eſt Dei ſapientia, quæ omnium ejus operum ab initio directrix fuit. atque hinc colligitur Chriſti æternitas: fuiſſe enim prius oportet, quam per ipſum mundus crearetur. Quod ſi diuturnitas temporis quæritur, nullum invenietur principium. Neque hoc ejus derogat poteſtati, quod per ipſum dicitur creatus mundus: quaſi non ipſe creaverit. Hæc uſitata eſt loquendi ratio, Patrem vocari Creatorem: quod autem quibuſdam locis additur, per Sapientiam, vel Sermonem, vel Filium, perinde valet acſi ipſa Sapientia creatrix nominaretur. Sed interea perſonalis diſtinctio notatur, non tantum reſpectu hominum, ſed ut eſt in Deo ipſo, inter Patrem & Filium. Unitas ergo eſſentiæ facit ut quicquid eſſentiale in Deo eſt, tam Patri quam Filio competat: deinde ut quicquid ſimpliciter Deo competit, utrique ſit commune. Sed hoc non impedit quin utrique Prov. 8. vers. 27. perſonæ ſua ſit proprietas. Nomen vero *hæredis* Joan. 1. vers. 3. Chriſto in carne manifeſtato tribuitur. nam quatenus homo factus eandem nobiſcum induit naturam, Coloſſ. 1. vers. 16 hæreditatem hanc accepit: idque ut nobis recuperaret quod perdideramus in Adam. Hominem enim quaſi filium Deus conſtituerat initio, bonorum omnium ſuorum hæredem: ſed per peccatum à Deo alienatus primus homo, ſe & poſteritatem ſuam tam Dei benedictione quam bonis omnibus privaverat. Tunc ergo incipimus jure frui Dei bonis, quum nos Chriſtus, qui univerſalis eſt hæres, in ſocietatem ſuam admittit. Nam ideo ille hæres, ut nos ſuis opibus ditet. Quin hoc elogio nunc eum ornat Apoſtolus, ut ſciamus nos ſine ipſo bonorum omnium eſſe inopes. Si *omnium* in maſculino genere accipias, huc ſpectabit membrum iſtud: debere nos Chriſto ſubjectos eſſe, quia illi à Patre dati ſimus. Sed ego potius in neutro genere lego: ut ſignificet legitima, cæli & terræ omniumque creaturarum poſſeſſione nos arceri, niſi Chriſto communicemus.

3. Qui quum ſit ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ ejus, portetque omnia verbo ſuo potenti, peccatorum noſtrorum purgatione per ſeipſum facta, conſedit in dextera magnificentiæ in excelſis.

3. *Qui quum ſit ſplendor gloriæ.*] Hæc partim de divina Chriſti eſſentia, partim de ipſo carne noſtra induto prædicantur. Nam quod vocatur Splendor gloriæ, *& character ſubſtantiæ*, Divinitatis eſt proprium: alia ad humanam quoque naturam pertinent. omnia tamen ad commendandam Chriſti dignitatem ſunt poſita. Porro eadem ratione Filius ſplendor gloriæ dicitur, & ſubſtantiæ character. Utraque loquutio translatitia eſt. Nam de tantis rebus tamque reconditis nihil poteſt dici, niſi ſimilitudine à creaturis mutuo ſumpta. Quare non eſt quod nimis ſubtiliter diſputemus qualiter Filius qui unam cum Patre eſſentiam habet, ſplendor ſit ea illius luminæ refulgens. Fatendum eſt, improprium quodammodo eſſe quod à creaturis ad arcanam Dei majeſtatem transfertur. Sed tamen hæc quæ ſenſibus noſtris conſpicua ſunt, apte ad Deum accommodantur: ut ſciamus quid in Chriſto quærendum ſit, & quid nobis utilitatis afferat. Nam hoc quoque notandum eſt, non hic doceri frivolas ſpeculationes: ſed tradi ſolidam fidei doctrinam. Quare debemus in uſum noſtrum hæc Chriſti elogia applicare, ſicuti ad nos relationem habent. Dum igitur audis Filium eſſe ſplendorem paternæ gloriæ, ſic apud te cogita, gloriam Patris eſſe tibi inviſibilem donec in Chriſto refulgeat: ideo vocari characterem ſubſtantiæ, quod Patris majeſtas ſit recondita donec ſe veluti in imagine impreſſam oſtendat. Qui hac relatione non obſervata, altius philoſophantur, fruſtra ſe macerant, quia non tenent Apoſtolicum conſilium. Neque enim hic tradere voluit quid ſimile intus habeat Pater cum Filio: ſed quemadmodum dixi, fidem noſtram ædificare cum fructu voluit: ut diſcamus, non aliter Deum nobis patefieri, quam in Chriſto. Tam enim in Dei eſſentia immenſus eſt fulgor, ut oculos noſtros perſtringat donec irradiet nos in Chriſto. Unde ſequitur, nos cæcutire ad lucem Dei, niſi in Chriſto nobis affulgeat. Hæc vere utilis eſt philoſophia, ex ſerio fidei ſenſu & experimento diſcere Chriſti excellentiam. Idem (ut jam dixi) & de charactere ſentiendum eſt. nam quum Deus per ſe nobis ſit incomprehenſibilis, in Filio demum ejus forma nobis apparet. Ergo ἀπαύγασμα hic nihil aliud ſignificat quam lumen viſibile aut refulgentiam, cujus oculi noſtri ſint capaces: & χαρακτὴρ vivam formam occultæ ſubſtantiæ. Priore voce admonemur, extra Chriſtum nihil eſſe lucis, ſed meras tenebras. Nam quum Deus unica lux ſit qua nos omnes illuminari oportet, hac tantum irradiatione (ut ita loquar) ſe in nos diffundit. Secundo admonemur, vere & ſolide Deum in Chriſto cognoſci. Neque enim obſcura eſt vel adumbrata ejus imago duntaxat: ſed expreſſa effigies quæ ipſum refert, quemadmodum nummus matricem cuneі quo percuſſus eſt, formam. Quanquam plus etiam dicit Apoſtolus: nempe Patris ſubſtantiam quodammodo Chriſto inſculptam eſſe. Nomen ὑποστάσεως, quod ego alios ſequutus verti Subſtantiam, meo judicio non Eſſe vel eſſentiam Patris denotat, ſed perſonam. Nam illud abſurde diceretur, Dei eſſentiam in Chriſto impreſſam eſſe: quum eadem ſit & quidem ſimplex utriuſque eſſentia. Sed vere apteque dicitur, quicquid proprium habet Pater, in Chriſto expreſſum eſſe: ut qui hunc tenet, quicquid in Patre eſt, ſimul teneat. Atque in hac ſignificatione orthodoxi Patres hypoſtaſin uſurpant: ut triplex in Deo ſit, unica vero οὐσία. Et Hilarius paſſim Latinum nomen Subſtantiæ pro Perſona accipit. Cæterum etſi hic non eſt propoſitum Apoſtolo, diſſerere qualis in ſe ſit Chriſtus, ſed qualem ſe nobis reipſa declaret: tamen Arrianos & Sabellianos ſatis confutat, quum Chriſto vendicat quæ ſolius ſunt Dei, & ſimul duas in Patre & Filio diſtinctas hypoſtaſeis notat. Nam hinc colligimus, Filium eſſe unum cum Patre Deum, & proprietate nihilominus diſtingui: ita ut ſua cuique

ſubſi-

ſubſiſtentia conſtet. *Portetque omnia.* Portare hic pro Tueri accipitur, facereque ut in ſuo ſtatu maneant creaturæ. intelligit enim omnia mox caſura, niſi ejus virtute ſuſtinerentur. Quanquam pronomen demonſtrativum αὐτοῦ tam de Patre quam de Filio exponi poteſt: verti enim poteſt, vel Ipſius, vel Suæ. Quia tamen ſecunda expoſitio magis eſt recepta, & optime quadrat contextui: ego eam libenter amplector. Ad verbum eſt, Verbo potentiæ. ſed genitivus more Hebraico epithetum valet. Nam quod nonnulli ita torquent, Chriſtum omnia ſuſtinere verbo Patris, hoc eſt, ſeipſo qui verbum eſt: nihil habet coloris. Deinde nihil opus eſt tam coacta expoſitione. neque enim ſolet Chriſtus vocari ῥῆμα, ſed λόγος. Quare Verbum hic ſimpliciter Nutum ſignificat. & ſenſus eſt, Chriſtum, qui ſolo nutu totum mundum conſervat, non tamen recuſaſſe munus peragendæ noſtræ purgationis. Atque hoc ſecundum eſt membrum doctrinæ quæ in hac Epiſtola tractatur. Status enim totius diſputationis in his duobus capitibus verſatur: Chriſtum, quia ſumma auctoritate præditus eſt, præ omnibus aliis eſſe audiendum: & quia morte ſua nos Patri reconciliavit, veteribus ſacrificiis finem impoſuiſſe. Ideo prima hæc ſententia, quum ſit generalis propoſitio, etiam bimembris eſt. Porro quum dicit, *Per ſeipſum*, ſubaudienda eſt antitheſis: quod Legis Moſaicæ umbris ad id non fuerit adjutus. Præterea diſcrimen inter ipſum & Leviticos ſacerdotes oſtendit. nam & hi dicebantur peccata expiare: ſed hanc vim aliunde mutuabantur. Denique excludere voluit omnia alia media, vel adminicula, quum purgationis & pretium & virtutem in Chriſto ſtatuit. *Conſedit in dextera.* Acſi diceret, Salute hominibus parta in mundo, receptus eſt in gloriam cæleſtem, ut omnia guberne t. Hoc autem ſubjecit, ut indicaret non eſſe temporariam ſalutem quam nobis acquiſivit. nam alioqui poteſtatem metiri ſolemus ex præſenti aſpectu. Chriſtum ergo non ideo minoris faciendum admonet quia oculis non cernatur: ſed potius hunc eſſe cumulum ejus gloriæ, quod receptus eſt ac evectus in ſummum illud imperii faſtigium. Nam dextera per ſimilitudinem ad Deum transfertur, qui neque incluſus eſt loco, nec latus habet vel dextrum vel ſiniſtrum. Seſſio itaque Chriſti nihil aliud eſt quam regnum quod illi à Patre datum eſt, ac poteſtas illa cujus meminit Paulus, Ut in nomine ejus omne genu flectatur. Ergo Sedere ad Patris dexteram, nihil aliud eſt quam gubernare vice Patris: qualiter ſolent Principum legati, quibus libera rerum omnium poteſtas eſt conceſſa. Et ideo additum eſt epithetum *magnificentiæ*, deinde, *In excelſis*: ut ſignificet collocatum eſſe in excelſo throno Chriſtum, unde majeſtas Dei refulgeat. Ergo ſicuti amandus eſt redemptionis nomine, ita in hac magnificentia adorandus.

Philip. 2. verſ. 10.

4. Tanto præſtantior Angelis factus, quanto excellentius præ ipſis ſortitus eſt nomen.

Pſal. 2. verſ. 7. 5. Cui enim unquam Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſus, Ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.

2 Sam. 7. verſ. 14. 6. Rurſus autem quum introducit Filium in orbem, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.

Pſal. 97. verſ. 7.

4. *Tanto præſtantior.*] Poſtquam Chriſtum Moſi & reliquis omnibus prætulit, nunc Angelis etiam comparando, gloriam ejus magis amplificat. Tritum erat apud Judæos, Legem per Angelos eſſe datam: audiebant quæ paſſim de ipſis in Scriptura leguntur honorifice dicta: & ut mire in ſuperſtitionem proclivis eſt mundus, Angelos nimium extollendo, Dei gloriam obſcurabant. Ergo oportuit ipſos cogi in ſuum ordinem, ne Chriſti ſplendori obſtarent. Ac primum ex nomine argumentatur, Chriſtum longe ſupra eos excellere: quia vocetur Filius Dei. Hoc autem titulo Chriſtum fuiſſe inſignitum, probat duobus Scripturæ teſtimoniis: quorum utrumque excutiendum nobis eſt: deinde ſummam rei colligemus.

5. *Filius meus es tu.*] Non eſt negandum quin de Davide hoc prædicetur: nempe quatenus Chriſti perſonam ſuſtinuit. Ergo quæ habentur in hoc Pſalmo, in Davide oportuit adumbrari: ſed in Chriſto ſunt expreſſa. Nam quod multis hoſtibus circumcirca domitis, regni ſui fines ampliavit ille: fuit aliqua hujus promiſſionis adumbratio, Dabo tibi Gentes in hæreditatem. Sed quantulum hoc fuit præ amplitudine regni Chriſti, quæ ab Oriente in Occidentem uſque patet? Eadem ratione filius Dei vocatus fuit: hoc eſt, peculiariter à Deo ſelectus ad res egregias gerendas. Sed hæc vix modica ſcintilla fuit ejus gloriæ quæ in Chriſto refulſit, cui Pater imaginem ſuam inſculpſit. Ita nomen Filii ſingulari prærogativa in ſolum Chriſtum competit: nec poteſt in alium quemvis transferri quin profanetur. hunc enim & neminem alium ſignavit Pater. Sed parum adhuc firmum etiam hoc modo videtur argumentum Apoſtoli. unde enim Chriſtum ſuperiorem eſſe Angelis contendit, niſi quia nomen habet Filii? Quaſi vero non ſit hoc illi commune cum Principibus, & quicunque poteſtate eminent: de quibus ſcriptum eſt, Vos dii eſtis, & filii Excelſi omnes. quaſi non honorificentius de toto Iſraële loquutus ſit Propheta, quum dixit Primogenitum Dei. Nam filii appellatio paſſim illi tribuitur. Quin etiam Angelos ipſos David alibi nominat Dei filios, Pſalmo 89. v. 7. Quis ſimilis, inquit, Jehovæ inter filios Elohim? Reſponſio eſt facilis, Principes ſecundum quid vocari hoc nomine: in Iſraële deſignari communem electionis gratiam: Angelos vocari deorum filios figurate, propterea quod ſpiritus ſint cæleſtes, & qui in beata immortalitate guſtum aliquem habent divinitatis. Verum quum David ſine adjectione ſe in Chriſti perſona Dei Filium appellat, ſingulare quiddam deſignat, & honore tam Angelorum quam Principum, nedum totius Iſraëlis excellentius. Alioqui impropria eſſet ac inepta loquutio, ſi per excellentiam vocaretur Dei Filius qui nihilo plus haberet quam alii: eximitur enim ex grege & numero aliorum. Quum ita excluſive hoc dictum ſit de Chriſto, Filius meus es tu: ſequitur nulli Angelorum convenire talem honorem. Si quis rurſum excipiat, Davidem quoque hoc modo ſupra Angelos evehi: reſpondeo, nihil eſſe abſurdi ſi Angelis præferatur, quatenus imago eſt Chriſti: quemadmodum nulla fiebat Angelis injuria, quum ſummus ſacerdos mediator vocabatur qui peccata expiaret. Neque enim id habebant proprio jure: ſed quum referrent Chriſti regnum, nomen quoque ab ipſo mutuabantur. Quin etiam Sacramenta, quum res ſint per ſe mortuæ, inſigniuntur titulis quos Angeli ſibi abſque ſacrilegio non arrogarent. Hinc apparet validum eſſe argumentum à Filii nomine. De generatione ſic breviter habendum eſt: relative hoc loco accipi. Frivola enim Auguſtini argutia eſt, qui Hodie æternum & continuum fingit. Chriſtus certe æternus eſt Dei Filius: quia ſapientia ejus eſt ante tempus genita. ſed hoc nihil ad præſentem locum, ubi reſpectus habetur ad homines: à quibus agnitus

Pſal. 82. verſ. 6.
Jer. 31. verſ. 9.

tus ſuit Chriſtus pro Filio Dei, poſtquam eum Pater manifeſtavit. Hæc igitur declaratio, cujus etiam Paulus meminit ad Romanos cap. 1. v. 4. ſpecies quædam fuit æternæ (ut ita loquar) generationis. Nam arcana illa & interior quæ præceſſerat, hominibus erat incognita: nec in rationem venire poterat, niſi eam Pater viſibili revelatione approbaſſet. *Ero illis in patrem.* In hoc etiam ſecundo teſtimonio valere debet illa obſervatio, tametſi deſignetur hic Solomo, qui alioqui erat Angelis inferior, tamen ipſum ex communi omnium ordine ſegregari, quum Deus ſe promittit illi fore in patrem. Neque enim illi in patrem futurus erat tanquam uni ex Principibus: ſed tanquam ei qui reliquos omnes ſupereminet. Privilegio igitur eodem quo Filius conſtituitur, omnes alii excluduntur à pari honore. Porro non aliter id de Solomone eſſe dictum, niſi quatenus Chriſtum figurabat, patet ex loci contextu: nam & totius mundi imperium Filio cujus illic fit mentio, deſtinatur, & aſſeritur imperii perpetuitas. Conſtat autem ex adverſo, regnum Solomonis anguſtis finibus fuiſſe incluſum: & adeo non fuiſſe diuturnum, ut ſtatim poſt ejus mortem acciſum, aliquanto poſt tempore conciderit. Atqui in Pſalmo citantur teſtes ſol & luna, juratque Dominus quamdiu in cælo fulgebunt, regnum illud ſtaturum incolume. contra vero regnum Davidis brevi temporis ſpatio collapſum, tandem prorſus interiit. Deinde ex compluribus Prophetarum locis colligere promptum eſt, illam promiſſionem nunquam aliter quam de Chriſto fuiſſe acceptam: ut cavillari nemo queat, eſſe iſtud novum commentum. nam & inde invaluerat vulgo apud Judæos hic uſus, ut Chriſtum appellarent Filium Davidis.

6. *Rurſus autem quum introducit Filium.*] Nunc alia ratione Chriſtum ſupra Angelos attollit: quia jubeantur Angeli ipſum adorare. Sequitur enim, ipſorum eſſe caput ac principem. Verum videri poſſit perperam hoc ad Chriſtum torquere quod ſimpliciter de Deo prædicatur. Si reſpondeamus Chriſtum eſſe Deum æternum, ideoque jure in eum competere quæcunque Dei ſunt: nondum omnibus ſatisfactum erit: parum enim ad rei dubiæ probationem valeret, ex communibus Dei elogiis in hac cauſa argumentari. Agitur enim de Chriſto in carne manifeſtato: & nominatim dicit Apoſtolus, ita loquutum Spiritum, quum introducitur in orbem. quod non eſſet vere dictum, niſi proprie Pſalmus de Chriſti manifeſtatione diſſerat. Et ſane ita eſt: exordium enim Pſalmi, exhortatio eſt ad lætitiam. Neque Judæos alloquitur David: ſed totam terram uſque ad inſulas, hoc eſt, tranſmarinas regiones. Ratio punitur: quia Dominus regnabit. Si deinde totum Pſalmum percurras, nihil aliud videbis quam regnum Chriſti quod ab Euangelii publicatione cœpit. nec aliud eſt argumentum Pſalmi, quam velut ſolenne diploma quo in ejus regni poſſeſſionem mittitur Chriſtus. Porro quæ lætitiæ materia ex ejus regno, niſi toti mundo ſalutare foret, hoc eſt, tam Gentibus quam Judæis? Quamobrem apte hic Apoſtolus, quum dicit ipſum introduci in orbem: quia ſcilicet illic ejus ad homines adventus deſcribitur. Cæterum vox Hebraica, pro qua hic Angelos reddidit, eſt Elohim, quæ & deos ſignificat. Sed minime dubium quin de Angelis loquatur Propheta: quia ſenſus eſt, nullam eſſe tam ſublimem potentiam quæ non ſubjici debeat hujus Regis imperio, cujus adventus totum orbem exhilarare debet.

Pſal. 104. verſ. 4. 7. Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.

Pſal. 45. verſ. 7. 8. Ad Filium vero, Thronus tuus, ô Deus, in ſeculum ſeculi: virga directionis, virga regni tui.

9. Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

7. *Ad Angelos quidem.*] Ad Angelos, pro De Angelis. ſed locus quem citat, videtur in alienum ſenſum trahi. Nam quum illic David ordinem deſcribat quem in mundi adminiſtratione cernimus: nihil certius eſt quam hic fieri mentionem ventorum, quos dicit à Domino fieri nuncios, quia pro curſoribus illis utatur: quemadmodum fulminibus dum terram perluſtrat, quam celeres & expeditos ad obeunda ſua juſſa miniſtros habeat, oſtendit. nihil hoc ad Angelos pertinet. Quidam ad allegoriam confugiunt, quaſi Apoſtolus apertum & literalem (ut vocant) ſenſum allegorice de Angelis exponeret. Mihi autem magis placet, hoc teſtimonium ſic adductum eſſe, ut per ſimilitudinem Angelis accommodetur, hoc modo, David Angelis comparat ventos, ut hic in mundo idem exerceant officium quod in cælo Angeli: ſunt enim venti quaſi viſibiles ſpiritus. Et ſane quemadmodum Moſes in creatione mundi tantum ea commemorat quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, & tamen vult ſuperiora etiam intelligi: ſic David in illa mundi & naturæ deſcriptione, quaſi in tabula nobis depingit quod etiam ex ordine cæleſti intelligendum eſt. Quare argumentum à ſimili eſſe puto, quum ad Angelos transfert Apoſtolus quod proprie de ventis dictum eſt.

8. *Ad Filium vero.*] Fatendum eſt quidem de Solomone hunc Pſalmum fuiſſe compoſitum inſtar epithalamii: quia illic celebratur ejus conjugium cum filia Regis Ægypti. Sed negari rurſus non poteſt, quod hic refertur, multo eſſe excelſius quam ut in Solomonem competat. Judæi ne cogantur agnoſcere Chriſtum eſſe Deum, cavillantur dici thronum Dei; vel ſubaudiendum eſſe verbum Stabilivit. Ita ſecundum priorem expoſitionem, nomen אלהים vertendum foret *thronus tuus*, in genitivo caſu Thronus Dei. Altera expoſitio fingit orationem defectivam. verum apparet eos quærere mera effugia. Quiſquis ergo compoſito animo, & citra rixandi ſtudium hunc verſum leget, non inficiabitur Meſſiam vocari Deum. Nec eſt quod excipias, nomen hic poni Angelis & judicibus promiſcuum. nuſquam enim legitur uni & ſimpliciter attributum, niſi ſoli Deo. Præterea ut de voce non pugnem: cujus thronus in perpetuum ſtabilis prædicabitur, niſi ſolius Dei? ergo regni perpetuitas teſtimonium eſt divinitatis. Poſtea ſceptrum regni Chriſti, vocatur ſceptrum rectitudinis. cujus rei in Solomone quædam fuerunt lineamenta, ſed obſcura: quatenus ſcilicet juſtum & æquitatis ſtudioſum Regem ſe præſtitit. Sed rectitudo in regno Chriſti latius patet: quia ſcilicet Euangelio ſuo, quod ſceptrum eſt ſpirituale, nos in Dei juſtitiam reformat. Idem & de directione juſtitiæ ſentiendum. ideo enim quia diligit, facit ut in ſuis regnet.

9. *Propterea unxit.*] Hoc quidem vere de Solomone dictum fuit: qui ideo Rex creatus eſt quod Deus ipſum reliquis fratribus prætulit, qui alioqui æquales erant, & perinde ut ipſe, Regis filii. Sed hoc in Chriſtum magis proprie competit, qui nos ſibi adoptavit conſortes, tametſi jure proprio non eramus. Unctus autem fuit ſupra nos omnes, quia ſine menſura, nos autem ad certam quiſque portionem,

nem,

nem, prout ſingulis ipſe diſtribuit. Deinde noſtra cauſa unctus fuit, ut hauriamus omnes ex ejus plenitudine. Quare ipſe Chriſtus, nos ab eo Chriſtiani, quaſi rivuli à fonte: quia vero unctionem hanc in carne ſua recepit Chriſtus, ideo dicitur hic unctus à Deo ſuo. Abſurdum enim eſſet Deo ſubjici, niſi humanæ naturæ reſpectu.

10. Et tu ab initio, Domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Pſal. 102. verſ. 26. 11. Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes quaſi veſtimentum veteraſcent:

12. Et tanquam amictum involves eos, & mutabuntur: tu autem idem es, & anni tui non deficient.

Pſal. 110. verſ. 1. 13. Ad quem vero Angelorum dixit unquam, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

14. Annon omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?

10. *Et tu ab initio.*] Hoc teſtimonium prima ſpecie ad Chriſtum inepte trahi videri poſſet, præſertim in cauſa dubia qualis hic tractatur. neque enim diſputatio eſt de gloria Dei, ſed quid proprie Chriſtu conveniat. atqui nulla illic Chriſti mentio, ſed nuda proponitur Dei majeſtas. Fateor quidem, toto Pſalmo non nominari Chriſtum. ſed palam eſt ita deſignari, ut nemo dubitet, ex profeſſo nobis commendari ejus regnum. Itaque accommodanda ſunt ejus perſonæ quæcunque illic habentur. Non enim hoc niſi in Chriſto impletum eſt, Tu exurgens miſereberis Sion, ut timeant Gentes nomen tuum, & omnes Reges terræ gloriam tuam. Item, Quum populi congregati fuerint ſimul, & regna ut ſerviant Domino. Fruſtra certe hunc Deum per quem totus mundus in unam fidem ac Dei cultum coaluit, niſi in Chriſto quæramus. Ergo reliqua etiam quæ in Pſalmo continentur, apte quadrant Chriſti perſonæ: atque hoc inter alia, quod Deus eſt æternus, cæli & terræ creator: quod illi perpetuitas tribuitur ab omni mutatione exempta, quo & ejus majeſtas extollitur in ſummum faſtidium, & ipſe ab ordine omnium creaturarum eximitur. Quod David cælos perituros docet, ita quidam reſolvunt, Etiamſi ita contingeret: quaſi nihil affirmet. Verum quid opus eſt hac coacta expoſitione, quum ſciamus creaturas omnes vanitati eſſe ſubjectas? quorſum enim renovatio, quam cæli quoque veluti parturientium deſiderio expectant, niſi quod ad interitum nunc inclinant? Cæterum perpetuitas Chriſti quæ hic commendatur, eximiam affert piis conſolationem, quos ejus fore participes Pſalmus tandem concludit. quemadmodum Chriſtus ſe & ſua corpori ſuo communicat.

13. *Ad quem Angelorum.*] Rurſus alio teſtimonio Chriſti præſtantiam extollit: ut inde pateat quantum emineat ſupra Angelos. Locus eſt ex Pſal. 110. verſ. 1. qui nonniſi de Chriſto exponi poteſt. Nam quum Regibus nefas fuerit attingere ſacerdotium,
2 Par. 22. verſ. 18. teſte Uziæ lepra: & conſtet neque Davidem, neque alium quempiam ex regni ſucceſſoribus ſacerdotem fuiſſe ordinatum: ſequitur, tam novum regnum quam novum ſacerdotium hic induci, quum idem Rex & Sacerdos conſtituitur. Præterea æternitas ſacerdotii in ſolum Chriſtum competit. Jam initio Pſalmi collocatur ad Dei dexteram. quæ loquutio (ut jam dixi) perinde valet acſi daretur illi ſecundus à Patre locus. Eſt enim metaphora, quæ ſignificat illum Patris eſſe vicarium, & primarium legatum in poteſtate exercenda, ut Pater regnet per manum ejus. Nemo eſt Angelorum qui tam honorificam perſonam ſuſtineat. ergo longe omnibus præcellit Chriſtus. *Donec ponam.* Quoniam nunquam deſunt hoſtes Chriſto qui regnum ejus oppugnent, videri poſſet non eſſe extra periculum: præſertim quum polleant magnis viribus qui illud evertere moliuntur, varias habeant artes, furioſo rurſum impetu omnia conentur. Certe ſi reputemus quæ ſunt ante oculos, videtur ſubinde ruiturum Chriſti regnum. Sed hæc promiſſio metum nobis omnem adimit, quod nunquam detrahetur Chriſtus ex ſua ſede: quin potius hoſtes ſuos omnes proſternet. Duo igitur hæc notanda ſunt, nunquam quietum fore Chriſti regnum, ſed multos fore illi infeſtos à quibus turbetur: deinde quicquid agant hoſtes, nunquam prævalituros: quia Chriſti ſeſſio ad Patris dexteram non eſt temporaria, ſed uſque ad finem mundi. itaque omnes qui ejus imperio ſe non ſubmiſerint, proterendos eſſe & pedibus ejus calcandos. Si quis autem roget an tunc finiendum ſit Chriſti regnum quum hoſtes ſuos proſtraverit: reſpondeo, perpetuum quidem fore, ſed eo modo quem Paulus declarat prioris ad Corinthios cap. 15. v. 25. Sic enim habendum eſt, Deum tunc nobis in ſeipſo apparituram, qui nunc in Chriſto tantum vult cognoſci. Neque tamen deſinet Chriſtus caput eſſe hominum & Angelorum: nec propterea quicquam ex ejus honore minuetur. verum hujus quæſtionis ſolutio ex eo loco petenda eſt.

14. *Annon omnes.*] Quo melius eluceat comparatio, nunc ſubjicit qualis ſit conditio Angelorum. Quod *Spiritus* vocat, id quidem eſt excellentiæ. nam hac parte ſuperiores ſunt corporeis creaturis. Sed *λειτουργίαν* quam ipſis continuo poſt aſſignat, cogit eos in ordinem: utpote quæ oppoſita eſt dominio. idque expreſſius declarat quum dicit *In miniſterium.* Prius enim epitheton perinde valet acſi dixiſſet, eſſe officiarios. Miniſtri vero nomen humilius eſt ac abjectius. Eſt quidem honorifica ſervitus quam injungit Deus Angelis: hoc tamen ipſo quod ſerviunt, patet longe diſpares eſſe Chriſto qui dominus eſt omnium. Si quis objiciat, Chriſtum ſimiliter vocari compluribus locis & ſervum & miniſtrum, nec Dei modo, ſed noſtrum quoque: ſolutio in promptu eſt, non eſſe hoc naturæ, ſed voluntariæ exinanitionis, quemadmodum teſtatur Paulus: & interea manere illi nihi- Phil 2.
lominus illibatum ſuum principatum. contra autem verſ. 7.
Angelos in hunc finem creatos eſſe ut ſerviant, totamque eorum conditionem miniſterio contineri. Ergo magnum eſt diſcrimen: quia quod his naturale eſt, Chriſto eſt quaſi adventitium, carnis noſtræ quam induit reſpectu. quod illis eſt neceſſarium, hic ſponte ſubiit. Præterea ſic miniſter eſt Chriſtus, ut nihil illi ex imperii majeſtate decedat, etiam in carne. Ex præſenti loco eximiam conſolationem percipiunt fideles, quum miniſtros ſibi attribui audiunt cæleſtes exercitus, ut ſalutem ipſorum procurent. Eſt enim non vulgare divini in nos amoris pignus, haberi illos noſtra cauſa aſſiduos in opere. Hinc etiam manat rara fidei confirmatio, quod ſalus noſtra talibus præſidiis munita, ſit extra periculum. Optime ergo infirmitati noſtræ conſulit Deus quum tales dat nobis adjutores qui Satanæ nobiſcum reſiſtant, ſuamque operam nobis omnibus impendant ad nos tuendos. Sed hoc beneficio electos ſuos pecu-

liariter dignatur. ergo ut Angeli, noſtri ſint, Chriſti membra nos eſſe oportet. Quanquam poſſent ex adverſo objici Scripturæ teſtimonia, unde conſtat reproborum etiam cauſa Angelos interdum emitti.
Dan. 10. verſ. 20. Nam apud Danielem commemorantur Angeli Perſarum & Græcorum. Sed reſpondeo, ita Angelorum ope illos fuiſſe adjutos, ut Dominus hoc modo populi ſui ſalutem promoveret. Succeſſus enim & victoriæ quas obtinebant, ſemper ad Eccleſiam tanquam ad ſcopum ſuum referebantur. Hoc certum eſt, quia exulamus à regno Dei per peccatum, nullam nobis cum Angelis eſſe communicationem, niſi reconciliatione per Chriſtum facta: idque in ſcala quæ in viſione Patriarchæ Jacob propoſita fuit, cernere licet. Geneſ. 28. verſ. 12.

Cap. II.

QUamobrem oportet nos magis attendere iis quæ audimus, ne quando diffluamus.

2. Si enim qui per Angelos enunciatus erat ſermo, firmus fuit, & omnis transgreſſio & inobedientia juſtam accepit repenſionem mercedis:

3. Quomodo nos effugiemus tanta neglecta ſalute? quæ quum initio cœpiſſet enarrari per Dominum, ab iis qui audierant, erga nos confirmata fuit:

4. Simul atteſtante Deo ſignis & prodigiis & virtutibus variis & diſtributionibus Spiritus ſancti ſecundum ejus voluntatem.

1. *Quamobrem oportet.*] Jam declarat quorſum hactenus ſpectaverit, Chriſtum cum Angelis comparando: nempe ut ejus doctrinæ ſummam auctoritatem comparet. Nam ſi Lex quæ per Angelos data fuit, non debuit contemptim recipi, & ejus transgreſſio gravibus pœnis ſancita fuit: quid futurum eſt, inquit, Euangelii contemptoribus, quod & Filium Dei habet auctorem, & tot miraculis fuit confirmatum? Hæc ſumma eſt, quo major eſt Chriſti dignitas quam Angelorum, eo plus reverentiæ deberi Euangelio quam Legi. ita ab auctoris perſona doctrinam commendat. Si cui autem videatur abſurdum, quum utraque doctrina, tam Legis quam Euangelii ex Deo ſit, alteram alteri præferri, quaſi Lege poſthabita imminuatur Dei majeſtas: reſponſio facilis eſt, ſemper quidem æque audiendum quoties loquitur: quo tamen plenius ſe nobis manifeſtat, æquum eſſe ut pro modo revelationis ſimul creſcat timor, & obediendi ſtudium. non quod Deus ſeipſo minor ſit uno tempore quam alio: ſed quia nos ejus magnitudinem non æqualiter ſemper agnoſcimus. Exoritur etiam hic quæſtio, annon Lex etiam data ſit per manum Chriſti: quod ſi ita eſt, videtur abſurdum eſſe argumentum Apoſtoli. Reſpondeo, in hac comparatione haberi rationem hinc occultæ, illinc manifeſtæ revelationis. Jam quum in Lege fere oda Chriſtus obſcure ſe & quaſi ſub involucris inſinuaverit: non mirum eſt ſi præterita ejus mentione, dicatur per Angelos allata. neque enim palam illic apparuit. At vero in Euangelii promulgatione conſpicua fuit ejus gloria, ut jure cenſeatur ejus auctor. *Ne quando diffluamus.* Si mavis, Præterfluamus. quanquam in ea re parum eſt momenti: quia ex antitheto verus ſenſus colligi poteſt. Nam *attendere* & præterfluere ſunt oppoſita. prius ſignificat Continere, ſecundum vero inſtar cribri aut pertuſi dolii effundere quicquid injectum eſt. Neque enim eorum opinionem probo qui pro Interire accipiunt. qualiter dicitur ſecundi Samuelis 14. v. 14. Omnes perimus, & quaſi aqua dilabimur. Potius (ut dixi) conſideranda eſt antitheſis inter attentionem & profuſionem. nam attenta mens ſimilis eſt vaſi bene obſtructo: vaga autem & ignava, perforato.

2. *Firmus fuit.*] Hoc eſt, obtinuit pondus ſuum: quia Deus fidem illi aſſeruit. quod ex ſanctionibus melius patet: quia nemo impune contempſit Legem. Ergo firmitas hæc auctoritatem ſignificat: & quod de pœnis additur, expoſitive intelligi debet, quia doctrinam minime inanem vel irritam eſſe conſtat, cujus Deus vindicem ſe oſtendit.

3. *Tanta neglecta ſalute*] Non tantum Euangelii rejectio, ſed etiam neglectus graviſſimam pœnam meretur: nempe pro magnitudine gratiæ quæ illic offertur. Ideo dicit, Tanta ſalute. Deus enim dona ſua vult à nobis pro dignitate æſtimari. Ergo quo pretioſiora ſunt, eo fœdior eſt noſtra ingratitudo, ſi pretium ſuum apud nos non habent. Denique quantus eſt Chriſtus, tam ſevera erit Dei vindicta in omnes Euangelii contemptores. Et obſerva Salutis nomen hîc metonymice ad doctrinam transferri. quia ſicuti non aliter Dominus ſalvos vult fieri homines, quam per Euangelium: ita ipſo neglecto reſpuitur omnis Dei ſalus: potentia enim Dei eſt in ſalutem credentibus. Rom. 1. verſ. 16. Ergo qui alibi ſalutem quærit, vult eam conſequi alia quam Dei virtute: quod nimiæ eſt dementiæ. Hoc vero encomium non modo ad Euangelii commendationem valet, ſed eſt eximia fidei noſtræ fultura: quia teſtatur verbum minime eſſe inane, ſed in eo contineri certam ſalutem. *Quæ quum initio.* Hic Filium Dei primum Euangelii præconem Angelis opponit, & ſimul anticipatione utitur ad tollendam dubitationem quæ multis obrepere poterat. Neque enim edocti erant ore Chriſti ipſius: quem magna ex parte nunquam viderant. Si ergo ſolos homines intuiti eſſent, quorum magiſterio adducti erant ad fidem, minoris feciſſent quod ab illis didicerant. Ergo admonet Apoſtolus, à Chriſto nihilominus profectam eſſe doctrinam, quæ ſibi per aliorum manus fuit tradita. Dicit enim fuiſſe Chriſti diſcipulos, qui à Chriſto ſibi mandata fideliter pertulerint. Ideo verbum *confirmandi* uſurpat: acſi diceret, non fuiſſe rumorem ſparſum ſine capite, vel à dubiæ fidei teſtibus, ſed qui graves habeat auctores. Cæterum hic locus indicio eſt, Epiſtolam à Paulo non fuiſſe compoſitam. neque enim tam humiliter loqui ſolet ut ſe unum fateatur ex Apoſtolorum diſcipulis. neque id ambitione: ſed quia improbi ejuſmodi prætextu, tantundem detrahere ejus doctrinæ moliebantur. Apparet igitur non eſſe Paulum qui ex auditu ſe habere Euangelium ſcribit, non autem ex revelatione.

4. *Simul atteſtante.*] Præterquam quod habebant à Filio Dei Apoſtoli quod prædicarunt, Dominus etiam miraculis tanquam ſolenni ſubſcriptione, eorum prædicationem approbavit. Ergo injuriam faciunt non tantum verbo Dei, ſed etiam operibus, qui non reverenter amplectuntur Euangelium quod talibus teſtimoniis commendatur. Tribus nominibus miracula deſignat, ad majorem amplificationem. Porro *ſigna* ideo vocantur, quod hominum mentes excitant ad conſiderandum altius quiddam quam quod apparet: *Prodigia* autem, quod novum aliquid & inuſitatum continent: *Virtutes*, quod Dominus in illis ſingulare & extraordinarium virtutis ſuæ ſpecimen edit. In vocabulo

Atte-

Atteſtandi, notatur rectus miraculorum uſus, nempe quod ſtabiliendo Euangelio ſervire debent. Fere enim omnia quibuſcunque ſeculis edita fuerint miracula, hunc finem habuiſſe reperiemus, ut verbi Dei eſſent ſigilla. Quo magis præpoſtera eſt Papiſtarum ſuperſtitio, qui ſictitia ſua miracula ad veritatem Dei labefactandam detorquent. Conjunctio *σὺν* vel Simul, hunc habet ſenſum, nos in fide Euangelii confirmari ſymphonia quadam Dei & hominum: quoniam miracula Dei quaſi teſtimonii vice, cum hominum voce conſentiant. Addit *Spiritus ſancti diſtributiones*, quibus etiam ornata fuit Euangelii doctrina, cujus appendices fuerunt. Quorſum enim diſtribuit Deus Spiritus ſui dona, niſi partim ut illius promulgandæ adjumenta eſſent, partim vero ut admiratione permoverent hominum animos ad obſequendum? unde Paulus dicit, linguas eſſe in ſignum infidelibus. Particula *Secundum ejus voluntatem*, admonet virtutes iſtas quarum meminit, non poſſe adſcribi niſi Deo: nec temere fuiſſe editas, ſed certo ejus conſilio, ut Euangelii fidem obſignarent.

5. Non enim Angelis ſubjecit orbem futurum de quo loquimur.

6. Teſtatus eſt autem quidam alicubi, dicens, Quid eſt homo quod memor es ejus? *Pſal. 8: 5.*
aut filius hominis, quod viſitas eum?

7. Minuiſti eum paululum ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Subjiciendo certe illi c.nnia, nihil reliquit non ſubjectum. atqui nunc nondum videmus illi omnia ſubjecta.

9. Jeſum autem qui paululum imminutus fuit ab Angelis, intuemur propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.

5. *Non enim Angelis.*] Alio argumento rurſus probat obediendum Chriſto eſſe: quia illi Pater totius orbis imperium contulit, à quo hooore procul abſunt Angeli. Unde ſequitur, nihil Angelicum debere eſſe impedimento quominus is qui primatum ſolus tenet, emineat. Sed primo loco excutiendus eſt Pſalmus quem adducit: quia videtur inepte ad Chriſtum trahi. Commemorat illic David beoeficia quibus humanum genus proſequitur Deus. Poſtquam enim in cælo & ſtellis conſideravit Dei potentiam, ad homines deſcendit, in quibus peculiariter apparet mirabilis ejus bonitas. Ergo non de uno quopiam homine loquitur, ſed de univerſis. Reſpondeo, hoc totum non obſtare quominus reſtringi debeant iſtæ ſententiæ ad Chriſti perſonam. Fateor quidem initio collocatum fuiſſe hominem in poſſeſſione mundi, ut omnibus Dei operibus præeſſet: verum ſua defectione promeruit ut dominio hoc abdicaretur. Hæc enim juſta in beneficiario ingratitudinis pœna eſt, ut Dominus quem agnoſcere & debita fide colere recuſat, jure prius à ſe conceſſo eum ſpoliet. Ergo ſimulatque Adam ſe per peccatum adeo alienavit, bonis omnibus quæ acceperat, merito privatus eſt. non quod uſum perdiderit, ſed quia jus legitimum retinere non potuit poſtquam Deum reliquerat. In uſu etiam ipſo Deus ſigna extare privationis voluit: quale eſt quod belluæ ferociter in nos inſurgunt, & quæ noſtrum conſpectum revereri debuerant, ſunt nobis formidabiles: quod ad obſequium aliæ nunquam, aliæ vix aſſueſcunt: quod nocent variis modis: quod terra culturæ non reſpondet: quod cælum, aër, mare, & alia nobis ſæpe infeſta ſunt. Verum ut omnes creaturæ in officio ſubjectionis manerent, quicquid tamen uſurpant filii Adæ, illis in furtum imputatur. quid enim ſuum eſſe dicent, quum ipſi Dei non ſint? Hoc jacto fundamento, patet iſtam Dei beneficentiam nihil ad nos pertinere, donec per Chriſtum reſtitutum fuerit jus quod in Adam perdidimus. qua ratione docet
1 Tim. 4. verſ. 5. Paulus, ſanctificari nobis cibos per fidem: & alibi pronunciat infidelibus nihil eſſe mundum, quia
Tit. 1: 15. pollutam habeant conſcientiam. Hoc eſt quod habuimus initio hujus Epiſtolæ, Chriſtum à Patre ordinatum eſſe hæredem univerſorum. Certe totam uni hæreditatem vendicando, reliquos omnes excludit tanquam alienos. & merito: exulamus enim omnes à regno Dei. quæ ergo ſuis domeſticis alimenta deſtinavit, ad nos rapere fas non eſt. At Chriſtus per quem in familiam cooptamur, ſimul in ſocietatem juris ſui nos admittit, ut toto mundo cum Dei benedictione fruamur. Unde &
Rom. 4. verſ. 13. Paulus fide docet Abraham factum eſſe hæredem mundi: quatenus ſcilicet in Chriſti corpus inſitus fuit. Quod ſi ab omni Dei beneficentia arcentur homines, donec per Chriſtum facti compotes fuerint: ſequitur, dominium illud cujus Pſalmus meminit, nobis periiſſe in Adam: ideoque deintegro oportere nobis donationem inſtaurari. Porro inſtauratio à Chriſto tanquam à capite incipit. Non eſt ergo dubium quin reſpicere in ipſum debeamus quoties agitur de hominis principatu in omnes creaturas. Huc quoque pertinet quod nominatim dixit Apoſtolus, *Orbem futurum*: accipit enim pro renovato. Quod ut clarius fiat, concipiamus animis duplicem mundum: priorem vetuſtum, qui peccato Adæ corruptus eſt: alterum ordine poſteriorem, ut eſt per Chriſtum inſtauratus. Status enim primæ creationis obſolevit, & una cum homine cecidit quod ad ipſum hominem. Ergo quoad nova fiat reſtitutio per Chriſtum, Pſalmus hic locum non habebit. Nunc apparet non vocati orbem futurum duntaxat qualem è reſurrectione ſperamus, ſed qui cœpit ab exordio regni Chriſti: complementum vero ſuum habebit in ultima redemptione. Cæterum cur nomen Davidis ſuppreſſerit, mihi non conſtat. Certe *quendam* non contemptim, ſed honoris cauſa, tanquam unum ex Prophetis vel claſſicis ſcriptoribus appellat.

7. *Minuiſti eum paululum ab Angelis.*] Nunc in verborum expoſitione emergit nova difficultas. Jam quidem oſtendi locum apte exponi de Filio Dei: ſed nunc videtur Apoſtolus verba trahere in diverſum ſenſum quam intellexerit David. Nam βραχύ τι videtur ad tempus referre, ut ſit Pauliſper: & imminutionem intelligit, quum exinanitus fuit Chriſtus: & gloriam ad reſurrectionis diem reſtringit, quum David generaliter extendat ad totam hominis vitam. Reſpondeo, non fuiſſe propoſitum Apoſtolo, genuinam verborum expoſitionem referre. Nihil enim eſt incommodi, ſi alluſiones in verbis quærat ad ornandam præſentem cauſam. quemadmodum Paulus quum Roman. 10. verſ. 6. teſtimonium citat ex Moſe, Quis aſcendet in cælum, &c. ſtatim non interpretationem ſed exornationem attexit, de cælo & inferis. Mens Davidis hæc eſt, Domine, eo dignitatis extuliſti hominem, ut parum diſtet à divino vel Angelico honore: quandoquidem præfectus eſt toti mundo. Hunc ſenſum noluit evertere Apoſtolus, neque alio deflectere: ſed tantum in Chriſto conſiderare jubet diminutionem quæ ad exiguum tempus apparuit, deinde gloriam qua in perpetuum coronatus eſt. idque facit alludens magis ad verba, quam exprimens

quid intellexerit David. *Memorem eſſe* & *viſitare* pro eodem accipit: niſi quod ſecundum aliquanto plenius eſt, quia Dei præſentiam ab effectis deſignat.

8. *Subjiciendo certe illi omnia.*] Poſſet aliquis putare tale eſſe argumentum, Homini de quo loquitur David, omnia ſubjiciuntur. atqui humano generi non ſunt omnia ſubjecta. ergo non de quolibet homine ſermo eſt. Verum non ſtaret hoc argumentum, quia minor etiam Chriſto convenit. Nam ne huic quidem ſubjecta ſunt adhuc omnia: ſicuti Paulus tractat, prioris ad Corinth. 15. v. 28. quare alius eſt contextus, Nam poſtquam illud poſuit, Chriſtum ſine exceptione dominari omnibus creaturis, vice contrariæ objectionis addit, Atqui nondum omnia parent Chriſti imperio. cui ut ſatisfaciat, docet in Chriſto tamen jam cerni completum quod continuo poſt ſequitur de *gloria & honore.* acſi dixiſſet, Tametſi nondum univerſalis illa ſubjectio nobis patet, contenti ſimus quod morte obita, in ſupremum honoris gradum fuerit evectus. nam quod adhuc deeſt, tandem ſuo tempore complebitur. Sed primum hoc quoſdam offendit, quod nimis argute colligit Apoſtolus, nihil eſſe non ſubjectum Chriſto, quoniam generaliter omnia comprehendat David. Nam ſpecies quas poſtea enumerat, nihil tale oſtendunt: nempe agreſtia animalia piſces maris, & aves cæli. Reſpondeo, generalem ſententiam non debere ad iſtas ſpecies reſtringi: quia nihil aliud voluit David quam dominationis illud ſpecimen monſtrare in rebus maxime conſpicuis: vel certe extendere ad res uſque infimas, ut ſciamus nihil eſſe noſtrum niſi Dei beneficio & Chriſti participatione. Quare ſic orationem reſolvere liceat, Omnia ſubjeciſti, non modo quæ ad æternam beatitudinem faciunt, ſed uſque ad hæc minuta quæ ſerviunt corporis uſibus. Quicquid ſit, inferius iſtud in animalia dominium ex ſuperiore pendet. Quæritur jam quomodo neget videre nos omnia Chriſto ſubeſſe. ſed hujus quæſtionis ſolutionem invenies in loco Pauli nuper citato. Et primo capite hujus Epiſtolæ aliquid attigimus. quia aſſiduum cum variis hoſtibus bellum gerit Chriſtus, nondum illi certe conſtat tranquilla regni ſui poſſeſſio. Quanquam neceſſitate non cogitur ad bellandum. ſed hoc fit ejus voluntate quod non ſubiguntur hoſtes ejus uſque ad extremum diem: ut nos talibus exercitiis probemur.

9. *Jeſum autem qui paululum imminutus fuit.*] Quia ambigua eſt hujus particulæ ſignificatio βραχύ, rem ipſam qualis extitit in Chriſti perſona, magis intuetur quam germanam verborum expoſitionem, uti jam dixi. Et gloriam in reſurrectione conſiderandam proponit, quam David extendit ad omnes dotes quibus Dei beneficentia ornatus eſt homo. Verum nihil in hac exornatione eſt abſurdi, quæ ſenſum literalem integrum relinquit. *Propter paſſionem mortis*, tantundem valet acſi dictum eſſet, Chriſtum obita morte ad hanc gloriam quam adeptus eſt, fuiſſe evectum: ſicut & Paulus docet ad Philippenſ. cap. 2. v. 8. non quod ſibi quicquam privatim acquiſierit Chriſtus, ſicut ſophiſtæ fingunt, primo ſibi vitam æternam fuiſſe promeritum, deinde nobis: medium enim (ut ita loquar) obtinendæ gloriæ tantummodo indicatur. Porro in hoc coronatus gloria Chriſtus eſt, ut omne genu coram eo flectatur. Itaque à cauſa finali ratiocinari licet, omnia illi in manum eſſe data. *Ut gratia Dei.* Cauſam fructumque mortis Chriſti refert, nequid putetur ejus dignitati detrahere. Nam quum audimus tantum boni nobis partum eſſe, nullus deſpectus locus relinquitur, quia totum occupat divinæ bonitatis admiratio. Quum dicit, *Pro omnibus*, non tantum intelligit ut aliis exemplo eſſet: quemadmodum Chryſoſtomus ſimilitudinem medici adducit, qui potionem amaram prægustat, ne recuſet ægrotus bibere: ſed intelligit Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, quia vicem noſtram ſubeundo, à mortis maledictione nos redemit. Et ideo additur, Gratia Dei id eſſe factum: quia redemptionis cauſa fuit immenſus ille erga nos Dei amor, quo factum eſt ut ne proprio quidem Filio pepercerit. Quod Chryſoſtomus *guſtare mortem* exponit, quaſi ſummis labris delibare, eo quod Chriſtus victor è morte emerſerit, non refello, neque improbo. quanquam neſcio an adeo ſubtiliter loqui voluerit Apoſtolus.

Philip 2. verſ. 10.

10. Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, quum multos filios in gloriam adduceret, ducem ſalutis eorum per paſſiones conſecrare.

11. Nam qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes: propter quam cauſam non erubeſcit fratres ipſos vocare,

12. Dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ canam te.

Pſal. 22. verſ. 22. Pſ. 18: 3. Jeſ. 8. verſ. 18.

13. Et rurſum, Ego ero fidens in ipſo. Et rurſum, Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.

10. *Decebat enim.*] Hic ſtatus eſt, ut Chriſti humiliationem apud pios glorioſam reddat. nam quum induiſſe carnem noſtram dicitur, videtur vulgo hominum aggregari. Crux autem infra omnes homines eum dejicit. ergo cavendum ne minor cenſeatur Chriſtus, quia ſponte ſe propter nos exinanivit. quod nunc agitur. Nam oſtendit Apoſtolus hoc ipſum debere Filio Dei eſſe honorificum, quia ita conſecratus ſit dux ſalutis noſtræ. Principio iſtud pro confeſſo ſumit, ſtandum eſſe Dei decreto: quia ſicuti ejus virtute ſuſtinentur omnia, ita illius gloriæ ſervire debeant. Ergo non alia melior cauſa inveſtiganda eſt, quam ita placuiſſe Deo. Huc pertinet periphraſis qua utitur, *Propter quem, & per quem omnia.* Poterat uno verbo Deum appellare: ſed admonere voluit pro optimo id habendum quod ſtatuit ipſe, cujus & voluntas & gloria rectus eſt omnium finis. Nondum tamen videtur conſtare quod intendit, decuiſſe Chriſtum hoc modo conſecrari: ſed hoc pendet ex ordinaria ratione quam Deus in tractandis ſuis tenet. Vult enim eos variis ærumnis exerceri, totamque vitam ſub cruce degere. Chriſtum ergo, ut eſt primogenitus, oportuit cruce inaugurari in ſuum primatum: quando iſta eſt communis omnium lex & conditio. Hæc eſt conformatio capitis cum membris, de qua differit Paulus ad Romanos capite 8. v. 29. Hæc autem eſt eximia conſolatio ad mitigandam acerbitatem crucis, quum audiunt fideles miſeriis & tribulationibus ſe una cum Chriſto ſanctificari in gloriam: adeoque vident cauſam eſſe cur amanter oſculentur potius crucem quam horreant. Id porro fieri nequit quin opprobrium crucis Chriſti protinus abſorbeatur, & gloria refulgeat. Quis enim vilipendat quod ſacrum eſt, imo quod Deus ſanctificat? quis ignominioſum ducat quo præparamur ad gloriam? Atqui utrumque hic de Chriſti morte prædicatur. *Per quem omnia.* Quum de creatione agitur, hoc Filio tribuitur quaſi proprium, quod per ipſum creata ſint omnia: ſed hic nihil aliud ſignificat Apoſtolus quam ſtare omnes creaturas, vel conſervari in ſuo ſtatu Dei virtute. Ubi nos *conſecrare* vertimus, alii reddunt Perficere. Sed quum verbum τελειῶσαι, quo uſus eſt, ambiguæ ſit ſignificationis, perſpicuum eſſe arbitror quam poſui melius contextui quadrare.

Nam

Nam ſolennis quædam & legitima ordinatio notatur, qua initiantur filii Dei, ut gradum ſuum obtineant, adeoque ſeparentur à reliquo mundo: & mox ſubjicitur mentio ſanctificationis.

11. *Nam qui ſanctificat.*] Probat quod dixerat, decuiſſe impleri in Chriſti perſona, propter conjunctionem ipſius cum membris. Et interea docet ſingulare hoc eſſe ſpecimen divinæ bonitatis, quod carnem noſtram induit. Dicit ergo *ex uno eſſe*, hoc eſt, ex una natura (ut ego quidem interpretor) auctorem ſanctitatis, & nos qui ſumus ejus participes. Communiter intelligunt ex uno Adam: nonnulli ad Deum referunt, neque abſurde. Sed ego potius eandem naturam deſignari exiſtimo, & unum intelligo in neutro genere: acſi diceret, ex una maſſa nos eſſe compoſitos. Hoc vero ad augendam noſtram fiduciam non parum valet, nos cum Filio Dei tam arcto neceſſitudinis vinculo cohærere, ut ſanctitatem qua indigemus, reperire in natura noſtra liceat. Neque enim tantum quatenus Deus eſt, nos ſanctificat, ſed humanæ quoque naturæ vis ſanctificandi ineſt: non quod eam habeat à ſeipſa, ſed quod ſolidam plenitudinem ſanctitatis in eam effudit Deus, ut inde hau-
Joan. 17. verſ. 19. riamus omnes. Quo pertinet illa ſententia, Ego propter eos ſanctifico meipſum. Ergo ſi nos profani & immundi, non procul quærendum eſt remedium, quod nobis offertur in carne noſtra. Si de uoïtate ſpirituali accipere quis malit, quæ alia eſt piis cum Filio Dei, quam ſit hominibus vulgo inter ſe, non repugno. Libenter tamen ſequor quod magis receptum eſt, ubi non eſt à ratione diſſentaneum. *Non erubeſcit fratres ipſos vocare.* Locus hic ſumptus eſt ex Pſalm. 22. cap. 23. Chriſtum autem illic, vel Davidem in Chriſti perſona loquentem induci, teſtes primum ſuot Euangeliſtæ, qui plures verſus inde citant: nempe, Partiti ſunt ſibi veſtimenta. Item, Dederunt in eſcam meam fel. Item, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti? deinde res ipſa idem oſtendit. nam in hiſtoria Paſſionis cernere licet vivam rerum omnium quæ illic narrantur, effigiem. Pſalmi clauſula quæ eſt de vocatione Gentium, oonniſi uni Chriſto aptari poteſt, Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: adorabunt coram eo cunctæ familiæ Gentium. Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur Gentibus. Horum omnium veritas in ſolo Chriſto extat, qui non exiguis ſpatiis (ut David) ampliavit regnum Dei, ſed extendit per totum muodum: quum ante certis finibus quaſi concluſum foret. Quare non dubium quin hæc quoque ſit vox ipſius quæ hoc loco adducta eſt. Proprie autem & ſignificanter dicit, eum non erubeſcere. quantum enim inter nos & ipſum intereſt? Multum ergo ſe demittit, quum nos dignatur fratrum nomine: alias indigni ſumus quos infra ſervos ſuos habeat. Atque hanc tantam ejus erga nos dignationem amplificat circumſtantia: loquitur enim Chriſtus non amplius mortalis homo in ſpecie ſervi, ſed indutus immortali gloria poſt reſurrectionem. Itaque perinde valet hic titulus, acſi nos ſecum in cælum eveheret. Et nos quoties audimus fratres nos à Chriſto vocari, meminerimus eum hac (ut ita dicam) qualitate veſtire, ut ſimul cum fraterno nomine beatam vitam & quicquid eſt cæleſtium bonorum, apprehendamus. Præterea notandum eſt quas ſibi partes ſumat Chriſtus: hoc eſt, prædicandi nominis Dei. quod fieri cœptum eſt promulgato Euangelio, & fit quotidie miniſterio Paſtorum. Unde colligimus, in hunc finem offerri nobis Euangelium, ut in Dei notitiam nos adducat, quo bonitas ejus inter nos celebretur. deinde Chriſtum eſſe Euangelii auctorem, utcunque offera-
2 Cor. 5. verſ. 20. tur per homines. Atque hoc eſt quod dicit Paulus, ſe & alios pro Chriſto legatione fungi, & tanquam Chriſti nomine exhortari. Quod non parum addere debet reverentiæ Euangelio: ſiquidem non tam homines ipſos loqui reputandum eſt, quam Chriſtum ipſum ore. Nam quo tempore prædicaturum ſe hominibus Dei nomen promittit, deſiit verſari in mundo: neque tamen fruſtra hoc ſibi officium vendicat. ergo vere hoc per diſcipulos ſuos præſtitit. *In medio Eccleſiæ.* Hinc melius etiamnum patet, ſemper in Euangelii doctrina contineri laudum Dei præconium: quia ſimulatque innoteſcit nobis Deus, perſunant in cordibus & auribus noſtris infinitæ ejus laudes. Ac interea ſuo exemplo nos hortatur Chriſtus ad eas publice canendas, ita ut à quamplurimis exaudiantur. Neque enim ſatis fuerit, unumquemque apud ſe Deo eſſe gratum pro acceptis beneficiis, niſi gratitudinis noſtræ teſtimonium palam edeotes, mutuo alii alios invitemus ad idem agendum. Atque hæc doctrina acerrimi ſtimuli vice nobis eſt quo ferventiore ſtudio feramur ad laudandum Deum, quum audimus Chriſtum nobis præcinere, & primum eſſe hymnorum modulatorem.

13. *Ero fidens in ipſo.*] Quando hæc ſententia habetur Pſalmo 18. v. 3. credibile eſt inde huc fuiſſe adductam. Præterquam enim quod Paulus ad Rom. cap. 15. v. 9. alium verſum de Gentium vocatione regno Chriſti accommodat, ipſa argumenti ſeries ſatis demonſtrat Davidem ſub aliena perſona illic loqui. Siquidem tantæ amplitudinis quæ illic magnifice prædicatur, vix tenuis umbra in Davide apparet. Gloriatur ſe caput fuiſſe conſtitutum Gentibus, & quidem alienos & incognitos ultro ad ſolam nominis famam in deditionem veniſſe. David paucas Gentes ſibi vicinas & notiſſimas vi armorum ſubegit, ac tributarias reddidit. ſed quid hoc ad aliorum multorum Regum amplitudinem? deinde ubi voluntaria ſubjectio? ubi populi tam remoti ut eos oon cognoſceret? ubi denique ſolenne gloriæ Dei præconium inter Gentes, cujus mentionem facit Pſalmi clauſula? Chriſtus ergo eſt qui populis diverſis in caput præficitur, cui ſe alienigenæ ſubjiciunt ab ultimis uſque terræ finibus: & quidem ſolo auditu exciti: quia non armis coguntur ad ſuſcipiendum jugum, ſed doctrina ſubacti, in ſpontaneum obſequium ſe offerunt. Perſpicitur etiam in Eccleſia ſimulata illa & mendax obediendi profeſſio quæ ibidem notatur, quia multi quotidie dant nomen Chriſto non ex corde. Sit igitur extra controverſiam, Pſalmum apte de Chriſto exponi. Sed quid hoc ad præſentem cauſam? neque enim videtur ſequi, nos & Chriſtum ex uno eſſe, ut maxime ipſe in Deum fidat. Reſpondeo, valere argumentum: quia niſi homo eſſet neceſſitatibus humanis obnoxius, nequaquam opus haberet tali fiducia. Ergo quum ab auxilio Dei pendeat, communis illi nobiſcum eſt conditio. Nun fruſtra certe aut de nihilo in Deo fidimus: ſed quia deſtituti ejus gratia, miſeri & perditi eſſemus. Fiducia ergo quam reponimus in Deo, noſtræ inopiæ teſtimonium eſt. Quanquam in hoc differimus à Chriſto, quod infirmitatem quæ neceſſitate nobis eſt impoſita, ſponte ipſe ſubiit. Porro non leviter hoc animare nos debet ad fidendum Deo, quod Chriſtum habemus ducem & magiſtrum. quis enim vereatur ejus veſtigia ſequendo ne erret? Periculum (inquam) non eſt ne fides noſtra ſit irrita quam habemus cum Chriſto communem, quem ſcimus non poſſe falli. *Ecce ego & pueri.* Certum eſt quidem Jeſaiam de ſe loqui. Nam quum ipſe ſpem liberationis daret populo, & promiſſio nullam inveniret fidem: ne tam obſtinata vulgi incredulitate fractus deficiat, jubet Dominus illum obſignare inter paucos fideles doctrinam quam annunciat. acſi diceret, Etiamſi à multitudine reſpuatur, fore tamen aliquos quamvis paucos, qui recipiant. Hoc reſponſo fretus Jeſaias animum colligit: ſeque & diſcipulos qui *Jeſa. 8. verſ. 18.*
ſibi dati ſunt, teſtatus fore ſemper promptos ad ſequendum Deum. Nunc videndum cur ſententiam hanc Apoſtolus ad Chriſtum trahat. Primum, quod

ibidem

ibidem legitur, Dominum fore in petram ſcandali & lapidem offenſionis regno Iſraël & Juda, in Chriſto impletum eſſe nemo ſanus negat. Et ſane ſicuti reſtitutio ab exilio Babylonico, præludium quoddam fuit præcipuæ redemptionis quæ nobis ſimul & Patribus, Chriſti manu fuit comparata: ita etiam quod tam pauci ex Judæis illo Dei beneficio uſi ſunt, ut pauxillæ tantum reliquiæ ſalvæ fuerint, præſagium fuit excæcationis futuræ; qua factum eſt ut Chriſtum rejicientes, ipſi viciſſim à Deo rejecti perirent. Obſervandum eſt enim, quæ de inſtauratione Eccleſiæ apud Prophetas extant promiſſiones, à tempore quo reducti ſunt ab exilio Judæi, ad regnum uſque Chriſti pertinere: quemadmodum hunc reducendi populi finem habuit Dominus, ut ſtaret Eccleſia ad Filii ſui adventum, per quem vere demum conſtitueretur. Quum ita ſit, non ſolum Jeſaiam alloquitur Deus, quum jubet obſignari Legem & teſtimonium: ſed in ejus perſona omnes ſuos miniſtros, quibus futurum erat certamen cum populi incredulitate. ideoque Chriſtum in primis, quem majore contumacia impetituri erant Judæi, quam ſuperiores omnes Prophetas. Et nunc videmus qui in locum Iſraëlis ſubrogati ſunt, non modo repudiare ejus Euangelium, ſed furioſe quoque ipſum ruere. Verum utcunque Euangelii doctrina Eccleſiæ domeſticis lapis ſit ſcandali: non vult tamen Deus ipſam intercidere, quin potius obſignari jubet inter diſcipulos. & Chriſtus doctorum omnium nomine, tanquam eorum caput, imo unicus Doctor qui eorum miniſterio nos regit, pronunciat in tam deplorata mundi ingratitudine ſemper tamen fore aliquos qui ſe Deo obſequentes reddant. En quomodo locus Jeſaiæ Chriſto recte aptetur. hinc colligit Apoſtolus nos cum eo unum eſſe, quia ſe nobis aggregat, dum ſe & nos pariter offert Deo Patri. Unum enim corpus efficiunt qui ſub eadem fidei regula Deo obſequuntur. Quid aptius ad fidei commendatiooem dici poſſit, quam in ea nos eſſe Filio Dei comites, qui ſuo exemplo nos hortatur ac viam præmonſtrat? Ergo ſi verbum Dei ſequamur, certo ſcimus nos habere Chriſtum ducem: quemadmodum nihil ad Chriſtum pertinent qui à verbi obedientia deflectunt. Quid obſecro magis optabile quam ut conſentiamus cum Filio Dei? hic autem conſenſus fide conſtat. ergo infidelitate ab eo diſſidemus, quo nihil eſt magis deteſtabile. Nomen Pueri, quod ſervum multis locis ſignificat, hic pro diſcipulo capitur. *Quos dedit.* Hic notatur prima obedientiæ cauſa: nempe quod Deus ſibi nos adoptavit. Nullos adducit Chriſtus ad Patrem, niſi ab ipſo ſibi datos. hanc vero donationem ex æterna electione pendere ſcimus: quia quos Pater deſtinavit ad vitam, eos in cuſtodiam Filio ſuo tradit, ut ipſos tueatur. Hoc eſt quod dicit apud Joannem, Quicquid dedit mihi Pater, ad me veniet. *Joan. 6. verſ. 37.* Quod ergo nos Deo ſubjicimus in obſequium fidei, diſcamus hoc totum ejus miſericordiæ acceptum ferre: quia nunquam aliter ad eum adduceremur Chriſti manu. Præterea raram fiduciæ materiam ſuppeditat hæc doctrina. Quis enim ſub fide tutelaque Chriſti trepidet? quis tali cuſtode fretus, ſecure pericula omnia non contemnat? Et ſane quum dicit Chriſtus, Ecce ego & pueri: implet reipſa quod alibi promittit, ſe non paſſurum ut quiſquam ex iis quos à Patre accepit, pereat. *Joan. 17. verſ. 28.* Poſtremo hinc notandum eſt, etiamſi mundus furioſa contumacia reſpuat Euangelium, oves tamen ſemper agnituras vocem Paſtoris. Quare ne ordinum fere omnium & ætatum & gentium impietas nos conturbet, modo ſuos colligat Chriſtus, qui ejus fidei commiſſi ſunt. Si ſunt in mortem ſua impietate reprobi, eradicantur hoc modo plantæ quas Deus non plantavit. *Mat. 15. verſ. 13.* interea ſciemus ſuos illi notos eſſe, & obſignatam apud eum omnium ſalutem, ne quis excidat. *2 Tim. 2. verſ. 19.* hoc ſigillo contenti ſimus.

14. Quando igitur pueri carni & ſanguini communicant, ipſe quoque ſimiliter eorundem fuit particeps, ut per mortem aboleret eum qui habebat mortis imperium, hoc eſt diabolum:

15. Et redimeret quicunque metu mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.

14. *Quando igitur pueri.*] Concluſio eſt ſuperiorum, & ſimul plenior cauſæ redditio quam prius breviter attigerat, cur oportuerit Filium Dei carnem noſtram induere: nempe ut eadem nobiſcum participaret natura, & mortem ſubeundo, nos ab ea redimeret. Locus hic obſervatu dignus eſt: quia non tantum veritatem humanæ in Chriſto naturæ aſſerit, ſed quia fructum quoque oſtendit qui inde ad nos emanat. Factus, inquit, homo eſt Filius Dei, ut conditionis ejuſdem ac naturæ nobiſcum eſſet particeps. Quid ad fidei noſtræ confirmationem aptius dici poterat? Inæſtimabilis enim erga nos ejus amor hic apparet. Sed cumulus extat in eo, quod naturam noſtram induit, ut moriendi conditioni ſe ſubjiceret: mortem enim ſubire Deus non poterat. Quanquam autem breviter fructum mortis attingit, eſt tamen in hac verborum brevitate viva in primis & efficax rei expreſſio: nempe quod nos à diaboli tyrannide ita aſſeruerit, ut jam ſimus ab eo ſecuri; & ita à morte redemerit, ne amplius nobis ſit timenda. Cæterum quia pondus habent ſingulæ particulæ, diligentius paulo excutiendæ ſunt. Primum, iſta diaboli abolitio de qua loquitur, huc pertinet, ne quid in nos poſſit. Tametſi enim viget adhuc diabolus, & nobis aſſidue exitium molitur: tamen extinctæ vel retuſæ ſunt ejus vires ad nocendum. Hæc ingens eſt conſolatio, quod ſcimus cum eo nobis hoſte eſſe negotium qui nihil in nos poteſt. nam id dictum eſſe reſpectu noſtri, colligere licet ex proximo membro, *Aboleret eum qui habebat mortis imperium.* Significat enim Apoſtolus abolitum eſſe diabolum quatenus in noſtrum exitium regnabat. nam ab effectu ſic vocatur, eo quod nobis ſit exitiale & mortiferum. Non ergo tantum abrogatam morte Chriſti fuiſſe docet Satanæ tyrannidem, ſed ipſum quoque ita proſtratum, ut pro nihilo habendus ſit, acſi nullus foret. De *diabolo* in ſingulari numero loquitur, uſitato Scripturæ more: non quia unus tantum ſit, ſed quia omnes ſimul corpus unum efficiunt, quod ſine capite non poteſt cogitari.

15. *Quicunque metu mortis.*] Hic locus optime exprimit quam miſera ſit eorum vita qui mortem horrent: ut neceſſe eſt omnibus ſentiri horribilem, qui eam extra Chriſtum conſiderant: nam tunc in ea nihil apparet niſi maledictio. Unde enim mors niſi ex ira Dei adverſus peccatum? Hinc iſta ſervitus per totam vitam: hoc eſt, perpetua anxietas qua conſtringuntur infelices animæ. nam ſemper ex peccati conſcientia Dei judicium obverſatur. Ab hoc metu nos Chriſtus liberavit, qui maledictionem noſtram ſubeundo, ſuſtulit quod in morte formidabile erat. Tametſi enim nunc quoque morte defungimur, vivendo tamen & moriendo tranquilli ſimus & ſecuri, ubi Chriſtum habemus nobis præeuntem. Quod ſi quis animum pacare non poteſt mortis contemptu, is ſciat parum ſe adhuc profeciſſe in Chriſti fide. Nam ut nimia trepidatio ex ignorantia gratiæ Chriſti naſcitur: ita certum eſt infidelitatis ſignum. *Mors* hic non ſeparationem modo animæ à corpore ſignificat, ſed pœnam quæ ab irato Deo nobis infligitur, ut æternum exitium comprehendat. Ubi enim coram Deo reatus, protinus etiam inferi ſe oſtendunt.

16. Nuſ-

16. Nuſquam enim Angelos aſſumit: ſed ſemen Abrahæ aſſumit:
17. Unde fratribus debuit per omnia eſſe ſimilis, ut miſericors eſſet & fidelis Pontifex in iis quæ ſunt erga Deum, ut peccata expiet populi.
18. Ex quo enim ipſi contigit tentari, poteſt & iis qui tentantur, ſuccurrere.

16. *Nuſquam enim Angelos.*] Hac comparatione amplificat beneficium ac honorem quo nos dignatus eſt Chriſtus, carnem noſtram induendo: quia nunquam Angelis tantum præſtitit. Quo igitur magis neceſſarium erat ſingulare remedium tam horrendæ hominis ruinæ, voluit extare Filius Dei incomparabile quoddam amoris erga nos ſui pignus quod ne Angelis quidem eſſet commune. Quod ergo nos Angelis prætulit, non factum eſt excellentiæ noſtræ, ſed miſeriæ reſpectu. Quare non eſt quod nos Angelis ſuperiores gloriemur: niſi quia ampliore miſericordia qua indigebamus, nos proſequutus eſt cæleſtis Pater, ut tantam bonitatem in terras effuſam Angeli ipſi ex alto ſuſpicerent. Præſens verbi tempus ad Scripturæ teſtimonia refero, acſi ante oculos ſtatueret quod ante à Prophetis teſtatum fuerat. Cæterum hic locus unus ad proſternendum Marcionem, Manichæum, & ejuſmodi deliros homines qui Chriſtum negant verum hominem ex ſemine humano procreatum, abunde ſufficit. Si enim hominis figuram geſtavit duntaxat: prius etiam ſub Angeli ſpecie ſæpius apparuit. itaque nullum eſſet diſcrimen. Sed quia dici non poteſt, vere unquam Angelum fuiſſe Chriſtum: Angelica natura veſtitum: ideo dicitur hominem potius aſſumpſiſſe quam Angelos. Loquitur autem Apoſtolus de natura: ac ſignificat Chriſtum carne indutum, verum fuiſſe hominem, ut in duabus naturis ſit perſonæ unitas. Neque enim hic locus Neſtorio ſuffragatur qui duplicem fingebat Chriſtum, acſi Filius Dei non verus fuiſſet homo, ſed tantum in hominis carne habitaſſet. Videmus longe aliud fuiſſe conſilium Apoſtoli: docere enim vult in perſona Filii Dei nos fratrem, propter ſocietatem communis naturæ invenire. Quare hominem vocare non contentus, dicit ex humano ſemine progenitum. Nominatim exprimit *ſemen Abrahæ*, quo plus fidei habeat quod dicit, quia ex Scriptura ſumptum.

17. *Unde fratribus.*] In humana Chriſti natura duo conſideranda ſunt: eſſentia carnis, & affectus. Quare Apoſtolus docet, non carnem modo hominis ipſum induiſſe, ſed affectus quoque omnes qui ſunt hominum proprii. Fructum quoque inde manantem oſtendit: quæ vera eſt fidei doctrina, dum in nobis ſentimus cur noſtras infirmitates ſuſceperit Filius Dei. Friget enim ſine hoc fructu omnis ſcientia. Porro obnoxium fuiſſe Chriſtum docet paſſionibus humanis. *Ut miſericors eſſet ac fidelis Pontifex.* quæ verba ſic interpretor, Ut miſericors eſſet, ideoque fidelis. Nam in Sacerdote, cujus partes ſunt iram Dei placare, opitulari miſeris, erigere lapſos, ſublevare laborantes: miſericordia in primis requiritur, quam in nobis generat communis ſenſus. Rarum enim eſt ut tangantur aliorum ærumnis qui perpetuo beati fuerint. Certe hoc Virgilianum ex quotidiana hominum conſuetudine ſumptum eſt:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Non quod experimentis neceſſe habuerit Filius Dei formari ad miſericordiæ affectum: ſed quia non aliter perſuaderi nobis poſſet, ipſum eſſe clementem & propenſum ad nos juvandos, niſi exercitatus fuiſſet in noſtris miſeriis. hoc enim ut alia, nobis datum eſt. Itaque quoties nos urgent quævis malorum genera, mox ſuccurrat, nihil nobis accidere quod non in ſe expertus ſit Filius Dei, ut nobis condoleſcat: nec dubitemus ipſum nobis perinde adeſſe acſi nobiſcum ageretur. Fidelis, verum & legitimum ſignificat: Ficto enim, aut partes ſuas non implenti opponitur. Experientia noſtrarum miſeriarum ita ad compaſſionem Chriſtum flectit, ut de imploranda nobis Dei ope ſit ſollicitus. Quid præterea? Peccatorum expiationem facturus, naturam noſtram induit, ut reconciliationis pretium haberemus in carne noſtra: denique ut communis naturæ jure nos ſecum in Dei ſanctuarium introduceret. τὰ πρὸς τὸν θεὸν intelligit quæ huc ſpectant ut concilient homines Deo. quia autem primus ad Deum acceſſus eſt fidei libertas, mediatore opus eſt qui omnem dubitationem eximat.

18. *Ex quo ipſi contigit.*] Exercitatus, inquit, malis noſtris, propenſus eſt ad opem ferendam. Nam hic *tentatio*, nihil aliud quam experimentum vel probationem ſignificat: & *poſſe* pro Idoneum eſſe, vel proclivem, vel accommodatum.

Cap. III.

Unde fratres ſancti, vocationis cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Sacerdotem confeſſionis noſtræ, Chriſtum Jeſum,
2. Qui fidelis eſt ei qui conſtituit ipſum: quemadmodum & Moſes in tota domo ejus.
3. Majore quippe gloria hic dignus habitus eſt quam Moſes, quanto majorem habet honorem architectus domus quam ipſa.
4. Omnis enim domus conſtruitur ab aliquo: qui autem omnia conſtruxit, Deus eſt.
5. Et Moſes quidem fidelis in tota domo ejus tanquam miniſter, in teſtimonium eorum quæ poſt dicenda erant.
6. Chriſtus autem tanquam filius ſupra domum ipſius: cujus nos domus ſumus, ſi fiduciam & gloriationem ſpei ad finem uſque firmam tenuerimus.

1. *Unde fratres ſancti.*] Claudit ſuperiorem doctrinam utili exhortatione, ut attente agnoſcant Judæi qualis & quantus ſit Chriſtus. Quia enim prius eum Doctorem & Pontificem nominando, breviter contulit cum Moſe & Aarone, nunc utrumque membrum complectitur. Duobus enim elogiis ipſum ornat, ſicuti duplicem ſuſtinet perſonam in Eccleſia Dei. Moſes Prophetæ & Doctoris officio, Aaron ſacerdotio functus eſt. At Chriſto utrumque munus eſt impoſitum. proinde ſi volumus eum rite ſuſcipere, conſiderare oportet qualis ſit: ſua (inquam) virtute induendus eſt, ne pro ipſo inanem ejus umbram apprehendamus. Principio verbum *conſiderandi* pondus habet: ſignificat enim ſingularem attentionem requiri, quia impune contemni nequeat: & ſimul veram Chriſti notitiam diſcutiendis omnium errorum tenebris ſufficere. Quo autem magis eos animet ad hoc ſtudium,

dium, admonet ſuæ ipſorum vocationis. acſi diceret, Deus non vulgari gratia vos dignatus eſt, quum in regnum ſuum vocavit: nunc reſtat ut in Chriſtum tanquam viæ ducem, conjectos habeatis oculos. Neque enim aliter rata eſſe poteſt piorum vocatio, quam ſi totos ſe ad Chriſtum convertant. Ideo non debemus exiſtimare hoc Judæis ſolis dici: ſed generalem proponi omnibus doctrinam qui in regnum Dei pervenire cupiunt, ut ſedulo attendant ad Chriſtum: quia & unicus fidei noſtræ magiſter eſt, & eam ſacrificio ſuo ſancivit. *Confeſſio* enim pro fide hic capitur. acſi diceret, Fidem quam profitemur, vanam & nihili eſſe niſi in Chriſtum referatur.

2. *Qui fidelis eſt.*] Commendatio eſt Apoſtolatus Chriſti, ut tuto acquieſcant in eo fideles. ac duplici quidem nomine eum commendat: quod Pater eum nobis Doctorem præfecerit, & Chriſtus ipſe injunctum ſibi munus fideliter exequutus ſit. Duo hæc ſemper neceſſaria ſunt ad comparandam doctrinæ auctoritatem. Deus enim ſolus audiendus eſt, ut
Joan. 7. verſ. 16. Luc. 9. verſ. 48. tota Scriptura clamat. ideo teſtatur Chriſtus, non ſuam eſſe doctrinam quam profert, ſed Patris. Et alibi, Qui me recipit, eum recipit qui miſit me. Loquimur enim de Chriſto, quatenus carne noſtra indutus, Patris miniſter eſt ad perferenda ejus mandata. Ad Dei vocationem accedit fidelis ſinceraque in Chriſto adminiſtratio, quæ in veris miniſtris requiritur, ut fidem in Eccleſia obtineant. Quod ſi utrumque in Chriſto invenitur, contemni certe non poteſt quin Deus in ipſo ſpernatur.

Quemadmodum Moſes.] Omiſſa pauliſper ſacerdotii mentione, de Apoſtolatu hic diſſerit. Nam quum duæ ſint partes fœderis Dei, promulgatio doctrinæ, & realis (ut ita loquar) confirmatio: non aliter conſtaret ſolida fœderis perfectio in Chriſto, niſi utrumque jus in eum competeret. Poſtquam ergo utriuſque meminit ſcriptor Epiſtolæ, tandem quoque brevi exhortatione attentionem excitavit. Nunc vero longiorem tractationem ingreditur, & à doctoris quidem officio incipit: ideo cum Moſe tantum nunc Chriſtum comparat. Quod autem dicit, *In tota domo*, ad Moſen poſſet referri. ego tameo ad Chriſtum malo, ut dicatur fidelis Patri in tota domo adminiſtranda. Unde ſequitur, nullos ex Eccleſia Dei eſſe niſi qui Chriſtum agnoſcunt.

3. *Majore quippe.*] Ne videatur parem facere Chriſtum Moſi, admonet quanto ſit excellentior. idque duobus argumentis probat: quia ſic Moſes præfuit Eccleſiæ, ut tamen pars ejus ac membrum eſſet: Chriſtus vero architectus eſt toto ædificio ſuperior. Ille alios regendo, ſimul regebatur, quia ſervus: hic autem, quia filius eſt, principatum obtinet.
I Tim. 3. verſ. 15. I Pet. 2. verſ. 5. 2 Tim. 2. verſ. 20. Frequens eſt & Scripturæ familiaris metaphora, ut vocetur Eccleſia domus Dei: quia autem ex fidelibus componitur, ideo ſinguli nominantur vivi lapides: interdum etiam vaſa quibus inſtruitur domus. Nemo ergo unus ſic eminet quin membrum ſit, & ſub corpore univerſo contineatur. ſolus Deus architectus ſupra opus ſuum collocandus eſt. Porro Deus in Chriſto habitat: ut in eum competat quicquid de Deo prædicatur. Si quis objiciat, Chriſtum quoque eſſe partem ædificii, quia fundamentum eſt, quia frater noſter, quia ſocietatem nobiſcum habet: deinde non eſſe architectum, quia & ipſe à Deo formatus ſit: prompta eſt ſolutio, fidem noſtram ita in eo fundatam eſſe, ut nihilominus nobis præſideat: ſic eſſe fratrem noſtrum, ut ſit interea & dominus: ſic formatum eſſe à Deo quatenus homo eſt, ut Spiritu ſuo vivificet tamen omnia & inſtaurer quatenus æterous eſt Deus. Variis tranſlationibus utitur Scriptura ad exprimendam erga nos Chriſti gratiam: ſed nulla eſt quæ deroget ipſius honori de quo nunc diſſerit Apoſtolus. Hic enim ſtatus eſt, ideo cogendos eſſe omnes in ordinem, quia ſubeſſe debent capiti: ſolum Chriſtum eximi hac conditione, quia caput eſt. Si rurſus objicitur, Moſen non minus fuiſſe architectum quam Paulum qui hoc titulo gloriatur: reſpondeo, transferri ad Prophetas & doctores hoc nomen, ſed improprie: quum ſint duntaxat organa & quidem mortua, niſi Dominus è cælo efficaciam inſpiret: deinde ſic eos laborare in extruenda Eccleſia, ut ipſi quoque ad ædificium accedant. at Chriſti diverſam eſſe rationem: ipſum enim propria Spiritus ſui virtute ſemper ædificaſſe Eccleſiam: præterea eum extitiſſe ſupra communem ſortem, quoniam ita erat verum Dei templum, ut ſimul Deus eſſet inhabitans.

4. *Qui autem omnia conſtruxit.*] Quanquam ad totius mundi creationem extendi poſſunt hæc verba, tamen ad præſentem cauſam reſtringo, ut intelligamus nihil fieri in Eccleſia quod non Dei virtuti acceptum ferri debeat. Is enim eſt ſolus qui manu ſua fundavit eam, Pſalmo 87. v. 5. Et de Chriſto Paulus dicit, eum eſſe caput ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubmi- Epheſ. 4. verſ. 15.
niſtrationis, ſecundum effectum in menſura cujuſque membri augmentum ſumit. quare & miniſterii ſui ſucceſſum illius eſſe opus ſæpe prædicat. Denique ſi vere reputemus: utcunque hominum opera utatur in Eccleſiæ ædificationem, ſolus tamen ipſe peragit omnia: nam inſtrumentum opifici nihil derogat.

5. *Moſes fidelis ut miniſter.*] Secundum diſcrimen, quod Moſi commiſſa fuit doctrina, cui ipſe quoque una cum aliis ſubeſſet. Chriſtus vero tametſi ſervi perſonam induit, magiſter tamen eſt ac dominus cui Philip. 2. verſ. 7.
ſubeſſe omnes oportet. Conſtitutus eſt omnium hæres, ut habuimus capite 1. v. 2. *In teſtimonium eorum quæ poſt dicenda erant*, ſimpliciter interpretor, ut Moſes dum eſt ejus doctrinæ præco, quæ pro temporis ratione veteri populo erat publicanda: ſimul teſtimonium Euangelio, cujus nondum matura prædicatio erat, reddidit. Nam certe conſtat, finem & complementum Legis eſſe hanc perfectionem ſapientiæ quæ Euangelio continetur. Atque hanc expoſitionem exigere videtur futurum participii tempus. Summa vero eſt, Moſen ſcilicet fideliter populo tradidiſſe quæ illi Dominus mandaverat: ſed menſuram illi præſcriptam fuiſſe, quam excedere fas non fuerit. Multifariam multiſque modis loquutus eſt olim Deus per Prophetas, ita ut differret in tempus plenitudinis ſolidam Euangelii revelationem.

6. *Cujus nos ſumus domus.*] Quemadmodum Paulus ubi ſe Gentibus deſtinatum eſſe Apoſtolum præfatus eſt, addit ex earum numero eſſe Romanos Rom. 1. verſ. 6.
quibus ſcribit, ut fidem ſibi apud eos conciliet: ita nunc auctor Epiſtolæ Judæos hortatur qui jam Chriſto nomen dederant, ut perſeverent in fide, quo in Dei familia cenſeantur. Dixerat prius, Chriſti imperio domum Dei ſubjectam eſſe. Huic ſententiæ commodum additur hæc admonitio, tunc eos in Dei familia locum habituros ſi Chriſto pareant. Porro quum jam cœpiſſent Euangelium amplecti, conditionem apponit, *ſi in ejus fide perſtiterint*. Nam *ſpei* vocabulum, pro fide accipio: & profecto Spes alioqui nihil aliud eſt quam fidei conſtantia. *Fiduciam & gloriationem* ponit, ad vim ejus magis exprimendam. Atque hinc colligimus, eos qui trepide & vacillantium inſtar aſſentiuntur Euangelio, nihil minusquam credere. Fides enim ſine compoſita animi tranquillitate eſſe non poteſt: unde ſecura gloriandi audacia emergit. Adeoque iſti ſunt duo perpetui fidei effectus, fiducia & gloriatio, ut diximus in quintum caput ad Romanos, & tertium ad Epheſios. Quibus quum tota Papiſtarum doctrina ſit adverſa, hoc ipſo etiam ſi nihil aliud haberet mali, Dei Eccleſiam diruit potius quam ædificat. Certitudinem enim qua ſola nos in templa Deo conſecrari docet Apoſtolus, non obſcurant modo ſuis commentis, ſed palam te-

meritatis

Digitized by Google

meritatis damnant. Præterea qualis confidentiæ firmitudo eſſe poteſt, ubi ignorant homines quid credendum ſit? Atqui monſtrum illud fidei implicitæ quod comminiſcuntur, nihil aliud eſt quam errandi licentia. Hic locus admonet ſemper ad mortem uſque eſſe progrediendum: quia tota vita quidam eſt veluti curſus.

Pſal. 95. verſ. 8.
7. Quare (ſicut dicit Spiritus ſanctus, Hodie ſi vocem ejus audieritis,
8. Ne obduretis corda veſtra, ſicut in exacerbatione, in die tentationis in deſerto:
9. Ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt me, & viderunt opera mea
10. Quadraginta annis. quamobrem infenſus fui generationi illi, & dixi, Semper errant corde, ipſi vero non cognoverunt vias meas:
11. Sicut juravi in ira mea, Si ingreſſuri ſint in requiem meam)
12. Videte fratres, nequando ſit in ullo veſtrum cor * pravum incredulitatis, deficiendo à Deo vivente:
13. Sed exhortamini vosipſos quotidie, quamdiu vocatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur deceptione peccati.

* vel, *pravum & incredulum.*

Pergit in ſua exhortatione, ut Chriſto loquenti obediant. ac quo plus gravitatis habeat, confirmat eam Davidis teſtimonio. Nam quum acrius pungendi eſſent, melius fuit vitandæ offenſionis cauſa opponere alienam perſonam. Si ſimpliciter illis exprobraſſet patrum incredulitatem, minus benigne fuiſſet auditus. at quum Davidem adducit, res minus eſt odioſa. Summa autem eſt, Sicut ab initio Deus voci ſuæ obediri voluit, pervicaciam autem ferre non potuit quin ſevere ulciſceretur: ita hodie niſi dociles nos illi præbeamus, non leviores de noſtra contumacia pœnas ſumpturum. Cæterum ſuſpenſa eſt oratio uſque ad illam partem ubi dicit, Videte fratres, nequando ſit in ullo &c. ideo ut melius contextus fluat, reliqua in parentheſin includere conveniet. nunc ſingula ordine tractemus.

7. *Sicut dicit Spiritus.*] Hoc longe plus afficiendis animis valet, quam ſi Davidem nomine citaret. Et his loquutionibus utile eſt aſſueſcere, ut meminerimus Dei non hominum eſſe voces quæ ex Prophetarum libris proferuntur. Porro quia hæc ſententia, *Hodie ſi vocem ejus audieritis*, pars eſt ſuperioris verſus, quidam non male vertunt, Utinam. Certum quidem eſt, quum David Judæos appellaſſet Dei populum & oves, inde ſtatim inferre, audiendam ergo ab illis eſſe Dei vocem. Illic enim quos ad canendas Deo laudes bonitatemque ejus celebrandam invitat, ſimul admonet obedientiam præcipuum eſſe cultum quem exigit, & ſacrificiis omnibus potiorem. Hoc ergo primum eſt, ut ſe Dei verbo ſubjiciant. Sequitur deinde, *Ne obduretis corda*: quibus verbis indicatur, non ex alio fonte manare noſtram adverſus Deum rebellionem, quam ex voluntaria improbitate, dum illius gratiæ aditum obſtruimus. Natura quidem jam cor habemus lapideum: eſtque omnibus ingenita hæc durities ab utero, quam ſolus Deus emollire & corrigere poteſt. Quod tamen reſpuimus Dei vocem, id fit ſpontanea contumacia, non extraneo impulſu. cujus rei quiſque ſibi teſtis eſt. Proinde merito Spiritus omnes incredulos accuſat quod ſe Deo opponant, & pervicaciæ ſibi magiſtri ſint ac auctores: ne forte culpam alio derivent. Inde tamen perperam colligitur, penes nos viciſſim eſſe liberam formandi in Dei obſequium cordis facultatem. Quin potius id perpetuo accidere hominibus neceſſe eſt, ut cor ſuum obdurent, donec aliud è cælo datum fuerit. Nam ut ſumus ad malitiam propenſi, nunquam deſinemus Deo reſiſtere, donec ejus manu domiti ſubactique fuerimus.

8. *Sicut in exacerbatione.*] Duplici ratione utile fuit eos de patrum ſuorum inobedientia commonefieri. nam quum ſtulte generis ſui gloria inflati eſſent, patrum vitia ſæpe imitabantur pro virtutibus, & ab eorum exemplis defenſionem captabant. deinde quum audiebant patres Deo fuiſſe tam immorigeros, melius inde agnoſcebant quam non ſupervacua foret iſta admonitio. Quoniam tempore quoque Apoſtoli utraque ratio valebat, libenter accommodat quod olim dictum erat à Davide in ſuum uſum: ne patribus nimium addicti ſint iſti quoque quos alloquitur. Atque hinc colligenda eſt generalis doctrina, Quouſque patrum auctoritati deferendum ſit, ne ſcilicet nos ab uno Deo abducat. Nam ſiqui unquam patres fuerunt honore digni, Judæi certe inter alios principatum obtinent. Atqui nominatim filiis præcipit David, cavendum eſſe ne ſint illorum ſimiles. Non dubium autem mihi eſt quin hic ad hiſtoriam reſpiciat, quæ legitur Exod. cap. 17. Nam duobus hic nominibus utitur David, quæ loco fuiſſe ex re impoſita narrat Moſes: מרבה, quod Jurgium aut exacerbationem ſignificat: מסה, quod perinde valet ac tentatio. Nam & Deum tentarunt, illum negantes in medio ſui eſſe, propterea quod aquæ penuria laborabant: & eundem exacerbarunt, cum Moſe rixando. Porro quum plurima ſuæ incredulitatis exempla edidiſſent, hoc præcipue eligit David, quia præ aliis memorabile erat. deinde quoniam reliqua, magna ſaltem ex parte, temporis ordine ſubſequutum eſt, quemadmodum ex quarto libro Moſis melius conſtat: ubi perpetua multarum tentationum ſpecies contexitur à capite decimo, hæc autem habentur viceſimo. Quæ circumſtantia non parum ſceleris indignitatem auget. nam quod toties experti Dei virtutem, adhuc tam proterve cum eo diſceptant, & omnem illi fidem derogant, quantæ eſt ingratitudinis? Ergo ſpeciem unam poſuit pro omnibus. *Tentandi* verbum in malam partem capitur, pro eo quod eſt Superbe & quaſi per contumeliam provocare: quod Gallice dicimus, *Desfier comme en deſpitant*. Nam quum ſæpius illis auxilium Deus tuliſſet, omnium immemores, per ludibrium quærebant ubinam eſſet ejus potentia.

9. *Probaverunt.*] Ita reſolvi debet hoc membrum, Quum tamen probaſſent & vidiſſent opera mea. Nam impietatis crimen exaggerat, quod tot experimentis edocti, tam male profecerant. Mira enim ſocordia fuit ac ſtupiditas, quod Dei virtutem tam ſolide comprobatam nihili æſtimabant. Quod ſequitur de *quadraginta annis*, apud Davidem cum ſequentibus cohæret. Scimus autem Apoſtolos in citandis teſtimoniis magis attendere ad ſummam rei, quam de verbis eſſe ſollicitos. Et certe ideo populum hunc annis quadraginta moleſtum ſibi fuiſſe Deus conqueritur, quod tot beneficia nihil ad eum erudiendum profecerint: quum enim aſſidue indignis benefaceret Deus, in eum inſurgere non deſinebant. Hinc continua indignatio. acſi diceret, Non ſemel aut exiguo tempore me provocarunt: ſed aſſiduis per annos quadraginta ſceleribus. *Generatio* ætatem ſonat, vel unius ſeculi homines.

10. *Et dixi.*] Sententia Dei, qua eos pronunciat

Digitized by Google

ſana mente alienatos eſſe: & rationem addit, *quia vias ſuas non cognoverint.* In ſumma, pro deſperatis ipſos habet, quia ſenſu & ratione careant. Atque hic perſonam hominis ſuſcipit qui poſt longa demum experimenta ſe agnoſcere dicit obſtinatam amentiam: dicit enim eos ſemper errare, quia nulla ſpes reſipiſceotiæ appareat.

11. *Sicut juravi.*] Amentiæ pœna, quod promiſſa ſibi requie fuerunt privati. Porro Dominus *requiem ſuam* appellat terram ubi illis debuerat fixa eſſe ſedes. Peregrinati enim erant io Ægypto, per deſertum vagabantur. at terra Chanaan illis ex promiſſione perpetua eſſe hæreditas debebat. Et promiſſionis reſpectu Deus Suam vocat, quia nuſquam ſtabilis eſt nobis ſedes, niſi ubi ſumus ejus manu collocati. Jus autem certæ poſſeſſionis in eo fundatum
Geneſ. 12. verſ. 7. erat, quod Abrahæ dixerat Deus, Semini tuo dabo terram hanc. Quod Deus jurat, eo clarius & vehementius exprimitur atrocitas mali: eſt enim ſignum iræ magis inflammatæ. *Si ingreſſuri ſint.* Formula eſt juramenti, in qua aliquid ſubaudiendum eſt: ut imprecatio, vel aliud ſimile, quum homines loquuntur: ubi autem loquitur Deus ipſe, perinde valet acſi diceret, Ne exiſtimer verax, aut nulla poſthac fides habeatur mihi, niſi ita ſit. Defectiva tamen loquutio timorem & reverentiam commendat, ne temere proſiliamus ad jurandum. quemadmodum multi horrendas execrationes ſubinde effutire ſoleot. Sed quod ad præſentem locum attinet, non debemus exiſtimare, tunc primum Dei jurejurando fuiſſe dejectos à Terræ ingreſſu quum eum tentaſſent in Raphidim. jam multo ante excluſi fuerant: ex quo ſcilicet auditis exploratoribus ultra progredi detrectaverant. Non ergo aſſignat hic Deus tentationi, tanquam primæ cauſæ, depulſionem à Terra: ſed nulla caſtigatione ad ſanam mentem revocari potuiſſe ſignificat, quin priores offenſas novis ſubinde cumularent. atque ita digniſſimos fuiſſe oſtendit quos tam ſevere mulctaret, quia non ceſſaverint iram ejus variis peccatis magis ac magis augere: acſi diceret, Hæc eſt generatio cui negavi promiſſæ terræ poſſeſſionem, quæ per totos poſtea quadraginta annos innumeris peccatis obſtinatam ſuam amentiam prodidit.

12. *Videte, fratres, ne quando.*] Retinere malui quod ad verbum poſuit Apoſtolus, quam periphraſin accerſere, nempe *cor pravum incredulitatis*: quo ſignificat conjunctam cum pravitate & malitia fore incredulitatem, ſi percepto Chriſti guſtu, ab ejus fide diſcedant. Eos enim alloquitur qui imbuti erant Chriſtianiſmi rudimentis. Ideo mox ſubjicit, *deficiendo*: nam defectionis crimen perfidia non caret. Remedium quoque hoc eſſe oſtendit, ne labantur in hanc pravitatem: ut ſcilicet exhortentur ſe mutuo. nam ut natura ſumus ad malum proclives, opus habemus variis adminiculis quæ nos in Dei timore retineant. Niſi ſubinde erigatur fides noſtra, jacet: niſi caleſiat, congelaſcit: niſi excitetur, torpet. Vult ergo ut ſe mutuis hortationibus acuant, ne in eorum corda obrepat Satan, & ſuis fallaciis à Deo abducat. Quæ ratio loquendi notanda eſt. neque enim primo ſtatim impetu ruimus in hunc furorem ut Deo reluctemur: ſed obliquis artibus ſenſim nos adoritur Satan, donec irretitos ſuis impoſturis teneat. Tum vero excæcati, in manifeſtam rebellionem erumpimus. Ergo mature occurrendum eſt. Et omnibus imminet periculum: quia nihil facilius eſt quam decipi. atque ex deceptione demum naſcitur cordis duritiesg. Hinc videmus quam neceſſarium nobis ſit aſſiduis exhortationum ſtimulis incitari. Nec tantum in univerſum præcipit Apoſtolus ut ſibi omnes caveant: ſed vult ita de ſalute cujuſque membri eſſe ſollicitos, ne quem omnino ex iis qui ſemel vocati fuerint, ſua negligentia perire ſinant. Atque in eo boni Paſtoris officium facit, qui ita excubare pro totius gregis ſalute debet, ut nullam ovem negligat.

13. *Quamdiu vocatur.*] Jam propius ad ſuum inſtitutum ſententiam Davidis accommodat. Nam illud Hodie cujus mentio fit in Pſalmo, admonet non debere ad ſeculum Davidis reſtringi: ſed complecti totum tempus quo nos Deus compellat. Ergo quoties & quamdiu ſacrum os aperit ad nos docendos, veniat iſtud in mentem, Hodie ſi vocem ejus audie- *2 Cor. 6. verſ. 2.* ritis. Eadem ratione Paulus, quum nobis prædicatur Euangelium, tempus eſſe illud acceptum docet quo nos Deus exaudit, & diem ſalutis quo adjuvat. Porro hac opportunitate utendum eſt: quia ſi per noſtram ſocordiam elabi paſſi fuerimus, fruſtra poſtea deplorabimus ablatam. quemadmodum Chriſtus *Joan. 12. verſ. 35.* dicit, Ambulate dum lucem habetis: veniet brevi nox. Ergo particula Quamdiu, ſubindicat non ſemper fore commodum ſi pigri fuerimus ad ſequendum ubi Dominus nos vocabat. Pulſat nunc Deus ad oſtium noſtrum. niſi illi aperiamus, fiet ut viciſſim regni ſui januam nobis claudat. Denique ſeri erunt eorum gemitus qui oblatam hodie gratiam contemnunt. Ergo quia neſcimus an Deus in craſtinum uſque protendere vocationem ſuam velit, ne differamus. Hodie vocat, quam primum reſpondeamus: neque enim fides eſt, niſi ubi talis eſt ad obſequendum promptitudo.

**vel, ſubſiſtentia.* 14. Participes enim facti ſumus Chriſti: ſi quidem initium * fiduciæ ad finem uſque firmum tenuerimus.

Pſal 95. verſ. 8. 15. In hoc quod dicitur, Hodie ſi vocem ejus audieritis, ne obduretis corda veſtra, ſicut in exacerbatione.

16. Quidam enim quum audiſſent, exacerbarunt: at non omnes qui egreſſi fuerant ex Ægypto per Moſen.

17. Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? annon iis qui peccaverant, quorum membra ceciderunt in deſerto?

Aut, inobedientibus. 18. Quibus autem juravit, non ingreſſuros in requiem ſuam, niſi * incredulis?

19. Et videmus non potuiſſe ingredi propter infidelitatem.

14. *Participes enim.*] Laudat quod bene cœperint. ſed ne prætextu gratiæ quam conſequuti ſunt, carnis indulgeant ſecuritati, dicit opus eſſe perſeverantia. Nam plerique delibato tantum Euangelio, quaſi ad ſummum pervenerint, de profectu non cogitant. Ita fit ut non modo in medio ſtadio, adeoque prope ipſos carceres deſideant, ſed alio vertant curſum ſuum. Specioſa quidem eſt iſta objectio, Quid ultra volumus poſtquam adepti ſumus Chriſtum? Verum ſi fide poſſidetur, in ea perſtandum eſt, ut nobis perpetua maneat poſſeſſio. Ergo hac lege ſe nobis fruendum dedit Chriſtus, ut eadem qua in ejus participationem admiſſi ſumus fide tantum bonum conſervemus uſque ad mortem. Ideo dicit *initium*, ſignificans fidem duntaxat eſſe inchoatam. Quum hypoſtaſis *fiduciam* interdum ſignificet, poſſet hic in eo ſenſu accipi. Non tamen diſplicet nomen Subſtantiæ quod alii reddiderunt. quanquam paulo ſecus interpretor. Illi enim ſic dici fidem putant, quia totum eſſe ho-

minis

Digitized by Google

minis abſque ea nihil aliud ſit quam vanitas. ego auſem, quia in eam recumbamus: ſicuti nulla eſt alia fultura in qua poſſimus ſtare. Et convenit epitheton *firmi*. ſtabiles enim & extra vacillandi periculum erimus, modo in fide ſimus fundati. Summa igitur eſt, ut fides, cujus initia duntaxat nobis conſtant, uſque in finem conſtans & firma progrediatur.

15. *In hoc quod dicitur.*] Significat proficiendi occaſionem quamdiu vivimus, nunquam ceſſare, quia nos quotidie Deus vocat. Nam quum Euangelii prædicationi reſpondeat fides, ſicuti continuus eſt prædicationis uſus toto vitæ curſu, ita fidei incrementis pergendum eſt. ἐν τῷ λέγεσθαι perinde valet acſi dixiſſet, Quandoquidem loquendi finem nunquam Deus facit, non ſatis fuerit prompto animo fuiſſe amplexos ejus doctrinam, niſi eadem docilitate cras & perendie illi nos obſequentes præbeamus.

16. *Quidam enim quum audiſſent.*] Ita loquitur David de Patribus, acſi tota illa ætas fuiſſet incredula. atqui conſtat fuiſſe aliquos malis permiſtos qui Deum vere timerent. Hoc commemorat Apoſtolus, temperans quod aſperius fuerat dictum à Divide, ut ſciamus in hunc finem omnibus proponi verbum ut omnes obediant uno conſenſu: atque merito damnari incredulitatem in toto populo, dum magnæ partis defectione lacerum eſt ac mutilum corpus. Cæterum quod dicit quoſdam *exacerbaſſe*, quum tamen longe major hæc fuerit multitudo: id facit non tantum vitandæ offenſionis cauſa, ſed ut Judæos animet ad eorum imitationem qui crediderunt: acſi diceret, Sicuti vos patrum incredulitatem ſequi Deus vetat, ita Patres alios vobis proponit in medium quorum fides ſit exemplo. Ita mitigatur quod alioqui nimis durum in ſpeciem videri poterat, ſi in totum juſſi fuiſſent à Patribus recedere. *Egredi per Moſen* ſignificat Per manum Moſis: quia fuit miniſter liberationis. Eſt autem tacita comparatio ejus beneficii quod illis Deus contulerat per Moſen, & participationis Chriſti cujus prius meminit.

17. *Quibus autem infenſus.*] Significat nunquam iratum fuiſſe Deum populo ſuo niſi juſtis de cauſis: quemadmodum & Paulus monet prioris ad Corinthios, cap. 10. v. 5, 6. Ergo quot Dei animadverſiones leguntur in populum veterem, tot reperiemus graviſſima peccata quæ Dei vindictam provocaverunt. Quanquam huc redeundum eſt ſemper, incredulitatem malorum omnium eſſe caput. Nam quamvis hanc poſterius recenſeat, intelligit tamen primam fuiſſe maledictionis cauſam. Et certe ex quo ſemel fuerunt increduli, non deſtiterunt aliud ex alio peccare, & ita nova ſubinde flagella ſibi accerſere. Iidem ergo illi qui per diffidentiam reſpuerant oblatam ſibi terræ poſſeſſionem, nunc concupiſcendo, nunc murmurando, nunc ſcortando, nunc profanis ſuperſtitionibus ſe polluendo, contumaciam ſuam proſequuti ſunt, quo magis teſtata eſſet eorum pravitas. Illa igitur incredulitas quam ab initio prodiderunt, illis obſtitit quominus fruerentur Dei beneficio: quia verbi contemptus eos ad peccandum ſemper incitavit. Ac ſicut incredulitate primum ſua meriti ſunt ut requie promiſſa Deus eos privaret: ita quicquid poſtea peccarunt, ex eodem fonte manavit. Porro quæritur an Moſes & Aaron, ac ſimiles, in hoc numero comprehendantur. Reſpondeo, Apoſtolum de univerſo magis corpore quam de ſingulis membris loqui. Certum eſt complures fuiſſe pios qui vel communi impietate non fuerunt impliciti, vel mox reſipuerunt. Moſis quidem ſemel tantum concuſſa fuit fides, idque ad momentum. Quare in verbis Apoſtoli eſt ſynecdoche, cujus ſatis frequens eſt uſus quoties de aliqua multitudine aut corpore populi habetur ſermo.

CAP. IV.

Timeamus ergo ne derelicta promiſſione introeundi in requiem ejus, videatur quiſpiam noſtrum eſſe fruſtratus.

2. Nobis enim annunciata eſt promiſſio, quemadmodum & illis. at illis nihil profuit ſermo auditus, quia non fuit cum fide conjunctus in iis qui audierant.

1. *Timeamus ergo.*] Concludit, timendum eſſe ne priventur Judæi ad quos ſcribit, benedictione ſibi oblata. Et iterum dicit, Ne quis: ſignificans, ſibi hoc eſſe in animo ut omnes ad unum Deo adducat. quemadmodum boni paſtoris officium eſt, totum gregem curando ita intentum eſſe ſingulis ovibus, ne qua omnino pereat: imo ſic nos quoque alii erga alios viciſſim affecti eſſe debemus, ut quiſque proximis perinde ac ſibi timeat. Cæterum hic nobis commendatur timor, non qui fidei certitudinem excutiat, ſed tantam incutiat ſollicitudinem ne ſecuri torpeamus. Metuendum ergo, non quia trepidare aut diffidere nos oporteat quaſi incertos de exitu, ſed ne Dei gratiæ deſimus. Quum dicit, *Ne deſtituamur relicta promiſſione*, ſignificat neminem deſtitui niſi qui gratiam reſpuendo, prior ſe à promiſſione abdicaverit. Adeo enim à pœnitentia benefaciendi abeſt Deus, ut ſua dona continenter proſequatur, niſi quum ejus vocationem contemnimus. Illativa particula ſignificat, aliorum lapſu nos ad humilitatem & vigilantiam erudiri. quemadmodum & Paulus loquitur, Iſti per in-
Rom. 11. verſ. 20. credulitatem corruerunt: tu ergo noli ſuperbire, ſed time.

2. *Nobis enim.*] Eandem eſſe doctrinam admonet qua hodie nos ad ſe Deus invitat, & quam olim Patribus deſtinavit. Quorſum hoc dicitur? ut ſciamus nihilo plus nobis profuturam Dei vocationem quam illis profuit, niſi eam fide ratam faciamus. Eſt igitur hoc per modum conceſſionis additum, Nobis quidem Euangelium proponi: ſed ne fruſtra gloriemur, mox excipit incredulos quos tantorum bonorum participatione Deus olim dignatus eſt, nullum inde tamen fructum ſenſiſſe. Proinde nos quoque expertes fore benedictionis niſi fide eam recipiamus. Ideo auditionem ſecundo repetit, ut ſciamus auditum eſſe inutilem, etiamſi verbum ad nos dirigatur, niſi fides accedat. Cæterum hic obſervanda eſt relatio inter verbum & fidem, quæ talis eſt ut fides à verbo ſeparari nequeat: verbum autem à fide ſeparatum nihil conferat. Non quod verbi efficacia à nobis pendeat: neque enim ſi totus mundus ſit mendax, ideo verax eſſe deſinet qui mentiri non poteſt. ſed vim ſuam non aliter profert verbum erga nos, quam ubi fides aditum facit. Eſt enim potentia Dei in ſalutem: ſed credenti- Rom. 1. verſ. 16.
bus. In eo revelatur Dei juſtitia: ſed ex fide in fidem. Ita fit ut perperuo ſit efficax verbum Dei & ſalutare hominibus, ſi ex ſe æſtimetur ac ſua natura: ſed fructus non ſentiatur niſi à credentibus. Quod ad prius membrum attinet, ubi dixi nullam amplius eſſe fidem ubi deeſt verbum: & qui tale divortium facere conatur, fidem prorſus extinguere redigereque in nihilum: res eſt obſervatu digna. Nam hinc apparet fidem eſſe non poſſe niſi in filiis Dei, quibus ſolis offertur adoptionis promiſſio. Qualem enim fidem haberent diaboli, quibus nulla ſalus promittitur? qualem etiam omnes impii qui verbum ignorant? Ergo fidem ſemper præcedere debet auditus: & quidem ut ſciamus Deum loqui, non homines.

Pſal. 95. 3. Ingredimur enim in ejus requiem poſtquam credidimus: ſicut dixit, Itaque juravi
verſ. 11. in ira mea, ſi introibunt in requiem meam: tametſi operibus à creatione mundi perfectis.

Geneſ. 2. verſ. 2. 4. Dixit enim alicubi ſic de die ſeptimo, Et requievit Deus ſeptimo die ab omnibus operibus ſuis.

Deut. 5. verſ. 14. 5. Et in hoc rurſum, Si introibunt in requiem meam.

6. Quando igitur reliquum fit ut quidam ingrediantur in ipſam, & quibus prius euangelizatum fuit, non intrarunt propter incredulitatem:

7. Rurſum quendam præfinit diem hodiernum in David dicens poſt tantum temporis, (quemadmodum dictum eſt) Hodie ſi vocem ejus audieritis, ne obduretis corda veſtra.

ſupra 3. verſ. 7.

8. Nam ſi Jeſus requiem illis præſtitiſſet, non de alia loqueretur poſt illos dies.

9. Ergo relinquitur ſabbathiſmus populo Dei.

10. Nam qui ingreditur in requiem ejus, requievit & ipſe ab operibus propriis, quemadmodum à ſuis Deus.

Jam locum illum quem citaverat ex Davide, exornare incipit. hactenus eum tractavit ſecundum literam, ut loquuntur, hoc eſt, in genuino ſenſu: nunc autem expoliendo amplificat. ideoque alludit magis ad verba Davidis quam interpretetur. Ejuſmodi *ἐπεξεργασία* eſt apud Paulum, ad Rom. cap. 10. v. 6. in tractando Moſis teſtimonio, Ne dicas, Quis aſcendet in cælum? Nec vero abſurdum eſt, ut ad præſentem uſum accommodetur Scriptura, ſimilitudinum (ut ita dicam) coloribus illuſtrare quod illic ſimplicius dicitur. Porro ſumma omnium huc redit, ad nos quoque pertinere quod de privatione requietis ſuæ minatur Deus in Pſalmo: ſicuti nos ad quandam requiem hodie quoque invitat. Præcipua hujus loci difficultas hinc provenit, quod violenter à multis torquetur: quum Apoſtolus nihil aliud velit quam requiem nobis quandam aſſerendo, ejus deſiderio nos acuere, & ſimul metu pungere, ne per incredulitatem ab ea prohibeamur. Interea tamen longe pluris eſſe requiem iſtam docet, in quam nunc ingreſſus nobis patet, quam fuerit terræ Chanaan. ſed veniamus ad ſingula.

3. *Ingredimur poſtquam credidimus.*] Argumentum eſt à contrariis. Sola incredulitas arcet. ergo fide patet ingreſſus. Repetendum enim memoria quod jam expoſuit, Deum incredulis iratum, juraſſe non fore illius boni compotes. Intrant ergo quos non impedit incredulitas, ſi modo Deus invitet. ſed in prima perſona loquendo, majori eos dulcedine allicit, ab alienis ipſos ſeparans. *Tametſi operibus.* Ut definiat qualis ſit noſtra requies, revocat nos ad id quod refert Moſes, Deum ſtatim à creatione mundi requieviſſe ab operibus ſuis: & tandem concludit hanc eſſe veram fidelium requiem quæ omnibus ſeculis durat, ſi Deo ſint conformes. Et ſane ut hæc ſumma eſt hominis felicitas Deo ſuo adhærere: ita ultimus finis eſſe debet, quo conſilia omnia & actiones referantur. Hoc probat, quia Deus qui requieviſſe dicitur, longo poſt tempore incredulis requiem ſuam negat. quod fruſtra faceret, niſi exemplo ſuo fideles vellet quieſcere. Ideo dicit, *reliquum fieri ut quidam ingrediantur.* Nam ſi non intrare, pœna eſt incredulitatis, ut jam dictum eſt, credentibus ingreſſus patet. Sed paulo plus habet difficultatis quod ſubjicit continuo poſt, alium nobis diem hodiernum ſtatui in Pſalmo, quia priores excluſi fuerint: nihil enim tale exprimere videntur verba Davidis. tantum enim hoc ſonant, quod Deus infidelitatem populi ultus ſit, eum terræ poſſeſſione abdicando. Reſpondeo, valere conſequentiam: nobis offerri quod illis ablatum eſt. quum admoneat Spiritus ſanctus, non eſſe committendum noſtra culpa, ut eodem pœnæ genere mulctemur. Quid enim? ſi nobis hodie nihil promitteretur, an locum haberet hæc admonitio, Videte ne vobis idem quod patribus contingat? Proinde merito dicit Apoſtolus, quia patrum infidelitas vacuam & deſertam poſſeſſionem reliquit, filiis renovari promiſſionem, ut obtineant quod ab illis neglectum fuit.

8. *Nam ſi Jeſus requiem.*] Non vult negare quin per requiem David terram Chanaan intelligat, in quam Joſue populum induxit. ſed hanc fuiſſe ultimam requiem negat, ad quam aſpirant fideles: quæ illius etiam ſeculis fidelibus nobiſcum fuit communis. Certum eſt enim, altius eos reſpexiſſe quam ad terram illam. imo terra Chanaan non aliunde tanti æſtimabatur, niſi quod ſpiritualis hæreditatis imago erat ac ſymbolum. Ergo poſſeſſionem adepti non debuerunt quieſcere, acſi ad ſummam votorum perventum foret: ſed potius meditari quod erat in ea ſpirituale. Poſſeſſione fruebantur illi, quibus David Pſalmum dictavit: ſed admonebantur de quærenda meliori requie. Videmus ut terra Chanaan fuerit requies: ſed umbratilis, & ultra quam fideles progredi oportuit. Hoc ſenſu negat Apoſtolus requiem fuiſſe præſtitam à Joſue, quia ipſius auſpiciis ideo terram promiſſam ingreſſus eſt populus, ut in cælum alacriore ſtudio contenderet. Atque hinc colligere promptum eſt quale ſit inter nos & illos diſcrimen. Nam quum utrique idem ſcopus ſit præfixus, illis additi ſunt externi typi quibus dirigerentur: nobis non item. nec ſane opus fuit: quum res ipſa nuda ponatur ante oculos. Nam etſi in ſpe adhuc poſita eſt ſalus noſtra, tamen quod ad doctrinam ſpectat, recta nos in cælum ducit. nec Chriſtus manum ideo nobis porrigit, ut nos per figuras circumducat: ſed ut è mundo abductos in cælum erigat. Quod autem umbram ſeparat Apoſtolus à veritate, id facit quia illi cum Judæis erat negotium qui in externis rebus nimium hærebant. Concludit, relinqui populo Dei ſabbathiſmum: hoc eſt, eſſe quandam ſpiritualem requiem ad quam nos quotidie Deus invitat.

10. *Nam qui requievit.*] *Eſt illius perpetui Sabbathi* definitio, in quo ſumma hominum beatitudo conſiſtit, ubi quædam eſt inter illos & Deum ſimilitudo, qua cum ipſo cohæreant. Quicquid enim unquam de ſummo bono diſputarunt Philoſophi, inſipidum ac nugatorium fuit, quia hominem in ſeipſo detinebant: quum neceſſe ſit extra nos exire ut felicitatem reperiamus. Summum ergo hominis bonum nihil aliud eſt quam cum Deo conjunctio. eo pervenitur quum ad ejus exemplar ſumus compoſiti. Porro iſtam conformationem Apoſtolus in eo ſitam eſſe docet, ſi ab operibus noſtris quieſcamus. unde tandem ſequitur, hominem ſe abnegando, beatum fieri. Quid enim aliud eſt ceſſatio ab operibus noſtris, quam carnis mortificatio, dum ſibi homo renunciat ut vivat Deo? Nam hinc ſemper faciendum eſt exordium, quum de regula pie ſancteque vivendi agitur, ut homo ſibi quodammodo mortuus, Deum patiatur in ſe vivere: ferietur ab operibus propriis, ut locum Deo agenti concedat. Fateri enim neceſſe eſt, tunc recte demum conſtitutam eſſe vitam quum Deo ſubjecta eſt. Atqui propter ingenitam pravitatem hoc nunquam fit, donec à propriis operibus ſuperſedemus. talis (inquam) repugnantia eſt inter Dei gubernationem & noſtros affectus, ut in nobis agere, niſi otioſis, nequeat. Quia vero hujus quietis complementum nunquam extat in vita, ſemper eo nitendum eſt. Ita fideles ingrediuntur: ſed hac conditione, ut currendo, aſſidue proficiant. Cæterum non dubito quin ad Sabbathum data opera alluſerit Apoſtolus, ut Judæos revocaret ab externa ejus obſervatione.

vatione. neque enim aliter poteſt ejus abrogatio intelligi, quam cognito ſpirituali fine. Proinde duo ſimul agit: nam & gratiæ excellentiam commendando, nos ad eam fide recipiendam ſtimulat: & obiter interea oſtendit quænam vera ſit Sabbathi ratio: ne præpoſtere Judæi in externa ceremonia hæreant. De abrogatione quidem non aperte diſſerit: quia non hoc agit ex profeſſo. ſed quum alio ſpectaſſe docet illam ceremoniam, paulatim ita eos à ſuperſtitioſa opinione abducit. Qui enim alium fuiſſe finem præcepti tenet, quam externum otium vel cultum terreſtrem, is in Chriſtum reſpiciendo, mox facile ejus adventu ceremoniæ uſum abolitum eſſe perſpicit. corporis enim aſpectu umbræ protinus evaneſcunt. Ergo hoc primo ſemper agendum eſt, ut Chriſtum doceamus eſſe Legis finem.

11. Studeamus ergo ingredi illam requiem, ne quis eodem cadat incredulitatis exemplo.

12. Vivus enim ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio utrimque ſcindente, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagumque & medullarum, ac diſcretor cogitationum & intentionum cordis.

13. Nec ulla eſt creatura quæ non appareat coram ipſo: imo omnia nuda & reſupina in oculis ejus cum quo nobis eſt ratio.

Poſtquam ſcopum oſtendit quo tendere debemus, nunc ut viam ineamus admonet: quod fit dum aſſueſcimus ad noſtri abnegationem. Quia autem ingreſſum in requiem comparat recto curſui, huic caſum opponit: atque ita utroque membro metaphoram continuat. Quanquam ſimul alludit ad hiſtoriam
Num. 26. verſ. 65. quam ex Moſe retulit de iis qui ceciderunt in deſerto qui fuerant Deo rebelles. Ideo dicit ἐν τῷ ὑποδείγματι, ſignificans quaſi in tabula nobis illic depictam repræſentari pœnam infidelitatis & contumaciæ: nec vero dubium eſſe quin idem nos maneat exitus, ſi reperietur in nobis ſimilis incredulitas. Ergo *cadere* pro Perire accipitur: vel ut clarius dicam, non pro peccato, ſed pœna. Sed tam priori verbo Ingrediendi translatio reſpondet, quam triſti excidio Patrum, quorum exemplo terrere voluit Judæos.

12. *Vivus enim* &c.] Quicquid hic de verbi efficacia diſſerit, huc pertinet, ut ſciant impune non poſſe contemni. acſi diceret, Quoties nos Dominus voce ſua compellat, ſerio agit nobiſcum, ut omnes interiores ſenſus noſtros afficiat. itaque nulla eſt pars animæ quam non oporteat permoveri. Cæterum antequam ultra progredimur, videndum eſt loquaturne generaliter Apoſtolus de verbo, an peculiariter ad fideles hoc referat. Conſtat enim non peræque in omnibus efficax eſſe Dei verbum. nam erga electos vim ſuam exerit, ut vera ſui agnitione humiliati, ad Chriſti gratiam confugiant. quod fieri nequit quin uſque ad intimum cor penetret: excutienda eſt enim hypocriſis, quæ miros habet ac pluſquam flexuoſos receſſus in cordibus hominum. Deinde non leviter nos pungi vel lancinari, ſed penitus vulnerari oportet, ut mortis æternæ ſenſu proſtrati, nobis mori diſcamus. Denique nunquam renovabimur
Epheſ. 4. verſ. 23. tota mente (quod tamen Paulus præcipit) donec hujus ſpiritualis gladii acie confectus fuerit vetus noſter
Phil. 2. verſ. 17. homo. Unde fideles alibi Paulus dicit Deo immolari per Euangelium: quia non poſſunt aliter in obſequium Dei redigi, quam ſi intereat propria ipſorum voluntas: nec aliter poſſunt lucem divinæ ſapientiæ percipere, niſi extincta carnis prudentia. In reprobis nihil tale apparet: nam vel ſecure deſpiciunt loquentem Deum, adeoque ſubſannant: vel obſtrepunt ejus doctrinæ, ac contumaciter in eam inſurgunt. Denique ſicuti verbum Dei malleus eſt, ita cor illi habent incudis inſtar, ut ictus quantumvis validos ſua duritia repellat. Ergo multum abeſt quin verbum Dei penetret in ipſos *ad diviſionem uſque animæ & ſpiritus*. Unde videtur hoc elogium reſtringendum ad ſolos fideles, quando ſoli ita ad vivum examinantur. Verum contextus Apoſtoli oſtendit hanc ſententiam eſſe univerſalem, & quæ ad reprobos quoque ipſos patet. Nam utcunque non emolliantur, ſed ferreum cor aut chalybeum verbo Dei opponant: neceſſe eſt tamen ipſos reatu ſuo conſtringi. Ridenr quidem, ſed riſum Sardonium, quia intus ſe quaſi ſtrangulari ſentiunt: tergiverſantur variis modis, ne ad Dei tribunal accedant: ſed inviti ab hoc ipſo verbo cui proterve inſultant, protrahuntur: ut apte rabidis canibus conferri poſſint, qui mordentes, vel unguibus appetentes catenam cui ſunt alligati, nihil tamen proficiunt, quia nihilominus manent conſtricti. Deinde etiamſi non primo ſtatim die extet hic verbi effectus, tandem ex eventu judicare licebit, non fruſtra cuiquam fuiſſe prædicatum. Generale certe eſt quod Chriſtus pronunciat, Joan. 16. verſ. 8.
Spiritus quum venerit, arguet mundum. Atqui Spiritus hoc judicium per Euangelii prædicationem exercet. Poſtremo etiamſi hanc vim non ſemper ea erat erga homines verbum Dei, habet tamen in ſe quodammodo incluſam. Apoſtolus autem hic de ejus natura proprioque officio diſputat, in hunc tantum finem, ut ſciamus conſcientias noſtras ſimulatque auribus inſonuit, reas ad Dei tribunal citari. acſi diceret, Siquis putet aërem inani ſonitu verberari quum profertur Dei verbum, valde errat: res enim viva eſt, & occultæ energiæ plena, quæ nihil in homine intactum relinquat. Hæc ergo ſumma eſt, Simulatque ſacrum os aperuit Deus, debere ſenſus omnes noſtros recipiendo ejus verbo patefieri: quia non velit fruſtra voces ſpargere quæ aut evaneſcant, aut neglectæ in terram cadant: ſed efficaciter compellare hominum conſcientias, ut imperio ſuo ſubjiciat: itaque hanc vim indidiſſe verbo ſuo, ut omnes animæ partes excutiat, examinet cogitationes, affectus dijudicet, ſe denique judicem oſtendat. Sed hic ex oritur nova quæſtio, de Legene an de Euangelio hoc ſit intelligendum. Qui de Lege Apoſtolum loqui putant, adducunt illa Pauli teſtimonia: Miniſterium 2 Cor. 3.
eſſe mortis, Literam eſſe quæ occidat, Nihil præter verſ. 6, 7.
iram afferre, & reliqua ejuſmodi. Sed hic diverſos Rom. 4.
etiam effectus Apoſtolus notat: eſt enim (ut diximus) verſ. 15.
vivifica quædam occaſio animæ, quæ fit per Euangelium. Sciamus ergo Apoſtolum de univerſa Dei doctrina concionari, quum dicit vivam eſſe & efficacem. Ita Paulus teſtatur, ex ſua prædicatione 2 Cor. 2.
prodire odorem mortis in mortem incredulis, vitæ verſ. 16.
in vitam fidelibus: ut Deus nunquam fruſtra loquatur quin alios ad ſalutem adducat, alios præcipitet in exitium. Hæc eſt ligandi & ſolvendi poteſtas Mat. 18.
qua Dominus Apoſtolos ſuos inſtruxit. Hæc eſt verſ. 18.
ſpiritualis potentia de qua Paulus gloriatur, 2 ad Corinth. cap. 10. verſ. 4. Et ſane nunquam in Chriſto ſalutem nobis promittit quin exadverſo vindictam incredulis denunciet, qui Chriſtum reſpuendo mortem ſibi accerſunt. Præterea notandum eſt Apoſtolum hic de verbo Dei diſſerere quod hominum miniſterio ad nos affertur. Deliræ enim ſunt illæ cogitationes, atque etiam pernicioſæ, internum quidem verbum eſſe efficax: ſed quod prodit ex ore hominis eſſe mortuum, omnique carere effectu. Fateor ſane efficaciam non provenire ex lingua hominis, nec in ſonitu ipſo reſidere: ſed totam Spiritui ſancto debere acceptam ferri. hoc tamen non

Digitized by Google

impedit quominus Spiritus virtutem ſuam proferat in verbo prædicato. Deus enim quia non per ſe loquitur ſed per homines, ſedulo huc incumbit ne ideo contemptim excipiatur ſua doctrina quod homines (Rom. 1. verſ. 16.) ſint ejus miniſtri. Sic Paulus, quum Euangelium nominat potentiam Dei, data opera ornat hoc titulo ſuam prædicationem, quam aliis probroſam videbat (Rom. 10. verſ. 8.) eſſe, ab aliis contemni. Et quum alibi docet ſalutem nobis conferri per fidei doctrinam, nominatim eam eſſe exprimit quæ prædicatur. Videmus ut ſemper Deus ex profeſſo doctrinam quæ nobis hominum opera adminiſtratur, commendet, quo nos contineat in ejus reverentia. Porro quum *vivus ſermo* vocatur, ſubaudienda eſt relatio ad homines. quod melius patet ex ſecundo epitheto: oſtendit enim qualis hæc ſit vita, quum *efficacem* deinde nominat. Nam Apoſtoli conſilium ,eſt docere qualis ſit erga nos verbi uſus. Metaphoram *gladii* aliis etiam in locis Scriptura uſurpat: ſed Apoſtolus ſimplici comparatione non contentus, ſermonem Dei *quovis gladio penetrantiorem eſſe* dicit, & quidem *utrimque ſcindente*: quia tunc frequens erat gladiorum uſus, qui partem unam obtuſam habentes, altera tantum ſcindebant. *pertingens uſque* &c. Nomen *animæ* ſæpe idem valet quod *ſpiritus.* ſed quum ſimul junguntur, prius comprehendit ſub ſe affectus omnes: poſterius facultatem quam vocant intellectualem, ſignificat. Ita Paulus, 1 Theſſ. cap. 5. v. 23. quum Deum precatur ut integrum eorum ſpiritum & animam & corpus conſervet uſque in adventum Chriſti; nihil aliud ſibi vult quam ut intellectu & voluntate externiſque actionibus puri & caſti maneant. Similiter Jeſ. 26. v. 9. quum dicit, Anima mea deſideravit te noctu, ſpiritu meo quæſivi te: hoc certe intelligit, ſe ita quærendo Deo intentum eſſe, ut mentem ſimul & cor illuc applicet. Scio alios ſecus interpretari: ſed mihi facile omnes ſani, ut ſpero, aſſentientur. Nunc veniamus ad præſentem locum. Pertingit verbum Dei ad diviſionem animæ & ſpiritus: hoc eſt, examen habet de tota hominis anima: inquirit enim in cogitationes, voluntatem cum ſuis omnibus deſideriis ſcrutatur. Eodem pertinet quod ſubjicit de *compagibus & medullis.* ſignificat enim nihil eſſe tam durum aut ſolidum in homine, nihil tam reconditum quo non perveniat hæc verbi efficacia. hoc eſt quod dicit Paulus, 1 ad Corinthios capite 14. v. 24. valere prophetiam ad arguendos & dijudicandos homines: ut occulta cordis in lucem prodeant. Et quum officium Chriſti ſit retegere, proferreque in medium cogitationes ex cordis latebris: id per Euangelium magna ex parte efficit. Eſt igitur ſermo Dei κριτικὸς, quia mentem hominis quaſi ex labyrintho quo prius tenebatur implicita, in lucem cognitionis educit. Nullæ enim denſiores ſunt tenebræ, quam infidelitatis: & hypocriſis horrendum in modum nos excæcat. Tenebras illas diſcutit ſermo Dei, hypocriſin profligat. Hinc diſcretio vel dijudicatio hæc, cujus meminit Apoſtolus: quoniam vitia quæ ſub falſa virtutum ſpecie latebant, cognoſci incipiunt abſterſo fuco. Quod ſi in ſuis latebris ad tempus manent reprobi, ſentiunt tamen demum illuc quoque verbi lucem penetraſſe, ut non effugiant Dei judicium. Hinc fremitus eorum, adeoque furor: quia niſi verbo perculſi eſſent, non ita proderent ſuam inſaniam: cuperent enim eludere, vel tergiverſando effugere vim ipſius: diſſimulare etiam cuperent: hoc illis Deus non permittit. Ergo quoties vel obloquuntur, vel excandeſcunt adverſus Dei verbum, vim ejus, quamlibet invitos ac repugnantes, intus ſentire ſe fatentur.

13. *Nec ulla eſt creatura* &c.] Copula hic (meo judicio) cauſalem particulam valet: nam ut confirmet illud, verbo Dei quicquid in homine abſconditum eſt, dijudicari, argumentum à natura Dei ſumit. Nulla, inquit, creatura eſt quæ lateat oculos Dei. Ergo nihil tam profundum erit in anima hominis quod non extrahatur in lucem ejus verbo quod auctorem ſuum refert. Sicuti enim officium Dei eſt ſcrutari corda: ita hanc cognitionem verbo ſuo exercet. Hoc dum non conſiderant Interpretes, verbum Dei ſcilicet inſtar conti eſſe, quo aperitur & inquirit quid in cordibus noſtris lateat: violenter torſerunt hunc totum locum, nec tamen ſe expediunt. At omnem difficultatem tollit ratiocinatio iſta, verbo Dei ſincere & ſerio cordis affectu eſſe obediendum: quia Deus qui cordium eſt cognitor, has partes aſſignaverit verbo ſuo, ut penetret ad intimas uſque cordis cogitationes. Fefellit etiam Interpretes ambigua loquutio, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. nam verterunt Ad quem nobis eſt ſermo. Atqui potius vertendum erat, Cum quo nobis eſt ratio: cujus orationis hic eſt ſenſus, Deum eſſe qui nobiſcum agit, vel cum quo nobis eſt negotium: ideoque non eſſe ludendum quaſi cum homine mortali. Sed quoties verbum ejus nobis proponitur, contremiſcendum eſſe: quia nihil ipſum lateat.

14. Habentes igitur Pontificem magnum qui cælos ingreſſus eſt, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.

15. Neque enim habemus Pontificem, qui compati non poſſit infirmitatibus noſtris: ſed in omnibus tentatum, ſecundum ſimilitudinem, abſque peccato.

16. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut obtineamus miſericordiam, & gratiam inveniamus in auxilium opportunum.

14. *Habentes igitur.*] Hactenus diſſeruit de Chriſti Apoſtolatu, nunc ad ſecundum ejus munus tranſit. Diximus enim duplicem perſonam Filio Dei fuiſſe impoſitam quum ad nos miſſus fuit, nempe Doctoris & Sacerdotis. Itaque poſtquam hortatus eſt Apoſtolus Judæos, ut obedienter amplectantur Chriſti doctrinam: nunc demonſtrat quem fructum ejus Sacerdotium attulerit. Atque hoc ſecundum ex duobus membris diſputationis quam tractat. Appoſitive autem Sacerdotium connectit cum Apoſtolatu, quum admonet hunc utriuſque eſſe finem, ut perveniamus ad Deum. Illatione utitor, quia prius hoc etiam caput attigerat, Chriſtum eſſe nobis Pontificem: ſed quia Sacerdotii vis non percipitur niſi ea doctrina, hanc viam ſterni oportuit, ut animos ad Chriſtum audiendum præpararet. Nunc reſtat, ut qui magiſtrum eum agnoſcunt, ſeque dociles illi præbent diſcipulos, diſcant quoque ex ore ejus vel ſchola, quænam ſit utilitas Sacerdotii ejus, & qualis uſus ac finis. Primo dicit, *Habentes Pontificem, Jeſum Filium Dei, confeſſionem teneamus.* Confeſſio hic, ut antea, pro Fide capitur metonymice. Quia autem ſacerdotium ad ſanciendam doctrinam valere debet, hinc colligit Apoſtolus, non eſſe cur hæſitemus aut vacillemus in fide Euangelii quam Filius Dei comprobavit ac ſancivit. Quiſquis enim ratam non habet hanc doctrinam, detrahit Filio Dei, ac ſacerdotii honore ipſum ſpoliat: tale (inquam) ac tantum pignus fiduciam addere nobis debet, ut intrepide recumbamus in Euangelium.

15. *Neque enim habemus* &c.] In nomine Filii Dei quod poſuit, ſubeſt ea majeſtas quæ nos ad timorem & obſequium adigat. Verum ſi nihil in Chriſto aliud conſideremus, nondum pacatæ erunt conſcientiæ.

ſcientiæ. quis enim non refor midet Filii Dei conſpe-ctum, præſertim quum reputamus qualis ſit noſtra conditio, nobiſque in mentem veniunt peccata noſtra? Deinde Judæis aliud obſtare poterat, quia Levitico ſacerdotio aſſueverant: illic cernebant hominem mortalem, unum ex aliis electum qui Sanctuarium iogrediebatur, ut ſua deprecatione reconciliaret fratres ſuos Deo. Hoc magnum eſt, quum mediator qui placare erga nos Deum poteſt, unus eſt ex nobis. Hæc illecebra poterat Judæos illaqueare, ut ſacerdotio Levitico ſemper eſſent addicti, niſi occurreret Apoſtolus, ac oſtenderet Filium Dei non modo excellere gloria, ſed æqua bonitate & indulgentia erga nos eſſa præditum. in boc igitur capite verſatur quum dicit, illum exercitatum eſſe noſtris infirmitatibus, ut nobis condoleat. Quod ad συμπαθῆσαι pertinet, nolo ſubtilius de ea diſputare. frivola enim non minus quam curioſa eſt iſta quæſtio, Num obnoxius ſit nunc Chriſtus noſtris miſeriis. Nec vero Apoſtolus talibus argutiis & otioſis ſpeculationibus fatigare nos voluit: ſed tantum docere, non procul quærandum eſſe mediatorem, quum nobis Chriſtus ultro manum porrigat: non eſſe cauſam cur Chriſti majeſtate abſterreamur, quum nobis ſit frater: non eſſe timendum, oe quaſi malorum expers nullo tangatur bumanitatis ſenſu ad opem nobis ferendam, quum infirmitates noſtras ſuſceperit, quo eſſet ad ſuccurrendum propenſior. Tota igitur Apoſtoli oratio ad fidei ſenſum referenda eſt; quia non diſputat qualis ſit io ſe Chriſtus, ſed qualem ſe nobis oſtendat. Similitudinem naturæ iotelligit: quo ſignificat Chriſtum ſimul cum carne noſtra affectus quoque induiſſe, ut non modo ſe verum bominem comprobaret, ſed ipſo experimento ad juvandos miſeros erudiretur: non quia opus talibus rudimentis habuerit Filius Dei, ſed quia nos aliter quam de ſalure noſtra curam gerit, mente apprehendere non poſſumus. Quoties ergo ſub carnis noſtræ ioſirmitatibus laboramus, nobis in mentem veniat, eaſdem Filium Dei expertum eſſe: ut nos ſua virtute erigat, ne illis obruamur. Sed quæri poteſt quid per *infirmitates* intelligat: varie auim accipitur boc nomen. Quidam frigus & calorem, famem, & alias corporis neceſſitates: deiode contemptum, inopiam, & reliqua ejus generis intelligunt: ſicuti apud Paulum multis locis, ac præſertim 2 Corinth. cap. 12. v. 10. Sed verius ſentiunt qui ſimul cum externis ærumnis comprehendunt animi affectus, quales ſunt metus, triſtitia, horror mortis, & ſimiles. Et certe fruſtra alioqui addita eſſet reſtrictio, *Abſque peccato*: niſi de affectibus ſermo eſſet, qui ſemper in nobis vitioſi ſunt propter naturæ pravitatem: io Chriſto autem in quo ſumma rectitudo & abſoluta puritas fuit, immunes fuerunt ab omni vitio. Paupertas certe, & morbi, & quæ extra nos ſunt, in peccatum non imputantur. Ergo quum de infirmitatibus loquitur quæ peccato ſunt affines, minima dubiom eſt quin affectus animi deſignet, quibus obnoxia eſt bominum natura, idque propter infirmitatem ſuam: Nam potior in eo Angelorum conditio quam noſtra, quod non dolent, non metuunt, non torquentur variis curis, mortem non formidant. Has infirmitates ultro Chriſtus ſuſcepit, & cum illis certare voluit: non modo ut de illis victoriam nobis acquireret, ſed etiam ut certo ſimus perſuaſi illum nobis prope adeſſe quoties illas experimur. Ita non eſſentia tantum factus eſt homo, ſed humanæ etiam naturæ qualitates in ſe recepit. Reſtrictio tamen additur, Abſque peccato: quia ſemper tenendum eſt hoc diſcrimen inter affectus Chriſti & noſtros: quod illi recte ſemper compoſiti fuerunt ad veram juſtitiæ regulam; noſtri autem qui ex turbido fonte manant, ſemper reſipiunt originis ſuæ naturam, quia turbuleoti ſunt & effrenes.

16. *Accedamus igitur cum fiducia* &c.] Concludit, acceſſum omnibus ad Deum patere, qui freti mediatore Chriſto ad eum accedunt: imo bortatur fideles, ut ſe in Dei conſpectum offerre ſine ulla dubitatione audeant. Atque bic præcipuus eſt ſpiritualis doctrinæ fructus, certa invocandi Dei fiducia: ſicuti rurſum concidit ac perit tota religio quum eripitur hæc certitudo conſcientiis. Unde colligere promptum eſt, in Papatu extinctam fuiſſe Euangelii lucam, ubi jubentur miſeri homines dubitare ſintne propitium Deum an infenſum habituri. Præcipiunt quidem ut Deus quæratur: ſed neque via oſtenditur qua perveniri ad eum poſſit, & obſeratur janua qua ſola ingredi licebat. Verbo fatentur Chriſtum mediatorem, ſed reipſa ſacerdutii ejus virtutem aboleot, ipſumque honore ſpoliant. Nam ita ſtatuendum eſt, Chriſtum vere mediatorem non cognoſci quin eximatur bominibus dubitatio, an adire ad Deum nec ne ipſis liceat. Alioqui non ſtaret hæc conſequentia, Habemus Pontificem qui ad nos juvandos voluntarius eſt: ergo ſecure & citra ullam hæſitationem adeundum nobis eſſe *thronum Dei*. Et ſane ſi ita perſuaſi eſſemus, Chriſtum ultro nobis manum protendere, quis non plenam adeundi fiduciam cooeiperet? Verum eſt igitur quod dixi, Chriſti ſacerdotio ſuam adimi virtutem, quamdiu bæſitant homines & anxii ſunt in quærendis mediatoribus: quaſi unus ille non ſufficiat, cujus patrocinio quicunque vere ſuffulti ſunt (quemadmodum bic Apoſtolus præcipit) certo conſtituunt exaudiri ſuas preces. Fundamentum bujus fiduciæ eſt, quod Dei thronus non majeſtate ouda inſignitur quæ nos obſtupefaciat: ſed ornatur novo titulo, nempe *gratiæ*, qui ſemper nobis in memoriam venire debet quum Dei conſpectum refugimus. Nam fieri non poteſt quio Dei gloria, ſi eam ſolam mente apprehendamus, nos protinus deſperatione abſorbeat: ita thronus ejus erit formidabilis. Apoſtolus ergo ut diffidentiæ medeatur, omnique trepidatione mentes noſtras liberet, illum veſtit gratia, nomenque illi imponit quod ſuavitate nos ſua alliciat: acſi diceret, Quandoquidem Deus throno ſuo quaſi inſigne gratiæ paternique erga nos amoris præfixit, non eſt quod ab aditu nos arceat ejus majeſtas. Summa eſt, tuto nos invocare Deum, quum nobis propitium eſſe ſcimus: id autem fieri Chriſti beneficio, quemadmodum habetur ad Epheſios capite 3. v. 12. quia dum in ſuam fidem ac clientelam nos Chriſtus recipit, Dei majeſtatem quæ formidabilis alioqui eſſe poterat, bonitate velat, ne quid illic appareat præter gratiam paternumque favorem. *Ut obtineamus miſericordiam*, &c. Hoc oon ſine magna cauſa additur, ut nominatim eos confirmet qui miſericordia indigent: ne quis miſeriæ ſuæ ſenſu dejectus, viam ſibi ſua diffidentia obſtruat. Loquutio bæc, Ut obtineamus miſericordiam, primo ſuaviſſimam doctrinam continet: quicunque Chriſti patrocinio ſubnixi Deum precati fuerint, de obtinenda miſericordia certos fore. omnibus tamen qui hanc viam non tenuerint, oblique minatur Apoſtolus, ac Deum illis fore ineaorabilem ſignificat, quia uoicam ejus placandi rationem contempſerint. Addit, *in auxilium opportunum*: boc eſt, ſi velimus impetrare quæcunque ſunt in ſalutem noſtram neceſſaria. Opportunitas autem iſta ad tempus vocationis reſpicit: ſecundum illud Jeſaiæ, quod Paulus Jeſ. 49.
ad Euangelii publicationem accommodat, Ecce verſ. 8.
nunc tempus acceptum, &c. Reſpicit enim Apoſto- 2 Cor. 6.
lus ad diem bodiernum quo Deus nobiſcum loqui- verſ. 2.
tur. Quod ſi Deo bodie loquente in craſtinum differimus, veniet noa intempeſta, qua non amplius licebit quod jam licet, fruſtraque oſtio clauſo pulſabimus.

CAP. V.

Cap. V.

* vel, ordinat ea quæ.
* vel, moderatum.

Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus * conſtituitur ad ea quæ ad Deum pertinent, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.

2. Qui poſſit * placabilem ſe præbere ignorantibus & errantibus: quando ipſe quoque circumdatus eſt infirmitate.

3. Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſeipſo offerre pro peccatis.

4. Ac nemo ſibi uſurpat honorem: ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.

5. Quare nec Chriſtus ſeipſum glorificavit ut eſſet Pontifex: ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Pſal. 2. verſ. 7. Pſ. 110. verſ. 4.

6. Quemadmodum & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.

1. *Omnis namque Pontifex.*] Comparat Chriſtum cum ſacerdotibus Leviticis: ac docet quid cum illis ſimile habeat vel diverſum. huc autem ſpectabit tota diſputatio ut probe intelligatur officium Chriſti: deinde quicquid ſub Lege inſtitutum fuit, ejus cauſa fuiſſe inſtitutum. hinc tandem ſibi tranſitum faciet Apoſtolus ad docendam veteris ſacerdotii abrogationem. Primo dicit, *aſſumi ex hominibus* Sacerdotes: deinde non rem privatam, ſed totius populi agere. tertio non debere inanes accedere ad placandum Deum, ſed ſacrificiis inſtructos. quarto infirmitatum noſtrarum non debere eſſe expertes, quo libentius ſuccurrant laborantibus. poſtremo non temere ad munus obeundum debere proſilire: ſed tunc demum honorem eſſe legitimum, ubi à Deo electi ſunt & comprobati. Nunc de ſingulis membris breviter tractemus. Prius tamen coarguenda eſt eorum inſcitia qui hæc trahunt ad tempus noſtrum, quaſi idem hodie eſſet ſacerdotum uſus ad victimas offerendas: quanquam non longa refutatione opus habet. quid enim apertius quam veritatem quæ in Chriſto eſt, cum figuris conferri? quæ ut tempore fuerunt priores, ita nunc ceſſarunt. atque id melius ex contextu patebit. Quare pluſquam ridiculi ſunt qui Miſſæ ſacrificium ſtabilire volunt ex hoc loco. Redeo ad verum Apoſtoli ſenſum. Sacerdotes ex hominibus dicit aſſumi: hinc ſequitur, Chriſtum oportuiſſe verum eſſe hominem. nam quia longe à Deo diſtamus, in ejus conſpectu quodammodo ſiſtimur in Sacerdotis perſona: quod non fieret niſi unus eſſet ex nobis. Itaque quod communem nobiſcum habet naturam Filius Dei, adeo hoc non minuit ejus dignitatem, ut magis nobis commendet. nam ideo ad conciliandum nobis Deum eſt idoneus, quia homo eſt. Ideo nominatim Paulus ut ipſum Mediatorem eſſe probet, hominem vocat: quandoquidem ſi ex Angelis vel aliunde aſſumptus eſſet, quia ad nos uſque non pertingeret, non poſſemus per ipſum Deo conjungi. *Pro hominibus.* Secundum membrum, Quod non ſibi privatim miniſtret Sacerdos, ſed in commune populi bonum ſit inſtitutus. Atque hoc notare operæpretium eſt, ut ſciamus noſtram omnium ſalutem agi ac verti in Chriſti ſacerdotio. Speciem utilitatis exprimunt hæc verba, *Ordinat ea quæ ad Deum pertinent:* quanquam hic poteſt eſſe duplex lectio, quia verbum καθίσταται, tam paſſivam quam activam ſignificationem habet. Qui paſſive accipiunt, ita vertunt, Conſtituitur in his: atque ita ſubaudiunt præpoſitionem quæ ſerviat articulo τά. Mihi altera interpretatio non minus placet, Curat Pontifex vel ordinat quæ ad Deum pertinent: nam conſtructio melius fluit, & ſententia eſt plenior. Utrovis tamen modo accipere libeat, huc tendit Apoſtolus nobis cum Deo nihil eſſe niſi adſit Sacerdos. nam quum profani ſimus, quid nobis cum Sacris? Denique alieni ſumus à Deo ejuſque cultu donec ſe interponat Sacerdos, viceſque noſtras ſuſcipiat. *Ut offerat dona.* Tertium quod in Sacerdote ponit, eſt donorum oblatio. Duæ tamen hic ſunt voces, Dona & victimæ: quarum prior (meo judicio) complectitur varias ſacrificiorum ſpecies: ita eſt quaſi genus. ſecunda autem expiationis ſacrificia ſpecialiter deſignat. Summa tamen eſt, Sacerdotem nonniſi intercedente victima, pacificatorem eſſe inter Deum & homines: quia ſine ſacrificio non expiantur peccata, nec placatur ira Dei. Proinde quoties de reconciliatione Dei & hominum agitur, præeat ſemper hoc pignus neceſſe eſt. Ita videmus Angelos impetrando Dei favori minime pares eſſe, quia ſacrificio nullo inſtructi ſunt. idem & de Prophetis atque Apoſtolis ſentiendum. Solus ergo Chriſtus eſt qui ſublatis per ſacrificium ſuum peccatis, Deum nobis exorat.

2. *Qui poſſit.*] Quartum hoc membrum nonnullam habet cum primo affinitatem: diſtingui tamen debet. nam illic docebat Apoſtolus, in unius hominis perſona conjungi Deo genus humanum: quia ex eadem carne & natura omnes homines conſtent. Nunc aliud attingit, Sacerdotem peccatoribus æquum & facilem eſſe debere, quia ſocius ſit infirmitatum. μετριοπαθεῖν, quod verbum hic Apoſtolus uſurpat, varie exponunt tam Græci quam Latini interpretes. Ego tamen ſimpliciter idem valere puto, acſi dictum eſſet accommodare ſe ad συμπαθεῖν. Non omnia quidem quæ hic de Leviticis ſacerdotibus prædicantur, Chriſto conveniunt: ſcimus enim Chriſtum ab omni peccati contagione fuiſſe immunem. quare in hoc differt ab aliis, quod *non opus habuit ſacrificium pro ſe offerre. Verum ſatis eſt* quod infirmitates noſtras ipſe quoque ſuſtinuerit, tametſi à peccato vacuus & purus. Ergo quod ad veteres illos & Leviticos pertinet, dicit Apoſtolus infirmitati humanæ fuiſſe obnoxios. Et ideo propria quoque peccata expiaſſe ſacrificiis, ut aliorum erratis non tantum æquiores eſſent, ſed etiam condoleſcerent. Hæc pars ad Chriſtum eatenus debet accommodari, ut inferatur illa exceptio cujus prius meminit: nempe quod ſine peccato expertus ſit noſtras infirmitates. Quanquam autem peccati ſemper expers fuerit: ſolus tamen ille infirmitatum ſenſus de quo dictum eſt, abunde in eo valet, ut propenſus ſit ad nos juvandos, clemens & facilis ad ignoſcendum, ſollicitus de malis noſtris. Summa hæc eſt, Chriſtum non modo propter carnis & naturæ unitatem nobis fratrem eſſe: ſed infirmitatum noſtrarum ſocietate ad indulgentiam & facilitatem induci & quaſi formari. Participium δυνάμενος plus valet quam in communi noſtro ſermone. ſumitur enim pro Idoneo vel apto. *Errantes & ignorantes* pro peccantibus accepit, more Hebraico. Nam שגגה pro quovis delicti genere Hebræi accipiunt: de qua re erit paulo poſt dicendi locus.

4. *Et nemo ſibi honorem.*] In hoc membro partim ſimilitudo, partim diverſitas notanda eſt. Munus legitimum facit Dei vocatio: ut nemo rite & ordine illo fungatur niſi à Deo creatus. Hoc Chriſto & Aaroni commune eſt, quod utrumque Deus vocavit. In hoc differunt, quod quum ſecundum novam & diverſam rationem ſucceſſerit Chriſtus, & conſtitutus

fuerit

fuerit perpetuus Sacerdos: inde patet, temporale fuiſſe Aaronis ſacerdotium, quod ceſſare debuerit. Videmus quorſum tendat Apoſtolus. Jus ſacerdotii vendicandum erat Chriſto. id facit, oſtendens Deum eſſe auctorem. Sed hoc non ſufficit, niſi conſtet, ut illi ſit locus, finem veteri fuiſſe impoſitum. Id probat, quia reſpicienda eſt conditio qua inſtitutus fuit Aaron: (neque enim noſtrum eſt longius extendere quam ferat Dei decretum) mox autem palam faciet quouſque durare priorem ordinem Deus voluerit. Chriſtus ergo legitimus eſt Sacerdos: quia Dei auctoritate conſtitutus fuit. Quid de Aarone & reliquis ejus ſucceſſoribus dicendum? nempe tantum habent juris quantum illis à Domino conceſſum eſt, non quantum illis ſua opinione homines deferunt. Cæterum tametſi hoc pro cauſæ præſentis circumſtantia dictum eſt, licet tamen generalem doctrinam inde colligere: nullum in Eccleſia regimen erigendum eſſe hominum arbitrio, ſed expectandum eſſe Dei juſſum. deinde certam eligendi regulam ſequendam eſſe, ut ſe nemo propria libidine ingerat. Utrumque diſtincte notandum eſt. neque enim hic de perſonis tantum diſſerit Apoſtolus, ſed de ipſo officio. Negat, inquam, probum & ſanctum eſſe munus quod ſibi homines finxerint abſque Dei mandato. Ut enim Dei proprium eſt Eccleſiam regere: ita ſibi uni hoc aſſerit, ut modum rationemque adminiſtrationis præſcribat. unde conſtituo Papale ſacerdotium adulterinum eſſe, quia in hominum officina fabricatum eſt. Nuſquam jubet Deus ut ſibi nunc ſacrificium offeratur expiandis peccatis: nuſquam mandat ut in hunc uſum inſtituantur ſacerdotes. Quum ergo ſuos ſacerdotes Papa ad ſacrificandum inauguret, pro legitimis eſſe habendos negat Apoſtolus. Niſi forte novo quodam privilegio ſupra Chriſtum ſe efferant, qui ultro ſuſcipere honorem auſus non eſt, ſed Patris vocem expectavit. Hoc quoque in perſonis valere debet: ne ſibi quiſque privatus honorem arripiat, ſed ut præcedat publica auctoritas. Loquor de officiis alioqui divinitus ordinatis. Quanquam fieri interdum poterit ut qui à Deo non erit vocatus, ſit tamen tolerandus, utcunque minus probetur: modo ſanctum & Deo probatum ſit munus. Multi enim ſæpe aut ambitione, aut malis artibus obrepunt, quibus ſuæ vocationis ratio minime conſtat: neque tamen protinus rejiciendi erunt, præſertim ubi id publico Eccleſiæ judicio fieri nequit. Jam ducentis ante adventum Chriſti annis fœdiſſimæ corruptelæ regnaverant in occupando ſacerdotio. in ipſo tamen officio jus honoris manebat ex Dei vocatione. Homines ipſi quia oppreſſa erat Eccleſiæ libertas, tolerabantur. Unde apparet ſummum defectum eſſe in ipſo genere officii: quum ſcilicet comminiſcuntur à ſeipſis homines quod nuſquam Deus præcepit. Quo minus ferendi ſunt ſacrifici Romanenſes, qui nihil quam ſuos titulos crepant ut ſacroſancti habeantur: quum tamen ſe ipſi legerint Deo inconſulto.

5. *Filius meus es tu.*] Videri poſſet longe petitum hoc teſtimonium: neque enim ſi à Deo Patre genitus fuit Chriſtus, ideo & Sacerdos ordinatus. Verum ſi reputamus ad quid revelatus fuerit Chriſtus mundo, facile conſtabit, illi qualitatem hanc neceſſario convenire. Primo tamen memoria repetendum eſt quod primo capite diximus, hanc Chriſti genituram, de qua Pſalmus loquitur, fuiſſe teſtimonium quod illi Pater reddidit apud homines. Itaque non eſt hic mutua inter Patrem & Filium relatio: ſed potius hominum reſpectus habetur, apud quos illuſtratus eſt. Nunc qualem nobis Filium manifeſtavit Deus? an nullo honore, nullaque facultate præditum? imo ut inter ſe & homines mediator eſſet. ergo ſacerdotium continet genitura.

6. *Quemadmodum & alibi.*] Hic clarius exprimitur quod Apoſtolus intendit. Locus eſt celebris, & totus etiam Pſalmus unde ſumptus eſt: quia vix aliud extat luculentius vaticinium de æterno Chriſti tam ſacerdotio quam regno. Et tamen Judæi modis omnibus cavillari ſtudent, ut obſcurent Chriſti gloriam: ſed nihil proficiunt. Nam quod ad Davidem trahunt, quaſi is ſit quem Deus ad dexteram ſuam ſedere jubeat: nimis craſſæ impudentiæ eſt. Scimus nefas fuiſſe Regibus ſacerdotium attingere. Quare Uſias hoc ſolo crimine quod ſe immiſcuit in alienum munus, iram Dei provocavit ut lepra percuteretur. Proinde certum eſt, neque Davidem, neque alium quempiam ex Regibus hic deſignari. Si excipiant כהנים interdum vocari Principes: fateor id quidem, ſed nego præſenti loco quadrare. Comparatio enim nihil ambiguitatis relinquit. Melchiſedec Sacerdos fuit Dei. Pſalmus teſtatur hunc Regem quem in dextera Dei collocavit, fore כוהן *ſecundum ordinem Melchiſedec.* Quis non videt de ſacerdotio hoc debere intelligi? Nam quia rarum & prope ſingulare exemplum erat, ut idem Rex eſſet ac Sacerdos, ſaltem in populo Dei erat inuſitatum: ideo Melchiſedec proponit Meſſiæ exemplar. acſi diceret, non fore impedimento regiam dignitatem quominus ſacerdotio quoque fungatur, quia hujus rei typus in Melchiſedec præceſſerit. Et certe quicunque inter Judæos ſunt aliquantum verecundi, tum de Meſſia ſermonem hic haberi concedunt, tum etiam ſacerdotium ejus commendari non dubitant. Ubi Græci verterunt κατὰ τάξιν, Hebraice legitur על דברתי, quod ſignificat Inſtar, vel pro ratione: quo confirmatur illud quod jam dixi, quia res erat minime uſitata in populo ut idem Regis & Sacerdotis perſonam ſuſtineret, vetus illud proponi exemplar, quo Meſſias fuit adumbratus. Reliqua ſubtilius Apoſtolus ipſe ediſſeret in contextu.

1 Par. 26, verſ. 18.

7. Qui in diebus carnis ſuæ quum & precationes, & ſupplicationes obtuliſſet cum clamore valido & lachrymis, ei qui poterat eum ex morte ſervare, & exauditus eſſet ex ſuo metu:

8. Tametſi Filius erat, didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam:

9. Et ſanctificatus, omnibus qui illi obediunt, factus fuit cauſa æternæ ſalutis:

10. Cognominatus à Deo Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec.

11. De quo nobis multus ſermo, & difficilis explicatu: quandoquidem tardi facti eſtis auribus.

7. *Qui in diebus.*] Quia cruce ut plurimum deformatur Chriſti ſpecies, dum non conſiderant homines quem in finem humiliatus fuerit: iterum docet Apoſtolus quod prius attigerat, refulgere in hac parte miram illius bonitatem, quod in bonum noſtrum ſe infirmitatibus noſtris ſubjecerit. unde apparet, confirmari fidem noſtram: non imminui ejus honorem, eo quod mala noſtra ſubierit. Duas autem cauſas cur oportuerit Chriſtum pati, deſignat, proximam & ultimam. Hæc proxima eſt, ut obedientiam diſceret: ultima, ut in ſalutem noſtram hoc modo conſecraretur Sacerdos. *Dies carnis*, nemini dubium eſt hic accipi pro præſenti vita. Unde ſequitur, Carnis nomine non ſubſtantiam notari, ſed qualitatem. quemadmodum 1 Corinth. cap. 15:50. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Deſipiunt ergo fanatici homines qui nunc Chriſtum ſomniant carne ſua exutum, quia dicatur ſuperaſſe dies carnis.

carnis. Aliud enim eſt, eſſe verum hominem, tametſi beata immortalitate præditum: aliud, eſſe obnoxium humanis ærumnis & infirmitatibus, quas ſuſtinuit Chriſtus quamdiu in mundo verſatus eſt, nunc vero in cælum receptus depoſuit. Nunc rem inſpiciamus. Chriſtus qui Filius erat, qui remedium quæſivit apud Patrem, qui fuit exauditus: tamen mortem paſſus eſt, ut hoc modo erudiretur ad obedientiam. Singulis ineſt magnum pondus. Nam per Dies carnis ſignificat, tempus noſtris miſeriis finitum eſſe: quod non exiguam levationem affert. Et certe dura eſſet ac minime tolerabilis conditio ſi nullus patiendi finis oſtenderetur. Tria etiam quæ ſequuntur, non parum addunt conſolationis. Filius erat Chriſtus, quem ſua dignitas communi ſorte eximebat: & tamen huc ſe noſtra cauſa demiſit. Quis nunc mortalium eandem recuſare conditionem audeat? Accedit altera ratio. quod ſi rebus adverſis premimur, non expungimur è filiorum Dei numero: quum præeuntem cernamus eum qui ſolus natura Filius erat. Nam quod nos filii cenſemur, id fit adoptionis duntaxat beneficio, quatenus nos in ſocietatem ſuam admittit qui ſolus jure ſuo hunc ſibi honorem vendicat. *Quum preces.* Secundum hoc in Chriſto ponit, ipſum ubi decebat, remedium quæſiſſe ut à malis liberaretur. Atque hoc dicit ne quis imaginetur Chriſtum ferreo fuiſſe animo, qui nihil ſenſerit. ſemper enim ſpectandum cur quidque dicatur. Si nullo dolore tactus fuiſſet Chriſtus, nulla ex ejus paſſionibus conſolatio ad nos rediret. at quum audimus acerbiſſimos ipſum quoque animi cruciatus pertuliſſe, ſimilitudo jam nobis conſtat. Chriſtus, inquit, non ideo mortem & reliquas ærumnas ſubiit, quia contemneret, vel nullo mali ſenſu premeretur: deprecatus eſt enim cum lachrymis, quibus ſummum animi ſui angorem teſtatus eſt. Ergo per lachrymas & validum clamorem Apoſtolus vehementiam doloris exprimere voluit: ut ſatis uſitatum eſt, rem à ſignis notare. Nec dubito quin de illa precatione loquatur quam
Mat. 26. Euangeliſtæ referunt, Pater, ſi fieri poteſt, tollatur
verſ. 42. à me calix iſte. Item de altera, Deus meus, Deus
Mat. 27. meus, ut quid dereliquiſti me? Nam in ſecunda,
verſ. 46. mentio fit apud Euangeliſtas, validi clamoris: in priure non eſt credibile ſiccos fuiſſe oculos, quum præ ingenti mæſtitia guttæ ſanguineæ ex toto corpore fluerent. Certum quidem eſt, in extremas anguſtias tunc fuiſſe coactum. ergo & veris doloribus preſſus fuit, & ſerio oravit Patrem ut ſibi opem ferret. Quorſum hoc pertinet? nempe ut quoties nos urgent ac excruciant noſtra mala, in memoriam nobis redeat Filius Dei qui iiſdem laboravit. quamdiu autem ille nos præit, non eſt deficiendi cauſa. Simul tamen admonemur, non aliunde in malis ſalutem eſſe petendam, quam ab uno Deo. quæ enim nobis melior orandi regula, quam Chriſti exemplum? Ille autem recta ad Patrem ſe contulit. atque ita debere fieri indicat Apoſtolus, quum dicit obruliſſe preces ei qui eripere à morte poterat. Nam his verbis ſignificat, rite eum oraſſe, quia ad unum Deum liberatorem confugerit. *Lachrymæ & clamor* ardorem & intentius precandi ſtudium nobis commendant. Neque enim defunctorie, ſed ardentibus votis orandus eſt nobis Deus. *Et exauditus.* Quod tranſtulerunt alii, Pro ſua reverentia: mihi nequaquam placet. Primum ſimpliciter εὐλάβειαν ponit, non ſuam: deinde eſt ἀπὸ, non ὑπὲρ, aut aliquid ſimile quod cauſam deſignet. Quum igitur εὐλάβεια Græcis plerumque ſit metus vel ſollicitudo, non dubito quin ſignificet Apoſtolus exauditum fuiſſe Chriſtum ex eo quod timebat: ne ſcilicet malis obrutus ſuccumberet, vel morte abſorberetur. Nam ad hoc quoque certamen deſcendit Filius Dei, non quod diffidentia laboraverit ex qua proveniunt omnes noſtri metus, ſed quod ſenſu carnis ſuſtinuerit Dei judicium, cujus terror ſine arduo conatu vinci non poterat. Chryſoſtomus Chriſti dignitatem interpretatur, quam reveritus quodammodo fuerit Pater. quod eſt abſurdum. Alii pietatem intelligunt. verum expoſitio quam adduxi multo aptior eſt, nec longa confirmatione indiget. Porro hoc tertium addidit, ne putemus Chriſti preces fuiſſe repudiatas, quia non ſtatim exemptus à malis fuerit: nunquam enim illi Dei miſericordia auxiliumque defuit. Atque hinc colligendum ſæpe à nobis Deum exorari, etiam quum minime apparet. Tametſi enim neque noſtrum eſt certam quaſi formulam illi præſcribere, neque illum votis noſtris, qualiacunque mente vel lingua concipere libuerit, obtemperare decet: quocunque tamen modo conſulat ſaluti noſtræ, ſe precibus annuiſſe oſtendit. Ita quum in ſpeciem videmur repulſam ferre, plus longe impetramus quam ſi penitus nobis indulgeret. Sed quomodo exauditus fuit Chriſtus è ſuo metu, quum mortem quam horrebat ſubierit? Reſpondeo, finem timoris ſpectandum eſſe. cur enim mortem refugiebat, niſi quod in ea cernebat maledictionem Dei, quod cum ſcelerum omnium reatu, ipſiſque adeo inferis luctandum erat? Hinc trepidatio & anxietas, quod Dei judicium pluſquam formidabile eſt. Ergo quod volebat obtinuit, ut è mortis doloribus victor emergeret, ut ſalvifica Patris manu ſuſtineretur, ut poſt breve certamen de Satana, peccato, & inferis glorioſum triumphum ageret. Ita ſæpe fit ut hoc vel illud petamus, ſed in alium finem. ipſe vero Deus quod petieramus non concedens, interea modum invenit quo nobis ſuccurrat.

8. *Didicit obedientiam.*] Proximus finis paſſionum Chriſti, quod aſſuefactus hac ratione fuit ad obſequium. non quod vi cogendus eſſet, vel opus haberet talibus exercitiis: ſicuti boum vel equorum ferocia domatur. Satis enim ſuperque voluntarius fuit ad præſtandam Patri obedientiam quam debebat. verum id factum eſt noſtri reſpectu, ut experimentum ſpecimenque ederet ſuæ ſubjectionis ad mortem uſque. Quanquam vere hoc dici poteſt, Chriſtum morte ſua ad plenum didiciſſe, quid ſit obedire Deo: quando tunc maxime ad ſui abnegationem adductus eſt. Nam abdicata voluntate propria, euſque ſe Patri addixit, ut mortem, ad quam expaveſcebat, ſponte libenterque obierit. Senſus ergo eſt, paſſionum experientia Chriſtum fuiſſe edoctum quouſque Deo nos ſubjici ac parere oporteat. Quare nos quoque ejus exemplo, variis ærumnis, & tandem morte ipſa erudiri formarique convenit ad Dei obedientiam. imo nos multo magis, qui ingenio ſumus contumaci & indomito, niſi Dominus ad ferendum jugum ſuum talibus rudimentis nos ſubigat. Hæc utilitas quæ ex cruce provenit, debet ejus acerbitatem in animis noſtris lenire. quid enim optabilius eſt quam nos obſequentes reddi Deo? Id autem fieri nequit niſi cruce: nam in rebus proſperis quaſi laxato freno exultamus: imo plerumque excuſſo prorſus jugo, protervit carnis noſtræ laſcivia. Ubi autem vis noſtræ voluntati afferenda eſt, ut velimus quicquid Deo placet, in eo demum obedientia noſtra ſe vere prodit. Hoc, inquam, illuſtre eſt perfectæ ſubjectionis documentum, quum mortem ad quam Deus vocat, tametſi horrori eſt, præferimus tamen vitæ quam natura experimus.

9. *Et ſanctificatus.*] Finis ultimus vel remotior (ut vocant) cur pati Chriſtum neceſſe fuerit: nempe quod in ſuum ſacerdotium hoc modo fuit inauguratus. acſi diceret Apoſtolus, crucis tolerantiam & mortem ſolenne fuiſſe conſecrationis genus in Chriſto: quo ſignificat omnes ejus paſſiones ad ſalutem noſtram ſpectaſſe. unde ſequitur, adeo nihil obeſſe ejus dignitati, ut potius glorioſæ ſint. Nam ſi pretioſa nobis eſt noſtra ſalus, quam honorifice de ejus cauſa ſentiendum? Neque enim hic de exemplo tantum diſputat, ſed altius conſcendit: nempe quod

ſua

ſua obedientia Chriſtus deleverit noſtras tranſgreſſiones. Factus ergo fuit cauſa ſalutis, quia juſtitiam nobis comparavit apud Deum, quum inobedientiam Adæ contrario remedio ſuſtulit. Sanctificatus melius quadrat contextui, quam Perfectus. eſt Græce τελειωθεὶς, quod utrumque ſignificat. ſed quia hic de ſacerdotio ſermo eſt, apte & eleganter *Joan. 17.* ſanctificationis meminit. Et ita alibi loquitur Chri- *verſ. 19.* ſtus ipſe, Propter eos ſanctifico meipſum. Unde conſtat hoc ad humanam ejus naturam proprie referendum eſſe, in qua Sacerdotis officio functus eſt, ſicut etiam paſſus. *Omnibus qui illi obediunt.* Ergo ſi prodeſſe nobis volumus Chriſti obedientiam, nos etiam imitemur: hoc enim Apoſtolus ſignificat, non pervenire ad alios ejus fructum, quam qui obediunt. Porro hoc dicendo, fidem nobis commendat. neque enim noſter fit, neque ejus bona, niſi quatenus hæc & ipſum fide amplectimur. Quanquam videtur appoſuiſſe univerſalem ootam Omnibus, ut indicaret neminem ab hac ſalute arceri, qui modo ſe Euangelio Chriſti docilem obſeqoentemque præbeat.

10. *Cognominatus à Deo.*] Quia operæpretium eſt fuſius perſequi quam attigit comparationem Chriſti & Melchiſedec, erigendæ autem Judæorum mentes ad majorem attentionem: ſic ad digreſſionem tranſit, ut tamen hoc argumentum ſibi retineat. Itaque præfatur multa ſibi eſſe dicenda, ſed ipſos eſſe præparandos, ne fruſtra dicantur. Difficilem fore ſermonem admonet: non ut ipſos abſterreat, ſed magis ut acuat. Nam ut nos ſegniores facilitas reddere ſolet, ita acrius ad audiendum intenti ſumus, ſi quid obſcurum proponitur. cauſam tamen difficultatis, non rei, ſed ipſis aſſignat. Et certe ita clare ſemper nobiſcum agit dominus, & extra omnes ambages, ut ejus verbum merito vocetur lux noſtra: ſed ejus ſplendor tenebris noſtris ſuffocatur. Hoc fit partim noſtra hebetudine, partim ſocordia. Nam quum pluſquam hebetes ſimus ad intelligendam Dei doctrinam, accedit ad hoc vitium, affectuum quoque noſtrorum pravitas. Nam ad vanitatem potius adjicimus animos, quam ad veritatem Dei. Et nos vel contumacia, vel hujus mundi curis, vel carnis cupiditatibus ſubinde impedimur. *De quo*, non refert Chriſtum, ſed Melchiſedec: quanquam non refert ut hominem, ſed quatenus Chriſti typus fuit, & quodammodo ſuſtinet ejus perſonam.

12. Nam quum debeatis eſſe doctores pro ratione temporis, rurſum opus habetis ut quis vos doceat elementa initii ſermonum Dei: & facti eſtis ii quibus lacte opus ſit, & non ſolido cibo.

13. Nam quiſquis lactis eſt particeps; imperitus eſt ſermonis juſtitiæ: infans eſt enim.

14. Perfectorum vero eſt ſolidus cibus, qui propter aſſuetudinem ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali.

12. *Quum debeatis.*] Objurgatio hæc non parvos aculeos continet, quibus ab ignavia ſua excitentur Judæi. Abſurdum eſſe dicit & pudendum, ut adhuc elementarii ſint, quum doctores eſſe deberent. Vos, inquit, aliis magiſtros eſſe decuerat: atqui ne diſcipuli quidem eſtis mediocris doctrinæ capaces: oondum enim probe tenetis prima Chriſtianiſmi rudimenta. Quo tamen plus incutiat pudoris, dicit *elementa initii*, perinde acſi quis alphabetum diceret. Diſcendum quidem eſt tota vita: quia is vere demum ſapit, qui agnoſcit quantum à perfecta intelligentia diſtet. ſed ita proficiendum eſt diſcendo, ne ſemper in principiis hæreamus. Nec committendum eſt ut in nobis impleatur illud Je- *Iſ. 28.* ſaiæ, Erit vobis præceptum ad præceptum, præ- *verſ. 10.* ceptum ad præceptum, &c. quin potius danda opera, ut progreſſus noſtri tempori reſpondeant. Certe non anni modo, ſed dies ſinguli ad calculum vocandi erant, ut ſe quiſque ad profectum urgeret: ſed pauci ſunt qui præteriti temporis rationem à ſe repoſcant, vel ſe in poſterum ſollicitent. itaque juſtas ignaviæ noſtræ pœnas damus, quod maxima pars in puerilibus elementis ſubſiſtit. Admonemur præterea, uniuſcujuſque officium eſſe, quo plus intelligentiæ cooſequutus eſt, ſtudere fratribus impertiri, ut nemo ſibi privatim ſapiat, ſed ſinguli in mutuam ædificationem.

Quibus lacte opus ſit.] Eadem metaphora utitur Paulus prioris ad Corinthios capite 3. v. 1. quum illis idem quoque vitium exprobrat, vel ſaltem non multum diſſimile. Dicit enim quia carnales ſint, eos non ferre ſolidum cibum. Lac ergo eſt elementa- *1 Pet. 2.* ris doctrina initiandis rudibus. Alio ſenſu Petrus ac- *verſ. 2.* cipit, quum jubet nos concupiſcere lac abſque fraude. quemadmodum etiam duplex eſt pueritia, *1 Cor. 14.* nempe malitiæ & ſenſus. Sic enim alibi Paulus, Ne *verſ. 20.* ſitis ſenſibus pueri, ſed malitia. Ergo qui adeo teneri ſunt ut altiorem doctrinam non recipiant, vocantur per ignominiam pueri. Hic enim verus eſt doctrinæ uſus, nos coaptare ut adoleſcamus in virum perfectum, in menſuram plenæ ætatis: nec ſimus pueri qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, ad Epheſios 4. v. 14. Ignoſcendum quidem eſt iis qui nondum Chriſtum guſtarunt, ſi adhuc *ſolido cibo* ſunt impares. verum qui per tempus creſcere debuit, ſi puer ſemper maneat, venia indignus eſt. Videmus enim Jeſaiam reprobu hanc notam inurere, quod pueris ſint ſimiles recens à mamma abſtractis, cap. 28. v. 9. Doctrina quidem Chriſti tam pueris lac ſubminiſtrat, quam adultis firmum cibum. ſed quemadmodum lacte nutricis alitur infans, non ut ſemper à mamma pendeat, ſed ut paulatim formetur ad robuſtiorem victum: ſic etiam initio lac è Scriptura ſugendum eſt, ut ejus pane deinde veſcamur. Cæterum ita inter lac & firmum cibum diſcernit, ut ſanam doctrinam utroque nomine intelligat. ſed aliter inchoantur rudes, aliter qui jam docti ſunt confirmantur.

13. *Qui lactis eſt particeps.*] Eos intelligit qui ob teneritudinem, ſolidam adhuc doctrinam reſpuunt: nam alioqui à lacte non abhorret qui adultus eſt. Sed pueritiam ſenſus hic reprehendit, qua fit ut cogatur Deus perpetuo nobiſcum balbutire. Tales ergo pueros negat eſſe idoneos ad percipiendum *juſtitiæ ſermonem*: Juſtitiæ nomine perfectionem intelligens, de qua paulo poſt loquetur. Neque enim, meo judicio, Apoſtolus hic diſputationem notat quomodo juſtificemur coram Deo: ſed ſimplicius accipit hoc nomen pro integritate cognitionis, quæ nos ad perfectionem ducit. quod officium attribuit Euangelio Paulus, ad Coloſſ. capite 1. v. 28. acſi diceret, eos qui ruditati ſuæ indulgent, à ſincera Chriſti cognitione excludi: & ideo infructuoſam illis eſſe Euangelii doctrinam, eo quod ad metam nunquam pertingunt, ac ne propius quidem accedunt.

14. *Perfectorum vero* &c.] Perfectos vocat adultos: nam infantibus opponit. quemadmodum prioris ad Corinth. cap. 2. v. 6. & 14. v. 20. item ad Epheſios cap. 4. v. 13. Media enim ac virilis ætas, eſt quaſi humanæ vitæ ſtatus: ſed figurate Viros in Chriſto appellat qui ſpirituales ſunt. Tales autem vult omnes Chriſtianos eſſe, qui habitum quendam ex continuo uſu contraxerint *ad boni & mali diſcretionem*. Neque enim aliter in veritate rite ſumus edocti, quam ſi ejus præſi-

præſidio muniamur adverſus Satanæ mendacia. Nam & ideo gladius ſpiritualis diciıur. & Paulus *Epheſ. 4. verſ. 14.* bunc ſanæ doctrinæ uſum notat quum dicit, Ne circumferamur quovis vento, &c. Et ſane qualis erit fides ſi inter verum & falſum ſuſpenſa nutet? annon ſingulis momentis labefactari poterit? Nec contentus mentem uno verbo dicere, ſenſus omnes ponit: ut oſtendat nunquam ceſſandum eſſe, donec undique verbo Dei inſtructi armatique ad pugnandum ſimus, ne qua ſuis fallaciis Satan obrepat. Atque binc apparet qualis ſit Cbriſtianiſmus in Papatu, ubi non tantum ſimplicitatis nomine commendatur craſſiſſima ignorantia: ſed à ſolidæ intelligentiæ ſtudio populus ſeveriſſime arcetur. Judicare inquam promptum eſt quo ſpiritu agantur qui vix attingere permittunt quod aſſidue tractari præcipit Apoſtolus: qui laudabilem incuriam eſſe fingunt quam bic tantopere reprehendit: qui verbum Dei unicam recte diſcernendi regulam tollunt, quum hic diſcretionem pronunciet Chriſtianis omnibus eſſe neceſſariam. apud quos vero diabolica illa prohibitione abrogata diſcendi viget libertas, ram audiendo quam legendo, nihilo minus eſt torporis. Ita exercitationis expertes, ſtupidi ſumus, omnique judicio vacui.

Cap. VI.

Quare omiſſo ſermone principii Chriſti, ad perfectionem feramur, non jacientes rurſum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei in Deum.

2. (Baptiſmatum doctrinæ, & impoſitionis manuum) & reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

1. *Quare omiſſo* &c.] Objurgationi ſubjicit bortationem, ut præteritis initiis progrediantur ad metam. Nam *ſermonem principii*, prima tirocinia vocat, quibus imbuendi ſunt rudes dum recipiuntur in Eccleſiam. Jubet autem omitti ejuſmodi rudimenta: non quod eorum obliviſci unquam debeant fideles, ſed quia in illis minime eſt bærendum. quod melius patet ex *fundamenti* ſimilitudine quæ mox ſequitur. Nam in extruenda domu nunquam à fundamento diſcedere oportet. in eo tamen jaciendo ſemper laborare, ridiculum. Nam quum fundamentum ædificii cauſa ponatur, qui in illius ſtructura occupatus ad ſuperficiem non tranſcendit, ſtulto & inutili ſe labore fatigat. Denique ſicuti à fundamento inchoandum eſt, ſic properare debet labor architecti ad domum erigendam. Similis eſt Cbriſtianiſmi ratio. nam in rudimentis quaſi fundamur: ſed continuo poſt ſequi debet altior doctrina quæ ædificium perficiat. Itaque præpoſtere faciunt qui ſubſidunt in primis elementis, quia nullum finem propoſitum. acſi architectus totam operam in fundamento conſumeret, relicta ædificandi cura. Ergo ſic fidem noſtram vult initio fundari, ut ſurſum ſe attollat, donec quotidianis incrementis tandem abſolvatur.

Pœnitentiæ ab operibus mortuis.] Hic reſpexit ad uſitatam Catechiſmi formulam. Unde probabilis conjectura ſumi poteſt, Epiſtolam hanc non ſtatim ab exordio promulgati Euangelii ſcriptam eſſe, ſed quum jam aliquam politiæ rationem in Eccleſiis conſtitutam baberent: ea erat ut catecbumenus, priuſquam admitteretur ad Baptiſmum, fidei ſuæ confeſſionem ederet. Erant autem certa capita de quibus Paſtor catechumenum interrogabat, quemadmodum ex variis Patrum teſtimoniis conſtat: præſertim de Symbolo quod Apoſtolicum vocant, eaamen habebatur. ille primus quaſi ingreſſus erat in Eccleſiam iis qui jam adulti Cbriſto nomen dabant, quum prius alieni fuiſſent ab ejus fide. Hujus moris ideo meminit Apoſtolus, quia breve tempus catechumenis præfixum erat, quo ita initiarentur in pietatis doctrin.., quemadmodum pueros magiſter in alphabeto inſtituit, ut ſtatim altius eos tranſmittat. Sed expendamus quæ dicit. *Pœnitentiam* & *fidem* nominat, quibus conſtat tota Euangelii perfectio. Quid enim aliud Apoſtolis ſuis mandat Cbriſtus, quam ut fidem & pœnitentiam prædicent? Itaque quum teſtari vult Paulus ſe officio ſuo fideliter eſſe perfunctum, ſuam in bis duobus inculcandis diligentiam & aſſiduitatem allegat. Abſurdum ergo videtur quod Apoſtolus pœnitentiam & fidem omitti jubet, in quibus pergendum erat toto vitæ curſu. Verum quum addit, Ab operibus mortuis, ſignificat ſe de initiali pœnitentia loqui. Tametſi enim omne peccatum mortuum eſt opus, vel quia mortem generat, vel quia ex ſpirituali animæ morte procedit: tamen fideles qui jam Spiritu Dei renati ſunt, non dicuntur proprie reſipiſcere ab operibus mortuis. Regeneratio quidem in illis eſt inchoata: ſed quamlibet exiguum novæ vitæ ſemen, hoc ſaltem facit ut non amplius mortui cenſeantur coram Deo. Ergo non generaliter totam pœnitentiam comprehendit Apoſtolus cujus meditatio uſque ad finem vigere debet, ſed initium tantum pœnitentiæ notat, quo auſpicantur vitæ novitatem qui nuper, imo jam primum ad fidem converſi ſunt. Ita & Fidei nomen breve illud compendium ſignificat pietatis doctrinæ quod vulgo Articulos fidei nominant. Huc pertinet *mortuorum reſurrectio, & judicium æternum.* ſunt enim bæc ex ſummis cæleſtis ſapientiæ myſteriis: imo hic totius religionis noſtræ ſcopus eſt, ad quem tota vita intenti eſſe debemus. Verum quia res eadem aliter rudibus traditur, aliter iis qui jam aliquantum profecerint: Apoſtolus vulgarem interrogandi ritum notat, Crediſne mortuorum reſurrectionem? credis vitam æternam? Hæc pueris conveniunt: & quidem ſemel. ergo ad ea iterum revolvi, nihil aliud quam retrocedere eſt.

2. *Baptiſmatum doctrinæ.*] Aliqui disjunctim legunt Baptiſmatum, & doctrinæ. Ego conjunctim malo: quanquam ſecus interpretor quam alii, nempe ut ſit appoſitio, quam Grammatici vocant, boc ſenſu, *Non jacientes rurſus fundamentum pœnitentiæ, fidei in Deum, mortuorum reſurrectionis:* quæ doctrina eſt Baptiſmi & impoſitionis manuum. Itaque ſi parentheſi includas hæc duo membra, Baptiſmatum doctrinæ & manuum impoſitionis, contextus melius fluet. Niſi enim appoſitive legas, boc erit abſurdi, quod bis idem repeter. Quæ enim Baptiſmatis eſt doctrina, niſi quam hic recenſet de fide in Deum, de pœnitentia, & de judicio, ac ſimilibus? Cæterum Baptiſmos, plurali numero Chryſoſtomus dici putat, quia priorem Baptiſmum, redeundo ad principia, quodammodo abolerent. cui ego non aſſentior: neque enim pluribus Baptiſmis deſtinata eſt hæc doctrina: ſed Baptiſmos nominat ſolennes ritus vel ſtatos baptizandi dies. *Manuum impoſitionem* cum Baptiſmo conjungit: quia ut duo erant Catechumenorum ordines, ita duplex erat ceremonia. Nam qui erant extranei, non ante perveniebant ad Baptiſmum, quam edita fidei profeſſione. In illis ergo Catecheſis Baptiſmum præcedere ſolebat. At liberi fidelium, quoniam ab utero adoptati erant, & jure promiſſionis pertinebant ad corpus Eccleſiæ, infantes baptizabantur: tranſacta vero infantia, poſtquam inſtituti erant in fide, ſe quoque ad catecheſin offerebant, quæ in illis Baptiſmo erat poſterior. ſed

aliud

aliud ſymbolum tunc adhibebatur, nempe manuum impoſitio. Hic unus locus abunde teſtatur hujus ceremoniæ originem fluxiſſe ab Apoſtolis: quæ tamen poſtea in ſuperſtitionem verſa fuit: ut mundus ſemper fere ab optimis inſtitutis ad corruptelas degenerat. Finxerunt enim eſſe Sacramentum quo Spiritus regenerationis conferatur. quo figmento Baptiſmum lacerarunt: nam quod erat ejus proprium, ad impoſitionem manuum tranſtulerunt. Sciamus ergo, à primis auctoribus inſtitutum fuiſſe ut eſſet ſolennis precandi ritus: quemadmodum etiam Auguſtinus nuncupat. Fidei quidem profeſſionem quam adoleſcentes pueritiam egreſſi edebant, voluerunt approbare hoc ſymbolo: ſed nihil minus cogitarunt quam vim Baptiſmi diſcerpere. Quamobrem hodie retinenda pura inſtitutio eſt, ſuperſtitio autem corrigenda. Atque hic locus ad Pædobaptiſmi approbationem facit. Quorſum enim eadem doctrina in aliis vocaretur Baptiſmi doctrina, in aliis vero impoſitionis manuum, niſi quia poſteriores accepto jam Baptiſmo in fide erudiebantur: ut non aliud reſtaret quam illis manus imponere?

3. Et hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus.

4. Nam impoſſibile eſt eos qui ſemel fuerunt illuminati, guſtaveruntque donum cæleſte, & participes facti fuerunt Spiritus ſancti,

5. Ac guſtarunt bonum Dei verbum, virtuteſque futuri ſeculi,

6. Et prolapſi ſunt: iterum renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibiipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.

3. *Hoc faciemus.*] Horribilis eſt iſta denunciatio: ſed ita fulminat Apoſtolus, ne Judæi dum ſibi nimium indulgent in ſua oſcitantia, Dei gratiæ illudant. acſi diceret, non eſſe hic procraſtinandum: quia non ſemper futura ſit progrediendi opportunitas. neque enim hoc in hominis manu poſitum, ut quoties libuerit, à carceribus ad metam tranſiliat: ſed ſingulare eſſe Dei donum, curſus noſtri confectionem.

4. *Nam impoſſibile.*] Hic locus occaſionem multis præbuit repudiandæ Epiſtolæ: præſertim quum inde ſe armarent Novatiani ad negandam lapſis veniam. Ideo Occidentales potius fidem Epiſtolæ abrogarunt, quod illis infeſta erat Novati ſecta: nec tantum valebant doctrina, ut refellendo argumento pares forent. Sed patefacta Apoſtoli mente, mox patebit nihil hic eſſe quod tam deliro errori ſuffragetur. Alii quibus ſancta erat Epiſtolæ auctoritas, dum abſurditatem conantur diluere, nihil quam cavillis effugiunt. Nam Impoſſibile nonnulli pro raro & arduo accipiunt: quod à verbi ſignificatione longe eſt alienum. Plures ad pœnitentiam reſtringunt, qua ſolebant in veteri Eccleſia catechumeni ad Baptiſmum præparari. quaſi vero Apoſtoli jejunium aut tale quiddam baptizandis indicerent. Deinde quid magnum diceret Apoſtolus, ſi negaret iterari pœnitentiam poſſe quæ Baptiſmi eſt appendix? ſeveriſſimam Dei vindictam omnibus minatur qui receptam ſemel gratiam abjecerint. Ad incutiendum ſecuris & oſcitantibus terrorem quid haberet hæc ſententia gravitatis, ſi admoneret primæ pœnitentiæ non eſſe amplius locum? hoc enim ad quodvis delicti genus pateret. Quid ergo dicendum eſt? Nam quum omnibus ſine exceptione Dominus ſpem miſericordiæ faciat: abſurdum eſt, quenquam omnino ulla de cauſa arceri. Nodus hujus quæſtionis eſt in verbo *Prolapſi ſunt*. Ergo quiſquis vim ejus intellexerit, facile ſe omni difficultate expediet. Porro notandum eſt, duplicem eſſe lapſum: alter eſt particularis, alter univerſalis. Qui in ſpecie aliqua, aut etiam pluribus modis deliquit, à Chriſtiani hominis ſtatu lapſus eſt: itaque omnia peccata totidem ſunt lapſus. verum Apoſtolus non de furto, aut perjurio, aut cæde, aut ebrietate, aut adulterio hic diſputat: ſed notat univerſalem ab Euangelio defectionem, ubi non una aliqua in parte Deum offendit peccator, ſed ejus gratia ſe penitus abdicat. Atque ut hoc melius intelligatur, ſubaudienda eſt antitheſis inter Dei gratias quas recenſuit, & hunc lapſum. Labitur enim qui deficit à verbo Domini, qui lucem ejus extinguit, qui ſe guſtu doni cæleſtis privat, qui participationem Spiritus deſerit. Hoc autem eſt in totum Deo renunciare. Nunc videmus quoſnam à ſpe veniæ excludat: nempe apoſtatas qui ſe à Chriſti Euangelio quod prius amplexi erant, & à Dei gratia alienarunt: quod nemini contingit quin peccet in Spiritum ſanctum. Nam qui ſecundam Legis tabulam violat, vel primam ignorantia tranſgreditur, nondum reus eſt hujus defectionis: nec certe Deus alios ita gratia ſua ſpoliat niſi reprobos, ut illis nihil faciat reſiduum. Si quis roget cur talis apoſtaſiæ mentionem hic faciat Apoſtolus, quum fideles compellet qui procul aberant à tam ſcelerata perfidia: reſpondeo, mature ab eo indicari periculum, ut ſibi præcaveant. quod notatu operæpretium eſt: nam quum à recta via deflectimus, non tantum excuſamus apud alios noſtra vitia, ſed nobis quoque ipſis imponimus. Furtim Satan obrepit, ſenſim nos allicit clandeſtinis artibus: ita ut errando neſciamus nos errare. ita gradatim delabimur, donec tandem ruimus præcipites. Hoc quotidie animadvertere in multis licet. proinde non immerito Apoſtolus omnibus Chriſti diſcipulis prædicit, ut ſibi in tempore caveant: nam diuturnus torpor fere veternum generat, quem ſequitur mentis alienatio. Cæterum obiter notandum eſt quibus elogiis Euangelii cognitionem inſigniat. Vocat *illuminationem*: unde ſequitur, cæcos eſſe homines donec Chriſtus qui lux eſt mundi, illis affulgeat. Vocat *guſtum doni cæleſtis*: quo ſignificat, ſupra naturam & mundum eſſe quæ nobis in Chriſto conferuntur: & tamen fide guſtari. Vocat *participationem Spiritus*: quia is eſt qui unicuique diſtribuit prout vult quicquid eſt lucis & intelligentiæ: ſine quo nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, qui nobis aperit oculos mentis, quia patefacit Dei arcana. *1 Cor. 12. verſ. 3.* Vocat *guſtum boni Dei verbi*: quo ſignificat, non quovis modo illic manifeſtari Dei voluntatem: ſed quæ ſuaviter nos delectet. Denique hoc epitheto notatur diſcrimen Legis & Euangelii: quoniam illa nihil præter ſeveritatem & judicium continet, hoc autem ſuave eſt divini erga nos amoris & paternæ indulgentiæ teſtimonium. Vocat poſtremo *guſtum virtutum futuri ſeculi*: quo ſignificat nos fide quaſi admitti in regnum cæleſte, ut beatam immortalitatem quæ ſenſus noſtros latet, ſpiritu cernamus. Sciamus ergo Euangelium non aliter rite cognoſci, quam illuminatione Spiritus: & ita ut è mundo abducti erigamur in cælum, & agnita Dei bonitate in ejus verbum recumbamus. Sed hic oritur nova quæſtio, qui fieri poſſit ut qui ſemel eo pervenerit, poſtea cadat. neque enim Dominus efficaciter vocat niſi electos: & Paulus teſtatur vere eſſe ejus filios qui aguntur ejus Spiritu: docetque hoc certum eſſe pignus adoptionis, ſi quem Spiritus ſui participem Chriſtus fecerit. *Rom. 8. verſ. 14.* Atqui electi ſunt extra exitialis lapſus periculum. Pater enim qui eos Chriſto Filio ſervandos dedit, major omnibus eſt: & Chriſtus curæ ſibi omnes fore promittit ne quis pereat. *Joan. 17. verſ. 12.* Reſpondeo, ſolos quidem electos Deum Spiritu regenerationis dignari: & in hoc diſcerni à reprobis, quia reformantur ad illius imaginem, & arrham Spiritus accipiunt in ſpem fu-

turæ hæreditatis, & eodem Spiritu obſignatur in eorum cordibus Euangelium. Sed hoc obſtare nego quominus reprobos etiam guſtu gratiæ ſuæ aſpergat, irradiet eorum mentes aliquibus lucis ſuæ ſcintillis, afficiat eos bonitatis ſuæ ſenſu, verbumque ſuum utcunque eorum animis inſculpat. Alioqui ubi eſſet illa temporaria fides cujus meminit Marcus?

Marc 4. verſ. 17. Eſt igitur aliqua etiam in reprobis cognitio quæ poſtea evaneſcit, vel quia minus altas radices quam oportebat egit, vel quia ſuffocata degenerat. Atque hoc freno in timore & humilitate nos Dominus retinet. & certe videmus quam proclive alioqui ſit humanum ingenium ad ſecuritatem, ſtultamque confidentiam: quanquam talis debet eſſe noſtra ſollicitudo quæ conſcientiæ pacem non turbet. Nam Dominus ſimul fidem in nobis erigit, & carnem domat: ideoque illam vult tranquillam quaſi in tuto portu manere & quieſcere; hanc exercet variis certaminibus ne otio laſciviat.

6. *Renovari ad pœnitentiam.*] Tametſi durum hóc videtur, non eſt tamen cur Deum inſimulet crudelitatis quiſquis talem dat defectionis ſuæ pœnam.

Ezech. 18. verſ. 27. Neque hoc pugnat cum aliis Scripturæ locis, ubi Dei miſericordia peccatoribus offertur ſimulatque ingemuerint. Illic enim requiritur pœnitentia, qua nunquam vere tangitur qui ab Euangelio prorſus ſemel defecit. Tales enim Dei Spiritu privati ut merentur, conjiciuntur in ſenſum reprobum, ut diaboli mancipati ruere in ſuum exitium pergant. Ita fit ut non deſinant aliud ex alio peccare, donec obſtupefacti Deum contemnant, vel deſperatorum in morem furinſe oderint. Hunc habent exitum omnes apoſtatæ, ut vel ſtupore percuſſi, nihil timeant: vel Deum execrentur judicem, quia fugere nequeunt. Denique admonet Apoſtolus, pœnitentiam non eſſe in hominis arbitrio: ſed iis à Deo ſolis dari qui non prorſus exciderint à fide. Quæ admonitio perquam nobis utilis eſt, ne in craſtinum ſubinde differendo, magis ac magis nos à Deo alienemus. His quidem proverbiis ludunt impii, ſatis fore ſi inter ultimos ſpiritus ipſos ſceleratæ vitæ pœniteat. ſed quum eo ventum eſt, diris conſcientiæ tormentis excruciati, documento ſunt quam non vulgare ſit opus, hominis converſio. Ergo quum Dominus nullis veniam promittat niſi qui ab iniquitate reſipiſcunt: non mirum eſt ſi pereant qui vel deſperatione, vel contemptu feruntur obſtinati in ſuum interitum. Quod ſi quis à lapſu reſurgit, inde colligendum eſt, à defectione abfuiſſe, quamlibet graviter alias peccarit. *Rurſum crucifigentes ſibi.* Hoc quoque addit, ut Dei ſeveritatem vindicet ab hominum calumniis. Eſt enim indignum ut Deus ignoſcendo defectoribus, Filium ſuum ludibrio exponat. indigni ergo ſunt qui miſericordiam conſequantur. Porro hæc ratio eſt cur iterum dicat Chriſtum crucifigi, quia nos hac conditione illi commorimur, ut meditemur perpetuæ vitæ novitatem. qui ergo in mortem recidunt, opus habent ſecundo ſacrificio: ut capite decimo habebimus. Crucifigentes ſibi, hoc eſt, quantum in ſe eſt. Nam hoc fieret, quaſique in triumpho traduceretur Chriſtus, ſi hominibus liberum eſſet, poſt defectionem ad eum redire.

7. Siquidem terra, quæ imbrem ſæpius in ſe venientem combibit, & progignit herbam commodam iis opera quorum & colitur, recipit benedictionem à Deo.

8. At quæ produxerit ſpinas & tribulos, reproba eſt, & obnoxia maledictioni, cujus exitus tendit ad combuſtionem.

9. Cæterum perſuaſimus nobis de vobis dilecti quæ ſint iis meliora, & cum ſalute conjuncta: tametſi ſic loquamur.

10. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & laboris in charitatem impenſi: quam oſtendiſtis erga nomen ejus, dum miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.

7. *Siquidem terra.*] Aptiſſima ſimilitudo ad excitandum mature proficiendi ſtudium. nam ſicut terra bonam ſegetem proferre in meſſe nequit, niſi mox ſemente facta germinaverit: ita ſi pervenire ad bonam frugem volumus, ſimulatque verbum ſuum ſerit Dominus, radices in nobis agere debet quæ ſtatim emergant. Neque enim ſperandum eſt ut fructificet, ſi vel ſuffocatur vel degenerat. Sed quemadmodum valde propria eſt ſimilitudo: ita prudenter ad inſtitutum Apoſtoli accommodanda eſt. Terra, inquit, quæ pluviam ſugendo, ſtatim à ſatione non degenerem herbam profert, Dei benedictione tandem ad ſegetis maturitatem perducitur. ita qui concipiunt Euangelii ſemen in cordibus ſuis & genuinam inde herbam proferunt, ſemper augeſcent in melius, donec maturum fructum edant. Ex adverſo, terra quæ poſt culturam & irrigationem nihil affert præter ſpinas, ſpem nullam meſſis relinquit: imo quo magis creſcit quod illic natum eſt, eo magis eſt deſperata. ideo unicum remedium eſt, ut vitioſis ac inutilibus herbis cultor ignem ſubjiciat. ita qui Euangelii ſemen corrumpunt vel torpore ſuo, vel pravis affectibus, ut nullum boni profectus ſignum in vita ſua edant: ſe reprobos eſſe oſtendunt, ut nulla inde meſſis ſperanda ſit. Non ergo hic de ſolo Euangelii fructu Apoſtolus diſputat: ſed exhortationem ſuam proſequitur ut prompto alacrique animo amplectamur Euangelium. deinde ut mox poſt ſementem factam herba appareat. tertio, ut quotidianas irrigationes ſequatur incrementum. Βοτάνην εὔθετον, alii Opportunam vertunt, alii commodam. utraque ſignificatio convenit: ſed prior ad tempus, poſterior ad qualitatem referenda erit. Senſus allegoricos quibus hic ludunt Interpretes, omitto, quia à mente Scriptoris procul abſunt.

9. *Perſuaſi autem ſumus.*] Quia ſuperiores ſententiæ quaſi fulmina fuerunt, quibus exanimari poterant lectores, temperanda fuit illa aſperitas: ideo nunc dicit, non ita ſe loquutum quaſi talem de ipſis opinionem conceperit. Et certe quiſquis docendo prodeſſe cupit, ſic tractare debet ſuos diſcipulos, ut animum illis ſemper addat potius quam diminuat. nihil enim eſt quod nos magis alienet ab audienda doctrina, quam dum videmus nos haberi pro deſperatis. Teſtatur ergo Apoſtolus ſe ideo monere Iudæns, quia de illis bene ſperet, atque ad ſalutem adducere cupiat. Hinc colligimus, non reprobos tantum aſpere & acri vehementia objurgandos eſſe, ſed electos quoque ipſos, & quos in filiis Dei cenſemus.

10. *Non enim injuſtus*] Hæc verba tantundem valent acſi diceret, ex bonis principiis ſe bonum finem ſperare. Sed hinc naſcitur difficultas, quod videtur hominum officiis Deum obſtringere. Ego, inquit, de ſalute veſtra ſum perſuaſus, quia Deus operum veſtrorum non poteſt obliviſci. hoc modo videtur eorum ſalutem in operibus fundare, & Deum ſtatuere illis debitorem. Sophiſtæ etiam qui operum merita opponunt Dei gratiæ, exagitant hanc partem, Non eſt injuſtus Deus. Nam inde colligunt, injuſtum fore niſi præmium æternæ

ſalutis

ſalutis operibus rependat. Ego breviter reſpondeo, Apoſtolum non hic ex profeſſo diſputare quænam ſit ſalutis noſtræ cauſa: ideo non debere ex hoc loco judicium fieri de operum meritis, neque hinc poſſe ſtatui quid operibus debeatur. Scriptura ubique non alium ſalutis fontem oſtendit, quam gratuitam Dei miſericordiam. Quod autem paſſim Deus mercedem operibus promittit, pendet id à gratuita promiſſione qua nos adoptat in filios, noſque ſibi reconciliat, peccata non imputando. Merces ergo repoſita eſt operibus, non ex merito, ſed mera Dei liberalitate. quanquam ne hæc quidem liberalis operum retributio locum habet niſi poſtquam Chriſti beneficio recepti ſumus in gratiam. Hinc colligimus, Deum non ſolvere nobis quod debeat, ſed præſtare fidem ultro datam: & ideo præſtare, quoniam & nobis & noſtris operibus ignoſcat: imo non tam opera intuetur, quam ſuam in operibus gratiam. Hinc fit ut non obliviſcatur operum, quia ſe & opus Spiritus ſui in illis agnoſcit. Hæc etiam eſt juſtitia quam Apoſtolus intelligit, quia ſeipſum non poteſt abnegare. Itaque reſpondet hic locus Pauli ſententiæ, Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. *Phil. 1. verſ. 6.* Quid enim aliud reperiet in nobis Deus quo provocetur ad nos amandos, niſi quod prius nobis contulit? In ſumma, falluntur ſophiſtæ qui mutuam relationem imaginantur inter Dei juſtitiam & operum noſtrorum merita: quum potius ſe & ſua dona reſpiciat Deus, ut proſequatur uſque in finem quod ſponte, nullo noſtro officio provocatus, in nobis cœpit. Hæc (inquam) Dei juſtitia eſt in compenſandis operibus, quia fidelis eſt ac verax: ſe autem nobis debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia liberaliter promittendo, ut Auguſtinus inquit. *Laboris in charitatem.* Ad verbum eſt, Labor charitatis: quo nomine ſignificat labori non eſſe parcendum, ſi officioſi eſſe volumus erga proximos. neque enim pecunia modo juvandi ſunt, ſed conſilio, opera, & rebus variis. Multa igitur adhibenda eſt ſedulitas, devorandæ multæ moleſtiæ, ſubeunda etiam interdum multa diſcrimina. Ita qui ſe volet exercere in officiis charitatis, ad laborioſum vitæ genus ſe comparet. Charitatem eorum probat ex eo quod ſanctis miniſtraverint, ac miniſtrent. Unde admonemur non eſſe recuſandum quin fratribus noſtris ſerviamus. Quum *ſanctos* exprimit, non ſignificat his ſolis nos eſſe debitores: charitas enim noſtra patere & diffundi ad univerſum humanum genus debet: ſed quia nobis præcipue commendantur domeſtici fidei, horum peculiaris habenda eſt cura. Nam quum charitas ut ad benefaciendum provocetur, partim Deum reſpiciat, partim communem naturam: quo propius quiſque ad Deum accedit, eo dignior eſt qui à nobis juvetur. Denique ut quemque agnoſcimus Dei filium, ita fraterno eum amore amplecti decet. Quum dicit, *miniſtraſſe & adhuc miniſtrare*, perſeverantiam laudat, quæ hac in parte maxime neceſſaria eſt. nihil enim proclivius eſt quam benefaciendo fatigari. Itaque quum ſatis multi reperiantur prompti ad juvandos fratres: adeo tamen rara eſt virtus conſtantia, ut bona pars mox quaſi refrigerato calore flacceſcat. Atqui vel hæc una vox aſſidue ſtimulare nos debebat, quum teſtatur Apoſtolus, charitatem quæ exhibetur ſanctis, oſtendi erga nomen Domini. Nam ſignificat Deum nobis acceptum ferre quicquid impendimus proximis: ſecundum illam ſententiam, Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. *Mat. 25. verſ. 40.* Item, Qui largitur pauperi, fœneratur Domino. *Prov. 19. verſ. 17.*

11. Deſideramus autem unumquemque veſtrum idem oſtendere ſtudium ad certitudinem ſpei uſque in finem:

12. Ne * ſegnes reddamini, ſed potius imitatores eorum qui per fidem & patientiam hæreditario obtinuerunt promiſſiones. **vel, molles, & fluxi.*

13. Abrahæ enim promittens Deus, quandoquidem majorem per quem juraret, non habebat, juravit per ſeipſum,

14. Dicens, Niſi benedicens benedixero tibi, & multiplicans multiplicavero te.

15. Atque ita quum patienter expectaſſet, conſequutus eſt promiſſionem.

11. *Deſideramus autem* &c.] Quemadmodum laudes permiſcuit exhortationi, ne immodice exaſperaret eorum animos: ita ne quid aſſentationis habeat illa comitas, libere quid adhuc illis deſit admonet. Charitatem, inquit, veſtram multis experimentis teſtatam feciſtis: ſupereſt tamen ut fides reſpondeat. ſedulo ne deeſſent hominibus veſtra officia, laboraſtis: ſed non minore ſtudio incumbere vos decet ad fidei profectum, ut firmam plenamque ejus certitudinem approbetis Deo. Atque his verbis oſtendit Apoſtolus duas eſſe Chriſtianiſmi partes quæ duabus Legis tabulis reſpondeant. Itaque qui alteram ab altera ſeparat, nihil habebit niſi mutilum & lacerum. Atque hinc apparet quales ſint magiſtri qui præterita fidei mentione, ſolam urgent innocentiam & probitatem erga homines. Hæc (inquam) profana eſt philoſophia quæ in externæ juſtitiæ larva ſubſiſtit. ſi tamen philoſophia dici meretur, quæ adeo perperam officia ſua diſtribuit, ut Deum qui primas tenebat, jure ſuo fraudet. Meminerimus ergo, non aliter conſtare ſuis partibus Chriſtianam vitam, quam ſi ſtudium noſtrum in fidem ſimul & charitatem conferamus.

Ad certitudinem ſpei.] Quia fidem Chriſtianam profeſſi, variis opinionibus diſtrahebantur, vel multis adhuc ſuperſtitionibus impliciti erant: jubet in certa fide ita eſſe fixos, ut amplius non vacillent, neque ſuſpenſi inter alternos dubitationum ventos agantur. Omnibus tamen commune eſt hoc præceptum. nam ut ſtabilis eſt Dei veritas: ita fidem quæ illi innititur, ut vera ſit, certam & omni dubitatione ſuperiorem eſſe oportet. Hæc eſt πληροφορία, indubia ſcilicet perſuaſio, ubi ſecum pia mens conſtituit, fas non eſſe vocare in controverſiam quæ Deus qui fallere aut mentiri nequit, loquutus eſt. Spei nomen hic pro fide capitur, propter affinitatem. Videtur tamen data opera Apoſtolus poſuiſſe, quia de perſeverantia ſermo erat. Hinc etiam colligere licet quantum à fide diſtet generalis illa apprehenſio, quæ impiis etiam & diabolis communis eſt. nam & illi Deum eſſe credunt juſtum & veracem: nihil tamen inde concipiunt bonæ ſpei, quia paternam ejus gratiam in Chriſto non apprehendunt. Sciamus ergo veram fidem cum ſpe ſemper conjunctam eſſe. Dicit, *Uſque in finem*, vel perfectionem: ut ſciant nondum ſe metam attigiſſe, ideoque de ulteriore progreſſu cogitent. Meminit *ſtudii*, ut ſciant non ſegniter deſidendum eſſe, ſed ſerio nitendum. Neque enim parva res eſt, ſupra cælos conſcendere, præſertim vix humi reptantibus. accedunt innumera obſtacula. Nihil vero difficilius quam mentes in cælo tenere elevatas, quum tota naturæ noſtræ vis deorſum inclinet, & nos infinitis machinis Satan in terram retrahat. Ideo ſegnitiem vel mollitiem animi cavere præcipit.

12. *Sed imitatores eorum.*] Torpori hanc imitationem opponit. Ergo perinde eſt acſi diceret conſtanti animi alacritate opus eſſe. Sed hoc longe plus habet ponderis quum admonet, Patres nonniſi invicta fidei fortitudine compotes promiſſionum eſſe factos. nam exempla rem nobis melius exprimunt. Si nuda doctrina proponeretur, non ita afficeret, quemadmodum ubi cetnimus in perſona Abrahæ impletum quod à nobis exigitur. Porro exemplum Abrahæ adducitur: non quia unicum ſit, ſed quia præ aliis illuſtre. Habuit enim Abraham hoc commune cum omnibus piis: ſed non immerito conſtitutus fuit Pater fidelium. Quare non mirum eſt ſi eum peculiariter Apoſtolus deligat ex omnibus in quem lectorum oculos convertat, ubi de clariſſimo fidei ſpeculo agitur. *Fides & patientia* per hypallagen, pro fide conſtanti, & quæ patientiam comitem ſecum habet. Nam fides primum requiritur: ſed quia multi qui fidem initio mirificam præ ſe tulerant, mox fatiſcunt, vera fidei non fluxæ nec evanidæ probatio eſt tolerantia. Quum *fide obtineri* dicit *promiſſiones*, tollit opinionem meritorum: ſed multo id clarius quum dicit, hæreditate obvenire. neque enim alio quam adoptionis jure hæredes ſumus.

13. *Abrahæ enim.*] Vult probate, fruſtra nobis offerri Dei gratiam, niſi fide amplexi promiſſionem, patienter etiam foveamus in cordis noſtri ſinu. Probat autem hoc argumento, quia quum Deus immenſam Abrahæ ſobolem pollicitus eſt, videri poterat res incredibilis. Sara toto vitæ ſuæ decurſu ſterilis fuerat, ambo ad effœtam ſenectutem pervenerant, quum ſepulchro fere propiores eſſent quam thoro conjugali, nullus eſſet ad generandum vigor, Saræ vulva quæ vegeta ætate ſterilis fuerat, jam eſſet emortua: quis crederet gentem ex illis proditurant quæ numerum ſtellarum æquaret, ac par eſſet arenæ maris? Id vero abhorrebat ab omni ratione. Abraham nihilominus expectat: nec fruſtrationem veretur, quamdiu ab ore Dei pendet. Notanda ergo eſt iſta temporis circumſtantia, ut conſtet Apoſtoli ratiocinatio. Atque huc pertinet quod ſubjicit, compotem hujus benedictionis eſſe factum: ſed poſtquam expectaſſet quod nemo putaſſet unquam fore. In hunc modum danda eſt Deo gloria, ut quieti ſperemus quod nondum ſenſibus noſtris oſtendit, ſed occultat & in longum tempus differt, quo noſtra tolerantia exerceatur. Cur Deus per ſeipſum juret, ſtatim videbimus. Quid valeat hæc jurandi formula, *Niſi benedicens benedixero*, expoſuimus in tertium caput. Neque enim exprimitur hic Dei nomen, ſed ſubaudiendum eſt: quia niſi præſtet quod promittit, ſe veracem non habendum teſtatur.

16. Nam homines quidem per eum jurant qui major eſt, & omnis ipſis controverſiæ finis eſt jusjurandum, in confirmationem.

17. In quo Deus volens uberius oſtendere hæredibus promiſſionis immutabilem conſilii ſui firmitudinem, interpoſuit jusjurandum:

18. Ut per duas res immutabiles, in quibus impoſſibile ſit Deum mentiri, validam conſolationem habeamus nos qui confugimus ad obtinendam propoſitam ſpem.

19. Quam velut anchoram habemus tutam & firmam, & quæ ingreditur ad ea quæ intra velum ſunt:

20. Quo præcurſor noſter ingreſſus eſt Jeſus, ſecundum ordinem Melchiſedec factus in æternum Pontifex.

16. *Nam homines.*] Argumentum à minori ad majus, Si homini qui natura mendax eſt, juranti habetur fides, quia intercedit confirmatio per Dei nomen: quanto plus fidei meretur Deus ipſe qui æterna eſt veritas, quum per ſeipſum jurat? Pluribus autem verbis exornat hanc ſententiam. ac primum quidem dicit, homines *jurare per majorem.* quo ſignificat, eos quia juſta auctoritate apud ſe carent, aliunde mutuari. Addit tantum religionis ſubeſſe juramento, ut ad confirmationem ſufficiat, finemque imponat omnibus controverſiis, ubi deſunt hominum teſtimonia & aliæ probationes. Ergo quem omnes teſtem advocant, annon ſibi ipſe idoneus erit teſtis? qui ſua auctoritate dubitationem omnem tollit inter alios, annon ſuis dictis fidem faciet? ſi tantum habet præſtantiæ Dei nomen, hominis lingua pronunciatum: quanto plus habere debet, ubi Deus ipſe per nomen ſuum jurat? hoc quantum ad principalem cauſam. Sed hic obiter duo notanda ſunt: jurandum eſſe per Dei nomen, quum uſus poſtulat ut juremus: deinde juramentum Chriſtianis permitti, quia legitimum eſt dirimendis litibus remedium. Jubet Deus claris verbis per nomen ſuum jurare: ſi admiſceantur aliena nomina, jurisjurandi profanationem eſſe teſtatur. Hujus rei tres potiſſimum ſunt cauſæ. nam ubi nos proferendæ in lucem veritatis deficit ratio: non alio ejus aſſerendæ cauſa fas eſt confugere, quam ad Deum qui ipſe eſt æterna veritas. Deinde quum ſolus
Jer. 17. verſ. 10. ſit cordium cognitor, eripitur illi ſuum officium, ſi in rebus occultis, & quæ hominum judicium latent, provocamus ad alium judicem. Tertio quia jurando non ipſum modo citamus teſtem, ſed etiam obteſtamur ut ſit perjurii vindex ſi fallimus. Quare non mirum eſt ſi tam vehementer excandeſcat adverſus eos qui per aliud nomen jurant. tantundem enim illi adimitur ex ſuo honore. Quod autem diverſæ interdum formulæ uſurpantur in Scriptura, *nihil cum hac doctrina pugnat.* Neque enim jurant per cælum & terram, quaſi numen illis aliquod deferant, vel minimam divinitatis partem illis attribuant: ſed hac obliqua (ut ita dicam) obteſtatione in unum Deum reſpiciunt. Sunt enim variæ obteſtationis ſpecies. præcipua illa, dum judicem appellamus, & recta provocamus ad ejus tribunal. altera eſt, dum nominamus res maxime nobis charas, ut vitam noſtram, aut caput, aut aliquid ſimile. tertia, dum creaturas ſtatuimus teſtes coram Deo. Sed his omnibus modis proprie non per alium quam per Deum juratur. Quare ſuam improbitatem non minus quam inſcitiam produnt qui licitum eſſe contendunt ſanctos mortuos Deo adjungere, ut jus illis puniendi deferatur. *Præ*terea hic locus (ut dictum eſt) docet aliquem inter Chriſtianos jurisjurandi uſum eſſe legitimum. quod obſervandum eſt contra homines fanaticos qui regulam ſancte jurandi quam Deus Lege ſua præſcripſit, libenter abrogarent. Nam Apoſtolus certe hic de ratione jurandi tanquam de re pia & Deo probata diſſerit. Porro non dicit olim fuiſſe in uſu, ſed adhuc vigere pronunciat. Sit ergo hoc ſubſidium aſſerendæ veritatis ubi nos aliæ probationes deficiunt.

17. *Deus volens uberius.*] En quam indulgenter, ut optimum patrem decet, ſe Deus accommodet noſtræ tarditati. quia nos videt ſimplici ſuo ſermoni non acquieſcere, ut eum plenius ſanciat in cordibus noſtris, addit jusjurandum. Unde etiam apparet quantopere noſtra interſit, tantam extare certitudinem ejus erga nos benevolentiæ, ut nulla ſit amplius vacillandi aut trepidandi occaſio. Nam ut

Deus

Deus vetat nomen ſuum nulla vel levi de cauſa ſumi, ſeveramque omnibus ultionem denunciat qui eo temere abuſi fuerint, ut reverentiam deferri præcipit ejus majeſtati: ita ſibi in ſummo eſſe pretio ac honore docet. Neceſſaria ergo res eſt ſalutis certitudo, cujus fulciendæ cauſa jurare dignatur is qui temere jurare prohibet. Atque etiam hinc colligere licet quanti ſit illi noſtra ſalus: cui ut conſulat, non modo incredulitati noſtræ ignoſcit, ſed jure ſuo cedens, nobiſque longe plus tribuens quam oportuerat, comiter medetur. *Hæredibus.* Videtur peculiariter deſignare Judæos. tametſi enim ad Gentes quoque tandem pervenit hæreditas, illi tamen ſui & primi legitimique hæredes fuerunt: hi autem extranei & ſecundi, ac præter jus naturæ facti. Sic Petrus, Actor. 2. verſ. 29. Judæos alloquens in prima ſua concione, Vobis, inquit, & filiis veſtris facta eſt promiſſio, & iis qui longe ſunt quos Dominus advocaverit. Adventitus quidem hæredibus reliquit locum, ſed Judæos ſtatuit in primo ordine: quemadmodum & capite 3. verſ. 25. Vos eſtis filii Prophetarum & Teſtamenti, &c. Sic & hoc loco Apoſtolus, ut promptiores habeat Judæos ad recipiendum fœdus, eorum maxime cauſa jurejurando interpoſito ſancitum fuiſſe docet. Quanquam hodie ad nos quoque pertinet hæc ſententia; quia in locum, ipſorum incredulitate relictum ſumus ingreſſi. Obſerva *conſilium Dei* vocari, de quo nobis teſtimonium in Euangelio redditur: ne quis dubitet hanc doctrinam ex intimo Dei affectu eſſe depromptam. Sed potius certo ſtatuant fideles quoties audiunt Euangelii vocem, promulgari ſibi arcanum Dei conſilium quod apud eum latebat: atque hinc palam fieri quid de ſalute noſtra ante mundi creationem decreverit.

18. *Per duas res immutabiles.*] In Deo tam dicere quam jurare, immutabile eſt: hominum longe alia eſſet ratio. Facit enim eorum vanitas ut parum fir-
Pſal. 12. mus ſit eorum ſermo. at Dei ſermo his elogiis orna-
verſ. 7. tur, quod purus ſit & caſtus ſimilis auro ſepties purgato. Quin & Balaam quum profeſſus hoſtis eſſet,
Num. 23. teſtimonium hoc illi reddere cogitur, Non eſt Deus
verſ. 19. ſimilis filius hominum qui mentiatur, nec inſtar hominum ut variet. Dixit ergo, & non faciet? loquutus eſt, & non implebit? Numur. 23. verſ. 19. Ergo ſermo Dei certa eſt veritas, [illegible]. quum vero additur jusjurandum, quaſi cumulus ad plenam menſuram accedit. Hinc nobis valida conſolatio, quod Deus qui fallere loquendo non poteſt, promittere non contentus, etiam jurat. *Noi qui confugimus.* Hoc verbo ſignificat, non aliter Deo vere nos fidere, quam dum præſidiis omnibus aliis deſtituti, ad ſolidam ejus promiſſionem confugimus, & ſtatuimus illic nobis unicum aſylum. Ergo in participio καταφυγόντες exprimitur noſtra inopia & neceſſitas: quia non confugimus ad Deum niſi coacti. Sed quum addit, *Ad propoſitam ſpem*, ſignificat non procul quærendum eſſe ſubſidium quo indigemus, quia Deus ſponte occurrat, & nobis quaſi in manum porrigat fidendi materiam. Sicuti autem hac ſententia animare voluit Judæos ad amplectendum Euangelium, ubi illis ſalus offerebatur: ita incredulis excuſationem ſuſtulit qui tam præſentem gratiam reſpuerent. Et certe hoc verius dici potuit poſt Euangelii revela-
Deut. 30. tionem, quam in promulgatione Legis, Non eſt
verſ. 12. quod dicas amplius, Quis aſcendet in cælum, aut
Rom. 10. quis deſcendet in abyſſum, aut quis trajiciet mare?
verſ. 6. prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo. Cæterum in vocabulo Spei eſt metonymia. effectus enim pro cauſa accipitur. nam ego promiſſionem intelligo cui ſpes noſtra innititur. Neque enim iis aſſentior qui ſpem accipiunt pro re ſperata: imo & hoc ſimul addendum eſt, non loqui Apoſtolum de promiſſione nuda vel in aëre ſuſpenſa, ſed quæ fide à nobis recipitur: aut ſi mavis uno verbo, Spes hic ſignificat promiſſionem fide apprehenſam. In verbo [illegible], ſicut in nomine Spei, eandem quam prius conſtantiam notat.

19. *Quam velut anchoram.*] Elegans ſimilitudo, dum fidem verbo Dei innixam anchoræ comparat. nam certe quamdiu peregrinamur in hoc mundo, non ſtamus in firma terra: ſed quaſi in medio mari, & quidem valde turbulento fluctuamur. Diabolus enim innumeras procellas excitare non ceſſat, quæ navem noſtram protinus everterent ac ſubmergerent niſi anchoram in fundo penitus figeremus. Neque enim uſquam oculis noſtris ſtatio apparet: ſed quaquaverſum ſe extendant ſenſus noſtri, ſola aqua ſe oſtendit, imo undæ etiam inſurgunt ac minantur. Quemadmodum autem anchora per medias aquas projicitur in locum obſcurum & abditum, & dum illic latet, navem fluctibus expoſitam retinet in ſtatu ne obruatur: ita in Deo inviſibili ſpes noſtra figenda eſt. Hoc intereſt, quod anchora in mari deorſum jacitur, quia fundum in terra habet: ſpes autem noſtra ſurſum attollitur & evolat, quia in mundo nihil cui inſiſtat, reperit: nec hærere debet in creaturis, ſed in ſolo Deo quieſcit. Quemadmodum autem funis ex quo pendet anchora, per longum & cæcum intervallum navem ipſam conjungit cum terra: ſic Dei veritas ad nos cum ipſo colligandos vinculum eſt, ut nulla locorum diſtantia, nulla caligo impediat quominus illi adhæreamus. Sic cum Deo colligati, etiamſi confligandum nobis ſit cum aſſiduis procellis, ſumus tamen extra naufragii periculum. Ideo dicit, *anchoram* hanc *tutam eſſe ac firmam.* Fieri enim poteſt ut fluctuum impetu aut revellatur anchora, aut rumpatur funis, aut navis concuſſa diſſiliat. hoc in mari accidit. ſed alia eſt Dei virtus ad nos fulciendos, alia eſt vis ſpei, alia verbi ejus firmitas. *Quæ ingreditur ad ea.* Quemadmodum diximus, donec ad Deum perveniat fides, nihil niſi inſtabile & fluxum reperit. ergo neceſſe eſt ut in cælum uſque penetret. Sed quia negotium habet Apoſtolus cum Judæis, alludit ad vetus tabernaculum, ac dicit non debere in iis quæ videntur, immorari, ſed penetrare in ultima adyta quæ poſt velum latent. acſi diceret, ſuperandas eſſe externas omnes ac veteres figuras, ut fides in ſolo Chriſto ſiſtatur. Et hæc ratio diligenter notanda eſt: quia Chriſtus cælum ingreſſus eſt, fidem noſtram illuc quoque eſſe dirigendam. nam hinc docemur non alio conjiciendum eſſe fidei intuitum. Et certe fruſtra Deum in ſua majeſtate quærerent homines, quia nimis procul ab ipſis eſt remota: ſed Chriſtus nobis manum porrigit ut nos in cælum ducat: atque hoc etiam olim ſub Lege adumbratum fuit. nam Pontifex non ſuo tantum, ſed populi etiam nomine in Sanctum ſanctorum ingrediebatur: utpote qui duodecim tribus quodammodo in pectore & humeris geſtabat, quum in eorum memoriam contexti eſſent in pectorali duodecim lapides: & in duobus onychinis lapidibus inſculpta eſſent ſuper humeros eorum nomina: ut in unius hominis perſona omnes Sanctuarium ſimul ingrederentur. Bene ergo Apoſtolus quum Pontificem noſtrum cælos ingreſſum eſſe admonet: quia non ſibi tantum ingreſſus eſt, ſed nobis. Et ideo timendum non eſt ne clauſus ſit fidei noſtræ cælorum aditus, quæ à Chriſto nunquam disjungitur. Quia autem nos præeuntem Chriſtum ſequi decet, ideo *Præcurſor* vocatur.

Cap. VII.

Hic enim erat Melchiſedec Rex Salem, Pontifex Dei altiſſimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde Regum, & benedixit illi.

2. Cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abraham. qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex juſtitiæ: deinde etiam Rex Salem, quod eſt Rex pacis:

3. Sine patre, ſine matre, ſine genere, nec initium dierum, nec vitæ finem habens: ſed aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.

1. *Hic enim erat.*] Hactenus Judæos ſtimulavit ſuis exhortationibus, ut attente expenderent quid valeat Chriſti comparatio cum Melchiſedec. In fine proximi capitis, ut ex digreſſione illa rediret ad ſuum inſtitutum, rurſus citavit locum ex Pſalmo. nunc ergo ſermonem quem leviter attigerat, copioſe proſequitur: nam ſingulatim enumerat quæ ſint conſideranda in Melchiſedec, in quibus ſimilis ſit Chriſto. Porro mirum non eſt quod tam accurate in hoc ſermone inſiſtit. Non erat certe res vulgaris, in regione tot ſuperſtitionum corruptelis referta inveniri hominem qui purum Dei cultum tueretur: erat enim hinc Sodomæ & Gomorrhæ, inde Chananæis vicinus. ita undique ſeptus erat impiis hominibus. Deinde ſic totus mundus ad impietatem prolapſus erat, ut vix credibile eſſet Deum alibi ſincere coli, quam in familia Abrahæ. nam hujus pater & avus, apud quos ſumma integritas eſſe debuerat, jam pridem ad idololatriam degeneraverant. Ergo fuit hoc memorabile, adhuc Regem aliquem manere qui non tantum veræ religioni ſerviret, ſed obiret ipſe munus Sacerdotis. Et ſane oportuit in eo qui typus erat Filii Dei, omnia eſſe præclara. Chriſtum vero fuiſſe hoc typo adumbratum patet ex Pſalmo. neque enim hoc temere Davidi excidit, Tu es Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedec: quin potius hac voce ſublime myſterium Eccleſiæ commendatum fuit. Nunc ſingulas partes videamus, in quibus Apoſtolus Chriſtum ipſi Melchiſedec facit ſimilem. Prima ſimilitudo eſt in nomine. Neque enim myſterio caret quod *Rex juſtitiæ* vocatus eſt: quia etſi hoc honoria tribuitur Regibus qui moderate & ex æquitate dominantur: hic tamen titulus vere in ſolum Chriſtum competit, qui non modo juſtum imperium exercet ut alii, ſed Dei juſtitiam nobis communicat, partim dum efficit ut gratuita reconciliatione juſti cenſeamur, partim dum nos renovat Spiritu ſuo, ut pie ſancteque vivamus. Ergo Rex juſtitiæ dicitur ab effectu, quia in omnes ſuos juſtitiam diffundit. Unde ſequitur, extra ejus regnum nonniſi peccatum
Zach. 9. verſ. 9. in hominibus regnare. Itaque Zacharias, quum eum velut ſolenni Dei edicto in regni ſui poſſeſſionem mittit, hoc elogio ipſum ornat, Lætare filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi juſtus: ſignificans juſtitiam quæ alioqui nobis deeſt, adferri Chriſti adventu. Secunda ſimilitudo quam Apoſtolus notat, eſt in regno *pacis*. hæc vero pax fructus eſt illius juſtitiæ cujus meminit. Hinc ſequitur, quaquaverſum patet regnum Chriſti, illic debere eſſe pacem: ut habetur Jeſaiæ ſecundo & nono capite, ac ſimilibus locis. Cæterum quum Pax Hebræis etiam proſperum ac felicem ſtatum ſignificet, poſſet hoc loco ſic accipi. mihi tamen magis placet ut intelligatur pax interior quæ conſcientias tranquillas coram Deo & ſecuras reddit. Hujus autem boni præſtantia ſatis pro merito æſtimari nequit, niſi ex adverſo conſideres quam miſerum ſit aſſidua inquietudine torqueri: quod neceſſe eſt nobis accidere, donec per Chriſtum reconciliati Deo, conſcientias habeamus pacatas.

3. *Sine patre.*] Ita malo, quam Ignoti patris. expreſſius enim quiddam voluit dicere Apoſtolus, quam genus Melchiſedec obſcurum fuiſſe vel ignotum. Nec me movet objectio, quod ita non reſponderet figuræ veritas, quia Patrem in cælis habeat Chriſtus, matrem vero in terris. nam Apoſtolus uno verbo mentem ſuam mox explicat, ubi addit, *ſine genere.* Eximit ergo ipſum Melchiſedec à communi naſcendi lege. quo ſignificat æternum fuiſſe, ut recens ejus origo in hominibus quærenda non ſit. Certum quidem eſt, à parentibus fuiſſe progenitum. ſed hic de eo tanquam privato homine Apoſtolus non diſputat: quin potius illum induit perſona Chriſti. Itaque nihil aliud ſibi in eo intueri permittit, quam quod Scriptura docet. Nam in omnibus quæ ad Chriſtum pertinent tractandis, ea adhibenda eſt religio, ut nihil ſapiamus niſi ex verbo Domini. Nunc quum Spiritus ſanctus Regem ſui temporis præſtantiſſimum inducens, de ortu ejus taceat, nec poſtea mentionem ullam faciat mortis: nonne hoc perinde valet acſi accommodata eſſet ejus æternitas? Quod autem in Melchiſedec fuit adumbratum, vere in Chriſto exhibitum eſt. Ergo hac mediocritate contentos eſſe nos decet, quod dum Scriptura Melchiſedec talem nobis proponit, quaſi qui nunquam vel natus ſit, vel mortuus: velut in pictura demonſtrat, nullum Chriſto eſſe nec principium nec finem. Cæterum hinc quoque diſcimus quanta requiratur in ſpiritualibus Dei myſteriis reverentia & ſobrietas. nam quod nuſquam ſcriptum legitur, non tantum libenter ignorat Apoſtolus, ſed à nobis etiam neſciri vult. *Et* ſane de Chriſto nihil ex ſenſu noſtro temere proferre fas eſt. Atqui Melchiſedec non hic in privata (ut aiunt) qualitate, ſed quatenus ſacer eſt Chriſti typus conſideratur. Nec vero fortuito vel per incogitantiam id videri omiſſum debet, quod nulla illi cognatio tribuitur, nullus habetur de morte ſermo: verum id potius conſulto fecit Spiritus, ut nos ſupra vulgarem hominum ordinem attolleret. Ideo non videtur probabilis eorum conjectura qui Melchiſedec tradunt fuiſſe Sem filium Noah. Nam ſi ad hominem certum ac notum ventum fuerit, non ſtabit hæc tertia ſimilitudo Melchiſedec & Chriſti. *Aſſimilatus.* Nempe quoad ferebat ſignificandi ratio: ſemper enim analogia inter rem & ſignum tenenda eſt. Nam ridiculi ſunt qui è cælo delapſum comminiſcuntur, ut reipſa aſſimilent. Satis eſt quod lineamenta Chriſti in eo conſpicimus: ſicuti vivi hominis effigies in tabula cerni poteſt, & tamen procul diſtat homo à ſua pictura. Refutare eorum deliria qui vel Chriſtum tunc jam apparuiſſe ſomniant, vel Spiritum ſanctum, vel Angelum, non videtur operæpretium eſſe. Niſi forte quis ſobrii hominis eſſe exiſtimet, cum Poſtello & ſimilibus phreneticis diſputare. neque enim minore ſupercilio ſe nebulo ille Melchiſedec eſſe aſſerit, quam olim veſani illi ſpiritus (quorum meminit Hieronymus) Chriſtum ſe eſſe fingebant.

4. Conſiderate autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de ſpoliis Abraham Patriarcha.

5. Atque ii quidem qui ſacerdotium accipiunt, qui ſcilicet ſunt ex filiis Levi, præ-

ceptum

ceptum habent à populo decimas ſumendi juxta Legem, hoc eſt, à fratribus ſuis licet egreſſis ex lumbis Abrahæ.

6. Cujus autem genus non recenſetur ex ipſis, decimas ſumpſit ab Abraham, & habentem promiſſiones benedixit.

7. Porro ſine controverſia, quod minus eſt à potiore benedicitur.

8. Atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illic autem is de quo teſtatum eſt quod vivat.

9. Et (ut ita loquar) in Abraham decimatus eſt ipſe Levi qui decimas ſolet accipere:

10. Nam is adhuc in lumbis patris erat quum occurreret Abrahæ Melchiſedec.

4. *Conſiderate autem.*] Quarta notatio in comparatione Chriſti & Melchiſedec, quod illi decimas obtulerit Abraham. Porro quum pluribus de cauſis inſtitutæ fuerint decimæ, hic eam duntaxat reſpicit Apoſtolus quæ præſenti cauſæ ſervit. Una illa cauſa fuit cur decimæ ſolverentur Levitis, quia & ipſi filii Abrahæ erant, cujus ſemini promiſſa erat terra. Ergo jure hæreditario, terræ portio illis attribuenda erat. quoniam terræ poſſeſſione privantur, fit in decimis compenſatio. Altera etiam hæc erat cauſa, quod quum in Dei cultu publico Eccleſiæ miniſterio occuparentur, æquum fuit ipſos communi populi ſumptu ali. Decimas ergo illis reliqui Iſraëlitæ debebant, tanquam juſta muneris ſtipendia. Sed illæ cauſæ nihil ad præſentem diſputationem: ideo illas præterit Apoſtolus. Una hæc in rationem nunc venire debet, quod quum decimas populus quaſi ſacrum vectigal offerret Deo, eas Levitæ recipiebant. Unde apparet, non parvum fuiſſe honorem, quia in locum ſuum Deus eos quodammodo ſubrogabat. Ergo quod Melchiſedec Sacerdoti primarius Dei ſervus & Propheta Abraham obtulit decimas, eo confeſſus eſt, honoris gradu ſupra ſe excellere. Quod ſi ptæ illo in ordinem cogitur *Abraham Patriarcha*, raram & eximiam illius dignitatem eſſe oportet. Epithetum Patriarchæ, ad amplificationem poſitum eſt. eſt enim hoc in primis honorificum; quod Abraham in Eccleſia Dei pater nominatur. Tale igitur eſt argumentum, Abraham qui reliquos omnes antecellit, ipſo tamen Melchiſedec eſt inferior. ergo Melchiſedec ſummum honorem obtinet, ac Levitis omnibus præferendus eſt. Antecedens probatur. nam quod debebat Abraham Deo, ſolvit in manum Melchiſedec. decimarum ergo ſolutione ſe minorem profeſſus eſt.

5. *Qui ſcilicet ſunt.*] Hoc aptius eſt quam ita vertere, Eo quod ſint ex numero filiorum. Neque enim cauſam reddit Apoſtolus, acſi decimas ideo Sacerdotes accipiant, quod ſint ex filiis Levi: ſed totam illam tribum confert cum Melchiſedec, in hunc modum, Quum Levitis Deus conceſſit jus exigendi à populo decimas, ita Iſraëlitis omnibus eos præfecit, tametſi ex eodem parente eſſent omnes ſimul progeniti. atqui Abraham qui omnium pater eſt, Sacerdoti alienigenæ ſolvit decimas. ergo huic Sacerdoti omnes poſteri Abrahæ ſubjecti ſunt. Ita jus Levitis delatum particulare fuit in reliquos fratres: ſed Melchiſedec ſine exceptione ſummo loco ſtatuitur, ut ſibi omnes ſubjiciat. Quidam Apoſtolum loqui putant de decimis decimarum, quas majoribus Sacerdotibus Levitæ ſolvebant: ſed nulla eſt ratio cur generalem ſermonem ita reſtringamus. ergo probabilius eſt quod attuli.

6. *Benedixit.*] Hoc quintum eſt quod in comparatione Chriſti & Melchiſedec Apoſtolus obſervat. ſumit autem quaſi unum ex confeſſis principiis, Quod minus eſt benedici à majori. Subjicit deinde, Melchiſedec benedixiſſe Abrahæ. unde conficitur, Abraham eſſe minorem. Sed amplificandi cauſa iterum Abraham ornat ſingulari elogio. Nam quo præſtantior eſt Abraham, eo altius evehitur dignitas ipſius Melchiſedec. In hunc finem dicit, Abraham promiſſiones habuiſſe: quo ſignificat illum eſſe primum ſanctæ gentis auctorem, quocum Deus fœdus æternæ vitæ pepigit. Hæc enim non vulgaris fuit dignatio, quod unum elegit Deus ex omnibus, apud quem jus adoptionis & amoris ſui teſtimonium deponeret. Atqui hoc totum non obſtitit quominus ſe cum tota ſua excellentia ſubmitteret ſacerdotio Melchiſedec. Perſpicere igitur licet quantus hic ſit, cui duabus in rebus ceſſit Abraham, & quod ſe benedici ab eo paſſus eſt, & quod decimas obtulit quaſi Dei vicario.

7. *Quod minus eſt.*] Primum ſciendum eſt quid hoc loco ſignificet *benedictionis* nomen. Eſt autem ſolennis precatio, qua is qui præditus eſt inſigni aliquo & publico honore, privatos & ſuæ adminiſtrationis homines Deo commendat. Eſt aliud benedicendi genus, dum viciſſim alii pro aliis precamur: quod piis omnibus eſt promiſcuum. Sed hæc benedictio cujus Apoſtolus meminit, majoris eſt poteſtatis ſymbolum. Ita Iſaac benedixit filio ſuo Jacob: & *Gen. 27. verſ. 27.* Jacob ipſe benedixit ſuis nepotibus Ephraim & Manaſſe. *Gen. 48. verſ. 15.* neque enim fuit illud mutuum, ut par referret filius patri: ſed major auctoritas ad legitimam benedictionem requirebatur. quod melius conſtare poteſt ex ſexto Numerorum capite, ubi poſtquam *Num. 6.* Sacerdotibus datum eſt mandatum benedicendi po- *verſ. 23.* puli, ſtatim promiſſio additur, benedictos fore quibus benedixerint. Hoc (inquam) jure ſubnixa eſt ſacerdotalis benedictio, ut non tam hominis ſit quam Dei. Nam ut Sacerdos in victimis immolandis Chriſti vices gerebat, ita in populo benedicendo, nihil quam miniſter & legatus erat ſummi Dei. In hunc ſenſum accipi debet quod refert Lucas, Chriſtum *Luc. 24.* ſublatis manibus Apoſtolos benedixiſſe. *verſ. 50.* Ritum illum tollendi manus proculdubio à Sacerdotibus mutuatus eſt, ut ſe oſtenderet eum eſſe per quem Deus Pater nobis benedicat. De hac quoque benedictione mentio fit Pſal. 116. v. 17. & 118. v. 1. Nunc iſtam ſententiam accommodemus ad id quod Apoſtolus tractat. Benedictio ſacerdotalis quum divinum ſit opus, ſimul majoris eſt honoris teſtimonium. Ergo Melchiſedec Abrahæ benedicendo, ſuperiorem locum ſibi ſumpſit. non fecit hoc temere, ſed pro jure ſacerdotali. ergo eminet ſupra Abraham. Atqui Abraham is eſt cum quo dignatus eſt Deus ſalutis fœdus paciſci. ergo quum reliquis omnibus præcellat, à ſolo Melchiſedec ſuperatur.

8. *De quo teſtatum eſt quod vivat.*] Silentium de morte (ut jam prius dixi) pro vitæ teſtimonio accipis. non valeret hoc quidem in aliis: ſed in Melchiſedec quatenus imago eſt Chriſti merito valere debet. Nam quia hic agitur de ſpirituali Chriſti regno & ſacerdotio, nihil loci humanis conjecturis relinquitur: nec ſcire aliud fas eſt quam quod Scripturis proditum legimus. Neque vero hinc colligas, hominem illum qui Abrahæ occurrit, adhuc vivere: ſicuti pueriliter quidam nugati ſunt. nam hoc ad alienam perſonam quam ſuſtinebat, nempe Filii Dei, refertur. Cæterum his verbis Apoſtolus contendit, dignitatem ſacerdotii Melchiſedec perpetuam eſſe, Levitici vero temporalem. Sic enim ratiocinatur, Hi quibus decimas Lex aſſignat, homi-

nes ſunt mortales: quo indicatum fuit abrogandum eſſe aliquando jus ſacerdotii, quemadmodum finem habebat eorum vita. Scriptura autem nullam commemorat mortem Melchiſedec, quum narrat ſolutas illi fuiſſe decimas: ita jus ſacerdotii illius nullo temporis ſpatio terminat, quin potius ſubindicat æternæ eſſe durationis. Hoc autem ideo additum eſt ne videatur poſterior Lex (ut moris eſt) priori quicquam derogaſſe. Excipi enim alioqui poterat, jus illud quo potitus olim erat Melchiſedec, eſſe jam obſoletum: quia aliam Legem Deus per Moſen tuliſſet, qua illud transferebat ad Levitas. Sed occurrit Apoſtolus quum dicit, ad tempus decimas Levitis ſolutas fuiſſe, quia non ſemper viverent: Melchiſedec vero, quia immortalis ſit, retinere uſque in finem quod à Deo ſemel illi datum eſt.

9. *Decimatus eſt ipſe Levi.*] Longius procedit, ne ipſum quidem Levi qui tunc *in lumbis Abrahæ erat*, immunem ab eadem ſubjectione fuiſſe: quia Abraham decimas ſolvendo, ſe & poſteros ſacerdotio Melchiſedec ſubjecerit. Sed hic ex adverſo poſſet objici, eadem ratione Juda quòque, ex cujus ſemine genitus fuit Chriſtus, fuiſſe decimatum. Verum hic nodus facile ſolvetur, ſi quis duo ea pendat quæ inter Chriſtianos extra controverſiam conſtituta eſſe debent. neque enim ſimpliciter Chriſtus, unus quilibet hominum inter Abrahæ filios cenſetur, ſed privilegio ſingulari eximitur à communi ordine. Atque hoc eſt quod dicebat, Si filius eſt Davidis, quomodo eum David Dominum appellat? (Mat. 22. verſ. 45.) Videmus ergo jam ut argumentum perperam à Lege ad Chriſtum ducatur. deinde quum Melchiſedec Chriſti ſit figura, minime conſentaneum eſſet rationi, illum quaſi committi cum hoc in certamen. tenendum eſt enim illud vulgare dictum, Quod ſubordinatur non pugnat. Itaque figura quum infra veritatem ſuam ſubſidat, illi nequaquam opponi debet, aut poteſt: parium enim eſt talis conflictus. His quinque membris Apoſtolos comparationem Chriſti & Melchiſedec abſolvit: quo refellitur eorum commentum qui præcipuam in oblatione panis & vini ſimilitudinem quærunt. Videmus Apoſtolum ſingula hic accurate & propemodum ſcrupuloſe excutere. Nomen hominis, ſedem regni, perpetuitatem vitæ, jus decimarum, benedictionem perſequitur. In his certe minus erat momenti quam in oblatione. Dicemuſne oblivione lapſum eſſe Dei Spiritum, ut dum rebus minutis immoratur, quod præcipuum erat & maxime ad cauſam valebat, omiſerit? quo magis tot veteres Eccleſiæ doctores hac opinione occupatos fuiſſe miror, ut in oblationem panis & vini inſiſterent. Sic autem loquuntur, Chriſtus Sacerdos eſt ſecundum ordinem Melchiſedec. atqui panem & vinum Melchiſedec obtulit: ergo panis & vini ſacrificium Chriſti ſacerdotio convenit. Copioſe poſt hac de ſacrificiis veteribus Apoſtolus diſſeret: de hoc novo ſacrificio panis & vini nullum faciet verbum. Unde ergo hoc in mentem venit Eccleſiaſticis ſcriptoribus? Certe ut error errorem trahere ſolet, quum ipſi ſacrificium in Chriſti cœna nullo ejus mandato finxiſſent, adeoque cœnam adulteraſſent addito ſacrificio: colores poſtea hinc inde accerſere conati ſunt, quibus errorem ſuum fucarent. Arriſit hæc panis & vini oblatio, & nullo judicio protinus arrepta eſt. Nam quis concedat homines illos perſpicaciores Spiritu Dei fuiſſe? Atqui ſi recipimus quod tradunt, damnandus incogitantiæ erit Dei Spiritus à quo res tanta non eſſet animadverſa: præſertim quum hanc quæſtionem tractaret ex profeſſo. Hinc conſtituo, veteres ſibi finxiſſe ſacrificium de quo nunquam Moſes cogitaverat. neque enim ſcribit (Gen. 14. verſ. 18.) Melchiſedec panem & vinum obtuliſſe Deo, ſed potius Abrahæ & comitibus. Hæc ejus verba ſunt, Egreſſus eſt illi obviam Melchiſedec Rex Salem, ac protulit panem & vinum: & erat idem Sacerdos Dei altiſſimi, & benedixit illum. Prius illud quod narrat, regium fuit, laſſos ex prælio & itinere reficere: benedictio ad munus ſacerdotale pertinebat. Ergo ſi quid myſterii habuit oblatio, non aliter in Chriſto completur, niſi dum eſurientes nos & laſſitudine confectos paſcit. Cæterum bis ridiculi ſunt Papiſtæ, qui poſtquam negarunt in Miſſa eſſe panem & vinum, de panis & vini ſacrificio garriunt.

11. Porro ſi conſummatio per Leviticum ſacerdotium erat, (*populus enim ſub eo Legem accepit*) quid adhuc opus fuit ſecundum ordinem Melchiſedec alterum exoriri Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?

12. Etenim dum transfertur ſacerdotium, neceſſario etiam fit Legis translatio.

13. Certe is de quo hæc dicuntur, alterius fuit tribus particeps, ex qua nemo adſtitit altari.

14. Clarum enim eſt quod ex tribu Juda natus ſit Dominus noſter, de qua tribu nihil loquutus eſt Moſes, quod ad ſacerdotium ſpectat.

11. *Si conſummatio.*] Ex eodem teſtimonio colligit Apoſtolus, abrogatum fuiſſe Chriſti adventu vetus Teſtamentum. Hactenus de officio perſonaque Sacerdotis differuit. ſed quia ſacerdotium Deus inſtituerat ſanciendæ Legis cauſa, illo abolito, ſequitur hanc quoque ceſſare. Hoc ut melius intelligatur, tenendum eſt axioma, Nullum fœdus inter Deum & homines firmum ratumque eſſe niſi ſacerdotio fulciatur. Ideo dicit Apoſtolus, Legem fuiſſe veteri populo interpoſitam ſub Levitico ſacerdotio: quo ſignificat non modo illud regnaſſe tempore Legis, ſed ejus ſtabiliendæ cauſa, ut diximus, fuiſſe inſtitutum. Jam ſic ratiocinatur, Si perfecta fuiſſet Eccleſiæ adminiſtratio ſub ordine Aaron, quorſum oportuiſſet ad diverſum ordinem redire? nam in perfectione nihil mutatur. ſequitur ergo, adminiſtrationem Legis non fuiſſe perfectam: quia novus ordo erigendus fuit de quo loquitur David. *Populus enim ſub eo Legem accepit.* Hæc parentheſis ideo inſeritur ut ſciamus annexam fuiſſe Legem ſacerdotio. Vult Apoſtolus probare, in Lege Moſis non fuiſſe ultimum ſcopum in quo hærendum eſſet. id probat ex ſacerdotii abrogatione, in hunc modum, Si ea fuiſſet vis ſacerdotii veteris, ut Legi in ſolidum confirmandæ ſufficeret, nunquam Deus aliud ſubrogaſſet novum & diverſum. Nunc quia ambigere quiſpiam poterat an ex fine ſacerdotii conſequeretur Legis abolitio, dicit non modo ſub illo hanc fuiſſe latam, ſed per illud quoque confirmatam fuiſſe.

12. *Dum transfertur ſacerdotium.*] Quum eadem ſit Legis & ſacerdotii conditio, Chriſtus non Sacerdos modo, ſed Legiſlator etiam creatur. ita non tantum jus Aaronis, ſed Moſis quoque ad eum transfertur. Summa eſt, non minus temporale fuiſſe Moſis quam Aaronis miniſterium: ideoque abrogari Chriſti adventu utrumque oportuiſſe, quia alterum ſine altero ſtare non potuerit. *Legis* nomine intelligimus quod proprie ad Moſen ſpectabat. Lex enim & regulam bene vivendi, & gratuitum vitæ fœdus continet: illicque paſſim occurrunt multæ inſignes ſententiæ quibus tum ad fidem, tum ad timorem Dei inſtituimur. Horum nihil abolitum fuit à Chriſto, ſed tantum pars illa quæ cum veteri ſacerdotio implicita erat. Nam hic con-

fertur

ſertur Chriſtus cum Moſe. itaque qnicquid commune eſt inter eos, in rationem non venit, ſed ea tantum in quibus alter differt ab altero. Commuoe eſt ambobus offerre nobis Dei miſericordiam, regulam pie ſanc̃teque vivendi præſcribere, tradere verum Dei cultum, ad fidem, ad patientiam, ad omoia pietatis officia nos bortari. Hoc autem diverſum à Chriſto habuit Moſes, qnod nondum patefacta Euangelii claritate, ſub involucris populum continuit: quod re nondum exbibita, io figuris & umbris guſtum propoſuit Cbriſti: quod denique ad rudis populi captum ſe attemperans, non ultra puerilia rudimenta conſcendir. Meminerimus ergo Legem dici partem illam miniſterii quam propriam habuit Moſes, & à Chriſto ſeparatam. ea quum veteri ſacerdotio ſubjecta ſit, boc abolito ſimul ceſſat. Et Chriſtus dum inſtituitur Sacerdos, Legislatoris etiam poteſtate inſtruitur, ut novi Teſtamenti miniſter ſit ac ioterpres. quanquam improprie ad Euangelium transfertur Legis nomen. Sed hæc catachreſis adeo nihil habet abſurdi, ut propter antitheſio gratiam orationi conciliet, ſicuti ad Romanos capite ſeptimo. Porro nimis proterva fuit Papæ improbitas qui in ſuis Decretalibus hoc caput inſeruit, ſe nunc eadem præditum eſſe poteſtate quam olim Aaron babuerit, quia Lex cum ſacerdotio ad ipſum ſit translata. Videmus quidnam agat Apoſtolus: Ceremonias deſiiſſe contendit ex quo prodiit Cbriſtus cum mandato novi fœderis publicandi. Perperam inde colligimus, ad Chriſti mioiſtros quicquam tranſiiſſe. ſola enim Chriſti perſona Moſi & Aaroni opponitur. Quo igitur prætextu aliquid ſibi juris Antichriſtus arrogabit? Neque hic refellendæ tam craſſæ impudentiæ cauſa diſputo. ſed hanc ſacrilegam audaciam lectoribus indicari operæpretium fuit, ut agnoſcant bonum hunc ſervum ſervorum Chriſti ſuſque deque habere magiſtri honorem, fœde Scripturas lacerare ut ſuæ tyrannidi qualemcunque fucum inducat.

13. *De quo hæc dicuntur.*] Quia apud eos verba facit Apoſtolus, qui Jeſum Filium Mariæ fatentur eſſe Cbriſtum: veteri ſacerdotio finem eſſe impoſitum probat, quia bic novus Sacerdos qui ſubrogatur, ex alia ſit tribu quam Levi. Nam ſecundum Legem manere in illa tribu, ſingulari privilegio debuit ſacerdotii dignitas. Porro *clarum eſſe* dicit, qood ex tribu Juda progenitus ſit Cbriſtus: quia tunc vulgo res nota erat. præcipua tamen certitudo in promiſſione fundata erat. Ergo quum agnoſcerent eum eſſe Cbriſtum, ſimul neceſſe erat ut perſuaſi eſſent eſſe filium Davidis: nam is qui promiſſus erat, noo poterat aliunde ducere originem.

15. Idque magis etiam liquet: ſiquidem ad ſimilitudinem Melchiſedec exoritur Sacerdos alius,

16. Qui non juxta legem mandati carnalis factus fuit, ſed ſecundum potentiam vitæ inſolubilis.

Pſ. 110. 17. Teſtatur enim ad hune modum, Tu Sacerdos in æternum ſecundum ordinem
verſ. 4. Melchiſedec.

18. Abrogatio enim fit prioris mandati propter imbecillitatem & inutilitatem.

19. Nihil enim Lex perfecit, ſed acceſſit introductio ad ſpem potiorem per quam appropinquamus Deo:

20. Atque hoc potiorem, quod non abſque jurejurando res acta ſit. nam illi quidem citra jusjurandum Sacerdotes facti ſunt:

21. Hic vero cum jurejurando, per eum qui dixit illi, Tu Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.

22. Tanto potioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.

15. *Idque magis liquet.*] Alio argumento probat abolitam eſſe Legem. Prius à Sacerdotis perſona ratiocioatus eſt: nunc à natura ſacerdotii, & à ratione qua inſtitutum fuit. Sacerdotium vetus, inquit, exterois ritibus inſtitutum fuit: io Cbriſti ſacerdotio nihil niſi ſpirituale eſt. Inde apparet illud fluxum fuiſſe & caducum: hujus vero perpetuitas monſtratur. Mandatum carnale pro corporeis, boc eſt, externis ceremoniis accipitur. Scimus quomodo inauguratus fuerit Aaroo cum filiis ſuis. Quod arcana & cæleſti Spiritus virtute impletum eſt in Cbriſto, illic oleo, multiplici veſtitu, ſanguinis aſperſione, aliiſque terrenis ceremoniis adumbratum fuit. Porro hæc inſtitutio ſacerdotii naturæ congruebat: unde ſequitur ſacerdotium ipſum fuiſſe obnoxium mutationi. Quanquam ut poſtea videbimos, non ſic ſuit carnale ſacerdotium quin ſimul ſpiritoale eſſet: ſed hic tantum reſpicit Apoſtolus quid diverſum à Cbriſto Aaroo habuerit. Ergo utcunque ſpiritualis eſſet umbrarum ſignificatio, umbræ tamen ipſæ, utpote quæ hujus mundi elementis conſtareot, terrenæ merito dicuntur.

16. *Secundum potentiam vitæ.*] Quia Cbriſtus perpetuus eſt Sacerdos, diſcerni ab Aarone ipſum inſtitutionis ritu oportuit. hoc factum eſt, quia oon Moſes homo mortalis ipſum conſecravit, ſed Spiritus ſanctus: idque non oleo, nec ſanguioe bircorum, nec externa veſtium pompa, ſed cæleſti virtute quam bic Apoſtolus infirmis elementis opponit. Videmus ergo ut æternitas ſacerdotii in Chriſto commendata fuerit.

17. *Tu Sacerdos in æternum.*] In una tantum voce perpetuitatis boc loco ioſiſtit Apoſtolus: confirmat enim quod dixit de *vita inſolubili.* differre ergo Cbriſtum à toto genere Levitico oſtendit, quia ſit creatus in perpetuum Sacerdos. Sed bic poſſet objici (qoemadmodum Judæi etiam objiciuot) לעולם non ſemper æternitatem ſonare: ſed potius ſeculi unius ſpatium, aut certe longum tempus. Huc accedit, quod quum Moſes de veteribus ſacrificiis agit, ſæpe
hac loquutione utitur, Erit hæc obſervatio in ſecu- Exod. 12.
lum. Reſpondeo, quoties de Legalibus ſacrificiis fit verſ. 17.
mentio, ſeculum ad tempus Legis reſtringi. neque & 19: 9.
id abſurdum videri debet: Chriſti enim adventu facta eſt quædam muodi renovatio. Quoties ergo de miniſterii ſui ſtatu loqoitur Moſes, longiſſimum tempus non extendit niſi ad Chriſtum. Quanquam ſimul obſervandum eſt, non tam externæ ceremoniæ reſpectu quam propter myſticam ſignificationem, ſeculi durationem attribui veteribus ſacrificiis. In præſentia tamen ſufficere nobis debet ea ratio, ſuuoi Moſi ejuſque miniſterio ſeculum fuiſſe: cui finem attulit regnum Chriſti, ſub quo renovatus fuit mundus. Nunc ubi conſurgit Cbriſtus, & ei defertur perpetuum ſacerdotium, finem in ejus ſeculo non reperiemus, ut certo temporis ſpatio terminari queat. Ita oihil hac voce quam æternitas iotelligi debet: oam ex hac circumſtantia ſemper judicandum eſt quid valeat particula לעולם.

18. *Abrogatio fit.*] Quoniam in boc cardioe nuoc verſatur Apoſtoli oratio, Legem una cum ſacerdotio ceſſaſſe, cauſam exponit cur banc oportuerit aboleri:

aboleti: nempe quia infirma & inutilis fuerit. Sic autem loquitur ceremoniarum reſpectu, quæ in ſe nihil habebant ſolidum, nec per ſe quicquam ad ſalutem valebant. Quod enim gratiæ promiſſio illis erat annexa, quod paſſim teſtatur Moſes placatum iri Deum ſacrificiis, & expiatum iri peccata: id proprie non competebat ſacrificiis, ſed adventitium erat. Nam ut ad Chriſtum referebantur figuræ omnes, ita ab eo mutuabantur vim ſuam & effectum. imo per ſe nihil poterant, vel agebant, ſed tota vis à Chriſto uno pendebat. Porro quum Judæi perperam eas Chriſto opponerent, Apoſtolus ſermonem, eorum opinioni accommodans, eas quoque à Chriſto diſcernit. Atqui ſimulac ſeparatæ ſunt à Chriſto, nihil illis fit reliquum, præter hanc infirmitatem de qua loquitur. Denique nulla in ceremoniis veteribus reperietur utilitas, donec ad Chriſtum ventum fuerit: adeoque ſic Judæos teddebant certiores de gratia Dei, ut ſuſpenſos quodammodo tenerent. Meminerimus ergo, inutilem vocari Legem quum Chriſto vacua eſt. Hoc quoque ad confirmationem hujus doctrinæ facit, quod vocat *prius mandatum*. Nam tritum illud ac vulgare eſt, Priores leges poſterioribus abrogari. Longe ante Davidem promulgata Lex fuerat. tunc erat in ſuo regno quum vaticinium iſtud proferret de creando novo Sacerdote. eſt igitur nova Lex quæ priorem antiquat.

19. *Nihil enim perfecit.*] Quia paulo durius loquutus erat de Lege, nunc aſperitatem illam mitigat & quaſi corrigit. Concedit enim illi utilitatem quandam, quod viam præmonſtraverit, quæ tandem ad ſalutem duceret. ea tamen fuit ejuſmodi, ut multum à perfectione diſtaret. Sic ergo argumentatur Apoſtolus, Lex inchoavit duntaxat: ergo aliquid perfectius ſequi neceſſe fuit. neque enim filios Dei ſemper in rudimentis puerilibus hærere decet. *Introductionis* nomine ſignificat, quandam fuiſſe in Lege præparationem: ut pueris traduntur elementa quæ ad altiorem doctrinam illis deinde viam ſternant. ſed quia præpoſitio ἐπὶ conſequentiam ſignificat, ubi uni alterum ſuccedit: ideo vertendum cenſui, *Sed acceſſit*. nam duas, meo judicio, introductiones ponit: priorem in figura Melchiſedec, ſecundam in Lege, quæ poſterior tempore fuit. Porro *Legis* nomine ſacerdotium Leviticum deſignat, quod ſacerdotio Melchiſedec fuit ſuperadditum. Per *ſpem potiorem* intelligitur conditio fidelium ſub regno Chriſti. ſed reſpectum habet ad Patres, qui præſenti ſuo ſtatu non poterant eſſe contenti quin longius aſpirarent. Unde illud, Multi Reges & Prophetæ Luc 10.
optarunt videre quæ vos videtis. ergo Legis pæda- verſ. 24.
gogia manu ducebantur, ut ultra tenderent. *Per quam appropinquamus*. Subeſt tacita antitheſis inter nos & Patres. hac enim dignitate eos antecellimus, quod Deus ſe jam nobis familiariter communicat: quum eminus tantum illis & obſcure apparuerit. Et eſt alluſio ad formam tabernaculi vel templi. nam populus in atrio procul ſtabat, nec cuiquam propius Sanctuarii acceſſus patebat niſi ſacerdotibus: interius vero Sanctuarium ingrediebatur ſummus Sacerdos. nunc autem ſublato tabernaculo, Deus nos in familiarem ſui conſpectum admittit, à quo prohibiti fuerunt Patres. Ergo qui Legis umbras adhuc retinet, vel reſtituit, non tantum obſcurat Chriſti gloriam, ſed nos fraudat ingenti bono: quia interſtitium inter nos & Daum ponit, ad quem appropinquandi libertas per Euangelium nobis conceſſa eſt. Et quiſquis in Lege hæret, ſciens ac volens ſe privat Dei propioquitate.

20. *Quod non abſque jurejurando.*] Aliud argumentum, cur cedere Lex Euangelio debeat: quia Deus ſacerdotium Chriſti Aaronis ſacerdotio prætulerit, quando in illius honorem jurare dignatus eſt. Nam quum veteres Sacerdotes inſtitueret, nullum jusjurandum interpoſuit. de Chriſto autem dicitur, Juravit Dominus: quod proculdubio fit ejus ornandi cauſa. Videmus in quem finem Pſalmum rurſus adducat: nempe ut ſciamus, jurante Deo, plus dignationis attribui Chriſti ſacerdotio quam reliquis. Porro memoria repetendum eſt principium illud, Sacerdotem creari ut ſit ſponſor fœderis. ideo concludit Apoſtolus, fœdus quod per manum Chriſti nobiſcum Deus pepigit, illo veteri cujus interpres fuit Moſes, longe eſſe præſtantius.

23. Et illi quidem plures facti fuerunt Sacerdotes, quod *prohiberentur morte permanere*:

24. Hic autem quia perpetuo manet, immutabile habet ſacerdotium.

25. Unde & ſervare in æternum poteſt eos qui per ipſum Deo appropinquant: ſemper vivens ut intercedat pro nobis.

26. Talis enim nos decebat Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus:

27. Qui non neceſſe habeat quotidie, quemadmodum Sacerdotes, primum pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populi. hoc enim ſemel fecit, quum ſeipſum obtulit.

28. Lex quidem homines conſtituit Sacerdotes habentes infirmitatem: ſermo autem jurisjurandi quod Lege poſterius eſt, Filium in æternum perfectum.

23. *Et illi quidem.*] Jam prius attigerat hanc comparationem: ſed quia res majori animadverſione digna eſt, iterum plenius explicat. quanquam alius eſt diſputationis ſenſus quam antea. Tunc enim ſacerdotium vetus aliquando debuiſſe interire colligebat, quod illi præeſſent homines mortales: nunc ſimpliciter oſtendit cur Chriſtus maneat perpetuo Sacerdos. id facit argumento à diſparatis ſumpto. Veteres ideo plures fuerunt, quia mors ſacerdotium finiebat: nulla eſt mors quæ impediat Chriſtum à ſua functione. ergo unus eſt ac perpetuus. Ita cauſa diverſitatis diverſos facit effectus.

25. *Unde & ſervare* &c.] Hic fructus æterni ſacerdotii, nempe ſalus noſtra: ſi tamen fructum hunc fide colligimus, ut oportet. Nam ubi interitus eſt vel mutatio, illic ſalutem fruſtra quæras: ideo qui in veteri ſacerdotio hærent, ad ſalutem nunquam pervenient. Quum dicit, *Eos qui appropinquant Deo*, hac periphraſi fideles deſignat, qui ſoli fruuntur ſalute per Chriſtum parta: ſed interea tamen indicat quid in Mediatore ſpectare debeat fides. hoc ſummum eſt hominis bonum, ut Deo ſuo ſit conjunctus, apud quem fons vitæ eſt ac omnium bonorum: ſed omnes arcet ſua indignitas ab acceſſu. Ergo proprium Mediatoris officium, nobis hic ſuccurrere, manumque porrigere ut in cælum nos deducat. Et ſemper ad veteres Legis umbras alludit. tametſi enim Pontifex nomina duodecim tribuum in humeris geſtabat, & ſymbola in pectore: ſolus tamen Sanctuarium ingrediebatur, quum populus in atrio ſtaret. Nunc vero Chriſto mediatore freti, fide in cælum uſque penetramus: quia nullum eſt amplius velum quod nobis obſtet, ſed Deus palam nobis apparet, blandeque ad familiarem acceſſum nos invitat. *Semper*

vivens

Digitized by Google

vivens ut intercedat. Quale hoc & quantum amoris erga nos pignus eſt? quod nobis Chriſtus, non ſibi vivit, quod receptus eſt in beatam æternitatem, ut in cælo regnet: id cauſa noſtra factum Apoſtolus pronunciat. Ergo & vita, & regnum, & gloria Chriſti in ſalutem noſtram, tanquam in ſuum ſcopum, deſtinantur, nec quicquam habet Chriſtus quod non in uſum noſtrum accommodare liceat: quia hac conditione ſemel nobis à Patre datus eſt, ut omnia illius noſtra ſint. Simul ab effectu Chriſtum docet fungi Sacerdotis officio, quia proprium Sacerdotis eſt intercedere ut populo gratiam apud Deum conciliet. hoc ſemper facit Chriſtus, quia in hunc finem reſurrexit à mortuis. ergo jure propter aſſiduum intercedendi munus, Sacerdotii nomen ſibi vendicat.

26. *Talis enim Pontifex.*] Ab annexis ratiocinatur. Conditiones iſtæ vel qualitates (ut vulgo appellant) neceſſario requitunt in Sacerdote ut juſtus ſit, innocens & purus omni macula. in ſolum Chriſtum competit hic honor. ergo Legis ſacerdotibus defuit quod ad munus vere obeundum requirebatur. Unde ſequitur, non conſtare perfectionem Levitico Sacerdotio: ac ne per ſe quidem fuiſſe legitimum, niſi quatenus Chriſto ſubſerviebat. Et ſane externus ornatus Pontificis, defectum hunc indicabat. Quorſum enim pretioſæ ac ſplendidæ illæ veſtes quibus Aaronem in Sacris peragendis ornari Deus jubebat, niſi ut ſanctitatis ac in omni virtutum genere præſtantiæ plus quam humanæ eſſent ſymbola? ideo autem adhibebantur figuræ illæ, quia res non aderat. Apparet igitur Chriſtum ſolum eſſe idoneum Sacerdotem. Membrum iſtud, *ſegregatus à peccatoribus*, reliqua comprehendit. Fuit enim aliqua Aaronis ſanctitas & innocentia & puritas, ſed nonniſi ad exiguum duntaxat modulum: multis enim maculis fœdatæ erant. Chriſtus autem, qui exemptus eſt è vulgo hominum, ſolus eſt à peccato immunis. Ideo vera ſanctitas & innocentia in eo ſolo reperietur. Neque enim ſegregatus à nobis dicitur, quod nos à ſocietate ſua repellat: ſed quia hoc habet præ nobis eximium, ut vacuus ſit omni immunditia. Atque hinc colligimus, repudiari omnes preces quæ non ſuffultæ ſunt interceſſione Chriſti. Quæri tamen poſſet de Angelis, an illi quoque à peccatoribus ſint ſegregati. quod ſi ita eſt, quid obſtat quominus ſacerdotio fungantur, & mediatores noſtri ſint apud Deum? Reſponſio facilis eſt: nemo enim legitimus Sacerdos eſt niſi mandato Dei ordinatus. nuſquam hunc honorem Angelis Deus detulit. Ergo ſacrilega eſſet uſurpatio, ſi vocatione deſtituti illuc ſe ingererent. Deinde ut ſtatim videmus initio proximi capitis, hominem eſſe oportet qui Dei ſit & hominum mediator. Quanquam poſtrema conditio quam Apoſtolus hic recenſet, abunde ſola ſufficeret ad ſolvendam hanc quæſtionem. nos enim conjungere Deo non poteſt niſi qui ad Deum pertingit. hoc ne angelis quidem datum eſt: quia non leguntur ſupra omnes cælos evecti. Proinde ſolius Chriſti eſt conciliare nobis Deum: quandoquidem ſupra omnes cælos conſcendit. Porro hæc loquutio perinde valet acſi diceretur Chriſtus ſupra omnes creaturarum ordines collocatus, ita ut ſupra Angelos emineat.

27. *Qui non neceſſe habeat.*] Proſequitur antitheſin inter Chriſtum & Sacerdotes Leviticos: in qua duos maxime (ut ita loquar) defectus notat veteris Sacerdotii, ex quibus conſtet non fuiſſe ſuis numeris abſolutum. Atque hic quidem ſummam breviter perſtringit, ſed poſtea ſingulas partes fuſius exponit: præſertim vero alteram de quotidianis ſacrificiis, ſicut de ea præcipuum erat certamen. Ego quoque ſingula capita breviter attingam. Hic unus fuit veteris ſacerdotii defectus quod Pontifex pro ſuis peccatis ſacrificium offerebat. quo modo autem aliis Deum placaſſet qui ipſe ſibi jure infenſum habebat? ergo illis expiandis peccatis minime pares fuerunt. Alter defectus, quod varia quotidie ſacrificia offerebant. unde ſequitur, nullam fuiſſe juſtam expiationem: quia ubi repetitur purgatio, manent peccata. Diverſa Chriſti eſt ratio. nam neque ſacrificio ipſe indiget, utpote qui nullo peccati nævo ſit aſperſus. & tale fuit ſacrificium, cujus unica oblatio ſufficeret ad finem mundi: ſeipſum enim obtulit.

28. *Lex quidem.*] Ex hominum vitiis colligit ſacerdotii infirmitatem, acſi diceret, Quando Lex non conſtituit veros Sacerdotes, aliunde hoc vitium corrigi neceſſe eſt. Corrigitur autem per ſermonem jurisjurandi: creatur enim Chriſtus non ex communi hominum ordine, ſed Filius Dei non ulli vitio obnoxius, ſed ornatus & inſtructus ſumma perfectione. Jusjurandum Lege poſterius eſſe iterum admonet, ut ſignificet Deum Legali ſacerdotio non contentum, melius aliquid voluiſſe ſtatuere. Nam in Dei inſtitutis quod ſuccedit, priora in meliorem ſtatum promovet, vel etiam abolet quæ nonniſi ad tempus vigere debebant.

CAP. VIII.

Porro eorum quæ dicuntur, ſumma eſt, Talem habemus Pontificem qui conſedit in dextera throni majeſtatis in cælis.

2. Sanctorum miniſter, & tabernaculi veri quod fixit Dominus, & non homo.

3. Omnis enim Pontifex ad offerendum dona & ſacrificia conſtituitur, unde neceſſe eſt, hunc quoque habere quod offerat.

4. Sane ſi in terra eſſet, ne Pontifex quidem eſſet quamdiu eſſent Sacerdotes qui ſecundum Legem offerrent dona.

5. Qui in exemplari & umbra miniſtrant cæleſtium: quemadmodum oraculo admonitus fuit Moſes, quum tabernaculum eſſet perfecturus. Vide, inquit, ut facias omnia ſecundum typum qui tibi oſtenſus fuit in monte. *Exod. 25. verſ. 40.*

6. Nunc autem excellentius obtinuit miniſterium, quanto & potioris teſtamenti Mediator, quod ſuper præſtantioribus promiſſionibus promulgatum fuit.

1. *Porro eorum.*] Ut ſciant lectores qua de re diſputetur, admonet ſe hoc agere, ut probet ſpirituale eſſe Chriſti ſacerdotium quo illud Legale aboleatur. Pergit quidem in eodem argumento: ſed quia variis rationibus pugnat, hanc admonitionem inſeruit, ut intentos ad ſcopum lectores teneret. Jam evicit, Chriſtum eſſe Pontificem: nunc contendit cæleſte eſſe ejus ſacerdotium. Unde ſequitur, ejus adventu evaneſcere illud quod Moſes ſub Lege inſtituerat, quia terrenum fuit. Quia autem paſſus eſt Chriſtus in humilitate carnis, & aſſumpta etiam ſervi forma exinanitus fuit in mundo: ad ejus aſcenſum nos Apoſtolus revocat, quo non tantum abſorpta fuit crucis ignominia, ſed abjecta illa & ignobilis conditio quam ſimul cum carne noſtra induerat. Nam ex illa Spiritus virtute quæ in reſurrectione aſcenſuque *Phil. 2. verſ. 7.*

Chriſti

Chriſti effulſit, æſtimanda eſt ſacerdotii ejus dignitas. Sic ergo diſputat, Quum ad dexteram Dei conſcenderit Chriſtus ut magnifice in cælo regnet, non eſt terreni Sanctuarii miniſter ſed cæleſtis. Genitivus *ſanctorum* hic in neutro genere accipitur. Et Apoſtolus ſeipſum explicat quum addit, *veri tabernaculi*. Sed id quæri poteſt, an tabernaculum à Moſe extructum, falſum ac temere conſtructum fuerit. ſubeſt enim tacita oppoſitio in iſtis verbis. Reſpondeo, hanc veritatem de qua loquitur, non mendacio, ſed figuris tantum opponi: quemadmodum Joan. cap. 1. verſ. 17. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ergo vetus illud tabernaculum, non inane hominis commentum fuit, ſed effigies cæleſtis tabernaculi: quia tamen umbra differt à corpore, & ſignificatio à re ipſa, ideo verum fuiſſe tabernaculum negat Apoſtolus: acſi diceret fuiſſe duntaxat umbratile.

2. *Quod fixit Dominus.*] Quidnam ſibi vult Apoſtolus quod ſacerdotium Chriſti locat in cælo? Nam certe in terris paſſus eſt & ſanguine terreno (quod ex ſemine Abrahæ originem traxerat) peccata noſtra expiavit: ſacrificium mortis ejus viſibile fuit: denique ut ſe Patri offerret, è cælo deſcendere in terram, & hominem, mortalis vitæ ærumnis, ac tandem morti obnoxium fieri ipſum oportuit. Reſpondeo, quicquid terrenum in Chriſto prima facie apparet, ſpiritualiter fidei oculo conſiderandum eſſe. Ita caro ejus quæ ex ſemine Abrahæ orta erat, quum Dei templum eſſet, vivifica fuit: imo Chriſti mors totius mundi fuit vita. quod certe ſupra naturam eſt. Proinde Apoſtolus non humanæ tantum naturæ proprietatem, ſed potius arcanam vim Spiritus reſpicit: quo fit ut mors Chriſti nihil terrenum ſapiat. Ideo quum de Chriſto agitur, diſcamus ſenſus omnes noſtros attollere in regnum Dei: ita nihil ſcrupuli in nobis reſtabit. In eundem fere modum

2 Cor. 5. verſ. 1. loquitur Paulus 2 ad Corinthios capite quinto. Deum hujus tabernaculi opificem nominat, ut notet ſtabilem ac perpetuum fore ejus ſtatum: quemadmodum econverſo quæ manibus hominum extruuntur, caduca ſunt, vel ſaltem ruinæ ſubjecta. Hoc autem ideo dicit, quia vere divinum fuit opus redemptio morte Chriſti parta: & illic ſe mirifice Chriſti potentia exeruit.

3. *Omnis enim Pontifex.*] Hoc intendit Apoſtolus, non poſſe Chriſti ſacerdotium cum veteri illo Levitico ſtare. Ratio probandi eſt, Inſtituit Lex Sacerdotes ut ſacrificia Deo offerant: unde liquet, inanem fore ſacerdotii titulum ſine ſacrificio. Chriſtus autem nullam habet hoſtiam, quales ſub Lege uſitatæ fuerunt: hinc conficitur, non terrenum aut carnale eſſe ejus ſacerdotium, ſed præſtantioris generis. Nunc excutiamus ſingulas ſententias. prima hæc obſervatu digna eſt, quæ docet nullum ſubſtitui Sacerdotem niſi ad dona offerenda. Nam hinc conſtat non poſſe gratiam impetrari hominibus apud Deum niſi intercedente ſacrificio. Itaque ut preces noſtræ exaudiantur, in ſacrificio fundatas eſſe convenit: ut ſit prorſus exitialis eorum audacia qui prætérito Chriſto, & à mortis ejus memoria averſi, in Dei conſpectum perrumpunt. Nos autem ſi precari utiliter velimus, diſcamus ſemper in medio ſtatuere Chriſti mortem quæ preces noſtras ſanctificet. Nunquam enim Deus nos exaudiet niſi propitius. atqui placari ante oportet, quoniam peccata noſtra eum nobis infenſum reddunt: ſic præeat ſacrificium neceſſe eſt, ut ſit aliquis orationis profectus. Hinc præterea colligendum eſt, nullum vel ex hominibus, vel ex Angelis idoneum eſſe pacificando Deo, quia omnes ſacrificio quod ad placandum Deum offerant, ſibi proprio carent. Quo abunde refellitur Papiſtarum impudentia, qui Apoſtolos & Martyres promiſcue cum Chriſto interceſſionis mediatores faciunt. Fruſtra enim illis ejuſmodi partes aſſignant niſi inſtruant eos victimis.

4. *Sane ſi in terra eſſet.*] Jam extra controverſiam eſt, Chriſtum eſſe Pontificem. atqui ſicut judicis munus ſine legibus & judiciis non conſtat: ſic in Chriſto cum *Sacerdotis* nomine ſacrificandi officium conjungi debet. atqui nullum habet terrenum aut viſibile ſacrificium: terrenus ergo Sacerdos eſſe non poteſt. Tenendum eſt ſemper illud axioma, Quum de Chriſti morte diſſerit Apoſtolus, non externam actionem, ſed ſpiritualem fructum ab ipſo reſpici. Mortem vulgari hominum more patiebatur, ſed divinitus expiabat peccata mundi ut Sacerdos: externa erat ſanguinis effuſio, ſed interior ac ſpiritualis erat purgatio: in terra denique moriebatur, ſed vis & efficacia mortis ex cælo manabat. Quod continuo poſt ſequitur, alii ſic vertunt, Ex eorum numero qui ſecundum Legem, &c. Sed aliud ſonant Apoſtoli verba. proinde ſic malo reſolvere, Quamdiu ſunt, vel quum ſint Sacerdotes. Vult enim alterutrum ex his duobus evincere, aut non eſſe Chriſtum Sacerdotem, ſi Legis ſacerdotium vigeat, quia ſacrificio deſtituitur: aut ceſſare Legis ſacrificia, ſimulac prodit in medium Chriſtus. Prius membrum abſurdum eſt: quia nefas eſt ſpoliare Chriſtum honore ſacerdotii. Reſtat ergo ut fateamur Leviticum ordinem nunc eſſe abolitum.

5. *Qui in exemplari* &c.] λατρεύειν hic accipio pro Sacra peragere: ideo in contextu Græco ſubaudienda eſt particula ἐν, vel ἐπὶ. Hoc certe longe melius quadrat, quam quod alii vertunt, Umbræ & exemplari ſerviunt cæleſtium: & ſyntaxis Græca ſenſum hunc facile patitur. In ſumma, docet verum Dei cultum non contineri Legalibus ceremoniis: ideoque Leviticos Sacerdotes, dum functionem ſuam exercent, nonniſi umbram habere & ſecundarium exemplar quod prototypo eſt inferius. hoc enim ſignificat nomen ὑποδείγματι. Atque ita antevertit quod contra objici poterat. docet enim non ſupervacaneum fuiſſe Dei cultum in ſacrificiis veteribus, quia altius ſpectabat: nempe ad cæleſtem veritatem. *Quemadmodum oraculo* &c. Extat hic locus Exod. cap. 25. v. 40. quem hoc conſilio huc Apoſtolus adducit, ut probet totum *Legalem cultum* nihil quam picturam fuiſſe, quæ adumbraverit quod ſpirituale eſt in Chriſto. Jubet Deus ut omnes tabernaculi partes primario exemplari, quod Moſi oſtenſum fuerat in monte, reſpondeant. Quod ſi alio refertur forma tabernaculi, eadem eſt rituum & totius ſacerdotii ratio. unde ſequitur, nihil in illis eſſe ſolidi. Inſignis eſt hic locus, quia tres ſententias obſervatu dignas continet. Inde enim primum diſcimus, veteres ritus non temere fuiſſe confictos, ut in illis Deus populum ſuum quaſi in luſu puerili occuparet: nec inanem fuiſſe tabernaculi ſtructuram quæ tantum externo ſplendore ſpectantium alliceret oculos ac teneret. Vera enim & ſpiritualis fuit omnium ſignificatio, quum omnia exigere juſſus fuerit Moſes ad primum exemplar quod cæleſte erat. Quare nimis profana eſt eorum opinio qui ceremonias in hoc tantum commendatas fuiſſe volunt, ut eſſent quaſi retinacula ad cohibendam populi laſciviam, ne ſibi extraneos Gentium ritus accerſeret. Hoc quidem eſt nonnihil, ſed non totum. nam quod longe pluris eſt, omittunt: exercitia fuiſſe ad retinendum in fide Mediatoris populum. Non eſt tamen quod hic ultra modum ſimus curioſi, ut in ſingulis clavis ac ſimilibus minutiis quæramus ſublime aliquod myſterium: quemadmodum hac in re anxie laboravit Heſychius, & bona pars veterum ſcriptorum. Nam dum argute philoſophari in rebus ſibi ignotis volunt, pueriliter hallucinantur, ſeque, ineptiendo, faciunt ridiculos. Quare tenenda hic eſt mediocritas: quod fiet ſi non plus appetamus ſcire quam quod in Chriſto nobis fuit revelatum. Secundo

cundo hic docemur, perverſos eſſe omnes cultus & adulterinos quos ſibi proprio ingenio & citra Dei mandatum comminiſci homines permittunt. Nam quum præſcribat Deus ut fiant omnia ſecundum ſuam regulam, nihil penitus alienum facere licet. Idem enim valent iſtæ duæ loquutiones, *Vide ut facias omnia ſecundum typum*, & Vide ne quid præter typum facias. Ergo traditam à ſe regulam urgendo, prohibet ne ab ea vel minimum declinemus. Hac ratione concidunt cultus omnes ab hominibus proditi: item quæ vocantur Sacramenta, & tamen à Deo profecta non ſunt. Tertio hinc diſcendum eſt, nulla eſſe vera religionis ſymbola niſi quæ ad Chriſtum conformantur. Sed cavendum eſt ne, dum volumus figmenta noſtra Chriſto aptare, ipſum (ut Papiſtæ faciunt) transfiguremus: ita ut jam non ſit ſui ſimilis. Neque enim noſtrum eſt fingere quicquid libuerit, ſed Dei ſolius eſt monſtrare. *Secundum exemplar*, inquit, *quod oſtenſum fuit.*

6. *Nunc autem excellentius* &c.] Quemadmodum prius ex Sacerdotii dignitate præſtantiam fœderis colligebat, ſic etiam nunc contendit excellentius eſſe Chriſti Sacerdotium, quia potioris fœderis interpres ſit ac mediator. Utrumque fuit neceſſarium, quoniam abſtrahendi erant Judæi à ſuperſtitioſa ceremoniarum obſervatione, qua impediebantur ne ad ſinceram nudamque Euangelii veritatem recta tenderent. Dicit autem Apoſtolus, æquum eſſe ut Moſes & Aaron Chriſto, tanquam præſtantiori cedant: quia & Euangelium fœdus ſit excellentius Lege, & mors Chriſti ſacrificium multo nobilius Legalibus victimis. Sed difficultate non caret quod adjicit, fœdus Euangelii ſuper melioribus promiſſionibus fuiſſe promulgatum. Nam certum eſt, Patribus qui ſub Lege vixerunt, eandem vitæ æternæ ſpem fuiſſe propoſitam, ſicuti communis fuit adoptionis gratia. Iiſdem ergo promiſſionibus ſubnixam fuiſſe oportet eorum fidem. Verum hæc Apoſtoli comparatio ad formam potius quam ad materiam referenda eſt. Nam utcunque eandem illis ſalutem Deus promiſerit quam hodie nobis promittit: non eadem tamen, nec æqualis fuit revelationis vel menſura, vel ſpecies. Qua de re ſi quis plura deſideret, petat ex quarto & quinto capitibus Epiſtolæ ad Galatas, & ex noſtra Inſtitutione.

7. Si enim primum illud reprehenſione caruiſſet, non fuiſſet ſecundo quæſitus locus.

Jer. 31. verſ. 31, 32, 33, 34. Rom. 11. verſ. 17.

8. Porro incuſans eos, dicit, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, quum perficiam ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda fœdus novum.

9. Non ſecundum fœdus quod feci cum patribus eorum, in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti: quia ipſi non perſtiterunt in fœdere meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.

10. Quia hoc eſt fœdus quod diſponam domui Iſraël illis diebus, dicit Dominus, Ponam Leges meas in mente ipſorum, & in cordibus eorum ſcribam eas: & ero illis in Deum; & ipſi erunt mihi in populum.

11. Et non docebunt unuſquiſque civem ſuum & unuſquiſque fratrem ſuum, dicendo, Cognoſce Dominum. quia omnes me ſcient, à parvo inter eos uſque ad magnum:

12. Quoniam propitius ero injuſtitiis eorum, & peccatorum eorum & iniquitatum non recordabor amplius.

13. Dicendo novum, antiquavit prius: quod autem antiquatur & veteraſcit, prope eſt ut evaneſcat.

7. *Si enim primum.*] Confirmat quod dixit de fœderis præſtantia quod nobiſcum Deus pepigit per manum Chriſti: confirmat autem, quia fœdus Legis non fuerit firmum nec ſtabile. Nam ſi nihil illi defuiſſet, quid attinebat aliud ſubrogari? atqui ſubrogatum eſt. unde patet vetus illud non fuiſſe omni ex parte abſolutum. Ad id probandum citat teſtimonium Jeremiæ, quod mox excutiemus. Sed hoc parum videtur conſentaneum, quod poſtquam præfatus eſt non fuiſſe quærendum ſecundo fœderi locum, ſi prius reprehenſione vacaſſet: dicit populum reprehendi, & hac cauſa remedium afferri novi fœderis. atqui iniquum eſt ſiquid vitii fuerit in populo, ejus culpam in fœdus Dei conferri. Videtur ergo non ſtare argumentum, quia ut centies Deus populum accuſet, non tamen propterea vitioſum erit fœdus. Hujus objecti facilis eſt ſolutio. tametſi enim crimen violati fœderis populo jure imputatur, qui ſua perfidia deſciverat à Domino: tamen ſimul notatur infirmitas fœderis, quia cordibus inſcriptum non eſſet: ergo ut ſanctum ac ratum ſit, corrigi oportere pronunciat Deus. Quare non abs re Apoſtolus contendit, quærendum fuiſſe ſecundo locum.

8. *Ecce dies veniunt.*] De futuro tempore loquitur Propheta, populum arguit perfidiæ, quod poſt acceptam Legem in fide non ſtetiſſet. Lex ergo fœdus eſt illud quod à populo ruptum Deus conqueritur. Ut medeatur huic malo, fœdus novum & ab hoc diverſum promittit, cujus vaticinii complementum, veteris Teſtamenti eſt abrogatio. Sed perperam torquere videtur Apoſtolus hoc vaticinium, ut ad inſtitutum ſuum trahat. hic enim agitatur de ceremoniis quæſtio: Propheta autem de tota Lege concionatur. Quid hoc ad ceremonias, ſi regulam pie ſancteque vivendi hominum voce & literis proditum Deus cordibus inſcribit? Reſpondeo, argumentum eſſe à toto ad partem. non dubium eſt quin Propheta totum Moſis miniſterium comprehendat, quum dicit, Pepigi vobiſcum fœdus quod non ſervaſtis. Porro Lex ceremoniis quodammodo veſtiebatur. nunc poſt corporis interitum quis veſtium uſus erit? Tritum eſt illud vulgi proverbium, Acceſſorium ſequi naturam ſui principalis. Non mirum igitur ſi ceremoniæ quæ nihil ſunt quam appendices veteris Teſtamenti, ſimul cum toto Moſis miniſterio finem habeant. Neque hoc Apoſtolis eſt inſolitum, ubi de ceremoniis eſt controverſia, ſuſcipere generalem diſputationem de tota Lege. Ergo tametſi latius patet hoc Jeremiæ vaticinium, quam ad ceremonias: quia tamen eas includit ſub nomine veteris Teſtamenti, apte ad præſentem cauſam accommodatur. Cæterum per dies iſtos quorum meminit Propheta, fatentur omnes deſignari Chriſti regnum: unde ſequitur, Chriſti adventu corrigendum fuiſſe vetus Teſtamentum. *Domum Iſraël & domum Juda* nominat, quod poſteri Abrahæ in duo regna diviſi erant. ita

promiſſio eſt de omnibus electis in unum corpus iterum colligendis, utcunque prius ſegregati fuerunt.

9. *Non ſecundum fœdus.*) Hoc verbo exprimitur diſcrimen inter fœdus quod tunc vigebat, & novum cujus ſpem facit: alioqui taatum dixiſſet Propheta, Fœdus quod veſtra culpa concidit, inſtaurabo: nunc vero fore diſſimile nominatim pronunciat. Quod dicit fœdus percuſſum quo die manum eorum apprehendit ut eos à ſervitute aſſeteret, tanti beneficii commemoratione crimen defectionis exaggerat. Quanquam non accuſat unius ſeculi ingratitudinem: ſed quum illi ipſi qui liberati fuerant, protinus defecerint, ſubinde in eadem exempla relapſi ſunt poſteri: quare tota gens fœdifraga fuit. Quum dicit *ſe neglexiſſe* vel amplius noo curaſſe ipſos, ſignificat nihil hoc profuturum quod ſemel io populum adoptati eſſent, niſi novo remedii genere ipſis ſubveniat. Quanquam aliud Hebraice dicit Propheta: ſed hoc ad præſentem quæſtionem parum intereſt.

10. *Fœdus quod diſponam.*] Duo præcipua ſunt hujus fœderis capita: prius eſt de gratuita peccatorum remiſſione, alterum de interiori cordium reformatione: tertium ex ſecundo pendet, de illuminandis in Dei notitiam mentibus. Hic mulra ſunt notatu digniſſima. primum eſt, quod nullo profectu ad ſe nos Deus vocat, quamdiu nonniſi hominum voce loquitur. Docet quidem ac præcipit quid rectum ſit: verum apud ſurdos verba facit. quod ſiquid videmur exaudire, tantum feriuntur aures externo ſonitu: cor autem pravitatis & contumaciæ plenum, ſanam omnem doctrinam reſpuit. Denique ſermo Dei nunquam in corda noſtra penetrat quum ferrea ſint aut lapidea, donec ab ipſo emolliantur: imo contrariam legem inſculptam habent: regnant enim illic perverſi affectus qui ad rebellandum nos impellunt. Fruſtra ergo Legem ſuam voce hominis Deus promulgat, niſi eam Spiritu ſuo inſcribat cordibus noſtris: hoc eſt, niſi in obedientiam nos formet ac componat. Unde patet quid valeat liberum arbitrium, & quæ ſit naturæ rectitudo priuſquam nos Deus regeneret. Volumus quidem & eligimus, idque ſponte: ſed furioſo prope impetu voluntas fertur ad repugnandum Deo, nec ſe ejus juſtitiæ ſubmittere ullo modo poteſt. Ita fit ut Lex exitialis nobis ſit ac mortifera, quamdiu in tabulis lapideis ſcripta manet, quemadmodum etiam docet Paulus poſterioris ad Corinthios 3. v. 3. Denique tunc obedienter amplectimur quod Deus jubet, quum ſuo Spiritu nativam cordium pravitatem mutat & corrigit: alioqui nihil in nobis quam vitioſos affectus, & totum cor malo addictum reperiet. Clara enim eſt ſententia, percutiendum eſſe novum fœdus quo Leges ſuas cordibus Deus inſculpat: quia alioqui futurum ſit irritum. Secundum caput eſt de gratuita peccatorum venia. Etiamſi peccaverint, inquit Dominus, tamen ignoſcam. Hoc quoque caput pluſquam neceſſarium eſt: neque enim ſic unquam in obedientiam juſtitiæ ſuæ Deus nos format, quin ſuperſint multi vitioſi carnis affectus: imo tantum aliqua ex parte corrigitur naturæ noſtræ vitioſitas. ita ſubinde ebulliunt malæ cupiditates. Atque hinc certamen illud de quo Paulus conqueritur, ut pii non

Rom. 7. verſ. 13.

obſequantur Deo ut decebat, ſed variis modis offendant. Qualecunque ergo juſte vivendi ſit in nobis deſiderium: rei tamen æternæ mortis coram Deo erimus, quia ſemper procul abeſt vita noſtra à Legis perfectione. Nulla ergo fœderis erit ſtabilitas, niſi gratuito nobis peccata Deus ignoſcat. Cæterum hoc ſingulare privilegium eſt fidelium qui ſemel oblatum in Chriſto fœdus amplexi ſunt, quod Deum certo ſciunt ſibi propitium eſſe: nec ſibi obſtare peccatum cui ſunt obnoxii, quia promiſſionem veniæ habent. Ac notandum eſt, non in unum diem tantum hoc illis promitti, ſed uſque in finem vitæ, ut quotidiana ſit ipſorum cum Deo reconciliatio. Nam ad totum Chriſti regnum extenditur hæc gratia. quod etiam ſatis demonſtrat Paulus, 2. ad Corinth. capite quinto. Et certe hoc unicum fidei noſtræ aſylum eſt: quo niſi confugiamus, manet nos aſſidua deſperatio. Tenemur enim omnes ſub reatu: nec aliter poſſumus explicari, quam ſi ad Dei miſericordiam confugiamus, quæ nos abſolvat. *Et ipſi erunt mihi* &c. Hic fructus eſt fœderis, quod nos Deus in populum cooptat, ſeque ſalutis noſtræ fore præſidem aſſerit. id enim valet hæc loquendi forma, *Ero illis in Deum*, quia non eſt mortuorum Deus, nec in tutelam ſuam nos recipit quin juſtitiæ & vitæ nos faciat participes: ut merito exclamet David, Beatum *Pſal. 144.*

eſſe populum cui Dominus eſt Deus. Porro minime *verſ. 15.*

dubium eſt quin ad nos pertineat hæc doctrina. tametſi enim primas tenent Iſraëlitæ, & proprii ſunt ac legitimi fœderis hæredes: eorum tamen prærogativa non impedit quominus locus nobis etiam pateat. Denique quam longe lateque patet Chriſti regnum, ſimul viget ſalutare hoc fœdus. Sed quæritur an ſub Lege nulla fuerit certa & efficax ſalutis promiſſio, an Spiritus gratia deſtituti fuerint Patres, an nullum paternæ Dei indulgentiæ in remittendis peccatis guſtum habuerint. Imo conſtat eos ſincero corde puraque conſcientia coluiſſe Deum, & ambulaſſe in ejus mandatis. quod fieri non poterat, niſi intus edocti fuiſſent à Spiritu. conſtat etiam quoties reputabant peccata ſua, gratuitæ veniæ fiducia fuiſſe erectos. Atqui Apoſtolus prophetiam Jeremiæ rejiciendo in Chriſti adventum, videtur utroque bono illos privare. Reſpondeo non ſimpliciter negari quin Deus olim ſuorum cordibus Legem inſcripſerit, & illis condonaverit peccata: ſed comparationem eſſe majoris & minoris. Quia ergo multo uberius ſub Chriſti regno potentiam Spiritus ſui exeruit Pater, ſuamque miſericordiam in homines effudit: hæc eminentia facit ut illa exigua gratiæ portio, qua Patres ſub Lege dignatus eſt, in rationem non veniat. Videmus etiam ut obſcuræ & involutæ fuerint tunc promiſſiones ut tantum emicarent inſtar lunæ & ſtellarum, præut eſt Euangelii claritas quæ nobis affulget. Si quis objiciat, ita excelluiſſe Abrahæ fidem & obedientiam, ut par hodie in toto mundo exemplum invenire non liceat: reſpondeo, hic non diſputari de perſonis, ſed de œconomia regendæ Eccleſiæ. Præterea quicquid ſpiritualium donorum conſequuti ſunt Patres, quaſi accidentale fuiſſe eorum ſeculo. neceſſe enim erat oculos in Chriſtum conjicere, ut eorum compotes fierent. Quare non abſurde Apoſtolus, Euangelium cum Lege conferendo, huic adimit quod illius eſt proprium. Interea tamen nihil obſtat quominus novi fœderis gratiam Deus ad Patres extenderit. hæc vera eſt ſolutio.

11. *Et non docebunt* &c.] Diximus hoc tertium caput eſſe quaſi ſecundi partem, ubi habetur, *Ponam Leges meas in mente ipſorum.* Eſt enim opus Spiritus Dei, illuminare mentes noſtras, ut ſciamus quid Deus velit: & corda in obſequium flectere. Nam recta Dei cognitio, ſapientia eſt quæ humani ingenii captum longe exuperat: ideo eam adipiſci nemo poteſt, niſi arcana Spiritus revelatione. Quamobrem Jeſaias quum de Eccleſiæ inſtauratione concionatur, *Jeſa. 28.*

dicit filios Dei omnes ejus fore diſcipulos. Eodem *verſ. 16.*

ſenſu Propheta noſter, quum Deum ita loquentem inducit, Cognoſcent me. Neque enim Deus promittit quod eſt in facultate noſtra poſitum, ſed quod ipſe ſolus nobis præſtat. Denique tantundem valent hæc Prophetæ verba, acſi dixiſſet, mentes noſtras cæcas eſſe, rectaque intelligentia vacuas, donec Spiritu Dei illuſtratæ fuerint. Ita ab iis ſolis rite Deus cognoſcitur, quibus ſe peculiari gratia patefacere dignatus eſt. Quum dicit, *à parvo ad magnum*

primum

primum ſignificat in omnes ordines effuſum iri Dei gratiam, ita ut nullum ſit hominum genus illius expers. Deinde admonet, neque rudes ac plebeios homines prohiberi à cæleſti ſapientia, & magnos ac nobiles ad eam ſua perſpicacia vel doctrinæ adjumentis non pervenire. Sic infimos & ignobiles ſummis Deus coujungit, ut neque illos ſua ruditas impediat, neque hi proprio acumine tam alte conſcendant: ſed unus peræque omnium magiſter ſit Spiritus. Quod autem fanatici homines hinc occaſionem arripiunt abolendæ externæ prædicationis, acſi ſub Chriſti regno eſſet ſupervacua: facile eorum inſania refellitur. Hæc eorum eſt objectio, Poſt Chriſti adventum non debet quiſque proximum ſuum docere: faceſſat igitur externum miniſterium, ut internæ Dei inſpirationi detur locus. Atqui prætereunt quod in totum Propheta negat quin docturi ſunt alii alios: ſed hæc ſunt verba, Non docebunt dicendo, Cognoſce Dominum. acſi diceret, Non amplius occupabit hominum mentes ignorantia qualis antehac, ut neſciant quis ſit Deus. Scimus autem duplicem eſſe doctrinæ uſum: primo, ut qui penitus rudes ſunt, à primis elementis incipiant: deinde, ut qui jam ſunt initiati, majores faciant progreſſus. Quum ergo Chriſtianis quamdiu vivunt, proficiendum ſit, certum eſt, neminem uſque adeo ſapere quin doceri opus habeat, ut pars non poſtrema ſapientiæ noſtræ ſit docilitas. Quæ autem proficiendi ſit ratio ſi velimus Chriſti eſſe diſcipuli, Paulus oſtendit ad Epheſios 4. v. 11. Conſtituit Paſtores & doctores &c. Hinc apparet nihil minus Prophetæ veniſſe in mentem, quam ſpoliare Eccleſiam tam neceſſario bono. Tantum indicare voluit Deum parvis ac magnis ſe patefacturum, quemadmodum & Joël prædicit cap. 2. v. 28. Eſt autem obiter hoc quoque notandum, peculiariter hanc ſanæ intelligentiæ lucem Eccleſiæ promitti. quare hic locus nonniſi ad domeſticos fidei pertinet.

13. *Dicendo novum.*] Ab unius contrarii poſitione alterius everſionem colligit: & ex nomine veteris Teſtamenti, argumentum aſſumit, oportuiſſe ipſum abrogari. vetuſtas enim ad interitum propendet. Deinde quia novum ſubſtituitur, neceſſe eſt ut prius illud deſinat: quia hoc ſecundum alterius eſt generis, quemadmodum dictum eſt. Quod ſi totum Moſis miniſterium, quatenus Chriſti miniſterio opponitur, interit: ceſſant etiam cæremoniæ.

CAP. IX.

HAbebat quidem prius illud juſtificationes cultus, & ſanctum mundanum.

2. Tabernaculum enim primum compoſitum erat, in quo candelabrum & menſa, & panum propoſitio, quod dicitur Sancta.

3. Poſt ſecundum autem velum, tabernaculum, quod Sancta ſanctorum dicitur:

4. Aureum habens thuribulum, & arcam fœderis undique coopertam auro, in qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron quæ floruerat, & tabulæ Teſtamenti.

5. Supra autem ipſam, Cherubim gloriæ obumbrantes propitiatorium: de quibus non attinet nunc dicere ſigillatim.

1. *Habebat quidem prius.*] Poſtquam in genere de abrogatione veteris Teſtamenti loquutus eſt: nunc ſpecialiter ad ceremonias ſermonem illum accommodat. Conſilium autem ejus eſt, oſtendere nihil tunc fuiſſe in uſu cui finem non impoſuerit Chriſti adventus. Principio dicit in veteri Teſtamento certam fuiſſe divini cultus regulam, & quæ peculiariter tempori congrueret. Poſtea ex comparatione patebit quales fuerint omnes illi ritus qui in Lege præſcripti erant. Quædam exemplaria habent, πρώτη σκηνή, primum tabernaculum. ſed mendum eſſe exiſtimo in Tabernaculi nomine: nec dubito quin aliquis indoctus lector, quum adjectivum ſine ſubſtantivo legeret, pro ſua inſcitia ad tabernaculum referens quod de fœdere dictum erat, σκηνὴ perperam addiderit. Invaluiſſe vere errorem illum, ut magno conſenſu ita legatur apud Græcos, valde quidem miror: ſed neceſſitas cogit vetuſtam lectionem ſequi. Nam Apoſtolus (ut jam dixi) loquutus de veteri Teſtamento, nunc ad ceremonias deſcendit, quæ erant ipſius veluti acceſſiones. Significat ergo, ritus omnes Legis Moſaicæ, partem eſſe veteris Teſtamenti: & eandem ſapere vetuſtatem, ut interire ipſos oporteat. λατρείας multi in accuſativo plurali accipiunt. Ego iis potius aſſentior qui δικαιώματα λατρείας ſimul conjungunt: nam inſtituta vel ritus quos Hebræi חקים vocant, Græci δικαιώματα verterunt. Senſus eſt, veteri Teſtamento annexam fuiſſe totam illam rationem colendi Dei, quæ ſacrificiis, ablutionibus, & reliquis ſymbolis conſtabat, una cum Sanctuario. *Et ſanctum mundanum* vocat, quia illis nondum ſuberat cæleſtis veritas. Quanquam enim imago erat primi exemplaris quod Moſi erat oſtenſum, tamen imago à reipſa differt: præſertim vero ubi inter ſe conferuntur tanquam res oppoſitæ, ſicuti hoc loco. Quare ſanctuarium in ſe quidem terrenum fuit, & jure cenſetur inter mundi elementa: cæleſte tamen fuit quo ad ſignificationem.

2. *Tabernaculum enim* &c.] Quia hic Apoſtolus tabernaculi ſtructuram leviter tantum attingit, neque plus in ea immoratur quam ferat argumenti neceſſitas: ego etiam ab ea ſubtilius explicanda conſulto ſuperſedeo. Ergo quod ad præſentem locum ſatis eſt, tabernaculum dividamus in tres partes: quarum prima ſit atrium populi: media ſit ſanctuarium communiter appellatum: poſtremo ſanctuarium interius, quod *ſancta ſanctorum* κατ' ἐξοχὴν vocant. Quod ad prius ſanctuarium attinet, quod atrio populi contiguum erat, dicit illic fuiſſe *candelabrum*, *& menſam* in qua *panes* erant collocati: ſed locum illum in plurali vocat τὰ ἅγια. Subſequebatur adytum illud quod Sancta ſanctorum vocabant, magis remotum à populi conſpectu: imo etiam ſacerdotum qui in priore ſanctuario miniſtrabant. Nam quum interpoſito velo clauderetur prius ſanctuarium, alterum velum ſacerdotes à Sanctis ſanctorum arcebat. Illic Apoſtolus dicit fuiſſe θυμιατήριον. quo nomine altare ſuffitus vel thymiamatis potius intelligo, quam *thuribulum*. Deinde *arcam fœderis* cum ſuo operculo, duos Cherubim, *urnam auream Manna refertam*, *virgam Aaron & duas tabulas*. Hucuſque Apoſtolus in tabernaculi deſcriptione progreditur. Cæterum quod urnam ubi Manna repoſuerat Moſes, & virgam Aaron quæ floruerat, dicit in Arca fuiſſe cum duabus tabulis, videtur pugnare cum ſacra hiſtoria, quæ priore Regum libro cap. 8. v. 9. refert nihil in arca fuiſſe præter duas tabulas. Sed facilis eſt horum locorum conciliatio: urnam & virgam Aaron Deus juſſerat coram Teſtimonio reponi. quare probabile eſt, in arca ſimul cum tabulis fuiſſe incluſas: quum autem templum extructum eſt, tunc ordine ſingula digeruntur. Et certe hiſtoria hoc quaſi novum commemorat, quod arca nihil præter duas tabulas habuerit.

5. *De quibus non attinet nunc* &c.] Quoniam nihil ſatis eſt curioſis hominibus, argutiis præſenti inſtituto non congruentibus anſam Apoſtolus præcidit, ne longior harum rerum tractatio filum diſputationis abrumpat. Quare iotempeſtive faciet ſi quis hic contempta Apoſtoli admonitione, ſcrupuloſius immoretur. Eſſet fortaſſis alibi locus, ſed ounc ſatius eſt intendere ad cauſam quam agit. tametſi ultra juſtum modum philoſophari (quod nonoulli faciuot) non ioutile modo, ſed etiam periculoſum eſt. Quædam ſunt non obſcura, & apta ad fidei ædificationem: ſed delectus adhibeodus eſt ac ſobrietas, ne plus ſapere appetamus quam revelare Domino placuit.

6. His vero ſic compoſitis, in prius tabernaculum ſemper ingrediuntur ſacerdotes qui ſacra peragunt.

7. At in ſecundum ſemel quotannis ſolus Pontifex, non ſine ſanguine quem offert pro ſuis & populi ignorantiis:

8. Hoc declarante Spiritu ſancto, nondum manifeſtatam eſſe ſanctorum viam, ſtante adhuc priore tabernaculo.

9. Quæ ſimilitudo erat in præſens tempus, quo dona & hoſtiæ offeruntur quæ non poſſunt ſecundum conſcientiam ſanctificare cultorem:

10. Solum in cibis & potibus, & diverſis ablutionibus, & ſanctificationibus carnis, uſque ad tempus correctionis impoſita.

11. Chriſtus autem ſuperveniens Pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum non manufactum, hoc eſt, non hujus creationis:

12. Neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem intravit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.

6. *His vero ſic compoſitis.*] Aliis omiſſis ſibi tractandum ſumit de quo maxima cootroverſia erat. dicit ſacerdotes qui ſacrificia peragont, quotidie in prius tabernaculum iogredi ſolitos: at in Saocta ſaoctorum quotannis ſummum Pontificem cum ſolenni ſacrificio ingredi. Hinc colligit, ſtante illo *tabernaculo* Legali Sanctuarium adhuc fuiſſe clauſum: oecaliter quam illo everſo, viam nobis io régnum Dei apertam fuiſſe. Videmus ut ipſa tabernaculi veteris forma Judæos monuerit, alio aſpiraodum eſſe. Stulte ergo faciunt qui umbras Legis retinendo, ſponte ſibi viam obſtruunt. πρώτην σκηνὴν alio ſenſu hic poſuit quam nuper. nam prius ſignificabat Sanctuarium commuoe: nunc vero totum tabernaculi corpus. opponitur enim ſpirituali Sanctuario Chriſti, cujus ſtatim mentionem faciet. Contendit illud concidiſſe noſtro ſummo bono: quia per ejus ruioam datus nobis fuit ad Deum magis familiaris acceſſus.

7. *Pro ſuis & populi ignorantiis.*] Quum שגג Hebræis Errare ſignificet, inde nomen שגגה deducunt, quod proprie errorem denotat: ſed tamen generaliter pto quovis peccato ſumitut. & certe nunquam peccamus niſi Satanæ illecebris decepti. Simplicem quidem (ut vocant) ignoraotiam non intelligit Apoſtolus: quin potius voluntaria etiam peccata comprehendit hoc nomine: ſed (ut jam dixi) nullum onquam peccatum errore vacat. Nam ut maxime ſciens ac volens quis peccet, excæcatum tamen ſua cupiditate eſſe oportet ne recte judicet, imo ut ſe ac Deum obliviſcatur. Nunquam enim conſulto in ſuum exitium ruerent homines, niſi Sataoæ fallaciis impliciti, à recto judicio aberrarent.

9. *Quæ ſimilitudo erat* &c.] Græce eſt παραβολὴ, quod nomen hic, meo judicio, tantum valet acſi dixiſſet ἀντίτυπον. Intelligit enim, tabernaculum illud ſecundarium fuiſſe exemplar quod primo reſpondeat. ſic enim conferri debet hominis imago cum ipſo homine, ut illa conſpecta, mentes noſtræ protinus ad hunc ſe referant. Præterea dicit illam ſimilitudinem fuiſſe in tempus præſens: nempe quamdiu vigebat externa obſervatio: ut ejus uſum ac durationem reſtringat ad ætatem Legis. Nam idem valet atque quod addit paulo poſt, ceremonias omnes impoſitas fuiſſe uſque ad tempus correctionis. Nec obſtat quod uſurpat præſens tempus quum dicit *offerri hoſtias*: nam quia illi negotium eſt cum Judæis, per conceſſionem loquitur, quaſi unus eſſet ex eorum numero qui ſacrificant. *Dona* & *hoſtiæ* inter ſe differunt ut genus & ſpecies. *Secundum conſcientiam ſanctificare.* Hoc eſt, quæ non penetrant io animas ut veram cooferant ſanctitatem. Alii leguot Perficere: quod ego non rejicio: Sanctificandi tameo verbum contextui aptius mihi viſum eſt. Porro ut Apoſtoli mentem melius teoeant lectores, ootanda eſt antitheſis ioter carnem & coofcientiam. Sacrificiis Legalibus negat ſpiritualiter vel intus mundari potuiſſe cultores. Rationis vice additur, quia illi omnes ritus, carois fuerint, vel carnales. Quid ergo reſiduum illis facit? Vulgo iotelliguot, utilem duotaxat inter homines fuiſſe pædagogiam quæ hooeſtati ac decoro ſerviret. ſed qui ita ſentiuot, oon expendunt ſatis pro merito additas promiſſiones. Quare hoc commentum prorſus repudiandum eſt. Et perperam ac impetite juſtificationes carnis interpretantur, quæ corpus tantum purgant vel ſanctificant: quum Apoſtolus hac voce terrena eſſe ſymbola intelligat, quæ ad animam uſque non perveniunt. Nam utcunque vera fuerint perfectæ ſaoctitatis teſtimonia, eam tamen minime in ſe continebaot, vel conferre poterant hominibus. Oportuit enim talibus adminiculis fideles ad Chriſtum manuduci, ut ab eo peterent quod ſymbolis deerat. Si quærat quiſpiam, cur tam parum honorifice & quaſi contemptim de Sacramentis divioitus inſtitutis loquatur Apoſtolus, vimque eorum extenuet: id fit quoniam ea à Chriſto ſeparat. Scimus autem quum per ſe æſtimaotur,
egena eſſe mundi elementa, ſicuti etiam Paulus vo- Galat. 4
cat. Quum dicit, *tempus correctionis*, alludit ad va- verſ. 9.
ticinium Jeremiæ. Novum enim Teſtamentum ve- Jer. 31.
teri ioſtar correctionis ſucceſſit. Nominatim *cibos* verſ. 37.
ac potus recenſet, ac ſimilia quibus minus ioerat momenti: quia ex levibus illis obſervatiunculis certius judicium fieri poterat, quam procul ab Euangelii perfectione Lex diſtaret.

11. *Chriſtus autem ſuperveniens* &c.] Jam veritatem earum rerum quæ ſub Lege fuerunt, in medium profert, quæ ab illis ad ſe oculos convertat. Nam qui vere in Chriſto exhibita fuiſſe credit quæcuoque tunc fuerunt adumbrata, non amplius in umbris hæret, ſed corpus ipſum & ſolidam veritatem amplectitur. Notandæ autem ſunt diligenter partes io quibus Chriſtum cum veteri Pontifice comparat. Dixerat onicum Pontificem ſemel quotannis in Sanctuarium ingredi cum ſanguine quo peccata expiaret.

Hoc

Hoc ſimile Chriſtus habet cum illo veteri, quod ſolus dignitatem & munus Pontificis obtinet: hoc vero diverſum quod ſupervenit, & æterna bona ſecum adſert quæ perpetuitatem conciliant ejus ſacerdotio. Secundo hoc ſimile eſt inter veterem Pontificem & hunc noſtrum, quod uterque per Sanctuarium ingreditur ad Sancta ſanctorum: ſed in hoc differunt, quod Chriſtus ſolus in cælum ingreſſus eſt per templum corporis ſui. Quod ſemel tantum quotannis Sancta ſanctorum aperiebantur Pontifici ad peragendam ſolennem eapiationem, id jam obſcure figurabat unicam Chriſti oblationem. ambobus igitur illud Semel commune eſt: ſed terreno fuit anniverſarium, cæleſti autem æternum eſt uſque ad finem mundi. ambobus communis eſt ſanguinis nblatin: ſed magnum in ſanguine diſcrimen, quia non pecuinum, ſed proprium ſanguinem Chriſtus obtulit. ambobus communis expiatio: ſed Legalis illa quia inefficax erar, quotannis repetebatur; expiatio autem per Chriſtum parta ſemper viget, & perpetuæ nobis ſalutis cauſa eſt. Ita ſingulis prope verbis magnum ineſt pondus. Quod alii vertunt, Chriſtus aſſiſtens, non vere exprimit mentem Apoſtoli: ſignificat enim poſtquam munere ſuo ad præfixum tempus defuncti ſunt Levitici Sacerdotes, Chriſtum fuiſſe ſubrogatum, ſicuti ſupra 6. cap. habuimus. *Futura bona* pro æternis accipe. nam ſicuti μέλλον [illegible] τῷ ἐνεστῶτι opponitur, ita futura bona præſentibus. Summa eſt, Chriſti ſacerdotio nos in cæleſte Dei regum perduci, noſque ſpiritualis juſtitiæ & æternæ vitæ ſic fieri compotes, ut quicquam appetere melius fas non ſit. Solus igitur Chriſtus habet qun nos in ſe retineat ac ſiſtat.

Per majus & perfectius.] Etiamſi varie ea ponitur hic locus, mibi non dubium eſt quin Chriſti corpus intelligat. Sicuti enim acceſſus erat olim Pontifici Levitico in Sancta ſanctorum per ſanctuarium commune: ita per corpus ſnum Chriſtus in cæleſtem gloriam ingreſſus eſt. quia dum induit carnem noſtram, & in ea paſſus eſt: hanc ſibi prærogativam comparavit, ut coram Deo nunc prn nobis Mediator appareat. Primo Sanctuarii nomen apte & congruenter ad Corpus Chriſti transfertur: eſt enim templum in quo tota Dei majeſtas habitavit. Dicitur autem per corpus ſuum iter feciſſe ut in cælum aſcenderet, quia in corpore illo ſe Deo conſecravit, in eo fuit ſanctificatus in veram juſtitiam, in eo ſe præparavit ad peragendum ſacrificium: denique quia in eo ſe eainanivit, & mortem crucis pertulit, ideo extulit illum Pater, & dedit illi nomen quod ſit ſupra omne no- *Phil.* 2.
men, cui flectatur omne genu &c. Itaque per corpus *verſ.* 8, 9,
ſuum cælos ingreſſus eſt, quia ideo nunc ſedet ad Pa- 10.
tris deateram: ideo in cælo pro nobis intercedit, quod carne noſtra indutus, eam Deo Patri in templum conſecravit: & in ea ſanctificavit ſeipſum ut nobis æternam juſtitiam, facta peccatorum expiatione acquireret. Mirum tamen videri poſſit cur neget corpus Chriſti hujus fuiſſe creationis. nam certe creatum fuit ex Abrahæ ſemine, & paſſionibus mortique obnoaium. Reſpondeo, non bic agi de corporis ſubſtantia, vel etiam corporea qualitate, ſed de virtute ſpirituali quæ inde ad nos manst. Quatenus enim eſt vivifica Chriſti carn, & cæleſtis cibus ad paſcendas animas, quatenus ſpiritualis potus eſt & lavacrum ejus ſanguis, nihil in illis terrenum vel elementale imaginari licet. Deinde meminerimus hoc dici veteris tabernaculi reſpectu, quod ex ligno, ære, pellibus, variis texturis, auro & argento compoſitum erat, hoc eſt, rebus mortuis. at Chriſti carnem, ut vivum ſit & ſpirituale templum, Dei potentia inſpirat.

12. *Nec per ſanguinem hircorum.*] Huc ſpectant iſta omnia, tantopere eacellere quæ in Chriſto ſunt, ut merito in nihilum redigant omnes Legis figuras. Quale enim ſanguinis Chriſti pretium erit, ſi brutorum ſanguini accenſeatur? qualis erit expiatio morte ejus parta, ſi Legales purgationes vigorem ſuom retineant? Simul ergo atque in medium prodit Chriſtus cum effectu moris ſuæ, figuras omnes ceſſare neceſſe eſt.

13. Si enim ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aſperſus, eos qui communicant, ſanctificat ad carnis puritatem:

14. Quanto magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit irreprehenſibilem Deo, mundabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus, ad ſerviendum Deo viventi?

15. Ac propterea Teſtamenti novi Mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem transgreſſionum quæ ſub priore Teſtamento erant, qui vocati ſunt, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis.

16. Nam ubi eſt teſtamentum, illic neceſſe eſt mortem teſtatoris intercedere.

17. Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt, quia nunquam validum eſt quamdiu vivit teſtator.

13. *Si enim ſanguis taurorum.*] Hic locus multis errandi occaſionem præbuit, quia non reputabant de Sacramentis tractari, quorum ſpiritualis eſt ſignificatio. Carnis emundationem exponunt quæ tum inter homines valebat: ſicuti profani homines habebant ſua piacula quibus ſcelerum infamism delerent. Hæc vero expoſitio nimis profana eſt. nam injuria ſit Dei promiſſionibus, ſi earum effectum reſtringimus ad politiam duntaxat. Subinde occurrit hæc ſententia apud Moſen, Quum ſacrificium rite perfectum fuerit, eapiabitur iniquitas. Hæc certe ſpiritualis eſt fidei doctrina. Præterea quum huc deſtinatæ fuerint omnes victimæ, ut ad Chriſtum ducerent: quemadmodum æterna eſt in Chriſtn animæ ſalus, ita illa vera hujus ſalutis teſtimonia erant. Quid ergn ſibi vult Apoſtolus quum de carnis purgatione meminit? nempe ſymbolicum intelligit vel ſacramentalem: hoc ſenſu, Si pecudum ſanguis verum fuit purgationis ſymbolum, ita ut ſacramentali modo purgaret: quantn magis Chriſtus ipſe qui veritas eſt, purgationem non modo externo ritu teſtabitur, ſed re ipſa conſcientiis præſtabit? Itaque argumentum eſt à ſignis ad rem ſignatam, quia rei effectus lnngo intervalln præcedit ſignorum veritatem.

14. *Per Spiritum æternum.*] Nunc clare oſtendit unde æſtimanda ſit mors Chriſti. non ab eaterno actu ſcilicet, ſed à Spiritus virtute. Paſſus enim eſt Chriſtus, ut homo: ſed ut mors illa nobis ſalvifica eſſet, proveniebat ea efficacia Spiritus. Sacrificium enim eapiationis æternæ, opus fuit plus quam humanum. Et ideo Spiritum vocat æternum, ut ſciamus, reconciliationem, cujus eſt effector, æternam eſſe. Quum dicit *irreprehenſibilem*, tametſi alludit ad Legales victimas quæ mutilæ aut vitioſæ eſſe non debebant: tamen ſignificat, Chriſtum ſolum legitimam eſſe victimam ac idoneam placando Deo. Semper enim in aliis fuit quod deſiderari jure poſſet: unde & prius dixit Legale fœdus non fuiſſe ἄμεμπτον. hæc autem una nihil habet niſi ſumme perfectum.

Mortua opera intellige vel quæ mortem generant, vel quæ fructus ſunt mortis. Nam quum animæ vita ſit noſtra cum Deo conjunctio: qui alienati ſunt per peccatum, vere cenſentur mortui. Notandus eſt autem purgationis finis *ut ſerviamus Deo.* neque enim abluimur à Chriſto, ut in novas ſubinde ſordes nos immergamus: ſed noſtra puritas, Dei gloriæ ſerviat. Præterea docet, nihil poſſe à nobis prodire quod Deo gratum ſit, donec Chriſti ſanguine purgati ſimus. Nam quum inimici Deo ſimus omnes ante reconciliationem, exoſa quoque opera noſtra habet: quare initium legitimi cultus eſt reconciliatio. Deinde quia nullum opus ita purum eſt, omnique macula vacuum, ut per ſe Deo placeat: neceſſe eſt purgationem ex ſanguine Chriſti intervenire, quæ maculas omnes deleat. Et elegans eſt antitheſis inter Deum vivum & opera mortua.

15. *Ac propterea novi Teſtamenti.*] Concludit non jam amplius alio Sacerdote opus eſſe, quia Chriſtus ſub novo Teſtamento has partes impleat. neque enim Chriſto vendicat honorem Mediatoris ut alii cum eo interea maneant, ſed contendit alios omnes eſſe abdicatos quum injunctum fuit munus Chriſto. Sed quo plenius id confirmet, ſimul recenſet quomodo Mediatoris officio defunctus ſit: nempe morte intercedente. Si hoc in ſolo Chriſto reperitur, aliis omnibus deeſt: ſequitur, ipſum ſolum juſtum eſſe Mediatorem. Commemorat præterea vim & effectum mortis ejus, quum dicit ſolutum eſſe pro peccatis pretium quæ ſub priore Teſtamento deleri pecudum ſanguine non poterant: quibus verbis Judæos à Lege ad Chriſtum traducere voluit. Nam ſi tanta eſt Legis imbecillitas, ut quæcunque expiandis peccatis remedia adhibet, minime præſtent quod figurant: quis in ea tanquam in portu quieſcat? Hoc, inquam, unum abunde eos ſtimulare debuit ad expetendam Legis correctionem: quia fieri non poterat quin perpetuo anxii eſſent. Contra ubi ad Chriſtum ventum eſt, quia in ipſo obtinemus plenam redemptionem, nihil eſt quod nos amplius ſollicitet. Ergo his verbis Legem infirmat, ut in eam recumbere Judæi deſinant: & ſtare in Chriſto docet, quia in ipſo reperitur quicquid pacandis conſcientiis expeti poteſt. Si quis autem roget annon remiſſa fuerint Patribus peccata etiam ſub Lege, tenenda eſt ſolutio quam ante dixi: fuiſſe remiſſa, ſed Chriſti beneficio. ergo quod ad externas expiationes, ſemper te-
Col. 2. nebantur reatu alligati. Hac ratione Paulus dicit,
verſ. 14. Legem fuiſſe chirographum nobis contrarium. Nam quum prodiret in medium peccator, ſeque Deo obnoxium palam profiteretur, & innoxium animal mactando, ſe dignum æterna morte eſſe agnoſceret: quid conſequebatur ex ſua victima, niſi quod mortem ſuam hoc quaſi chirographo obſignabat? denique tunc demum in peccatotum remiſſione acquieſcebant, quum reſpicerent in Chriſtum. Quod ſi ſolus Chriſti reſpectus peccata abſtulit, nunquam illi fuiſſent liberati, ſi in Lege reſtitiſſent. Pronun-
Pſal. 32. ciat quidem David, beatum eſſe hominem cui non
verſ. 2. imputantur peccata: ſed ut hujus beatitudinis ſit compos, neceſſe habet, relicta Lege, conjicere oculos in Chriſtum. Nam ſi in Lege hæreat, nunquam reatu eximetur. *Qui vocati ſunt, promiſſionem* &c. Huc ſpectat divinum erga nos fœdus ut in filios adoptati, vitæ æternæ tandem ſimus hæredes. Hoc Chriſti beneficio nos conſequi docet Apoſtolus: unde patet, in eo eſſe fœderis complementum. Promiſſio autem hæreditatis, pro hæreditate promiſſa capitur. acſi dixiſſet, Promiſſio vitæ æternæ non aliter nobis conſtat ut ea fruamur, quam per Chriſti mortem. Vita quidem Patribus olim promiſſa fuit, & eadem ab initio fuit filiorum Dei hæreditas: ſed in poſſeſſionem non aliter ingredimur, quam præeunte Chriſti ſanguine. Loquitur autem de vocatis, ut Judæos qui hujus vocationis erant participes, magis afficiat. Singularis enim eſt hæc gratia, quum Chriſti cognitione donamur. Itaq; eo magis cavendum eſt ne tam inæſtimabili theſauro neglecto, alibi vagentur mentes noſtræ. Vocatos quidam pro electis accipiunt: ſed perperam, meo judicio. Idem enim hic docet Apoſtolus quod habetur Rom. 3. v. 25. juſtitiam & ſalutem Chriſti ſanguine partam eſſe, fide vero à nobis percipi.

16. *Nam ubi eſt teſtamentum.*] Vel hic unus locus argumento eſt, Epiſtolam Hebraice ſcriptam non fuiſſe. ברית enim fœdus Hebræis, non teſtamentum ſignificat: ſed quia apud Græcos διαθήκη utrumque comprehendit, Apoſtolus ad ſecundam ſignificationem alludens, promiſſiones non aliter potuiſſe ratas ac validas eſſe diſputat, quam ſi Chriſti morte obſignatæ eſſent. Idque probat ex communi jure teſtamentorum: quorum vis ſuſpenſa eſt uſque ad eorum mortem qui teſtantur. Quanquam videtur Apoſtolus nimis infirmæ rationi inniti, ut nullo negotio refutari qoeat quod dicit: neque enim teſtamentum condidit Deus ſub Lege, ſed fœdus pepigit cum veteri populo. ita neque ex re, neque ex nomine colligere potuit neceſſariam fuiſſe Chriſti mortem. Nam ſi ex re inferat, oportuiſſe Chriſtum mori, quia teſtamentum nonniſi morte teſtatoris ratum ſit: prompta eſt exceptio, ברית (quo nomine paſſim utitur Moſes) fœdus eſſe quod inter vivos percutitur: nec de re ipſa aliud ſentiendum eſt. Quod ad nomen ſpectat, ſimpliciter (ut jam dixi) ad ambiguam Græcæ vocis ſignificationem alluſit. quare in rem ipſam præcipue inſiſtit. Nec obſtat quod Deus cum populo ſuo fœdus paciſcebatur. quia fœdus hoc ſimile teſtamento erat, *quippe* quod ſanguine ſanciebatur. Hoc axioma tenendum eſt, Nulla unquam ſymbola temere vel abs re à Deo fuiſſe uſurpata. Atqui Deus in ſtabiliendo Legis fœdere ſanguinem interpoſuit. ergo non fuit contractus inter vivos (ut loquuntur) ſed qui mortem poſtularet. Porto hæc propria eſt conditio teſtamenti, ut à morte effectum ſuum habere incipiat. Si ex re cogitemus Apoſtolum pugnare, non ex verbo: deinde ſi reputemus illum pro confeſſo ſumere (quod jam dixi) nihil fruſtra à Deo fuiſſe inſtitutum: non multum erit difficultatis. Si quis objiciat, Gentes in alium ſenſum fœdera ſacrificiis mactaſſe. id quidem verum eſſe fateor: ſed Deus ritum ſacrificandi ex Gentium conſuetudine mutuatus non eſt: quin potius omnia Gentium ſacrificia degeneres fuerunt corruptelæ, quæ tamen initium traxerunt à Dei inſtitutis. Proinde ſemper huc redeundum eſt, fœdus Dei quod ſanguine percuſſum fuit, apte conferri teſtamento, quia ejuſdem conditionis ac naturæ fuerit.

18. Unde neque primum illud ſine ſanguine dedicatum fuit.

19. Nam poſtquam expoſuiſſet Moſes ſecundum Legem totum mandatum univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, librum & totum populum aſperſit,

20. Dicens, Hic eſt ſanguis Teſtamenti quod Deus mandavit vobis omnibus.

21. Quin tabernaculum, & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit.

22 Et propemodum ſanguine omnia purgantur ſecundum Legem, nec ſine ſanguinis effuſione fit remiſſio.

23. Neceſſe igitur eſt, exempla eorum quæ ſunt in cælis, iſtis purgari: ipſa vero cæleſtia melioribus quam illæ fuerint hoſtiis.

18. *Neque*

18. *Neque primum illud.*] Hinc apparet rem præcipue urgeri, non autem verbi quæſtionem eſſe: etſi in ſuum commodum Apoſtolus vocem inflexerit ſibi oblatam in ea liogua qua ſcribebat. quemadmodum ſi quis de eodem Dei fœdere diſſerens, quod ſæpe μαρτυρία Græce vocatur, inter alia ipſum boc elogin commendet. Vere ſane μαρτυρία eſt cui teſtimooium è cælo Angeli reddunt: cujus tot locupletiſſimi fuerint in terris teſtes, nempe omnes ſancti Prophetæ, Apoſtoli & ingens Martyrum turba: cujus ſe demum ſponſorem interpoſuit ipſe Dei Filius. nemn in tali ſermone quicquam reperiet abſurdi. Et tamen Hebraici verbi תשרה proprietas id non evincit: ſed quia nibil dicitur niſi rei ipſi conſentaneum, non tam ſcrupuloſa habetur vocabuli ratio. Itaque dicit Apoſtnlus vetus Teſtamentum *ſanguine dedicatum fuiſſe.* unde colligit, jam tunc admonitos fuiſſe bnmines, non aliter ſtabile & efficax eſſe poſſe, quam ſi mnrs interveniret. Nam quod tune pecudum ſanguis fuit effuſus, id valuiſſe negat ad æterni fœderis confirmationem. Quod ut clarius pateat, obſervandus eſt aſperſionis ritus qnem bic recitat ex Moſe. Primo tradit fœdus fuiſſe dedicatum: non quod profanum in ſe quicquam baberet, ſed quia nibil tam ſanctum eſt quod nnn homines ſua immunditia prnfanent, niſi Deus ipſe facta omnium innovatione occurrat. quare dedicatio fit in bominum gratiam, qui ea ſoli indigent. Addit poſtea, *tabernaculum cum omnibus vaſis*, adeoque *librum ipſum Legis fuiſſe aſperſum.* qua ceremonia jam tuoc populus edocebatur, non aliter Deum poſſe in ſalutem quæri vel aſpici, nec aliter rite coli poſſe, quam ſi ubique fides in ſanguinem intermedium intuereruṛ. Nam & Dei majeſtas merito nobis eſt formidabilis: & via ad eam nibil quam exitialis eſt labyrinthus, dnnec Cbriſti ſanguine placatum nobis ſciamus eſſe, & idem ſanguis facilem nobis acceſſum præbeat. Omnes etiam cultus vitinſi ſunt ac impuri, niſi Cbriſtus ſanguinis ſui aſperſione eos mundet. Nam tabernaculum viſibilis quædam imago Dei fuit: *vaſa miniſterŋ* ut ad eum colendum erant deſtinata, ſic veri cultus ſymbola erant. Quod ſi nihil eorum populo ſalutare erat, ſine ſaoguine: binc facile colligimus, ubi Cbriſtus cum ſanguine ſuo non apparet, nihil nobis eſſe cum Deo. Sic neque doctrina ipſa, utcunque immutabilis ſit Dei voluntas, nobis ac in uſum noſtrum efficaa erit, niſi ſanguine dedicata: qnemadmodum hoc verbo melius exprimitur. Scio alios ſecus interpretari. nam illis Tabernaculum eſt corpus Eccleſiæ: vaſa, ſinguli fideles quorum Deus miniſterin utitur. ſed illud quod dixi, longe aptius eſt. Nam quoties invocandus erat Deus, ad Sanctuarium ſe vertebant. & trita eſt illa loquutio, Siſtere ſe coram facie Domini, quum in templo apparerent.

20. *Sanguis Teſtamenti quod mandavit.*] Si ille ſanguis Teſtamenti: ergo nec Teſtamentum ſine ſanguine ratum eſt, nec ſanguis ſine Teſtamentn ad expiatinnem valet. Ideo neceſſe eſt utrumque conjungi. Et videmus nonniſi eapoſita Lege additum fuiſſe ſymbolum. Quale enim Sacramentum foret, niſi præeunte verbo? proinde ſymbolum quædam ad verbum acceſſio eſt. Et obſerva hoc verbum oon ad magicam incantationem ſuſurrari, ſed clara voce proferri: quemadmodum pnpulo deſtinatur, ita verba ſonant fœderis, *Quod Deus mandavit vobis.* Quare perverſus eſt Sacramentorum abuſus, adeoque impia corruptela, ubi nulla auditur mandati expoſitio, quæ eſt velut Sacramenti anima. Quare Papiſtæ quià ſignis veram rerum intelligentiam tollunt, mortua duntaaat elemenra retinent. Locus hıe admonet, nmnes Dei promiſſiones tunc demum utiles nobis eſſe, dum ea Chriſti ſanguine acceſſit
2. Cor. 1. confirmatio. Nam quod in Cbriſto Paulus omnes
verſ. 20. Dei promiſſiones Etiam & Amen eſſe teſtatur, id fit quum ejus ſanguis, inſtar ſigilli, cordibus noſtris inſculptus eſt: vel quum non tanrum audimus loquentem Deum, ſed Chriſtum cernimus ſe offerentem in pignus eorum quæ dicunrur. Hæc tantum cogitatin ſi in mentem nobis veoiret, oon tam atramento quam Filii Dei ſanguine ſcriptum eſſe quiequid legimus, quum Euangelium prædicatur, una cum voce ſacrum illum ſanguinem ſtillare: longe major noſtra eſſet tum attenrio, tum reverentia. Hujus rei ſymbolum fuit aſperſio illa cujus mentio fit apud Moſen. quaoquam plus hic babetur quam Moſis verba exprimant. Neque enim librum, ſed populum fuiſſe aſperſum narrat: neque hircos nominat; neque lanam eoccineam, neque hyſſopum. Quod ad librum ſpectat: etſi clare non poteſt evinci ejus aſperſio, probabili tameu conjectura elicirur ea eo quod dicitur Moſes eum protuliſſe in medium poſtquam ſacrificaverat, idque ut ſolenni ſtipulationa populum Deo obſtringeret. Quod ad reliqua attinet, viderur mihi Apoſtolus varias eapiationes, quarum eadem erat ratio, permiſcuiſſe. Nec ſane in eo quicquam eſt abſurdi: quum generalem quæſtionem tractet de veteris Teſtamentı purgatione, quæ per ſanguinem fiebat. Quod autem ex byſſopo aſpergillum fiebat, & lana coccinea, non dubium eſt quin myſticam aſperginem quæ fit per Spiritum, repræſentaverit. Scimus hyſſopum ſingulari purgandi & excoquendi efficacia pollere: ita Cbriſtus Spiritu ſuo aſpergilli utitur ad nos ſanguine ſuo ablueodos, dum ſerio pœnirentiæ ſenſu nos afficit, dum eacoquit pravas carnis noſtræ eupidirates, dum pretioſo juſtitiæ ſuæ colnre nos tingit. neque enim de nibilo boc Deus inſtituerat. Huc quoque alluſit David Pſal. 51. v. 9. quum dicit, Aſperges me Domine byſſopo, & mundabor. Hæc ſufficient quibus ſnbrie philoſophari animus eſt.

22. *Et propemodum omnia.*] Quum dicit Propemodum, videtur indicare aliter quædam purgari. Et certe aqua ſe & alias res immundas ſæpenumero abluebant. Verum & aqua illa vim abluendi babebat ea ſacrificiis, ut vere Apoſtolus tandem pronunciet, nullam ſine ſanguine fuiſſe remiſſionem. Proinde imputabatur immundities, donec ſacrificio eſſet expiata. Et quemadmodum eatra Chriſtum non eſt puritas neque ſalus, ita nibil ſine ſanguine vel purum, vel ſalutare eſſe potuit: quia nunquam à mortis ſuæ ſacrificin ſeparandus eſt Chriſtus. ſed Apoſtolus ſimpliciter voluit, fere ſemper adbibitum fuiſſe hoc ſymbolum. Quod ſiquandn non fiebat purgatio, nihilnminus erat in ſanguine: quandoquidem omnes ritus vim ſuam quodammodo ex generali eapiatione mutuabantur. Nam neque ſinguli ea populo aſperſi fuerunt, (quomodo enim modica ſanguinis portin ad tantam multitudinem ſufficere poterat?) purgatio tamen perveniebat ſimul ad omnes. Ergo particula Propemodum, tantundem valet acſi dixiſſet, frequentiſſimum bujus ceremoniæ uſum fuiſſe, ut ea raro abſtinerent in purgationibus. Nam quod Chryſoſtomus improprietatem ita notari putat, quia figuræ tantum illic fuerint, alienum eſt à mente Apoſtoli. *Non fit remiſſio.* Hoc modo probibiti ſunt bomines à Dei conſpectu: quia quum illis omnibus jure infenſus ſit, non eſt cur ullam ſibi gratiam apud eum promittant, donec placatus fuerit. Porro una eſt ratio placandi per ſanguinis expiationem: proinde nulla peccatorum venia ſperanda eſt niſi ſanguinem afferamus. hoc fit dum fide confugimus ad Cbriſti mortem.

23. *Exempla eorum.*] Ne quis nbjiceret alium fuiſſe quam teſtatoris ſanguinem quo vetus Teſtamentum dedicatum fuit; anticipat Apoſtolus, ac dicit noo eſſe mirum ſi pecudum victimis conſecratum fuerit tabernacolum illud quod terreſtre erat: analngiam enim ae ſimilitudinem fuiſſe inter purgationem & res purgatas. At cæleſte illud de quo diſſerit,

exemplar longe alio modo conſecrari oportuiſſe: hic locum non habere hircos aut vitulos. unde ſequitur, teſtatoris mortem eſſe neceſſariam. Hic ergo ſenſus eſt, Quum in Lege terreſtres duntaxat rerum Spiritualium imagines fuerint, expiandi quoque ritus carnalis & figurativus (ut ita loquar) fuit. at quum cæleſte exemplar nihil terrenum admittat, alium poſtulat quam pecudum ſanguinem qui ejus reſpondeat præſtantiæ: ſic mors teſtatoris flagitatur, ut vera fiat teſtamenti conſecratio. *Cæleſtia* vocat regnum Chriſti quod ſpirituale eſt, ſolidamque habet veritatis revelationem: *potiores victimas* pro victima, quia tantum una eſt: ſed propter antitheſin plurali numero libere abuſus eſt.

24. Neque enim in manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, exempla verorum: ſed in ipſum cælum, ut nunc appareat coram facie Dei pro nobis.

25. Neque ut ſæpe offerat ſeipſum, quemadmodum Pontifex ingreditur in ſancta quotannis cum ſanguine alieno.

26. (Quandoquidem oportuiſſet illum ſæpius pati à creatione mundi) nunc autem in conſummatione ſeculorum, ſemel in deſtructionem peccati per victimam ſui ipſius apparuit.

27. Et quatenus conſtitutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc vero, judicium:

28. Ita & Chriſtus ſemel oblatus ut multorum auferret peccata, ſecundo abſque peccato conſpicietur iis qui eum expectant in ſalutem.

24. *Neque enim* &c.] Eſt confirmatio ſuperioris ſententiæ. Loquutus erat de vero Sanctuario, hoc eſt, cæleſti: nunc addit, Chriſtum illuc ingreſſum eſſe. unde ſequitur requiri etiam confirmationem quæ congruat. *Sancta* pro Sanctuario accipit. Vocat *non manufactum* quod inter creaturas corruptioni obnoxias cenſeri non debet. neque enim *cælum* hic intelligit quod cernimus, & in quo ſtellæ lucent: ſed gloriam regni Dei quæ cælos omnes ſuperat. Sanctuarium vetus ἀντίτυπον veri, hoc eſt, ſpiritualis, appellat: quia externæ omnes figuræ, quaſi in ſpeculo repræſentant quod alioqui ſub ſenſus corporeos non cadit. Eodem verbo interdum utuntur ſcriptores Græci quum de Sacramentis noſtris diſputant: idque ſcite & congruenter, quia omne Sacramentum viſibilis eſt rerum inviſibilium imago. *Ut nunc appareat.* Sic olim Sacerdos Leviticus, populi nomine ſe in Dei conſpectum ſiſtebat, ſed in figura: in Chriſto autem ſolida veritas & plenus figuræ effectus. Arca enim ſymbolum erat divinæ præſentiæ. at Chriſtus ſe in Dei conſpectum vere offert ac ſiſtit ad impetrandam nobis gratiam: ut jam nulla ſit cauſa cur fugiamus tribunal Dei, ubi tam bonum habemus patronum, cujus fide ac tutela ſalvi ac tuti ſumus. Erat quidem jam tunc advocatus noſter Chriſtus quum in terris ageret: ſed hoc præterea infirmitati noſtræ conceſſum eſt, ut cælos conſcenderet ad ſubeundum patroni munus. ita quoties de ejus in cælum aſcenſu fit mentio, debet hæc utilitas nobis venire in mentem, quod illic coram Deo apparet, ut nos ſuo patrocinio defendat. Stulte ergo & intempeſtive à quibuſdam quæritur annon ſemper apparuerit, quia hic tantum de interceſſione Apoſtolus diſputat, cujus cauſa cæleſte Sanctuarium ingreſſus eſt.

25. *Neque ut ſæpe offerat.*] Quomodo igitur Sacerdos, dicet quiſpiam, ſi abſtinet à ſacrificiis? Reſpondeo, in officio vel perſona Sacerdotis non requiri continuum ſacrificandi actum. Nam & in Lege præcipuis ſacrificiis ſtati erant quotannis dies: quotidianas etiam ſuas horas mane & veſperi præſcriptas habebant. Quum autem unicum illud ſacrificium quod ſemel Chriſtus obtulit, ſemper vigeat, adeoque perpetuum ſit quod ad efficaciam: non mirum eſt ſi ejus virtute quæ nunquam excidit, fulciatur æternum Chriſti ſacerdotium. Atque hic rurſum quid & quibus in rebus differat Chriſtus à Levitico Sacerdote, oſtendit. De Sanctuario jam dictum eſt prius: ſed unum diſcrimen notat in ſacrificii genere: quia ſeipſum Chriſtus, non brutum animal, obtulerit. Deinde alterum, quod ſacrificium hoc non repetat, quemadmodum ſub Lege frequens repetitio fuit, & prope aſſidua.

26. *Alioqui oportuiſſet.*] Oſtendit quanta ſequatur abſurditas, ſi non ſatis habeamus expiari uno Chriſti ſacrificio. Inde enim ſæpius mori oportuiſſe colligit, quia mors cum ſacrificio ſemper ſit conjuncta. Hoc autem poſterius eſt abſurdiſſimum. ſequitur ergo, virtutem unius ſacrificii æternam eſſe, & ad omnia ſecula extendi. Dicit autem, *à mundi origine*: quia omnibus ſeculis ab initio fuerunt peccata quæ expiatione indigebant. Niſi ergo tunc efficax fuiſſet Chriſti ſacrificium, nemo ex Patribus ſalutem conſequutus eſſet. Nam quum iræ Dei obnoxii per ſe fuerint, deficeret eos liberationis remedium, niſi Chriſtus ſemel patiendo, quantum ad reconciliandam hominibus Dei gratiam, à mundi origine uſque in finem paſſus eſſet. Ergo niſi plures mortes expectamus, contenti ſimus unico ſacrificio. Atque hinc patet quam frivola ſit diſtinctio illa, in cujus argutia ſibi tantopere placent Papiſtæ, quum dicunt immolationem Chriſti in cruce fuiſſe ſanguineam: Miſſæ vero ſacrificium quod offerri quotidie Deo fingunt, eſſe incruentum. Nam ſi ſubtile illud effugium valeat, incogitantiæ arguendus erit Spiritus Dei cui non venit in mentem. quandoquidem hoc pro confeſſo Apoſtolus ſumit, non eſſe abſque morte ſacrificium. Nihil moror, quod ſic loquantur vetuſti ſcriptores: neque enim eſt in hominum arbitrio, cujuſmodi ipſis libuerit ſacrificia fingere. Stat hoc Spiritus ſancti axioma, Non expiari ſacrificio peccata quin ſanguis fundatur. quare diabolicum eſt commentum, ſæpius Chriſtum offerri. *Nunc autem in conſummatione.* Perfectionem ſeculorum vocat, quæ ad Galatas cap. 4. a. 4. Plenitudo dicitur. fuit enim iſta quædam temporis maturitas quam Deus æterno ſuo decreto ſtatuerat. Atque hoc modo anſa præciditur hominum curioſitati, ne inquirere audeant cur non citius, cur illa potius ætate. Nos enim arcano Dei conſilio acquieſcere decet, cujus ratio tametſi nobis non eſt perſpicua, illi tamen conſtat. In ſumma, ſignificat Apoſtolus tempeſtivam fuiſſe Chriſti mortem, quum à Patre hac de cauſa miſſus fuit in mundum, penes quem legitima, ut rerum omnium, ita & temporum gubernatio eſt: quum eorum ſeriem ſumma, etſi nobis ſæpe abſcondita, ſapientia ordinet. Præterea hæc conſummatio anteacti temporis imperfectioni opponitur. ſic enim ſuſpenſum tenuit Deus populum veterem, ut facile judicari poſſet, nondum ad fixam conditionem ventum eſſe. Ideo prioris ad Corinthios cap. 10. c. 11. Paulus fines ſeculorum in nos incidiſſe tradit. quo ſignificat, regnum Chriſti omnibus rebus complementum attuliſſe. Quod ſi hæc fuit temporum plenitudo quum ad peccata expianda apparuit Chriſtus, atrocem illi injuriam faciunt qui volunt renovari ſacrificium, acſi morte ejus nondum completa eſſent omnia. Semel ergo apparuit: quia ſi fieret iterum vel tertio, aliquid ad primam oblationem deeſſet, quod plenitudini repugnat.

In deſtructionem.] Congruit hoc cum Danielis vatici- *Dan. 9. verſ. 24.*

tici-

ticinin, qun poſtquam obſignatio & abolitin ſcelerum promiſſx eſt, finis ſacrificiis indicitur. quorſum enim piacula deſtructis ſceleribus? Porro deſtructio hæc in eo conſiſtit, quod jam non imputantur peccata iis qui ad Chriſti ſacrificium confugiunt. Nam quamvis petenda ſit quotidie venia, uti quotidie iram Dei provocamus: quia tamen non alio quam unicæ Chriſti mortis pignore reconciliamur Deo, merito dicitur per eam deſtructum eſſe peccatum.

27. *Quatenus conſtitutum eſt.*] Senſus eſt, Quum patienter à morte hominis expectemus judicii diem, quia hæc communis ſit lex naturæ cui reluctari fas non eſt: cur minus eſſet patientiæ in expectando ſecundo Chriſti adventu? Nam ſi in hominum vulgo, beatæ reſurrectionis ſpei nihil derogat longum intervallum: quam abſurdum eſſet minus honoris deferri Chriſto? minus autem deferemus, ſi eum vocemus ad ſecundam mortem, quum una in perpetuum defunctus ſit. Siquis objiciat, bis quoſdam eſſe mortuos, ut Lazarum & ſimiles: expedita eſt ſolutio, Apoſtolum hic de ordinaria hominum conditione diſputare. quin etiam ab hoc ordine eximuntur quos ſubita immutatio corruptione exuet: quia non comprehendit niſi eos qui diu in pulvere corporum ſuorum redemptionem expectant. *Secundo abſque peccato.* Hoc unum Apoſtolus urget, non debere nos inquietari inanibus praviſque novarum expiationum deſideriis, quia mors Chriſti nobis abunde ſufficiat. Ideo dicit, ſemel apparuiſſe cum ſacrificio ad delenda peccata: ſecundo adventu palam facturum quid efficaciæ mors ſua habuerit, ut amplius non ſit peccato vis ad nocendum. *Auferre peccata* eſt liberare ſua ſatisfactione à reatu eos qui peccarunt. *Multos* dicit, pro omnibus, ſicut ad Romanos cap 5. verſ. 15. Certum quidem eſt, non omnes ex Chriſti morte fructum percipere: ſed hoc ideo fit, quia eos impedit ſua incredulitas. Quanquam hic de nihilo agitaretur illa quæſtio. quia non diſputat Apoſtolus quam paucis, vel quam multis proſit mors Chriſti: ſed intelligit ſimpliciter, aliis, non ſibi eſſe mortuum. Itaque multos uni opponit. Sed quid eſt quod ſine peccato appariturum tradit? Quidam piaculum aut victimam peccati expiatricem exponunt, ſicuti ad Romanos cap. 8. v. 3. & 2 ad Corinth. cap. 5. v. 21. ac pluribus locis apud Moſen: ſed expreſſius quiddam (meo judicio) dicere voluit: nempe Chriſtum, quum veniet, patefacturum quam vere abſtulerit peccata, ut non alio ad placandum Deum ſacrificio jam opus ſit. acſi diceret, Ubi ad Chriſti tribunal ventum fuerit, ſentiemus nihil ejus morti defuiſſe. Quo etiam pertinet quod continuo poſt adjicit, *In ſalutem iis qui eum expectant.* Alii ſecus contexunt, hoc ſcilicet modo, Qui eum expectant in ſalutem. Sed alter ille ſenſus aptior: ſignificat enim eos plenam ſalutem ſenſuros ex Chriſti morte qui tranquillis animis in eam recumbunt. nam expectatio hæc ad circumſtantiam præſentis cauſæ refertur. Hoc quidem in commune fidelibus alibi tribuit Scriptura, quod adventum Domini expectent, ut eos ab impiis diſcernat, quibus formidabilis eſt ejus mentio: ſed quia nunc Apoſtolus contendit debere nos quieſcere in unico Chriſti ſacrificio, expectationem Chriſti vocat, quum unica illa redemptione contenti, nova remedia vel ſubſidia non appetimus. *2 Theſ. 1. verſ. 10.*

CAP. X.

UMbram enim habens Lex futurorum bonorum; non ipſam vivam imaginem rerum, ſacrificiis quæ quotannis eadem continenter offeruntur, nunquam poteſt eos qui accedunt perficere. *• vel, ſanctificare.*

2. Alioqui annon deſiiſſent offerri? propterea quod nullam amplius conſcientiam peccatorum haberent cultores ſemel purgati.

3. Atqui in his fit quotannis commemoratio peccatorum.

4. Impoſſibile enim eſt ut ſanguis taurorum tollat peccata.

1. *Umbram enim* &c.] Similitudinem hanc mutuatus eſt ab arte pictoria. nam umbra hic aliter quam ad Col. 2: 27. accipitur. ubi ceremonias veteres ſic appellat, quia ſolidam rerum quas figurabant, ſubſtantiam intus non habuerint. nunc vero ſimiles fuiſſe dicit rudibus lineamentis, quæ ſunt veluti adumbratio vivæ picturæ. ſolent enim pictores, antequam vivos colores penicillo inducant, carbone adumbrare quam ſibi proponunt exprimendam. Hæc obſcurior pictura Græcis σκιαγραφία vocatur: quaſi Latine dicas, umbratilem. ſicuti εἰκὼν illis eſt expreſſa effigies. Unde & eiconicæ imagines etiam Latinis dictæ, quæ ad vivum repræſentabant vel hominum, vel animalium, vel locorum faciem. Hoc ergo diſcrimen inter Legem & Euangelium ſtatuit Apoſtolus, quod ſub illa rudibus duntaxat & inchoatis lineis fuit adumbratum quod hodie vivis & graphice diſtinctis coloribus expreſſum eſt. Hoc modo iterum confirmat quod prius dixit, non otioſam fuiſſe Legem, nec inanes ejus ceremonias. Nam etſi non fuit illic rerum cæleſtium effigies, quaſi extrema (quod aiunt) artificis manu abſoluta: tamen illa qualiſcunque indicatio patribus non parum utilis fuit, etiamſi noſtra conditio ſit potior. Ac notandum eſt, eaſdem illis res eminus fuiſſe oſtenſas quæ nunc ſub oculis nobis ponuntur. Idem itaque Chriſtus utriſque, eadem juſtitia, ſanctificatio & ſalus. tantum in modo pingendi eſt diſſimilitudo. *Futura bona* pro æternis dici puto. Fateor quidem, futurum Chriſti regnum quod nobis præſens eſt, olim annunciatum fuiſſe. ſed Apoſtoli verba ſonant, vivam nos habere futurorum bonorum effigiem. Intelligit ergo ſpirituale illud exemplum, cujus plena fruitio uſque in reſurrectionem & futurum ſeculum differtur. Quanquam fateor, rurſus ab exordio regni Chriſti hæc bona revelari cœpta eſſe. ſed hoc nunc agitat, non veteris modo Teſtamenti reſpectu futura bona dici: ſed quia à nobis adhuc quoque ſperantur. *Quæ quotannis eadem.* Maxime de anniverſario ſacrificio loquitur, cujus mentio fit Levit. cap. 17. tametſi genus totum ſub ſpecie comprehenditur. Sic autem argumentatur, Ubi nulla eſt amplius peccati conſcientia, illic oblationis uſus non eſt. Atqui ſub Lege ejuſdem victimæ oblatio ſubinde repetebatur. Ergo nec Deo ſatisfactum erat, nec ſublatus reatus, nec pacatæ erant conſcientiæ: alioqui finis ſacrificandi factus eſſet. Porro diligenter obſervandum quod eaſdem appellat victimas quarum ſimilis erat ratio. Nam ab eodem Dei inſtituto potius æſtimabantur quam à diverſis pecudibus: quod unum abunde valet ad refutandam Papiſtarum argutiam, qua ſibi ingenioſe videntur effugere abſurditatem in excuſando Miſſæ ſacrificio. nam quum illis objicitur, ſupervacuam eſſe repetitionem ſacrificii, quum perpetuus ſit illius vigor quod ſemel Chriſtus obtulit: protinus excipiunt non aliud eſſe ſacrificium quod peragitur in Miſſa, ſed illud idem. Hæc eorum eſt ſolutio: ſed quid exadverſo Apoſtolus? Sacrificium quod iteratò offertur, etiamſi idem ſit, efficax aut idoneum ad expiationem eſſe negat. Nunc ut millies millies clament Papiſtæ, idem non aliud eſſe ſacrificium quod ſemel in cruce peregit Chriſtus,

&

& quod ipſi quotidie peragunt: ſemper ex ore Apoſtoli contendam, ſi ad placandum Deum valuit Chriſti oblatio, non tantum illis finem eſſe impoſitum, ſed illam iterari nefas eſſe. unde conſtat ſacrilegam eſſe in Miſſa, Chriſti oblationem.

3. *Quotannis fit commemoratio.*] Quum Euangelium noſtræ cum Deo reconciliationis legatio ſit, nunc etiam quotidie peccata inter nos commemorari neceſſe eſt. ſed Apoſtolus ſignificat, proferri in medium peccata ut remedio præſentis ſacrificii tollatur reatus. Non igitur quamlibet memoriam deſignat: ſed quæ talem reatus confeſſionem affert coram Deo, ut ſacrificio ſit opus ad medicinam afferendam. Tale eſt Miſſæ ſacrificium apud Papiſtas: nam illic mortis Chriſti gratiam nobis applicari fingunt, ut deleantur peccata. Quod ſi Legis ſacrificia inde Apoſtolus colligit infirma fuiſſe, quia quotannis repetebantur, ad impetrandam veniam: eadem prorſus ratione colligi poterit infirmum fuiſſe mortis Chriſti ſacrificium, ſi quotidie peragendum eſt ut vis ejus nobis applicetur. Quibuſcunque ergo fucis Miſſam ſuam colorent, nunquam poterunt atrocis in Chriſtum blaſphemiæ crimen effugere.

4. *Impoſſibile enim.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam eadem quam prius adduxit ratione, quod ſanguis pecudum animas non purgarit. Habebant quidem Judæi illic veræ purgationis ſymbolum ac pignus, ſed alio reſpectu: nempe quatenus vituli ſanguis, Chriſti ſanguinem figurabat. Hic vero diſputat Apoſtolus quid per ſe valuerit ſanguis pecudum. Proinde merito vim illi purgandi detrahit. Eſt autem ſubintelligenda oppoſitio quæ non exprimitur: acſi dixiſſet, Veteres hoſtias non mirum eſt fuiſſe invalidas, ut continenter illas offerri oportuerit: illic enim nihil erat quam pecudum ſanguis, qui uſque in animas non penetrat. at vero ſanguinis Chriſti longe alia virtus eſt. Oblationem ergo ab ipſo peractam ex prioribus illis metiri non convenit.

Pſal. 40. verſ. 7. 5. Quapropter ingrediens in mundum, dicit, Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.

6. Holocauſta & victimas pro peccato non probaſti.

7. Tum dixi, Ecce adſum: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam.

8. Quum prius dixiſſet, Sacrificium & oblationem, holocauſta & victimas pro peccato noluiſti, neque comprobaſti quæ ſecundum Legem offeruntur:

9. Tunc dixit, Ecce adſum ut faciam, ô Deus, voluntatem tuam. tollit prius ut ſecundum ſtatuat.

10. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.

5. *Quapropter ingrediens.*] Hic in mundum ingreſſus, fuit manifeſtatio Chriſti in carne. Nam quum hominis naturam induit ut Redemptorem mundo præſtaret, & apparuit hominibus: tunc dicitur in mundum veniſſe, ſicut alibi deſcendiſſe ex cælo. (Joan. 6. verſ. 41.) Pſalmus tamen quadrageſimus quem citat, videtur ad Chriſtum violenter torqueri. nam in ejus perſonam minime competit quod illic habetur, Iniquitates meæ comprehenderunt me, niſi quod membrorum vitia Chriſtus ultro in ſe recipit. Totum certe argumentum proprie Davidi convenit: ſed quia notum eſt Davidem Chriſti fuiſſe typum, nihil abſurdi eſt ſi in Chriſtum transferantur quæ de ſe prædicat David: ac præſertim ubi mentio fit de abrogandis ſacrificiis Legalibus, ſicuti hoc loco. Quanquam non concedunt omnes hunc verbis ſenſum ineſſe. putant enim non ſimpliciter hic repudiari ſacrificia: ſed refutari ſuperſtitioſam opinionem quæ vulgo invaluerat, quod vulgo in illis ſtatueretur totus Dei cultus. quod ſi ita eſſet, parum valeret hoc teſtimonium ad præſentem cauſam. Quare hunc locum propius excutere operæpretium eſt, ut conſtet an appoſite eum huc Apoſtolus adduxerit. Paſſim apud Prophetas occurrunt iſtæ ſententiæ, ſacrificia non placere Deo, nec ab eo requiri, nec quicquam pretii habere: imo potius abominationi eſſe. At tunc non vitium quod hæreat ſacrificiis à natura, ſed adventitium potius notatur. Nam quum hypocritæ alioqui in ſua impietate obſtinati, Deum ſacrificiis placare vellent, hoc modo arguendi fuerunt. Quare Prophetæ ſacrificia rejiciunt: non quatenus inſtituta erant à Deo, ſed ut à ſceleratis hominibus vitiata erant & profanata ob impuras conſcientias. Hic diverſa eſt ratio. neque enim ſacrificia per hypocriſin oblata, vel alias non rite propter hominum pravitatem & nequitiam peracta, damnat: ſed negat à piis & ſinceris Dei cultoribus requiri. De ſe enim verba facit qui illa mundo corde puriſque manibus offerebat: & tamen Deo non placere dicit. Si quis excipiat, non per ſe, neque dignitate propria accepta eſſe, ſed propter alienum finem: rurſus dico, intempeſtive hoc loco ingeri ejuſmodi ſermonem. Tunc enim ad ſpiritualem cultum revocantur homines, ſi externis ceremoniis plus æquo tribuerint. tunc ceremonias nihil apud Deum eſſe pronunciat Spiritus ſanctus, quum præter modum efferuntur hominum errore. David certe, quum Legi ſubjectus eſſet, ſacrificandi morem negligere non debuit. Interiore cordis affectu Deum, fateor, debuit colere: ſed præterire quod illi Deus mandaverat, fas non fuit. habuit autem commune una cum reliquis omnibus ſacrificandi mandatum. Ita colligimus, longius quam ad ætatis ſuæ rationem ipſum reſpexiſſe, quum diceret, Sacrificium noluiſti. Iſtud quidem etiam tempore Davidis verum aliqua ex parte fuit, Deum ſacrificia non morari. ſed quia adhuc ſub jugo pædagogiæ tenebantur omnes: cultum Deo integrum præſtare non poterat David niſi ejuſmodi forma (ut ita loquar) veſtitum. Ergo ad Chriſti regnum venire neceſſe eſt, ut penitus verum ſit, Deum nolle. Similis eſt locus Pſal. 16. v. 10. Non ſines Sanctum tuum videre corruptionem. Nam etſi aliquouſque Davidem à corruptione Deus eripuit, non fuit tamen hoc niſi in Chriſto vere completum. Multum ponderis hoc habet, quod quum ſe profiteatur facturum Dei voluntatem, ſacrificiis locum nullum aſſignat. nam inde colligimus, citra illam perfectam Dei obedientiam conſtare: quod nonniſi abrogata Lege verum fuit. Neque tamen inficior, Davidem tam hoc loco quam Pſal. 51. v. 18. externa ſacrificia ſic extenuaſſe, ut quod præcipuum erat præferret. ſed non dubium eſt quin utroque loco oculos conjecerit in regnum Chriſti. Atque adeo in hoc Pſalmo jure Chriſtum loquentem induci teſtis eſt Apoſtolus, ubi inter Dei mandata ne infimus quidem locus relinquitur ſacrificiis quæ Deus ſub Lege tam ſevere exigebat. *Corpus aptaſti.* Verba Davidis aliud ſonant, Aurem perforaſti mihi: quam loquutionem nonnulli ductam putant ab antiquo Legis ritu. (Exod. 21. verſ. 6.) Nam ſi quis contempta Jubilæi manumiſſione, in perpetuam ſervitutem addicere ſe volebat, illi auris ſubula perforabatur. Hunc itaque ſenſum eſſe volunt, Domine, tu me ſervum habes perpetuo tibi addictum. Ego tamen aliter accipio, pro eo quod eſt, doci-

docilem & obſequentem reddere. ſurdi enim ſumus donec aures nobis Deus aperiat: hoc eſt, pervicaciam corrigat quæ in nobis hæret. Quanquam inter promiſcuum & craſſum vulgus (cui ſacrificia tantum ſpectra erant ſine virtute) & inter Davidem, cui ſubtilius oſtenderat Deus ſpiritualem & legitimum uſum, ſubeſt tacita antitheſis. Apoſtolus autem Græcos ſequutus dixit, Corpus aptaſti. Neque enim in verbis recitandis adeo religioſi fuerunt, modo ne Scriptura in ſuum commodum falſo abuterentur. Semper hoc ſpectandum eſt, quorſum citent teſtimonia: nam in ſcopo ipſo diligenter cavent ne Scripturam trahant in alienum ſenſum: ſed tam in verbis, quam in aliis, quæ præſentis inſtituti non ſunt, ſibi liberius indulgent.

7. *In capite libri.*] Verbum Hebraicum proprie Volumen ſignificat. ſcimus enim libros antiquitus in morem cylindri fuiſſe complicatos. Porro libri nomine Legem intelligi, quæ regulam ſancte vivendi omnibus Dei filiis præſcribit, abſurdum non eſt. Quanquam mihi genuina magis videtur hæc expoſitio, ut dicat ſe in eorum catalogo cenſeri qui ſe Deo præbent obſequentes. Lex quidem jubet nos omnes Deo obedire. ſed intelligit David, ſe inter eos numerari qui vocati ſunt ut Deo obediant. Deinde teſtatur ſe vocationi obtemperare, quum addit, Volui. quod in Chriſtum peculiariter competit. Nam utcunque ad Dei juſtitiam ſancti omnes aſpirent: unus tamen eſt Chriſtus qui plane ſit ad faciendam Dei voluntatem compoſitus. Hic tamen locus nos omnes ad obſequii promptitudinem ſtimulare debet. Nam ideo Chriſtus perfectæ obedientiæ exemplar eſt, ut quicunque ejus ſunt, certatim ad ejus imitationem contendant: ut ſimul reſpondeant Dei vocationi, totaque eorum vita hanc vocem comprobet, *Ecce adſum.* Eodem pertinet quod ſequitur, ſcriptum eſſe in libro ut Dei faciamus voluntatem.
Coloſſ. 1. verſ. 22. Quemadmodum alibi dicitur, hunc electionis noſtræ eſſe finem, ut ſancti & irreprehenſibiles ſimus in ejus conſpectu.

9. *Tollit prius.*] En cur & quorſum citetur hic locus: nempe ut ſciamus plenam ſolidamque juſtitiam ſub regno Chriſti ſacrificiis Legalibus non indigere. Nam Dei voluntas quoad perfectionis regulam, illis ſublatis ſtatuitur. Sequitur itaque, à Chriſti ſacerdotio removendas eſſe pecudum victimas: quia commune nihil cum eo habent. Non enim, ut diximus, cauſa erat cur ſacrificia rejiceret propter accidentale vitium: quia non agit cum hypocritis, nec ſuperſtitionem reprehendit cultus præpoſteri; ſed ab homine pio riteque inſtituto poſtulari negat uſitata ſacrificia, perfecteque obediri Deo teſtatur illis præteritis.

10. *In qua voluntate.*] Poſtquam Davidis teſtimonium cauſæ ſuæ accommodavit, nunc per occaſionem verba quædam inflectit ad ſuum commodum: idque exornandi magis quam explicandi cauſa. Profitetur David non tam in ſua quam Chriſti perſona, ſe ad faciendum Dei voluntatem paratum eſſe. Id ad omnia Chriſti membra extenditur: generalis enim eſt doctrina Pauli, quum dicit, Hæc *1 Theſ. 4. verſ. 3.* voluntas eſt Chriſti, ſanctificatio veſtra, ut quiſque ab immunditia abſtineat. Sed quia in Chriſto hoc illuſtre præ aliis obedientiæ ſpecimen fuit, offerre ſe ad mortem crucis, & hac potiſſimum de cauſa induit ſervi perſonam: dicit Apoſtolus, Chriſtum ſe offerendo, Patris mandato ſatisfeciſſe, atque ita nos fuiſſe ſanctificatos. Quum addit, *Per oblationem corporis*, alludit ad illam Pſalmi partem, Corpus aptaſti mihi: ſaltem ut Græce habetur. Ita ſignificat Chriſtum in ſeipſo reperiſſe quod Deum placaret, ut externis adminiculis minime opus habuerit. Nam ſi Leviticus Sacerdos corpus habuiſſet aptatum, ſupervacuæ fuiſſent pecudum victimæ. Chriſtus autem ſolus ſufficit, ac per ſe idoneus eſt ad præſtandum quicquid Deus requirit.

11. Et omnis quidem Sacerdos quotidie ad miniſtrandum adſtat, & eaſdem ſæpius offerendum victimas, quæ nunquam poſſunt tollere peccata.
Pſ. 110. verſ. 1. 12. Ipſe autem una pro peccatis oblata victima, perpetuo ſedet in dextera Dei:
13. Quod reliquum eſt expectans donec ponantur inimici ſui ſcabellum pedum ſuorum.
** vel, perfecit.* 14. Una enim oblatione * conſecravit in perpetuum eos qui ſanctificantur.
15. Teſtimonium autem reddit nobis etiam Spiritus ſanctus. nam poſtquam prædixerat,
Jer. 31. verſ. 33. 16. Hoc eſt teſtamentum quod ſtatuam cum ipſis poſt dies illos, dicit Dominus, ut ponam Leges meas in corda illorum, & in mentibus eorum inſcribam illas:
17. Et peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.
18. Porro ubi ſit horum remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccato.

11. *Omnis quidem Sacerdos.*] Hæc eſt concluſio totius diſputationis, diſſentaneum eſſe & alienum prorſus à Chriſti ſacerdotio quotidianum offerendi morem. Ideoque poſt ejus adventum abdicatus officio eſſe Leviticos Sacerdotes, quorum ratio & inſtitutum eſt quotidie offerre. hæc enim eſt repugnantium natura, ut uno poſito, alterum concidat. Hactenus ſatis ſuperque laboravit in aſſerendo Chriſti ſacerdotio: reſtat igitur ut ceſſet antiquum illud, quod cum eo non congruit. plenam enim conſecrationem habent ſancti omnes in unica Chriſti oblatone. Quanquam verbum τετελείωκε, pro quo reddidi, *conſecravit*, poſſet exponi, Perfecit. Mihi altera ſignificatio magis placuit, quia nunc de ſacris agitur. Quum dicit, *eos qui ſanctificantur*, comprehendit hoc nomine omnes Dei filios: & admonet fruſtra aliunde peti ſanctificationis gratiam. Sed ne otioſum nunc in cælo Chriſtum jacere ſibi fingant homines, iterum repetit eum *ſedere ad Patris dexteram.* qua loquutione (ut alibi viſum eſt) deſignatur imperium & poteſtas. Quare timendum non eſt ne vim mortis ſuæ extingui patiatur vel ſepultam jacere ſinat, qui ideo vivit ut virtute ſua impleat cælum & terram. Deinde admonet ex verbis Pſalmi, quouſque durare hic ſtatus debeat: nempe donec inimicos omnes ſuos Chriſtus proſtraverit. Ergo ſi fides noſtra Chriſtum in dextera Dei ſedentem quærat, & quieta recumbat in hanc ſeſſionem: tandem potiemur fructu hujus victoriæ: una (inquam) cum capite noſtro, profligatis hoſtibus, Satana, peccato & morte, & toto mundo, carnis corruptione exuti triumphabimus.

15. *Teſtimonium reddit Spiritus.*] Quod ſecundo adducit teſtimonium Jeremiæ, non abs re nec ſupervacuum eſt. Prius in alium finem citavit, ut oſtenderet abrogari vetus Teſtamentum oportuiſſe: quandoquidem Novum aliud promiſſum erat, idque ad corrigendam Veteris infirmitatem. Nunc autem alio reſpicit. pugnat enim tantum ex illo verbo, *Iniquitatum non recordabor:* ac inde colligit, nullum amplius eſſe ſacrificii uſum quum deleta ſint peccata.

Videri quidem poſſit hæc parum firma illatio. nam quum olim innumeræ extarent in Lege & Prophetis de peccatorum remiſſione promiſſiones, victimas tamen pro illis offerre non deſinebat Eccleſia. Proinde remiſſio peccatorum ſacrificia non excludit. Verum ſi ſingula propius conſideres, habebant etiam Patres ſub Lege eaſdem, quas hodie habemus, de peccatorum remiſſione promiſſiones. illis freti Deum invocabant, & de impetrata venia gloriabantur. Atqui Propheta, quaſi novum quiddam & prius inauditum adferat, promittit nullam ſub novo fœdere peccatorum fore memoriam coram Deo. Hinc colligere licet, diverſo modo nunc remitti peccata quam olim. Hæc porro diverſitas non in verbo nec in fide ſita eſt, ſed in ipſo pretio remiſſionis. Nunc ergo peccatorum Deus non recordatur, quia omnium ſemel facta eſt expiatio. Alioqui fruſtra diceretur à Propheta, fore hoc novi Teſtamenti beneficium, quod Deus peccatorum non recordabitur. Porro quando ad finem diſputationis ventum eſt quæ hic habita eſt de ſacerdotio Chriſti: breviter admonendi ſunt lectores, non magis hic abrogari Legis ſacrificia, quam Papiſtarum commentum de ſacrificio Miſſæ refutari. Miſſam ſuam aſſerunt ſacrificium eſſe expiandis vivorum & mortuorum peccatis: Apoſtolus jam ſacrificio locum eſſe negat, ex quo impletum eſt Jeremiæ vaticinium. Cavillantur illi, non eſſe novum aut aliud à Chriſti ſacrificio, ſed idem. at ex adverſo contendit Apoſtolus, idem repeti non debere: nec unum Chriſti ſacrificium modo pronunciat, ſed ſemel peractum. adde quod ſæpius uni Chriſto vendicat honorem ſacerdotii, ut nemo ad eum offerendum ſit idoneus, niſi ſolus ipſe. Aliud effugium Papiſtæ habent, quum ſacrificium *ἀναίματον* appellant. atqui Apoſtolus ſine exceptione affirmat, morte opus eſſe ad ſacrificium. Tergiverſantur etiam Papiſtæ, dum excipiunt Miſſam unius ſacrificii quod peregit Chriſtus applicationem eſſe. Atqui Apoſtolus contra docet, ideo morte Chriſti abolita fuiſſe Legis ſacrificia, quod illic peccatorum recordatio fiebat. unde apparet, genus hoc applicandi quod ſibi fingunt, ceſſaſſe. Denique, ut ſe in omnes formas vertant Papiſtæ, elabi nunquam poterunt quin præſens Apoſtoli diſputatio Miſſam ipſorum pluribus ſcatere ſacrilegiis planum faciat. Primum enim, teſte Apoſtolo, unus Chriſtus ad ſe offerendum idoneus fuit: in Miſſa per alienas manus offertur. Secundo, non unicum modo ſacrificium Chriſti Apoſtolus aſſerit, ſed nonniſi ſemel peractum, ut iterari ſit nefas: in Miſſa utcunque idem ſacrificium eſſe garriant, tamen quotidie fieri apparet, & ipſi fatentur. Apoſtolus nullum ſine ſanguine & morte ſacrificium agnoſcit: iſti ergo fruſtra nugantur, ſacrificium quod offerunt, eſſe incruentum. Apoſtolus, quum de impetranda peccatorum venia agitur, confugere nos jubet ad unum illud ſacrificium quo defunctus eſt Chriſtus in cruce: & nos hac nota diſcernit à Patribus, quod aſſiduus ſacrificandi ritus, Chriſti adventu obſolevit. iſti, ut mors Chriſti nobis ſit efficax, quotidianas per ſacrificium applicationes requirunt, ut nihil niſi in externo ſymbolo differant à Judæis Chriſtiani.

19. Habentes itaque, fratres, fiduciam ingrediendi in Sancta per ſanguinem Jeſu,

20. Via quam dedicavit nobis recentem ac vivam per velum, hoc eſt, carnem ſuam,

21. Et Sacerdotem magnum ſuper domum Dei:

22. Accedamus cum ſincero corde in certitudine fidei, aſperſi cordibus à conſcientia mala, & abluti corpore aqua munda:

23. Teneamus confeſſionem ſpei inflexibilem. fidelis enim qui promiſit.

19. *Habentes itaque, fratres.*] Superioris doctrinæ epilogum vel ſummam colligit: cui deinde opportune ſubjicit gravem exhortationem, & ſevere iis minatur qui Chtiſti gratiam abjecerint. Summa autem eſt, ceremonias omnes quibus ſub Lege patefiebat acceſſus in Sanctuarium Dei, in Chriſto habere ſolidam veritatem: ut Chriſtum habenti ſuperfluus ſit ac inutilis earum uſus. Id quo melius exprimat, allegorice deſcribit acceſſum quem nobis Chriſtus patefacit. Cælum enim comparat veteri Sanctuario: & quæ in Chriſto ſpiritualiter impleta ſunt, ſub typicis loquutionibus proponit. Obſcurant quidem magis rem interdum allegoriæ, quam illuſtrant. ſed hæc non parum habet gratiæ, nec parum lucis affert, quum veteres Legis figuras ad Chriſtum Apoſtolus transfert: ut in eo recognoſcamus vere nunc eſſe exhibita quæcunque Lex adumbravit. Sicut autem ſingulis pene verbis pondus ineſt, ita meminerimus ſubeſſe antitheſin, ut veritas quæ in Chriſto conſpicitur, veteres figuras aboleat. Primo dicit, nos *fiduciam habere ingrediendi in ſancta*. Hoc juris Patribus nunquam conceſſum fuit ſub Lege: populo enim aditus in Sanctuarium viſibile prohibebatur, niſi quod nomina tribuum Pontifex in humeris, & duodecim lapides in eorum memoriam ante pectus geſtabat. Nunc vero longe alia ratio eſt. non enim ſymbolice tantum, ſed re ipſa in cælum ingreſſus nobis patet, Chriſti beneficio: quia nos fecit regale ſacerdotium. Dicit *per ſanguinem Jeſu*, quia ad ſolennem Pontificis ingreſſum non aperiebatur oſtium Sanctuarii niſi ſanguine interpoſito. Sed poſtea diſcrimen notat inter hunc & pecudum ſanguinem. Nam pecudum ſanguis quum ſtatim tabeſceret, non potuit diu vigorem ſuum retinere: at Chriſti ſanguis qui nullo tabo corrumpitur, ſed puro ſemper colore fluit, nobis in finem uſque mundi ſufficiet. Nihil mirum ſi cæſæ pecudum victimæ vivificandi facultate non pollebant, quum eſſent mortuæ. at Chriſtus qui à morte reſurrexit, ut nobis vitam conferat, ſuam in nobis diffundit. Hæc eſt perpetua viæ dedicatio, quod coram facie Patris ſemper quodammodo ſtillat ſanguis Chriſti ad irrigandum cælum & terram.

20. *Per velum.*] Sicuti velum operiebat arcana Sanctuarii, & tamen aditum illuc reſerabat: ſic quum in Chriſti carne divinitas latuerit, nos tamen in cælum uſque perducit: nec quiſquam Deum inveniet, niſi cui via & oſtium erit homo Chriſtus. Ita admonemur, non æſtimandam eſſe Chriſti gloriam ab externo carnis aſpectu, nec deſpiciendam eſſe carnem, quia Dei majeſtatem quaſi velum occultet: quum eadem nobis ad fruenda omnia Dei bona ſit directrix.

21. *Et Sacerdotem magnum.*] Quæcunque prius diſſeruit de abrogatione veteris ſacerdotii, nunc memoria repetere decet. Nam aliter Chriſtus, Sacerdos eſſe non poteſt quin priores illi munere abdicentur, quum alius fuerit ordo. Significat igitur relinquenda eſſe illa omnia quæ ſuo adventu Chriſtus mutavit. ac ideo ipſum præficit univerſæ Dei domui, ut quiſquis locum in Eccleſia habere cupit, Chriſto ſe ſubjiciat, eumque ſibi ducem ac præſidem eligat, non alium.

22. *Accedamus cum ſincero corde.*] Sicuti in Chriſto cjuſque ſacrificio nihil niſi ſpirituale, aut cæleſte eſſe oſtendit: ita quæ ex parte noſtra afferimus,

vult

vult congruere. Olim Judæi variis aſperſionibus ſe purgabant, ut eſſent ad cultum Dei præparati. ritus purgandi carnales fuiſſe, nihil mirum eſt, quum ipſe Dei cultus umbris involutus carnem adhuc quodammodo ſaperet. Sacerdos enim mortalis ex peccatoribus eligebatur qui ad tempus ſacra faceret: ornatus erat pretioſo quidem veſtitu, ſed tamen mundano: ut ſe in Dei conſpectum ſiſteret, tantum ad arcam fœderis accedebat: ut ingreſſum ſanctificaret, victimam bruti animalis ex armento vel grege mutuabatur. In Chriſto omnia longe præcellunt. ipſe non modo purus & innocens, ſed fons omnis ſanctitatis & juſtitiæ: cæleſti oraculo conſtituitur Sacerdos, non ad breve mortalis vitæ ſpatium, ſed perpetuo. Sanctionis cauſa jusjurandum interponitur. Prodit in medium omnibus Spiritus ſancti donis ad ſummam perfectionem ornatus: ſanguine ſuo Deum propitiat, eumque pacificat cum hominibus: ſupra cælos conſcendit, ut coram Deo pro nobis appareat mediator. Itaque viciſſim nihil à nobis afferendum eſt quod reſpondeat: quandoquidem mutuus inter Sacerdotem & populum conſenſus eſſe debet. Proinde faceſſant externæ carnis lotiones, ac ceſſet totus ille ceremoniarum apparatus. nam externis illis figuris Apoſtolus ſincerum cor opponit & fidei certitudinem & abſterſionem omnium vitiorum. Atque hinc colligimus qualiter nos comparatos eſſe deceat, ut fruamur Chriſti beneficiis. neque enim ad eum acceditur, niſi integro corde ſeu veraci, certaque fide ac pura conſcientia. Porro cor verax aut ſincerum fucato ac duplici opponitur. In voce πληροφορίας fidei naturam deſignat Apoſtolus: & ſimul nos admonet non poſſe percipi Chriſti gratiam, niſi ab iis qui fixam & indubiam perſuaſionem afferunt. Abſterſionem cordis à mala conſcientia appellat, vel quum impetrata peccatorum venia puri cenſemur coram Deo, vel dum cor ab omnibus pravis affectibus purgatum, carnis ſtimulis non pungit. Ego libenter utrumque comprehendo. Quod ſequitur de corpore aqua pura abluto, plerique de Baptiſmo accipiunt: ſed mihi probabilius videtur, Apoſtolum alludere ad veteres Legis ceremonias: atque ita ſub Aquæ nomine deſignare Spiritum Dei: quemadmodum Ezechiel loquitur, Effundam ſuper vos *Ezech 36.*
aquas mundas, &c. Summa eſt, nos fieri Chriſti par- *verſ. 25.*
ticipes, ſi corpore & anima ſanctificati ad eum accedimus. Hanc porro ſanctificationem eſſe, non quæ viſibili ceremoniarum pompa conſtat, ſed firmam fidem, puram conſcientiam, corporis & animæ munditiem, quæ à Spiritu Dei manat ac perficitur. Ita Paulus 2 *Corinth.* cap. 7. v. 1. fideles hortatur ut ſe purgent ab omni inquinamento carnis & ſpiritus; quum ſint adoptati à Deo in filios.

23. *Teneamus confeſſionem ſpei.*] Quoniam hic Judæos ad perſeverantiam hortatur, ſpem potius quam fidem nominat. Nam ſpes ſicuti ex fide naſcitur, ita eam ad extremum uſque alit ac ſuſtinet. Confeſſionem præterea requirit, quia non eſt vera fides, niſi quæ ſe exerit ad homines. Et videtur oblique perſtringere eorum ſimulationem qui ingentis ſuæ gratiam Legales ritus nimis religioſe ſervabant. Non ergo tantum corde credere, ſed re ipſa quoque oſtendere ac profiteri eos jubet quam [illegible] Chriſto deferant. Diligenter autem notanda eſt ratio quam ſubjicit, Deum *qui promiſit fidelem eſſe.* Nam inde primum docemur, hoc fundamento niti fidem noſtram, quod Deus verax ſit. Porro hæc veritas promiſſione continetur: nam ut credamus, præire Dei vocem oportet. nec quælibet vox ad gignendam fidem erit idonea: ſola promiſſio eſt in quam fides recumbit. Adeoque ex hoc loco mutua inter fidem hominum & Dei promiſſionem ratio colligi poteſt: niſi enim promittat Deus, nemo erit qui credat.

24. Et conſideremus nos mutuo in æmulationem charitatis & bonorum operum:

25. Neque deſeramus aggregationem noſtri, quemadmodum mos eſt quibuſdam, ſed exhortemur: idque eo magis, quia videtis appropinquantem diem.

26. Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam veritatis notitiam, non amplius relinquitur pro peccatis hoſtia:

27. Sed terribilis expectatio judicii, & zelus ignis qui devorabit adverſarios.

24. *Conſideremus nos mutuo.*] Non dubito quin Judæos peculiariter compellet hac exhortatione. Scitur quanta fuerit gentis illius arrogantia. quia poſteri erant Abrahæ, gloriabantur ſe ſolos, excluſis reliquis omnibus, in fœdus vitæ æternæ à Domino eſſe cooptatos. Tali prærogativa inflati quum præ ſe omnes alios populos deſpicerent, ſoli in Dei Eccleſia cenſeri volebant: imo ſuperciliose ſibi vendicabant Eccleſiæ titulum. In hoc faſtu corrigendo, multum operæ ſumere Apoſtolos oportuit: idque nunc, meo judicio, agit Apoſtolus, ne ægre ferant Judæi ſibi aſſociari Gentes, & in idem Eccleſiæ corpus ſecum coaleſcere. Ac primum quidem dicit, Conſideremus nos mutuo: nam tunc Deus Eccleſiam colligebat ex Gentibus & Judæis, inter quos ſemper fuerat magnum diſſidium: ut hæc ſocietas eſſet veluti & ignis & aquæ conjunctio. Itaque Judæi reſiliebant, quod putarent indignum eſſe Gentes ſibi comparari. Huic perverſæ æmulationis ſtimulo qui eos pungebat, alium contrarium opponit Apoſtolus, nempe *charitatis.* Nam παροξυσμὸς, quo nomine utitur, contentionis ardorem ſignificat. Ergo ne Judæi invidia accenſi ad certamen efferantur, eos ad piam æmulationem hortatur: nempe ut ſe viciſſim ad charitatem exſtimulent. Hanc expoſitionem confirmat quod proxime ſequitur: *Ne deſeramus*, inquit, *aggregationem.* Notanda eſt nominis Græci compoſitio: nam ἐπὶ acceſſionem ſignificat. ideo ἐπισυναγωγὴ tantundem valet ac congregatio novis incrementis aucta. Tunc pariete *Epheſ 2.*
diruto, eos qui alieni ab Eccleſia fuerant, Deus ad *verſ. 14.*
filios ſuos aggregabat: ita Gentes novum erant & inſolitum Eccleſiæ augmentum. Id Judæi ſibi contumelioſum eſſe ducebant: ut multi ab Eccleſia diſceſſionem facerent, honeſtum ſe ex tali miſtura prætextum habere putantes. neque enim facile adduci poterant, ut jure ſuo cederent. Porro jus adoptionis peculiare ac proprium ſibi eſſe arbitrabantur. Monet igitur eos Apoſtolus ne æqualitas illa ad deſerendam Eccleſiam ipſos incitet: ac ne videatur fruſtra eos monere, commemorat hoc multis eſſe commune vitium. Tenemus nunc conſilium Apoſtoli, & quæ eum neceſſitas impulerit ad hanc exhortationem. nobis tamen hinc colligenda eſt univerſalis doctrina. Regnat enim hic morbus paſſim in humano genere, ut ſe quiſque aliis præferat: ac præſertim ut qui videntur in re aliqua excellere, inferiores ſibi æquari nonniſi ægre patiantur. Deinde tanta eſt fere in omnibus moroſitas, ut ſibi libenter proprias Eccleſias ſinguli facturi ſint ſi liceat, quia difficile eſt ad aliorum mores ſe accommodare. Divites inter ſe invident. vix centeſimus quiſque divitum repetietur qui pauperes dignetur fratrum nomine & numero. niſi morum ſimilitudo & aliæ blanditiæ vel commoditates nos alliciant, difficillimum erit alere perpetuam inter nos concordiam. Quare plus quam neceſſaria nobis omnibus eſt iſta admonitio,

ut ad charitatem potius quam invidiam ſtimulemur: neque ab iis faciamus divortium, quos nobis Deus conjungit: ſed fraterna benevolentia amplectamur eos omnes qui ſe fidei conſenſu nobis aſſociant. Et certe eo nos ad ſtudium unitatis magis intentos eſſe decet, quo acrius advigilat Satan ut nos ab Eccleſia quovis modo vel avellat, vel furtim abducat. id fiet ſi nemo ſibi plus æquo placeat, ſed unum hoc propoſitum habeamus omnes, ut mutuo nos incitemus ad charitatem: neque alia inter nos quam bene agendi æmulatio vigeat. Nam certe fratrum contemptus, moroſitas, invidia, immodica noſtri æſtimatio, & aliæ pravæ punctiones, aut frigere in nobis charitatem, aut nullam prorſus eſſe teſtantur. Quum dixit, Non deſerentes aggregationem, ſubjicit, *ſed exhortantes.* quo ſignificat, debere pios omnes, quibus poſſunt modis, ad colligendam undique Eccleſiam eniti: nam hac conditione vocamur à Domino, ut poſtea ſtudeat unuſquiſque alios adducere, errantes in viam reducere conetur, manum lapſis porrigat, alienos acquirat. Quod ſi tantum impendere debemus operæ erga eos qui adhuc extranei ſunt à grege Chriſti, quanto major in exhortandis fratribus requiritur ſedulitas, quos jam nobis Deus adjunxit?

25. *Quemadmodum mos eſt.*] Hinc apparet primam ſchiſmatum omnium originem hanc fuiſſe, quod ſuperbi homines cum aliorum contemptu ſibi plus juſto placuerint. Sed quum audimus, jam à ſeculo Apoſtolorum fuiſſe perfidos homines qui ab Eccleſia diſcederent: minus percelli nos ac turbari convenit ſimilibus defectionum exemplis quæ hodie cernere licet. Eſt quidem hæc non levis offenſio, quum homines qui aliquod pietatis ſignum dederant, & eandem nobiſcum fidem erant profeſſi, deficiunt à Deo vivo: ſed quia nihil novum contingit, minus (ut jam dixi) commoveri nos decet. Porro hoc membrum inſeruit Apoſtolus, ut oſtenderet ſe non abs re ita loqui, ſed morbo jam graſſanti neceſſariam medicinam afferre. *Idque eo magis.* Nonnulli locum hunc (Rom. 13. verſ. 11.) congruere putant cum illo Pauli, Hora eſt ſurgendi è ſomno. nunc enim propior nobis eſt ſalus quam quum credidimus. Ego vero potius ſentio hic mentionem de ultimo Chriſti adventu fieri, cujus expectatio, maxime acuere nos debet tam ad ſanctæ vitæ meditationem, quam ad curam & ardentem conatum Eccleſiæ colligendæ. Quorſum enim venturus eſt Chriſtus, niſi ut nos omnes ex hac in qua nunc vagamur diſperſione, in unum colligat? Itaque quo propior eſt ejus adventus, eo magis elaborandum ut qui diſſipati ſunt, coëant & coadunentur, fiatque unum ovile & unus paſtor. (Joan. 10. verſ. 16.) Siquis roget quomodo dicat Apoſtolus eos qui tam procul adhuc aberant à Chriſti revelatione, vidiſſe propinquum diem, ac jam fere inſtantem: reſpondeo, ſic ab initio regni Chriſti conſtitutam fuiſſe Eccleſiam, ut quaſi mox venturum judicem ſibi proponere debuerint fideles. Nec vero fallaci imaginatione deluſi fuerunt, quum ad excipiendum Chriſtum ſingulis fere momentis parati eſſent. talis enim ab Euangelii promulgatione fuit Eccleſiæ ſtatus, ut vere & proprie totum illud tempus vocetur extremum. Proinde qui jam à multis ſeculis ſunt mortui, non minus quam nos, ſub noviſſimis diebus vixerunt. Subſannant hac in parte ſimplicitatem noſtram vafri & naſuti homines, quibus fabuloſum eſt quicquid de carnis reſurrectione & ultimo judicio credimus. Sed ne ſuis ludibriis fidem noſtram labefactent, exadverſo nos Spiritus (2 Pet. 3. verſ. 8.) ſanctus admonet, primum mille annos coram Deo inſtar diei unius eſſe: ut quoties de regni cæleſtis æternitate cogitamus, nullum nobis tempus videri longum debeat. Deinde ex quo Chriſtus expletis omnibus ſalutis noſtræ partibus in cælum aſcendit, æquum eſſe ut continua ſecundæ ejus revelationis expectatione ſuſpenſi, unumquemque diem perinde reputemus ac poſtremum.

26. *Voluntarie enim.*] Oſtendit quam ſevera Dei ultio manet eos omnes qui à Chriſti gratia deficiunt: quia privati unica ſalute, jam quaſi certo exitio devoti ſint. Hoc teſtimonio ſe olim armavit Novatus cum ſua factione, ut omnibus poſt Baptiſmum lapſis promiſcue ſpem veniæ tolleret. Qui diluere ejus calumniam non poterant, fidem huic Epiſtolæ derogare maluerunt quam tantæ abſurditati ſubſcribere. Atqui genuina loci expoſitio quamvis alieno ſuffragio non adjuta, ſatis per ſe ad refellendam Novati impudentiam valebit. *Peccantes* vocat Apoſtolus, non qui in quovis genere delinquunt, ſed qui prorſus deſerta Eccleſia ſe à Chriſto alienant. Non enim hic de hoc vel illo peccati genere tractat, ſed eos nominatim arguit, qui ultro ſe ab Eccleſiæ ſocietate abdicabant. Porro multum intereſt inter particulares lapſus, & univerſalem ejuſmodi defectionem, qua fit ut à Chriſti gratia in totum excidamus. Quia autem nemini hoc contingere poteſt niſi qui jam illuminatus fuit: ideo dixit, Voluntarie poſt acceptam veritatis notitiam peccantibus. acſi diceret, Qui ſciens ac volens gratiam quam adeptus erat, abjecerit. Nunc videre eſt quantum hæc doctrina à Novati errore diſſideat. Quod autem ſolos apoſtatas hic comprehendat Apoſtolus, patet ex contextu: hoc enim agit, ne Eccleſiam deſerant qui ſemel in eam fuerant cooptati, quemadmodum ſoliti quidam eſſent. Nunc talibus nullam reſtare amplius hoſtiam pronunciat, quia voluntarie peccent poſt acceptam veritatis notitiam. atqui peccatoribus qui uno aliquo in genere lapſi ſunt, Chriſtus ſe quotidie offert, ut non alia hoſtia quærenda ſit expiandis eorum peccatis. Hoſtiam ergo iis reſiduam eſſe negat, qui à Chriſti morte diſcedunt: quod non fit particulari aliquo delicto, ſed abjecta in totum fide. Hæc Dei ſeveritas tametſi horrenda eſt, & ideo proponitur ut terrorem incutiat: non poteſt tamen inſimulari ſævitiæ. Nam quum mors Chriſti unicum ſit remedium quo ab æterna morte liberamur: qui vim illius ac beneficium, quantum in ſe eſt, abolent, nonne digni ſunt quibus præter deſperationem nihil reliquum fiat? Qui in Chriſto manent, eos ad quotidianam reconciliationem Deus invitat, *quotidie irrigantur Chriſti ſanguine*, quotidie expiantur eorum peccata perpetuo ejus ſacrificio. Si extra eum non eſt quærenda ſalus, ne miremur omnes qui eum ſponte relinquent, omni ſpe veniæ privari. Hoc ſibi vult adverbium ἔτι, vel Amplius. Chriſti enim ſacrificium uſque ad mortem piis eſt efficax, etiamſi ſubinde peccent. Imo propterea vigorem ſuum ſemper retinet: quia fieri non poteſt ut vacui ſint peccato, quamdiu in carne habitant. Eos igitur ſolos notat Apoſtolus, qui Chriſtum impie deſerendo, mortis ejus beneficio ſe privant. Membrum illud, *Poſt acceptam veritatis notitiam*, exaggerandæ ingratitudinis cauſa poſitum eſt. nam qui ſponte ac deliberata improbitate lucem Dei in corde ſuo accenſam extinguit, nihil habet quod ad ſe excuſandum Deo objiciat. Proinde diſcamus non modo oblatam nobis veritatem reverenter promptaque animi docilitate amplecti, ſed in ejus notitia conſtanter perſtare, ne tam atroces ejus contemptæ pœnas demus.

27. *Sed terribilis expectatio.*] Cruciatum malæ conſcientiæ ſignificat quem ſentiunt impii, qui non modo guſtum gratiæ nullum habent, ſed percepto ejus guſtu, ſua culpa in perpetuum ſe abdicatos eſſe norunt. Tales non pungi tantum ac morderi, ſed horrendum in modum torqueri ac laniari neceſſe eſt. Hinc fit ut adverſus Deum contumaciter fremant, quoniam tam ſeverum judicem ferre nequeunt. Tentant quidem omnia ut ſenſum iræ Dei à ſe amoliantur: ſed fruſtra id faciunt. nam ſimulac breves illis inducias Deus conceſſit, mox ad tribunal ſuum retractos, tormentis quæ maxime fugiunt,

eos

eos exagitat. Addit *ignis zelum:* quo poſteriore nomine vehementem impetum, aut violentum ardorem (meo judicio) ſignificat. In voce Ignis trita eſt metaphora. quemadmodum enim nunc impii divinæ iræ formidine æſtuant, ita præſenti ſenſu tunc conflagrabunt. Nec me latet, ſophiſtas argute de hoc igne philoſophari: ſed eorum commenta nihil
Eccl. 7. moror, quum palam ſit, dum Scriptura Ignem cum
verſ. 9. Verme conjungit, eandem eſſe loquendi rationem. Atqui nemo dubitat quin metaphorice Vermem appellet dirum illud conſcientiæ tormentum quo roduntur impii. *Qui devorabit adverſarios.* Sic vorabit ut perdat, non conſumat: quia inextinguibilis erit. Atque ita admonet, in Chriſti hoſtibus cenſeri quicunque datum ſibi inter fideles locum tenere recuſaverint. Neque enim media eſt conditio, quin Satanæ ſe addicant qui ab Eccleſia diſcedunt.

Deut. 19. 28. Qui abjecerit Legem Moſis, ſine miſericordia ſub duobus aut tribus teſtibus moritur.
verſ. 17. 29. Quanto putatis graviore dignus judicabitur ſupplicio qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit?
Deut. 22. 30. Novimus enim quis dicat, Mihi vindictam, & ego rependam, dicit Dominus. Et
verſ. 35. rurſum, Dominus judicabit populum ſuum.
31. Horribile eſt incidere in manus Dei viventis.

28. *Qui abjecerit.*] Argumentum à minori ad majus. nam ſi capitale fuit Legem Moſis violare, quanto graviorem meretur pœnam Euangelii rejectio quæ tot ac tam atrocibus ſacrilegiis eſt implicita? Aptiſſima porro ad Judæos permovendos hæc ratiocinatio fuit. illa tam ſevera in Legis apoſtatas animadverſio neque nova illis, neque æquo durior videri poterat. Ergo juſtam agnoſcere debent quantumvis ſeveram ultionem, qua hodie Euangelii ſui majeſtatem Deus ſancit. Cæterum hinc confirmatur quod jam prius dixi, non de particularibus peccatis Apoſtolum diſputare, ſed de univerſali abnegatione Chriſti. neque enim Lex quaſvis transgreſſiones morte puniebat, ſed apoſtaſiam, ſiquis prorſus à religione deſciſceret. Reſpexit enim Apoſtolus ad ſententiam illam quæ habetur Deut. cap. 17. v. 2. Siquis violet pactum Dei tui, ut ſerviat diis alienis, educes eum extra portam, & lapidibus obrues. Quanquam autem Lex à Deo profecta eſt, nec auctor ejus fuit Moſes, ſed miniſter duntaxat: Apoſtolus tamen Legem Moſis appellat, quia per manum ejus tradita fuit: ut magis amplificet Euangelii dignitatem quod à Filio Dei proditum eſt. *Sub duobus aut tribus.* Hoc nihil ad præſentem locum facit, ſed pars eſt politiæ Moſaicæ, quod duo vel tres flagitantur teſtes ad reum peragendum. Inde tamen certius colligimus quale crimen Apoſtolus voluerit: niſi enim hoc fuiſſet additum, aperta fuiſſet feneſtra pluribus falſis conjecturis. Nunc autem extra controverſiam eſt, de apoſtaſia ſermonem haberi. Interea tamen obſervanda eſt illa æquitas quam ſequuti ſunt politici fere omnes, ne quis niſi duorum teſtimonio convictus damnetur.

29. *Qui Filium Dei concule.*] Hoc ſimile eſt inter Legis & Euangelii apoſtatas, quod utrique ſine miſericordia pereunt. ſed genus interitus eſt diverſum: nam contemptoribus Chriſti non corporis tantum mortem denunciat Apoſtolus, ſed æternum exitium. itaque his deterius ſupplicium manere dicit. Tribus autem loquendi formulis Chriſtianiſmi deſertionem exprimit. Dicit enim hoc modo conculcari Filium Dei, profanari ejus ſanguinem, & *Spiritum gratiæ contumelia affici.* Gravius autem eſt conculcare, quam abjicere: & longe alia eſt Chriſti dignitas, quam Moſis. adde quod non ſimpliciter Euangelium Legi, ſed Chriſti & Spiritus ſancti perſonam, unius Moſis perſonæ opponit. *Sanguinem Teſtamenti.* Comparatione beneficiorum ingratitudinem auget. Valde indignum eſt, ſanguinem Chriſti, qui ſanctificationis noſtræ materia eſt, profanare. hoc vero faciunt qui deſciſcunt à fide. nam fides noſtra non in nudam doctrinam reſpicit, ſed in ſanguinem quo ſancita eſt noſtra ſalus. Ideo vocat Sanguinem Teſtamenti, quia tunc demum ratæ ſunt nobis promiſſiones quum accedit pignus illud. ſed modum confirmationis notat, quum dicit nos ſanctificatos: quia nihil prodeſſet fuſus ſanguis niſi nos per Spiritum ſanctum eo irrigaremur. unde & expiatio & ſanctitas. Simul tamen alludit Apoſtolus ad veterem aſperſionis ritum, qui ad veram ſanctificationem non valebat, ſed ejus tantum umbra erat vel imago.

Spiritum gratiæ.] Spiritum gratiæ vocat ab effectu, per quem & cujus virtute oblatam in Chriſto gratiam percipimus. Nam is eſt qui fide mentes noſtras illuſtrat, qui Dei adoptionem obſignat cordibus noſtris, qui nos regenerat in vitæ novitatem, qui nos in Chriſti corpus inſerit ut vivat in nobis, & nos in ipſo. Merito itaque Spiritus gratiæ appellatur, per quem noſter fit Chriſtus cum omnibus ſuis bonis. hunc vero contumelia afficere, à quo tot tantiſque beneficiis affecti ſumus, nimis ſceleſta eſt impietas. Hinc collige, in Spiritum Dei contumelioſos eſſe omnes qui gratiam ejus qua donati erant, ſponte inutilem reddunt. Quare nihil mirum ſi ejuſmodi ſacrilegia Deus tam acriter vindicet: nihil mirum ſi inexorabilem ſe iis præbeat qui Chriſtum mediatorem pedibus calcarunt, qui ſolus eum nobis exorat: non mirum ſi viam ſalutis præcludat iis qui unicum ducem Spiritum ſanctum repulerunt.

30. *Novimus enim quis dicat.*] Uterque locus ex Deut. cap. 23. v. 35. ſumptus eſt. Quum autem illic Moſes Deum illatas populo ſuo injurias ulturum promittat, videtur improprie ac violenter huc torqueri quod meminit de vindicta. Quid enim nunc agit Apoſtolus? nempe eorum impietatem non fore impunitam qui Deo illuſerint. Et Paulus ad Rom. 12. v. 19. genuinam loci intelligentiam ſequutus, alio accommodat. Nam dum vult ad patientiam nos hortari, jubet ut Deo locum demus ad vindictam ſumendam, quia hæ ſint ejus partes: atque id probat hoc Moſis teſtimonio. Verum nihil obſtat quominus ſpeciales ſententias transferamus ad doctrinam univerſalem. Tametſi ergo conſilium Moſis eſt fideles conſolari, quia Deum habituri ſint injuriarum ſuarum vindicem: tamen ex ejus verbis colligere ſemper licet, proprium Dei officium eſſe pœnas ſumere de impiis. Nec ejus teſtimonio abutitur qui inde probat non impunitum fore contemptum Dei, quia ipſe juſtus ſit judex qui munus vindicandi ſibi aſſerat. Quanquam poſſet hic etiam Apoſtolus ratiocinari à minori ad majus, hoc modo, Deus ſe paſſurum negat ut populus ſuus impune lædatur: ſeque profitetur certum fore ultorem. Si inultas hominum injurias non ſinit, an ſuas ipſius non vindicaret? an adeo parvam habebit vel nullam gloriæ ſuæ curam ac rationem, ut, quum probro afficitur, diſſimulet ac negligat? Sed illud ſimplicius eſt ac minus coactum, ut Apoſtolus tantummodo oſtendat Deum non impune ludibrio habitum iri, quum ejus proprium ſit munus, impiis rependere quod meriti ſunt. *Judicabit populum ſuum.* Hic

eadem ant major oritur difficultas, quia non videtur congruere Moſis ſenſus cum præſenti inſtituto. Videtur Apoſtolus ita citare honc locum, acſi Judicare poneret Moſes pro Punire. Atqui quum expoſitionis vice continuo poſt addat, Erga ſanctos ſuos erit miſericors: inde liquet, illud Judicandi verbum accipi pro Gubernatorem agere: ut frequens eſt linguæ Hebraicæ uſus. videtur autem id parum facere ad præſentem cauſam. Verum qui omnia recte expenderit, huoc quoque locum apte & commode adduci agnoſcet. neque enim gubernare poteſt Deus Eccleſiam ſuam quin eam purget, ac quæ illic confuſa ſuot, in ordinem reſtituat. Proiode hæc gubernatio hypocritis merito formidabilis eſſe debet, qui tunc daturi ſunt pœnas, quod locum ſibi inter pios uſurpaverint, & ſacro Dei nomine perfide fuerint abuſi: quum ipſe paterfamilias conſtituendæ domus ſuæ curam ſuſcipiet. Hoc ſeoſu dicitur Deus exurgere ad populum ſuum judicandum, quum vere pios ab hypocritis diſcernit, Pſal. 50. v. 1. Et Pſal. 125. v. 3. ubi de exterminandis hypocritis loquitur Propheta, ne amplius gloriari audeant, quia ipſis Deus indulget, ſe ex Eccleſia eſſe: pacem Iſraëli denunciat, poſtquam hoc judicium completum fuerit. Non ergo intempeſtive Apoſtolus, dum admonet Deum Eccleſiæ ſuæ præeſſe, ac nihil omittere quod ad legitimam gubernationem faciat, quo ſollicite ſe contiocre diſcant omnes ſub ejus imperio, ac meminerint reddendam eſſe ſuo Judici rationem. Inde concludit, *Horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis:* quia mortalis homo, ut ſit infeſtiſſimus, non poteſt tamen ultra mortem ſævire: at Dei potentia tam anguſtis limitibus finita non eſt. Præterea ſæpe eludimus homines: Dei judicium effugere non licebit. Itaque quiſquis ſibi cum Deo eſſe negotium reputabit, eum (niſi valde ſit ſtupidus) ſerio trepidare & expaveſcere neceſſe eſt. imo fieri nequit quin ille Dei ſenſus totum hominem abſorbeat: ut nulli dolores vel cruciatus cum eo ſint conferendi. Denique quoties nobis delicias facit caro oostra, vel nobis ullo modo in peccatis blandimur: hæc ſola admonitio ſufficere ad nos excitandos debet, quod horribile ſit iocidere in manus Dei viventis: cujus ira tot ac tam horrendis in æternum exitium pœnis armata eſt. Videtur tamen vox illa Davidis cum hac ſenteotia *2 Sam. 24.*
pugnare, dum melius eſſe exclamat incidere in ma- *verſ. 14.*
nus Dei, quam hominum. Sed hujus quæſtionis facilis erit ſolutio, ſi cogitemus Davidem fiducia miſericordiæ Dei fretum, potius eligere ipſum judicem, quam homioes. tametſi enim Deum ſibi jure iratum eſſe noverat, placatum tamen iri confidit: quia in ſe proſtratus, nihilominus promiſſione gratiæ erigebatur. Ergo quum exorabilem ſibi Deum ſtatuat, non mirum eſt ſi ejus iram minus reformidet quam hominum. Hic autem Apoſtolus iram Dei formidabilem reprobis eſſe pronunciat, qui ſpe obtinendæ veniæ deſtituti, nihil præter extremam ſeveritatem expectant, quia jam gratiæ aditum præcluſerint. Scimus autem Deum varie deſcribi pro ratione hominum ad quos ſermo habetur. Atque hoc eſt quod vult David Pſal. 18. v. 27. Cum benigno benigous eris, cum perverſo perverſus.

32. Recordamini dierum ſuperiorum, quibus illuminati multum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum:

33. Partim dum probris & afflictionibus fuiſtis traducti, partim dum ſocii facti eſtis eorum qui ſic converſabantur.

34. Etenim vinculis meis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum ſuſcepiſtis cum gaudio, ſcientes vos habere meliorem ſubſtantiam in cælis, & manentem.

35. Ne abjiciatis igitur fiduciam veſtram quæ remunerationem magnam habet.

32. *Recordamini.*] Ut ſtimulos illis addat, & alacritatem exciiet ad pergendum, revocat illis in memoriam quæ prius ediderant pietatis ſpecimina. Turpe eoim eſt quum bene cœperis, in medio curſu fatigari: turpius vero retrocedere, quum jam magoos feceris progreſſus. Hæc demum utilis eſt anteactæ militiæ recordatio, ſi fideliter ac ſtrenue nos ſub Chriſto geſſimus: non ut prætextum quæramus ignaviæ, quaſi defuncti jam eſſemus: ſed ut ad curſum qui nobis reſtat, perficiendum reddamur paratiores. Neque enim hac conditione nos Chriſtus adſcivit, ut poſt aliquot aooos, tanquam milites emeriti, petamus miſſionem: ſed ut noſtra ſtipendia ad finem uſque perſequamur. Porro exhortationem amplificat quum dicit, egregia ſtratagemata jam tuoc edidiſſe ipſos quo tempore adhuc novitii erant tirones: quo magis pudendum eſſet, ſi ounc longo uſu exercitati deficiant. Nam participium *illuminati*, ad tempus illud reſtringitur quo primum cœperaut Chriſto nomeo dare. acſi diceret, Simulatque initiati fuiſtis io fidem Chriſti, ſubiiſtis dura arduaque certamina: nunc uſus ipſe confirmare vos debuit, ut ſitis aoimoſiores. & tameo ſimul admonet, hoc Dei beneficio conſequutos, ut crediderint, non proprio Marte. illuminantur enim qui & ante in tenebris erant demerſi: nec oculis præditi ſunt quibus videaot, niſi lux aliunde affulgeat. Ergo quoties oobis in mentem veniunt quæ egimus vel ſumus paſſi pro Chriſto, totidem ſint nobis ſtimuli qui oos ad meliorem profectum acuant.

33. *Partim dum probris.*] Videmus quos compellet, nempe quorum fides non vulgaribus experimentis probata fuerat: & tamen hortari eos ad majora non deſinit. quare nemo ſe perverſa adulatione fallat, acſi metam attigiſſet, vel non opus haberet alieois ſtimulis. Dicit autem ipſos *fuiſſe traductos probris & afflictionibus*, acſi in theatrum producti eſſent. unde colligimus inſignes fuiſſe perſequutiones quas ſuſtiouerant. Sed poſterius membrum diligenter notandum eſt, ubi dicit ſocios fuiſſe piorum in perſequutiooibus. Nam quum Chriſti ſit cauſa pro qua certant pii omnes, & inter eos ſit communis: quicquid unus eorum patitur, quaſi in ſuam perſonam transferre debent reliqui omoes. atque omnino ſic agendum eſt, niſi velimus nos à Chriſto ipſo disjungere.

34. *Suſcepiſtis cum gaudio.*] Non dubium eſt quin ut homines eraot affectibus obnoxii, mœrorem illis attulerit bonorum ſuorum jactura. Verum talis fuit eorum triſtitia quæ gaudium hoc de quo loquitur Apoſtolus, non impediret. quia paupertas inter res adverſas cenſetur, bonorum direptio in ſe conſiderata, dolore eos tangebat: ſed quum altius reſpicerent, gaudii materiam concipiebant, quo illud quicquid erat doloris, leniebatur. ſic enim ſenſus ooſtros cæleſtis remunerationis aſpectu à mundo abduci convenit. Neque aliud dico quam quod experiuotur pii omnes. Et certe læti amplectimur quod perſuaſi ſumus ceſſurum nobis in ſalutem: hunc autem proculdubio ſenſum habent filii Dei de certamioibus quæ pro Chriſti gloria ſuſcipiunt. Itaque nunquam in illis dolore obruendis ita prævalet carois affectus, quin erectis in cælum mentibus emergant in ſpirituale gaudium. Atque hoc deſignat ratio quam ſubjicit: *Scientes*, inquit, *vos habere meliorem ſubſtantiam in cælis, & manentem.* Læti ergo, bonorum ſuorum direptionem tolerabant: non quod libenter illis ſpoliari

Digitized by Google

liari ſe viderent, ſed quia animis intenti in compenſationem, facile conceptum ex præſentis mali ſenſu dolorem obliviſcebantur. Et ſane ubicunqoe viget cæleſtium bonorum guſtus, non uſque adeo ſapit mundus cum ſuis illecebris, ut vel paupertatis, vel ignominiæ ſenſus dolore animos obruat. Ergo ſi patienter & æquis animis quidvis pro Chriſto velimus ferre, ad frequentem ejus felicitatis meditationem aſſueſcamus, præ qua quiſquiliæ ſunt omnia mundi bona. Nec prætereundum eſt quod dicit, *Scientes vos habere*: niſi enim quis ſtatuat ad ſe pertinere quam Deus hæreditatem filiis ſuis promiſit, frigebit univerſalis cognitio.

35. *Ne abjiciatis igitur.*] Oſtendit quid nos maxime ad perſeverantiam confirmet, nempe ſi fiduciam noſtram retineamus: quandoquidem ea abjecta, ipſi nos propoſita mercede fraudamus. unde apparet, ipſam pie ſancteque vivendi fundamentum eſſe. Quod autem *remunerationis* nomine utitur, eo nihil diminuit de gratuita ſalutis promiſſione. ſic enim norunt fideles ſuum laborem in Domino non eſſe fruſtraneum, ut ſola Dei miſericordia nitantur. Sed hac de re alibi ſæpius dictum eſt, quomodo ſcilicet Mercedis nomen cum gratuita juſtitiæ imputatione non pugnet.

36. Patientia enim opus habetis: ut quum voluntatem Dei feceritis, obtineatis promiſſionem.

37. Adhuc enim puſillum temporis, quando qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.

38. Juſtus autem ex fide vivet. & ſi ſubductus fuerit, non oblectabitur anima mea in eo.

39. Nos autem non ſumus ſubductionis in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

Cap. XI.

Porro fides eſt rerum ſperandarum ſubſtantia, demonſtratio eorum quæ non videntur.

36. *Patientia enim opus.*] Patiéntiam dicit neceſſariam eſſe, non tantum quia in finem uſque durandum eſt, ſed quia innumeras artes habet Satan quibus nos obturbet. itaque niſi mira tolerantia eſſemus inſtructi, millies frangeremur antequam ad dimidium curſus noſtri ſpatium ventum eſſet. Hæreditas quidem vitæ æternæ jam certa nobis eſt: ſed quia vita hæc inſtar ſtadii eſt, eniti ad metam oportet, In ipſa autem via plurima obſtacula & difficultates occurrunt, quæ non tantum nos morentur, ſed curſum noſtrum prorſus abrumpant, niſi ingens adſit animi fortitudo ad eluctandum. Moleſtias omne genus aſtute ingerit Satan quibus nos ennimet. Denique nunquam duos paſſus conficient Chriſtiani abſque fatigatione, niſi ſe tolerantia ſuſtentent. Proinde hæc ſola ratio eſt qua conſtanter pergamus: aliter neque parebimus Deo, neque unquam potiemur hæreditate promiſſa quæ hic metonymice *promiſſio* vocatur.

37. *Adhuc enim puſillum temporis.*] Ne moleſtum nobis ſit tolerare, admonet non longum fore tempus. Porro nihil eſt quod magis ad ſublevandos animos valeat ſiquando labaſcant, quam dum ſpes datur brevis ac propinqui exitus. quemadmodum ſi Imperator non procul eſſe finem belli militibus oſtendat, modo paululum adhuc ſuſtineant: ita Apoſtolus, modo animi noſtri per mollitiem non concidant, brevi Dominum venturum admonet qui nos eripiat en omnibus malis. Porro ut plus fidei & auctoritatis habeat conſolatio, teſtimonium Prophetæ Habacuc adducit en capite 2. v. 4. Sed quum Græcam tranſlationem ſequutus, aliquantum diſcedat à Prophetæ verbis, primum breviter exponam quid dicat Propheta: deinde conferemus quæ Apoſtolus hic recitat. Quum de horribili gentis ſuæ clade diſſeruiſſet Propheta, expavefactus ſuo vaticinio, nihil habet reliquum, niſi ut quaſi mundum egreſſus, in ſpeculam ſe recipiat. Specula autem noſtra, Dei verbum eſt, quo in cælum uſque erigimur. Sic in ſtatione ſua collocatus, jubetur novam prophetiam ſcribere, quæ ſalutis fiduciam piis afferat. Quoniam tamen natura importuni ſunt homines, ac vota ſua uſque adeo præcipitant, ut ſemper tardum eſſe Deum putent, quamvis maxime feſtinet: promiſſionem ſine mora venturam dicit. Quanquam ſimul addit, Si moram fecerit, illam expecta. Quo ſignificat, non tam cito futurum quod Deus promittit quin videatur nobis ſero venire: ſicut fertur veteri proverbio, Etiam celeritas in deſiderio mora eſt. Sequitur poſtea, Ecce, ejus qui ſe erigit, non erit anima in ipſo ſtabilis: at juſtus per fidem ſuam vivet. Quibus verbis denunciat, impios, quibuslibet præſidiis muniti ſint, aut confidant, non ſtaturos: quia ſolida vita nonniſi in fide conſiſtat. Muniant ergo ſe increduli ut libuerit, nihil in toto mundo niſi caducum reperient, ut neceſſe habeant identidem trepidare. at pios fides ſua nunquam fruſtrabitur, quia in Deum recumbit. hic Prophetæ ſenſus eſt. Nunc Apoſtolus quod de promiſſione dicit Abacuc, ad Deum transfert. Verum quia Deus promiſſiones ſuas implendo, ſeipſum quodammodo oſtendit: ideo quantum ad rei ſummam parvum eſt diſcrimen. Venit, inquam, Dominus quoties manum ſuam exerit ad nos juvandos. Brevi hoc futurum dicit Apoſtolus poſt Prophetam: quia Deus auxilium ſuum non longius differt quam expedit. neque enim tempus extrahendo, fruſtra nos lactat, ſicuti homines ſolent: ſed opportunitatem ſuam novit, quam effluere non patitur quin ſubveniat in ipſo articulo. Dicit autem, *Qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.* Cujus ſententiæ duo ſunt membra. priore docemur adfuturum nobis Deum, quia promiſit: ſecundo, id facturum tempeſtive, nec ſerius quam oportet.

38. *Juſtus autem.*] Significat tolerantiam ex fide naſci: quod verum eſt. neque enim ad ſuſtinenda certamina pares unquam erimus niſi fide ſuffulti. Sicuti econverſo Joannes vere pronunciat victoriam 1 Joan. 5.
eſſe noſtram quæ vincit mundum. Hæc eſt qua in al- verſ. 4.
tum conſcendimus: hæc eſt qua tranſilimus omnia præſentis vitæ diſcrimina, omneſque miſerias & moleſtias: hæc nobis in mediis procellis & tempeſtatibus quieta eſt ſtatio. Ergo Apoſtolus exprimere voluit, quicunque juſti cenſentur coram Deo, non aliter quam fide vivere. Cæterum in verbo *vivendi*, futurum tempus, vitæ perpetuitatem deſignat. Reliqua ex primo ad Romanos cap. v. 7. & ad Galatas 3. v. 11. petant lectores, ubi idem citatur locus. *Et ſi ſubductus fuerit.* Pro eo quod dicit Propheta, עפלה: hoc eſt, ubi fuerit elatio vel munitio, recta hominis anima in eo non manebit: Græci reddiderunt quod

hic refert Apoſtolus. quod partim cum mente Prophetæ congruit, partim vero ab ea eſt alienum. Nam ſubductio hæc nihil aut parum differt ab elatione qua turgent impii: ſiquidem quod præfracte adverſus Deum inſurgunt, ideo fit quia perverſa confidentia inebriati ſe eximunt ab ejus poteſtate, tranquillumque ſibi & ab omni malo immunem ſtatum promittunt. Subduci ergo dicuntur, dum falſas ejuſmodi munitiones opponunt, quibus à ſe propulſent omnem Dei timorem ac reverentiam. Itaque hoc verbo non minus fidei vis quam impietatis ingenium exprimitur. Superba enim ideo eſt impietas, quod debitum Deo honorem non tribuit, ut illi hominem ſubjiciat. Ex hac ſecuritate, ferocia & contemptu fit ut quamdiu bene eſt iniquis, nubibus, ut inquit ille, oppedere audeant. Quod ſi fidei nihil magis contrarium eſt quam ſubductio, hæc ejus natura eſt ut hominem à ſeipſo abductum Deo in obſequium tradat. Membrum illud, Non placebit animæ meæ: vel (ut ego plenius reddidi) *non oblectabitur in eo anima mea:* perinde accipiendum eſt acſi ex ſuo ſenſu Apoſtolus proferret hanc ſententiam. neque enim illi propoſitum fuit exacte recitare Prophetæ verba, ſed duntaxat locum notare, ut ad propiorem intuitum invitaret lectores.

39. *Non ſumus ſubductionis.*] Libenter Apoſtolus Græca translatione uſus eſt, quæ ſuperiori quam tractavit doctrinæ aptiſſime quadrabit, ſicut eam nunc eleganter accommodat. Prius admonuit ne Eccleſiam deſerendo, ſe tandem à fide & gratia Chriſti alienarent. nunc ita vocatos eſſe docet, ut nunquam ſubducant. Atque iterum fidem & ſubductionem inter ſe opponit, ſicuti acquiſitionem animæ, ejuſdem exitio. Notemus autem, hanc ſententiam ad nos quoque pertinere: nos enim quos ſemel dignatus eſt Deus Euangelii ſui luce, quia in ſalutem vocati ſumus, hunc agnoſcere debemus vocationis noſtræ finem, ut proficiamus magis ac magis in Dei obedientia, & aſſidue propius ad eum accedere conemur. Hæc vera eſt animæ acquiſitio: quia ſic agendo effugimus æternum interitum.

1. *Porro fides eſt.*] Quiſquis hic fecit initium capitis undecimi, perperam contextum abrupit. Nam Apoſtoli conſilium eſt probare quod dixerat, opus ſcilicet eſſe patientia. Citavit teſtimonium Habacuc, qui dicit juſtum fide ſua vivere. nunc quod reſtabat oſtendit, non magis à patientia fidem avelli quam à ſeipſa poſſe. Quare talis eſt orationis ſeries, Nunquam perveniemus ad ſalutis metam, niſi patientia ſimus inſtructi. Propheta enim juſtum fide victurum aſſerit. atqui fides ad res procul remotas nos vocat, & quibus nondum potimur. neceſſario igitur patientiam in ſe continet. Itaque in ſyllogiſmo hæc minor propoſitio erit, *Fides eſt ſubſtantia* &c. Unde etiam apparet longe falli eos qui juſtam definitionem hic poni exiſtimant: neque enim hic de tota fidei natura diſſerit Apoſtolus, ſed partem elegit ſuo inſtituto congruentem: nempe quod cum patientia ſemper conjuncta ſit. Nunc verba expendamus. Hypoſtaſin vocat *rerum quæ ſperantur.* ſcimus autem ſperari non quæ nobis ad manum ſunt, ſed quæ adhuc latent: vel quorum ſaltem fruitio in aliud tempus rejicitur. Idem ergo nunc docet Apoſtolus quod Paulus ad Romanos cap. 8. v. 24. poſtquam enim dixit, Non videri quod ſperatur: ex eo infert, per patientiam exſpectari. ſic Apoſtolus noſter admonet, non haberi Deo fidem de præſentibus, ſed quorum expectatio adhuc ſuſpenſa eſt. Nec vero gratia caret antilogiæ ſpecies. Fides, inquit, eſt hypoſtaſis, hoc eſt, fultura vel poſſeſſio in qua pedem figimus. ſed quarum rerum? abſentium, quæ adeo pedibus noſtris non ſubjacent, ut longe ſuperent ingenii noſtri captum. Eadem eſt ratio ſecundi membri, ubi elenchum, id eſt, demonſtrationem vocat rerum non apparentium. demonſtratio enim facit ut res appareant. vulgo non pertinet niſi ad ea quæ ſub ſenſus noſtros cadunt. Itaque pugnant hæc duo in ſpeciem, & tamen optime conveniunt ubi de fide agitur. Res enim abſconditas nobis demonſtrat Spiritus Dei, quarum nulla ad ſenſus noſtros pervenire poteſt cognitio. Nobis vita æterna promittitur, ſed mortuis: nobis ſermo fit de beata reſurrectione, interea putredine ſumus obvoluti: juſti pronunciamur, & habitat in nobis peccatum: audimus nos eſſe beatos, interea obruimur infinitis miſeriis: promittitur bonorum omnium affluentia, prolixe vero eſurimus & ſitimus: clamat Deus, ſtatim ſe nobis adfuturum, ſed videtur ſurdus eſſe ad clamores noſtros. Quid fieret niſi ſpei inniteremur, ac mens noſtra prælucente Dei verbo ac Spiritu per medias tenebras ſupra mundum emergeret? Quare merito fides, ſubſiſtentia vocatur rerum quæ in ſpe adhuc poſitæ ſunt, & evidentia non apparentium. Quod Auguſtinus pro elencho aliquoties convictionem tranſtulit, non diſplicet. nam fideliter Apoſtoli mentem exprimit. ſed ego Demonſtrationis aut Evidentiæ nomen malo: quia minus eſt coactum.

2. Per hanc enim teſtimonium conſequuti ſunt ſeniores.

Gen. 1: 3. 3. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut non apparentium ſpectacula
Joan. 1. verſ. 10. fierent.

Gen. 4: 4. 4. Fide Abel præſtantiorem hoſtiam quam Cain obtulit Deo: per quam teſtimonium
Mat. 23. obtinuit, quod juſtus eſſet, teſtimonium reddente Deo ejus donis: & per ipſam mortuus
verſ. 35. adhuc loquitur.

2. *Per hanc enim teſtimonium.*] Tractabit hoc argumentum uſque ad finem capitis, non aliunde ſalutem adeptos eſſe Patres, aut Deo gratos fuiſſe quam ex fide. Erat aliqua ratio cur Judæi Patribus ſuis multum deferrent: ſed præpoſtera quædam Patrum admiratio ſic inter eos obtinuerat, ut magnum impedimentum eſſet quominus ſe totos Chriſto gubernandos permitterent: ſive hoc ambitio faciebat, ſive ſuperſtitio, ſive utrumque. Nam quum audirent benedictum ac ſanctum eſſe Abrahæ ſemen: hoc elogio inflati, in homines potius quam in Deum conjiciebant oculos. Deinde accedebat perverſa æmulatio, quia non conſiderabant quid in Patribus maxime imitatione dignum eſſet: ita fiebat ut ceremoniis veteribus inſiſterent, acſi tota religio perfectaque ſanctitas illis conſtaret. Hunc errorem refellit Apoſtolus, ac docet quid in illis fuerit præcipuum, ut intelligant poſteri quomodo vera futuri ſint illorum ſimiles. Ergo meminerimus hunc eſſe ſtatum & quaſi cardinem in quo verſatur oratio Apoſtoli, Patres quicunque ab initio mundi Deo probati fuerunt, non aliter quam fide illi fuiſſe conjunctos: ut ſciant Judæi ſola fide ſe colligari cum Patribus in ſanctam unitatem: ſimul vero atque à fide diſceſſerint, ſe abdicari ab Eccleſia, nec jam legitimos eſſe Abrahæ filios, ſed degeneres ac ſpurios.

3. *Fide intelligimus.*] Optima proximæ ſententiæ hæc probatio eſt. nihil enim à brutis animalibus differimus, ſi non tenemus mundum à Deo eſſe conditum. quorſum enim ratione ac intellectu præditi ſunt homines, niſi ut Creatorem ſuum agnoſcant? Atqui ſola fide percipimus mundum à Deo eſſe creatum: ergo nihil mirum ſi fides in Patribus emineat præ aliis virtutibus. Verum hic quæri poteſt cur fide intelligi aſſerat Apoſtolus quod infideles ipſi cognoſcunt. Nam impios etiam cogit cœli

ac

Digitized by Google

ac terræ aſpectus, ut opificem aliquem agnoſcant. *Rom. 1. verſ. 21.* Atque hinc Paulus reos ingratitudinis omnes peragit: quia poſtquam Deum cognoverint, debitum illi honorem non tribuant. Et certè non ita ſemper viguiſſet inter omnes populos religio, niſi hac perſuaſione occupatæ fuiſſent hominum mentes, Deum eſſe mundi conditorem. Videtur itaque extra fidem locum habere hæc cognitio quam Apoſtolus in fide includit. Reſpondeo, aliquam ſemper fuiſſe ejuſmodi opinionem inter Gentes, quod mundus à Deo eſſet conditus: ſed evanidam. Simul enim ac Deum aliquem imaginati ſunt, mox evaneſcunt in ſuis cogitationibus, ut umbram incerti numinis palpent in tenebris potius quam verum Deum teneant. præterea quum fluxa tantum ſit opinio quæ in eorum mentibus volitat, procul diſtat ab intelligentia. Adde quod in mundo gubernando regnum fortunæ aſſignant: providentiæ Dei, quæ ſola eſt moderatrix, nulla mentio. Cæcutiunt itaque hominum mentes ad hanc naturæ lucem quæ in creaturis omnibus refulget, donec irradiatæ Spiritu Dei, fide intelligere incipiant quod alioqui nunquam caperent. Quare veriſſime Apoſtolus, qui talem fidei intelligentiam adſcribit: nam fideles non tantum leviter opinantur Deum eſſe mundi architectum, ſed perſuaſionem penitus animis infixam habent, ac verum Deum intuentur. Deinde potentiam verbi ejus apprehendunt, non quæ ſe ad momentum in creando mundo oſtenderit, ſed quæ perpetuo in ejus conſervatione ſe proferat: nec potentiæ modo ſenſum concipiunt, ſed bonitatis & ſapientiæ & æquitatis: unde ad Dei cultum, amorem, ac reverentiam incitantur. *Ut non apparentium.* In hoc membro hallucinati ſunt, meo judicio, omnes Interpretes. Hinc autem natus eſt error quod præpoſitionem ἐκ ſeparant à participio φαινομένων. Ita exponunt, Ut fierent viſibilia ex non apparentibus. Atqui ex his verbis vix ullus ſenſus elici poteſt: ſaltem niſi valde jejunus. deinde orationis contextus hoc non patitur: dicendum enim erat, ἐκ μὴ φαινομένων. alia autem apud Apoſtolum eſt ſeries. Quare aliter, ſi quis verbum è verbo transferre velit, non poteſt hoc membrum exponi quam ſic, Ut non apparentium fierent viſa, hoc eſt, ſpectacula: ut præpoſitio ἐκ ſit compoſita cum participio. Continent porro hæc verba optimam doctrinam, quod in hoc mundo conſpicuam habeamus Dei imaginem. Adeoque idem hoc loco docet Apoſtolus noſter quod Paulus ad Romanos cap. 1. v. 20. quum tradit inviſibilia Dei nobis patefieri ex mundi creatione, dum in operibus cernuntur. Æternæ ſuæ ſapientiæ, bonitati, potentiæ Deus luculentum teſtimonium reddit in tota mundi architectura: & quum in ſe ſit inviſibilis, nobis quodammodo in ſuis operibus apparet. Quare eleganter mundus divinitatis ſpeculum nominatur: non quod ſatis ſit hominibus perſpicaciæ ad Deum ex mundi aſpectu cognoſcendum: ſed ita ſe impiis patefacit, ut excuſatione careat eorum ignorantia. Fideles autem, quibus oculos dedit in ſingulis creaturis, velut emicantes gloriæ ejus ſcintillas cernunt. Certe in hunc finem conditus eſt mundus, ut eſſet divinæ gloriæ theatrum.

4. *Fide Abel.*] Poſthac diſputabit, quæcunque unquam eximia fuerunt Sanctorum opera, pretium ſuum, dignitatem, & quicquid habuerunt præſtantiæ, à fide mutuata eſſe. unde conficitur quod jam prius dixit, Patres ſola fide placuiſſe Deo. Porro duplici nomine fidem hic commendat: propter obedientiam ſcilicet, quia nihil niſi ex præſcripto verbi Dei aggreditur aut ſuſcipit: deinde quia Dei promiſſionibus innixa, pretium ac dignitatem operibus ex mera Dei gratia conciliat. Ita quoties inculcabitur hoc capite Fidei nomen, meminerimus Apoſtolum hoc agere ut Judæi non aliam habeant fidei regulam quam Dei verbum: deinde ut à ſolis ejus promiſſionibus pendeant. Principio dicit *hoſtiam Abel* non alia ratione potiorem fuiſſe quam fratris, niſi quod fide ſanctificata fuit: nam certe adeps brutorum animalium non ita ſuaviter olebat, ut odore ſuo placare Deum potuerit. Et Scriptura facile oſtendit cur Deus gratas habuerit ejus hoſtias. verba enim Moſis ſunt, Reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus. ex quibus colligere promptum eſt, ideo placuiſſe ejus hoſtias, quia ipſe gratioſus eſſet Deo. Unde porro illa gratia, niſi quod habuit cor fide purgatum? *Teſtimonium perhibente.* Confirmat quod jam dixi, nulla à nobis proficiſci opera quæ Deo placeant, donec ipſi in gratiam recepti ſimus. vel (ut brevius loquar) nulla cenſeri coram Deo juſta opera, niſi juſti hominis. Sic enim ratiocinatur, Deus teſtimonium muneribus Abel reddidit: ergo juſtitiæ laudem coram Deo obtinet. Utilis eſt hæc doctrina, & eo diligentius notanda, quod non facile nobis perſuadetur: nam in quocunque opere ſplendor aliquis affulget, ſtatim admiratione rapimur, nec putamus poſſe à Deo jure improbari. Atqui Deus qui internam tantum cordis puritatem reſpicit, non moratur externas operum larvas. Diſcamus ergo nullum à nobis prodire rectum opus, donec juſtificati ſimus coram Deo. *Per ipſam mortuus.* Hoc etiam fidei fert acceptum, quod Deus Abelem ſibi curæ eſſe teſtatus eſt non minus poſt mortem, quam in vita. Nam quum dicit ipſum clamaſſe mortuum, ſignificat quod refert Moſes, Deum indigna ejus morte fuiſſe commotum ut vindictam ſumeret. quod ergo vel Abel, vel ejus ſanguis clamare dicitur, utrumque figuratum eſt. Porro ſingulare divini erga eum amoris hoc teſtimonium fuit, quod Deus curam habuit mortui: atque inde patet reputari inter Dei ſanctos, quorum mors illi pretioſa eſt.

Gen. 5. verſ. 14. 5. Fide Enoch translatus eſt ne videret mortem: neque inventus eſt, propterea quod Deus illum tranſtulerat. nam ante translationem ſuam teſtimonium adeptus erat quod placuiſſet Deo.

6. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: nam qui ad Deum accedit, eum credere oportet quod ſit, & quod remunerator ſit iis qui eum quærunt.

5. *Fide Enoch.*] Paucos deligit ex vetuſtiſſimis, ut ſibi ad Abraham & ejus poſteros tranſitum faciat. Fidei beneficio factum eſſe docet, ut Enoch translatus fuerit. In primis vero tenenda eſt cauſa cur inſolito modo eum Deus è terra ſubduxerit. Inſigne hoc fuit ſpecimen, unde omnes cognoſcerent quam charus eſſet Deo. Impietas & omnes corruptelæ ubique tunc graſſabantur, ſi vulgari hominum more mortuus fuiſſet, nemini veniſſet in mentem, ita ſervatum eſſe Dei providentia, ne contagione inficeretur: ſed quum rapitur ſine morte, palam ſe oſtendit è cælo Dei manus, ut eum quaſi ex incendio eripiat. Quare non vulgare hoc honoris ſignum eſt, quo Deus eum dignatur. Id Apoſtolus fide conſequutum eſſe affirmat. Refert quidem Moſes juſtum fuiſſe hominem, & coram Deo ambulaſſe. ſed quoniam juſtitia à fide incipit, merito hoc fidei tribuitur, quod dilectus fuerit Deo. Argutas quæſtiones quibus ſe curioſi homines torquere ſolent, negligere ſatius eſt. quærunt quid his duobus factum fuerit, Enoch & Elia. Poſtea ne videantur fruſtra quæſiiſſe, ſervari divinant uſque ad ultimum Eccleſiæ tempus: ut tunc repente prodeant in mundum. Ad hanc rem citatur Apocalypſis Joannis. hanc aëream philoſophiam

ſophiam levibus ingeniis relinquamus, quæ in ſolido ſtare nequeunr. Nobis ſufficiat quod eorum raptus, mors quædam fuerit eatraordinaria: nec dubitemus quin exuendi ſint mortali & corruptibili carne, ut cum aliis Chriſti membris in beatam immortalitatem renoventur.

6. *Sine fide autem.*] Hæc propoſitio eaemplis omnibus quæ Apoſtolus hoc capite recenſet, communis eſt: ſed quoniam nonnihil obſcuritatis habet, operæpretium eſt ejus ſenſum propius excutere. Nemo autem nobis melior erit interpres, quam is ipſe qui loquitur. itaque probatio quam continuo poſt ſubjicit, nobis vice eapoſitionis eſſe poteſt. Hæc (inquam) ratio eſt cur citra fidem nullus Deo placeat: quia nullus ad Deum unquam accedet niſi qui credet Deum eſſe, & ſtatuet remuneratorem eſſe omnibus qui eum quærunt. Si acceſſus ad Deum non patet niſi fide, ſequitur extra illam exoſos Deo eſſe omnes. Primum hinc oſtendit Apoſtolus quo modo gratiam nobis conciliet fides: nempe quia nobis ad colendum verum Deum magiſtra eſt: deinde quia nos de ejus voluntate certiores reddit, ne fruſtra nobis videamur eum quærere Hæc duo membra non leviter prætereunda ſunt: nempe ut ipſum eſſe Deum credamus: ſecundo, ut perſuaſi ſimus, non fruſtra ipſum à nobis quæri. Videtur quidem nihil hic magnum dici, quum poſtulat Apoſtolus ut credamus eſſe Deum. verum ſi propius attendas, reperies uberem hic ac reconditam ſublimemque doctrinam contineri. Tametſi enim Deum eſſe, extra controverſiam ab omnibus fere ponitur: niſi tamen nos Dominus in firma ſui cognitione retineat, ſubinde obrepunt variæ dubitationes quæ totum divinitatis ſenſum excutiant. Ad hanc certe vanitatem propenſum eſt hominis ingenium ut facile Deum obliviſcatur. Quanquam non boc tantum vult Apoſtolus, ut certo perſuaſum habeant homines eſſe aliquem Deum: ſed hoc de vero Deo prædicat. Non ſufficiet, inquam, ſi quemlibet apprehendas Deum, niſi diſcernas quiſnam verus ſit Deus. quid enim proderit idolum fingere, cui Dei gloriam tranſcribas? Jam tenemus quid hoc membro Apoſtolus ſignificet. negat ad Deum nobis eſſe acceſſum, niſi penitus hoc in animis noſtris infiaum habeamus, ipſum eſſe Deum: ne variis opinionibus huc & illuc circumferamur. Unde patet, fruſtra homines in colendo Deo fatigari niſi rectam viam teneant. nec vanas modo, ſed vitioſas quoque eſſe omnes religiones quæ certam Dei notitiam conjunctam non habent: quoniam à Dei acceſſu prohibentur omnes qui eum ab idolis non diſcernunt. denique nulla eſt religio niſi in qua regnat veritas. Quod ſi vera Dei cognitio cordibus noſtris inſideat, fieri non poterit quin nos afficiat reverentia & timore. Deus enim ſine majeſtate ſua non vere cognoſcitur. hinc ſtudium ejus colendi, hinc fit ut ad eum veluti ſcopum tota vita dirigatur. Secundum membrum eſt, ut perſuaſi ſimus Deum non fruſtra quæri. quæ perſuaſio ſalutis vitæque æternæ ſpem in ſe complectitur. Nemo enim, niſi percepto divinæ bonitatis ſenſu, ita ut ſalutem ab eo ſperet, ad eum quærendum erit animo comparatus. fugimus enim vel contemnimus Deum ubi nulla ſalus apparet. Meminerimus autem id credendum eſſe, non opinandum: quia impii etiam ſi quid tale interdum concipiant, non tamen ad Deum propterea accedunt, quia non nituntur firma & ſtabili fide. Hæc altera eſt pars fidei qua gratiam conſequimur apud Deum: nempe dum certo ſtatuimus ſalutem apud eum nobis eſſe repoſitam. Sed hoc membrum calumnioſe multi depravant, dum inde operum merita & merendi fiduciam eliciunt. ſic enim ratiocinantur, Si ideo fide placemus Deo, quia illum credimus remuneratorem, ergo fides reſpectum habet ad operum merita. Hic error non aliter melius poterit refutari, quam ſi conſideremus quærendi modum: neque enim ſi extra viam quis vagetur, Deum quærere putandus eſt. Hanc porro quærendi Dei rationem aſſignat Scriptura, ut homo in ſe proſtratus, perculſuſque æternæ mortis reatu, ac de ſe deſperans, ad Chriſtum, tanquam unicum ſalutis aſylum, confugiat. Nuſquam certe hoc reperiemus, afferendum eſſe ullum operis meritum Deo quod nos apud eum in gratiam ponat. Ergo qui hanc definitionem quærendi Dei probe tenebit, expeditus erit omni difficultate: quia remuneratio non ad operum dignitatem vel pretium, ſed ad fidem refertur. Ita concidunt frigidæ illæ ſophiſtarum gloſſæ, Per fidem placemus Deo, quia merendo, intentionem habemus placendi. Longe altius nos Apoſtolus evehere voluit: nempe ut certo ſecum ſtatuat conſcientia, in quærendo Deo non irritum eſſe curſum. quæ certitudo longe captum noſtrum ſuperat, præſertim quum in ſe quiſque deſcendit. Neque enim hoc in medio ponendum eſt, Deum iis eſſe remuneratorem qui ipſum quærunt: ſed privatim ad ſe quiſque uſum & fructum ejus doctrinæ accommodare debet, nempe ut ſciamus nos à Deo reſpici: tantæ illi curæ ſalutem eſſe noſtram, ut nobis nunquam ſit defuturus: preces ab eo noſtras exaudiri, illum nobis perpetuum fore liberatorem. Quum vero nihil horum ſine Chriſto nobis conſtet, neceſſe eſt ut ſemper ſe in eum fides noſtra referat, & in eo ſolo hæreat. Ex his duobus membris colligere nunc licet quomodo & cur impoſſibile ſit hominem ſine fide placere Deo. Nam omnes nos jure exoſos habet quum maledicti ſimus natura: nec vero in poteſtate noſtra eſt remedium. Quare neceſſe eſt ut nos Deus gratia ſua præveniat. id fit dum ipſum cognoſcimus Deum eſſe, ut nulla prava ſuperſtitio nos alio ſubducat: deinde quum certam nobis ab eo ſalutem promittimus. Siquis pleniorem hujus argumenti tractationem deſideret, hinc faciendum erit exordium, nos fruſtra tentare omnia & moliri, niſi in Deum reſpicimus. Hic enim unicus eſt rectæ vitæ finis, ejus gloriæ ſervire. id nunquam fiet niſi præcedat ejus cognitio. ſed hæc tantum fidei dimidia eſt pars, parumque prodeſſet niſi accederet fiducia. Ergo tunc demum ſuis numeris abſoluta eſt fides, ut gratiam nobis apud Deum comparet, quum certo confidimus, non fruſtra nos ipſum quærere, adeoque certam ab eo ſalutem nobis promittimus. Porro nemo niſi excæcatus ſuperbia, perverſoque ſui amore faſcinatus, Deum ſuis meritis remuneratorem fore confidet. Ergo fiducia hæc de qua loquimur, non in opera, neque in propriam hominis dignitatem, ſed in ſolam Dei gratiam recumbet. Quum autem Dei gratia nonniſi in Chriſto inveniatur, is uous eſt in quem reſpicere debet fides.

7. Fide Noë, divinitus admonitus de iis quæ nondum videbantur, veritus apparavit Arcam in ſalutem domus ſuæ: per quam condemnavit mundum, & ejus (quæ ſecundum fidem eſt) juſtitiæ factus eſt hæres.

7. *Fide Noë.*] Hoc admirabile virtutis exemplum fuit, quod quum totus muodus impunitatem ſibi promittens, ſecure & licenter deliciis indulgeret: ſolus Noë vindictam Dei, quæ diu tamen adhuc differenda erat, ſibi ante oculos propoſuit: quod centum & viginti annos miſere ſe fatigavit in conſtruenda Arca: quod inter tot impiorum ſubſannationes ſtetit infractus: quod in totius mundi interitu ſe ſalvum fore non dubitavit, imo ſibi vitam ſtatuit in ſepulchro, hoc eſt, in Arca ipſa. Rem breviter

ter attingo: circumſtantias per ſe quiſque expendere melius poteſt. bujus tam præclaræ virtutis laudem Apoſtolus fidei aſſignat. Hactenus diſſeruit de Patrum fide, qui ſub prima mundi ætate vixerunt: hæc vero quædam palingeneſia fuit, dum Noë cum ſua familia emerſit ex diluvio. Hinc conficitur, omnibus ſeculis non aliter homines probatos fuiſſe Deo, nec quicquam laude dignum edidiſſe, quam per fidem. Nunc videamus quid in Noë conſiderandum proponat: nempe quod de futuris, necdum manifeſtis rebus admonitus timuit: deinde quod conſtruxit Arcam: tertio quod mundum ea ſtructura condemnavit: quarto quod juſtitiæ quæ ſecundum fidem eſt, fuerit hæres. Quod ordine primum poſui, fidei vim maxime exprimit. ſemper enim ad principium illud nos revocat, quod fides evidentia ſit rerum non apparentium. Et certe proprium eſt, quæ latent, atque à ſenſibus noſtris remota ſunt, in verbo Dei intueri. Quum ante vero diluvium poſt centum & viginti annos futurum denunciaretur, primum temporis longitudo poterat metum demere: deinde res erat incredibilis: impios interea cernebat ſecure deliciari: denique terribilis ille diluvii nuncius inane terriculamentum videri poterat. Atqui tantum defert Noë Dei verbo, ut oculos à præſenti rerum aſpectu avertens, interitum quem Deus minatur, quaſi præſentem timeat. Fides ergo quam habet verbo Dei, ipſum ad Dei obedientiam format: cujus poſtea documentum præbet in fabricanda Arca. Sed bic objicitur quæſtio, cur fidem timoris cauſam faciat Apoſtolus, quum gratiæ promiſſiones potius
Rom. 1. quam minas reſpiciat. qua ratione Paulus Euange-
verſ. 8. lium quo juſtitia Dei nobis offertur in ſalutem, verbum fidei nuncupat. Improprie ergo dictum boc videtur, quod Noë inductus fide fuerit ad timendum. Reſpondeo, proprie quidem ex promiſſionibus fidem naſci, in illis eſſe fundatam, in illas collimare. ideo dicimus Chriſtum eſſe verum fidei ſcopum in quo propitius eſt Pater cæleſtis, & in quo obſignatæ ac ratæ ſunt omnes ſalutis promiſſiones. Neque tamen id obſtat quominus fides Deum reſpiciat, ac reverenter excipiat quicquid ipſe loquitur. aut ſi brevius babere mavis, proprium fidei eſt loquentem audire Deum, & quicquid ex ſacro ejus ore prodit, ſine dubitatione amplecti. Ita fides præceptis ac minis, non ſecus ac gratuitis promiſſionibus, ſubjicitur. Sed quia nemo unquam ut decet, ac quantum ſatis eſt, Dei præceptis ad parendum afficitur, nec minis commovetur ad deprecandam ejus iram, niſi qui gratiæ promiſſiones jam apprehendit, ut illum benevolum patrem agnoſcat, ſalutiſque auctorem: ideo à præcipua parte Euangelium per ſynecdochen vocatur verbum fidei: & relatio inter hanc & illud mutua ſtatuitur. Fides tamen utcunque recta in Dei promiſſiones ſe conferat, ad minas nihilominus intenta eſt quatenos nos ad Dei timorem ac obſequium erudiri neceſſe eſt. *Apparavit Arcam.* Hic obedientia notatur quæ ex fide manavit, tanquam ex fonte aqua. Longum erat & laborioſum opus ſtructura Arcæ: quotidianis impiorum ludibriis impediri, adeoque millies abrumpi poterat: nec dubium quin undique ſancto viro inſultaverint. Quod ergo protervos eorum inſultus infracto animo ſuſtinuit, in eo prodidit non vulgare obſequendi ſtudium. Sed unde id quod tam conſtanter obedivit Deo, niſi quod in promiſſione, quæ ſpem illi ſalutis dabat, prius acquievit, & in hac fiducia perſtitit uſque ad extremum? Neque enim ad ſubeundas ſponte tot moleſtias fuiſſet animatus, nec tot obſtaculis vincendis par fuiſſet, nec tamdiu firmus ſtetiſſet in ſuo inſtituto, niſi præeunte fiducia. Sola igitur fides obedientiæ magiſtra eſt: unde exadverſo colligere licet, incredulitatem nobis obſtare quominus Deo pareamus. Atque hodie horrendum in modum hac in parte ſe prodit mundi incredulitas, quod tam pauci Deo ſint obſequentes. *Per quam damnavit mundum.* Durum eſſet ad Noë ſalutem referre quod mundum damnaverit: de fide intelligi contextus vix patitur. ergo de Arca intelligamus. Duplici autem nomine dicitur mundum per Arcam damnaſſe. Nam quod in ea conſtruenda tamdiu occupatus fuit, id excuſationem reprobis abſtulit: & eventus qui ſequutus eſt, juſtum mundi exitium comprobavit. Cur enim Arca ſalutis cuſtodia fuit uni familiæ, niſi quod viro juſto parcit ira Domini, ne una cum impiis pereat? Ergo niſi reliquus ſuperfuiſſet, non tam conſpicua eſſet mundi damnatio. Quod ergo Dei mandato obtemperat Noë, mundi contumaciam ſuo exemplo damnat: quod mirabiliter eripitur ex media morte, id documentu eſt, juſte perire totum mundum, quem proculdubio ſervaret Deus, niſi indignus eſſet ſalute. *Quæ ſecundum fidem eſt, juſtitiæ.* Hoc ultimum eſt quod obſervandum admonet Apoſtolus in perſona Noë. Moſes refert illum fuiſſe juſtum. cauſam ac radicem bujus juſtitiæ fidem fuiſſe quia ille biſtorice non refert, ex re ipſa Apoſtolus teſtatur. quod non adeo tantum verum eſt quia nemo unquam ſe Deo in obſequium ſincere addicit, niſi qui paternæ ejus benevolentiæ promiſſionibus fretus acceptam illi ſuam vitam fore confidit: ſed quia nullius quamlibet ſancti bominis vita, quum ad Dei regulam exigitur, placere ſine venia poteſt. Ergo neceſſe eſt ut in fidem juſtitia recumbat.

Gen. 12. 8. Fide Abraham quum vocatus eſſet, obedivit ut exiret in locum quem accepturus
verſ. 4. erat in hæreditatem: & exivit neſciens quo veniret.
9. Fide peregrinatus eſt in terra promiſſa quaſi aliena: in tabernaculis habitans cum Iſaac & Jacob cohæredibus ejuſdem promiſſionis.
10. Expectabat enim civitatem habentem fundamenta, cujus architectus & opifex eſt Deus.
Gen. 17. 11. Fide & ipſa Sara facultatem ad conceptionem ſeminis accepit, & præter tempus
verſ. 19. ætatis peperit: quia fidelem exiſtimavit eum qui promiſerat.
& 21: 2. 12. Propterea etiam ex uno geniti ſunt, & quidem emortuo, multitudine tanquam aſtra cæli, & quaſi arena quæ eſt juxta marginem maris innumerabilis.

8. *Fide Abraham.*] Jam ad ipſum Abraham deſcendit, qui præcipuus eſt in terris Eccleſiæ Dei pater: & cujus nomine gloriabantur Judæi, quaſi boc ſolo titulo exempti eſſent à communi hominum ordine, quia erant ſancta Abrahæ progenies. quid autem potiſſimum babere debeant admonet, ut reputentur inter Abrahæ filios: atque ita eos ad fidem revocat, quia nibil babuerit eximium ipſe Abraham quod non ex fide proceſſerit. Principio docet, fidem fuiſſe cauſam cur ſtatim paruerit Deo, quum juſſus eſſet ex patria migrare: deinde eadem fide fuiſſe factum ut conſtanter in vocatione ſua ad finem uſque pergeret. His duobus teſtimoniis luculente comprobata fuit Abrahæ fides, obſequendi promptitudine & pergendi conſtantia. *Quum vocatus eſſet.* Vetus interpres & Eraſmus ad nomen referunt: quod nimis dilutum eſt & frigidum. ego potius de oraculo interpretor, quo evocatus fuit

extra

extra patriam. ita enim ſibi voluntarium exilium ſponte indixit, ut tamen nihil fecerit oiſi Dei mandato. Et certe hoc unum eſt ex fidei principiis, ne pedem moveamus niſi viam nobis præmonſtret Dei verbum, ac inſtar lucernæ nobis præluceat, quemad-
Pſal. 119. verſ. 50. modum inquit David. Quare hoc obſervandum diſcamus tota vita, ne quid aggrediamur niſi vocaote Deo. *Ut exiret in locum.* Ad mandatum acceſſit promiſſio, quod terram illi daturus eſſet Deus in hæreditatem. Hanc promiſſionem exemplo amplectitur, nec aliter feſtinat quam ſi in poſſeſſionem ſimul mittendus eſſet. Hoc rarum eſt fidei experimentum, relinquere quod ſub manu eſt, ut quæ procul ſunt & nobis incognita quæramus. Nam quum Deus illum migrare jubet, non deſignat locum in quo velit eum degere, ſed ſuſpenſum perplexumque animi relin-
Geneſ. 12. verſ. 1. quit. Veni, inquit, in locum quem monſtrabo tibi. Quorſum loci notationem differt, niſi ut magis ac magis exerceatur ejus fides? Et poterat natalis ſoli amor oon modo retardare Abrahæ alacritatem, ſed prorſus tenere ligatum ejus animum, ne domo exiret. Non vulgaris ergo fuit ejus fides, quæ ita omnibus abruptis impedimentis eum rapuit quo Dominus vocabat.

9. *Fide peregrinatus eſt.*] Hoc ſecundum membrum, quod terram ingreſſus, vix tanquam alienigena & inquilinus excipitur. Ubi illa hæreditas quam ſperaverat? protinus certe in mentem illi venire potuit, ſe fuiſſe à Deo deluſum: major etiam illa fruſtrationis ſpecies quam Apoſtolus omittit, quod paulo poſt eum inde fames expellit, quod ſecundo etiam cogitur fugere in terram Gerar. Sed Apoſtolus ſatis babuit uno verbo commendare ejus perſeverantiam, quum dixit fuiſſe ioquilinum terræ promiſſæ: nam inquilini cooditio promiſſioni erat contraria. Quod ergo fortiter banc tentationem ſuſtinuit Abraham, inſigois virtus fuit: ſed prodiit ex ſola fide. *Cum Iſaac & Jacob.* Non ſignificat ſub iiſdem tabernaculis, vel eodem tempore eos habitaſſe: ſed comites Abrabæ adjungit filium & nepotem, quia peregrinati fuerint io hæreditate ſibi promiſſa, oeque tamen defecerint, utcunque in longum tempus ipſos Deus extraheret. Nam quo longior fuit mora, eo magis crevit tentatio: niſi oppoſito fidei clypeo omnes dubitationum inſultus repuliſſent.

10. *Expectabat enim.*] Reddit cauſam cur fidei adſcribat eorum tolerantiam: nempe quia in cælum reſpicerent. hoc vero fuit videre quæ non videntur. Quanquam enim hoc jam magnum erat, de terræ poſſeſſiooe fidem ſibi à Deo datam fovere io animis, donec poſt aliquot ſecula res ipſa exhiberetur: tamen quum ne illic quidem ſubſidunt, ſed penetrant uſque in cælum, in eo luculentius fidem ſuam demonſtrant. Cælum vocat *urbem fundatam*, cujus ſtatus perpetuus eſt: quum in mundo nihil ſit niſi fluidum & caducum. Hoc autem abſurdum videri poſſet, quod Deum facit cæli conditorem, quaſi non terram quoque creaverit. Reſpondeo, quia in terrenis ſtructuris ad materiem accedunt hominum manus, illis Dei opificium non inepte opponi. quicquid autem ab hominibus conſtruitur, auctores ſuos ipſa inſtabilitate refert: ſicuti cæleſtis vitæ perpetuitas, Dei conditoris naturæ coovenit. Ejus porro expectatione ſublevari omne tædium docet Apoſtolus, ne unquam Deum ſequendo fatigemur.

11. *Fide & ipſa Sara.*] Ut ſibi non minus quam viris mulieres banc doctrinam communem eſſe intelligant, Saræ exemplum adducit: quam ideo præ aliis nominat, quod omnium fidelium ſit mater. Sed mirum commendari ejus fidem quæ incredulitatis palam arguitur: quia Angeli vocem velut fabuloſam rideat. neque enim admirationis riſus ille fuit: alioqui non tam ſevere reprebenſa fuiſſet ab Angelo. Fatendum eſt diffidentia mixtam fuiſſe ejus fidem: ſed quoniam monita diffidentiam ſuam corrigit, nibilominus agnoſcitur à Deo, & laudatur ejus fides. Quod ergo initio rejiciat quaſi incredibile, ſimulatque audit ex ore Dei profectum, obedienter recipit. Atque hinc utilem doctrinam colligimus: quod etiam ſi qua in parte vacillet aut claudicet fides noſtra, non deſinit probari Deo, modo ne diffidentiæ noſtræ indulgeamus. Summa autem eſt, miraculum quod tunc edidit Deus quum Iſaac genitus fuit, fructum fidei Abrahæ & uxoris fuiſſe, qua Dei virtutem apprehenderunt. *Quia fidelem.* Diligenter notandæ ſunt iſtæ rationes quæ vim naturamque fidei exprimunt. Si quis tantum audiat Saram fide peperiſſe, nondum quid hoc ſibi velit aſſequetur: ſed hæc expoſitio quam Apoſtolus attexuit, tollit omnem difficultatem. Hanc enim fuiſſe Saræ fidem prædicat, quod veracem judicavit Deum, idque in ſuis promiſſionibus. cujus ſententiæ duo ſunt membra. Primum enim hinc docemur, nullam abſque verbo Dei eſſe fidem: quia de ejus veritate perſuaſi non erimus, donec loquutus ſit. quod unum abunde valet ad refutandum ſophiſtarum commentum de fide implicita: ſemper eoim tenenda eſt mutua inter verbum Dei & fidem noſtram relatio. Sed quia in Dei benevolentia præcipue (ut jam dictum eſt) fundatur fides, ideo non quodlibet verbum, quamvis profectum ex ejus ore, ſufficeret: ſed requiritur promiſſio gratiæ teſtis. Quamobrem dicitur Sara veracem judicaſſe Deum qui promiſerat. Hæc (inquam) vera eſt fides, quæ & Deum loquentem audit, & promiſſione ejus nititur.

12. *Ex uno geniti ſunt.*] Judæos etiam nunc admonet, fide eſſe factum ut ſint Abrahæ ſoboles. Erat enim jam quaſi ſemimortuus Abraham: Sara uxor quæ in flore ætatis ſterilis fuerat, jam ſenio effœta. Citius ergo oleum ex lapide fluere debebat, quam ex illis prodire aliquis populus. atqui innumera multitudo naſcitur. Si nunc origine ſua ſuperbiunt Judæi, cauſam attendant. certe quicquid ſunt, fidei Abrahæ & Saræ tribuendum eſt. Unde ſequitur, non aliter quam fide retinere ac tueri poſſe ipſos quem conſequuti ſunt ſtatum.

13. Secundum fidem mortui ſunt iſti omnes non acceptis promiſſionibus, ſed quum procul eas vidiſſent, & credidiſſent, & ſalutaſſent, & confeſſi eſſent quod hoſpites & peregrini erant ſuper terram.

14. Sane qui hæc dicunt, oſtendunt ſe patriam inquirere.

15. Et ſi quidem illius meminiſſent à qua exierant, habebant tempus revertendi:

16. Nunc vero meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. quare non erubeſcit Deus, vocari Deus ipſorum: paravit enim illis civitatem.

13. *Secundum fidem.*] Comparatione amplificat fidem Patriarcharum: quia quum Dei promiſſiones tantum libaſſent, tanquam illarum dulcedine ſatiati, quicquid in mundo erat ſpreverunt: nec unquam illarum guſtum, quantumvis tenuem, obliti ſunt vel in vita, vel in morte. Quanquam particula, Secundum fidem, bifariam exponitur. quidam ſimpliciter intelligunt, ſecundum fidem eſſe mortuos, quia in hac vita nunquam promiſſis bonis potiti ſint. ſicuti hodie quoque ſub ſpe nobis abſcondita eſt ſalus. Ego tamen iis potius aſſentior, qui hic notari inter nos & Patres diſcrimen putant: atque ita expono, Quum

Deus

Deus gratiam, quæ in nos large effuſa eſt, Patribus duntaxat guſtandam præbuerit, quum eminus illis oſtenderit obſcuram Chriſti imaginem, qui nunc ſe conſpiciendum quaſi ſub oculos noſtros offert: tamen acquieverunt, nec unquam exciderunt à ſua fide: quanto nobis hodie amplior datur perſeverandi materia? Si deficimus, bis ſumus inexcuſabiles. hæc ergo circumſtantia plurimum auget: quod procul intuiti ſunt Patres ſpirituale Chriſti regnum, cujus hodie tam propinquus eſt aſpectus: quod procul ſalutarunt promiſſiones, quæ tam familiariter nobiſcum habitant. Nam ſi illi nihilominus ad mortem uſque ſuſtinuerunt, quantæ nunc ignaviæ erit fatigari credendo, quum Dominus tot adminiculis nos fulciat? Siquis objiciat, non potuiſſe eos credere niſi acceptis promiſſionibus, in quibus neceſſario fundata eſt fides: reſpondeo, hoc per comparationem dici. Procul enim ab hoc gradu abfuerunt, in quem nos Deus evexit. Proinde, tametſi eadem illis ſalus fuit promiſſa, promiſſionum tamen claritatem, qua ſub Chriſti regno fruimur, non habebant, ſed contenti fuerunt eam procul aſpicere. *Et confeſſi quod hoſpites.* Hoc Jacob confitetur, quum Pharaoni reſpondet tempus peregrinationis ſuæ breve fuiſſe præ tempore peregrinationis patrum ſuorum, plenumque multis ærumnis, Gen. 47. v. 9. Si Jacob peregrinum ſe agnoſcit in ea terra quæ illi in perpetuam hæreditatem promiſſa erat: ſatis patet, minime in mundo fuiſſe defixum, ſed mentem ſupra cælos extuliſſe. Ideo infert Apoſtolus, Patres, ita loquendo, palam oſtendiſſe ſibi eſſe meliorem in cælo patriam: nam ſi hic peregrinantur, alibi patria eſt ac fixa ſedes. Quod ſi illi inter obſcuras nubes in cæleſtem patriam animis evolarunt, quid hodie nobis agendum eſt, quibus è cælo conſpicuam manum Chriſtus porrigit, ut nos ſecum attollat? Si illos non detinuit terra Chanaan, quanto magis expediti eſſe debemus, quibus nulla oſtenditur certa ſtatio in mundo?

15. *Si quidem illius meminiſſent.*] Prævenit objectionem quæ contra opponi poterat: nempe illos fuiſſe alienigenas, qui patriam reliquiſſent. Excipit Apoſtolus, quum ſe peregrinos vocabant, de Meſopotamia non cogitaſſe: quia ſi ejus tacti fuiſſent deſiderio, integrum illis erat eo reverti. atqui ſponte ab ea exulant, imo eam abnegant, quaſi nihil ad ſe pertineat. Aliam igitur patriam deſignant, quæ ſit extra mundum.

16. *Quare non erubeſcit.*] Reſpicit ad illam ſententiam, Ego ſum Deus Abrahæ, Deus Iſaac, & Deus *Exod. 3.*
Jacob. Rarus hic honor, quum Dominus ſe homi- *verſ. 6.*
num nominibus inſignit, & hac veluti nota diſcerni vult ab idolis. Hanc quoque prærogativam Apoſtolus fide niti docet: quia quum ſancti Patres ad cæleſtem patriam aſpiraverint, Deus viciſſim ſuorum civium ordine illos cenſeat. Sed hinc colligendum eſt, nobis inter filios Dei locum non fore, niſi mundo renunciemus: nec fore nobis in cælo hæreditatem, niſi peregrinemur in terra. Cæterum Apoſtolus ex verbis illis, Ego ſum Deus Abrahæ, Iſaac & Jacob, jure colligit ipſos eſſe cæli hæredes: quoniam qui ſic loquitur, non Deus eſt mortuorum, ſed vivorum.

Gen. 22. 17. Fide Abraham obtulit Iſaac quum tentatus eſſet: ac unigenitum obtulit, quum
verſ. 10. promiſſiones accepiſſet.
Gen. 21. 18. Ad quem dictum erat, In Iſaac vocabitur tibi ſemen:
verſ. 12. 19. Quum reputaſſet Deum etiam ex mortuis poſſe ſuſcitare. unde eum quoque in ſimilitudine recuperavit.
Gen. 27. 20. Fide Iſaac de futuris benedixit Jacob & Eſau.
v. 28, 36. 21. Fide Jacob moriens ſingulos filios Joſeph benedixit, & adoravit ad ſummitatem
Gen. 48.
verſ. 15. virgæ ejus.
Gen. 47. 22. Fide Joſeph moriens de exitu filiorum Iſraël meminit, & de oſſibus ſuis manda-
verſ. 31. vit.
Gen. 50.
verſ. 24.

17. *Fide Abraham.*] Proſequitur quod de Abraham reſtabat. refert enim filii immolationem. Eſt autem hoc tam ſingulare virtutis exemplum, ut vix aliud ſimile reperire liceat. Ideo amplificandi cauſa addit, *Quum tentatus eſſet.* Jam multis quidem experimentis oſtenderat Abraham qualis eſſet. hanc tamen probationem, ſicut reliquis omnibus longe excellit, ita Apoſtolus præ omnibus vult æſtimari. Perinde ergo hoc valet acſi dixiſſet, Summa Abrahæ virtus fuit filii immolatio, quia tunc maxime Deus probaſſe eum dicitur. atqui hoc opus ex fide manavit. ergo nihil habuit Abraham fide præſtantius, quæ tam præclarum fructum edidit. Verbum *tentationis*
Jacob. 1. nihil quam probationem ſignificat. Quod Jacobus
verſ. 13. negat nos à Deo tentari, alium ſenſum habet: nempe quod nos ad malum non ſollicitet. Hoc enim vere fieri teſtatur ab uniuſcujuſque concupiſcentia: neque tamen interea negat quin experimentum capiat Deus noſtræ integritatis & obedientiæ. Quanquam non ita nos explorat Deus, quaſi alias ignoret quid in corde noſtro lateat. nulla inquam probatione indiget Deus, ut nos cognoſcere incipiat: ſed quum in lucem nos producit, ut operibus palam teſtemur quod ante abſconditum erat, dicitur nos experiri aut probare: deinde quod re ipſa palam fit, Deo innoteſcere dicitur. Hæc enim ſatis familiaris eſt ac frequens Scripturæ loquutio, ut quod in homines competit, Deus in ſe transferat. Immolatio Iſaac ab animi affectu cenſetur: quia per Abraham non ſtetit quominus quod ſibi mandatum erat, perageret. Hæc voluntas obſequendi perinde valet acſi immolaſſet filium.

Ac unigenitum obtulit.] His circumſtantiis notare voluit quanta fuerit & quam acris probatio Abrahæ. quanquam aliæ etiam ex Moſis hiſtoria petendæ ſunt, quæ eodem pertinent. Jubetur Abraham accipere filium ſuum, unigenitum ſuum & ſibi dilectum Iſaac, ducere in locum qui poſtea monſtrandus erat, ibique manu propria eum mactare. Blandas illas appellationes data opera congerit Deus, ut intimum ſancti viri cor perfodiat totidem vulneribus. deinde quo magis eum excruciet, jubet eum conficere iter tridui. Quam acre illi tormentum fuiſſe putamus, quod filium ſemper habet in conſpectu, quem jam cruentæ neci deſtinavit? Quum ad locum ventum eſt, novo adhuc vulnere pectus ejus Iſaac transfigit, dum interrogat ubinam ſit hoſtia. Quælibet mors filii nimium acerba fuiſſet: mors ſanguinaria majorem habuiſſet luctum: quod autem eum ſua manu jubetur mactare, id vero atrocius eſt quam ut paterno animo ſit tolerabile. millies exanimari potuit, niſi fides cor ejus extra mundum ſuſtuliſſet. ergo non abs re commemorat Apoſtolus tunc fuiſſe tentatum. Quæritur tamen cur Iſaac unigenitus vocetur, quum ante eum genitus eſſet Iſmaël, qui adhuc ſuperſtes erat. Reſpondeo, quum Dei oraculo abdicatus eſſet ex familia, quaſi inſtar mortui fuiſſe habitum: ut ſaltem inter filios Abrahæ locum non teneret. *Quum promiſſiones accepiſſet.* Quæcunque hactenus retulimus, utcun-

que

que animum Abrahæ penitus vulneraverint, præ hac tamen tentatione quaſi leves punctiones fuerant, quod acceptis promiſſionibus jubetur filium Iſaac interficere. Omnes enim promiſſiones in hac fundatæ eraot, In Iſaac vocabitur tibi ſemen: quoniam hac ſublata, nulla ſpes benedictionis aut gratiæ reliqua fiebat. Hic nihil terrenum veniebat in quæſtionem: ſed æterna Abrahæ ſalus, imo totius mundi. Quantis anguſtiis diſtrictum fuiſſe putamus ſanctum hominem, quum illi in mentem veniret, in filii perſona ſpem æternæ vitæ extingui? & tamen fide ſupra has cogitationes emergit, ut quod juſſus eſt exequatur. Si hæc admirabilis fuit virtus, per tot ac tam ardua obſtacula eluctari: merito ſummam laudem habet fides, quæ ſola fecit ut invictus Abrabam perſtaret. Sed bic exoritur non parva difficultas, quomodo laudetur Abrahæ fides, dum à promiſſione diſcedit. nam ſicuti ex fide obedientia, ita ex promiſſione fides naſcitur. Ubi ergo promiſſione deſtituitur Abraham, concidat ejus fides neceſſe eſt. Porro mors Iſaac, ut jam dictum eſt, omnium promiſſionum quidam veluti interitus fuit: neque enim quaſi unus ex vulgo hominum conſiderandus eſt Iſaac, ſed qui incluſum in ſe Chriſtum habet. Hanc quæſtionem, quæ difficilis alioqui ad ſolvendum eſſet, expedit Apoſtolus, quum mox ſubjicit, Abraham tribuiſſe boc honoris Deo, quod filium poſſet ex mortuis excitare. Ergo datam ſibi promiſſionem non abjicit: ſed vim ejus ac veritatem extra filii vitam extendit, quia Dei potentiam tam anguſtis finibus non limitat, ut mortuo Iſaac vel alligata ſit vel extincta. Hoc modo promiſſionem retinuit, quia Dei potentiam non affixit vitæ Iſaac: ſed perſuaſum habuit, in ejus mortui cineribus non minus quam in vivo & ſpirante, fore efficacem.

19. *Unde eum quoque.*] Acſi diceret, Neque bæc ſpes fruſtrata eſt Abrahamum, quia hæc quædam reſurrectionis fuit ſpecies, quod ſubito liberatus fuit ex media morte. Nomen Parabolæ quod bic ponitur, varie exponunt interpretes. Ego ſimpliciter accipio pro ſimilitudinis nota. tametſi enim vere non reſurrexit Iſaac, quodammodo tamen videtur reſurrexiſſe quum repente ac mirabiliter inexpectata Dei gratia eripitur. Neque tamen diſplicet quod alii in ariete, qui ſubrogatus eſt in locum Iſaac, carnem noſtram deſignari putant, quæ morti ſubjicitur. Fateor etiam verum eſſe quod alii tradunt, in hac immolatione pictam fuiſſe Chriſti imaginem. Sed nunc quid ſenſerit Apoſtolus, non quid vere dici poſſit, diſputo. hic autem, meo judicio, genuinus eſt ſenſus: quod Abraham non aliter filium ſuum recepit, quam ſi illi ex morte reſtitutus eſſet in novam vitam.

20. *Fide Iſaac.*] Hoc etiam fidei opus fuit, de futuris benedicere: quia ubi res non extat, ſed nudum verbum apparet, neceſſe eſt ſolam fidem regnare. Sed primo loco notandum eſt quid valeat benedictio de qua loquitur: nam ſæpe generaliter *benedicere* pro bene precari accipitur. Sed longe alia ratio fuit benedictionis Iſaac: erat enim quaſi miſſio in poſſeſſionem ejus terræ quam Deus illi & poſteris promiſerat. Atqui in ea nihil habet prorſus niſi jus ſepulchri. ridiculæ ergo videntur magnificæ illæ
Geneſ. 27. verſ. 29. voces, Serviant tibi populi, & tribus te adorent. Quale enim dominium tradere potuit, qui ipſe vix liber erat? Videmus itaque hanc benedictinnem fide niti, quia nihil præter Dei verbum habet Iſaac quod in filios ſuos conferat. Dubitari tamen poteſt an ulla fuerit in benedictione Eſau fides, quum reprobus eſſet atque à Deo abdicatus. Solutio facilis eſt, quia in eo maxime enituit fides, quum gemellos ex ſe genitos diſcrevit: & ita quidem ut minori tribuerit priorem locum. nam Dei oraculum ſequutus, primogenito ordinarium jus naturæ ademit. Hinc autem pendet totius gentis conditio, quod electus à Deo fuit Jacob, atque ea electio, patris benedictione ſancita fuit.

21. *Fide Jacob.*] Quæcunque memoratu digna acciderunt in populo, Apoſtoli conſilium eſt fidei adſcribere. quia tamen omnia recenſere nimis longum fuiſſet, pauca ex multis eligit: quale boc eſt. nam tribus Ephraim ita reliquas ſuperavit, ut quodammodo laterent ſub ejus umbra. ſæpe enim decem tribus comprehendit Scriptura ſub boc nomine. Atqui Ephraim ex duobus filiis Joſeph minor natu fuit. quo tempore ipſum & fratrem Jacob benedicebat, ambo erant pueri. quid in minore cernebat Jacob cur primogenito eum præferret? Quin etiam id dum facit, oculos babet ſenio obtuſos & hebetes: nec fortuito dextram manum imponit capiti Ephraim: brachia enim decuſſatim componit, ut dextram manum in ſiniſtram transferat. Præterea duas illi portiones aſſignat, acſi jam ejus terræ eſſet dominus, unde eum fames abegerat. Nihil bic rationi conſentaneum, niſi fides dominetur. Ergo ſi quid eſſe volunt Judæi, non alibi quam in fide glorientur. *Adoravit ad ſummitatem.* Hic unus eſt ex iis locis unde conjecturam facere licet, puncta olim apud Hebræos non fuiſſe in uſu: quia non ita hallucinari poterant Græci interpretes, ut virgam pro lecto redderent, ſi eadem tunc fuiſſet quæ hodie ſcribendi ratio. Non dubium eſt quin Moſes de lectuli capite loquatur, quum dicit על ראש המטה. Græci autem, quaſi ſcriptum eſſet, *Mathaeh*, tranſtulerunt Caput virgæ. Quod vulgo receptum erat Apoſtolus non dubitat ſuo inſtituto accommodare. Judæis quidem ſcribebat, ſed qui in varias regiones diſperſi, patriam linguam Græca mutaverant. Scimus autem Apoſtolos hac in parte non adeo fuiſſe ſcrupuloſos, quin ſe rudibus attemperarent, quibus adhuc lacte erat opus. & in ea re nihil eſt periculi, modo ſemper revocentur lectores ad ſinceram nativamque Scripturæ lectionem. Cæterum in re ipſa parum eſt diſcriminis: quia quod adoravit Jacob, id fuit gratiarum actionis ſymbolum. quare fide adductus eſt ut ſe filio ſubmitteret.

22. *Fide Joſeph.*] Hoc ultimum eſt quod ex Patriarcharum geſtis Moſes, ut certe dignum eſt, narrat. nam quod illa opulentia, deliciæ, honores, promiſſionis oblivionem ſancto viro non inducunt, neque eum in Ægypto remorantur: id vero non parvæ fidei argumentum eſt. Unde enim tanta animi magnitudo, ut quicquid in mundo eſt ſublime, deſpiciat, quicquid pretioſum eſt, ducat pro nihilo, niſi quod in cælum conſcenderat? Quod oſſa ſua jubet exportari, in eo ſui rationem non habet, quaſi ſepulchrum ei dulcius futurum eſſet vel melius in terra Chanaan, quam in Ægypto: ſed tantum voluit gentis ſuæ deſiderium acuere, ut vehementius ad redemptionem aſpirarent. voluit & fidem confirmare, ut certo ſperarent ſe tandem liberatum iri.

23. Fide Moſes, quum natus eſſet, occultatus fuit tres menſes à parentibus ſuis, quia videbant elegantem puellum, & non timuerunt edictum Regis.

24. Fide Moſes jam grandis, renuit vocari filius filiæ Pharaonis:

25. Potius eligens malis affici cum populo Dei, quam temporales habere peccati delicias:

26. Majores exiſtimans divitias probrum Chriſti, quam Ægypti theſauros: intuebatur enim in remunerationem.

27. Fide

27. Fide reliquit Ægyptum, nec timuit furorem Regis. quaſi enim inviſibilem vidiſſet, obduruerat.

23. *Fide Moſes.*] Fuerunt etiam alii, & quidem profani homines, qui non Dei timore, ſed tantum ſobolis propagandæ ſtudio liberos ſuos non abſque periculo ſervarunt. ſed Apoſtolus alia ratione impulſos fuiſſe docet parentes Moſis ut eum ſervarent: nempe quia Deus promiſerat, quum ſervitute oppreſſi eſſent, vindicem aliquando ſe fore: hac fiducia freti, infantem ſaluti ſuæ prætulerunt. Sed videtur hoc fidei naturæ contrarium, quod dicit eos formæ elegantia addoctos. ſcimus enim reprehenſum fuiſſe Iſai, quum filios ſuos offerret Samueli, prout quiſque forma excellebat. & certe Deus nos in externis larvis non detinet. Reſpondeo, non illectos fuiſſe pulchritudine parentes Moſis, ut miſericordia tangerentur ad eum ſervandum, qualiter vulgo ſolent affici homines: ſed aliquam veluti notam futuræ excellentiæ fuiſſe inſculptam in puero, quæ rarum neſcio quid de eo promitteret. Non ergo dubium eſt quin aſpectu ipſo in ſpem propinquæ liberationis excitati fuerint, eo quod puerum magnis rebus gerendis confiderent deſtinatum eſſe. Porro hoc multum ponderis apud Judæos habere debuit, quum audirent Moſen redemptionis ſuæ miniſtrum mirabiliter ex morte fuiſſe ereptum fidei beneficio. Notandum tamen eſt fidem quæ hic laudatur, valde fuiſſe imbecillam. Nam quum poſthabito mortis ſuæ metu Moſen deberent educare, eum exponunt. Patet igitur illorum fidem brevi non tantum vacillaſſe, ſed fuiſſe collapſam: ſaltem partes ſuas deſerunt, ubi infantem projiciunt ad ripam fluminis. Sed eo magis nos animari convenit, dum audimus fidem, licet infirmam, Deo tamen ſic probari ut vitam Moſis impetret, ex qua pendebat Eccleſiæ liberatio.

24. *Moſes jam grandis.*] Memorabile præ aliis apud Judæos eſſe debuit Moſis exemplum, per cujus manum fuerant ex ſervitute manumiſſi, fœdus Dei cum illis renovatum, ſtatus Eccleſiæ publicata Lege conſtitutus. Quod ſi fides in Moſe præcipue eſt conſideranda, nimis abſurdum erit ſi inde ipſos alio abducat. Unde ſequitur, male in Lege proficere omnes qui ab ipſo non diriguntur ad fidem. Nunc videndum eſt quibus in rebus Moſis fidem prædicet. Hanc ordine primam virtutem ponit, quod jam grandis natu adoptionem filiæ Pharaonis contempſit. Ætatis meminit, quia ſi puer hoc feciſſet, levitati aut ignorantiæ poſſet imputari: quandoquidem enim in pueris nondum viget conſilium aut ratio, temere ſe quovis projiciunt: adoleſcentes etiam ſæpe huc vel illuc rapit inconſideratus fervor. Ergo ut ſciamus, nihil niſi conſulto factum fuiſſe, & quod longo jam tempore meditatus erat: refert Apoſtolus, tunc fuiſſe grandem natu: quod etiam ex hiſtoria liquet. Porro adoptionem ſpreviſſe dicitur: quia quum inviſeret fratres ſuos, quum ſublevare ipſos ſtuderet, quum vindicaret eorum injurias, huc ſpectabant omnia ut rediret potius ad genus ſuum, quam in aula Regis maneret. ergo perinde id valuit, acſi ultro ſe abdicaſſet. Id fidei adſcribit Apoſtolus, quia multo ſatius erat in Ægypto manere, niſi genus Abrahæ benedictum eſſe perſuaſus eſſet: cujus benedictionis ſola teſtis erat Dei promiſſio. nam oculis nihil tale cernebat. Hinc apparet fide eſſe intuitum quod longe à conſpectu remotum erat.

26. *Majores exiſtimans divitias probrum Chriſti.*] Sedulo notanda eſt hæc loquutio, qua docemur, inſtar lethalis veneni fugiendum eſſe quicquid obtineri nequit quin Dei offenſa redimatur. *Delicias* enim *peccati* vocat illecebras mundi omnes, quæ nos à Deo ejuſque vocatione abducunt. Nam commoda vitæ terrenæ quibus pura conſcientia & Dei permiſſu frui licet, ea hoc numero non cenſentur. Quare ſemper meminerimus diſcernere quid nobis Deus permittat. Sunt autem quædam per ſe licita, quorum uſum nobis prohibent vel temporis vel loci vel aliarum rerum circumſtantiæ. quare in omnibus præſentis vitæ commodis ſemper id ſpectandum, ut nobis ad ſequendum Deum adminicula ſint, non impedimenta. Et temporales quidem delicias peccati vocat, quæ cito evaneſcunt ſimul cum vita. His opponit probrum Chriſti, quod libenter in ſe ſuſcipere debent pii omnes. Nam quos elegit Deus, eos etiam præordinavit ut fiant imagini Filii ſui conformes: non quod ad eundem omnes modum probris aut alio crucis genere exerceat, ſed quod omnes ita comparatos eſſe decet ut crucis ſocietatem cum Chriſto ſubire non recuſent. Reputet igitur quiſque apud ſe quatenus ad hanc communicationem vocetur, ut obſtacula omnia abrumpat. Nec prætereundum eſt quod Chriſti probris annumerat quaſcunque ignominias fideles ab initio mundi pertulerunt. Nam ſicuti membra fuerunt ejuſdem corporis, ita nihil habebant à nobis ſeparatum. Sunt quidem omnes ærumnæ, ſicut præmia peccati, ita etiam maledictionis fructus quæ primo homini fuit impoſita: ſed quaſcunque injurias Chriſti nomine ſuſtinemus ab impiis, eas ipſe ſuas ducit. Unde gloriatur Paulus ſe ſupplere quod paſſionibus Chriſti deeſt. id ſi rite expenderemus, non tam moleſtum nobis eſſet atque acerbum, pro Chriſto pati. Melius etiam hoc membro declarat quid ſignificet per probrum Chriſti, ubi dicit, Malis affici cum Dei populo. Non poterat aliter Moſes ſe unum eſſe ex Dei populo profiteri, niſi gentis ſuæ miſeriis adjungeret ſe comitem. Ergo ubi hic finis eſt ne diſcedamus à corpore Eccleſiæ: quicquid patimur, ſciamus capitis nomine eſſe conſecratum. Ita ex adverſo *theſauros Ægypti* vocat, quos aliter poſſidere nemo poteſt quin Eccleſiæ renunciet. *Intuebatur enim in remunerationem.* Probat illam animi magnitudinem fuiſſe fidei effectum, ex deſcriptione quam poſuit, quia Moſes oculos in Dei promiſſionem defixos habebat. Neque enim ſibi melius fore ſperaſſet cum populo Iſraëlitico quam apud Ægyptios, niſi ſola promiſſione confiſus. Porro ſiquis inde inferat, fidem non in ſolam Dei miſericordiam recumbere, quia præmii reſpectum habeat: reſpondeo, non hic diſputari de juſtitia aut ſalutis cauſa; ſed Apoſtolum generaliter complecti quicquid fidei convenit. Ergo fides, quatenus quærenda eſt juſtitia coram Deo, non remunerationem ſed gratuitam Dei bonitatem, non opera noſtra ſed Chriſtum ſolum intuetur. Sed fides extra juſtificationis cauſam, quia generaliter ſe extendit ad quodvis Dei verbum, remunerationis quæ promittitur reſpectum habet. Fide, inquam, amplectimur quicquid Deus promittit: atqui operibus promittit remunerationem: ergo hanc apprehendit fides. Sed hoc totum in cauſa gratuitæ juſtificationis locum nullum habet: quia nulla operum remuneratio ſperari poteſt, niſi gratuita juſtitiæ imputatio præcedat.

27. *Fide reliquit Ægyptum.*] Tam de priore exitu hoc poſſet exponi quam de ſecundo, quum ſcilicet ſecum populum eduxit. tunc enim proprie reliquit Ægyptum, quum ex domo Pharaonis aufugit. Huc accedit quod ante celebrationem Paſchatis hic egreſſus recenſetur ab Apoſtolo. Videtur ergo de Moſis fuga loqui. nec obſtat quod addit, *non timuiſſe furorem Regis:* quum Moſes ipſe narret terrore ſe fuiſſe compulſum. Nam ſi initium ſpectamus, non timuit quum ſe populi vindicem profiteretur. Omnibus tamen expenſis, ad ſecundum exitum referre malo. tunc enim intrepide Regis ferociam deſpexit, tanta Spiritus Dei virtute armatus, ut furioſam illam beſtiam ultro ſubinde laceſſeret. Hæc certe mira fuit vis fidei, quod imbellem multitudi-

Digitized by Google

nem ſecum trahens ac multis impedimentis onuſtam, iter ſibi per innumeras difficultates, Dei manu patefactum iri ſperavit. Videbat potentiſſimum Regem impotenter furere: ſciebatque finem non facturum donec extrema quæque tentaſſet. verum quia auctorem ſuæ profectionis Deum eſſe novit, eventum illi commendat, nec dubitat quin omnes Ægyptiorum impetus in tempore cohibiturus ſit. *Quaſi enim invisibilem.* Imo Deum viderat in medio rubi ardentis: quare improprie hoc videtur dici, & parum apte ad cauſam præſentem. Fateor ſane, viſione illa confirmatum prius fuiſſe Moſen, quam præclarum illud liberandi populi facinus aggrederetur. ſed nego talem fuiſſe Dei conſpectum, qui eum exueret ſenſis carnis, & extra mundi pericula educeret. Signum duntaxat quoddam præſentiæ ſuæ tunc illi Deus oſtendit: ſed multum abfuit quin Deum qualis eſt, videret. Apoſtolus autem intelligit non ſecus obduruiſſe Moſen, quam ſi in cælum raptus Deum ſolum haberet ante oculos, negotium vero cum hominibus non haberet, non ſubjiceretur hujus vitæ periculis, nullum cum Pharaone hsberet certamen. Atqui certum eſt, eum tot difficultatibus fuiſſe obrutum, ut poſſet animo interdum concipere Deum procul abeſſe: aut certe ſuperiorem tandem fore Regis contumaciam, tot præſidiis inſtructam ad reſiſtendum. Denique ita ſe Dens Moſi videndum præbuerat, ut fidei tamen locum relinqueret: at Moſes, quum undique multi terrores inſtarent, omnes in Deum ſenſus ſuos convertit. Adjutus quidem fuit ad eam rem viſione illa quam diximus: ſed tamen plus in Deo vidit, quam ferebat ſignum illud viſibile. Potentiam enim ejus apprehendit, quæ metus omnes omniaque diſcrimina abſorberet. Promiſſione fretus, certo ſtatuit populum, tametſi Ægyptiorum tyrannide premebatur, jam terræ promiſſæ eſſe dominum. Hinc colligimus, veram fidei naturam eſſe, Deum ſemper habere præ oculis. ſecundo, fidem altiora ac magis recondita in Deo intueri, quam quæ ſub ſenſus noſtros cadant. tertio, ſolum Dei conſpectum ſufficere ad mollitiem noſtram corrigendam: ut ſimus contra omnes Satanæ inſultus pluſquam ſaxei. Unde ſequitur, quo quiſque mollior eſt ac minus virili animo, eo minus habere fidei.

28. Fide fecit Paſcha & aſperſionem ſanguinis, ut qui perdebat primogenita, non tangeret eos.

29. Fide tranſierunt mare Rubrum quaſi per terram ſiccam: quod quum tentaſſent Ægyptii, abſorpti ſunt.

30. Fide conciderunt mœnia Jericho, circumdata per ſeptem dies.

31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, quum excepiſſet exploratores cum pace.

28. *Fide Paſcha.*] Hoc ad fidei commendationem multum valere debuit apud Judæos, quibus præcipuum & mæximæ venerationis ſacrificium Paſcha erat. Porro fide celebratum fuiſſe dicit, non quia agnus ille figura fuit Chriſti: ſed quia quum poſtes aſpergeret ſanguine, nondum extabat profectus. quare ubi veritas ipſa adbuc latebat, fide expectari neceſſe fuit. Imo ridiculum videri poterat, quod Moſes paucas ſanguinis guttulas, Dei vindictæ in remedium opponeret: ſed ſolo tamen Dei verbo contentus immunem fore populum à plaga quæ Ægyptiis inſtabat, non dubitavit. unde non immerito fidem ejus Apoſtolus hac in parte laudat. Qui fide celebratum fuiſſe Paſcha interpretantur, quia Moſes in Chriſtum reſpexerit, verum quidem dicunt: ſed Apoſtolus ſimpliciter hic fidei meminit, quatenus in ſolo Dei verbo acquieſcit, ubi res ipſa non apparet. ideo intempeſtivum eſt ſubtilius hoc loco philoſophari. Quod autem Moſen ſolum feciſſe Paſcha commemorat, hæc cauſa eſt: quod per ejus manum Deus Paſcha inſtituit.

29. *Fide tranſierunt.*] Certum eſt, compluresin illa multitudine fuiſſe incredulos: at Dominus paucorum hoc fidei conceſſit, ut ſicco pede per mare tranſiret tota multitudo. Nam in eadem re magnum inter Iſraelitas & Ægyptios diſcrimen fuit, quod quum alii incolumes tranſiiſſent, alii paulo poſt demerſi ſunt. Unde hoc diſcrimen, niſi quia verbum Dei priores amplexi ſunt, quo deſtituebantur Ægyptii? Argumentum igitur eſt à contrariis, quum dicit *Ægyptios fuiſſe ſubmerſos.* Nam iofelix ille eventus, pœna fuit temeritatis: quemadmodum ex adverſo ſalutem conſequuti ſunt Iſraelitæ, quod verbo Dei freti, inter medias aquarum moles iter facere non recuſarunt.

30. *Fide conciderunt mœnia Jericho.*] Sicuti prius fide abruptum fuiſſe ſervitutis jugum docuit, ita nunc eadem fide commemorat populum hæreditatis ſibi promiſſæ poſſeſſionem fuiſſe adeptum. Nam primo terræ ingreſſu objecta erat urbs Jericho munita & fere inexpugnabilis, quæ progredi ultra vetaret, quum nulla eſſet illius expugnandæ ratio. Præcipit Dominus ut ſemel quotidie omnes viri bellicoſi muros circumeant: ſeptimo autem die ſepties. Puerilis erat circuitus ille plenuſque ludibrio. parent nihilominus mandato Dei. neque ludunt operam: feliciter enim ſuccedit ut promiſſum illis fuerat. Certum eſt non hominum clamore, vel ſtrepitu, nec clangore tubarum mœnia corruiſſe: ſed quia ſperavit populus quod ſe facturum Dominus promiſerat. Hæc quoque io uſum noſtrum accommodare licet: quia neque aliter quam fide ex diaboli tyrannide aſſerimur in libertatem, & eadem fide hoſtes noſtros profligamus, omneſque inferorum munitiones concidunt.

31. *Fide Rahab.*] Tametſi primo aſpectu videtur hoc exemplum ob perſonæ ignobilitatem minus illuſtre, ac prope indignum eſſe quod in hoc ordine recenſeatur, congruenter tamen neque ab re citatur ab Apoſtolo. Hactenus oſtendit, Patriarchas, quibus Judæi plurimum honoris ac reverentiæ deferebant, nihil geſſiſſe laude dignum niſi per fidem: quæcunque Dei beneficia erga nos memoratu digna extiterunt, fuiſſe ejuſdem fidei effectus. Nunc vero docet, mulierem alienigenam, & apud ſuos non infimæ tantum conditionis, ſed quæ meretrix fuerat, in Eccleſiæ corpus per fidem fuiſſe inſitam. Unde ſequitur eos qui maxime excellunt, nullius coram Deo pretii eſſe, niſi ex fide æſtimentur: contra vero in ſocietatem Angelorum adoptari qui inter profanos & reprobos vix prius locum habebant. Porro fidei Rabab Jacobus quoque teſtimonium reddit: & *Jac. 2.*
facile eſt ex ſacra hiſtoria colligere, mulierem hanc *vers. 5.*
vera fide fuiſſe præditam. ſibi enim certo perſuaſum eſſe profitetur quod Deus Iſraëlitis promiſerat. & quaſi victores jam eſſent quos metus ab acceſſu terræ prohibebat, veniam ſibi ac ſuis dari petit: neque in ea homines conſiderat, ſed Deum ipſum. Hujus fidei teſtimonium eſt, quod non ſine vitæ periculo exploratores hoſpitio recipit. ergo fidei beneficio à communi urbis ſuæ interitu ſalva evadit. Nomen *meretricis* ad amplificandam Dei gratiam poſitum eſt. Sunt qui זונה vertunt hoſpitam, quaſi quæſtum ex caupona fecerit: ſed quum hoc nomen ubique Scriptura pro meretrice uſurpet, nulla eſt ratio cur aliter hoc loco interpretemur.

Rabini,

Rabini, quia hoc abſurdum turpeque ſuæ genti eſſe putabant, ſi dicerentur exploratores meretricis hoſpitio uſi eſſe, coactam etymologiam excogitarunt. Sed inanis fuit ille timor: ideo enim in hiſtoria Joſue nominatim apithetum hoc הזונה additur, ut ſciamus exploratores clanculum veniſſe in urbem Jericho, & ibi in domo meretricia latuiſſe. quanquam hoc ad anteactam vitam referri certum eſt: reſipiſcentiæ enim teſtis eſt fides.

Jud. 6. vers. 11. Jud. 4. vers. 6. Jud. 13. vers. 24. Jud. 11. vers. 1. & 12: 7.

32. Et quid amplius dico? deficiet enim me tempus narrantem de Gedeon, Barac, & Samſon, & Jephte, & David, & Samuel & Prophetis:
33. Qui per fidem expugnaverunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt promiſſiones, obturarunt ora leonum,
34. Extinxerunt vim ignis, effugerunt aciem gladii, robuſti facti ſunt ex infirmitate, fortes redditi ſunt in prælio, profligarunt exercitus alienorum.

32. *Et quid amplius dico?*] Quia timendum erat ne ſingula exempla referendo, fidei laudes ad paucos homines reſtringeret, præoccupat, ac dicit, nullum fore finem ſi ſingulis inſiſtat: quum idipſum quod de paucis narravit, ad totam Dei Eccleſiam pertineat. Ac primum quidem medium illud tempus inter Joſue & Davidem deſignat, quo Dominus Judices excitavit ad gubernandum populum: quales fuerunt quatuor iſti de quibus meminit, *Gedeon, Barac, Samſon, & Jephte.* Ridiculum ſane erat, Gedeonem cum trecentis hominibus ingentem hoſtium exercitum aggredi: lagenas manibus concutere, pluſquam inane erat terriculamentum. Barac longe impar erat hoſtibus, & tantum mulieris unius conſilio regebatur. Samſon homo ruſticanus, & qui non aliis quam agriculturæ armis ſe exercuerat, quid poterat contra tam ſuperbos victores, quorum potentia ſubactus fuerat totus populus? Quis Jephte facinus initio temeritatis non damnaſſet, qui vindicem populi jam deplorati ſe profitetur? Sed quoniam Deum omnes ſequuntur ducem, & ejus promiſſione animati injunctum ſibi munus ſuſcipiunt, Spiritus ſancti teſtimonio ornantur. Ergo quicquid laudabile geſſerunt, fidei Apoſtolus tribuit. quanquam nullus eſt eorum cujus fides non claudicaverit. Gedeon ad arma ſumenda tardior eſt quam par ſit, nec ſe Deo committere, niſi difficulter, audet. Barac initio trepidat, ut fere convitiis Deboræ ſit cogendus. Samſon concubinæ blanditiis victus ſuam & totius populi ſalutem inconſiderate prodit. Jephte in concipiendo ſtulto voto præceps, in ſolvendo nimis pertinax, pulcherrimam victoriam crudeli filiæ ſuæ morte deformat. Ita in omnibus ſanctis ſemper invenitur aliquid reprehenſibile. Fides tamen etiamſi mutila ſit ac imperfecta, Deo probari non deſinit. Quare non eſt quod nos frangant vel exaniment vitia quibus laboramus, modo fide pergamus in vocationis noſtræ ſtadio.

De David.] Sub nomine Davidis complectitur omnes pios Reges, quibus Samuelem & Prophetas adjungit. Proinde in ſumma docere vult, regnum Juda in fide fuiſſe fundatum, & fide ad extremum ſtetiſſe. Vulgo notæ erant plurimæ Davidis victoriæ, quas de hoſtibus reportaverat. nota erat Samuelis integritas, & ſumma virtus in gubernando populo. nota erant Dei beneficia quibus ſanctos Prophetas ac Reges proſequutus fuerat. Apoſtolus affirmat nihil horum eſſe, quod non fidei acceptum referri debeat. Porro ex innumeris Dei beneficiis quædam duntaxat attingit, ut inde generaliter colligant Judæi, quemadmodum ſemper Dei manu conſervata fuit Eccleſia per fidem, ſic neque hodie aliam rationem eſſe qua illum erga nos beneficum ſentiamus. David toties victor rediit domum, Ezechias ab infirmitate convaluit, Daniel ex fovea leonum ſalvus & intactus emerſit, ſocii ejus in camino ardenti, non ſecus ac in roſcido prato læti ambularunt. Horum omnium ſi cauſa fuit fides, ſtatuendum eſt non aliter quam fide locum Dei bonitati dari, ut ſe erga nos exerat. Præcipue notandum eſt membrum illud, ubi dicitur fide adeptos eſſe promiſſiones. Tametſi enim verax manet Deus, etiamſi omnes ſimus increduli: infidelitas tamen noſtra facit ut promiſſiones nobis ſint irritæ, hoc eſt, effectu careant.

34. *Robuſti facti ſunt ex infirmitate.*] Chryſoſtomus alio refert: nempe quod reducti ſint Judæi ab exilio, in quo erant quaſi deſperati. Mihi de Ezechia hoc accipi non diſplicet. Quanquam poſſemus latius extendere: quod Dominus in altum manu ſua extulit Sanctos, quoties proſtrati erant, opemque tulerit eorum infirmitati, ut pleno robore vigerent.

35. Receperunt mulieres reſurrectione mortuos ſuos: alii vero diſtenti fuerunt, non amplexi redemptionem, ut meliorem reſurrectionem obtinerent.
36. Alii autem ludibria & flagella experti ſunt: præterea vincula & carceres.
37. Lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tentati ſunt, occiſione gladii mortui ſunt, oberrarunt in pellibus ovillis, in tergoribus caprinis, deſtituti, afflicti, malis affecti:
38. Quibus mundus non erat dignus: in deſertis errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ.
39. Et hi omnes teſtimonium conſequuti per fidem, non conſequuti ſunt promiſſionem:
40. Deo quiddam pro nobis providente, ne ſine nobis perficeretur.

35. *Receperunt &c.*] Nuper proſperos ſucceſſus recenſuit quibus muneratus eſt Deus ſuorum fidem: nunc diverſum argumentum tractat: nempe Sanctos, quum ad extremas quaſque miſerias redacti eſſent, fide tamen eluctatos eſſe, ut etiam ad mortem uſque invicti perſtiterint. Hæc quidem primo aſpectu multum inter ſe differunt: quod alii de victis hoſtibus magnifice triumphant, variis miraculis conſervantur à Domino, eruuntur novis & inſolitis modis ea media morte: alii autem probroſe tractantur, & prope conſpuuntur à toto mundo, conficiuntur inopia, exoſi ſunt omnibus, ut cogantur in latebras ferarum ſe abdere, trahuntur denique ad ſæva & truculenta ſupplicia. Nam hi poſteriores deſtituti prorſus videntur Dei auxilio, quum ita eos exponit ſuperbiæ & crudelitati impiorum. Multum ergo videntur à prioribus diſtare. Fides tamen in utriſque regnat, & in utriſque perinde eſt efficax. imo in ſecundis melius vis ejus relucet. Nam in mortis contemptu ſplendidior eſt fidei victoria, quam ſi vita in quintum ſeculum propagetur. Hin præſtantior eſt fidei effectus,

dignuſque majori laude, probra, inopiam & extremas ærumnas perferre æquo & conſtanti animo, quam miraculo recuperare ſanitatem, vel aliquod ſimile Dei beneficium conſequi. Summa eſt, fortitudinem Sanctorum, quæ ſeculis omnibus enituit, fidei eſſe opus: quòd major ſit noſtra imbecillitas quam ut malis ſuperandis ſimus idonei, niſi nos fides ſuſtineat. Atque hinc colligimus, quicunque vere Deo fidunt, virtute qua oportet inſtructos eſſe ad reſiſtendum, quibuſcunque ipſos modis impetat Satan. ac præſertim ferendis malis nunquam nobis patientiam defore, ſi adſit fides. proinde infidelitatis nos convinci ubi in perſequutionibus & cruce deficimus. Eadem enim hodie eſt fidei natura quæ olim apparuit in ſanctis Patribus, quos hic Apoſtolus commemorat. Quare ſi eorum imitaremur fidem, nunquam ita turpiter ob ignaviam conciderемus. In verbo ἐτυμπανίσθησαν ſequutus ſum Eraſmum: tametſi alii interpretantur Carceratos fuiſſe. Sed hoc (meo judicio) ſimplicius, quod diſtracti fuerint, quemadmodum corium in tympano diſtenditur. Quod dicit fuiſſe tentatos, videtur eſſe ſuperfluum: nec dubito quin ſimilitudo duarum vocum ἐπρίσθησαν & ἐπειράσθησαν in cauſa fuerit ut ſecunda male ab imperito quopiam lectore addita, paulatim obrepſerit in textum: ſicuti etiam Eraſmus divinat. Per ovillas & caprinas pelles, non tam puto deſignari tentoria quæ ex pellibus conficiebantur, quam viles & aſperos piorum amictus, quibus induebantur quum in deſerta fugerent. Tametſi autem lapidatum fuiſſe Jeremiam tradunt, Eſaiam vero diſſectum: & Sacra hiſtoria narrat, Eliam, Eliſæum atque Prophetas in montibus & ſpeluncis oberraſſe: non tamen dubito quin ſævas illas perſequutiones deſignet, quibus graſſatus eſt Antiochus in populum Dei, & quæ poſtea ſequutæ ſunt. *Non amplexi redemptionem.* Aptiſſime loquitur: brevem enim hujus vitæ uſuram eos redimere oportuiſſet, Deum abnegando. Fuiſſet autem hoc nimis indignum pretium. Ergo ut perpetuo in cælis viverent, vitam in terra repudiarunt quæ tanti illis conſtitiſſet: nempe abnegatione Dei, ut diximus, ſuæque vocationis deſertione. Audimus autem quid Chriſtus dicat, Si animas noſtras ſervare cupimus in hoc mundo, nos in perpetuum eas perdere. Proinde ſi verus futuræ reſurrectionis amor ſedem in cordibus noſtris occupat, facile nos ad mortis contemptum adducet. Et ſane non aliter vivendum eſt quam ut Deo vivamus: ſimulatque Deo vivere non licet, libenter aut non ægre mors nobis oppetenda eſt. Porro hac ſententia confirmat Apoſtolus quod dixit, Sanctos fide ſuperaſſe omnia tormenta: niſi enim ſpe beatæ reſurrectionis retenti fuiſſent eorum animi, ſtatim collapſi fuiſſent. Hinc præterea colligenda eſt utilis exhortatio, qua nos in rebus adverſis muniamus. Neque enim recuſandum eſt ut Dominus tot ſanctis hominibus nos aggreget, quos ſcimus tot miſeriis fuiſſe exercitatos & vexatos. Neque vero hic nobis paucorum hominum miſeriæ narrantur, ſed communes Eccleſiæ perſequutiones: & hæ quidem non unius aut alterius anni, ſed quæ ab avis uſque ad nepotes interdum graſſatæ ſunt. Quare nihil mirum ſi iiſdem hodie experimentis fidem noſtram probare Deo placeat: nec cogitandum eſt nos ab eo deſeri, cui ſcimus fuiſſe curæ ſanctos Patres qui eadem ante nos paſſi ſunt.

38. *Quibus mundus non erat dignus.*] Quum ita profugi inter feras vagabantur ſancti Prophetæ, videri poterant indigni quos terra ſuſtineret. qui fit enim ut inter homines locum non inveniant? Sed Apoſtolus in contrariam partem hoc retorquet: nempe quod mundus illis non eſſet dignus. nam quocunque veniant ſervi Dei, ejus benedictionem, quaſi fragrantiam boni odoris, ſecum afferunt. Sic domus Putiphar benedicta fuit in gratiam Joſeph: & Sodoma ſalva futura erat, ſi in ea inventi fuiſſent decem juſti homines. Utcunque ergo mundus ſervos Dei quaſi excrementa à ſe projiciat: hoc tamen inter ejus pœnas deputandum eſt, quod illos ferre non poteſt: quia ſimul cum illis reſideret aliqua Dei benedictio. Proinde quoties è medio tolluntur juſti, ſciamus totidem adverſa nobis eſſe præſagia: quoniam indigni ſimus eorum contubernio, ne ſimul nobiſcum pereant. Interea habent pii amplam conſolationis materiam, ſi eos mundus quaſi catharmata ejiciat, quando vident idem accidiſſe Prophetis, qui in feris animalibus plus experti ſunt clementiæ quam in hominibus ipſis. Hac ſe cogitatione erexit Hilarius, quum videret à ſanguinariis tyrannis occupari Eccleſiam, qui tunc imperatorem Romanum, velut carnificem, in manu habebant. tunc, inquam, ſanctus vir memoria repetebat quæ hic de Prophetis recitat Apoſtolus. Montes & ſylvæ, dicebat, & lacus & carceres mihi tutiores ſunt, quam magnus templorum ſplendor: nam in illis Prophetæ aut manentes, aut demerſi, Dei Spiritu prophetabant. Sic etiam nos animatos eſſe convenit, ut mundum intrepide ſpernamus: & ſi nos evomat, ſciamus nos ab exitiali gurgite exire, Deumque ita proſpicere noſtræ ſaluti, ne eodem mergamur exitio.

Gen. 39. verſ. 5
Gen. 18. verſ. 32

39. *Et hi omnes.*] Argumentum eſt à minori ad majus. nam ſi illi quibus nondum tanta lux gratiæ affulſerat, tanta conſtantia in malis tolerandis excelluerunt: quid efficere in nobis debet plenus Euangelii fulgor? illos exigua lucis ſcintilla in cælum duxit: quum Sol juſtitiæ nobis luceat, quo nos prætextu excuſabimus ſi hæreamus adhuc in terra? Hæc eſt genuina mens Apoſtoli. Scio Chryſoſtomum & alios quoſdam ſecus exponere, ſed orationis contextus facile oſtendit, hic notari gratiæ diſcrimen, qua Deus ſub Lege proſequutus eſt fideles & qua nos hodie dignatur. Nam quum uberior in nos effuſa ſit gratia, minus eſſe in nobis fidei valde abſurdum eſſet. Dicit ergo, Patres illos qui tam eximia fide præditi fuerunt, nondum habuiſſe tam uberem credendi materiam quam nos habemus. Rationem continuo poſt addit: quia Deus voluerit nos omnes coadunare in unum corpus: Ideoque exiguam illis gratiæ portionem diſtribuerit, ut ſolidam perfectionem in tempus noſtrum, hoc eſt, in adventum Chriſti differret. Atque hoc ſingulare Dei erga nos benevolentiæ eſt documentum, quod tametſi liberalem ſe ab initio mundi oſtenderit ſuis filiis, ſic tamen gratiam ſuam attemperavit, ut totius corporis ſaluti proſpiceret. Quid amplius deſiderare quiſquam noſtrum poſſit, quam in omnibus beneficiis, quibus Deus Abraham, Moſen, Davidem & omnes Patriarchas, Prophetas & pios Reges proſequutus eſt, habitam eſſe ſui rationem, ut cum illis in Chriſti corpus coaleſcat? Sciamus ergo nos bis ac ter ingratos eſſe Deo, ſi minus in nobis fidei ſub Chriſti regno appareat, quam ſe habere Patres ſub Lege tam inſignibus patientiæ exemplis probarunt. Quod dicit, nondum adeptos fuiſſe promiſſionem: de ultima promiſſionum clauſula intelligi debet, quæ nobis promulgata fuit in Chriſto. qua de re aliquid jam ante dictum eſt.

CAP. XII.

PRoinde, nos quoque quum tanta circumdati ſimus nube teſtium, depoſito omni onere & peccato quod nos circumſtat, per patientiam curramus in propoſito nobis certamine:

2. Intuentes in principem & perfectorem fidei Jeſum, qui pro gaudio ſibi propoſito pertulit crucem, ignominia contempta, & in dextra throni Dei conſedit.

3. Ac

3. Ac reputate quis hic fuerit qui tantam in ſe ſuſtinuit ab impiis contradictionem, ut ne fatigemini animabus veſtris ſoluti.

1. *Proinde, nos quoque.*] Hæc concluſio eſt quaſi epilogus proximi capitis: ubi demonſtrat quorſum recitaverit illum Sanctorum catalogum, quorum fides ſub Lege excelluit: nempe ut ſe quiſque comparet ad eorum imitationem. Et metaphorice copioſam multitudinem vocat nubem. denſum enim raro opponitur. Si pauci eſſent numero, tamen ſuo exemplo incitare nos deberent: ſed ubi ingens eſt turba, acriores ſtimulos addere nobis debet. Præterea dicit, nos denſitate illa vel copia circumdari, ut quocunque oculos vertamus, ſtatim occurrant multa fidei exempla. Nomen *teſtium* non accipio generaliter, acſi martyres Dei nuncuparet: ſed refero ad præſentem cauſam, acſi diceret, ſatis eorum teſtimonio comprobatam eſſe fidem, ut non ſit hæſitandum. Sunt enim virtutes Sanctorum quaſi teſtimonia quæ nos confirment, ut illis vel ducibus vel ſociis freti, alacrius ad Deum pergamus. *Depoſito omni onere.* Quia ſimilitudinem curſus uſurpat, ſimul expeditos eſſe jubet. feſtinationi enim nihil magis adverſum, quam ſi ſarcinis onuſti ſimus. Porro varia ſunt onera quæ ſpiritualem curſum noſtrum morantur ac impediunt: ut amor vitæ præſentis, mundi deliciæ, cupiditates carnis, curæ terrenæ, divitiæ etiam ac honores, & quæcunque ſunt ejuſdem generis. Quiſquis ergo vult in Chriſti ſtadio currere, primum ſe omnibus impedimentis abdicet: quia jam plus ſatis tardi ſumus, ut non aliunde accedant remoræ. Neque tamen jubemur divitias ſimpliciter abjicere, aut alia vitæ commoda, niſi quatenus curſum noſtrum retardant: quia Satan illis, quaſi tricis, nos retinet atque implicat. Porro metaphora curſus ſatis frequens eſt in Scripturis. hic vero non quemlibet curſum deſignat, ſed curſorium certamen: quod ſtudia magis ſolet accendere. Summa igitur eſt, nos certamen ingreſſos eſſe, & quidem in celeberrimo ſtadio, undique circumſtare multos teſtes, præſidem Dei Filium, qui ad præmium nos invitat & hortatur. turpiſſimum igitur fore ſi in medio ſpatio fatigemur vel torpeamus. Quanquam autem ſancti homines de quibus meminit, non teſtes modo ſunt, ſed ejuſdem curſus ſocii, qui viam nobis præmonſtrant: teſtes tamen maluit quam curſores, ut ſignificaret non æmulos eſſe qui palmam nobis præripiant, ſed approbatores potius, qui plaudant & gratulentur noſtræ victoriæ. quemadmodum etiam Chriſtus non tantum agonotheta eſt, ſed manum nobis porrigit, vires ac ſtrenuitatem ſuppeditat: denique nos ad inchoandum curſum præparat atque idoneos reddit, & ſua virtute nos perducit uſque ad metam. *Peccato quod nos circumſtat.* Hoc graviſſimum eſt unus quod nobis obſtat. Dicit autem nos eſſe implicitos, ut ſciamus, neminem currendo aptum eſſe, niſi qui exuerit hos laqueos. Non loquitur autem de externis vel actualibus (ut vocant) peccatis: ſed de ipſo fonte, hoc eſt, concupiſcentia: quæ ita omnes noſtri partes occupat ut undique ſentiamus nos teneri ejus laqueis. *Per patientiam.* Hac voce ſemper monemur quid præcipue in fide conſiderari velit Apoſtolus: nempe ut regnum Dei, quod carni eſt inviſibile, ſenſuſque omnes noſtros ſuperat, ſpiritu quæramus. Nam qui in hac meditatione occupantur, facile terrena omnia contemnunt. Ita Judæos non poterat melius abſtrahere à ſuis ceremoniis, quam ſi eos ad vera fidei exercitia revocaret, ex quibus diſcerent ſpirituale eſſe Chriſti regnum, & hujus mundi elementis longe ſuperius.

2. *Pro gaudio ſibi propoſito.*] Tametſi Latina loquutio nonnihil habet ambiguitatis, tamen in verbis Græcis perſpicue apparet ſenſus Apoſtoli. Significat enim, quum integrum eſſet Chriſto ſe eximere omni moleſtia, vitamque felicem & bonis omnibus affluentem degere, ipſum tamen ultro ſubiiſſe mortem acerbam & plenam ignominia. Nam, Pro gaudio, idem valet atque Loco gaudii: & Gaudium genus omne commoditatis comprehendit. Propoſitum autem dicit quod in manu Chriſti erat, ut ſi libuiſſet, facultas eſſet utendi. Quanquam ſiquis particulam ἀντὶ cauſam finalem notare putet, non multum reclamo: ut ſit ſenſus, Chriſtum non recuſaſſe mortem crucis, quia videbat felicem ejus exitum. Ego tamen priorem expoſitionem retineo. Duplici porro nomine, Chriſti nobis tolerantiam commendat, quod mortem acerbiſſimam pertulerit, & quod ignominiam deſpexerit. Finem deinde mortis glorioſum commemorat, ut ſciant fideles in ſalutem & gloriam ceſſura ſibi mala omnia quæ ſuſtinent, modo Chriſtum ſequantur. Sic etiam Jacobus, Patientiam *Jacob. 5.* Job audiſtis, & finem noſtis. *verſ. 11.* Significat ergo Apoſtolus, eundem fore miſeriarum noſtrarum finem qui cernitur in Chriſto: ſecundum illud Pauli, Si com- *Rom. 8.* patimur, ſimul cum eo regnabimus. *verſ. 17.*

3. *Reputate quis hic.*] Amplificat ſuam exhortationem, Chriſtum nobiſcum conferendo. nam ſi Filius Dei, quem ab omnibus adorari decuit, ſponte ſubiit tam dura certamina: quis noſtrum recuſare audeat iiſdem ſe cum illo ſubjicere? Una enim hæc cogitatio ad vincendas omnes tentationes ſufficere debet, quum intelligimus nos Filii Dei eſſe comites: & eum qui ſupra nos adeo eminebat, voluiſſe ad conditionem noſtram deſcendere, ut ſuo nos exemplo animaret. Ita, inquam, colligimus animos, qui alioqui liqueſcunt & quaſi in deſperationem ſolvuntur.

4. Nondum ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum certando.

5. Et obliti eſtis exhortationis quæ vobis tanquam filiis loquitur, Fili mi, ne diſciplinam Domini negligas, & ne deficias dum ab eo argueris.

6. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat omnem filium quem ſuſcipit.

7. Si diſciplinam ſuſtinetis, Deus tanquam filiis offertur. quis enim eſt filius quem pater non caſtiget?

8. Quod ſi diſciplinæ expertes eſtis, cujus participes ſunt omnes: ſpurii igitur eſtis, non filii.

4. *Nondum ad ſanguinem.*] Ultra progreditur: admonet enim, etiam quum nos impii perſequuntur pro Chriſti nomine, tunc nos certare contra peccatum. in hanc luctam deſcendere Chriſtus non potuit, qui purus & immunis erat ab omni peccato. At nos in hac parte illi ſumus diſſimiles, quia ſemper in nobis habitat peccatum: cui domando & profligando conveniunt afflictiones. Principio ſcimus, quicquid malorum eſt in hoc mundo, ex peccato provenire, ac in primis mortem ipſam. Verum id nunc non agit Apoſtolus: tantum docet, perſequutiones quas pro Euangelio ſuſtinemus, alio quoque nomine eſſe nobis utiles: quia remedia ſint ad deſtruendum peccatum. nam hoc modo Deus ſub diſciplinæ ſuæ jugo nos retinet, ne caro noſtra laſciviat: interdum etiam ferocientes coërcet: delicta interdum noſtra punit, ut in poſterum nos reddat cautiores. Sive ergo vitiis noſtris medeatur, ſive ante-

quam peccemus, occupet, ita nos exercet in hac cujus meminit Apoſtolus contra peccatum luċta. Hoc quidem honore nos dignatur Filius Dei, ut quæ pro Euangelio ſuo patimur, minime inter pœnas peccati deputet. Noſtrum tamen eſt agnoſcere quod hic audimus ex Apoſtolo, ſic nos agere ac defendere adverſus impios Chriſti cauſam, ut interea cum peccato, hoſte inteſtino, bellum geramus. Hæc duplex erga nos eſt Dei gratia, quod remedia quæ curandis vitiis noſtris adhibet, in Euangelii ſui defenſionem convertit. Meminerimus autem quos hic compellet: nempe qui læto animo bonorum ſuorum jacturam fecerant, paſſique fuerant multas contumelias. & tamen ignaviæ eos inſimulat quod in medio certaminum curſu defeſſi, non ſtrenue pergant ad mortem uſque. Quare non eſt quod miſſionem nobis petamus à Domino, qualicunque militia perfuncti ſimus: quia nullos habere vult Chriſtus emeritos milites, niſi qui mortem ipſam vicerunt.

5. *Et obliti eſtis.*] Interrogative lego. quærit enim an obliti ſint: ſignificans nondum eſſe obliviſcendi tempus. Hic vero ingreditur in illam doctrinæ partem, quod utile nobis ſit cruce erudiri. ad eam rem utitur teſtimonio Solomonis: cujus duo ſunt membra: prius eſt, non rejiciendam eſſe correctionem Domini: in ſecundo cauſa redditur, quia Dominus quos diligit caſtigat. Quoniam autem Solomon ſic præfatur, Fili mi: monet Apoſtolus, hac tam ſuavi blandaque appellatione debere nos allici ut hæc exhortatio penitus in animos noſtros penetret. Cæterum Solomonis argumentum hoc eſt, Si flagella Dei, ejus erga nos amorem teſtantur: indignum eſt faſtidio vel odio ipſa haberi. Pluſquam enim ingratos eſſe oportet qui in ſuam ſalutem à Deo caſtigari non ſuſtinent: imo qui paternæ ejus benevolentiæ ſignum reſpuunt.

6. *Quem diligit Dominus.*] Hæc ratio videtur parum firma eſſe. promiſcue enim animadvertit Deus tam in reprobos quam in electos: & ejus flagella iram ejus ſæpius quam amorem declarant. ſic enim & Scriptura loquitur, & experientia etiam confirmat. Verum ubi ſermo ad pios habetur, non mirum eſt eum duntaxat caſtigationis uſum attingi quem illi ſentiunt. Nam utcunque ſeverum ſe & iratum judicem erga reprobos Deus oſtendat quoties eos punit: in electis tamen ſuis non alium finem ſpectat, quam ut eorum conſulat ſaluti. hæc paterni amoris demonſtratio eſt. Deinde reprobi quum ſe Dei manu gubernari ignorent, fortuito ut plurimum putant ſe affligi. Quemadmodum ſiquis puer contumax, relicta patris domo, longe erret: fame & frigore vel aliis malis confectus, dabit quidem juſtas ſtultitiæ ſuæ pœnas, ſuiſque malis diſcet quid ſit eſſe patri morigerum ac obſequentem: ſed tamen hanc eſſe paternam caſtigationem non agnoſcet. ita impii, quum ſe à Deo ejuſque familia quodammodo mancipar int, non intelligunt Dei manum ad ſe uſque pervenire. Meminerimus ergo, divini erga nos amoris guſtum aliter à nobis percipi non poſſe in caſtigationibus, quam dum illud nobis perſuaſum eſt, paternas eſſe ferulas quibus peccata noſtra caſtigat. Nihil tale reprobis evenire poteſt, quorum fugitivæ ſunt mentes. Huc accedit quod judicium incipere oportet a domo Dei. proinde etiamſi communiter alienos & domeſticos feriat: ſic tamen manum ſuam erga poſteriores exerit, ut demonſtret ſe peculiarem habere eorum curam. Sed illa eſt vera ſolutio, quod quiſquis à Deo ſe caſtigari novit & *perſuaſus eſt*, gradum protinus facere debet ad hanc cogitationem*:* id accidere, quoniam à Deo ametur. Nam quum *Deum* in pœnis medium ſentiant fideles, habent certum benevolentiæ ejus pignus, quia niſi amaret, non eſſet ſollicitus de eorum ſalute. Ideo concludit Apoſtolus, Deum omnibus offerri patrem qui correctionem ſuſtinent. Nam qui calcitrant, ut equi feroces ſolent, vel qui præfracte reluctantur, minime pertinent ad hunc ordinem. Quare in ſumma docet, tunc nobis demum paternas eſſe Dei correctiones, quum illi nos obedienter ſubjicimus.

7. *Quis enim eſt filius.*] A communi hominum more ratiocinatur, minime eſſe conſentaneum ut filii Dei à crucis diſciplina ſint immunes. nam ſi nemo inter homines invenitur, prudens ſaltem, ſanique judicii, qui non liberos ſuos corrigat, quoniam ſine diſciplina ad bonam frugem adduci nequeunt: quanto minus hoc tam neceſſarium remedium Deus, qui optimus & ſapientiſſimus eſt pater, negliget? Siquis objiciat, ceſſare inter homines ejuſmodi correctionem ſimulatque ex adoleſcentia egreſſi ſunt liberi: reſpondeo, nos, quamdiu vivimus, Dei reſpectu eſſe magis quam pueros; atque hanc cauſam eſſe cur tergo noſtro ferulam ſemper hærere conveniat. Quare merito infert Apoſtolus, quiſquis immunitatem à cruce appetit, eum ſe veluti abdicare è numero filiorum Dei. Unde ſequitur, non æſtimari à nobis ut decet adoptionis *beneficium*, totamque *Dei gratiam* repudiari quum *nos* ab ejus ferulis ſubducere volumus. quod faciunt quicunque æquo animo afflictiones non tolerant. Cur autem ſpurios potius quam alienos vocat qui correctionem refugiunt? nempe quia eos alloquitur qui in Eccleſiam cooptati erant, ideoque filii Dei. quare ſignificat, falſam & ementitam fore Chriſti poſſeſſionem, ſi ſe à Patris diſciplina eximant, ut ſpurii magis ſint quam legitimi.

9. Quum carnis noſtræ patres habuerimus caſtigatores, & reveriti ſimus illos: annon multo magis ſubjiciemur Patri ſpirituum, & vivemus?

10. Et illi quidem ad paucos dies pro ſuo arbitratu nos caſtigarunt: hic vero ad utilitatem, ut nobis impertiat ſanctimoniam ſuam.

11. Porro, omnis caſtigatio in præſens non videtur gaudii eſſe, ſed triſtitiæ: in poſterum tamen fructum pacatum juſtitiæ affert exercitatis.

9. *Quum carnis noſtræ.*] Hæc comparatio multas habet partes. Prima eſt, ſi patribus ex quibus progeniti ſumus ſecundum carnem, tantum detulimus reverentiæ ut paſſi fuerimus eorum diſciplinam: multo plus honoris deberi Deo, qui ſpiritualis eſt pater. Altera, diſciplinam qua patres liberos ſuos erudiunt, ad uſum præſentis vitæ utilem eſſe duntaxat: Deum vero longius reſpicere, ut ſcilicet in vitam æternam nos ſanctificet. Tertia, mortales homines liberos ſuos ut illis viſum eſt, caſtigare: Deum vero temperare ſuam diſciplinam optima ratione ſummaque ſapientia, ut nihil in ea ſit niſi moderatum. Hoc ergo primo loco inter Deum & homines diverſum ponit, quod hi quidem, patres ſint carnis, ille autem, ſpiritus: idque amplificat, carnem cum ſpiritu conferendo. Sed quæritur annon carnis etiam pater ſit Deus: neque enim fruſtra hominis creationem inter præcipua Dei miracula commemorat hiſtoria Job. quare hac quoque parte merito Patris nomen ſibi vindicat. Si dicamus Patrem vocari ſpirituum, quia ſolus animas creat & regenerat, ſine hominis opera: rurſus excipere licebit, Paulum non fruſtra gloriari, ſe ſpiritualem eſſe eorum patrem quos in Chriſto per Euangelium genuit. Reſpondeo, tam animæ quam corporis patrem eſſe Deum, & quidem unicum proprie loquendo: ac nomen hoc quadam veluti conceſſione transferri ad homines, ſive de corpore, ſive de anima agatur. Quo-

Digitized by Google

niam tamen in creandis animabus non adhibet hominum operam, & eas etiam Spiritus ſui virtute mirabiliter reformat: peculiariter κατ' ἐξοχὴν Pater ſpirituum vocatur. Quum dicit, Et reveriti ſimus illos, affectum notat qui nobis à natura inſitus eſt: ut patres, etiam quum aſpere nos tractant, honore proſequamur. Quum dicit, Subjiciemur Patri ſpirituum: ſignificat, hoc æquum eſſe ut Deo imperium permittamus quod patris jure in nos obtinet. Quum dicit, *& vivemus*, cauſam deſignat vel finem. itaque copula reſolvenda eſt in particulam Ut. Monemur autem hoc verbo, nihil eſſe nobis magis exitiale quam ſi nos in Dei obſequium tradere recuſemus.

10. *Et illi quidem ad paucos dies.*] Hæc ſecunda eſt amplificatio, ut dixi, quod Dei caſtigationes carni domandæ & mortificandæ deſtinentur, ut renovemur in cæleſtem vitam. unde apparet fructum eſſe perpetuum: idem ab hominibus non eſſe ſperandum, quum hominum diſciplina para ſit ordinis politici, ideoque proprie ad præſentem vitam ſpectet. unde ſequitur, illas longe plus utilitatis adferre, quanto ſcilicet ſpiritualis Dei ſanctimonia corporis commodis præſtat. Siquis objiciat, patrum munus eſſe filios inſtituere in timore & cultu Dei, ac propterea eorum diſciplinam ad tam breve tempus reſtringendam non videri: reſpondeo, id quidem eſſe verum: ſed hic de œconomia Apoſtolus loquitur, quemadmodum de politia ſolemus vulgo loqui. Nam etſi magiſtratuum eſt religionem tueri, eorum tamen officium hujus vitæ finibus dicemus contineri: quia aliter civilis ac terrena gubernatio à ſpirituali Chriſti regno diſtingui non poſſet. Porro quod correctiones Dei dicuntur utiles eſſe ad obtinendam ejus ſanctimoniam; hoc non ita accipiendum eſt quaſi nos proprie ſanctificent: ſed quod adminicula ſint ad nos præparandos, quia per ea Dominus nos exercet ad mortificationem carnis.

11. *Omnis caſtigatio.*] Hoc addit, ne Dei caſtigationes præſenti ſenſu metiamur. Nos enim pueris ſimiles eſſe docet, qui ferulam horrent ac refugiunt quantum in ſe eſt: quia nondum per ætatem judicant quantum ſibi ſit utilis. Huc ergo tendit admonitio, non recte æſtimatum iri caſtigationes ex præſenti carnis noſtræ ſenſu: ideo conjiciendos eſſe oculos in finem: ita apprehendemus tranquillum hunc juſtitiæ fructum. *Fructus* autem *juſtitiæ* dicitur timor Domini, & pia ſanctaque vita: cujus crux magiſtra eſt. *Pacatum* vocat, quoniam in rebus adverſis trepidamus & ſumus inquieti. Tentamur enim impatientia, quæ ſemper tumultuoſa eſt: caſtigati autem, compoſita mente agnoſcimus quam utile nobis fuerit quod ante acerbum & moleſtum videbatur.

12. Quare manus remiſſas & genua ſoluta ſurrigite.

13. Et rectas facite vias pedibus veſtris: ne claudicatio aberret, ſed magis ſanetur.

14. Pacem ſectamini cum omnibus, & ſanctimoniam: ſine qua nemo videbit Dominum.

15. Curam agentes ne quis deficiat à gratia Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum pullulans obturbet, & per eam inquinentur multi.

16. Ne quis ſcortator vel profanus, ut Eſau, qui pro uno edulio vendidit primogenituram ſuam.

17. Noſtis enim quod quum poſtea vellet hæreditariam obtinere benedictionem, reprobatus ſit. pœnitentiæ enim locum non invenit, etiamſi cum lachrymis quæſiiſſet eam.

12. *Quare manus remiſſas.*] Poſtquam docuit, Deum ſaluti noſtræ proſpicere dum nos caſtigat, inde nos ad alacritatem hortatur: nihil enim quod nos magis debilitet, adeoque exanimet prorſus, quam quum falſa imaginatione occupati nullum gratiæ Dei guſtum habemus in rebus adverſis. Ideo nihil eſt ad nos erigendos hac ſignificatione efficacius, Deum nobis adeſſe etiam quum nos affligit, ac de nobis eſſe ſollicitum. Cæterum his verbis non tantum ad ferendas magno animo afflictiones hortatur, ſed admonet non eſſe cauſam cur reſides ac pigri ſimus ad faciendum officium. Nam plus ſatis experimur quantum nos impediat metus crucis ne Deo, ſicuti par erat, ſerviamus. Libenter multi profiterentur ſuam fidem: ſed quia ſibi à perſequutione timent, manus & pedes pium illum animi affectum deſtituunt. Libenter certarent multi pro Dei gloria, ſuſciperent bonas ac juſtas cauſas privatim & publice, officia ſua Deo & fratribus impenderent: ſed quia periculum eſt ab odiis improborum, quia moleſtias & complures ſibi eſſe paratas vident, quaſi manibus complicatis, otioſi quieſcunt. Ergo ſi ſemel correctus fuerit in nobis nimius ille crucis timor, & ad tolerantiam compoſiti ſimus: nulla erit pars noſtri quæ non apta ſit ac formata ad munus ſuum Deo præſtandum. Hoc eſt ergo quod intelligit Apoſtolus. Manus, inquit, remiſſas ideo habetis, genua veſtra ideo labaſcunt, quia non agnoſcitis quæ vera ſit in rebus adverſis conſolatio: ideo ad officium tardi eſtis. Nunc vero quum oſtenderim quam utilis ſit vobis crucis diſciplina, debet hæc doctrina excitare novum in omnibus veſtris membris vigorem, ut manibus ac pedibus ad ſequendam Dei vocationem alacres ac prompti ſitis. Porro ad locum Jeſaiæ alludere videtur, qui habetur c. 35. verſ. 3. Præcipit illic Propheta piis doctoribus, ut propoſita ſpe gratiæ, genua trepidantia & debiles manus confirment. Apoſtolus univerſos fideles jubet id facere. nam ſi hic uſus eſt conſolationum quas nobis Dominus proponit: quemadmodum doctoris munus eſt totam Eccleſiam erigere, ita unuſquiſque doctrinam peculiariter ſibi deſtinando, ſeipſum erigit atque animat.

13. *Rectas vias facite.*] Hactenus docuit nitendum eſſe Dei conſolationibus, ut ſimus ad bene agendum fortes ac ſtrenui: atque illam eſſe fulturam noſtram. nunc ſecundum adjungit: nempe, ut prudenter ambulemus ac teneamus rectum curſum. Nihilo enim minus vitioſus eſt inconſideratus fervor, quam inertia & mollities. Quanquam hæc viæ rectitudo quam commendat, inde procedit quum mens hominis omni metu ſuperior, tantum quid Deo probetur reputat: nam timor ad quærenda diverticula ingenioſus eſt plus ſatis. Quemadmodum ergo perverſo metu impliciti flexuoſas nobis vias quærimus, ita econverſo, quiſquis ſe ad tolerantiam malorum comparavit, recta pergit quocunque Dominus vocat, neque vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectit. In ſumma, hanc bene agendi regulam præſcribit, ut ad Dei voluntatem greſſus noſtros dirigamus, ne vel metus, vel mundi illecebræ, vel alia nos inde abducant. Ideo ſubjicit, *Ne claudicatio aberret:* hoc eſt, ne claudicando, tandem à via longius recedatis. Claudicationem vocat, quum mentes hominum alternant, nec ſincere Deo ſe addicunt. Sic alloquebatur Elias illos duplices, qui cultum Dei cum ſuperſtitionibus ſuis miſcebant, Quouſque claudicatis in utramque partem? Eſt autem elegans hæc loquutio. multo enim deterius eſt errare, quam claudicare. jam, qui claudicare incipiunt, non ſtatim avertunt ſe à via, ſed paulatim magis ac magis ab ea recedunt, donec in errorem

abrepti, in medio Satanæ labyriotbo impliciti bæreant. Monet igitur Apoſtolus ut ſanandæ claudicationi mature demus operam: quia ſi illi indulgeamus, longius nos à Deo tandem avertet. Poſſet etiam verti, Ne claudicatio degeneret, aut diſcedat. manebit tamen idem ſenſus: quoniam ſignificat Apoſtolus, eos qui rectum curſum non tenent, ſed paululum per incuriam huc vel illuc deflectere ſibi permittunt, temporis ſucceſſu penitus à Deo alienari.

14. *Pacem ſectamini.*] Ita nati ſunt homines ut videatur unuſquiſque fugitare pacem: ſibi enim privatim ſinguli ſtudent, mores ſuos volunt ferri, aliorum moribus ſe accommodare oon dignantur. Ergo niſi magno labore ſectemur pacem, eam nunquam retinebimus: multa enim quotidie accidenr quæ occaſionem præbeant diſſidiis. hæc ratio eſt cur jobeat Apoſtolus pacem ſectari: acſi diceret, non colendam eſſe duntaxat quoad nobis erit commodum, ſed enitendum eſſe ſummo ſtudio ut ſalva inter nos maneat. Quod fieri non poteſt niſi multas offenſas obliviſcamur, atque alii aliis in multis rebus mutuam demus veniam. Quia tamen pax ab impiis alis conditione noo poteſt impetrari, quam ſi eorum vitiis ac ſceleribus aſſentiamur: ideo protinus addit Apoſtolus, *ſanctimoniam* una cum pace ſectandam eſſe: acſi nobis cum hac exceptione pacem commendaret, ne malorum amicitia nos ioquinet aut polluat. Sanctimonia enim Deum proprie reſpicit. Quare etiamſi totus mundus bello flagrare debeat, non eſt deſerenda ſanctimonia, quæ vinculum eſt noſtræ cum Deo conjunctionis. Denique placide foveamus cum hominibus concordiam, ſed uſque ad aras, ut habet proverbium. Negat quenquam poſſe Deum videre ſine ſanctimonia: quoniam non aliis oculis videbimus Deum, quam qui reformati fuerint ad ejus imaginem.

15. *Curam agentes ne quis* &c.] Vel, attente providentes. His verbis indicat proclivem eſſe lapſum à Dei gratia: neque enim fruſtra attentionem requirit in hac parte, quia ſimulatque ſecuros eſſe aut remiſſos vider Satan, momento nos circumvenit. Denique contentione & vigilantia opus eſt, ſi velimus perſeverare in Dei gratia. Porro *Gratiæ* nomine totam noſtram vocationem comprehendit. Si hic quiſpiam ioferat, non eſſe igitur efficacem Dei gratiam, niſi nos proprio motu cooperemur, frivolum erir argumentum. Scimus quanta ſit carnis noſtræ pigritia. continuis itaque ſtimulis indiget. ſed quum Dominus monendo & exbortando nos ſtimulat, ſimul etiam corda noſtra afficit ne vanæ ſiot exhortationes, vel ſine effectu diffluant. Ergo à præceptis & exbortationibus colligendum non eſt quid per ſe valeat bomo, aut quæ ſit liberi arbitrii facultas: nam certe attentio quam bic Apoſtolus requirit, donum Dei eſt. *Ne qua radix.* Non dubito quin ad locum Moſis reſpexerit, qui legitur Deuter. cap. 29. nam promulgata Lege Moſes cavendum eſſe docet ne qua radix fel & abſynthium germinans in populo Dei pullnlet. Poſtea inrerpretatur quid ſibi velit, ne quis ſcilicet animæ ſuæ in peccato benedicens, & quemadmodum ebrii ſitim ſuam acuere ſolent, pravam cupiditatem irritans, impunitatis illecebra Dei contemptum inducat. Idem nunc agit Apoſtolus: prædicit enim fore ut ſi talem radicem altius creſcere ſinamus, multos corrumpat ac depraver. nec tantum jubet ſingulos eradicare ex cordibus ſuis talem peſtem, ſed prohibet etiam ne patiamur inter nos creſcere. Fieri quidem non poteſt quin radices iſtæ hæreant in Eccleſia Dei, quia bonis ſemper mixti ſunt hypocritæ & impii: ſed ubi erumpunt, reſecare debent, ne creſcendo ſuffocent bonum ſemen. Amarulentiam ponit pro eo quod Moſes dicit fel & abſynthium: ſed uterque venenoſam ac mortiferam radicem exprimere voluit. Quum ergo tam exitiale ſit hoc mali genus, eo acriore ſtudio occurrere decet, ne longius ſurgat vel ſerpat.

16. *Ne quis ſcortator vel profanus.*] Sicuti prius ad ſanctimoniam hortatus eſt, ita ut à contrariis inquinamentis revocet, ſpeciem unam ponit: ne quis ſit ſcortator. Sed mox ad genus ipſum deſcendit: ne quis ſit profanus. nam hoc nomen proprie Sanctimoniæ opponitur. In hunc finem Dominus nos vocat ut in ſuum obſequium ſanctificet. id fit dum mundo rennnciamus. quiſquis autem in ſuis ſordibus ſibi ita placet ut in eas ſubinde revolvatur, ſe profanat. Quanquam generaliter profanos definire licet, quicunque non tanti æſtimant Dei gratiam, ut ad eam, contempto mundo, aſpirent. Quoniam autem variis modis profaneſcunt homines, eo major danda eſt opera ne Satanæ rima pateat ad nos ſuis corruptelis inquinandos. & quemadmodum ſine conſecratione nulla eſt vera religio, ſemper in timore Dei, mortificatione carnis, totaque pietatis exercitatione proficiendum eſt. Nam quemadmodum profani ſumus, donec ſeparemur à mundo: ita ſi revolvimur in mundi ſordes, à ſanctificationis gratia deſciſcimus. *Ut Eſau.* Hoc exemplum vice expoſitionis eſſe nobis poteſt, quantum ad *profani* nomen attinet: nam quum Eſau pluris edulium unum quam primogenirnram ſuam feciſſet, benedictione privatus fuit. Profani ergo ſunt in quibus ita regnat mundi amor ac prævalet, ut cælum obliviſcantur: ut qui ambitione abrepti, addicti pecuniæ & divitiis, gulæ dediti, vel aliis deliciis irretiti, ſpirituale Chriſti regnum inter ſuas curas vel nullo vel poſtremo loco babent. Aptiſſimum porro hoc exemplum eſt: nam quum Dominus vim amoris quo populum ſuum proſequitur, vult exprimere, primogenitos vocat omnes quos ad ſpem vitæ æternæ vocavit. Inæſtimabilis ſane bic honor eſt quo nos dignatur: ad quem ſi conferantur omnes mundi opes, omnia commoda, bonores, deliciæ, & quæcunque ad beatam vitam pertinere vulgo exiſtimantur, erunt inſtar vilis edulii. Quod autem ea quæ prope nihili ſunt, habemus in tanto pretio, id fit quia prava cupiditas nobis perſtringit oculos, adeoque nos excæcat. Ergo ſi velimus locum in Dei ſanctuario tenere, contemnere diſcamus ejuſmodi edulia, quibus ineſcare reprobos ſolet Satan.

17. *Quum vellet benedictionem.*] Initio ludicrum ducebat factum illud, quo primogenituram vendiderat, acſi puerilis fuiſſet luſus: ſero tandem quid damni feciſſet ſenſit, quum benedictio in Jacob à patre tranſlata illi abjudicaretur. Ita, qui illecebris bujus mundi capti ſe à Deo alienanr, & ſalutem ſuam vendunt ut ſe ingurgitent terrenis eduliis, non putant ſibi quicquam perire, imo quaſi tunc maxime beati eſſenr, ſibi placent ac plaudunt. Sero illis Dominus aperit oculos, ut mali ſui conſpectu admoniti, etiam jacturæ quam negligebant ſenſu tangantur. Quamdiu famelicus eſt Eſau, nihil curat niſi ut ventrem habeat bene refertum: ſatur ridet, ac fratrem qui ſe edulio ſponte privavit, fatuum judicat. Talis, inquam, eſt impiorum ſtupor, quamdiu pravis deſideriis æſtuant vel intemperanter ſe demergunt in ſuam lætitiam: poſt tempus, intelligunt quam exitiale ſibi fuerit quicquid tam avide expetebant. Quod dicit *reprobatum*, perinde valet acſi dixiſſet Repudiatum, vel repulſam paſſum eſſe. *Pœnitentiæ locum non invenit.* Hoc eſt, nihil profecit vel conſequutus eſt ſera ſua pœnitentia: etſi cum lachrymis quæreret benedictionem, quam ſua culpa amiſerat. Quia autem omnibus gratiæ Dei contemptoribus idem periculum denunciat: quæri poteſt an ſi contemptim recepta fuerit Dei gratia, & poſthabitum mundo ejus regnum, nulla ſpes veniæ ſuperſit. Reſpondeo, non præciſe veniam talibus negari, ſed admoneri ut ſibi caveanr, ne idem illis quoque accidat. Et certe quotidie multa ſeveritatis Dei exempla

cernere

Digitized by Google

ternere licet, quibus ludibria & ſannas profanorum hominum vindicat. Nam quum ſibi craſtinum ſemper promittant, novo & improviſo mortis genere ſæpe eos repente è medio tollit: quum fabuloſum eſſe ducant quicquid audiunt de Dei judicio, eos ita perſeqnitur ut cogantur agnoſcere judicem: quum ſtupidas habeant conſcieotias, diros poſtea cruciatus ſentiunt hujus ſtuporis vindices. Tametſi autem non accidit hoc omnibus: quia tamen periculum eſt ne accidat, merito omnes monet Apoſtolus ut caveant. Altera etiam quæſtio occurrit: an pœnitentia ſua nibil proficiat peccator, quiſquis ea præditus erit. Videtur enim hoc innuere Apoſtolus, quum tradit nihil ipſi Eſau profuiſſe ſuam pœnitentiam. Reſpondeo, pœnitentiam hic non pro ſincera ad Deum converſione accipi: ſed tantum pro terrore quo Dominus impios percellit, poſtquam diu in ſua nequitia deliciati ſunt. Porro mirum non eſt ſi inutilis dicatur hic terror, quia interim neque reſipiſcunt, neque oderunt ſua vitia, ſed tantum pœnæ ſenſu cruciantur. Idem & de lachrymis dicendum eſt. Quoties ingemuerit peccator, paratus eſt Dominus ad dandam veniam: nec fruſtra unquam quæritur Dei miſericordia, quoniam pulſanti aperietur. Verum quia lachrymæ Eſau deſperati hominis fuerant, non dirigebantur ad Deum: ſic impii utcunque deplorent ſortem ſuam, conquerantur, ejulent, non pulſant ad Dei januam: quia hoc fieri non poteſt niſi fide. Atqui quo gravius pungit eos conſcientia, eo magis adverſus Deum fremunt, illique ſuccenſent. Cuperent quidem acceſſum ſibi dari ad Deum: ſed quia nonniſi ejus iram apprehendunt, ejus conſpectum fugitant. ita ſæpe videmus eos qui per jocum dictitant ſatis opportunam inter extremos ſpiritus pœnitentiam fore: quum eo ventum eſt, inter ſæva tormenta clamitare non jam eſſe obtinendæ tempus: ſe enim exitio eſſe devotos, quia nimis ſero Deum quæſierint. Interdum quidem erumpunt in has voces, O ſi, ô ſi: ſed mox deſperatio illorum vota abrumpit, fauceſque illis præcludit, ne longius procedant.

[Matth. 7. verſ. 8.]

Exod. 19. verſ. 20. 18. Non enim acceſſiſtis ad montem qui tangatur, vel ignem accenſum, ac turbinem
& caliginem, & procellam,
19. Et tubæ ſonitum, & vocem verborum: quam qui audierant, excuſarunt, ne illis
proponeretur ſermo.
Exod. 19. verſ. 20. 20. Non enim ferebant quod edicebatur, Etiam ſi beſtia tetigerit montem, lapidabi-
tur, aut jaculo configetur.
21. Ac ſic terribile erat viſum quod apparuit, Moſes dixit, Expavefactus ſum, & tre-
mefactus.
22. Sed acceſſiſtis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem,
23. Et ad conventum innumerabilium Angelorum, & Eccleſiam primogenitorum
qui ſcripti ſunt in cælis, & Judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum * conſecra-
torum,
24. Et Mediatorem novi Teſtamenti Jeſum: & ſanguinem aſperſionis, meliora lo-
quentem quam loquebatur ſanguis Abel.

[* vel, perfectorum.]

18. *Non acceſſiſtis.*] Alio argumento nunc pugnat. nam prædicat magnitudinem gratiæ quæ nobis patefacta fuit per Euangelium, ut reverenter eam excipere diſcamus: ſecuodo, ejus nobis ſuavitatem commendat, ut alliciat in ejus amorem ac deſiderium. Pondus utrique addit ex comparatione Legis & Euangelii. nam quo altius ſupra Moſis adminiſtrationem excellit Chriſti regnum, & ſplendidior eſt noſtra quam veteris populi vocatio: eo fœdior noſtra ingratitudo & minus excuſanda, niſi qua decet religione tantum bonum nobis oblatum amplectimur, ac humiliter ſuſpicimus tantam Chriſti majeſtatem, quæ hic apparet. Deinde quum non ſe nobis formidabilem, ut olim Judæis, Deus præbeat, ſed tam amice & comiter nos ad ſe invitet: ita quaſi duplicatur ingratitudinis crimen, niſi tam benignæ invitationi ultro ſtudioſe occurrimus. Primum ergo meminerimus hic Euangelium cum Lege conferri: deinde, hujus comparationis duas eſſe partes, quod ſe Dei gloria illuſtrius in Euangelio proferat quam in Lege, & quod amabilis hodie ſit ejus vocatio, quum olim nihil præter meros terrores habuerit. *Ad montem qui tangatur.* Varie exponunt hunc locum: ſed ego terrenum montem ſpirituali opponi arbitror: atque huc ſpectant quæ poſtea ſequuntur de *igne accenſo, turbine & procella*, & reliquis. Hæc enim ſigna quæ Deus edidit ut Legi ſuæ fidem conciliaret ac reverentiam, ſi in ſe conſiderentur, magnifica ſunt ac vere cæleſtia: ſed quum venitur ad regnum Chriſti, quæ illic Deus nobis proponit, cælos omnes ſuperant. Unde fit ut tota Legis dignitas quaſi terrena eſſe incipiat. ita mons Sinai manibus palpari poteſt: mons vero Sion nonniſi ſpiritu comprehenditur. quæcunque Exodi decimo nono referuntur, fuerunt viſibiles figuræ: quæ autem habemus in regno Chriſti, à ſenſu carnis ſunt abſcondita. Si quis objiciat ſpiritualem illorum omnium ſignificationem fuiſſe, & hodie etiam externa eſſe pietatis exercitia quibus in cælum evehimur: reſpondeo, Apoſtolum loqui ſecundum majus & minus. Nemini autem dubium eſt, ubi in certamen veniunt Lex & Euangelium, quin præponderet in hac parte quod ſpiritus eſt: in illa autem priore terrena ſymbola magis emineant.

19. *Qui audierant, excuſarunt.*] Hoc ſecundum membrum eſt, in quo tractat Legem Euangelio valde fuiſſe diſſimilem, quia quum promulganda fuit, omnia terroribus variis plena erant. Huc enim ſpectant quæcunque legimus Exodi decimo nono, ut ſciat populus Deum tribunal conſcendere, quo ſeverum judicem ſe oſtendat. Si innoxium animal propius forte acceſſiſſet, jubebat illud confodi: quanto durior pœna imminebat peccatoribus qui ſibi male conſcii erant, imo qui ſe noverant reos mortis æternæ agi per Legem? Euangelium autem nihil niſi amabile continet, ſi quidem fide recipitur. Reliqua pete ex 2 ad Corinth. capite 3. Cæterum quod dicit populum excuſaſſe: non ita debet accipi, quaſi populus renuerit audire Dei verba, ſed deprecatus eſt ne Deum ipſum loquentem audire cogeretur. Perſona enim Moſis interpoſita horrorem nonnihil mitigabat. Torquet tamen Interpretes quod Moſi hæc verba Apoſtolus tribuit, *Expavefactus ſum & tremefactus*, quæ nuſquam legimus Moſen protuliſſe. Verum ſolutio non erit difficilis, ſi conſideremus Moſen nomine populi ſic loquutum, cujus mandata quaſi internuncius ad Deum referebat. Fuit igitur hæc communis totius populi querimonia: ſed Moſes inducitur, qui fuit veluti commune os omnium.

22. *Ad*

Digitized by Google

22. *Ad montem Sion.*] Reſpicit ad eas prophetias quibus olim Deus promiſerat Euangelium iode proditurum, ut Jeſaiæ ſecundo, & ſimilibus locis. Ergo montem Sion committit eum monte Sinai: deinde *Jeruſalem cæleſtem.* & nominatim Cæleſtem vocat, ne Judæi in illa terrena hæreant, quæ ſub Lege floruerat: nam quum pertinaciter ſub ſervili Legis jugo manere appeterent, converſa erat in montem Sinai, ſicut Paulus docet ad Galatas capite 4. Cæleſtem ergo Jeruſalem intelligit, quæ per totum mundum eatruenda erat: quemadmodum Aogelus apud Zachariam funiculum ejus ab Orieote uſque in Occidentem extendit.

23. *Conventum Angelorum.*] Significat nos Angelis aſſociari, cooptari in Patriarcharum ordinem, & collocari in cælo inter omnes beatos ſpiritus, quum per Euangelium oos ad ſe Chtiſtus vocat. Hic vero inæſtimabilis eſt hooor quo nos dignatur cæleſtis Pater, ut Angelis & ſanctis Patribus nos acceoſeat. Quod autem myriadas Angelorum dicit, ea Daniele ſumptum eſt. quanquam ego Eraſmum ſequutus, *innumerabiles* verti. *Primogenitos*, non quoſvis Dei filios nominat, ut aliquaodo Scriptura ſolet: ſed peeolis riter honoris cauſa Patriarchas & reliquos veteris Eccleſiæ proceres oroat hoc titulo. Dicit *in cælis ſcriptos*, quia electos omnes Deus conſcriptos habere dicitur in libro ſuo vel in arcano catalogo, ut Ezechiel loquitur. *Ad judicem omnium.* Hoc dictum videtur ut metum ineutiat: acſi diceret, ita nobis offerri gratiam, ut cogitandum tamen ſit, nobis cum judice noſtro eſſe negotium, cui reddenda ſit ratio, ſi polluti ac profani temere in ejus ſanctuarium irrumpimus. Addit *ſpiritus juſtorum*, ut ſigoificet nos aggregari ad ſanctas animas, quæ corporibus exutæ omnes mundi ſordes reliquerunt: ideoque vocat *conſecratos* vel Perfectos: quia carnis infirmitatibus noo ſint ampliut obnoaii, depoſita ipſa carne. Atque hinc certo colligimus, pias aoimas, poſtquam à corporibus ſuot ſeparatæ, vivere tamen apud Deum: quia aliter non poſſemus illis adjungi comites. Tandem ſubjicit *Jeſum Mediatorem*: quoniam is ſolus eſt per quem nobis placatur Pater, & qui ſerenum atque amabilem ejus vultum nobis reddit, ne metuamus ad ipſum accedere. Simul tamen exprimit qualiter ſe nobis mediatorem præbet Chriſtus: nempe ſuo ſanguine: quem *aſperſionis*, Hebraico more, pro aſperſo oominat: quia ut ſemel pro nobis *fuſus eſt* in expiationem, ita eo nunc animas noſtras *irrigari* per fidem oportere. Quanquam Apoſtolus interim ad veterem Legis ritum alludit, cujus ante facta fuit mentio.

24. *Meliora loquentem.*] Nihil prohibet quominus in adverbium reſolvas, ut ſit Meliora pro Melius: hoc ſenſu, Chriſti ſanguinem efficacius clamare & melius exaudiri à Deo quam ſanguinem Abel. Magis tameo placet ſine figura accipere, ut vox ſonat. & meliora dicitur loqui, quoniam ad impetrandam nobis peccatorum veniam efficax eſt. Proprie non clamabat ſanguis Abel, ſed ipſum parricidium vindictam eaigebat coram Deo: ſanguis autem Chriſti clamat, quia facta per ipſum expiatio quotidie exauditur.

25. Videte ne aſpernemini loquentem: nam ſi illi, quia aſpernati ſunt eum qui loquebatur in terra, non effugerunt, multo magis nos ſi averſemur loquentem è cælis:

26. Cujus vox tunc terram concuſſit, nunc autem denunciavit, dicens, Adhuc ſemel ego moveo non ſolum terram, ſed etiam cælum.

27. Illud autem, Adhuc ſemel, ſignificat eorum quæ concutiuntur tranſlationem, ut maneant quæ non concutiuntur.

* *Alias, habeamus.* 28. Quare regnum quod non concutitur apprehendentes, * habemus gratiam: per quam colamus Deum, placentes illi cum reverentia & religione. Deus enim noſter, ignis conſumens eſt.

25. *Videte ne aſpernemini* &c.] Utitur eodem verbo quo prius, quum dicebat populum eacuſaſſe, ne Deus verba ſibi faceret. Aliud tamen intelligit, meo judicio: hoc eſt, ne repudiemus ſermonem qui nobis deſtinatur. Porro hic oſtendit quid ſpectaverit proxima comparatione: nempe graviſſimam pœnam manere Euangelii cootemptores, quum Legis cootemptum veteres impune non tulerint. Et proſequitur ſuum argumentum à minori ad majus, quum dicit Deum vel Moſen tunc in terra loquutum eſſe: nunc eundem Deum vel Chtiſtum loqui è cælo. Quanquam ego utrumque ad Deum referre malo. Dicitur autem Deus in terra loquutus, quia humilius loquebatur. Semper meminerimus de externa Legis adminiſtratione tractari: quæ talis fuit (ſi cum Euangelio conferatur) ut terrenum quiddam ſaperet, nondum ſupra cælos eveheret hominum mentes ad perfectam ſapientiam. Quanquam enim eandem Lex doctrinam contioebat: quia tamen pædagogia tantum fuit, perfectio ſemper illi detrahitur.

26. *Cujus vox terram.*] Quum Deus terram concuſſerit in Lege publicanda, probat nunc magnificentius ipſum loqui, quia terram ſimul & cælum concutiat. In eam rem citat teſtimonium Prophetæ Haggai. neque tamen ſingula verba refert: ſed quia Propheta concuſſionem terræ & cæli futuram prædicit, hoc ſumit Apoſtolus, ut doceat Euangelii vocem non in terra ſolum tonare, ſed penetrare ſupra cælos. Porro illic agi de Chriſti regno, extra controverſiam eſſe debet: nam mox in contextu ſequitur, Commovebo omnes Gentes, & veniet deſiderium cunctarum Gentium, & implebo domum iſtam gloria. Atqui certum eſt neque Gentes omnes collectas fuiſſe io unum corpus, niſi Chriſti auſpiciis: nec aliud eſſe deſiderium io quo acquieſcamus omnes quam ipſum Chriſtum: nec templum Solomonis fuiſſe gloria ſuperatum, niſi quum ejus magnitudo per totum orbem diffuſa fuit. Quare tempus Chriſti proculdubio deſignat Propheta. quod ſi exoriente Chriſti regno, non inferiores tantum mundi partes concuti, ſed vim ejus in cælum uſque pervenire oportuit: merito colligit Apoſtolus, ſublimiorem eſſe Euangelii doctrinam, & quæ ab omnibus creaturis clarius eaaudienda ſit.

27. *Illud autem, Adhuc ſemel.*] Ad verbum ſic loquitur Propheta, Adhuc unum modicum. Significat autem non diuturnam fore calamitatem populi, quin Dominus ſuccurrat. Sed Apoſtolus io hac voce non inſiſtit: tantum ex concuſſione cæli & terræ infert totius muodi ſtatum debere Chriſti adventu mutari. nam quæ creata ſunt, corruptioni ſubjacent. at Chriſti regnum æteroum eſt. ergo creaturas omnes io melius reformari neceſſe eſt. Inde ſibi tranſitum facit ad aliam exhortationem, ut regnum apprehendamus quod concuti non poteſt: quoniam ideo nos movet Dominus, ut vere & perpetuo apud ſe ſtabiliat. Quanquam magis probo diverſam lectionem quam vetus Interpres reddidit, Suſcipientes regnum habemus gratiam. Si affirmative legas, ſenſus optime fluet; nos, dum amplectimur Euangelium, donari Chriſti Spiritu, ut reverenter & pie colamus Deum. Si in modo hortandi legas, Habeamus:

coacta

coacta & obſcura erit loquutio. In ſumma, hoc (meo judicio) vult Apoſtolus, modo fide ingrediamur in Chriſti regnum, nos firma gratia potituros, quæ nos efficaciter in Dei cultu retineat: quia ſicuti Chriſti regnum, ita & donum regenerationis modo ſit ſuperius. Quum dicit, coli Deum [illegible] cum reverentia & timore, etſi promptitudinem & gaudium exigit in noſtris obſequiis, ſimul tamen nullum illi probari cultum ſignificat, niſi cum humilitate & modeſtia conjunctum. ita damnat tam præpoſteram carnis fiduciam, quam deſidiam, quæ inde gigni ſolet.

28. *Deus enim noſter ignis.*] Quemadmodum blande nuper Dei gratiam propoſuit, ita ſeveritatem denunciat: ac videtur hanc ſententiam mutuatus ex Deut. cap. 4. Ita videmus Deum nihil omittere, quo nos ad ſe trahat: qui à dulcedine quidem incipit, quo libentius ſequamur: quod ſi alliciendo parum proficit, terret. Et ſane expedit, nunquam à Deo nobis promitti gratiam, quin minæ admiſceantur. nam (ut nimium ad indulgendum nobis proclives ſumus) niſi hi ſtimuli admoverentur, frigeret apud nos mitior doctrina. Ergo Dominus, ut timentibus ſe propitius eſt ac miſericors in mille generationes: ita zelotes eſt ac juſtus vindex in tertiam & quartam generationem, ubi contemnitur.

CAP. XIII.

Rom. 12. vers. 10. 1 Petr. 4. vers. 9. FRaterna charitas maneat.

2. Hoſpitalitatis ne ſitis immemores: per hanc enim quoſdam latuit quum recepiſſent Angelos.

Gen. 18. vers. 3. & 19: 3. 3. Memores eſtote vinctorum, tanquam una vincti: eorum qui affliguntur, tanquam ipſi quoque ſitis in corpore.

4. Honorabile in omnibus conjugium & thorus impollutus: ſcortatores autem & adulteros judicabit Deus.

Joſ. 1: 5. 5. Sint mores ſine avaritia. Contenti ſitis iis quæ adſunt: ipſe enim dixit, Non te deſero, neque te derelinquo:

Pſal. 118. vers. 6. 6. Ut fidentes dicamus, Dominus mihi adjutor, neque timebo quid faciat mihi homo.

1. *Fraterna charitas maneat.*] De amore fraterno forte ideo præcipit, quia obſcura ex faſtu Judæorum ſimultas Eccleſias ſcindere poterat. quanquam in genere hæc præceptio valde eſt neceſſaria, quia nihil facilius diffluit quam charitas: dum ſibi quiſque plus æquo addictus, aliis minus tribuit. deinde quotidie interveniunt multæ offenſæ quæ nos ſeparent. Fraternam appellat, non tantum ut ſingulari & intimo amoris affectu debere nos mutuo eſſe conjunctos doceat: ſed etiam ut meminerimus, non aliter nos Chriſtianos eſſe poſſe quam ſi fratres ſimus. Nam de amore loquitur quem inter ſe colere debent domeſtici fidei: quemadmodum Dominus communi adoptionis vinculo arctius eos ſimul devinxit. Itaque utilis in prima Eccleſia fuit loquendi conſuetudo, quod ſe Chriſtiani Fratres vocitabant: nunc una cum re nomen ipſum fere obſolevit, niſi quod uſum ejus ab aliis relictum monachi ad ſe rapuerint, ſuis interea diſcordiis & inteſtinis factionibus teſtantes ſe ex patre diabolo omnes eſſe natos.

2. *Hoſpitalitatis* &c.] Hoc quoque humanitatis officium proprie coli inter homines deſiit: quia illa vetus hoſpitalitas quæ hiſtoriis celebratur, nobis ignota eſt: & cauponæ hodie ſunt pro hoſpitiis. Cæterum non tantum loquitur de jure hoſpitii quod tunc inter divites erat uſitatum, ſed potius jubet excipi miſeros atque egentes, ut tunc multi domo profugi erant propter Chriſti nomen. Atque ut hoc officii genus magis commendet, addit, receptos aliquando fuiſſe Angelos hoſpitio ab iis qui putabant ſe homines recipere. Non dubito quia de Abraham & Lot hoc ſit intelligendum. nam quum ex quotidiano more hoſpitalitatem colerent, inſcii & nihil tale cogitantes in Angelos inciderunt: ita non vulgariter ornata fuit illorum domus. Et certe Deus probavit, hoſpitalitatem ſibi in primis cordi eſſe, quum tale præmium Abrahæ & Lot rependit. Siquis objiciat, rarum illud fuiſſe: reſponſio in promptu eſt, non Angelos tantum recipi, ſed Chriſtum ipſum, quum pauperes in ejus nomine recipimus. In vocibus Græcis elegans eſt alluſio, quæ Latine exprimi non poteſt.

3. *Memores vinctorum.*] Nihil eſt quod nos ſerio miſericordiæ ſenſu magis afficiat, quam ſi eorum qui affliguntur perſonam in nos transferamus. ideo dicit perinde cogitandum de vinctis acſi eſſemus eorum loco. Quod poſtea in altero membro ſequitur, *Tanquam ipſi quoque ſitis in corpore*, varie exponunt. quidam generaliter hoc modo, Vos quoque iiſdem eſtis malis obnoxii, ut fert communis humanæ naturæ conditio. Alii autem ſic reſtringunt; Acſi in corpore eorum eſſetis. Mihi neutrum placet: refero enim ad Eccleſiæ corpus, ut ſit ſenſus, Quandoquidem eſtis ejuſdem corporis membra, communiter vos affici decet alios aliorum malis, ne quid inter vos ſit ſeparatum.

4. *Honorabile conjugium.*] Nonnulli exhortationem eſſe putant ad conjuges, ut pudice & qua decet honeſtate matrimonium inter ſe colant: ut vir cum uxore temperanter & caſte habitet, nec thorum maritalem indignis laſciviis profanent. Ita ſubaudiendum eſſet hortandi verbum, Sit conjugium honorabile. Quanquam indicativus etiam modus non male congrueret: dum enim audimus honorabile eſſe conjugium, ſimul in mentem venire debet, honorifice & reverenter in eo verſandum eſſe. Alii per conceſſionem dictum accipiunt, hoc modo, Quamvis honorabile ſit conjugium, non tamen ſcortari fas eſt. Quem ſenſum vident omnes frigidum eſſe. ego vero potius ſentio, Apoſtolum hic conjugium ſcortationi, tanquam remedium morbo, opponere: & contextus clare oſtendit hanc fuiſſe ejus mentem. Nam priuſquam Dominum minetur pœnas de ſcortatoribus ſumpturum, præfatur quæ ſit vera hujus vindictæ ratio: nempe ſi honeſte in conjugio vivamus. Sit ergo unum hoc membrum, ſcortationes non fore impunitas, quia Deum habeant vindicem. Et certe quum ſocietatem viri & uxoris à ſe inſtitutam Deus benedixerit: ſequitur quamlibet ab ea diverſam ab eo damnari & maledici. quare non adulteris tantum, ſed ſcortatoribus quibuslibet pœnam denunciat: quia utrique à ſancto Dei inſtituto diſcedunt, imo illud violant atque evertunt, promiſcue ſe miſcendo, quum una ſit conjunctio legitima, quæ Dei nomine & auſpiciis ſancitur. Sed quoniam ſine conjugii remedio promiſcuæ ac vagæ libidines coerceri nequeunt, ideo nobis ipſum commen-

mendat, vocans Honorabile. Quod addit de thoro impolluto, libenter huc refero ut ſciant conjugati non quidvis ſibi licere, ſed uſum thori legitimi debere eſſe moderatum, nequid alienum à conjugii pudore & caſtimonia admittant. Quum dicit, *in omnibus*: intelligo nullum eſſe ordinem qui à conjugio prohibeatur. Nam quod Deus generi humano in univerſum conceſſit, omnes ſine exceptione decet. omnes intelligo, qui conjugio apti ſunt, eoque opus habent. Hoc autem diſertis verbis exprimi oportuit, ut ſuperſtitioni occurreret, cujus tunc jam forte ſemina occulte jaciebat Satan, conjugium rem profanam eſſe, aut certe à Chriſtiana perfectione procul remotam. nam ſpiritus illi impoſtores de quibus vaticinatus erat Paulus, mox extiterunt, prohibentes conjugium. Ergo nequis ſtulte imaginaretur, conjugium vulgo duntaxat hominum permitti, qui autem in Eccleſia excellunt, debere eo abſtinere: omnem exceptionem tollit Apoſtolus: neque tantum docet per indulgentiam concedi (ſicuti cavillatur Hieronymus) ſed honore dignum eſſe aſſerit. Hac tam præciſa denunciatione non fuiſſe territos qui matrimonii prohibitionem invexerunt mundo, pluſquam mirum eſt: niſi quod frenum ita Satanæ laxari oportuit ad puniendam eorum ingratitudinem qui Deum audire abnuerant.

5. *Mores ſine avaritia.*] Dum avaritiam vult corrigere, recte & prudenter ſimul jubet nos præſentibus eſſe contentos. Hic enim verus eſt pecuniæ contemptus, vel ſaltem magnanimitas in recto & moderato illius uſu, dum eo contenti ſumus quod Dominus dedit, ſive illud multum ſit, ſive exiguum. Nam hoc certe raro contingit, ut avaro quicquam ſufficiat. Quin potius quibus non ſatis eſt mediocritas: etiamſi maximis opibus abundent, ſemper plus appetunt. Hæc eſt doctrina quam ſe Paulus didiciſſe prædicat: nempe quod noverat abundare & penuriam pati. Ergo qui ſuæ cupiditati modum impoſuit, ut æquo animo acquieſcat in ſua ſorte, is pecuniæ amorem ex ſuo animo expulit. *Ipſe enim dixit.* Citat hic duo teſtimonia: prius ſumptum putant ex Joſue cap. 1. ego vero magis arbitror ſententiam hanc adductam eſſe ex communi Scripturæ doctrina: acſi dixiſſet, Paſſim Dominus ſe nobis nunquam defuturum pollicetur. Ex hac promiſſione infert quod habetur Pſalmo 118. nobis ſuppetere timoris vincendi materiam, quum de auxilio Dei certi ſumus. Hic vero morbum à radice ipſa evellit: ſicuti neceſſe eſt, ſi volumus hominum animos eo vere purgatos eſſe. Fontem avaritiæ certum eſt eſſe diffidentiam. nam quiſquis hoc animo infixum habebit, nunquam ſe à Domino relictum iri, non erit ultra modum ſollicitus: quia pendebit ab illius providentia. Prudenter ergo Apoſtolus, nos ab avaritiæ morbo curare volens, ad Dei promiſſiones revocat: quibus teſtatur ſe nobis præſentem fore. Poſtea inde colligit, quamdiu talis eſt adjutor, nullam eſſe timendi cauſam. Ita enim fiet ut nullæ nos pravæ cupiditates ſollicitent, quia ſola fides eſt quæ pacare hominum mentes poſſit: quarum alioqui plus ſatis nota eſt inquietudo.

7. Memores eſtote præfectorum veſtrorum qui loquuti ſunt vobis ſermonem Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.

8. Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem etiam in ſecula.

9. Doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini. Bonum enim gratia cor confirmari, non cibis, qui nihil profuerunt iis qui in illis verſati ſunt.

7. *Memores eſtote.*] Quæ ſequuntur, non tam ad mores quam ad doctrinam pertinent. Primo loco Judæis exemplum eorum proponit à quibus edocti fuerant: ac videtur peculiariter de iis loqui qui doctrinam à ſe traditam proprio ſanguine obſignaverant. Quiddam enim memorabile deſignat quum dicit, *Intuentes exitum converſationis.* Tametſi nihil impedit quominus generaliter hoc intelligamus de iis qui in ſana fide ad extremum uſque perſtiterant, & tam in morte quam tota vita, fidele ſanæ doctrinæ teſtimonium reddiderant. Hoc autem non parum valet, quod ſuos illis doctores ad imitandum proponit. Nam qui nos in Chriſto genuerunt, quaſi patrum loco eſſe nobis debent. quum ergo eos vidiſſent partim inter ſævas perſequutiones, partim inter varia certamina conſtantes & infractos, merito debebant plus moveri.

8. *Jeſus Chriſtus heri.*] Hæc unica eſt ratio qua in recta fide perſtemus, ſi retinemus fundamentum, neque ab eo vel tantillum diſcedimus. Qui enim Chriſtum non tenet, etiamſi cælum & terram comprehendat, nihil ſapit niſi meram vanitatem. In Chriſto enim incluſi ſunt omnes cæleſtis ſapientiæ theſauri. Proinde hic eſt inſignis locus, ex quo diſcimus non aliam recte ſapiendi eſſe regulam, quam ut ſiſtamus omnes noſtros ſenſus in ſolo Chriſto. Cæterum quia cum Judæis agebat, docet Chriſtum ſemper eundem principatum tenuiſſe quem hodie tenet: ac ſemper ſui fore ſimilem uſque ad finem mundi. *Heri,* inquit, *& hodie, idem etiam in ſecula.* quibus verbis ſignificat, Chriſtum, qui nunc mundo fuit exhibitus, ab initio mundi regnaſſe: nec ulterius fas eſſe progredi, poſtquam ad eum perventum eſt. Heri ergo totum veteris Teſtamenti tempus complectitur. ac ne quis ſubitam paulo poſt mutationem expectaret, quia recens adhuc erat Euangelii promulgatio, pronunciat, ſic nuper revelatum eſſe Chriſtum, ut perpetuo duret eadem ejus cognitio. Hinc apparet, non de æterna Chriſti eſſentia Apoſtolum diſputare, ſed de ejus notitia, quæ omnibus ſeculis viguit inter pios, ac perpetuum Eccleſiæ fundamentum fuit. Certum quidem eſt, prius fuiſſe Chriſtum quam virtutem ſuam exereret: ſed nunc quæritur quid tractet Apoſtolus. ideo dico ad qualitatem (ut ita loquar) referri hunc ſermonem, non ad eſſentiam: quia non diſputatur an æternus fuerit apud Patrem, ſed qualis fuerit ejus notitia inter homines. Cæterum manifeſtatio Chriſti, quantum ad externam ſpeciem & modum, diverſa quidem fuit ſub Lege, ab ea quam hodie habemus: ſed id non obſtat quominus vere & proprie dicat Apoſtolus, eundem ſemper eſſe Chriſtum in quem reſpiciunt fideles.

9. *Doctrinis variis.*] Colligit non eſſe fluctuandum: quandoquidem fixa eſt Chriſti veritas, in qua nos conſiſtere oportet. Et certe hinc opinionum varietas, hinc omne ſuperſtitionum genus, hinc omnia errorum monſtra, hinc denique omnes religionis corruptelæ, quum in ſolo Chriſto non ſtatur. Neque enim fruſtra docet Paulus, ipſum nobis eſſe datum à Deo in ſapientiam. Ergo hujus loci ſumma eſt, ut nobis conſtet firma Dei veritas, in ſolo Chriſto acquieſcendum eſſe. Unde colligimus omnes qui Chriſtum ignorant, omnibus Satanæ fallaciis eſſe expoſitos: quia extra eum nulla eſt fidei ſtabilitas, ſed innumeræ agitationes. Mirum ergo Papiſtarum acumen, qui contrarium remedium profligandis erroribus excogitarunt, nempe ſi extincta ſit vel ſepulta Chriſti cognitio. Verum hæc Spiritus ſancti admonitio cordibus noſtris inſideat, non aliter extra periculum nos fore, quam ſi Chriſto adhæreamus. Porro doctrinas quæ à Chriſto nos abducunt, varias appellat: quoniam non alia eſt ſimplex ac ſincera veritas,

quam

quam Chriſti cognitio. Peregrinas autem, quoniam quicquid extra Chriſtum eſt, Deus pro ſuo non agnoſcit. quo etiam monemur quorſum tendere nos deceat, ſi rite volumus in Scriptura proficere. Peregrinatur enim quiſquis non recta in Chriſtum collimat. Significat præterea Apoſtolus, Eccleſiæ Dei ſemper fore certamen cum peregrinis doctrinis: nec aliud eſſe cavendi remedium, quam ut pura Chriſti cognitione munita ſit. *Bonum enim gratia.* Nunc à generali principio ad ſpeciem deſcendit. Nimirum familiaris, ut notum eſt, Judæis ſuperſtitio erat in habendo ciborum delectu, quæ multis rixis ac diſſidiis occaſionem præbebat. Erat autem hæc una ex peregrinis doctrinis: qui oriebatur ex ignorantia Chriſti. Ergo poſtquam fidem noſtram in Chriſto fundavit, ciborum obſervationem ad ſummam ſalutis veramque ſanctitatem pertinere negat. Quum *Cibis* opponit gratiam, non dubito quin ſpiritualem Dei cultum & regenerationem intelligat hoc nomine. *Cordis confirmationem* ponit, alludens ad verbum *Circumferendi:* acſi diceret, Spiritualis Dei gratia vere nos ſtabiliet, non ciborum obſervatio. Quod ſequitur, *Nihil profuiſſe cibos iis qui in illis verſati ſunt:* incertum eſt ad quos referat. Nam certe patribus qui ſub Lege vixerunt, utilis fuit pædagogia, cujus pars erat ciborum diſcrimen. Videtur ergo potius de ſuperſtitioſis intelligi, qui revelato Euangelio, perperam adhuc in veteribus ceremoniis hærebant. Quanquam ſi de patribus dextere exponas, nihil erit abſurdi. Profuit quidem illis, impoſitum à Domino jugum ſubire, & ſe obedienter continere ſub communi piorum & totius Eccleſiæ diſciplina: verum Apoſtolus ſignificat, per ſe nihil valuiſſe ciborum abſtinentiam. Et certe nihil reputanda eſt, niſi quatenus rudimentum fuit, quo tempore ſimiles pueris erant filii Dei quoad externum regimen. *Verſari in cibis*, capitur, pro, habere illorum rationem, ut diſcrimen ſit inter mundum & immundum. Cæterum quod de cibis tradit, licebit ad alios Legis ritus extendere.

10. Habemus altare, de quo edendi non habent poteſtatem qui tabernaculo ſerviunt.

11. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Sacerdotem, eorum corpora cremantur extra caſtra.

12. Quare & Jeſus, ut ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.

13. Proinde exeamus ad eum extra caſtra probrum ejus ferentes.

14. Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.

15. Per ipſum ergo offeramus ſemper hoſtiam laudis Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

10. *Habemus altare.*] Elegans eſt anagoge à veteri Legis ritu ad præſentem Eccleſiæ ſtatum. Solenne erat ſacrificii genus, cujus mentio fit Levitici 16. unde nulla portio ad Sacerdotes & Levitas redibat. Hoc nunc impletum fuiſſe in Chriſto concinna alluſione docet, quoniam hac lege immolatus fuit, ut eo non veſcantur qui tabernaculo miniſtrant. Per miniſtros vero tabernaculi, intelligit omnes ceremoniarum cultores. Ergo ut Chriſto communicemus, tabernaculo renuntiandum eſſe ſignificat. Nam ſicuti altaris nomen immolationem & hoſtiam comprehendit: ſic tabernaculum externas omnes figuras quæ cum illo conjunctæ erant. Proinde ſenſus eſt: Nihil mirum ſi hodie ceſſant Legis ritus; nam illud figuratum fuit in ſacrificio quod extra caſtra efferebant Levitæ, ut illic cremarent. nempe quia ſicuti nihil inde guſtabant tabernaculi miniſtri: ita ſi tabernaculo ſervimus, id eſt, retinemus ejus ceremonias, non erimus participes ejus ſacrificii quod ſemel Chriſtus obtulit, nec ejus expiationis quam ſemel perfecit ſuo ſanguine. Sanguinem enim ſuum, ut mundi peccata expiaret, in cæleſte Sanctuarium intulit.

13. *Proinde exeamus ad eum.*] Ne frigeat ſuperior allegoria, vel anagogica ſimilitudo, conjungit ſerium exercitium, quod à Chriſtianis omnibus requiritur. Et hunc ſimiliter docendi ordinem tenere Paulus ſolet, ut fidelibus oſtendat quibus in rebus Deus exerceri eos velit, dum à frivolis ceremoniis eos abducere ſtudet. Perinde acſi diceret. Hoc eſt quod à vobis exigit Deus: non illud in quo fruſtra vos fatigatis. Ita nunc agit Apoſtolus. Nos enim dum relicto tabernaculo ad ſequendum Chriſtum invitat, longe aliud à nobis poſtulari monet, quam ut in umbra Deum colamus ſub magnifico templi ſplendore: quia per exilia, fugas, probra, & omne genus ærumnas pergendum ſit. Hanc militiam, in qua uſque ad ſanguinem ſudandum eſt, umbroſis meditationibus opponit, quas ſolas jactabant ceremoniarum magiſtri.

14. *Non enim habemus.*] Longius extendit exitum cujus meminerat: nempe ut in hoc mundo peregrini ac vagi, nobis nuſquam eſſe fixam ſtationem, niſi in cælo, cogitemus. Itaque quoties vel pellimur ex aliquo loco, vel aliqua nobis mutatio accidit, meditemur quod hic Apoſtolus docet, non eſſe nobis certam in terra ſedem, quia cælum ſit nobis hæreditas: magiſque ac magis exercitati ad ultimum ſemper exitum nos comparemus. Nam quibus nimis quieta eſt vita, nidum ſibi fere in hoc mundo fingunt. Quare nobis qui ad talem ſegnitiem propenſi ſumus, ſæpe huc illuc agitari prodeſt, ut in cælum convertere oculos diſcamus qui nimium alioqui deorſum inclinant.

15. *Offeramus hoſtiam laudis.*] Redit ad ſpecialem illam doctrinam quam attigerat, de abrogatis ceremoniis veteribus. Prævenit autem quod contra objici poterat, nam quum ſacrificia tabernaculo ſubſint quaſi appendices: illo abolito, ſequitur hæc quoque deſiuere. Atqui Apoſtolus docuerat, quum extra portam paſſus ſit Chriſtus, nos quoque illuc vocari, atque ideo ipſum ſequi volentibus deſerendum eſſe tabernaculum. Hic oriebatur quæſtio, numquid Chriſtianis nulla ſuperſint ſacrificia. Nam hoc abſurdum foret, quum inſtituta fuerint ad profeſſionem Divini cultus. Mature itaque Apoſtolus occurrit, ac dicit aliam ſacrificandi formam nobis relictam eſſe, quæ Deo non minus placeat: nempe ut illi vitulos labiorum offeramus, quemadmodum loquitur Oſeas Propheta. Porro ſacrificium laudis *Oſea 14.*
non tantum peræque gratum eſſe Deo, ſed pluris *verſ. 3.*
etiam quam omnia externa quorum uſus fuit ſub Lege, ſatis aperte ex Pſalmo 59 conſtat. Nam Deus illa omnia repudians tanquam nihil, ſibi laudis ſacrificium offerri jubet. Videmus ergo, hunc præſtantiſſimum eſſe Dei cultum, & qui merito aliis quibuslibet exercitiis præferendus ſit, quum Dei bonitatem gratiarum actione celebramus. Hic, inquam, ſacrificandi ritus eſt, quem Dominus hodie nobis commendat. Quanquam non dubium eſt quin tota nominis Dei invocatio hic notetur ſub una parte. Neque enim gratias illi agere poſſumus, niſi ab eo exauditi. Nihil autem impetrat, niſi qui precatur. In ſumma, ſignificat ſine brutis animalibus nos habere quod offeramus Deo, & eum hoc modo rite ac perfecte à nobis coli. Cæterum ut Apoſtoli conſilium eſt docere qualis ſit ſub novo Teſtamento legitima

colendi Dei forma, ſic obiter admonet, non poſſe à nobis pure invocari Deum, & celebrari ejus nomen, niſi per Mediatorem Chriſtum. Ille enim ſolus eſt qui labia noſtra, quæ alioqui polluta ſunt, ad canendas Deo laudes, ſanctificat: qui precibus noſtris dat aditum: qui denique Sacerdotis munus peragit, ut ſe in conſpectum Dei ſiſtat noſtro nomine.

16. Beneficentiæ autem & communicationis ne ſitis immemores. talibus enim hoſtiis delectatur Deus.

17. Parete Præfectis veſtris, ac deferte. ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. id enim vobis non expedit.

18. Orate pro nobis. confidimus enim quod bonam habemus conſcientiam, cupientes in omnibus honeſte verſari.

19. Magis autem vos hortor ut id faciatis, quo celerius vobis reſtituar.

16. *Beneficentiæ.*] Hic alteram quoque rite atque ordine ſacrificandi rationem oſtendit, nempe quod omnia charitatis officia, totidem ſint hoſtiæ. quo ſignificat, ſtulte ac perperam cupidos eſſe qui ſibi aliquid deeſſe putant, niſi pecudes Deo ſecundum Legem offerant, quum tam uberem ac multiplicem ſacrificandi materiam nobis Deus ſuppeditet. Tametſi enim nihil habere à nobis commodi poteſt: tamen nominis ſui invocationem in ſacrificium deputat, & quidem ſic præcipuum, ut unum pro omnibus ſufficiat; deinde quicquid in homines beneficiorum conferimus, ſibi ipſi fert impenſum, & ſacrificii etiam nomine dignatur, ut Legis rudimenta nunc non ſupervacua modo, ſed noxia eſſe appareat, quando à vera ſacrificandi regula nos abſtrahunt. Summa hæc eſt, ſi Deo ſacrificare libeat, ipſum eſſe invocandum, & cum gratiarum actione prædicandam eſſe ejus bonitatem, deinde fratribus noſtris benefaciendum eſſe: hæc eſſe vera ſacrificia in quibus occupari veros Chriſtianos deceat; aliis jam non eſſe tempus vel locum. Et quum dicit, *Talibus delectatur Deus*, ſubeſt tacita antitheſis, quod nunc vetera illa quæ mandaverat uſque ad Legis abrogationem amplius non poſtulet. Cæterum huic doctrinæ annexa eſt exhortatio, quæ vehementer ſtimulare nos debet ad exercendam erga proximos beneficentiam. Neque enim hæc vulgaris eſt dignatio, quod quæ hominibus impendimus, Deus in ſacrificiis ſibi oblatis deputat: & quod noſtra officia, quæ nullius erant pretii, tantopere ornat ut ſacra eſſe pronunciet. Quare ubi inter nos charitas non viget, non homines tantum fraudamus jure ſuo, ſed Deum ipſum, qui ſolenni elogio ſibi dicaverat quicquid jubebat hominibus impendi. *Communicationis* nomen latius patet quam Beneficentiæ, omnia enim officia complectitur quibus ſe mutuo juvant homines: atque hæc vera eſt charitatis nota, quum inter ſe communicant qui Dei Spiritu ſimul ſunt conjuncti.

17. *Parete.*] Non dubito quin de Paſtoribus loquatur & reliquis Eccleſiæ gubernatoribus. Nam neque tunc Chriſtiani Magiſtratus erant: & quod *vigilare eos* dicit *pro animabus*, ad ſpirituale regimen proprie pertinet. Primo obedientiam, deinde honorem illis deferri jubet. Hæc duo neceſſario requiruntur, ut plebs fidem ac ſimul reverentiam Paſtoribus habeat. Sed notandum eſt ſimul, Apoſtolum de iis tantum agere qui munus ſuum fideliter exercent. Nam qui nihil habent præter titulum, imo qui Paſtorum titulo abutuntur ad perdendam Eccleſiam, parum reverentiæ merentur, & aliquanto minus fidei. Et hoc etiam diſerte exprimit Apoſtolus, quum dicit eos pro animabus vigilare: quod non pertinet niſi ad eos qui vere præſunt, ac re ipſa ſunt quod vocantur. Bis igitur ſtulti Papiſtæ, qui ſui Idoli tyrannidem hinc ſtabiliunt. Jubet Spiritus, piorum ac fidelium Epiſcoporum doctrinam obedienter amplecti, ſaniſque conſiliis obtemperare. Jubet etiam honore illos proſequi. Qui hoc Epiſcoporum larvis ſuffragatur? atqui non modo tales ſunt omnes qui ſub Papatu vocantur Epiſcopi, ſed truculenti animarum carnifices, atque immanes lupi. Verum ut taceam quales ſint, hoc tantum in præſentia dico, dum Paſtoribus noſtris jubemur ſubeſſe, ſedulo ac prudenter eſſe diſtinguendum quinam ſint veri ac fidi præfecti: quia ſi quibuslibet hunc honorem promiſcue deferimus, primum injuria bonis fiet, deinde non valebit ratio quæ hic additur, ideo honore eſſe dignos, quia pro animabus vigilant. Proinde ut hoc teſtimonio juvetur Papa cum ſuis, neceſſe prius habebunt omnes, probare ſe ex eorum eſſe numero qui pro ſalute noſtra vigilant. Hoc ſi conſtet, nihil jam erit controverſiæ quin reverenter ab omnibus piis colantur. *Ipſi enim vigilant.* Quo plus oneris ſuſtinent, eo majori honore dignos ſignificat. Nam quo quiſque plus laboris ſuſcipit noſtra cauſa, & quo majori difficultate vel periculo ſe nobis impendit, eo ſumus illi magis obſtricti. Talis autem Epiſcoporum eſt functio, ut ſummas in ſe moleſtias, præter ſummum periculum, comprehendat. Vix ergo, ſi grati eſſe volumus, licebit quantum illis debetur, rependere. Præcipue vero quum rationem de nobis reddituri ſint Deo. Indignum eſſet nullam apud nos haberi eorum rationem. Admonet præterea, quanta in re nobis eorum opera proſit. Nam ſi pretioſa nobis eſt animarum noſtrarum ſalus, minime viles erunt qui pro illa excubant. Ideo autem nos dociles eſſe jubet promptoſque ad obſequendum, ut quod pro officii neceſſitate faciunt Paſtores, libenter quoque & alacri animo faciant. Nam ſi reſtrictum mœſtitia vel tædio animum habeant, ut alias probi ſint ac fidi, reddentur tamen pigriores: quia una cum hilaritate concidet in agendo vigor. Ideo inutile fore plebi denuntiat Apoſtolus, ſi ingratitudine ſua Paſtoribus dolorem ac gemitum afferat: ut ſignificet nos ſine propriæ ſalutis jactura, non fore Paſtoribus moleſtos vel immorigeros. Quum vix decimus quiſque hoc cogitet, hinc apparet quantus vulgo ſit ſalutis neglectus. Nec mirum eſt ſi tam pauci hodie reperiantur qui ſtrenue pro Eccleſia Dei vigilent. Præterquam enim quod pauciſſimi ſint ſimiles Paulo, qui os apertum habeant clauſis populi auribus, & conſtricto populi corde ſuum ipſi dilatent: Dominus etiam ingratitudinem vindicat quæ ubique fere invaluit. Quare meminerimus de noſtra pervicacia pœnas ſumi, quoties frigent in officio Paſtores, vel minus ſunt ſeduli quam expediret.

18. *Confidimus enim.*] Poſtquam ſe eorum precibus commendavit, ut eos ad precandum incitet, prædicat ſe bonam habere conſcientiam. Quamvis enim totum mundum complecti debeant preces noſtræ, ſicuti charitas ex qua manant: peculiariter tamen nos de piis & ſanctis hominibus convenit eſſe ſolicitos, quorum nobis comperta eſt probitas, aut aliæ virtutis notæ. In hunc ergo finem conſcientiæ ſuæ integritatem commemorat, ut eos magis commoveat ad ſuſcipiendam ſui curam. Quum dicit, perſuaſus ſum, vel confido, partim hoc modeſtiæ ſervit, partim fiduciæ. Particula *in omnibus*, tam ad res quam ad homines referri poteſt: itaque in medio relinquo. Aliud argumentum addit, non tam ſibi uni privatim, quam illis omnibus utiles fore preces quas pro ipſo concipient: acſi diceret, Non tam mihi conſulo quam vobis omnibus; quia in hoc commune omnium

bonum

bonum agitur, ut vobis teſtituar. Hinc colligi forte poſſet probabilis conjectura, Epiſtolæ authorem tunc fuiſſe aut negotiis implicitum, aut detentum perſequutionis metu, quominus ſiſtere ſe tam cito coram poſſet quibus ſcribebat. Quanquam fieri poteſt ut liber & expeditus ſic loquatur, quia reputet hominis greſſus in manu Dei eſſe. idque veriſimilius apparet ex fine Epiſtolæ.

20. Porro Deus pacis qui eduxit ex mortuis Paſtorem ovium magnum in ſanguine Teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum.

21. [a] Confirmet vos in omni opere bono, ut faciaris ejus voluntatem: faciens in vobis quod acceptum ſit coram ipſo, per Jeſum Chriſtum, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. [a] *Alias, aptet, vel perficiat.*

22. [b] Hortor autem vos fratres, ſuſcipite ſermonem exhortationis. etenim brevibus vobis ſcripſi. [b] *Alias, obſecro.*

23. [c] Scitore fratrem Timotheum ſolutum eſſe, cum quo, ſi celerius venerit, videbo vos. [c] *Alias, ſcitis.*

24. Salurate omnes qui præſunt vobis & omnes ſanctos. Salutant vos Itali.

25. Gratia cum omnibus vobis, Amen.

Ad Hebræos ſcripta ab Italia per Timotheum.

20. *Deus pacis.*] Ut mutuo faciat quod pro ſe fieri cupit, Epiſtolam claudit precatione. Petit autem à Deo ut illos in omni opere bono confirmet, vel aptet, vel perficiat. Id enim valet καταρτίσαι. Unde colligimus, nos ad bene agendum minime aptos fore, donec à Deo formati ſimus: nec in bono diu ſtatutos, niſi nos confirmet. Eſt enim proprium ejus donum, perſeverantia. Nec dubium eſt, quum jam in illis non vulgaria lucerent dona Spiritus, ut viſum eſt, non primam formam qua inchoëntur, ſed expolitionem qua perfecti reddantur, optari. Jam definitionem bonorum operum ponit, quum Dei voluntatem ſtatuit pro regula. Nam ita ſignificat, non alia eſſe habenda bona opera, niſi quæ ad Dei voluntatem exiguntur, ſicuti etiam Paulus ad Rom. 12: 2. & pluribus aliis locis docet. Meminerimus ergo hanc eſſe bene & ſancte vivendi perfectionem, dum vita ad ejus obedientiam eſt compoſita. Quod proxime ſequitur membrum, ad explicationem valet. *Faciens*, inquit, *quod acceptum ſit coram illo.* Loquutus erat de voluntate, quæ in Lege patefacta eſt: nunc oſtendit, fruſtra Deo obtrudi quod non præcepit, quia ſua placita pluris facit quam omnes mundi inventiones. Quum dicit, *Per Jeſum Chriſtum*, bifariam hoc poteſt exponi: vel, faciens per Jeſum Chriſtum: vel, quod illi placeat per Jeſum Chriſtum. Ac uterque ſenſus optime congruit. Scimus enim & Spiritum regenerationis & omnes gratias nobis conferri Chriſti beneficio. Deinde certum eſt, quum nihil omni ex parte abſolutum à nobis prodeat, nihil poſſe gratum eſſe Deo ſine venia, quam per Chriſtum obtinemus. Ita fit ut noſtra opera gratiæ Chriſti odore perfuſa, ſuavem fragrantiam ſpirent coram Deo, alioqui fœteant. Mihi non diſplicet ad utrumque ſimul extendi. Clauſulam hanc precationis, *Cui gloria*, ad Chriſtum libenter refero. Quum autem hic tribuat Chriſto quod in ſolum Deum competit, luculentum hoc modo teſtimonium reddit ejus Divinitati. Quanquam ſiquis de Patre malit interpretari, non repugno. Alterum potius amplector, quia minus eſt remotum. *Qui eduxit è mortuis*, Hoc epithetum ad confirmationem additum eſt. ſignificat enim, tunc rite demum à nobis Deum invocari, ut nos ad perfectionem adducat, quum ejus potentiam agnoſcimus in Chriſti reſurrectione, Chriſtumque ipſum agnoſcimus Paſtorem. In ſumma, vult nos in Chriſtum reſpicere, ut bene de auxilio Dei ſperemus. nam ideo excitatus eſt Chriſtus à morte, ut nos eadem Dei virtute renovemur in vitam æternam, & magnus eſt omnium Paſtor, ut ſibi à Patre commiſſas oves tueatur. Ubi tranſtuli, *In ſanguine*, alii reddunt, Per ſanguinem: ſed quum ב plerumque ſumatur pro cum, in eo ſenſu hic accipere magis placet. Videtur enim mihi Apoſtolus hoc velle, Chriſtum ita reſurrexiſſe à mortuis, ut mors tamen ejus non ſit abolita, ſed æternum vigorem retineat: acſi dixiſſet, Deus Filium ſuum excitavit, ſed ita ut ſanguis quem ſemel in morte fudit, ad ſanctionem fœderis æterni, poſt reſurrectionem vigeat, fructumque ſuum proferat, perinde acſi ſemper flueret.

22. *Hortor autem vos.*] Quidam ita accipiunt acſi audientiam ſibi fieri peteret: ego aliter. nam meo judicio, ſe paucis aut breviter ſcripſiſſe commemorat, ne videatur minuere quicquam voluiſſe ex quotidiano more docendi: præſertim tamen de exhortationibus loquitur, in quibus fuit brevior. Diſcamus ergo non ideo traditam nobis Scripturam, ut ſileat inter nos vox Paſtorum: nec ſimus faſtidioſi, quum eædem ſubinde auribus noſtris exhortationes inſonant. Sic enim moderatus eſt Spiritus Dei quæ Prophetis & Apoſtolis ſcripta dictabat, ut inſtituto à ſe ordini nihil detogaret. Hic autem ordo eſt, ut aſſiduæ in Eccleſia exhortationes ex ore Paſtorum audiantur. Fortaſſis & hac de cauſa exhortationis ſermonem commendat, quod quum natura diſcendi cupidi ſint homines, ſemper novum aliquid doceri malunt, quam de rebus notis & ſæpius auditis moneri. Accedit etiam quod quum ſibi indulgeant in ſua pigritia, ægre ſe pungi & caſtigari ſuſtinent.

23. *Scitote fratrem.*] Quoniam terminatio verbi Græci γινώσκετε utrique modo convenit: legi poteſt Scitis, vel Scitote, atque hæc poſterior lectio mihi placet, tametſi priorem non rejicio. Probabile enim eſt, Judæis tranſmarinis indicari quod nondum ſciebant. Cæterum ſi hic eſt Timotheus nobilis ille Pauli comes (quod ego libenter recipio) veriſimile eſt Lucam vel Clementem eſſe authorem hujus Epiſtolæ. Paulus quidem filium magis vocare ſolet. deinde, quæ mox ſubjicit, Paulo non convenirent. Apparet enim hunc qui ſcribit, liberum fuiſſe ac ſuæ poteſtatis, ac præterea alibi potius tunc fuiſſe quam Romæ: imo veriſimile eſt circumiſſe per varias urbes, & tunc paratum fuiſſe ad trajiciendum mare. Hæc autem omnia vel Lucæ vel Clementi poſt Pauli mortem accidere potuerunt.

24. *Salutate.*] Quum Hebræis communiter omnibus hanc Epiſtolam ſcribat, mirum eſt cur jubeat aliquos, quaſi è numero ſegregatos, ſalutari. Sed Præfectis, meo judicio, ſalutationem hanc peculiariter adſcribit, honoris cauſa, ut eos ſibi conciliet, placidiuſque ad conſenſum doctrinæ adducat. Quum addit *Sanctos omnes:* vel fideles intelligit qui erant ex Præputio, ut colere inter ſe diſcant unitatem Judæi & Gentiles; vel huc ſpectat, ut qui hanc Epiſtolam habuerint primi, cum aliis communicent.

FINIS.

I N D E X

Eorum quæ his,

V E L

E P I S T O L I S P A U L I,

V E L

J O A N N I S C A L V I N I

• I N E A S

C O M M E N T A R I I S

C O N T I N E N T U R.

Prior numerus, caput: poſterior, verſum indicat.

A.

Abba pater, Rom. 8. 15. & Gal. 4. 6
Abire poſt Satanam, 1 Tim. 5. 15
Abnegatio Chriſti multiplex, Rom. 6. 8
Abnegatio Chriſti quam noxia, 2 Tim. 2. 12
Abnegatio Chriſti non excuſanda, Phil. 1. 20
Abnegatio ſui præcipua laus Chriſtianorum, 2 Cor. 5. 17
Abnegatio noſtri præcipitur, 2 Cor. 4. 10. Gal. 5. 17. Epheſ. 4. 22. Hebr. 4. 10
Abraham pater fidelium, & quomodo, Rom. 4. 1, 16. Hebr. 6. 12. & 11. 8
Abraham quomodo juſtificatus fuerit, Gal. 3. 6
Abraham ſola fide juſtificatus, Rom. 4. 3
Abraham quomodo hæres mundi, Rom. 4. 13. Hebr. 2. 5
Abraham Rege Melchiſedec inferior, Hebr. 7. 4. 6
Abrahæ vocatio, Hebr. 11. 8
Abrahæ hoſpitalitas, Hebr. 13. 2
Abrahæ riſus vitio caruit, Rom. 4. 20
Abrahæ corpus effœtum ante Dei benedictionem, Rom. 4. 19
Abrahæ fides, Rom. 4. 3. Hebr. 11. 8
Abrahæ perſeverantia, Hebr. 11. 9
Abſolutio Papalis prorſus magica, 2 Cor. 5. 19
Abuſus bonorum Dei, 1 Tim. 2. 9
Abuſus cognitionis Euangelii, Rom. 2. 21
Abuſus donorum Dei, 1 Tim. 6. 20. & 1 Cor. 12. 31
Acceptio perſonarum damnatur, 1 Tim. 5. 21
Acta Apoſtolorum integram hiſtoriam non continent, 2 Cor. 11. 25
Adam peccati figura, Rom. 5. 14
Adam fidem habuit Satanæ mendacio, 2 Tim. 2. 14
Adæ lapſus nos à Deo alienavit, Hebr. 2. 5
Adæ inobedientia quam noxia, Rom. 5. 19
Adæ & Chriſti collatio, 1 Cor. 15. 47
Adjuratio per Dei nomen quam ſeria res ſit, 1 Theſſ. 5. 27
Admonitio, doctrinæ confirmatio & ſtimulus, Col. 3. 16
Adoptio pro ipſa poſſeſſione, Gal. 4. 5
Adoptio ex gratuita electione pendet, Col. 1. 12
Adoptio cauſa prima obedientiæ, Hebr. 2. 13
Adoptio ſola homines efficit idoneos, Col. 1. 12
Adoptio hæredes vitæ facit, Hebr. 6. 12
Adoptio Judæorum, Rom. 9. 4
Adoptionem expectare quid, Rom. 8. 23
Adoratio externa, Rom. 11. 4
Adulatio vitanda, Rom. 12. 18. & 16. 18
Adulatores idoli Romani, Epheſ. 1. 22
Adulterium crimen capitale, 1 Cor. 7. 11
Ædificatio fructus doctrinæ, 1 Tim. 1. 4
Ædificatio Eccleſiæ ſemper ſpectanda, 1 Cor. 14. 5
Ædificatio pia neceſſaria, Rom. 14. 19
Ædificationis quatuor ſpecies, 1 Cor. 14. 6
Ædificationi ſemper ſtudendum, Col. 4. 6. & 1 Theſſ. 5. 21. & 1 Tim. 1. 6. & 1 Tim. 1. 7. & 1. 14. Tit. 1. 9. & 2. 1. Hebr. 5. 12
Æmulatio optima, 1 Theſſ. 4. 10. Hebr. 10. 24
Æquabilitas quid ſit, 2 Cor. 8. 13
Ætas nubilis ſecundum Juriſconſultos, 1 Cor. 7. 36
Ætas plenitudinis pro juſta vel matura, Epheſ. 4. 13
Affectus in fidelibus duplex, Rom. 8. 23. & 9. 2. & 11. 19
Afflictiones animi, 2 Cor. 1. 6
Afflictiones piis ac impiis communes, 2 Cor. 1. 5. & 1 Tim. 3. 12. Hebr. 11. 6
Afflictiones piorum probrum Chriſti, Hebr. 11. 26
Afflictiones piorum, teſtimonia ſunt gratiæ Dei, Philip. 1. 18
Afflictiones piorum teſtantur Deum fore mundi judicem, 2 Theſſ. 1. 5
Afflictiones non ſemper ſunt iræ Dei ſigna, Hebr. 12. 5
Afflictiones ſalutis piorum adminicula, Rom. 8. 28
Afflictiones num ſalutis noſtræ cauſæ, 2 Cor. 4. 17
Afflictiones gloriam fidelium promovent, Rom. 5. verſ. 3, 5
Afflictiones pios miſeros non faciunt, 1 Tim. 4. 10
Afflictiones piorum variæ, 2 Timoth. 3. 12
Afflictiones piis quam utiles, 1 Cor. 11. 32. & 1 Cor. 1. 5. Philip. 1. 18. & 1 Timoth. 2. 9. Hebr. 11. 38. & 12. 4
Afflictiones æquo animo ferendæ, Rom. 8. 29, 30. Coloſſ. 1. 24. Hebr. 12. 5, 12
Afflictiones piorum leves & momentaneæ, Rom. 8. verſ. 18. & 1 Cor. 4. 17
Afflictiones Chriſti & martyrum communes, 2 Cor. 1. 5. & 4. 10. & 13. 4. Philipp. 1. 7. Col. 1. verſ. 13, 24
Afflictionis fidelium finis, Rom. 5. 3. & 8. 30. Gal. 3. 4. & 2 Timoth. 2. 21. Hebr. 12. 10, 11
Agapæ quæ ſint, 1 Cor. 11. 21
Agendi tres gradus, 2 Cor. 8. 10
Agnoſcere pro habere rationem aut reſpectum, 1 Theſſ. 5. 12
Aaron conſtitutus Sacerdos, ſed ad tempus, Hebr. 5. verſ. 4
Alexander hæreticus, 2 Timoth. 1. 20
Alexander faber Euangelii hoſtis, 2 Timoth. 4. 14
Allegoriæ rem interdum obſcurant, Hebr. 10. 19
Allegoriæ intempeſtivæ, Gal. 4. 22
אלהים pro Angelis, Hebr. 1. 8
Ambitio contentionum mater, 1 Tim. 1. 14. Tit. 3. verſ. 9
Ambitio Eccleſiæ quam noxia, 2 Cor. 14. 4, 36. Gal. 5. 26
Ambitio cavenda, Rom. 13. 13. & 1 Cor. 8. 1, 2. & 14. 19
Ambitio paſtorum, vide Paſtorum ambitio.
Ambulare ſecundum carnem quid, Rom. 8. 1
Ambulare ſecundum Spiritum quid, *ibid.*
Ambulare in cibis quid, Hebr. 13. 9
Amen quid, 1 Cor. 14. 16. & 2 Cor. 1. 20
Amicitia mundi, vide Mundi amicitia.
Amor Dei, vide Dei amor.
Amor mundi, vide Mundi amor.
Anabaptiſtæ perperam juramentum damnant, Rom. 2. 9
Anathema quid, Rom. 9. 3. Gal. 1. 8
Anathema dicere Jeſum, 1 Cor. 12. 3
Angelus Satanæ quid, 2 Cor. 12. 7
Angeli ſpiritus, Hebr. 1. 14
Angeli immortales, 1 Tim. 6. 16
Angeli cur principatus dicantur, Epheſ. 1. 21. Col. 1. 16
Angeli cur electi dicantur, 2 Tim. 5. 21
Angeli potentiæ, qui, 2 Theſſ. 1. 7
Angeli iræ Dei miniſtri, 1 Cor. 10. 10
Angeli pro mediatoribus habiti, Epheſ. 1. 21
Angeli Chriſto ſubjecti, Coloſſ. 1. 17. Hebr. 1. 4, 6. & 7. 26
Angeli quomodo filii Dei, Hebr. 1. 5
Angeli quomodo proficiunt, Epheſ. 3. 10
Angeli in fide non ambulant, *ibid.*
Angeli an à peccatoribus ſint ſegregati, Hebr. 7. verſ. 26
Angelorum conditio, Hebr. 1. 14
Angelorum conditio potior quam noſtra, Hebr. 4. 15
Angelorum cultus ſuperſtitioſus, Coloſſ. 2. 18
Angelorum dignitas, Coloſſ. 1. 16
Angelorum lingua pro ſingulari aut eximia, 1 Cor. 13. 1
Angelorum mediator Chriſtus, Coloſſ. 1. 20
Angelorum & hominum reconciliatio qualis per Chriſtum, *ibid.*
Angelis injuncta Eccleſiæ cura, 1 Tim. 5. 22
Anguſtia quid, Rom. 8. 35
Anima pro homine, Rom. 13. 1
Anima pro voluntate & omnibus affectibus, 1 Theſſ. 5. 23
Anima pro ipſis affectibus, Hebr. 4. 12
Anima interdum Spiritui opponitur, 1 Cor. 1. 14
Animæ eſſentia immortalis, 1 Cor. 15. 18. & 2 Cor. 5. 1, 9. & 1 Tim. 6. 16
Animæ partitio, 1 Cor. 1. 10
Animæ facultates, 1 Theſſ. 5. 23
Animæ vita Chriſtus, Epheſ. 2. 4
Animæ vita, noſtra cum Deo conjunctio, Hebr. 9. 14
Animæ occiſio duplex, Hebr. 4. 12
Animæ à corporibus ſolutæ vitam ſuam retinent, 1 Cor. 15. 19. & 2 Cor. 5. 8. Philip. 1. 23. & 1 Theſſ. 4. 13. Hebr. 12. 23
Animalis homo, 1 Cor. 1. 14
Antichriſtus quis, 2 Theſſ. 2. 3
Antichriſti deſcriptio, 2 Theſſ. 2. 4
Antichriſti tyrannis ſpiritualis, *ibid.*
Antichriſti interitus, 2 Theſſ. 2. 8
Antiochi ſævitia in Dei populum, Hebr. 12. 35
Anus quales eſſe debeant, Tit. 2. 3
Anuum vita, *ibid.*
Anxietas quid, Rom. 8. 35
Apollinaris error de Chriſti anima, 1 Cor. 15. 45
Apollos ſucceſſor Pauli, 1 Cor. 1. 11. & 16. 12
Apoſtaſia à fide, 2 Theſſ. 2. 3. & 1 Tim. 4. 1. Hebr. 6. 4. & 10. 26
Apoſtolus quis cenſendus, 1 Cor. 1. 1. & 12. 28. Epheſ. 4. 11

Apoſtoli

Digitized by Google

Apoſtoli nomen late extenditur, Rom. 16. 7. & 1 Cor. 15. 3. & 2 Cor. 8. 22. Philipp. 2. 25
Apoſtoli officium, Rom. 1. 1. & 15. 10. & 1 Cor. 15. 3
Apoſtoli Eccleſiæ fundatores, Rom. 15. 20
Apoſtoli in recitandis Scripturæ verbis ſæpe liberiores, Rom. 3. 10. & 11. 26. & 1 Cor. 14. 20. Epheſ. 4. 8. & Tit. 1. 3. Hebr. 2. 7. & 3. 9. & 10. 5, 38. & 11. 21
Aqua pro Spiritu Dei, Hebr. 10. 22
Arbitrium liberum evertitur, Rom. 6. 18. & 7. 15. vide Liberum arbitrium.
Arca ſymbolum Divinæ præſentiæ, Hebr. 9. 24
Archippus Eccleſiæ miniſter, Philem. 1
Archippus officii admonetur, Col. 4. 17
Ariſtarchus, Pauli comes, Col. 4. 10
Ariſtotelis locus, 1 Cor. 14. 11. Gal. 5. 19
Arma ſpiritualia, 2 Cor. 10. 4. Epheſ. 6. 11
Arma lucis quæ, Rom. 13. 11
Arriani refelluntur, 2 Cor. 4. 4. & 13. 4. Epheſ. 4. 5. Philip. 2. 6. Col. 1. 15. & 1 Tim. 3. 16. Tit. 1. verſ. 13. Hebr. 1. 3
Arrogantia Judæorum, vide Judæorum arrogantia.
Artes præclara Dei dona, 1 Cor. 1. 17
Artes voluptariæ damnantur, Epheſ. 4. 28
Artium uſus, 1 Cor. 1. 27
Aſperitas, vide Severitas.
ἄθεοι qui, Epheſ. 2. 12
Avaritia malorum omnium radix, 1 Tim. 6. 10
Avaritia cur idolorum cultus, Epheſ. 5. 5
Avaritia damnatur, Rom. 1. 28. & 2 Cor. 12. 14. Epheſ. 5. 3. & 1 Tim. 3. 3. & 6. 5, 6, 7. Hebr. 13. 5
Avaritiæ fons diffidentia, Hebr. 13. 5
Avaritiæ corrigendæ ratio, 1 Tim. 6. 11
Authoritas non Deo deferenda, Rom. 3. 10
Axioma primarium totius philoſophiæ Chriſtianæ, Rom. 3. 4

B

Baptizari in Chriſti nomen quid, 1 Cor. 1. 13
Baptizari pro mortuis quid, 1 Cor. 15. 29
Baptiſma unum, Epheſ. 4. 5
Baptiſmus olim in nube adumbratus, 1 Cor. 10. 1
Baptiſmus in mari figuratus, ibid.
Baptiſmus rei exhibitæ ſignum, Col. 2. 12
Baptiſmus in Chriſti nomine, 1 Cor. 1. 13
Baptiſmus circumciſioni ſucceſſit, Rom. 4. 11
Baptiſmus infantibus minime negandus, 1 Cor. 7. 14. Hebr. 6. 2
Baptiſmus ſalutis obſignatio, Tit. 3. 5
Baptiſmus cur lavacrum regenerationis dicitur, ibid.
Baptiſmus non juſtificat, Rom. 1. 25
Baptiſmi nomen varie ſumptum, Hebr. 6. 2
Baptiſmi efficacia, Epheſ. 3. 26
Baptiſmi ſcopus Chriſtus eſt, 1 Cor. 1. 13
Baptiſmi finis, Rom. 2. 25. & 6. 3, 4. Epheſ. 3. 27
Baſilii locus, 1 Cor. 15. 33. Tit. 1. 12
Belial, pro diabolo, 2 Cor. 6. 15
Benedicere varie acceptum, Epheſ. 1. 3
Benedicendi genus duplex, Hebr. 7. 7. & 11. 20
Benedictio varie ſumpta, Gal. 3. 8. & Hebr. 11. 20
Benedictio quid, Hebr. 7. 7
Benedictio pro adoptione, Galat. 3. 8
Benedictio pro beneficentia, 2 Cor. 9. 5, 6
Benedictio myſticæ menſæ & communis alia, 1 Tim. 4. 5
Benedictus Textor Medicus, 2 Tim. 2. 17
Beneficentia commendatur, 1 Cor. 16. 2. & 2 Cor. 9. 5, 6, 7, 8. Galat. 6. 9. Philip. 4. 18. & 1 Tim. 6. 18. Tit. 3. 1. Hebr. 13. 16
Beneficentia erga omnes colenda, Galat. 6. 10. & 1 Theſſ. 3. 15. & 2 Theſſ. 3. 13
Beneficentiæ regula, 2 Cor. 8. 3
ברית quid Hebræis, Hebr. 9. 16
Blaſphemia quid ſit, 1 Cor. 4. 12
Bonum pro benignitate, Galat. 6. 9
Bonum pro recto & legitimo, 1 Tim. 1. 8
Bonum non ſemper malo aut vitioſo opponitur, 1 Cor. 7. 2
Bonum omne ex Dei gratia, Philip. 2. 13
Bona quomodo apud homines comparanda, Rom. 12. 17
Bona Eccleſiæ quibus diſpenſanda, 1 Tim. 5. 16
Bonorum communio num neceſſaria, 2 Cor. 8. 13
Boni malis permixti, Rom. 16. 17. & 1 Cor. 5. 9, 10. Philip. 1. 15. & 3. 20. & 2 Tim. 2. 20. & 3. 2. Hebr. 3. 16. & 12. 15
Budæi locus, Rom. 9. 3. & 1 Cor. 4. 13. & 9. 27. & 2 Cor. 1. 13. Philip. 3. 9. Col. 2. 18

C.

Cadere pro perire, Hebr. 4. 11
Cælibatus in quem finem appetendus, 1 Cor. 7. 35
Cælibatus num conjugio ſanctior, 1 Cor. 7. 6
Cælibatus quatenus conjugio melior, 1 Cor. 7. 38
Cælibatus paſtorum quot malorum cauſa fuerit, 1 Cor. 7. 7
Cælibatus papiſtarum impurus, 2 Tim. 5. 15
Cælibatus in junioribus viduis periculoſus, 1 Tim. 5. 11
Cælibatus commoda, 1 Cor. 7. 32
Cælibatus ſtulti zelotæ, 1 Cor. 7. 6
Cælibatus lex tyrannica, 1 Cor. 7. 35
Cælum cur urbs fundata dicatur, Hebr. 11. 10
Cœli de Dei potentia diſſerunt, Rom. 10. 18
Cœli quomodo perituri, Hebr. 1. 10
Cæcitas humanæ mentis quanta, 1 Cor. 1. 21
Calia Atenæ protervia, 2 Cor. 14. 34
Calix benedictionis quid, 1 Cor. 10. 16
Calumniæ in Dei gratiam, Rom. 6. 17
Canendi mos in Eccleſia, 1 Cor. 14. 13
Canticum quid, Col. 3. 16
Cantiones ſpirituales Deo acceptæ, Epheſ. 5. 18. Col. 3. 16
Capitum ſectiones ineptæ, 1 Cor. 4. 21. & 11. 1. & 13. 1. & 2 Cor. 2. 1. Gal. 4. 1. Hebr. 11. 1
Carbones in caput inimici congerere, Rom. 12. 20
Caro pro humana natura, 2 Cor. 13. 4
Caro pro ingenio vel naturæ inclinatione, Epheſ. 1. 3
Caro pro vita corporali, Gal. 2. 20
Caro pro corpore, 2 Cor. 7. 1
Caro pro rebus externis & caducis, Gal. 3. 3
Caro pro eo omni quod eſt extra Chriſtum, Philip. 3. 3
Caro pro externo homine, 1 Cor. 7. 28
Caro pro hominibus per contemptum, 1 Cor. 1. 29
Caro pro externo aſpectu, Gal. 4. 13
Caro pro humana apparentia, Gal. 4. 29
Caro pro corruptis hominibus, Rom. 7. 14. & 8. 3. Gal. 5. 19, 24. Col. 2. 11
Caro pro toto homine non regenerato, Rom. 7. verſ. 18
Caro pro parte hominis nondum regenerata, 2 Cor. 12. 7
Caro in bonam partem, 2 Cor. 3. 3
Caro & ſanguis quid, 1 Cor. 15. 50. Gal. 1. 16
Carnis cura quatenus habenda, Rom. 13. 14
Carnis opera, Gal. 5. 19
Carni ſeminare quid, Gal. 6. 8
Carneum in bonam partem ſumptum, 2 Cor. 3. 3
Catulus quondam miniſter verbi, Phil. 1. 18
Caſtitas vera & Deo accepta quæ, 1 Cor. 7. 7
Cataphryges hæretici, 1 Tim. 4. 3
Catechiſmus, Hebr. 6. 1
Catechumenorum duo ordines olim, Hebr. 6. 2
Cathari refelluntur, Rom. 7. 25. Epheſ. 1. 4. & 1 Tim. 4. 3
Celeſtini refelluntur, Epheſ. 1. 4. Col. 1. 22
Cenſura Eccleſiaſtica, 1 Cor. 14. 32
Ceremoniæ ad quid inſtitutæ, Hebr. 8. 5
Ceremoniæ cur elementa mundi, Gal. 4. 9. Col. 2. 8
Ceremoniæ umbris ſimiles, Hebr. 10. 1
Ceremoniæ abolitæ, Col. 2. 14. Hebr. 13. 10, 15
Ceremoniarum ſcopus, Hebr. 8. 5
Ceremoniarum uſus, Hebr. 9. 9
Charitas donum Dei, Col. 1. 3. & 1 Theſſ. 1. 2. & 2 Theſſ. 1. 3
Charitas vinculum perfectionis, Rom. 12. 9. Col. 3. 14
Charitas, unica operum regula, 1 Cor. 13. 3. & 16. 14
Charitas exercitium fidelium, Galat. 5. 6
Charitas ædificat, 1 Cor. 8. 10
Charitas perfecta quæ, 1 Theſſ. 4. 10
Charitas non ſufficit, 1 Cor. 13. 13
Charitas quomodo credit omnia, 1 Cor. 13. 7
Charitas quomodo finis legis, 1 Tim. 1. 5
Charitas erga omnes, 1 Tim. 2. 1
Charitas eſt laborioſa, 1 Theſſ. 1. 3. Hebr. 6. 10
Charitas commendatur, Epheſ. 4. 15, 16. & 5. 2. Philip. 2. 2. Col. 3. 14. Hebr. 13. 1
Charitas firma commendatur, 1 Theſſ. 4. 9
Charitatis gradus, Rom. 1. 16. & 12. 13. Gal. 6. 10. Epheſ. 1. 13. & 6. 18. Col. 1. 4. Philem. 1, 4. Hebr. 6. 10
Charitatis incrementa à Deo, 2 Theſſ. 1. 3
Charitatis initium & incrementa à Deo ſunt, 1 Theſſ. 3. 12
Charitatis officia, 1 Cor. 13. 4. Gal. 2. 3. Hebr. 13. verſ. 16
Chiliaſtarum delirium, 1 Theſſ. 4. 17. & 2 Theſſ. 2. verſ. 1
Chloe mulieris nomen, 1 Cor. 1. 11
Chriſtus, Deus æternus, Rom. 1. 3, 4. & 8. 11. & 9. 5. & 14. 11. & 15. 11. & 1 Cor. 1. 2. & 10. 9. Gal. 4. 4. Philip. 2. 6, 9. Coloſſ. 1. verſ. 9, 10. & 1 Theſſ. 3. 11. & 1 Theſſ. 2. 16. & 1 Tim. 2. 5. & 3. 16. Tit. 2. 13. Hebr. 1. verſ. 2, 3, 8. & 1. 10. & 10. 20. & 13. 20
Chriſtus cur noviſſimus Adam, 1 Cor. 15. 45
piorum advocatus & interceſſor, Rom. 8. 34
univerſalis omnium anima, 1 Cor. 3. 17
Angelorum caput, 1 Cor. 11. 10
Eccleſiæ caput, Epheſ. 1. 22. Col. 1. 18. & 2. 10, 19. Hebr. 3. 4
quomodo caput viri, 1 Cor. 11. 3
bonorum omnium complementum, 1 Cor. 1. 30
cur Dominus dictus, Rom. 10. 9. & 14. 9, 11. & 1 Cor. 1. 13. & 8. 6. Epheſ. 4. 5
dux populi Iſraelitici, 1 Cor. 10. 9
unicum recte agendi exemplar, 1 Cor. 11. 1
unicum exemplar fidelium, Rom. 8. 29. Epheſ. 5. verſ. 1. Philip. 2. 5. Hebr. 10. 7. & 12. 3
Filius Dei, Rom. 1. 4. Hebr. 1. 5
Filius Dei primogenitus, Rom. 8. 29
Filius dilectionis, Col. 1. 13
finis Legis, Rom. 10. 4. & 2 Cor. 1. 19. & 3. 16. Hebr. 4. 10
frater piorum omnium, Rom. 8. 29. Hebr. 2. 11. & 3. 3
unicum Eccleſiæ fundamentum, 1. Cor. 3. 11. Epheſ. 2. 20
Chriſtus promiſſionum omnium & ſpei fundamentum, Epheſ. 2. 12
ſalutis noſtræ fundamentum, 2 Tim. 1. 9
hæres univerſorum, Hebr. 1. 2
homo, Rom. 1. 3. & 9. 5. & 2 Cor. 3. 16. Gal. 4. verſ. 4. Epheſ. 2. 16. Col. 1. 22. & 1 Tim. 2. 5. & 3. 16. & 2 Tim. 2. 8. Hebr. 2. 11, 16. & 5. 8
imago Dei, 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15
Chriſtus verus Immanuel, 2 Cor. 5. 19
totius mundi judex, Rom. 2. 16. & 14. 10. Philip. 1. 10. & 3. 20. & 2 Theſſ. 4. 16. & 2 Tim. 4. 1
lapis angularis, Epheſ. 2. 20
quomodo lapis offenſionis, Rom. 9. 32
legiſlator, Hebr. 7. 12
unicus Eccleſiæ magiſter, 1 Cor. 1. 12, 13. & 3. 4, 22
unicus fidei magiſter, Hebr. 3. 1
quomodo maledictio, Gal. 3. 13
mediator, 2 Cor. 5. 19. Gal. 3. 20. Epheſ. 2. verſ. 14, 15, 16. & 3. 12. Coloſſ. 1. 20, 22. & 2. 18. & 1 Tim. 2. 5. Hebr. 4. 13. & 5. 1. & 7. 25. & 9. 15. & 12. 23. & 13. 15
circumciſionis miniſter, Rom. 15. 8
quomodo hominum miniſter, Hebr. 1. 14
peccati miniſter non eſt, Gal. 2. 27
paſtor, Hebr. 13. 20
ſolus pax noſtra, Rom. 5. 1. Epheſ. 2. 14
quomodo peccatum factus, 2 Cor. 5. 21
Evangelii præco, Hebr. 2. 3
fidelium præcurſor, Hebr. 6. 20
primitiæ, 1 Cor. 15. 23
cur primogenitus univerſæ creaturæ, Col. 1. 15
primogenitus ex mortuis, Col. 1. 18
Rex juſtitiæ, Hebr. 7. 1
Rex & Sacerdos, Hebr. 5. 6
verus Sacerdos, 1 Tim. 2. 6. Hebr. 1. 17. & 4. 14. & 5. 1. & 7. 12, 13, 21. & 8. 4. & 9. 25
ſolus idoneus Sacerdos, Hebr. 7. 26
cur cœleſtis Sacerdos, Hebr. 8. 1, 4
etiam noſter Sacerdos, Hebr. 9. 24
baptiſmi ſcopus, 1 Cor. 1. 13
proprius fidei ſcopus, Col. 1. 4. Hebr. 3. 1
verus Scripturæ ſcopus, Hebr. 13. 9
ſermo Dei æternus, Tit. 1. 3
Chriſtus ſervator, ibid.
ſpes fidelium, 1 Tim. 1. 1
ſpiritus ſeu anima legis, 2 Cor. 3. 17
ſplendor paternæ gloriæ, Hebr. 1. 3
ſumma ac complementum omnis ſpiritualis doctrinæ, 2 Cor. 1. 19
templum Dei, Hebr. 9. 3
patris vicarius & primarius legatus, Hebr. 1. 13
animæ vita, 1 Cor. 4. 15
adorandus, Hebr. 1. 3, 6
amandus & adorandus, Hebr. 1. 3
quomodo ſalutem omnibus acquiſierit, Rom. 4. verſ. 25
ſolus in Eccleſia audiendus, Epheſ. 4. 12
quomodo in cœlo, Col. 3. 1
qualis nobis a Deo datus, 1 Cor. 1. 30
quomodo patrem pro nobis deprecatur, Rom. 8. verſ. 34
Chriſtus in Evangelio depictus, Gal. 3. 1
quomodo exinanitus, Phil. 2. 7
quomodo è ſuo metu exauditus, Hebr. 5. 7
peccati expers, 2 Cor. 5. 21. Hebr. 5. 2. & 7. 26
è cœlo ſalvator expectandus, Philip. 3. 20. & 1 Theſſ. 1. 10. & 3. 13. & 2 Theſſ. 1. 7. Tit. 2. verſ. 13. Hebr. 9. 28
quomodo in piis habitat, Rom. 8. 10. Epheſ. 3. verſ. 17
quomodo circumciſis inutilis, Gal. 5. 2
quatenus patre minor, 1 Cor. 11. 3
cœleſtibus omnibus theſauris refertus ad nos miſſus, Rom. 8. 32
ad quid miſſus, Rom. 15. 8. & 1 Tim. 1. 15
aliis, non ſibi, mortuus, Hebr. 9. 28
quomodo peccato mortuus, Rom. 6. 10
ſuapte virtute reſurrexit, Rom. 1. 4. & 8. 11
homo neceſſitatibus humanis obnoxius, Hebr. 2. verſ. 13
humanis paſſionibus obnoxius, Hebr. 2. 17. & 4. 15
quomodo pauper factus, 2 Cor. 8. 9
Angelis excellentior, Hebr. 1. 4, 13. & 3. 3. & 7. 26
in gloriam receptus, 1 Tim. 3. 16
in extremas anguſtias redactus, Hebr. 5. 7
ab initio mundi regnavit, Hebr. 3. 8
quatenus Deo ſubjectus, 1 Cor. 3. 23. Epheſ. 1. verſ. 16
quomodo patri ſubiiciendus, 1 Cor. 15. 27
unus pius omnibus ſufficit, 2 Cor. 5. 19. Gal. 2. 21. Phil. 3. 10. Col. 1. 27. & 2. 3, 9. & 1 Tim. 2. 5. Hebr. 13. 8
unus beatos nos facit, Philip. 1. 21
qualiter regnum ſit patri traditurus, 1 Cor. 15. verſ. 24
nunquam Angelica natura veſtitus, Hebr. 2. 16
quomodo duodecim Apoſtolis viſus poſtquam reſurrexit, 1 Cor. 15. 5
quomodo Angelis viſus, 1 Tim. 3. 16
in nobis vivit dupliciter, Galat. 2. 20
Chriſti abnegatio multiplex, Rom. 6. 8. & 10. 6. Philip. 1. 21. Coloſſ. 1. 19. & 2 Tim. 2. 12
adventus ad judicium, Col. 3. 4. & 2 Tim. 4. 1. Tit. 2. 13. Hebr. 9. 27. & 10. 25
in cœlum aſcenſus, Epheſ. 4. 8, 9
clamor validus, Hebr. 5. 7

Chriſti

Chriſti corpus quomodo dicitur non fuiſſe hujus creationis, Hebr. 9. 11
corpus quod in cœlo eſt, quomodo nobis in cœna detur, 1 Cor. 11. 24
crux pro redemptionis beneficio, 1 Cor. 1. 17
divinæ, Hebr. 1. 2
excellentia quanta, Epheſ. 1. 21. Hebr. 1. 3, 13
exinanitio, Philip. 2. 7
expectatio pro ſpe ſalutis æternæ, 1 Theſſ. 1. 9
gloria, Hebr. 1. 3. & 1. 9
gratia ſecum affert vitæ novitatem, Tit. 2. 14. Hebr. 4. 12. & 12. 17
hoſtes cur ad extremum uſque diem adverſus eum pugnabunt, Hebr. 1. 8
hoſtes ſubigendi, 1 Cor. 15. 15, 26. Hebr. 1. 13
humanitas duo comprehendit, Gal. 5. 13
humanitatis fructus, Hebr. 2. 14
humilitas, Philip. 2. 6
humiliatio apud pios glorioſa, Hebr. 1. 1.
humiliationis finis, Hebr. 5. 7
inſignia quæ, Galat. 6. 17
lachrymæ, Hebr. 5. 7
lex quæ, Galat. 6. 2
manifeſtatio duplex, Rom. 3. 21
manifeſtatio varia, Hebr. 13. 8
mortificatio quid, 2 Cor. 4. 10
mors, initium noſtræ cum Deo reconciliationis, Rom. 5. 10
mors, totius mundi vita, Hebr. 8. 2
mors peccatum in fidelibus extinguit, Rom. 6. 4
mors peccata noſtra abolevit, Rom. 4. 25
mors unde æſtimanda, Hebr. 9. 14
mortis efficacia, Rom. 6. 5. Epheſ. 5. 2
mortis finis, 2 Cor. 5. 14. Galat. 1. 4. & 1 Theſſ. 5. 10. Tit. 2. 14
mortis fructus, Hebr. 2. 9
mortis communicatio duplex, Rom. 6. 7. Philip. 3. 10
mortificatio quid, 2 Cor. 4. 10
naturæ duæ, Rom. 9. 5. Galat. 4. 4. Phil. 2. 6, 7
nomen pro Eccleſia, 1 Cor. 12. 12
obedientia, Rom. 5. 19. Philip. 2. 8. Hebr. 5. 8, 9. & 10. 5, 7
officium, Rom. 1. 16. & 9. 32. & 11. 16. & 1 Cor. 1. 30. & 2 Cor. 5. 19. & 1 Tim. 1. 15. Hebr. 4. 11
paſſionum finis proximus, Hebr. 5. 8
perpetuitas, Hebr. 1. 10
preces, Hebr. 5. 7
probrum, Hebr. 11. 26
regnum, præcipuus Legis omniumque prophetiarum ſcopus, 1 Cor. 15. 11
regnum æternum, Hebr. 1. 13. & 5. 6
regnum ſpirituale, Hebr. 9. 23
regnum indies provehitur, Philip. 1. 18
regni conditio, 2 Tim. 3. 1
reſurrectio, Rom. 1. 4. & 2 Tim. 2. 8
reſurrectio, opus potentiæ Dei, Rom. 6. 4. & 8. 11. & 10. 9. Epheſ. 1. 20. Col. 1. 12. & Hebr. 13. 20
reſurrectio victoriam nobis peperit, Rom. 10. 9
reſurrectio juſtitiam nobis conciliavit, Rom. 4. 15
reſurrectionis finis, Rom. 10. 9. & 1 Theſſ. 4. 14
ſacerdotium æternum, Hebr. 5. 6
cœleſte ſacerdotium, Hebr. 8. 1
ſacerdotii partes duæ, 1 Tim. 2. 6
ſanguis corda purificat, Hebr. 9. 20
ſanguis quomodo clamat, Hebr. 11. 24
ſanguinis vis, Hebr. 10. 19. & 12. 24. & 13. 20
ſeſſio ad Patris dexteram, Hebr. 10. 11
ſtigmata geſtare, Galat. 6. 17
triumphus, Rom. 7. 4. Col. 2. 15
timor, Epheſ. 5. 21
victoria, Col. 2. 15
zelus, Rom. 15. 3
& Adæ collatio, 1 Cor. 15. 47
& fidelium afflictiones communes, Philip. 1. 7. Hebr. 13. 13
& fidelium conjunctio, 1 Cor. 6. 15, 17. Galat. 3. 27. Epheſ. 5. 29. Coloſſ. 1. 24. & 1 Theſſ. 4. 18. & 2 Tim. 2. 11. Hebr. 2. 11, 13. & 3. 14
& fidelium diſcrimen, Hebr. 12. 4
& Moſis diſcrimen, Hebr. 3. 3, 5. & 7. 12
& veteris Pontificis comparatio, Hebr. 9. 11
& Sacerdotum Leviticorum collatio, Hebr. 5. 1
& Sacerdotum Leviticorum diſcrimen, Hebr. 1. 3. & 5. 2. & 7. 17, 27
Chriſto perſona duplex impoſita, Hebr. 4. 14
Chriſto quomodo omnia ſubjecta, 1 Cor. 15. 27. Philip. 3. 21. Col. 1. 18. Hebr. 2. 8
Chriſto vivere & mori quid, Philip. 1. 23
Chriſtum rurſus crucifigere quid, Hebr. 6. 6
Chriſtum induere quid, Rom. 1. 14
Chriſtum nunc carne ſua exutum ſomniant fanatici, Hebr. 5. 7
Chriſtiani à Chriſto dicti, Hebr. 1. 9
Chriſtiani veri qui, Rom. 8. 9
Chriſtiani ſolebant antelucanos hymnos Chriſto canere, 1 Cor. 14. 15
Chriſtianiſmus verus quis, Gal. 5. 24. & 1 Theſſ. 1. 3
Chriſtianiſmus abſque cruce fingendus non eſt, 2 Cor. 4. 11
Chriſtianiſmus qualis in Papatu, Galat. 4. 6. Philip. 3. 5. Hebr. 5. 14
Chriſtianiſmi partes, Hebr. 6. 11
Ciborum delectus, Rom. 14. 1
Ciborum delectus ſuperſtitioſus, Tit. 1. 15. Hebr. 13. 9
Ciborum diabolica prohibitio, 1 Tim. 4. 3
Ciborum uſus legitimus, 1 Tim. 4. 4
Ciceronis locus, 1 Cor. 7. 36. Epheſ. 4. 18
Circumciſio pro Judæis, Galat. 2. 7. Epheſ. 2. 11
Circumciſio duplex, Rom. 2. 18. Epheſ. 1. 11. Col. 2. 11. Philip. 3. 3
Circumciſio vera quæ, Rom. 2. 25
Circumciſio ad tempus mandata, Gal. 5. 3
Circumciſio, ſanctificationis ſymbolum, Epheſ. 1. 11
Circumciſio non juſtificabat, Rom. 2. 25, 26
Circumciſionis uſus, Rom. 4. 11
Claves miniſtris conceſſæ quid, 2 Cor. 5. 20
Clerus Papalis ab omni reprehenſione immunis, 1 Tim. 5. 20
Cleri papalis arrogantia, 2 Tim. 3. 2
Cœna Papiſtarum mutila, 1 Cor. 10. 16
Cœnæ Domini ſignum duplex, 1 Cor. 11. 25
Cœnæ Domini abuſus apud Corinthios, 1 Cor. 11. verſ. 20, 21
Cœnæ horrenda in Papatu profanatio, 1 Cor. 11. 30
Cœnam ſuam cur Chriſtus nocte inſtituit, 1 Cor. 11. 23
Cogitare ſecundum carnem quid, 2 Cor. 1. 17
Cogitatio pro intentione, Col. 1. 11
Cogitationes in malam partem, 2 Cor. 2. 11
Collectæ pro pauperibus, Rom. 15. 15. & 1 Cor. 16. 1
Comitas commendatur, Epheſ. 4. 32
Comminationes interdum neceſſariæ, Hebr. 12. 29
Commune pro profano, Rom. 14. 14
Communicatio inter fideles mutua, 2 Cor. 9. 8
Communicatio proprietatum, 1 Cor. 10. 9
Communio ſanctorum, 2 Cor. 8. 14
Communio Chriſti & fidelium, 1 Cor. 1. 9
Compaſſio de reprobis, hominibus piis licita, Rom. 9. 2
Concordia piis quam neceſſaria, 1 Cor. 1. 10. Philip. 1. 27. & 2 Theſſ. 3. 16. Tit. 3. 2. Hebr. 10. 24. & 12. 14
Concupiſcentiæ pro ſtultis & levibus deſideriis, 2 Tim. 3. 6
Concupiſcentia peccatum eſt, Rom. 7. 7
Condemnatio generis humani univerſis creaturis impreſſa, Rom. 8. 11
Confeſſio pro fide, Hebr. 3. 1. & 4. 14
Confeſſio an ſalutis noſtræ cauſa, Rom. 10. 10
Confeſſio externa neceſſaria, Hebr. 10. 23
Confeſſio auricularis, 1 Cor. 11. 28
Conjectura moralis commentum ſcholaſticum, Rom. 4. 16. & 5. 2. & 8. 16, 34. & 1 Cor. 10. 12. & 2 Cor. 13. 5. Gal. 4. 6. Epheſ. 3. 12. Philip. 1. 10. Col. 1. 23. & 2. 21
Conjugia impiorum num immunda, 1 Cor. 7. 14
Conjugium ad quid inſtitutum, 1 Cor. 7. 1, 2
Conjugium in omnibus honorabile, Hebr. 13. 4
Conjugium miniſtris verbi licitum, 1 Cor. 9. 4
Conjugii mutua obligatio, 1 Cor. 7. 5
Conjugii vinculum quam ſanctum, 1 Cor. 7. 9
Conjugii inſolubile vinculum, 1 Cor. 7. 10
Conjugii tribulationes multæ, 1 Cor. 7. 32
Conjugii diabolica prohibitio, 1 Tim. 4. 3
Conjugii leges, 1 Cor. 7. 3
Conjugii verus uſus, 1 Cor. 7. 29
Conjugii moleſtiæ & tribulationes ex peccato, 1 Cor. 7. 28, 33
Conjugum officium, Hebr. 13. 4
Conſcientia quanti æſtimanda, 2 Cor. 12. 19. Hebr. 10. 22. & 13. 18
Conſcientia inſtar mille teſtium, Rom. 2. 15. Gal. 5. 13
Conſcientia bona commendatur, 1 Tim. 1. 5, 19. & 3. 9. & 6. 20. & 2 Tim. 1. 11. & 2. 19
Conſcientia bona libertatem parit, 1 Tim. 3. 13
Conſcientia mala carnifex peſſimus, Rom. 2. 15. & 6. 22. Epheſ. 4. 19. & 1 Tim. 4. 2. & 6. 10. Tit. 3. 11. Hebr. 10. 17
Conſcientia mala omnium hæreſeon mater, 1 Tim. 1. 19
Conſcientia Dei, vide Dei conſcientia.
Conſcientia dubia nihil aggrediendum, Rom. 14. 23
Conſcientiæ ſolius Dei imperio ſubjectæ, Rom. 6. 16
Conſcientiæ vis, 1 Cor. 4. 5. & 14. 24
Conſcientiæ tranquillitas per Chriſtum, Epheſ. 1. verſ. 18. Tit. 1. 15. Hebr. 7. 1
Conſcientiæ tranquillitas ex ſola fide, Hebr. 13. 5
Conſcientiæ bonæ gloriatio, Galat. 6. 4
Conſcientiæ bonæ vis magna, Phil. 1. 23
Conſenſio vera quæ, Rom. 15. 5. Phil. 4. 2
Conſenſus in doctrina, Philip. 2. 2
Conſecratio Papiſtis magia eſt à gentibus aſcita, 1 Cor. 10. 16
Conſolatio pro vera tranquillitate, Col. 1. 2
Conſolatio vera per Chriſtum, 2 Cor. 1. 3
Conſpiratio miſera quæ fit extra Deum, Rom. 15. 5
Conſtantia à Domino petenda, Philem. verſ. 24
Conſtantia commendatur, 2 Cor. 1. 17
Conſuetudo ubi vitia impune graſſantur, pro lege habetur, 1 Cor. 6. 12
Contentio pro rebellione & pervicacia, Rom. 2. 8
Contentio damnatur, Rom. 1. 28. & 13. 13. & 14. verſ. 1. & 1 Cor. 6. 6. & 11. 16. & 14. 33. & 2 Cor. 12. 20. Gal. 5. 15, 19, 22. Philip. 2. verſ. 1, 3, 14. & 1 Tim. 2. 8. & 2 Tim. 2. 14, 15, 24. Tit. 3. 9
Contentioſus quis, 1 Cor. 11. 16
Continentiæ votum quam periculoſum, 1 Cor. 7. 37
Contumelioſi qui, Rom. 1. 28
Conventus Eccleſiaſtici, 1 Cor. 11. 17, 22
Converſio hominis à Deo, 2 Tim. 2. 25
Converſio hominis quanti æſtimanda, Phil. 2. 13, 17
Converſio Pauli, Vide Pauli converſio.
Cor pro ſerio & ſincero affectu, Rom. 10. 10
Cor pro conſcientia, 1 Theſſ. 3. 13
Cor pro intellectu, Rom. 1. 15
Corinthus in Achaia, 2 Cor. 11. 10
Corinthii divites in Chriſto, 1 Cor. 1. 4
Corinthiorum conventus vitioſi, 1 Cor. 11. 17
Corinthiorum vitia, 1 Cor. 6. 9. & 2 Cor. 12. 7
Corinthiorum ingratitudo, 2. Cor. 10. 15. & 2 Cor. 12. 13
Corinthiorum vana gloriatio, 1 Cor. 5. 6
Cornelius Celſus taxatur, 2 Tim. 2. 17
Corpus pro parte hominis non regenerata, Rom. 8. verſ. 10
Corpus pro maſſa ex omnibus vitiis conflata, Col. 2. verſ. 11
Corpus non minus quam anima Deo ſubjectum, 1 Cor. 6. 20
Corpus ab omni ſuperſtitionis immunditia impollutum ſervari debet, Rom. 11. 4
Corpus carnis pro corpore humano, Col. 1. 11
Corpus mortis quid, Rom. 7. 24
Corpus peccati quid, Rom. 6. 6
Corporaliter pro ſubſtantialiter, Col. 1. 9
Correctio & redargutio in quo differant, 2 Tim. 3. 16
Correctiones temperandæ, 1 Cor. 4. 14
Creatio duplex, Epheſ. 4. 24
Creatura nova, 2 Cor. 5. 17
Creaturæ vanitati ſubjectæ, Rom. 8. 20
Creaturæ Dei bonæ, 1 Tim. 4. 4
Credere in hoc mundo quid, 1 Cor. 15. 19
Credulitas nimia damnatur, 2 Tim. 3. 14
Cretenſes deterrimi, Tit. 1. 12, 13
Crudelitas odii comes, 2 Tim. 3. 12
Crux pro Euangelii prædicatione, Galat. 6. 11. Philip. 3. 18
Crux fidei comes, Philip. 1. 29
Crux Chriſti pro redemptionis beneficio, 1 Cor. 1. 17
Crux Chriſti triumphus, Col. 2. 15
Crucis abjectio, 2 Cor. 13. 4
Cultus rationabilis, Rom. 12. 1
Cultus quis Deo gratus, Hebr. 8. 5. & 9. 1, 8. & 11. 27
Cultus Dei, Vide Dei cultus.
Cupiditates juveniles quæ, 2 Tim. 2. 22
Curioſitas vitanda, Rom. 9. 14. & 11. 33. & 12. 3. & 1 Cor. 3. 12. & 13. 8. & 1 Cor. 11. 2. Eph. 6. verſ. 14. Col. 1. 16. & 2. 18. & 3. 10. & 1 Theſſ. 4. 11, 15. & 5. 1. & 2 Theſſ. 1. 7. & 2. 1. & 3. verſ. 11. & 1 Tim. 1. 7. & 5. 13. & 6. 1, 3, 16, 20. & 2 Tim. 3. 16. Tit. 1. 3. & 2. 15. Hebr. 4. 15. & 7. 3. & 8. 5. & 9. 5, 26. & 10. 27. & 11. verſ. 5, 13, 18
Curioſitas mulierum, Vide Mulierum curioſitas.
Cuſtodia domus quam deceat mulieres, 1 Tim. 5. verſ. 13
Cypriani locus, 1 Cor. 4. 7. Tit. 1. 7

D.

DAvid imago Chriſti, Rom. 11. 9. Hebr. 2. 13
Debilitas fidei duplex, Rom. 4. 19
Debora gubernando populo præfecta, 1 Tim. 2. 11
Decimæ cur Levitis ſolvebantur, Hebr. 7. 4
Decorum in Eccleſia ſervandum, 1 Cor. 14. 40
Demas officii deſertor, 2 Tim. 4. 10. Philem. verſ. 24
Demoſthenis nobile juſjurandum, 1 Cor. 15. 31
Depoſiti nomine quid Paulus intellexerit, 1 Tim. 6. verſ. 20. & 2 Tim. 1. 12
Deprecationes quid, 1 Tim. 2. 1
Determinationes magiſtrales Sorbonicæ Scholæ, 1 Tim. 1. 7
Detractio, Vide Obtrectatio.
Deus unus, 1 Cor. 8. 4. & 1 Tim. 2. 5
Deus arbiter vitæ & mortis, Rom. 9. 21
mirus artifex, Rom. 3. 8
quomodo fidelis, 1 Cor. 1. 9. & 10. 13. & 2 Theſſ. 3. 3. Hebr. 10. 23
quomodo ſolus immortalis, 1 Tim. 6. 16
ſolus omni laude dignus, Rom. 16. 21
inviſibilis, Col. 1. 15
an omnino inviſibilis, 1 Tim. 6. 16
unicus omnium judex, Rom. 2. 3. & 3. 6. & 2 Theſſ. 1. 5. & 2. 12. Hebr. 12. 13
quomodo juſtus dicatur, Rom. 3. 4, 6
Judæorum legiſlator, Rom. 9. 4
unicus Legiſlator, Col. 2. 23. & 1 Theſſ. 2. 4
in eligendo & reprobando liber, Rom. 9. 11
in carne manifeſtatus, 1 Tim. 3. 16
quomodo pater, Hebr. 12. 9
pater Chriſti, 2 Cor. 1. 3. Col. 1. 3
communis omnium pater, 1 Tim. 2. 8
cur patientiæ dictus, Rom. 15. 5
Pauli, Phil. 4. 19
pacis, 1 Theſſ. 5. 23. & 2 Theſſ. 3. 16. Hebr. 13. 20
quomodo ſolus princeps, 1 Tim. 6. 15
rerum omnium principium & finis, Rom. 11. 36
cordium ſcrutator, Hebr. 4. 13
ſemper ſui ſimilis, 1 Cor. 10. 11. Galat. 3. 20. Hebr. 1. 1. & 6. 18
quomodo verax dicitur, Rom. 3. 4. & 1 Cor. 1. verſ. 20. Tit. 1. 2
cur vivens dicitur, 1 Theſſ. 1. 9
perſonarum acceptor non eſt, Rom. 2. 1, 11. Epheſ. 6. 9
ſolus in Eccleſia audiendus, Galat. 1. 1
pacis author, Phil. 4. 9
quomodo agnoſcitur, Rom. 1. 20
nunquam ſe ulli ex gentibus patefecerit, Epheſ. 1. 13

I N D E X.

Deus in ſpiritu colendus, Rom. 1: 9
nemini mortalium debitor, Rom. 9: 15. & 11. verſ. 32, 34, 35. & 1 Cor. 4: 7. & 6: 10
varie deſcribitur, Hebr. 10: 30
quomodo ſuos exaudit, Hebr. 5: 7
nullo modo figurandus, Rom. 1: 23
ſuorum curam gerit, 2 Cor. 9: 11 Phil. 4: 3. & 1 Theſſ. 5: 16
quomodo in pus habitat, 2 Cor. 8. 16. Epheſ. 2. 20
cor intuetur, Rom. 14. 23. & 1 Cor. 9. 17. & 2 Cor. 8. 21. & 9. 7. Epheſ. 1. 4. & 4. 24. & 8. 5. Tit. 1. 15
cur jurare voluit, Hebr. 3. 11. & 7. 20
cur per ſeipſum jurat, Hebr. 6. 13. 16
quomodo nos juſtificat, Rom. 4. 5
nunquam fruſtra loquitur, Hebr. 4. 12
ante placandus quam rogandus, Hebr. 9. 22
interdum miſericorditer negat ſuis quod impetratu conceditur, 2 Cor. 12. 8
homines prævenit, non contra, Rom. 11. 35. Galat. 2. 20. & 1 Tim. 1. 16. Tit. 3. 5. Hebr. 11. 6
non fruſtra quæritur, Hebr. 11. 6
quomodo quærendus, Rom. 15. 12. & 2 Cor. 4. 6. Col. 1. 15. Hebr. 11. 6
quomodo velit omnes ſalvos fieri, 1 Tim. 2. 3
quomodo tentet, Hebr. 11. 17
quomodo hominem in vitium tradit, Rom. 1. 24
Dei amor extra Chriſtum quærendus non eſt, Rom. 8. 55
Dei amor ab hominum dilectione non ſeparandus, Galat. 5. 14
amor erga nos victoriam parit, Rom. 8. 37
auxilium duplex, 1 Cor. 10. 13
benedictio ex invocatione, Col. 3. 17
benedictio ſemper neceſſaria, 1 Tim. 6. 17
beneficentia immenſa, Hebr. 4. 8
erga omnes homines beneficentia, 1 Tim. 4. 10
cognitio omnium mentibus inſculpta, Rom. 1. 21
cognitio vera quæ, Col. 1. 10
cognitio, ſumma ſapientia, Hebr. 8. 11
cognitio humilitatem parit, 1 Cor. 8. 2. & 14. 23
cultus verus quis, Rom. 1. 9. Hebr. 13. 15
cultus humano ſenſu non metiendus, Col. 2. 23
cultus in ſola fide fundatus, 1 Tim. 1. 4
cultus pro ceremoniis & ritibus, Rom. 9. 4
dextera quid, Epheſ. 1. 20. Col. 31. Hebr. 1. 3
doctrina dupliciter corrumpitur, 2 Cor. 2. 17
dona varie diſtribuuntur, 1 Cor. 12. 4, 11
dona cur diverſis diſtributa, Rom. 1. 11
dona honore afficienda, Galat. 5. 24. & 2. 9. Phil. 2. 3. & 4. 5. Col. 1. 4
electio firmum fundamentum, 2. Tim. 2. 19
favor triſtitiam omnem abſumit, Rom. 8. 31
gloria quid, Tit. 2. 13
gloria quanti nobis facienda, Rom. 8. 38
gloria ubique quærenda, 1 Cor. 10. 31. Epheſ. 1. verſ. 5, 14
gloria in reproborum interitu manifeſtatur, Rom. 9. 23
gloria pro ejus miſericordia, *ibid.*
gratia quid, Rom. 1. 6
gratia, fons & cauſa omnium bonorum, *ibid.*
gratia erga ſuos duplex, Hebr. 12. 4
gratia efficacior lapſu Adæ, Rom. 5. 13
gratia quomodo omnibus ſalutaris, Tit. 2. 11
gratia quomodo omnibus communis, Rom. 5. 18. Tit. 3. 6
gratia non omnibus ex æquo confertur, Rom. 9. verſ. 11
gratia ſignis minime affixa, Epheſ. 5. 26
ignoratio periculoſa, 1 Cor. 15. 34
imago in hoc mundo conſpicua, Hebr. 11. 3
imago quomodo in nobis inſtauratur, Epheſ. 4. 24
erga pios indulgentia, Rom. 8. 15. Hebr. 16. 17
invocatio, robur fidelium, Rom. 15. 30
ira adverſus incredulos, Hebr. 3. 17
ira timenda, Col. 3. 6. Hebr. 10. 30
judicium juſtum in reprobis ſpectandum, Rom. 9. verſ. 13
juſtitia quid, Rom. 1. 17, 21
juſtitia qualis, Hebr. 6. 10
juſtitia hominum juſtitiæ contraria, Rom. 10. 3
laudes publice canendæ, Hebr. 2. 12
liberalitas, 1 Tim. 6: 17. Tit. 3: 6
miſericordia quid, Rom. 1: 21
miſericordia magna, Epheſ. 2: 4
miſericordia in electis ſpectanda, Rom. 9: 14
miſericordia quibus expoſita, Rom. 11: 12. Hebr. 6: 6
miſericordia peculiariter quibuſdam deſtinata, Rom. 9: 15
miſericordia ſola conſcientias tranquillat, Rom. 3. verſ. 21
miſericordiæ finis, Tit. 3: 7
myſteria omnia carni ſunt paradoxa, Rom. 3: 5
nomen quomodo infamatur, Rom. 2: 24
nomen invocare quid, 2 Tim. 2: 19
officium, 2 Cor. 6. 2. Hebr 10: 30
potentia quid, Rom. 1: 21
potentia quomodo conſideranda, Rom. 4: 21. & 9: 21. & 11: 23. Epheſ. 1: 19. & 3: 20. & 2 Tim. 1: 12
præcognitio quid, Rom. 8: 29
præeminens peculiari Dei providentia excitantur, Rom. 12: 15
prædeſtinatio proprio ſenſu non conſideranda, Rom. 11: 34
præſentia quam neceſſaria, Phil. 4. 9
promiſſiones omnes ſolo Chriſto fulciuntur, 2 Cor. 1: 10
Dei providentia quomodo expendenda, Rom. 3: 8. & 8: 7. & 1 Cor. 11: 19. & 2 Cor. 8: 16. & 9. verſ. 11. Phil. 4: 5. & 1 Theſſ. 5: 16. & 2 Theſſ. 2: 2. & 1 Tim. 2: 6. & 2 Tim. 2: 20. Tit. 1: 3. Phil. 1. 15. Hebr. 9: 26. & 11: 3. & 12: 6. & 13: 5
regnum in quo ſitum, Rom. 14: 17
regnum pro Evangelii adminiſtratione, 1 Cor. 4. verſ. 20
ſapientia quid, Rom. 1: 21
ſapientia pro totius mundi opificio, 1 Cor. 1: 21
ſimplicitas quid, 2 Cor. 1: 12
templum an ſit ubi Papa dominatur, 2 Theſſ. 2: 4
teſtimonium pro Evangelii doctrina, 1 Cor. 2: 1
thronus quibus formidabilis, Hebr. 4: 16
timor ſapientiæ caput, Rom. 3: 10
timor piis quam neceſſarius, 2 Cor. 7: 1
erga homines tolerantia, 1 Cor. 11: 31
verbum tantum in Eccleſia annuntiandum, 1 Theſſ. 2: 9
verbum nuſquam prædicatur niſi ſpeciali Dei providentia, Rom 10: 13
verbi certitudo unde pendet, Rom. 3: 4
verbi Majeſtas quanta, Gal. 1: 8
veritas quid, Rom. 1: 21
veritas pro vera Dei notitia, Rom. 1: 18
veritas firmiſſima, Epheſ. 5: 12
veritas humana vanitate everti non poteſt, Rom. 3. verſ. 4
veritas ſimpliciter tradenda, 1 Tim. 1: 3
virtus in infirmitate perficitur, 2 Cor. 12. 9
vita quid, Epheſ. 4: 18
voluntas in omnibus ſpectanda, Rom. 1: 10
voluntas in ejus verbo quærenda, Col. 1: 9
voluntas quæ, 1 Theſſ. 5: 18. Hebr. 13: 20
voluntas, ſumma juſtitiæ regula, Hebr. 2: 10
voluntas in hominum ſalute vel exitio primas tenet, Rom. 9: 19
voluntas ſcopus vitæ fidelium, Rom. 14: 7
voluntatis agnitio quam neceſſaria, Epheſ. 5: 17
voluntati vota noſtra ſubjicienda, 1 Cor. 4: 19. & 16: 5
Dei & hominum diſcrimen, Hebr. 6: 18. & 12: 9
& idolorum diſcrimen, Hebr. 11: 16
Deo interdum tribuitur quod in homines competit, Hebr. 11: 17
Deo uni fidendum, Hebr. 2: 13
Deo vivere quid, Rom. 9: 10. Gal. 2: 19, 20
Deum omnia eſſe in omnibus quid, 1 Cor. 15: 28
Deum nemo prævenit, Hebr. 6: 18
Deum quærere quid, Rom. 15: 12
Deum tentare quid, Hebr. 3: 8
Dextera Dei. Vide Dei dextera.
Diabolus impiorum caput, Epheſ. 2: 2. Hebr. 2: 14
Diabolus accuſator piorum omnium, Rom. 8: 33. Col. 2: 13
Diaboli principatus qualis, Epheſ. 6: 12
Diaboli epitheta, *ibid.*
Diabolum ſalvum fore quidam ex verbis Pauli perperam inferunt, 1 Cor. 15. 28
Diaboli fide carent, Hebr. 4: 2. & 6: 11
Diabolorum & impiorum diſcrimen, Col. 1: 20
Diaconiæ ſpecies duæ, 2 Cor. 12: 28
Diaconi qui dicantur, Philip. 1: 1
Diaconi quales eſſe debeant, 1 Tim. 3: 8
Diaconi quomodo probandi, 1 Tim. 3: 10
Diaconi Papiſtici quales, 1 Tim. 3: 12
Diaconorum uxores quales eſſe debeant, *ibid.*
Dicacitas damnatur, Epheſ. 5: 3
Dies pro cæleſtis vitæ claritate, Rom. 13: 12
Dies carnis pro præſenti vita, Hebr. 5: 7
Dies Chriſti quomodo inſtat, 2 Theſſ. 2: 2
Dies Domini quis, 1 Cor. 3: 13. & 2 Cor. 1: 14. Philip. 1: 6
Dies Domini furi nocturno ſimilis, 1 Theſſ. 5: 3
Dies Dominicus, 1 Cor. 16: 2
Dies humanus quis, 1 Cor. 4: 3
Dies judicii horrendus, Rom. 2: 5
Dies judicii expectandus, Rom. 2: 16. & 1 Theſſ. 4. verſ. 15. & 2 Theſſ. 2: 2
Dies pentecoſtes, 1 Cor. 16: 8
Dies iræ quis, Rom. 2: 5
Dies cur mali vocantur, Epheſ. 5: 16 Col. 4: 5
Dierum ſuperſtitioſa obſervatio, Rom. 14. 6
Dierum obſervatio quatenus damnanda, Galat. 4. verſ. 10
Dilectio quomodo Legis complementum, Rom. 13. verſ. 8, 10
Dionyſii blaſphemia, 2 Theſſ. 1: 3
Dionyſii libri de cæleſti hierarchia, 1 Tim. 1: 7
Diſciplina Eccleſiæ, vide Eccleſiæ diſciplina.
Diſcretio Chriſtianis omnibus neceſſaria, Hebr. 5. verſ. 14
Diſcrimen recti & iniqui quomodo cordibus omnium hominum inſcriptum, Rom. 2: 15
Diſcrimen Novi & Veteris Teſtamenti, Rom. 2: 28
Diſcrimen Judæorum & Gentium, Rom. 3: 1
Diſtinctiones neceſſariæ, 1 Cor. 9: 22. Gal. 4: 19. Philip. 1: 8. Hebr. 2: 4
Divites à regno Dei non excluſi, 1 Cor. 1: 28
Divites quomodo ſe gerere debeant, 1 Tim. 6: 17
Divites majus Deo tributum debent, 2 Cor. 8: 11
Divitiæ cur periculoſæ, 1 Timoth. 2. 9
Divitiæ an abjiciendæ ut Chriſtum ſequamur, Philip. 3: 8
Divitiæ maledictæ quæ cum fratrum injuria congeruntur, 2 Cor. 8: 15
Divitiæ ſpirituales, Rom. 8. 32. & 1 Cor. 1: 4 & 2 Cor. 6: 8. & 9: 11. Epheſ. 1: 7, 18. & 2: 7. Coloſſ. 1: 27 & 2: 2. & 1 Tim. 6: 18
Divinitas Chriſti, vide Chriſtus Deus.
Docendi vera ratio, 1 Cor. 7: 10. & 2 Cor. 10: 8. Col. 1: 21. Hebr. 5: 13. & 8: 11. & 12: 29
Docendi finis præcipuus, 2 Tim. 2: 15
Docilitas commendatur, Col. 1: 6
Doctores qui, Epheſ. 4: 13
Doctores falſi in Eccleſia, 1 Tim. 4: 2
Doctores falſi lenones Satanæ, 2 Cor. 11: 3
Doctorum falſorum multitudo, 2 Tim. 4: 3
Doctrina quæ utilis, 2 Tim. 2: 3
Doctrina pro utili eruditione, Col. 3: 16
Doctrina cur ſana dicitur, Tit. 2: 2
Doctrina ſupervacua non eſt, etiamſi ſola Spiritus ſancti gratia mentes illuminet, Epheſ. 3: 14
Doctrina pura quomodo reſtituenda, Col. 1: 12
Doctrina Dei dupliciter corrumpitur, 2 Cor. 2: 17
Doctrina Evangelii cur teſtimonium dicitur, 2 Theſſ. 1: 10
Doctrina duplex, Legalis & Evangelica, Galat. 4. verſ. 24
Doctrina generalis ex particulari, 1 Cor. 5: 7 & 8. verſ. 7. & 1 Tim. 8: 8. Hebr. 5: 4 & 10. verſ. 24. 30
Doctrina particularis neceſſaria, 2 Theſſ. 2: 12
Doctrina particularis ex generali, Col. 1: 21. & 1 Theſſ. 4: 3
Doctrinæ authoritas quomodo comparatur, Hebr. 3. verſ. 2
Doctrinæ ſanæ partes duæ, Tit. 2: 2
Doctrinæ certitudo quam neceſſaria, Epheſ. 4: 14. & 2 Tim. 3: 14. Hebr. 13: 9
Doctrinæ corruptio unde, Galat. 1: 10
Doctrinæ examen, 1 Cor. 13: 3. & 1 Theſſ. 5: 22. & 1 Tim. 1: 4
Doctrinæ uſus, Hebr. 5: 14
Doctrinæ uſus duplex, Hebr. 8: 13
Doctrinæ ſanæ utilitas, Tit. 3: 9 Hebr. 9: 18
Doctrinam ſimpliciter proponere non ſufficit, 2 Cor. 6: 8
Doctrina mala nihil peſtilentius, 1 Cor. 15: 33
Doctrinæ impiæ cur tam efficaces, 2 Tim. 3: 13. Tit. 1: 12
Dominatus quæ forma à Plinio deſcribitur, Rom. 13. verſ. 10
Domini quatenus ſervis debitores, Epheſ. 6: 9
Dominorum officium, Col. 4: 1
Donatiſtæ refutantur, Epheſ. 1: 4. Col. 1: 22
Donec particula quomodo ſumitur, Rom. 11: 25. & 1 Cor. 15: 25
Donum negligere quid, 1 Tim. 4: 14
Dona Dei varie diſtribuuntur, Epheſ. 4. 7
Dona vocationibus conjuncta, Epheſ. 4: 11
Dona Dei ſemper honore proſequenda, 1 Cor. 16. verſ. 15. Philip. 1: 7
Donorum Dei diverſitas, Rom. 12: 6
Donorum Dei uſus rectus, Philip. 2: 3
Dona Dei non abutendum, 2 Tim. 1: 14
Dormire pro mori, 1 Cor. 7: 39. & 1 Theſſ. 4: 13
Dubitatio incredulitas vocata à Paulo, Rom. 4: 16

E.

Ebrietas damnatur, Epheſ. 5: 18. & 1 Tim. 3. verſ. 3
Eccleſia quæ cenſenda, 1 Cor. 1: 2. & 1 Theſſ. 1. verſ. 2
Eccleſia nulla ſibi privatim addicta eſſe debet, aliis neglectis, 1 Cor. 14: 36
quomodo rite conſtituatur, Epheſ. 4: 12
corpus Chriſti, Epheſ. 1: 22
domeſtica, 1 Cor. 16: 19. Coloſſ. 4: 14
domus Dei, 1 Tim. 3: 15. Hebr. 3: 3, 6
civitati ſimilis, Coloſſ. 4: 3
cur cæleſtis vocatur, Galat. 4: 26
quomodo in cælo, *ibid.*
quo ſenſu columna veritatis, 1 Tim. 3: 15
per totum orbem diffuſa, Gal. 4: 26
corpus unum efficit, 1 Cor. 12: 12, 13
arcana Dei providentia fovetur, Rom. 11: 2
nonniſi in ſolo Chriſto fundata, 1 Cor. 3: 12
quælibet ſingulorum membrorum peccata lugere debet, 1 Cor. 6: 2
cur fidelium mater, Gal. 4: 26. Epheſ. 4: 12. & 1 Tim. 3: 15
Papalis qualis, Col. 1: 23. & 1 Tim. 3: 15
omni macula carens in hoc mundo minime quærenda, 1 Cor. 1: 2. Galat. 1: 2
à Deo per Chriſtum regitur, 1 Tim. 1: 2
vera fuit in populo Iſraëlitico, 1 Cor. 12: 12
Eccleſiæ ædificatio, opus difficile, Tit. 1: 5
ædificatio, opus Paſtorum, 1 Theſſ. 5: 12
ædificatio Paſtoribus ſpectanda, 2 Cor. 13: 7
bona quibus diſpenſanda, 1 Tim. 5: 16
decor, Epheſ. 5: 27
diſciplina qua æquitate & clementia temperanda, 2 Cor. 2: 6
diſſipatio à Paulo prædicta, 2 Theſſ. 2: 3
ſummus honor, Epheſ. 1: 23
notæ, Epheſ. 2: 20. & 1 Theſſ. 1: 8
perfectio in hac vita, Epheſ. 5: 27
pueritia, Galat. 4: 2
regimen ſpirituale, Epheſ. 1: 23. & 1 Theſſ. 5: 13. & 1 Tim. 5: 21. Hebr. 10: 30
ſtatus, 2 Tim. 2: 20. & 3: 1. & 4: 14
regimen à doctrina avelli nequit, 1 Tim. 3: 2
ſymmetria, multiplici unitate conſtat, 1 Cor. 12. verſ. 4
theſaurus quis Papiſtis, 1 Cor. 3: 13 Col. 1: 14
tituli, 1 Tim. 3: 15
unitas ubi ſita, 1 Cor. 3: 32. & 14: 33 Epheſ. 1. verſ. 23

Eccleſiæ-

Digitized by Google

Eccleſiarum Papiſtarum qualis mater, Gal. 4:26
Eccleſiarum poteſtas, 1 Cor. 3:2
Eccleſiarum turbatores, Gal. 5:10, 12. & 2 Tim. 1. verſ. 15. Tit. 1:14
Electio Dei arcana, Rom. 9:6
Electio Dei arcana ſupra externam vocationem dominatur, Rom. 9. 7
Electio Dei æterna, prima ſalutis noſtræ cauſa, Epheſ. 1:3. & 2 Theſſ. 2:13
Electio, omnium beneficiorum Dei cauſa, Epheſ. 1. verſ. 4
Electio, firmum fundamentum, 2 Tim. 2:16
Electio ſolo Dei beneplacito fundata, Rom. 3:24
Electio futura opera non reſpicit, Rom. 9. 11
Electio à juſtitia operum non pendet, Epheſ. 1:4
Electio Dei gratuita, Rom. 2:11. & 9:11. & 11:5. Galat. 4:9
Electio cauſis externis minime alligata, Rom. 9:13
Electio piorum tota ad Dei conſilium referenda, Rom. 9. 16
Electio fidelium quomodo certa, 1 Theſſ. 1:4. 5
Electio ad omnes, 2 Cor. 8:18
Electionis cauſa in Dei propoſito quærenda, Rom 9. verſ. 14
Electionis certitudo unde, Rom. 8:31
Electionis finis, Hebr. 10:7
Electionis fines duo, Epheſ. 1:14
Electionis fructus, ibid.
Electionis ſigna, 2 Theſſ. 2:18
Electi, vaſa miſericordiæ, Rom 9:23
Electi ſunt non omnes, quanquam univerſalis eſt doctrina, Rom. 10:16
Electi ſoli illuminantur, 2 Tim. 3:16. Hebr. 8:11
Electi ſoli regenerationis capaces, Tit. 3:6
Electi ſoli interius vocantur, Rom. 10:16. Hebr. 6. verſ. 4
Electi ſoli ſalutem conſequuntur, 1 Cor. 1:24
Electi quomodo afficiuntur verbo Dei, Hebr. 4:11
Electi interdum acri vehementia objurgandi, Heb. 6. verſ. 9
Electi pro ſegregatis, Col. 3:13
Electorum excellentia, Hebr. 1:14
Electorum numerus ſoli Deo cognitus, Rom 11:3
Electorum & reproborum diſcrimen, Rom. 1:13. & 7:13. & 8:9, 18. & 1 Cor. 15:31. & 2 Cor 4. verſ. 16. & 5:4. Gal. 3:27. & 5:21. Epheſ. 4:30. & 5:11. Philip 1:23, 27. Col. 3:6. & 1 Theſſ. 4. verſ. 1, 8, 13. & 5:4 & 1 Tim 3:16. & 4. 8. 2 Tim 2:21. & 3:3. Hebr. 6:4 & 9:23. & 10:37. & 11:3, 29. & 12:6
Eleemoſyna, ſacrificium, 2 Cor 9:7, 11
Eleemoſyna, ſacrificia, Philip 4:18. Hebr. 13:16
Eleemoſynæ ſementi conferuntur, 2 Cor 9:6
Elementa pro rudimentis, Galat. 4:1
Elementa mundi pro ceremoniis, Col. 2:8
Eloquentia num cum Evangelii ſimplicitate pugnet, 1 Cor. 2:17
Encratitæ hoſtes conjugii, 1 Tim. 4:3
Enoch raptus qualis, Hebr. 11:5
Epaphræ laus, Col. 1:6
Epaphroditi laudes, Phil 2:25
Epicurei, Dei contemptores, Gal. 4:29. Jud 17
Epicureorum deliria, 1 Tim. 1:19
Epicureorum vox, 1 Cor. 15:32
Epimenides Cretenſis, Tit. 1:12
Epiſcopatus quid Paulo, 1 Tim. 3:1
Epiſcopatum an appetere liceat, ibid.
Epiſcopus & presbyter idem, Tit. 1:7
Epiſcopus & paſtor, ſynonyma, Philip. 1:1. & 1 Tim. 3:1
Epiſcopi nomen omnibus verbi miniſtris commune, Philip. 1:1
Epiſcopi Papales, otioſi ventres, Galat 6:6
Epiſcopi Papales Apoſtolorum ſucceſſores non ſunt, Rom 1:1. & 1 Cor. 1:1. & 4:15 & 9 verſ. 16. Galat. 4:14 & 1 Theſſ. 5:12, 13. & 1 Tim. 3:2. Tit. 1:3, 9. Hebr. 5:4. & 13. verſ. 17
Epiſtola prior ad Corinthios Epheſi ſcripta, 1 Cor. 16:19 Phil 4:3
Epiſtola ad Galatas quando & ubi ſcripta, Galat. 2. verſ. 2
Epiſtola prior ad Timotheum quando ſcripta, 1 Tim. 3:14
Epiſtola ad Hebræos cur à multis repudiata, Hebr. 6. verſ. 4. & 10:18
Epiſtola ad Hebræos non eſt Pauli, Hebr. 2:3
Epiſtola ad Hebræos quando ſcripta, Hebr 6:1
Epiſtola ad Hebræos Hebraice minime ſcripta, Hebr. 9:16
Epiſtolæ Pauli multæ exciderunt, 1 Cor 5:9 Epheſ 3:3
Epulæ & luſus, idololatriæ acceſſiones, 1 Cor. 10. verſ. 7
Errores unde, 1 Tim. 1:19
Errores in Papatu unde, Col 2:4
Eſau cur fratri ſuo poſthabitus, Rom. 9:13
Eſau profanus, Hebr. 12:16
Eſſe pro agnoſci & aperte conſpici, 1 Cor. 15:28
pro conſiſtere, 1 Cor. 2:3
pro cenſeri, Rom. 4:12
ex fide quid, Galat. 3:7
ex operibus Legis, Galat 3:10
in carne, quid, Rom. 1:5
ſub Lege quid, Rom. 6:14. Gal. 4:12. & 5:18
ſub gratia quid, Rom 2:14
ſub peccato quid, Rom 3:9
Et pro quia, 1 Cor. 8:4. & 1 Cor. 3:6. Col 1:24 & 2:3. Hebr. 4:13
Evangelium quid, Rom. 1. 2
Evangelium, arcana Dei ſapientia, 1 Cor. 1:21
Evangelium arcanum cur dicitur, Epheſ. 3:4. Col. 1. verſ. 26. & 1 Tim. 3:9
Evangelium ſola fide capitur, Col. 1:2
Evangelium nonniſi Spiritus ſancti teſtimonio comprehenditur, 1 Cor. 2:11
Evangelium in morte & reſurrectione Chriſti præcipue conſiſtit, 1 Cor 15:14
Evangelium coram mundo contemptibile, Rom. 1. verſ. 16
Evangelium cur paſſim contemptum, 1 Cor. 1:14
Evangelium totum in Chriſto continetur, Rom. 1. verſ. 3
Evangelium crux interdum dicitur, Galat. 3:11
Evangelium quibus deſtinatum, Rom 1:14
Evangelium, ſalutis doctrina, Rom. 1:16
Evangelium Chriſto incarnato exhibitum, Rom. 1. verſ. 2
Evangelium filii Dei cur dicitur, Rom. 1:9
Evangelium, illuſtratio vitæ, 2 Tim 1:10
Evangelium, reconciliationis miniſterium, Rom. 5. verſ. 8
Evangelium cur miniſterium vitæ, 2 Cor. 3:7
Evangelium, myſterium Chriſti, Col. 4:3
Evangelium novum non eſt, Rom. 16:25. Epheſ. 3. verſ. 8
Evangelium quomodo odor mortis eſſe poſſit, quum ſit miniſterium vitæ, 2 Cor 2:15
Evangelium falſis calumniis obnoxium, Rom 3:8
Evangelium cur Pauli dicatur, Rom. 2:16. & 2 Theſſ. 2:14 & 2 Tim. 2:8
Evangelium pacis, Epheſ 6:15
Evangelium non pluit fortuito ex nubibus, Rom. 10. verſ. 15
Evangelium cui prædicatur, Rom 1:15
Evangelium quomodo Lege præſtantius, Hebr. 2:1. & 12:18
Evangelium quale Papiſtis, Gal. 2:5
Evangelium cur regnum Dei vocatur, Coloſſ 4:11
Evangelium cur Spiritus dicitur, 2 Cor 3:6
Evangelium quomodo prædicationis ſtultitia, 1 Cor 1:21
Evangelium cur Dei teſtimonium, 1 Cor. 2:1
Evangelium cur teſtimonium Chriſti vocatur, 1 Cor. 1:6 & 2 Tim. 1:8
Evangelii authoritas unde pendeat, Epheſ. 2:17. Coloſſ. 1. 23. & 1 Theſſ 1:13
Evangelii confirmatio, 1 Cor. 1:6
Evangelii confirmatio num ab hominum conſtantia pendeat, Philipp. 1:7
Evangelii confirmatio ex multitudine, Col. 1:6
Evangelii contemptus grave crimen, Hebr. 2:11. & 12. 29
Evangelii defenſio, Philipp. 1:16
Evangelii deſcriptio, Rom. 1:8
Evangelii dignitas, 2 Cor. 3:6, 7. & Epheſ 3:10. Philipp 3:2. Col. 1:26. & 4:3, 4. Hebr. 6. 18
Evangelii doctrina nova non eſt, Rom 1:2. & 2 Tim. 1:10
Evangelii doctrina ſimpliciter tradenda, 1 Tim. 1. verſ. 3
Evangelii doctrina piis omnibus familiaris eſſe debet, Coloſſ 3:16
Evangelii doctrina, lac & cibus, Hebr. 3:12
Evangelii doctrina exhortationibus adjuvatur, 2 Cor. 6:1
Evangelii doctrina quibus inſi odioſa, Hebr. 5:13
Evangelii doctrina paſſim contempta, 1 Cor. 2:7
Evangelii elogium, 1 Cor 4:1
Evangelii effectus, Epheſ. 1:17
Evangelii horrenda everſio in Papatu, Galat. 1:9
Evangelii finis, Rom. 15:12 & 1 Cor 1:9. 13. & 8:7. & 2 Cor. 3:18. & 5:18 & 10. 6. & 1 Theſſ. 1. 9. & 4:3. Hebr. 2:12
Evangelii humilitas, 2 Tim. 4:3
Evangelii lux extincta in Papatu, Hebr. 4:17. & 1 Tim 2:17
Evangelii majeſtas, Galat 4:14
Evangelii verus miniſter quis, 1 Cor. 4:1
Evangelii miniſterium cum militia collatum, 2 Cor. 10:4
Evangelii proprium officium, 2 Cor. 2:15
Evangelii neglectus graviſſimam pœnam meretur, Hebr. 2:3
Evangelii patrocinium piis omnibus commune, Philem verſ. 18
Evangelii viva prædicatio quæ, 1 Theſſ 2:12
Evangelii prædicatio quanti æſtimanda, Rom. 10. verſ. 13
Evangelii prædicatio cultus Deo gratus, Rom. 1. verſ. 9
Evangelii prædicatio, ſuavis eſt odor, 2 Cor 2:15
Evangelii prædicatio, certum ſalutis teſtimonium, Epheſ 2:17
Evangelii rejectio multiplex, 2 Tim. 4:3
Evangelii ſimplicitas colenda, 1 Corinth. 1:17. & 1 Tim. 6:20. Tit. 2:15
Evangelii ſumma, 2 Tim. 1:13
Evangelii theſaurus inæſtimabilis, 2 Cor 4:7
Evangelii præclarus titulus, 2 Cor 5:18 Epheſ. 1. verſ. 13 & 6:15. Col. 1:5 & 1 Tim. 1:9. & 2 Tim 1:10
Evangelii veritas pro genuina ejus puritate, Gal. 2. verſ. 5
Evangelii & fidei mutua relatio, Rom 1:17. Col. 1:23
Evangelii & philoſophiæ diſcrimen, Rom. 12:2
Evangelii & Legis conſenſio, Hebr 1:1
Evangelii & Legis collatio, Rom 8:15
Evangelii & Legis diſcrimen, Hebr 8:4 & 10:1
Evangeliſta quis, 1 Cor. 12:28. Epheſ 4:11
Evangeliſtæ opus, 2 Tim. 4:5
Euchitæ ſeu Pſalliani, 1 Tim. 5:5
Eunicæ fides, 2 Tim. 1:5
Euſebii locus, 1 Cor 9:4. Philip 4:3
Eutyches refutatus, 1 Tim. 3:16
Excæcatio quomodo à Deo, Rom. 11:12
Exciſio duplex, Rom. 11:22
Excommunicatio legitima quanti ſit momenti coram Deo, 1 Cor. 5:4
Excommunicatio neceſſaria, 1 Tim 1:20. & 2 Theſſ. 3:14. Tit. 1:13
Excommunicatio quomodo fieri debeat, 1 Cor. 5. verſ. 4
Excommunicatio Papalis nil metuenda, Galat. 6. verſ. 16
Excommunicationis Papiſticæ interdicta tyrannica, 1 Cor. 5:11
Excommunicationis finis, 2 Cor 2. 7
Excommunicationis poteſtas uni tantum non permittenda, 1 Cor 5:4
Excuſatio nulla hominibus relicta, Rom 1. 20, 24
Excuſatio inanis, Rom. 10 2
Excuſatio impiis adempta, vide Impii inexcuſabiles.
Exemplorum uſus, Rom. 4:23 Hebr. 12:1
Exercitationes corporales quæ laudandæ, 1 Tim. 4. verſ. 7
Exhortationes piis neceſſariæ, 2 Corinth. 6. 1. & 1 Theſſ. 2. 12. Hebr. 3. 21. & 13. 22
Exhortationes doctrinam ſequi debent, Rom 6. 12. & 8. 12. & 1 Cor 9. 24 Ephe. 4. 25. Phil 4. 1. & 1 Theſſ. 2. 11 & 1 Tim 6. 2. & 2 Tim. 3. 16. & 4. 2. Tit. 1. 9. & 2. 1. 15. Hebr. 13. 16

F.

Fabula quid Paulo, 1 Tim 1. 4. & Tit. 3. 14
Fabula de Enoch & Elia, Hebr 11. 5
Facetiæ quando licitæ, Philip. 5. 2
Facundia ſine charitate Deo minime grata, 1 Cor. 13. verſ. 1
Famæ quatenus habenda ratio, Rom. 12. 17. & 2 Cor. 3. 12. & 8. 21. & 13. 7
Famæ alienæ quatenus parcendum, 2 Theſſ 3. 14. & 1 Tim. 5. 17. Tit. 3 10
Famæ immortalitatem morte emere, diabolicus furor, 1 Cor 13 3
Familiæ habenda cura, 1 Tim. 5 8
Familiæ piorum, totidem Eccleſiæ eſſe debent, 1 Cor. 8 19
Fanatici negant Legem & Prophetas ad nos pertinere, Epheſ 2. 20
externum verbi miniſterium ſtulte reſpuunt, 1 Theſſ. 5. 20
magiſtratuum hoſtes, 1 Tim. 2. 2
unde animas a corporibus ſolutas, ſenſu & intelligentia carere probent, 1 Cor 7. 19
Faſtidioſi qui, Rom. 2. 28
Felicitas fidelium, vide Fidelium felicitas.
Feriæ Papiſtarum Deo abominabiles, Gal. 4. 11
Fermenti nomen varie acceptum, 1 Cor. 5. 3
Feſtinatio cavenda, 1 Tim 5. 18
Fidelis quis vere dicatur, Rom. 3. 2
Fidelis pro veraci, 1 Cor. 7. 25
Fidelis pro vero & legitimo, Hebr 2. 17
Fideles qui, 1 Tim 4. 3. & 2 Tim 4. 2
Fideles Angelis aſſociati, Hebr 12. 22
Fideles certi ſunt de vita æterna, Rom. 8. 14
Fideles ſalutis ſuæ certiſſimi, Rom. 8. 30
Fideles quomodo imagini Chriſti conformes, Rom 8. 29
Fideles ante mundum conditum à Deo dilecti, 2 Cor. 13. 18
Fideles, domeſtici Dei, Ephes. 2. 19
Fideles quando ex morte excitandi, 1 Theſſ 4 15, 16
Fideles filii lucis, Epheſ. 5. 8. & 1 Theſſ. 5. 4
Fideles, fratres ſunt, Hebr 13 1
Fideles, fratres Chriſti, Hebr. 2. 12
Fideles gloria Dei, 2 Cor 8 12
Fideles mundi hæredes, 1 Tim 4. 8
Fideles imperfecti, Rom. 6. 14. & 7 14. 18
Fideles quomodo Chriſto inſiti, Rom. 6. 5
Fideles quomodo Angelorum judices, 1 Cor 6 8
Fideles quomodo mundi judices, 1 Cor. 6. 2
Fideles luminaria in mundo, Phil 2. 15, 16
Fideles ad ſalutem prædeſtinati, Rom. 9. 11
Fideles cur primitiæ dicantur, Rom 8 23
Fideles primogeniti, Hebr. 12 16
Fideles quomodo ſancti, 1 Cor. 1 3. & 2 Cor. 1. 1. Epheſ 1 1. Col. 1. 1. & 2 Theſſ. 1. 10. Heb. 13. verſ. 24
Fideles Dei templa, 1 Cor 3. 16. & 2 Cor. 6. 16. Epheſ. 2. 20, 21 & 4 30
Fideles quomodo juſtificantur, Rom. 4. 1
Fideles quomodo peccato moriuntur, Rom. 6. 10
Fideles quomodo hominibus probati, Rom. 14. 18
Fidelium progreſſus, Rom. 1. 17. Epheſ. 1. 16. & 1 12. & 3 16. & 5 27. Philip 1 12, 13. Col. 1. verſ. 3. & 1. 2. & 1 Theſſ 3. 10 & 4. 1. & 5 13. & 2 Theſſ. 1. 3. Philem. v. 4 Hebr. 3. 12 & 4. 7. & 8. 10, 12. & 10 39 & 13. 10
Fideles in Chriſto vivunt, Galat 1. 20
Fidelium communicatio, Rom. 12 4. 15. Epheſ 4. verſ. 18 & 1 Theſſ. 1. 2. & 5. 11. & 2 Theſſ. 1. verſ. 3. Philem. verſ. 6 Hebr. 10. 33 & 13. 16
Fidelium communio, 2 Cor 4. 15. Philip 1. 5. & 2. 1
Fidelium concordia, Philip 1. 27
Fidelium conditio in hac vita, 2 Cor. 4. 10. & 5. 7. & 1 Theſſ 3. 3. & 1 Tim. 4. 10. & 6 14. & 2 Tim. 3 12

Fidelium

INDEX.

Fidelium cur miſera conditio, 1 Cor. 15: 19
Fidelium conjunctio, Hebr. 13: 5
Fidelium conſilia interdum convertuntur à Domino, Rom. 1: 13
Fidelium conſolatio, Rom 2: 5. & 4: 13. & 5: 3. & 6. 14. & 8 1. & 9. 33. & 10. 8 & 2 Cor. 4. verſ. 10. & 5. 18. & 7. 6. & 11. 15. Gal. 3. 22. Epheſ. 1. 14 & 2. 6. Phil. 1. 28. & 3. 10, 20. & 4. 3. Coloſſ. 1. 6. & 3 4. & 1 Theſſ. 4. 17. & 2 Theſſ. 1. 5, 10. & 1 Tim. 4 2, 10 & 5. 25. & 6. 14. & 2 Timoth. 2. 9, 11, 19. Tit. 2. 13. Hebr. 1. 10, 14 & 2. 10, 11, 14. & 5. 7. & 6. 18. & 10 36, 37. & 11. 38
Fidelium dignitas, 2 Cor. 6. 19. Epheſ. 2. 19. Hebr. 2. 12
Fidelium familiæ quales eſſe debeant, Col. 4. 14
Fidelium felicitas Deo adhærentium, Col. 1. 20
Fidelium gaudium quale, Rom. 12. 12. Philip 1. verſ. 4. & 2. 2. & 3. 1. & 4. 4. Coloſſ 1. 11. Hebr. 10. 34 & 12. 2
Fidelium gloria, 2 Tim. 4. 8
Fidelium gloria calamitatibus promovetur, Rom. 5. verſ. 3
Fidelium gloriatio vera, Rom. 5. 2, 3, 11. & 8. verſ 23. & 1 Cor. 1. 31. & 4. 7. & 2 Cor. 1. verſ. 12. Gal. 5. 26. Philip. 1. 26. & 3 3, 15. Col 1. 23
Fidelium præclara hæreditas, Rom. 8. 17
Fidelium mutua interceſſio, 2 Cor 1. 10
Fidelium libertas qualis, Rom. 6. 18. & 7. 14
Fidelium meditatur, Philip 4. 8. Coloſſ 3. 1. & 2 Tim. 2. 12. Hebr. 6. 1, 6. & 12. 3 & 15. verſ. 14
Fidelium militia, Rom. 6. 15. & 12. 19. & 16. 20. & 1 Corinth 9 24. 25. & 2 Corinth. 2. 14. Epheſ. 6. 11, 12. & 1 Theſſ. 2. 18. & 5. 8. & 2 Theſſ. 1. 6. & 2. 5. Hebr 10. 32. & 12. 1. & 13. 13
Fidelium mors Deo pretioſa, Hebr. 11. 4
Fidelium multitudo, Hebr. 12. 1
Fidelium obedientia unde, Hebr. 2. 13
Fidelium officium, 1 Theſſ. 5. 4. Hebr. 10. 24
Fidelium patientia qualis eſſe debeat, Rom. 15. 4. Philip 2. 27
Fidelium paucitas, Rom. 10. 16. & 1 Cor. 1. 21. 2 Theſſ. 2. 12
Fidelium perfectio qualis, Rom. 7. 23. & 8. 5. & 1 Cor. 1. 7. & 13. 10, 11. Epheſ. 1. 4 & 3. verſ. 17. & 4. 13. Col. 1. 22. & 4. 12. Heb. 4. verſ 10. & 6. 1, 11
Fidelium periphraſis, Hebr. 7. 25
Fidelium politia in cœlis, Philip. 3. 20
Fidelium prærogativa, Rom. 1. 8. Hebr. 8. 10
Fidelium preces quales eſſe debeant, 1 Tim. 2. 8. Hebr. 13. 18
Fidelium preces quomodo exaudiantur, Hebr. 8. verſ 3
Fidelium requies, Hebr. 4. 3
Fidelium ſacrificia, Hebr. 13. 15, 16
Fidelium ſalus in manu Dei, 2 Tim 5. 12
Fidelium ſalus nota, Hebr. 1. 14
Fidelium ſalus quibus gradibus promovetur, Rom. 8. 30
Fidelium ſalus non niſi patientia conſummatur, Rom 8. 25
Fidelium ſalutis cauſæ, Rom. 8. 28
Fidelium ſanctitas qualis in hoc mundo, 1 Theſſ 3. verſ. 13
Fidelium ſapientia in Euangelio incluſa, Col 2. verſ. 3
Fidelium ſapientia in Chriſti cruce incluſa, 1 Cor. 1. 17
Fidelium verus ſcopus, Rom 2. 7. Hebr. 4. 10, 11
Fidelium ſermones quales eſſe debeant, Col. 4. 6. Epheſ 4 29. & 5. 4
Fidelium ſimplicitas, Rom. 16. 19. & 1 Cor. 14. verſ. 20
Fidelium ſpes Chriſtus, 1 Tim. 1. 1
Fidelium ſpes in Chriſti reſurrectione fundata, 1 Theſſ. 1. 10
Fidelium victoria, Rom. 8. 37, & 12. 21. & 16. verſ 19. & 1 Theſſ. 5. 9. Hebr. 11. 30
Fidelium vita ſtadio ſimilis, Phil 3. 13
Fidelium vita extra periculum, Col. 3. 3
Fidelium vita qualis eſſe debeat, Rom 12. 11. Epheſ. 5. 15. Phil. 2. 15
Fidelium vitæ finis, 2 Theſſ. 1. 12
Fidelium unitas cum Chriſto, 1 Cor 6 15, 17
Fidelium unitas mutua, Epheſ. 4. 4, 6, 12, 25. & 2 Theſſ. 1. 3
Fidelium vocationis finis, 2 Theſſ. 3. 15. & 4. 7
Fidelibus in lucro omnia deputanda, 1 Tim. 4. 10
Fides vera quæ, Rom. 10. 10. Epheſ 4. 13. & 1 Tim. 4. 5. Hebr. 3. 6. & 11. 2
Fides una, Epheſ 4. 5
Fides ex Dei verbo naſcitur, Rom. 10. 13, 17. Epheſ. 2. 20. Hebr. 11. 12
Fides ex promiſſione naſcitur, Hebr. 11. 17
Fides ex auditu, Rom. 10. 17. & 1 Cor. 3. 6. & 1 Tim. 3. 15
Fides eſt donum Dei, Rom. 1. 8. & 10. 16. & 2 Corinth 4. 15. Epheſ. 1. 13. & 6 23. Philip. 1. 29. & 3 9. Col. 1. 3. & 1 Theſſ. 2. verſ. 2. & 2 Theſſal. 1. 5. & 3. 2. Hebr 10. verſ. 32
Fides cur opus dicitur, 2 Theſſ. 2. 22
Fides in piis otioſa non eſt, Galat. 5 12
Fides juſtitiæ cauſa inſtrumentalis, Galat. 3. 6
Fides quomodo timoris cauſa, Hebr. 11. 7
Fides quamvis imperfecta Deo placet, Hebr. 11. verſ. 11, 25, 32
Fides ficta in impiis, Hebr 6: 11
Fides ab hominum jugo liberrima eſſe debet, 2 Cor. 1: 24
Fides crucis comes, Phil. 1: 29
Fides particularis quid, 2 Cor. 12: 8 & 12: 2
Fides temporaria, Hebr. 6. 4
Fides pro primis religionis axiomatibus, Rom. 12. verſ 6
Fides pro ſumma Chriſtianæ doctrinæ, 2 Tim. 4. verſ. 6
Fides pro ſumma religionis & ſana doctrina, 1 Tim. 6. 22
Fides pro ſana doctrina, 2 Tim. 1. 19
Fides pro conſtanti animi perſuaſione, Rom. 14. verſ. 23
Fides pro plena revelatione rerum quæ olim ſub obſcuritate umbrarum Legis latebant, Gal 3. verſ. 23
Fides pro fidelitate, Tit. 2. 9
Fides ſola coram Deo æſtimatur, Hebr. 11. 32
Fides hominem Deo conſecrat, Phil. 2. 17
Fides ſola juſtificat, Rom 1. 17, 21, 28 & 4. 6. Gal. 2. 15, 16. & 3. 6. Epheſ. 2. 10
Fides quomodo juſtificat, Rom. 3. 21. Galat. 3. verſ. 6
Fides ſola vere Deo obedit, Tit. 3. 3
Fides ſola obedientiæ magiſtra, Hebr. 11. 7, 8
Fides invocationis mater, Rom. 10. 14
Fides invocatione Dei probatur, Rom. 8. 16
Fides miraculis adjuvatur, 1 Cor. 1. 22
Fides non ſtatim reperitur ubicunque eſt verbum, Rom. 10. 16
Fides victoria mundi, 2 Tim. 1. 12
Fides electorum eſt, Tit. 1. 3
Fides quorum imaginaria, Rom. 10. 10
Fides piorum confirmatione indiget, Rom. 1. 11
Fides Corinthiorum quomodo opus Pauli, 1 Cor. 3. 8
Fides Papiſtarum implicita quam inania, Rom. 10. verſ 17. Hebr. 3. 6 & 11. 18
Fides an extra Chriſtianiſmum reperiatur, 2 Tim. 1. verſ. 5
Fides à fiducia non ſeparanda, Epheſ. 5. 12
Fides ab opinione diſtinguitur, Col. 2. 2
Fides cur à ſermone diſtinguitur, 2 Cor. 8. 7
Fides & invocatio res inter ſe conjunctiſſimæ, Rom. 10. 14
Fides & operum merita, res penitus contrariæ, Rom. 9. 32
Fidei certitudo unde pendeat, Gal. 2. 2. Epheſ. 3. verſ. 19. Col. 2. 27. & 2 Tim. 1. 12. Tit. 1. verſ. 1 Hebr. 2. 13. & 6. 11
Fidei certitudo unde à Papiſtis concutitur, 1 Cor. 4. verſ. 4
Fidei confeſſio cur fidei præponitur, Rom. 10. 9
Fidei conſtantia unde, 2 Cor. 1. 21
Fidei gradus, Epheſ. 3. 12
Fidei incrementa à Deo, 2 Theſſ. 1. 3
Fidei juſtitia quid, Rom. 1. 17. Philip 1. 11
Fidei myſterium pro ſumma piæ doctrinæ, 1 Tim 3. verſ. 9
Fidei natura, Rom. 1. 5, 17. Philip. 2. 17 & 5. 10. Hebr. 11. 1, 6, 8. 21, 29
Fidei nomen æquivocum, Rom. 3. 28
Fidei proprium, 1 Cor. 2. 5
Fidei ſedes in corde, Rom. 10. 10
Fidei verbum pro ipſo Euangelio, Rom. 10. 8
Fidei vis, Hebr. 11. 27
Fidei unitas, Epheſ 4 13
Fidei & Euangelii mutua relatio, Rom. 1. 17. Col. 2. 23
Fidei & promiſſionis relatio, Rom. 4 3
Fidei & verbi relatio, Hebr. 4. 2
Fidei & opinionis diſcrimen, 2 Theſſ. 2. 13. & 2 Tim. 1. 12
Fiducia in vera invocatione requiritur, Epheſ. 3. verſ. 12
Fiducia noſtri quantum Deo diſpliceat, 2 Cor. 1. verſ. 9
Fieri, pro, in totum perfici, 1 Cor. 15. 54
Filius Dei. Vide Chriſtus.
Filii carnis qui dicantur, Rom. 9. 8
Filii Dei qui proprie cenſentur, Rom. 9. 25
Filii promiſſionis qui ſunt, Rom. 9. 8
Filii inobedientiæ qui, Epheſ. 2. 2
Filii iræ pro damnatis coram Deo, Epheſ. 2 3
Filii piorum quomodo in utero ſanctificati, 1 Cor. 7. 14
Filiarum officium, Col. 5. 20
Filias elocandi, Pauli conſilium, 1 Cor. 7. 36
Fœderis Dei duæ partes, Hebr. 8. 10
Forma pro eo quod vulgo apparentia dicitur, Rom. 2. 19
Fortitudo philoſophica contumacia eſt, 2 Cor. 12. verſ. 10
Fortunam iniquam iniqua ſequuntur judicia, 2 Tim. 3. 12
Fratres falſi, 2 Tim. 1. 15
Fundamentum pro doctrina, Epheſ. 2. 20
Furtum damnatur, 1 Cor. 6. 9. Epheſ. 4. 28. Tit. 2. 10

G.

GAlatia ampla regio, Galat. 1. 2
Galatarum inconſtantia, Galat. 1. 6. & 4. 3
Galatarum ingratitudo, Galat. 1. 6
Gangrænæ quis morbus, 2 Tim. 2. 17
Garrulitas vitanda, 1 Tim. 5. 13
Gaudium duplex, 2 Cor 7. 10
Gaudium pro ſpirituali conſolatione, 2 Cor. 2. 3
Gaudium pro hilaritate quam erga proximos exhibemus, Gal. 5: 22
Gaudium fidei fructus, ibid.
Gedeon ſignum petens minime reprehenſus, 1 Corinth. 1: 22
Genealogiæ infinitæ, 1 Timoth 1. 4
Generatio pro ætate vel unius ſeculi hominibus, Hebr. 3. 9
Generatio liberorum gratum Deo obſequium, 1 Timoth. 1: 15
Gentes prætextu ignorantiæ non excuſantur, Rom. 2: 14.
Gentes etiam Euangelii lumine inexcuſabiles, Rom. 2. 12
Gentes in Dei populum cooptatæ, Epheſ. 5. 5
Gentium vocatio à Deo, 2 Tim. 4. 17
Gentium vocatio à Deo ordinata, 1 Tim 2. 6
Gentium vocatio prædicta, 2 Theſſ. 2. 6. Hebr 2. verſ. 12
Gentium vocatio prophetarum vaticiniis conteſtata, Rom. 9. 25
Gentium vocatio inſitioni ſimilis, Rom. 11. 19
Gentium vocatio res nova & inſolens, 1 Tim. 3. verſ. 16
Gentium vocatio mirabile divinæ bonitatis opus, Epheſ 2. 7
Gentium vocatio, arcanum Chriſti, Epheſ. 3. 4
Gentium plenitudo pro ingenti concurſu, Rom. 11. verſ. 25
Gentium ſacrificia, Hebr. 9 16
Gentium vocationis loci, Rom. 10. 20. & 11 26. & 15. 9 Galat. 4. 23. & 2 Tim. 2. 12
Gentium & Judæorum diſcrimen, Rom. 3. 2
Genuflexio adorationis ſymbolum, Philip 2 10
Generis humani radices duæ, Adam & Chriſtus, 1 Cor. 15. 45
Gladii jus quo loco commode probari poſſit, Rom. 13. 4
Gloria pro miſericordia, Epheſ. 3 16
Gloria uni Deo debita, Rom. 1. 25. & 16. 22
Gloria inanis fugienda, Galat. 5. 26 & 6. 1. Philip. 2. 3
Gloriari in Domino quid, 2 Cor. 10. 17
Gloriari ſecundum carnem quid, 2 Cor. 11. 18
Gloriari in paratis, 2 Cor. 10. 16
Gloriatio bonæ conſcientiæ, Galat. 6. 4
Gloriatio vera, 2 Cor. 12. 9
Gloriatio impiorum, Rom 1. 28. & 2 Cor. 5. 12
Gloriatio fidelium. Vide Fidelium gloriatio.
Glorificatio fidelium, certa, Rom. 8 30
Gloſſæ papiſticæ, Satanæ commentum & ludibria, Galat 4. 22
Gradatio, Rom. 10. 13
Græci pro omnibus gentibus, Rom 1. 16
Græci pro gentibus, Galat 3. 28
Gratia Dei, Epheſ. 5. 26. & vide Dei gratia.
Gratia Dei quid, Rom. 1. 6 & 6. 14
Gratia quid ſcholaſticis, Rom 5 15
Gratia pro auxilio Spiritus ſancti, 2 Cor. 12 9
Gratia pro redemptionis beneficio, 2 Cor. 13. 13
Gratia pro conſolatione & admonitione, Epheſ 4. verſ 26
Gratia pro ſpirituali Dei cultu & regeneratione, Hebr 13. 9
Gratia pro donis quæ gratuito hominibus conferuntur à Deo, 2 Cor 1. 4
Gratia pro eleemoſyne, 2 Cor. 8. 4
Gratia pro gratuito Dei favore, Rom. 4. 16. Epheſ. 6 24
Gratia pro gaudio, Philip. 1. 7
Gratia pro tota noſtra vocatione, Hebr. 12. 15
Gratia hominum fortiter contemnenda, Galat. 1. verſ. 10
Gratiæ per Chriſtum agendæ, Rom. 1. 8
Gratiarum actio piis neceſſaria, Rom. 14. 6. & 16. 21. & 1 Cor. 12. 24. & 1 Corinth. 1. 3. Gal. 1. 5. Epheſ. 1. 15 & 3. 20. & 5. 20 Phil. 4. verſ. 6, 20 Col. 1. 3, 17. & 1. 7. & 3. 18 & 4. 2. & 1 Theſſ. 1. 2. & 3. 9. & 3. 16. & 2 Theſſ. 1. verſ. 3. & 2. 13. & 1 Tim. 1. 12. & 2. 1. & 4. verſ. 3, 4. & 2 Tim. 4. 17. Hebr. 12. 21. & 15. verſ. 13
Gubernationes quid Paulo, 1 Cor. 12. 28
Gynæcocratia vitioſa & turpis, 1 Cor. 14. 34. & 1 Tim. 2. 12

H.

HAbelis fides & ſacrificium, Hebr. 11. 4
Hæreſes quomodo eſſe oporteat, 1 Cor. 11. verſ. 19
Hæreticus quis, Tit. 3. 10
Hæretici fugiendi, ibid.
Hæretici an ſola excommunicatione compeſcendi, ibid.
Hebræi unde dicti, 2 Cor. 11 22
Hermogenes falſus frater, 2 Tim 1. 15
Hierarchia Papæ qualis, 2 Cor. 5. 20. Epheſ. 4. verſ. 11
Hilarius caratur, 2 Cor. 4. 4
Hilarii fortitudo, Hebr. 11. 38
Hilarii locus, Hebr. 1. 3
Heſychius, Hebr. 8. 3
Hiſtoria vitæ magiſtra, Rom. 4 23
Hodie, pro, toto tempore quo nos Deus compellat, Hebr 13 8
Homo cur à Deo conditus, Rom. 1. 19
Homo duplex, Rom 7. 22
Homo ſpiritualis quomodo omnia dijudicat, 1 Cor 2. 15
Homo animalis, 1 Cor. 2 14

Homo quomodo mendax dicitur, Rom. 3: 4
Homo externus quid, 2 Cor. 4: 16. Epheſ. 3: 16
Homo interior quid, Rom. 7: 22. Epheſ. 3: 16
Homo vetus quid, Rom. 6: 6. Epheſ. 4: 22. Col. 3. verſ. 9
Homo vetus exuendus, Epheſ. 4: 22. Col. 3: 9
Homo novus quid, ibid.
Hominis dignitas, Hebr. 2: 16
Hominis ingenium antequam illuminetur, Tit. 3: 3
Hominis partitio, 1 Theſſ. 5: 23
Hominis vires, Legis præceptis non metiendæ, 1 Theſſ. 3: 12 & 5: 23
Hominis voluntas divinæ voluntati per omnia adverſatur, Rom. 6: 7. & 12: 2
Homini interdum tribuitur quod ſolius Dei eſt, Rom. 11: 14. & 1 Theſſ. 3: 10. & 1 Tim. 1. verſ. 2 & 4: 16
Homines omnes ad Dei imaginem formati, Rom. 3. verſ. 29
Homines in rogando Deo cæci, Rom. 8: 26
Homines quatenus imitandi, 1 Cor. 4: 16. & 11. verſ. 1
Homines omnes pacificatore indigent, Col. 1: 21
Homines quatenus filii Adæ, ſic peccato mancipati ſunt, ut nihil poſſint aliud quam peccare, Rom 6: 6
Homines obliviosi ubi de æterna eorum ſalute agitur, 2 Theſſ 2: 5
Homines decipi volunt, 2 Tim 4: 3
Honeſtas externa, pars politiæ Eccleſiaſticæ, 1 Cor. 11: 3
Honor quid, 1 Tim, 5: 3
Honor pro cura, Col. 2: 23
Honor pro omni genere officii, Rom. 12: 10
Honor parentibus debitus, Epheſ. 3: 31. & 6: 1
Honoris nomen late patet, Epheſ. 6: 1
Horatii locus, 1 Tim. 3: 13
Hoſpitalitas commendatur, Rom. 12: 13. & 1 Tim. 3: 2. Hebr 13: 2
Humanitas mutua commendatur, Gal 6: 2
Humilitas vera quæ, Phil 2: 3
Humilitas ex Dei cognitione, 1 Cor 8: 2 & 14. verſ. 23
Humilitas unitatis mater, Epheſ. 4: 2
Humilitas Paulo probri loco objiciebatur, 2 Cor. 11. 7 & 12: 21
Humilitas ampleaanda, Rom. 12: 16. Epheſ 4: 1. Philip. 2: 2, 3. Col. 3: 12. Tit. 3: 3
Humilitas ficta. Col. 2: 18
Hymenæus hæreticus, 1 Tim. 1: 20. & 2 Tim. 2. verſ. 17
Hymnus quid, Col. 3: 16
Hypocriſis damnatur, Hebr. 10: 30
Hypocriſis Deo abominabilis, 1 Tim. 1: 19
Hypocriſis quam execranda. 1 Tim 4: 2
Hypocritæ quam abominabiles coram Domino, 1 Tim. 1: 15
Hypocritæ ebriâ confidentiâ ſibi adulantur. Rom. 7. 9
Hypocritæ proſpero rerum ſucceſſu inflantur, Rom. 2: 4
Hypocritæ Eccleſiæ hoſtes, Galat. 4: 30
Hypocritæ factitios ſuos cultus veritati opponere non dubitant, Rom. 2: 6
Hypocritæ ad Dei tribunal retrahendi, Rom. 2: 29
Hypocritæ fruſtra Deum invocant, Rom. 10: 14
Hypocritæ ſimiæ ſunt. 1 Tim. 2: 6
Hypocritæ piis permixti, Hebr 2: 13
Hypocritæ multi piis paſtoribus permixti, 2 Tim. 5. verſ. 24
Hypocritæ quomodo tractandi, Tit. 1: 16
Hypocritarum gloriatio, 2 Cor. 1: 31
Hypocritarum obedientia ficta, Phil. 2: 12
Hypocritarum ſecuritas, Rom. 2: 2
Hypocritarum ſpecioſus zeli fucus, Rom. 10: 8
Hypoſtaſis quid, Hebr. 1: 3

I.

JAcob cur fratri ſuo Eſau prælatus, Rom. 9: 3
Jacobus Alphæi filius, Galat. 1: 19
Jacobus cur Petro prælatus, Galat. 2: 9
Idololatra quis, 1 Cor. 5: 11
Idololatræ Satanæ ſervientes, 1 Cor. 10: 20
Idololatria fugienda, 1 Cor. 10: 14
Idololatria externa cavenda, ibid. & 2 Cor. 6: 14. & 7: 1
Idolum quid, Coloſſ. 1: 25. & 2 Theſſ 2: 4. Hebr. 11: 6
Idolum quo ſenſu nihil eſſe dicatur, 1 Cor. 8: 4
Ignavia, Vide Socordia.
Ignis inferni qualis futurus, 2 Theſſ. 1: 7. Hebr 10. verſ 27
Ignis pro Spiritu Domini, 1 Cor. 3: 13
Ignorantia duplex, 1 Cor. 2: 8
Ignorantia, pro quovis peccato, Hebr. 9: 7
Ignorantia errorum omnium cauſa, Col. 2: 4
Ignorantia mors eſt, Epheſ 4: 18
Ignorantia an peccatorem excuſet, 1 Tim. 1: 13
Ignorantia in fratribus infirmis tolerandа, Phil 3: 15
Ignorantia quam periculoſa, 1 Cor 13. 14. Epheſ. 4. verſ. 10. Phil. 3: 7. & 2 Theſſ. 1: 8. Hebr. 8. verſ. 11. & 13: 9
Ignorantia Papiſtarum, 1 Cor. 14: 20
Ignorantia qualis in Papatu, Col. 1: 12. Hebr. 5. verſ. 14 & 13: 9
Illuminatio duplex, 2 Cor. 4: 6
Illuminatio opus Spiritus Dei, Hebr 8: 11
Imagines quando in templis Chriſtianorum introductæ, Galat. 5: 1
Imitandi qui, Philip. 3: 17
Imitatio ſancta, Epheſ. 5: 1. & 1 Theſſ. 1: 6. & 2. verſ. 14. & 2 Theſſ. 3: 6 Phil. 3: 16. & 2 Tim. 3. 10. Hebr. 5: 9. & 6. 12. & 11: 2. & 13. 7
Imitatio præpoſtera, 1 Cor. 11. 1. & 2 Tim. 4. 14. Hebr. 3: 8
Impatientia frænanda, Rom. 7: 25. & 1 Cor. 10. verſ. 9, 13, 24 Phil 4: 3. & 1 Theſſ. 2: 17. & 5: 14. & 2 Theſſ 2: 1. & 1 Tim. 2: 6. & 2 Tim 4: 2. Hebr 10: 37. & 12: 11
Impatientiæ corrigendæ remedium, 1 Theſſ. 5: 18
Impietas quid, Tit. 2: 12
Impietas ſuperba, Hebr. 10: 38
Impietatis gradus, Hebr. 3: 12
Impii fide carent, Hebr. 4: 2. & 6: 11
Impii deſtinato creati ut perirent, Rom. 9: 18
Impii ruinæ juſto Dei judicio deſtinati, Rom. 9. 8
Impii Dei benignitate deteriores, Rom. 2: 5
Impii inexcuſabiles, 2 Tim. 2: 25. Hebr 11: 7
Impii rerum ſucceſſu inſoleſcunt, 2 Theſſ. 1: 3
Impii Satanæ inſtrumenta, 1 Theſſ. 2: 16
Impii honorifice de Chriſto loquentes an Spiritum Dei habeant, 2 Corinth. 12: 3
Impii omnes mortui, Coloſſ. 2: 13
Impii interdum Euangelium promovent, Phil. 1. 18
Impii ſemper Dei jugum refugiunt, Rom. 2: 8
Impiorum horrenda conditio, 2 Tim. 2: 25
Impiorum conſenſio maledicta, Phil. 1: 27
Impiorum conſortia vitanda, 1 Cor. 3: 19. & 2 Cor. 6: 17. Epheſ. 5. 11
Impiorum gloriatio, Rom: 1: 26
Impiorum interitus gravis, 2 Theſſ 1: 9
Impiorum mors deſperatione plena, Hebr. 12: 17
Impiorum multitudo, 2 Theſſ. 2: 18
Impiorum objectiones, Rom. 3: 7. & 9: 19
Impiorum pœna cur ſæpe differtur, 1 Theſſ. 2: 16. & 2 Theſſ. 1: 5
Impiorum ſecuritas, 1 Theſſ. 5: 4. & 2 Theſſ. 1: 3. & 2 Tim. 2: 23. Hebr. 6: 4. & 12: 17
Impiorum ſtupor, Hebr. 12: 17
Impiorum voces, Epheſ. 5: 6. & 2 Tim 2: 21. Hebr. 6: 6
Impiorum & diabolorum diſcrimen, Coloſſ 1: 20
Impios omnes ſalvos fore quidam ex verbis Pauli falſo inferunt, 1 Cor. 15: 26
Impoſturæ tres ſpecies, 2 Theſſ. 2: 2
Imprecationes cavendæ, 2 Tim 4: 14
Impudentia extremum malum, Rom. 1: 26
Inconſtantia damnatur, 1 Cor 15: 1, 2, 21. & 2 Cor. 1: 17. Galat. 1: 6. Epheſ. 4: 14
Incredulitas, malorum omnium caput, Hebr. 3: 17
Incredulitas ſummum in Judæis crimen, Rom. 11. verſ. 28
Incredulitas quam atrox crimen apud Deum, 1 Tim. 1: 15
Incredulitas vita privat homines, Epheſ. 2: 1
Incredulitas cæca, 2 Tim. 1: 13. & 2 Theſſ. 1: 6
Increduli ſtulti, Tit. 3: 3
Increduli redarguendi, Epheſ. 5: 11, 13, 14
Increduli an ſint reſurrecturi, 1 Theſſ 4: 14
Incredulorum pœna & interitus, 2 Theſſ 1: 8. & 2: 12
Incredulitas Stoica damnatur, 1 Theſſ. 4: 13
Indolentia rejectionis ſignum, Epheſ. 4: 19
Indulgentia diſſoluta maxime noxia, 2 Cor. 11: 32
Indulgentiæ papiſticæ evertuntur, 1 Cor. 1: 13
Indurandi verbum quomodo uſurpet Scriptura, Rom. 9: 18
Infidelitas, Vide incredulitas.
Infirmitas quid Paulo, 1 Cor. 2: 5
Infirmitas pro humilitate, Galat. 4: 13
Infirmitatis vocabulum varie acceptum, 2 Cor. 12. verſ. 10. Hebr. 4: 15
Infirmi vocabulum late patet, 1 Cor. 11: 30
Infirmi pro inopis & indignis, Rom 5: 6
Infirmorum in fide habenda ratio, Rom. 14: 1. & 1 Cor. 8: 7, 9. & 10: 29. Tit. 3: 2
Infirma pro contemptis, 1 Cor. 12. 22
Ingratitudo hominum inexcuſabilis, Rom. 1. 24
Ingratitudo errorum cauſa. 2 Tim. 3. 13
Ingratitudo damnatur, Rom. 1. 18. Galat. 6. 6. Col. 2. 7 & 1 Tim 5. 4. & 2 Tim. 3. 13. Hebr. 10. 26. 29 & 12. 12 & 13. 4
Inhumanitas, Dei ignorantiam fere ſequitur, Rom 3. verſ. 10
Inimicus noſter quis dici debeat, Rom. 12 20
Inimici diligendi, ibid.
Injuſti qui habendi. 1 Cor 6. 9
Inobedientia ſemper infidelitatis comes, Epheſ. 2. 2
Inordinati qui, 2 Theſſ. 3. 6
Inordinati objurgandi, 1 Theſſ. 5. 14
Inquiſitores qui, 1 Cor. 1. 20
Inſitio triplex, Rom. 11. 22
Inſociabiles qui, Rom. 1 26
Intentiones bonæ quo homines abripiant. Rom. 10. verſ. 2. & 1 Cor. 2. 1 Epheſ. 2. 8
Invidia à piis aliena eſſe debet, Rom. 10. 12. & 1 Cor. 13. 4 & 14 31
Invocatio pro univerſa fidei in Chriſtum profeſſione, 1 Cor. 1. 2
Invocatio pro toto Dei cultu, 2 Tim. 2. 22
Invocatio & fides, res inter ſe conjunctiſſimæ, Rom. 10. 14
Invocatio fidem probat, Rom 8 16
Invocationis fructus, Philip. 4. 7
Joſeph fides, Hebr. 11. 22
Joſephi locus, Philip 3. 5
Ira pro Dei judicio, Rom. 4. 15. & 1 Theſſ. 5. 9
Iracundia damnatur, Epheſ 4. 26
Iſaac quomodo unigenitus, Hebr 11. 17
Iſaac fides, Hebr. 11. 20
Iſraël duplex, Galat 6. 16
Iſraël quomodo filius Dei, Hebr. 1. 3
Iſraelitæ omnes quo tempore Judæi dici cœperint, & à quo ſic dicti ſint, Rom. 2. 17
Judæus verus unde æſtimandus, Rom. 2. 26
Judæi unde ſic dicti, Rom. 2. 17
Judæi à Gentibus ad certum tempus diviſi, Epheſ. 2. verſ. 14
Judæi quomodo promiſſionis filii, Rom. 9. 6
Judæi gratiæ hæredes naſcuntur, Rom. 3. 30
Judæi Euangelii perſequutores, 1 Theſſ. 2. 14
Judæi in Dei familia primogeniti, Rom. 9. 4. & 11. verſ. 16
Judæi cur rejecti, Rom. 9. 30. Galat. 4. 23
Judæi quomodo ſancti, Rom. 11. 16. Galat. 2. 15
Judæorum arrogantia, Hebr. 10. 24
Judæorum falſa confidentia, Epheſ. 2. 14
Judæorum excæcationis cauſa, Rom. 10. 19
Judæorum excellentia, Rom. 9. 5
Judæorum gens indomita, Tit. 3. 8
Judæorum inanis gloriatio, Rom. 2. 17
Judæorum indignatio erga Gentes, 1 Tim. 2. 8
Judæorum odium in Euangelium, 1 Theſſ. 2. 15
Judæorum peccatorum damnatio in Lege, Rom. 2. verſ. 12
Judæorum prærogativæ, Rom. 9 4. 5
Judæorum accenſa rabies adverſus Paulum, 2 Timoth. 1. 18
Judæorum rejectio unde, Rom. 9. 30. Gal. 4. 28
Judæorum ſævitia in Paulum, 2 Cor. 11. 24
Judæorum & Gentium collatio, Rom. 3. 32
Judæorum & Gentium æqualitas, Rom. 11. 32. Galat. 3. 14. Epheſ. 2. 3, 14. Coloſſ. 3. 11. Hebr. 10 24
Judæorum & Gentium diſcrimen, Rom. 2. 2. & 1 Cor. 1. 26
Judas Spiritu regenerationis minime præditus, 1 Cor. 12. 3 & 13. 2
Judas Machabæus, nominis Judaici author creditur, Rom. 2. 7
Judicare, pro, gubernatorem agere, Hebr. 10. 30
Judicari, pro, damnari, 1 Cor. 10. 29
Judicandi levitas damnatur, Rom. 11. 4 & 14. verſ. 14. & 1 Tim. 3. 23
Judicium, pro qualibet Dei ultione. Rom. 13 3
Judicii divini nuntius, pars eſt Euangelii. Rom. 2. 16
Jugum triplex, Epheſ. 3. 22
Julianus in Paulum blaſphemus, Galat. 2 6
Jurare per Dei nomen quid, Rom 9. 1
Jurandi verus modus, Hebr. 6. 16
Jurandi temeritas damnatur, Hebr 3. 11
Jurandi formulæ ſanctis familiares, Galat. 1. 20
Juramentum quid, Rom. 1. 9
Juramentum non illicitum, Rom. 9 1. & 1 Corinth. 1. 23. & 11. 10. Hebr 6. 16
Juramenti cauſæ tres, Hebr. 6. 16
Juriſdictio officialium epiſcoporum unde manarit, 1 Cor. 6. 4
Juſtificari quid Paulo, Rom 6. 30. 38
Juſtificatio pro abſolutione, Rom. 3. 18
Juſtificatio pro remiſſione peccatorum, Tit. 3. 7
Juſtificationis cauſæ tres, Rom. 3. 21. 24
Juſtificationes carnis, Hebr. 9. 9
Juſtitia fidei. Vide Fidei juſtitia.
Juſtitia fidei quid, Phil. 3 9
Juſtitia Legis duplex, Phil. 3. 6
Juſtitia ex fide, Hebr. 11. 7
Juſtitia pro beneficentia, 2 Cor. 9. 10
Juſtitia pro lege & regula juſte vivendi, Rom. 6. 19
Juſtitia pro remiſſione peccatorum, Rom. 4. 6
Juſtitia pro perfectione, Hebr. 5. 13
Juſtitia Dei. Vide Dei juſtitia.
Juſtitia fidelium ex fide pendet, Philip. 2. 12
Juſtus quis vere dicatur, 1 Tim. 1. 9
Juvenalis locus, 2 Cor. 5. 6
Juvenes quales eſſe debeant, Tit. 2. 6
Juventutis vitia, 2 Tim. 2. 22

L.

LAbi & deficere differunt, Hebr 6. 6
Labor manuarius est omnibus præceptus, Epheſ 4. 28. & 1 Theſſ. 4. 11. & 2 Theſſ 3. 10
Lactantii locus, Rom. 10. 2
Lactantii delirium, 2 Theſſ. 3. 1
Lapſus duplex, Hebr. 6 4. & 10. 26
Lapſus à Dei gratia proclivis, Hebr. 12. 15
Laqueus conſcientiis non injiciendus, 1 Cor. 7. 35. & 14. 40 & 2 Cor 1. 24. Col. 2. 16, 22. & 2 Theſſ. 3. 4. & 1 Tim 4. 1. Tit. 1. 15
Laus pro prædicatione, Epheſ. 1. 14
Lectio ſacræ Scripturæ quam neceſſaria, 1 Theſſ. 5. verſ. 24
Lenitas in corrigendis fratribus commendatur, Galat. 6. 1
Levi in Abraham decimatus, Hebr. 7. 9
Levitas damnatur, 2 Cor. 1. 17
Leonis locus, 1 Cor. 1. 13
Lex bifariam accipitur, Rom. 10. 5
Lex à Paulo quadruplex fingitur, Rom. 7. 23
Lex pro Euangelio, Hebr. 7. 18
Lex pro quinque libris Moſis, Galat. 4. 22
Lex pro divinæ veritatis revelatione, Rom 13. 11
Lex pro ſacerdotio Levitico, Hebr. 7. 19
Lex pro toto Veteri Teſtamento, Rom 3. 19
Lex in quem finem lata, Rom. 3. 21
Lex num per manum Chriſti data, Hebr 2. 2
Lex omnibus ſuis partibus in Chriſtum reſpicit, Rom. 10. 4
Lex bene vivendi regula, Rom. 6. 15. & 7. 12. Galat. 3. 19
Lex cur Euangelio cedere debeat, Hebr 7. 19, 20
Lex quo ſenſu ſpiritualis dicitur, Rom. 7 10, 14. & 2 Cor. 3. 7
Lex quomodo abrogata, Rom. 6. 15. & 7. 1, 2. Galat. 3. 25. Hebr 7. 12, 16
Lex quatenus inutilis, Hebr. 7. 18

Lex

Lex quomodo per fidem in Chriſtum ſtabilitur, Rom. 3:31
Lex quomodo charitate impletur, Rom. 13:8
Lex quomodo lethale vulnus infligit, Rom. 7:10
Lex quomodo mortifera, Rom. 7:11
Lex quomodo pædagogus fuerit patribus, Galat. 3. verſ. 24
Lex quomodo cum fide conſentiat, Rom. 10:5. Gal. 3:12,
Lex Chriſti quæ, Gal. 6:2
Lex fidei quid, Rom 3:27
Lex juſtitiæ, pro, juſtitia Legis, Rom 9:31
Lex mandatorum in decretis ſita, Epheſ. 2:15
Lex cur Moſis dicitur, Hebr. 10:28
Lex operum quid, Rom. 3:27
Lex peccati & mortis quid, Rom. 8:2
Lex Spiritus, pro, Dei Spiritu, ibid.
Lex & Prophetæ num etiam ad nos pertineant, Epheſ 2:20
Legis excellentia, Gal 3:19
Legis infirmitas quæ, Rom. 8:3. Hebr. 9:15
Legis juſtitia duplex, Phil. 3:6
Legis nomen varie ſumptum, Rom. 7:2
Legis officium, 2 Cor. 3:7. & 1 Tim. 1:9
Legis opera quæ Paulo, Gal. 2:15
Legis uſus multiplex, Gal. 3:19
Legis & conjugii comparatio, Rom. 7:2
Legis & Euangelii collatio, Rom. 8:15. & 2 Cor. 3. verſ. 3. Hebr. 12:18
Legis & Euangelii conſenſio, Hebr. 1:1
Legis & Euangelii diſcrimen, 2 Cor 3:12. Hebr 6. verſ. 4. & 10. 1. & 12:19
Legi mori quid, Gal. 2:19
Legum piarum & impiarum diſcrimen, 1 Cor. 14. verſ. 40
Liber pro Lege vel catalogo, Hebr. 10:7
Liber vitæ quid, Phil. 4:3. Hebr 12:22
Liberalitas commendatur, Tit. 3:13
Liberi humaniter fovendi, Epheſ. 6:4
Liberi fidelium quomodo in utero ſanctificati, 1 Cor. 7:14. Hebr. 6:2
Liberorum in parentes officium, Epheſ. 6:1
Liberi juſtitiæ qui, Rom 6:20
Liberum hominis arbitrium unde adſtruatur à Papiſtis, 1 Cor. 3:9 & 15:10. & 1 Theſſ 5:19. & 2 Tim 2:21. & 4:8 Hebr. 8:7
Liberum arbitrium evertitur, Rom. 8:6, 7. & 9:16. & 1 Cor. 15:10. & 2 Cor. 3:5. Epheſ. 2:2,8,10. & 4:17. Philip. 2:13. & 1 Theſſ. 5:12. & 5:23. & 2 Tim. 2:5. Hebr. 3:10. & 12:15
Libertas vera quæ, Gal. 5:13
Libertas ex conſcientia bona, 2 Tim. 3:15
Libertas vera ex fide, Gal. 3:26
Libertas à Chriſto parta non dat peccandi licentiam, Rom. 6:19
Libertas Chriſtiana aſſeritur, Tit. 1:15
Libertas Chriſtiana charitati ſubjecta, 1 Cor. 8:1, 9
Libertas ſpiritualis, 1 Cor. 7:12
Libertas ſpiritualis cum carnali ſervitute non pugnat, Epheſ. 6:5
Libertatis Chriſtianæ uſus, Gal. 5:13
Libertini, miniſterii contemptores, 1 Theſſ. 5:10
Libertini quid de reſurrectione ſentiant, 1 Cor. 15. verſ. 1. & 2 Tim. 2:17
Lingua Angelorum, pro, ſingulari aut eximia, 1 Cor. 13:1
Linguarum cognitio Spiritus donum, 1 Cor. 12:8
Linguarum cognitio hodie quam neceſſaria, 1 Cor 14:5
Livii locus, 1 Tim 1:4
Lites fugiendæ, Rom 13:13
Litigare num ſemper malum ſit, 1 Cor. 6:7
Litera pro veteri teſtamento, 2 Cor 3:6
Litera, pro, externa ſine pietate obſervatione, Rom. 2:28
Literæ & Spiritus oppoſitio, Rom. 7:6
Λογομαχία quid, 1 Tim. 6:4
Loidis fides, 2 Tim 1:5
Loquacitas morbus muliebris, Tit. 2:3
Loquacitas damnatur, Gal. 4:6
Loqui ad ædificationem, quid, 1 Cor. 14:3
Loqui ſecundum hominem, 1 Cor 9:8. Gal. 3:15
Lucas Medicus an idem Euangeliſta, Col. 4:14
Lucta fidelium, Vide, Fidelium militia.
Lycurgus cur ſacrilegus ab Ovidio dictus, Rom. 2. verſ. 28

M.

Macedones in quem finem laudantur à Paulo, 2 Cor. 8:1
Macedonum zelus, 2 Cor. 11:8
Magiſtratus in quem finem à Domino inſtitutus, Rom. 13:3
Magiſtratus malus, flagellum Domini, ibid.
Magiſtratus nativum officium, Rom. 13:3. & 1 Corinth. 6:1
Magiſtratus vocatio qualis, Rom. 13:4
Magiſtratus ſubditis ſunt debitores, ibid.
Magiſtratibus obediendum, Tit. 3:1
Mahometes apoſtata, 2 Theſſ. 2:3
Maledicere in Sodoma vel Iſraële quid ſit, Gal. 3:16
Maledicentia damnatur, 1 Cor 6:9
Malum pro malo non reddendum, Rom. 12:17. & 1 Theſſ. 5:15
Malum bono vincendum, Rom. 12:22
Mali bonis permixti, Vide, Boni malis permixti.
Man figura Chriſti, 1 Cor. 10:3
Man quomodo ſpiritualis cibus, ibid.
Mandatum carnale pro externis ceremoniis, Hebr. 7:15
Manichæi qualem perfectionem ſomnient, 1 Tim. 4. verſ. 3
Manichæorum duo principia, 2 Cor. 6:4. Epheſ 2. verſ. 2
Manichæorum error de Chriſti corpore, 1 Cor 15. verſ. 47 & 2 Tim. 2:8. Hebr 2:16
Manſuetudo piis neceſſaria, Gal 6:1
Manuum impoſitio quid, 2 Tim. 1:6
Manuum impoſitio unde fluxit, Hebr. 6:2
Manuum impoſitio pro ordinatione, 1 Tim. 5:22
Manus attollere, 1 Tim. 2:8
Maranatha quid, 1 Cor 16:22
Marcionitæ refelluntur, Epheſ. 2:10. Philip 2:7. & 1 Timoth. 3:16. & 2 Timoth. 2:3. Hebr. 2. verſ. 16
Martyres modis omnibus juvandi, Philem. 13
Martyres quo ſupplicii genere olim afficiebantur, 1 Cor. 15:3
Martyres non ſunt redemptores, Col. 1:24
Martyres quomodo pro Eccleſia paſſi, ibid.
Martyrum conſtantia unde, Philip. 1:7
Martyrum Chriſti invicta fortitudo, 2 Tim. 2:9
Martyrum ſanguis ſemen Eccleſiæ, Philip. 1:7
Matrimonium, vide, Conjugium.
Matrimonium non eſt ſacramentum, Epheſ. 5:32
Media res quæ dicantur, 1 Cor. 8:1
Mediator unus, 1 Tim 2:5
Mediator noſter Chriſtus, vide, Chriſtus mediator.
Mediatoris officium, Hebr 7:15
Mediatores quando inventi, 1 Tim 2:5
Mediocritas tenenda, 1 Tim 2:9
Melchiſedec typus Chriſti, Hebr. 5:10
Melchiſedec in quibus ſit ſimilis Chriſto, Hebr. 7:1
Melchiſedec Abrahamo ſuperior, Hebr. 7:4, 6
Melchiſedec à communi naſcendi lege exemptus, Hebr. 7:3
Melchiſedec num adhuc vivat, Hebr. 7:3
Menandri poëtæ teſtimonium, 1 Cor. 15:33
Mendacium damnatur, Col. 3:9
Menenius Agrippa, 1 Cor. 12:15
Mens pro ratione, Epheſ. 2:3
Mens carnis pro humani ingenii perſpicacia, Col. 2:16
Mens hominis cæca, 2 Tim. 2:25
Mentis renovatio neceſſaria, Rom. 12:2. Epheſ. 4. verſ 22
Merces operum quid, 2 Cor. 5:10 Gal. 3:3. & 2 Tim. 1:18. Hebr. 6:10. & 10:34, 35. & 11:26
Meritum unde à Papiſtis aſtruatur, Rom. 10:5. & 2 Cor. 5:10. Coloſſ. 1:5. & 1 Tim. 4:8. & 6:18. & 2 Tim 4:8
Meritum ex mercede non ſtatuendum, Rom. 2. verſ. 6
Meritum & fides, res penitus contrariæ, Rom. 9. verſ. 32
Meritum humanum evertitur, Rom. 1:6. & 3:17. & 4:2. & 5:5. & 8:18. & 9:12. Epheſ. 2:8. Philip 1:29. & 3:9. & 2 Theſſ. 1. verſ. 11. & 2 Tim. 1:9. Tit 3:5. Hebr. 6:12
Migratio è vita fidelibus voluntaria, 2 Cor. 5:1
Militia ſpiritualis, 2 Cor. 10:4 Epheſ. 6:11, 12. Hebr. 10:32. & 13:13
Militia fidelium, Vide, Fidelium militia.
Miniſter verbi quomodo ſervare dicitur, Rom. 11, verſ. 14. & 1 Timoth. 4:16
Miniſtri Chriſti qui cenſendi, 1 Cor 4:1. & 4:2
Miniſtrorum comitas & ſuavitas, Rom. 16:18
Miniſtrorum ſcopus, 1 Cor. 1:12
Miniſterium verbi hominibus deſtinatum, Epheſ. 3. verſ. 10
Miniſterium verbi commendatur, Rom. 1:16. & 10:15. & 11:14 & 1 Cor. 2:15. & 3:5.9.10. & 13:5. & 2 Cor. 13:5 Gal 4:14, 19. Epheſ. 4. verſ 12. & 1 Theſſ. 5:10. & 5:20. & 1 Tim. 4. verſ. 16. & 2 Tim. 4:1. Tit. 1:5. Philem. 10. Hebr. 2:12. & 4:12. & 3:10, 11. & 13:22
Miniſterii contemptus unde, 1 Theſſ. 5:21
Miniſterii efficacia, Galat. 4:19
Miniſterii finis, Coloſſ. 1:25
Miniſterii ſucceſſio opus Dei, Hebr. 5:4
Miracula, doctrinæ ſigilla, Hebr. 2:4
Miracula cur ſigna dicantur, 2 Cor. 12:12
Miracula cur prodigia dicantur, ibid.
Miracula cur virtutes dicantur, ibid.
Miracula Papiſtarum qualia, Hebr. 2:4
Miraculorum uſus, Rom 15:18. & 1 Cor. 1:22. Hebr 1:4
Miſericordia virtus Chriſtiana, Rom. 1:22
Miſericordia Dei, vide, Dei miſericordia.
Miſſa quo clypeo à Papiſtis protegitur, 1 Cor. 11. verſ. 34
Miſſa Papalis refellitur, 1 Cor. 5:7. & 11:14. Hebr. 5:1. & 7:9. & 9:26. & 10:2, 15
Miſſæ ſacrificium inceremonium, Hebr. 9:16
Moderatio in rebus omnibus tenenda, Phil. 4:5. & 1 Theſſ. 5:16. & 1 Tim. 5:1. Hebr 6. 9. & 7:19
Moderatio in vitiis corrigendis neceſſaria, 1 Tim 5. verſ. 1
Moderationes fucatæ, Galat 2:5
Molles qui, 1 Cor. 6:9
Monachatus unde fluxerit, 2 Tim. 4:7
Monachatus impurus, 1 Cor. 7:5
Monachatus effigies à Paulo depicta, 2 Tim. 3:6
Monachatus ſanctitas Papalis, Col. 2:23
Monachatus ſemen ſemen tempore Pauli, 2 Theſſ. 5:1
Monachi otioſi ventres, 2 Theſſ. 3:10. & 1 Tim 5. verſ 6
Monachi fratrum nomen ad ſe rapuerunt, Hebr 13. verſ. 1
Monachorum colluvies in Papatu, 1 Tim. 4:3
Monachorum exercitia, 1 Cor. 9:35
Monachorum vocatio, 2 Cor. 11:12
Moniales unde fluxerint, Rom. 16:1. & 1 Tim. 5. verſ. 11
Monitiones in Eccleſia quam neceſſariæ, 1 Theſſ. 3:14. & 1 Tim. 5:7
Montanus hoſtis conjugii, 1 Tim 4:3
Mori Legi quid, Galat. 2:19
Mores quid, Philip 1:23. & 1 Theſſ. 4:16, & 2 Tim. 4. 6 Hebr. 2:15
Mors ex peccato, Epheſ. 2:6
Mors pro abrogatione, Col. 2:20
Mors pro externa mortificatione, 2 Tim. 2:11
Mors optanda, 2 Tim. 4:8
Mors piis non timenda, Philip. 1:23. & 2:18. Hebr 2:14. 15
Mors ſervis Dei fere ſemper præſentanea, Rom. 8. verſ. 36
Mors quo animo contemnenda, 1 Cor. 15:31
Mors in quem finem piis expetenda, Rom. 7:24
Mors non Chriſto ſit dominata, Rom 6:9
Mors quomodo per Chriſtum deſtructa, 1 Cor. 15. verſ. 26
Mors piis vitæ imago, 2 Theſſ. 1:5
Mors piorum non fuit pro peccatis ſatisfactoria, 2 Tim. 2:11
Mors æterna impiis apparata, 2 Theſſ 1:9
Mors reprobis amplum præmium, Rom. 6:23
Mors peccati, vita hominis, Rom. 7:9
Mors Chriſti, Vide, Chriſti mors.
Mortis origo, Hebr. 2:13
Mortis metus nimius certum infidelitatis ſignum, ibid.
Mortis contemptus, 1 Cor. 15:30, 31. & 2 Cor. 5. verſ 1, 2. & 2 Tim. 4:6. Hebr. 11:35
Mortuum eſſe, pro, inutilem eſſe, 1 Tim. 5:6
Mortui quomodo lugendi, Phil. 2:27. & 1 Theſſ. 4:13
Mortui non invocandi, Col. 4:3. & 1 Tim. 2:5. Hebr. 8:8
Mortificatio duplex, Col. 3:5
Mortificatio externi hominis, Phil. 3:10
Mortificatio piis neceſſaria, Rom 6:8. Hebr 4:12
Mortificatio Chriſti, Vide, Chriſti mortificatio.
Moſes propheta, Hebr. 1:1
Moſes Euangelii præco, Rom. 10:5
Moſes Chriſto longe inferior, Hebr. 3:3
Moſes quomodo è libro vitæ deleri cupiebat, Rom. 9:4
Moſis fides, Hebr 11:24, 28
Moſis propria ac peculiaris functio, Rom. 10. 5
Moſis peccatum, Hebr 3:17
Moſis & Chriſti diſcrimen, Hebr. 3:5, 5 & 7:12
Moſis & Pauli optima conſenſio, Rom. 10:8
Mulier num etiam imago Dei, 1 Cor. 11:7
Mulieres à munere docendi arcendæ, 1 Tim. 2:11
Mulieres impoſturis obnoxiæ, 2 Tim. 3:6
Mulieres ſuſpicioſæ & timidæ, 1 Tim 2:15
Mulieres viris ſubjectæ, 1 Cor. 14:34. Epheſ 5:22. & 1 Tim. 2:11
Mulierum conſolatio, 1 Tim. 2:15
Mulierum officium, 1 Tim. 2:9, 11. Tit. 2:4
Mulierum ornatus, 1 Tim. 2:9
Mulierum ſanctificatio, 1 Tim. 2:15
Mulieribus num prophetare liceat, 1 Cor. 11:5
Multitudo non ſemper Deo probatur, 1 Tim. 4:3
Multitudo credentium nutem piorum confirmat, Col. 1:6, 23
Multi, pro, omnibus, Hebr. 9:28
Mundus duplex, Hebr. 2:5
Mundus, pro, conditione terrenæ vitæ, 1 Cor. 7. verſ. 53
Mundus, pro, hominum ingenio ac more, Rom 12. verſ 2
Mundus, pro, eo omni quod ſpirituali Chriſti regno contrarium eſt, Gal. 6:14
Mundus divinitatis ſpeculum, Hebr. 11:3
Mundus à Chriſto creatus, Phil. 3:21
Mundus per Chriſtum creatus, Hebr. 1:2. & 2:10
Mundus piis ſemper infenſus, 2 Tim. 3:12
Mundus quomodo per arcam Noë damnatus, Hebr. 11:7
Mundus totus, tenebræ, Col. 1:13
Mundus totus, ſine Chriſto deforme chaos, & horrenda confuſio, Epheſ. 1:10. & 5:15
Mundi amor quam noxius, 2 Tim. 4:10
Mundi caduca & fluida conditio, Hebr. 11:10
Mundi contemptus piis omnibus præcipitur, Col 3:1, 2, 8
Mundi creatio fide apprehenditur, Hebr. 11:3
Mundi ingratitudo, Gal. 6:6. Hebr. 11:38
Mundi ordines Deo probantur, 1 Cor 8:6
Mundi ſapientia quid, 1 Cor. 1:20 & 3:19
Mundi vanitas quanta, 1 Cor. 7:31
Munificentia non tam æſtimatur à Deo ex ſumma, quam ex animo, 2 Cor. 9:7
Murmur damnatur, 1 Cor. 10:10
Muſicæ vis magna ad ſenſus hominum movendos, 1 Cor. 14:7
Myſteria in malam partem ſumpta, 1 Corinth. 14. verſ 2, 14
Myſteria omnia Dei, carni ſunt paradoxa, Rom 3. verſ. 9

N.

Narciſſus Claudii libertus, Rom 16. 11
Natura bifariam conſideranda, Epheſ. 2:3
Natura pro re ipſa ſeu ſubſtantia, Gal. 4:8
Nequitia quid, Rom 1:26
Neronis ſævitia in Chriſtianos, 1 Cor. 15:8

Neſtorius duplicem Chriſtum fingebat, Hebr. 2:16
Neſtorius refellitur, 1 Tim. 3:16
Nicodemitæ, 1 Cor. 8:13. & 9:12. & 10:20
Noë fides & juſtitia, Hebr. 11:7
Noë obedientia, ibid.
Nobiles pauci à Deo vocati, 1 Cor. 1:26
Nomen pro notitia, Rom. 1:5
Nomen pro amplitudine, vel excellentia, Epheſ. 1. verſ. 21. Phil. 2:6
Nomen Dei, Vide Dei nomen.
Nonnæ, Vide Moniales.
Noſſe pro cenſere, 2 Cor. 5:16
Nota univerſalis non ſemper univerſaliter ſumenda, Col. 1:23. & 1 Tim. 2:3. Tit. 2:11. Hebr. 8. verſ. 11. & 11:4
Novati error refellitur, Rom. 3:25. Hebr. 10. 26
Nox pro ignoratione Dei, Rom. 13:11
Nubes quomodo baptiſmi ſignum, 1 Cor. 10:1
Numerus ternarius pro ſummo & perfectiſſimo, 2 Cor. 12:2
Numeri mutatio, 2 Tim. 2:15
Nuptiæ ſecundæ licitæ, 1 Cor. 7:39
Nuptiæ ſecundæ apud veteres probro notatæ, 1 Cor. 7:28
Nuptiæ ſecundæ olim inter Chriſtianos non benedicebantur, 1 Cor. 7:39
Nuptiis ſecundis quædam concilia vetuerunt intereſſe clericos, 1 Cor. 7:36

O.

OBedientia qualis in piis requiritur, Rom. 14. verſ. 5
Obedientia ex fide, Hebr. 3:13
Obedientia prævaricatrix, Col. 2:23
Obedientia piis neceſſaria, Rom. 6:16. & 2 Cor. 9. verſ. 13. & 10:5. Epheſ. 5:9. Hebr. 3:7. & 5:9. & 10:7
Obedientia Magiſtratibus debita, Rom. 13. 5:8
Obedientia Paſtoribus debita, Hebr. 13:17
Obedientiæ magiſtra ſola fides, Hebr. 11:7, 8
Obedientiæ fidelium prima cauſa, Hebr. 1:13
Obedientiæ exemplum in mutis creaturis propoſitum, Rom. 8:20
Obſtinatio cavenda, 2 Tim. 3:14
Obtrectatores qui, Rom. 1:21
Occaſio arripienda, Rom. 2:4. & 12:11. & 2 Cor. 8:1. Galat. 6:10. Hebr. 3:13, 15. & 4:16. & 6:5
Oda quid, Col. 3:18
Odium diuturnum morbus incurabilis, Epheſ. 4. 27
OEconomia ſemper curæ Deo, Epheſ. 6:3
OEconomia tribus jugis conſtet, Epheſ. 2:28
Offenſiones quomodo vitandæ, Rom. 5:8. & 6:1. & 9:1, 14. & 10:2. & 18:17. & 1 Cor. 9. verſ. 22. & 1 Theſſ. 2:14 & 2 Tim. 1:15. & 2:19. Hebr. 3:7, 16
Officiales Papiſtici, 1 Cor. 6:4
Omnes pro multis, 1 Cor. 14:31. Philip. 2. 21
Omnes ſalvos fore quidam ex Pauli verbis perperam colligunt, Rom. 11:12
Oneſimus fugitivus Domino ſuo Philemoni aliquid furatus, Philem. verſ. 18
Oneſiphori laudes, 2 Tim. 1:16
Opus idem quomodo Deo & Satanæ tribuitur, 2 Cor. 4:4. & 1 Theſſ 2:18
Opus Evangeliſtæ quid, 2 Tim. 4:5
Opus operatum Papiſtæ in Sacramentis imaginantur, Galat. 5:3
Opera quæ Deo grata, Hebr. 11:4
Opera non juſtificant, & quare, Rom. 2:13
Opera bona quæ, 1 Tim. 6:18. Hebr. 13:20
Opera bona unde, Tit. 3:5
Opera bona fidem ſequuntur, Tit. 3:8
Opera bona, pars gratiæ Dei, Epheſ. 2:10
Opera bona, quomodo à Deo coronantur, Rom. 2. verſ. 6
Opera bona commendantur, Epheſ. 2:10. Tit. 2. verſ. 14. & 3:15. Hebr. 6:10
Opera carnis, Galat. 5:19
Opera Legis quæ Paulo, Galat. 2:15
Opera mortua quæ, Hebr. 9:14
Opera ſupererogationis unde ſtabiliant Papiſtæ, 1 Cor. 9:18
Opera tenebrarum pro turpibus & flagitioſis, Rom. 13:12
Operum juſtificationem unde Papiſtæ eliciant, Rom. 13:8. & 1 Tim. 2:15
Operum merces qualis, 1 Cor. 3:8. & 2 Cor. 5. verſ. 10. Galat. 6:8. & 2 Tim. 1:16, 18. Hebr. 8:20. & 11:26
Operum præſcientia perperam cum electione miſcetur, Rom. 11:6
Opinatio fidei contraria, Galat. 5:9. Coloſſ. 1. verſ. 23
Opinionis & fidei diſcrimen, 1 Theſſal. 2:13. & 2 Tim. 1:12
Oracula pro fœdere Dei, Rom. 3:2
Orandum pro omnibus, maxime pro ſanctis, Epheſ. 6:18
Oratio quid, 1 Tim. 2:1
Oratio vera quæ, Rom. 8:27. & 10:14
Oratio mentem requirit, 1 Cor. 14:14
Oratio aſſidua, Rom. 12:12
Orationis & precationis diſcrimen, Epheſ. 6:18
Orationes quæ Deo acceptæ, Rom. 8:27
Orationes publicæ, 1 Cor. 14:16
Orationes piis quam neceſſariæ, Rom. 12:12. Philip. 4:6. Col. 4:2
Orationes piorum quomodo exaudiuntur, 2 Cor. 12:13
Orbis futurus pro renovato, Hebr. 2:5
Ordo non ſemper ſervatus, 1 Tim. 1:2
Ordini quem Deus inſtituit parendum, 1 Cor. 12. verſ. 12
Origenis delirium, 1 Theſſ. 4:17
Os pro facie ſeu conſpectu, Rom. 10. 9
Oris apertio, Epheſ. 6:19
Oris obſtructio quid Paulo, Rom. 3:19
Oſculum ſanctum, 2 Cor. 16:20
Oſculi uſus apud veteres, Rom. 16:16
Oſores Dei qui, Rom. 1:28
Oſtium apertum quid Paulo, 2 Cor. 2:12
Otium damnatur, 1 Theſſ. 4:11. & 1 Theſſ. 3. verſ. 10, 11
Ovidii locus, Rom. 7:16. & 2 Cor. 8:10. & 9. 8 2 Theſſ. 1:3

P.

PActa quare à promiſſionibus differant, Rom 9:4
Pæderaſtæ, 1 Cor. 6:9
Pædobaptiſmus, Vide, Baptiſmus infantibus minime negandus.
Panis quomodo dicatur corpus Chriſti, 1 Cor. 11. verſ. 24
panis fractio pro tota cœna, 1 Cor. 10:17
Papa antichriſtus, 2 Theſſ. 2:4
papa quam improbe Sacerdotium ſibi vendicet, Hebr. 7:12
papa non eſt Eccleſiæ caput, Epheſ. 1:22. & 4:15. Col. 1:18. & 2:19
Papæ regnum quamvis procerum ſit & amplum, Deo tamen abominabile eſt, Col. 2:19
papæ tituli, 2 Cor. 11:14
papæ tyrannis maxima, 1 Corinth. 14:40. & 2 Corinth. 11. verſ. 20. Galat. 5:1. Epheſ. 4:11. Col. 2:20, 21 & 1 Theſſ. 5:24. & 2 Theſſ. 2. verſ. 4. & 1 Tim. 4:1. Tit. 1:15. Hebr. 13. verſ. 17
Papatus deformis gibbus, Epheſ. 4:15
papatus Romanus proſternitur, Galat. 2:2, 11
papatus ex Chriſti ignorantia conflatus, Col. 2. 4
papatus doctrina qualis, Hebr. 3:6
papatus impietas, Epheſ. 4:11
papatus religio qualis, Hebr. 1. 1
Papatum unde quidam ſtatuunt, 2 Cor. 9. 5
Papiſtæ fruſtra de antiquitate gloriantur, Epheſ. 2. verſ. 20
judicium de ſua doctrina refugiunt, Philip. 3. 1
homines fingunt extra Chriſtum eſſe ſemimortuos, Epheſ. 2. 1
ſe abſque Chriſti Spiritu Chriſtianos jactant, Rom. 8. 9
acriter contendunt in regenitis non eſſe peccatum, Rom. 7. 7
unde merita ſua probent, Rom. 10. 3
Papiſtarum diabolica contumacia, 2 Cor. 14 16
crudelitas, 2 Theſſ. 5. 24
leges tyrannicæ, 1 Timoth. 4. 1
Parabola pro ſimilitudinis nota, Hebr. 11. 19
Paradiſus quid, 2 Cor 12. 4
Parentum officium, Coloſſ. 3. 2
in liberos poteſtas, 1 Corinth. 7. 36
Moſis fides imbecillis, Hebr. 11. 23
Paſſiones ignominiæ, Rom. 1. 26
Paſtor bonus quis, 1 Cor. 7. 23. & 2 Tim. 3. 10
bonus & probatus paterfamilias eſſe debet, 1 Timoth. 3. 4
quomodo ſuos tractare debeat, 1 Cor. 4 22
& Epiſcopus, ſynonyma, Philip 1. 1
Paſtoris probi notæ, 2 Tim. 4. 5
Paſtoris familia qualis eſſe debeat, Tit. 1. 6
Paſtoris vox duplex eſſe debet, Tit. 1. 9
Paſtori duo curanda, 2 Tim. 4. 18
Paſtores veri qui, 1 Cor. 12. 28 Epheſ. 4. 11. & 1 Theſſ. 5. 12
paſtores veri pauci admodum, 2 Tim 1. 7. Hebr. 13. 17
paſtores quales eſſe debeant, 1 Tim. 3. 2. Tit 1. 6
paſtores Angeli, Gal. 4. 14
paſtores publicis ſumptibus alendi, 1 Cor. 9. 11
paſtores frugali victu contenti eſſe debent, Gal. 6 6
paſtores an divites eſſe poſſint, 2 Cor. 6. 4
paſtores in pretio habendi, 1 Theſſ. 5. 12
paſtores amandi, Gal. 6. 16
paſtores non coli tantum, ſed & amari debent, Gal. 4. 15. Philip. 2. 22
paſtores qui diſſolute vivunt palam arguendi, 1 Tim. 5. 20
paſtores calumniis obnoxii, 1 Tim. 5. 19. & 2 Tim. 1. 12
paſtores quomodo patres eorum quos docent, 1 Cor. 4. 15. Tit. 1. 4. Philem. v. 10. Hebr. 13. 7
paſtores miniſtri ſunt, non Domini, 1 Cor. 4. 1. & 2 Cor. 4. 5. Coloſſ. 1. 25
paſtores quomodo miniſtri Spiritus, 2 Cor. 3. 6
paſtores quomodo Sacerdotes, Phil. 2. 17
paſtores fere ſemper neglecti, Gal. 6. 8
paſtores cur viliores habentur, Col. 1. 14
Paſtorum affectus in Eccleſiam, 2 Cor. 11. 2, 3. & 1 Theſſ. 2. 7, 18
paſtorum ambitio quam noxia, 1 Theſſ. 2. 5. & 1 Tim. 3. 8
paſtorum avaritia quam noxia, 1 Theſſ. 2. 5. & 1 Tim. 3. 3. Tit. 1. 11
paſtorum authoritas, Tit. 2. 15
paſtorum comitas, Tit. 1. 7
paſtorum concordia quam neceſſaria, 1 Cor. 2. 8. & 14. 31 Phil 2. 2
paſtorum conditio, Philip 1. 25
paſtorum conjugia licita, 1 Tim. 3. 1
paſtorum conſolatio, Rom. 1:9. & 2 Tim. 3. 9, 18
Paſtorum contemptus unde, 1 Tim. 4:12
paſtorum dignitas, 1 Cor 5:18. Philip. 2:29
paſtorum electio religioſe fieri debet, 2 Tim. 3:2
paſtorum fama optima eſſe debet, 1 Tim. 3:7
paſtorum fiducia, 2 Cor. 3:12. & 13:5
paſtorum felicitas, 1 Theſſ. 3:6
paſtorum labor non inanis, 1 Cor. 3:7
paſtorum lenitas, 2 Tim. 4:2
paſtorum liberi quales eſſe debeant, 1 Tim. 3:4. Tit. 1:8
paſtorum merces, 1 Cor. 3:8
paſtorum militia, 2 Cor. 6. 7. & 10. 4. Gal. 1. 10. Philip. 2. 25. & 1 Timoth. 1. 18. & 6. 12. & 2 Timoth. 2. 3. & 3. 13. & 4. 6
paſtorum munus & officium, Rom. 3. 10. & 15. 16. & 1 Cor. 3. 2. & 4 1. & 9. 18. & 2 Cor. 1. 18. & 2. 2. & 5. 19 & 6. 1. & 10. 2. & 11. 2. & 12. 14, 15, 20. & 13. 7. Gal. 4 12, 19. & 6. verſ. 16 Epheſ. 1. 14. Phil. 2. 1. & 3. 1. Col. 4. verſ. 12. & 1 Theſſ 2. 4, 11, 18. & 5. 11, 13. & 1 Tim. 2. 9 & 4. 11. & 5. 2, 7. & 2 Tim. 4. verſ. 2, 3, 4. & Tit. 1. 1, 11. & 2. 11. & 3. 8. & Hebr. 3. 12. & 4. 1. & 13. 17
paſtorum opus, 2 Theſſ. 5. 12
paſtorum orationes, Epheſ. 3. 14
paſtorum ornamenta, 1 Tim 4. 12
paſtorum patientia, 1 Tim. 5. 24. & 2 Tim. 2. 24. & 4. 2
paſtorum paupertas, 1 Tim. 3. 8
paſtorum poteſtas, 2 Cor 10. 4, 5, 6, 8. & 13. 3, 10. Philem. verſ. 8. Hebr. 4. 12
paſtorum prudentia, Tit. 1. 13
paſtorum habenda ratio, Gal 6. 6 & 1 Theſſ. 2. 9. & 1 Tim. 5. 17. 18
paſtorum vera receptio, 2 Cor. 7. 15. & 1 Theſſ. 2. verſ. 18
paſtorum ſcopus, 1 Cor. 1. 12. & 3. 8
paſtorum timiditas damnatur, 1 Tim. 1. 7
paſtorum triumphus, 2 Cor. 2. 14. & 1 Theſſ. 2. 19
paſtorum vita Eccleſiis pretioſa eſſe debet, 1 Cor. 16. 10. Phil 1. 29
paſtorum vita qualis eſſe debeat, Tit. 2. 7
paſtorum vocatio ex Deo, Hebr. 5 4
paſtorum ordinaria vocatio, Gal. 1. 1
paſtorum uxores quales eſſe debeant, 1 Tim. 3. 11
paſtorum zelotypia pro Chriſto, 2 Cor. 11. 2
paſtorum bonorum & malorum diſcrimen, 2 Tim 3. 8
Paſtoribus nullum in conſcientias imperium, 2 Cor. 1. 24
Paſtoribus quatenus liceat ſua quærere, Phil 2. 20
Patenæ oſculandæ ritus unde fluxerit, Rom. 16 16
Patientia, Dei donum, Phil. 1. 28, 29
patientia ex fide naſcitur, Hebr. 10 38. & 11. 10, 33
patientia quæ laudanda, Rom. 15. 4
patientia quomodo probationem operetur, Rom. 5. verſ. 4
patientia comes fidei individua, Rom. 8. 25
patientia ſpem neceſſario conſequitur, ibid. & 1 Theſſ. 1. 3
patientia fructus ac teſtimonium fidei, 2 Theſſ. 1. 4
patientia Chriſtiana longe à philoſophica contumacia diſtat, Philip. 2. 27
patientia fidelibus neceſſaria, Rom. 2. 7 & 8. 18. & 12. 29. & 1 Cor. 8. 7. & 13. 7. Galat. 6. 9. Epheſ 4. 1. Coloſſ. 3. 3, 21. & 1 Theſſ. 5. 14. & 2. 7. & 1 Timoth. 6. 14. Tit. 2. 2. Hebr. 10. verſ. 34. 36. & 12. 2
Patientiæ gradus, 1 Theſſ. 5. 13
patientiæ exemplum in mutis creaturis, Rom. 8. 19
Patres veteris teſtamenti fide præditi, Gal. 3. 23
patres in Chriſto ſervati, Rom. 5. 8
patres gratiæ Chriſti participes, Col. 2. 14
patres quomodo ſalutem ſunt conſequuti, Hebr. 9. verſ. 28. & 11. 2
patres quo ſenſu dicantur promiſſiones non accepiſſe, Hebr. 11. 13
Patrum authoritati quatenus deferendum, Hebr 5. 8
patrum ſub veteri Lege conditio, Tit. 3. 4
patrum fides qualis fuerit, Gal. 5. 5. & 2 Tim. 1. verſ. 1, 10
patrum ingratitudo, Hebr. 3. 8
patrum inobedientia, ibid.
patrum traditiones, Gal. 1. 13
patrum & fidelium hujus ſeculi diſcrimen, 1 Cor. 2. 7. Gal. 4. 1. Hebr. 1. 1 & 8. 6, 10. & 10. verſ. 15. & 11. 13, 39
Patriarchæ primogeniti, Hebr. 12. 22
Paulus cur ſe abortivum dixit, 1 Cor. 15. 8
paulus ſuperbiæ à Porphyrio & Juliano accuſatus, Galat. 2. 8
paulus vere Apoſtolus Chriſti, Rom. 1. 1
paulus Gentium Apoſtolus, Gal. 2. 7 & 1 Tim. 2. 7. & 2 Tim. 1. 18
paulus quando per Legis ignorantiam ſibi confidenter vitam arrogarit, Rom. 7. 9
paulus in oratione quam aſſiduus, Rom. 1. 9
paulus non eſt author epiſtolæ ad Hebræos, Rom. 2. verſ. 3
paulus cur paucos baptizaverit, 1 Cor. 1. 14, 17
paulus quondam adverſus Deum blaſphemus, 1 Tim. 1. 13
paulus cur Timotheum circumciderit, Gal 2. 3
paulus num conjugatus fuerit, 1 Cor. 7. 8 & 9. 4. Philip. 4. 3
paulus mundo crucifixus, Galat. 6. 14
paulus verus Dei cultor, Rom. 1. 9
Paulus velut ſui oblitus, Eccleſiam curat, 1 Theſſ. 3. verſ. 1, 8
paulus Scripturæ lectioni deditus, 2 Tim. 4. 13
paulus quomodo Eccleſias deprædatus, 2 Cor. 11. 8

paulus

Digitized by Google

Paulus quomodo à Galatis exceptus, Gal. 4. 14
paulus reverenter à Theſſalonicenſibus exceptus, 1 Theſſ. 2. 13
paulus ſe in exemplum proponit, 1 Cor. 4. 16. & 11. 1. & 14. 6. Philip. 3. 17
Paulus pro Chriſti nomine & Judæis & Gentibus exoſus, 2 Cor. 11. 23
paulus quam fidelis in verbi miniſterio, 1 Cor. 3 10
paulus quomodo ſermone imperitus, 2 Cor. 11. 6
paulus germanus Iſraelita, Rom. 11. 1
paulus bifariam de Circumciſione loquutus, Gal. 3. verſ. 3
paulus quomodo ſanctorum omnium minimus, Epheſ. 3. 9
paulus quomodo quotidie moriebatur, 1 Cor. 15. verſ. 31
paulus variis calumniis obnoxius, Rom. 15. 30. & 1 Cor. 1. 2. & 4. 17. & 7. 17. & 2 Cor. 12. 16, 19. Gal. 2. 2. Epheſ. 3. 2. & 1 Theſſ. 2. 10. & 2 Theſſ. 3. 3. & 1 Tim. 1. 8
paulus communibus hominum paſſionibus obnoxius, 2 Cor. 1. 9
paulus humanis infirmitatibus obnoxius, Phil. 2. 27
paulus quomodo omnibus omnia factus, 1 Cor. 9. verſ. 22
paulus quomodo pro Eccleſia paſſus, Col. 1. 24. 25
paulus quomodo Corinthiorum pater, 1 Cor. 4. 13
paulus quomodo Timothei pater, 1 Tim. 1: 2. & 2 Tim. 2: 2
paulus pro ſe orari petit, Rom. 13: 30. Epheſ. 6: 19. Col. 4: 3. & 2 Theſſ. 3: 1
paulus Spiritu Dei præditus, 1 Cor. 7: 40
paulus quomodo peccatorum primus, 1 Tim. 1: 15
paulus ſacerdos in Evangelii miniſterio, Rom 13. 16
paulus ad Laodicenſes non ſcripſit, Col. 4: 16
paulus, velut ſui oblitus, uni ædificationi Eccleſiæ ſtudebat, 2 Tim 2: 10
paulus timoris ſenſu vacuus non fuit, 1 Cor. 2: 3
paulus pro Chriſto zelotypus, 2 Cor. 11: 2
Pauli affectus in Eccleſiam, 1 Theſſ. 2: 7, 11. & 3. verſ. 6. & 1 Tim. 1: 3. & 2: 10
pauli afflictiones miles, Epheſ. 3: 13
pauli mira bonitas, Philem. 1: 12
pauli charitas maxima, Rom. 9: 3. & 2 Cor 12. verſ. 15. Philip. 1: 23
pauli conſcientia recta, 1 Cor. 4: 4, 5. & 1 Tim. 9. 7
pauli confidentia, Gal. 1: 9
pauli mira conſtantia, 1 Cor. 4: 9. & 2 Cor. 1: 17. & 11: 31. & Gal. 2: 3, 11. & 1 Theſſ. 2: 8
pauli mirifica converſio, Gal. 1: 13. & 1 Tim. 1. verſ. 13, 14, 16
pauli doctrinæ perſpicuitas, Gal. 3: 1
pauli dolor ex Judæorum exitio, Rom. 9: 2
pauli epiſtolæ ſeculis omnibus communes, Col. 4. verſ. 16
pauli Epiſtolæ non omnes extant, Epheſ. 3: 3
pauli fides, 2 Tim 4: 7
pauli mira fiducia, Gal. 6. 17
pauli gaudium, Phil. 1: 4, 3. & 2: 2. & 4: 1. Col. 1. verſ. 24
pauli generis nobilitas, 2 Cor. 11: 22. & Phil 3: 3
pauli gloria, 1 Cor. 9: 16
pauli gloriatio, 2 Cor. 4: 2. & 12: 9. Gal. 6: 14. Phil. 2: 3, 4 & 1 Theſ. 2: 19. & 2 Theſ. 1: 4. & 2 Tim. 1: 3. & 4: 7 Hebr. 11. 3
pauli gratitudo, 2 Tim. 1. 16
pauli humanitas, 1 Theſſ. 4. 8
pauli humilitas, Philip. 2: 1. & 2 Theſſal. 3: 9. Philem. 1: 10, 17
pauli ignorantia qualis, 1 Timoth. 1: 13
pauli integritas, 1 Theſſ 2: 3, 10
pauli jusjurandum, 1 Cor. 13: 31. & 2 Cor. 1. verſ. 18, 23. Gal. 1: 20. Phil. 1: 8. & 1 Theſſ. 2. verſ. 5, 10. & 2 Theſſ 2: 8
pauli lachrymæ, 2 Cor. 2: 4. & Philip. 3: 18
pauli manſuetudo, Rom 15: 1
pauli moderatio, 2 Theſſ. 3: 9
pauli inſignis modeſtia, 1 Cor. 7: 8, 35. Epheſ: 3: 5. & 1 Theſſ. 4: 1. Tit. 1: 5. Philem. 1: 15
pauli mors, 2 Tim. 4: 6
pauli mos in docendo, 1 Tim 3: 8. 23
pauli nomen cur & unde Apoſtolo inditum, Rom. 1. verſ. 1
pauli nomen cur Apoſtolus in Epiſtolis ſuis frequentius uſurparit, *ibid.*
pauli origo, Rom 11: 1
pauli parvitas, 1 Cor. 15: 9. Epheſ. 3: 9
pauli patientia invicta, 2 Cor. 12: 12
pauli penula quid, 2 Tim. 4: 13
pauli poteſtas, 2 Cor. 10: 9. & 13: 2. & 8: 10
pauli preces, Rom. 1: 10. & 1 Theſſ 3: 10. & 2 Theſſ. 1: 11. & 2: 16. & 3: 4. & 2 Tim. 1. verſ. 3, 16. & 2: 7. Philem. 1: 4
pauli profectio in Arabiam, Gal 1: 17
pauli prudentia, Coloſſ. 4: 7
pauli ſcripta num cenſuræ noſtræ ſubjicienda, 1 Cor. 3. 22
pauli ſinceritas, 2 Cor. 7. 14
pauli traditiones, 2 Theſſ. 2. 15
pauli triumphus, 2 Corinth. 2. 14. & Galat. 6. 14. Philip 4. 1. & 1 Theſſ. 2. 19
pauli vaticinium de Eccleſiæ diſſipatione, 2 Theſſ 2. verſ. 3
pauli vaticinium de doctoribus uſu, 1 Tim. 1. 20
pauli vincula magnifica, Epheſ. 3. 1. Philem. v. 1
pauli vinculorum fructus, Philip. 1. 13, 13
pauli vita cunctis Gentibus pretioſa, Rom 16. 4
pauli vocatio ab arcana Dei electione pendet, Galat. 1. 15
pauli zelus. Epheſ. 6. 1, 9 Col. 4 7. & 1 Theſſ. 3. 8
pauli & Moſis optima conſenſio, Rom. 10. 9
Pauli & aliorum Apoſtolorum diſcrimen, Gal. 2. 7
Paulo num licuerit tranſilire muros, 2 Cor 11. 31
Pauperum vita, 2 Theſſ 3. 13
Paupertas in Chriſto conſecrata, 2 Cor. 9. 9
Pax quid Hebræis, Hebr. 7. 2
Pax pro conſcientiæ ſerenitate, Rom. 3. 1
Pax pro proſperitate, Rom. 1. 6. & 8. 6. Epheſ. 6. 23
Pax Dei quid, Phil 4. 7. Col. 3. 13
Pax quatenus cum hominibus fovenda, Rom. 12. verſ. 18. & 1 Cor. 7. 14. & 14. 31. & 2 Cor. 13. 11. Gal. 3. 22. Hebr 12. 14
Pacis fovendæ modus, Tit. 3. 2
Peccator an pœnitentia ſua nihil proficiat, Hebr. 12. verſ. 7
Peccator ubi reſipuit quanto ſtudio adjuvandus, Philem. 1. 17
Peccatores pro omnino vitioſis & peccato addictis, Rom. 5. 8. Gal. 2. 13. & 1 Tim. 1. 9
Peccatores quomodo tractandi, 2 Corinth. 7. 12. Galat. 2. 14. & 1 Theſſal. 4. 7. & 3. 14. & 2 Theſſal. 3. 15. & 1 Tim. 5. 20. Tit. 2. verſ. 13. & 2. 13
Peccatum originale quid, Rom. 5. 12
peccatum pro innata nobis pravitate, Rom. 6. 12
peccatum pro expiatrice victima, Rom. 8. 3. & 2 Cor. 3. 21
peccatum hominibus ingenitum, Epheſ. 2. 3
peccatum quomodo ante Legem non imputatum, Rom. 5. 13
peccatum quomodo augetur per Legem, Rom. 3. 20
peccatum, mortis cauſa, Epheſ. 2. 1
peccatum omne voluntarium, Rom. 7. 14
peccatum in Spiritum ſanctum, 1 Cor. 2. 2. Hebr 6. 4
peccatum opus mortuum, Hebr 6. 1
peccatum quomodo Chriſti morte deſtructum, Hebr. 9. 26
peccatum in fidelibus interimitur, Rom 6. 8
Peccati cognitio unde, Rom. 7. 7
peccati notitia ſine Lege ſepulta, Rom. 7. 8
peccati delictum, Hebr. 11. 25
peccati natura, Hebr. 9 7
peccati regnum quid, Rom. 6. 18
Peccata nunc alio modo remittuntur quam olim, Hebr. 10. 13
Peccato mori quid, Rom. 6. 2
Pelagianorum error de peccato originali, Rom. 3. verſ. 12. & 9. 16. Epheſ. 2. 3, 10. & 3. 14. & 3. 27. Col. 1. 22
Pentecoſtes feſtus dies, 1 Cor. 16. 8
Perfectio ubi quærenda, 1 Tim. 4. 3
perfectio in Chriſto ſolo, Col. 2. 9
perfectio ſumma in Lege Dei traditur, Tit. 2. 12
perfectio in Dei voluntate ſtatuenda, Rom. 2. 18
perfectio qualis in hac vita, Epheſ 1. 4. Phil. 3. 15. & 1 Theſſ. 3. 12
perfectio qualis fingitur à Monachis, Phil. 3. 15
perfectio ſeculorum pro temporis plenitudine, Hebr. 9. 26
Perfectionis Chriſtianæ ſumma, Tit. 2. 8
Perfecti qui dicantur, 1 Cor. 2 6
perfecti pro adultis, Hebr. 3. 14
Permiſſione Dei ſola num in peccatum homines agantur, Rom. 1. 24
Perſæ à Macedonibus victi, Macedones vero à Romanis, 2 Theſſ. 3. 6
Perſequutio quid, Rom. 8. 35
perſequutio interna, Gal. 4. 29. & 2 Tim 3. 2
Perſeverantia donum Dei, Phil. 2. 13. & 1 Theſſ. 3. verſ 24. & 2 Theſſ. 2. 15, 18. Hebr 13. 20
perſeverantia, rara virtus, Philip. 2. 5
perſeverantia ex fide, Hebr. 11. 9
perſeverantia finalis certa eſſe debet, Rom. 16. 21. 1 Cor. 1. 9
perſeverantia finalis piis propria, Rom. 8. 32. & 1 Cor. 9. 24. & 15. 18
perſeverantia in ſanctis neceſſaria, Rom. 2. 7. & 11. 21. Epheſ 6. 13. Phil. 2. 16. & 3. 13. Col. 1. 23. & 2. 5. & 4 4. & 1 Theſſ 1. 2. & 2 Theſſ. 1. 11. & 1 Tim 4. 6 & 2 Tim. 2. verſ. 1, 3. & 3. 10, 14
perſeverantia in precibus neceſſaria, Rom. 12. 12. Hebr. 3. 6, 14 & 6. 10, 11, 13, 26, 35. & 12. verſ. 1, 4
Perſona quid in Scripturis, Rom. 2. 11. Gal. 2 6
Perſonarum acceptio damnatur, 1 Tim. 5. 21
perſonarum acceptio, Vide, Acceptio perſonarum.
Perverſitas quid, Rom. 8. 28
Pedes pro adventu, Rom. 10. 15
Pedum lotio quid, 1 Tim. 3. 10
Petitiones pro deſideriis aut votis, Phil. 4. 6
Petrus Judæorum Apoſtolus, Gal. 2. 7
petrus quomodo Apoſtolorum primus, 1 Cor. 9. 3. Gal. 2. 7
petrus in quo peccaverit à Paulo reprehenſus, Gal. 2. 14
petrus num Romæ fuerit, Rom. 16. 11. Philip. 2. verſ. 21. Col. 4. 11. & 2 Tim. 4. 14
Pharaonis induratio, & ejus finis, Rom 9. 17
Phariſæi unde dicti, Philip. 3. 5
Philetus hæreticus, 2 Tim. 2. 17
Philippenſium obedientia, Philip. 2. 12
Philoſophia quid Paulo, Col. 2. 8
philoſophia profana quam inanis, Hebr. 6. 11
Philoſophiæ & Evangelii diſcrimen, Rom 12. 1
Phœbe miniſtra Cenchreenſis Eccleſiæ, Rom. 16. 1
Phygellus falſus frater, 2 Tim. 1 15
Piaculum Latinis quid ſit, 2 Cor. 3. 21
Pietas pro ſpirituali Dei cultu, 1 Tim 4. 7
Pietatis exercitia, 1 Tim. 2 1. & 4 7
pietatis myſterium, 1 Tim. 3. 16
Pietatis ſumma ſub Dei dilectione comprehenſa, Rom. 8. 29
pietatis ſumma, 1 Theſſ. 3. 6
Pii, Vide, Fideles.
Placere in carne velle, Gal. 6. 12
placere hominibus quid, Gal. 1. 10. & 1 Theſſ. 2. 4
Placitum Dei gratuitum ſalutis noſtræ cauſa, Rom. 11. 7
Plagium apud veteres quid, 1 Tim. 1. 9
Platonis locus, 1 Cor. 10. 20. & 14. 7. Epheſ 4. 17. Col. 2. 18. & 1 Tim. 2. 1. & 3. 19. Tit. 1. verſ. 7, 12 & 2. 6
Plauti locus, 2 Theſſ. 3. 10
Plinii locus, 1 Cor. 8. 3. & 14. 13
Plutarchi loci, Col. 1. 21. & 1 Tim. 5. 13
pœnitere pro dolorem capere, 2 Corinth. 7 8
pœnitentia donum Dei, Hebr. 6 6
pœnitentia vera quæ, 2 Tim. 2. 23
pœnitentia num ſalutis cauſa, 2 Cor. 7. 10
pœnitentia ſera, Hebr. 12. 17
pœnitentiæ partes, Epheſ. 4 22
pœnitentiæ initium, Hebr. 6. 1
pœnitentiæ ſigna, 2 Cor. 7 11
poëtæ interdum Græcis prophetæ dicti, Tit. 1. 12
polybii locus, 2 Cor. 9. 4
polygamia damnatur, 1 Cor. 7. 23. & 1 Tim 3. 2. Tit 1 6
populus olim prohibitus ab ingreſſu ſanctuarii, Hebr. 10. 19
populi ingratitudo, Hebr. 13. 17
populi Chriſtiani officium, 2 Cor. 3. 5
porphyrius in Paulum blaſphemus, Gal 2. 6
portare pro tueri, Hebr. 1 3
poſſe, pro, idoneum eſſe vel accommodatum, Hebr. 2. 18
potationes largæ & immodicæ prohibentur, Epheſ. 5. 18
potentia pro ſpirituali doctrinæ energia, 1 Theſſ. 1. verſ 4
potentia Dei, 2 Tim. 1. 12. & Vide Dei potentia.
poteſtates quæ Paulo, 1 Cor. 12 29
poteſtates ſupereminentes quæ, Rom. 13. 1
potus pro iotis Cœna, 2 Cor. 12. 18
præcognitio quid, Rom. 11. 8
præconium quid, 2 Tim. 4. 17
prædeſtinatio quid, Rom 8. 30
prædeſtinatio, 2 Tim. 1. 9
prædeſtinatio Dei, vere labyrinthus, Rom. 9. 14
prædeſtinatio Pharaonis in exitium ad arcanum Dei conſilium referenda, Rom. 9. 17
prædeſtinationis doctrina ſobrie tractanda, Epheſ. 1. verſ 4
prædeſtinationis doctrina utiliſſima, Epheſ. 1. 4
prædeſtinationis memoria minime refugienda, Rom. 9 14
præparationes fictitiæ evertuntur, Epheſ. 2. 9
præputium pro gentibus, Gal. 2. 7
præſcientia Dei, Vide, Dei præſcientia.
præſcientia operum perperam cum electione miſcetur, Rom. 11. 6
præſumptio ſancta, Epheſ. 3. 12
prætorium quid, Phil. 1. 13
precationis & orationis diſcrimen, Epheſ. 6. 19
presbyter & epiſcopus idem, Tit. 1. 7
presbyteri duplices, Tit. 1. 5
presbyterorum duo genera, 2 Tim. 3. 17
presbyterium, pro, presbyterorum collegio, 1 Tim. 4. 14
pretii nomen bifariam ſumi poteſt, 2 Cor 6 20
primatus Petri qualis fuerit, 1 Cor. 9. 3
primatus papiſticus evertitur, Epheſ. 4. 12
primogenitura Jacob, ſecundum carnem parum profuit, Rom. 9. 12
primum, pro, præcipue vel præſertim, Rom 3 2
Princeps malus flagellum Domini, Rom. 13. 3
Principes quomodo filii Dei, Hebr. 1. 3
principes cur Judæis ac gentibus exoſi, Rom. 13. 1
principes mundi qui, 1 Cor. 2 6
principum officium, Rom. 13. 3. & 1 Tim. 8. 2
principibus malis etiam parendum, Rom. 13. 8
principia duo Manichæorum, Vide Manichæi.
priſca Acylæ uxor quæ Priſcilla à Luca dicitur, Rom 16. 3
probatio duplex, Rom. 2. 18
probatum quid Paulo, quid Jacobo, Rom 5 4
promiſſio de Chriſto juramento confirmata, Hebr. 6. 17
promiſſiones cum Evangelio confundi non debent, Rom. 1. 2
promiſſiones fide obtinentur, Hebr. 6. 12
promiſſiones quibus irritæ, Hebr. 11. 32
promiſſiones vitæ præſentis, 1 Tim. 4. 9
promiſſiones utriuſque vitæ, *ibid.*
promiſſiones Dei, Vide, Dei promiſſiones.
promiſſiones & pacta differunt, Rom. 9. 4
prophetæ qui, Epheſ. 4. 11
prophetarum doctrina à ſancto Spiritu, Hebr 3. 7
prophetarum minæ ſemper ludibrio habitæ, Epheſ. 3. 6
prophetarum mos, Rom 9. 23
prophetiæ quid, 1 Theſſ 5. 20
prophetia pro recta Scripturæ intelligentia, Rom. 12 6
prophetia aliis donis præferenda, 1 Cor 14. 39
prophetare quid Paulo, 2 Cor 11 4
Περιπατεῖν elegans, Phil. 3. 1
proſperitas ſuperbiæ occaſio, Rom. 2 4
proſperitas interdum periculoſa, 1 Tim. 6. 17
proſperitate non abutendum, 1 Tim. 4. 9. Hebr. 3. verſ 8
providentia Dei, vide Dei providentia.

Provi-

Proximus quis, Galat. 5: 14
Prudentia quid, Coloſſ. 1: 2
Prudentia vera quæ, Epheſ. 5: 17
Prudentia fidei adjungenda, 2 Tim. 3: 14
Pſalliſtæ qui, 1 Tim. 3: 5
Pſalmus quid, Coloſſ. 3: 16
Pſalmorum canendorum ritus, 1 Cor. 14: 15
Pſeudonicodemi, 1 Cor. 2. 13. & 9. 22. & 2 Cor. 4. verſ. 15
Pudefieri, pro feſtinare ſeu præcipitare, Rom. 9. 33
Pudor interdum utilis, Rom. 6. 21. & 1 Cor 4. verſ. 14. & 15. 34. Epheſ. 5. 12. & 2 Theſſ 3. verſ. 14
Pudor, primus ad reſipiſcentiam gradus, Epheſ. 5. verſ. 12
Pueri nomen in utramque partem ſumitur, 1 Cor 3. verſ. 1
Pueritia duplex, Hebr. 5. 12
Pueritia quæ cavenda, 1 Cor. 14. 20
Puncta apud Hebræos olim non erant in uſu, Hebr. 12. 13
Purgationis noſtræ finis, Hebr. 9. 14
Purgatorium unde Papiſtæ adſtruant, 1 Cor. 3. 15. & Phil. 2. 10
Purgatorium evertitur, Phil. 2. 10

Q.

QUærere Deum, eſt, in ipſum ſperare, Rom. 15. verſ. 12
Quærere ſua, magnum Eccleſiæ miniſtris impedimentum, Phil. 2. 21
Quæſtiones contentioſæ & inutiles vitandæ, Rom. 14. 1. & 1 Cor. 13. 8. & 15. 34. & 1 Tim. 6. verſ. 4. & 2 Tim. 2. 14, 23. Tit. 3. 9
Quæſtionarii quam vani, 1 Tim. 1. 5. & 6. 4
Querelæ quædam ſanctorum deſperationis plenæ, Rom. 5. 3
Quieſcere quid Paulo, 2 Theſſ 4. 11
Quintiliani locus, 1 Tim. 5. 1

R.

RAhab fides, Hebr. 11. 31
Rapaces qui dicantur, 1 Cor. 6. 9
Ratio hominis cæca, Epheſ. 4. 17
Rebellio adverſus Deum unde, Hebr. 3. 7
Redargutio & correctio in quo differant, 2 Tim. 3. verſ. 16
Redemptio morte Chriſti parta, opus vere divinum, Hebr. 2. 2
Redemptionis noſtræ finis, Tit. 2. 11. Hebr. 9. 14
Regeneratio opus Dei, Epheſ. 1. 19. & 2. 10. Philem. 1. 10
Regeneratio quomodo opus hominum, 1 Cor. 9. verſ. 1
Regeneratio per Chriſtum, Col. 2. 12
Regeneratio omnibus neceſſaria, Galat. 6. 15. Epheſ. 3. 8. & 4. 21
Regeneratio paulatim perficitur in ſanctis, Rom. 6. verſ. 7. & 7. 15. & 8. 10, 11. & 1 Cor. 1. 8
Regenerationis excellentia, 2 Cor. 5. 17
Regenerationis noſtræ finis, Col. 3. 10
Regimen Eccleſiæ, Vide, Eccleſiæ regimen.
Regnum olim à Sacerdotio penitus diſtinctum, Hebr. 1. 15
Regnum Dei, Rom. 14. 17. & Vide, Dei regnum.
Regnum Chriſti, Vide, Chriſti regnum.
Relatio inter Patrem & Filium, Hebr. 5. 5
Relatio inter fidem & verbum, Hebr. 4. 2. & 10. verſ. 23. & 11. 7
Relatio inter Dei juſtitiam & meritum operum à ſophiſtis conficta, Hebr. 6. 10
Religio vera quæ conjuncta eſt cum Dei verbo, Rom. 10. 2
Religio Papatus qualis, Hebr. 2. 1
Religionum conſenſio animos in pace retinet, 1 Cor. 1. 12
Religionis Chriſtianæ antiquitas, Epheſ. 2. 20
Religionis Chriſtianæ rudimenta, Hebr. 6. 1
Religionis Chriſtianæ ſcopus, ibid.
Remiſſio peccatorum gratuita, Coloſſ. 2. 13. Hebr. 8. 12
Repetitiones interdum neceſſariæ, 1 Tim. 4. 11. & 2 Tim. 2. 14
Reprehenſiones neceſſariæ & utiles, 1 Cor. 4. 21. & 2 Cor. 2. 4. Epheſ. 5. 11, 12. & 2 Tim. 3. verſ. 16. & 4. 2
Reprehenſiones quomodo fieri debeant, 1 Tim. 5. verſ. 1
Reprobatio cauſa exitii, Rom. 9. 11
Reprobationis cauſa in admirabili Dei conſilio abſcondita, Rom. 11. 7
Reprobationis cauſa in Dei propoſito quærenda, Rom. 9. 14
Reprobationis cauſa propinqua, Rom. 9. 11
Reprobationis ſignum, 1 Tim. 1. 15
Reprobi, vaſa iræ in interitum apparata, Rom. 9. verſ. 22, 23
Reprobi, plantæ à Deo non plantatæ, Hebr. 2. 15
Reprobi antequam naſcuntur exitio devoti, Rom. 9. 25
Reprobi deſtinato creati ut pereant, Rom. 9. 18
Reprobi excæcati, 2 Theſſ. 2. 12
Reprobi Dei gratia vacui, Hebr. 6. 4
Reprobi exitio devoti, Rom. 9. 18. & 1 Theſſ. 2. 16. & 2 Tim. 2. 16, 21
Reprobi ſunt qui Pauli doctrinæ pertinaciter reſiſtunt, 2 Cor. 4. 3
Reprobi quicunque dubitant num Chriſtum poſſideant, 2 Cor. 13. 5
Reprobi quomodo afficiuntur verbo Dei, Hebr. 4. verſ. 12
Reproborum captivitas voluntaria, 2 Tim. 2: 25
Reproborum damnationis principium, Rom. 11: 7
Requies noſtra qualis, Hebr. 4: 2
Rerum externarum uſus, 1 Cor. 6: 12
Reſpublica quomodo bene adminiſtretur, Rom. 13. verſ. 5
Reſurrectio à ſolo Chriſto, 1 Cor. 15: 12
Reſurrectio cum etiam infidelibus communis, 1 Theſſ. 4: 14
Reſurrectio pro redemptionis complemento, Phil. 3. 10
Reſurrectio quædam allegorica à nonnullis conficta, 2 Tim. 2. 17
Reſurrectionis certitudo, 1 Theſſ 4. 13. 14
Reſurrectionis fides ab impiis quibuſdam concuſſa apud Corinthios, 1 Cor. 15. 1
Reſurrectionis fides obſcura tempore Pauli, 1 Theſſ. 4. 15
Reſurrectionis fides quam neceſſaria, 2 Tim. 2. 8
Reſurrectionis futuræ ſpes, Tit. 2. 15
Revelatio, pro, aperta tyrannidis poſſeſſione, 2 Theſſ. 2. 3
Revelationum & viſionum diſcrimen, 2 Cor. 12. 2
Reges à Deo creati, 1 Tim. 2. 2
Regum officium, ibid.
Romanenſes quo prætextu Idoli ſui tyrannidem excuſant, 2 Theſſ. 2. 2
Romanorum obedientia, Rom. 16. 19

S.

SAbbathum perpetuum quid, Hebr. 4. 10
Sabbathi abrogatio, ibid.
Sabellii errores refelluntur, Epheſ. 4. 5. Hebr. 1. verſ. 5
Sacerdotes Papiſtici omnes ſacrilegi, 1 Cor. 9. 15
Sacerdotium Leviticum abrogatum, Hebr. 7. verſ. 11, 12
Sacerdotium Chriſtianum, Rom. 15. 16
Sacerdotium Papale adulterinum, Hebr. 5. 4
Sacramentum quid, Hebr. 9. 24
Sacramenta infirmitatis noſtræ adjumenta, 1 Cor. 11. 24
Sacramenta noſtra præſentiæ Chriſti ſymbola, Col. 2. 17
Sacramenta à verbo non ſeparanda, Hebr. 9. 20
Sacramenta a ſolis paſtoribus diſpenſanda, 1 Cor. 4. verſ. 2
Sacramenta qualia in Papatu, Epheſ. 5. 26
Sacramentorum partes duæ, Rom. 4. 11
Sacramentorum tituli, Hebr. 1. 5
Sacramenta veteris populi, 1 Cor. 10. 1, 3
Sacramentorum uſus, Rom. 4. 11
Sacramentorum abuſus, Hebr. 9. 20
Sacrificium laudis, Hebr. 13. 15
Sacrificium Evangelicum, Phil. 2. 17
Sacrificium fidelium, Rom. 12. 1. Hebr. 13. 15
Sacrificium papiſticum ſacrilegio plenum, Phil. 2. verſ. 17
Sacrilegium quid, Rom. 1. 22
Sadducæi quales, 1 Cor. 15. 1
Salus à ſolo Deo, Rom. 6. 23. Epheſ. 2. 8. & 1 Theſſ. 5. 9. Hebr. 5. 7
Salus ex mero Dei beneplacito pendet, Rom. 11. 7
Salus hominum à libera Dei electione pendet, Rom. 9. 14
Salus fidelium ex gratuita Dei gratia, Rom. 1. 6. Epheſ. 2. 5, 8
Salus ex ſola Dei miſericordia, 2 Cor. 6. 2
Salus in ſolo Evangelio reperitur, Rom. 1. 12
Salus in ſpe poſita, Hebr. 4. 1
Salus noſtra in manu Dei, 2 Tim. 1. 12
Salus, pro, Evangelii doctrina, Hebr. 2. 3
Salus Judæis ex pacto propria, Rom. 15. 8
Salus fratrum quanti nobis eſſe debeat, 1 Cor. 8. verſ. 11
Salutis noſtræ cauſæ, Epheſ. 1. 5
Salutis fidelium prima cauſa, Rom. 8. 28 & 11. 7
Salutis noſtræ partes omnes Dei gratiæ adſcribuntur, 2 Theſſ. 2. 11
Salutis partes omnes in Chriſto continentur, Col. 1. 14
Salutis noſtræ portio cur fidei tribuitur, Rom. 10. verſ. 10
Salutis obtinendæ ratio, Hebr. 2. 8
Salutis certitudo ex æterna Dei benevolentia, Rom. 8. 32
Salutis certitudo duobus fundamentis incumbit, Rom. 10. 6
Salutis certitudo piis perſuaſa, 1 Theſſ. 5. 9. Hebr. 6. 17
Salutis neglectus in mundo maximus, Hebr. 2. 17
Sanctificatio quid, 1 Theſſ. 4. 8
Sanctificatio qualis in piis requiritur, 1 Theſſ. 5. verſ. 23
Sanctificatio juſtitiæ fructus, Rom. 6. 22
Sanctificatio mulierum, 1 Tim. 2. 15
Sanctimonia piis colenda, Hebr. 12. 14
Sanctitas pro dignitate, Rom. 11. 16
Sanctitas quæ Deo grata, 1 Theſſ. 3. 13
Sanctitas fructus electionis, Epheſ. 1. 4
Sanctitas vitæ ab electionis gratia non ſeparanda, ibid.
Sanctitas in piis inchoata tantum, Col. 1. 22
Sanctitas Papatus in monachatu ſita, Col. 2. 23
Sancti ſpecialiter juvandi, Rom. 12. 13
Sancti cur mortem exhorreant, 2 Cor. 5. 8
Sancti mutuis orationibus egent, Epheſ. 6. 19
Sancti quomodo ſuſpiciendi, Gal. 2. 24
Sancti poſt hanc vitam adhuc ſunt in profectu, Philip. 1. 6
Sancti mortui non invocandi, Epheſ. 6: 19
Sancti non ſunt redemptores, Col. 1: 14
Sanctorum communio, 1 Cor. 8: 14
Sanctorum dignitas qualis, 1 Tim. 2: 8
Sanctorum mortuorum interceſſiones unde Papiſtæ adſtruant, Rom. 15. 52. & 1 Cor. 13. 8. & 2 Cor. 1. 10
Sanctum mundanum quid, Hebr. 9. 2
Sanctuarium, corporis Chriſti imago, Hebr. 9. 11
Sapientia quid, 1 Cor. 12. 8. Col. 1. 9
Sapientia vera quid, Col. 1. 28. Hebr. 8. 11
Sapientia Chriſtiana quid, Philip. 1. 10
Sapientia carnalis quid, 2 Cor. 1. 12
Sapientia mundi quid, 1 Cor. 1. 20. & 3. 19
Sapientia ſermonis quid, 1 Cor. 1. 17
Sapientia fidelium, Vide fidelium ſapientia.
Sapientes ſeculi, 1 Cor. 1. 20
Sapere ad ſobrietatem quid, Rom. 12. 18
Saræ fides, Hebr. 11. 12
Saræ riſus vitioſus, Rom. 4. 20
Satan quomodo Deus hujus mundi, 2 Cor. 4. 4
Satan hujus mundi princeps, Rom. 1. 12
Satan impiorum omnium caput, Epheſ. 2. 2
Satan iræ Dei miniſter, Rom. 1. 24. & 9. 18
Satan Dei carnifex, Epheſ. 2. 2
Satan vincitur à fidelibus, Rom. 16. 19
Satan quatenus abolitus, Hebr. 2. 14
Satanæ angelus quid, 2 Cor. 12. 17
Satanæ judicium quid, 1 Tim. 3. 6
Satanæ tyrannica dominatio, 2 Tim. 2. 25
Satanæ proprium tentare, 1 Theſſ. 3. 5
Satanæ tradere quid, 1 Cor. 5. 5. & 1 Tim. 1. 20
Satisfactiones Papiſticæ evertuntur, Rom. 4. 6. & 2 Cor. 5. 20. Galat. 1. 4. Coloſſ 1. 14. & 1 Tim. 2. 6
Scala Jacob quid deſignarit, Hebr. 1. 14
Scandala vitanda, Rom. 14. 20
Scandala ob crucem, Philip. 1. 12
Schiſma quid, 1 Cor. 11. 19
Schiſmata cavenda, Hebr. 10. 23
Scholaſtici culpa remiſſa pœnam retineri nugantur, Rom. 4. 6
Scholaſticorum dogma de poſterioribus gratiis, Philip. 1. 19
Schwenckfeldius hæreticus refellitur, 1 Cor. 10. 3
Scientia quid, 1 Cor. 12. 8
Scientia vera quæ, Coloſſ. 2. 2, 3. & 1 Tim. 6. verſ. 20
Scientia inflare dicatur, 1 Cor. 8. 1
Scientia particularis in piis requiritur, 2 Cor. 5. 1
Scientia pro doctrinæ ſubſtantia, 2 Cor. 11. 6
Scientia pro uſu & peritia, 2 Cor. 8. 7
Scientiæ fundamentum eſt pietas, 1 Cor. 8. 1
Scientia rerum omnium vana ſine Chriſto, 2 Cor. 1. 20
Scortatio damnatur, proinde fugienda eſt, Rom. 2. verſ. 22. & 1 Corinth. 6. 14. 18. Epheſ. 5. 3. Coloſſ. 3. 5. & 1 Theſſ. 4. 3. Hebr. 13. 4
Scortatio quid cum ſacro conjugio ſimile habeat, 1 Cor. 6. 16
Scortationis apud Corinthios magna licentia, 2 Cor. 10. 8
Scriptura ad perfectionem ſufficit, 2 Tim. 3. 17
Scripturæ authoritas quanta, 2 Tim. 3. 16
Scripturæ encomium, 2 Tim. 3. 15
Scripturæ lectio paſtoribus neceſſaria, 1 Timoth. 4. verſ. 13
Scripturæ lectio piis neceſſaria & utilis, Rom. 15. verſ. 4. & 2 Tim. 3. 15. & 4. 13. Hebr. 5. 14
Scripturæ lectio non ſufficiens, 2 Tim. 4. 2
Scripturæ finis præcipuus, Rom. 15. 4
Scripturæ mos familiaris, Hebr. 11. 17
Scripturæ utilitas magna, 2 Tim. 3. 16
Scripturæ quomodo tractandæ, Hebr. 7. 8
Securitas duplex, 2 Cor. 10. 12
Securitas impiorum, exitialis eſt gurges, Epheſ. 4. verſ. 19
Seminare carni quid, Galat. 6. 8
Senectutis vitia, Tit. 2. 2
Senes quomodo objurgandi, 1 Tim. 5. 1
Senſus reprobus, Rom. 11. 8
Sermo pro pietatis doctrina, Galat. 6. 6
Sermo pro dictionis ſplendore, 2 Cor. 11. 6
Sermo fidelis quis, Tit. 1. 9
Sermo ſanus quis, Tit. 2. 7
Serveti blaſphemiæ & errores refutantur, Rom. 1. verſ. 3. & 2 Cor. 3. 16. Galat. 4. 2
Servus in Domino, 1 Cor. 7. 22
Servi cur olim fures dicti, Tit. 2. 3
Servorum dura olim conditio, 1 Tim. 6. 2. Tit. 2. verſ. 10
Servorum officium, Epheſ. 6. 5. Col. 3. 22. Tit. 2. verſ. 9
Servorum conſolatio, 1 Cor. 7. 22. Coloſſ. 3. 22. & 1 Tim. 6. 2
Servorum merces, Epheſ. 6. 8
Servorum vitia, Tit. 1. 9
Severitas interdum neceſſaria, 1 Cor. 7. 8. & 25. verſ. 2. Tit. 2. 15
Signum petere per ſe minime malum, 1 Corinth. 1. verſ. 22
Signa mendacii quæ, 2 Theſſ. 2. 9
Simplicitas diaconis neceſſaria, 2 Cor. 2. 9
Simplicitas Dei quid, 2 Cor. 1. 12
Simplicitas fidelium quæ laudanda, Rom. 16. 19. & 1 Cor. 14. 20
Sobrietas piis neceſſaria, Rom. 13. 14. & 1 Theſſ. 5. verſ. 6. & 1 Tim. 3. 2. Tit. 2. 2
Sobrietas mentis, Hebr. 7. 8

Socor-

Digitized by Google

Socordia excutienda, Rom. 8. 28. & 9. 16, 17. & 1 Corinth. 1. 8. & 10. 12. & 15. 34. & 16. verſ. 13 & 2 Corinth. 7. 11. Gal. 6. 5. Epheſ. 6. v. 10, 12, 13. Philip. 2. 13. & 3. 10. 1 Theſſ. 5. verſ. 3, 6, 18. & 2 Theſſ. 2. 8. & 1 Timoth. 4. verſ. 15 & 5. 6. & 2 Timoth. 1. 6, 14. & 2. 1. & 4. 2. Hebr. 3. 13. & 5. 10. & 6. 3, 7. & 12. verſ. 12. & 13. 22
Solicitudo pro anxietate, Philip. 4. 3
Solitudinum ſpecies tres, 1 Corinth. 7. 33
Solomo typus Chriſti, Hebr. 1. 5, 8
Sophiſtæ deteſtandi, Coloſſ. 2. 24
Sophiſtæ taxantur, 1 Tim. 6. 4, 20
Sophiſtarum commentum de Chriſti meritis, Phil. 2. 9
Sophiſtarum dogma de perpetua fidelium hæſitatione, 1 Cor. 2. 12
Sorbonica ſchola qualis, 1 Tim. 6. 4
Sorbonicæ ſcholæ arrogantia, 1 Tim. 1. 7
Sorbonicum dogma impium de amore noſtri, Gal. 5. 34
Soſthenes Princeps Judaicæ ſynagogæ, 1 Cor. 1. verſ. 1
Species pro apparentia, 1 Theſſ. 5. 22
Spes ex fide naſcitur, Hebr. 10. 23
Spes patientiam ſemper ſecum trahit, Rom. 8. verſ. 25
Spes non confundit, Rom. 5. 5
Spes cur anchoræ ſimilis, Hebr. 6. 19
Spes quomodo creaturis ſenſu carentibus tribuitur, Rom. 8. 18
Spes piis omnibus neceſſaria, Rom. 12. 12. Tit. 3 verſ. 7
Spes ex præteritis Dei beneficiis concipienda, 1 Corinth. 1. 9. & 2 Corinth. 1. 2. & 1 Theſſ. 5. verſ. 24
Spes pro fide, Hebr. 3. 6 & 6. 11
Spes pro promiſſione, Hebr. 6. 18
Spes pro re ſperata, Col. 1. 5. Tit. 2. 13
Spem ſalutis ex operibus pendere unde Sophiſtæ colligant, Col. 1. 5
Spes vitæ æternæ dilectionem in piis parit, ibid.
Spes fidelium Chriſtus, 1 Tim. 1. 1
Spei officium, Hebr. 10. 23
Spiritus pro anima, 1 Cor. 2. 11. & 2 Cor. 7. 1
Spiritus pro donis ſpiritualibus, 1 Cor. 14. 12
Spiritus pro Euangelio, 2 Cor. 3. 6
Spiritus pro fide, 2 Cor 4. 13
Spiritus pro ſpirituali ſine ceremoniis, Rom. 2. 28
Spiritus pro gratia regenerationis, Gal. 3. 2
Spiritus pro prophetis aut doctoribus, 1 Tim 4. 1
Spiritus pro facultate intellectuali, Hebr 4. 12
Spiritus pro parte hominis regenerata, Rom. 7. verſ. 18
Spiritus pro ratione vel intelligentia, 1 Theſſ. 5. verſ. 23
Spiritus pro vita ſpirituali, Gal. 6. 8
Spiritus ſanctus Deus, 1 Corinth. 3. 16. & 12. verſ. 11
Spiritus potentia Dei eſſentialis, 1 Cor 12. 4
Spiritus quibus epithetis notari ſolet, Rom. 1. 4
Spiritus Dei aquæ nomine deſignatur, Hebr. 10. verſ. 22
Spiritus ſanctus cur arrha dicatur, 2 Cor. 1. 22. & 5. 5. Galat. 4. 6. Epheſ. 1. 14. Philip. 4. verſ. 7
Spiritus ſanctus cur ſigillum dicatur, 2 Cor. 1. 21. Epheſ. 1. 30
Spiritus ſanctus piis minime otioſus, Galat. 5. verſ. 25
Spiritus unicuique fidus teſtis eſt electionis, 1 Cor. 1. 8
Spiritus quomodo extinguitur, 1 Theſſ. 5. 19
Spiritus quomodo triſtitia afficitur, Epheſ. 4. 30
Spiritus quomodo pro nobis intercedat, Rom. 8. verſ. 26
Spiritus Chriſti piis omnibus communis, Philip. 1. verſ. 19
Spiritus compunctionis quid, Rom. 11. 8
Spiritus gratiæ, Hebr. 10. 29
Spiritus ſanctificationis quid, Rom. 1. 4
Spiritus ſervitutis quid, Rom. 8. 15
Spiritus multiplex actio, Rom. 8. 14
Spiritus auxilium piis quam neceſſarium, Rom. 8. verſ. 26
Spiritus ſancti dona, Hebr. 2. 4
Spiritus ſancti officium, 1 Cor. 12. 4. & 2 Cor. 1. 22. & 13. 15. Epheſ. 1. 13, 14. & 1 Theſſ. 5. 19. Tit. 3. 5
Spiritus unitas, Epheſ. 4. 3
Spiritus & literæ oppoſitio, Rom. 7. 6
Spiritualis diſcretio, 1 Cor. 12. 8
Spirituales qui dicantur, Gal. 6. 1
Stimulus carnis, 2 Cor. 12. 7
Strabonis locus, 1 Cor. 4. 12
Stultiloquium damnatur, Epheſ. 5. 3
Suenckfeldius in Sacramentis ſigna à rebus divellit, 1 Cor 10. 8
Suetonii locus, 1 Tim. 1. 4
Sufficientia pietatis velut auctarium, 1 Timoth. 6. verſ. 6
Summum bonum quid, Hebr 4. 10. & 7. 25
Superbia damnanda, Rom. 12. 16. Phil. 2. 3. Tit. 3. 3. Philem. 3. 15
Superbiæ venenum quam noxium, 2 Cor. 12. 7
Supererogationis opera evertuntur, 1 Corinth. 2. verſ. 18
Superſtitiones ſimulatione non fovendæ, 2 Cor. 6. verſ. 14
Superſtitiones quo prætextu à quibuſdam foventur, 2 Cor. 3. 15. & 10. 14
Suſurrones qui, Rom. 1. 28
Symbolum Apoſtolicum, Hebr. 6. 2
Symbola nulla unquam à Deo temere uſurpata, Hebr. 8. 16
Symmetria Eccleſiæ multiplici unitate conſtat, 1 Cor. 12. 4
Sympathia piis neceſſaria, Rom. 12. 15. & 1 Corinth. 12. 26, 27. Hebr 13. 3
Syricius Papa blaſphemus, 1 Cor. 9. 9

T.

Tabernaculi tres partes, Hebr. 8. 2
Tatiani hoſtes conjugii, 1 Tim. 4. 3
תם pro quo Græci interpretes τέλειον vertunt, integrum ſignificat, 1 Cor. 2. 6
Templum Dei quale, in quo Papa dominatur, 2 Theſſ. 2. 4
Tempus præſens, pro futuro, Col. 3. 6. & 1 Theſſ. 4. verſ. 15
Tempus præteritum, pro præſenti, Rom. 8. 30
Tempus præteritum, pro futuro, Rom. 10. 20
Tempus extremum ſeu noviſſimum quid, 1 Corinth. 10. 11. & 2 Tim. 3. 1. Hebr. 1. 2. & 10. 25
Tempus horæ, pro exiguo temporis ſpatio, 1 Theſſ. 2. 17
Tempus plenitudinis, pro maturo & opportuno, Gal. 4. 4. Epheſ. 1. 10
Tempus redimere quid, Epheſ. 5. 16. Col. 4. 5
Tempora propria quæ, Tit. 1. 3
Tempora ſecularia quæ, 2 Timoth. 1. 9. Tit. 1. verſ. 2
Tempore utendum, Vide Occaſio arripienda.
Tempori ſervire quid, Rom. 12. 11
Temporum civilis obſervatio non damnanda, Gal. 4. 10
Temeritas damnatur, 2 Cor. 8. 2. & 9. 5
Tentatio pro experimento vel probatione, Hebr. 2. verſ. 18
Tentatio pro eo omni quod nos ſollicitat, 1 Cor. 10. verſ. 13
Tentatio in malam partem, Hebr. 3. 8
Tentatio quomodo à Deo, Hebr. 11. 17
Tentationes ſemper timendæ, 1 Theſſ. 3. 5
Tentationum tres gradus, 1 Cor. 7. 2
Terra Chanaan ſpiritualis hæreditatis imago ac ſymbolum, Hebr. 4. 8
Tertulliani locus, 1 Cor. 11. 22. Philip. 1. 7
Teſtamentum vetus ſanguine dedicatum, Hebr. 9. verſ. 18
Teſtamentum vetus num ad Chriſtianos pertineat, Rom. 15. 4
Teſtamenti veteris & novi comparatio, Rom. 3. verſ. 46. Gal. 4. 1
Teſtamenti veteris & novi diſcrimen, Rom. 8. 15. & 1 Cor. 10. 11. & 2 Tim. 3. 17
Teſtamento veteri nihil quoad ſubſtantiam additum fuit, 1 Tim. 3. 17
Teſtimonia ex profanis authoribus interdum mutuari licet, Tit. 1. 12
Theologia Sorbonica ſeu ſcholaſtica qualis, 1 Tim. 1. 4. & 2 Tim. 1. 13. & 2. 14, 24. Tit. 1. verſ. 10. & 3. 9
Theologus verus quis, Tit. 1. 1
Theſaurus Eccleſiæ fictitius, 1 Cor. 1. 13
Theſſalonicenſium laus, 2 Theſſ. 1. 4
Theſſalonicenſium obedientia, 1 Theſſ. 1. 6, 7
Theurgi quo prætexto ſuperſtitiones ſuas defendebant, Col 2. 18
Thronus pro cæleſti palatio majeſtatis Dei, Col. 1. verſ. 16
Timor pro reverentia, Epheſ. 5. 33
Timor non ſemper cum fidei ſecuritate pugnat, Rom. 11. 18. Philip. 2. 13. Hebr. 4. 1. & 11. verſ. 7
Timor Dei, Vide. Dei timor.
Timoris duæ ſpecies, Philip. 2. 13
Timotheus à puero Scripturæ lectioni aſſuefactus, 2 Tim. 3. 15
Timotheus cur circumciſus, Gal. 2. 3
Timotheus quomodo miniſter ordinatus, 1 Tim. 1. verſ. 18. & 2 Tim. 1. 6
Timotheus juvenis Chriſti miniſter, 1 Timoth. 4. verſ. 12
Timotheus non frugalis modo in victu, ſed etiam auſterus fuit, 1 Timoth. 5. 23
Timothei laudes, 1 Corinth. 16. 10. Philip. 2. verſ. 20, 22. & 1 Theſſ. 3. 1, 2. & 1 Tim. 1. verſ. 2
Titus cur circumciſus, Galat. 2. 3
Titus excuſatur à Paulo, 2 Cor. 8. 6
Titus quomodo filius Pauli vocatur, Tit. 1. 4
Titus ſocius & adjutor Pauli, 2 Cor. 8. 23
ſuper Titi conſolatione quomodo Paulus gaviſus fuit, 2 Cor. 7. 13
Tondendi uſus quando cœperit, 1 Corinth. 11. verſ. 14
Traditiones humanæ cur multis arrident, Coloſſ. 2. verſ. 23
Traditiones humanæ labyrinthus, Coloſſ. 2. 12
Traditiones hominum noxiæ, Coloſſ. 2. 8
Traditiones humanæ evertuntur, Coloſſ. 2. 22. & 2 Theſſ. 2. 13
Traditiones paternæ, Galat. 1. 14
Tranquilli locus, 1 Timoth. 3. 4
Tranſſubſtantiatio figmentum humanum, 1 Cor. 11 verſ. 24
Tribulatio quid, Rom. 8. 35
Tribulatio quomodo patientiam operatur, Rom. 5. verſ. 3
Tribus Ephraim ampliſſima, Hebr. 11. 21
Tributa cur Principibus penduntur, Rom. 13. 6
Triſtitia duplex, 2 Corinth. 7. 10
Tuba archangeli, 1 Theſſ. 4. 16
Tuba extrema quid, 1 Corinth. 15. 52
Turcæ fruſtra de antiquitate gloriantur, Epheſ. 2. verſ. 20
Tychicus, fidelis miniſter Chriſti, Epheſ. 6. 21
Tychici laus, Coloſſ. 4. 7.

V.

Valerii locus, 1 Cor. 7. 28
Vaniloqui, Tit. 1. 10
Vaſa pro inſtrumentis, Rom. 9. 22
Vaſa miſericordiæ, ibid.
Vaſa iræ, ibid.
Ventres pigri, Tit. 1. 12
Venti Angelis conferuntur, Hebr. 1. 7
Venus præpoſtera quam execranda, Rom. 1. verſ. 26
Verbum anima Sacramentorum, Hebr. 9. 20
Verbum objectum fidei, Epheſ. 6. 16
Verbum Dei, ſpecula noſtra, Hebr. 10. 37
Verbum pro nutu, Hebr. 1. 3
Verbum pro promiſſione, Epheſ. 5. 26
Verbum fidei, pro ipſo Euangelio, Rom. 10. 8
Verbum cur omnibus proponitur, Hebr. 3. 16
Verbum Dei quomodo diſpenſandum, 2 Tim. 2. verſ. 15
Verbum Dei hypocriſin detegit, Hebr. 4. 12
Verbi certitudo unde, Rom. 10. 8. 1 Tim. 3. 15. & 2 Tim. 1. 12
Verbi certitudo in Papatu abrogata, Epheſ. 4. verſ. 14
Verbi Dei encomium, Tit. 1. 9
Verbi difficultas unde, Hebr. 3. 10
Verbi perpetuitas quam neceſſaria, 2 Corinth. 3. verſ. 6
Verbi prædicatio quam neceſſaria, ibid.
Verbi Dei recta ſectio, 2 Tim. 2. 15
Verbi Dei vis, 1 Corinth. 14. 24. Hebr. 4. 12
Verbi Dei uſus, Hebr. 4. 12
Verbi & fidei relatio, Hebr. 4. 2
Verbum audire non ſufficit, niſi fides accedat, ibid.
Verecundia, Vide Pudor.
Veritas, pro regula divinæ voluntatis, Rom. 2. 8
Veritas pro ſincero animo, Epheſ. 6. 14. Philip. 4. verſ. 8
Veritas ne excludat Sacramenta, Philip. 3. 3
Veritas cum ſignis conjuncta, Gal. 3. 27
Veritas conſenſus fundamentum, Epheſ. 4. 15
Veritas, unitatis ſanctæ vinculum, Coloſſ. 2. 2
Veritas altercando amittitur, 2 Tim. 2. 14
Veritas divini judicii in quo ſita, Rom. 2. 2
Veſtitus mulierum qualis eſſe debeat, 1 Tim. 2. verſ. 9
Veterum loquacitas & bibacitas, Tit. 2. 3
Vetuſtas quanti fit à Papiſtis, 1 Cor. 11. 28
Via pro inſtituto vel ratione agendi, Rom. 11. 33
Victoria fidelium, Vide Fidelium victoria.
Victoriæ genus pulcherrimum, Rom. 12. 21
Viduæ quales in Eccleſiam recipiendæ, 1 Tim. 5. verſ. 9
Viduæ honorandæ, 1 Tim. 5. 3
Viduarum habenda ratio, 1 Tim. 5. 4, 5
Viduitas num conjugio melior, 1 Cor. 7. 40
Vigilantia piis neceſſaria, 1 Theſſ. 5. 6, 8
Vinculorum Pauli fructus, Philip. 1. 13, 25. Vide Pauli vincula.
Vindicta prohibita, Rom. 12. 19. & 1 Cor. 6. 7. & 1 Theſſ. 5. 15
Vindicta quæ laudanda, 2 Cor. 7. 11
Vindictam appetere num piis liceat, 2 Theſſ. 1. verſ. 8
Viri & uxoris ſancta conjunctio, Epheſ. 5. 28, 32
Virga pro paſtoris ſeveritate, 1 Cor. 4. 21
Virginis & conjugatæ mulieris diſcrimen, 1 Cor. 7. verſ. 18
Vires humanæ ex Dei præceptis non æſtimandæ, 2 Tim. 1. 14. Hebr. 12. 13
Viſionum & revelationum diſcrimen, 2 Cor. 12. verſ. 8
Vita in ſolo Chriſto, Epheſ. 2. 1
Vita in Euangelio quærenda, Rom. 1. 17
Vita præſens, curſus quidam eſt, Hebr. 3. 6
Vita Chriſtiana actuoſa eſſe debet, Rom. 12. verſ. 11
Vita æterna ex Chriſti juſtitia, Rom. 5. 21
Vita æterna piis tantum præparata, Rom. 2. 7
Vita beata quæ ſit in terris, Coloſſ. 2. 2
Vita Dei quid, Epheſ. 4. 18
In Vita & morte lucrum Paulo Chriſtus, Philip. 1. verſ. 21
Vitæ initium & origo ex luce fidei, Rom. 10. 19
Vitæ præſentis brevitas, 1 Cor. 7. 29
Vitæ longitudo quatenus optanda, Epheſ. 6. 2. Philip. 2. 27.
Vitæ præſentis felicitas duobus membris conſtat, 1 Tim. 4. 10
Vitæ humanæ finis, 1 Cor. 10. 31, 32. & 2 Theſſ. 3. verſ. 6. Hebr. 4. 3

Vitæ

Digitized by Google

Vitæ bene inſtituendæ regula, Tit. 2. 12
Vitæ rectæ finis, Hebr. 11. 6
Vitæ novitas, Vide Abnegatio noſtri.
Vitæ Chriſtianæ ſumma, Tit. 2. 12
Vitæ fidelium ſcopus, Rom. 14. 7. Tit. 2. verſ. 8, 10
Vitia aliorum indulgentia aut ſimulatione minime fovenda, Galat. 6. 1. Tit. 3. 2
Vitia aliorum lugenda, 1 Cor. 5. 2. & 2 Cor. 12. verſ. 12
Vivere Domino quid, Rom. 14. 7
Vivere Deo quid, Gal. 2. 19, 20
Unitas fidei, Ephef. 4. 13
Unitas Chriſti & fidelium, 2 Cor. 6. 15, 17
Unitatis veræ fundamentum, veritas, Epheſ. 4. verſ. 15
Unus quomodo in Eccleſia præſit, Tit. 1. 5
Vocatio quid, Rom. 8. 30
Vocatio interior & efficax ſolis electis propria, Rom. 10. 16
Vocatio, ſalutis eſt obſignatio, 2 Tim. 1. 9
Vocatio ex electione, Rom. 1. 6
Vocatio effectus & teſtimonium electionis, 1 Cor. 1. 9. Tit. 3. 5
Vocatio teſtimonium æternæ gratiæ, 1 Theſſal. 5. verſ. 24
Vocatio Dei, cauſa ſanctificationis, 1 Corinth. 1. verſ. 2
Vocatio Gentium, Vide Gentium vocatio.
Vocationis certitudo quam neceſſaria, Epheſ. 3. 4
Vocationis fidelium finis, 1 Cor. 1. 1. & 1 Theſſ. 3. verſ. 13. & 4. 7. Hebr. 10. 38
Vocationi propriæ inſerviendum, 1 Cor. 7. 18, 20. & 9. 16. & 1 Theſſ. 4. 11. Tit. 1. 3. Hebr. 11. verſ. 8
Vocare pro ſuſcitare, Rom. 4. 17
Voluntas pro naturali inclinatione, Rom. 8. 20
Voluntas bona à Deo eſt, Philip. 2. 13
Voluntas Dei, Vide Dei voluntas.
Voluntas hominis, Vide Hominis voluntas.
Votum continentiæ quam periculoſum, 1 Cor. 7. verſ. 8. & 1 Tim. 5. 1, 12
Uti quid Paulo, 1 Cor. 7. 9
Uſus mannæ. & virga Aharon, Hebr. 9. 2
Uſus rerum legitimus, 1 Tim. 2. 9. & 4. 3
Uxores viris ſubjectæ, Vide Mulieres.

Z.

Zelotypia duplex, 2 Cor. 11. 2
Zelus Chriſtianus, Rom. 12. 11
Zelus conſideratus, Rom. 10. 3
Zelus pius, 2 Cor. 7. 11
Zelus legiſperitus, Tit. 3. 13

F I N I S.

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

EPISTOLAS CANONICAS

SIVE

C A T H O L I C A S

Petri, Joannis, Jacobi, & Judæ.

CUM

INDICE LOCUPLETISSIMO.

Editio ut poſterior ita prioribus multo emendatior.



A M S T E L O D A M I,

Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.

M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Sereniſſimo Angliæ Regi

E D U A R D O VI.

Hyberniæ Domino, &c. Principi vere Chriſtiano,

J O A N N E S C A L V I N U S.

EN Iterum ad te redeo, præſtantiſſime Rex. Neque enim ſi, quos nuper in Jeſaiam Commentarios obtuli, gratum Majeſtati tuæ ſperavi fore munns: ideo tamen animi mei voto ſatisfactum eſt. Ergo Epiſtolas Canonicas (ut eas vocari uſu receptum eſt) quaſi auctarii vice quod juſtam menſuram impleret, addendas putavi: nt ſimul utrumqne opus in manus tuas veniret. Et certe quum vel Gentibus procul diſſitis, vel Judæis varias ac longinquas regiones ſparſim incolentibus ſcriptæ ſint, nihil illis novum accidet, ſi & trajiciendum hodie ſit mare, & ſuperandi multiplices viarum anfractus, ut ad tuam Majeſtatem perveniant. Quanquam ſic tibi, Rex inclyte, privatim offero meos labores, ut ſub tuo nomine publicati, omnibus proſint. Et ſane ſi ullum unquam fuit tempus quo fortiter libereque aſſerenda eſſet Dei veritas, id quam hodie neceſſarium ſit, omnes vident. Ut taceam de atroci, quæ paſſim in ejus profeſſores exercetur, ſævitia; nt omne genus machinationes, quibus eam oppugnat Satan, hinc clandeſtinas inſidias, inde apertam armorum vim, omittam: quibus in locis nuper domicilium habebat ſincera pietatis doctrina, nunc adulterina deformatione non ſecus Chriſto illudunt Romani Antichriſti ſatellites, quam ſi & arundinem ſceptri loco illi in manum darent, & ſpineam coronam imponerent ejns capiti. His artibus quum Euangelii puritatem verſuti iſti corruptores paulatim extinctum iri ſperent, ad tam indigna Chriſti ludibria quanta mollitie connivent, qui vitam potius ſuam centies opponere debebant, quam brevem neſcio quot dierum uſuram perfido ſilentio redimere? Ipſe interim Papa nt Filium Dei crucifigendo extremum tragœdiæ actum abſolvat, larvatum ſuum Concilium rurſus ſubornare dicitur. Tametſi enim ad delendum Chriſti nomen, jugulandamqne Eccleſiam efferato latrocinio graſſatur, illi tamen ad ſolennem mactationis ritum, qnaliſcunqne Concilii ſpecies, quaſi ſacer gladius eſt. Hoc modo Paulus tertius, quum mactandos ac trucidandos locaſſet omnes quibus vita ſua potior eſſet veritatis defenſio: putidum illud ſpectrum, qualicunque potuit colore fucatum, Tridenti oſtentavit, nt Euangelinm, hoc quaſi ultimo fulmine afflictum diſſiparet. Sed totus ille apparatus, quum boni Patres quibuſdam ſeſſionum fulgetris ſimplicium oculos perſtringere cœpiſſent, arcano Sanctæ ſedis afflatu repente excitato diſcuſſus, in fumum evanuit: niſi quod ad continuandum terrorem, nubecula ad tempus Bononiæ incubuit. Julius ergo ſucceſſor, qui primas in ſcena Tridentina partes egit (quaſi hoc ad delendam ex hominum memoria Euangelii doctrinam unum ſuperſit, diris ac terrificis Concilii decretis in nos fulminare) ad hoc ſtratagema nunc ſe accingere dicitur. Quanquam ſunt permulti, qui nihil quam ſimulare ipſum putant. Nec vero multum refert ficténe, an ex animo Concilium ſuum evocet. Res quidem hactenus clara ac teſtata fuit, ex quo labefactari Papatus cœpit à Luthero, qnotquot illam tyrannidis arcem occuparunt, quum nonnullam à Concilio (quale ſcil. habituri erant) fulturam ſperare poſſent: non ſecus tamen hoc remedii genus fugiſſe, ac æger in corpore ubique ulceroſo omnem vel indulgentiſſimi medici tactum reformidat. Itaque trita pueris etiam cantilena eſt, non aliter poſſe Concilio juvari Papatum, quam cauterio vel ſectione. Atqui nihil cauſæ video cur ſibi tantopere à Conciliis Papæ metuant, niſi quod malæ conſcientiæ individua comes eſt trepidatio. Quid enim, obſecro, nuper fuit Tridentina illa colluvies (cui tamen Sacroſanctæ, Generalis, & OEcnmenicæ Synodi nomen indiderant) quam inane terriculamentum, quod Papæ delicias non magis turbaret, quam tubarum clangor, aut tympanorum ſonitus, quibus ſe quotidie oblectat? Si quando undique Synodus ſerio cogeretur, ſubeſſet forte aliqua metus cauſa, ne ſubortus in magna turba fremitus, majorem tumultum excitaret. Verum fictitiis Conciliis, quale Tridentinum fuit, quis Papam magis quam crepitaculis terreri credat, ac non potius tanquam quietioris ſomni blanditiis ſuaviter indormire? Nempe duo aut tres erunt Papæ arbitrio delecti, & ex intimo ejus ſinu emiſſi Cardinales, qui gubernacula tenebunt. Idem tyrannus ex caterva ſua aulica jejunum aliquem pancis in ſingulos menſes ducatis conducet, qui Patriarchæ larva indutus, quod dictatum erit, ſerviliter loco ſententiæ recitet. Qualis Tridenti fuit Robertus ille cæcus: qnem ego ridicule non minus quam improbe pro Papa ſatagentem aliquando Ratiſponæ vidi, quum me ſuis lenociniis ad Contareni colloquium pellicere ſtuderet. Advolabunt ex tota Italia triobolares Epiſcopi, quorum illic ſatis bona copia eſt. Venient etiam forte ex Gallia & Hiſpania ventoſi ant fatui quidam: alii etiam ſuperioris vitæ flagitiis infames, qui poſtea domum reverſi, bonam ſe & fidelem operam Catholicæ Eccleſiæ navaſſe glorientur. Ex omnibus porro monachorum ſpeluncis proſiliet magnus ranarum confluxus in illam paludem, quæ certatim ſua coaxatione omnem veritatem procul abigant. Quid? an ego novam hic ſpeciem affingo: ac non potius oculis ſubjicio conventum illum qui Tridenti nuper viſus fuit? Quid eſt igitur, quod ſibi ab iſtis ſui tribunalis cuſtodibus metuat Papa, quos ſibi omnes primum addictos habet ac mancipatos: deinde nihil aliud captantes, niſi ut ejns gratiam ſibi quovis modo concilient? Præſertim Julius noſter, qui in hoc negotiandi genere veterator eſt, tale ſibi Concilinm, quoties libitum fuerit, ludibundus componet, nt iuterea ex more jocari non deſinat. Et ſane, quod brevi temporis ſpatio complures Dominicanos rubro pileo induit, ejus rei non obſcurum eſſe prælndium videtur. Fuit hic quidem ordo (ut ajunt) illi ſemper in deliciis; ſed ex altiore cauſa oritur tanta profuſio:

Digitized by Google

nimirum ſatis tenet ejuſmodi mendicabulis nihil eſſe impudentius; ut ſæpe illiberalibus ac ſordidis eorum obſequiis ad nutum ſuum abuſus eſt. Rurſum ubi ad hunc eos honoris gradum extulerit, quocunque præter jus & fas progredi jubeat, nihil audacius illis fore novit, vel importunius. Ad hæc futurum non ignorat, ut plerique famelici canes, eadem præmia liguriendo, ad quaſcunque ipſe volet, contentiones prorumpant. Neque tamen prorſus eos falli dico qui Concilium velle negant: ſed ubi theatrum ſuum compoſuerit, ſubitus alicunde imber nullo negotio excitabitur qui totam actionem diſturbet. Itaque in ipſo exordio, ſi ita ferat ejus commoditas, aulæa complicabit. Hoc tamen quamvis inane Concilii ſimulachrum, ſibi ad Chriſtum proſternendum, conterendaſque Eccleſiæ reliquias, tanquam Herculis clavam eſſe putat. An quum hic impietatis princeps tam flagitioſe Dei gloriæ noſtræque omnium ſaluti inſultet, noſtrum eſt interea ſilendo ſacram hanc cauſam prodere? imo centum potius, ſi fieri poſſit, oppetendæ mortes, quam ut adeo indignam, nefariam, barbaram piæ doctrinæ oppreſſionem patiamur noſtra ignavia incognitam latere. Verum ut demus, quod parum credibile eſt, Papam cum ſua cohorte, ſerio Concilii indictionem meditari; Chriſtus ſcil. non ita craſſis ludibriis primo aſpectu ſubſannabitur: non minus tamen ſcelerata in eum conſpiratio hoc modo conflata erit. Imo quo plus ad gravitatis famam ſplendoris præ ſe feret Concilium Papale, eo nocentior ad perdendam Eccleſiam, & *magis* extimeſcenda erit peſtis. Nam ut à Spiritu Dei gubernetur cœtus ille, qui Antichriſti auſpiciis *coactus* erit, ut ad moderatam aliquam rationem aſpirent Satanæ mancipia, minime ſperandum eſt. Principio ſummum illic tribunal occupabit qui profeſſus eſt ac juratus Chriſti hoſtis, Papa. Ut ſe aſſidentium Patrum ſententias rogare maxime ſimulet, ſolo tamen ejus conſpectu attoniti, quod uni ipſi libitum fuerit, omnes ſequentur. Verum in cœtu ad omnem impietatem plus quam concordi, quid ſimulatione opus erit? Qualis ſit unuſquiſque Cardinalium non diſputo: in collegio ipſo, qui ſanctior erit Senatus, partim Epicureum Dei contemptum regnare, partim truculentum veritatis odium, & infeſtam adverſus pios omnes rabiem, manifeſtum eſt. Jam Epiſcoporum ordo annon ex iiſdem fere monſtris conſtat? niſi quod multi ſunt inter eos ignavi aſini, qui nec Deum palam contemnunt, nec hoſtiliter adeo ſanam doctrinam oppugnant: ſibi tamen in corruptiſſimo ſuo ſtatu ita placent, ut correctionem nullam ſuſtineant. Adde quod authoritas penes paucos, qui ſcil. à pietatis ſtudio maxime alieni, acerrimos ſe Romanæ ſedis patronos oſtendent, tota fere reſidebit: alii numerus erunt. Ut illorum quiſque atrociſſimam contra nos ſententiam dixerit, plurimos habebit non pedariorum modo, ſed etiam Principum, qui vel ſponte ac cupide pro animi ſui voto, vel ambitione inducti, vel metu coacti ſubſcribant. Neque tamen adeo ſum iniquus, quin aliquos ipſorum eſſe concedam & ſanioris judicii, & non male alioqui affectos: ſed quibus tantum non erit animi, ut totius corporis improbitati reſiſtere auſint. Erunt forſan inter mille, duo aut tres magis cordati, qui ſemiliberam pro Chriſto vocem emittere audeant (qualis Tridenti fuit Petrus Paulus Vergerius) ſed ſanctæ Patrum curiæ remedium in promptu erit, ne tales diutius quicquam moleſtiæ faceſſant. Nam vel in carcerem conjecti, ad palinodiam mox adigentur: vel morte ſancient nimiam verborum libertatem: vel æterni ſilentii poculum illis propinabitur. Hac vero æquitate nobiſcum agitur, ut indomitæ ſimus ac deploratæ pervicaciæ hæretici, niſi juſtæ reformationis normam à ſancto Concilio petamus: niſi ejus decretis (qualiacunque tandem ſint) ſine mora acquieſcamus. Nos ſane legitimi Concilii (ſi quod haberi poſſet) authoritatem non fugere, claris documentis ante hac fecimus ſatis teſtatum. Atqui dum manifeſti Chriſti adverſarii ſummum & abſque provocatione judicium ſibi deferri poſtulant, & quidem hac lege ut religionem arbitrio ſuo, non Dei verbo, definiant: quæ nobis eſt obſequendi ratio, niſi ut Chriſtum ſcientes ac volentes abnegemus? Nec eſt quod objiciat quiſpiam, Diffidere nos ante tempus. Concilium præbeant in quo nobis libera ad tuendam pietatis cauſam dicendi ſit facultas: ſi illuc venire, ac rationem omnium quæ geſſimus reddere abnuemus, contumaciæ tunc nos merito damnabunt. Atqui tantum abeſt ut nobis ad recte ſentiendum & loquendum futura ſit authoritas, ut à legitima quoque defenſione nos prohibitum iri minime dubium ſit. Nam qui nullas quantumvis blandas monitiones, quaſi tenues ſuſurros, ullo modo ferunt, clare ſonantia veritatis tonitrua quibus auribus excipient? Atq; hoc non diſſimulanter præ ſe ferunt. vocant nos: an ut locum in ſubſelliis infimis aliquem concedant? imo quenquam ſeſſum admittere niſi unctum & mitratum, fas eſſe negant. Sedeant ergo illi, modo nos ſtando quod verum eſt proferentes audiamur. Excipient, audientiam ſe liberaliter promittere: nempe ut libello ſupplici porrecto, ſtatim exire juſſi, poſt turbulentos aliquot dierum clamores, damnandi revocemur. Clamores dico, non quod ulla diſſidentium altercatio in eo cœtu futura ſit: ſed quod ſacras præſulum aures tam irreverenter à nobis offendi, indignitas illis videbitur non ferenda. Nec obſcurum eſt quam tumultuoſa ſit eorum intemperies. certe ut cauſam ratione diſceptent, adeo nunquam impetrari ab ipſis poterit, ut ne umbratilis quidem ſperanda ſit cognitio. Cultum Dei innumeris ſuperſtitionibus purgatum, quibus corruptus obrutuſque fuit, revocare ad ſuam puritatem conabimur. Hic profani rhetores nihil quam majorum inſtituta, veteres ritus ac ceremonias crepabunt. Quaſi vero non aliam colendi Dei rationem Eccleſia cæleſti Prophetarum & Chriſti magiſterio edocta teneat, quam fæx Romuli anilibus tantum Numæ Pompilii deliriis faſcinata, bruto ſtupore ſequuta ſit. Ubi autem illa quam paſſim Dominus tantopere exigit, tamque præciſe urget, obedientiæ ſimplicitas? Si de naturæ humanæ pravitate, & miſero perditoque ſtatu, de Chriſti gratia & virtute, de gratuita ſalutis noſtræ cauſa diſputatio habebitur: mox putida ſcholarum axiomata pro dictatoriis edictis, quibus extra controverſiam ſtandum ſit, ſuperciliose proferent. Spiritus S nobis in Scriptura author eſt, tanta cæcitate percuſſam eſſe mentem noſtram, ſic pravos eſſe & contortos affectus cordis, totam naturam ſic vitiatam eſſe, ut nihil quam peccare poſſimus, donec novam ipſe voluntatem in nobis formet. Idem nos ſub æternæ mortis reatu conſtrictos, abdicata omni operum noſtrorum fiducia, ad unicum miſericordiæ Dei aſylum confugere, totamque juſtitiæ noſtræ ſummam in ea reponere cogit. Idem nos ad Deum

invi-

Digitized by Google

invitans, non alia quam ſanguinis Chriſti mercede eum nobis placari teſtatur: & ſimul Chriſti patrocinio fretos intrepide ad cæleſte tribunal accedere jubet. Horum nequid audiatur, perpetuis illis decretis ſancitum eſt, quæ violare majus eſt nefas, quam fidem Deo ſimul & Angelis omnibus abrogare. De Sacramentis verbum facere non permittent ab uſu recepto diſſentaneum: hoc autem quid aliud eſt, quam vel modicæ correctioni viam præcludere? Arqui oſtendere promptum eſt quam inverſa ſit in Papatu ac præpoſtera Sacramentorum adminiſtratio, ut nihil propemodum genuinæ Chriſti regulæ affine habeat: quam adulterinæ illuc corruptelæ obrepſerint; imo quam fœda ſacrilegia irruperint. Quæſtionem hanc movere ne liceat. Itaque theologaſtris vulgare eſt dictum, quod paſſim editis libris jactarunt, Ut incolumis Eccleſiæ maneat ſtatus, in primis cavendum eſſe ne quam de capitibus hodie controverſis dubitationem Concilium admittat. Nuper etiam prodiit lingua Italica inſulſus cujuſdam Mutii liber, meras lanienas ſine ſale ſpirans, ubi hoc prolixe exequitur: Nihil reſtare aliud, niſi ut de tota cauſa jam ſibi liquere pronuntient, quum ad ſynodum celebrandam convenerint reverendi Patres; illis tantum nos ſanguinariis edictis ad ſubſcribendum cogant. Equidem raucos ſiniſtri hujus bubonis garritus non dignarer in medium proferre, niſi quod Julius Papa Breve ſuum in operis commendationem adjunxit: unde judicium facient Lectores, Concilium quale Mutii præconio celebratur, à Julio approbatore ſperandum eſſe. Quando igitur Antichriſtos iſtos videmus deſperata pertinacia ruere in ſanæ doctrinæ excidium, & pari inſolentia ſecure exultare, nec alia de cauſa ſtruere fucatum Concilium niſi ut profligato Euangelio, ultimum victoriæ ſuæ pæana cantent: nos quoque viciſſim ad ſequendum ducis noſtri vexillum veris armis induti, animos colligamus. Si modo fulgeat, ut debet, pura ſimplexque Scripturæ doctrina, Papatum, quiſquis oculos aperire non abnuet, immane & execrabile monſtrum eſſe agnoſcet, ex innumera errorum congerie, Satanæ artibus conflatum. Nos enim pluſquam ſolidis teſtimoniis planum facimus, gloriam Dei illic ſacrilega laceratione ita eſſe inter fictitia idola diſtributam, ut vix penes eum centeſima juris ſui portio reſideat. Adhæc ſi quem cultum reſiduum faciunt, nullam prorſus ejus partem ſinceram manere: adeo ſuperſtitioſis hominum commentis referta ſunt omnia: iiſdem figmentis Legem Dei indigne eſſe obrutam oſtendimus. Quod hominum jugo conſtrictæ potius tenentur miſeræ animæ, quam Dei mandatis regantur: quod ſub iniquo tot traditionum onere gemunt ac laborant, imo crudeli tyrannide premuntur: illa prævaricatrice obedientia adeo nihil proficere teſtamur, ut ſe in altiorem labyrinthum ſubinde immergant. Nihilo obſcurius docemus ex Scriptura, Chriſti virtutem illic fere aboleri, exinaniri ex magna parte ejus gratiam, infelices animas ab ipſo abreptas exitiali propriæ virtutis operumque confidentia inflari. Dei invocationem, qualis verbo ejus præcipitur (quum tamen unicum ſit ſalutis aſylum) funditus everſam eſſe convincimus. Sacramenta partim extraneis figmentis adulterata eſſe palam monſtramus: partim in alienum uſum traducta, quod illis impie alligatur vis Spiritus, & quod proprium Chriſti erat perperam adſcribitur. Numerum deinde ſeptenarium quem temere fabricarunt, illis excutimus. Miſſam vero, quod ſacrificium eſſe fingunt, probamus fœdam eſſe mortis Chriſti abnegationem: multiſque præterea ſacrilegiis ſcatere perſpicuum facimus. Certe modo ſua conſtet Scripturæ authoritas, horum nihil eſt in quo non obmuteſcere cogantur adverſarii. Idque minime ipſi diſſimulant, quum propter ambiguos Scripturæ ſenſus, uni Eccleſiæ judicio ſtandum eſſe contendunt. Quis, obſecro, non videt, poſthabito Dei verbo, totum definiendi jus ad eos hoc modo transferri? Clauſos licet Scripturæ codices adorantium modo oſculentur: quum tamen eam obſcuræ perplexæque ambiguitatis inſimulent, nihilo plus deferunt authoritatis, quam ſi nullus omnino apex ſcriptus extaret. Quam volent ſpecioſos ſibi titulos induant, nequid videantur præter Spiritus dictamen (ut jactare ſolent) in medium proferre: hoc tamen illis decretum fixumque eſt, ut rationibus omnibus valere juſſis, [illegible] ſola ſit eorum libido. Ergo fideles, ne quovis impoſturæ vento circumferantur, ne obnoxii ſint verſutis impiorum cavillis, quum Scripturæ doctrina nihil eſſe firmius, certo fidei experimento edocti norint: in hanc fulturam tuto recumbant. Nos vero quando eam videmus pravis Sophiſtarum commentis turpiter deformatam; & hodie in hoc artificium incumbere conductitios Papæ rabulas, ut ſuis fumis lucem obſcurent: eo magis ad reſtituendum ejus nitorem intentos eſſe decet. Ego ſane, quod mihi reliquum eſt vitæ, ſi otium ſimul & libertas ſuppeteret, huic præcipue ſtudio deſtinavi. Primum hujus laboris fructum Eccleſia, cui ſum addictus, ita percipiet, ut longius deinde manet. Etſi enim à muneris mei functione perquam exiguum mihi tempus reſtat, id tamen quantulumcunque eſt, inſtitui ad hoc ſcriptionis genus conferre. Atque ut ad te revertar clariſſime Rex, hic mediocre pignus habes, meos Commentarios quibus Canonicas Epiſtolas, ubi multa obſcura alioqui & recondita habebantur, ita explicare conatus ſum, ut Lectori non prorſus ignavo familiaris ad verum ſenſum acceſſus pateat. Sicuti autem pro ſua facultate ad debellandum Antichriſtum arma ſuppeditant Scripturæ Interpretes: has quoque Majeſtatis tuæ proprias eſſe partes memineris, quo integra vigeat religio, ſinceram ac germanam Scripturæ interpretationem ab indignis calumniis vindicare. Non temere per Moſem Deus mandat, ſimulatque Rex populi ſui inauguratus fuerit, ut ſibi deſcribendum curet Legis volumen: quid ſi privatus in ejus ſelectione jam diligenter exercuerit? Verum ne ignorent Reges, tum ſingulari doctrina ſe habere opus, tum peculiare ejus tuendæ & aſſerendæ munus ſibi injungi, Legi ſuæ Dominus in eorum palatio ſacrum domicilium aſſignat. Porro quum ætatis tuæ modum longe ſuperet in hac parte heroica animi tui magnitudo: non eſt quod plus verborum in te acuendo conſumam. Vale, Rex nobiliſſime. Dominus majeſtatem tuam protegere fide ſua, ut cœpit, pergat: prudentiæ ac fortitudinis Spiritu te & Conſiliarios gubernet: totumque regni ſtatum incolumem pacatumque ſervet. Genevæ, nono Calendas Februarii. M. D. LI.

A R G U M E N T U M

I N

E P I S T O L A M P E T R I

P R I O R E M.

Conſilium Petri eſt in hac epiſtola, fideles ad ſui abnegationem mundique contemptum hortari, ut liberi carnis affectibus, terreniſque omnibus impedimentis ſoluti, ad cæleſte Chriſti regnum toto animo aſpirent: ut ſpe erecti, ſuffulti patientia, fortitudine & conſtantia muniti, tentationes omne genus ſuperent, atque hoc ſtudium & meditationem tota vita proſequantur. Itaque ſtatim à principio, qua poteſt verborum amplitudine, Dei gratiam nobis in Chriſto pateſactam prædicat. Simul autem addit, fide recipi ipſam, & ſpe poſſideri, ut mentes & corda pii ſupra mundum attollant. Inde ad ſanctitatem hortatur, ne inane reddant pretium quo redempti ſunt: & ne incorruptibile verbi ſemen, quo regeniti ſunt in vitam æternam, corrumpi vel emori patiantur. Quia autem verbo Dei renatos dixerat, ſimul mentionem facit ſpiritualis infantiæ. Porro ne vacillet aut titubet eorum fides, quia Chriſtum à toto fere mundo vel contemni, vel rejici vident, admonet hoc modo impleri quod de eo ſcriptum eſt, Fore lapidem ſcandali. Sed rurſus docet ſtabile eſſe iis, qui in eum credunt, ſalutis fundamentum. Hinc iterum commemorat in quantum honorem ipſos Deus extulerit, ut priſtini ſui ſtatus commemoratione, & præſentis beneficii ſenſu animentur ad pie vivendi ſtudium. Poſtea delabitur ad particulares exhortationes: ut modeſte & obedienter ſub Principum imperio ſe contineant; ut ſervi dominis ſint ſubjecti; uxores pareant maritis ſuis, pudice & continenter ſe gerant; ac viciſſim mariti uxores humaniter tractent. Deinde præcipit ut mutuam inter ſe æquitatem colant: quod ut libentius faciant, fructum illis proponit proſperam vitam & quietam. Quia tamen Chriſtianis quaſi fatale eſt, utcunque pacem quærant, multis injuriis non raro vexari, mundumque ſibi nulla de cauſa habere infeſtum: hortatur ut æquis animis ſuſtineant perſecutiones, quas ſciunt ſibi in ſalutem ceſſuras. In eam rem adducit Chriſti exemplum. Ex adverſo admonet quam infelix exitus impios maneat, interea dum Eccleſiam ſuam Dominus mirabiliter per mortem à morte liberat. Longius deinde profert Chriſti exemplum, nempe ad carnis mortificationem. Huic exhortationi ſubnectit varias & breves ſententias: ſed paulo poſt redit ad patientiæ doctrinam, ut conſolatione mala ſua temperent fideles, dum reputant utile ſibi eſſe paterna Dei manu caſtigari. Initio quinti capitis, ſeniores officii ſui admonet, ne imperium uſurpent in Eccleſiam, ſed moderate ſub Chriſto præſint. Juvenibus modeſtiam ac docilitatem commendat. Tandem brevi exhortatione addita, epiſtolam precatione claudit. Unde autem ſcribat, non convenit inter omnes: nec tamen cauſam video cur dubitemus ipſum tum fuiſſe Babylone. diſerte enim hoc affirmat. Sed quoniam invaluerat perſuaſio, ipſum Antiochia Romam migraſſe, & Romæ fuiſſe mortuum: hoc ſolo argumento adducti veteres, Babylonem allegorice Romam vocari finxerunt. Cæterum quum nulla probabili conjectura temere perſuaſum habuerint, quicquid tradunt de Romano Petri Epiſcopatu: pro nihilo quoque ducendum eſt hoc allegoriæ figmentum. Multo ſane veriſimilius eſt, Petrum, ut ferebat Apoſtolatus ratio, peragraſſe eas regiones in quibus plures habitabant Judæi. Scimus autem Babylone & in illis partibus magnam fuiſſe copiam.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PETRI PRIOREM.

CAPUT PRIMUM.

Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti, electis inquilinis qui diſperſi ſunt per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam:

2. Secundum præcognitionem Dei Patris, in ſanctificatione Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti: gratia vobis & pax multiplicetur.

1. *Petrus Apoſtolus.*] Quicquid commune habet hæc ſalutatio cum Paulinis, novam expoſitionem non deſiderat. Quum Paulus gratiam & pacem precatur, verbum ſubticet: Petrus autem addit *ut multiplicetur*, ſed eodem ſenſu. Neque enim gratiæ aut pacis initium fidelibus Paulus optat, ſed augmentum, donec abſolvat Deus quod in illis cœpit.

Electis.] Quæri poteſt unde boc compertum habuerit. nam arcana eſt Dei electio, nec aliter cognoſcitur quam ſingulari Spiritus revelatione. Atque ut ſuæ quiſque electionis certior fit Spiritus teſtimonio, ita de aliis nihil certi tenet. Reſpondeo, de fratrum electione non eſſe anxie quærendum, ſed à vocatione potius æſtimandam: ut pro electis habeantur quicunque per fidem in Eccleſiam ſunt cooptati. Eos enim Deus à reliquo mundo ſegregat: quod electionis ſignum eſt. Nec obſtat quod plerique deficiunt, in quibuſdam mera eſt diſſimulatio: eſt enim hoc charitatis, non fidei judicium, quum electos cenſemus omnes in quibus divinæ adoptionis nota apparet. Quod autem electionem eorum non petat ex abſcondito Dei conſilio, ſed ex effectu eam colligat, patet ex contextu. nam paulo poſt, eam *in ſanctificatione Spiritus* locat. Quatenus ergo præ ſe ferebant ſe Dei Spiritu regenitos, in electis Dei ipſos numerat: quia non ſanctificat Deus niſi quos prius elegit. Simul tamen admonet unde fluat electio qua ſegregamur in ſalutem, ne cum mundo pereamus. dicit enim, *ſecundum præcognitionem.* Hic, inquam, fons & hæc prima cauſa eſt, quod Deus apud ſe ante creatum mundum cognovit quos eligere vellet in ſalutem. Sed prudenter notandum eſt qualis ſit hæc præcognitio. Sophiſtæ enim ut Dei gratiam obſcurent, cujuſque merita à Deo prævideri fingunt: atque ita reprobos ab electis diſcerni, prout quiſque hac vel illa ſorte dignus eſt. Scriptura autem ubique Dei propoſitum in quo fundata eſt noſtra ſalus, meritis noſtris opponit. Quum ergo Petrus electos vocat ſecundum præcognitionem Dei, ſignificat non aliunde pendere ejus cauſam, ſed in ſolo Deo quærendam eſſe: quia ipſe ſibi ſponte ad nos eligendos auctor fuerit. Ergo Dei præcognitio ſubmovet omnem bumanæ dignitatis reſpectum. Qua de re diffuſius tractavimus Epheſiorum primo capite, & aliis in locis. Quemadmodum tamen in electione noſtra primas gratuito Dei beneplacito aſſignat: ita rurſum vult eam ex effectu à nobis cognoſci. Nihil enim periculoſius ac magis præpoſterum eſt quam omiſſa vocatione, electionis noſtræ certitudinem quærere in abſcondita Dei præſcientia. hic enim nimis profundus eſt labyrinthus. Quare ut huic periculo occurrat Petrus, optimum temperamentum adhibet. Quanquam enim primo loco vult conſiderari Dei conſilium, cujus cauſa nonniſi in ipſo eſt: mox tamen ad effectum nos revocat, quo electionem noſtram nobis declarat ac teſtatur. Effectus ille, eſt Spiritus ſanctificatio, hoc eſt, vocatio efficax, dum ad externam Euangelii prædicationem accedit fides, quæ ex interiore Spiritus motu naſcitur. *Inquilinis.* Qui metaphorice ſic vocari putant quoslibet pios, quia in mundo peregrini ſint qui ad cæleſtem patriam contendunt, longe falluntur: & ſatis refelli poteſt eorum error ex Diſperſionis nomine quod proxime ſequitur. Nam in ſolos Judæos competit. non tantum quia huc & illuc disjecti exulabant à patria, ſed quoniam ejecti erant ex ea terra quæ illis in perpetuam hæreditatem à Domino promiſſa erat. Omnes quidem fideles poſtea vocabit inquilinos, quia in terra peregrinantur: ſed hic alia eſt ratio. Ideo itaque inquilini erant, quod pars in Pontum, pars in Galatiam, pars in Bithyniam diſperſa erat. Nec mirum quod Judæis banc Epiſtolam proprie deſtinet: quia ſciebat illis ſe conſtitutum Apoſtolum, quemadmodum Paulus docet ſecundo ad Galatas capite. *Galat. 2. verſ. 8.* Sub regionibus quas enumerat, comprehendit totum Aſiæ minoris tractum à Ponto Euxino uſque in Cappadociam. *In obedientiam.* Quum ſanctificationi duo hæc ſubjiciat, videtur Obedientiæ nomine intelligere vitæ novitatem: per Aſperſionem vero ſanguinis Chriſti remiſſionem peccatorum deſignare. Quod ſi iſtæ ſunt partes vel affectus ſanctificationis, aliter bic ſanctificatio capitur quam ſæpe apud Paulum, hoc eſt, magis generaliter. Sanctificat ergo nos Deus, efficaciter nos vocando. id autem fit dum renovamur in obedientiam juſtitiæ ejus, & Chriſti ſanguine aſperſi, mundamur à peccatis. Ac videtur tacita eſſe alluſio ad veterem aſperſionis ritum, quo ſub Lege utebantur. Quemadmodum enim non ſatis tunc fuiſſet mactari hoſtiam & fundi ſanguinem, niſi aſperſus fuiſſet populus: ita nihil hodie nobis prodeſſet fuſum Chriſti ſanguinem fuiſſe, niſi ipſo conſcientiæ noſtræ abluerentur. Subaudienda igitur eſt antithesis, Quod ſicut olim ſub Lege manu ſacerdotis fiebat ſanguinis aſperſio, ita nunc Spiritus ſanctus animas noſtras Chriſti ſanguine in expiationem aſpergit. Nunc colligenda eſt ſumma, ſalutem noſtram manare ex gratuita electione Dei: ſed eam

ſimul conſiderandam eſſe fidei experientia, in eo quod Spiritu ſuo nos ſanctificat. Poſtremo duos eſſe vocationis noſtræ effectus aut fines: nempe ut reformemur in obedientiam Dei, & Chriſti ſanguine abluamur: præterea utrumque eſſe opus Spiritus ſancti. Unde colligimus nec electionem à vocatione, nec gratuitam fidei juſtitiam à vitæ novitate ſeparandam eſſe.

3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum multam ſuam miſericordiam regenuit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis:

4. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, repoſitam in cælis erga vos.

5. Qui virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, quæ parata eſt revelari tempore ultimo.

3. *Benedictus Deus.*] Diximus præcipuum eſſe ſtatum Epiſtolæ, ut nos ſupra mundum erectos, ad ſuſtinenda militiæ ſpiritualis certamina comparet atque animet. Ad eam rem non parum valet beneficiorum Dei agnitio. Nam quum pretium ſuum apud nos obtinent, facile reliqua omnia vileſcunt: præſertim quum reputamus quanti ſit Chriſtus cum ſuis bonis, quicquid extra ipſum eſt nobis erit inſtar ſtercoris. Hac de cauſa magnifice hic extollit ingentem Dei gratiam in Chriſto, ne moleſtum nobis ſit noſipſos & mundum abnegare, ut potiamur inæſtimabili vitæ futuræ theſauro. Deinde ne frangamur præſentibus ærumnis: ſed patienter eas feramus, in æterna felicitate acquieſcentes. Porro quum gratias agit Deo, fideles ad ſpiritualem lætitiam invitat, quæ omnes abſorbeat contrarios carnis affectus. *Et Pater Domini.* Sic reſolve, Deus qui Pater eſt Jeſu Chriſti. Nam ſicut olim ſe Deum Abrahæ vocando, hac nota à diis omnibus fictitiis diſcerni voluit: ita poſtquam ſe manifeſtavit in Filio ſuo, non aliter quam in ipſo vult cognoſci. Itaque qui nudam Dei majeſtatem extra Chriſtum mente concipiunt, idolum habent loco Dei; ſicuti Judæi & Turcæ. Proinde quiſquis verum Deum vere cognoſcere cupit, hoc Patris Chriſti titulo ipſum veſtiat. Niſi enim quoties mens noſtra Deum quærit, Chriſtus occurrat, vaga & confuſa errabit, donec prorſus deficiat. Simul etiam indicare Petrus voluit quomodo tam liberalis & beneficus erga nos ſit Deus. Niſi enim medius ſtatuatur Chriſtus, nunquam illius bonitas ſerio à nobis ſentiri poterit. *Qui regenuit nos.* Significat vitam ſupernaturale eſſe donum: quia filii iræ naſcimur. nam ſi in ſpem vitæ geniti eſſemus ſecundum carnem, ſupervacuum eſſet nos regigni à Deo. Docet itaque Petrus, nos qui natura morti æternæ eramus deſtinati, in vitam Dei miſericordia reſtitutos eſſe. Hæc autem veluti ſecunda eſt creatio: quemadmodum Epheſiorum primo habetur. *Spes viva* pro ſpe vitæ capitur. quanquam videtur tacita eſſe antitheſis inter ſpem quæ in regno Dei incorruptibili defixa eſt, & inter ſpes hominum fluxas ac evanidas. *Secundum multam miſericordiam.* Primo cauſam efficientem ponit: deinde medium (ut loquuntur) deſignat. Deum, inquam, nullis noſtris meritis fuiſſe provocatum docet, ut nos regeneraret in ſpem vivam: quia hoc totum ejus miſericordiæ aſſignat. Atque ut melius operum merita redigat in nihilum, dicit, *multam miſericordiam.* Fatentur quidem omnes Deum eſſe unicum ſalutis noſtræ auctorem: ſed extraneas cauſas poſtea affingunt, quæ tantundem ejus miſericordiæ detrahant. Petrus vero ſolam miſericordiam commendat: ſed modum protinus adſcribit, nempe reſurrectionem Chriſti. Neque enim alibi aut aliter ſuam erga nos miſericordiam explicat Deus: ideo ſemper ad hunc ſcopum Scriptura nos dirigit. Quod autem præterita Chriſti morte, ſolam reſurrectionem commemorat, in eo nihil eſt abſurdi. illa enim ſub hac includitur, quia perfectio non conſtat ſine ſuo initio: reſurrectionem vero potius adduxit, quia de nova vita agebat.

4. *In hæreditatem.*] Tria epitheta quæ ſequuntur, ad gratiæ Dei amplificationem poſita ſunt. In hoc enim laborat Petrus (quemadmodum prius dixi) ut ejus excellentiam animis noſtris bene ac penitus infigat. Porro hæc duo membra, *in hæreditatem incorruptibilem*, & *in ſalutem quæ parata eſt revelari*, appoſitive lego, ut poſterius ſit prioris expoſitio. nam rem unam duobus modis exprimit. Singulis verbis quæ ſequuntur, ſuum ineſt pondus. Hæreditas dicitur in cælis conſervata, ut ſciamus eam eſſe extra periculum. Niſi enim in manu Dei eſſet, infinitis periculis eſſet obnoxia: ſi eſſet in hoc mundo, quomodo ſecuri eſſe poſſemus inter tam varias inclinationes? Ergo ut nos omni trepidatione liberet, ſalutem noſtram extra Satanæ injurias in tuto poſitam eſſe affirmat. Sed quia ſalutis certitudo parum nobis afferret conſolationis, niſi eam unuſquiſque noſtrum ad ſe pertinere ſciret, addit Petrus, *erga vos.* Huc enim placide recumbunt conſcientiæ, quum Dominus è cælo clamat, En veſtra ſalus in manu mea eſt, vobiſque ſervatur. Cæterum, quia non omnium promiſcue eſt ſalus, ad fidem nos revocat: ut quicunque fide præditi ſunt, à reliquis ſe diſcernant, nec dubitent quin veri ac legitimi ſint regni Dei hæredes. Nam ut fides in cælos uſque penetrat: ita & quæ in cælo ſunt bona, nobis applicat.

5. *Qui virtute Dei cuſtod.*] Notanda eſt relatio, quum dicit, nos in mundo cuſtodiri, ſicut hæreditas noſtra in cælo ſervatur: alioqui ſtatim obreperet hæc cogitatio, Quid juvat ſalutem nobis eſſe in cælo repoſitam, quum nos in mundo tanquam in turbulento mari jactemur? Quid juvat ſalutem noſtram ſtatui in tranquillo portu, quum inter mille naufragia fluctuemur? Prævenit igitur Apoſtolus ejuſmodi objectiones, quum docet nos etiam in mundo inter media diſcrimina fide tamen cuſtodiri: atque ita morti eſſe propinquos ut tamen ſub fidei cuſtodia tuti ſimus. Cæterum, quia in hac carnis infirmitate ſæpe labaſcit ipſa fides, poſſemus ſemper eſſe de craſtino anxii, niſi hic nobis quoque Dominus ſuccurreret. Ac videmus ut in Papatu obtinuerit diabolica opinio, De finali perſeverantia dubitandum eſſe, quia incerti ſumus an ſtaturi cras ſimus in eadem gratia. Atqui non ita nos Petrus ſuſpenſos relinquit: nam ideo virtute Dei ſtare nos affirmat, ne qua ex propriæ infirmitatis conſcientia hæſitatio nos ſollicitet. Quamlibet igitur infirmi ſimus, ſalus tamen noſtra non eſt inſtabilis, quia Dei virtute fulcitur. Ergo ſicuti fide protegimur, ita fides ipſa ſuam in Dei virtute ſtabilitatem habet. Unde non in præſens modo, ſed etiam in futurum ſecuritas. *In ſalutem.* Quia natura impatientes ſumus moræ, & ſtatim tædio ſuccumbimus: ideo ſalutem admonet non differri quod nondum parata ſit, ſed quia nondum advenerit juſtum revelationis tempus. Hæc doctrina ad ſpem noſtram alendam ac ſuſtinendam pertinet. Porro *ultimum tempus* diem judicii vocat, quia non ante ſperanda ſit rerum omnium inſtauratio. medium enim tempus eſt adhuc in progreſſu. Quod alibi totum à Chriſti adventu tempus, ultimum dicitur, id fit ſuperiorum ætatum comparatione: Petrus autem totum mundi curriculum aſpexit.

6. In

Digitized by Google

6. In quo exultatis, pauliſper nunc, ſi opus eſt, contriſtati in variis tentationibus:

7. Ut probatio fidei veſtræ multo pretioſior auro quod perit & tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem & honorem & gloriam, quum revelabitur Jeſus Chriſtus.

8. Quem quum non videritis, diligitis: in quem nunc credentes, quum eum non aſpicitis, exultatis gaudio inenarrabili & glorificato:

9. Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

6. *In quo exultatis.* Tametſi ambigua eſt Græci verbi terminatio, ſenſus tamen poſtulat ut legamus Exultatis, potius quam Exultate. Articulus, *in quo*, refert totum illud complexum de ſpe ſalutis in cælo repoſitæ. Cæterum, non tam eos laudat, quam hortatur. conſilium enim ejus eſt docere quiſnam ex ſpe ſalutaris fructus nobis proveniat: nempe ſpirituale gaudium, quo non tantum mitigatur malorum omnium acerbitas, ſed omnis etiam triſtitia vincitur. Quanquam Exultandi verbum plus exprimit, quam Gaudere. Sed hoc nonnullam habet repugnantiæ ſpeciem, dum fideles qui gaudio exultant, ſimul triſtes eſſe dicit. ſunt enim contrarii affectus. Verum melius experimento norunt fideles, illos ſimul conſiſtere, quam verbis exprimi queat. Et tamen ut paucis expediatur hæc quæſtio, ſic habendum eſt, fideles non eſſe truncos, nec humanum ſenſum ita exuiſſe quin dolore tangantur, quin pericula metuant, quin moleſta ſit paupertas, quin difficiles ac duræ perſequutiones. Triſtitiam ergo ex malis ſentiunt: ſed quæ ita lenitur fide, ut gaudere propterea non deſinant. Ita non impedit triſtitia ipſorum gaudium, ſed potius locum illi cedit. Rurſus gaudium tametſi triſtitiam ſuperat, eam tamen non abolet: quia nos humanitate non ſpoliat. Atque hinc patet quæ ſit vera patientia. Initium ejus & quaſi radix eſt beneficiorum Dei agnitio, præſertim dum gratuitam, qua nos dignatus eſt, adoptionem reputamus. Nam quicunque mentem huc attollunt, iis facile eſt placide mala omnia devorare. Unde enim fit ut mœrore animi opprimantur, niſi quia nullum ſpiritualium bonorum guſtum habent? Verum qui omnes ærumnas ſtatuunt exercitia eſſe ſibi utilia in ſalutem, non tantum ſupra illas ſe erigunt, ſed etiam vertunt in occaſionem gaudii. *Contriſtati.* Annon etiam reprobis communis eſt triſtitia? neque enim à malis ſunt immunes. Verum Petrus fideles ſpontaneam triſtitiam ſuſcipere intelligit: quum fremant impii, & contumaciter obluctentur Deo. Triſtantur ergo pii, quemadmodum bos domitus jugum ſuſcipit, vel equus ſubactus frenari ſe etiam à puero ſuſtinet. Triſtitia Deus reprobos afficit, quemadmodum equo feroci ac refractario violenta manu frenum imponitur. calcitrant enim & contra nituntur: ſed fruſtra. Laudat ergo fideles Petrus, quia ſponte, non autem neceſſitate coacti, ſe triſtitiæ ſubjiciant. Quod dicit, *pauliſper nunc*, ad conſolationem valet. Nam temporis brevitas mala quantumvis alioqui dura, non parum temperat. Præſentis autem vitæ duratio inſtar momenti eſt. *Si opus eſt.* Conditio pro cauſa hic capitur: oſtendere enim voluit, non temere fieri quod ita Deus ſuos exercet. Nam ſi nulla cauſa nos affligeret Deus, id toleratu grave eſſet. Petrus ergo argumentum conſolationis ſumpſit ex Dei conſilio: non quod ſemper ratio nobis appareat, ſed quia perſuaſum nobis eſſe debet, ſic fieri oportere, quia Deo placet. Notandum quod non unam tentationem ponit, ſed plures: neque unum tentationis genus, ſed diverſa. Quanquam hujus loci expoſitionem ſatius eſt ex primo capite Jacobi petere.

7. *Pretioſior auro.*] Argumentum eſt à minori ad majus. Nam ſi aurum, quod metallum eſt corruptibile, tanti ducimus ut velimus igne probari, quo ſuum apud nos pretium obtineat: quid mirum ſi Deus in fide eandem exigat probationem, quum tanta ſit apud eum fidei excellentia? Tametſi autem aliter ſonant verba, fidem tamen auro comparat, & eam auro magis pretioſam facit: ut inde inferat, dignam eſſe quæ probe examinetur. Porro incertum eſt quouſque extendat verbum δοκιμάζεσθαι, & nomen δοκίμιον. ſiquidem bifariam probatur aurum igni: primo quo repurgatur à ſcoria: deinde quum de ejus probitate faciendum eſt judicium. Uterque probandi modus fidei optime congruit. nam quum multæ incredulitatis fæces in nobis reſideant, dum variis afflictionibus quaſi excoquimur in fornace Dei, purgantur fidei noſtræ ſcoriæ, ut pura & nitida ſit coram Deo: ſimul experimentum ejus capitur, verane an ficta ſit. Utramque ſpeciem libenter amplector: atque huc ſpectat quod mox ſequitur. nam ut ſuus argento honor non ante habetur, quam purgatum fuerit: ita fidem noſtram honorifice habendam eſſe & coronandam apud Deum ſignificat, ubi rite examinata fuerit. *Quum revelabitur.* Hoc additum eſt ut animos ſuos in ultimum uſque diem ſuſpendere fideles diſcant. Nunc enim abſcondita eſt vita noſtra in Chriſto, latebitque velut ſepulta, donec è cælo Chriſtus apparuerit. & totus vitæ noſtræ curſus ad interitum externi hominis inclinat: & quæcunque patimur, quaſi mortis ſunt præludia. Ergo neceſſe eſt ut in Chriſtum conjiciamus oculos, ſi in afflictionibus gloriam & laudem intueri volumus. Nam tentationes in nobis probri & pudoris ſunt plenæ, in Chriſto autem glorioſæ ſunt: ſed gloria illa nondum in Chriſto plene conſpicitur, quia nondum advenit conſolationis dies.

8. *Quem quum non videritis.*] Duo ponit: quod Chriſtum quem non viderunt, diligant: in eum quem non conſpiciunt, credant. Sed prius ex poſteriore naſcitur. dilectionis enim cauſa eſt fides, non ideo tantum quia nos beneficiorum quibus nos Chriſtus proſequitur, cognitio ad eum redamandum provocat: ſed quia perfectam felicitatem offerendo, nos ad ſe rapit. Laudat ergo Judæos quod in Chriſtum credant quem non aſpiciunt: ut cogitent hanc eſſe fidei naturam, in bonis quæ oculos noſtros latent, acquieſcere: nam ejus rei aliquod habebant experimentum. quanquam magis laudando præcipit. Atque hoc prius ordine membrum eſt, non metiendam eſſe fidem aſpectu. Nam quum miſera in ſpeciem ſit Chriſtianorum vita, niſi felicitas eorum in ſpe ſita eſſet, protinus conciderent. Habet quidem & fides ſuos oculos, ſed qui in regnum Dei inviſibile penetrant, & qui ſpeculo verbi contenti ſunt. Eſt enim demonſtratio rerum inviſibilium, ut habetur in Epiſtola ad Hebræos. Quare verum eſt illud Pauli, nos peregrinari à Domino quamdiu hac carne ſumus circumdati, quia per fidem ambulamus, & non per aſpectum. Secundum membrum eſt, Fidem non frigidam eſſe notitiam, ſed quæ corda noſtra inflammat in amorem Chriſti. Neque enim (ut Sophiſtæ garriunt) fides confuſe & implicite Deum apprehendit, (quia hoc eſt vagari per invios errores) ſed Chriſtum pro ſcopo habet. Porro non arripit nudum Chriſti nomen, aut nudam eſſentiam: ſed qualis ſit nobis, & quid afferat bonorum, conſiderat. quia fieri non poteſt quin eo feratur hominis affectus, ubi felicitatem ſuam ſtatuit: ſecundum illud, Ubi theſaurus tuus, ibi cor tuum. *Exultatis.* Iterum repetit fructum illum fidei cujus meminerat, nec immerito: eſt enim incom-

Heb. 11: 1.
2 *Cor.* 5. *verſ.* 6.
Mat. 6. *verſ.* 21.

incomparabile hoc bonum, quod non modo pacatæ ſunt coram Deo conſcientiæ, ſed jam vitæ æternæ fiducia ſecure exultant. Vocat autem *gaudium inenarrabile*, quia pax Dei ſenſum omnem exuperat. Quod hic addit *glorificatum*, bifariam potaſt exponi: vel ut magnificum ac glorioſum ſignificet: vel ut inani fluxoque opponatur, cujus homines paulo poſt pudet. Ira glorificatum perinde valebit atque ſolidum & ſtabile, & extra periculum fruſtrationis. Qui hac lætitia non efferuntur ſupra cælos, ut ſolo Chriſto contenti, mundum deſpiciant, fruſtra jactant ſe habere fidem.

9. *Reportantes finem.*] Admonet quorſum ſenſus omnes ſuos dirigere fideles debeant, nempe in ſalutem æteroam. Mundus enim hic affectus noſtros ſuis illecebris irretitos tenet: vita hæc & quæcunque ad corpus pertinent, magna ſunt impedimenta, ne animus noſter ad futuræ & ſpiritualis vitæ cogitationem ſe applicet. hanc ergo nobis toto ſtudio meditandam proponit Apoſtolus: & tacite ſubindicat ſuſque deque habendam aliorum jacturam, modo ſalvæ ſint aoimæ. Quum dicit *reportantes*, dubitationem illis eximit, quo alacrius contendant, dum certi ſunt de ſalute obtinenda. interea tamen hunc finem eſſe fidei docet, ne anxii ſint quod adhuc differtur. Nunc enim ſufficere nobis debet noſtra adoptio: nec petendum eſt ut ante tempus mittamur in hæreditatis poſſeſſionem. Poſſet etiam pro Fine, legi Merces: ſed eodem ſenſu. Colligimus enim ex Apoſtoli verbis, non aliter nos quam fide conſequi ſalutem. Scimus autem fidem ſola gratuitæ adoptionis promiſſione niti: quod ſi ita eſt, certe neque operum meritis debetur ſalus, neque inde ſperanda eſt. Cur autem animas taotum nominat, quum & corporibus promiſſa ſit reſurrectionis gloria? Quoniam immortalis eſt anima, proprie ſalus illi attribuitur: quemadmodum & Paulus interdum loqui ſolet, *Ut ſpi-* 1 *Cor.* 5.
ritus ſalvus ſit in die Domini. Atque hoc perinde *verſ.* 5.
valet acſi diceretur, Salus æterna. Eſt enim tacita comparatio vitæ mortalis & caducæ, quæ ad corpus pertinet. Interea tamen non excluditur à gloriæ ſocietate corpus, quatenus animæ eſt annexum.

10. De qua ſalute exquiſierunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura erga vos gratia vaticinati ſunt:

11. Scrutantes in quem aut cujuſmodi temporis articulum ſignificaret qui in illis erat Spiritus Chriſti: prius teſtificans venturas in Chriſtum afflictiones, & quæ ſequuturæ erant, glorias.

12. Quibus revelatum eſt quod non ſibiipſis, ſed nobis miniſtrabant hæc, quæ nunc annunciata ſunt vobis per eos qui vobis prædicarunt Euangelium, per Spiritum ſanctum miſſum è cælo: in quæ deſiderant Angeli proſpicere.

Salutis hujus pretium inde commendat, quod in eam toto ſtudio intenti fuerunt Prophetæ. Rem enim magnam & ſingularis excellentiæ fuiſſe oportet, quæ Prophetas ita ad ſui inquiſitionem accenderit. Clarius vero etiamnum in eo relucet ingens erga nos Dei bonitas, quod multo plus nobis patefactum hodie eſt, quam olim diu & ſollicite quærendo conſequuti ſint Prophetæ omnes. Ioterea certitudinem ſalutis confirmat ab ipſa vetuſtate: quoniam ab initio mundi legitimum à Spiritu ſancto teſtimonium habuerit. Duo hæc diſtincte notanda ſunt: quod nobis plus datum eſſe quam antiquis Patribus affirmat, ut hac comparatione Euangelii gratiam amplificet: deinde quod de ſalute nobis prædicatur, non poſſe aliqua novitate eſſe ſuſpectum, quis jam olim teſtatus de ea fuerit Spiritus per Prophetas. Ergo quum dicit Prophetas ſciſcitatos eſſe, & ſedulo inquiſiiſſe, hoc ad eorum ſcripta aut doctrinam non pertinet, ſed ad privatum deſiderium quo quiſque æſtuavit. Quæ poſtea ſequuntur, ad publicam functionem refereoda ſunt. Verum ut ſingula melius pateant, digerendus eſt hic locus in certas propoſitiones. Sit itaque hæc prima, Quod Prophetæ qui de gratia, quam nobis exhibuit Chriſtus ſuo adventu, vaticinati ſunt, ſedulo intenti fuerunt ut tempus plenæ revelationis cognoſcerent. Secunda, Quod Spiritus Chriſti per eos prædixit futurum regni Chriſti ſtatum, qualis partim jam cernitur, partim vero ſperatur adhue: nempe quod Chriſto & univerſo ejus corpori deſtinatus ſit per varias paſſiones ad gloriam ingreſſus. Tertia, Quod Prophetæ nobis uberius quam ſuo ſeculo miniſtraruot: idque divinitus illis patefactum ſuit: quia in Chriſto demum eſt ſolida earum rerum exhibitio, quarum tunc obſcuram imaginem Deus adumbrabat. Quarta, Quod non tantum in Euangelio continetur luculenta Propheticæ doctrinæ confirmatio, quando idem Spiritus eſt qui loquitur; ſed longe plenior & magis familiaris explicatio, quia ſalutem, quam eminus olim per Prophetas indicabat, nunc palam & quaſi oculis demonſtrat. Ultima eſt, Inde ſatis conſtare quam admirabilis ſit ſalutis per Euangelium nobis promiſſæ gloria, quod Angeli quoque ipſi, licet Dei conſpectu in cælis fruantur, illius tamen viſendæ deſiderio ardeant. Omnia vero in unum ſcopum tendunt, ut Chriſtiani, dum in ſuæ felicitatis altitudinem efferuntur, omnia mundi obſtacula ſuperent. Quid enim eſt quod non extenuet incomparabile hoc beneficium?

10. *De qua ſalute.*] Annon Patribus & nobis communis eademque eſt ſalus? Cur ergo Patres quæſiiſſe dicit, quaſi non adepti ſint quod hodie nobis offertur? Facilis ſolutio eſt, Salutem pro conſpicua manifeſtatione accipi, quæ nobis obtigit Chriſti adventu. Neque aliud ſibi volont hæe Petri verba, quam illa Chriſti, *Multi Reges & Prophetæ optarunt videre* *Mat.* 13.
quæ videtis, nec tamen viderunt. beati igitur oculi *verſ.* 16.
veſtri, &c. Quom ergo Prophetæ nonniſi tenuem haberent guſtum allatæ per Chriſtum gratiæ, quantum ad revelationis modum attinet, merito ultra votis ſuis tendebant. Dum Simeon poſt Chriſti conſpectum placide & animo pacato ſe ad mortem comparat, ſe prius inquietum & anxium fuiſſe oſtendit. Talis fuit omnium piorum ſenſus. Et modum inquiſitionis denotat, quum addit, *in quem aut cujuſmodi temporis articulum.* Erat enim differentia Legis & Euangelii, quaſi interpoſitum velum, ne propius ea quæ oculis noſtris expoſita ſunt, aſpicerent. Nec ſane æquum erat, abſente adhuc Sole juſtitiæ Chriſto, plenam lucem tanquam in meridie fulgere. Tametſi autem ipſis neceſſe fuit intra præſcriptos fines ſe continere: nulla tamen religio fuit ingemiſcere propioris aſpectus deſiderio. Neque enim quum accelerari redemptionem, & quotidie eam videre cuperent, votum illud obſtitit, quin patientes ſuſtinerent, quamdiu eam differre Domino placebat. Porro in vaticiniis notationem temporum quærere, mihi ſupervacuum videtur, quando hic non quid docueriot Prophetæ, ſed quid optarint, agitur. Ubi Latini interpretes verterunt, De futura gratia: ad verbum legitur, De gratia quæ erga vos eſt. Verum quis idam maner ſenſos, nolui quicquam mutare. Hoc magis obſervatu dignum, quod Prophetas non dicit proprio ſenſu ſcrutatos eſſe quo temporis articulo advenerit Chriſti regnum, ſed tantum applicaſſe ſua ſtudia ad revelationem Spiritus. Ita nos ſuo exemplo diſcendi ſobrietatem docuerunt,

cuerunt, quia non ultra progreſſi ſunt, quam eos Spiritus ducebat. Et certe oullus bumanæ curioſitatis erit modus, oiſi Spiritus Dei ingeniis præſideat: ne quid aliunde quam ab ipſo diſcere appetant. Atque etiam res altior eſt ſpirituale Chriſti regnum, quam ut in ejus inveſtigatione quicquam mens bumana proficiat, niſi Spiritum babeat directorem. Quare nos quoque bujus freni moderationi ſubjicere decer.

11. *Qui in illis erat Spiritus Chriſti.*] Primum, *qui in illis erat*: deinde, *teſtificans*, hoc eſt, ad reddendum teſtimonium. qua loquutione præditos Spiritu intelligentiæ fuiſſe Prophetas ſignificat, & quidem non vulgarem io modum, utpote qui nobis magiſtri & teſtes fuerint: nec tamen lucis hujus, quæ nobis manifeſtata eſt, ſuiſſe compotes. Interea bæc eximia eſt doctrinæ eorum laus, dum vocatur Spiritus ſancti teſtimonium: nam quamvis homines præcones ac miniſtri, ille tamen auctor ſuit. Nec temere Chriſti Spiritum tunc dominatum fuiſſe tradit: Euangelii autem doctoribus Spiritum præficit è cælo miſſum. ſignificat enim Euangelium à Deo profectum eſſe, & veteres prophetias à Chtiſto dictatas. *Venturas in Chriſtum afflictiones.* Ut æquiore animo ſuas afflictiones ferant, jam olim à Spiritu prædictas fuiſſe admonet. Sed multo plus complectitur: docet enim, boc Chriſtianæ Eccleſiæ regimen ab initio divinitus fuiſſe conſtitutum, ut crux præparatio eſſet ad triumpbum, & mors tranſitus ad vitam; idque clare fuiſſe teſtatum. Quare non eſt cur nos afflictiones ultra modum dejiciant, quaſi in illis eſſemus miſeri: quandoquidem Spiritus Dei nos beatos pronuociat. Hic ordo notaodus eſt, quod paſſiones ſtatuit priore loco, deinde addit ſequuturas glorias. ſignificat enim non poſſe hanc rationem mutari vel perverti, quin gloriam præcedant afflictiones. Ita duplex ſubeſt in his verbis ſententia: quod prius multis ærumnis premi Cbriſtianos oporteat, quam gloria fruantur: & miſeras non eſſe eorum afflictiones, quia proximam gloriam ſibi anoexam babeant. Quum hunc contextum Deus ordinaverit, alteram partem ab altera divellere noſtrum non eſt. Atque boc raræ conſolationis eſt, quod noſtra conditio, qualem experimur, tot ante ſeculis prædicta fuit. nam inde colligimus, non fruſtra felicem ejus exitum nobis promitti. deinde agnoſcimus non fortuito nos, ſed certa Dei providentia affligi. denique prophetiæ inſtar ſpeculi ſunt, ad repræſentandam nobis in tribulationibus cæleſtis glotiæ imaginem. Dicit quidem Petrus de venturis in Cbriſtum afflictionibus Spiritum fuiſſe teſtificatum: ſed Cbriſtum à ſuo corpote non ſeparat. Itaque non debet boc reſtringi ad Chriſti perſonam: ſed initium faciendum eſt à capite, ut membra ſuo ordine ſequantur: quem-
Rom. 8. verſ. 29. admodum Paulus docet oportere oos ei configurari qui primogenitus eſt inter fratres. Denique non tractat Petrus quid Chriſto ſit proprium, ſed de univerſali Eccleſiæ ſtatu diſſerit. Sed boc ad fidei noſtræ confirmationem multo aptius, dum noſtras afflictiones in Cbriſto conſiderandas proponit: quia melius in eo cernimus connexionem mortis & vitæ inter nos & ipſum. Et certe boc jus atque hæc ratio eſt ſacræ unitatis, quod in membris ſuis quotidie patitur, ut poſtquam in nobis abſolutæ fuerint ejus paſſiones, ſuum viciſſim complementum babeat gloria. Qua de re plura ad Coloſſ. 3. cap. & 1 ad Timoth. 4.

12. *Revelatum eſt quod non ſibi.*] Hunc locum perperam arripiunt fanatici homines, ut Patres qui ſub Lege vixerunr, excludant à ſpe æternæ ſalutis. Neque enim ſimpliciter negat quin ſeculo ſuo utiliter miniſtraverint Propbetæ, atque Eccleſiam ædificaverint: ſed tantum docere vult, utilius oobis eſſe eorum miniſterium, quia in ſeculorum fines incidimus. Videmus quam magnifice Chriſti regnum extollant, quam ſint in illo ornando aſſidui, quam ſtudioſe ad illud quærendum omnes ſtimulent. Atqui præſenti ejus aſpectu privati ſunt per mortem. quid boc aliud fuit, quam menſam ſternere, ut cibis appoſitis alii poſtea veſcerentur? Fide quidem delibarunt quæ nobis per eorum manum Dominus fruenda transmiſit: quin etiam in ſolidum animæ cibum Chtiſti fuerunt participes. Sed nunc de rei exbibitione agitur. Scimus autem bis quaſi finibus incluſum fuiſſe munus Propheticum, ut ſe & alios in ſpem venturi Chriſti alerent. Ergo eum nonniſi abſconditum & quaſi abſentem poſſidebant. Abſentem dico, non virtute aut gratia: ſed quia nondum in carne manifeſtatus erat. quare & regnum ejus ſub involucris adhuc latebat. Denique in terram deſcendens, quodammodo cælos nobis aperuit, ut ſpirituales divitias, quæ nonniſi ſub figuris procul oſtendebantur, prope cernere liceat. Hæc igitur Chriſti manifeſtati fruitio, diſcrimen inter nos & Prophetas oſtendit. Unde colligimus quomodo nobis potius quam ſibi miniſtraverint. Cæterum quum divinitus admoniti eſſent Prophetæ, differri in aliud ſeculum quam prædicabant gratiam, nibilo tamen ſegniores in ejus prædicatione ſuerunt, tantum abeſt ut fracti tædio fuerint. Quod ſi tanta fuit illorum patientia, oos certe bis & ter ingrati, niſi gratiæ quæ illis negata fuit, fruitio, nos in omnibus quæ patiendæ ſunt ærumnis erectos ſuſtineat. *Quæ annunciata ſunt.* Iterum diſcrimen notat inter veterum doctrinam & Euangelii prædicationem. Nam quemadmodum juſtitia Dei in Euangelio revelatur, teſtimonium habens à Lege & Prophetis: ita & cæleſtis Chriſti gloria, de qua olim teſtificatus eſt Spiritus, nunc palam annunciatur. Simul autem certitudinem Euangelii inde comprobat, quod nibil continet niſi jam pridem à Spiritu Dei teſtatum. Deinde admonet, ejuſdem Spiritus auſpiciis, adeoque ipſo dictante & præeunte, promulgatum eſſe Euangelium: ne quid hic bumanum cogitenr. *In quæ deſiderant Angeli.* Hoc vero maximum Euangelii encomium eſt, quod theſaurum ſapientiæ continet, Angelis adhuc clauſum & occultum. Sed objiciet quiſpiam, minime eſſe conſentaneum, nobis aperta & nota eſſe quæ Aogelos lateant, qui ſemper vident faciem Dei, & in regenda Eccleſia, omniumque bonorum adminiſtratione, ejus miniſtri ſunt. Reſpondeo, aperta nobis eſſe quatenus ea in ſpeculo verbi intuemur. nec vero noſtra altior notitia prædicatur, quam Angelorum: tantum intelligit Petrus ea nobis promitti, quorum complementum Angeli videre cupiunt. Dicit Paulus, in Gentium vocatione *Epheſ. 3. verſ. 8.*
inootuiſſe Angelis admirabilem Dei ſapientiam. Nam hoc illis novum erat ſpectaculum, quod Chriſtus mundum perditum, & tot ſeculis à ſpe vitæ alienatum aggregabat ad ſuum corpus. Ita quotidie cum admiratione cernunt magnifica Dei opera in Eccleſiæ gubernatione: quanto igitur magis ſtupebunt ad ſupremum illud divinæ juſtitiæ ſpecimen, dum Chriſti regnum complebitur? Illud eſt igitur arcanum, cujus revelationem adhuc expectant, & merito exoptant. Tametſi duplex hujus loci poteſt eſſe ſenſus: vel quod reſeratur nobis tbeſaurus in Euangelio, qui in ſui deſiderium rapit ipſos Angelos, quia illis hoc maxime lætum eſt ſpectaculum: vel quod regnum Chriſti, cujus viva io Euangelio effigies expreſſa eſt, cupide videre appetunt. Atqne hic ſecundus magis videtut congruere.

13. Quare ſuccincti lumbis mentis veſtræ, ſobrii, perfecte ſperate in eam quæ ad vos defertur gratiam, in revelatione Jeſu Chriſti:

 14. Tan-

14. Tanquam filii obedientes, non conformati priſtinis, quæ in ignorantia veſtra regnarunt, cupiditatibus:

15. Sed quemadmodum is qui vos vocavit ſanctus eſt, ita ipſi ſancti in tota converſatione reddamini.

Lev. 11. *verſ.* 44. & 19: 2. & 20: 7. **16. Propterea quod ſcriptum eſt, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.**

Ea magnitudine & excellentia gratiæ deducit exhortationem: ut certe eo magis intentos eſſe nos decet ad excipiendam Dei gratiam, quo ſe liberalius in nos effundit. Ac notandus eſt contextus. Dixerat tantam eſſe regni Chriſti altitudinem, ad quem nos vocat Euangelium, ut cæleſtes quoque Angeli in ejus proſpectum aſſurgant: quid ergo nobis, qui in mundo verſamur, agendum eſt? Certe quamdiu in terra vivimus, tanta eſt inter nos & Chriſtum diſtantia, ut fruſtra nos ad ſe invitet. Ergo neceſſe eauere imaginem Adæ, & totum ſeculum, omniaque impedimenta abjicere, ut ſoluti, ſurſum ad Chriſtum feramur. Præcipit autem iis ad quos ſcribit, ut expediti & ſobrii in oblatam ſibi gratiam ſperent: deinde, ut renunciantes mundo & priori vitæ, ſe Deo conforment. Hoc ergo prius eſt eahortationis membrum ut lumbis mentis ſuccincti, animos adjiciant ad ſpem gratiæ ſibi allatæ. In ſecundo modum præſcribit, ut mutato ingenio ad imaginem Dei formentur.

13. *Succincti lumbis.*] Similitudo ex more vetuſto ſumpta. nam quum oblongas haberent veſtes, neque iter facere, neque quicquam operis commode ſuſcipere poterant, niſi ſuccincti. Unde iſtæ loquutiones, Accingere ſe ad opus & res gerendas. Ergo impedimenta tolli jubet, ut ſoluti ad Deum contendant. Qui in *lumbis* ſubtilius philoſophantur, quaſi præciperet libidines reſtringi debere & arceri, diſcedunt à genuina Apoſtoli mente. Neque enim aliud
Luc. 12. *verſ.* 35. ſibi volunt hæc verba, quam illa Chriſti, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: niſi quod Petrus metaphoram duplicat, quum menti lumbos attribuit. Significat autem mentes noſtras fluxis hujus mundi curis, & ſupervacuis cupiditatibus implicitas teneri, ne ſurſum ad Deum tendant. Ergo quiſquis vere ſperare cupit, in primis ſe eatricare diſcat, mentemque ſuam aſtringere, ne in evanidos affectus diffluat. Eodem & ſobrietas pertinet quam moa ſubjicit. neque enim temperantiam ſolum in cibo & potu commendat, ſed ſpiritualem potius ſobrietatem, quum ſenſus omnes noſtros continemus, ne ſe hujus mundi illecebris inebrient. Nam ſi vel minimus earum guſtus furtim nos à Deo abducit, quiſquis ſe in illas ingurgitat, neceſſe eſt ut ſopitus & ſtupidus, Deum & quæ Dei ſunt obliviſcatur. *Perfecte ſperate.* Subindicat eos qui mentes ſuas laaant ad vanitatem, non ſolide, ut decebat, & ſincere in Dei gratiam ſperare. etſi enim ſpem aliquam gratiæ concipiunt: quia tamen vacillant & fluctuantur in mundo, nulla eſt in ſpe eorum ſoliditas. Dicit autem, *in gratiam quæ defertur*, quo ſint ad eam recipiendam promptiores. Procul quærendus eſſet Deus: ipſe autem obviam ultro accurrit. Quanta igitur noſtra ingratitudo, ſi gratiam nobis ita benigne expoſitam negligimus? Hæc igitur amplificatio ad ſpem noſtram acuendam plurimum valet. Quod addit, *in revelatione Chriſti*, bifariam exponi poteſt. Nam Euangelii doctrina Chriſtum nobis revelat: & tamen quia adhuc eum per ſpeculum & in ænigmate videmus, differtur plena revelatio uſque in ultimum diem. Prior ſenſus magis Eraſmo placuit, neque ego illum improbo: ſecundus tamen videtur melius quadrare. Conſilium enim Petri eſt, evocare nos eatra mundum: ad eam rem aptiſſima eſt adventus Chriſti memoria. Nam ſi illuc dirigimus oculos, mundus hic nobis crucifiaus eſt, & nos mundo. Deinde in hac ſignificatione nuper accepit Petrus. Neque novum eſt Apoſtolis particulam ἐν pro εἰς accipere. Sic itaque interpretor, Non eſt vobis emetiendum longum iter, ut perveniatis ad Dei gratiam: prævenit enim Deus, dum eam ad vos defert. Sed quoniam fruitio non conſtat, donec appareat è cælo Chriſtus, in quo abſcondita eſt ſalus piorum, *ſpe* interea opus eſt: quoniam fruſtra alioqui nunc offertur nobis Chriſti gratia, niſi patienter uſque ad Chriſti adventum ſuſtineamus.

14. *Tanquam filii obedientes.*] Primum ſignificat nos in jus honoremque adoptionis vocari à Domino per Euangelium. Deinde hac lege nos adoptari, ut nos viciſſim obſequentes ſibi filios habeat. Tametſi enim filios non facit obedientia, quum gratuitum ſit adoptionis donum: eos tamen ab alienis diſcernit. Quouſque vero hæc obedientia ſe eatendat, Petrus docet, quum vetat Dei filios hujus ſeculi deſideriis configurari, vel ſe accommodare: ſed hortatur ut ſe potius Deo conforment. Summa totius Legis & omnium quæ à nobis exigit Deus, huc ſpectat, ut in nobis reluceat ejus imago, ne ſimus filii degeneres. Hoc vero fieri non poteſt quin renovemur, & exuamus imaginem veteris Adæ. Hinc colligimus quem in tota vita ſcopum proponere ſibi Chriſtiani debeant, nempe ut ſanctimonia & puritate Deum referant. Sed quoniam omnes carnis noſtræ ſenſus Deo repugnant, totumque mentis noſtræ ingenium adverſus eum inimicitia eſt: ideo Petrus à mundi abnegatione incipit. Et certe quoties de inſtauratione imaginis Dei in nobis agit Scriptura, inde orditur ut aboleatur vetus homo cum ſuis deſideriis. *Quæ in ignorantia.* Tempus ignorantiæ vocat, antequam in fidem Chriſti vocati eſſent. unde diſcimus, incredulitatem malorum omnium fontem eſſe. Neque enim ignorantiæ nomen uſurpat, ut ſolemus vulgo. Falſum enim illud eſt Platonicum dogma, ſola ignorantia peccari. Verum utcunque redarguat infideles conſcientia, errant nihilominus tanquam cæci in tenebris: quia neque viam tenent, & luce vera privati ſunt. In hunc ſenſum dicit Paulus, Ne poſthac *Epheſ.* 4.
ambuletis, quemadmodum & Gentes in vanitate *verſ.* 17.
mentis ſuæ: quæ mentem habent obtenebratam, alienatæ à vita Dei propter ignorantiam quæ in illis eſt. Ubi non viget Dei notitia, illic regnum occupant tenebræ, error, vanitas, privatio lucis & vitæ. Neque tamen hæc impediunt quominus male ſibi conſcii ſint impii peccando, ſuumque in cælo judicem, & intus apud ſe carnificem ſentiant. In ſumma, quoniam regnum Dei, regnum eſt lucis: quicunque ab eo alieni ſunt, cæcos eſſe, & in labyrintho errare neceſſe eſt. Interea monemur, ideo nos illuminatos eſſe in Dei notitiam, ne amplius vagis deſideriis circumferamur. itaque quantum quiſque progreſſus eſt in vitæ novitate, tantum profecit in Dei notitia. Verum hic exoritur quæſtio: quum Judæos alloquatur, qui ſemper in Lege verſati erant, & qui in unius Dei cultu fuerant educati, cur illos tanquam profanos homines, ignorantiæ & cæcitatis damnet. Reſpondeo, hinc optime conſtare quam inſipida ſit eatra Chriſtum omnis ſcientia. Merito Paulus, dum *Coloſſ.* 2.
refellere vult eorum oſtentationem qui ſine Chriſto *verſ.* 19.
ſapere volebant, uno verbo dicit ipſos non tenere caput. Tales erant Judæi, qui innumeris alias corruptelis imbuti, velum habebant oppoſitum oculis, ne Chriſtum in Lege cernerent. Erat quidem vera lucea doctrina in qua inſtituti erant, ſed cæcutiebant in luce, quamdiu Sol juſtitiæ illis erat abſconditus. Quod ſi literales quoque Legis diſcipulos, quamdiu Chriſtum ignorant unicam Dei ſapientiam, Petrus

trus

ttus tanquam profanos homines, io tenebras ablegat: eo majore ſtudio ad ejus notitiam eniti nos decet.

15. *Qui vos vocavit ſanctus eſt.*] A fine vocationis argumentatur, Deus nos ſibi in peculium ſegregat: ergo inquinameotis omnibus puros eſſe oportet. Et ſeoœntiam citat quæ ſæpius à Moſe repetitur. Nam quia populus Iſrael undique profanis geotibus cinctus erat, io quibus peſſima exempla & innumeras corruptelas hautire promptum etat, ſubinde eum ad ſe revocat Dominus: acſi diceret, Mecum vobis negotium eſt: vos mei eſtis: ergo à Gentium pollutionibus abſtinete. Eſt hoc nobis nimium proclive, reſpicere in homines, ut communem eorum vitam ſequamur. ita fit ut alii alios turmatim ad omne malum rapiaot, donec ſua vocatione nos Dominus ſeparet. Quod autem ſanctos inſtar ſui eſſe jubet, ooo eſt comparatio æqualium: ſed quantum fert captus noſter, huc tendere debemus. Et quoniam longe à ſcopo ſemper abſunt etiam perfectiſſimi, magis ac magis quotidie enitendum eſt. Meminerimus autem, non tantum nobis præcipi quid officii noſtri ſit: ſed Deum quoque ſimul addere, Ego ſum qui vos ſanctifico. Addit, *in tota converſatione*, ut nulla ſit pars vitæ, quæ non hunc bonum ſanctitatis odorem redoleat. Videmus enim ut in rebus minutis & prope nihili Dominus populum ſuum ad hanc meditationem aſſuefecerit, quo magis ſollicite ſibi caveret.

17. Et ſi patrem invocatis eum qui ſine perſonæ acceptione ſecundum cujuſque opus judicat: in timore converſantes, tempus incolatus veſtri tranſigite.

18. Scientes quod non eotruptibilibus, argento vel auro redempti ſitis à vana converſatione à patribus tradita:

19. Sed pretioſo ſanguine velut agni immaculati & incontaminati Chriſti:

20. Qui præordinatus quidem fuerat ante conditum mundum, manifeſtatus autem eſt extremis temporibus propter vos,

21. Qui per ipſum creditis in Deum qui eum ſuſcitavit ex mortuis, & gloriam illi dedit, ut fides veſtra & ſpes ſit in Deum.

22. Purificantes animas veſtras in obedientia veritatis per Spiritum, in fraternam charitatem non fictam, ex puro corde diligite vos mutuo impenſe.

17. *Et ſi patrem invocatis.*] Invocare Deum patrem hic dicuntur, qui ſe profitentur ejus filios: quemadmodum dicit Moſes, Gen. 48. v. 16. invocandum eſſe nomen Jacob ſuper Ephraim & Menaſſem, ut in ejus filiis cenſeantur. Quo ſenſu etiam Gallice dicimus *reclamer*. Reſpicit autem ad id quod prius dixerat, Tanquam filii obedientes. Atque ex patris ipſius natura declarat quale obedientiæ genus præſtandom ſit. *Judicat*, inquit, *abſque intuitu perſonæ*, hoc eſt, non ducitur externa larva, quemadmodum homioes, ſed cor intuetur, 1 Samuel. 16. v. 7. Et oculi ejus in fidem reſpiciunt, Jerem. 5. v. 3. Hoc etiam eſt quod ſibi vult Paulus, Rom. 2. v. 2. quum Dei judicium docet ſecundum veritatem eſſe. Nam illic in hypocritas invehitur, qui Deum inani colore ludi poſſe ſperant. Summa eſt, nos minime erga Deum defungi, ſi ei ad oculum obſequamur: non enim hominem mortalem eſſe, cui ſatisfacias perſona, ſed intus legere in corde noſtro quales ſumus: non pedibus aut manibus leges præſcribere, ſed ſpiritualem requirere juſtitiam. Quum autem dicit, *ſecundum opus*, hoc nihil vel ad meritum, vel ad mercedem. Hic enim non eſt de operum meritis diſputatio, neque ſalutis cauſa: ſed tantum admonet Petrus, apud Dei tribunal perſonæ reſpectui non eſſe locum, ſed veram cordis ſinceritatem æſtimari. Hoc loco fides etiam ſub Operis nomine comprehenditur. Hinc facile liquet quam inepta ſit & puerilis conſequentia, Deus qualis ſit quiſque ooſtrum ex integra conſcientia non ſpecie externa judicat. ergo operibus ſalutem conſequimur. Porro *timor* cujus meminit, ſecuritati opponitur: qualis obrepere ſolet ubi ſpes eſt impuna fallendi. Nam quum tam perſpicax ſit Dei oculus, ut in abditos uſque cordis receſſus penetret, ſollicite non perfunctorie cum eo ambulandum. *Incolatum* vocat præſentem vitam, non quo ſenſu Judæos quibus ſcribit, vocavit initio Epiſtolæ inquilinos: ſed quia pii omnes in hoc mundo peregrinantur, Hebr. 11. v. 13, 38.

18. *Scientes.*] Aliud argumentum à redemptionis noſtræ pretio, quod nobis ſemper in memoriam venire debet quum de ſalute noſtra agitur. Nam qui Euangelii gratiam repudiat aut ſpernit, ei non modo vilis eſt & abjecta ſua ſalus, ſed etiam ſanguis Chriſti, quo eam æſtimavit Deus. Scimus autem quam horrendum ſit ſacrilegium, ſanguioem Filii Dei profanare. Quare nihil eſt quod nos ad ſanctitatis ſtudium acrius ſtimulare debeat, quam hujus pretii memoria. *Aurum* & *argentum* amplificandi cauſa opponit ex adverſo: ut ſciamus totum mundum & quæcunque hominibus pretioſa ſunt, ad hujus pretii excellentiam nihil eſſe. Dicit autem *redemptos* à vana converſatione: ut ſciamus totam hominis vitam, exitialem eſſe errorum labyrinthum, donec ad Chriſtum converſus fuerit. Deinde ſignificat, non meritis noſtris fieri ut io viam reducamur: ſed quia Deus pretium, quod pro ſalote noſtra impendit, vult io nobis eſſe efficax. Ergo ſanguis Chriſti non modo ſalutis noſtræ pignus eſt, ſed vocationis etiam noſtræ cauſa. Porro monet Petrus cavendum eſſe ne ipſum incredulitas noſtra exinaniat, vel irritum reddat. Quum jactet Paulus ſe pura conſcientia 2 Tim. 1.
Deum colere uſque à proavis: & idem Timotheo ad vers. 3.
imitationem commendet pietatem aviæ Loidos & 2 Tim. 1.
matris Eunices: dicat etiam Chriſtus de Judæis, vers. 5.
ipſos ſcire quem Deum adorent: videri poteſt hoc Joan. 4.
abſurdum, quod Petrus Judæos ſui temporis nihil ex vers. 22.
patrum inſtitutione didiciſſe aſſerit præter meram vanitatem. Reſpondeo, Chriſtum, quum Judæis rationem vel ſcientiam religionis quam tenent, conſtare prædicat, reſpicere ad Legem potius & mandatum Dei, quam ad vulgus hominum. Quia enim templum non temere erectum fuerat Jeroſolymis, neque illic hominum arbitrio, ſed juxta Legis præſcriptum colebatur Deus: ideo dicit Judæos non errare in hac Legis obſervatione. Quantum ad Pauli proavos, Loidem, Eunicem, & ſimiles, non dubium eſt quin exiguas ſaltem reliquias in populo illo Deus ſemper habuerit, in quibus ſincera pietas manebat: interea corpus ipſum populi mire corruptum erat, & diffluxerat in omne errorum geous. Regnabant innumeræ ſuperſtitiones, invaluerat hypocriſis, ſalutis fiducia ad nugas neſcio quas traducta erat: non modo pravis opinionibus imbuti erant, ſed craſſis etiam deliriis faſcinati. Qui vero in diverſas mundi plagas diſperſi erant, majoribus corruptelis erant impliciti. Denique maxima ex parte gens illa à vera pietate vel defecerat prorſus, vel multum degeneraverat. Quum ergo patrum inſtitutionem damnat Petrus, ſeparat eam à Chriſto, qui ſolus eſt

Legis anima & veritas. Hinc vero colligimus, ſimul atque diſcedunt homines à Chriſto, eos exitialiter errare. Fruſtra hic vel Patrum auctoritas, vel mos antiquus prætexitur. Judæis enim clamabat Pro-
Eze. 20. vers. 18. pbeta Ezecbiel, In juſtitiis patrum veſtrorum ne ambulate. Hoc quoque non minus bodie inter nos valere debet. nam ut efficax & fructuoſa nobis ſit Chriſti redemptio, priſtinæ vitæ renunciandum eſt, utcunque ex Patrum inſtitutione fluxerit. Ter ergo ſtulti Papiſtæ, qui nudum Patrum nomen ita ſibi ad omnium ſuperſtitionum defenſionem ſufficere putant, ut hac fiducia ſecure reſpuant quicquid ex verbo Dei adducitur.

19. *Velut agni.*] Significat bac ſimilitudine, in Chriſto nos habere quicquid veteribus ſacrificiis adumbratum fuit. quanquam præcipue alludit ad agnum Paſchalem. Atque hinc diſcendum eſt quid nobis prodeſt Legis lectio in bac parte. Tametſi enim abolitus eſt ſacrificandi ritus, non tamen parum boc fidem noſtram juvat, veritatem conferre cum figuris: ut quicquid illæ cootinebant, in hac quæramus. Agnum qui immolandus erat in Peſah,
Exod. 12. vers. 5. jubebat Moſes integrum & ſine macula deligi. Idem ſæpius de ſacrificiis repetitur: ut Levitici 3. & 22. Numerorum vigeſimo octavo, & aliis locis. Hoc dum Petrus ad Chriſtum accommodat, ideo legitimam fuiſſe & Deo probatam victimam docet, quia integer & omni macula purus fuit. Nam ſi quid babuiſſet in ſe vitii, non poterat rite Deo offerri, nedum iram ejus placare.

20. *Qui præordinatus.*] Rurſum ex comparatione, Dei gratiam amplificat, qua peculiariter ejus ſeculi bomines dignatus fuerat. Neque enim aut vulgare aut parvum eſt, quod Cbriſti manifeſtationem Deus in illorum uſque ætatem diſtulit, quum tamen illum æterno ſuo conſilio in mundi ſalutem ordinaſſet. Simul tameo admonet, non eſſe boc novum vel ſubitum Dei reſpectu, quod Cbriſtus in ſalutem apparuit. quæ res in primis cognitu neceſſaria eſt. Præterquam enim quod ſuſpecta eſt ſemper novitas: qualis poſſet ſtabilitas fidei noſtræ eſſe, ſi crederemus, poſt aliquot annorum millia repente tandem veniſſe Deo io mentem remedium quo ſuccurreret hominibus? Denique non poſſumus tranquilla fiducia recumbere in Chriſtum, quio ſtatuamus æternam in eo eſſe ſalutem, ſemperque fuiſſe. Præterea Judæos alloquitur Petrus, qui jam olim promiſſum fuiſſe audierant. & quanquam nihil veri aut liquidi aut cetti de ejus virtute & officio tenebant: reſidua tamen inter eos manebat bæc perſuaſio, Redemptorem Patribus à Deo eſſe promiſſum. Quæritur tamen, quum ante mundi creationem nondum lapſus eſſet Adam, quomodo deſtinatus fuerit Chriſtus redemptor: remedium enim malo poſterius eſſe debuit. Reſpondeo, hoc ad Dei præſcientiam referri. nam certe Deus antequam bominem creaſſet, non diu ſtaturum in ſua integritate prævidit. Ergo pro admirabili ſua ſapientia & bonitate Chriſtum ordinavit liberatorem, qui perditum genus humanum ab interitu eriperet. Nam in eo melius relucet incomparabilis Dei bonitas, quod malum noſtrum gratiæ ſuæ remedio anteverterit: ac prius vitæ reſtitutionem ſtatuit, quam in mortem cecidiſſet primus homo. Si quid præterea deſideret lector, ex Inſtitutione noſtra petat. *Manifeſtatus.* Sub bac voce tam exbibitionem ipſius Chriſti, quam Euangelii promulgationem comprehendi puto. Nam Chriſti adventu exequutus eſt Deus quod ſtatuerat: & quod obſcurius indicaverat Patribus, id liquidum & plenum Euangelii doctrina nobis patefacit. Dicit hoc eſſe factum in bis temporibus, eodem ſenſu quo Paulus (ad Galatas capite 4. verſu quarto) dicit, Tempore plenitudinis. Hæc enim matura eſt opportunitas, & vera perfectio, quam Deus ſuo decreto præfixit. *Propter vos.* Non excludit Patres, quibus inutilis fuit promiſſio: ſed qoia nos illis prætulit Deus, quo major erga nos eſt gratiæ amplitudo, eo plus reverentiæ, ardoris, & ſtudii à nobis exigi ſignificat. Addit autem, *Qui creditis:* quia non ad omoes promiſcue pertioet Cbriſti manifeſtatio, ſed eorum eſt propria quibus per Euangelium illucet. Notanda autem bæc loquutio, *Qui per ipſum creditis in Deum*, qua breviter fidei natura exprimitur. Nam quum incomprehenſibilis ſit Deus, nunquam ad eum perveoiet fides, niſi in Cbriſtum recta ſe conferat. Imo duæ ſunt ratiooes cur nulla poſſit eſſe fides io Deum, niſi Cbriſtus quaſi medius interveniat. nam primo conſideranda eſt divinæ gloriæ magnitudo, & ſimul ingenii noſtri tenuitas. Multum certe abeſt quin acies noſtra tam alte conſcendere poſſit, ut Deum apprehendat. Omnis itaque cogitatio de Deo extra Cbriſtum, immenſa eſt abyſſus quæ ſenſus omnes noſtros protious abſorbeat. Hujus rei luculentum extat ſpecimen non in Turcis modo & Judæis, qui ſub Dei titulo ſomnia ſua adorant, ſed etiam in Papiſtis. Tritum eſt illud Scholarum axioma, Deum eſſe objectum fidei. Ita de abſcondita ejus majeſtate, præterito Chriſto, prolixe & argute philoſopbantur: ſed quo ſucceſſu? Miris deliriis ſe intricant, ut nullus ſit errandi fiois. Fidem enim nihil eſſe putant niſi imaginariam ſpeculatio-
oem. Ergo meminerimus, non fruſtra Chriſtum vo- Coloſ. 1.
cari inviſibilis Dei imagioem: ſed ideo boc nomen vers. 15.
illi eſſe impoſitum, quia Deus niſi in ipſo cognoſci nolit. Altera ratio eſt, quod quum fides conjungere nos Deo debeat, omnem acceſſum refugimus & horremus, niſi occurrat Mediator qui nos metu liberet. Peccatum enim quod regnat in nobis, & nos Deo exoſos reddit, & illum viciſſim nobis. Ergo ſimulatque mentio Dei facta eſt, neceſſe eſt oos borrore corripi. quod ſi appropinquamus, juſtitia ejus inſtar ignis eſt qui nos penitus conſumat. Hinc apparet, non poſſe nos Deo credere niſi per Cbriſtum, in quo ſe Deus quodammodo parvum facit, ut ſe ad captum noſtrum ſubmittat: & qui ſolus traoquillas reddit conſcientias, ut familiariter ad Deum accedere audeant.

21. *Qui eum ſuſcitavit.*] Addit, Chriſtum fuiſſe excitatum à mortuis, ut firmam baberent fulturam fides & ſpes noſtra, qua niterentur. Quo rurſus commentum de univerſali & confuſa in Deum fide refellitur. nam ut nulla ſit Chriſti reſurrectio, Deus nihilominus in cælo manet. Atqui Petrus negat in eum credi poſſe, niſi Chriſtus reſurrexit. conſtat ergo, fidem aliud quam nudam Dei majeſtatem intueri. Et merito ita Petrus loquitur: fidei enim eſt in cælos penetrare, ut illic Patrem inveniat. quomodo id poterit, niſi Chriſtum habeat ducem? Per ipſum (inquit Paulus) habemus adeundi fiduciam, Epheſ. 3. v. 12. Item Hebr. 4. v. 16. Freti noſtro Pontifice, accedere poſſumus ad thronum gratiæ cum fiducia. Spes eſt anchora animæ, quæ ad interius ſanctuarii adytum intrat: ſed oon niſi præeunte Chriſto, Hebr. 6. v. 19. Fides victoria eſt noſtra adverſus mundum, 1 Joan. 5. v 4. Quid autem ita eam reddit victricem, niſi quod Chriſtus, cæli & terræ dominus, nos in fide tutelaque ſua babet? Quoniam ergo in Chriſti reſurrectione & ſummo imperio ſita eſt nobis ſalus, illic fides & ſpes inveniuot quo ſe fulciant. Niſi enim reſurgendo, de morte triumphaſſet, ac nunc ſummum principatum teneret ad nos ſua virtute protegendos, quid nobis fieret in tanta hoſtium potentia, & inter tam violentos inſultus? Diſcamus itaque in quem ſcopum collimare nos oporteat, ut vere fidamus Deo.

22. *Purificantes animas veſtras.*] Eraſmus male vertit, Qui purificaſtis. Non enim prædicat Apoſtolus quales ſint, ſed quales debeant eſſe admonet. Eſt quidem participium præteriti temporis: ſed quod io Gerundium reſolvi poteſt, Animas purificando,

Digitized by Google

cando, &c. Senſus autem eſt, non fore capaces gratiæ animas noſtras, donec purgatæ fuerint. quo immundities noſtra arguitur. Sed ne vim purificandi animas videatur nobis adſcribere, mox correctionem addit, *per Spiritum.* acſi diceret, Purgandæ ſunt animæ: ſed quia id non poteſtis, offerte eas Deo, ut per Spiritum ſuum tollat earum immunditiem. Animas tantum nominat: quanquam à carnis etiam inquinamentis nos mundari oportet: quemadmodum jubet Paulus 2 Corinthiorum 7. v. 1. ſed quia præcipua eſt interior mundities, & externam ſecum neceſſario trahit, ejus tantum mentionem facere ſatis habuit Petrus: acſi dixiſſet, non externas modo actiones corrigi oportere, ſed corda ipſa penitus reformari. Modum poſtea deſignat: nam in eo ſita eſt animæ puritas, ſi nos Deo in obedientiam addicimus. *Veritatem* accipit pro regula quam nobis Dominus in Euangelio præſcribit. Neque tantum de operibus agitur, quin potius hic fides primatum tenet. Ideo ſpecialiter Paulus eam eſſe tradit qua obedimus Deo, Romanorum primo & ultimo capite: & Petrus in Actis 15. hoc elogium illi tribuit, quod per eam Deus corda purificet. *In fraternam charitatem.* Breviter admonet quid præcipue in vita noſtra exigat Deus, & in quem ſcopum ſtudia omnia dirigenda ſint. Sic Paulus, quum de fidelium perfectione concionatur ad Epheſios primo, eam in charitate ſtatuit. Quod eo diligentius notandum eſt, quia mundus ſuam ſanctitatem in nugis neſcio quibus concludens, hoc ſummum caput fere negligit. Videmus ut Papiſtæ in mille commentitiis ſuperſtitionibus ſe abſque modo fatigent: interea ultima eſt charitas, quam in primis Deus commendat. Hæc ergo cauſa eſt cur nos ad ejus ſtudium revocet Petrus, quum de vita rite inſtituenda agitur. Prius de carnis mortificatione loquutus eſt, & noſtra cum Deo conformatione: nunc autem admonet qua in re exerceri nos velit Deus tota vita, nempe ut mutuam inter nos dilectionem colamus: nam ea teſtamur nos Deum quoque diligere. Atque hoc experimento probat Deus quinam ipſum vere diligant. Vocat eam ἀνυπόκριτον, ſicut Paulus prioris ad Timotheum capite primo, verſu quinto, quia nihil difficilius quam ſincere animum applicare ad proximos diligendos. Regnat enim amor noſtri, qui plenus eſt ſimulatione: deinde ſuum quiſque amorem, quo alios proſequitur, proprio commodo metitur potius quam pio communicandi ſtudio. Addit, *impenſe.* nam quo ſumus natura ſegniores, eo magis ad fervorem & contentionem acuere ſe quiſque debet: neque id ſemel duntaxat, ſed in dies magis ac magis.

* vel, *viventem & manentem.*

23. Regeniti non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per ſermonem * viventis Dei & manentis in æternum.

24. Quandoquidem omnis caro tanquam herba, & omnis gloria ejus tanquam flos herbæ. Exaruit herba, & flos ejus decidit:

25. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc autem eſt verbum quod annunciatum eſt vobis.

23. *Regeniti* &c.] Aliud exhortationis argumentum, quod quum novi ſint homines, & à Deo regeniti, vitam Deo & ſpirituali regeneratione dignam ipſos inſtituere deceat. Videtur autem connecti hoc debere cum ſententia quæ proxime ſequetur de rationali lacte appetendo, ut vivendi ratio geniture reſpondeat. Poteſt tamen latius extendi, ut cohæreat etiam cum ſuperioribus. nam in genere colligit Petrus quæ ad ſtudium rectæ & ſanctæ vitæ incitare nos poſſunt. Hoc ergo eſt Petri conſilium, ut doceat nos non ſine regeneratione eſſe Chriſtianos: quia non prædicatur Euangelium ut tantum audiatur à nobis, ſed ut animas noſtras, tanquam immortalis vitæ ſemen, penitus refingat. Porro *ſemen corruptibile* ideo opponit verbo Dei, ut ſciant fidales priori naturæ renunciandum eſſe, ac ut melius pateat quantum ſit diſcrimen inter Adæ filios qui tantum in mundum naſcuntur homines, & filios Dei qui renovantur in cæleſtem vitam. Cæterum, quia ambigua eſt Græcæ orationis ſyntaxis, poſſumus legere tam *ſermonem viventem Dei*, quam *Dei viventis.* Quia tamen minus coacta eſt hæc poſterior lectio, eam potius amplector. quanquam notandum eſt, hæc epitheta Deo attribui pro loci circumſtantia. Nam ſicuti ad Hebræos c. 4. v. 12. ex eo quod Deus omnia perſpicit, ac nihil eſt illi abſconditum, ratiocinatur Apoſtolus ſermonem ipſius Dei ad intimas uſque medullas penetrare, ut cogitationes & affectus diſcernat: ita quum hoc loco Petrus eum viventem nominat & ſemper manentem, hoc ad Sermonem refertur, in quo illa Dei perpetuitas relucet tanquam in vivo ſpeculo.

24. *Quandoquidem omnis caro.*] Locum Jeſaiæ apte citat ad probationem utriuſque membri: hoc eſt, ut conſtet quam fluxa & miſera ſit prima hominis nativitas, & quanta regenerationis gratia. Nam quia illic Propheta de reſtitutione Eccleſiæ concionatur: ut locum illi faciat, homines redigit in nihilum, ne ſibi placeant. Scio à quibuſdam torqueri hæc verba in alium ſenſum. Quidam enim de Aſſyriis exponunt, acſi diceret Propheta, non eſſe cur Judæi ſibi à carne tantopere metuant, quæ ſimilis eſt flori caduco. Alii inanem fiduciam reprehendi putant, quam Judæi locabant in humanis præſidiis. ſed utrumque ſenſum refellit Propheta ipſe, dum ſubjicit, Utique herba eſt populus. Diſerte enim vanitatis Judæos damnat, quibus promittit inſtaurationem à Domino. Hoc itaque eſt quod jam dixi, donec oſtenſa fuerit hominibus ſua inanitas, non eſſe ad recipiendam Dei gratiam comparatos. In ſumma, talis eſt Prophetæ contextus: Quoniam Judæis exilium inſtar mortis cujuſdam erat, novam de integro conſolationem illis promittit. Deum enim adhuc Prophetas miſſurum cum ejuſmodi mandato: Adhuc dicet Dominus, inquit, Conſolamini populum meum. ac in deſerto & vaſtitate nihilominus vox Prophetica reſonabit, ut via Domino ſternatur. *Jeſa. 40. verſ. 6.* Quoniam autem purgari animos perverſa ſuperbia, qua turgent, neceſſe eſt, ut Deo aditus pateat: ſubjicit quod hic refert Petrus de evanida carnis gloria. Quid eſt homo? inquit. gramen. Quid eſt hominis gloria? flos herbæ. Nam quia difficile perſuaſu erat hominem, in quo tantum præſtantiæ apparet, eſſe herbæ ſimilem, quadam conceſſionis ſpecie utitur Propheta: acſi diceret, Sit ſane aliqua carnis gloria: ſed ne ea vobis oculos perſtringat, ſcitote emarcidum eſſe florem. Poſtea oſtendit qualiter ſubito evaneſcat quicquid hominibus conciliat gratiam, nempe Spiritus Dei flatu. Quo ſignificat, hominem videri aliquid donec ad Deum accedat, ſed totum ejus fulgorem nihili eſſe coram Deo: denique ejus gloriam in mundo reſidere, locum non habere in regno cæleſti. *Exaruit herba.* Putant multi hoc nonniſi ad externum hominem pertinere: ſed falluntur. ſpectanda eſt enim comparatio verbi Dei cum homine. Nam ſi corpus tantum & ea quæ ſunt præſentis vitæ intelligeret, dicendum ſecundo loco fuerat, animam longe excellentiorem eſſe. Atqui flori & herbæ nonniſi ſermonem Dei opponit: ſequitur ergo, in homine ſolam vanitatem inveniri. Ideo

quum

quum de carne & ejus gratia loquitur Jeſaias, totum hominem, qualis & quantus in ſe eſt, comprehendit. nam quod verbo Dei quaſi proprium adſcribit, vult homini detrahere. Denique idem agit Propheta quod Chriſtus Joan. 3: 3. hominem prorſus à regno Dei eſſe alienum, nihil niſi terrenum, caducum, & inane habere, niſi renatus fuerit.

25. *Verbum autem Domini.*] Non docet Propheta, quale ſit in ſe verbum Dei, ſed quale à nobis ſentiatur. poſtquam enim exinanitus eſt homo in ſeipſo, reſtat ut alibi quærat vitam. Hanc ergo vim atque efficaciam tribuit Petrus verbo Dei ex auctoritate Prophetæ, ut eſſe ſolidum & æternum nobis conferat. Huc enim reſpicit Propheta, non eſſe ſtabilem vitam niſi in Deo: eam vero nobis communicari per verbum. Quamlibet ergo caduca ſit hominis natura, æternus tamen per verbum efficitur, quia refingitur in novam creaturam. *Verbum quod annunciatum eſt vobis.* Primum admonet, quum verbi Dei fit mentio, perperam nos facere, ſi illud in aëre aut in cælo à nobis remotum imaginamur: debere enim agnoſci ut nobis patefactum eſt à Domino. Quid eſt igitur ſermo Domini qui nos vivificat? Nempe Lex, Prophetæ, Euangelium. extra hos revelationis fines qui vagantur, pro verbo Domini nonniſi Satanæ impoſturas & ſua delitia apprehendent. Quod eo diligentius notandum eſt, quia impii & Lucianici homines aſtute & relinquentes verbo Dei ſuum honorem, interea nos à Scripturis abducere conantur: ut impurus ille canis Agrippa, dum verbi Dei æternitatem magnifice extollit, ſcurriliter illudit Prophetis, atque ita oblique verbum Dei ſubſannat. In ſumma, quemadmodum jam admonui non fieri hic de verbo mentionem quod in pectore Dei clauſum lateat, ſed quod ab ore ejus profectum, ad nos manavit: ita rurſus habendum eſt, Deum per Apoſtolos & Prophetas voluiſſe nobis loqui, & illorum ora, os unius Dei eſſe. Deinde quum dicit Petrus, *vobis annunciatum eſt*, ſignificat, verbum non alibi quam in prædicatione quæ nobis offertur, quærendum eſſe. & ſane non aliter vim illam æternitatis ſentimus, quam fide. Atqui nulla erit fides, niſi verbum deſtinari nobis ſciamus. Eodem pertinet quod dicebat Moſes populo, Ne dixeris *Deut. 30. verſ. 12.* in corde tuo, Quis aſcendet in cælum, &c. Prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo. Illam enim concionem cum hac Petri congruere Paulus oſtendit, Rom. 10. verſ. 6. quum tradit illud eſſe fidei verbum quod prædicabat. Præterea hic non vulgari elogio externa prædicatio ornatur, quum Petrus illam eſſe vivificam pronunciat. Solus quidem eſt Deus qui nos regenerat, ſed ad eam rem utitur hominum miniſterio. qua ratione gloriatur Paulus *1 Cor. 4. verſ. 15.* Corinthios ſpiritualirer à ſe genitos. Certum quidem eſt eos qui plantant & rigant, nihil eſſe: ſed quoties Dominus benedicere vult eorum labori, Spiritus ſui virtute facit ut efficax ſit eorum doctrina: & vox quæ per ſe mortua eſt, vitæ æternæ ſit organum.

Cap. II.

Proinde depoſita omni malitia, & omni dolo, & ſimulationibus, & invidiis, & omnibus obtrectationibus,

2. Tanquam modo geniti infantes, lac rationale & dolo vacuum appetite, ut per illud ſuboleſcatis.

3. Si quidem guſtaſtis quod benignus ſit Dominus:

4. Ad quem accedentes, qui eſt lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretioſus:

5. Ipſi quoque tanquam vivi lapides ædificamini, domus *ſpiritualis*, *ſacerdotium ſanctum*, ad offerendas ſpirituales hoſtias, acceptas Deo per *Jeſum Chriſtum*.

Poſtquam fideles docuit verbo Dei eſſe regenitos, nunc hortatur ad ducendam vitam quæ geniture reſpondeat. Si enim ſpiritu vivimus, etiam ſpiritu ambulandum eſt, ut inquit Paulus. *Galat. 5. verſ. 25.* Ergo non ſufficit nos ſemel à Domino renovatos eſſe, niſi vivamus ut novas creaturas decet. Hæc ſumma eſt. Verum quod pertinet ad verba, metaphoram ſuam continuat Apoſtolus. Nam quia ſumus regeniti, puerilem à nobis vitam exigit: quo ſignificat exuendum eſſe eum operibus ſuis veterem hominem. Ideo congruit *Mat. 18. verſ. 2.* hæc ſententia cum illa Chriſti, Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum Dei. Et *infantia* hæc carnis vetuſtati, quæ ad corruptionem tendit, à Petro opponitur. *Lactis* vero nomine, affectus omnes ſpiritualis vitæ comprehendit. Eſt enim in hac quoque parte antitheſis inter vitia quæ recenſet, & lac rationale. Acſi dixiſſet, Malitia & ſimulatio, eorum eſt qui mundi corruptelis aſſuefacti, hæc vitia imbiberunt: infantiæ, ſincera & omni dolo pura ſimplicitas convenit. Homines diu vivendo imbuuntur invidia, diſcunt obtrectare alii aliis, erudiuntur ad nocendi artes: denique ad omne mali genus veteratores fiunt: infantes, nondum per ætatem capiunt quid ſit invidere, nocere, & ſimilia. Vitia ergo in quibus exercitata eſt carnis vetuſtas, robuſtis cibis comparat: lac autem vocatur conſentanea innoxiæ naturæ & ſimplici infantiæ vivendi ratio.

1. *Omni malitia*] Non eſt integra omnium enumeratio quæ deponi à nobis oportet: ſed quum de veteri homine diſputant Apoſtoli, quædam vitia proponunt in exemplum, quibus totum illius ingenium deſignant. Nota ſunt carnis opera, inquit Paulus: *Galat. 5. verſ. 19.* neque tamen omnia illic colligit. ſed in paucis illis, quaſi in ſpeculo conſpicere licet immenſam colluviem quæ ex carne noſtra ſcaturit. Ita & aliis locis, ubi reformare vult totam hominis vitam, paucas tamen ſpecies duntaxat attingit, unde intelligi poſſit genus univerſum. Perinde ergo valet quod dicit, atque, Depoſitis prioris vitæ fructibus, quales ſunt malitia, dolus, ſimulationes, invidiæ, & ejuſmodi reliqua, addicite vos contrariis ſtudiis. bonitatem, modeſtiam colite. denique hoc contendit, ut novam vitam ſequantur novi mores.

2. *Lac rationale.*] Vulgo exponunt hunc locum qualiter Eraſmus tranſtulit, Lac non corporis, ſed animæ: quaſi Apoſtolus hoc verbo ſe metaphorice loqui admoneat. Ego potius hoc verbum exiſtimo convenire cum illa Pauli ſententia, Ne ſitis pueri *1 Cor. 14. verſ. 20.* ſenſu, ſed malitia. Ne quis enim putaret intelligentiæ expertem infantiam, fatuitatis vero plenam ab eo laudari, mature occurrit: ita lac dolo vacuum jubet appetere, ut tamen recta intelligentia conditum ſit. Nunc videmus quorſum hæc duo epitheta ſimul connectat, λογικὸν καὶ ἄδολον. Sunt enim res in ſpeciem diverſæ ſimplicitas & perſpicientia: verum ſimul miſceri oportet, ut ne inſipida ſit ſimplicitas: nec pro intelligentia, malitioſa vafrities obrepat. Sic bene temperata erit conditura, juxta illud Chriſti, Eſtote *Mat. 10. verſ. 16.* prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ. Atque

que hoc modo ſolvitut quæſtio, quæ alioqui objici poterat. Paulus exprobrat Corinthiis, quod pueris ſint ſimiles: ideoque ſolidum cibum ferre nequeant, ſed lacte alendi ſint. *1 Cor. 3. verſ. 1.* Eadem fere ſententia habetur in Epiſtola ad Hebræos 5. v. 12. Verum illic pueris comparantur, qui in pietatis doctrina ſemper novitii ſunt ac rudes tirunculi, qui in primis elementis hærent, nec unquam penetrant in altiorem Dei notitiam. *Lac* vocatur craſſior & puerilis docendi forma, quum ultra prima rudimenta nunquam fit progreſſus. Merito itaque hoc vitio vertunt tam Paulus quam auctor Epiſtolæ ad Hebræos. Hic vero lac, non elementaris eſt doctrina, ut perpetuo quis diſcat, nunquam ad veritatis perveniat notitiam: ſed vitæ ratio quæ novam genituram ſapiat, quum nos permittimus Deo educandos. Similiter *infantia*, non virili & plane adultæ Chriſti ætati (ut alibi Paulus vocat) ſed vetuſtati carnis & prioris vitæ opponitur. *Epheſ. 4. verſ. 13.* Porro ſicuti perpetua eſt novæ vitæ infantia, ita continuum lactis alimentum Petrus commendat: vult enim nos ipſo educatos grandeſcere.

3. *Si quidem guſtaſtis.*] Alludit ad illud Pſal. 34. Guſtate & videte, &c. Hunc vero guſtum in Chriſto percipi ſignificat: ut certe nullam unquam extra Chriſtum requiem animæ noſtræ invenient. Duxit autem exhortationis argumentum à Dei bonitate, quod ejus ſuavitas, quam in Chriſto ſentimus, allicere nos debeat. Nam quod ſubjicitur, *Ad quem accedentes*, non ſimpliciter ad Deum refertur: ſed ipſum deſignat qualis patefactus eſt in perſona Chriſti. Jam vero fieri nequit quin nos ad ſe totos rapiat Dei gratia, ſuique amore inflammet, ex quo ſerium ejus ſenſum concepimus. Hoc ſi Plato de ſuo Pulchro affirmat, cujus umbratilem duntaxat ideam procul intuebatur: multo verius in Deum competit. Hoc ergo notandum, quod Petrus acceſſum ad Deum cum bonitatis ejus guſtu conjungit. Sicuti enim neceſſario Deum horret ac fugit mens humana, quamdiu rigidum ac ſeverum ſibi fingit: ita ſimulac paternum ſuum amorem patefecit ipſe fidelibus, nihil reſtat niſi ut poſthabitis omnibus, ſeque adeo ipſos obliti, ad eum properent. In ſumma, profecit is demum in Euangelio, qui corde ad Deum accedit. Verum ſimul oſtendit in quem finem, & qua conditione accedere nos ad Chriſtum oporteat: nempe ut in ipſo fundemur. Nam quum in lapidem conſtitutus ſit; hanc vim erga nos proferat oportet, ne fruſtra & inutiliter quicquam illi à Patre injunctum ſit. Occurrit autem ſcandalo, quum fatetur ab hominibus reprobatum: nam quia bona pars mundi Chriſtum reſpuit, multi etiam ab ipſo abhorrent: poſſet hac occaſione à nobis contemni. Quemadmodum videmus quoſdam imperitos alienari ab Euangelio, quia non ſit ubique plauſibile, nec gratiam ſuis profeſſoribus conciliet. Atqui Petrus minoris Chriſtum à nobis fieri vetat, utcunque ſit mundo contemptibilis: quia nihilominus ſuum coram Deo pretium honoremque retineat.

5. *Tanquam vivi lapides ædificamini.*] Verbum hoc tam indicativi quam imperativi modi eſſe poteſt. nam apud Græcos quoque ambigua eſt terminatio. Cæterum utrovis modo ſumatur, non dubium eſt quin hortari Petrus velit fideles, ut ſe in ſpirituale Deo templum conſecrent. nam à fine vocationis, quale noſtrum ſit officium apte ratiocinatur. Porro notandum eſt, quod ex univerſo fidelium numero domum unam conſtruit. Nam etſi quiſque noſtrum Dei templum eſt ac dicitur, omnes tamen coadunari in unum, & mutua charitate conglutinari neceſſe eſt, ut unum ex omnibus templum fiat. Ergo ſicuti verum eſt ſingulos eſſe templa, in quibus Deus per Spiritum ſuum habitat: ita ſingulos inter ſe aptari neceſſe eſt, ut ad ſtructuram univerſalis templi conveniant. Hoc fit dum ſua quiſque menſura contentus, intra officii ſui terminos ſe continet: omnes tamen quicquid habent facultatis in commune conferunt. Quod nos *lapides vivos* appellat, & *ſpirituale ædificium*, ſicuti prius dixerat Chriſtum, vivum lapidem, in eo ſubeſt tacita comparatio veteris templi; atque id valet ad gratiæ amplificationem. Eodem pertinet quod ſubjicit de hoſtiis ſpiritualibus. Quanto enim figuris præſtantior eſt veritas: eo magis excellunt omnia ſub Chriſti regnum. Habemus enim cæleſte illud exemplar, cui ſubſerviebat vetus ſanctuarium, & quicquid Moſes in Lege inſtituit. *Sacerdotium ſanctum.* Hæc ſingularis eſt dignatio, quod Deus non modo nos ſibi in templum conſecrat, in quo habitet ac colatur, ſed vult ſimul eſſe ſacerdotes. Atque hunc duplicem honorem ideo commemorat Petrus, ut nos ad Dei cultum acrius ſtimulet. Inter hoſtias ſpirituales primum locum obtinet generalis noſtri oblatio, de qua Paulus ad Rom. 12. v. 1. Neque enim offerre quicquam poſſumus Deo, donec illi nosipſos in ſacrificium obtulerimus: quod fit noſtri abnegatione. Sequuntur poſtea preces & gratiarum actiones, eleemoſynæ, & omnia pietatis exercitia. *Acceptas Deo.* Hoc quoque non parum alacritatis addere nobis debet, quum ſcimus Deo placere quem illi præſtamus cultum: ſicuti dubitatio pigritiam ſecum neceſſario trahit. Ergo hic tertius eſt exhortationis ſtimulus, quod teſtatur accepta eſſe Deo noſtra officia, ne trepidatio ſegniores nos reddat. Magno quidem fervore idololatræ feruntur ad fictitios ſuos cultus: ſed hoc ideo fit, quia Satan inebriat eorum mentes, ne in operum ſuorum conſiderationem veniant. quoties autem in examen vocantur eorum conſcientiæ, labaſcere incipiunt. Certum quidem eſt fieri non poſſe ut quiſquam ſerio & ex animo ſe Deo addicat, niſi certo perſuaſus ſit non fruſtra ſe laborare. Sed addit Apoſtolus, *per Chriſtum*. Nunquam enim ea reperietur in ſacrificiis noſtris puritas, ut per ſe Deo grata ſint: nunquam integra ac plena eſt noſtri abnegatio: nunquam tam ſincerus precandi affectus, ut decebat: nunquam tam ardenter & ſtrenue incumbimus ad bene agendum, quin mutila ſint ac multis vitiis implicita noſtra opera. Sed Chriſtus nihilominus illis gratiam conciliat. Diffidentiæ igitur, quam de operum noſtrorum acceptione concipere poſſemus, hic Petrus occurrit, quum dicit accepta eſſe non præſtantiæ ſuæ merito, ſed propter Chriſtum. Atque hoc ſtudii noſtri ardorem magis accendere debet, quum audimus Deum tam indulgenter nobiſcum agere, ut in Chriſto æſtimet noſtra opera quæ in ſeipſis nihil merebantur. Quanquam particula hæc, *per Chriſtum*, apte conjungi poſſet cum verbo Offerendi. Nam ſimilis loquutio habetur ad Hebræos cap. 13. v. 15. Per ipſum offeramus hoſtiam laudis Deo. Idem tamen manebit ſenſus: quia per Chriſtum offerimus, ut Deo ſacrificium placeat.

6. Propterea etiam continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in illo, non pudefiet.

7. Vobis ergo qui creditis, pretioſus: incredulis vero, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic poſitus eſt in caput anguli:

8. Et lapis impactionis, & petra offendiculi iis qui impingunt in ſermonem, nec credunt: in quod etiam ordinati fuerant.

6. *Continet*

6. *Continet Scriptura.*] Qui verbum περιέχει ad Chriſtum referunt, & exponunt Complecti, quia per ipſum inter ſe hi omnes cohæreant, procul diſcedunt à mente Apoſtoli. Nihilo magis recipienda eſt altera expoſitio, Chriſtum excellere. ſimpliciter enim Scripturæ teſtimonium citare voluit Petrus. Significat ergo proditum à Spiritu ſancto in Scripturis, vel (quod idem valet) illic comprehendi quod ſubjicit. Nec vero ſupervacua fuit proximæ ſententiæ confirmatio. Videmus enim quam levibus de cauſis ac prope nullis abhorreant multi à Chriſto, nonnulli vero deficiant. ſed hoc offendiculum præ aliis maxime quoſdam impedit: abducit alios quod Chriſtum non modo vulgus hominum contemnit ac reſpuit, ſed qui conſtituti ſunt in aliquo dignitatis gradu, videnturque inter alios excellere. Hic error ſemper fere viguit in mundo, & hodie nimium graſſatur, ut bona pars Chriſtum æſtimet ex perverſo mundi judicio. Porro, quæ hominum eſt ingratitudo & impietas, paſſim contemnitur Chriſtus. ita fit, dum alii alios reſpiciunt, ut pauci juſtum honorem illi habeant. Ideo admonet Petrus quid de Chriſto prædictum fuerit, ne ejus contemptus aut rejectio à recta fide nos dimoveat. Cæterum primus locus quem adducit, ſumptus eſt ex Jeſaiæ cap. 28. v. 18. ubi, poſtquam invectus eſt Propheta in deploratam gentis ſuæ malitiam, tandem ſubjicit, Non efficiet veſtra perfidia quin Deus Eccleſiam ſuam inſtauret, quæ nunc per vos tota jacet in ruinis. Modum reparationis adſcribit, Ponam in Sion lapidem. Unde colligimus, ſine Chriſto nullum eſſe Eccleſiæ ædificium: neque enim alibi quam in ipſo fundari poteſt, ſicuti
1 Cor. 3. Paulus teſtatur. Nec mirum: in eo enim compre-
verſ. 11. henduntur omnes ſalutis noſtræ partes. Ergo quiſquis vel minimum ab eo deflectit, pro fultura præcipitium inveniet. Quare Propheta non tantum lapidem angularem ipſum vocat cui præcipua ædificii moles incumbit: ſed lapidem probationis, ad quem exigi debet atque aptari ſtructuræ modus: deinde fundamentum ſolidum, quod ſtructuram univerſam continet. Proinde ita eſt lapis anguli, ut ſit totius ædificii regula, ut ſit unicum fundamentum. Sed Petrus ex Prophetæ verbis ſumpſit quod præſenti inſtituto maxime quadrabat: nempe quod ſit electus lapis, honoriſque & præſtantiæ plenus: deinde quod in eo nos fundari oporteat. Honor huc pertinet, ne Chriſtus, utcunque mundo ſit contemptibilis, à nobis ſpernatur, quando apud Deum ſummo in pretio eſt. Quum autem vocat *lapidem anguli*, ſignificat eos nullam habere ſuæ ſalutis curam qui in Chriſtum non recumbunt. Quod aliqui in voce Anguli ſubtilius philoſophantur, quaſi hoc ideo dictum ſit, quod Chriſtus Judæos & Gentes, tanquam duos parietes diverſos, ſimul conjungat, non ſatis firmum eſt. Contenti ergo ſimus ſimplici expoſitione, ideo ſic vocari, quia ædificii pondus illo nititur. Obſervandum præterea eſt, quod Propheta Deum inducit hic loquentem. Solus enim ipſe opifex Eccleſiæ ſuæ eſt ac architectus:
Pſal. 48. quemadmodum in Pſalmo habetur, quod manus ejus
verſ. 29. Sionem fundavit. Utitur quidem hominum opera ad hanc ſtructuram, & miniſterio: ſed hoc non obſtat quin ſuum unius opus eſſe, vere aſſerat. Chriſtus ergo nobis ſalutis eſt fundamentum, quia in hunc finem nobis ordinatus eſt à Patre. Dicit autem *in Sion*, quia illic inchoari oportuit ſpirituale Dei templum. Quare ut ſolide fides noſtra Chriſto nitatur, veniendum eſt ad Legem & Prophetas. Tametſi enim totum orbem ad extremos uſque angulos occupat hic lapis: primo tamen in Sion locari neceſſe fuit, ubi tunc erat Eccleſiæ ſedes. Tunc enim poſitus fuiſſe dicitur, quum Pater eum manifeſtavit, ut Eccleſiam ſuam reſtitueret. Denique ſic habendum eſt, eos Chriſto niti ſolos qui Eccleſiæ unitatem colunt, quia non niſi in Sion poſitus eſt lapis fulturæ. Quia autem ex Sione prodiit Eccleſia quæ nunc quaquaverſum diffuſa eſt, illinc quoque fides noſtra habet
exordium: ſicut dicit Jeſaias, E Sion exibit Lex, & Jeſ. 2: 3.
verbum Domini è Jeruſalem. Cui reſpondet illud Pſalm. 110: 2. Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus è Sion. *Qui crediderit.* Propheta non exprimit, *in ipſo:* ſed generaliter dicit, Credens non feſtinabit. Quia tamen non eſt dubium, quin Deus Chriſtum illic nobis proponat in ſcopum fidei: fides de qua Propheta loquitur, in hunc ſolum intueri debet. Et certe nemo rite credere poteſt, niſi qui Chriſtum ſibi ſtatuit in quo tota mente conſiſtat. Cæterum Prophetæ ſententia bifariam poteſt exponi, nempe ut ſit vel promiſſio, vel exhortatio. Futurum tempus uſurpat, Non feſtinabit, ſed quod pro Imperativo ſæpe capitur apud Hebræos, Ne feſtinet. Ita ſenſus eſſet, Nolite in animis veſtris tumultuari, ſed placide ſuſtinete veſtrum deſiderium: & cohibete ve-
ſtros affectus, donec præſtet Dominus quod promit- Jeſa. 30.
tit. Quemadmodum alibi dicit, In ſilentio & quiete verſ. 15.
erit fortitudo veſtra. Sed quoniam altera lectio propius ad Petri interpretationem accedere videtur, eam magis amplector. Et ſenſus non male conveniet, Credens non nutabit aut vacillabit: quia firmam ac ſtabilem fulturam habet. Atque hæc inſignis eſt doctrina, quod Chriſto ſubnixi, extra lapſus periculum ſimus. Porro idem valet *pudefieri* quod Trepidare. quare genuinum ſenſum Prophetæ retinuit Petrus, utcunque Græcam verſionem ſequutus ſit.

7. *Vobis ergo qui creditis.*] Quum Deus Chriſtum pronunciet lapidem eſſe pretioſum & electum, talem nobis fore colligit Apoſtolus. Nam certe illic deſcribitur Chriſtus qualem ipſum apprehendimus fidei ſenſu, & qualem ſe veris experimentis probat. Quare diligenter notanda eſt illatio, Chriſtus coram Deo electus eſt lapis: ergo fidelibus talis eſt. ſola enim eſt fides, quæ pretium ac excellentiam Chriſti nobis patefacit. Quoniam autem Apoſtoli conſilium eſt obviare ſcandalo quod nobis multitudo impiorum gignit, ſtatim alterum membrum ſubjicit *de ipſis* incredulis, quod Chriſtum reſpuendo, non auferant tamen honorem illi à Patre datum. In eam rem citatur verſus ex Pſal. 118. quod lapis quem reprobarunt ædificantes, ſtatuatur nihilominus in caput anguli. Unde ſequitur, *Chriſtum invitis hoſtibus manere tamen in ſuo gradu, in quo Pater illum locavit.* Quanquam duæ ſententiæ hic notandæ ſunt. Prior eſt, Chriſtum oportuiſſe rejici ab iis qui regimen in Eccleſia Dei obtinebant. Altera vero, inanes fore ipſorum conatus, quia impleri *oporteat* quod Deus decrevit, ut tanquam lapis angularis ſuſtineat ædificium. Porro locum hunc de Chriſto vero & proprie debere intelligi, non modo Spiritus ſanctus teſtis eſt, & Chriſtus ipſe qui ſic expoſuit: ſed ex eo etiam colligi poteſt, quod antequam Chriſtus veniret in mundum, vulgo ita receptum erat. nec dubium quin à Patribus quaſi per manus tradita eſſet hæc expoſi-
tio. Itaque videmus pueris quoque ipſis quaſi vulga- Mat. 21.
rem fuiſſe de Meſſia cantilenam. quare ego de hac re verſ. 15.
non longius diſputabo. Sumamus itaque pro confeſſo, Davidem ſic fuiſſe ætate ſua lapidem reprobatum, ut Chriſti perſonam geſſerit. Redeamus nunc ad prius membrum. Chriſtus ab architectis rejicitur: hoc in Davide fuerat prius adumbratum. nam qui rerum potiebantur, eum habebant pro damnato & perdito. Idem in Chriſto impletum fuit. nam qui præerant gubernandæ Eccleſiæ, ipſum quoque reprobarunt, quantum in ipſis fuit. Hoc valde percellere infirmos poterat, quum viderent totidem eſſe Chriſti hoſtes, quot erant Sacerdotes, Preſbyteri & Doctores, in quibus ſolis conſpicua erat imago Eccleſiæ. Huic ſcandalo dum mederi vult Petrus, Davidis teſtimonio prædictum fuiſſe admonet quod tunc cernebant fideles. Præſertim autem Judæos alloquitur, ad quos proprie hoc pertinebat: quanquam non minus hodie utilis eſt hæc admonitio.

Nam

Nam qui ſibi primatum arrogant in Eccleſia, infeſtiſſimi ſunt Chriſti hoſtes, ac diabolica rabie perſequuntur ejus Euangelium. Papa ſe vicarium nominat: videmus autem quam atrociter illi adverſetur. Simplices ac imperitos conſternat hoc ſpectaculum. cur iſtud? nempe quia non reputant accidere quod David prædixit. Meminerimus itaque hoc vaticinio non tantum admonitos fuiſſe qui viderunt Chriſtum à Scribis & Phariſæis rejici: ſed nos etiam muniri adverſus quotidiana ſcandala, quæ fidem noſtram alioqui labefactare poſſent. Quoties, inquam, videmus eos qui Præſulum titulo gloriantur, inſurgere adverſus Chriſtum, veniat hoc nobis in mentem, reprobari lapidem ab architectis, ſicuti à Davide prædictum eſt. Quemadmodum autem trita eſt metaphora ædificii, quum de politico vel ſpirituali regimine agitur: ita David architectos vocat quibus commiſſa eſt gubernandi cura & poteſtas: non quod recte ædificent, ſed quia nomen habent, & ordinaria poteſtate ſunt præditi. Unde ſequitur, non ſemper fideles ac veros Dei miniſtros eſſe, qui ſunt in officio conſtituti. Bis ergo ridiculus eſt Papa cum ſuis, dum ſibi hoc ſolo prætextu ſummam & indubiam auctoritatem arrogant, quod ordinarii ſunt Eccleſiæ præſides. Primum nihilo juſtior aut magis legitima eſt illorum vocatio ad regendam Eccleſiam quam Heliogabali ad regendum Imperium. Verum ut illis demus quod impudenter obtendunt, rite vocatos eſſe: videmus tamen quid de ordinariis Eccleſiæ præſulibus David pronunciet: Chriſtum ſcilicet ab ipſis rejici: ut porcis haram magis quam Deo templum ædificent. Sequitur altera pars, quod non efficient magni omnes qui potentia & dignitate ſua ſuperbiunt, quin maneat Chriſtus ſuo loco.

8. *Lapis impactionis.*] Poſtquam fideles conſolatus eſt, quod in Chriſto habituri ſint fundamentum ſolidum & ſtabile, quamvis major pars, adeoque primores ipſi nullum illi in ædificio locum aſſignent: nunc pœnam denunciat quæ manet omnes incredulos, ut horum exemplo illi terreantur. In hunc finem citat Jeſaiæ teſtimonium ex cap. 8. v. 14. Illic Propheta Dominum minatur fore Judæis in lapidem offenſionis & petram ſcandali. Hoc proprie in Chriſtum competere, colligi poteſt ex textu. & Paulus ad Chriſtum accommodat Rom. 9: 32. Nam in ejus perſona Deus exercituum ſe plene manifeſtavit. Hic ergo terribilis Dei ultio denunciatur omnibus impiis, quod illis Chriſtus in offendiculum & impactionem futurus ſit, quia in eo fundari renuunt. Qualis enim eſt Chriſti firmitudo ad ſuſtinendos omnes qui fide in ipſum recumbunt; talis eſt durities ad frangendos & conterendos omnes qui illi reſiſtunt. Nihil enim inter iſta duo medium eſt, quin vel ſuper eum nos extrui, vel ad ipſum collidi oporteat. *Qui impingunt in ſermonem.* Modum hic deſignat quo in offendiculum Chriſtus cedit: nempe dum ſe pervicaciter opponunt homines verbo Dei. Hoc fecerunt Judæi: quia tametſi Meſſiam ſe velle amplecti profitebantur, ipſum tamen à Deo ſibi oblatum, furioſe repellebant. In eadem hodie cauſa ſunt Papiſtæ: adorant nudum Chriſti nomen, Euangelii doctrinam audire non ſuſtinent. Significat ergo Petrus, omnes qui Chriſtum Euangelio ſuo veſtitum non recipiunt, Dei eſſe adverſarios, & ejus verbo reluctari: deinde Chriſtum nullis eſſe exitio, niſi qui cæco malitiæ & obſtinationis impetu adverſus Dei verbum irruunt. Atque hoc notatu in primis utile eſt, ne vitii noſtri culpa Chriſto imputetur. nam quum nobis in fundamentum datus ſit, illi accidentale eſt eſſe petram ſcandali. In ſumma, proprium ejus munus eſt nos in ſpirituale Deo templum aptare: fit autem hominum vitio, ut in ipſum impingant: quia ſcilicet incredulitas homines cum Deo in certamen committit. Itaque Petrus, ut conflictum exprimeret, dixit eſſe incredulos. *In quod etiam ordinati.* Bifariam exponi poteſt hic locus. Certum quidem eſt Petrum de Judæis loqui. vulgo autem interpretantur, quod poſiti fuerint ad credendum, quia illis deſtinata erat ſalutis promiſſio: ſed alter ſenſus peræque quadrare poteſt, quod ad incredulitatem ordinati fuerint: quemadmodum Pharao dicitur in hoc poſitus ut Deo reſiſtat, & reprobi omnes in ſuum finem deſtinati ſunt. *Exod. 9. verſ. 16.* Atque ut in hunc ſenſum inclinem, facit particula καὶ interpoſita. Quod ſi tamen prior expoſitio magis arridet, vehemens exprobratio eſt. Nam inde Petrus incredulitatem populi à Deo electi exaggerat, quod ſalutem peculiariter ſibi ordinatam reſpuerit. Et certe hæc circumſtantia bis eos reddit inexcuſabiles, quod præ aliis vocati, Deum audire recuſaverint. Cæterum quod dicit poſitos fuiſſe ad credendum, ad externam duntaxat vocationem refertur: nempe intuitu fœderis quod Deus promiſcue cum tota gente pepigerat. Quanquam (ut dictum eſt) ſatis convicta eſt hominum ingratitudo, quum verbum ſibi propoſitum rejiciunt.

9. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus in acquiſitionem, ut virtutes enarretis ejus qui vos ex tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum.

10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſequuti eratis miſericordiam, nunc miſericordiam conſequuti eſtis.

9. *Vos genus electum.*] Iterum eos ab incredulis ſeparat, ne eorum exemplo in transverſum acti (ut plerumque fieri ſolet) à recta fide deficiant. Quoniam ergo abſurdum eſt ut ſe impiorum ſocietate involvant quos Deus à mundo ſegregavit, fideles hic Petrus admonet in quantum honorem evecti fuerint: deinde quorſum & ad quid vocati. Porro iiſdem elogiis quæ in eos confert, veterem populum
Exod. 19. verſ. 6. ornabat Moſes: ſed docere vult, ipſos Chriſti beneficio tantam dignationem, à qua exciderant, de integro recuperaſſe. Quanquam ſimul verum eſt, terrenum duntaxat bonorum iſtorum guſtum præbuiſſe Deum Patribus, ſolidam exhibitionem in Chriſto conſtare. Perinde igitur valet hæc ſententia, acſi dixiſſet, Patres veſtros olim Moſes gentem ſanctam, regnum ſacerdotale, & Dei peculium vocabat: nunc majori jure in vos competunt iſti omnes tituli: quare videndum eſt ne vos illis ſpoliet veſtra incredulitas. Interea tamen quia major pars gentis incredula erat, Judæos fideles Apoſtolus reliquis omnibus tacite opponit, tametſi numero prævalebant: acſi diceret, eos demum genuinos eſſe filios Abrahæ, qui in Chriſtum credunt: eoſque ſolos poſſeſſionem retinere bonorum omnium quæ Deus ſingulari quodam privilegio in totam gentem contulerat. *Genus* electum vocat, quod ſibi Deus præteritis aliis, tanquam maxime eximium adoptavit: *gentem* ſanctam, quam dicavit ſibi & deſtinavit in puritatem vitæ ac ſanctimoniam: *populum* in acquiſitionem, ut illi ſit quaſi peculium & hæreditas. Sic enim ſimpliciter accipio, quod Dominus nos vocavit, ut tanquam vere ſuos & ſibi addictos poſſideat. Quem ſenſum comprobant verba Moſis, Si cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in theſaurum peculiarem præ cunctis populis. *Exod. 19, verſ. 5.* In *ſacerdotio* regali elegans eſt verborum Moſis inverſio. is enim dicit Regnum ſacerdotale: quod idem valet. Itaque hoc vult Petrus, Patres veſtros Moſes vocabat ſacrum regnum, quia totus populus quaſi regia

libertate præditus erat, & ex ejus corpore electi erant ſacerdotes. proinde utraque dignitai ſimul permiſta erat. Nunc vos eſtis ſacerdotes regii, & quidem præſtantiore modo: quia ſinguli in Chriſto conſecrati eſtis, ut ſitis & regni ſocii, & ſacerdotii participes. tametſi ergo aliquid vobiſcum ſimile habuerint Patres, illis tamen longe præſtatis. Cæterum poſtquam diruta eſt à Cbriſto maceria, ex quacuoque ſimus gente, his omnibus titulis nos Dominus ioſignit, dum nos populo ſuo aecenſet. Porro in his omnibus beoeficiis conſideranda eſt antitbeſis inter nos & reliquum genus humanum: unde melius apparet quam incomparabilis ſit erga nos Dei bonitas, qui nos ſanctificat, quum polluti ſimus natura: elegir, quum nihil inveniat in nobis niſi ſœdum & reprobum: nos ex nihili ſordibus peculium ſuum facit: profanis ſacerdotii bonorem confert: Satanæ, peccati, & mortis mancipia in regiam libertatem evehit. *Ut virtutes enarretis.* Sedulo finem vocationis inculcat, ut eos ſtimulet ad dandam Deo gloriam. Summa autem eſt, Deum immenſis beneficiis nos dignatum eſſe, & aſſidue proſequi, ut per nos illuſtretur ſua gloria. Nam per *virtutes* ſapientiam, & bonitatem, & potentiam, & juſtitiam iotelligit, & quicquid tale eſt in quo refulget Dei gloria. Porro has virtutes non lingua modo narrare nos decet, ſed tota vita. Hæc doctrina quotidie meditanda eſt, ac ſingulis momentis debet in memuriam recurrere, bue tendere omnia Dei beneficia quibus nos afficit, ut per nos ejus gloria prædicetur. Notandum etiam quod dicit, *vocatos* eſſe ex tenebris in admirabile Dei lumen. Nam his verbis gratiæ magnitudinem amplificat. Si Dominus in itinere nobis occurreret lumen quærentibus, boc mediocre eſſet beneficium: ſed boc multo excellentius, quod nos ex labyrintho cæcitatis, & tenebrarum abyſſo eruit. Unde diſcendum eſt qualis ſit bominum conditio, antequam in regnum Dei transferantur. Atque boc eſt quod ait Jeſaias, Tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem videbitur Dominus, & gloria illius in te refulgebit. Et ſane fieri aliter nequit quin ſimus in profundis tenebris demerſi, poſtquam à Deo diſceſſimus, qui lux noſtra eſt. Qua de re fuſius Epheſiorum capite ſecuodo. *Jeſa. 60. verſ. 2*

10. *Aliquando non populus.*] Locum Oſeæ adducit in confirmationem: & optime inſtituto ſuo accommodat. Nam poſtquam Oſeas Dei nomine repudium Judæis indixit, ſpem illis facit futuræ reconciliationis. Hoc Petrus ſuo ſeculo impletum fuiſſe admonet: nam buc illuc diſperſi erant Judæi, quaſi laceri corporis membra: imo videbantur reſecti eſſe ex Dei populo. nullus apud eos cultus reſtabat: Gentium corruptelis erant implieiti. Aliud ergo dici non poterat, quam eſſe à Domino repudiatos. Quum autem in Chriſto colliguntur, vere ex non populo fiunt populus Dei. Paulus ad Rom. cap. 9. v. 26. boc vaticinium ad Gentes quoque trabit, nec immerito: ex quo enim ruptum eſt fœdus Domini, quo ſolo Judæi excellunt, Gentibus ſunt æquales. Unde ſequitur, communiter ad utroſque pertinere quod Deus promittit, ut faciat ſibi populum ex non populo. *Non conſequuti miſericordiam.* Hoc ideo additum fuit à Propheta, quo melius exprimeret gratuitum eſſe Dei fœdus quo nos in populum aſſumit: acſi dixiſſet, non aliam eſſe cauſam cur Dominus nos pro ſuis reputet, niſi quia noſtri miſertus, gratis nos adoptat. Sola igitur eſt gratuita Dei bonitas quæ nos facit ex non populo, Dei populum, vel alienatos conciliat.

11. Amici, adhortor vos tanquam inquilinos & peregrinos, ut abſtineatis à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.

12. Converſationem veſtram inter Gentes bonam habentes: ut in quo detrahunt de
* vel, conſiderantes. vobis tanquam maleficis, ex bonis operibus * æſtimantes glorificent Deum in die viſitationis.

11. *Tanquam inquilinos.*] Duæ ſunt bujus exbortationis partes: ut aoimi intus pravis & vitioſis cupiditatibus vacui ac puri ſint: deinde ut boneſte verſentur inter bomines: ac bonæ vitæ exemplo non tantum confirment pios, ſed infideles quoque Deo lucrifaciant. Primum autem ut à cupiditatibus carnis eos revocet, boc argumento utitur, quod advenæ ſint & peregrini. Sie autem eos appellat, non quia à patria exularent, ac diſſipati eſſent in diverſis regionibus: ſed quia filii Dei ubicunque terrarum agant, mundi ſunt boſpites. Priore quidem ſenſu, initio Epiſtolæ eos vocavit inquilinos, quemadmodum ex circumſtantia loci apparet: ſed quod hic dicit, id omnibus commune eſt. Ideo enim nos carois deſideria implicitos tenent, quia mente in mundo reſidemus, nec cogitamus cælum eſſe patriam: qui autem tanquam peregrini per hanc vitam tranſeunt, carni nunquam erunt addicti. *Carnis* autem *deſideria* intelligit, non tantum craſſos & cum pecudibus communes appetitus, ſicuti Sophiſtæ exponunt: ſed omnes animæ noſtræ affectus, ad quos natura ferimur ac ducimur. Certum enim eſt cogitationem omnem carnis, boc eſt, naturæ non correctæ, inimicitiam eſſe adverſus Deum, Rom. 8: 7. *Quæ militant adverſus animam.* Aliud argumentum, quod non poſſint carnis deſideriis morem gerere, niſi in ſuam perniciem. Neque enim certamen hic notat quale deſcribitur à Paulo, ſeptimo ad Rom. capite, & quinto ad Galatas, ubi animam ſtatuat tanquam antagoniſtam: ſed boc dicit, carnis affectus, utcunque illis anima conſentiat, in ejus exitium tendere. Socordiam enim noſtram in eo arguit, quod quum anxie iotenti ſimus ad cavendos boſtes à quibus timemus corporis periculum: ita ſponte admittimus ſonticos animæ hoſtes, ut nos interimant: *imo quaſi jugulum* illis porrigimus.

12. *Converſationem veſtram.*] Alterum exhortationis membrum, ut ſe boneſte gerant apud homines. Hoc quidem ordine præcedit, ut animi coram Deo purgati ſint: ſed habenda deinde & bominum ratio, ne ſcandalo illis ſimus. Nominatim autem dicir, *inter Gentes quæ detrahunt.* Erant enim ubique Judæi non tantura exoſi, ſed fere deteſtabiles. Eo itaque magis ſtudendum erat, ut ſancta vita & moribus recte compoſitis, odium ac infamiam nominis ſui delerent. Tenenda enim eſt illa Pauli admonitio, ne detur occaſio iis qui eam captant. Itaque impiorum maledicentiæ & ſiniſtri ſermones, ſtimuli nobis eſſe debent ad recte vivendum. Neque enim ſecure oſcitandi tempus eſt, dum illi ad obſervandum quicquid delinquimus, acriter vigilant. *Glorificent Deum.* Significat non eſſe noſtra cauſa laborandum, ut bene de nobis ſentiant bomines ac loquantur: ſed quærendam eſſe Dei gloriam: quemadmodum & Cbriſtus docet. Modum autem oſtendit Petrus. nempe quod bonis noſtris operibus adducti infideles, ſe quoque Deo ſubjicient: atque ita in ſuæ converſionis ratione dabunt Deo gloriam. Hoc enim ſignificat *dies viſitationis.* Seio quoſdam ad extremum Cbriſti adventum referre: ſed ego aliter accipio: quod ſcilicet Deus ſancta & boneſta ſuorum vita, taoquam præparatione uterur, ut in viam errantes reducat. Hoc enim converſionis noſtræ initium eſt, quum Deus paterno oculo reſpicere nos dignatur: ſi autem averſa eſt ejus à nobis facies, periimus. Quare dies viſitationis merito dicitur, dum nos ad ſe revocat.

13. Sub-

13. Subditi ergo eſtote omni humanæ ordinationi propter Dominum: ſive Regi, tanquam ſupereminenti:

14. Sive Præſidibus, tanquam iis qui per ipſum mittuntur, in vindictam quidem maleficorum, laudem vero bene agentium.

15. Sic enim eſt voluntas Dei, ut benefaciendo obſtruatis ignorantiam ſtultorum hominum.

16. Ut liberi, & non quaſi prætextum habentes malitiæ, libertatem: ſed tanquam ſervi Dei.

13. *Subditi ergo eſtote* &c.] Nunc ad particulares exhortationes deſcendit. Et quoniam obedientia erga Magiſtratus, pars eſt honeſtæ converſationis, ideo ex hac colligit, Subditi ergo eſtote. nam imperii jugum detrectando, non parvam obloquendi occaſionem Gentibus dediſſent. Et ſane hoc potiſſimum nomine odioſi & infames erant Judæi, quod propter ſuam pervicaciam, indomiti habebantur. Et quoniam motus quos in provinciis excitabant, magnarum calamitatum cauſæ erant: ut quiſque quieto ac pacato erat ingenio, ita ab illis tanquam à peſte aliqua abhorrebat. hæc etiam cauſa Petrum impulit ut de ſubjectione tam ſedulo præciperet. Adde quod Euangelium multi putabant tale eſſe præconium libertatis, ut ſe quiſque à ſervitute eximere poſſet. Indignum eſſe videbatur, ſervire Dei filios, & mundi hæredes ne corporis quidem ſui liberam habere poteſtatem. Accedebat tunc alia tentatio, quod Magiſtratus omnes, Chriſti erant adverſarii, ſuoque imperio abutebantur: ita nulla in illis relucebat imago Dei, quæ præcipuam reverentiam conciliat. Tenemus nunc Petri conſilium: nempe quod neceſſariis de cauſis Judæos hortatus fuerit ad colendum Politiæ ordinem. *Omni humanæ ordinationi.* Alii vertunt Creaturam: ſed in loquutione nimis obſcura & ambigua multum ſe torquent ut ſenſum aliquem eliciant. Ego autem non dubito quin Petrus diſtinctam rationem notare voluerit, qua Deus gubernat humanum genus. Græcis enim verbum κτίζειν (unde nomen κτίσις deducitur) Fabricare ac ædificium ſtruere ſignificat. Convenit ergo nomen *ordinationis*, quo admonet Petrus, Deum mundi opificem non reliquiſſe humanum genus confuſum ut belluino more vivat: ſed velut in ædificio rite diſpoſito, ſingulas partes ſuo loco eſſe diſtributas. Et *humana* dicitur *ordinatio*, non quod humanitus inventa fuerit: ſed quod propria hominum eſt digeſta & ordinata vivendi ratio. *Sive Regi.* Cæſarem ita appellat, meo judicio, cujus imperium regiones illas continebat quarum mentionem fecit initio Epiſtolæ. Tametſi enim nomen hoc odioſiſſimum erat Romanis: apud Græcos tamen in uſu erat. Vocabant quidem ſæpe αὐτοκράτορα, ſed interdum etiam βασιλεὺς illis dicebatur. Quod autem rationem ſubjicit, ideo parendum illi eſſe quia excellit vel eminet, non eſt comparatio Cæſaris cum aliis Magiſtratibus. Tenebat quidem ille ſummum imperium: ſed iſta eminentia quam Petrus commendat, omnibus communis eſt qui publicam poteſtatem exercent. itaque Paulus 13. ad Rom. cap. ad omnes Magiſtratus extendit. Senſus autem eſt, Deberi omnibus qui præſunt obedientiam, quia non fortuito evecti ſunt ad honorem, ſed Dei providentia. Solent enim plerique nimium ſcrupuloſe inquirere quo quiſque jure adeptus ſit imperium: atqui hoc ſolo contentos eſſe decet, quod videmus eos præſidere. Ideo Paulus anſam ſupervacuis objectionibus præcidit, dum pronunciat, non eſſe poteſtatem niſi à Deo. Et hac ratione Scriptura toties commemorat, Deum eſſe qui Reges accingit balteo, qui erigit ipſos in ſublime, qui regna transfert quocunque voluerit. Præſertim quum de Imperatore Romano ageret Petrus, hanc admonitionem addi neceſſe fuit. Certum enim eſt Romanos malis artibus potius quam legitima cauſa penetraſſe in Aſiam, & ſibi regiones illas ſubegiſſe. Deinde Cæſares qui tunc rerum potiebantur, Monarchiam vi tyrannica ad ſe rapuerant. Petrus itaque hæc omnia in diſceptationem vocari prohibet: quoniam ſubditi abſque controverſia obedire præfectis ſuis debeant, quia non eminent, niſi Dei manu in ſublime evecti.

Rom. 13. verſ. 1.

14. *Sive Præſidibus.*] Quoslibet Magiſtratus deſignat, acſi diceret nullam eſſe ſpeciem præfecturæ cui non ſubjicere ſe debeant. Hoc confirmat, quia Dei ſint miniſtri. Nam qui pronomen *eum*, ad Regem referunt, multum falluntur. Eſt igitur hæc communis ratio ad commendandam omnium Magiſtratuum auctoritatem, quod mandato Dei præſunt & ab eo mittuntur: unde ſequitur (quemadmodum & Paulus docet) Deo reſiſtere qui poteſtati ab eo ordinatæ non ſe obedienter ſubmittunt. *In vindictam.* Secunda ratio eſt cur politicum ordinem reverenter amplecti & colere deceat: quia in commune bonum humani generis conſtitutus eſt à Domino. nimium enim feri & belluini ſumus, niſi nobis cordi ſit publica utilitas. Hoc itaque in ſumma vult Petrus, quum Deus mundum conſervet Magiſtratuum miniſterio, quicunque eorum imperium detrectant, eos eſſe humani generis hoſtes. Sumit autem duo illa membra, quibus Reipublicæ ſtatum contineri tradit Plato, bonorum honorem ſcilicet, & malorum pœnam. Nam antiquitus non modo conſtitutæ erant pœnæ improbis, ſed bonis etiam præmia. Cæterum quamvis ſæpe contingat non recte diſtribui honores, nec rependi bene meritis præmia: hic tamen non pœnitendus eſt honor, quod boni ſaltem ſub fide & tutela Magiſtratuum vivunt, quod non expoſiti ſunt impiorum violentiæ & injuriis, quod inter leges & judicia multo quietius vivunt, ſuamque exiſtimationem retinent melius, quam ſi ſinguli nullo freno cohibiti, ad ſuum arbitrium viverent. In ſumma, hæc ſingularis eſt Dei benedictio, quod improbis non licet quicquid libet. Objici tamen hic poſſet, Reges & alios Magiſtratus ſæpe ſua potentia abuti & tyrannica ſævitia graſſari magis quam legitimum imperium exercere. Tales fere erant Magiſtratus, quum ſcripta fuit hæc Epiſtola. Reſpondeo tyrannos & ſimiles non facere ſuo abuſu quin maneat ſemper firma Dei ordinatio: quemadmodum non evertitur perpetua conjugii inſtitutio, ſi uxor vel maritus aliter ſe gerat quam decet. Ergo utcunque aberrent homines, non tamen ſuo loco movetur fixus à Deo ſcopus. Si quis iterum excipiat, non obediendum eſſe Principibus qui ſacrum Dei ordinem, quantum in ſe eſt, pervertunt, adeoque immanes ſunt belluæ, quum Magiſtratus imaginem Dei referre debeant: Reſpondeo, tanti debere fieri à nobis ordinem à Deo poſitum, ut tyrannis etiam qui imperium obtinent, honor habeatur. Quanquam alia eſt clarior ſolutio, nullam unquam fuiſſe vel poſſe cogitari adeo ſævam & effrenem tyrannidem, in qua non appareat aliqua æquitatis ſpecies. Deus enim nunquam hominum improbitate ordinem iſtum ſic extingui patitur, quin lineamenta quædam ſemper appareant: deinde genus regiminis quamvis deforme & corruptum, melius tamen ſit & utilius quam ἀναρχία.

15. *Sic enim eſt voluntas.*] Redit ad ſuperiorem illam

illam doctrinam, ne detur incredulis maledicendi occaſio: tametſi minus exprimit quam prius dixerat. Tantum enim dicit os obſtruendum eſſe ſtultis. Summa eſt, ſic vivendum eſſe, ut increduli qui obloqui nobis volunt, obmuteſcere cogantur. Loquutio quam uſurpat, *obſtruere ignorantiam*, quamvis propter novitatem dura ſit, ſenſum tamen non obſcurat. Præterquam enim quod incredulos appellat *ſtultos*, notare vult quam habeant cauſam maledicendi: nempe quia Deum ignorant. Cæterum quod mente & ratione incredulos privat, inde colligimus, rectam intelligentiam non eſſe niſi in Dei notitia. Ergo quantumvis ſibi in ſuo acumine placeant increduli, & aliis etiam prudentes videantur: Spiritus tamen Dei ſtultitiæ ipſos damnat: ut diſcamus non alibi quam in Deo ſapere, ſicuti extra ipſum nihil eſt ſolidi. Modum autem præſcribit cobibendæ infidelium maledicentiæ: nempe *benefaciendo*. Quo verbo complectitur omnia humanitatis officia, quibus defungi nos oportet erga proximos. In his continetur obedientia erga Magiſtratus, ſine qua unitas inter homines coli non poteſt. Siquis objiciat, nunquam adeo ſtudioſos fore benefaciendi fideles quin male audiant ab incredulis: prompta eſt reſponſio, Apoſtolum hic eos minime eximere à calumniis & probris: ſed intelligit non habituros incredulos obloquendi materiam, utcunque maxime cupiant. Porro ne quis exciperet, incredulos nequaquam dignos eſſe ad quorum nutum vitam componant filii Dei: Petrus nominatim admonet, obſtringi nos Dei mandato, ad os illis obſtruendum.

16. *Ut liberi.*] Eſt prolepſis, qua occupat quæ à nonnullis de libertate filiorum Dei obtendi ſolebant. Nam ut ingenioſi natura ſunt homines in ſuis commodis captandis: multi Euangelii initio liberos ſe putabant, ut ſibi tantum viverent. Hoc ergo delirium corrigit Petrus, breviter oſtendens quantum ab effreni licentia differat Chriſtianorum libertas. Ac primo velum aut prætextum malitiæ eſſe negat: quo ſignificat, non ideo eſſe datam ut *proximos* lædamus, aut quicquam illis afferamus incommodi. Hæc igitur vera eſt libertas, quæ nemini damnoſa eſt vel noxia. ut hoc confirmet, eos pronunciat liberos qui Deo ſerviunt. Unde colligere promptum eſt, hunc eſſe finem noſtræ libertatis, ut promptiores & magis expediti ſimus ad obſequium Dei. Neque enim aliud eſt quam manumiſſio à peccato: atqui peccato dominium tollitur, ut ſe in ſubjectione juſtitiæ homines addicant. In ſumma, eſt libera ſervitus, & ſerva libertas. Nam ſicuti ſervos Dei eſſe nos oportet, ut hoc bono fruamur: ita moderatio requiritur in ipſius uſu. Hoc modo liberæ quidem ſint conſcientiæ, ſed hoc non obſtat quin Deo ſerviamus, qui etiam hominibus nos ſubjicit.

17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.

Eſt brevis concluſio ſuperiorum. ſignificat enim, nec Deum timeri, nec ſuum jus reddi hominibus, niſi ordo politicus inter nos vigeat, & jus imperii ſui Magiſtratus teneant. Quod honorem omnibus haberi jubet, ſic interpretor, nullos eſſe negligendos. eſt enim generale præceptum quod ad ſovendam hominum ſocietatem ſpectat. Honoris nomen Hebræis late patet. Scimus autem Apoſtolos, licet Græce ſcriberent, ejus linguæ phraſim ſequutos eſſe. Quare mihi non aliud ſonat hæc loquutio, quam ut omnium ratio habeatur: quandoquidem pacem cum omnibus & amicitiam, quantum in nobis eſt, colere debemus: concordiæ vero nihil magis adverſum quam contemptus. Quod ſubjicit de fratrum amore, ſpeciale eſt, prioris reſpectu. loquitur enim de ſingulari amore, quo domeſticos fidei proſequi jubemur: quia magis arcta neceſſitudine cum illis ſumus conjuncti. Hos itaque gradus Petrus noluit omittere: ſed tamen admonet, utcunque præferendi ſint fratres, hoc tamen non obſtare quin charitas noſtra ad totum humanum genus ſe extendat. Nomen *fraternitatis* collective accipio pro ipſis fratribus. *Deum timete.* Jam dixi has omnes ſententias ad præſentem cauſam accommodari à Petro. Significat enim, honorem qui Regibus defertur, ex timore Dei, & hominum charitate oriri, atque ideo eſſe cum ipſis conjunctum: acſi dixiſſet, Quiſquis Deum timet, fratres ſuos amat, & totum humanum genus quo decet affectu complectitur, is Regibus quoque honorem habebit. *Atque interim Cæſarem nominat*, quia hæc imperii ſpecies præ aliis erat odioſa, & ſub ea reliquæ continebantur.

18. Famuli ſubjecti ſint cum omni timore dominis *ſuis*: non ſolum bonis & humanis, ſed etiam pravis.

19. Hæc enim eſt gratia, ſi propter conſcientiam Dei quiſpiam moleſtias ferat, patiens injuſte.

20. Qualis enim gloria, ſi quum peccantes alapis cædemini, ſuffertis? Sed ſi bene facientes & malis affecti ſuffertis, hæc gratia apud Deum.

18. *Famuli ſubjecti.*] Tametſi hæc eſt particularis admonitio, cohæret tamen cum proxima, ſicuti aliæ quæ ſequentur. Nam quod ſervi jubentur parere dominis, uxores item maritis, partes ſunt ſubjectionis politicæ. Primum ſervos vult eſſe *cum omni timore*: quo nomine ſignificat purum & voluntarium reverentiæ affectum: quia id ſe ex officio debere agnoſcant. Ergo timorem tam ſimulationi quam violentæ coactioni opponit. Nam
Coloſ. 3. verſ. 22. ὀφθαλμοδουλεία (ut Paulus vocat) timori contraria eſt. Deinde ſi adverſus neceſſitatem fremant ſervi, parati jugum excutere ſi liceret, proprie timere non dicuntur. In ſumma, hic timor ex officii cognitione naſcitur. Tametſi autem nulla exceptio additur hoc loco, tamen ex aliis locis ſubaudienda eſt. Neque enim euſque ſe extendit quæ hominibus debetur ſubjectio, ut Dei imperium minuat. Ergo ſubjecti ſint domino famuli, ſed in Deo, & uſque ad aras, ut loquuntur. Cæterum quoniam non hic habetur δοῦλοι, ſed οἰκέται, poſſumus intelligere libertos una cum ſervis: quanquam in ea re parum eſt momenti. *Non ſolum bonis.* Tametſi eatenus parere debent ſervi dominis, ne quid præter conſcientiam. ſi tamen injuſte tractantur, quantum ad ipſos ſpectat, non debent recuſare imperium. Qualeſcunque itaque ſint domini, nulla eſt ſervis excuſatio quin fideliter illis obſequia ſua præſtent. Nam ſuperior ſi poteſtate ſua abutitur, rationem quidem olim reddet Deo, non tamen in præſentia jus ſuum amittit. Hæc enim conditio ſervis impoſita eſt, ut dominis ſerviant, licet indignis. *Pravos* æquis opponit vel humanis: atque hoc verbo ſævos & intractabiles deſignat, vel qui nihil humanitatis & clementiæ habent. Mirum quid interpretem moverit, ut pro Græco nomine alterum Græcum

Digitized by Google

cum redderet: vertit enim Dyſcolos. Tacerem de turpi Sorbonicorum inſcitia, qui Dyſcolos vulgo intelligunt diſſolutos vel irregulares: niſi ex tam abſurda interpretatione, fidei articulum ſtruere nobis vellent: quod Papæ & cornutis ejus beſtiis obediendum ſit, quantumvis gravem & minime ferendam tyrannidem exerceant. Hic ergo locus oſtendit quam ſecure verbo Dei illuſerint.

19. *Hæc enim eſt gratia.*] Idem valet nomen Gratiæ quod Laudis. intelligit enim nullam gratiam vel laudem conciliari nobis coram Deo, ſi pœnam ſuſtinemus quam noſtris delictis ſimus promeriti: ſed qui patienter ferunt injurias, eos laude dignos eſſe, & opus facere Deo acceptum. Quod gratum hoc fore Deo teſtatur, ſi quis propter Dei conſcientiam retineatur in officio, etiamſi injuſte & indigne cum eo agant homines: valde neceſſarium fuit illo tempore. Erat enim perquam dura ſervorum conditio: contumelioſe habebantur, non ſecus ac pecudes: talis indignitas ad deſperationem eos adigere poterat: hoc itaque unum reliquum fuit, ut in Deum reſpicerent. Hoc enim valet *conſcientia Dei*, dum quis non hominum, ſed Dei reſpectu, officio ſuo fungitur. Nam ſi uxor morigera ſit & marito obſequens, ut ſe illi commendet, habet in mundo mercedem ſuam: quemadmodum Chriſtus de ambitioſis loquitur, qui hominum favorem ſpectant. [*Matth.* 6. *verſ.* 16.] Idem de reliquis ſentiendum. Si filius ut patrem habeat benevolum ac ſibi faventem, illi obſequitur, mercedem habebit à patre, non à Deo. Denique hæc generalis eſt ſententia, probari Deo noſtra officia, ſi hunc finem habemus propoſitum, ut illi ſerviamus: non autem movemur ſolo hominum reſpectu. Porro qui ſibi negotium eſſe cum Deo reputat, neceſſe eſt ut ſtudeat malum bono vincere. Neque enim tantum exigit à nobis Deus ut tales erga unumquemque ſimus, qualem ſe ille viciſſim erga nos præbuerit: ſed etiam benefaciamus indignis, & qui nos perſequuntur. Hoc tamen difficultate non caret quod negat ullam patientiæ laudem fore, ſiquis juſte plectitur. nam certe quamvis Dominus peccata noſtra puniat: patientia tamen noſtra ſacrificium illi eſt boni odoris, ſi pœnas æquo animo ferimus. Reſpondeo, Petrum hic non ſimpliciter, ſed comparative loqui: quoniam tenuis & obſcura laus ſit, juſtam pœnam æquo animo ferre, præut eſt hominis innoxii, qui non recuſat ferre hominum injurias, tantum quia Deum timet. Quanquam videtur finem quoque tacite notare: quod hominum metu cogantur, qui delictorum ſuorum pœnas luunt. Sed illa quam adduxi ſolutio ſufficit.

21. In hoc enim vocati eſtis. quoniam Chriſtus quoque paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut ſequeremini veſtigia ejus.

22. Qui quum peccatum non feciſſet, nec inventus eſſet dolus in ore ejus:

23. Quum probro afficeretur, non regerebat: quum pateretur, non comminabatur: cauſam vero commendabat ei qui juſte judicat.

21. *In hoc vocati.*] Tametſi de ſervis erat ſermo, non tamen adeo reſtringi debet hæc ſententia. Nam communiter pios omnes admonet Apoſtolus, qualis ſit Chriſtianiſmi conditio: acſi diceret, nos ea lege à Domino vocatos, ut patienter feramus injurias: quemadmodum alibi dicit nos ad hoc ordinatos eſſe. Porro ne id nobis ſit moleſtum, exemplo Chriſti nos conſolatur. Nihil magis indignum videtur atque adeo minus tolerabile, quam pati præter meritum. ſed quum in Filium Dei convertimus oculos, mitigatur illa acerbitas. Quis enim ipſum præeuntem ſequi renuat? Notanda autem eſt particula *relinquens vobis exemplum*. Nam quum de imitatione agitur, diſcernere opus eſt quid nobis in exemplum Chriſtus propoſuerit. Ambulavit ſiccis pedibus ſuper mare, mundavit leproſos, mortuos ſuſcitavit, cæcis reſtituit viſum: ſi eadem nos tentemus, præpoſtera erit æmulatio. Neque enim quum ſigna potentiæ ſuæ edidit, nobis proponere voluit quod imitaremur. Hioc factum eſt ut jejunium quadraginta dierum temere in exemplum traherent. atqui longe alius erat finis. Quare judicium adhibendum eſt: ſicuti etiam alicubi monet Auguſtinus, dum locum
[*Mat.* 11. *verſ.* 29.] illum exponit, Diſcite à me quod mitis ſum & humilis corde. Atque id ex Petri verbis colligi poteſt: diſcretione enim opus eſſe notat, quum nominatim dicit, Chriſti patientiam nobis in exemplum ſtatui quod ſequamur. Hoc argumentum fuſius tractat Paulus ad Romanos capite 8. verſu 29. quum omnes Dei filios præordinatos eſſe docet ut conformes fiant Chriſti imagini, quo ſit ipſe primogenitus inter multos fratres. Ergo ut cum eo vivamus, prius nos commori oportet.

22. *Qui quum peccatum non feciſſet.*] Hoc ad præſentem cauſam pertinet. nam ſi quis innocentiam ſuam jactet, Chriſtus certe malefactorum pœnam non ſuſtinuit. Quanquam ſimul oſtendit quantum à Chriſto diſtemus, quum dicit, *ne dolum* quidem
[*Jacob.* 3. *verſ.* 2.] *inventum in ore ejus*. Nam qui lingua non delinquit, hic perfectus eſt, ut inquit Jacobus. Summam ergo innocentiæ perfectionem in Chriſto fuiſſe notat, quam nemo noſtrum arrogare ſibi auſit. hinc melius apparet quam injuſte paſſus ſit præ aliis omnibus. Proinde non eſt cur recuſet quiſquam noſtrum exemplo ejus pati: quandoquidem nemo adeo ſibi bene conſcius eſt, quin vitio aliquo laboret.

23. *Quum probro afficeretur.*] Hic deſignat Petrus quid nos in Chriſto deceat imitari: nempe ut placide feramus injurias, nec de illis vindicandis cogitemus. Ita enim fert ingenium noſtrum, ut accepta injuria, protinus animi ebulliant ad cupiditatem vindictæ: at Chriſtus ab omni talione abſtinuit. frenandi igitur ſunt animi, ne malum pro malo rependere appetant. *Cauſam vero commendabat.* Nomen Cauſæ non exprimitur, ſed facile ſubintelligi poteſt. Addit autem hoc Petrus ad piorum conſolationem, quod ſi patienter ferant impiorum probra & violentiam, Deum habituri ſint vindicem. Eſſet enim iſtud valde durum, ſubjici nos improborum libidini, & Deo curæ non eſſe noſtras miſerias. ideo inſigni hoc epitheto Deum ornat Petrus, quod juſte judicet: acſi diceret, Noſtrum eſt æquo animo mala tolerare: Deus interea partes ſuas non negliget, quin ſe juſtum judicem oſtendat. ergo utcunque ad tempus laſciviant improbi, non tamen impune illis cedet, quod nunc Dei filiis moleſti ſint. Nec eſt quod ſibi pii metuant, quaſi deſtituti eſſent omni præſidio. nam quum Dei officium ſit tueri eos, & ipſorum cauſam ſuſcipere, in patientia ſua poſſidebunt animas ſuas. Porro ſicuti non parum conſolationis affert hæc doctrina: ita ad placandos & domandos carnis impetus plurimum valet. Nemo enim in fidem ac patrocinium Dei recumbere poteſt, niſi qui manſueto animo expectat ejus judicium. Nam qui ad vindictam proſilit, occupat ipſe Dei vices, nec patitur Deum quod ſui officii eſt, agere. Quo reſpicit etiam illud Pauli, Dare locum iræ. [*Rom.* 12. *verſ.* 19.] Significat enim quaſi viam præcludi Deo ne ipſe judicet, quum ipſi antevertimus. [*Deut.* 32. *verſ.* 35.] Itaque dictum illud confirmat Moſis teſtimonio, Mihi vindictam. [*Matth.* 5. *verſ.* 44.] Denique hoc vult Petrus, nos Chriſti exemplo moderatiores fore ad tolerandas

injurias, ſi tribuamus Deo ſuum honorem: nempe ſi illum ſtatuentes eſſe juſtum judicem, jus noſtrum ac cauſam illi permittamus. Quæritur tamen quomodo cauſam ſuam Patri Chriſtus commendaverit. nam ſi vindictam ab eo poſtulabat, hoc ipſe nobis licere negat. Jubet enim benefacere iis qui nos lædunt, precari pro iis qui maledicunt. Reſpondeo, ſatis ex Euangelica hiſtoria conſtare, Chriſtum ita ſe retuliſſe ad judicium Dei, ut tamen de hoſtibus ſuis vindictam non poſceret. quin potius deprecatorem ſe
Luc. 23. verſ. 34. pro illis conſtituit: Pater, inquit, ignoſce. Et certe multum abeſt quin carnis noſtræ affectus cum judicio Dei conſentiant. Ergo ut cauſam quis ſuam juſte judicanti permittat, neceſſe eſt ut prius frenum ſibi impoſuerit, ne quid alienum à juſto Dei judicio expoſcat. Nam qui ſibi ad expetendam vindictam indulgent, non judicis officium Deo concedunt, ſed quodammodo facere volunt ſuum carnificem. Qui ergo ſic animo compoſitus eſt, ut cupiat amicos ſibi fieri qui nunc adverſarii ſunt, reducere eos in viam conetur: is cauſam ſuam rite Deo trader, ſic precando, Tu Domine animum meum noſti, ut ſalvos optem qui me perditum volunt. Si converſi fuerint, illis gratulabor: quod ſi obſtinati in malitia perſtiterint, quia ſcio te excubare pro ſalute mea, cauſam tibi meam relinquo. Hanc modeſtiam tenuit Chriſtus: ergo hæc nobis quoque regula ſervanda eſt.

24. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis *mortui*, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.

25. Eratis enim tanquam oves errantes: ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & *Epi*ſcopum animarum veſtrarum.

Si in morte Chriſti nihil commendaſſet præter exemplum, hoc nimis frigidum fuiſſet: ideo fructum ejus longe excellentiorem prædicat. Tria igitur conſideranda ſunt in hoc contextu. Primum eſt, quod nobis patientiæ exemplum Chriſtus morte ſua prodidit. Alterum, quod à morte redemptos reſtituit in vitam. unde ſequitur, nos ita illi obſtrictos eſſe, ut ejus exemplum libenter ſequi debeamus. Tertio finem mortis magis generalem commemorat, Ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus. Hæc autem omnia proximam exhortationem confirmant.

24. *Peccata noſtra pertulit.*] Hæc loquutio ad vim mortis Chriſti exprimendam apta eſt. Sicuti enim ſub Lege peccator ut reatu ſolveretur, victimam ſubſtituebat ſuo loco: ita Chriſtus maledictionem peccatis noſtris debitam in ſe ſuſcepit, ut ea coram Deo expiaret. Et diſerte addit, *ſuper lignum:* quia non potuit tale piaculum impleri niſi in cruce. Ergo optime expreſſit Petrus, mortem Chriſti fuiſſe ſacrificium expiandis peccatis noſtris: quoniam cruci affixus, & hoſtiam pro nobis offerens, reatum no-
Jeſa. 53. verſ. 5. ſtrum & pœnam in ſe ſuſceperit. Jeſaias, ex quo ſummam ejus doctrinæ ſumpſit Petrus, pluribus utitur loquendi formis: quod percuſſus fuerit manu Dei propter ſcelera noſtra, vulneratus fuerit propter iniquitates noſtras: quod afflictus & contritus noſtra cauſa fuerit: quod caſtigatio pacis noſtræ illi fuerit impoſita. ſed Petrus idem exprimere voluit hoc verbo: nempe hac lege nos fuiſſe reconciliatos Deo, quia apud ejus tribunal Chriſtus ſe vadem ac reum pro nobis conſtituit, ut pœnam ſolveret cui obſtricti eramus. Hoc beneficium Sophiſtæ in ſuis ſcholis, quantum poſſunt, obſcurant: nam mortis Chriſti ſacrificio nos tantum à culpa poſt Baptiſmum liberari garriunt, pœnam vero ſatisfactionibus redimi. Sed Petrus quum dicit ipſum tuliſſe peccata noſtra, non modo culpam illi imputatam fuiſſe intelligit, ſed pœna quoque defunctum, ut vere hoc modo eſſet expiatrix victima: ſecundum illud Prophetæ, Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum. Si excipiant, hoc duntaxat ante Baptiſmum valere: circumſtantia loci eos refellit, quia ſermo ad fideles dirigitur. Cæterum hoc membrum, & quod proxime ſequitur, *livore ejus ſanati eſtis*, præſenti quoque inſtituto accommodari poteſt: quod ſcilicet humeros noſtros ferendis aliorum peccatis ſupponere nos deceat, non ad peragendam eorum expiationem, ſed tantum ut unus nobis impoſitum feramus. *Peccatis mortui.* Alterum finem prius notaverat, nempe tolerantiæ exemplum: ſed hic (ut dictum eſt) latius patet, ut ſancte & juſte vivamus. Utriuſque mentionem aliquoties facit Scriptura: nempe quod ærumnis & *Phil. 3. verſ. 10.*
rebus adverſis nos Dominus exerceat, ut configuremur morti Chriſti: deinde quod in morte Chriſti *Rom. 6. verſ. 4.*
crucifixus ſit vetus homo noſter, ut in novitate vitæ ambulemus. Quanquam hic finis de quo loquitur, non tantum à priore differt, ut genus à ſpecie. nam in patientia ſimplex erat exemplum. quum autem paſſum eſſe Chriſtum dicit, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, hanc vim ſubeſſe morti Chriſti ſignificat, ut carnem noſtram mortificet, quemadmodum fuſius tractat Paulus ad Rom. cap. 6. Neque enim hoc tantum boni nobis contulit, quod Deus gratis nos juſtificat, non imputando peccata: ſed quod mundo & carni morimur, ut reſurgamus in novam vitam. Non quod mortem dies unus perficiat: ſed quia ubicunque viget, mors Chriſti ad expianda peccata, ſimul in carnis mortificatione eſt efficax.

25. *Eratis enim tanquam oves.*] Hoc etiam mutuatus eſt Petrus ex Jeſaia: niſi quod Propheta uni- *Jeſa. 53. verſ. 6.*
verſalem ſententiam ponit, Omnes quaſi oves erravimus. Cæterum in Ovium nomine nulla eſt propria notatio: nam pecudibus nos comparat: ſed tota vis eſt in epitheto, quod Propheta exponit, addens, unumquemque declinaſſe in ſuam viam. Senſus eſt igitur, Nos omnes alienos eſſe à via ſalutis, & tendere in exitium, donec Chriſtus nos ex diſſipatione colligat. idque melius patet ex membro oppoſito, quum dicit *converſos eſſe ad Paſtorem.* Quicunque enim à Chriſto non reguntur, eos tanquam devias pecudes in errore vagari pronunciat. Ita erroris damnatur tota mundi ſapientia, quæ ſe Chriſto regendam non ſubmittit. Inſignes autem ſunt iſti duo tituli, quod Chriſtus animarum ſit *Epiſcopus & Paſtor.* Neque enim timendum eſt quin fideliter vigilet pro eorum ſalute, qui in ejus ovili & cuſtodia ſe continebunt. Etſi autem ejus officium eſt, nos integros corpore & anima præſtare: Petrus tamen *animas* exprimit, quia ſpirituali ſuo præſidio nos cuſtodit hic cæleſtis Paſtor in vitam æternam.

Digitized by Google

CAP. III.

SImiliter mulieres ſubjectæ ſint propriis maritis: ut etiam ſiqui ſunt increduli ſermoni, per uxorum converſationem abſque ſermone lucrifiant,

* vel, caſtam.

2. Conſiderantes * puram veſtram in timore converſationem,

3. Quarum ornatus ſit non externus, in plicatura capillorum & circumpoſitione auri, aut palliorum amictu:

4. Sed interior cordis homo, qui in incorruptione ſitus eſt placidi & quieti ſpiritus: * qui *ſpiritus* coram Deo pretioſus eſt.

* vel, quod eſt coram Deo pretioſum.

Alterum ſubjectionis ordinem nunc perſequitur, quum jubet uxores viris ſuis ſubeſſe. Et quoniam plus coloris ad excutiendum jugum habere videntur quæ viris infidelibus conjunctæ ſunt, nominatim eas admonet officii, ac peculiarem eſſe cauſam oſtendit cur magis ſedulo parere debeant, nempe ut probitate ſua viros alliciant ad fidem. Quod ſi maritis impiis mulieres obedientiam debent, multo promptiores ad obſequium eſſe convenit, ſi maritos habeant fideles. Sed abſurdum videri poſſit quod tradit Petrus, *lucrifieri* poſſe virum Domino *abſque ſermone*. Ubi enim erit illud, Fides ex auditu? Reſpondeo, non ſic intelligenda eſſe Petri verba, quaſi ſola vitæ ſanctitas incredulos adducat ad Chriſtum: ſed quia mollit ac temperat eorum animos, ut à pietate minus abhorreant. Nam ſicuti mala exempla offendiculo ſunt, ſic bona non parum adjuvant. Significat ergo Petrus, mulieres ſanctè & honeſte vivendo hoc poſſe conſequi, ut etiam tacentes, maritos præparent ad amplexandam Chriſti fidem.

Rom. 10. verſ. 17.

2. *Conſiderantes puram.*] Franguntur enim animi quantumvis à recta fide alieni, dum vident ita compoſitos fidelium mores. Nam quia Chriſti doctrinam non tenent, eam æſtimant ex vita noſtra. fieri ergo non poteſt quin Chriſtianiſmum laudent, qui ad puritatem & timorem inſtituit.

3. *Quarum ornatus.*] Alterum exhortationis membrum: ut mulieres parce & modeſte ſe ornent. Scimus enim in hac parte plus juſto curioſas eſſe ac cupidas: quare non abs re Petrus hanc in ipſis vanitatem corrigere ſtudet. Tametſi autem ſumptuoſum ornatum in genere reprehendit: ſpecies tamen quaſdam deſignat: ne capillos arte criſpent vel torqueant, ut ſolebant ad eam rem calamiſtro uti: aut alias componant in cincinnos. Deinde ne aurum circumponant capiti: in his enim præcipue luxus eminet. Nunc quæritur an ſimpliciter uſum auri damnet Apoſtolus in ornatu corporis. Si quis verba urgeat, non minus pretioſas veſtes quam aurum prohibet: ſubjicit enim continuo poſt amictum palliorum. Atqui immodici rigoris eſſet, omnem in veſtibus nitorem & elegantiam ſimpliciter vetare. Si materia nimis ſumptuoſa dicitur, eam Dominus creavit. artificia etiam ſcimus ab ipſo prodiiſſe. Non igitur quemvis cultum reprehendere voluit Petrus; ſed morbum vanitatis quo mulieres laborant. Duo in veſtitu ſpectanda ſunt, commoditas & decorum: partes autem decori ſunt, mediocritas & modeſtia. Proinde ſi laſcive pexa & compta incedit mulier, ſi luxum & pompam oſtentat, excuſari non poteſt ejus vanitas. Qui objiciunt, rem eſſe indifferentem ac liberam hoc vel illo modo ſe veſtire, nullo negotio refelli poſſunt. nimia enim elegantia & ſuperfluus ſplendor, omnis denique exceſſus, ex animi vitio oritur. Porro ambitio, ſuperbia, luxus affectatio, & alia hujuſmodi, non ſunt res mediæ. Quorum igitur animi ab omni vanitate purgati erunt, rite temperabunt omnia, ut modum non excedant.

4. *Sed interior cordis homo.*] Hæc antitheſis diligenter notanda eſt. Dicebat Cato, qui anxie occupantur in corporis cultu, animi cultum negligere: ita Petrus cohibendæ mulierum cupiditati hoc remedium affert, ut excolendis animis ſtudium potius ſuum addicant. Cordis nomine, non dubium quin totam animam ſignificet. ſimul oſtendit in quo ſpiritualis mulierum ornatus conſiſtat, nempe in ſpiritus manſueti & quieti incorruptione. *Incorruptio* (meo judicio) rebus fluxis & caducis, quæ ad corporis ornatum ſerviunt, opponitur. Itaque Eraſmi verſio à genuino ſenſu diſſidet. In ſumma, intelligit Petrus animæ ornatum non ſimilem eſſe flori emarcido; nec in evanido ſplendore poſitum, ſed eſſe incorruptibilem. Quum dicit *ſpiritum* tranquillum & *quietum*, proprias mulierum virtutes notat. nihil enim eſt quod hunc ſexum magis deceat, quam placidum & ſedatum ingenium. Scimus enim quam importunum ſit animal, imperioſa & refractaria mulier. Deinde nihil ad corrigendam vanitatem, de qua Petrus loquitur, aptius eſt quam placida quies ſpiritus. Quod poſtea ſequitur, *pretioſum* id *eſſe coram Deo*, tam ad totum complexum, quam ad nomen Spiritus referri poteſt: idem tamen manebit ſenſus. Unde enim mulieribus tanta ſe ornandi cura, niſi ut in ſe hominum oculos convertant? Petrus autem contra magis ſollicitas eſſe jubet ut in pretio ſint apud Deum.

5. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres quæ ſperabant in Deum, ornabant ſeipſas, ſubjectæ propriis maritis.

6. Quemadmodum & Sara obediebat Abrahæ, dominum ipſum appellans. cujus filiæ eſtis factæ, ſi benefeceritis: & non terreamini ullo pavore.

Piarum mulierum exemplum illis proponit, quæ ſpiritualem potius ornatum ſectatæ ſint, quam externi cultus lenociniis deditæ fuerint. Saram vero præ aliis nominat, quæ quum fidelium omnium ſit mater, præſertim apud ſuum ſexum honore & imitatione digna eſt. Porro iterum ad ſubjectionem redit, eamque confirmat Saræ exemplo: quæ (ut habetur apud Moſem) maritum vocabat dominum. Non moratur quidem Deus iſtos titulos: & fieri interdum poteſt, ut quæ maxime petulans fuerit & immorigera, hanc appellationem lingua uſurpet: ſed intelligit Petrus, Saram ita loqui ſolitam eſſe, quia hanc ſibi legem à Domino impoſitam eſſe noverat, ut viro ſubeſſet. Subjicit Petrus, filias ejus fore, hoc eſt, locum inter fideles habituras, quæ ejus probitatem imitatæ fuerint.

Geneſ. 18. verſ. 12.

6. *Et non terreamini.*] Sexus imbecillitas facit ut magis ſuſpicioſæ ac timidæ ſint mulieres, ideoque magis moroſæ: quia verentur, ne, ſi viris ſe ſubjiciant, magis contumelioſe ab illis tractentur. Huc reſpicere videtur Petrus, quum vetat ne turbentur ullo pavore. Acſi diceret, Libenter ſubjicite vos virorum imperio, nec vos timor ab obſequio impediat, quaſi deterior futura ſit veſtra conditio,

ditio, ſi patientes ſitis. Poſſet magis generalis eſſe ſententia: ne turbas domi concitent. nam ut ſunt ad conſternationem proclives, ſæpe ob rem frivolam tumultuantur, ſeque & familiam fruſtra turbant. Alii putant in genere corrigi mulierum timiditatem, quæ fidei contraria eſt: quaſi Petrus eas hortetur ad obeundam forti & intrepido animo ſuam vocationem. Mibi tamen prima expoſitio magis placet: quanquam ab hac poſtrema non multum differt.

7. Viri ſimiliter cohabitent ſecundum ſcientiam, tanquam infirmiori vaſi muliebri
* vel, *multiplicis gratiæ & vitæ.* impertientes honorem, tanquam etiam cohæredes * gratiæ vitæ, ne preces veſtræ interrumpantur.

7. *Viri cohabitent.*] A viris exigit prudentiam. neque enim illis dominium in uxores permiſſum eſt, niſi hac lege ut eas prudenter gubernent. Meminerint ergo mariti, ſibi ad officium præſtandum opus eſſe prudentia. Et ſane multæ ineptiæ illis ferendæ ſunt, devoranda multa tædia, & ſimul cavendum ne ſua indulgentia ſtultitiam foveant. Quare non ſupervacua eſt Petri admonitio, ut ſcienter cohabitent viri. *Tanquam infirmiori.* Partem ejus prudentiæ, de qua meminit, hic deſignat, ut viri in honore habeant ſuas uxores. Nihil enim eſt quod magis dirimat vitæ ſocietatem quam contemptus: nec poſſumus vere amare niſi quos habemus in pretio: ut ſit amor cum reverentia conjunctus. Porro duplici argumento utitur, ut viris perſuadeat, honeſte & comiter tractandas eſſe uxores. Prius eſt ab infirmitate ſexus: alterum, ab honore quo dignatur illas Deus. Videntur quidem hæc quodammodo contraria: impendi honorem debere mulieribus, quod infirmæ ſint, & quod excellant: ſed optime inter ſe conſentiunt, ubi viget charitas. Hoc in confeſſo eſt, Deum contemni in ſuis donis, niſi honore afficimus quibus aliquid præſtantiæ contulit: verum dum reputamus nos ejuſdem eſſe corporis membra, diſcimus nos ſufferre & obtegere mutuo noſtras infirmitates venia. Hoc
1 Cor. 12. verſ. 13. eſt quod ſibi vult Paulus quum dicit membris infirmioribus majorem honorem circumdari. quod ſcilicet magis ſolliciti ſimus de protegendo ipſorum pudore. Non ergo abſurde Petrus dum mulierum curam ideo haberi, & eas liberali tractatione cohoneſtari jubet, quia infirmæ ſunt. Deinde ut facilius pueris ignoſcimus, ſi quid per ætatis imperitiam delinquunt: ita ſexus infirmitas facere debet ne tam rigidi & auſteri ſimus erga uxores. *Vaſis* nomine, quodvis organum in Scriptura deſignari, ſatis notum eſt. *Cohæredes gratiæ vitæ.* Alii codices habent, Multiplicis gratiæ: alii loco Vitæ habent epithetum Vivæ. Quidam in dativo legunt Cohæredibus: quæ varietas de ſenſu nihil mutat. In aliis interponitur copula inter Gratiam multiplicem & Vitam. Quæ lectio optime congruit. nam quum Dominus viros communiter & mulieres iiſdem gratiis dignetur, illos ad colendam cum his æqualitatem invitat. Scimus autem multiplices eſſe gratias, in quibus mulieres virorum ſunt ſociæ. Nam aliæ ad communis vitæ uſum, aliæ ad cæleſte Dei regnum pertinent. Poſtea ſubjicit, eſſe etiam vitæ cohæredes: quod eſt præcipuum. Tametſi autem aliquæ à ſpe ſalutis alienæ ſunt, quia tamen ipſis non minus ac viris à Domino offertur, hoc ad ſexus honorem ſufficit. *Ne preces veſtræ.* Nam rite invocari Deus nequit, niſi tranquillis ac ſedatis animis. Inter jurgia & lites precibus non eſt locus. Alloquitur quidem Petrus maritum & uxorem, dum jubet concordes eſſe ut ſimul Deum uno animo precentur. Sed hinc colligi poteſt generalis doctrina, neminem ad Deum poſſe accedere, niſi qui fratribus ſuis conjunctus eſt. Ergo ſicuti hæc ratio domeſticas omnes turbas & jurgia debet componere, ut in ſingulis familiis invocetur Deus: ita in communi omnium vita ad rixas omnes cohibendas, quaſi frenum eſſe debet. Sumus enim pluſquam inſani, ſi viam nobis ad invocandum Deum ſcientes ac volentes præcludimus: quum ſit hoc unicum ſalutis noſtræ aſylum. Nonnulli exponunt, Parce & temperanter uxore utendum eſſe, ne frequens coitus precandi ſtudium impediat: juxta
illud Pauli, Ne vos fraudetis mutuo, niſi ex con- 1 Cor 7.
ſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & precationi. Sed verſ. 5.
latius patet hæc Petri doctrina: deinde Paulus non intelligit preces abrumpi mutua cohabitatione. Ergo retineatur expoſitio quam attuli.

8. Denique ſitis omnes idem ſentientes, compatientes, fraterne vos diligentes, miſeri-
* vel, *amantes conſenſus.* cordes, * humiles:

9. Non reddentes malum pro malo, vel convitium pro convitio: imo potius benedicentes: ſcientes quod in hoc vocati ſitis, ut benedictionem hæreditate conſequamini.

Sequuntur nunc generales præceptiones quæ promiſcue ad omnes pertinent. Porro ſummatim quædam recenſet, quæ maxime ad fovendam amicitiam & charitatem neceſſaria ſunt. Primum eſt, ut *idem omnes ſentiamus.* Tametſi enim amicis liberum eſt diverſa ſentire: eſt tamen hæc nubecula, quæ amorem obſcurat: imo ex hoc ſemine facile odium naſcitur. Συμπάθεια ad omnes ſeorſus extenditur, quum ea inter nos viget concordia, ut quiſque proximorum malis non ſecus ac ſuis condoleat, proſperis rebus lætetur: non ſeipſum modo curet, ſed alios etiam complectatur. Quod proxime ſequitur, *fraterne vos diligentes*, peculiariter inter fideles valet. Nam ubi Deus agnoſcitur pater, illic demum vere regnat fraternitas. *Miſericordia* quam ſubjicit, non modo ad juvandos fratres, levandaſque eorum miſerias nos ſollicitat: ſed etiam ad tolerandas eorum infirmitates nos inſtituit. In eo quod ſequitur, duplex eſt lectio apud Græcos: mihi tamen probabilior videtur illa quam poſui in contextu: quandoquidem ſcimus hoc præcipuum conſervandæ amicitiæ vinculum, quum de ſe quiſque modeſte & ſubmiſſe ſentit: ſicut rurſum nihil eſt quod plures pariat diſcordias, quam dum nimium placemus nobis. Prudenter ergo Petrus, qui nos ταπεινόφρονας eſſe jubet, ne ſuperbia & animorum altitudo ad proximorum contemptum nos ſtimulet.

9. *Non reddentes malum pro malo.*] His verbis prohibetur omnis vindicta: nam ut ſalva maneat charitas, neceſſe eſt multa ferre. Quanquam hic non de mutua benevolentia concionatur: ſed nos injuriarum vult eſſe patientes ubi impii homines nos laceſſunt. Tametſi autem vulgo exiſtiment puſilli hoc & abjecti eſſe animi, non ulciſci injurias: ſumma tamen magnanimitas coram Deo cenſetur, quemadmodum ſuperius dictum eſt. Nec vero ſufficit abſtinere à vindicta: ſed hoc quoque Petrus poſtulat, ut iis bene precemur qui nos probris afficiunt. *Benedicere* hic pro bene precari accipitur, quia opponitur ſecundo membro. Sed in genere hoc docet Petrus, mala beneficiis vincenda eſſe. Hoc quidem valde arduum: ſed Patrem noſtrum cæleſtem in eo nos imitari decet, qui Solem ſuum oriri facit ſuper

indi-

Digitized by Google

indignos. Quod autem Sophiſtæ conſilium eſſe fingunt, futile eſt cavillum. ſimul enim atque hoc dixit Chriſtus, Diligite inimicos, doctrinam ſuam confirmat, Ut ſitis filii Dei. *Scientes quod in hoc vocati eſtis.* Significat hanc legem impoſitam eſſe fidelibus, quum à Deo vocati ſunt, ut ſe non eatenus tantum manſuetos præbeant, ne retalient illatas ſibi injurias: ſed etiam ut maledicentibus benedicant. Quia autem dura & propemodum iniqua videri poſſet hæc conditio, ad præmium eos revocat. Acſi diceret, non eſſe cur fideles querantur: quia in ſuum bonum remittant injurias. In ſumma, oſtendit quantum ſit patientiæ lucrum: quia ſi æquo animo ſuſtinemus injurias, Dominus nos ſua benedictione proſequitur: Verbum κληρονομήσητε poſitum videtur ad exprimendam perpetuitatem: acſi dixiſſet Petrus, nobis non ad breve tempus modo bene fore, ſed ſemper, ſi in ferendis injuriis moderati ſimus. Porro alio modo benedicit Deus quam homines. noſtrum enim eſt vota ad eum concipere: ipſe effectum in manu habet. Ex adverſo autem ſignificat Petrus, qui ulciſci injurias volent, illis infeliciter ceſſurum quicquid tentabunt: quia hoc modo ſe Dei benedictione abdicant.

10. Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, contineat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum.

11. Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem, & perſequatur eam.

12. Quoniam oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala.

13. Et quis eſt qui vobis male faciat, ſi boni æmuli ſitis?

14. Verum etiam ſi patiamini propter juſtitiam, beati. timorem vero eorum ne timueritis, neque turbemini:

15. Sed Dominum exercituum ſanctificate in cordibus veſtris.

10. *Qui enim* &c.] Confirmat proximam ſententiam Davidis teſtimonio. Locus ex Pſal. 34. ſumptus eſt, ubi Spiritus teſtatur bene omnibus fore qui ſibi temperabunt ab omni maleficio & noxa. Communis quidem ſenſus longe aliud dictat: nam homines ſe inimicorum proterviæ expoſitos fore putant, niſi ſtrenue ſe vindicent. At Spiritus Dei non aliis felicem vitam promittit, niſi manſuetis, & malorum patientibus. Neque enim aliter bene habere poſſumus, niſi Dominus vias noſtras proſperet. Atqui bonis & beneficis, non truculentis & ferocibus, vult adeſſe. Sequutus eſt autem Petrus Græcam verſionem: quanquam in ſenſu parum eſt diſcriminis. Ad verbum ſic habet David, Qui diligit vitam, & cupit dies videre bonos. Eſt autem hoc optabile, quum Deus in hoc mundo nos collocaverit, curſum noſtrum in pace tranſigere. Modum ergo hujus boni obtinendi indicat, ſi juſte & innoxie cum omnibus nos geramus. Ac primum notat quæ linguæ vitia cavenda ſint: nempe ne contumelioſi ac petulantes ſimus: deinde ne fraudulenti ac duplices. Hinc ad facta deſcendit, ne quem lædamus, vel ne cui inferamus damnum: ſed ſtudeamus erga omnes eſſe benefici, ac humanitatis officia exerceamus.

11. *Quærat pacem.*] Neque enim ſatis eſt oblatam amplecti, ſed dum fugere à nobis videtur ſectanda eſt. Sæpe etiam accidit, ut dum eam quærimus quantum in nobis eſt, alii non dent. Propter has difficultates & obſtacula, jubet eam quærere & perſequi.

12. *Quoniam oculi Domini ſuper juſtos.*] Hoc ad mitiganda quævis mala ſatis efficax ſolatium eſſe debet, nos à Domino reſpici, ut in tempore opem ferat. Summa ergo eſt, quod proſperitas illa cujus meminit, ex Dei pendeat tutela. Niſi enim ſuis proſpiceret Dominus, eſſent veluti oves lupis in prædam expoſitæ. Et ſane quod tam leviter tumultuamur, quod ſubito accendimur ad iracundiam, quod ardemus vindictæ libidine, hinc fit quia non reputamus nos curæ eſſe Deo, nec in ejus auxilio acquieſcimus. Itaque fruſtra docebitur tolerantia, niſi prius imbuti hac doctrina animi fuerint, Deum noſtri curam gerere, ut in tempore ſuccurrat. Contra ubi hoc nobis perſuaſum eſt, juſtorum cauſam Deum patrocinio ſuo tueri velle, primum innocentiæ ſimpliciter ſtudemus: deinde quum moleſti & infeſti ſunt improbi, ad Dei præſidium confugimus. Nam quum dicit, *aures* Domini precibus apertas, ad precandi ſtudium nos incitat. *Vultus autem Domini ſuper* &c. Hoc membro Dominum ſignificat noſtrum fore vindicem, quia non ſemper paſſurus ſit impiorum proterviam graſſari. Et ſimul denunciat quid futurum ſit, ſi vitam noſtram maleficiis velimus tueri: nempe quod Deum habituri ſimus nobis adverſum. Atqui objici contra poſſet, nos longe aliud quotidie experiri: nam quo quiſque juſtior eſt, paciſque amantior, eo magis vexatur à ſceleratis. Reſpondeo, neminem adeo eſſe æquitatis & pacis ſtudioſum, quin peccet interdum aliqua in parte. Sed hoc præcipue obſervandum eſt, promiſſiones hujus vitæ non longius extendi, quam quoad nobis expedit præſtari quod continent. Sæpe ergo turbatur pax noſtra cum mundo, ut caro noſtra in Dei obſequium dometur, & alias ob cauſas, ut nihil nobis depereat.

13. *Et quis eſt qui vobis* &c.] Rurſum confirmat ſuperiorem ſententiam argumento à communi experientia ſumpto. Hoc enim ut plurimum uſu venit, ut nobis improbi negotium faceſſant, vel laceſſiti à nobis, vel quia illis demerendis operam non impendimus, ut decebat. nam qui beneficentiæ ſtudent, etiam ferreos alioqui animos emolliunt. Eandem rationem adducit Plato libro primo de Repub. στάσεις γάρ που ἥ γε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν. hoc eſt, Seditiones & odia & pugnas injuſtitia excitat: concordiam vero & amicitiam juſtitia. Hoc tamen etſi communiter accidit, non eſt tamen perpetuum. nam filii Dei quantumvis improbos placare beneficiis ſtudeant, adeoque erga omnes beneficos ſe præſtent: ſæpe tamen immerito à multis impetuntur. Ideo addit Petrus, *ſi propter juſtitiam patiamini*, &c. Summa eſt, fideles ad tranquillum vitæ ſtatum obtinendum plus beneficiis profecturos, quam violentia & ulciſcendi promptitudine. Cæterum, ubi nihil ad pacem comparandam omiſerint, ſi contingat ipſos pati, hoc ipſo beatos eſſe, quia patiuntur propter juſtitiam. Hoc quidem poſterius membrum longe à carnis noſtræ ſenſu diſſidet: ſed non temere ita Chriſtus pronunciavit: nec temere Petrus ex ore Magiſtri recitat. Aderit enim tandem Deus liberator, ac tum palam conſtabit quod nunc incredibile videtur: felices fuiſſe piorum miſerias qui patienter ſuſtinuerunt. Pati propter juſtitiam, non modo ſignificat damni aliquid vel incommodi propter bonæ cauſæ patrocinium ſubire: ſed injuſte pati, ubi quis innocenter ſub timore Dei verſatus ſit inter homines.

14. *Timorem vero eorum.*] Iterum fontem ac cauſam impatientiæ deſignat: nempe quod ultra modum turbamur, dum in nos inſurgunt impii. Talis enim conſter-

Digitized by Google

conſternatio vel nos exanimat, vel de gradu dejicit, vel in nobis accendit vindictæ libidinem. interea non acquieſcimus in Dei præſidio. Hoc igitur ad rurbulentos animorum motus cohibendos optimum erit remedium, ſi immodicos terrores, divini auailii fiducia vicerimus. Porro non dubium eſt quin alludere Petrus ad locum Jeſaiæ voluerit, qui habetur cap. 8. Nam quum Judæi adverſus Dei prohibitionem profanis mundi opibus munire ſe appeterent, Prophetam ſuum admonet Deus, ne illorum exemplo trepidet. Quanquam Petrus Timoris nomen videtur in diverſum trabere. paſſive eoim accipitur à Propheta, qui populum incredulitatis ideo accuſat, quod quum auxilio Dei fretus, fortiter deberet pericula contemnere, metu ſic proſtrarus & fractus erat, ut undique illicita ſubſidia accerſeret. Atqui Petrus aliter timorem accipit, nempe pro formidine, quam ſua violentia & truculentis minis impii nobis incutere ſolent. Ergo à Prophetæ ſenſu recedit: ſed in eo nihil eſt abſurdi. Neque enim ejus conſilium fuit, exponere Prophetæ locum. tantum indicare voluit, nihil ad patientiam eſſe aptius, quam quod Jeſaias præſcribit, nempe ut Deo tribuamus ſuum bonorem, tota animi fiducia in ejus potentiam recumbentes. Si quis tamen ioterpretari malit Petri verba, *ne timueritis eorum timorem*, acſi dixiſſet, Nolite, quemadmodum infideles, vel filii hujus mundi ſolent, expaveſcere, quia de providentia Dei nihil tenent: non valde repugno, niſi quod (meo judicio) coacta expoſitio foret. Nec vero de ea re laboraodum eſt, quando hic Petrus ſingula Prophetæ verba interpretari noluit: ſed tantum in ea parte inſiſtere, quod intrepide ſtabunt fideles, nec ulla perturbatione ullove metu à recta officii ſui linea dimoveri unquam poterunt, ſi Dominum exercituum ſanctificent. Porro hæc ſanctificatio ad circumſtantiam præſentis cauſæ reſtringi debet. Unde enim fit ut metu obruamur, & putemus nos eſſe perditos, dum aliquid periculi impendet, niſi quia plus potentiæ ad nocendum homini mortali deferimus, quam Deo ad ſervandum? Salutis noſtræ cuſtodem ſe fore promittit Deus: eam contra evertere impii conantur. Niſi nos ſuſtentet Dei promiſſio, annon eum afficimus injuria & quodammodo profanamus? Docet igitur Propbeta, bonorifice ſentiendum eſſe de Domino exercituum, quod utcunque omnia machinentur impii ad nos perdendos, & magnis etiam viribus inſtructi ſint, ipſe unus ad ſalutem noſtram ſatis ſuperque ſit potens. Ideo addit Petrus, *in cordibus veſtris.* Nam ſi penitus animis noſtris inſideat hæc perſuaſio, opem à Domino promiſſam nobis ſufficere, optime ad repellendos omnes infidelitatis metus erimus muoiti.

Parati autem ſitis ſemper ad reſponſionem cuivis poſcenti à vobis rationem ejus quæ in vobis eſt ſpei.

16. Cum manſuetudine & timore, conſcientiam habentes bonam: ut in quo de vobis obtrectant, tanquam maleficis, pudefiant, dum infamant bonam veſtram in Chriſto converſationem.

Tametſi hæc oova præceptio eſt, pendet tamen ea ſuperioribus: nam exigit à fidelibus eam conſtantiam, ut adverſariis iotrepide reſpondeaot de fide ſua. Hæc autem pars eſt ejus ſanctificationis cujus nuper meminit: quia tunc vere ſuum bonorem exhibemus Deo, quum nec metus oec pudor à recta fidei profeſſione nos impedit. Cæterum, oon præciſe jubet Petrus ut ubique & ſemper, & apud omnes promiſcue aſſeramus ac publicemus quicquid nobis à Domino datum eſt. Nam in bunc finem Dominus ſuos Spiritu diſcretionis inſtruit, ut judiceot quando, & quouſque, & apud quos loqui expediat. Tantum jubet paratos eſſe ad reſponſionem, ne ſua ſocordia vel ignavo carnis metu, Chriſti doctrinam impiorum ludibriis ſilendo exponant. Summa ergo huc tendit, debere nobis in promptu eſſe fidei confeſſionem, ut eam proferamus quoties opus eſt, ne increduli ex noſtro ſilentio totam religiooem quam ſequimur damnent. Porro notandum eſt, Petrum hic non mandare, ut quacunque de re agitata fuerit quæſtio, parati ad eam ſolvendam ſimus. neque enim omnium eſt de quovis argumento diſſerere. Atqui bæc generalis eſt doctrina, quæ ad rudes & idiotas pertinet. ergo non aliud ſibi vult Petrus, niſi ut infidelibus palam faciant Chriſtiani, ſe Deum pure colere, & religionem habere ſanctam ac rectam. Atque in eo nihil eſt difficultatis. eſſet enim nimis abſurdum, quum de fide noſtra quiſpiam inquirit, nihil nos proferre ad ejus defenſionem. Danda enim ſemper opera eſt ut omnes agnoſcant nos Deum timere, pieque ac reverenter ſeotire de legitimo ejus cultu. Hoc etiam exigebat temporis ratio. perquam odioſum & infame erat Chriſtianum nomen: multi nefariam multiſque ſacrilegiis refertam eſſe ſectam putabant. Summa igitur in Deum perfidia fuiſſet, ſi rogati neglexiſſent pietatis ſuæ teſtimonium reddere. Idque (meo judicio) ſignificat Apologiæ nomen quo Petrus utitur. nempe ut Chriſtiani teſtatum mundo facerent, ſe procul ab omni impietate, veræque pietatis corruptela abeſſe: quo nomine imperitis ſuſpecti erant. *Spes* bic per ſynecdochen pro fide capitur. neque tamen (ut dictum eſt) requirit Petrus ut diſtincte & ſubtiliter ſciant de ſingulis fidei articulis diſputare: ſed taotum ut oſtendant fidem in Chriſtum veræ pietati eſſe conſentaneam. Hinc vero colligimus, perperam Chriſtianorum nomine omnes abuti, qui nihil certi tenent, nec quicquam habent quod reſpondeant de fide ſua. *Sed rurſum* expendi ſedulo debet quod dicit, *ejus quæ in vobis eſt ſpei.* ſignificat enim eam demum confeſſionem probari Deo, quæ ex corde manat: quia niſi intus reſideat fides, fruſtra garriet lingua: ergo radices in nobis agat, ut deinde proferat confeſſionis fructum.

16. *Cum manſuetudine.*] Valde neceſſaria admonitio. niſi enim ad modeſtiam compoſitæ ſint mentes, ſtatim contentiones ebulliunt. Maoſuetudo autem tam ſuperbiæ & ventoſæ oſtentationi, quam nimio fervori opponitur. Huic merito *timorem* conjungit. nam ubi obtinet Dei revereotia, omnem animorum ferociam domat: præſertim vero efficit ut placide tractemus Dei myſteria. Nam inde oriuntur contentioſæ diſputationes, quod bona pars minus honorifice quam decebat, de cæleſtis ſapientiæ magnitudine ſentiens, profana audacia effertur. Quare ſi Deo fidei noſtræ confeſſionem probare volumus, abſit omnis jactaotia, ac ceſſet omnis contentio. *Conſcientiam habentes.* Quia parum auctoritatis babet ſermo abſque vita, ideo fidei profeſſioni bonam conſcientiam adjungit. Videmus enim pleroſque ſatis prompta eſſe lingua, & multa libere effutire, nullo tamen profectu, quoniam vita non reſpondet. Deinde ſola eſt conſcientiæ integritas, quæ nobis dat fiduciam loquendi ut oportet. nam qui multa garriunt de Euangelio, vita autem diſſoluta coargui poſſunt impietatis, non modo ſe faciunt ridiculos, ſed doctrinam ipſam proſtituunt impiorum calumniis. Cur enim nuper jubebat nos ad defenſionem paratos eſſe, ſi quis fidei noſtræ rationem poſtulet, niſi quod Dei doctrinam noſtrum eſt vindicare à ſiniſtris ſu-

ſpicio-

ſpicionibus quibus eam gravant imperiti? Atqui parum hic valebit linguæ patrocinium, niſi vita ſimul reſpondeat. ideo dicit, *ut pudefiant* qui vituperant bonam veſtram in Chriſto converſationem, quia tanquam maleficis obloquuntur. Acſi diceret, Si nihil babent adverſarii quod carpant in vobis, niſi quia Chriſtum ſequimini, tandem ipſos malitiæ ſuæ pudebit: vel ſaltem innocentia veſtra ad eos refutandos ſufficiet.

17. Præſtat enim benefaciendo (ſi ita fert voluntas Dei) pati quam malefaciendo.

18. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.

17. *Præſtat enim.*] Hoc non ad proximam modo ſententiam, ſed ad rotum complexum pertinet. loquutus eſt de fidei profeſſione, quæ illo tempore periculoſa erat: nunc dicit multo eſſe melius, ſi quid incommodi pro bonæ cauſæ defenſione ſuſtineant, ſic injuſte pati quam ſi ob ſua flagitia plectantur. Hæc conſolatio arcana potius meditatione, quam longo verborum circuitu percipitur. Paſſim quidem boc apud profanos ſcriptores occurrit, ſatis eſſe præſidii in bona conſcientia, quicquid malorum accidat, & perſerre neceſſe ſit. Loquuti ſunt illi animoſe, ſed tunc demum vere fortis erit animus, ſi in Deum reſpiciat. Ideo hanc exceptionem addidit Petrus, *ſi ita ferat voluntas Dei.* Nam his verbis admonet, ſiquid injuſte patimur, id non fortuito accidere, ſed certo potius Dei arbitrio: Deum autem nihil velle aut ſtatuere niſi optima cauſa, pro confeſſo aſſumit. Quare hoc ſolatii ſemper habent in ſuis miſeriis fideles, quod ſciunt ſe Deum habere teſtem: deinde quod agnoſcunt ab eo ſe in arenam deduci, ut ſub ejus auſpiciis fidei ſuæ ſpecimen edant.

18. *Quia & Chriſtus ſemel.*] Alia conſolatio, quod ſi in afflictionibus noſtris ſumus nobis bene conſcii, exemplo Chriſti patimur: unde ſequitur, nos beatos eſſe. Simul autem probat à fine mortis Chriſti, minime conſentaneum eſſe ut ob maleficia noſtra plectamur. Chriſtum enim paſſum eſſe docet, ut nos adduceret Deo. Quid hoc ſibi vult, niſi nos Chriſti morte ita fuiſſe Deo conſecratos, ut illi vivamus & moriamur? Sunt igitur duo hujus ſententiæ membra. Prius eſt, ferendas eſſe æquo animo perſequutiones, quia Filius Dei nobis viam monſtret. alterum vero, quod quum in Dei obſequium addicti ſimus Chriſti morte, non ub delicta noſtra, ſed ob juſtitiam pati deceat. Hic tamen moveri poteſt quæſtio, annon fideles caſtiget Deus, quoties alicunde affligi patitur. Reſpondeo, ſæpe quidem fieri ut Deus pœnas ipſis quas meriti ſunt, irroget. neque hoc Petrus negat: ſed admooet quantum hoc ſit ſolatii, babere conjunctam cum Deo cauſam. Quomodo autem peccata Deus in iis non puniat qui perſequutionem ſuſtinent propter juſtitiam, & quo ſenſu vocentur innocentes, proximo cap. videbimus. *Mortificatus quidem.* Hoc jam magnum erat, nos Filio Dei eſſe conformes, quum ſine cauſa patimur. ſed accedit aliud conſolationis argumentum, felicem mortis Chriſti exitum fuiſſe: quia etſi paſſus eſt propter infirmitatem carnis, reſurrexit in virtute Spiritus. Ergo Chriſto nihil obfuit crux, neque mors, quum vita palmam obtinuerit. Hoc autem ideo dictum eſt ut ſciamus (quemadmodum etiam Paulus admonet) nos in corpore noſtro ferre mortificatiooem Chriſti, quo vita ejus manifeſtetur in nobis. (2 Cor. 4. verſ. 10.) *Caro* hic pro externo homine capitur: *Spiritus* pro divina potentia, qua Chriſtus victor à morte emerſit.

19. In quo & iis qui in * ſpecula erant ſpiritibus, profectus prædicavit.

* vel, *in excubiis:* vel, *carcere.*

20. Quum increduli fuiſſent olim, quum ſemel expectabatur Dei patientia in diebus Noë, dum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc eſt, octo animæ ſervatæ ſunt per aquam.

21. Cujus figuræ reſpondens Baptiſmus, nos quoque ſalvos reddit: non abjectio ſordium carnis, ſed bonæ conſcientiæ examen apud Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti:

22. Qui eſt in dextra Dei, profectus in cælum ſubjectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.

19. *In quo & iis.*] Hoc addit Petrus, ut ſciamus vivificam illam de qua loquutus eſt, Spiritus virtutem non exertam fuiſſe in ſola Chriſti perſona, ſed in nos etiam diffundi: quemadmodum & Paulus docet ad Rom. cap. 5. v. 5. Dicit ergo, non ſibi modo Chriſtum reſurrexiſſe, ſed ut vim eandem Spiritus ſui aliis patefaceret: adeoque ipſam uſque ad mortuos penetraſſe. unde ſequitur, nos eam non minus ſenſuros, ut quicquid in nobis mortale eſt, vivificet. Cæterum quia loci hujus obſcuritas varias expoſitiones (ut fieri ſolet) nobis peperit, priore loco quæ ab aliis afferuntur, refellam: deinde genuinum & verum ſenſum quæremus. Trita & vulgaris opinio fuit, bic narrari Chriſti deſcenſum ad inferos: ſed verba aliud ſonant. neque enim animæ Chriſti fit menrio, ſed tantum quod Spiritu venerit. Sunt autem hæc longe diverſa, animam Chriſti veniſſe, & Chriſtum prædicaſſe Spiritus ſui potentia. Nominatim ergo *Spiritum* exprimit Petrus ut imaginationem tollat realis (ut vocant) præſentiæ. Alii de Apoſtolis exponunt, quod ſcilicet eorum miniſterio mortuis apparuit, id eſt, infidelibus. Fateor quidem Chriſtum per Apoſtolos Spiritu ſuo veniſſe ad eos qui in carne detinebantur, ſed hæc expoſitio multis rationibus falſa coarguitur. Primum dicit Petrus, ad ſpiritus Chriſtum veniſſe: quo nomine ſignificat animas à corporibus ſeparatas. vivos enim homines ſpiritus vocari, nuſquam receptum eſt. Deinde quod quarto capite in eundem ſenſum repetet Petrus, Allegoriam non admittit. Ergo de mortuis proprie verba intelligi oportet. Tertio, hoc valde abſurdum eſt, Petrum de Apoſtolis agentem, mox quaſi ſui oblitum tranſilire ad tempus Noë. Certe nimis intempeſtive boc modo abrupta eſſet oratio. falſum ergo eſt illud commentum. Porro eorum delirium qui putant incredulos Chriſti adventu, poſt mortem ſuam à reatu liberatos eſſe, longa refutatione non indiget. Certa enim Scripturæ doctrina eſt, nos ſalutem non conſequi in Chriſto, niſi fide. ergo qui ad mortem uſque obſtinati fuerunt, his nulla ſpes relinquitur. Probabilius aliquanto loquuntur qui redemptionem à Chriſto partam profuiſſe dicunt mortuis, qui tempore Noë diu fuerant increduli: tamen reſipuerant demum paulo antequam diluvio mergerentur. Illos ergo intelligunt pœnas contumaciæ ſuæ dediſſe in carne, ſervatos tamen Chriſti beneficio, ne æternum perirent. ſed hæc parum firma eſt divinatio: deinde pugnat cum orationis contextu. Petrus enim uni

dun-

Digitized by Google

duntaxat familiæ Noë ſalutem attribuit: exitio autem addicit omnes qui extra arcam fuerunt. Ego itaque non dubito quin generaliter dicat Petrus gratiæ Chriſti manifeſtationem ad pios ſpiritus perveniſſe, atque ita vitali Spiritus efficacia eſſe perfuſos. Quare timendum non eſt ne ad nos uſque emanet. Sed quæri poteſt, cur nam piorum animas, poſtquam è corporibus migrarunt, in carcere collocet. Mihi quidem φυλακὴ potius ſpeculam ſignificat in qua aguntur vigiliæ, vel ipſum excubandi actum. Nam ſæpe ita capitur apud Græcos: & ſenſus optime fluet, pias animas in ſpem ſalutis promiſſæ fuiſſe intentas, quaſi eminus eam conſiderarent. Neque enim dubium eſt quin ad hunc ſcopum ſancti Patres tam in vita, quam poſt mortem, ſuas cogitationes direxerint. Verum ſicui placeat retinere carceris nomen, non male conveniet. ſicuti enim dum vivebant, Lex illis (teſte
Galat. 3. verſ. 23. Paulo) quædam arctior fuit cuſtodia, in qua detinebantur: ita poſt mortem ſollicito Chriſti deſiderio conſtringi oportuit: quia nondum Spiritus libertatis plene exhibitus erat. Ergo expectationis anxietas illis fuit veluti carcer. Hactenus Apoſtoli verba cum re ipſa & filo argumenti belle congruunt: ſed quod ſequitur nonnihil habet difficultatis. Neque enim hic fideles, ſed incredulos ſolos commemorat. quo videtur tota illa ſuperior expoſitio everti. Hac ratione adducti quidam, putarunt nihil hic dici aliud, niſi incredulos, qui olim piis moleſti infeſtique fuerant, Spiritum Chriſti judicem expertos eſſe. Quaſi hoc argumento conſoletur Petrus fideles, quia Chriſtus etiam mortuus, pœnas de ipſis ſumpſerit. Sed eorum errorem convincet quod proximo capite videbimus, Mortuis Euangelium prædicatum, ut vivant ſecundum Deum ſpiritu: quod peculiariter in fideles competit. Porro certum eſt, idem quod nunc dicit, illic repetere. Deinde non animadvertunt hoc præcipue velle Petrum, quemadmodum potentia Spiritus Chriſti vivificam ſe in ipſo oſtendit, & qualis à mortuis fuit cognita, talem etiam erga nos fore. Videndum tamen quorſum hoc ſpectet, quod incredulos tantum nominat. videtur enim dicere, Chriſtum in Spiritu apparuiſſe iis qui olim fuerant increduli. Atqui ego aliter diſtinguo: tunc quoque permiſtos fuiſſe incredulis puros Dei cultores, imo eorum multitudine fere opertos. Diſcrepat (fateor) ab hoc ſenſu Græca ſyntaxis: debuerat enim Petrus, ſi hoc vellet, genitivum abſolutum ponere. Sed quia Apoſtolis novum non eſt liberius caſum unum ponere alterius loco, & videmus Petrum hic confuſe multas res ſimul coacervare, nec vero aliter ſenſus aptus elici poterat: non dubitavi ita reſolvere orationem implicitam: quo intelligerent lectores alios vocari incredulos, quam quibus prædicatum fuiſſe Euangelium dixit. Poſtquam ergo dixit *Chriſtum* ſe mortuis manifeſtaſſe, mox addit, *quum increduli fuiſſent olim.* quo ſignificat nihil nocuiſſe ſanctis Patribus quod impiorum multitudine pene obruti fuerint. Nam (meo judicio) dubitationi occurrit, quæ fideles ejus temporis angere poterat. Videbant totum fere mundum occupari ab incredulis, illos potiri rerum, penes illos eſſe vitam. Hæc tentatio omnem fiduciam iis excutere poterat qui veluti ſub morte concluſi erant. eos itaque admonet Petrus, non aliam fuiſſe Patrum conditionem: & tamen quum tunc impiorum multitudo totam terram operiret, illorum vitam Dei virtute ſalvam fuiſſe. Hoc modo ſolatur pios, ne propter ſuam paucitatem fracto ſint vel abjecto animo. Exemplum vero ex tota vetuſtate præ aliis illuſtre deligit: nempe quum diluvio ſubmerſus fuit mundus. nam tunc in communi generis humani interitu ſola Noë familia evaſit. Ac modum deſignat, ſpeciem Baptiſmi fuiſſe dicens: quare in hac etiam parte nihil eſt abſurdi. Summa eſt, mundum ſemper fuiſſe plenum incredulis, ideo ingenti eorum numero non debere terreri pios. Quemadmodum Noë, tametſi undique obſidebatur ab impiis, & tam paucos ſecum habebat, non tamen abreptus fuit à recto fidei ſuæ curſu.

20. *Quum ſemel expectabatur.*] Hoc ad impios referri debet, quos Dei patientia ſegniores reddebat. nam ſi ultionem ſuam differt Deus, nec ſtatim exequitur, minas omnes ſecure eludunt impii: contra vero Noë oraculo monitus, diluvium multo ante habebat præ oculis. Hinc ſedulitas in conſtruenda arca, quod Dei judicio tremefactus, torporem omnem excuſſerat.

21. *Cujus figuræ.*] Omnino relativum in dativo caſu legendum arbitror: ac errore factum eſſe ut ω in locum ο ſubierit. Senſus tamen minime ambiguus eſt, quod Noë per aquam ſervatus, quandam Baptiſmi ſpeciem habuerit. Et hoc commemorat *Apoſtolus*, ut melius conſtet inter illum & nos ſimilitudo. Jam dictum eſt huc ſpectare membrum iſtud, ne pravis exemplis abducti à timore Domini & recta ſalutis via, nos cum mundo miſceamus. Hoc in Baptiſmo aliquando patet, ubi Chriſto conſepelimur, ut mundo & carni mortui, Deo vivamus. Hac ratione Baptiſmum noſtrum ἀντίτυπον eſſe dicit baptiſmo Noë: non quod baptiſmus Noë primarium fuerit exemplar, noſter vero inferior ſit figura: qualiter hoc nomen uſurpat Apoſtolus in Epiſtola ad He- Hebr. 9. verſ. 4.
bræos, quum Legis ceremonias ἀντίτυπα vocat rerum cæleſtium. Similiter Græci ſcriptores id Sacramentis attribuunt: ut quum dicunt myſticum ſacræ Cœnæ panem, eſſe corporis Chriſti ἀντίτυπον. Sed hic non fit majoris aut minoris comparatio. tantum ſignificat Apoſtolus mutuam ſimilitudinem eſſe, ac (ut vulgo loquuntur) correſpondentiam. Forſan magis proprie loquutus foret ἀντίςροφον vocando: qualiter Ariſtoteles Dialecticam facit ἀντίςροφον Rhetoricæ. Sed de verbis non eſt laborandum ubi de re convenit. Ergo ſicuti Noë vitam adeptus eſt per mortem, quum in arca non ſecus atque in ſepulchro incluſus fuit, & toto mundo pereunte, ſervatus fuit cum exigua familia: ſic hodie mortificatio quæ in Baptiſmo figuratur, nobis ingreſſus eſt in vitam. nec ſalus ſperanda eſt, niſi à mundo ſimus ſegregati. *Non abjectio ſordium.* Hoc ideo additum eſt, quoniam fieri interdum poteſt ut *major pars hominum* Chriſti nomen *profiteatur*: ac eodem nobiſcum Baptiſmo initiati ſunt fere omnes in Eccleſiæ ſocietatem. Hoc modo non conveniret quod prius dixit, paucos hodie ſervari per Baptiſmum: ſicuti octo ſolum animas Deus per arcam liberavit. Hanc objectionem Petrus occupat, quum teſtatur ſe non loqui de nudo ſigno, ſed ſimul conjungere effectum. acſi diceret, ſemper futurum quod ſeculo Noë contigit, ut humanum genus in ſuum exitium ruat: puſillum vero gregem mirabiliter eripiat Dominus. Videmus nunc quid ſibi velit hæc correctio. Poterat enim quiſpiam objicere, baptiſmo Noë noſtrum eſſe longe diſſimilem, quia pleroſque hodie baptizari contingat. Reſpondet autem, non ſufficere externum ſymbolum, niſi vere & efficaciter Baptiſmum ſuſcipiant. Atqui ejus veritas in paucis reperietur. Unde ſequitur non debere nos circumſpicere quid agat vulgus hominum, ut ab exemplis pendeamus, nec debere nos metuere, ſi pauci ſimus numero. Cæterum, hoc teſtimonium perperam detorquent fanatici homines (ut Schuencfeldius) dum Sacramentis omnem vim & effectum detrahere volunt. Neque enim hic docere voluit Petrus inane & inefficax eſſe Chriſti inſtitutum, ſed tantum excludere hypocritas à ſpe ſalutis, qui Baptiſmum, quantum in ſe eſt, depravant ac corrumpunt. Porro quum de Sacramentis agitur, duo ſunt conſideranda, ſignum & res. Ut in Baptiſmo ſignum eſt aqua: res autem, ablutio animæ per ſanguinem Chriſti, & carnis mortificatio. Horum utrumque ſub ſe complectitur Chriſti inſtitutum. Quod autem ſæpe inefficax & abſque fructu ſignum apparet, id fit

Digitized by Google

hominum abuſu, qui Sacramenti naturam non tollit. Diſcamus ergo rem ſignatam à ſigno non divellere. Quanquam ſimul à diverſo vitio cavendum eſt, quale inter Papiſtas regnat. Quia enim inter rem & ſignum non diſtinguunt ut oportet, conſiſtunt in externo elemento, & illic locant ſalutis fiduciam. Itaque aquæ conſpectus, eorum mentes à Chriſti ſanguine & gratia Spiritus abſtrahit. Chriſtum non cogitant bonorum omnium, quæ illic offeruntur, unicum eſſe auctorem, gloriam mortis ejus ad aquam transferunt, arcanam Spiritus virtutem alligant viſibili ſigno. Quid ergo agendum eſt? Ne ſeparemus quæ à Domino conjuncta ſunt. Debemus in Baptiſmo agnoſcere ſpirituale lavacrum: debemus illic teſtimonium remiſſionis peccatorum & renovationis noſtræ pignus amplecti: ſic tamen relinquere & Chriſto & Spiritui ſancto ſuum honorem, ut nulla pars ſalutis ad ſignum transferatur. Certe quum Petrus facta Baptiſmi mentione, mox excipit, non eſſe depoſitionem ſordium carnis, ſatis oſtendit, Baptiſmum aliquibus eſſe duntaxat literalem: ideoque externum ſignum per ſe nihil valere. *Sed bonæ conſcientiæ.* Primum *interrogatio* hic vice reſponſionis vel teſtimonii capitur. Breviter autem vim uſumque Baptiſmi definit Petrus quum ad conſcientiam revocat, & nominatim fiduciam requirit quæ ſuſtineat Dei conſpectum, & apud ejus tribunal conſiſtat. Nam his verbis docet Baptiſmum præcipua ſui parte ſpiritualem eſſe. deinde, peccatorum remiſſionem & reformationem veteris hominis in ſe complecti. Quomodo enim bona & pura eſſe conſcientia poterit, donec correctus fuerit vetus homo noſter, & in juſtitiam Dei renovati ſimus? Et quomodo reſpondebimus coram Deo, niſi gratuita peccatorum venia freti ac ſuffulti? In ſumma, Baptiſmi effectum indicare voluit Petrus, ne quis nudo & emortuo ſigno glorietur, quemadmodum hypocritæ ſolent. Sed notandum eſt quod dixit, *Per reſurrectionem Chriſti.* Quibus verbis docet non eſſe in elemento aquæ hærendum: ſed à Chriſto ſolo fluere, & ab eo petendum eſſe quicquid illic figuratur. Porro quum reſurrectionem nominat, reſpicit ad ſuperiorem doctrinam quam tradidit, Chriſtum Spiritu vivificatum eſſe. nam reſurrectio, mortis fuit victoria, & ſalutis noſtræ complementum. Unde colligimus, mortem Chriſti non excludi, ſed potius contineri ſub reſurrectione. Ergo non aliter in Baptiſmo proficimus, quam ſi ſenſus noſtri omnes in Chriſti morte ac reſurrectione conſiſtant.

22. *Qui eſt in dextera.*] Chriſti in cælos aſcenſum nobis commendat, ne eum oculi noſtri in mundo quærant: idque fidei maxime intereſt. Seſſionem in dextera Patris commendat, ne dubitemus ſatis in eo potentiæ eſſe & præſidii ad nos ſervandos. Porro quid loquutio iſta valeat, *ſedere* ad Patris dexteram, alibi expoſuimus: quod ſcilicet Chriſtus ubique ſummum imperium, tanquam Dei legatus, exerceat. Ad cujus rei explicationem faciunt quæ mox ſequuntur, *ſubjectis ſibi Angelis*, &c. Quod *virtutes* & *poteſtates* addit, tantum ad amplificationem ſpectat. nam uſitatum eſt Angelos his nominibus deſignari. Magnitudinem ergo imperii quod obtinet Chriſtus, his elogiis ornare Petrus voluit.

CAP. IV.

CHriſto igitur paſſo pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini: quod ſcilicet qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato,

2. Ne amplius hominum concupiſcentiis, ſed voluntati Dei, quod reſiduum eſt temporis in carne, vivat.

3. Satis enim nobis eſt quod anteacto vitæ tempore voluntatem Gentium patraverimus, quum ambularemus in laſciviis, concupiſcentiis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & nefariis idololatriis.

4. Quod illis videtur inſolens, quod non concurratis in eandem luxus profuſionem, ideoque male loquuntur.

5. Qui reddituri ſunt rationem ei qui paratus eſt judicare vivos & mortuos.

1. *Chriſto igitur* &c.] Quum nuper Chriſtum proponeret, tantum de crucis tolerantia diſſerebat: nam interdum crux mortificatio vocatur, quia afflictionum exercitiis corrumpitur homo exterior, caro etiam noſtra domatur. Nunc autem altius conſcendit: tractat enim de totius hominis reformatione. Duplicem hanc mortis Chriſti ſimilitudinem Scriptura nobis commendat: nempe ut illi configuremur in probris & ærumnis: deinde ut nobis mortui, & extincto veteri homine, renovemur in ſpiritualem vitam. (*Philip. 3. verſ. 10. Rom. 6. verſ. 4.*) Tametſi non ſimpliciter conſiderandus eſt nobis Chriſtus tanquam exemplum, ubi de carnis mortificatione agitur: ſed Spiritu ejus vere inſerimur in ejus mortem, ut ipſa in nobis ſit efficax ad crucifigendam carnem noſtram. In ſumma, ſicuti Petrus in fine proximi capitis, nos Chriſti exemplo ad patientiam hortatus eſt, quia mors illi tranſitus ad vitam fuerit: ita nunc ex eadem morte ducit altiorem doctrinam, quod ſcilicet carni & mundo nos mori oporteat. ſicuti ad Rom. cap. 6. ubi fuſius hoc argumentum proſequitur Paulus. Ideo dicit, *armamini*: ſignificans, vere & efficaciter nos invictis armis inſtrui ad ſubigendam carnem, ſi vim mortis Chriſti percipimus ut decet. *Quod ſcilicet qui paſſus.* Particulam ὅτι non puto hic notare cauſam, ſed potius expoſitive capi. Declarat enim Petrus quænam ſit illa cogitatio qua mors Chriſti nos armat: nempe quod abolitum peccati regnum in nobis eſſe debeat, ut Deus in vita noſtra regnet. Male Eraſmus, meo judicio: qui vertit Patiebatur, ad Chriſtum referens. Nam indefinita eſt oratio, quæ generaliter ad omnes pios extenditur: atque omnino eundem habent ſenſum hæc verba, quem illa Pauli ad Rom. cap. 6. v. 7. Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt, vel abſolvitur à peccato. Uterque enim Apoſtolus ſignificat, ex quo mortui ſumus in carne, nihil eſſe nobis amplius cum peccato negotii, ut vigeat in nobis, ac ſuam vim in vita noſtra exerceat. Objici tamen poterit, improprie hic loqui Petrum, dum nos in eo conformes Chriſto facit, quod in carne patimur. certum enim eſt, nihil fuiſſe in Chriſto vitioſum quod corrigi debuerit. Verum facilis eſt ſolutio, quod neceſſe non ſit hanc ſimilitudinem per omnia congruere: ſufficit ergo quod aliquatenus configuramur morti Chriſti. Quo ſenſu etiam non inepte exponitur illud Pauli, nos inſeri in ſimilitudinem mortis ejus: (*Rom. 6:5.*) quia non eadem prorſus ſit ratio, ſed quia mors ejus, typus ſit modo ac exemplar mortificationis noſtræ. Proinde notandum eſt, *carnis* nomen hic diverſo ſenſu bis eſſe poſitum. Nam quum paſſum carne Chriſtum dicit, naturam humanam quam à nobis ſumpſerat Chriſtus, morti ſubjectam fuiſſe docet: hoc eſt, Chriſtum quatenus homo erat, naturaliter fuiſſe mortuum. In ſecundo autem membro quum de nobis ſermo eſt, caro eſt naturæ noſtræ corruptio ac vitioſitas. Ita paſſio in carne ſignificat noſtri abnegationem. Nunc videmus quid inter Chri-

ſtum & nos ſimile, quid diverſum ſit: nempe quod ſicut paſſus eſt in carne à nobis ſumpta, ſic totam carnem noſtram crucifigi oporteat.

2. *Ne amplius.*] Hic modum exprimit deſiſtendi à peccato: ut ſcilicet renunciantes hominum concupiſcentiis, vitam noſtram ſtudeamus ad Dei voluntatem componere. Itaque duas renovationis noſtræ partes hic comprehendit, carnis interitum, & vivificationem ſpiritus. Ab illo itaque inchoandus eſt bene vivendi curſus: ad hanc vero pergendum. Porro hic definit Petrus quæ ſit bene vivendi regula: quum ſcilicet à Dei voluntate pendet homo. unde ſequitur, nihil in vita eſſe rectum nec compoſitum, ſimulac inde aberrat. Præterea notanda eſt antitheſis inter *Dei voluntatem* & *hominum concupiſcentias.* Unde intelligimus, quanta ſit noſtra pravitas, & quantopere luctandum ſit, ut Deo reddamur obſequentes. Quum dicit, *reliquum temporis in carne*, caro pro vita præſenti accipitur, ſicuti ad Hebræos cap. 5. v. 7.

3. *Satis enim nobis.*] Non intelligit Petrus, tædio nos voluptatum affici debere, quemadmodum ſolent qui ad ſatietatem illis ſunt expleti: ſed potius vitæ præteritæ memoria ad pœnitentiam eos ſtimulat. Et certe hic acerrimus nobis ſtimulus eſſe debet ad bene currendum, dum reputamus nos magna parte vitæ extra viam erraſſe. Admonet autem Petrus, abſurdum fore, ſi à Chriſto illuminati, vitam in melius non mutent. Nam hic inter ignorantiæ & fidei tempora diſcernit: acſi diceret æquum eſſe ut novos & alios ſe homines præbeant, ex quo Chriſtus eos vocavit. Cæterum pro hominum concupiſcentiis, nunc ponit *Gentium voluntatem*: in quo Judæis exprobrat quod Gentibus in omni pollutionis genere permiſti eſſent, quum eos Dominus ſegregaſſet. In poſterum vero docet exuenda eſſe vitia quæ cæcitatem ac Dei ignorantiam in hominibus arguunt. Pondus etiam habet hæc particula, *quod reſiduum eſt vitæ.* Significat enim ad finem uſque perſeverandum: ſicuti
Rom. 6. verſ. 6. quum dicit Paulus Chriſtum à mortuis excitatum, jam amplius non mori. Nam ideo redempti ſumus à Domino, ut illi ſerviamus omnibus diebus vitæ noſtræ. *In laſciviis.* Non recenſet integrum catalogum: ſed tantum quaſdam ſpecies attingit, ex quibus ſummatim colligere liceat, quidnam appetant, & quorſum propenſi ſint homines Spiritu Dei non regeniti. Craſſiora autem vitia nominat, ut fieri in proferendis exemplis ſolet. In verborum interpretatione non immorabor, quia nihil habent difficultatis. Sed hic exoritur quæſtio: quia videtur multis injuriam facere Petrus, quum omnes laſciviæ, diſſolutionis, libidinum, ebrietatis, & comeſſationum reos facit. Certum eſt enim non fuiſſe omnes his vitiis implicitos: imo in Gentibus quoſdam ſcimus honeſte & citra infamiæ notam vixiſſe. Reſpondeo, Petrum non ſic tribuere Gentibus hæc vitia, quaſi omnium damnet ſingulos homines, ſed quia ſic ad malum natura proclives ſumus: neque id modo, ſed etiam pravitati addicti, ut neceſſario iſti fructus quos enumerat, ex mala radice prodeant. Nemo quidem eſt qui non incluſum in ſe habeat vitiorum omnium ſemen: ſed non omnia in ſingulis germinant atque emergunt. Sic tamen per totum humanum genus ſparſa eſt ac diffuſa contagio, ut appareat totum corpus innumeris malis refertum eſſe: nullum vero membrum à communi corruptela eſſe immune vel purum. Poſtremum quoque membrum aliam quæſtionem gignere poteſt. Judæos enim alloquitur Petrus: & tamen in nefariis idololatriis verſatos eſſe dicit. Atqui Judæi ubicunque terrarum agerent, ſollicite ſibi cavebant ab idolis. Duplex ſolutio afferri poteſt: vel quod per ſynecdochen communiter de omnibus pronunciet quod tantum ad paucos ſpectabat (neque enim dubium eſt quin ex Judæis promiſcue ac Gentibus compoſitæ fuerint Eccleſiæ ad quas ſcribebat) vel quod idololatrias appellet quaſvis ſuperſtitiones quarum tunc pleni erant Judæi. Quanquam enim ſe Deum Iſraël colere profitebantur, ſcimus tamen nullam divini cultus partem apud eos ſinceram fuiſſe. Et quanta in regionibus barbaris ac in turmis diſſipatis confuſio eſſe poterat, quum ipſa Jeroſolyma ex cujus radiis locem ſuam mutuabantur, ad extremum impietatis prolapſa eſſet? Scimus enim illic omnia genus deliria impune graſſata eſſe, ut ſummum quoque Sacerdotium & præcipuum Eccleſiæ regimen penes Sadducæos eſſet.

4. *Quod illis videtur.*] Ad verbum ſic Petrus habet, In quo peregrinantur, non concurrentibus vobis in eandem luxus profuſionem, blaſphemantes. Sed *peregrinari* capitur pro Morari ut in re nova & inſolita. Qua loquutione & Latini interdum utuntur, ut quum Cicero dicit, ſe hoſpitem eſſe in urbe, quia quæ illic aguntur non cognoſcat. Cæterum hoc loco munit Petrus fideles, ne perverſis impiorum judiciis vel ſermonibus turbari ſe vel corrumpi ſinant. Eſt enim hæc non levis tentatio, quum ii inter quos verſamur, vitam noſtram inſimulant quaſi à communi humanitate abhorrentem: Iſtis, inquiunt, fabricandus eſſet novus mundus, quoniam ita ab humano genere diffident. Ita filios Dei accuſant, quaſi *orbis divortium* moliantur. *Prævenit ergo Apoſtolus, ac* fideles vetat talibus probris vel calumniis frangi. Fulturam autem illis proponit, Dei judicium. Hoc enim eſt quod nos contra omnes inſultus ſuſtinet, quum diem illum patienter expectamus, quo vindicabit Chriſtus eos omnes qui nunc temere nos damnant, ſibique nos ac cauſam noſtram probari oſtendet. Dicit autem nominatim *vivos ac mortuos*: ne quid putemus nos damni pati, ſi morientibus nobis, maneant illi ſuperſtites: quia non propterea manum Dei effugient. Porro quo ſenſu vivos & mortuos dicat, diſcere licebit ex 15. prioris ad Corinthios capite.

* vel, prædicatum fuit Euangelium.

6. In hoc enim & mortuis * euangelizatus fuit, ut judicentur quidem ſecundum homines carne, vivant autem ſecundum Deum ſpiritu.

7. Porro omnium finis propinquus eſt: ſobrii itaque eſtote, & vigilantes ad precandum.

8. Ante omnia vero charitatem inter vos intentam habentes: quia charitas operiet multitudinem peccatorum.

9. Invicem hoſpitales ſine murmurationibus.

10. Ut quiſque accepit donum, miniſtrantes illud inter vos, tanquam boni diſpenſatores multiplicis gratiæ Dei.

11. Si quis loquitur, loquatur tanquam eloquia Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam ſuppeditat Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

6. *Mortuis euangelizatus.*] Videmus in quem ſenſum accommodet ſuperiorem ſententiam, quam c. 3. habuimus: nempe mortem nihil obſtare quin Chriſtus ſemper nihilominus ſit vindex noſter. Inſignis itaque eſt piorum conſolatio, quod eorum ſaluti mors nihil affert jacturæ. ergo utcunq; in hac vita non appareat

Chriſtus

Chriſtus liberator, non tameo ioanis eſt aut irrita ejus redemptio: quia ad mortuos uſque extenditur ejus virtus. Cæterum quod Græca vox ambigua eſt, tam in maſculino genere quam in neutro verti poteſt, ſed eodem fere ſenſu. nempe quod Chriſtus mortuis patefactus fuerit redemptor: vel quod illis ſalus per Euangelium patefacta fuerit. Quod ſi gratia Chriſti ſemel penetravit ad mortuos, non dubium eſt quin eam à morte quoque ſeoſuri ſimus. Itaque nimis anguſtos limites illi ſtatuimus, ſi reſtringimus ad præſentem vitam. *Ut judicentur.* Aliorum expoſitiones omitto, quia mihi videntur à mente Apoſtoli procul remotæ. Hoc enim (meo judicio) per anticipationem dictum eſt: quia objici poterat, nullum extare Euangelii erga mortuos profectum, quos minime reſtituit in vitam. Partem hujus objectionis concedit Petrus: ſic tamen, ut ſalute à Chriſto parta non priventur. in priore itaque membro quum dicit, ut judicentur carne ſecundum homines, conceſſio eſt: ac Judicari hic pro damnari capitur, ut ſæpe alias: Caro autem pro externo homine: ut ſit ſenſus, Quamvis ſecundum rationem mundi, interitum patiantur mortui in carne ſua: & damnati, quoad externum hominem, habeantur: vivere tamen apud Deum non deſinunt, idque ſpiritu: quia Chriſtus eos Spiritu ſuo vivificat. Nunc addendum quod Paulus ad Rom. cap. 8. v. 10. docet, Spiritum eſſe vitam, ac proinde futurum ut mortis reliquias, quæ adhuc hærent in nobis, tandem abſorbeat. Summa eſt, utcunque deterior ſit mortuorum conditio in carne ſecundum homines: ſufficere tamen quod eos Spiritus Chriſti vivificat, qui aliquando eos ad perfectionem vitæ adducet.

7. *Porro omnium finis.*] Tametſi audiunt fideles, alibi quam in mundo ſuam felicitatem eſſe: quia tamen diu ſe victuros putant, hæc prava imaginatio pigros, imo ſocordes reddit, ne ſtudia ſua applicent ad regnum Dei. Quamobrem Apoſtolus ut eos excitet à ſopore carnis, admonet, propinquum eſſe rerum omnium finem. Quo ſignificat non deſidendum eſſe in hoc mundo, unde paulo poſt migrare nos oporteat. Quanquam non de privato tantum cujuſque fine loquitur, ſed de univerſa mundi reparatione: acſi diceret, venturum brevi Chriſtum qui finem omnibus imponet. Non mirum igitur ſi nos obruant mundi curæ, ſopitoſque teneant: ſi oculos perſtringat præſentium rerum aſpectus: quia omnes fere nobis æternitatem in mundo promittimus, ſaltem nunquam finis venit in mentem. Quod ſi auribus noſtris inſonaret Chriſti tuba, ſenſus omnes noſtros acriter percelleret, neque ita torpere pateretur. Cæterum objici poſſet, longam ætatum ſeriem fluxiſſe ex quo hoc ſcripſit Petrus, necdum tamen finem conſpici. Reſpondeo, nobis ideo longum videri tempus, quia longitudinem metimur caducæ hujuſce vitæ ſpatiis: verum ſi in perpetuitatem futuræ vitæ reſpicere poſſemus, multa ſecula nobis inſtar momenti fore: quemadmodum & proxima Epiſtola dicet. Præterea tenendum eſt illud principium, ex quo ſemel apparuit Chriſtus, nihil fidelibus relictum eſſe, niſi ut ſuſpenſis animis ſemper ad ſecundum ejus adventum intenti eſſent. Vigilantia & ſobrietas ad quas eos hortatur, mentis ſunt potius quam corporis, meo ju-
Mat. 25. verſ. 13. dicio. Congruunt enim hæc verba cum illis Chriſti, Vigilate, quia neſcitis diem neque horam. Nam ſicuti crapulæ & ſomni indulgentia gravatur corpus ne ſit ad officia ſua expeditum: ita vanæ hujuſmodi curæ aut deliciæ mentem inebriant, redduntque ſomnolentam. Quum addit, *ad precandum*, vel ad preces, maxime neceſſarium exercitium deſignat, in quo fideles præſertim occupari decet, quum tota eorum fortitudo à Domino pendeat: acſi diceret, Quando nimium à vobis infirmi eſtis, petite à Domino ut vos confirmet. Interea viciſſim admonet, ſerio non perfunctorie precandum eſſe.

8. *Ante omnia.*] Charitatem in primis commendat, quia vinculum ſit perfectionis. Et *intentam* eſſe jubet, aut vehementem, quod idem eſt: quia quiſque amore ſui ultra modum fervens, alios frigide amat. Commendat autem eam à fructu: quia innumera peccata ſepeliat: quo nihil eſt optabilius. Eſt autem ex Solomone hæc ſumpta ſententia, cujus verba ſunt Proverbiorum 10. v. 12. Odium convitia detegit: charitas autem operit multitudinem peccatorum. Quid velit Solomon, ſatis clarum eſt. membra enim antitheſeos inter ſe reſpondent. Quum itaque priore membro dicat odium in cauſa eſſe ut mutuo ſe traducant ac infament homines, & quicquid probri eſt ac dedecoris, in medium proferant, ſequitur tribui charitati contrarium effectum: nempe quod inter ſe amant homines, benigne & humaniter multa invicem condonant: unde fit ut ſepultis ultro citroque vitiis, alter alterius honorem ſalvum eſſe cupiat. Hac ratione ſuam exhortationem confirmat Petrus, quod nihil ipſis utilius ſit, quam fovere mutuam charitatem. Quis enim non multis vitiis laborat? Proinde venia opus habent omnes, & nemo eſt qui non ſibi parci cupiat. Hoc ſingulare bonum nobis affert charitas, dum inter nos viget, ut innumera mala oblivione contegantur. Contra, ubi frenum odio laxatur, neceſſe eſt ut homines invicem mordendo & lacerando, ſe conſumant: quemadmodum Paulus dicit. Et notandum eſt quod non pauca tan- *Galat. 5. verſ. 15.*
tum peccata obtegi tradit Solomon, ſed multitudinem: juxta Chriſti ſententiam, qua jubet ignoſcere *Mat. 18. verſ. 22.*
fratribus ſeptuagies ſepties. Cæterum quo pluribus peccatis medetur charitas, eo latius patet ejus utilitas ad conſervationem humani generis. Hic ſimplex eſt verborum ſenſus. Unde apparet quam ridiculi ſint Papiſtæ, qui ſuas ſatisfactiones elicere hinc volunt: quaſi eleemoſynæ & alia charitatis officia, compenſationis loco ſint apud Deum in delendis peccatis. Craſſam eorum inſcitiam obiter notaſſe ſufficiat: quia in re perſpicua pluribus diſputare ſupervacuum foret.

9. *Invicem hoſpitales.*] Poſtquam in genere adhortatus eſt ad charitatem, unum ejus officium ſpecialiter commemorat. Erat illo tempore in uſu communi hoſpitalitas, & ſacra quodammodo ſpecies humanitatis fuit habita, ut alibi diximus. Jubet ergo ut eam mutuo exerceant: ne quis ab aliis plus requirat, quam ipſe præſtare ſit paratus. Addit, *ſine murmurationibus.* Quia rarum eſt exemplum ut quis proximo ſe ac ſua impendat, quin maligne obtrectet. Vult ergo Apoſtolus, libenter & hilari animo beneficentiam à nobis coli.

10. *Ut quiſque accepit.*] Admonet quid nobis ſit conſiderandum, quum benefacimus proximis. Nihil enim ad corrigendas murmurationes aptius, quam dum reputamus non largiri nos de proprio, ſed tantum diſpenſare quod à Domino commiſſum eſt. Quum ergo dicit, Adminiſtrantes quod quiſque accepit donum, ſignificat hac lege ſingulis diſtributum quod habent facultatis, ut in juvandis fratribus, Dei ſint miniſtri. Itaque ſecundum membrum prioris eſt expoſitio: nam loco miniſterii ponit œconomiam. pro eo quod dixerat, Ut quiſque donum accepit, commemorat multiplices gratias quas varie diſtribuit nobis Deus, ut in commune ſinguli portiones ſuas conferant. Proinde ſi qua pollemus facultate ſupra alios, meminerimus nos eatenus œconomos eſſe Dei, ut comiter impartiamus proximis, prout eorum neceſſitas vel uſus poſtulat. Ita fiet ut ad communicationem propenſi ſimus ac faciles. Sed hæc quoque conſideratio multum valet, quod ſic Dominus multiplices gratias inter homines diviſit, ut nemo ſe uno & ſuis facultatibus ſit contentus, ſed quiſque fratris ſui ope auxilioque indigeat. Hoc, inquam, vinculum retinendæ inter homines ſocietatis ſtatuit Deus, quod ſine mutuo auxilio vivere nequeant. Ita fit ut

qui fratrum opem multis in rebus implorat, libentius quod accepit, cum illis communicet. Hoc fovendæ unitatis vinculum à profanis bominibus animadverſum fuit: ſed Petrus hic docet Deom hoc conſulto feciſſe, ut alios aliis obligaret.

11. *Si quis loquitur.*] Quia de recto puroque donorum uſu loquutus erat, ſpecies duas, exempli cauſa, recitat: & eas quidem elegit in quibus plus eſt præſtantiæ, vel quæ ſunt præ aliis illuſtres. Docendi munus in Eccleſia, eſt eximiæ gratiæ Dei diſtributio: præcipit ergo nominatim, ut qui ad illud vocati ſunt, fideliter ſe gerant. Quanquam hic non tantum quid debeamus hominibus, tradit: ſed quid etiam Deo, ne ſcilicet eum fraudemus ſua gloria. Qui loquitur ergo, hoc eſt, qui publica auctoritate tite ordinatus eſt, *loquatur ut eloquia Dei.* hoc eſt, teverenter in timore Dei ſinceroque affectu defungi injuncta ſibi cura ſtudeat, reputans ſe in gerendis Dei negotiis verſari: & verbum Dei eſſe, non ſuum, quod miniſtrat. Adhuc enim inſiſtit in illa doctrina, quum aliquid conferimus in fratres noſtros, Dei mandato nos illis miniſtrare quod io eum finem apud nos depoſuit. Et ſane ſi hoc unum expenderent quicunque ſe doctores Eccleſiæ profitentur, major in illis fides ac religio eſſet. Quantum enim boc eſt, quod in tractandis Dei eloquiis, Chriſti perſonam ſuſtinent? Inde igitur tanta ſecuritas & licentia, quod paucis in mentem venit ſacroſancta verbi Dei majeſtas: ideoque tanquam in profana villicatione ſibi indulgent. Interea colligimns ex Petri verbis, non aliud licere iis qui ad docendum præſunt, niſi ut fideliter acceptam à Deo doctrinam aliis per manus tradant. Vetat enim quenquam in medium prodire, niſi qui Dei ſermone inſtructus, tanquam ex ejus ote certa oracula proferat. Itaque nullum bumanis commentis locum relinquit. Genus enim doctrinæ quod Eccleſiæ tradendum eſt, breviter definit. Nec vero particula ſimilitudinis, minuendi cauſa hic poſita eſt, quaſi profiteri ſufficiat, verbum eſſe Dei quod traditur. Nam hoc olim pſeudoptophetis tritum fuit: & hodie videmus quam arroganter Papa cum ſuis hoc titulo prætexat impias omnes ſuas traditiones. At Petrus non voluit ad hypocriſim Paſtores inſtituere, ut tantum à Deo ſe habere præteoderent quamcunque ipſis libuerit proferre doctrinam: ſed ex re ipſa argumentum ſumit, ut eos ad ſobriam modeſtiam, ad Dei timorem, atteutumque agendi ſtudium bortetur. *Si quis miniſtrat.* Hæc ſecunda ſpecies latius patet, imo ſub ſe continet docendi officium. Sed quoniam ſingula miniſteria recenſere nimia longum fuiſſet, ſummatim de omoibus ſimul pronunciare maluit: acſi dixiſſet, Quamcunque oneris partem ſuſtineas in Eccleſia, ſcias te nibil præſtare poſſe niſi quod à Domino datum eſt: nec te aliud eſſe quam Dei organum. cave igitur ne Dei gratia ad te efferendum abutaris: cave ne Dei virtutem ſupprimas, quæ ſe exerit ac profert in tuo miniſterio ad fratrum ſalutem. Miniſtret ergo *tanquam ex Dei virtute:* hoc eſt, nihil ſibi proprium eſſe reputans, humiliter Deo ejuſque Eccleſiæ ſuum obſequium impendat. *Ut in omnibus glorificetur.* Quum dicit, In omnibus, tam maſculioum genus quam oeutrum eſſe poteſt, atque ita vel ad dona, vel ad homines referri: perinde utrumque convenit. Seoſus eſt, Deum non ideo nos ornare ſuis donis, ut ſeipſum ſpoliet, ſeque velut inane idolum faciat, ſuam in nos gloriam traosferendo: ſed potius ut ſua gloria ubique reluceat. Proinde ſacrilegam eſſe donorum Dei pollutionem, quum aliud ſibi homines proponunt, quam ut Deum glorificent. Dicit, *per Chriſtum*, quia quicquid babemus ad miniſtrandum virtutis, ſolus ipſe nobis ſuggerit. Eſt enim caput, ex quo totum corpus per juncturas & nexus compactum, creſcit Domino, prout ſingulis membris vim inſpirat. *Cui gloria.* Nonnulli ad Chriſtum referunt: verum circumſtantia loci poſtulat ut ad Deum potius referatur. Confirmat enim proximam exhortationem, quod Deus jure ſuo omnem gloriam ſibi vindicet: ideoque illi ſcelerate eripiant homines quod ſuum eſt, dum ejus gloriam ulla in re aut parte obſcurant.

12. Dilecti, ne miremini quum exploramini per ignem ad probationem veſtri, perinde acſi novum aliquid vobis obtingat.

13. Sed quatenus conſortes eſtis paſſionum Chriſti gaudete: *ut in revelatione* quoque gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

14. Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis: quoniam Spiritus gloriæ & Dei ſuper vos requieſcit. ſecundum ipſos quidem contumelia afficitur: ſecundum vos autem glorificatur.

15. Ne quis enim veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut cupide rebus alienis inhians.

16. Si autem ut Chriſtianus, ne pudefiat, imo glorificet Deum in hac parte.

17. Quandoquidem & tempus eſt ut judicium incipiat à domo Dei.

12. *Dilecti, ne miremini.*] Frequens in hac Epiſtola afflictionum fit mentio: cauſam alibi expoſuimus. ſed obſervandum eſt diſcrimen, quod interdum ubi ad patientiam hortari vult fideles, de communibus vitæ humanæ ærumnis in genere loquitur: hoc autem loco ſermonem habet de injuriis quas ſuſtinent fideles proptet Chriſti nomen. Ac primum quidem admonet, non debere ipſos tanquam in re ſubita vel inopinata mirari. quo ſignificat, eos prius longa meditatione ad ferendam crucem debere eſſe comparatos. Quiſquis enim hoc ſibi propoſuit, militandum ſub Chriſto eſſe, ſi qua perſequutio inciderit, non conſternabitur: ſed tanquam aſſuefactus, patienter eam feret. Ergo ut præſenti ſimus animo, quum excipiendi ſunt perſequutionum fluctus, mature aſſueſieri nos oportet ad meditationem aſſiduam crucis. Porro duobus argumentis utile nobis eſſe crucis exercitium probat, quod ſcilicet hoc modo fidei noſtræ experimentum Deus capit: deinde quod ſumus Chriſti conſortes. Primo itaque loco hoc nobis in mentem veniat, examen hoc quo probatur fides noſtra, eſſe pluſquam neceſſarium. itaque libenter obtemperandum eſſe Deo, dum ſaluti noſtræ conſulit. præcipua tamen conſolatio ex Chriſti ſocietate petenda eſt. Ideo non tantum mirari vetat Petrus, quum eam nobis proponit: ſed gaudere etiam jubet. Eſt quidem & illa gaudii materia, quod Deus ad fidei noſtræ probationem perſequutionibus nos exercet: ſed bæc altera gaudii ſpecies longe exuperat, quod in ſuum ordinem nos aggregat Filius Dei, ut in beatam cæleſtis gloriæ ſocietatem nos ſecum adducat. Tenendum eſt enim axioma illud, nos mortificationem Chriſti in carne noſtra ferre, ut vita ejus manifeſtetur in nobis. Plurimas quidem afflictiones etiam reprobi ſuſtinent: ſed quia ſeparati ſunt à Chriſto, nihil præter iram Dei & maledictionem concipiunt. ita fit ut eos triſtitia & horror penitus abſorbeat. Hinc igitur tota piorum conſolatio, quod cum Chriſto communicant, idque in eum finem, ut aliquando gloriæ ſint conſortes. Semper enim conſiderandus eſt tranſitus

ille à cruce ad reſurrectionem. Sed quia hic mundus labyrintho ſimilis eſt, in quo nullus malorum exitus iis apparet: Petrus futuram gloriæ Chriſti revelationem commemorat: acſi diceret, non ideo ſpernendam eſſe, quia ſit nunc abſcondita: ſed expectandum eſſe revelationis diem. Duplex autem gaudium ponit: alterum, quo jam fruimur in ſpe: alterum, cujus plenam fruitionem nobis adferet Chriſti adventus. quia prius illud cum dolore & triſtitia miſtum eſt, ſecundum cum exultatione conjungit. Neque enim gaudium in mediis afflictionibus imaginari convenit, quod nos omnis moleſtiæ expertes reddat: ſed malorum ſenſum temperant Dei conſolationes, ut ſimul tamen gaudeamus.

14. *Si probris afficimini.*] Probrorum meminit, quoniam plus ſæpe acerbitatis in ſe habent, quam bonorum jactura, vel etiam tormenta & cruciatus corporis. itaque nihil eſt quod ingenuos animos magis frangat. Videmus enim multos ad ferendam inopiam fortes, animoſos in tormentis, imo ad mortem quoque oppetendam intrepidos, ignominiæ ſuccumbere. Huic malo ut occurrat Petrus, beatos juxta Chriſti ſententiam pronunciat, qui probris afficiuntur ob Euangelium. (*Marc. 8. verſ. 35.*) Quod à communi hominum ſenſu abhorret: ſed cauſam reddit, Quia Spiritus Dei, qui idem eſt gloriæ Spiritus, ſuper eos quieſcit. Quidam disjunctim legunt, *id quod gloriæ eſt*: acſi dictum eſſet, Gloria & Spiritus Dei. ſed illa prior lectio ad ſenſum aptior eſt, & quo ad linguæ proprietatem, ſimplicior. Oſtendit ergo Petrus hoc nihil obeſſe piorum felicitati, ſiquid ignominiæ propter Chriſti nomen ſuſtineant: quia integram nihilominus gloriæ poſſeſſionem retinent coram Deo, dum in illis habitat Spiritus, qui gloriam ſecum perpetuo conjunctam habet. Ita quod carni videtur paradoxum, Spiritus Dei certo ſenſu in eorum animis comprobat. *Secundum ipſos quidem.* Proximæ ſententiæ confirmatio. ſignificat enim debere hoc piis ſufficere, quod Spiritus Dei illis teſtatur beata & plena gloriæ eſſe probra quæ Euangelii cauſa ſuſtinent: utcunque reprobi longe aliud moliantur. acſi diceret, Poteſtis ſecure impiorum contemnere protervian, quia intus fixum manet apud vos gloriæ teſtimonium, quod vobis reddit Dei Spiritus. Dicit autem *Spiritum* Dei probris affici, quia ludibrio habent infideles quicquid nobis ad conſolationem ſuggerit ac dictat. Atque hoc κατὰ πρόληψιν: nam utcunque mundus pro ſua cæcitate nihil in probris Chriſti niſi probroſum cernat, non vult piorum oculos falſa hac opinione perſtringi: quia potius in Deum reſpicere debeant. Ita non diſſimulat quid vulgo ſentiunt homines: ſed arcanum fidei ſenſum, quo præditi ſunt filii Dei in ſuis conſcientiis, illorum temeritati opponit. In hunc modum jactat Paulus ſe ferre Chriſti ſtigmata, (*Galat. 6. verſ. 17.*) & catenis ſuis gloriatur: quum tamen ſatis compertum haberet quale de illis eſſet mundi judicium. Interea ſubindicat perperam ſentire, & cum mundo eſſe excæcatos, quibus ignominia carnis glorioſa non eſt.

15. *Nequis enim veſtrum.*] Hic quoque objectionem prævenit. hortatus erat fideles ad tolerantiam, ſi contingeret ipſos ob Chriſti cauſam affligi: nunc ſubjicit cur tantum loquutus ſit de illo afflictionum genere: quia ſcilicet abſtinere ab omni maleficio debeant. Itaque hic incluſa eſt altera exhortatio, ne committant ut merito videantur plecti. Itaque particula cauſalis hic ſupervacua non eſt, quum velit Apoſtolus cauſam reddere, cur tantum ad ſocietatem paſſionum Chriſti hortatus ſit fideles: & ſimul per occaſionem eos monere ut juſte & innoxie vivant, ne juſtas ſibi pœnas accerſant propria culpa: acſi diceret, Chriſtianorum eſſe de omnibus bene mereri, & interea male ac inhumaniter tractari à mundo. Si quis objiciat, neminem adeo inſontem poſſe inveniri, quin tamen ob multa delicta flagellis Dei dignus ſit: reſpondeo, Petrum hic de ſceleribus loqui, à quibus nos prorſus alienos eſſe decet, ut ſunt furta, & homicidia: deinde reſpondeo, Chriſtianis Apoſtolum præcipere quales eſſe debeant. Non mirum eſt igitur, ſi diſcrimen inter eos & hujus mundi filios ſtatuit, qui Dei Spiritu deſtituti, ad omne flagitii genus ſe proſtituunt. Filios Dei in eadem eſſe cauſa non vult, ut injuſte vivendo juſtas legum pœnas in ſe provocent. Porro alibi jam diximus, utcunque ſemper in electis multa ſint peccata, quæ Deus punire jure poſſit, ipſum tamen pro paterna ſua indulgentia filiis ſuis parcere, ne pœnas quas meriti ſunt, exigat: interea vero honoris cauſa ſuis & Chriſti ſui inſignibus eos ornare, dum affligi ob Euangelii teſtimonium patitur. Nomen ἀλλοτριοεπίσκοπος videtur mihi alieni cupidos deſignare. Nam qui ad rapinas vel fraudes inhiant, limis oculis (ut inquit Horatius) in res alienas inquirunt. Pecuniæ autem contemptor (ut idem alibi loquitur) auri ingentes oculo irretorto ſpectat acervos.

16. *Si autem ut Chriſtianus.*] Poſtquam ab omni læſione & injuria Chriſtianos prohibuit, ne pariter cum incredulis ob ſua maleficia mundo ſint exoſi: nunc Deo jubet gratias agere ſi perſequutiones propter Chriſti nomen ſuſtineant. Et ſane hoc non vulgare eſt Dei beneficium, quod nos communibus peccatorum pœnis ſolutos & exemptos, ad honorificam militiam vocat, ut pro Euangelii ſui teſtimonio, vel exilia, vel carceres, vel probra, vel mortem ipſam ſubeamus. Ergo ingratos Deo eſſe ſignificat, qui in perſequutionibus fremunt vel murmurant, quaſi indigne tractentur: quum potius hoc in lucro reputare, & Dei gratiam agnoſcere debeant. Cæterum quum dicit, Ut Chriſtianus, non tam nomen quam cauſam reſpicit. Certum eſt, nihil omittere Chriſti adverſarios ut Euangelium infament: ergo quaſcunque probroſas voces comminiſcantur; ſufficiat fidelibus quod non niſi pro Euangelii defenſione laborant. *In hac parte.* Nam quum omnes afflictiones originem trahant à peccato, hæc cogitatio in mentem venire piis debet, Ego quidem dignus eram cui Dominus & has & majores pœnas irrogaret pro peccatis: nunc autem vult me pati ob juſtitiam, acſi eſſem innocens. Utcunque enim ſuam culpam agnoſcant ſancti, quia tamen in perſequutionibus diverſum finem conſiderant quem illis Dominus proponit, reatum ſuum deletum coram Deo & abolitum eſſe ſentiunt. In hac parte cauſam habent glorificandi Dei.

17. *Quandoquidem & tempus.*] Conſolationem illam amplificat, quam nobis affert cauſæ, pro qua patimur, bonitas, dum affligimur pro Chriſti nomine. Nam hæc, inquit, neceſſitas totam Dei Eccleſiam manet, ut non tantum communibus hominum miſeriis ſubjaceat, ſed peculiariter & præcipue Dei manu caſtigetur: tanto igitur æquiore animo ferendæ ſunt pro Chriſto perſequutiones. Niſi enim expungi è numero fidelium velimus, Dei ferulis nos tergum aptare convenit. Suave autem iſtud condimentum eſt, quod non ut in alios paſſim Deus ſua in nos judicia exercet, ſed Filii ſui perſonam nobis imponit, ut nonniſi ejus cauſa & nomine laboremus. Porro hanc ſententiam ex trita & perpetua Scripturæ doctrina ſumpſit Petrus: idque mihi probabilius eſt, quam quod alii putant, certum aliquem locum notari. Hoc Domino jam olim fuiſſe uſitatum, teſtes ſunt omnes Prophetæ, ut prima caſtigationum exempla in populo ſuo ederet: quemadmodum paterfamilias in ſuos potius quam in alienos animadvertit. Quanquam enim totius mundi judex eſt, Deus, ſpecialiter tamen in regenda ſua Eccleſia providentiam ſuam vult cognoſci. Itaque quum ſurrecturum ſe totius mundi judicem denunciat, hoc fore ſubjicit poſtquam totum opus ſuum comple- (*Jeſa. 10. verſ. 12.*)

verit

verit in monte Sioo. Promiſcue quidem in ſuos & alienos exerit manum ſuam: utroſque enim videmus communiter rebus adverſis ſubjici: verum ſi fiat comparatio, videtur quodammodo reprobis parcere, præut in electos ſeverus eſt: Unde illæ piorum querelæ, quod reprobi vitam io continuis deliciis tranſigunt: quod vino & cithara ſe oblectant, & tandem momento abſque dolore deſcendunt in ſepulchrum: quod pinguedo tegit oculos eorum: quod moleſtiis exempti, ſecure & ſuavitet, aliis contemptis, beata vita fruuotur, ita ut in cælum os ſuum efferre non dubitent. Denique ſic Deus judicia ſua in hoc ſeculo temperat, ut reprobos ſaginet uſque ad diem mactationis. multa igitur eorum ſcelera præterit, quaſi conniveat. Interim filios ſuos, quorum curam babet, ſimulasque lapſi ſunt, correctionibus in viam revocat. ſecundum banc rationem dicit Petrus judicium incipere à domo Dei. Nam judicii nomine pœnas omnes complectitur quas Dominus infligit hominum peccatis, & quicquid ad mundi reformationem ſpectat. Cur autem nunc dicit tempus eſſe? Significat (meo judicio) quod de ſuo ſeculo Prophetæ affirmaos, in regnum Chriſti maxime competere, ut initium correctionis ab Eccleſia fiat. Ideo dicit Paulus, Chriſtianos ſublata fide reſurrectionis, omnium hominum miſerrimos fore. & merito: quia dum alii abſque metu ſibi indulgent, aſſidue ingemiſcunt fideles: dum aliorum peccata diſſimulat Deus & alios torpere ſinit, ſuos ſub crucis diſciplina multo rigidius exercet.

Job. 21. verſ. 13. — *Pſal. 73. verſ. 3.* — *1 Cor. 15. verſ. 19.*

ſi autem primum à nobis, quis finis eorum qui non obediunt Euangelio Dei?

18. Et ſi juſtus vix ſervarur, impius & peccator ubi apparebunt?

19. Itaque qui patiuntur ſecundum Dei voluntatem, tanquam fideli poſſeſſori commendent animas ſuas benefaciendo.

Quum fideles malis bene eſſe vident, fieri non poteſt quin æmulatione tangantur: atque hæc valde periculoſa tentatio eſt. omnibus enim cordi eſt præſens felicitas. Itaque in hoc ſedulo iocumbit Spiriſus Dei, cum multis in locis, tum Pſalm. 37. ne fideles proſpetis rebus impiorum invideant. Idem nunc agit Petrus: docet enim afflictiones filiis Dei moderate ferendas eſſe, ſi aliorum ſortem cum ſua conferaot. Sumit autem illud pro confeſſo, Deum eſſe mundi judicem: ideoque neminem poſſe impune effugere ex ejus manu. Hinc colligit, borreodam ultionem iis inſtare quorum nunc potior videtur cooditio. Summa (quemadmodum dixi) buc ſpectat, ne filii Dei præſentium malorum acerbitate offenſi, deficiant: quin potius afflictiooes ad exiguum tempus placide ferant, quarum ſalutaris eſt exitus: quum proſperitatem fluxam & caducam impii redimant æteroo interitu. Porto argumentum eſt à minori ad majus: quia ſi filiis ſuis quos diligit, & quos ſibi obſequentes babet, non parcit Deus: adverſus inimicos & rebelles pluſquam formidabilis erit ejus ſeveritas. Nibil ergo melius quam obedire Euangelio, ut nos Deus elementer in ſalutem paterna manu corrigat.

18. *Et ſi juſtus.*] Putarunt haoc ſententiam ex Proverb. cap. 11. v. 13. ſumptam eſſe. Atqoe ita Græci verterunt quod dicit Solomon, Si juſtus in terra plectitur, quaoto magis impius? Sive autem locum illum adducere voluerit Petrus, ſive tritam ac proverbialem ſententiam (quod mihi probabilius eſt) citaveris, ſenſus eſt, formidabile Dei fore judicium adverſus impios, quum tam ſpinoſa & difficilia ſit electis via ad ſalutem. Hoc autem ideo dictum eſt, ne ſecure deliciemur, ſed in peragendo curſu noſtro ſimus ſollicati: deiade ne molle ac delicatum iter appetamus, cujus finis etit horrendum præcipitium. Porro quum dicit *juſtum vix ſervari*, boc ad præſentis vitæ difficultates referri debet. nam curſus noſter in mundo, tanquam periculoſa navigatio eſt inter multos ſcopulos, multiſque procellis ac tempeſtatibus infeſta. Nemo itaque ad portum pervenit, niſi qui effugerit ex mille mortibus. Interea certum eſt nos regi Dei manu, nec eſſe nobis periculum à naufragio, quamdiu illum habemus gubernatorem. Quare abſurdi fuerunt interpretes, qui putarunt nos ægre ac difficulter ſervandos eſſe, ubi ad Dei judicium ventum fuerit. Præſens enim tempus, non futurum Petrus deſignat: nec Dei rigotem prædicat, ſed docet quot & quam ardua diſcrimina ſuperanda ſint bomini Chriſtiano, priuſquam ad metam pertingat. *Peccator* hic pto ſcelerato capitur: quemadmodum juſtos nominat, noo qui penitus abſoluti ſint in juſtitia, ſed qui recte vivere ſtudent.

19. *Itaque qui patiuntur.*] Concludit, æquo animo ferendas eſſe perſequutiones, quia in illis felicior multo eſt piorum conditio, quam infidelium quum proſperis rebus ad votum fruuntur. Reducit tamen in memoriam, nihil niſi Dei permiſſu nos pati: quod multom ad conſolationem valet. Quum dicit, *Animas ſuas* Deo *commendent*, periode eſt acſi dixiſſet, Seipſos ac vitam ſuam tradant in fidem Dei. Porro eum vocat *fidum poſſeſſorem*, quia fideliter ſervat ac tuetur quicquid in tutelam ſuam vel dominium recepit. Alii Conditorem vertunt: & κτίστης utrumque Græcis ſignificat. ſed prior ſenſus mibi magis placet: quia dum vitam noſtram deponi jubet apud Deum, ipſum ejus cuſtodem facit. Addit, *in benefaciendo*, ne fideles illatas ſibi injutias retalient, ſed potius benefaciendo certent cum improbis à quibus læduntut.

Cap. V.

Presbyteros qui inter vos ſunt, hortor ego qui ſimul ſum Presbyter, & teſtis paſſionum Chriſti, & gloriæ quæ revelabitur, particeps:

2. Paſcite, quantum in vobis eſt, gregem * Dei, epiſcopatu fungentes non coacte, ſed voluntarie: neque turpis lucri cauſa, ſed liberaliter:

* vel, *Chriſti*: vel, *Domini*.

3. Nec tanquam dominium exercentes adverſus cleros, ſed ut ſitis exemplaria gregis.

4. Et quum apparuerit Princeps paſtorum, reportabit is immarceſcibilem gloriæ coronam.

Dum Paſtores ad officium hortati vult, tria potiſſimum vitia notat quæ plurimum obeſſe ſoleot: pigritiam ſcilicet, lucri captandi cupiditatem, & licentiam domioandi. Primo vitio opponit alacritatem aut voluotarium ſtudium, ſecundo liberalem affectum, tertio moderationem ac modeſtiam, qua ſeipſos in ordinem cogant. Dicit ergo Paſtores non debere ſollicitos eſſe de grege Domini, quantum neceſſitas cogit duntaxat. nam qui non plus præſtare ſtudent quam neceſſe eſt, defunctorie & negligeoter

ad

Digitized by Google

ad opus ſe applicant. Vult ergo quod agunt, ſponte ipſos agere, ut ſedulo ad munus ſuum intenti ſint. Ut avaritiam corrigat, jubet ipſos propenſo affectu facere officium. quiſquis enim hunc finem non habuerit propoſitum, ut ſe & operam ſuam ingenue & libenter Eccleſiæ impendat, non Chriſti miniſter erit, ſed ventris aut crumenæ mancipium. Tertium vitium quod taxat, eſt dominandi libido. Sed quæritur quale dominationis genus intelligat. verum hoc mihi ex oppoſito membro poſſe colligi videtur, ubi jubet ipſos eſſe formam gregis vel exemplar. Perinde enim eſt acſi diceret, eos præeſſe in hunc finem, ut ſanctitate emineant: quod fieri non poteſt, niſi ſe ac ſuam vitam modeſte ſubjiciant communi regulæ. Huic virtuti opponitur tyranoica ſuperbia, dum Paſtor ſeipſum omni ſubjectione eximens, Eccleſiam ſervitute opprimit. Hoc pſeudo-
Eze. 34. verſ. 4 prophetis Ezechiel exprobrat, quod auſtere dominentur & cum imperio. Chriſtus etiam Phari-
Mat. 23. verſ. 4. ſæis, quod onera importabilia populi humeris imponant, quæ ne digito quidem volunt attingere. Ergo non aliter corrigi poteſt imperioſus ille rigor quem mali paſtores in Eccleſiam exercent, niſi quum huc reſtringitur eorum auctoritas, ut præſint honeſto vitæ exemplo.

1. *Presbyteros.*] Hoc nomine Paſtores deſignat, & quicunque ad Eccleſiæ regimen conſtituti erant. Vocatunt autem Presbyteros vel Seniores honoris cauſa: non quod ætate omnes eſſent ſenes, ſed quia ex ſenibus præcipue eligebantur. Senectus enim ut plurimum & prudentiæ & gravitatis & experientiæ plus habet. Cæterum quia interdum (ut Græco proverbio fertur) non eſt canities ſapientia, & reperiuntur juvenes magis idonei, qualis fuit Timotheus: hos quoque vocari Presbyteros, poſtquam ſunt in ordinem cooptati, uſu receptum eſt. Quum Petrus ſe *Presbyterum* ſimiliter nominat, hinc apparet commune fuiſſe nomen: quod etiam ex compluribus locis clarius patet. Porro hoc titulo auctoritatem ſibi conciliat. acſi diceret ſe jure ſuo monere Paſtores, quia unus ſit ex ipſis: debet enim mutua hæc libertas inter collegas eſſe. Quod ſi jus primatus habuiſſet, poterat illud obtendere. idque ad præſentem cauſam aptius fuiſſet. Verum quamvis Apoſtolus eſſet, ſciebat tamen minime delatum ſibi eſſe imperium in collegas: ſed potius ſocietate officii ſe reliquis eſſe conjunctum. *Teſtis paſſionum.* Poteſt hoc de doctrina exponi: malo tamen ad vitam referre. quanquam utrumque probabile eſt: ſed poſterius hoc ideo magis amplector, quia melius inter ſe cohærent hæc duo membra, Quod Chriſti paſſiones in carne ſua repræſentet Petrus, & futurus ſit etiam gloriæ conſors. Convenit enim hæc ſententia cum illa Pauli, Si compatimur, etiam conregnabimus. Deinde hoc ad faciendam verbis fidem non parum valet, quod per crucis tolerantiam, fidei ſuæ experimentum dedit. Nam hinc conſtat ſerio eum loqui. & Dominus quum ſuos hoc modo probat, quaſi obſignat eorum miniſterium, ut plus dignitatis & reverentiæ habeat apud homines. Huc ſiquidem ſpectat Petri conſilium, ut audiatur tanquam fidus Chriſti miniſter. cujus rei documentum proponit in perſequutionibus quas paſſus erat, & in ſpe futuræ vitæ. Obſervandum autem quod Petrus intrepide ſe conſortem gloriæ prædicat, quæ nondum revelata eſt. Hæc enim eſt fidei natura, acquieſcere in bonis abſconditis.

2. *Paſcite, quantum in vobis eſt.*] Hinc colligimus quid valeat nomen Presbyteri: nempe quod in ſe contineat paſcendi munus. Longe in alium finem ſuos Presbyteros creat Papa, ut ſcilicet quotidie Chriſtum immolent: in eorum ordinatione nulla paſcendi mentio. Proinde meminerimus Chriſti ordinem à Papæ confuſione diſcernere, tanquam lucem à tenebris. Tenenda eſt quoque verbi definitio: quia paſci grex Chriſti non poteſt, niſi pura doctrina, quæ ſola ſpirituale eſt pabulum. Quare Paſtores non ſunt vel muræ larvæ, vel qui ſua figmenta quaſi mortifera venena, ad necandas animas ſpargunt. Particula, *quantum in vobis eſt*, tantundem valet acſi dixiſſet, Huc intendite omnes nervos, & quicquid facultatis vobis contulit Deus impendite. Vetus Interpres reddiderat, Qui in vobis eſt. atque hic poteſt eſſe verborum ſenſus. verior tamen eſt Eraſmi interpretatio, quam ſequutus ſum: etſi alteram illam non refello, neque improbo. *Gregem Dei*, an Domini, an Chriſti legas, parum refert. nam hæc tria leguntur in diverſis codicibus. *Epiſcopatu fungentes.* Eraſmus reddidit, Curam illius agentes: ſed quum ſit Græce ἐπισκοποῦντες, non dubito quin Petrus ipſum Epiſcopatus officium & nomen exprimere voluerit. Colligi etiam poteſt ex aliis Scripturæ locis, hæc duo eſſe ſynonyma, Epiſcopum & Presbyterum. Præcipit ergo quomodo munus Paſtorale recte exerceant. quanquam verbum ἐπισκοπεῖν alias generaliter ſignificat præeſſe, vel inſpectionem habere. Ubi poſui, *non coacte*, ad verbum eſt, Non neceſſario: quia dum agimus ad neceſſitatis præſcriptum, lente & frigide, tanquam coacti, in opere progredimur.

3. *Dominium exercentes.*] Quia Græcis præpoſitio κατὰ fere in malam partem capitur, taxat hic Petrus præpoſteram dominationem: qualis eſt eorum qui ſe miniſtros eſſe Chriſti & Eccleſiæ non reputantes, plus aliquid appetunt. *Cleros* autem appellat particulares Eccleſias. Nam quum univerſum Eccleſiæ corpus hæreditas ſit Domini, ut per oppida & pagos diſtributæ ſunt Eccleſiæ, totidem ſunt veluti prædia, quorum culturam ſingulis Presbyteris aſſignat. Nimis imperite quidam de Clericis (quos vocant) hoc dictum putant. Vetuſtus quidem fuit ille loquendi modus, ut totum ordinem miniſtrorum, Clerum vocarent: ſed utinam patribus nunquam veniſſet in mentem ita loqui! quia quod toti Eccleſiæ Scriptura communiter tribuit, minime conſentaneum fuit ad paucos homines reſtringere. Et hic loquendi modus adulterinus fuit, vel ſaltem à recto Apoſtolorum uſu degener. Nominatim vero Petrus Eccleſias hoc titulo commendat, ut ſciamus Domino eripi quicquid ad ſe homines trahunt: ſicuti multis locis peculium ſuum & virgam hæreditatis ſuæ Eccleſiam nominat, quum integrum ſibi dominium vult aſſerere. Neque enim regnum Paſtoribus tradit, ſed curam injungit duntaxat, ut jus illi ſuum interea ſalvum maneat.

4. *Quum apparuerit.*] Niſi in hunc finem intenti ſint Paſtores, fieri nullo modo poteſt ut gnaviter in curſu vocationis ſuæ pergant: quin potius ſubinde deficerent. Nam innumera ſunt offendicula quæ exanimare poſſent etiam optime cordatos. Sæpe cum ingratis hominibus negotium eſt, à quibus rependitur indigna merces: longi & immenſi labores ſæpe irriti: Satan perverſis ſuis machinationibus interdum prævalet. ergo ne frangatur pius Chriſti ſervus, unicum hoc remedium habet, ut in Chriſti adventum oculos convertat. Ita fiet ut ſuum laborem, qui carere profectu videtur apud homines, gnaviter quiſque obeat, cui tanta merces apud Dominum ſit repoſita. Porro ne longior expectatio languorem gignat, ſimul prædicat amplitudinem mercedis, quæ ad moram compenſandam valere debet. Vos, inquit, *immarceſcibilis gloriæ corona* manet. Notandum etiam quod Chriſtum vocat *Paſtorum* principem: quia nonniſi ſub ipſo ejuſque nomine Eccleſiam regimus, ut ſit nihilominus ipſe in ſolidum Paſtor. Itaque *Princeps* hic non præcipuum modo ſignificat, ſed eum cujus poteſtati reliquos omnes ſubeſſe oportet: ſicuti non niſi ejus mandato & nomine perſonam hanc ſuſtinent,

5. Similiter juniores ſubjecti eſtote ſenioribus: ſic & omnes alii aliis ſubjiciamini. Humilitatem animi induite: propterea quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus vero dat gratiam.

6. Humiliamini ergo ſub potenti manu Dei, ut vos extollat quum erit opportunum:

7. Omni cura veſtra in eum conjecta: quoniam illi cura eſt veſtri.

5. *Juniores.*] Seniores alio ſenſu hic ponit quam prius. neceſſe enim eſt, quum antitheſis ſit inter eos & juniores, ut membra inter ſe reſpondeant. Ergo ætate ſenes vocat, quum prius de officio loquutus ſit: atque ita à ſpecie conſcendit ad genus. Jubet autem in ſumma, unumquemque, ut eſt ætate inferior, parere majorum conſiliis, ſeque docilem & modeſtum præbere. Eſt enim juvenum præſertim lubrica ætas, quæ freno opus habet. Deinde non poterunt officium facere Paſtores, niſi vigeat ac colatur hæc reverentia, ut minores patiantur ſe gubernari. Nam ſi nulla eſt ſubjectio, everſa eſt politia. Ubi eorum qui vel jure vel naturæ ordine præeſſe debent, nulla eſt auctoritas, ſtatim proterve omnes laſciviunt. *Et omnes.* Finem oſtendit cur juvenes ſenibus obtemperare debeant: ut ſcil. inter omnes conſtet æquabilitas & temperatura. Neque enim quum ſenibus defertur auctoritas, jus vel licentia illis datur excutiendi freni: ſed ipſi quoque in ordinem coguntur, ut mutua ſit ſubjectio. Sic maritus caput eſt uxoris: ſed tamen illi aliquo modo viciſſim ſubjectus eſt. Sic pater imperium habet in filios: nec tamen omni ſubjectione eximitur, quin ipſis aliquid debeat. idem & de reliquis ſentiendum. Denique omnes gradus politici ad tuendum univerſi corporis ſtatum pertinent: quod fieri non poteſt, niſi membra omnia mutuo ſubjectionis nexu inter ſe cohæreant. Nihil humano ingenio magis adverſum eſt quam ſubjectio. Vere enim illud olim dictum eſt, Regis animum quemque intra ſe habere. Donec ergo ſubacti fuerint alti illi ſpiritus, quibus turget hominum natura, nemo alteri cedere volet: quin potius ſinguli, aliis contemptis, omnia ſibi arrogabunt. Quare prudenter Apoſtolus, ut modeſtia inter nos locum habeat, faſtum & ſuperbiam corrigit. Elegans autem eſt metaphora qua utitur, acſi diceret, Omni ex parte amplectimini humilitatem, ſicuti veſtis totum corpus tegit. Interea ſignificat nullum pulchriorem eſſe ornatum aut decentiorem, quam ubi nos ſubmittimus. *Propterea quod.* Eſt graviſſima comminatio, quod quicunque ſe efferre cupient, hoſtem habituri ſint Deum, qui eos proſternet: contra vero humiles, propitium & faventem. Fingendæ ſunt nobis duæ manus Dei: altera quæ ſurſum, veluti malleus, dejiciat ac conterat qui ſe attollunt: altera quæ humiles, qui ſponte ſe demittunt, excipiat, veluti ſtabilis fultura ad eos ſuſtinendos. Hoc ſi vere perſuaſum & animis noſtris infixum eſſet, quis ſuperbiendo auderet bellum cum Deo ſuſcipere? Nunc ſpes impunitatis facit ut in cælum uſque cornu attollere non horreamus. ſit igitur hæc Petri ſententia quaſi cæleſte fulmen ad humiliandos homines. Cæterum *humiles* vocat qui omni propriæ virtutis, ſapientiæ, & juſtitiæ fiducia exinaniti, quicquid boni eſt in ſolo Deo quærunt. Si nonniſi hac via ad Deum pervenitur, quis non propriæ gloriæ oblitus, libenter ſubmittere ſe debet?

6. *Humiliamini ergo.*] Semper tenendum eſt in quem finem nos coram Deo humiles eſſe jubeat: ut ſcilicet faciles atque humani fratribus ſimus, nec recuſemus nos illis ſubjicere quantum poſtulat charitatis ratio. Ergo qui faſtuoſi ſunt vel præfracti erga homines, eos dicit adverſus Deum protervire. Proinde hortatur omnes pios, ut Dei potentiæ ſe ſubjiciant. & *manum Dei potentem* vocat, quo plus incutiat terroris. Tametſi enim perpetuum eſt manus Dei epithetum, hic tamen ad præſentis cauſæ circumſtantiam accommodatur. Cæterum quia timere vulgo ſolemus ne damno ſit nobis noſtra humilitas, & alii hac occaſione magis inſoleſcant: occurrit Petrus, ac eminentiam promittit omnibus qui ſe ſubmiſerint. Sed addit, *in tempore*, ut nimiæ feſtinationi ſimul obviam eat. Significat ergo opus eſſe ut humilitatem ad tempus diſcamus. Dominum vero ſatis tenere quando nos attolli expediat. ita ejus conſilio permittere nos decet.

7. *Omni cura veſtra.*] Expreſſius adhuc nobis commendat Dei providentiam. unde enim hæc proverbia, Ululandum eſſe inter lupos: item, Stultos eſſe qui ovibus ſunt ſimiles, quia lupis ſe vorandos exponunt: niſi quia putamus noſtra modeſtia frenum laxari impiorum audaciæ, ut petulantius nobis inſultent? porro hic metus ex divinæ providentiæ ignorantia naſcitur. Contra autem ſimulatque hoc conſtitutum fuerit, curam noſtri eſſe Deo, facile ad patientiam & manſuetudinem compoſiti erunt animi. Ergo ne hominum improbitas ad ferociam nos ſollicitet, hoc remedium præſcribit *Apoſtolus*, ſicut & *David Pſal. 37.*, ut cura noſtra in *Deum* rejecta, interim quieſcamus. Nam qui in Dei providentiam non recumbunt, eos omnes aſſidue ſecum tumultuari neceſſe eſt, & violento impetu adverſus alios ruere. Quo magis in hanc meditationem incumbere nos oportet, Deum habere curam noſtri: primum ut pax nobis interne conſtet: deinde ut erga homines modeſti manſuetique ſimus. Cæterum non ita jubemur conjicere omnem in Deum curam, quaſi nos lapideis cordibus præditos, omnique ſenſu privatos eſſe Deus velit: ſed ne trepidatio vel anxietas nimia ad impatientiam nos impellat. Similiter divinæ providentiæ cognitio non ita omni cura liberat, ut ſecure ſibi homines indulgeant: neque enim carnis torporem, ſed quietem fidei nobis afferre debet.

8. Sobrii eſtote, vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens * quem devoret.

* vel, *quempiam devorare.*

9. Cui reſiſtite firmi fide, ſcientes eaſdem paſſiones, veſtræ quæ in mundo eſt fraternitati adimpleri.

10. Deus autem omnis gratiæ, qui nos vocavit in æternam ſuam gloriam per Chriſtum Jeſum, pauliſper afflictos ipſe vos perficiat, confirmet, corroboret, ſtabiliat.

11. Ei gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

8. *Sobrii eſtote.*] Hæc exhortatio latius patet. nempe quia illis bellum eſt cum hoſte acerrimo & potentiſſimo, ut ad reſiſtendum intenti ſint. Duplici autem metaphora utitur: ut ſobrii ſint, & excubias agant. Ignaviam & ſomnum crapula generat: ita etiam qui ſe terrenis curis aut voluptatibus ingurgitant, ſpirituali veterno oppreſſi nihil cogitant. Nunc tenemus Apoſtoli mentem. Nobis in hoc mundo militandum eſſe dicit. ac negotium eſſe admonet cum hoſte non vulgari, ſed qui inſtar leonis huc illuc curſitet, paratus ad vorandum. Hinc ſedulo excubandum eſſe colligit. Eodem argumento ſtu-

dium

dium noſtrum acuit Paulus, 6. ad Epheſios capite, quum dicit non eſſe nobis certamen cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitiis, &c. Pace enim ut plurimum ad deſidiam abutimur: atque hinc fit ut nos deinde hoſtis circumveniat & opprimat: quia tanquam extra periculum conſtituti, pro carnis libitu deliciamur. Leoni diabolum comparat, acſi diceret truculentam eſſe belluam. *Circuire* dicit ad devorandum, ut nos ad cavendi ſtudium excitet. *Adverſarium* piorum nominat, ut ſciant hac lege ſe Deum colere, & Chriſti fidem profiteri, ut cum diabolo continuum bellum habeant. Neque enim menbris parcet, qui cum capite præliatur.

9. *Cui reſiſtite.*] Sicuti hoſtis potentia nos acuere, & magis ſollicitos reddere debet: ita periculum eſſet ne occupati immodico terrore animi conciderent, niſi ſpes victoriæ oſtenderetur. Id ergo nunc agit Apoſtolus, ut ſciamus proſperum fore belli eventum, ſi quidem militemus ſub Chriſti vexillo. Quiſquis enim fide inſtructus in certamen deſcendet, eum fore certo victorem pronunciat. *Reſiſtite*, inquit. Si quis objiciat, Quomodo? Reſpondet, in fide ſatis
Epheſ. 6. verſ. 13. eſſe firmitudinis. Paulus eo quem nuper citavi loco, ſingulas armaturæ partes recenſet. Idem tamen eſt ſenſus: quia teſte Joanne, una fides victoria noſtra eſt adverſus mundum. *Scientes eaſdem paſſiones.* Altera conſolatio, quod nobis cum omnibus filiis Dei commune eſt certamen. nam perículoſe nos tentat Satan, quum à Chriſti corpore nos ſeparat. Audivi-
Job. 5: 1. mus qualiter animum Job percellere conatus ſit, Reſpice ad ſanctos, an ullus eorum tale aliquid paſſus ſit. E converſo hic Apoſtolus nos monet, nihil nobis accidere quod non in reliquis Eccleſiæ membris cernamus. Porro minime recuſanda nobis eſt cum ſanctis omnibus ſocietas, vel ſimilis conditio. Quum dicit *adimpleri eaſdem paſſiones*, ſignificat quod dicit Paulus ad Coloſſ. 1. verſ. 24. Perfici quotidie in fidelibus quæ deſunt paſſionibus Chriſti. Particula, *quæ in mundo eſt*, bifariam poteſt exponi: vel quod promiſcue ubique gentium Deus fideles ſuos exerceat: vel quod militandi neceſſitas, quamdiu in mundo ſumus, nos maneat. Notandum autem quod quum prius dixiſſet nos à Satana oppugnari, ſtatim omne genus afflictionum comprehendit. Unde colligimus, ſemper cum ſpirituali hoſte nobis eſſe negotium, undecunque prodeant res adverſæ: ſive nos premant morbi, ſive agrorum ſterilitas famem minetur, ſive nobis moleſti ſint homines.

10. *Deus autem omnis gratiæ.*] Poſtquam ſatis incubuit in monitiones, nunc ſe ad precationem convertit. Nam fruſtra in aërem fundetur doctrina, niſi Deus per Spiritum ſuum operetur. Atque hoc exemplum ſequi debent omnes Dei miniſtri, ut ſucceſſum det ipſe eorum laboribus: quando alias plantando aut rigando nihil proficiunt. Nonnulli codices habent futurum tempus, acſi eſſet promiſſio. ſed altera lectio magis recepta eſt. Quanquam Apoſtolus Deum precando, ſimul eos confirmat quibus ſcribit. Nam quum Deum *Omnis gratiæ* auctorem nuncupat, & illis revocat in memoriam quod in gloriam æternam vocati ſint: huc proculdubio intendit, ne dubitent opus ſalutis ſuæ ab eo qui cœpit perfectum iri. *Deus omnis gratiæ*, ab effectu, more Hebraico. & *omnem gratiam* nominatim exprimit: primum ut diſcant quicquid eſt bonorum referre acceptum Deo: deinde alias cum aliis gratias conjungere, ut earum quæ ſibi adhuc deſunt, acceſſionem in futurum ſperent. *Qui vocavit nos.* Hoc (ut dixi) ad augendam fiduciam valet: quia Deus non bonitate modo ſua, ſed beneficiis etiam provocatur ad nos magis ac magis juvandos. Nec ſimpliciter vocationis meminit, ſed docet quorſum vocati ſint: nempe ad æternam gloriam. Præterea vocationis fundamentum ſtatuit in Chriſto. Utrumque ad perpetuitatis fiduciam valet. nam ſi vocatio noſtra in Chriſto fundata eſt, & pertingit ad cæleſte Dei regnum & beatam immortalitatem: hinc ſequitur, non fluxam eſſe nec caducam. Obiter etiam obſervare convenit, quum dicit *In Chriſto* nos vocatos eſſe, primum ſtabiliri vocationem, quia probe fundata ſit: deinde omnem noſtræ dignitatis ac meriti reſpectum excludi. Nam quod Deus per Euangelii prædicationem nos ad ſe invitat, id jam eſt gratuitum: majoris etiam gratiæ, quod efficaciter corda noſtra afficit, ut voci ſuæ obediamus. Fideles autem peculiariter alloquitur Petrus. ideo cum externa doctrina Spiritus efficaciam conjungit. Pro tribus verbis quæ ſequuntur, alii codices habent tria nomina ablativi caſus, quæ poſſunt in gerundia reſolvi, Fulciendo, Roborando, Stabiliendo. In eo tamen parum eſt momenti, quod ad ſenſum attinet. Cæterum quod pluribus verbis rem unam deſignat Petrus, nempe fidelium conformationem, hoc ideo facit ut ſciamus raræ eſſe difficultatis curſum noſtrum perſequi, & proinde ſingulari Dei gratia opus eſſe. Particula, *pauliſper afflictos*, quæ hic inſerta eſt, ſignificat breve eſſe afflictionum tempus. Atque hæc quoque non levis eſt conſolationis materia.

11. *Ei gloria.*] Quo plus fiduciæ piis addat, prorumpit in gratiarum actionem. quanquam hoc tam Indicativo, quam Optandi modo legi poteſt: eodem tamen fere ſenſu.

12. Per Silvanum vobis fidum fratrem (ut arbitror) paucis ſcripſi, exhortans & teſtificans hanc eſſe veram gratiam in qua ſtatis.

13. Salutat vos quæ in Babylone eſt Eccleſia ſimul vobiſcum electa, & Marcus filius meus.

14. Salutate vos invicem in oſculo charitatis. Gratia vobis omnibus qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.

12. *Per Silvanum.*] Hac Epiſtolæ clauſula eos ad fidei conſtantiam hortatur: imo hoc ſcribendi conſilium ſibi fuiſſe aſſerit, ut eos in doctrinæ, quam amplexi erant, obedientia retineret. Sed primo Epiſtolam à brevitate commendat, ne illis moleſta ſit lectio: deinde addit brevem nuncii commendationem, ut viva etiam vox ad ſcriptum accedat. huc enim ſpectat teſtimonium quod reddit ejus fidei. Cæterum exceptio hæc *ut arbitror*, vel modeſtiæ cauſa addita eſt, vel ut certo ſciant eum ex animi ſui ſenſu loqui. Erat autem abſurdum ipſos tanti Apoſtoli judicio non ſubſcribere. *Exhortans & teſtificans.* Quam difficile ſit in ſuſcepta fide perſtare, teſtes ſunt quotidianæ multorum defectiones: nec vero id mirum eſt in tanta hominum levitate & inconſtantia, deinde in tanta ad vanitatem propenſione. Porro quia firmas & perpetuas habere radices nulla doctrina poteſt in hominum cordibus, ſi qua dubitatione ſit implicita, certam Dei veritatem eſſe teſtatur in qua edocti ſunt. Et certe niſi animis noſtris conſtet hæc certitudo, neceſſe erit ſubinde vacillare, & flexibiles eſſe ad quemvis novæ doctrinæ ventum. Per Dei *gratiam*, fidem cum ſuis effectis & fructibus intelligit.

13. *Quæ in Babylone.*] Multi ex veteribus Romam ænigmatice putarunt notari. hoc commentum Papiſtæ

piſtæ libenter arripiunt, ut videatur Petrus Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Neque deterret eos nominis infamia, modo ſedis Apoſtolicæ titulum prætexere ipſis liceat: nec Chriſtum magnopere curant, modo Petrus ipſis relinquatur. Quin etiam modo retineant cathedræ Petri nomen, ſuam Romam in profundis inferis collocare non recuſabunt. Atqui vetus illud commentum nihil habet coloris: nec video cur Euſebio & aliis placuerit, niſi quia illo errore jam occupati erant, Petrum Romæ fuiſſe. adde quod ſecum ipſi pugnant. Marcum octavo Neronis anno Alexandriæ mortuum eſſe tradunt: Petrum vero ſex annis poſtea fingunt Romæ à Nerone fuiſſe occiſum. Si Alexandrinam Eccleſiam Marcus (ut volunt) conſtituit, diuque illic Epiſcopatu functus eſt, nunquam potuit Romæ eſſe cum Petro. Nam quod Euſebius & Hieronymus Romanam Petri ſeſſionem in viginti quinque annos extendunt, id facile refellitur ex primo & ſecundo ad Galatas capite. Quum itaque Marcum tunc ſecum Petrus comitem habuerit, quum ſcripſit hanc Epiſtolam: Babylone fuiſſe probabilius eſt. Atque id quoque ejus vocationi fuit conſentaneum. Scimus enim peculiariter datum fuiſſe Apoſtolum Judæis: quare eas præcipue regiones luſtrabat in quibus major erat gentis ſuæ frequentia. Quod Eccleſiam illic eſſe dicit ejuſdem electionis participem, huc ſpectat, ut inde alii magis ac magis in fide ſe confirment. Erat enim hoc magnum, Judæos ex tam remotis mundi plagis in unam Eccleſiam colligi. *Filius meus*. Sic Marcum appellat honoris cauſa. ratio tamen eſt, quod eum in fide genuerat, ſicut Timotheum Paulus. De oſculo alibi dictum eſt. vult autem hoc oſculum eſſe charitatis, ut animi ſinceritas externæ ceremoniæ reſpondeat.

IN EPISTOLAM PETRI POSTERIOREM

ARGUMENTUM.

DE hac Epiſtola quod olim fuiſſe dubitatum refert Euſebius, ab ejus lectione nos avertere non debet. Nam ſi nudæ hominum auctoritati ſtetur, quandoquidem à quibus mota ſit hæc quæſtio, ſubticet, non plus illis deferre neceſſe eſſet, quam hominibus ignotis. Et poſtea ſubjicit, paſſim ſine controverſia fuiſſe receptam. Magis aliquanto me movet quod ſcribit Hieronymus, quoſdam ſtyli diverſitate adductos, Petrum auctorem non putaſſe. Nam quamvis aliqua notari poſſit affinitas: fateor tamen manifeſtum eſſe diſcrimen quod diverſos ſcriptores arguat. Sunt & aliæ probabiles conjecturæ ex quibus colligere liceat, alterius eſſe potius quam Petri. Interim omnium conſenſu, adeo nihil habet Petro indignum ut vim ſpiritus Apoſtolici & gratiam ubique exprimat. Quod ſi pro Canonica recipitur, Petrum ejus auctorem fateri oportet: quando non tantum nomen ejus inſcriptum habet, ſed ipſe etiam teſtatur cum Chriſto ſe vixiſſe. Hæc autem fictio indigna eſſet miniſtro Chriſti, obtendere alienam perſonam. Sic igitur conſtituo, ſi digna fide cenſetur Epiſtola, à Petro fuiſſe profectam: non quod eam ſcripſerit ipſe, ſed quod unus aliquis ex diſcipulis, ipſius mandato complexus fuerit quæ temporum neceſſitas exigebat. Nam tunc eum extrema fuiſſe ſenectute, veriſimile eſt: morti enim ſe vicinum eſſe dicit. Et fieri poteſt ut piorum rogatu, hoc ſenſus ſui teſtimonium ſub mortem conſignari paſſus fuerit, quod eo mortuo bonis fulciendis & impiis reprimendis nonnihil valeret. Certe quum in omnibus Epiſtolæ partibus Spiritus Chriſti majeſtas ſe exerat, eam prorſus repudiare mihi religio eſt, utcunque genuinam Petri phraſin hic non agnoſcam. Cæterum quia de auctore non conſtat, nunc Petri, nunc Apoſtoli nomine promiſcue uti mihi permittam. Jam venio ad argumentum, quod breviter tantum indicare ſufficiet. Hic ſcopus eſt, ut qui ſemel rectam Chriſti fidem profeſſi ſunt, vocationi ſuæ ad extremum reſpondeant. Poſtquam ergo Dei gratiam magnifice extulit, ſanctitatem vitæ illis commendat, quoniam Deus plerumque fallacem nominis ſui prætextum horrenda excæcatione in hypocritis punire ſolet: contra autem dona ſua auget iis qui pietatis doctrinam vere & ex animo amplexi ſunt. Hortatur ergo ut ſuam vocationem pie vivendo approbent. Et quo plus habeat ponderis hæc admonitio, ſe jam mori vicinum indicat: & ſimul excuſat, ſe eadem ideo ſæpius repetere, ut qui ſe mortuo ſuperſtites in terra manebunt, altius animis infixa habeant quæ vivus ſcripſerit. Quoniam autem totius pietatis fundamentum eſt Euangelii certitudo, quam indubia ſit ejus veritas, primum ex eo demonſtrat, quod ipſe omnium quæ illic habentur, oculatus fuerit teſtis: ac præſertim quod Chriſtum audierit è cælo pronunciari Dei Filium: deinde quod Prophetarum oraculis Deus illam teſtatam ac comprobatam eſſe voluerit. Simul tamen tam à falſis doctoribus qui impia figmenta ſpargant, quam à Dei contemptoribus qui totam religionem ſubſannent, periculum inſtare prædicit: quo fideles ad cavendum inſtructi ſint ac muniti. Videtur autem hoc conſulto dicere, ne ſibi tranquillum & æquabilem, atque ab omni certamine remotum doctrinæ curſum ſub regno Chriſti promittant. Poſtea, quaſi in tabula, ingenium moreſque eorum depingit, qui ſuis corruptelis Chriſtianiſmum inquinaturi erant. Porro deſcriptio quam proſequitur, in noſtram ætatem maxime competit: ſicuti melius patebit ex comparatione. Stylum enim præcipue ſtringit in Lucianicos homines, qui ad omnem nequitiam projecti, profanam licentiam ad Dei contemptum inducunt: imo ſpem futuræ vitæ penitus ludibrio habent: qua hominum colluvie mundum videmus paſſim hodie refertum. Fideles porro hortatur non modo ut ſuſpenſis erectiſque animis Chriſti adventum ſemper expectent: ſed etiam ut diem illum quaſi præſentem ſibi ante oculos ſtatuant: interea vero ſe Domino impollutos cuſtodiant. In qua doctrina Paulum ſibi facit ſocium ac ſuffragatorem: atque ut ejus ſcripta ab impiorum calumniis vindicet, omnes qui alio ipſa detorquent, ſevere damnat.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PETRI POSTERIOREM.

CAPUT PRIMUM.

SImeon Petrus & ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui æque pretioſam nobiſcum ſortiti ſunt fidem, per juſtitiam Dei noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti:

* vel, cum agnitione. 2. Gratia vobis & pax multiplicetur * per cognitionem Dei & Jeſu Domini noſtri.

* vel, per gloriam & virtutem. 3. Quemadmodum divina ejus potentia omnia nobis quæ ſpectant ad vitam & pietatem dedit per cognitionem ejus qui vocavit nos * propria gloria & virtute:

4. Quibus & maximæ & pretioſæ promiſſiones nobis donatæ ſunt, ut per hæc fieretis divinæ conſortes naturæ, ubi fugeritis corruptionem quæ in mundo eſt in concupiſcentia.

1. *SImeon Petrus.*] In hoc Epiſtolæ exordio precatio primum locum obtinet: deinde ſequitur gratiarum actio qua Judæos incitat ad gratitudinem, ne obliviſcantur quæ & quanta beneficia jam ex manu Dei acceperint. Cur ſe *Jeſu Chriſti ſervum & Apoſtolum* inſcribat, alibi diximus: quia ſcilicet nemo in Eccleſia audiendus, niſi tanquam ex ore Chriſti loquatur. Porro Servi nomen magis generale eſt, quia omnes Chriſti miniſtros complectitur, qui publicum aliquod munus in Eccleſia ſuſtinent. In Apoſtolatu altior eſt honoris gradus: ſignificat ergo ſe non quemvis eſſe ex grege miniſtrorum, ſed à Domino conſtitutum eſſe in ordine Apoſtolico, qui inter reliquos eminebat. *Iis qui æque pretioſam.* Hoc ad commendationem gratiæ valet, qua Deus omnes ſuos electos promiſcue dignatus erat. Neque enim hoc vulgare erat donum, quod in unam & eandem fidem omnes vocati fuerant: quum fides præcipuum ſit ac ſummum hominis bonum. Porro *æque pretioſam* vocat, non quod in omnibus ſit æqualis: ſed quia eundem omnes Chriſtum cum ejus juſtitia, & eandem ſalutem fide poſſident. Tametſi ergo diſpar eſt fidei menſura, id non impedit quin omnibus communis ſit Dei cognitio & fructus qui inde provenit: ita nobis cum Petro & Apoſtolis vera eſt fidei ſocietas. Addit, *per juſtitiam Dei*, ut ſciant ſe non propria induſtria aut virtute fidem eſſe adeptos, ſed habere ex mero Dei dono. Sunt enim res inter ſe oppoſitæ juſtitia Dei (quo ſenſu hic capitur) & hominis meritum. Nam ideo effectrix fidei cauſa vocatur juſtitia Dei, quod nemo ad eam ſibi conferendam eſt idoneus. Ita juſtitia intelligi debet, non quæ incluſa in Deo maneat, ſed quæ in homines ſe diffundit: ſicuti Rom. cap. 3. verſ. 22. Præterea hanc juſtitiam communiter Deo & Chriſto attribuit, quia ex Deo manat, per Chriſtum autem ad nos uſque defluit.

2. *Gratia vobis & pax.*] Gratiæ nomine paternum erga nos Dei favorem notari certum eſt. Semel quidem reconciliati ſumus Deo per Chriſti mortem, & fide in hujus tanti boni poſſeſſionem venimus: ſed quia pro fidei noſtræ modo percipimus Dei gratiam, dicitur augeri quoad ſenſum noſtrum, dum nobis familiarius innoteſcit. Additur *pax*, quia ſicuti hoc noſtræ beatitudinis initium eſt, ut nos Deus in gratiam recipiat: ita quo magis ſuum in cordibus noſtris amorem confirmat, eo locupletius ſua nos benedictione proſequitur, ut nobis bene ſit in omnibus ac proſpere. *Per agnitionem.* Ad verbum eſt, In agnitione: ſed particula ἐν, valet Per vel Cum. Tametſi uterque ſenſus contextui quadrare poteſt: ego tamen priorem libentius amplector. Nam quo quiſque magis in Dei cognitione proficit, in eo perinde una cum divini amoris ſenſu augeſcit omne bonorum genus. Ergo quiſquis ad plenam beatæ vitæ fruitionem aſpirat, hanc quæ præſcribitur à Petro, viam tenere meminerit. Dei & Chriſti agnitionem ſimul connectit: quia rite non poteſt, niſi in Chriſto, Deus cognoſci: juxta illud, Nemo Patrem novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. *Mat. 11. verſ. 27.*

3. *Quemadmodum divina.*] Immenſam Dei bonitatem, quam experti jam erant, commemorat: quo plus in poſterum concipiant. Hoc enim perpetuum eſt, ut beneficentiæ ſuæ curſum ad finem uſque proſequatur: niſi dum ipſi noſtra infidelitate eum abrumpimus. Nam & illi facultas eſt inexhauſta, & par benefaciendi voluntas. Proinde merito Apoſtolus ex ſuperioribus Dei beneficiis, fideles ad bene ſperandum animat. Eodem pertinet verborum

ampli-

amplificatio. Poterat enim ſimplicius loqui, Quemadmodum omnia nobis largitus eſt: ſed divinæ potentiæ nomen exprimendo, altius conſurgit: quod ſcilicet copioſe explicuerit Deus immenſas virtutis ſuæ opes. Cæterum hoc poſterius membrum tam ad Chriſtum quam ad Patrem referri poteſt: atque utrumque convenit. In Chriſtum tamen aptiùs competit: acſi dixiſſet, Gratiam, quæ ab eo ipſo in nos diffuſa eſt, ſpecimen eſſe Deitatis, quia humanitus id fieri non potuit. *Quæ ad vitam & pietatem.* Nonnulli hic vitam præſentem notari putant, ut pietas ſequatur tanquam excellentius donum. acſi duobus iſtis teſtimoniis probare vellet Petrus quam beneficus ſit Deus ac liberalis erga fideles, quod ipſos in lucem edidit, quod illis omnia abunde ſuppeditat quæ ad conſervationem terrenæ vitæ pertinent: deinde quod illos regenuit in ſpiritualem vitam, dum ipſos pietate ornavit. Verum hæc diſtinctio à Petri mente aliena eſt: quia ſimulac vitæ mentionem fecit, mox pietatem adjungit, quæ eſt veluti ejus anima. Tunc enim nos vere Deus vivificat, quum nos reformat in obedientiam ſuæ juſtitiæ. Ita Petrus hic non de naturalibus Dei donis loquitur, ſed tantum ea prædicat quæ electis ſuis peculiariter ſupra communem naturæ ordinem confert. Quod nati ſumus homines, quod ſenſu & intelligentia prædití, quod vita noſtra neceſſariis ſubſidiis juvatur, hoc quidem totum ex Deo eſt: quia tamen homines, ut maligni ſunt & ingrati, promiſcua hæc (quæ vocant) naturæ bona in Dei beneficiis non reputant, ideo hic vulgaris humanæ vitæ conditio non attingitur: ſed proprias novæ & ſpiritualis vitæ dotes eligit, quæ originem ſuam ducunt ex regno Chriſti. Quod ſi in ſupernaturalibus Dei donis cenſetur quicquid ad pietatem facit & ſalutem: diſcant homines nihil ſibi arrogare, ſed humiliter petere à Deo quicquid ſibi deeſſe vident: & quicquid rurſus boni habent, acceptum illi referre. Nam Petrus hic totam pietatis ſummam, omniaque ſalutis adjumenta, divinæ Chriſti potentiæ vendicans, communi hominum naturæ adimit: ut ne minimam quidem ullius virtutis guttam nobis relinquat. *Per cognitionem ejus.* Nunc modum deſcribit quo nos tantorum bonorum Deus facit compotes: nempe quum ſe nobis patefacit per Euangelium. Dei enim cognitio principium eſt vitæ, & primus in pietatem ingreſſus. Denique nullus ſpiritualium donorum uſus in ſalutem eſſe poteſt, donec Euangelii doctrina illuminati, Deum cognoſcimus. Cæterum hujus cognitionis auctorem Deum facit: quia nunquam ad eum accedimus, niſi vocati. ergo non ingenii noſtri perſpicacia, ſed Dei vocatio effectrix fidei cauſa eſt. Loquitur autem non de externa tantum vocatione, quæ per ſe eſt inefficax: ſed de interiori, quæ arcana Spiritus virtute conſtat: quum Deus non tantum hominis voce in auribus perſonat, ſed intus per Spiritum ſuum corda ad ſe trahit. *Propria gloria & virtute.* Receptior quidem lectio eſt, Per gloriam: ſed quia quidam codices habent *ἰδίᾳ δόξῃ*, hoc eſt, propria gloria: atque ita reddidit vetus Interpres: hanc lectionem amplecti malui: quia ſic melius videtur fluere ſententia. Nam Petri conſilium eſt, diſerte adſcribere uni Deo totam ſalutis noſtræ laudem: ut ſciamus nos illi omnia debere. Id autem clarius exprimitur his verbis, Quod nos vocaverit propria gloria & virtute. Altera tamen lectio, licet obſcurior, in eundem finem ſpectat. Docet enim nos ignominia eſſe opertos & penitus vitioſos, donec nos gloria veſtiat Deus, & virtute ornet. Porro hunc vocationis effectum in electis eſſe ſignificat, ut reparetur in ipſis glorioſa Dei imago, & reformetur in ſanctitatem & juſtitiam.

4. *Quibus maximæ.*] Dubium eſt an gloriam & virtutem tantum, an vero ſuperiora etiam referat. Tota difficultas inde oritur, quod gloriæ & virtuti, quas nobis Deus confert, hoc non convenit. Quod ſi legamus, Propria gloria & virtute, nihil erit ambiguum nec perplexum. Quæcunque enim nobis à Deo promiſſa ſunt, proprie & merito virtutis ejus & gloriæ effectus cenſeri debent. Quanquam hic quoque variant codices. Nam aliqui habent *δι' ὧν*, *propter quem*: ut ad Chriſtum referatur. *Utramvis lectionem eligas, hic tamen ſenſus manebit, Dei promiſſiones primum maximi æſtimandas: deinde gratuitas eſſe, quia nobis dono ſint oblatæ. Excellentiam vero promiſſionum inde oſtendit, quod nos tandem efficiant naturæ divinæ conſortes: quo nihil præſtantius cogitari poteſt. Cogitandum enim eſt unde nos Deus in tantum honoris culmen evehat. Scimus quam abjecta ſit naturæ noſtræ conditio: quod ergo Deus ita ſe noſtrum facit ut ſua omnia quodammodo noſtra ſint, hujus gratiæ amplitudo ſatis percipi animis non poteſt. Quare hæc una meditatio abunde ſufficere nobis debet, ut mundo renunciantes, toti in cælum feramur. Notemus ergo hunc eſſe Euangelii finem, ut aliquando conformes Deo reddamur: id vero eſt quaſi deificari, ut ita loquamur. Cæterum *naturæ* nomen hic non ſubſtantiam, ſed qualitatem deſignat. Manichæi olim nos ex traduce Dei ortos ſomniabant, & tandem decurſo vitæ ſtadio ad originem noſtram reverti. Sunt & hodie fanatici homines qui ſic in Dei naturam tranſire nos imaginantur, ut ipſa naturam noſtram abſorbeat. Sic exponunt quod Paulus dicit, Deum futurum omnia in omnibus. *1 Cor. 15. verſ. 28.* Eodem quoque locum præſentem trahunt. Atqui nunquam ejuſmodi delirium ſanctis Apoſtolis in mentem venit: tantum dicere voluerunt, nos omnibus carnis vitiis exutos, ſed divinæ immortalitatis beatæque gloriæ fore participes, ut *ſimus velut unum cum Deo*, quantum *modulus noſter feret*. *Hæc doctrina non* prorſus ignota fuit Platoni, qui paſſim hoc ſummum hominis bonum eſſe definit, Deo fieri penitus conformem. verum ut errorum nebulis obvolutus erat, poſtea ad ſua commenta delabitur. Nos vero ſupervacuis ſpeculationibus omiſſis, hoc uno contenti ſimus, ea lege reparari in nobis Dei imaginem in ſanctitate & innocentia, ut ſimus tandem æternæ vitæ & gloriæ ſocii, quantum ad plenam beatitudinem neceſſe eſt. *Ubi fugeritis.* Jam expoſuimus hoc eſſe Apoſtoli conſilium, ut propoſita cæleſtis gloriæ, ad quam nos Deus invitat, dignitate, nos abſtrahat à vanitate hujus ſeculi. Porro naturæ divinæ mundi corruptionem opponit. Sed hanc non in elementis quæ nos circumſtant, ſed in corde noſtro eſſe oſtendit: quia illic regnant vitioſi & pravi affectus, quorum fontem vel radicem voce *concupiſcentiæ* notat. Ergo ita locatur in mundo corruptio, ut ſciamus in nobis eſſe mundum.

5. Atque in hoc ipſum omne ſtudium applicantes, ſubminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam,

6. In ſcientia vero temperantiam, in temperantia autem patientiam, in patientia vero pietatem,

7. In pietate autem fraternum amorem, in fraterno vero amore charitatem.

8. Hæc enim ſi vobis adſint, & abunde ſuppetant, non otioſos neque infructuoſos conſtituent vos in cognitione Domini noſtri Jeſu Chriſti.

9. Cui enim hæc non adſunt, cæcus eſt, manu palpans, purgationis oblitus veterum delictorum.

5. *Atque in hoc.*] Quoniam arduum ac immenſæ molis opus eſt, corruptionem quæ in nobis eſt exuere: ad eam rem contendere & eniti jubet. Quo ſignificat, non eſſe hic ignaviæ locum, nec lente vel oſcitanter obſequendum eſſe vocanti Deo: ſed alacri ſtudio opus eſſe. acſi diceret, Exerite omnem conatum, ac in medium proferte. Id enim valet participium quo utitur. *Subminiſtrate in fide.* Oſtendit quorſum fideles eniti deceat, nempe ut fidem habeant honeſtis moribus, prudentia, tolerantia, & charitate ornatam. Fidem ergo ſignificat non debere nudam eſſe vel inanem, ſed has eſſe individuas ejus comites. Subminiſtrare in fide, eſt fidei adjungere. Non tamen hic proprie eſt gradatio, quantum ad ſenſum attinet, utcunque verbis appareat. Neque enim tolerantiam ordine ſequitur charitas, vel ex ea procedit. Quare ita ſimpliciter reſolvi poteſt oratio, Date operam ut ad fidem veſtram accedant virtus, prudentia, temperantia, & quæ ſequuntur. *Virtutem* pro honeſta & bene compoſita vita accipio: neque enim hic eſt ἐνέργεια, ſed ἀρετή. *Scientiam*, pro ratione prudenter agendi. Poſtquam enim generale nomen poſuit, præcipuas quaſdam hominis Chriſtiani dotes enumerat. φιλαδελφία mutuus eſt inter filios Dei amor. *Charitas* latius patet, quia totum humanum genus complectitur. Poteſt tamen hic quæri, quum Petrus ſubminiſtrandæ virtutis partes nobis aſſignet, an eatenus extollat vim liberi arbitrii & facultatem. Qui liberum arbitrium ſtatuere volunt in homine, Deo quidem concedunt priorem locum, ut agere in nobis incipiat: ſed fingunt nos ſimul cooperari, atque ita hoc noſtrum eſſe, quod non irriti ſunt & inefficaces Dei motus. Atqui perpetua Scripturæ doctrina huic delirio reclamat. Palam enim teſtatur, rectos affectus formari in nobis à Deo, atque ad effectum perduci: teſtatur etiam profectus omnes noſtros ac perſeverantiam à ſolo Deo eſſe: præterea nominatim prudentiam, charitatem, patientiam, Dei & Spiritus dona eſſe prædicat. Quare dum hæc requirit Apoſtolus, minime aſſerit nos poſſe: ſed tantum quid debeamus oſtendit, & quid fieri oporteat. Piis autem hominibus, ubi infirmitatis propriæ conſcii, deficere ſe in officio vident, nihil aliud reſtat, niſi ut ad Dei confugiant auxilium.

8. *Hæc enim ſi vobis adſint.*] Tunc, inquit, demum Chriſtum à vobis vere fuiſſe cognitum probabitis, ſi virtute, & temperantia, & reliquis dotibus eritis præditi. Eſt enim res efficax, Chriſti cognitio, & viva radix quæ in fructus emergit. Nam quum dicit, *Hæc vos conſtituent non otioſos neque infructuoſos*, falſo & inaniter Chriſti notitia gloriari ſignificat quicunque eam ſine charitate, patientia, & ſimilibus donis jactat: quemadmodum & Paulus loquitur ad Epheſ. cap. 4. v. 20. Non ita didiciſtis Chriſtum, ſi quidem eum audiſtis, & in eo edocti eſtis, quemadmodum eſt veritas in Chriſto, deponere veterem hominem qui corrumpitur, &c. Eos enim qui Chriſtum profitentur abſque vitæ novitate, nunquam in ejus doctrina rite fuiſſe inſtitutos ſignificat. Nec vero fideles tantum inſtructos vult eſſe patientia, pietate, temperantia, charitate: ſed continuos horum donorum profectus augmentaque requirit. atque id merito. Longe enim adhuc diſtamus à meta: quare ſemper ultra progrediendum, ut in nobis creſcant Dei dona.

9. *Cui enim hæc adſunt.*] Jam clarius exprimit, alienos prorſus eſſe à vera intelligentia qui nudam fidem obtendunt. Dicit ergo, tanquam cæcos in tenebris errare: quia viam non tenent quæ nobis Euangelii luce monſtratur. Hoc quoque addita ratione confirmat: quia tales Chriſti beneficio à peccato ſe fuiſſe purgatos obliti ſunt. Atqui, hoc Chriſtianiſmi noſtri principium eſt: ſequitur ergo, ne prima quidem fidei rudimenta tenere quibus nullum puræ & ſanctæ vitæ ſtudium eſt. Sumit autem hoc pro confeſſo Petrus, *purgationis* ſuæ *oblitos* eſſe, qui adhuc in carnis ſordibus ſe volutant. Neque enim in hunc finem ſanguis Chriſti nobis lavacrum factus eſt, ut ſordibus noſtris inquinetur. Ideo *vetera delicta* nominat, quo intelligit, vitam aliter inſtituendam eſſe, quo à peccatis mundati ſumus. Non quod purus eſſe quiſquam poſſit ab omni vitio, quamdiu in mundo agit: vel quod mundities, quam conſequimur per Chriſtum, unica tantum venia conſtet: ſed quod ab infidelibus differre nos oporteat, ex quo Deus nos ſibi ſegregavit. Tametſi ergo quotidie peccamus, & quotidie nobis Deus ignoſcit, & Chriſti ſanguis nos à peccatis mundat: non tamen peccatum in nobis regnare debet, quin prævaleat ſanctificatio Spiritus. Ita enim Paulus 1 Cor. cap. 6. v. 11. Et hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis, &c.

10. Quamobrem magis, fratres, ſtudete firmam veſtram vocationem & electionem facere: hæc enim ſi feceritis, non cadetis unquam.

11. Sic enim abunde ſubminiſtrabitur vobis ingreſſus in regnum æternum Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti.

12. Itaque non negligam ſemper de iis commonefacere, etiamſi noveritis, & confirmati ſitis in præſenti veritate.

13. Juſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, excitare vos admonitione:

14. Quum ſciam brevi me depoſiturum hoc tabernaculum: quemadmodum & Dominus Jeſus manifeſtavit mihi.

15. Dabo autem operam, ut etiam ſemper poſt meum diſceſſum poſſitis horum habere memoriam.

10. *Magis, fratres*, &c.] Concludit hanc eſſe unam rationem qua nos à Domino vere electos & non fruſtra vocatos probemus, ſi bona conſcientia & vitæ integritas fidei profeſſioni reſpondeat. Infert autem plus adhibendum eſſe ſtudii ac diligentiæ, quia prius dixerat, fidem non debere eſſe ſterilem. Nonnulli codices habent, Bonis operibus: ſed hoc de ſenſu nihil mutat, quia ſubaudiendum eſt, etiamſi non exprimatur. *Vocationem* priore loco nominat, quæ tamen ordine eſt poſterior. Ratio eſt, quia electio plus habet momenti. Eſt autem hæc recta orationis diſpoſitio, ut ſubjiciatur quod præponderat. Senſus ergo eſt, Studete ut re ipſa teſtatum fiat, vos non fruſtra vocatos eſſe, imo electos. Quanquam hic de vocatione loquitur, ut eſt effectus ac teſtimonium electionis. Siquis pro eodem ſumere malit, non repugno: quia Scriptura interdum diſcrimen quod eſt inter duas iſtas voces, confundit. Ego tamen quod magis probabile mihi viſum eſt, adduxi. Nunc exoritur quæſtio, An vocationis noſtræ & electionis ſtabilitas bonis operibus nitatur. nam ſi ita eſt, ſequetur à nobis pendere. Atqui tota Scriptura docet, primum in æterno Dei propoſito fundatam eſſe Dei electionem: deinde vocationem gratuita ejus bonitate inchoari & perfici. Sophiſtæ, ut ad nos quod proprium eſt Dei gratiæ transferant, hoc teſtimonio abuti ſolent. Sed nullo negotio refellitur eorum cavillum. nam ſiquis intelligat firmam apud homines reddi vocationem, nihil in eo erit abſurdi: longius tamen extendere licet, ut ſe quiſque in vocatione ſua pie ac ſancte vivendo confirmet. Sed

binc perperam colligi dien quod Sopbiſtæ contendunt: eſt enim bæc probatio nnn ex cauſa ſumpta, ſed potius ex ſigno vel effectu. Porro boc non obſtat quominus gratuita ſit electin: nec facit ut in manu noſtra vel arbitrin ſit, ratam facere electionem. Sic enim res habet: Deus efficaciter vocat quos ante mundum conditum arcano ſuo conſilio præordinavit ad vitam. idem perpetuum vocationis tenorem mera gratia proſequitur. Sed quia in bunc finem nos eligit & vocat ut puri ſimus & immaculati in conſpectu ſun: vitæ puritas non immerito electionis ſpecimen ac documentum vocatur, quo fideles non modn aliis teſtantur ſe Dei filios, ſed ſe quoque in hac fide confirmant: ſie tamen ut alibi ſtatuant ſolidum fundamentum. Quanquam firmitas iſta, cujus meminit Petrus, ad conſcientiam (meo judicio) referenda non eſt: quaſi ſe fideles coram Deo agnoſcant electos & vocatos: verum ſimpliciter de re ipſa accipio, quod vocatio ea vitæ ſanctitate firma appareat. Poſſet etiam legi, Studete ut firma fiat veſtra vocatio: verbum enim [illegible] medium eſt. utrumvis tamen legas, non admodum diverſus erit ſenſus. Summa eſt, diſcerni hac nota filios Dei à reprobis, dum pie & ſancte vivunt: quia hic divinæ electionis ſcopus eſt. Unde palam fit quam indigne Deo nblatrent impuri quidam canes, dum gratuitam ejus electionem prætextum faciunt omnis licentiæ: quaſi vero impune ideo peccare fas ſit, quia ad juſtitiam & ſanctitatem prædeſtinati ſumus. *Hæc enim ſi feceritis.* Iterum videtur Petrus operum meritis tribuere, quod Deus ſalutis noſtræ curſum promovet, atque etiam quod conſtaoter perſtamus in ejus gratia. Sed facilis eſt ſolutio: quia tantum docere voluit, in hypocritis nibil eſſe ſolidi: cootra autem qui vocationem ſuam bonis operibus firmam eſſe comprobant, immunes eſſe à periculo cadendi, quia ſtabilis eſt Dei gratia qua fulciuntur. Hoc modo ſalutis noſtræ ſtabilitas minime in nobis locatur: ut certe cauſa ejus extra nos eſt. Verum qui Spiritus efficaciam in ſe ſentiunt, eos Petrus bono in poſterum animo eſſa jubet: quia Dominus ſolidum in ipſis veræ & certæ vocationis fundamentum jecerit. Modum perſeverantiæ exponit, quum dicit, *ſubminiſtrabitur vobis ingreſſus.* Cujus loquutionis ſenſus eſt, Deus novas identidem gratias large ſuggerendo, ad regnum uſque ſuum vos perducet. Hoc autem ideo additum eſt, quia tametſi jam à morte in vitam tranſierimus, ſpei tamen eſt ille traoſitus: quantum vero ſpectat ad vitæ fruitionem, lnngum iter adhuc nobis reſtat. Interea multis neceſſariis adminiculis deſtituimur. Quare dubitationi occurrit Petrus, bis verbis, Dominus inopiæ veſtræ ſatis ſuperque ſuccurret, donec in æternum ejus regnum ingreſſi fueritis. Regnum Chriſti appellat, quia nonniſi eo duce & auſpice, in cælum contendimus.

12. *Itaque non negligam.*] Quia eorum memoriæ vel ſtudio diffidere videmur quos ſæpe commonefacimus de re aliqua, modeſte excuſat Apoſtolus, quod fidelibus rem notam & penitus eorum animis infixam, inculcare tameo non deſinat: nempe quia hoc poſtulet rei gravitas & magnitudo. Vos quidem, inquit, probe tenetis quænam ſit Euangelii veritas: neque vos quaſi fluctuantes confirmo. ſed in re tanta monitiones nunquam ſunt ſupervacuæ: quare nunquam moleſtæ eſſe debeot. Simili etiam excuſatione utitur Paulus ad Rom. cap. 15. v. 14. Perſuaſus ſum, inquit, de vobis, fratres, quod referti ſitis intelligentia, ut poſſitis alii alios monere. Sed confidentius ſcripſi vobis, quaſi in memoriam reducens. *Præſentem veritatem* nomioat, in cujus poſſeſſionem certa fide jam ingreſſi erant. Fidem ergo ipſorum commeodat, quo conſtantius in ea infixi maneant.

13. *Juſtum autem arbitror.*] Hic clarius exprimit quam utilis adeoque neceſſarius ſit monitionum uſus: quia fideles incitare convenit: alioqui enim obrepit à carne torpor. Utcunque igitur doctrina non indigeant, utiles tamen monitionum ſtimulos eſſe dicit: ne ſecuritas & indulgentia (ut fieri ſolet) quod recte didicerunt obruat, & tandem extinguat. Addit alteram cauſam cur magis ad hoc ſit intentus: quia breve ſibi tempus reſtare noverit. Strenue, inquit, tempore utendum eſt: Dominus enim mibi manifeſtavit non diuturnam mibi fore vitam in boc mundo. Hinc colligimus, ſic temperandas eſſe monitiones, ne populus, cui volumus prodeſſe, ſibi injuriam fieri putet: ſic rurſus cavendas eſſe offenſiones, ut tamen doctrina liberum curſum habeat, & exhortationes non ceſſent. Hæc autem moderatio apud eos locum habet quibus acrior objurgatio non convenit: ſed qui blande potius juvandi ſunt, quum ad nfficium ſponte ſint prnpenſi. Docemur etiam Petri exemplo, quo brevius nobis ſupereſt vitæ ſpatium, diligentius ad munus noſtrum exequendum incumbere. Vulgo quidem nnbis noo datur finem noſtrum præſcire: ſed qui vel ætate ſunt provecti, vel minus firma valetudine, talibus indiciis de vitæ ſuæ brevitate admoniti, magis ſedulo inſtare ſibi debent, ut mature peragant quod Dominus injunxit. Imo qui robuſtiſſimi ſunt, & adhuc in medio ætatis flore, quia tamen nnn tam diuturnum nbſequium præſtare Deo poſſunt quam optandum eſſet, mortis propinquæ memoria acuere ſe ad eandem ſollicitudinem debent: ne bene agendi occaſio pigre & ſegniter ad opus accedentibus effluat. Interea non dubito, quin plus auctoritatis & ponderis doctrinæ ſuæ acquirere voluerit Petrus, quum ſibi curæ futurum dicit ut poſt mortem ſuam, quæ tunc inſtabat, harum rerum ſint memores. Nam ſi quis paulo poſt ex hac vita migraturus, nos alloquitur, ejus voces quodammodn vim teſtamenti habent, majoreque reverentia ſolent à nobis excipi.

14. *Depoſiturum hoc tabernaculum.*] Ad verbum eſt, Brevis tabernaculi bujus depoſitio. Hac loquutione, & poſtea Diſceſſus nomine, mortem deſignat. quod notare operæpretium eſt: nam bine docemur quantum ab interitu mors differat. Porro hinc nimius mortis horror nos conſternat: quia nec ſatis reputamus quam fluida ſit & evanida bæc vita, nec perpetuum nobis vitæ futuræ ſtatum proponimus. Quid autem Petrus? mortem pronunciat exitum eſſe è mundo, ut alio migremus, nempe ad Dominum: formidoloſa igitur eſſe nobis non debet, acſi pereundum nobis eſſet quum morimur. Pronunciat, depoſitionem eſſe tabernaculi, quo duntaxat nbtegimur ad breve tempus. Nnn ergo eſt cur ægre feramus, inde nos abduci. Subeſt autem tacita antitheſis inter caducum tabernaculum, & perpetuum domicilium: quam Paulus explicat 2 Corinth. 5. cap. v. 1. Quod dicit, revelatum ſibi eſſe à Chriſto, boc non ad genus mortis, ſed ad tempus pertinet. Quomodn autem ſi Babylone oraculum accepit de propinqua morte, Romæ crucifixus eſt? Certe niſi maria & terras momento transvolaverit, procul ab Italia mortuum eſſe conſtat. Nam quod Papiſtæ, ut ſibi Petri cadaver vindicent, Babylonios ſe faciunt, & Romam dicunt à Petro vocari Babylonem, id ſuo loco refutabitur. Quod de memoria harum rerum poſt mortem ſuam habenda dicit, buc pertinet, ut poſteri à mortuo etiam diſcant. Neque enim ætatis modo ſuæ rationem babuerunt Apoſtuli, ſed nobis etiam prodeſſe voluerunt. Quare utcunque mortui ſint, vivit ac viget eorum doctrina. Et noſtrum eſt ex eorum ſcriptis proficere, perinde acſi palam eſſent ipſi nobis ante oculos.

* vel, arte compoſitas.

16. Neque enim fabulas * ſubtiliter excogitatas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti potentiam & adventum: ſed ſpectatores facti ejus magnificentiæ.

17. Accepit

17. Accepit enim à Deo Patre honorem & gloriam, allata illi à magnifica gloria hujuſmodi voce, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matth. 5.*

18. Et hanc vocem nos audivimus, dum eſſemus in monte ſancto cum illo.

16. *Neque enim fabulas.*] Plurimum animi hoc nobis addit, quum ſcimus nos in re certa laborare. Itaque ne fideles aërem ſe verberare putent in ſuis laboribus, ad prædicandam Euangelii certitudinem jam deſcendit: ac quicquam à ſe proditum negat, niſi optime compertum ac indubiæ fidei. Hinc quoque animantur ad conſtantiam, dum certiores de proſpero vocationis ſucceſſu redduntur. Ac primo quidem ſe oculatum eſſe teſtem aſſerit Petrus: quia gloriam Chriſti, quam annunciat, ipſe oculis ſpectaverit. Hanc notitiam captioſis fabulis opponit, quales comminiſci aſtuti homines ſolent illaqueandis ſimplicium mentibus. Vetus interpres Fictas vertit: Eraſmus, Arte compoſitas. Mihi videtur ſubtile ad fallendum artificium notari. Nam interdum Græcis id eſt verbum σοφίζεσθαι. Scimus autem quantum ſtudii impendant homines frivolis argutiis, tantum quia aliquid delectationis habent. Quare non minus ſerio applicandæ ſunt mentes ad veritatem minime fallacem & doctrinam minime nugatoriam, ſed quæ gloriam Filii Dei nobis cum ſalute noſtra patefacit. *Chriſti potentiam & adventum.* Non dubium quin his verbis Euangelii ſummam comprehendere voluerit: ut certe nihil præter Chriſtum continet, in quo abſconditi ſunt omnes ſapientiæ theſauri. Duas autem partes diſtincte ponit: nempe quod exhibitus in carne fuerit Chriſtus, deinde qualis ſit virtus ejus & efficacia. Sic enim integrum habemus Euangelium, ubi eum qui promiſſus olim fuerat Redemptor, ſcimus è cælo veniſſe, induiſſe carnem noſtram, verſatum eſſe in mundo, morte eſſe defunctum, & tandem reſurrexiſſe. Secundo, ubi finem horum omnium & fructum percipimus: nempe ut eſſet Deus nobiſcum: ut certum adoptionis noſtræ pignus in ſe exhiberet: ut Spiritus ſui gratia perfuſos à carnis inquinamentis purgaret, ac conſecraret Deo in templa: ut ab inferis emerſos, in cælum attolleret: ut ſacrificio mortis ſuæ expiaret peccata mundi: ut nos Patri conciliaret: ut juſtitiæ ac vitæ nobis eſſet auctor. Hæc qui tenet, rite in Euangelio profecit. *Spectatores facti.* Hinc colligimus nequaquam ſervire Chriſto, aut ſimiles eſſe Apoſtolis, qui temere in ſuggeſtum proſiliunt, ut de ſpeculationibus ſibi ignotis garriant. Hic enim demum legitimus eſt Dei miniſter, cui teſtata eſt doctrinæ, quam tradit, veritas. Non quod omnibus conſtet eadem certitudinis ratio: nam quod Petrus ſe præſentem fuiſſe dicit, quum cæleſti oraculo pronunciatus fuit Chriſtus Filius Dei, tres ſolum tunc aderant, illi nihilominus idonei fuerunt teſtes: nempe quia tot miraculis intuiti erant Chriſti gloriam, & illuſtre Divinitatis ejus ſpecimen in reſurrectione habuerant. Nos vero aliter certi quatenus expedit: licet enim non reſurrexerit ante oculos noſtros Chriſtus, ſcimus tamen à quibus de manu in manum prodita nobis fuerit ejus reſurrectio. Et accedit interius conſcientiæ teſtimonium: illa, inquam, Spiritus obſignatio, quæ omnes ſenſuum probationes longe ſuperat. Verum meminerimus, Euangelium initio ex vagis rumoribus non fuiſſe conflatum: ſed Apoſtolos, eorum quæ viderant, authenticos fuiſſe præcones.

17. *Accepit enim à Deo Patre.*] Exemplum unum præ aliis eligit memorabile, in quo Chriſtus cæleſti gloria ornatus, conſpicuam divinæ magnificentiæ ſpeciem, tribus diſcipulis præbuit. Tametſi autem non omnes hiſtoriæ circumſtantias recenſet Petrus, uno tamen verbo eas deſignat quum dicit *allatam eſſe vocem à magnifica gloria.* Hic enim ſenſus eſt, quod nihil illic terrenum conſpiciebatur: ſed cæleſtis undique majeſtas refulgebat. Proinde colligenda ſunt magnificentiæ ſigna quæ narrant Euangeliſtæ. Atque ita fieri oportuit, quo ſanctior eſſet vocis, quæ allata eſt, auctoritas: quemadmodum videmus non ſemel à Domino fuiſſe factum. Neque enim quum Patribus loquutus eſt, nudas tantum voces perſonare in aëre voluit: ſed additis præſentiæ ſuæ ſymbolis, ſua eſſe oracula teſtatus eſt. *Hic eſt Filius meus.* Perinde hanc vocem adducit Petrus, acſi ſola ad plenam Euangelii approbationem ſufficeret: idque jure. Nam ubi agnoſcitur Chriſtus qualem eum nobis aſſert Pater, hæc ultima eſt ſapientiæ noſtræ meta. Duo ſunt hujus ſententiæ membra. Quod enim dicitur, Hic eſt, magnam habet emphaſin: nempe hunc eſſe illum Meſſiam qui toties promiſſus fuerat. Quicquid ergo de Meſſia in Lege & Prophetis habetur, hac demonſtratione Pater in ejus perſonam confert, quem iſto elogio commendat. Altero membro pronunciat Chriſtum eſſe Filium ſuum, in quo totus amor ſuus reſidet ac conſiſtit. Unde ſequitur, non aliter nos diligi quam in ipſo: nec alibi quærendum eſſe Dei amorem. Hæc obiter nunc attingere mihi ſatis eſt.

18. *In monte ſancto.*] Montem ſanctum appellat, qua ratione terra ſancta dicitur, in qua Moſi Deus apparuit. Quocunque enim accedit Dominus, ut eſt fons omnis ſanctitatis, præſentiæ ſuæ odore omnia ſanctificat. Atque hac loquutione docemur, non modo reverenter Deum excipere ubicunque ſe oſtendit, ſed etiam nos ad ſanctitatem comparare, ſimulac nobis appropinquat: quemadmodum etiam populo mandatum fuit, quum Lex promulganda eſſet in monte Sinai. Et illa eſt generalis doctrina, Sancti eſtote, quia ego ſanctus, qui in medio veſtri habito. *Levit. 11. verſ. 44. & 19: 2.*

19. Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ apparenti in caliginoſo loco, donec illuceat dies, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.

20. Hoc primum cognito, quod omnis prophetia Scripturæ, * privatæ interpretationis non eſt. ** vel, proprii motus.*

21. Neque enim voluntate hominis allata eſt quondam prophetia: ſed à Spiritu ſancto impulſi, loquuti ſunt ſancti Dei homines.

19. *Et habemus* &c.] Jam in Prophetarum quoque oraculis fundatam eſſe docet Euangelii certitudinem, ne dubitent qui illud amplexi ſunt, totos ſe Chriſto addicere. Nam qui ambigunt, fieri non poteſt quin remiſſiore ſint animo. Cæterum quum dicit Habemus, hoc tam ad ipſum & reliquos doctores, quam ad diſcipulos poteſt referri. Habebant Apoſtoli Prophetas tanquam patronos doctrinæ ſuæ: fideles quoque inde petebant Euangelii confirmationem. Ego in hanc partem libentius inclino, quod de tota Eccleſia loquatur, ſeque unum inter alios conſtituat. Quanquam Judæos proprie deſignat, quibus familiaris erat Prophetarum doctrina. Ideoque vocat eam *firmiorem*, meo ſaltem judicio. Nam qui poſitivi loco comparativum accipiunt, non ſatis expendunt totum contextum. Coactus eſt etiam ſenſus ille, Firmiorem eſſe *Propheticum ſermonem*, ex quo re ipſa complevit Deus quæ illic de Filio ſuo promiſerat. Nam hic ſimpliciter duplici teſtimonio probatur Euangelii veritas: quod Chriſtus magnifice ſolenni

lenni

ſenni Dei elogio probatus fuerit: deinde quod omnia Prophetarum vaticinia in eundem finem ſpectent. Sed hoc abſurdum prima ſpecie videtur, quod firmior dicitur ſermo Prophetarum quam vox ſacro ipſo Dei ore pronuociata. Primum, eadem eſt quæ ab initio fuit, verbi Dei auctoritas: deinde, Chriſti adventu magis quam prius ſancita fuit: quemadmodum in Epiſtola ad Hebræos fuſius dictum fuit. Verum nnn difficilis eſt hujus nodi ſolutio: quia hic reſpectum habet gentis ſuæ Apoſtolus, quæ Prophetis aſſueverat, ut eorum doctrina prorſus extra controverſiam eſſet. Quum ergo apud Judæos indubium eſſet, à Domino profectum quicquid Prophetæ docuerant, non mirum eſt ſi dicat Petrus, firmiorem eſſe eorum ſermonem. Jam vetuſtas quoque ipſa ſemper aliquid reverentiæ ſecum trahit. Præterea notandæ ſunt aliæ circumſtantiæ, quod in vaticiniis, quibus tanto aote prædictum erat Chriſti regnum, nulla ſubeſſe poterat ſuſpicio. Non ergo hic quæſtio eſt, an plus fidei mereantur Prophetæ quam Euangelium: ſed tantum reſpicit Petrus, quantum illis deferrent Judæi qui Prophetas pro legitimis Dei miniſtris indubie habebant, & in eorum ſchola fuerant à pueritia educati. *Cui bene facitis* &c. Hic vero locus aliquanto plus habet difficultatis: quæritur enim quiſnam ſit iſte *dies* cujus meminit Petrus. Quibuſdam videtur eſſe dilucida Chriſti cognitio, dum plane in Euangelio acquieſcunt homines. *Caliginem* vero exponunt, dum ſuſpenſi adhuc hæſitant, necdum Euangelii doctrina tanquam αὐτόπιστος recipitur. Aeſi Petrus Judæos laudaret, qui in Lege & Prophetis Chriſtum inveſtigant: & hac quaſi præeunte lucerna, ad Solem juſtitiæ Chriſtum contendont. Quemadmodum laudantur apud Lucam, *Actor. 17. verſ. 11.* qui auditis Pauli contionibus, inquirunt ex Scriptura, an ita ſit. Verum io hoc ſenſu primum ineſt abſurditas, quod videri poſſit uſum Prophetiarum ad exiguum tempus reſtringere, aeſi perſpecta Euangelii luce jam ſupervacuæ forent. Si quis excipiat, non ſequi hoc neceſſarin, quod particula *donec* non ſemper finem denotet: dico, in præceptionibus non aliter poſſe accipi. Ambula, donec viam abſolveris. Pugna, donec viceris. In his certe loquutionibus videmus aliquod præſcribi temporis ſpatium. At ut concedam non prorſus hoc modo rejici Propheticam lectionem: nemo tamen non videt quam frigida ſit iſta commendatio, utiles eſſe Prophetas, donec patefactus ſit nobis Chriſtus: quum eorum doctrina ad finem uſque vitæ perinde ſit neceſſaria. Deinde memoria tenendum eſt quoſnam alloquatur Petrus. Neque enim rudes ac novitios inſtituit, qui io primis elementis adhuc ſubſiſtant: ſed quos prius teſtatus eſt ejuſdem pretii fidem adeptos eſſe, & in præſenti veritate confirmatos. Atqui craſſa hæc ignorantiæ caligo in tales non competeret. Scio quid nonnulli obtendant, non fuiſſe pares omnium progreſſus: hic ergo ſpecialiter tirones moneri qui adhuc Chriſtum quærebant. Atqui quum ex contextu palam ſit ad eoſdem verba fieri, neceſſe eſt ut hic locus fidelibus aptetur qui jam Chriſto nomen dederunt, & qui facti ſunt veræ lucis participes. Ego itaque hanc caliginem, cujus Petrus meminit, ad totum vitæ ſtadium extendo: ac *diem* tunc demum nobis *illucere* ioterpretor, quum facie ad faciem videbimus quod nunc cernimus per ſpeculum & in ænigmate. Refulget quidem in Euangelio Sol juſtitiæ Chriſtus: ſed ita ut mentes noſtras ſemper ea parte occupent mortis tenebræ, donec è carnis ergaſtulo educti, in cælum transferamur. Ille ergo erit diei fulgor, quum nullæ ignorantiæ nubes aut nebulæ liquidum Solis conſpectum impedient. Et certe tantundem abſumus à pleno die, quantum à perfectione fides noſtra abeſt. Quare non mirum ſi præſentis vitæ conditio, caligo vocetur: quandoquidem ab ea notitia diſtamus, ad quam nos Euangelium invitat. In ſumma, admonet Petrus, quamdiu peregrinamur in mundo, egere nos Prophetarum doctrina, tanquam lucerna directrice: qua extincta, nihil quam in tenebris errare poſſumus. Neque enim Prophetias ab Euangelio disjungit, quum illas nobis lucere tradit ut viam monſtrent. Tantum docere vult, totum vitæ noſtræ curſum debere regi Dei verbo, quia alioqui nos undique obvoluti ſimus ignorantiæ tenebris, & Dominus non aliter nobis luceat, quam dum in ejus verbum intuemur quaſi lucernam. Nec vero lucernæ ſimilitudine utitur, ut tenuem & reſtrictam lucem ſignificet: ſed ut hæc duo membra ioter ſe reſpondeant, Nos propria luce deſtitui, nec viam tenere magis poſſe quam qui denſa nocte oppreſſus errat: Dominum tamen huic malo remedium afferre, dum facem accendit quæ in media caligine nos dirigat. Huic tamen expoſitioni videtur eſſe minus conſentaneum quod de *Lucifero* mox annectit. Neque enim ſolida cognitio, ad quam tota vita tendimus, diei principium vocari poteſt. Reſpondeo, non inter ſe conferri diei partes: ſed totum diem cum ſuis partibus caligini npponi, quæ omnes ſenſus noſtros penitus obrueret, niſi nobis Dominus ſubveniret verbi ſui luce. Inſignis eſt hic locus, unde diſcimus quomodo nos Deus gubernet. Papiſtæ identidem in ore habent, Eccleſiam non poſſe errare. Interea præterito verbo, illam regi à Spiritu fingunt. Petrus autem contra in tenebris demerſos eſſe omnes pronunciat qui non intenti ſunt ad verbi lucernam. Ergo niſi ſponte in labyrinthum conjicere te velis, cavendum ſummopere ne à verbi directione vel tantillum declines. Imo Eccleſia non aliter ducem poteſt Deum ſequi, niſi hunc regiminis modum obſervet. Hac quoque ſententia totam hominum ſapientiam damnat Petrus, ut aliunde quam ex proprio ſenſu petere humiliter diſcamus veram iotelligendi regulam. Nam extra verbum nihil hominibus præter tenebras reliquum facit. Præterea notatu dignum eſt quod de Scripturæ claritate pronunciat. Falſum enim eſſet encomium iſtud, niſi ad monſtrandam certo nobis viam Scriptura idonea & par eſſet. Ergo quiſquis oculos fidei obedientia aperiet, ipſo experimento agnoſcet non fruſtra Scripturæ impoſitum fuiſſe Lucernæ nomen. Incredulis quidem obſcura eſt, ſed qui exitio devoti, *ſponte cæcutiunt*. Quare execrabilis eſt Papiſtarum blaſphemia, qui Scripturæ luce nihil quam oculos perſtringi fingunt, ut ab ejus lectione ſimplices abſterreant. Sed nihil mirum eſt ſuperbos homines & perverſæ confidentiæ vento inflatos, eam lucem non videre qua Dominus ſolos parvulos & humiles dignatur. Eodem elogio David Legem Dei commendat, Pſal. 19. & 119. *Mat. 11. verſ. 25.*

20. *Hoc primum cognito.*] Hic incipit docere Petrus qualiter nos comparatos animis eſſe deceat, ſi rite volumus in Scriptura proficere. Quanquam poteſt eſſe duplex verborum ſenſus, ſi ἐπηλύσεως legas, ut quidam, quod eſt impetus. Tantum tamen legi ἐπιλύσεως quod interpretationem ſighificat: atque ita fere accipiunt, quod non debeamus ad Scripturam legendam temere irrumpere, proprio ſenſu confiſi. Confirmationem hujus dicti ſequi putant, quia Spiritus qui per Prophetas loquutus eſt, ſit idem unicus ſui interpres. Hæc expoſitio veram & piam & uberem doctrinam continet, tunc demum cum fructu legi Prophetias, ubi abdicato carnis ſenſu, Spiritus ſancti magiſterio nos ſubjicimus: impiam vero eſſe ejus profanationem, ubi arroganter acumen noſtrum ingerimus ad ipſam intelligendam, quum myſteria Dei contineat carni noſtræ abſcondita, ac ſublimes vitæ theſauros modulum noſtrum longe ſuperantes. Atque id eſt quod diximus, lucem quæ in ea refulget, ad ſolos humiles pervenire. Porro his inſulſi ſunt Papiſtæ, dum hinc colligunt, nullam privati hominis interpretationem debere authenticam cenſeri. Nam hoc Petri teſtimonin

monio abutuntur, ut ſuis Conciliis ſummum jus interpretandæ Scripturæ arrogent. In quo ſane pueriliter ineptiunt. Nam Petrus *interpretationem* vocat *privatam*, non uniuſcujuſque hominis, ut ſingulos ab ipſa prohibeat: ſed profanum eſſe docet quicquid de ſuo afferunt homines. Ergo ut totus mundus in unum conſpiret, cunctaque hominum ingenia ſimul coaleſcant, quicquid tamen inde prodibit, privatum erit vel proprium: quia nomen hoc divinæ revelationi opponitur, dum Spiritu ſancto intus illuminati fideles, quidnam verbo ſuo velit Deus, agnoſcunt. Mihi tamen ſimplicior videtur alter ſenſus, ut Scripturam Petrus non humanitus vel humano impulſu proditam fuiſſe dicat. Nunquam enim ad eam legendam bene præparatus accedes, niſi reverentiam, obſequium ac docilitatem afferas. Porro juſta reverentia inde naſcitur, quum ſtatuimus Deum nobiſcum loqui, non homines mortales. In primis ergo jubet Petrus, fidem prophetiis haberi, tanquam indubiis Dei oraculis: quia non fluxerint ex proprio hominum motu. Eodem ſpectat quod mox ſubjicit, quod *ſancti Dei homines Spiritu impulſi, loquuti ſint:* non autem ſponte vel ſuo arbitrio effutierint ſua commenta. Summa eſt, hoc eſſe rectæ indulgentiæ initium, dum fidem quæ Deo debetur, tribuimus ſanctis ejus Prophetis. Sanctos Dei homines appellat, qui injunctum ſibi munus fideliter exequentes, divinam in ſuo miniſterio perſonam ſuſtinuerint. Impulſos fuiſſe dicit, non quod mente alienati fuerint (qualem in ſuis prophetiis ἐνθουσιασμὸν fingunt Gentiles) ſed quia nihil à ſeipſis auſi fuerint: tantum obedienter ſequuti ſint Spiritum ducem, qui in ipſorum ore, tanquam in ſuo ſacratio, regnabat. *Prophetiam* Scripturæ intellige, quæ in Scripturis ſacris continetur.

Cap. II.

FUerunt autem & falſi prophetæ in populo: ſicuti & inter vos erunt falſi doctores,
qui ſubinducent ſectas perditionis: etiam Dominum, qui eos redemit, abnegantes,
accerſentes ſibi celerem interitum.
2. Et multi ſequentur eorum exitia: per quos via veritatis blaſphemabitur.
3. Et in avaritia fictis ſermonibus de vobis negotiabuntur: quorum judicium pridem
non ceſſat, & quorum perditio non dormitat.

1. *Fuerunt autem* &c.] Quoniam hoc graviter & periculoſe infirmas conſcientias concutere ſolet, dum inſurgunt falſi doctores qui fidei doctrinam vel corrumpunt, vel lacerant: neceſſe fuit Apoſtolo, quum fideles hortari vellet ad conſtantiam, ejuſmodi ſcandalum tollere. Porro hoc argumento ſolatur eos quibus ſcribit, & confirmat quod Deus ſemper hoc genere tentationis Eccleſiam ſuam exercuerit: ne forte eorum corda novitas percellat. Non alia, inquit, futura eſt ſub Euangelio Eccleſiæ conditio, quam olim ſub Lege fuerit: pſeudoprophetæ veterem Eccleſiam turbarunt, idem & nobis expectandum eſt. Hoc oportuit diſerte teſtatum eſſe, quia multi tranquillum ſub Chriſti regno Eccleſiæ ſtatum fingebant. Quia enim ejus adventu Prophetæ ſolidam pacem, ſummam cæleſtis ſapientiæ, plenamque rerum omnium inſtaurationem promittunt, non putabant Eccleſiam amplius ullis certaminibus fore obnoxiam. Meminerimus ergo Spiritum Dei hoc ſemel pronunciaſſe, nunquam ab hoc inteſtino malo immunem fore Eccleſiam. ac nobis ſemper in mentem veniat iſta ſimilitudo, communem nobis eſſe fidei probationem cum Patribus, quia eadem ſit ratio, nempe ut hoc modo appareat an vere Deum amemus: quemadmodum Deuteronomii cap. 13. v. 3. ſcriptum eſt. Porro hic ſingula exempla referre neceſſe non eſt: ſatis ſit tenere in ſumma, quod Patrum exemplo nobis adverſus impias doctrinas pugnandum ſit: quod ob diſſidia & ſectas minime labaſcere debeat fides noſtra: quia inter turbulentas agitationes, quibus Satan toties omnia evertere conatus eſt, firma nihilominus perſtiterit Dei veritas. Obſerva autem non unum notari à Petro tempus, quum dicit, *Erunt falſi doctores*, ſed omnes potius ætates comprehendi. Chriſtianos enim cum veteri populo hic confert. Ideo hanc doctrinam ad tempus noſtrum accommodare decet, ne hæc tentatio nos frangat, quum inſurgere videmus falſos doctores ut Dei veritatem oppugnent. Cæterum nos admonet Spiritus Dei, ut intenti ſimus ad cavendum: atque huc ſpectat tota deſcriptio quam mox ſubjiciet. Quanquam ſingulas ſectas non pinget ſuis coloribus, ſed peculiariter ſermonem diriget in homines profanos qui Dei contemptum inducunt. Generalis quidem eſt ſententia, Cavendum eſſe à falſis doctoribus: ſed interea ſpeciem unam elegit unde plus inſtabat periculi. Quod ex Judæ verbis melius patet, qui idem prorſus argumentum tractat. *Qui ſubinducent* Hoc verbo, Satanæ aſtutiam notat, & impiorum omnium qui ſub eodem vexillo militant: quod obliquis anfractibus, & quaſi per cuniculos ſubituri ſint. Quo magis advigilare debent pii, ut clandeſtinas quoque eorum fraudes effugiant. Utcunque enim ſe inſinuent, non tamen poterunt ſedulo attentos circumvenire. *Sectas* exitioſas dicit, ut quantam quiſque curam ſalutis ſuæ habet, ſectas, tanquam maxime noxias peſtes exhorreat. Quod pertinet ad ipſum Sectarum vel Hæreſeos nomen, non abs re ſemper infame & exoſum fuit inter Dei filios. Vinculum enim ſanctæ unitatis, ſimplex eſt veritas. ſimulatque ab ea diſceditur, nihil aliud reſtat quam horrenda diſſipatio. *Etiam Dominum qui illos redemit.* Tametſi variis modis abnegatur Chriſtus, eum tamen hic (meo judicio) attingit Petrus, qui exprimitur apud Judam: nempe dum gratia Dei in laſciviam convertitur. Redemit enim nos Chriſtus ut populum haberet ſegregatum ab omnibus mundi inquinamentis, addictum ſanctitati & innocentiæ. Qui igitur excuſſo freno in omnem licentiam ſe projiciunt, non immerito dicuntur Chriſtum abnegare à quo redempti ſunt. Proinde ut ſalva & integra Euangelii doctrina apud nos maneat, hoc animis noſtris infixum ſit, redemptos eſſe nos à Chriſto, ut vitæ ſimul & mortis noſtræ ſit dominus: itaque nobis hunc finem eſſe propoſitum, ut illi vivamus ac moriamur. Iterum celerem illis interitum inſtare dicit, ne alii ſe illis implicent.

2. *Et multi ſequentur.*] Hoc vero non leve eſt ſcandalum infirmis, quum vident communi mundi applauſu excipi falſas doctrinas, ingentem hominum numerum abripi, ita ut pauci in pura Chriſti obedientia maneant. Sic hodie nihil eſt quod vehementius turbet pias mentes, quam talis defectio. Vix enim decimus quiſque eorum qui Chriſto nomen dederunt, fidei puritatem ad extremum uſque retinet: omnes fere ad corruptelas degenerant, atque à magiſtris licentiæ deluſi, profaneſcunt. Ne hoc fidem noſtram labefactet, occurrit Petrus, & mature prædicit hoc ipſum fore, ut impii doctores multos trahant in exitium. Porro hic duplex eſt lectio, etiam apud Græcos. Alii enim Laſcivias, alii Exitia legunt: ſequutus ſum tamen quod magis receptum erat.

Digitized by Google

Per quos via veritatis. Hoc ideo dictum eſſe interpretor, quia ſicuti ornatur religio dum inſtituuntur homines ad timorem Dei, vitæ probitatem, caſtos mores ac honeſtos, vel ſaltem os improbis obſtruitur, ne Euangelio maledicant: ita quum frena impune laxantur ad omnem laſciviam, exponitur Chriſti nomen & doctrina impiorum contumeliis. Alii diverſum ſenſum afferunt, quod falſi iſti doctores, tanquam impuri canes, oblatraturi ſint ſanæ doctrinæ. Sed mihi hoc potius ſignificant Petri verba, daturos occaſionem hoſtibus, ut Dei veritati proterve inſultent. Utcunque ergo non exagitent ipſi conviтiis Chriſtianam profeſſionem, alios tamen ad conviтiandum armant.

3. *Fictis ſermonibus.*] Modis omnibus ſtudet Petrus infenſos reddere fideles pravis doctoribus, ut eos acrius à ſe ac conſtantius repellant. Hoc maxime odioſum eſt, nos tanquam vilia mancipia venum exponi. Hoc autem fieri teſtatur, ſi quis nos à Chriſti liberatione ſubducit. Fictos ſermones vocat, arte compoſitos ad fallendum. Ergo niſi quis ita inſaniat, ut ſponte à falſis doctoribus pretio addici velit animæ ſuæ ſalutem, perverſis eorum figmentis aditum omnem præcludat. Eodem quo prius conſilio iterum repetit non ceſſare eorum exitium, ut bonos à ſocietate eorum abſterreat. Quando enim propinquo exitio devoti ſunt, quiſquis ſe illis commiſcet, nihil poteſt quam miſere perire.

4. Si enim Angelis qui peccaverant, Deus non pepercit, ſed catenis *caliginis in* tartarum præcipitatos tradidit ſervandos in judicium.

5. Et priſco mundo non pepercit, ſed octavum juſtitiæ præconem Noë ſervavit, diluvio in mundum impiorum inducto.

6. Et civitates Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas, ſubverſione damnavit, eaſque ſtatuit exemplum iis qui impie acturi forent.

7. Et juſtum Lot qui opprimebatur à nefariis per libidinoſam converſationem eripuit.

8. Nam oculis & auribus juſtus ille, quum habitaret inter ipſos, quotidie animam juſtam iniquis illorum operibus excruciabat.

4. *Si enim* &c.] Diximus quantopere interſit hoc cognoſci, non poſſe impios, qui Eccleſiam pravis dogmatibus corruperunt, Dei vindictam effugere. Hoc itaque tribus maxime inſignibus divini judicii exemplis probat: quod ne Angelis quidem pepercerit: quod totum mundum ſemel abſumpſerit diluvio: quod Sodomam & alias vicinas urbes redegerit in cinerem. Sumit autem pro confeſſo Petrus quod inter nos indubium eſſe debet, Deum ſcilicet eſſe totius mundi judicem. Unde ſequitur, quas de impiis & ſceleratis pœnas olim ſumpſit, nunc quoque de ſimilibus ſumpturum. Neque enim ſibi diſſimilis eſſe poteſt, nec perſonas accipit, ut idem ſcelus alteri ignoſcat quod vindicavit in uno: ſed peræque injuſtitiam odit, ubicunque inventa fuerit. Semper enim tenendum eſt inter Deum & homines diſcrimen, quod homines quidem inæqualiter judicant: Deus autem perpetuum judicando tenorem ſervat. Nam quod electis delicta condonat, id fit, quod ea per pœnitentiam & fidem abolet. Itaque non aliter reconciliat nos ſibi, quam dum nos juſtificat. Donec enim ſublatum fuerit peccatum, manet ſemper inter nos & illum diſſidii materia. Quod ad *Angelos* ſpectat, argumentum eſt à majori ad minus. Nam quum longe præſtantiores eſſent, non tamen illos ſua dignitas eripuit è manu Dei: multo minus ergo evadent homines mortales quicunque eorum impietatem ſequuti fuerint. Cæterum quia de lapſu Angelorum breviter hic meminit Petrus: tempus vero & modum, aliaſque circumſtantias non enumerat: ſobrie in hac parte philoſophari convenit. Sunt curioſi plerique homines qui nullum de his rebus ſciſcitandi finem faciunt: atqui quum Deus parce duntaxat & quaſi obiter eas attigerit in Scriptura, hoc ipſo nos admonuit ut modica iſta notitia ſimus contenti. Et ſane qui magis anxie inquirunt, non ædificationi ſtudent, ſed vanis ſpeculationibus animos volunt paſcere. Quod nobis utile erat, Deus patefecit, Diabolos initio creatos eſſe ut Deo parerent: fuiſſe vero propria culpa apoſtatas, quia Dei imperium non tulerint: itaque pravitatem quæ in illis hæret, accidentalem eſſe, non à natura ut Deo attribui queat. Hoc ſatis aperte pronunciat Petrus, quum Angelos qui exciderunt, facit hominibus ſuperiores. Apertius etiam Judas, quum ſcribit eos non tenuiſſe ſuam originem, vel ſuum principatum. Quibus hæc teſtimonia non ſatisfaciunt, ii ſibi habeant Sorbonicam theologiam, quæ ſic ad ſatietatem illos de Angelis docebit, ut ſimul cum diabolis uſque ad inferos præcipitet. *Catenis caliginis.* Hæc metaphora ſignificat, tenebris conſtrictos teneri uſque ad diem ultimum. Sumpta eſt autem hæc ſimilitudo à maleficis, qui poſtquam damnati ſunt, carceris atrocitate dimidium pœnæ ſuſtinent, donec ad ultimum ſupplicium trahantur. Hinc colligere licet, non modo quam pœnam ſuſtineant reprobi poſt mortem, ſed qualis ſit filiorum Dei conditio. Nam in ſpe certæ beatitudinis placide acquieſcunt, quamvis ea nondum fruantur: ſicuti priores horribile ex vindicta ſibi parata tormentum ſuſtinent.

5. *Priſco mundo.*] Ratio hujus loquutionis eſt, quod Deus poſt ſubmerſum humanum genus, quaſi novum de integro *mundum condiderit. Eſt hoc quoque* argumentum à *majori ad minus.* Quomodo enim divinæ iræ diluvium evaderent ſcelerati, quo ſemel abſorptus fuit totus orbis? Nam quum dicit octo fuiſſe ſervatos, ſignificat multitudinem non fore inſtar clypei coram Deo, ut malos protegat: ſed quotquot peccaverint, pœnas daturos, ſive pauci ſint numero, ſive multi. Quæritur autem cur vocet *Noë juſtitiæ præconem.* Quidam intelligunt præconem juſtitiæ Dei, qualiter Scriptura Dei juſtitiam in eo commendat quod ſuos tuetur, & à morte ereptos reſtituit in vitam. Ego autem potius præconem juſtitiæ vocari interpretor, quia perditum mundum conatus ſit ad ſanam mentem reducere: neque id doctrina tantum & ſanctis exhortationibus, ſed quum per continuos centum & viginti annos in extruenda arca anxie ſudaret. Hoc autem Apoſtoli conſilium eſt, iram Dei adverſus reprobos ita nobis ſub oculis ponere, ut interea ad ſanctorum imitationem nos hortetur.

6. *Civitates Sodomorum.*] Hoc divinæ ultionis adeo memorabile fuit exemplum, ut Scriptura, quoties de univerſali impiorum exitio loquitur, ad hunc typum fere alludat. Ideo dicit Petrus, conſtitutas eſſe has urbes in exemplum. Vere quidem hoc de aliis dici poteſt: ſed quiddam ſingulare notat Petrus, quia hæc præcipua ſit & viva imago. Imo quia Dominus iram ſuam adverſus impios teſtatam eſſe voluerit ſeculis omnibus. ſicuti quum populum ſuum ex Ægypto redemit, in hac una gratia perpetuam nobis depinxit Eccleſiæ ſalutem. Quod etiam expreſſit Judas, pœnam ignis æterni vocans.

8. *Nam*

8. *Nam oculis & auribus.*] Vulgo exponunt, Lot oculis & auribus juſtum fuiſſe, quia omnes ejus ſenſus à ſceleribus Sodomæ abhorrerent. Poteſt tamen auditus & aſpectus alio referri: ut ſit ſenſus, Quum juſtus ille ageret inter Sodomitas, viſu & auditu excruciabat animam. Multa enim audire & videre coactum fuiſſe ſcimus, quæ ejus animum miſere torquerent. Summa huc redit, ſanctum hominem, quum eſſet vitiorum omnium prodigiis undique obrutus, non tamen à recto curſu deflexiſſe. Plus autem exprimit Petrus quam antea, nempe quod voluntarios cruciatus juſtus Lot ſubierit: ſicuti par eſt, non parvo dolore affici pios omnes, ubi mundum ruere vident in omne mali genus. Quo magis neceſſe eſt, nos propriis peccatis ingemiſcere. Atque hoc nominatim poſuit Apoſtolus, ne ubi paſſim graſſatur impietas, vitiorum illecebris capti & inebriati, una cum aliis nos perdamus: ſed hunc dolorem à Domino benedictum præferamus omnibus mundi deliciis.

9. Novit Dominus pios ex tentatione eripere, injuſtos autem in diem judicii puniendos ſervare.

10. Præſertim vero eos qui poſt carnem in concupiſcentia pollutionis ambulant, dominationem deſpiciunt, audaces, præfracti, qui excellentias non verentur probro afficere.

11. Quum Angeli, qui ſunt robore & potentia majores, non ferant adverſus illas coram Domino contumelioſum judicium.

9. *Novit Dominus.*] Hoc primum offendit infirmos, quod quum anxie ſuſpirent fideles, præſenti Dei auxilio non ſtatim levantur: quin potius interdum eos ſinit Dominus diuturno tædio & languore veluti contabeſcere: deinde tum impune laſciviunt mali: & interim ſilet Deus quaſi ad ipſorum ſcelera conniveret. Hoc duplex ſcandalum nunc avertit Petrus. Dominus enim ſcire teſtatur quando ex tentatione pios eripere expediat. Quibus verbis admonet, has illis partes relinquendas eſſe: itaque patienter durandum in tentationibus, nec deficiendum eſſe ſiquando ſuam adverſus impios ultionem differat. Hæc conſolatio nobis valde neceſſaria eſt. Solet enim obrepere iſta cogitatio, Si Dominus ſuos habere vult integros, cur non omnes ſeorſum colligit in aliquem terræ angulum, ut ſe mutuo ad ſanctitatem incitent? Cur malis eos permiſcet à quibus inquinentur? Ubi autem Deus hoc ſibi munus vendicat juvandi ſuos ac protegendi, ne in certamine deficiant, animos ad ſtrenue certandum colligimus. Hæc ſumma eſt prioris membri, hanc piis omnibus legem præſcribi à Domino ut variis tentationibus probentur: ſed de ſucceſſu bene ſperandum eſſe, quia ejuſdem auxilio nunquam deſtituendi ſint. *Injuſtos autem.* Hoc membro oſtendit Deum ſic judicia ſua moderari, ut malos ad tempus tolerando, non tamen inultos relinquat. Ita nimiam feſtinationem corrigit, qua præcipites ferri ſolemus: præſertim ubi ipſa ſcelerum atrocitas nos gravius vulnerat. Tunc enim vellemus eodem momento Deum fulminare: ſi ceſſat, non videtur amplius eſſe judex mundi. Ergo ne temporalis iſta ſcelerum impunitas nos perturbet, in memoriam reducit Petrus, ſtatutum eſſe à Domino judicii diem: ideo reprobos minime pœnam effugere, utcunque non ſtatim exigatur. Emphaſis eſt in verbo *ſervandi:* acſi diceret, non eſſe elapſos ex Dei manu, ſed teneri occultis vinculis conſtrictos, ut aliquando in judicium trahantur. Participium κολαζομένους, quamvis ſit præſentis temporis, ſic tamen reſolvi debet, Servari puniendos: vel, ut puniantur. Nam ab ultimi judicii expectatione pendere nos jubet, ut in ſpe & patientia uſque ad finem vitæ militemus.

10. *Præſertim vero eos* &c.] Hic ad hypotheſin deſcendit, generalem doctrinam ſuo inſtituto accommodans. Nam illi negotium erat cum proſtitutæ nequitiæ hominibus: docet ergo fieri non poſſe quin horribilis vindicta ipſos maneat. Quum enim de omnibus pœnas ſumpturus ſit Deus, quomodo iſti evaderent qui belluarum in morem ſe projiciunt ad omne flagitium? *Ambulare poſt carnem*, eſt carni addictum eſſe: ſicuti bruta animalia ratione & judicio non aguntur, ſed carnis ſuæ appetitum pro ſummo duce habent. Per *concupiſcentiam pollutionis* intellige fœdas & effrenes libidines, ubi abjecto honeſti ſtudio, excuſſoque pudore, ad immunditiem feruntur homines. Hæc prima nota eſt quam eis inurit, quod homines ſint impuri, nequitiæ dediti. Sequuntur aliæ notæ, quod dominationem deſpiciant, nec vereantur contumelia & probris afficere homines quos Deus honorifico gradu dignatur. Nam duas iſtas loquutiones eodem refero. Poſtquam enim dixit, contemptui illis eſſe dominationem: hujus mali fontem mox indicat, quod *audaces* ſint ac *præfracti*. Poſtremo quo magis exaggeret eorum ſuperbiam, dicit eos non tremere, quum adverſus glorias probroſe inſurgunt. Eſt enim hoc prodigioſæ arrogantiæ, pro nihilo ducere gloriam quæ in ordinibus à Deo poſitis refulget. Porro non dubium eſt quin hoc nomine Imperia & Magiſtratus deſignet. Tametſi enim nullum eſt legitimum vitæ genus quod non laude ſit dignum, ſcimus tamen præ aliis excellere Magiſtratuum functionem: quia Dei vices gerunt in gubernando humano genere. Vere igitur glorioſa eſt hæc poteſtas in qua Deus ipſe eminet. Tenemus nunc quid hoc ſecundo membro velit Apoſtolus: nempe iſtos de quibus loquitur, fuiſſe homines phreneticos, turbarumque & confuſionis appetentes. Quia nemo poteſt ἀναρχίαν mundo inducere, quin ἀταξίαν inducat: iſti autem intrepide probra evomebant in Magiſtratus, ut omnem publici juris reverentiam tollerent: hoc autem erat Deum palam ſuis blaſphemiis impetere. Multi hodie quoque ejuſmodi turbulenti homines extiterunt, qui poteſtatem gladii profanam & illicitam eſſe jactantes, omnem politiam furioſe evertere ſatagerent. Tales furias excitat Satan, quæ Euangelii curſum diſturbent. Sed præclare egit nobiſcum Dominus, qui non modo ab hoc exitiali veneno cavendum eſſe admonuit: ſed veteri etiam exemplo nos munivit adverſus ſcandalum. Itaque nimis improbe faciunt Papiſtæ, quum ſeditioſos homines noſtra doctrina armari criminantur. Quaſi vero non idem olim Apoſtolis exprobrari potuerit, qui tamen ab hac culpa longiſſime aberant.

11. *Quum Angeli.*] Præcipitem eorum arrogantiam inde oſtendit, quod plus ſibi licentiæ ſumere audent quam Angeli ipſi. Sed mirum eſt cur Angelos contumelioſum de Magiſtratibus judicium ferre neget. Quorſum enim ſancto ordini adverſi eſſent, cujus auctorem ſciunt eſſe Deum? Quorſum in poteſtates inſurgerent, quas norunt in eodem ſecum eſſe miniſterio? Hæc ratio quoſdam movit ut de diabolis hoc putarent dictum: ſed hoc modo abſurditatem minime effugiunt. Quomodo enim hominibus parcendo, tam ſobrius eſſet Satan, qui omnis in Deum blaſphemiæ auctor eſt? Deinde eorum opinio Judæ verbis refellitur. De ſanctis porro Angelis appoſite ſic loquutus eſt, ſi reputamus temporis circumſtantiam. Erant enim tunc omnes Magiſtratus fere impii & ſanguinarii Euangelii hoſtes. Quare fieri non poterat quin Angelis Eccleſiæ cuſtodibus exoſi eſſent.

ſent. Sic tamen ab ipſis damnari dicit homines odio & execratione dignos, ut reverentiam deferant poteſtati divinitus ordinatæ. Hæc, inquit, in Angelis quum ſit moderatio, iſti intrepide in diſſolutas & effrenes blaſphemias ruunt.

12. Iſti autem tanquam bruta animalia, naturaliter genita in capturam & perniciem, in quibus nihil intelligunt maledicentes, in ſua corruptione peribunt.

13. Recipientes mercedem injuſtitiæ: pro voluptate ducentes in diem frui deliciis, labes & maculæ, deliciantes in erroribus ſuis, conviventes vobiſcum.

14. Oculos habentes plenos adulteræ, & inquietos ad peccandum, ineſcantes animas inſtabiles, cor habentes exercitatum cupiditatibus, execrabiles filii.

15. Qui relicta via aberraverunt, ſequuti viam Balaam filii Bozor, qui mercedem injuſtitiæ dilexit.

Num. 22. v. 16, 28. 16. Sed redargutus fuit de ſua iniquitate: animal ſubjugale mutum, humana voce loquens, prohibuit Prophetæ dementiam.

12. *Iſti autem* &c.] Proſequitur quod dicere cœperat de impiis & ſceleſtis illis corruptoribus. Primum autem mores diſſolutos & obſcœnam totius vitæ nequitiam taxat: deinde ſic audaces & protervos eſſe dicit, ut ſcurrili ſua garrulitate ſe inſinuent in multorum gratiam. Primum comparat eos *brutis animalibus*, quæ in hoc videntur nata ut ſe in plagas induant, & ad ſuum interitum proprio impetu ferantur: acſi diceret, nullis illecebris inductos, ſponte properare ut ſe in Satanæ & mortis laqueos projiciant. Pro eo quod vertimus *naturaliter genita*, Petrus ad verbum habet, Naturalia genita: ſed ad ſenſum parum refert, ſive alterum ex his duobus ab alio quopiam ſuppoſitum fuerit, ſive utrumque ponendo, magis exprimere voluerit quod dicebat. Quod addit, *Maledicentes in quibus nihil intelligunt*, pertinet ad ſuperbiam cujus proxime meminit. Dicit igitur, ideo petulanter ab aliis contemni omnem excellentiam, quia prorſus obſtupuerint, ut nihil à pecudibus differant. Cæterum ubi poſui, *in perniciem*, deinde *in corruptione*, utroque loco eſt nomen φθορᾶς, ſed varie acceptum. nam quum perituros dicit in ſua corruptione, docet exitiales illis fore ſuas corruptelas.

13. *Pro voluptate ducentes.*] Acſi diceret, Felicitatem ſtatuunt in præſentibus deliciis. Scimus in hoc præcellere brutis animalibus homines, quod animum longius circumagunt. Ergo iſtud indignum eſt homine, occupari in præſenti ſenſu. Quo admonet extricandas eſſe mentes à carnis deliciis, niſi velimus in pecudum ordinem redigi. Quod ſequitur, hunc habet ſenſum, Iſti vos ac cœtum veſtrum fœdis maculis aſpergunt: nam dum epulantur vobiſcum, ſimul luxuriantur in ſuis erroribus, amores meretricios & perditam incontinentiam oculis geſtuque exprimunt. Eraſmus ſic reddidit, Convivantes in erroribus ſuis, inſultant vobis. Sed illud nimis coactum eſt. Poſſet non inepte ita exponi, Vobiſcum epulantes, vos petulanter ludibrio habent in ſuis erroribus. Ego tamen quod maxime probabile videbatur, reddidi. *Plenos adulteræ oculos* vocat libidinoſos, & qui intemperanter ad peccandum inquieto motu feruntur: ſicuti etiam mox exprimit.

14. *Ineſcantes animas.*] Metaphora ineſcandi, fideles admonet ut ſibi caveant ab occultis & fraudulentis eorum captionibus: nam eorum impoſturas hamis comparat qui poſſent incautos ad interitum rapere. Quum addit, *animas inſtabiles*, cavendi rationem demonſtrat, ſi firmas in fide & timore Domini radices egerimus: ac ſimul indicat, nulla excuſatione eſſe dignos qui ſe talibus blanditiis ineſcari ſinunt: quia hoc eorum levitati ſit imputandum. Adſit ergo fidei ſtabilitas, & ab impiorum capturis tuti erimus. *Cor exercitatum cupiditatibus.* Eraſmus Rapinas vertit: & ambigua eſt Græcæ vocis ſignificatio. Ego Cupiditates malo: quia ſicuti prius incontinentiam damnavit in eorum oculis, ita nunc videtur quæ in corde latent vitia notare. Ad avaritiam porro hoc reſtringi non debet. Quod *execrabiles filios* nominat, tam active quam paſſive poſſet exponi: hoc eſt, qui maledictionem, quocunque veniant, ſecum afferunt, vel qui digni ſunt execratione. Quoniam autem hactenus recenſuit quantum perverſæ turpiſque vitæ exemplo noceant: iterum repetit, lethale impietatis venenum in doctrina eos ſpargere, quo ſimplices interimant. Comparat eos cum Balaam filio Bozor, qui linguam habuit venalem ad maledicendum populo Dei. Atque ut indignos longa refutatione eſſe oſtendat, dicit Balaam reprehenſum fuiſſe ab aſina, atque ita convictam fuiſſe ejus amentiam. Sed eadem ratione fideles ab omni eorum ſocietate abterret. Fuit enim horribile illud Dei judicium, quod aſinæ prius ſe manifeſtavit Angelus quam Prophetæ: quod aſina infenſum Deum ſentiens, ultra progredi auſa non eſt, quin potius pedes retulit: quum Propheta cæco avaritiæ ſuæ impulſu adverſus certam Dei prohibitionem ſe ingereret. Nam quod *illi* tandem reſponſum fuit ut iret: ſignum divinæ indignationis fuit magis quam permiſſus. Poſtremo in ſummum ejus dedecus os apertum aſinæ fuit, ut illam haberet magiſtram qui Dei imperio *ſubjicere* ſe noluerat. *Atque hoc prodigio oſtendere voluit Dominus* quam prodigioſa res ſit, veritatem in mendacium mutare. Quæritur nunc quo jure Balaam Prophetæ titulo inſigniatur, quem conſtat multis pravis ſuperſtitionibus fuiſſe deditum. Reſpondeo, vaticinandi donum ſic eſſe particulare, ut qui alias verum Deum colit, nec puram religionem tenet, poſſit tamen illo eſſe præditus. Porro Deus in media idololatria prophetiam ideo interdum extare voluit quo minus excuſationis haberent homines. Nunc ſi quis ſummam eorum quæ dicit Petrus colligat, videbit non minus noſtro ſeculo congruere hanc ejus admonitionem. Nam paſſim graſſatur hæc peſtis, quod homines ſcurrili dicacitate in Dei & Chriſti ludibrium abutuntur: imo facetiarum colore omnem religionem ſubſannant: & quum pecudum in morem carni ſuæ ſint addicti, fidelibus tamen ſe permiſcent: garriunt aliquid de Euangelio, ſed interea linguam proſtituunt in obſequium diaboli, ut totum mundum, quoad in ſe eſt, æterno exitio devoveant: hac in parte pejores ipſo Balaam, quod gratuito maledictiones ſuas fundunt, quum ille nonniſi mercede illectus, ad maledicendum proruperit.

17. Ii ſunt fontes ſine aqua, nebulæ quæ à turbine aguntur, quibus caligo tenebrarum in æternum parata eſt.

18. Nam ubi pluſquam faſtuoſa vanitatis verba ſonuerint, ineſcant per concupiſcentias carnis laſciviis eos qui vere aufugerant ab iis qui in errore verſantur:

19. Dum libertatem illis promittunt, quum ipſi ſint ſervi corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, huic in ſervitutem eſt addictus.

17. *Fontes ſine aqua.*] Duabus iſtis metaphoris docet, eos nihil intus habere, quum magnam ſpeciem oſtentent. Fons aſpectu ſuo homines ad ſe invitat, quia uſum aquæ promittit tam ad potum quam alias vitæ commoditates: ſimulac apparent nebulæ, ſpem imminentis pluviæ faciunt ad terram irrigandam. Dicit ergo iſtos fontibus eſſe ſimiles, quia pollent jactantia, acumen aliquod in ſententiis, in verbis leporem præ ſe ferunt: intus tamen aridos eſſe ac ſteriles: ideo fallacem eſſe fontis figuram. Dicit *nebulas eſſe quæ à vento diſcutiuntur ſine pluvia*, aut in calamitoſam procellam erumpunt. Quo denotat nihil utilitatis unquam afferre, ſæpe autem eſſe valde noxios. Poſtea illis iterum denunciat horribile judicium Dei, ut hic metus retineat fideles. Quanquam dum *tenebrarum caliginem* nominat, alludit ad nebulas quæ aerem obſcurant: acſi diceret, pro momentaneis tenebris quas nunc offundunt, illis multo denſiores ac æternas paratas eſſe.

18. *Ubi pluſquam faſtuoſa.*] Significat verborum ampullis perſtringere ſimplicium oculos, ut fraudem animadvertere nequeant. Neque enim talibus deliriis mentes capi facile eſſet, niſi prius eſſent aliquo artificio obſtupefactæ. Sonorum ergo & inflatum orationis genus illis eſſe dicit, quo in admirationem incautos rapiant. Deinde grandiloquentia illa, quam pulmo animæ prælargus anhelat (ut inquit Perſius) tegendis ambagibus valde eſt appoſita. Hujuſmodi aſtutiam in Valentino & ſimilibus olim fuiſſe, ex libris Irenæi colligere licet. Voces enim prius inauditas excuderant, quarum inani crepitu perculſi imperiti, eorum deliciis irretiebantur. Nec ſecus hodie phrenetici quidam, qui plauſibili titulo ſe Libertinos vocant. Nam plenis buccis Spiritum & ſpiritualia crepantes, quaſi ſupra nubes tonarent, multos ſuis præſtigiis faſcinant: ut dicas Apoſtolum de his propria vaticinatum eſſe. Joco enim & ſanois omnia excipiunt: & quamvis maxime ſint inſulſi, quia tamen vitiis omnibus indulgent, gratiam in ſuis neſcio quibus facetiis inveniunt. Scopus eſt, ut ſublato boni & mali delectu, quidvis liceat: ab omni legum ſubjectione ſoluti homines, libidini ſuæ obſequantur. Quare hæc Epiſtola non parum ætati noſtræ prodeſt. *Ineſcant per concupiſcentias.* Eleganter hamis comparat impiorum illecebras, dum quidvis licitum faciunt. Nam ut cupiditates hominum cæcæ ſunt ac famelicæ, ſimulac oblata eſt licentia, eam fervido impetu arripiunt. ſed paulo poſt ſentitur hamus intus ſtrangulans. Cæterum expendere operæpretium eſt totam Apoſtoli ſententiam. Dicit eos qui reipſa ab errantium conſortio aufugerant, rurſus novo erroris genere decipi: nempe dum illis ad omnem intemperantiam habenæ laxantur. Quo admonet quam periculoſæ ſint iſtorum inſidiæ. Illud enim jam erat horribile exemplum, quod cæcitas & denſæ tenebræ totum fere humanum genus occupabant. Hoc itaque duplex quodammodo erat portentum, homines à communi mundi errore liberatos, poſt perceptam Dei lucem in belluinum ſtuporem revolvi. Hinc monemur quid maxime nobis cavendum ſit, poſtquam ſemel illuminati ſumus: ne ſcilicet licentiæ prætextu nos alliciat Satan, ut pro carnis libidine laſciviis nos dedamus. Porro ab hoc periculo tuti erunt qui ſerio incumbent in ſanctificationis ſtudium.

19. *Dum libertatem.*] A repugnantibus oſtendit, falſo eos promittere libertatem, quum ipſi peccato ſe in peſſimam ſervitutem addixerint. Nemo enim dare poteſt quod non habet. Videtur tamen non ſatis firma eſſe ratio: quia accidit interdum ut de Chriſti beneficiis utiliter concionentur homines nequam, & à Chriſto prorſus alieni. Sed notandum eſt, reprehendi vitioſam doctrinam quæ cum vitæ impuritate conjuncta erat. Conſilium enim Apoſtoli eſt, occurrere fallaci illecebræ qua ſtultos ineſcabant. Dulce eſt libertatis nomen: eo itaque abutebantur, ut ſolutus auditor divinæ Legis metu, in effrenem licentiam ſe projiceret. Atqui longe alia eſt libertas quam nobis peperit Chriſtus, & quam offert quotidie per Euangelium. Sic enim nos eximit à Legis jugo, quatenus nos maledictione obſtringit, ut ſimul peccati tyrannide, quatenus ſuis concupiſcentiis nos conſtringit, liberet. Quare ubi dominantur libidines, adeoque ubi caro regnum occupat, minime locum habet libertas Chriſti. Denunciat ergo Apoſtolus omnibus piis ne aliam libertatem appetant, quam quæ manumiſſos à peccato, in liberum juſtitiæ obſequium ipſos adducat. Hinc colligimus, ſemper fuiſſe impuros homines qui nomen Libertatis falſo obtenderent: atque hanc vetuſtam fuiſſe Satanæ fraudem: ne miremur hodie eandem à fanaticis hominibus Camarinam moveri. Quod autem Papiſtæ hunc adverſus nos locum torquent, in eo ridiculam ſuam impudentiam produnt. Primum enim ſpurciſſimæ vitæ homines ex ſuis fœtidis popinis & lupanaribus hoc vitium eructant, quod ſimus corruptionis ſervi, quorum in vita nullum probrum notare queunt. Deinde quum de libertate Chriſtiana nihil tradamus niſi à Chriſto & Apoſtolis ſumptum, & interea carnis mortificationem veraque ejus domandæ exercitia multo ſeverius exigamus quam illi ipſi qui nos infamant: ſua maledicta non tam in nos evomunt, quam in Filium Dei quem habemus certum auctorem. *A quo enim quis.* Sumpta eſt hæc ſententia ex jure militari: ſed tamen hoc profanis ſcriptoribus tritum eſt, nullam eſſe magis duram aut miſeram ſervitutem, quam ubi regnant libidines. Quid ergo nobis agendum eſt, quibus ideo Spiritum ſuum contulit Filius Dei, ut non modo emancipemur à peccati imperio, ſed carnis etiam & mundi ſimus victores?

20. Nam ſi ii qui aufugerant ab inquinamentis mundi per cognitionem Domini & Servatoris Jeſu Chriſti, rurſum iiſdem impliciti ſuperantur: facta ſunt illis poſtrema pejora prioribus.

21. Melius enim ipſis eſſet non cognoviſſe viam juſtitiæ, quam ubi cognoverunt, converti ab eo, quod illis traditum fuit, ſancto præcepto.

22. Sed accidit illis quod vero proverbio dicitur, Canis reverſus ad proprium vomitum: & Sus lota, ad volutabrum cœni.

20. *Nam ſi ii.*] Iterum oſtendit quam pernicioſa ſit hæc ſecta quæ homines Deo conſecratos, ad priſtinam immunditiem & mundi corruptelas retrahit. Ac mali gravitatem comparatione exaggerat: quia non vulgare ſit crimen, defectio à ſancta Dei inſtitutione. Præſtaret, inquit, nunquam noviſſe juſtitiæ viam. nam etſi nulla eſt ignorantiæ excuſatio: ſervus tamen qui ſciens ac volens contemnit Domini mandata, duplicem pœnam meretur. Huc accedit ingratitudo, quod ſponte lucem Dei extinguunt, abjiciunt gratiam ſibi datam, excuſſo jugo contumaciter adverſus Deum laſciviunt: imo quantum in ſe eſt, inviolabile Dei fœdus, ac ſancitum Chriſti ſanguine, profanant & abrogant. Quo magis intentos eſſe nos decet ut reverenter & ſollicite in curſu vocationis noſtræ pergamus. Jam ſingulas partes

propius

propius expendere operæpretium eſt. Quum *inquinamenta mundi* nominat, nos in ſordibus volutari, totoſque eſſe pollutos docet, donec mundo renunciemus. Per *cognitionem Chriſti*, non dubium eſt quin Euangelium intelligat. Uſum ejus eſſe teſtatur, ut nos à mundi inquinamentis eruat, & procul abducat. Qua ratione paulo poſt vocat *viam juſtitiæ*. Ille ergo demum rite in Euangelio profecit, qui probe Chriſtum didicit. Chriſtum autem vere tenet, qui in ipſo edoctus eſt exuere veterem hominem, & induere novum: quemadmodum & Paulus admonet ad Epheſ. cap. 4. verſ. 22. Quum dicit *relicto quod illis traditum fuerat præcepto* revolvi ad ſuas pollutiones, primum quam ſint inexcuſabiles, innuit: deinde admonet, pie recteque vivendi doctrinam, quamvis omnibus communis ſit, & promiſcue ad omnes pertineat, peculiariter tamen iis tradi quos Deus Euangelii ſui luce dignatur. Porro ab Euangelio deficere eos pronunciat, qui mundi inquinamentis ſe deintegro mancipant. Peccant quidem & fideles: ſed quia dominium peccato non permittunt, non excidunt à Dei gratia: nec deſerunt quam ſemel ſunt amplexi ſanæ doctrinæ profeſſionem. Neque enim victi cenſentur, quum ſtrenue carni & ejus concupiſcentiis repugnant.

22. *Sed accidit illis.*] Quia multos perturbat hoc exemplum, ubi homines qui ſe in Chriſti obedientiam ſubjecerant, ſine metu & pudore in flagitia proruunt: ut ſcandalum prævertat Apoſtolus, hoc ex eorum vitio provenire dicit: quia porci ſint & canes. Unde ſequitur, nullam culpæ partem Euangelio poſſe adſcribi. In hunc finem duas citat veteres parœmias, quarum prior habetur apud Solomonem, Prov. 26. v. 11. Hoc autem ſummatim vult Petrus, Euangelium eſſe medicinam quæ nos ſalubri vomitu purgat: ſed multos eſſe canes qui in ſuam perniciem reſorbent quod vomuerant. Item Euangelium eſſe lavacrum quod immunditias omnes noſtras abſtergit: ſed multos eſſe porcos qui ſtatim à lotione in cœnum ſe provolvunt. Interea monentur pii ut ſibi ab utroque caveant, niſi velint in canum & porcorum ordine cenſeri.

CAP. III.

HAnc jam, dilecti, ſecundam vobis ſcribo Epiſtolam, in quibus excito per commonefactionem, veſtram puram mentem,

2. Ut memores ſitis verborum quæ prædicta ſunt à ſanctis Prophetis, & præcepti noſtri, qui ſumus Apoſtoli Domini & Servatoris:

3. Hoc primum ſcientes, quod venient in extremo dierum illuſores, ſecundum ſuas ipſorum concupiſcentias ambulantes,

4. Ac dicentes, Ubi eſt promiſſio adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic permanent ab initio creationis.

Ne ſecundam Epiſtolam faſtidiant, quaſi prima ſufficeret, utramque non fruſtra ſcriptam eſſe dicit, quia ſæpius excitandi ſint. Quod ut melius conſtet, oſtendit non fore extra periculum, niſi probe muniti ſint: quia certamen habituri ſint cum perditis hominibus, qui non modo fidei puritatem corrumpent falſis dogmatibus, ſed totam fidem, quantum in ſe erit, funditus evertent. Quum dicit, *Excito veſtram puram mentem*, perinde eſt acſi diceret, Volo ad ſinceritatem mentis vos expergefacere. Atque ita debent reſolvi verba, Mentem veſtram excito, ut pura ac liquida ſit. Senſus enim eſt, offuſcari piorum mentes, & quaſi rubiginem contrahere, ubi monitiones ceſſant. Porro hinc ſimul colligimus, etiam homines doctrina præditos, niſi continuis monitionibus excitentur, ſopitos quodammodo jacere. Nunc apparet qualis ſit admonitionum uſus, & quantopere nobis ſit neceſſarius. Doctrinam enim ſemel perceptam ſuffocat carnis ignavia, & otioſam reddit, niſi eam adjuvent monitionum ſtimuli. Non ergo ſatis eſt edoctos eſſe homines, ut teneant quod oportet: ſed pios doctores incumbere in hanc ſecundam partem decet, ut doctrinam auditorum memoriæ penitus infigant. Et quia natura ut plurimum novitatis cupidi ſunt homines, ideoque ad faſtidium propenſi, utile nobis eſt tenere quod hic dicit Petrus. ut non modo libenter ſinamus nos ab aliis moneri, ſed ut ſe quiſque exerceat, doctrinam aſſidue memoria repetendo, ut mentes noſtræ pura & liquida ejus intelligentia niteant.

2. *Ut memores ſitis.*] His verbis ſignificat, nos in Prophetarum ſcriptis & Euangelio ſatis habere quo excitemur, modo in his meditandis ſeduli ſimus quantum decet. quod ergo rubiginem interdum contrahunt mentes noſtræ, vel caligine obducuntur, id noſtra ignavia fieri. Ergo ut nobis perpetuo Deus illuceat, huic ſtudio nos dedamus: interea fides noſtra in teſtibus adeo certis & idoneis acquieſcat. Nam ſi Prophetas & Apoſtolos habemus conſentientes nobiſcum, imo fidei noſtræ miniſtros, Deum vero auctorem, & Angelos approbatores: non eſt quod nos è gradu moveat impiorum conſpiratio. *Præceptum* Apoſtolorum vocat totam doctrinam qua pios inſtituerant.

3. *Hoc primum ſcientes.*] Poſſet participium Scientes referri ad Apoſtoli perſonam, hoc ſenſu, Ideo laboro in vobis excitandis, quia ſcio quale & quantum vobis periculum ab illuſoribus impendeat. Ego tamen malo aliter exponere, ut ſit *participium loco verbi: acſi dixiſſet, Scitote hoc in primis. Prædici* enim *hoc illis* oportuit: quia concuti poterant, ſi repente ejuſmodi ludibriis ipſos adorti eſſent impii. Vult igitur eos ſcire, ac reddi certiores, ut parati ſint ad reſiſtendum. Porro iterum ad eam doctrinam revocat fideles quam cap. 2. attigit. Nam per *dies extremos* ſatis tritum eſt, regnum Chriſti deſignari: juxta illud Pauli, Ut fines ſeculorum in nos inciderint, 1 Cor. 10. v. 11. Senſus autem eſt, Quo propius per Euangelium offert ſe Deus mundo, & ad regnum ſuum homines invitat, futurum etiam contra ut profani homines venenum impietatis ſuæ audacius evomant. *Illuſores* vocat communi Scripturæ more, qui Dei contemptu & ſacrilega ſuperbia ingenioſi videri appetunt. Hoc porro malorum eſt extremum, ubi homines tremendum Dei numen ſannis eludere ſibi permittunt. Ita loquitur primus Pſalmus de cathedra deriſorum. Sic David Pſal. 119. v. 51. conqueritur ſe fuiſſe à ſuperbis deriſum, quia Legi Dei ſtudebat. Sic Jeſaias c. 28. ubi eorum facit mentionem, ſupinam eorum ſecuritatem una cum ſtupore depingit. Proinde meminerimus nihil magis eſſe timendum, quam hoc certamen ab illuſoribus. qua de re aliquid diximus ad Galatas cap. 3. Quia tamen Spiritus ſanctus venturos prædixit, & ſimul clypeum in manus porrexit quo poſſimus eos refellere: nulla nobis excuſatio eſt quin ſtemus fortiter, quicquid illos machinari contingat.

4. *Ubi eſt promiſſio.*] Hæc eſt periculoſa illuſio, quum dubitationem injiciunt ultimæ reſurrectionis, qua ſublata nullum amplius eſt Euangelium, exinanita eſt Chriſti virtus, periit tota religio. Ergo

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ jugulum recta petit Satan, dum fidem adventus Chriſti convellit. Quorſum enim mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, niſi ut ſecum aliquando nos à morte redemptos, in vitam æternam colligat? Funditus itaque diruitur pietas, oiſi fixa manet reſurrectionis fides: ideo hac parte acrius nos oppugnat Satan. Notanda eſt autem cavilli forma. Cnotinuum naturæ curſum, qualis ab initio fluere viſus eſt, promiſſioni Dei opponunt, acſi res eſſent contrariæ, vel minus inter ſe congruentes. Quum eadem fuerit Patrum fides, inquiunt, nihil mutatum fuit ab eorum morte: atqui multa inde ſecula præteriiſſe notum eſt. Hinc fabuloſum eſſe colligunt, quod de mundi interitu dicitur: quia ex tam longa ejus duratinne perpetuum fore conjiciunt.

5. Nam hoc neſciunt volentes, quod cæli jam olim fuerint, & terra ex aqua & per aquam conſiſtens Dei ſermone.

6. Per quæ mundus qui tunc erat, aqua inundatus periit.

7. Qui autem nunc ſunt cæli & terra, ejuſdem ſermone repoſiti ſunt, & ſervantur igni in diem judicii & perditionis impiorum.

8. Porro ne hoc unum vos lateat, dilecti, quod unus dies apud Dominum perinde eſt ut mille anni, & mille anni ut dies unus.

5. *Nam hoc neſciunt.*] Uno tanrum argumento refellit illud impiorum cavillum: nempe quod mundus ſemel aquarum diluvio perierit, quum tamen aquis conſtaret. Quoniam autem ſatis nota & celebris
Gen. 1: 2. hiſtoria, dicit eos *volentes* errare, hoc eſt, ſponte. Nam qui ex diuturno mundi ſtatu perpetuitatem ejus colligunt, oculos maligne claudunt, oe tam dilucidum judicium Dei cernant. Mundus certe ex aquis habet originem: chaos enim ex qun producta eſt terra, Moſes vocat aquas. Deinde ab aquis ſuſtinebatur: aquis tamen ad eum perdendum uſus eſt Dominus. Unde apparet vim naturæ adeo non ſufficere fovendo & conſervando mundo, ut potius ioclusa ſit illic interitus materia, quoties ita Domino viſum fuerit. Semper enim hoc reputandum eſt, muodum non alia virtote proprie conſiſtere, quam verbi Dei: ac proinde inferiores cauſas inde vim ſuam mutuari: & prout aguntur, habere diverſos effectus. Ita per aquam muodus conſtabat: ſed aqua nihil per ſe poterat, quin potius ſuberat Dei verbo, tanquam inferius organum. Ergo ſimulac Deo placuit terram perdere, eadem aqua ad mortiferam undationem obſequium ſuum præſtitit. Nunc videmus quantopere errent qui ſubſiſtunt in nudis elementis, quaſi in ipſis ſita eſſet perpetuitas, ac non potius ad Dei nutum flexibilis eſſet eorum natura. His paucis verbis abunde refutatur eorum petulaotia qui ad Deum oppugnandum phyſicis rationibus ſe armant. Hiſtoria enim di-
Geneſ. 7. verſ. 17. Gen. 1: 6. luvii locuples eſt teſtis, ſolo Dei imperio gubernari totum naturæ ordinem. Hoc tamen videtur abſurdum, quod dicit *mundum* periiſſe diluvio, quum prius meminiſſet cæli & terræ. Reſpondeo, cælum tunc quoque fuiſſe ſubmerſum, hoc eſt, regionem aëris quæ inter duplices aquas vacua patet. Nam diſtinctio illa, cujus Moſes meminit, confuſa erat, & Cæli nomen hoc ſenſu ſæpe accipitur. Si quis plura deſideret, legat Auguſtinum libro de Civitate Dei 20.

7. *Qui autem nunc ſunt cæli.*] Hoc non infert tanquam conſequens. Neque enim aliud fuit ei propoſitum quam deriſoribus argutiam excutere de perpetuo naturæ ſtatu: quales hodie videmus permultos, qui leviter aſperſi philoſophiæ rudimentis, qun ſe pro magnis Philoſophis venditent, tantum profanas ſpeculatinnes venantur. Atqui jam hoc plane ex ſuperioribus evictum eſt, nihil eſſe abſurdi quum Dominus cælum & terram olim igni abſumptum iri pronuociat: quoniam ignis & aquæ una eſt ratio. Nam & apud veteres hoc tritum fuit, ex his duobus ſummis principiis nata eſſe omnia. Quoniam autem cum impiis habebat negotiom, de ipſorum exitio nominatim loquitur.

8. *Porro ne hoc unum* &c.] Nunc ſermonem ad pios convertit, monetque, ubi de Chriſti adventu agitur, ut oculos ſurſum tollant. ita enim fiet ne præpoſteris ſuis votis præſcriptum à Deo tempus ſubjiciant. Nam ideo nimis longa expectatin videtur, quia oculos babemus defixos in præſentis vitæ brevitatem: deinde ſupputando dies, horas, & momenta, tædium augemus. Verum ubi æternitas regni Dei nobis occurrit, multa ſecula inſtar momenti evaneſcunt. Huc ergo nos revocar Apoſtolus, ut ſciamus non pendere diem reſurrectionis ex præſenti temporum fluxu, ſed ab æterno Dei conſilio: acſi diceret, Ideo homines Deum prævertere cupiunt, quia carnis ſuæ ſenſu tempus metiuntur: natura autem ad impatientiam ſunt proclives, ut celeritas quoque illis mora ſit: vos ergo mente in cælos conſcendite, ita nullum erit vobis longum aut breve tempus.

9. Non tardat Dominus in promiſſione, ſicuti quidam tarditatem exiſtimant: ſed to-
* aut, colligi: vel, aggregari. lerantem ſe præbet erga nos, nolens ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam * recipere.

10. Veniet autem dies Domini tanquam fur in nocte: in qua cæli in modum procellæ tranſibunt, elementa autem ardore ſolventur: & terra, quæque in ea ſunt opera, ardebunt.

11. Quum hæc igitur omnia ſolvantur, quales oportet nos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus:

12. Expectantes properando adventum diei Dei, propter quem cæli ſolventur, & elementa ardore conſumentur?

13. Novos autem cælos & terram novam juxta promiſſum ejus expectamus, in quibus habitat juſtitia.

9. *Non tardat Dominus.*] Alia ratione nimiam ac præpoſteram feſtinatinnem compeſcit: nempe quod Dominus adventum ſuum ideo differat ut totum humanum geous ad pœnitentiam inviter. Semper enim nobis animi pruriunt, & ſubinde obrepit dubitatio, cur non citius venit. Sed ubi audimus Dominum ſaluti noſtræ conſulere ubi differt, & ideo differre quia noſtri curam habet: non eſt cur de tarditate amplius queramur. Tardus enim is dicitur, qui occaſionem pigritia effluere ſinit: in Deo nihil ſimile, qui temporum rationem ad ſalutem noſtram optime attemperat. Atque omnino de totius mundi duratinne

idem

idem quod de cujuſque hominis vita, ſentiendum eſt. Deus enim tempus ſingulis prorogando, ſuſtinet eos quoad reſipiſcant. Similiter finem mundi ideo non accelerat, ut det omnibus reſipiſcendi ſpatium. Hæc valde utilis admonitio eſt, ut tempore recte uti diſcamus, juſtam alioqui ignaviæ pœnam daturi. *Nolens ullos perire.* Mirus hic erga humanum genus amor, quod omnes vult eſſe ſalvos, & ultro pereuntes in ſalutem colligere paratus eſt. Notandus autem hic ordo, quod patatus eſt Deus omnes ad pœnitentiam recipere, ne quis pereat. His enim verbis obtinendæ ſalutis modus indicatur: proinde quiſquis noſtrum ad ſalutem aſpirat, diſcat hac via ingredi. Sed hic quæri poteſt, Si neminem Deus perire velit, cur tam multi pereunt? Reſpondeo, non de arcano Dei conſilio hic fieri mentionem, quo deſtinati ſunt reprobi in ſuum exitium: ſed tantum de voluntate quæ nobis in Euangelio patefit. Omnibus enim promiſcue manum illic porrigit Deus, ſed eos tantum apprehendit ut ad ſe ducat quos ante conditum mundum elegit. Cæterum quum verbum χωρῆσαι apud Græcos ſæpe etiam neutrum ſit: huic loco non minus apte quadraret quod in margine poſui, quod Deus velit ad pœnitentiam ſimul venire omnes qui prius vagi & diſſipati fuerant.

10. *Veniet autem dies Domini.*] Hoc additum eſt ut ſemper in excubiis ſint fideles, nec craſtinum ſibi promittant. Duobus enim longe diverſis vitiis laboramus fere omnes, nimia feſtinatione & ignavia. Impatientia enim rapimur ad diem Chriſti nunc jam expectandum: interea ipſum ſecure procul rejicimus. Quare ſicuti antehac Apoſtolus importunum fervorem correxit: ita nunc ſolentiam nobis excutit, ut omnibus horis ad Chriſtum expectandum ſimus intenti, ne diffluamus ut fieri ſolet. Unde enim fit ut caro ſibi indulgeat, niſi quod de propinquo Chriſti adventu nulla ſubit cogitatio? Quod poſtea ſequitur de cæli & terræ incendio, non longa expoſitione indiget, ſi quidem ejus conſilium expendamus. Neque enim hic ſubtiliter de igni & procella & aliis rebus diſputare voluit: ſed tantum inde elicere exhortationem quam mox attexit, nempe ut enitamur nos quoque ad vitæ novitatem. Sic enim ratiocinatur, cælum & terram incendio purgatum iri, ut regno Chriſti reſpondeant: renovationem itaque in hominibus longe eſſe magis neceſſariam. Mali ergo ſunt interpretes qui in argutis ſpeculationibus multum conſumunt operæ: quum Apoſtolus totam hanc doctrinam ad pias exhortationes accommodet. Cælum, inquit, & terra noſtra cauſa tranſibunt: an ergo nos in terra demerſos eſſe convenit, ac non potius ſanctam ac piam vitam meditari? Corruptio cæli & terræ igne purgabitur, quum tamen puræ ſint Dei creaturæ: quid ergo nobis agendum qui tot inquinamentis ſumus referti? In voce *pietatum*, plurali numero abuſus eſt loco ſingularis: niſi pro exercitiis pietatis accipias. De mundi elementis hoc unum dicam, abſumptum iri, tantum ut novam qualitatem induant: manente ſubſtantia: ſicuti ex octavo ad Rom. cap. v. 21. & aliis locis facile colligi poteſt.

12. *Expectantes properando.*] Ita vertere placuit, tametſi duo ſunt participia. Nam quæ ſeorſum prius habuimus, nunc in unam ſententiam colligit, quod feſtinanter debeamus quieſcere. Hæc autem repugnantiæ ſpecies non parum habet gratiæ: ut in proverbio, Feſtina lente. Quum dicit, Expectantes, hoc ad ſpei tolerantiam refertur. feſtinationem opponit torpori. utrumque appoſite. Nam ut ſpei propria ſunt ſilentium & quies, ita ſemper cavendum ne obrepat carnis ſecuritas: ideo in bonis operibus ſtrenue laborandum, & in ſtadio vocationis noſtræ celeriter currendum eſt. Quem prius Diem Chriſti dixerat (ut etiam paſſim in Scriptura vocari ſolet) nunc Dei appellat: & merito. Chriſtus enim tunc exurget ut reſtituat Patri regnum, quo ſit Deus omnia in omnibus.

14. Quare, dilecti, quum hæc expectetis, ſtudete incontaminati & irreprehenſibiles ab eo inveniri in pace.

15. Et Domini noſtri tolerantiam ſalutem exiſtimate: quemadmodum & *dilectus* frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit *vobis*:

16. Sicuti in omnibus Epiſtolis, loquens de iis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles invertunt (ut & cæteras Scripturas) ad ſuam perniciem.

17. Vos igitur, dilecti, præmoniti cavete: ut ne ſimul nefariorum errore abacti, excidatis à veſtra firmitate.

18. Creſcite autem in gratia & notitia Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti. ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

14. *Quare*, &c.] Recte à ſpe ad effectum vel ſtudium pie vivendi argumentatur. Spes enim viva eſt & efficax: ideo fieri non poreſt quin nos ad ſe rapiat. Ergo qui cælos novos expectat, novitatem à ſeipſo incipiet, hucque aſpirabit toto ſtudio: qui vero in ſordibus ſuis hærent, eos certum eſt nihil de regno Dei cogitare, ac nihil ſapere quam mundum corruptibilem. Notandum autem quod dicit, *inveniri* nos debere à Chriſto *irreprehenſibiles*. Nam hoc verbo ſignificat, dum alios occupat ac detinet mundi reſpectus, conjiciendos nobis eſſe oculos in Dominum. & ſimul quænam ſit vera integritas, oſtendit: nempe quæ probatur ipſius judicio, non autem quæ apud homines laudem habet. Nomen *pacis* accipi mihi videtur pro quieto conſcientiæ ſtatu qui in ſpe & tolerantia fundatus eſt. Quod enim tam pauci ad Chriſti judicium animos advertunt, inde fit, quia dum præcipites ſeruntur importuna ſua cupiditate, ſimul ſunt tumultuoſi. Ergo pax iſta ſilentium eſt pacatæ animæ, quæ in Dei verbo acquieſcit. Quæritur quomodo inveniri qaiſpiam poſſit à Chriſto irreprehenſibilis, quum tot vitiis laboremus omnes. ſed Petrus hic ſcopum tantum demonſtrat, ad quem tendere fideles oportet, utcunque euſque non pertingant, donec carne ſua exuti, Chriſto penitus adhæreant.

15. *Domini noſtri tolerantiam.*] Sumit illud pro confeſſo, Chriſtum ideo diem adventus ſui differre, quia ſalutis noſtræ rationem habeat: inde igitur animat fideles, quod in longiore mora, ſalutis ſuæ ſignum habeant. Ita quod tædio frangere alios ſolet, prudenter retorquet in contrariam partem. *Quemadmodum & dilectus.* Facile cum ex multis locis, tum ex Epiſtola ad Galatas colligere licet, nebulones qui paſſim oberrabant ad turbandas Eccleſias, ut fidem Paulo detraherent, hoc prætextu abuſos eſſe, quod illi minus bene cum reliquis Apoſtolis conveniret. Ergo probabile eſt, factam à Petro mentionem Pauli eſſe, ad teſtandum utriuſque conſenſum. nam ejuſmodi calumniæ anſam præcidere pluſquam

neceſſe

neceſſe fuit. Et tamen dum omnis propius expendo, mihi fit veriſimilius hanc Epiſtolam ex Petri ſenſu ab alio compoſitam, quam ab eo ſcriptam eſſe. Nunquam enim ſic loquutus fuiſſet Petrus: ſed mihi ſufficit teſtem habere tum doctrinæ ipſius, tum voluntatis, qui nihil proferat diſſentaneum ab iis quæ dicturus erat ipſe.

16. *In quibus ſunt quædam.*] Hoc relativum *Epiſtolis* non convenit: eſt enim neutrum apud Græcos. Senſus eſt, In his rebus quarum meminit, obſcuritatem interdum ſubeſſe, ex qua occaſionem indocti arripiant in ſuum exitium errandi. Quibus verbis monemur, ſobrie in his rebus tam altis & obſcuris philoſophandum eſſe: deinde adverſus hoc genus ſcandali erigimur, ne ſtultæ vel abſurdæ quorundam ſpeculationes nos perturbent, quibus implicant ac contorquent ſimplicem doctrinam quæ ædificationi ſervire debuerat. Notemus autem non arceri nos à lectione Epiſtolarum Pauli, quod nonnulla contineant ardua & intellectu difficilia: ſed potius nobis commendari, modo ſedatam mentem ac docilem afferamus. Leves enim ac volaticos homines damnat Petrus, qui præpoſtere in exitium ſuum detorquent quæ ſunt omnibus utilia. Imo hoc generaliter in tota Scriptura fieri dicit: neque tamen inde colligit, abſtinendum ab ea eſſe, ſed tantum corrigenda eſſe vitia docet quæ profectum impediunt: neque id modo, ſed etiam lethale nobis reddunt quod Deus in ſalutem noſtram deſtinavit. Quæritur tamen unde iſta obſcuritas: nam Scriptura inſtar lampadis nobis refulget, certoque greſſus noſtros dirigit. Reſpondeo, nihil eſſe mirum ſi regni Chriſti myſteriis obſcuritatem Petrus attribuat: præſertim ſi reputemus quantum ſint à ſenſu carnis abſcondita: modum tamen docendi quem tenet Deus, ſic temperatum eſſe, ut conſpicuam illic lucem habeant quicunque Spiritum ſanctum vitæ ducem ſequi non recuſant. Multi interea cæci ſunt qui impingunt in ipſo meridie. Alii ſuperbi qui per devia vagantes, & quamlibet ardua transvolantes, ſe præcipitant.

17. *Vos igitur, dilecti.*] Poſtquam fidelibus oſtendit pericula à quibus cavendum erat, nunc concludit, ut moniti ſapiant. Sed vigilantia opus eſſe docet ne opprimantur. Et certe hoſtis noſtri vafrities, tot ac tam multiplices inſidiæ quibus nos adoritur, impiorum hominum captiones, nullum ſecuritati locum relinquunt: ergo agendæ ſunt excubiæ, ne ad nos circumveniendos prævaleant Satanæ & impiorum fraudes. Videtur tamen in lubrico locare, & quaſi de filo ſuſpendere ſalutis noſtræ certitudinem, quum fidelibus cavendum denunciat ne à ſua firmitate excidant. Quid autem nobis fiet, ſi cadendi periculo ſubjacemus? Reſpondeo, hanc exhortationem & ſimiles minime huc ſpectare, ut nobis fidei ſecuritatem excutiant quæ in Deum recumbit, ſed ut carnis noſtræ deſidiam corrigant. Qua de re ſiquis plura deſideret, petat ex decimo prioris ad Corinth. cap. Summa hæc eſt, quamdiu carne ſumus circumdati, urgendam eſſe noſtram tarditatem: idque apte fieri quum & noſtra infirmitas, & diſcriminum, quæ nos circumſtat, varietas nobis ponuntur ante oculos: cæterum hinc minime labefactari fiduciam quæ Dei promiſſionibus inſiſtit.

18. *Creſcite autem in gratia.*] Ad profectum etiam hortatur: quia hæc unica eſt perſeverandi ratio, ſi aſſidue progredimur, nec reſides ſubſiſtimus in medio itinere: acſi diceret tutos fore qui in dies proficere ſtudent. Nomen Gratiæ generaliter pro ſpiritualibus donis accipio quæ per Chriſtum conſequimur. Sed quoniam pro fidei menſura bonorum Chriſti ſumus participes, gratiæ ſubjicitur cognitio, acſi dixiſſet, prout creſcet fides, ſequutura ſimul eſſe gratiæ augmenta. *Ipſi gloria* &c. Inſigne elogium ad divinitatem Chriſti comprobandam: neque enim hoc niſi ſoli Deo convenit. Huc pertinet adverbium præſentis temporis *nunc*, ne Chriſtum, quamdiu in mundi militia verſamur, fraudemus ſua gloria. Addit mox, *in diem æternitatis*, ut jam nunc animis concipiamus æternum ejus regnum, quod plenam ejus gloriam nobis patefaciet.

IN EPISTOLAM PRIMAM JOANNIS

ARGUMENTUM.

HÆc Epiſtola prorſus digna eſt ejus diſcipuli ſpirito, qui præ aliis ideo dilectus à Chriſto fuit, ut ipſum nobis familiarem redderet. Porro doctrinam exhortationibus miſtam continet. Differit enim de æterna Chriſti Deitate, ſimul & incomparabili, quam mundo patefactus ſecum attulit, gratia: tum de omnibus in genere beneficiis: ac præſertim inæſtimabilem Divinæ adoptionis gratiam commendat atque extollit. Inde ſumit exhortandi materiam: & nunc quidem in genere pie & ſancte vivendum admonet: nunc de charitate nominatim præcipit. Verum nihil horum continua ſerie facit. nam ſparſim docendo & exhortando varius eſt: præſertim vero multus eſt in urgenda fraterna dilectione. Alia quoque breviter attingit: ut de cavendis impoſtoribus, & ſimilia. Verum ſingula obſervari ſuis locis poterunt.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM PRIMAM JOANNIS.

CAPUT PRIMUM.

QUod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod intuiti ſumus, quod manus noſtræ contrectaverunt de Sermone vitæ.

2. Et vita manifeſtata eſt: & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifeſtata eſt nobis.

INitio proponit exbibitam nobis fuiſſe in Chriſto vitam: quod ut eſt boonm incomparabile, ita ſenſus omnes noſtros miro ſui deſiderio & amore rapere & inflammare debet. Paucis quidem & ſimplicibus verbis hoc dictum eſt, vitam eſſe manifeſtatam: verum ſi reputamus quam miſera & horrenda ſit mortis conditio: rurſum quid Dei regnum & immortalis ejus gloria valeant: aliquid hic magnificeotius ſentiemus, quam ullis verbis exprimi queat. Ergo hoc conſilium eſt Apoſtob, propoſito ingenti bono, imo ſumma & uoica beatitudine, quam nobis io Filio ſuo Deus contulit, animos noſtros ſurſum attollere: ſed quia rei magnitudo poſtulabat ut certa eſſet ac comprobata veritas, hac in parte multum inſiſtit. Nam iſta omoia, *quod vidimus, quod audivimus, quod ſumus intuits*, &c. ad ſanciendam Eoangelii fidem valent. Nec vero tantum aſſeverandi ſtudium fruſtra adhibet: quum in Euangelio ſalus noſtra conſiſtat, res pluſquam neceſſaria eſt certitudo. nos vero quam ſimus ad credendum diſficiles, propria experientia plus nimio quiſque noſtrum agnoſcit. Credere appello, non leviter opinari, aut aſſentiendo taotum probare quod dicunt: ſed firma indubiaque perſuaſione amplecti, ut audeamus tanqusm compertæ veritati ſubſcribere. Hac ratione tam mulia in Euangelii confirmationem hic Apoſtolus congerit.

1. *Quod erat ab initio.*] Quoniam abrupta eſt & confuſa oratio, ut ſenſus reddatur clarior, ita verba reſolvere oportet, Nos verbum vitæ, quod erat ab initio, & nobis vere modis omnibus teſtatum fuit, vobis annunciamus, ut vita in eo manifeſtata fuerit. Vel ſi aliter mavis, Quicquid de verbo vitæ aonunciemus vobis, ab initio erat, & nobis palam oſtenſum fuit: quia vita in co manifeſtata eſt. Cæterum particula hæc, *Quod erat ab initio*, ad Chriſti Divinitatem proculdubio refertur. Neque enim ab initio erat Deus in carne manifeſtatus: ſed is qui ſemper vita fuit, & æternus Dei Sermo, in plenitudine temporum homo apparuit. Rurſum quæ ſequuntur de intuitu & palpatione manuum, magis ad humanam naturam ſpectant. Verum quia duæ naturæ perſonam unam conſtituunt, & unus eſt Chriſtus, qui à Patre prodiit ut carnem noſtram indueret, merito Apoſtolus eundem & ſemper fuiſſe inviſibilem, & poſtea viſum eſſe, communiter prædicat. Quo refellitur puridum Serveti cavillum, unam eſſe Deitatis naturam & eſſentiam cum carne: adeoque Verbum in carnem transformatum, quia ille Sermo vivificus in carne viſus fuerit. Meminerimus ergo banc aſſeri Euangelii doctrinam, quod is qui in carne vere ſe Filium Dei eſſe probavit, ac pro Filio Dei agnitus, ſemper iovisibilis fuerit Dei Sermo. neque enim mundi initium hic deſignat, ſed altius conſcendit. *Quod audivimus, quod vidimus.* Non rumoris fuit hic auditus, cui parum fidei haberi ſolet: ſed intelligit Joannes, ſe de iis quæ docuit, prius fuiſſe à Magiſtro probe edoctum, ut nihil temere io medium protulerit. Et certe nemo erit io Eccleſia idoneus doctor, qui oon Filii Dei ante fuerit diſcipulus, ac recte inſtitutus in ejus ſchola: quando ſola ejus auctoritas valere debet. Quod dicit ſe *oculis vidiſſe*, non eſt pleonaſmus, ſed major expreſſio amplificationis cauſa. Imo non contentus ſimplici aſpectu, addit, *Contemplati ſumus*, & manus noſtræ palparunt. Quibus verbis teſtatur nihil ſe docuiſſe quod non ſolide perſpectum habuerit. Videtur tamen ad præſeotem cauſam parum valere ſeoſuum approbatio. neque enim vel oculis vel manibus comprehendi potuit virtus Chriſti. Reſpondeo, hic idem dici quod primo Euangelii capite, Vidimus gloriam ejus, gloriam unigenito Dei Filio dignam. Neque enim ab externa corporis figura agnitus fuit Dei Filius: ſed ex eo quod illuſtria divinæ ſuæ poteotiæ documenta edidit: ita ut in eo, tanquam viva & expreſſa imagine, refulſerit Patris majeſtas. Quum verba ſint pluralis numeri, & res Apoſtolis omnibus peræque conveniat, libenter de illis interpretor: præſertim quia de teſtimonii auctoritate agitur. Cæterum non minus frivola (ut nuper attigi) quam pudenda eſt Serveti improbitas, qui bæc verba urget, quo probet Seroionem Dei ſuiſſe viſibilem ac palpabilem. Impie duplicem in Chriſto naturam vel deſtruit, vel miſcet. figmentum itaque neſcio quod comminiſcitur, Chriſti humanitatem ſic deificans, ut veritatem naturæ humanæ prorſus illi adimat, negans interea alia ratione Chriſtum eſſe Dei Filium, niſi quia ex matre conceptus eſt Spiritus ſancti virtute, & propriam illi ſubſiſtentiam in Deo auferens. Unde ſequitur, neque Deum eſſe, neque hominem: licet videatur confuſam ex utroque maſſam conflare. Verum quoniam nobis indubia eſt mens Apoſtoli, canem illum omittamus. *De Sermone vitæ.* Genitivus loco epitheti capitur pro Vivifico: quia (ut primo Euangelii capite docet) In ipſo vita erat. Quanquam titulus bic in Filium Dei duplici jure competit: & quod vitam effuderit in omnes creaturas, & quod nunc vitam in nobis reparet, quæ per Adæ peccatum extincta perierat. Quin etiam ipſum quoque Sermonis oomen bifariam poteſt exponi:

Digitized by Google

exponi: vel de Chriſto, vel de Euangelii doctrina: nam & per hanc ſalus nobis affertur. Cæterum quia ejus ſubſtantia eſt Chriſtus: neque aliud continet, quam hominibus tandem fuiſſe patefactum, qui ſemper fuerat apud Patrem: mihi ſimplicior & magis genuina videtur prior expoſitio. Porro Sermonem vocari ſapientiam in Deo reſidentem, melius ex Euangelio conſtat.

2. *Et vita manifeſtata eſt.*] Copula explicationis vice hic ponitur. acſi diceret, Nos de Sermone vivifico teſtimonium reddimus, quemadmodum manifeſtata fuerit vita. Quanquam poteſt adhuc duplex eſſe ſenſus: vel quod exhibitus fuerit Chriſtus, qui vita eſt ac fons vitæ: vel quod vita nobis in Chriſto fuerit palam oblata. Hoc quidem poſterius neceſſario ſequitur ex priore. Quantum tamen ad verborum ſignificationem, differunt inter ſe hæc duo, ut cauſa & effectus. Ubi ſecundo repetit, *Annunciamus vitam æternam*, non dubito quin de effectu loquatur. nempe quod annunciet, beneficio Chriſti partam nobis eſſe vitam. Unde colligimus, non poſſe Chriſtum nobis prædicari, quin aperiatur nobis regnum cæleſte, ut à morte excitati, vivamus Dei vitam. *Quæ erat apud Patrem.* Hoc verum eſt, non tantum ex quo conditus fuit mundus, ſed etiam ab ultima æternitate. ſemper enim Deus, vitæ fons fuit. Vis autem & facultas vivificandi penes æternam ejus Sapientiam fuit: ſed eam actu non exercebat ante mundi creationem. ex quo autem Deus Sermonem proferre cœpit, vis illa quæ prius abſcondita latebat, ſeſe in creaturas diffudit. Jam hæc aliqua fuit manifeſtatio. ſed Apoſtolus alio reſpicit, nempe quod tunc demum manifeſtata fuerit vita in Chriſto, quum ipſe carne noſtra indutus, partes redemptionis implevit. Tametſi enim ejuſdem vitæ Patres, etiam ſub Lege, ſocii ac conſortes fuerunt: ſcimus tamen ſub ſpe, quæ revelanda erat, fuiſſe concluſos. Neceſſe illis erat, vitam à morte & reſurrectione Chriſti petere: atqui res erat non ſolum procul remota ab oculis, ſed mentibus etiam abſcondita: pendebant igitur à ſpe revelationis, quæ ſuo demum tempore ſubſequuta eſt. Non poterant quidem vitam obtinere, niſi ſibi aliquo modo manifeſtatam. ſed inter nos & illos magnum eſt diſcrimen: quia quem ipſi obſcure ſibi promiſſum in figuris quærebant, nos jam exhibitum quaſi manibus tenemus. Cæterum conſilium Apoſtoli eſt, tollere opinionem novitatis, quæ minuere Euangelii dignitatem poterat. qua ratione dicit, non cœpiſſe nunc demum vitam, utcunque nuper apparuerit: quia perpetuo fuit apud Patrem.

3. Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis: ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio Jeſu Chriſto.

4. Et hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit completum.

5. Et hæc eſt promiſſio quam annunciamus vobis, quod Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.

6. Si dixerimus quod ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

7. Si autem in luce ambulamus, ſicut ipſe in luce eſt, ſocietatem habemus inter nos mutuam: & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.

3. *Quod vidimus.*] Jam tertio repetit illud ſuum Vidiſſe & audiſſe, ne quid deſit ad ſolidam ſuæ doctrinæ certitudinem. Atque id diligenter notandum eſt, delectos eſſe à Chriſto Euangelii præcones, qui idonei ac fidi eorum omnium quæ dicturi erant, teſtes eſſe poſſent. Simul etiam de animi ſui affectu teſtatur: quia non alia ratione moveri ſe dicit ad ſcribendum, niſi ut eos quibus ſcribit, ad ſocietatem inæſtimabilis boni invitet. unde patet quantam habet ſalutis ipſorum curam. Quod ad conciliandam fidem non parum valet: nimis enim ingrati ſumus, ſi eum recuſamus audire, qui felicitatis, quam adeptus eſt, partem communicare nobiſcum optat. Fructum deinde exprimit qui ex Euangelio percipitur: nempe ut conjuncti ſimus Deo & Filio ejus Chriſto: in quo ſummum bonum conſiſtit. Hoc ſecundum membrum addi oportuit, non modo ut pretioſam & amabilem redderet Euangelii doctrinam: ſed etiam ut oſtenderet, non in alium finem eos ſibi cupere ſocios, niſi ut Deo adduceret, atque ita omnes in ipſo unum eſſent. Nam habent improbi quoque mutuam inter ſe conjunctionem, ſed extra Deum: imo ut ſe à Deo magis ac magis alieneor: quod malorum omnium extremum eſt. Hæc vero (ſicuti jam dictum eſt) unica noſtra eſt beatitudo, à Deo recipi in gratiam, ut vere illi in Chriſto uniti ſimus: de qua Joan. 17. capit. In ſumma, pronunciat Joannes, quemadmodum adoptati ſunt à Chriſto Apoſtoli in fratres, ut collecti in unum corpus, Deo ſimul adhæreant: ita ſe hoc cum reliquis collegis agere, ut ſacræ hujus ac beatæ unitatis multi ſint conſortes.

4. *Ut gaudium veſtrum.*] Nomine Pleni gaudii melius integram & perfectam beatitudinem exprimit, quam ex Euangelio conſequimur. ſimul admonet fideles ubinam defixos habere debeant omnes
Matth. 6. verſ. 21. ſuos affectus. Verum eſt proverbium illud, Ubi eſt theſaurus noſter, ibi eſſe cor noſtrum. Quiſquis ergo vere percipit quid valeat illa cum Deo ſocietas, hac una abunde contentus eſt, nec amplius variis deſideriis æſtuat. Dominus calix meus (inquit David) & Pſal 16. verſ. 5.
hæreditas mea. Funes mihi ceciderunt in præclaram ſortem. Eodem modo Paulus ſibi omnia pro ſtercoribus eſſe prædicat, ut poſſideat unum Chriſtum. Philip. 3. verſ. 8.
Quare is demum in Euangelio profecit, qui ſe Dei communicatione beatum exiſtimans, in ea ſola acquieſcit: ſicque eam præfert toti mundo, ut ejus cauſa omnia relinquere ſit paratus.

5. *Et hæc eſt promiſſio.*] Non minus probo quod reddidit vetus interpres, Hæc eſt annunciatio. quamvis enim ἐπαγγελία Græcis promiſſionem ſæpius ſignificet: quia tamen generaliter hic loquitur Joannes de teſtimonio cujus paulo ante meminit, videtur contextus potius exigere alterum illum ſenſum: niſi forte ſic reſolvas, Promiſſio quam vobis afferimus, hoc ſecum trahit, vel hanc conditionem habet annexam. Hoc modo nobis conſtabit mens Apoſtoli. Neque enim hic vult complecti totam Euangelii doctrinam: ſed oſtendit hoc requiri, ſi Chriſto & ejus bonis frui volumus, ut Deo ſimus in juſtitia & ſanctitate conformes. Quemadmodum & Paulus dicit ſecundo ad Titum capite, Apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus, ut abnegata impietate, & mundanis deſideriis, ſobrie & juſte & ſancte vivamus in hoc ſeculo. Niſi quod hic metaphorice in luce ambulandum eſſe docet, quia Deus lux eſt. Porro quum Deum nunc vocet *lucem*, nunc dicat *eſſe in luce*, non ſunt nimis urgendæ voces. Cur Satan vocetur Princeps tenebrarum, ſatis notum eſt: ergo quum Deus ex adverſo Pater lucis & Lux vocatur, primum intelligamus, nihil in eo eſſe niſi liquidum, purum & ſincerum: deinde qui ſuo fulgore ſic omnia illuſtrat, ut nihil vitioſum aut contortum, nullas maculas vel

ſordes, nullam hypocriſim vel fraudem latere patiatur. Proinde hæc ſumma eſt, Quum nulla ſit conſenſio inter lucem & tenebras, quamdiu in tenebris ambulamus nobis cum Deo eſſe diſſidium; illam ergo, cujus meminit, ſocietatem aliter non conſtare, quam ſi nos quoque puri & lucidi ſimus. *Tenebræ in eo non ſunt.* Hæc loquendi forma valde eſt Joanni familiaris, ut quod affirmavit, contraria negatione amplificet. Ergo ſenſus eſt, Deum ejuſmodi lucem eſſe, ut nullas tenebras admittat. unde ſequitur, eum odiſſe malam conſcientiam, pollutos ac perverſos mores, & quicquid tenebras ſapit.

6. *Si dixerimus.*] Eſt quidem argumentum à repugnantibus, dum alienos à Deo eſſe colligit qui in tenebris ambulant. pendet tamen hæc ſola doctrina ex altiore principio: nempe quod Deus ſuos ſanctificet. Neque enim nudum eſt præceptum quo ſanctam à nobis vitam exigat: ſed potius oſtendit, ad hoc quoque valere Chriſti gratiam, ut diſcuſſis tenebris, lucem Dei in nobis accendat. acſi diceret, Quod Deus ſe nobis communicat, non eſt inane figmentum: ſed neceſſe eſt ut vis & effectus hujus ſocietatis in vita reluceat: alioqui mendax erit Euangelii profeſſio. Quod addit, *non facimus veritatem*, perinde valet acſi dixiſſet, Non agimus veraciter, Non colimus verum & rectum. Eſt autem phraſis illa, quam prius annotavi eſſe illi in frequenti uſu.

7. *Si autem in luce ambulamus.*] Nunc dicit certum hoc eſſe ſymbolum noſtræ cum Deo conjunctionis, ſi illi ſimus conformes. non quod vitæ puritas Deum nobis conciliet tanquam prior cauſa: ſed intelligit Apoſtolus ab effectu conſtare nos Deo eſſe unitos, ſi ejus puritas in nobis luceat. Et ſane ita ſe res habet, quocunque accedit Deus, ſic ejus ſanctitate omnia perfundi, ut ſordes omnes abſtergat: extra eum vero nihil præter immunditiem & tenebras nos habere. Hinc patet, neminem recte vivere, quin ſimul Deo adhæreat. Quod dicit, *ſocietatem eſſe nobis mutuam*, non ſimpliciter ad homines refertur: ſed Deum in una parte, nos autem in altera ſtatuit. Quæri tamen poteſt quiſnam hominum lucem Dei ſic exprimere poſſit in ſua vita, ut extet iſta ſimilitudo quam requirit Joannes. nam hoc modo neceſſe foret tenebris omnino purum eſſe ac vacuum. Reſpondeo, hujus generis loqutiones ad captum hominum attemperandas eſſe. itaque ſimilis Deo eſſe dicitur, qui ad ejus ſimilitudinem aſpirat, utcunque longe ab ea adhuc abſit. Non aliunde petendum eſt exemplum, quam ex præſenti loco. In tenebris ambulat, quiſquis non regitur timore Dei, nec pura conſcientia hunc finem ſpectat, ut ſe Deo totum addicens, ejus gloriam promovere ſtudeat. Ergo ex adverſo, qui ſincero cordis affectu vitam ſuam omneſque ejus partes exigens ad Dei timorem & obſequium, pure illum colit, etiamſi in multis delinquat, gematque ſub carnis onere, in luce ambulare cenſetur, quia rectam viam tenet. Sola igitur eſt conſcientiæ integritas, quæ lucem à tenebris diſcernit. *Et ſanguis Jeſu Chriſti.* Poſtquam docuit quale ſit noſtræ cum Deo unitatis vinculum, fructum quoque inde manantem demonſtrat: nempe quod tunc gratuito nobis remittuntur peccata. Hæc autem eſt illa beatitudo, quam David Pſalm. 32. deſcribit: ut ſciamus nos eſſe miſerrimos, donec Spiritu Dei regeniti, puro corde illi ſerviamus. Quid enim miſerius homine fingi poteſt, quem Deus odio & abominationi habet, cujus capiti ſimul cum ira Dei incumbit mors æterna? Inſignis eſt hic locus, ex quo primum diſcimus, tunc ad nos proprie pertinere expiationem Chriſti morte partam, quum juſtitiam recto cordis affectu colimus. Neque enim redemptor eſt Chriſtus, niſi iis qui ab iniquitate converſi, novam vitam inſtituunt. Quare ſi Deum cupimus habere propitium, ut peccatis ignoſcat, non debemus ipſi nobis ignoſcere. Denique à pœnitentia non poteſt avelli peccatorum remiſſio, nec pax cum Deo poteſt eſſe conſcientiis ubi non regnat Dei timor. Docet ſecundo hic locus, gratuitam peccatorum veniam non ſemel tantum nobis dari, ſed hoc beneficium perpetuo in Eccleſia reſidere, & quotidie offerri fidelibus. Nam Apoſtolus hic alloquitur fideles: ut certe nemo unquam fuit, nec futurus eſt, qui poſſit aliter placere Deo, quum omnes ſint reatus obſtricti apud Deum. Qualecunque enim in nobis ſit recte agendi ſtudium, ſemper claudicando ad Deum tendimus. Porro quicquid dimidium eſt, laudem apud Deum non meretur. Interea novis ſubinde peccatis, quantum in nobis eſt, abdicamus nos à Dei gratia: ita fit ut quotidiana peccatorum remiſſione opus habeant ſancti omnes, quia hæc ſola in Dei familia nos retinet. Quum dicit, *ab omni peccato*, ſignificat multis nominibus coram Deo nos eſſe reos: ut certe nemo eſt qui non pluribus vitiis laboret. cæterum piis ac Deum timentibus nulla peccata obſtare docet quominus Deo placeant. Modum etiam impetrandæ veniæ, & purgationis cauſam demonſtrat: nempe quia peccata noſtra Chriſtus ſanguine ſuo expiavit. ſed pios omnes indubie hujus purgationis fore participes affirmat. Hæc tota pars doctrinæ impie corrupta fuit à ſophiſtis: gratuitam enim peccatorum veniam nobis tantum in Baptiſmo dari fingunt. Illic ſolum Chriſti ſanguinem valere fatentur: ſed à Baptiſmo non aliter nos Deo reconciliari tradunt, quam per ſatisfactiones. Relinquunt & hic quidem ſanguini Chriſti partem aliquam. ſed quum operibus vel ex minima parte laudem aſſignant, munus expiandi peccata Deumque placandi prorſus evertunt, quod hic dicit Joannes. Nunquam enim hæc inter ſe convenient, mundari nos Chriſti ſanguine, & opera eſſe ablutiones: quia Joannes non dimidium hic, ſed totum Chriſti ſanguini aſſignat. Hæc igitur ſumma eſt, ut certo ſtatuant fideles ſe acceptos eſſe Deo, quia ſacrificio mortis Chriſti illis placatus eſt. Sacrificium vero, purgationem & ſatisfactionem ſub ſe continet: quare horum omnium vis & effectus in ſolum Chriſti ſanguinem competit. Quo refellitur ſacrilegum Papiſtarum commentum de indulgentiis. nam quaſi non ſufficiat Chriſti ſanguis, Martyrum quoque ſanguinem & merita in ſubſidium advocant. Quanquam hæc blaſphemia apud eos longius patet. nam quum ſuas claves, quibus remiſſionem peccatorum incluſam tenent, partim ex Martyrum ſanguine & meritis, partim ex ſupererogationis operibus, quibus ſe quiſque peccator redimit, conflatas eſſe dicant: nulla illis manet peccatorum remiſſio quæ non ſanguini Chriſti deroget. Nam ſi locum habeat eorum doctrina, non purgabit nos Chriſti ſanguis, ſed tanquam adminiculum partiale concurret. Hoc etiam modo pendebunt conſcientiæ, quas hic in ſola fiducia conſiſtere Apoſtolus jubet.

8. Si dixerimus quod peccatum non habemus, noſipſos decipimus, & veritas non eſt in nobis.

9. Si confitemur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut nobis peccata remittat, & purget nos ab omni injuſtitia.

10. Si dixerimus quod non peccavimus, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis.

8. *Si dixerimus.*] Jam à neceſſitate commendat gratiam illam. quia enim à peccato nemo eſt immunis, nos omnes perditos eſſe ac deſperatos ſignificat, niſi Dominus nobis ſuccurrat veniæ remedio. Hæc ratio eſt cur tantopere urgeat, neminem eſſe innoxium: quo melius ſciant omnes, indigere ſe miſericordia, quæ ipſos ab exilio liberet: atque ita magis ad obtinendum hoc neceſſarium bonum incitentur. Nomine *peccati* non tantum prava & vitioſa inclinatio hic notatur: ſed culpa, quæ vere nos efficit reos coram Deo. Porro qoum ſit univerſalis ſententia, ſequitur, neminem ſanctorum qui ſunt, fuerunt, vel futuri ſunt, eximi ab hoc numero. Quare appoſite Auguſtinus hoc teſtimonio Pelagianorum cavillum refellit: prudenter etiam expendit non exigi reatus confuſionem humilitatis cauſa, ſed ne mentiendo nos fallamus. Quum addit, *veritas non eſt in nobis*, ſuo more priorem ſententiam iterando confirmat. quanquam non eſt ſimplax iteratio (ut alibi) ſed eos falli dicit, qui in mendacio glorientur.

9. *Si confitemur.*] Iterum fidelibus promittit propitium illis Deum fore, modo ſe peccatores agnoſcant. Magni intereſt, ut certo perſuaſi ſimus, promptam paratamque nobis eſſe cum Deo reconciliationem, ubi peccavimus: alioqui ſemper infernum in nobis incluſum ferimus. Pauci hoc quidem expendunt, quam miſera & infelix ſit conſcientiæ vacillatio: ſed ita res habet, infernum regnare ubi non eſt pax cum Deo. Quo magis amplecti toto animo hanc promiſſionem decet, quæ certam omnibus peccata ſua confitentibus veniam offert. Porro hanc in Dei fide & juſtitia fundatam eſſa docet: quia Deus qui promiſit, verax eſt ac rectus. Nam qui *juſtum* vocari putant quia nos gratis juſtificet, nimium argute (meo judicio) philoſophantur. Juſtitia enim hæc è fide pendet, utraque vero promiſſioni annexa eſt. Poſſet enim alioqui juſtus eſſe Deus, & tamen ſummo jure nobiſcum agere: ſed quia ſe verbo ſuo nobis conſtrinxit, juſtus cenſeri non vult, niſi ignoſcat. Cæterum confeſſio hæc quum ad Deum referatur, ſincerum cordis affectum requirit: cor autem loqui Deo non poteſt abſque vitæ novitate. ergo varam in ſe pœnitentiam continet. Gratuito quidem remittit Deus, ſed ita, ut miſericordiæ facilitas non ſit illecebra peccandi. *Purget nos.* Purgandi verbum videtur alio ſenſu capere quam prius. Nam Chriſti ſanguine purgari nos dicebat, quia ejus beneficio peccata non imputantur. nunc vero poſtquam de venia loquutus eſt, addit etiam, Deum nos purgare ab injuſtitia: ut hoc ſecundum membrum diverſum ſit à priore. Ita duplicem ex confeſſione fructum ad nos redire ſignificat: quod Deus Chriſti ſacrificio placatus, nobis ignoſcit, & quod nos corrigit ac reformat. Si quis objiciat, nunquam, dum in mundo peregrinamur, ab omni injuſtitia nos purgari. quantum ad reformationem ſpectat, verum id quidem eſt: ſed Joannes non docet quid Deus nunc perficiat in nobis. Fidelis eſt, inquit, ut nos mundet: non hodie ſcilicet, nec cras. nam quamdiu carne circumdati ſumus, nos in continuo profectu eſſe oportet: ſed quod ſemel cœpit, quotidie pergit facere, donec tandem abſolvat. Sic Paulus dicit, nos electos eſſe, ut irreprehenſibiles *Coloſ. 1.*
appareamus coram Deo. Et alibi, Mundatam eſſe *verſ. 22.*
Eccleſiam, ut ſit abſque omni ruga & macula. Quan- *Epheſ. 5.*
quam ſi quis præſentem locum ſecus interpretari ma- *verſ. 27.*
lit, quaſi idem bis dicat, liberum id relinquo.

10. *Mendacem facimus.*] Ultra progreditur, quod Deum blaſphement qui ſibi puritatem arrogant. Videmus enim ut paſſim totum genus humanum peccati damnet. quare bellum cum Deo ſuſcipit quiſquis effugere tentat hanc damnationem: ipſumque arguit mendacii, quaſi immeritos premat. Confirmationis cauſa addit, *ſermonem Dei non eſſe in nobis*: acſi diceret nos tantam ejus doctrinam rejicere, quæ ſub reatu omnes includit. Unde colligimus, nos tunc demum rite profeciſſe in verbo Domini, dum vere humiliati ſumus: ut gementes ſub vitiorum onere, confugere diſcamus ad Dei miſericordiam, nec alibi quam in paterna Dei indulgentia acquieſcamus.

CAP II.

FIlioli mei, hæc ſcribo vobis ut non peccetis: quod ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.

2. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem ſolum, ſed etiam pro totius mundi.

1. *Filioli mei.*] Eſt hæc non modo ἀνακεφαλαίωσις ſuperioris doctrinæ, ſed totius fere Euangelii ſumma, ut abſtineamus à peccatis: & tamen quia ſemper obnoxii ſumus Dei judicio, certi ſumus Chriſtum cum ſacrificio mortis ſuæ intercedere, ut Patrem nobis propitiet. Interea occupatione etiam utitur, nequis putet eum peccandi licentiam dare, quum de miſericordia Dei concionatur, & eam docet nobis omnibus eſſe expoſitam. Duas ergo Euangelii partes ſimul conjungit, quas ſeparando, præpoſteri homines illud lacerant ac mutilant. Præterea ſemper doctrina gratiæ, obnoxia fuit improborum calumniis. Quum proponitur in Chriſto peccatorum expiatio, peccandi licentiam concedi jactant. His malis ut occurrat Apoſtolus, primo teſtatur hunc eſſe doctrinæ ſuæ finem, ut homines peccare deſinant. Nam quum dicit, *ut non peccetis*, hoc tantum vult, ut pro humanæ infirmitatis modo abſtineant à peccatis. Atque huc ſpectat quod jam tractavi de ſocietate cum Deo, ut conformes illi ſimus. Interea tamen de gratuita peccatorum remiſſione non tacet: quia etiamſi cælum ruere, & omnia miſceri debeant, hæc pars doctrinæ nunquam omittenda: quin potius clare & diſerte prædicandum aſt Chriſti officium. Sic etiam hodie nos agere decet. quia proclivis eſt caro ad laſciviam, ſedulo monendi ſunt homines, juſtitiam & ſalutem morte Chriſti ideo partam eſſe, ut ſimus ſacrum Dei peculium. Utcunque tamen multos Dei miſericordia proterve abuti contingat, multi etiam canes calumnioſe nos traducant, quaſi vitiis frena laxemus: fortiter in aſſerenda Chriſti gratia pergendum eſt, in qua maxime Dei gloria refulget, totaque hominum ſalus conſiſtit. Spernendi ſunt, inquam, iſti impiorum latratus, quibus impetitos videmus fuiſſe Apoſtolos. Hac de cauſa ſecundum membrum mox ſubjicit, *Advocatum* nobis eſſe, ubi peccavimus. Quibus verbis confirmat quod jam prius habuimus, Quia longe abſumus à perfecta juſtitia, imo quotidie reatum nobis accerſimus: eſſe ſimul in promptu remedium Deo placando, ſi ad Chriſtum confugimus. Atque hoc ſolum eſt, in quo acquieſcere poſſunt conſcientiæ, in quo continetur hominum juſtitia, in quo fundata eſt ſpes ſalutis. Conditionalis particula *ſi quis*, debet in cauſalem reſolvi: nam fieri non poteſt quin peccemus. Denique ſignificat Joannes, non modo nos revocari à peccatis per Euangelium, quia illic nos ad ſe Deus invitat, & Spiritum regenerationis offert: ſed etiam conſuli miſeris peccatoribus ut Deum ſemper propitium habeant: nec peccata, quibus obſtricti tenentur, obſtare quominus juſti ſint, quia mediatorem habent qui ipſos Deo reconciliet. Porro dum oſtendere vult

quomodo redeamus cum Deo in gratiam, dicit Chriſtum eſſe nobis *Advocatum*. nam in boc apparet coram facie Dei, ut ſacrificii ſui vim & efficaciam erga nos exerat. Quo ocelius boc poſſit intelligi, craſſius loquar. Interceſſio Chriſti, continua eſt mortis ejus applicatio in ſalutem noſtram. quod ergo Deus peccata nobis non imputat, hoc fit quia Chriſtum deprecatorem reſpicit. Cæterum duo tituli quibus poſtea Chriſtum inſignit, proprie ad circumſtantiam hujus loci ſpectant. Vocat *juſtum* & *propitiationem*. utroque præditum eſſe oportet, ut muous perſonamque Advocati ſuſtineat. Quis enim peccator nobis Dei gratiam conciliet? Nam ideo arcemur omnes ab acceſſu, quia nemo purus eſt ac vacuus à peccato: nemo itaque idoneus Pontifex, niſi innoceos & à peccatoribus ſegregatus. quemadmodum etiam habetur Hebræor. 7. v. 26. Additur *propitiatio*, quia nemo abſque ſacrificio idoneus elt Pontifex. Itaque ſub Lege nunquam ſanctuarium ingrediebatur ſacerdos, niſi præeunte ſanguine: & victima io precibus, quaſi ſolenne ſigillum, ſolebat ax Dei inſtituto adhiberi. Quo ſymbolo teſtatum eſſe Deus voluit, ut quis gratiam nobis impetret, oportere inſtructum eſſe ſacrificio. Nam ubi offenſus eſt Deus, ad ipſum placandum ſatisfactioois pretium exigitur. Hinc ſequitur, opus habere Advocato ſanctos omnes qui fuerunt ac futuri ſunt: neminem vero præter Chriſtum huic muneri obeuodo parem eſſe. Et certe nominatim duo hæc epitheta adſcribit Joaones Chriſto, ut unicum eſſe Advocatum oſteoderet. Sicuti autem eximia inde conſolatio ad nos redit, quum audimus Chriſtum non ſemel modo eſſe mortuum, ut nobis Patrem placatet: ſed aſſidue intercedere pro nobis, ut aditus oobis in ejus nomine ad Deum pateat, ut preces noſtræ exaudiantur: ita ſummopere cavendum ne bonor qui illi proprius eſt, alio transferatur. Atqui ſcimus in Papatu promiſcue Sanctis attributum fuiſſe hoc munus. Nunc ſunt anni triginta, quum hoc tam inſigne fidei noſtræ caput fere ſepultum erat, Chriſtum eſſe Advocatum. Hodie fatentut unum quidem eſſe ex multis, ſed non ſolum. Qui inter Papiſtas paulo plus habeot verecundiæ, nun negant Chriſtum eminere: ſed poſtea ingentem comitum turbam illi aſſociant. Atqui verba clare ſonant, non poſſe Advocatum eſſe qui non ſit idem Sacerdos. ſacerdotium porro nonniſi in Chriſtum ſolum competit. Iotereà non tollimus mutuas ſanctorum interceſſiones, quibus inter ſe charitatem exercent: ſed hoc nihil ad mortuos qui ex hominum contubernio migrarunt: nihil etiam ad ea patrocinia quæ ſibi confingunt, ne ſint unius Chriſti clientes. Nam tametſi fratres orant pro fratribus, unum tamen patrooum omnes ſine exceptione reſpiciunt. Dubium itaque non eſt quin totidem Chriſto idola opponant Papiſtæ, quot ſibi patronos comminiſcuntur. Obiter vero ootandum eſt, nimis craſſe errare eos qui Patris genibus Chriſtum advolvunt, ut pro nobis oret. Tollendæ ſunt ejuſmodi imaginationes, quæ cæleſti Chriſti gloriæ derogant: ac retinenda ſimplex doctrina, fructum moris ejus recentem ac perpetuum nobis conſtare, quod ſua interceſſione Deum nobis propitiet, preceſque noſtras tam ſacrificii ſui odore ſanctificet, quam patrocinii favore adjuvet.

2. *Non pro noſtris ſolum.*] Amplificationis cauſa hoc addidit, ut certo perſuaſi ſint fideler, expiationem à Chriſto partam, ad omnes extendi qui Euangelium fide amplexi fuerint. Sed hic movetur quæſtio, quomodo mundi totius peccata expientur. Omitto phreneticorum deliria, qui hoc prætextu reprobos omnes, adeoque Satanam ipſum in ſalutem admittunt. tale portentum refutatione indignum eſt. Qui hanc abſurditatem volebant effugere, dixerunt, ſufficienter pro toto mundo paſſum eſſe Chriſtum: ſed pro electis tantum efficaciter. Vulgo hæc ſolutio in Scholis obtinuit. Ego quanquam verum eſſe illud dictum fateor: nego tamen præſenti loco quadrare. neque enim aliud fuit conſilium Joannis, quam toti Eccleſiæ commune facere hoc bonum. Ergo ſub omnibus, reprobos non comprehendit: ſed eos deſignat qui ſimul credituri erant, & qui per varias mundi plagas diſperſi erant. Tunc eoim vere, ut par eſt, illuſtratur Chriſti gratia, quum uoica eſſe mundi ſalus prædicatur.

3. Atque in hoc cognoſcimus quod cognovimus eum, ſi *præcepta ejus ſervamus.*

4. Qui dicit, Novi eum, & præcepta ejus *non ſervat, mendax eſt, & in eo veritas non* eſt:

5. Qui vero ſervat ejus ſermonem, vere in ipſo charitas Dei perfecta eſt. In hoc cognoſcimus quod in ipſo ſumus.

6. Qui dicit ſe in eo manere, debet, ſicuti ille ambulavit, ita & ipſe ambulare.

3. *Atque in hoc.*] Poſtquam doctrinam illam de gratuita peccatorum remiſſione tractavit, iterum ad exhortationes redit illi annexas, & quæ ab ea dependent. Ac primo quidem admonet, noo otioſam eſſe Dei notitiam, quæ ex Euangelio concipitur: ſed parere ex ſe obedientiam. Poſtea oſtendit quid maxime à nobis Deus flagitet, quid ſit in vita præcipuum: nempe ut Deum amemus. Quod de viva Dei cognitione hic legimus, non temere Scriptura paſſim repetit. Mundo enim nihil magis tritum eſt, quam pietatis doctrinam trahere ad frigidas ſpeculationes. In hunc modum à Sorbonicis Sophiſtis adulterata fuit theologia, ut ex tota eorum ſcientia ne minima quidem ſciotilla pietatis emicare queat. Et paſſim curioſi homines tantum diſcunt ex verbo Dei, quod garriant oſtentationis cauſa. Denique nimis vulgare hoc fuit ſeculis omnibus malum, nomen Dei fruſtra jactare. Sumit ergo Joannes hoc principium, quod Dei cognitio ſit efficax. Unde colligit, minime Deum cognoſcere, qui præcepta ejus non ſervant. Plato licet in tenebris palpitans, ſuum tamen illud Pulchrum, quod imaginatur, cognoſci poſſe negat, quin hominem rapiat in admirationem ſui: in Phædro, & aliis locis. Deum ergo qui fieri poteſt ut cognoſcas, & nullo affectu tangaris? Nec vero hoc tantum ex Dei natura manat, ut cognitum ſtatim amemus: ſed idem Spiritus qui mentes noſtras illuminat, inſpirat etiam cordibus conformem ſcientiæ affectum. Quanquam hoc ſecum fert Dei cognitio, ut eum timeamus & amemus. neque enim Dominum & Patrem, ut ſe oſtendit, poſſumus agnoſcere, quin præbeamus nos illi viciſſim morigeros filios, & ſervos obſequentes. Breviter, Euangelii doctrina vivum eſt ſpeculum, in quo Dei effigiem contemplantes, in eam transfiguramur: quemadmodum Paulus docet 2. ad Cor. 3. v. 18. Quare ubi non eſt pura conſcientia, nonniſi inane ſcientiæ ſpectrum eſſe poteſt. Notandus eſt hic ordo, quum dicit, *nos cognoſcere quod noverimus*: ſignificat enim, Dei obedientiam ſic conjunctam eſſe ſcientiæ, ut tamen hæc ordine ſit prior: ſicuti neceſſe eſt cauſam effectu ſuo eſſe ſuperiorem. *Si præcepta ejus.* Atqui nemo eſt qui omni ex parte ſervet: ita nulla eſſet Dei cognitio in mundo. Reſpondeo, Apoſtolum minime ſecum pugnare. quum ergo nuper omnes reos ſtatuerit coram Deo, non intelligit ſervare mandata, qui Legi penitus ſatisfaciant (quod exemplum nuſquam inveniri poteſt in mundo) ſed qui pro humanæ infirmitatis captu, vitam ſuam formare ſtudent ad Dei obſequium. Nam quoties de fidelium juſtitia Scriptura loquitur.

adeo,

adeo peccatorum remiſſionem non excludit, ut potius ab ea faciat exordium. Nec vero inde colligendum eſt, fidem in opera recumbere. tametſi enim ſuæ quiſque fidei teſtimonium habet ab operibus: non tamen ſequitur illic fundatam eſſe, quum poſterior hæc probatio inſtar ſigni accedat. Certitudo itaque fidei in ſola Chriſti gratia reſidet: ſed pietas & ſanctitas vitæ veram fidem à ficta & mortua Dei notitia diſcernit: quia hæc veritas eſt in Chriſto (ut ait Paulus) exuiſſe veterem hominem, &c. *Coloſſ. 3. verſ. 9.*

4. *Qui dicit, Novi eum.*] Unde probat mentiri, qui fidem jactant abſque pietate? nempe à contrario: quia jam illud poſuit, quod Dei cognitio res ſit efficax. Neque enim nuda imaginatione cognoſcitur Deus quum ſe intus cordibus noſtris per Spiritum patefacit. Cæterum quia multi hypocritæ fidei titulo fruſtra ſuperbiunt, tales mendacii damnat Apoſtolus. nam quod dicit, ſupervacuum foret, niſi per multorum ora volitaret falſa & inanis Chriſtianiſmi profeſſio.

5. *Qui vero ſervat.*] Nunc definit quænam vera ſit Legis Dei obſervatio, nempe Deum amare. Locus hic perperam (meo judicio) ab iis exponitur, qui intelligunt, vere Deo placere qui ſermonem ejus ſervat. Potius ſic reſolve, Diligere ſincero cordis affectu Deum, eſt mandata ejus ſervare. Breviter enim (ut jam admonui) indicare voluit quid à nobis Deus exigat, & in quo poſita ſit fidelium ſanctitas. Idem Moſes quoque dicebat, quum Legis ſummam colligeret, Nunc Iſraël, quid petit abs te Dominus, niſi ut timeas ipſum, & diligas, ambuleſque in præceptis ejus? Deuter. cap. 10. v. 12. Item cap. 30. v. 19. Elige vitam, nempe ut diligas Dominum Deum tuum, ſervias illi, & adhæreas, &c. Neque enim Lex, quæ ſpiritualis eſt, de externis tantum operibus præcipit: ſed hoc præcipue nobis commendat, ut Deum ex toto corde diligamus. Quod nulla hic ſit hominum mentio, pro abſurdo haberi non debet: continuo enim ex Dei amore fluit fraterna charitas, ut poſtea videbimus. Quiſquis itaque vitam ſuam Deo probare cupit, ad hunc ſcopum omnes ejus partes dirigat. Siquis objiciat, Neminem unquam fuiſſe repertum qui Deum ita perfecte diligeret: reſpondeo, ſufficere modo quiſque pro gratiæ ſibi datæ menſura, ad hanc perfectionem aſpiret. Interim conſtat definitio, quod perfectus Dei amor, ſit legitima ſermonis ejus obſervatio. In ea nos progredi, ſicut in notitia proficere decet. *Cognoſcimus quod in ipſo.* Redit ad illum Euangelii fructum cujus meminerat, nempe ſocietatem cum Deo & Filio ejus: atque ita confirmat ſuperiorem ſententiam à conſequentibus. Nam ſi Euangelii finis eſt ut Deo communicemus: communicatio autem nulla eſſe poteſt abſque amore: nemo rite in fide profecit niſi qui Deo ex corde adhæret.

6. *Qui dicit ſe in eo manere.*] Quemadmodum prius lucem Dei nobis in exemplar propoſuit: nunc quoque ad Chriſtum nos vocat, ut ejus ſimus imitatores. Quanquam non ſimpliciter hortatur ad imitationem Chriſti: ſed ab unitate quam habemus cum eo, arguit nos illi eſſe debere ſimiles. Vitæ, inquit, & operum ſimilitudo probabit nos in Chriſto manere. Porro iis verbis ad proximum membrum, quod mox de amandis fratribus ſubjiciet, tranſitum ſibi facit.

7. Fratres, non mandatum novum ſcribo vobis: ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Mandatum vetus, eſt ſermo quem audiſtis ab initio.

8. Rurſum mandatum novum ſcribo vobis: quæ eſt veritas in ipſo & in vobis: quia tenebræ tranſeunt, & lumen verum jam lucet.

9. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt adhuc.

10. Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet, & offendiculum in eo non eſt.

11. Qui vero fratrem ſuum odit, in tenebris ambulat, nec ſcit quo vadat: quia tenebræ excæcarunt oculos ejus.

7. *Fratres, non mandatum &c.*] Explicatio ſuperioris doctrinæ, quod ſcilicet amare Deum, ſit ſervare ejus mandata. Non temere autem pluribus verbis in hoc inſiſtit. Primum ſcimus ut ſemper odioſa ſit vel ſuſpecta novitas. deinde non facile inſuetum jugum ſuſcipimus. adhæc, ubi certum aliquod doctrinæ genus ſumus amplexi, quicquam in ea mutari vel novari, nobis moleſtum eſt. His de cauſis admonet Joannes, nihil ſe docere de charitate, niſi quod jam ab initio auditum fidelibus, uſu ipſo inveteraverit. Alii Vetuſtatem ſecus exponunt: quod ſcilicet non aliam nunc in Euangelio vivendi regulam præſcribat Chriſtus, quam Deus olim ſub Lege. Idque veriſſimum eſt. Nec repugno quin hoc ſenſu paulo poſt Euangelii ſermonem appellet *vetus mandatum.* Verum hoc tantum nunc velle arbitror, Hæc prima eſſe Euangelii rudimenta, ſic ipſos à principio fuiſſe inſtitutos: non eſſe cur refugiant quaſi inſolitum, quo pridem imbutos oportebat. Nam relativum, cauſæ loco poni apparet. *vetus* ergo nominat, non quod ante multa ſecula traditum fuerit Patribus: ſed in quo edocti fuerant ſtatim à primo religionis ingreſſu. Id autem plurimum ad fidem aſſerendam valet: quia ſtatuere debent lectores, ab eodem Chriſto profectum eſſe, à quo Euangelium habent. *Mandatum vetus eſt.* Vetuſtatis nomen hoc loco longius extendi probabile eſt: plenior enim eſt oratio, quum dicit, *ſermo quem audiſtis ab initio, eſt vetus mandatum.* Ac (meo quidem judicio) ſignificat non debere accipi Euangelium, quaſi doctrinam nuper natam: ſed quæ à Deo prodierit, ſitque æterna ejus veritas. acſi diceret, Non debetis Euangelii antiquitatem metiri temporis ſpatio, quo vobis allatum eſt: ſiquidem illic patefacta vobis fuit æterna Dei voluntas. non ſolum ergo hanc pie vivendi regulam vobis tradidit Deus, quum vocati primum eſtis ad Chriſti fidem: ſed eadem ſemper illi fixa probataque fuit. Et ſane hæc demum antiquitas cenſeri debet, fidemque & reverentiam meretur, quæ originem habet à Deo. Nam hominum figmenta, quantumvis longa annorum præſcriptione, non tantum auctoritatis acquirent, ut obruant Dei veritatem.

8. *Rurſum mandatum novum.*] Non videntur mihi interpretes, Apoſtoli mentem aſſequuti eſſe. *Novum* enim dicit, quod Deus quotidie ſuggerendo veluti renovat, ut ſe in eo tota vita exerceant fideles: quia nullum ſit illis præſtantius expetendum. Nam quæ pueri diſcunt rudimenta, poſtea locum cedunt altiori & ſolidiori doctrinæ. Contra Joannes negat ejuſmodi eſſe doctrinam de fratribus diligendis, quæ tempore obſoleſcat: ſed perpetuo vigere, ut non minus ſit ultima perfectio, quam tirocinium. Porro hoc neceſſe fuit addi: quia, ut curioſi plus juſto ſunt homines, bona pars ſemper novi aliquid cupide appetit. Hinc ſimplicis doctrinæ faſtidium, quod innumera errorum portenta gignit: dum quiſque novis ſubinde arcanis inhiat. Ubi autem hoc conſtitutum eſt, Dominum in eodem pergere tenore, ut in eo quod didicimus, tota vita nos retineat: injectum eſt hujuſmodi cupiditatibus frenum. Ergo qui ad ſapientiæ metam pertingere cupit, quod ad vitam recte inſtituendam attinet, ille in charitate proficiat. *Quæ eſt veritas.* Probat ratione

quod dicit: quia hoc uno charitatis mandato, quod ad inſtitutionem vitæ ſpectat, conſtat tota Chriſti veritas. Quæ porro expectanda eſt alia major revelatio? nam Chriſtus certe omnium finis eſt ac complementum: proinde Veritatis nomen huc ſpectat, ut ſubſiſtant quaſi in meta. nam pro complemento vel abſoluto ſtatu accipitur. Chriſtum illis conjungit, ut membris caput: acſi diceret, corpus Eccleſiæ non aliam habere perfectionem: vel tunc ſolide Chriſto unitos fore, ſi ſanctus amor inter ipſos mutuo vigeat. Alii ſecus exponunt, Quod eſt veritas in Chriſto, etiam in vobis eſt. ſed non video quorſum id ſpectet. *Quia tenebræ tranſeunt.* Præſens tempus loco præteriti. ſignificat enim, ſimulac Chriſtus illuxit, nos habere plenum intelligentiæ fulgorem. Non quod ſapiat quiſque fidelium primo die quantum oportet (nam & Paulus ſe eniti teſtatur ut apprehendat quod nondum aſſequutus eſt) ſed quia Chriſti notitia ad diſcutiendas tenebras ſola ſufficit. Ergo neceſſarii ſunt quotidiani progreſſus: & prius ſuam auroram habet cujuſque fides, quam ad meridiem perveniat. Sed quia ejuſdem doctrinæ tenorem continuat Deus, in qua proficere nos jubet, merito Euangelii cognitio verum lumen dicitur, ubi Chriſtus Sol juſtitiæ affulget. Ita via præcluditur hominum audaciæ, qui Euangelii puritatem corrumpere ſuis figmentis tentant: ac tuto univerſam Papæ theologiam anathemate damnare licet, quæ hoc verum lumen prorſus obſcurat.

Philip. 3. verſ. 12.

9. *Qui dicit ſe in luce.*] Proſequitur ſuam metaphoram. dicit charitatem unicam eſſe regulam ad quam exigenda ſit vita: dicit hanc legem nobis in Euangelio præſcribi: dicit poſtremo illic eſſe quaſi meridianam lucem, quæ oculos noſtros intuitu ſui retinere debet. Nunc ex adverſo colligit, cæcutire omnes ac in tenebris errare qui à charitate alieni ſunt. Quod autem prius amorem Dei poſuit, nunc fratrum, nihilo plus eſt repugnantiæ, quam inter effectum & cauſam: deinde ita inter ſe connexi ſunt, ut divelli nequeant. Dicet poſtea Joannes capite tertio, falſo nos jactare dilectionem Dei, niſi proximos diligimus: atque id veriſſimum eſt. Nunc vero charitatem erga proximos, tanquam teſtimonium ſumit, quo probamus Deum à nobis diligi. In ſumma, quum charitas ſic Deum reſpiciat, ut in Deo complectatur homines: nihil in eo abſurdi, quod de charitate diſputans Apoſtolus, promiſcue nunc ad Deum, nunc ad fratres refert. atque hic familiaris eſt Scripturæ uſus. Sæpe tota vitæ perfectio ſtatuitur in amore Dei: rurſum Paulus docet totam Legem implere, qui proximum diligit: & Chriſtus pronunciat hæc eſſe Legis præcipua, juſtitiam, judicium, & veritatem. Utrumque verum eſt, ac optime convenit: quia & amor Dei nos ad homines diligendos inſtituit: & re ipſa teſtamur noſtram in Deum pietatem, homines ex juſſu ejus amando. Quicquid ſit, fixum hoc ſemper maneat, charitatem eſſe dirigendæ vitæ ſcopum. Quod eo diligentius notandum, quia quidvis potius omnes fere eligunt, quam unicum hoc Dei mandatum. Eodem pertinet quod ſequitur, *non eſſe offendiculum*, ubi eſt ſtudium charitatis. nam qui vitam ſuam ita format, nunquam impinget.

Rom. 13, verſ. 8.
Mat. 23, verſ. 13.

11. *Fratrem ſuum odit.*] Rurſum admonet, quamlibet præclaram virtutis ſpeciem oſtentes, nihil tamen eſſe non vitioſum ubi abeſt charitas. Conferatur hic locus cum decimo tertio capite prioris ad Corinthios: & longa expoſitione non indigebit. Verum ideo obſcura eſt mundo hæc doctrina, quod bona pars in larvis neſcio quibus obſtupeſcit. Ita ficta ſanctitas omnibus fere oculos perſtringit: interim neglecta charitas jacet, aut ſaltem in poſtremum angulum rejicitur.

12. Scribo vobis, filioli: quoniam remittuntur vobis peccata veſtra propter nomen ejus.

13. Scribo vobis, patres: quoniam noviſtis eum qui eſt ab initio. Scribo vobis, adoleſcentes: quoniam viciſtis malum illum.

14. Scribo vobis, pueri: quoniam noviſtis Patrem. *Scripſi vobis, patres: quoniam* noviſtis eum qui eſt ab initio. Scripſi vobis, adoleſcentes: quia fortes eſtis, & verbum manet in vobis, & viciſtis malum illum.

12. *Filioli.*] Hæc adhuc generalis eſt ſententia. neque enim teneram modo ætatem compellat, ſed communiter *filiolos* intelligit omnium ætatum homines: quemadmodum primo capite, & hoc ipſo paulo poſt. Hoc ideo dico, quod interpretes perperam reſtringunt ad pueros. Atqui Joannes quum de pueris loquetur, παιδία vocabit, quod nomen ætati congruet: hic autem tanquam ſpiritualis pater, non ſenes minus quam pueros παιδία appellat. Mox quidem ſpeciales ſententias accommodabit ſingulis ætatibus: falluntur tamen qui hinc faciunt initium. Quin potius ne ſuperior exhortatio gratuitæ peccatorum remiſſioni obſcuritatem induceret, doctrinam hanc, quæ fidei propria eſt, iterum inculcat: ut certe hoc fundamentum ſemper retinendum eſt, in ſola Chriſti gratia nobis ſalutem eſſe repoſitam. Urgenda quidem vitæ ſanctitas, ſedulo præcipiendum de timore Dei, acriter ſtimulandi ad pœnitentiam homines, commendanda vitæ novitas cum ſuis fructibus: ſemper tamen cavendum ne ſuffocetur fidei doctrina, quæ Chriſtum unicum ſalutis bonorumque omnium auctorem ſtatuit: quin potius ſervanda eſt hæc moderatio, ut primas ſemper fidei obtineat. Hanc legem nobis præſcribit Joannes, quum de bonis operibus ſedulo concionatus, ne tamen plus illis dare videatur quam oportet, adeo ſollicite nos ad Chriſti gratiam revocat. *Remittuntur vobis peccata.* Sine hac fiducia nonniſi fluxa & umbratilis erit pietatis ſpecies. Imo qui gratuita peccatorum remiſſione poſthabita, inſiſtunt in aliis partibus, ſine fundamento ædificant. Interea Joannes ſignificat, nihil ſtimulandis ad timorem Dei hominibus aptius eſſe, quam dum rite edocti ſunt quid illis bonorum attulerit Chriſtus: quemadmodum Paulus obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei. Unde apparet quam improba ſit Papiſtarum calumnia, qui frigere bene agendi ſtudium cauſantur, dum ea extollitur quæ ſola obſequentes Deo filios reddit. Nam inde ſumit hortandi materiam, quod tam benevolum nobis Deum eſſe novimus, ut peccata non imputet. *Propter nomen ejus.* Cauſa materialis adſcribitur, ne quæramus alia media quæ nos Deo reconcilient. Neque enim ſatis fuerit tenere, Deum nobis ignoſcere peccata, niſi recta veniamus ad Chriſtum, & pretium illud quod in cruce pro nobis perſolvit. *Id*que eo magis obſervandum, quod videmus Satanæ aſtu & pravis hominum figmentis hanc viam obſtructam eſſe: dum variis ſatisfactionibus placare Deum conantur ſtulti homines, & innumera expiationum genera excogitant ad ſe redimendos. Nam quot promerendæ veniæ media Deo ingerimus, tot obſtaculis arcemur ab ejus acceſſu. Proinde Joannes non contentus hac ſimplici doctrina,

Philip. 1. verſ. 8.

Digitized by Google

ctrina, quod nobis peccata Deus remittat, nominatim addit propitium nobis eſſe Chriſti reſpectu, ut alias omnes rationes excludat. Nos quoque ut hoc beneficio fruamur, omnia alia nomina omittere & obliviſci neceſſe eſt, ſolumque Chriſti nomen amplecti.

13. *Scribo vobis, patres.*] Jam ad ætatum enumerationem deſcendit, ut oſtendat ſingulis convenire quod docet. Nam generalis ſermo interdum minus afficit: imo, quæ noſtra eſt malignitas, pauci ſunt qui putent ad ſe pertinere quod ſimul ad omnes dirigitur. Senes ſe ut plurimum ſubducunt, quaſi exceſſerint diſcendi ætatem: pueri, quaſi nondum maturuerint, recuſant audire: mediæ ætatis homines, quoniam aliis ſtudiis occupantur, non adjiciunt huc animum. ergo nequi ſe eximant, Euangelium ad ſingulorum uſus accommodat. Deſignat autem tres ætates: quæ magis recepta eſt humanæ vitæ partitio. Unde & celebris ille Lacedæmoniorum chorus tres ordines habebat, quorum primus canebat, Quod eſtis, erimus: poſtremus, Quod eſtis, fuimus: medius vero, Sumus quod alteri fuerunt, & alteri futuri ſunt. In hos tres gradus Joannes humanæ vitæ curriculum diſtribuit: ac incipit quidem à ſenibus, & illis congruere dicit Euangelium, quia inde æternum Dei Filium diſcant. Nota eſt ſenum moroſitas: præſertim vero quia annorum multitudine metiuntur ſapientiam, redduntur indociles. Præterea hoc vitii merito in illis notavit Horatius in Arte poëtica, quod tempus pueritiæ ſuæ laudantes, reſpuunt quicquid fit aut dicitur. Huic vitio prudenter medetur Joannes, quum in Euangelio non antiquam modo ſcientiam contineri admonet, ſed quæ nos deducit uſque ad ipſam Dei æternitatem. unde ſequitur, nihil hic eſſe quod faſtidiant. Quod dicit Chriſtum fuiſſe *ab initio*, tam ad divinam ejus præſentiam, in qua coæternus eſt Patri, quam ad virtutem refero, de
Hebr. 13. qua Apoſtolus loquitur ad Hebræos, quum dicit
verſ. 8. fuiſſe heri, ſicuti eſt hodie. acſi diceret, Si placet vetuſtas, habetis Chriſtum, qui eſt omni vetuſtate ſuperior: quare ne pudeat ejus eſſe diſcipulos qui in ſe omnia ſecula comprehendit. Interea notandum quænam ſit vere antiqua religio, nempe quæ in Chriſto fundata eſt. nam alioqui parum valebit quantumvis longa annorum ſeries, ſi originem ab errore ducat. *Scribo vobis, adoleſcentes.* Tametſi diminutivo utitur, νεανίσκοις: non tamen dubium eſt quin ſermonem ad omnes dirigat qui ſunt in ætatis flore & ſtatu. Scimus porro ætatem illam ſic addictam eſſe inanibus mundi curis, ut de regno Dei parum cogitet. nam ingenii vigor & corporis robur illos quodammodo inebriant. Proinde Apoſtolus eos admonet ubi ſitum ſit verum robur: ne amplius pro more ſuo in carne exultent. Vos, inquit, *fortes eſtis, quia viciſtis Satanam.* Copula enim cauſalem particulam valet. & haec ea eſt fortitudo quam appetere decet: nempe ſpiritualis. Et ſimul non aliunde haberi indicat, quam à Chriſto. bona enim quæ ex Euangelio percipimus, commemorat. Viciſſe dicit qui adhuc ſunt in actu ipſo bellandi: ſed noſtra conditio longe alia eſt, quam eorum qui ſub hominum vexillis militant. Mars enim illis dubius, & eventus belli anceps: nos, priuſquam congrediamur cum hoſte, jam ſumus victores: quia nobis caput noſtrum Chriſtus, totum ſemel mundum vicit.

14. *Scribo vobis, pueri.*] Indigent alieno regimine: itaque pueris optime quadrare Euangelium, Apoſtolus colligit, quia illic inveniant Patrem. Nunc videmus quam diabolica ſit tyrannis Papæ, quæ minaciter ab Euangelii doctrina omnes ætates arcet, quas Spiritus Dei tam ſtudioſe provocat. Cæterum hæc quæ in ſpecies Apoſtolus diſtribuit, etiam generalia ſunt. nam toti in vanitatem defluimus, niſi nitatur noſtra infirmitas æterna Dei veritate. Nihil nobis magis fragile & caducum, niſi virtus Chriſti in nobis habitet: pupilli ſumus omnes, donec in gratiam adoptionis per Euangelium venimus. quæ ergo de juvenibus prædicat, etiam ſenibus ſunt communia: ſed tamen voluit ſingulis aptare quod illis maxime neceſſarium eſt, ut ſine exceptione omnes indigere Euangelii doctrina oſtendat. Particula ὅτι bifariam exponi poteſt: ſed hic ſenſus quem poſui, multo melior eſt: atque ita contextus melius cohæret. *Scripſi vobis.* Has repetitiones judico eſſe ſupervacuas. & probabile eſt, quum falſo putarent imperiti lectores bis de pueris loquutum eſſe, temere alia duo membra ſuppoſuiſſe. Quanquam fieri poteſt ut Joannes ipſe ſententiam de adoleſcentibus, augendi cauſa, ſecundo inſeruerit (illic enim addit, fortes eſſe, quod prius non dixerat) librarii autem temere numerum implere voluerint.

15. Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Siquis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo:

16. Quia quicquid eſt in mundo (nempe concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ) non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.

17. Atqui mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

15. *Ne diligatis* &c.] Antea dixerat hanc unicam pie vivendi regulam, Deum amare: ſed quia vano mundi amore occupati, ſenſus omnes noſtros alio avertimus, vanitatem iſtam prius ex nobis revelli oportet, ut in nobis regnet Dei amor. Donec mentes purgatæ fuerint, centies nullo profectu iterari poſſet ſuperior illa concio: non ſecus acſi aquam ſupra globum effundens, ne unam quidem guttam colliges, quia nihil eſt illic vacuum quo aqua retineatur. *Mundi* nomine intellige, quicquid ad præſentem vitam ſpectat, ubi ſeparatur à regno Dei & ſpe vitæ æternæ. ita in ſe comprehendit omne genus corruptelas, & malorum omnium abyſſum. In mundo ſunt voluptates, deliciæ, & illecebræ omnes quibus homo capitur, ut ſe à Deo ſubducat. Porro tam ſevere damnatur mundi amor: quia ubi nihil quam terram reſpicimus, neceſſe eſt Deum & noſipſos obliviſci. Ubi vero perverſa ejuſmodi cupiditas dominatur, & hominem ita implicitum tenet ut non cogitet de cæleſti vita, illic eſt belluinus ſtupor. *Siquis diligit mundum,* Argumento à contrariis probat quam neceſſe ſit mundi amorem abjicere, ſi velimus placere Deo. idque poſtea confirmat argumento à repugnantibus: quia quæ propria ſunt mundi, cum Deo prorſus diſſideant. Tenendum eſt quod jam dixi, hic notari profanum vitæ inſtitutum, quod nihil habet cum regno Dei commune: ubi ſic degenerant homines, ut præſenti vita contenti, nihilo plus de immortali vita cogitent quam brutæ pecudes. Ergo quiſquis ita ſe terrenis cupiditatibus mancipat, non poteſt Dei eſſe.

16. *Nempe concupiſcentia carnis.*] Vetus Interpres aliter: nam ex una ſententia duas facit. Melius Græci, qui uno contextu legunt, Non eſſe ex Deo quicquid eſt mundi: & tres concupiſcentiæ ſpecies interſerunt, oratione non abrupta. Nam explicationis vice interpoſuit Joannes hæc quaſi tria exempla, ut ſummatim oſtenderet qualia ſunt ſtudia,

dia, & quales eorum meditationes qui mundo vivunt. Porro an plena ſit & integra partitio, non magnopere refert. Quanquam non reperies hominem mundanum, in quo non regnent iſtæ cupiditates, vel ſaltem una earum. Reſtat ut videamus quid per unamquamque intelligat. Primum membrum generaliter de vitioſis omnibus concupiſcentiis exponi ſolet: quia caro totam hominis corruptam naturam ſignificat. Ego, tametſi nolim contendere, diſſimulare tamen nolo, diverſum ſenſum mihi probari. Quum vetat Paulus Rom. 13. v. 14. carnis curam haberi ad concupiſcentias, mihi videtur optimus eſſe hujus loci interpres. Quid eſt illic Caro? Nempe corpus & ejus acceſſiones. Quid ergo eſt carnis cupiditas, niſi quum homines terreni molliter & delicate vivere appetentes, ſuis tantum commodis intenti ſunt? Nota eſt ex Cicerone & aliis, trimembris Epicuri partitio, quia inter cupiditates diſcernit: quum alias facit naturales, & neceſſarias: & alias naturales, non tamen neceſſarias: alias nec naturales, nec neceſſarias. Verum Joannes, cui nota erat cordis humani ἀταξία, ſecure damnat cupiditatem carnis, quia ſemper intemperanter diffluat, nec mediocritatem ſervet. poſtea gradatim conſcendit ad craſſiora vitia. *Cupiditas oculorum* (meo judicio) tam libidinoſos aſpectus comprehendit, quam vanitatem quæ in pompis & inani ſplendore vagatur. Sequitur poſtremo loco *faſtus* aut ſuperbia, cui conjuncta eſt ambitio, jactantia, aliorum contemptus, cæcus amor ſui, præceps confidentia. Summa eſt, ſimulac mundus ſe offert, appetitus noſtros, ut cor noſtrum perverſum eſt, quaſi effrenes belluas, illuc rapi: ita dominari varias concupiſcentias, quæ omnes Deo ſunt adverſæ. Pro *vita*, Græce eſt βίος, hoc eſt, vivendi genus & ratio.

17. *Atqui mundus tranſit.*] Quia in mundo nihil eſt niſi caducum & quaſi momentaneum, ex eo colligit quam male & miſere ſibi conſulant qui hic ſibi felicitatem conſtituunt: præſertim quum ad beatam æternæ vitæ gloriam nos Deus vocet. acſi diceret, Vera felicitas quam Deus filiis ſuis offert, æterna eſt: indignum eſt igitur, nos mundo implicari, qui mox cum bonis ſuis omnibus evaneſcet. *Concupiſcentiam* hic interpretor metonymice, quicquid concupiſcitur, & hominum deſideria ad ſe rapit. Senſus eſt, quicquid in mundo pretioſiſſimum & maxime optabile ducitur, nihil quam umbratile eſſe ſpectrum. Quum dicit, *perpetuo* manere qui faciunt Dei voluntatem: ſignificat perpetuo fore beatos qui ad Deum aſpirant. Si quis objiciat, neminem facere quod Deus præcipit: reſponſio in promptu eſt, non de abſoluta Legis obſervatione hic agi, ſed de fidei obedientia, quæ utcunque perfecta non ſit, Deo nihilominus probatur. Voluntas Dei primum in Lege nobis monſtratur: ſed quia Legi nemo ſatisfacit, nulla illinc felicitas ſperari poteſt. Verum deſperatis occurrit Chriſtus cum novo ſubſidio, qui non tantum Spiritu nos ſuo regenerat ut obediamus Deo: ſed facit etiam ut qualiſcunque noſter conatus plenæ juſtitiæ laudem obtineat.

18. Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quod Antichriſtus venturus ſit, etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe. unde ſcimus eſſe noviſſimam horam.

19. Ex nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti fierent quod non erant omnes ex nobis.

18. *Noviſſima hora.*] Confirmat fideles adverſus offendicula quibus poterant turbari. Jam exortæ erant variæ ſectæ, quæ & fidei unitatem ſcindebant, & diſſipabant Eccleſias. Apoſtolus autem non tantum fideles munit, ne titubent: ſed in contrarium finem hoc totum vertit. Admonet enim eos, jam adeſſe tempus extremum, ideoque eos ad majorem vigilantiam hortatur: acſi diceret, Dum emergunt errores diverſi, potius expergefieri vos decet quam obrui. Inde enim colligendum eſt, non procul abeſſe Chriſtum: ergo intenti ſimus in ejus expectationem, ne ſubito nos deprehendat. Eodem modo hodie quoque nos erigi decet, & propinquum Chriſti adventum fide apprehendere, dum omnia miſcet Satan, turbandæ Eccleſiæ cauſa. hæc enim ſunt ultimi temporis ſigna. Verum tot ſecula quæ à morte Joannis fluxerunt, videntur hoc vaticinium falſi coarguere. Reſpondeo, Apoſtolum vulgari Scripturæ more denunciare fidelibus, nihil jam amplius reſtare, niſi ut Chriſtus in mundi redemptionem appareat. Quia vero nullum tempus præfigit, neque ætatis ſuæ homines lactavit ſpe inani, neque in poſterum voluit abſcindere Eccleſiæ curſum, & multas annorum ſucceſſiones quibus hucuſque duravit Eccleſia in mundo. Et certe ſi regni Dei æternitas nobis ante oculos verſatur, nulla erit tam longa diuturnitas, quæ non ſit inſtar momenti. Tenendum Apoſtoli conſilium eſt, quod ultimum tempus vocet, in quo ſic complentur omnia, ut nihil ſuperſit, præter ultimam Chriſti revelationem. *Audiſtis quod Antichriſtus.* Loquitur tanquam de re nota. unde colligere promptum eſt, edoctos & admonitos ab initio fuiſſe fideles de futura Eccleſiæ diſſipatione: tum ut ſollicite ipſi ſe continerent in fide ſuſcepta, tum ut poſteros inſtruerent ad cavendum. Sic enim tentari Deus voluit Eccleſiam, ne quis niſi ſciens ac volens falleretur, nec ulla eſſet ignorantiæ excuſatio. Atqui videmus totum fere orbem miſere fuiſſe deceptum, acſi verbum nunquam de Antichriſto factum eſſet. Quin etiam in Papatu nihil magis celebre ac tritum eſt, quam futurus Antichriſti adventus: interea tam ſunt ſtupidi, ut ejus tyrannidem cervicibus ſuis impoſitam non ſentiant. Idem ſcilicet omnino illis contingit quod Judæis: nam quum ii promiſſiones de Meſſia teneant, longius tamen abſunt à Chriſto, quam ſi nunquam illis auditum eſſet nomen. nam imaginarius Meſſias quem ſibi finxerunt, eos à Filio Dei prorſus avertit. Et ſiquis ex Lege & Prophetis Chriſtum illis oſtendere ſtudeat, nihil quam ludet operam. Papiſtæ Antichriſtum imaginati ſunt, qui per tres annos & dimidium vexaturus ſit Eccleſiam. Omnes notæ, quibus Antichriſtum deſignat Spiritus Dei, in Papa clare apparent: ſed ille triennalis Antichriſtus ſtultos Papiſtas tenet occupatos, ne videndo videant. Meminerimus itaque, non modo indicatum fuiſſe à Spiritu Dei Antichriſtum, ſed adſcriptas ſimul fuiſſe notas quibus diſcerni queat. *Et jam nunc multi.* Videri poſſet hoc correctionis vice additum, quaſi falſo exiſtiment unum fore aliquod regnum: ſed non ita eſt. Qui unum tantum hominem putant fore, delirant illi quidem: ſed Paulus quum venturæ 2 Theſſ. 2
defectionis meminit, aperte teſtatur certum fore verſ. 3
corpus & regnum. Initio prædicit defectionem quæ per totam Eccleſiam graſſabitur, ut ſit quaſi malum univerſale: deinde apoſtaſiæ caput conſtituit adverſarium Chriſti, qui in templo Dei ſedebit, numen & divinos honores ſibi uſurpans. Niſi velimus ſponte errare, ex iſta Pauli deſcriptione Antichriſtum agnoſcere diſcamus: quam ſuo loco expoſui, nunc obiter attigiſſe ſufficit. Sed quomodo hoc conveniet cum verbis Joannis, qui jam multos eſſe pronunciat? Reſpondeo, Joannem nihil velle aliud, quam ſpeciales jam ſectas emergere, quæ ſint futuræ diſſipationis præludia. Cerinthus enim, Baſilides, Marcion, Valentinus, Ebion, Arrius, & reliqui, ejus regni membra erant quod diabolus poſtea adverſus Chriſtum erexit.

erexit. Proprie loquendo, nondum Antichriſtus exſtabat: ſed arcanum ſuæ impietatis clam moliebatur. Verum Joannes utitur hoc nomine, ut piorum ſtudium & ſollicitudinem ad repellendas fraudes magis acuat. Quod ſi jam tunc in excubiis ſtare fideles jubebat Dei Spiritus, quum ſigna duntaxat venturi hoſtis procul cernerent: multo minus nunc dormiendi tempus eſt, quando Eccleſiam ſæva tyrannide oppreſſam tenet, ac palam Chriſto inſultat.

19. *Ex nobis egreſſi ſunt.*] Alteram objectionem prævertit, quod peſtes illas videbatur genuiſſe Eccleſia, & in ſinu ſuo ad tempus foviſſe. nam certe hoc ad turbandos infirmos plus valet, ſi unus quiſpiam nobiſcum veram fidem profeſſus, deficiat, quam ſi mille extranei in nos conſpirent. Sic ergo fatetur eos prodiiſſe ex Eccleſiæ gremio, ut tamen neget fuiſſe unquam ex Eccleſia. Porro diluendæ objectionis ratio eſt, quod ſemper huic malo obnoxia ſit Eccleſia, ut multos ferre cogatur hypocritas qui vere Chriſtum non habent, utcunque ejus nomen ore profiteantur ad tempus. Quum dicit *egreſſos eſſe à nobis*, ſignificat locum in Eccleſia prius occupaſſe, & habitos eſſe in piorum numero. Negat tamen fuiſſe ex nobis, quia falſo nomen obtenderint fidelium: ſicuti paleæ, licet tritico in eadem area permiſtæ ſint, non tamen in tritico cenſentur. *Si fuiſſent ex nobis.* Aperte pronunciat, nunquam fuiſſe Eccleſiæ membra qui deficiunt. At certe ſigillum Dei, ſub
2 Tim. 2. verſ. 19. quo ſuos cuſtodit, firmum manet: ut inqoit Paulus. Sed hic oritur difficultas. multos enim, qui videbantur Chriſtum amplexi, ſæpe excidere contingit. Reſpondeo, tres eorum eſſe gradus qui Euangelium profitentur. Sunt enim qui pietatem ſimulant, quum tamen mala conſcientia intus eos arguat. Aliorum magis fraudulenta hypocriſis: qui non modo fucum hominibus facere tentant, ſed oculos ſibi perſtringunt, ut ſibi videantur recte Deum colere. Tertii vivam habent fidei radicem, ac ſuæ adoptionis teſtimonium penitus fixum cordibus gerunt. Priores duo ordines nihil ſtabilitatis habent: de poſtremis loquitur Joannes, quum impoſſibile eſſe dicit ab Eccleſia alienari. Neque enim ſigillum, quod Deus Spiritu ſuo inſculpſit eorum conſcientiis, deleri poteſt. Semen incorruptibile quod radicem egit, non poteſt evelli, neque aboleri. neque enim hic de hominum, ſed Dei conſtantia agitur, cujus electionem ratam eſſe oportet. Quare non immerito dicit, ubi efficax eſt Dei vocatio, illic certam perſeverantiam fore. In ſumma, nunquam penitus imbutos fuiſſe Chriſti notitia intelligit, qui deficiunt: ſed levem duntaxat & evanidum habuiſſe guſtum. *Ut manifeſti fierent.* Utile ac neceſſarium eſſe Eccleſiæ examen docet: unde ex adverſo ſequitur, non eſſe juſtam perturbationis cauſam. Quum ſit areæ ſimilis Eccleſia; ventilari paleam oportet, ut triticum purum maneat. hoc facit Deus, quum emittit hypocritas ex Eccleſia: eam enim quiſquiliis & ſordibus purgat.

20. Et vos unctionem habetis à Sancto: & noviſtis omnia.

21. Non ſcripſi vobis, quia non noveritis veritatem: ſed quia noviſtis eam, & quia omne mendacium ex veritare non eſt.

22. Quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium.

23. Omnis qui negat Filium, neque Patrem habet.

20. *Et vos unctionem.*] Modeſte excuſat Apoſtolus, quod eos tam ſollicite admonet: ne putent obli-
Rom. 15. verſ. 14. que ſe perſtringi, quaſi rudes ignaroſque eorum quæ probe tenere debuerant. Sic Paulus Romanis concedit prudentiam ut aliis etiam monendis ſint pares & idonei: ſimul tamen oſtendit non poſſe aliter ſe munere ſibi injuncto defungi, quin eos commonefaciat. Neque tamen adulatorie ſic loquuntur Apoſtoli: ſed hoc modo prudenter cavent ne ab ullo hominum genere reſpuatur ſua doctrina: quum non modo rudibus, ſed in ſchola Domini eruditis congruere & utilem eſſe denunciant. Uſus ipſe docet, quam faſtidioſæ ſint hominum aures. Tale quidem à piis debet abeſſe faſtidium: boni tamen ac prudentis doctoris eſt nihil omittere, quo ſibi audientiam apud omnes faciat. Certum eſt autem, nos minori attentione & reverentia excipere quod dicitur, ſi putamus eum qui loquitur, intelligentiam, quæ à Domino data eſt, nobis detrahere. Simul hac laude acuit Apoſtolus lectores, quia minus excuſationis habent qui dono intelligentiæ ſunt præditi, niſi alios profectu antecedant. Summa eſt, quod Apoſtolus eos non docet tanquam rudes & elementarios, ſed res jam cognitas in memoriam illis reducit: deinde quod ad excitandas Spiritus ſcintillas eos hortatur, ut plenus in illis fulgor luceat. Ac ſeipſum exponit proximis verbis, ſe ideo ſcripſiſſe negans quod veritatem ignorent, ſed quod in ea probe ſint edocti. Nam ſi rudes prorſus fuiſſent ac novitii, capere non potuiſſent hanc doctrinam. Quod autem *omnia* dicit noviſſe, non univerſaliter capi, ſed ad præſentis loci circumſtantiam reſtringi decet. Cæterum quum dicit eos *habere unctionem à Sancto*, non dubito quin ad ve-
Dan. 9. verſ. 24. teres figuras alludat. Nam è ſanctuario petebatur oleum ad ungendos Sacerdotes. Daniel autem adventum Chriſti, tempus proprium eſſe definit ungendo Sancto ſanctorum. Nam ideo unctus à Patre fuit, ut multiplices copias ex ſua in nos plenitudine diffundat. Hinc ſequitur, non acumine proprii ſenſus recte ſapere homines, ſed illuminatione Spiritus: deinde non aliter quam per Chriſtum nos fieri Spiritus participes, qui verum eſt ſanctuarium, & unicus noſter Sacerdos.

21. *Et quia omne mendacium.*] Concedit illis judicium, quo verum à falſo diſcernant. Neque enim dialectica eſt iſta propoſitio, Mendacium differre à veritate (qualiter in ſcholis generales regulæ traduntur) ſed ad praxin & uſum accommodatus ſermo. ac ſi diceret, Non tantum eos tenere quid verum ſit: ſed etiam adverſus impiorum fallacias & impoſturas munitos eſſe, ut prudenter ſibi caveant. Porro non de una aut altera mendacii ſpecie loquitur: ſed quicquid fraudis intentet Satan, aut quacunqoe parte eos adoriatur, lucis & tenebrarum diſcretionem fore in promptu dicit, quia ducem habeant Spiritum.

22. *Quis eſt mendax.*] Non aſſerit ſolos eſſe eos mendaces qui negant apparuiſſe in carne Dei Filium; ne quis in ſolvendo hoc nodo ultra modum ſe torqueat: ſed alios omnes ſuperare: quaſi diceret; niſi hoc cenſeatur mendacium, aliud nullum haberi poſſe. Quemadmodum vulgo ſolemus loqui; Si perfidia in Deum & homines crimen non eſt; quod amplius crimen vocabimus? Quod autem de pſeudoprophetis in genere attigerat, nunc accommodat ad rationem ſui temporis. digito enim oſtendit eos qui Eccleſiam turbabant. Quod Cerinthum & Carpocratem notari veteres exiſtimant, facile recipio. Cæterum Chriſti negatio late patet. neque enim ſatis eſt uno verbo fateri Jeſum eſſe Chriſtum, niſi talis agnoſcitur, qualem eum Pater in Euangelio nobis offert. Duo iſti quos nomi-

navi;

navi, Chriſti titulum dabant Filio Dei: ſed purum fingebant hominem. Sequuti ſunt alii, ut Arrius, qui Dei nomine illum ornantes, æterna divinitate ſpoliabant. Marcion, ſpectrum hominis fuiſſe ſomniabat. Sabellius nihil à Patre differre commentus eſt. Illi omnes Dei Filium negarunt: quia nemo eorum integrum Chriſtum ſincere agnovit: ſed ejus veritatem, quantum in ſe erat, adulterantes, idolum ſibi pro Chriſto fabricarunt. Erupit deinde Pelagius, qui certamen quidem non movebat de Chriſti eſſentia, quin verum hominem & Deum eſſe concederet: ſed totum fere ejus honorem in nos transferebat. Hoc vero eſt Chriſtum in nihilum redigere, quum ejus gratia & vis aboletur. Sic Papiſtæ hodie Liberum arbitrium Spiritus ſancti gratiæ opponentes, partem juſtitiæ & ſalutis locantes in operum meritis, innumeros ſibi patronos imaginantes, per quos Deum propitium habeant, factitium neſcio quem Chriſtum habent: at vivam genuinamque Dei imaginem, quæ lucere in Chriſto debebat, pravis ſuis commentis deformant, virtutem enervant, officium obruunt & pervertunt. Nunc videmus negari Chriſtum, quoties quæ habet propria, illi detrahuntur. Quemadmodum autem Chriſtus Legis & Euangelii finis eſt, ac incluſos in ſe theſauros omnes habet ſapientiæ & intelligentiæ: ita ſcopus eſt, in quem collimant hæretici omnes, ut ſagittas illuc ſuas dirigant. Quare non immerito Apoſtolus impoſtorum facit principes, qui Chriſtum oppugnant: quando plena in eo veritas nobis eſt exhibita. *Hic eſt Antichriſtus*. Non loquitur de illo defectionis principe qui Dei ſedem occupaturus erat: ſed quicunque Chriſtum evertere conantur, eos in ſcelerata illa cohorte ponit. Atque ut eorum crimen amplificet, non minus Patrem ab illis quam Filium negari aſſerit: acſi diceret, nullam amplius eos habere religionem, quia Deum penitus abjecerint. quod ratione mox addita confirmat: quia nequeat Pater à Filio ſeparari. Eſt autem hæc inſignis ſententia, & quæ inter prima religionis noſtræ axiomata cenſeri debet. Imo poſtquam confeſſi ſumus unum eſſe Deum, hoc ſecundum caput neceſſario connecti debet: non alium eſſe niſi qui in Chriſto cognoſcitur. Neque hic argute diſputat Apoſtolus de eſſentiæ unitate. certum quidem eſt non poſſe divelli Filium à Patre, quia ſit ὁμοούσιος: ſed aliud nunc agitur: quod ſcilicet Pater, qui alioqui inviſibilis eſt, ſe in Filio tantum patefecerit. Unde & imago Patris vocatur, *Hebr. 1. 3.* quia nobis repræſentat & exhibet quicquid de Patre cognitu utile eſt. Nuda enim Dei majeſtas ſemper immenſo ſuo fulgore oculos noſtros perſtringet: ergo neceſſe eſt in Chriſtum reſpicere. Hic acceſſus eſt ad lucem, quæ alioqui merito inacceſſa dicitur. Iterum dico, non hic agitari ſubtilem diſputationem de æterna Chriſti eſſentia quam unam cum Patre habet. Abunde quidem ad eam probandam ſufficit hic locus: ſed Joannes ad fidei praxin nos vocat: nempe quia Deus ſe totum nobis in Chriſto fruendum dedit, fruſtra alibi quæri: vel (ſiquis malit clarius) quoniam in Chriſto habitat tota plenitudo divinitatis, extra eum nihil eſſe Dei. Unde ſequitur, Turcas, Judæos, & ſimiles, Dei loco merum habere idolum. Nam quibuſcunque inſigniant titulis Deum quem adorant: quia tamen eum rejiciunt ſine quo ad Deum non pervenitur, & in quo nobis ſe Deus in ſolidum manifeſtat: quid habent præter ſuam creaturam, vel ſuum figmentum? Blandiantur ſibi ut volent in ſuis ſpeculationibus, qui extra Chriſtum philoſophantur de rebus divinis: certum tamen eſt nihil quam deſipere, quia non tenent caput, *Coloſſ. 2. verſ. 19.* ut Paulus dicit. unde colligere promptum eſt quam neceſſaria ſit Chriſti cognitio. Multi codices habent oppoſitam ſententiam, Qui confitetur Filium, &c. ſed quia puto annotatam ab aliquo lectore, obrepſiſſe in contextum, omittere non dubitavi. Quod ſi placeat ipſam inſeri, ſenſus erit, non aliam eſſe legitimam Dei confeſſionem, quam dum in Filio agnoſcitur Pater. Si objiciat quiſpiam, multos ex veteribus recte ſenſiſſe de Deo, quibus tamen ignotus erat Chriſtus: fateor non ita ſemper explicatam fuiſſe Chriſti notitiam: illud tamen ſemper fuiſſe verum contendo, quemadmodum Solis lumen radiis ad nos uſque diffunditur, ita Dei notitiam nonniſi per Chriſtum communicatam.

24. Ergo quod audiſtis ab initio, in vobis maneat. *Si in vobis manſerit quod ab initio audiſtis, & vos in Patre & Filio manebitis.*

25. Atque hæc eſt promiſſio * quam ipſe nobis promiſit, nempe vita æterna.

** vel, qua nobis pollicitus eſt vitam æternam.*

26. Hæc ſcripſi vobis de iis qui ſeducunt vos.

27. Et unctio quam accepiſtis ab eo, in vobis manet, neque opus habetis ut quis vos doceat: ſed quemadmodum unctio docet vos de omnibus, & veritas eſt, & non eſt mendacium. Et quemadmodum docuit vos, manete * in eo.

** vel, in ea.*

28. Et nunc, filioli, manete in eo: ut quum apparuerit, habeamus fiduciam, neque pudefiamus ab ejus præſentia.

29. Si noſtis quod juſtus ſit, cognoſcite quod quiſquis facit juſtitiam, ex eo genitus eſt.

24. *Ergo quod* &c.] Superiori doctrinæ exhortationem annexit: & quo plus efficaciæ habeat exhortatio, fructum demonſtrat quem ex obedientia percipient. Ergo ad fidei conſtantiam eos hortatur, ut fixum in cordibus retineant quod didicerunt. Porro quum dicit, *ab initio*, ſola antiquitas minime ad probandam quamlibet doctrinam ſufficeret: ſed quia jam oſtendit, rite in puro Chriſti Euangelio fuiſſe inſtitutos, jure in eo permanendum eſſe infert. Ac diligenter notandus eſt hic ordo. nam ſi ab eo doctrinæ genere, quod ſemel erimus amplexi, nolimus diſcedere, qualecunque illud ſit: non conſtantia, ſed perverſa erit obſtinatio. Quare delectus eſt habendus, ut nobis fidei noſtræ ratio conſtet ex Dei verbo, cum ſequatur inflexibilis conſtantia. Papiſtæ initium jactant, quia ſuperſtitiones ſuas à pueritia imbiberint. Hoc prætextu apertam veritatem contumaciter repudiare ſibi permittunt. Talis pertinacia nobis documento eſt, ſemper faciendum eſſe exordium à doctrinæ certitudine. *Si in vobis manſerit.* Hic perſeverantiæ fructus eſt, quod in quibus manet Dei veritas, illi in Deo manent. Unde colligimus quid in tota pietatis doctrina ſit quærendum. Quare is demum optime profecit, qui hucuſque progreſſus eſt, ut Deo penitus adhæreat. In quo autem non habitat Pater per Filium, is totus eſt vanus & inanis, quicquid ſcientiæ teneat. Porro hæc eximia laus ſanæ doctrinæ, quod nos Deo conjungit, ac in ea reperitur quicquid ad veram Dei fruitionem pertinet. Poſtremo loco admonet hanc eſſe ſolidam felicitatem, ſi Deus in nobis habitet. Loquutio qua utitur, ambigua eſt: vel quod hæc ſit promiſſio qua nobis promiſit vitam æternam: vel appoſitive, quod hæc ſit promiſſio quam nobis dedit, nempe vita æterna. Quia tamen utrovis modo accipias, idem manet ſenſus, libera ſit electio. Summa eſt, non aliter nos victuros,

ctures, quam ſi vitæ ſemen, in animis noſtris conceptum, uſque ad finem alamus. Multus eſt Joannes in hoc capite tradendo, in cognitione Chriſti non modo beatæ vitæ principium eſſe ſitum, ſed etiam perfectionem. Verum nolla ejus repetitio nimia eſſe poteſt: quando hanc ſemper hominibus cauſam fuiſſe exitii notum eſt, quod Chriſto non contenti, extra ſimplicem Euangelii doctrinam evagari geſtierunt.

26. *Hæc ſcripſi vobis.*] Iterum excuſat Apoſtolus, quod eos admoneat qui intelligentia & judicio alioqui præditi eraot. Hoc autem ideo facit, ut judicium Spiritus adhibeant, ne inutilis ſit admonitio. Acſi dixiſſet, Ego quidem meas ago partes: ſed interea neceſſe eſt ut vos Dei Spiritus io omnibus dirigat. nam fruſtra vocis meæ ſonitu aures, vel potius aërem verberabo, niſi ille intus loquatur. Quum audimus eum de ſeductoribus ſcripſiſſe, ſemper obſervemus, bono & ſedulo Paſtori non modo curam incumbere ut oves aggreget, ſed etiam ut lupos abigat. Quid enim profuerit puram Euangelii vocem in medium afferre, ſi ad manifeſtas Satanæ impoſturas connivemus? Nemo itaque fideliter Eccleſiam docere poterit, niſi qui profligandis erroribus, ſi quos ſpargi à ſeductoribus videt, erit intentus. Quod dicit, ***unctio quam ab eo accepiſtis***, ego ad Chriſtum refero.

27. *Neque opus habetis.*] Ridiculus eſſet Joannes, quemadmodum ſupra dixi, ſi inutilem doctrinam profunderet. Non igitur tantum illis tribuit ſapientiæ, ut Chriſti diſcipulos eſſe neget. Tantum ſignificat illos minime eſſe rudes, ut docendi ſint tanquam de rebus ignotis: nec ſe quicquam proponere quod non ultro illis ſuggerat Dei Spiritus. Perperam itaque fanatici homines hoc teſtimonium arripiunt, ut ab Eccleſia oſum externi miniſterii excludant. Dicit fideles, Spiritus magiſterio edoctos, jam tenere quæ tradit: ut noo opus habeant, quaſi ignota diſcere. Hoc dicit quo plus auctoritatis ſuæ doctrioæ conciliet: dum ejus ſubſcriptionem quiſque in corde ſuo reperit digito Dei inſculptam. Cæterum quum pro fidei menſura quiſque intelligat: fides autem io aliis exigua ſit, in aliis mediocris, in nemine abſoluta: hinc ſequitur, neminem tantum ſcire quin profectoi adhoc ſit locus. Deinde hæc altera eſt doctrinæ utilitas, quod ubi probe teoent homines quod expedit, commonefacimus tamen eos & excitamus, ut major inde confirmatio illis accedat. Nam quod de omnibus eos à Spiritu doceri pronunciat Joannes, non tam generaliter accipi debet, ſed ad loci præſentis circumſtantiam reſtringi. Io ſumma, non alio ſpectat quam ad ſtabiliendam eorum fidem, dum eos ad Spiritus examen revocat qui ſolus eſt idoneus doctrinæ cenſor & approbator: dum eam cordibus noſtris obſignat, ut certo ſciamus Deum loqui. Nam quum in Deum reſpicere debeat fides, ſolus ipſe ſibi teſtis eſſe poteſt, ut cordibus noſtris perſuadeat, à ſe profectum eſſe quod aures noſtræ percipiuot. Atque id ſibi volunt hæc verba, ***quemadmodum vos docet, veritas eſt***: Spiritum ſcilicet inſtar ſigilli eſſe, quo nobis teſtata ſiat Dei veritas. Quum addit ***non eſſe mendacium***, hac particula alterum Spiritus officium deſignat: oempe judicio & diſcretione nos regere, ne mendacio fallamur, ne hæreamus ſuſpenſi & perplexi: oe velut dubiis in rebus vacillemus. ***Quemadmodum docuit, manete.*** Dixerat io illis manere Spiritum: nunc ut in ejus revelatione maneant, hortatur. & ſpeciem ipſam revelationis deſignat: Manete, inquit, in Chriſto, quemadmodum vos Spiritus docuit. Scio aliter vulgo exponi, Manete in ea: ut unctionem referat. Sed quum repetitio quæ mox ſequitur, oonniſi Chriſto conveniat, mihi non dubium eſt quin de Chriſto hic quoque loquatur: & contextus hoc poſtulat. Nam in eo capite inſiſtit Apoſtolus, ut puram Chriſti notitiam retineant fideles, utque non alia via ad Deum contendant. Interea clare oſtendit, non alium in finem Dei filios illuminari à Spiritu, niſi ut Chriſtum cognoſcant. Quod ſi inde non deflexerint, perſeveraotiæ fructum proponit: nempe quod fiduciam habituri ſint, oe pudefiant ab ejus conſpectu. Non enim fides, nuda eſt ac frigida Chriſti apprehenſio, ſed vivus & efficax potentiæ ejus ſenſus, qui fiduciam generat. Nec vero aliter ſtaret fides, dum tot quotidie fluctibus impetitur; niſi & in Chriſti adventum reſpiceret, & ejus virtute ſuffulta, tranquillum afferret ſtatum conſcientiis. Porro optime fiduciæ natura exprimitur, quum intrepide ſuſtioeri dicit Chriſti præſeotiam. Nam qui ſecure in vitiis ſibi indulgent, obvertunt tergum Deo: neque alibi quam in Dei oblivione pacem inveniunt. Hæc eſt carnis ſecuritas, quæ homines obſtupeſacit: ut à Deo averſi, neque peccatum horreant, neque mortem metuant: interea refugiant Chriſti tribuoal. pia autem fiducia in ſolum Dei intuitum recumbit. Unde fit ut placide Chriſtum expectent pii, neque ejus cooſpectum reformident.

29. *Si noſtis quod juſtus ſit.*] Iterum ad exhortationes tranſit: ut eas doctrinæ ſubinde in tota Epiſtola permiſcet. Multis autem argumeotis probat fidem neceſſario cum ſancta & pura vita conjunctam eſſe. Primum eſt, quod ſpiritualiter gignimur io Chriſti ſimilitudinem. unde ſeqoitur, neminem ex Chriſto genitum, niſi qui juſte vivit. Quanquam incertum eſt, Chriſtumne an Deum intelligat, quum dicit ex eo eſſe geoitos qui faciunt juſtitiam. Illa certe uſitata eſt loquendi ratio in Scripturis, Nos ex Deo gigni in Chriſto. Sed in hac quoque altera nihil abſurdi eſt, Ex Chriſto gigni qui ejus Spiritu renovantur.

CAP. III.

* vel, *Videtis.*

Videte * qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur. Propterea mundus non novit nos, quia non novit ipſum.
2. Dilecti, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod ſi apparuerit, ſimiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt.
3. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſeipſum: quemadmodum ille purus eſt.

1. *Videte* &c.] Secundum argumentum, à vocatioois noſtræ dignitate & præſtantia. Non vulgari honore, inquit, dignatus eſt cæleſtis Pater quum in filios adoptavit. Hæc tanta gratia, puritatis ſtudium accendere in nobis debet, ut ſimus illi conformes; nec vero fieri poteſt quin ſe purificet qui ſe unum ex Dei filiis agnoſcit. Et quo plos vehementiæ habeat exhortatio, Dei gratiam amplificat. nam quod dicit *datam eſſe charitatem*, ſignificat hoc meræ eſſe liberalitatis, quod nos Deus pro filiis habet. Unde anim tanta nobis dignitas, niſi ex Dei amore? Amor porro hic gratuitus prædicatur. Eſt quidem impropria loquutio. ſed maluit improprie loqui Apoſtolus, quam non exprimere quod neceſſe cognitu erat. In ſumma, ſignificat, quo amplior effuſa eſt in nos Dei bonitas, illi nos eo magis obſtrictos eſſe. Quemadmodum Paulus per ejus miſericordias Romanos obſecrat ut ſe illi puras hoſtias offerant. *Rom. 12. verſ. 3.* Iotere docemur, gratuitam (ut dixi) eſſe piorum omnium adoptionem, nec ab ullo operum reſpectu pendere. Nam quod Sophiſtæ dicunt, adoptari quos fore dignos prævidet Deus, aperte his

Digitized by Google

verbis reſellitur. neque enim hoc modo gratuitum eſſet donum. Hoc doctrinæ caput tenere in primis operæpretium eſt. nam quum unica ſalutis noſtræ cauſa ſit adoptio, & eam ex mero ſoloque Dei amore fluere teſtetur Apoſtolus, nihil hic noſtræ dignitati vel operum meritis ſit reliquum. Cur enim ſumus filii? quia ſcilicet nos cœpit gratis amare Deus: quum odio potius digni ſimus quam amore. Quum autem Spiritus, adoptionis noſtræ pignus ſit: hinc ſequitur, ſi quid eſt in nobis boni, Dei gratiæ adeo opponi non debere, ut potius ei referendum ſit acceptum. *Nomen* de quo loquitur, inanis eſſe titulus non poteſt. Nam Deus eſt qui nos ore ſuo filios pronunciat: quemadmodum Abrahæ nomen impoſuit ex re ipſa. *Propterea mundus.* Hæc tentatio graviter fidem oppugnat: adeo non reputari nos in filiis Dei, vel ullam tantæ præſtantiæ notam in nobis conſpici, ut potius nos totus fere mundus ludibrio habeat. Ergo ex præſenti ſtatu vix colligi poteſt, Deum eſſe nobis patrem: ſicuti diabolus omnia machinatur, ut hoc beneficium obſcuret. Huic ſcandalo medetur quum dicit, nos hodie quales ſumus nondum agnoſci, quia mundus Deum non cognoſcit: itaque non eſſe mirum, ſi ejus filios contemnat. Cujus rei illuſtre ſpeculum extitit in Iſaac & Jacob. nam quum uterque à Deo electus eſſet, illum Iſmaël riſu & ſannis, hunc Eſau minis & gladio perſequebatur. Ergo utcunque videamur oppreſſi in mundo, ſtat nihilominus ſalus noſtra & recta & incolumis.

2. *Nunc filii Dei ſumus.*] Nunc ad proprium cujuſque ſenſum deſcendit. nam quamvis impii nos ad ſpem abjiciendam non ſollicitent, præſens tamen noſtra conditio à gloria filiorum Dei multum abeſt. nam quantum ad corpus ſpectat, pulvis & umbra ſumus: mors ſemper ante oculos verſatur: interea mille ærumnis ſumus obnoxii: anima vero innumeris malis ſubjecta. ita in nobis infernum ſemper reperimus. Quo magis neceſſe eſt ſenſus omnes noſtros abſtrahi à præſenti rerum aſpectu, ne miſeriæ quibus undique circumdati ſumus & prope obruti, ejus felicitatis, quæ adhuc latet, fiduciam nobis excutiant. Hoc enim Apoſtoli conſilium eſt, perperam nos eſſe facturos, ſi ex præſenti ſtatu æſtimemus quid nobis Deus contulerit: ſed indubia fide tenendum eſſe quod nondum apparet. *Scimus autem quod ſi apparuerit.* Hæc conditio reſolvi debet in adverbium temporis Ubi, vel Quum. Porro verbum hoc *apparuerit*, diverſo ſenſu quam prius accipitur. Dicebat nuper Apoſtolus, nondum apparuiſſe quid ſimus futuri, quod abſconditus ſit adoptionis noſtræ fructus: quia in cælo eſt noſtra felicitas, nos autem procul inde in terra peregrinamur: quia hæc caduca vita, & centum aſſidue mortibus ſubjecta, longe diſſimilis eſt æternæ, quæ Dei filios decet: quia carnis ergaſtulo ſervilem in modum incluſi, longe à libero cæli terræque dominio diſtamus. Nunc vero ad Chriſtum refert particulam iſtam, *quum apparuerit.* Idem enim docet quod Paulus ad Coloſſ. cap. 3. v. 3. ubi dicit, Vita veſtra cum Chriſto abſcondita eſt: ubi vero Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria. Neque enim aliter ſtare fides noſtra poteſt, quam dum in Chriſti adventum reſpicit. Nam hæc cauſa eſt cur Deus gloriæ noſtræ manifeſtationem differat, quia nondum manifeſtatus ſit Chriſtus cum potentia regni ſui. Hæc, inquam, una eſt ſuſtinendæ fidei noſtræ ratio, ut patienter vitam nobis promiſſam expectemus. Simulac paululum à Chriſto quiſpiam deflexerit, neceſſe erit eum deficere. *Sciendi* verbo, fidei certitudinem deſignat, ut eam diſcernat ab opinione. Nec ſimplex aut univerſalis ſcientia hic notatur: ſed quam ſibi privatim quiſque aptare debet, ut certo ſtatuat ſe Chriſto aliquando fore ſimilem. Ergo utcunque pendeat gloriæ noſtræ exhibitio uſque in Chriſti adventum, ejus tamen cognitio optime fundata eſt. *Similes.* Non intelligit pares fore. capitis enim & membrorum diſcrimen eſſe aliquod oportet: ſed ſimiles ei erimus, quia corpus noſtrum humile, conforme reddet corpori ſuo glorioſo: ut Paulus quoque docet, ad Philippenſes capite tertio, verſu vigeſimo primo. Nam breviter oſtendere Apoſtolus voluit, hunc ultimum eſſe adoptionis noſtræ finem, ut quod ordine in Chriſto præceſſit, tandem in nobis compleatur. Videtur tamen infirma eſſe quæ ſubjicitur ratio. nam ſi Chriſti aſpectus nos Chriſto ſimiles facit, communis nobiſcum erit impiis gloria, qui eum ſimiliter viſuri ſunt. Reſpondeo, hunc eſſe familiarem aſpectum, quem impii ferre nequeunt quin expaveſcant: imo præterquam quod fugient Dei conſpectum & horrebunt, ejus gloria illis oculos perſtringet, ita ut confuſi ſtupeant. Videmus enim ut Adam ſibi male conſcius, Dei præſentiam reformidet. Et illud generaliter Deus de hominibus pronunciat apud Moſem, Nemo me videbit *Exod. 33.* & vivet. *verſ. 20.* Quia fieri aliter non poteſt quin Dei majeſtas tanquam ignis conſumens, non ſecus ac ſtipulam nos conſumat: quæ ſcilicet eſt carnis noſtræ imbecillitas. Quatenus autem renovatur in nobis Dei imago, oculos habemus ad Dei aſpectum comparatos. Et nunc quidem Deus imaginem ſuam inſtaurare in nobis incipit: ſed quantula ex parte? Ergo, niſi omni carnis noſtræ corruptione exuti, Deum facie ad faciem aſpicere non poterimus. Quod etiam exprimitur particula iſta, *ſicuti eſt.* Neque enim omnem Dei aſpectum nunc nobis adimit: ſed quemadmodum dicit Paulus, Nunc tantum per ſpeculum cernimus in *1 Cor 13.* ænigmate. *verſ. 12.* Hunc autem videndi modum ab oculari intuitu alibi diſcernit. In ſumma, Deus nunc ſe nobis conſpiciendum offert, non qualis eſt, ſed qualem modulus noſter eum capit. Ita impletur illud quod habetur apud Moſen, nos eum velut à tergo dun- *Exod. 33.* taxat videre: quia in ejus facie nimius eſt fulgor. No- *verſ. 23.* tandum præterea eſt, rationem hanc, quam adducit Apoſtolus, ab effectu ſumptam eſſe, non à cauſa. Neque enim docet, ſimiles ideo nos fore, quia fruemur aſpectu: ſed inde probat nos divinæ gloriæ fore participes, quia niſi ſpiritualis, & cæleſti beataque immortalitate prædita eſſet natura, ad Deum nunquam tam prope accederet. nec tamen tanta gloriæ erit perfectio in nobis, ut totum Deum aſpectus noſter comprehendat. Longa enim tunc quoque erit inter nos & ipſum proportionis diſtantia. Sed quum dicit Apoſtolus nos eum qualis eſt viſuros, novum & ineffabilem videndi modum deſignat, cujus nunc ſumus expertes. Quamdiu enim per fidem ambulamus, Paulus nos ab eo peregrinari docet. Et quoties ſe viſendum Patribus præbuit, non in ſua eſſentia, ſed ſub ſymbolis ſemper viſus eſt. Ergo tunc demum in ſe videbitur quæ nunc latet Dei majeſtas, ubi ablatum fuerit mortalis hujus & corruptibilis naturæ velum. Ab aliis argutis diſputationibus ſuperſedeo. Videmus enim quantopere ſe in illis Auguſtinus torqueat, nec tamen ſe expedit, cum in Epiſtolis ad Paulinam & Fortunatianum, tum libro de Civitate Dei 22. & aliis locis. Quod tamen illic dicit, obſervatu dignum eſt, plus valere in hac inquiſitione, vivendi quam loquendi modum: & cavendum eſſe, ne dum altercando quærimus quomodo poſſit Deus videri, pacem & ſanctificationem perdamus, ſine qua nemo eum videbit.

3. *Omnis qui hanc ſpem habet.*) Nunc concludit, non ideo debere ſanctitatis ſtudium frigere in nobis, quia nondum appareat noſtra felicitas: ſpem enim ſufficere. porro ſcimus ſperari quæ ſunt abſcondita. Senſus ergo eſt, utcunque Chriſtum nondum habemus oculis præſentem, ſi tamen in ipſo ſperamus, fieri non poſſe quin ſpes iſta nos ad ſectandam puritatem excitet ac ſtimulet: quia ad Chriſtum recte nos dirigit, quem ſcimus abſolutum eſſe puritatis exemplar.

4. Qui-

4. Quicunque facit peccatum, etiam iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.

5. Porro noſtis quod ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.

6. Quiſquis in eo manet, non peccat: quiſquis peccat, non vidit eum.

4. *Quicunque facit.*] Jam ſupra oſtendit Apoſtolus quam ingrati ſimus Deo, ſi parvifacimus adoptionis honorem, quo nos ultro prævenit: ac non ſaltem mutuum illi amorem rependimus. Simul admonitionem illam interpoſuit, non debere affectum noſtrum diminui, quia differtur promiſſa beatitudo. Nunc autem quia homines in malis plus æquo ſibi blandiri ſolent, hanc perverſam indulgentiam corrigit, pronuncians iniquos eſſe, ac Legis tranſgreſſores quicunque peccant. Credibile enim eſt tunc fuiſſe qui blanditiis iſtis exténuarent ſua vitia, Non mirum ſi peccemus, quia ſumus homines: ſed magnum eſt peccati & iniquitatis diſcrimen. Frivolam hanc excuſationem illis excutit Apoſtolus, quum Peccatum definit eſſe divinæ Legis tranſgreſſionem. Nam illi propoſitum eſt peccati odium & horrorem inducere. Nomen ipſum Peccati leve quibuſdam videtur: iniquitas autem vel Legis tranſgreſſio non tam facile ignoſci poteſt. Cæterum non facit Apoſtolus æqualia peccata, quum iniquitatis damnat omnes qui peccant: ſed ſimpliciter docere vult, ex contemptu Dei naſci peccatum, & peccando violari Legis juſtitiam. Quare nihil commune habet cum deliro Stoicorum paradoxo hæc Joannis doctrina. Deinde hic *peccare* non ſignificat in aliquo opere delinquere: nec *peccati* nomen pro ſingulis delictis capitur: ſed Peccatum vocat, ubi homines toto cordis affectu ad malum ruunt. Nec alios peccare intelligit, niſi qui addicti ſunt peccatò. Neque enim fideles, qui adhuc carnis concupiſcentiis laborant, iniqui cenſentur, quamvis à peccato non ſint puri nec immunes. ſed quia non regnat in ipſis peccatum, Joannes dicit eos non peccare: ut mox fuſius exponam. Summa hujus ſententiæ eſt, Perverſam eorum vitam qui peccandi licentiam ſibi indulgent, exoſam eſſe Deo, nec poſſe ab eo ferri, quum ipſius Legi ſit adverſa. Hinc non ſequitur, neque poteſt colligi, fideles iniquos eſſe: quia ſubeſſe Deo cupiunt, ſibique in ſuis vitiis diſplicent, idque in ſingulis delictis. deinde vitam, quantum in ſe eſt, componunt ad Legis obſequium. Verum ubi deliberata eſt peccandi voluntas vel continuus tenor, illic eſt Legis tranſgreſſio.

5. *Porro noſtis quod ille apparuit.*] Alio argumento demonſtrat quantum inter ſe diſſideant peccatum & fides. Chriſti enim officium eſt peccata tollere, & in hunc finem à Patre miſſus eſt. fide autem percipimus Chriſti virtutem: ergo qui in Chriſtum credit, neceſſe eſt à peccatis purgari. Cæterum quum alibi dicatur Chriſtus peccata tollere, quoniam mortis ſuæ ſacrificio ea expiavit, ne coram Deo nobis imputentur: hoc loco intelligit Joannes vere & ipſo actu (ut loquuntur) Chriſtum tollere peccata, quia per ipſum crucifigitur vetus homo noſter, & per pœnitentiam carnem noſtram cum pravis concupiſcentiis Spiritus ejus mortificat. Neque enim patitur contextus, de remiſſione exponi. Sic enim (ut dixi) ratiocinatur, eos qui peccare non deſinunt, irritum facere Chriſti beneficium: quum ideo venerit, ut aboleret regnum peccati. Id autem ad Spiritus ſanctificationem refertur. *Peccatum in eo non eſt.* Non de Chriſti perſona hic agit, ſed de toto corpore. Quocunque vim ſuam diffundit Chriſtus, negat amplius locum eſſe peccato. Proinde ſtatim colligit, non peccare qui in Chriſto manent. nam ſi per fidem in nobis habitat; opus illud ſuum peragit, ut nos à peccatis purget. Unde apparet quid ſit *peccare.* Neque enim ſuo nos Spiritu perfecte uno die vel momento Chriſtus renovat: ſed renovationem ex parte cœptam continuat tota vita. Fieri ergo non poteſt quin peccato obnoxii ſint fideles, quamdiu in mundo agunt. ſed quatenus viget in ipſis Chriſti regnum, peccatum abolitum eſt. Interea cenſentur à præcipua parte: hoc eſt, juſti eſſe & juſte vivere dicuntur, quia ſincero cordis affectu ad juſtitiam aſpirant. Dicuntur *non peccare*: quia etſi carnis infirmitate labuntur, peccato tamen non conſentiunt: quin potius gemendo luctantur, ut vere teſtari cum Paulo queant ſe malum facere quod nolunt. *Manere* in Chriſto fideles dicit, quia fide in eum inſerimur, & unum efficimur cum ipſo.

Joan. 1. verſ. 29.

6. *Quiſquis peccat, non vidit eum.*] Oppoſitum membrum ſuo more addidit, ut ſciamus, falſo prætexi Chriſti fidem & notitiam abſque vitæ novitate. Nuſquam enim otioſus eſt Chriſtus, ubi regnat: ſed Spiritus ſui virtutem exerit. Proprium autem ejus eſſe dictum eſt, peccatum fugare, non ſecus atque ſol fulgore ſuo tenebras diſpellit. Atque iterum hoc loco docemur quam viva res ſit & efficax, Chriſti cognitio: nempe quæ nos in ejus imaginem transformat. Ita per *affectum & notitiam*, nihil aliud intelligitur quam fides.

7. Filioli, nemo vos decipiat: qui facit juſtitiam, juſtus eſt, quemadmodum ille juſtus eſt.

8. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quia ab initio diabolus peccat. In hoc manifeſtatus eſt Filius Dei, ut ſolvat opera diaboli.

9. Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ejus in ipſo manet. & non poteſt peccare, quia ex Deo genitus eſt.

10. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli.

7. *Qui facit juſtitiam.*] Docet hic Apoſtolus teſtandam eſſe bonis operibus vitæ novitatem: nec conſtare illam, de qua loquutus eſt, Chriſti cum ſuis membris ſimilitudinem, niſi fructus ſuos proferat. acſi diceret, Quum nos eſſe Chriſto conformes deceat, hujus rei veritas & teſtimonium in vita noſtra extet. Eadem eſt hæc exhortatio cum illa Pauli, ad Gal. cap. 5. v. 25. Si ſpiritu vivitis, ſpiritu & ambulate. Multi enim libenter perſuaderent ſe habere ſepultam in cordibus juſtitiam, dum pedes, & manus, & linguam, & oculos palam occupat iniquitas.

8. *Qui facit peccatum.*] Hoc quoque *facere*, ad externa opera refertur: ut ſit ſenſus, nullam eſſe Dei & Chriſti vitam, ubi perverſe & ſcelerate ſe homines gerunt: ſed tales diaboli potius eſſe mancipia. Qua loquutione melius exprimit quantopere à Chriſto diſſideant. Quemadmodum enim Chriſtum prius tanquam omnis juſtitiæ fontem poſuit: ita nunc diabolum ex oppoſito ſtatuit caput peccati. Negavit quenquam eſſe Chriſti, niſi qui juſtus ſit, talemque operibus ſe præſtet: nunc alios omnes in diaboli ſocietatem ablegat, ejuſque imperio ſubjicit: ut ſciamus nil eſſe medium quin tyrannidem Satan occupet, ubi primatum non obtinet Chriſti juſtitia. Neque tamen duo adverſa principia, cum Manichæis, fingenda ſunt. diabolum enim ſcimus non natura nec creationis origine, ſed defectionis ſuæ vitio malum eſſe. Scimus præterea non

Deo æqualem, ut pari jure cum eo contendat: ſed invitum conſtringi, ne quid niſi Creatoris ſui nutu & arbitrio poſſit. Poſtremo Joannes quum alios ex Deo genitos, & alios ex diabolo eſſe dicit, nullam fingit traducem, qualem Manichæi ſomniabant: ſed priores Chriſti Spiritu gubernari ſignificat: alteros autem à Satana abripi: ſicut hoc illi poteſtatis adverſus incredulos Deus concedit. *Quia ab initio diabolus peccat.* Sicuti prius non de ſola Chriſti perſona loquebatur quum dicebat eſſe juſtum, ſed illum ſtatuebat fontem & cauſam juſtitiæ: ita nunc quum diabolum peccare dicit, comprehendit totum ejus corpus, hoc eſt, reprobos omnes. Acſi diceret, hoc diabolo proprium eſſe, ut ad peccandum impellat. Unde ſequitur, ejus eſſe membra, & ab eo regi quicunque peccato addicti ſunt. Porro initium hoc cujus Apoſtolus meminit, non eſt æternitatis: quemadmodum ubi docet Sermonem initio fuiſſe. Eſt enim longe diverſa ratio in Deo & creaturis. Initium in Deo, tempus non habet. Quare quum ſemper apud Deum Sermo fuerit, non reperies aliquod temporis punctum, quo eſſe cœperit: ſed neceſſe eſt ad ipſam æternitatem venias. Hic autem nihil aliud vult Joannes, quam diabolum ſtatim à creatione mundi fuiſſe apoſtatam, & inde nullum ſpargendi in homines ſui veneni finem feciſſe. *In hoc manifeſtatus eſt Filius Dei.* Idem aliis verbis repetit quod prius dixerat, Veniſſe Chriſtum ut tolleret peccata. Hinc duo colligenda ſunt: non poſſe cenſeri in Chriſti membris, nec ad ejus corpus ullo modo pertinere, in quibus regnat peccatum. nam ubicunque vim ſuam exerit Chriſtus, diabolum una cum peccato profligat. Quod etiam mox ſubjicit Joannes. Proxima enim ſententia, ubi dicit, Non peccare qui ex Deo geniti ſunt, eſt concluſio ſuperiorum. Argumentum ductum eſt à repugnantibus, ut jam dixi: quia Chriſti regnum, quod juſtitiam neceſſario ſecum affert, ſtare cum peccato nequeat. Cæterum jam ſupra attigi quid hic ſignificet *non peccare*. Neque enim immunes prorſus ab omni vitio facit Dei filios: ſed negat hoc titulo vere gloriari, niſi qui ex animo vitam ſuam in Dei obſequium componere ſtudent. Pelagiani quidem & Cathari hoc teſtimonio olim abuſi ſunt: quum fideles Angelica puritate fingerent in hoc mundo eſſe præditos. & hoc ſeculo quidam ex Anabaptiſtis delirium illud renovarunt. Sed quicunque ejuſmodi perfectionem ſomniant, ſatis produnt quam ſtupidam habeant conſcientiam. Atque hæc Apoſtoli verba adeo nihil ſuffragantur eorum errori, ut ad ejus refutationem ſufficiant. Dicit *non peccare* qui ex Deo ſunt geniti. Nunc videndum eſt an Deus momento uno nos regeneret. Atqui conſtat ſic inchoari in nobis regenerationem, ut ad mortem uſque, veteris hominis reliquiæ maneant. Quod ſi nondum plena eſt ac ſolida regeneratio, nonniſi pro modo ſuo à peccati ſervitute nos eximit. Hinc apparet fieri non poſſe quin vitiis laborent filii Dei, & quotidie peccent: quatenus ſcilicet reſiduum adhuc aliquid habent veteris naturæ. & manet tamen illud fixum quod Apoſtolus contendit, hunc eſſe regenerationis finem, ut peccatum aboleatur: ideoque juſte & pie vivere quicunque ex Deo geniti ſint, quia Spiritus Dei peccandi libidinem corrigat. Idque intelligit Apoſtolus per *ſemen* Dei. Sic enim format Dei Spiritus piorum corda ad rectos affectus, ut non prævaleat caro cum ſuis concupiſcentiis: ſed domita quaſi ſub jugo cohibeatur. In ſumma, ſuperiores partes Apoſtolus in electis Spiritui tribuit, qui virtute ſua peccatum reprimat, neque ſinat vigere.

9. *Et non poteſt peccare.*] Hic jam altius conſcendit Apoſtolus. nam clare pronunciat, efficaciter piorum corda gubernari à Dei Spiritu, ut inflexibili affectu ſequantur ejus ductum. Hoc vero à Papiſtica doctrina longe remotum eſt. Fatentur quidem Sorbonici, voluntatem hominis, niſi adjutam à Dei Spiritu, non poſſe quod rectum eſt appetere: ſed talem Spiritus motum eſſe fingunt, qui liberam nobis relinquat boni & mali optionem. Hinc merita eliciunt: quia Spiritus gratiæ ſponte obſequimur, quam in poteſtate noſtra erat rejicere. Denique hanc ſolam Spiritus gratiam eſſe definiunt, ut poſſimus bene velle, ſi libuerit. Joannes hic longe aliter. Neque enim tantum docet poſſe nos non peccare: ſed tam efficacem eſſe Spiritus motum, ut neceſſario nos in conſtanti juſtitiæ obedientia retineat. Neque hic ſolus eſt Scripturæ locus, qui doceat ſic formari voluntatem, ut nonniſi recta eſſe poſſit. Teſtatur enim Deus ſe cor novum dare filiis ſuis: & facturum promittit, ut in præceptis ſuis ambulent. Adde quod Joannes non ſolum docet quam efficaciter agat ſemel Deus in homine: ſed clare affirmat, *Spiritum* ſuam gratiam in nobis ad extremum uſque proſequi, ut ad vitæ novitatem inflexibilis perſeverantia accedat. Quare ne imaginemur cum Sophiſtis medium aliquem motum, quem homini liberum ſit vel ſequi vel reſpuere: ſed ſciamus corda noſtra regi à Dei Spiritu, ut juſtitiæ conſtanter adhæreant. Porro abſurdum, quod objiciunt Sophiſtæ, facile refellitur. Dicunt hoc modo voluntatem tolli ab homine. ſed falſo. Voluntas enim à natura eſt: ſed quia naturæ corruptio pravos tantum affectus generat, ideo neceſſe eſt ut eam Spiritus Dei reformet, quo bona eſſe incipiat. Deinde quia ſtatim exciderent homines à bono, neceſſe eſt ut idem Spiritus, quod cœpit, ad finem uſque perducat. De merito facilis eſt reſponſio. Neque enim pro abſurdo habendum eſt, ſi nihil homines mereantur: & tamen bona opera cenſeri non deſinunt, quæ manant ex gratia Spiritus, quia voluntaria ſunt. Habent etiam mercedem, quia gratuito accepta hominibus feruntur, perinde acſi ipſorum eſſent. Sed hic exoritur quæſtio, An ſimulac regenitus eſt quiſpiam Dei Spiritu, nunquam poſſit in eo extingui timor Dei & pietas. Hoc enim videntur ſonare Apoſtoli verba. Qui aliter ſentiunt, citant Davidis exemplum, qui ad tempus ſic oppreſſus eſt belluino ſtupore, ut nulla ſcintilla in eo appareat. Quin etiam Pſalmo 51. eum ſibi reſtitui petit. Unde ſequitur, fuiſſe privatum. Ego tamen non dubito quin ſemen *illud, quo electos ſuos regenerat Deus*, ut eſt *incorruptibile*, ita perpetuam vim retineat. Fieri quidem poſſe concedo ut interdum ſuffocetur, quemadmodum in Davide: ſed tamen quo tempore videbatur extincta eſſe omnis in eo pietas, carbo vivus ſub cineribus latebat. Conatur quidem Satan evellere quicquid Dei eſt in electis: ſed ubi plurimum illi permittitur, manet ſemper occulta radix, quæ deinde pullulat. Cæterum Joannes non de uno actu (ut vocant) hic loquitur, ſed de continuo vitæ tenore. Fanatici quidam æternum neſcio quod ſemen in electis ſomniant, quod ſemper afferant ex matris utero: ſed huc pluſquam importune torquent Joannis verba. neque enim de æterna electione diſputat, ſed initium à regeneratione facit. Sunt etiam alii bis furioſi, qui hoc prætextu fidelibus quidvis licere volunt, quia Joannes poſſe eos peccare negat. Volunt ergo ut ſine diſcrimine ſequamur quocunque nos affectus tulerit: ita ſcortandi, furandi & occidendi licentiam faciunt, quia peccatum eſſe nequeat ubi regnat Dei Spiritus. Sed longe alia eſt mens Apoſtoli. peccare enim ideo negat fideles, quia eorum cordibus Legem ſuam Deus inſculpſit, quemadmodum habetur apud Prophetam. *Jer. 31. verſ. 33.*

10. *In hoc manifeſti ſunt.*] Paucis verbis concludit, fruſtra ſibi locum & nomen arrogare inter Dei filios qui non ſe tales probant pia & ſancta vita: quandoquidem hac nota differant à filiis diaboli. Porro non ita manifeſtatos intelligit, ut palam dignoſci à toto mundo queant: ſed hoc tantum vult, fructum & effectum divinæ adoptionis ſemper exſtare in vita.

Quiſquis

Quiſquis non facit juſtitiam, non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum.
11. Quia hæc eſt prædicatio quam audiſtis ab initio, ut mutuo nos diligamus.
12. Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et qua de cauſa eum occidit? Quia opera ejus mala erant, fratris autem juſta.
13. Ne miremini, fratres mei, ſi vos mundus odit.

Qui facit juſtitiam.] Facere juſtitiam, & facere peccatum, ſunt hic inter ſe oppoſita. Itaque facere juſtitiam, nihil aliud eſt quam ea animo Deum timere, & ambulare in ejus præceptis, quantum fert humana fragilitas. Quanquam enim juſtitia, ſi exacte æſtimetur, non alia eſt quam plena Legis obſervatio, à qua multum ſemper abſunt fideles: quia tamen delicta & lapſus illis Deus non imputat, juſtitia vocatur dimidium hoc obſequium quod Deo præſtant. Pronunciat autem Joannes, non eſſe ea Deo quicunque non juſte vivunt: quia quoſcunque vocat Deus, eos Spiritu ſuo regenerat. Ergo vitæ novitas, perpetuum eſt divinæ adoptionis teſtimonium. *Et qui non diligit fratrem.* Generalem doctrinam ad ſuum inſtitutum accommodat. Hactenus enim ad fraternam charitatem hortatus eſt fideles: nunc eodem refert ſummam veræ juſtitiæ. Quare hoc membrum vice expoſitionis additum eſt. Cæterum, jam prius dixi qua ratione comprehendatur ſub fraterna charitate tota juſtitia. Priores quidem partes obtinet amor Dei: ſed quia ex eo pendet fraterna inter homines charitas, ſæpe per ſynecdochen, ille ſub hac includitur, & viciſſim hæc ſub illo. Ergo ut quiſque beneficentiæ & humanitati deditus eſt, ita juſtum eſſe & cenſeri pronunciat: quia charitas eſt Legis complementum. Confirmat hanc ſententiam quum dicit, *ita edoctos* fuiſſe ab initio fideles. nam his verbis ſignificat non debere illis novam videri definitionem quam ponit.

12. *Non ſicut Cain.*] Altera confirmatio ex contrario ſumpta: quia in reprobis & filiis diaboli regnet odium, & quaſi principatum in eorum vita teneat. cujus rei ſpeculum proponit Cain. Interea hoc ad piorum conſolationem valet: quemadmodum tandem concludit, *Ne miremini ſi vos odit mundus.* Hæc exegeſis diligenter notanda eſt: ſemper enim in vitæ ratione hallucinantur homines, quia ſanctitatem conſtituunt in fictitiis operibus: ac dum ſe macerant in nugis, putant ſe Deo bis gratos eſſe. Sicuti monachi ſuum vivendi genus, perfectionis ſtatum ſuperbe nominant. nec alius in Papatu cenſetur cultus Dei, quam ſuperſtitionum colluvies. Atqui Apoſtolus hanc demum juſtitiam teſtatur probari Deo, ſi nos mutuo diligimus: rurſus diabolum regnare, ubi odium, ſimultas, invidia, & inimicitiæ graſſantur. Simul tamen memoria tenendum eſt quod nuper attigi, fraternam charitatem, quia ex Dei amore naſcitur tanquam effectus ex cauſa, ideo non disjungi: quin potius hoc nomine laudari ab Joanne, quod ſit noſtra in Deum pietatis approbatio. Quum dicit, *Cain* ad fratris cædem hac cauſa fuiſſe impulſum, quoniam opera ejus mala erant: ſignificat quod jam monui, ubi regnat impietas, odium omnes vitæ partes occupare. Juſta Abelis opera commemorat, quo patienter ferre diſcamus ſi mundus nos gratis, nullaque injuria provocatus, odio habet.

14. Nos ſcimus quod tranſierimus à morte in vitam, quia diligimus fratres. qui non diligit fratrem, manet in morte.
15. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: & noſtis quod omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.
16. In hoc cognoſcimus charitatem, quod ille pro nobis animam ſuam poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.
17. Si quis habeat victum mundi, & videat fratrem ſuum egentem, & claudat viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei in ipſo manet?
18. Filioli mei, ne diligamus ſermone, neque lingua, ſed opere & veritate.

14. *Nos ſcimus.*] Inſigni elogio charitatem nobis commendat, quia teſtimonium ſit noſtri à morte in vitam tranſitus. unde ſequitur, ſi fratres diligamus, nos eſſe felices: miſeros autem, ſi odimus. Nemo eſt qui non à morte liberari & exire cupiat. Ergo pluſquam ſtupidos eſſe oportet, qui odium fovendo, ſponte morti ſuæ indulgent. Porro quum dicit Apoſtolus, ex dilectione cognoſci quod tranſierimus in vitam: non ſignificat hominem ſuum eſſe liberatorem, quaſi fratres diligendo, à morte ſe eripiat, ſibique vitam comparet. Neque enim hic de ſalutis cauſa diſputat: ſed quum charitas præcipuus ſit fructus Spiritus, certum quoque eſt regenerationis ſymbolum. Proinde à ſigno ratiocinatur Apoſtolus, non autem à cauſa. Nam quia nemo ſincere fratres diligit, niſi qui Spiritu Dei regenitus eſt: hinc rite colligitur, Spiritum Dei, qui vita eſt, in omnibus habitare qui fratres diligunt. Sed præpoſtere inde quiſquam inferret, charitate vitam acquiri, quum ſit charitas ordine poſterior. Plus coloris haberet hoc argumentum, Si vitæ noſtræ certiores facit nos charitas, ſalutis igitur fiduciam in opera recumbere. ſed ejus quoque non difficilis eſt ſolutio. Etſi enim omnibus Dei gratiis, tanquam adminiculis, confirmatur fides: non tamen ſuum in una Dei miſericordia fundamentum habere deſinit. Exempli gratia, quum luce fruimur, certi ſumus ſolem lucere: ſi locum in quo ſumus ſol irradiat, habemus clariorem quendam aſpectum: ſed tamen ut non pertingant ad nos viſibiles radii, hoc ipſo contenti ſumus, quod ſol ſplendoris ſui uſum ad nos diffundit. ita poſtquam in Chriſto fundata eſt fides, poſſunt quædam accidere quæ illam juvent: in ſola tamen Chriſti gratia interim acquieſcit.

15. *Homicida eſt.*] Quo nos melius ad charitatem ſtimulet, oſtendit quam deteſtabilis coram Deo res ſit odium. Nemo eſt qui non homicidium horreat: imo nomen ipſum execramur omnes. Apoſtolus autem homicidas eſſe pronunciat quicunque fratrem odio habent. Nihil dici atrocius potuit: nec tamen hoc eſt hyperbolicum. nam quem odimus, vellemus periſſe. Nec refert ſiquis manus ſuas à noxa abſtineat: ipſa enim nocendi cupiditas, non aliter ac conatus, damnatur coram Deo. Imo etiam ubi nocere non appetimus, ſi tamen aliunde cupimus malum fratri noſtro accidere, tunc quoque homicidæ ſumus. Ergo Apoſtolus rem, ut eſt, ſimpliciter definit, quum *homicidii* nomen tribuit odio. Unde convincitur hominum ſtultitia, quod quum nomen abominentur, crimen ipſum prope nihili faciunt. Unde id? Quia ſcil. externa rerum facies ſenſus omnes noſtros occupat: coram Deo interior affectus in rationem venit. Quare nequis amplius tam grave malum extenuet, diſcamus noſtra judicia ad Dei tribunal revocare.

16. *In hoc cognovimus.*] Nunc quænam ſit vera charitas oſtendit. neque enim eam laudare ſatis eſſet, niſi vis ejus teneatur. Perfectam autem charitatis regulam proponit in Chriſti exemplo: quia propriæ vitæ non parcendo, teſtatum fecit quantopere nos diligeret. ad hunc ergo ſcopum tendere jubet. Summa eſt, in eo probari noſtram charitatem, ſi amorem noſtri in fratres transferimus, ita ut ſui quiſque quodammodo oblitus, aliis conſulat. Certum quidem eſt, nos Chriſto eſſe longe impares: ſed Apoſtolus imitationem nobis commendat: quia etſi ipſum non aſſequimur, procul tamen ejus veſtigia ſequi conveniet. Sane quum Apoſtoli conſilium ſit, inaoem hypocritis jactantiam excutere, qui fidem Chriſti ſine fraterno amore ſe habere gloriantur: niſi in animis noſtris vigeat hoc ſtudium, nihil eſſe nobis cum Chriſto commuoe, his verbis ſignificat. Neque tamen (ut dixi) Chriſti dilectionem nobis ita proponit, ut æqualem à nobis exigat. Quid enim hoc foret, quam ad unum omnes ad deſperationem cogere? Sed ita vult compoſitos eſſe noſtros affectus, ut vitam ſimul & mortem cupiamus primum Deo, tum etiam proximis impendere. Eſt alterum inter nos & Chriſtum diſcrimen, quod non eadem mortis noſtræ virtus eſſe poteſt. Neque enim ſanguine noſtro placatur ira Dei, nec morte vita acquiritur, nec debita aliis pœna perſolvitur. Sed Apoſtolus in hac comparatione, qualis fuerit vel finis vel effectus mortis Chriſti, non ſpectavit: ſed tantum vitam noſtram formari voluit ad ejus exemplum.

17. *Si quis habeat victum.*] Nunc concionatur de communibus charitatis officiis, quæ ex ſummo illo fonte manant: ubi ſcilicet nos ad mortem uſque proximis impendere parati ſumus. Quanquam videtur à majori ad minus argumentari. nam qui facultatibus ſuis, ſalva & incolumi vita, fratris inopiam levare abnuit, multo minus vitam ſuam exponeret. Ergo charitatem in nobis eſſe negat, ſi proximos ope noſtra fraudemus. Cæterum externam beneficentiam ſic commendat, ut ſimul optime exprimat quænam vera ſit benefaciendi ratio, & qualis eam regere debeat affectus. Sit igitur hæc prima propoſitio, neminem vere amare fratres quin hoc reipſa teſtetur, quoties uſus poſtulat. Altera, quantum quiſque facultatis habet, eatenus obſtringi ad fratres juvandos: quia Dominus hoc modo nobis ſuppeditat exercendæ charitatis materiam. Tertia, ſpectandam eſſe cujuſque neceſſitatem: quia ut quiſque cibo & potu indiget, aut aliis rebus quarum nobis ſuppetit copia, ita officium noſtrum implorat. Quarta, nullam beneficentiam, niſi τῇ συμπαθείᾳ conjunctam, Deo placere. Multi in ſpeciem ſunt liberales, qui tamen fratrum miſeriis minime tanguntur. Verum Apoſtolus præcipit aperienda eſſe viſcera: quod fit dum induimus fere eundem ſenſum, ut aliorum malis non ſecus condoleſcamus ac noſtris. *Charitas Dei.* Hic de fratribus diligendis agitur. quorſum ergo amorem Dei nominat? nempe tenendum eſt illud principium, fieri non poſſe quin Dei charitas, fratrum amorem in nobis generet. Atque hoc modo noſtri erga ſe amoris experimentum capit Deus, dum ſui reſpectu homines diligi jubet: quemadmodum Pſal. 16. v. 2. habetur, Benignitas mea ad te non pertingit: ſed erga ſanctos qui in terra ſunt, voluntas mea & ſtudium meum.

18. *Ne diligamus ſermone.*] Conceſſio eſt in hoc priore membro. Neque enim lingua tantum diligere poſſumus: ſed quia falſo hoc multi jactant, eorum ſimulationi, rei nomen concedit Apoſtolus, ut ſæpe fieri ſolet. Quanquam altero membro eorum vanitatem coarguit, quum veritatem eſſe negat, niſi in opere. Sic enim reſolvi debent verba, Non profiteamur lingua nos amare, ſed opere id probemus: quia hæc demum vera eſt amoris ratio.

19. Et in hoc cognoſcimus quod ex veritate ſumus, & coram ipſo perſuadebimus corda noſtra.

20. Quod ſi accuſet nos cor noſtrum, certe major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.

21. Dilecti, ſi cor noſtrum nos non accuſet, fiduciam habemus erga Deum.

22. Et ſi quid petierimus, accipimus ab eo: *quia præcepta ejus ſervamus, & quæ coram eo placent, facimus.*

19. *Et in hoc cognoſc.*] Nomen *veritatis* diverſo nunc ſenſu accipit: ſed elegans eſt proſonomaſia, Si vere proximos diligimus, hinc nos habere teſtimonium quod ſimus ex Deo geniti, qui veritas eſt: vel quod Dei veritas locum in nobis habeat. Semper autem meminerimus, non habere nos ex charitate notitiam quam dicit Apoſtolus. quaſi inde petenda ſit ſalutis certitudo. Et certe non aliunde cognoſcimus nos eſſe Dei filios, niſi quia gratuitam ſuam adoptionem cordibus noſtris per Spiritum ſuum obſignat: & nos certum ejus pignus in Chriſtu oblatum, fide amplectimur. Eſt igitur charitas acceſſio vel adminiculum inferius, ad fidei fulturam: non fundamentum quo nititur. Cur ergo dicit Apoſtolus, *Perſuadebimus coram Deo corda noſtra?* Nempe his verbis admonet, non conſiſtere fidem ſine bona conſcientia. non quod inde oriatur perſuaſio, aut pendeat: ſed quia tunc demum vere, non fallaciter, de noſtra cum Deo conjunctione perſuaſi ſumus, dum Spiritus ſancti efficacia in charitate noſtra ſe profert. Semper enim quid agat Apoſtolus, expendere convenit. Quia enim fictam & fallacem fidei profeſſionem damnat, non aliter coram Deo ſolidam perſuaſionem nobis conſtare dicit, quam ſi ejus Spiritus fructum charitatis in nobis proferat. Tametſi autem disjungi à fide non poteſt bona conſcientia, nemo tamen rite inde colliget reſpiciendum ad opera noſtra eſſe, ut nobis ſirma ſit perſuaſio.

20. *Quod ſi accuſet.*] Probat ex contrario, fruſtra nomen & ſpeciem habere Chriſtianorum, quos bonæ conſcientiæ teſtimonium deficit. Nam ſi quis male ſibi conſcius eſt, & proprio animi ſui ſenſu damnatur, multo minus effugiet Dei judicium: ſequitur ergo, malæ conſcientiæ inquietudine ſubverti fidem. *Deum corde noſtro majorem* vocat, reſpectu judicii: quia ſcilicet multo acutius videat quam nos, & acrius inquirat, & ſeverius judicet. Qua ratione dicit Paulus, etiamſi nullius rei ſibi conſcius ſit, non *1 Cor. 4*
tamen propterea juſtificari. Agnoſcit enim, quan- *verſ. 4.*
tumvis ſollicite ad officium intentus ſit, in multis tamen ſe errare, & ſibi ignoſcere errata per incogitantiam, quæ Deus animadvertit. Hoc ergo vult Apoſtolus, fieri non poſſe ut Dei judicium effugiat quem urget ac conſtringit ſua ipſius conſcientia. Eodem pertinet quod mox ſubjicit, Deum omnia videre. Quomodo enim laterent quæ nos videre cogimur, qui præ illo ſumus hebetes, adeoque cæci? Sic ergo reſolve: Deus quum omnia videat, longe ſuperior eſt corde noſtro. Copulam enim vice cauſalis particulæ accipi novum non eſt. Nunc ſenſus clarus eſt: nempe quum altius penetret Dei cognitio quam conſcientiæ noſtræ ſenſus, neminem coram ipſo poſſe conſiſtere, niſi quem ſuſtinet conſcientiæ integritas. Sed hic objicitur quæſtio. Certum eſt eo ſtuporis interdum reprobos demergi à Satana, ut mala ſua amplius non ſentiant, ac ſine dolore & metu

(quem-

(quemadmodum dicit Paulus) ſecure ruant in ſuum interitum. Certum etiam eſt, hypocritas ſolere ſibi blandiri, ac ſuperbe contemnere Dei judicium: quia falſa juſtitiæ opinione ebrii, peccatis ſuis non tanguntur. Reſponſio facilis eſt, ideo falli hypocritas, quia lucem fugitant: ideo nihil ſentire reprobos, quia à Deo recedunt. imo nulla eſt niſi in latebris, malæ conſcientiæ ſecuritas. Sed Apoſtolus hic de conſcientiis loquitur quas Deus in lucem extractas, ad tribunal ſuum cogit, & judicii ſui ſenſu exercet. Quanquam hoc quoque generaliter verum eſt, nunquam nobis tranquillam conſtare pacem, niſi quam Spiritus Dei purgatis cordibus præſtat. Nam quos ſtupere dicimus, illi tamen cæcas punctiones ſubinde ſentiunt, & in ſuo veterno torquentur.

21. *Si cor noſtrum nos non accuſet.*] Jam expoſui, neque ad hypocriſin, neque ad craſſum Dei contemptum hoc pertinere. Nam utcunque reprobis vitæ
Prov. 16. ſuæ placeant, Dominus tamen ponderat corda, in-
verſ. 2. quit Solomon. Hæc Dei trutina ſuo examine efficit ne quis gloriari queat ſe mundum habere cor. Hunc ergo ſenſum habent Apoſtoli verba, tunc nos demum tranquilla fiducia venire in conſpectum Dei, quum nobis bene conſcii, recti & probi cordis teſtimonium nobiſcum afferimus. Eſt quidem ve-
Epheſ. 3. rum illud Pauli, Fide, quæ Chriſti gratia nititur,
verſ. 12. nobis aditum ad Deum cum fiducia patefieri. Item, Fide nobis pacem conferri, ut tranquillæ coram Deo ſtent noſtræ conſcientiæ. Sed inter iſtas ſententias nihil eſt diſſidii. Nam Paulus cauſam fiduciæ oſtendit: Joannes vero tantum accidens inſeparabile commemorat, quod neceſſario cohæret, quamvis cauſa non ſit. Hic tamen oritur major difficultas, quod nihil videtur relinquere fiduciæ in toto mundo. quis enim reperietur, quem nulla in re cor ſuum arguat? Reſpondeo, pios ita coargui ut ſe pariter abſolvant: nam ſuis quidem eos peccatis intus ſerio pungi neceſſe eſt, ut terror ad humilitatem ſuique diſplicentiam erudiat: ſed mox ad Chriſti ſacrificium confugiunt, ubi certam pacem habent. Quanquam Apoſtolus alio ſenſu eos non accuſari dicit: quia utcunque ſe in multis deficere agnoſcant, ſublevantur tamen hoc conſcientiæ teſtimonio, quod vere & ex animo Deum timeant, ſeque ſubjicere cupiant ejus juſtitiæ. Quicunque hoc pio affectu ſunt prædīti, & interea ſciunt ſua ſtudia, quantumvis à perfectione diſtent, Deo tamen placere, merito cor ſedatum vel pacatum habere dicuntur: quia nulla eſt interior punctio quæ placidam eorum hilaritatem turbet.

22. *Et ſi quid petierimus.*] Quia res ſunt inter ſe connexæ, fiducia & Dei invocatio: quemadmodum prius malam conſcientiam docuit repugnare fiduciæ, ita nunc non poſſe invocari Deum pronunciat; niſi ab iis qui eum puro corde timent, & rite colunt. Hoc poſterius ex priore ſequitur. Eſt illud generale Scripturæ axioma, Non exaudiri à Deo impios: quin potius ſacrificia eorum & preces abominationi eſſe. Ergo janua hic clauditur hypocritis, ne in Dei conſpectum cum ejus contemptu prorumpant. Interea non ſignificat afferendam eſſe bonam conſcientiam, quaſi precibus noſtris gratiam concilíet: væ nobis ſi ad opera reſpicimus, quæ nihil quam trepidationis materiam in ſe habent. Non aliter igitur quam Chriſto mediatore freti, ad Dei tribunal aſpirant fideles. Sed quia cum fide ſemper conjunctus eſt amor Dei, quo magis hypocritas perſtringat Apoſtolus, hoc ſingulari privilegio quo Deus ſuos filios dignatur, eos privat: ne ſcilicet putent aditum eſſe ad Deum ſuis precibus. Quum dicit, *Quia ſervamus ejus præcepta*, non intelligit fundatam eſſe in operibus noſtris orandi fiduciam: ſed in hoc tantum inſiſtit, non poſſe à fide disjungi pietatem & ſincerum Dei cultum. Nec abſurdum videri debet quod particulam cauſalem uſurpet, utcunque de cauſa non diſputet: nam accidens inſeparabile, interdum cauſæ loco poni ſolet. Quemadmodum ſiquis dicat, Quia ſol meridie ſupra nos lucet, plus tunc eſſe caloris. Neque enim ſequitur, ex luce oriri calorem.

23. Et hoc eſt præceptum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jeſu Chriſti: & nos diligamus invicem, ſicuti præceptum dedit nobis.

24. Qui ſervat præcepta ejus, in ipſo manet, & ipſe in eo: atque in hoc cognoſcimus quod manet in nobis, ex Spiritu quem nobis dedit.

23. *Et hoc eſt præceptum.*] Rurſus generalem ſententiam ad ſuum propoſitum accommodat. Summa eſt, nobis tale eſſe cum Deo diſſidium, ut ab ejus acceſſu arceamur, niſi fraterno inter nos amore ſimus conjuncti. quanquam non ſolam hic charitatem, ut prius, commendat: ſed fidei comitem & quaſi pediſequam adjungit. Hæc verba Sophiſtæ ſuis commentis depravant: quaſi partim fide, partim operibus nobis comparetur orandi libertas. Quum Joannes ad legitimam precandi rationem hoc requirat, ut ſervemus Dei mandata: & poſtea doceat fide & charitate hanc obſervationem conſtare: colligunt illi, ex his duobus orandi fiduciam concipi debere. Ego autem jam aliquoties monui, hic minime tractari unde vel quibus modis ſibi hoc comparent homines, ut Deum invocare audeant. hic enim de cauſa vel dignitate non agitur: tantum oſtendit Joannes, Deum colloquii ſui honore & privilegio nonniſi filios, & quidem Spiritu ſuo regenitos, dignari. Proinde hic eſt orationis contextus, Ubi non regnat timor Dei & reverentia, fieri non poteſt ut Deus nos exaudiat. Quod ſi nobis propoſitum eſt ejus mandatis obedire, videndum eſt quid præcipiat. Atqui fidem à charitate non ſeparat: ſed utramque uno velut complexu à nobis exigit. Atque hæc ratio eſt cur nomen *mandati*, ſingulari numero poſuerit. Cæterum hic locus inſignis eſt: quia tam perſpicue quam breviter definit in quo conſiſtat tota ſanctæ vitæ perfectio. Non eſt ergo quod difficultatem cauſemur: quando nos Deus minime per longas ambages circumagit; ſed ſimpliciter & uno verbo nobis exponit quid rectum ſit, & quid ſibi placeat. Adde quod nulla in hac brevitate eſt obſcuritas: quia nobis recte vivendi principium & finem clare demonſtrat. Quod autem hic tantum fraternæ charitatis fit mentio, præterito Dei amore, ratio eſt (ut alibi diximus) quod fraterna charitas, ſicuti ex ſolo amore Dei manat, ita certa ſit & vera ejus approbatio. *Nomini Filii ejus.* Nomen ad prædicationem reſpicit: atque hæc relatio notanda eſt, quia pauci quid ſit in Chriſtum credere intelligunt. Ex hac autem loquutione colligere promptum eſt, hanc eſſe demum rectam fidem quæ Chriſtum, qualis prædicatur in Euangelio, amplectitur. Unde etiam conficitur, nullam eſſe abſque doctrina fidem. quemadmodum & Paulus docet Rom. 10. v. 14. Simul & hoc notandum, quod fidem Apoſtolus in Chriſti cognitione includit. Eſt enim viva Patris imago, & in eo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Quare ſimulatque ab eo deflexímus, nihil poſſumus quam in errore vagari.

24. *Qui ſervat præcepta.*] Confirmat quod jam prius dixit, ita patefieri quam habemus cum Deo

conjunctionem, ſi nos mutuo diligimus. Non quod inde incipiat conjunctio, ſed quia otioſa eſſe nequeat & abſque effectu, ubicunque eſſe cœpit. Atque id probat addita ratione: quia non maneat Deus in nobis, niſi Spiritus ejus in nobis habitet. Atqui Spiritus ejus ubicunque ſit, neceſſe eſt ut vim & efficaciam ſuam exerat. Unde colligere promptum eſt, non alios manere in Deo, ac illi unitos eſſe, niſi qui ejus mandata ſervant. Quum ergo dicit, *Et in hoc cognoſcimus*: copula *Et*, quia pro cauſæ redditione ponitur, tantum valet atque Nam aut Quia. Cæterum expendi debet præſentis cauſæ circumſtantia. Tametſi enim hæc ſententia verbis convenit cum illa Pauli, ubi Spiritum dicit teſtari cordibus noſtris nos eſſe Dei filios, & nos per eum clamare ad Deum, Abba Pater: in ſenſu tamen eſt aliquid diſcriminis. Nam Paulus de gratuitæ adoptionis certitudine loquitur, quam Spiritus Dei cordibus noſtris obſignat: Joannes autem hic effectus reſpicit quos profert Spiritus in nobis habitans. Quemadmodum & Paulus ipſe, quum dicit eos eſſe Dei filios, qui Spiritu Dei aguntur. Nam illic quoque de mortificatione carnis, & vitæ novitate diſſerit. Hæc ſumma eſt, inde conſtare an filii Dei ſimus, ſi vitam noſtram Spiritus ejus moderatur & gubernat. Interea docet Joannes, quicquid eſt in nobis bonorum operum, provenire ex gratia Spiritus: & hunc Spiritum non acquiri noſtra juſtitia, ſed gratuito nobis donari.

CAP. IV.

DIlecti, ne omni ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint: quia multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.

2. In hoc cognoſcite Spiritum Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.

3. Et omnis ſpiritus qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt. & hic eſt Antichriſtus, de quo audiiſtis quod venturus ſit, & nunc jam in mundo eſt.

Redit ad ſuperiorem doctrinam, quam attigerat capite ſecundo. Plerique enim (ut in rebus novis fieri ſolet) Chriſti nomine abutebantur ad ferendos ſuos errores. Alii dimidia ex parte profitebantur Chriſtum: interea quum locum haberent inter domeſticos, plus valebant ad nocendum. Præſertim in Chriſto ipſo turbandæ Eccleſiæ materiam captabat Satan. nam hic eſt lapis offenſionis, ad quem impingere neceſſe eſt omnes qui planam viam, ut à Deo nobis monſtratur, non tenent. Porro tribus membris conſtat tota hæc Apoſtoli oratio. Nam primo malum oſtendit unde periculum fidelibus inſtabat: atque hac ratione eos ad cavendum hortatur. Cavendi modum præſcribit, ut dijudicent inter ſpiritus. atque hoc eſt ſecundum membrum. Tandem ſpeciem unam deſignat, à qua maximum erat illis periculum. vetat igitur eos audire, qui Filium Dei in carne manifeſtatum eſſe negant. Nunc ſingula ordine tractemus. Tametſi autem in contextu ratio iſta ſubjicitur, quod multi pſeudoprophetæ in mundum exierint: tamen inde initium facere convenit. Continet autem hæc ſententia utilem admonitionem quia ſi jam tunc multos impulerat Satan, qui ſub Chriſti nomine ſuas impoſturas ſpargerent: hodie ſimile exemplum conſternere nos non debet. Hæc enim perpetua eſt Euangelii conditio, ut ejus puritatem variis erroribus inficere ac corrumpere moliatur Satan. Hoc noſtrum ſeculum horrenda quædam ſectarum portenta protulit: qua occaſione multi attoniti hærent, & quorſum ſe vertere debeant neſcientes, omnem pietatis curam abjiciunt. neque enim melius inveniunt compendium ſeſe extricandi ab errorum periculo. Stulte id omnino: lucem enim veritatis fugiendo, ſeſe ultro in errorum tenebras conjiciunt. Quare hoc in animis noſtris fixum hæreat, ex quo dublicari cœpit Euangelium, ſtatim extitiſſe pſeudoprophetas. Muniet etiam nos hæc doctrina contra illud offendiculum. Pleroſque errorum vetuſtas quaſi vinctos retinet, ne inde emergere audeant. atqui Joannes inteſtinum Eccleſiæ malum hic deſignat. Quod ſi jam tum Apoſtolis aliiſque fidis Doctoribus permiſti fuerunt impoſtores: quid mirum ſi jampridem oppreſſa Euangelii doctrina, multæ corruptelæ in mundo graſſatæ ſunt? Non eſt igitur quod nos impediat antiquitas, quominus libere veritatem à mendacio diſcernamus.

1. *Ne omni ſpiritui credatis.*] Multi (ut dictum eſt) quum Eccleſia diſſidiis & contentionibus vexatur, expavefacti, ab Euangelio diſcedunt. Spiritus autem longe diverſum remedium præſcribit: ne temere ſcilicet & abſque delectu quamlibet doctrinam recipiant fideles. Cavendum igitur ne opinionum varietate offenſi, doctores una cum verbo Dei valere jubeamus. Sed hoc temperamentum ſufficiat, non eſſe promiſcue omnes audiendos. Nomen *Spiritus*, metonymice accipio, pro eo qui Spiritus dono ſe præditum eſſe jactat ad obeundum Prophetæ munus. Nam quum nemini permiſſum ſit privato ſuo nomine loqui, nec fides loquentibus habenda ſit, niſi quatenus Spiritus ſancti ſunt organa: quo plus auctoritatis haberent Prophetæ, hoc elogio Deus ipſos ornavit, acſi eos eximeret ex communi hominum numero. Spiritus ergo vocabantur: qui linguam tantum præbentes oraculis Spiritus ſancti, miniſtram ejus perſonam quodammodo *ſuſtinebant*: *nihil* proferebant ex proprio *ſenſu*, nec privato ſuo nomine prodibant in medium. Huc autem ſpectabat tam honorificus titulus, ne quid ob miniſtri contemptum, verbi Dei reverentiæ decederet. Nam Deus ſemper verbum ſuum ex hominum ore non ſecus excipi voluit, quam ſi palam ipſe è cælo apparuiſſet. Hic ſe medium injecit Satan: & quum falſos doctores ſupponeret ad verbum Dei adulterandum, nomen quoque illis impoſuit ſub quo melius fallerent. Ita pſeudoprophetæ ſuperciliose & plenis buccis ſemper ſibi arrogare ſoliti ſunt quicquid Deus in ſervos ſuos honoris contulerat. Videtur autem conſulto Apoſtolus hoc nomine uſus eſſe, ne ſuis larvis nos decipiant qui falſo Dei nomen prætendunt: quemadmodum videmus hodie permultos nudo Eccleſiæ titulo obſtupefieri, ut ſe in æternum interitum Papæ addicere malint, quam illi quicquam vel minimum auctoritatis abrogare. Notanda eſt igitur iſta conceſſio. Poterat enim dicere Apoſtolus, non eſſe quibuſvis hominibus credendum: ſed quoniam falſi doctores Spiritus titulum mentiebantur, eum ſic ipſis relinquit, ut ſimul admoneat frivolum ac nugatiorium eſſe, niſi re ipſa exhibeant quod profitentur: ſtultos vero eſſe qui ad ſolum honorifici tituli ſtrepitum attoniti, de re inquirere non audeant. *Probate ſpiritus.* Quia non omnes veræ ſunt prophetiæ, Apoſtolus hic pronunciat revocandas eſſe ad examen. Alloquitur autem non modo totum Eccleſiæ corpus, ſed etiam ſingulos fideles. Sed quæritur unde nobis iſta diſcretio. Qui reſpondent, verbum Dei regulam eſſe ad quam exigi oporteat quicquid in medium proferunt

runt bomines, neque illi nibil dicunt, neque totum. Concedo probandas eſſe verbo Dei doctrinas: verum niſi adſit Spiritus prudentiæ, nihil aut parum proderit verbum Dei babere ad manum, cujus interpretatio nobis non conſtabit. Quemadmodum, exempli gratia, aurum igne aut Lydio lapide probatur: ſed ab iis qui artem tenent. Nam imperitis nec lapis Lydius, neque ignis uſui eſſe poterit. Ergo ut ſimus idonei judices, neceſſe eſt nos diſcretionis Spiritu donari & dirigi. Quia autem fruſtra hoc nobis præciperet Apoſtolus, niſi judicandi facultas ſuppeteret: certo ſtatuendum eſt, pios nunquam deſtitutum iri Spiritu prudentiæ, quoad expediet, modo eum à Domino poſtulent. Sed ita demum ad veram diſcretionem nos Spiritus diriget, ſi omnes noſtros ſenſus verbo ſubjicimus. Eſt enim (ut dictum eſt) inſtar Lydii lapidis: imo longe pluris eſſe nobis debet: quoniam ea demum legitima eſt doctrina, quæ inde ſumpta eſt. Sed bic naſcitur difficilis quæſtio: quia ſi penes ſingulos jus & arbitrium erit judicandi, nibil unquam certi conſtitui poterit: quin potius vacillabit tota religio. Reſpondeo, duplex eſſe doctrinæ examen: privatum, & publicum. Privatum, quo unuſquiſque fidem ſuam ſtabilit, ut tuto acquieſcat in ea doctrina quam à Deo novit profectam eſſe. neque enim alibi quam in Deo, tutam & tranquillam ſtationem invenient conſcientiæ. Publicum examen ad communem Eccleſiæ conſenſum & [illegible] ſpectat. Nam quia periculum eſt ne inſurgant fanatici homines, qui ſe temere jactent Spiritu Dei eſſe præditos: neceſſarium eſt hoc remedium, ut ſimul conveniant fideles, & rationem pii purique conſenſus quærant. Cæterum quum vetus illud proverbium nimis verum ſit, Quot ſunt capita, tot eſſe ſenſus: certum eſt hoc eſſe ſingulare Dei opus, ut domita omni pervicacia, nos unum ſentire, atque in puram fidei unitatem coaleſcere faciat. Quod autem hoc prætextu quæcunque unquam in Conciliis decreta ſunt, pro certis oraculis Papiſtæ volunt haberi, quia Eccleſia ſemel probavit ex Deo eſſe: id nimis eſt frivolum. Nam utcunque illa ſit ordinaria conſenſus quærendi ratio, pium ſanctumque Concilium cogere, ubi controverſiæ ex Dei verbo definiantur: nunquam tamen Deus cujuslibet Concilii decretis nos alligavit. Nec vero ſimulac in unum aliquem locum coierunt Epiſcopi centum vel plures, protinus ſequitur eos rite invocaſſe Deum, & ex ore ejus ſciſcitatos quidnam verum eſſet. Imo nihil clarius eſt, quam à ſincero Dei verbo ſæpe eos receſſiſſe. Ergo hic quoque valere debet examen quod præſcribit Apoſtolus, ut ſpiritus probentur.

2. *In hoc cognoſcite.*] Specialem notam apponit, qua melius diſcernere veros Prophetas à falſis liceat. Quanquam hic tantum repetit quod prius habuimus; Chriſtum ſcilicet, ſicuti ſcopus eſt ad quem recta fides collimat, ita ſcopulum eſſe ad quem impingunt omnes hæretici. Quamdiu itaque in Chriſto manemus, ſalva res eſt: ubi autem ab eo diſceditur, periit fides, & exinanita eſt omnis veritas. Cæterum meminerimus quid hæc confeſſio contineat. Nam quum dicit Apoſtolus *Chriſtum* veniſſe, hinc colligimus prius fuiſſe apud Patrem: quo oſtenditur æterna ejus divinitas. Quum dicit *veniſſe in carne*, ſignificat carnem induendo, verum hominem eſſe factum, ejuſdem nobiſcum naturæ, ut frater noſter fieret: niſi quod ab omni vitio & corruptela fuit immunis. Poſtremo quum dicit Veniſſe, notanda eſt adventus ejus cauſa: neque enim fruſtra à Patre miſſus eſt. Hinc pendet officium Chriſti ac virtus. Ergo quemadmodum hæretici veteres ab hac fide exciderunt, partim divinam Chriſti naturam, partim humanam negando: ita hodie Papiſtæ, licet Chriſtum fateantur Deum & hominem, minime tamen confeſſionem hanc retinent quam requirit Apoſtolus, quia Chriſtum virtute ſua ſpoliant. Nam ubi liberum ſuum arbitrium, operum merita, fictitios cultus, ſatisfactiones, Sanctorum patrocinia ſtatuerunt, quantulum Chriſto reſiduum manet? Hoc ergo ſentit Apoſtolus, quando ſummam doctrinæ pietatis in ſe complectitur Chriſti notitia, ſemper illuc conjiciendos & figendos eſſe oculos, ne fallamur. Et certe Chriſtus Legis & Prophetarum finis eſt, nec aliud ex Evangelio diſcimus, quam ejus vim & gratiam.

3. *Et hic eſt Antichriſtus.*] Hoc addidit Apoſtolus, quo magis deteſtabiles redderet impoſturas quæ nos à Chriſto abducunt. Diximus enim celebrem ac tritam fuiſſe doctrinam de regno Antichriſti: ut de futura Eccleſiæ diſſipatione admoniti fideles, ſollicite ſibi caverent. Merito igitur tanquam infame & ominoſum horrebant iſtud nomen. Nunc dicit Apoſtolus, membra eſſe hujus regni, quicunque Chriſto detrahunt. Dicit autem ſpiritum Antichriſti *venturum & jam eſſe* in mundo, diverſo ſenſu. Tunc enim jam in mundo fuiſſe intelligit: quia moliebatur iniquitatis ſuæ arcanum. Quia tamen nondum oppreſſa erat Dei veritas falſis & adulterinis dogmatibus, nondum corrupto Dei cultu invaluerat ſuperſtitio, nondum mundus ſcelerata perfidia à Chriſto defecerat, nondum ſe palam extulerat tyrannis, Chriſti regno oppoſita: ideo venturum dicit.

4. Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eos: quia major eſt qui eſt in vobis, quam qui in mundo.

5. Ipſi ex mundo ſunt: propterea ex mundo loquuntur, & mundus eos audit.

6. Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

4. *Vos ex Deo.*] De uno Antichriſto loquutus erat: nunc plures commemorat. Sed pluralis numerus ad pſeudoprophetas refertur, qui jam tunc emerſerant, priuſquam caput extaret. Porro Apoſtoli conſilium eſt, fidelibus addere animos, ut fortiter & intrepide impoſtoribus reſiſtant. multum enim alacritatis decedit, quum dubio eventu pugnatur. Porro formidinem bonis incutere poterat, quod vixdum exorto Chriſti regno, jam in acie ſtare videbant hoſtes ad illud opprimendum. Ergo utcunque certandum ſit, dicit tamen eos viciſſe: quia felicem habituri ſint exitum. Acſi diceret, in media pugna jam extra periculum eos eſſe, quia futuri ſint ſuperiores. Atque hæc doctrina longius extendi debet. quicquid enim certaminum ſuſtinemus adverſus mundum & carnem, conjunctum eſt cum certa victoria. Nos quidem duri & acres conflictus manent, & alii ſubinde aliis ſuccedunt: ſed quia Chriſti virtute pugnamus, & Inſtructi ſumus Dei armis, pugnando & laborando ſumus victores. Quantum ad circumſtantiam hujus loci pertinet, inſignis eſt conſolatio, quod quibuſcunque dolis nos adoriatur Satan, tamen in Dei veritate ſtabimus. Sed notanda eſt quæ mox ſubjicitur ratio: quia *major*, hoc eſt, fortior ſit qui in nobis eſt, quam qui in mundo. Nam ea eſt noſtra infirmitas, ut antequam manus conferamus cum hoſte, ſuccumbere oporteat. Sumus enim impliciti ignorantia, ideoque expoſiti ad omnes fallacias: Satan autem mirus ad fallendum artifex. Si ſuſtinuerimus ad diem unum, obrepet tamen animis noſtris dubitatio quid cras futurum ſit: ita perpetuo erimus anxii. Admonet ergo Apoſtolus, non propria nos, ſed Dei virtute eſſe fortes. Unde colligit, non magis nos vinci poſſe, quam Deum ipſum, qui nos ſua

virtute

virtute ad finem uſque mundi inſtruxit. Atque in tota ſpirituali noſtra militia inſidere cordibus debet hæc cogitatio, actum protinns fore de nobis, ſi noſtris viribus pugnandum eſſet. Cæterum quia nobis quieſcentibus Deus hoſtes repellit, indubiam eſſe victoriam.

5. *Ipſi ex mundo ſunt.*] Hæc non parva eſt conſolatio, qnod qui Deum in nobis aggredi audent, tantum mundi præſidiis ſunt inſtructi. Porro mundum intelligit Apoſtolns, quatenus Satan eſt ejus princeps. Simul additur altera conſolatio, quum dicit mundnm amplecti in pſeudoprophetis quod ſnum agnoſcit. Videmus quanta ſit ad vanitatem hominum propenſio. Falſæ igitur doctrinæ facile ſtatim penetrant, & longe lateque graſſantur. Negat Apoſtolus eſſe cur propterea turbari nos deceat: quia nihil novum ſit aut inſolens, ſi mundus, qui totus eſt mendax, libenter mendacium audit.

6. *Nos ex Deo ſumus.*] Quanquam hoc vere in omnes pios competit: proprie tamen ad fideles Euangelii miniſtros ſpectat. Nam Apoſtolus ex Spiritus fiducia hic gloriatur, ſe ac ſuos collegas ſincere Deo ſervire, & ab eo ſumpſiſſe quicquid tradunt. Idem pſeudoapoſtolos jactare continget, ut mos illis eſt ſub Dei larva decipere: ſed ab illis multum diſcrepant fidi doctores, qui nihil de ſe verbis prædicant, quod non exhibeant re ipſa. Semper tamen memoria tenendum eſt quam cauſam hic tractet. Exiguus erat piorum numerus, incredulitas autem omnia fere occupabat: pauci Euangelio vere adhærebant, major pars ad errores proclivis erat. Hinc ſcandali occaſio. cui ut occurrat Joannes, contentos eſſe nos jubet iſta fidelium paucitate: quia omnes Dei filii honorem illi deferant, ac ſe ejus doctrinæ ſubjiciant. Nam contrarium membrum continuo poſt opponit, *Qui ex Deo non ſunt*, puram Euangelii doctrinam non audire. Quibus verbis ſignificat, ingentem illam turbam cui non ſapit Euangelium, ideo non audire probos ac legitimos Dei ſervos, quia à Deo ipſo aliena ſit: nihil ergo ex Euangelii auctoritate minui, dum à multis reſpuitur. Sed huic doctrinæ annexa eſt utilis admonitio, ut fidei obedientia nos eſſe ex Deo probemus. Nihil facilius eſt quam jactare nos eſſe Dei: ideoque nihil inter homines magis vulgare. quemadmodum hodie Papiſtæ ſuperbe ſe venditant pro Dei cultoribus: interea non minus ſuperbe verbum Dei repudiant. Nam quamvis ſe Dei verbo credere ſimulent: ubi tamen ad rem venitur, aures habent clauſas. atqui hoc unicum eſt timoris Dei teſtimonium, ejus verbum revereri. Nec locum hic habet quæ à multis obtendi ſolet excuſatio, ſe ideo fugere Euangelii doctrinam, quum illis proponitur, quia non ſint ad judicandum idonei. Fieri enim non poteſt quin Deum agnoſcat in verbo ſuo quiſquis ex animo eum timet, & illi obſequitur. Si quis objiciat, multos ex electis non ſtatim accedere ad fidem, imo proterve initio calcitrare: reſpondeo, eo tempore non habendos eſſe (noſtro quidem judicio) in Dei filiis. Cæterum hoc reprobi hominis ſignum eſt, quum pertinaciter ab eo rejicitur veritas. Obiter etiam notandum eſt, illud *audire*, cujus meminit Apoſtolus, de interiore & ſerio cordis auditu, qui fide conſtat, intelligi. *In hoc cognoſcimus.* Relativum *in hoc*, duo ſuperiora membra complectitur: acſi diceret, inde veritatem à mendacio diſcerni, quia alii ex Deo, alii ex mundo loquuntur. Quod autem per *Spiritum veritatis & erroris*, quidam auditores notari putant: acſi diceret, eos qui ſe impoſtoribus fallendos tradunt, eſſe natos ad errorem, & in ſe habere ſemen mendacii: eos autem qui verbo Dei conſentiunt, hoc ſpecimine monſtrari veraces: non recipio. Nam quum Apoſtolus μετωνυμικῶς *Spiritus* hic accipiat pro Doctoribus vel Prophetis, nihil aliud velle eum exiſtimo quam doctrinæ examen eſſe ad iſta duo revocandum, ex Deone, an ex mundo ſit. Videtur tamen ita loquendo nihil dicere. nam omnibus excipere promptum erit, ſe nonniſi ex Deo loqui. Sic hodie Papiſtæ ſua omnia commenta, Spiritus oracula eſſe, magiſtrali ſupercilio jactant. Nec Mahometus aliunde ſe hauſiſſe prædicat ſua deliria, quam è cælo. Quin etiam Ægyptii ſibi olim divinitus revelatas eſſe mentiebantur putidas illas ineptias, quibus ſe & alios infatuabant. Sed reſpondeo nos verbum Domini habere, quod in primis conſulendum eſt. Ergo quum Dei nomen obtendunt ſpiritus fallaces, ex Scripturis inquirere convenit, an res ita habeat. Modo pium à nobis ſtudium adhibeatur cum humilitate & modeſtia, aderit Spiritus diſcretionis, qui ſeipſum in Scripturis loquentem, tanquam fidus interpres, exponat.

7. Dilecti, diligamus nos mutuo, quia dilectio ex Deo eſt: & omnis qui diligit, ex Deo genitus eſt, & cognoſcit Deum.
8. Qui non diligit, non novit Deum: quia Deus dilectio eſt.
9. In hoc apparuit dilectio Dei in nobis, quod Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum.
10. In hoc eſt dilectio, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod nos ipſe dilexit, & miſit Filium propitiationem pro peccatis noſtris.

7. *Dilecti*, &c.] Redit ad illam exhortationem quam tota fere Epiſtola proſequitur. Diximus enim miſtam eſſe fidei doctrina & exhortatione ad charitatem. In his duobus capitibus ita inſiſtit, ut ab uno ad alterum ſubinde tranſeat. Quum *mutuum* amorem commendat, non intelligit nos officio defunctos eſſe, ſi amicos noſtros viciſſim diligimus, quia nos diligunt. Sed quia fideles in commune alloquitur, aliter non debuit loqui quam ut ſe mutuo diligant. Confirmat hanc ſententiam ratione jam aliquoties adducta: quia ſcilicet nemo ſe filium Dei probabit, niſi qui proximos diligit: & quia vera Dei cognitio amorem Dei neceſſario in nobis generat. Opponit etiam contrarium membrum, ſuo more, quod nulla ſit Dei cognitio ubi non viget charitas. Sumit autem generale principium, quod Deus ſit charitas: hoc eſt, quod ejus natura ſit homines diligere. Scio multos argutius philoſophari, ac præſertim veteres hoc loco abuſos eſſe, ut Spiritus divinitatem probarent. Verum ſimplex eſt Apoſtoli ſenſus, quia Deus ſit fons charitatis, hunc affectum ab eo fluere & diffundi, quocunque pervenit ejus notitia. quemadmodum prius lucem vocavit, quia nihil ſit in eo tenebroſum; ſed potius omnia ſuo fulgore illuſtret. Hic ergo de eſſentia Dei non loquitur: ſed tantum docet qualis à nobis ſentiatur. Cæterum duo notanda ſunt in verbis Apoſtoli: hanc eſſe veram Dei notitiam quæ nos regenerat & refingit, ut ſimus novæ creaturæ: deinde fieri non poſſe quin ipſa nos Deo conformet. Faceſſat igitur ſtultum illud commentum de fide informi: quia ſiquis fidem à charitate ſeparat, perinde facit acſi calorem à ſole auferre conetur.

9. *In hoc apparuit.*] Aliis etiam plurimis documentis teſtatum habemus Dei erga nos amorem. Nam ſi quæritur, cur creatus ſit mundus, cur ſimus in eo collocati ad obtinendum terræ dominium, cur ſervemur in hac vita ut fruamur bonis innumeris, luce

& in-

& intelligentia prediti ſimus: non alia omnium cauſa adduci poterit, quam gratuitus erga nos Dei amor. ſed præcipuum ſpecimen hic delegit Apoſtolus, & quod reliquis omnibus longe præcellit. Hic enim non immenſus tantum fuit Dei amor, quod proprio Filio non pepercit, ut ejus morte nos in vitam reſtitueret: ſed pluſquam mirifica bonitas, quæ mentes noſtras in ſtuporem rapere debet. Ergo Chriſtus tam illuſtre eſt ac ſingulare divini erga nos amoris documentum, ut quoties ipſum intuemur, hanc doctrinam plane nobis confirmet, Quod Deus ſit dilectio. Quod *unigenitum* appellat, ad auxeſin valet. In eo enim clarius oſtendit, quam unice nos amaret, quod unicum Filium expoſuit noſtra cauſa in mortem. Interea qui unus eſt natura Filius, gratia & adoptione multos facit: quoſcunque ſcilicet fide inſerit in corpus ſuum. Finem exprimit, cur miſſus à Patre fuerit Chriſtus, *Ut* per eum vivamus. nam extra ipſum ſumus omnes mortui. adventu autem ſuo vitam nobis attulit: & niſi obſtet noſtra incredulitas, hunc gratiæ ejus effectum in nobis ſentimus.

10. *In hoc eſt dilectio.*] Amplificat alia ratione Dei amorem, quod ſcilicet Filium ſuum nobis dederit, quo tempore eramus inimici: quemadmodum etiam Paulus docet ad Rom. cap. 5. v. 8. ſed aliis verbis utitur, quod Deus nullo hominum amore provocatus eos ultro dilexerit. Quibus verbis docere voluit gratuitum erga nos fuiſſe amorem Dei. Tametſi autem Apoſtoli conſilium eſt Deum nobis imitandum proponere: non tamen negligenda eſt fidei doctrina quam ſimul admiſcet. Gratis nos Deus amavit. cur? quia antequam nati eſſemus. deinde quia in iſta naturæ pravitate cor habemus ab eo averſum, & ad rectos pioſque affectus minime flexibile. Si locum haberet Papiſtarum argutia, unumquemque electum eſſe à Deo prout amore dignum prævidit, non ſtaret hæc doctrina, priorem nos dilexiſſe. Tunc enim amor erga Deum noſter, priores ordine teneret, etiamſi tempore eſſet poſterior. Sed Apoſtolus confeſſum Scripturæ axioma ſumit, quod profani iſti Sophiſtæ ignorant: nos ita corruptos & pravos naſci, ut nobis quaſi ingenitum ſit Dei odium, ut nihil appetamus niſi quod illi diſplicet, ut ſinguli carnis noſtræ affectus aſſiduum cum ejus juſtitia bellum gerant. *Et miſit Filium.* Ergo ex mera Dei bonitate, tanquam ex fonte, fluxit nobis Chriſtus cum ſuis omnibus bonis. Quemadmodum autem hoc cognitu neceſſarium eſt, nos ideo ſalutem habere in Chriſto, quia ſponte nos dilexit cæleſtis Pater: ita ubi quærenda eſt ſolida & plena divini in nos amoris certitudo, non alio quam in Chriſtum reſpicere convenit. Quare in ſuum exitium inſaniunt quicunque omiſſo Chriſto, quidnam de ſe in arcano Dei conſilio conſtitutum ſit, inquirunt. Porro iterum cauſam adventus Chriſti, ejuſque officium oſtendit, quum ideo miſſum commemorat, ut eſſet propitiatio pro peccatis. Ac primum quidem his verbis docemur, nos omnes per peccatum fuiſſe alienatos à Deo, & manere hoc diſſidium, donec interveniat Chriſtus, qui nos reconciliet. Docemur ſecundo, hoc eſſe vitæ noſtræ initium, quod Deus morte Filii placatus, nos in gratiam recipit. Nam quod *propitiatio* dicitur, hoc proprie ad mortis ſacrificium pertinet. Habemus ergo, hoc honoris competere in ſolum Chriſtum, ut mundi peccata expiet, atque ita inimicitias tollat inter nos & Deum. Sed hic emergit quædam repugnantiæ ſpecies: nam ſi prius nos amabat Deus, quam ſe Chriſtus pro nobis in mortem offerret, quid nova reconciliatione opus fuit? ita ſupervacua videri Chriſti mors poſſet. Reſpondeo, quum dicitur Chriſtus placaſſe nobis Patrem, hoc ad ſenſum noſtrum referri. Nam ut ſumus male nobis conſcii, Deum non niſi iratum & infeſtum concipere poſſumus, donec à reatu Chriſtus nos abſolvat. Deus enim, ubicunque apparet peccatum, iram ſuam & æternæ mortis judicium vult ſentiri. Hinc ſequitur, nihil quam præſenti mortis aſpectu terreri nos poſſe, donec peccatum Chriſtus morte ſua aboleat, donec ſanguinis ſui pretio nos à morte liberet. Rurſum Dei amor juſtitiam requirit. ergo ut perſuaſi ſimus nos amari, ad Chriſtum venire neceſſe eſt, in quo ſolo nobis conſtat juſtitia. Nunc videmus, loquendi varietatem quæ in Scriptura occurrit, ſecundum diverſos reſpectus, aptiſſimam & fidei apprime utilem eſſe. Ideo Filium ſuum interpoſuit Deus ad ſe nobis reconciliandum, quia nos amabat: ſed occultus erat amor ille, quia interea nos Deo eramus hoſtes, iram ejus aſſidue provocando. Deinde malæ conſcientiæ formido & terror omnem vitæ guſtum nobis adimebant. Ergo quod ad fidei noſtræ ſenſum, Deus nos in Chriſto amare incipit. Quanquam autem hic Apoſtolus de prima reconciliatione tractat, ſciamus tamen hoc perpetuum eſſe Chriſti beneficium, ut peccata expiando, Deum nobis propitiet. Hoc Papiſtæ quoque aliqua ex parte concedunt: ſed poſtea extenuant hanc gratiam ac fere in nihilum redigunt, fictas ſatisfactiones ingerendo. Atqui ſi homines ſe redimunt operum pretio, non erit Chriſtus unica propitiatio, quemadmodum hic vocatur.

11. Dilecti, ſi ita Deus nos dilexit, nos quoque debemus invicem diligere.

12. Deum nemo vidit unquam. Si diligimus nos invicem, Deus in nobis manet: & dilectio ejus perfecta eſt in nobis.

13. In hoc cognoſcimus quod in ipſo manemus, & ipſe in nobis: quia ex Spiritu ſuo dedit nobis.

14. Et nos vidimus, & teſtamur quod Pater miſit Filium ſervatorem mundi.

15. Qui confeſſus fuerit quod Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.

16. Et nos cognovimus & credimus dilectionem quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

11. *Dilecti*, &c.] Nunc Apoſtolus, quæ nuper docuit de gratuito Dei amore, ad ſuum inſtitutum accommodat: nempe ut nos Dei exemplo hortetur ad fraternum amorem. Sicut etiam Paulus Chriſtum nobis proponit, qui ſe hoſtiam bonæ fragrantiæ obtulit Patri, ut ſe quiſque noſtrum proximis impendat. (*Epheſ. 5. verſ. 2.*) Admonet autem Joannes amorem noſtrum non debere mercenarium eſſe, quum proximos diligere jubet, ſicuti nos Deus dilexit. Nam illud repetendum eſt, Gratis nos fuiſſe dilectos. Et certe ubi commodum noſtrum reſpicimus, vel referimus amicis pares vices, philautia eſt, non charitas.

12. *Deum nemo vidit.*] Eadem verba habentur primo Evangelii capite: ſed Joannes Baptiſta non eundem omnino finem illic reſpicit: tantum enim ſignificat non poſſe aliter cognoſci Deum, niſi quatenus ſe in Chriſto patefecit. Eandem doctrinam Apoſtolus hic longius extendit, Dei virtutem fide ac dilectione à nobis comprehendi, ut ſciamus nos eſſe ejus filios, & eum in nobis habitare. Prius tamen de charitate loquitur, quum dicit, *In nobis manere Deum*, ſi nos diligimus mutuo: quia perfecta eſt, hoc eſt, vere comprobata in nobis ejus dilectio. acſi diceret, Deum ſe quaſi præſentem exhibere, dum

Spiritu

Spiritu ſuo corda noſtra in fraternum amorem format. Eodem ſenſu repetit quod jam ſemel dixerat, Nos ex Spiritu quem dedit nobis, cognoſcere quod in nobis habitet. Eſt enim confirmatio proximæ ſententiæ: quia charitas effectus eſt Spiritus. Itaque hæc ſumma eſt, Quum charitas ſit ex Dei Spiritu, non poſſumus vere & ſincero corde fratres diligere, quin Spiritus vim ſuam exerat. Hoc modo ſe in nobis habitare teſtatur. Porro Deus per Spiritum ſuum in nobis habitat: ergo charitate probamus Deum nos habere in nobis manentem. Rurſum, quiſquis ſe Deum habere jactat, nec fratres diligit: hoc uon refellitur ejus vanitas, quia Deum à ſeipſo divellit. Quum dicit, *Et charitas ejus perfecta eſt*, copulam accipit cauſalis particulæ loco. Et *charitas* Dei hic bifariam exponi poteſt: vel qua illum proſequimur, vel quam nobis inſpirat. Deum nobis Spiritum ſuum dediſſe, & dediſſe ex Spiritu ſuo, idem prorſum valent. ſcimus enim Spiritum ſingulis diſtribui ad menſuram.

14. *Et nos vidimus.*] Nunc alteram notitiæ Dei partem, quam attigimus, exponit: quod ſcilicet in Filio ſe nobis communicat, ac fruendum offert: unde ſequitur, fide à nobis percipi. Nam huc tendit Apoſtoli conſilium, nos fide & charitate ſic Deo oniri, ut in nobis vere habitet, & virtutis ſuæ effectu quodammodo viſibilem ſe præbeat, qui alioqui videri non poteſt. Quum dicit, *Vidimus & teſtamur*, ſe & reliquos Apoſtolos deſignat. Et aſpectum non quemlibet intelligit, ſed fidei adjunctum, quo agnoverint in Chriſto Dei gloriam: quemadmodum ſequitur, *miſſum eſſe* ut ſit *Servator mundi.* Quæ notitia ex Spiritus illuminatione manat.

15. *Qui confeſſus fuerit.*] Repetit illud axioma, nos Deo uniri per Chriſtum, nec poſſe Chriſto eſſe conjunctos, quin Deus in nobis maneat. Promiſcue autem *fides & confeſſio* ponuntur eodem ſenſu. Nam quamvis hypocritæ mendaciter fidem jactent, Apoſtolus tamen nullos hic in ordine confitentium agnoſcit, niſi qui vere & ex animo credunt. Præterea quum dicit, *Quod Jeſus eſt Filius Dei*, paucis iſtis verbis totam fidei ſummam perſtringit. Nihil enim eſt ad ſalutem neceſſarium, quod non in Chriſto inveniat fides. Cæterum poſtquam in genere dixit, ſic in fide inſeri homines in Chriſtum, ut Chriſtus eos Deo conjungat, ſubjicit hypotheſin, Quod viderint ipſi: ut generalem ſententiam accommodet iis ad quos ſcribit. Tandem ſequitur exhortatio, Ut alios diligant quemadmodum à Deo dilecti ſunt. Quare hæc ſeries eſt, & hic contextus ſermonis, Fides Chriſti facit ut Deus in hominibus maneat: atqui nos ſumus hujus gratiæ conſortes. Porro quum Deus ſit charitas, nullus in eo manere poteſt, quin diligat fratres ſuos. Ergo charitatem in nobis regnare decet, quando ſe Deus nobis conjunxit.

16. *Cognovimus & credimus.*] Perinde eſt acſi diceret, Cognovimus credendo. talis enim notitia non niſi fide percipitur. Sed hinc colligimus quantum à fide abſit ſuſpenſa vel dubia opinio. Porro quum velit hic proximam ſententiam accommodare ad lectores, quemadmodum jam dixi: ipſam tamen fidei ſubſtantiam varie definit. Prius dixerat, Qui credit Jeſum eſſe Filium Dei: nunc autem dicit, Fide cognoſcimus amorem Dei erga nos. Unde apparet, in Chriſto apprehendi paternum Dei amorem, nec certi quicquam de Chriſto tenere, niſi qui ſe ejus gratia Dei filios agnoſcunt. Ideo enim Filium ſuum Pater quotidie in nobis proponit, ut in eo nos adoptet. *Deus charitas eſt.* Eſt veluti minor propoſitio in ſyllogiſmo: quia à fide ad charitatem ratiocinatur, hoc modo, Fide in nobis habitat Deus: atqui Deus eſt charitas: ergo ubicunque manet Deus, charitatem ſimul vigere oportet. Hinc ſequitur, charitatem neceſſario fidei connexam eſſe.

17. In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quod ſicut ille eſt, nos quoque ſumus in hoc mundo.

18. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras pellit timorem, quia timor tormentum habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.

17. *In hoc perfecta.*] Duo enim hujus orationis ſunt membra: nos divinæ adoptionis tunc eſſe compotes, quum Deum referimus, ut filii patrem: deinde hanc fiduciam incomparabile eſſe bonum, quia ſine ea ſimus miſerrimi. Priore itaque loco oſtendit qua lege nos Deus complexus ſit in amorem: & quomodo hac demum gratia fruamur quam nobis in Chriſto exhibuit. ergo hic *charitas* Dei erga nos intelligenda eſt. *Perfectam* eſſe dicit, quia plena copia effuſa eſt, ac in ſolidum præſtita, ut veluti numeris omnibus conſtet. Cæterum non alios eſſe hujus boni participes affirmat, quam qui Deo conformes ejus ſe filios eſſe probant. Eſt igitur argumentum à conjunctis.

Ut fiduciam habeamus.] Jam fructum divini erga nos amoris oſtendere incipit: quanquam poſtea clarius à contrario oſtendet. Sed tamen hæc inæſtimabilis eſt felicitas, quod nos audemus intrepide coram Deo ſiſtere. Natura enim horremus Dei conſpectum: & merito: nam quum ipſe judex ſit mundi, nos autem peccata noſtra reatu conſtrictos teneant, mortem & inferos una cum Deo nobis in mentem venire neceſſe eſt. hinc illa, quam dixi, formido, ut Deum homines, quantum in ſe eſt, fugiant. Joannes autem fideles negat expaveſcere, quum illis judicii extremi fit mentio: ſed potius ſecuros & alacres ad Dei tribunal accedere, quia de paterno ejus amore certo perſuaſi ſunt. Tantum ergo quiſque in fide profecit, quam bene animo compoſitus eſt ad expectandum judicii diem. *Sicut ille eſt.* His verbis (ut jam dictum eſt) viciſſim hoc à nobis requiri ſignificat, ut imaginem Dei referamus. Qualis ergo Deus in cælo eſt, tales nos in hoc mundo eſſe jubet, ut cenſeamur ejus filii. nam imago Dei, quum in nobis apparet, veluti adoptionis ejus eſt ſigillum. ſed ita videtur partem fiduciæ ſtatuere in operibus. Itaque criſtas hic erigunt Papiſtæ, quaſi neget Joannes nos ſola Dei gratia fretos, habere certam ſalutis fiduciam, niſi ſimul adjuvent opera: ſed in eo falluntur, quod non expendunt Apoſtolum hic à cauſa minime argumentum ducere, ſed locum eſſe à conjunctis. Nos autem libenter fatemur neminem reconciliari Deo per Chriſtum, quin ſimul reformetur ad Dei imaginem: nec poſſe alterum ab altero disjungi. Recte ergo Apoſtolus, qui omnes à fiducia gratiæ repellit in quibus nulla conſpicitur Dei ſimilitudo. tales enim certum eſt à Dei Spiritu & Chriſto eſſe prorſus alienos. Neque etiam negamus, vitæ novitatem, quia divinæ adoptionis eſt effectus, valere ad confirmandam fiduciam: ſed tanquam ſecundarium (ut ita loquar) adminiculum: ſed interea nos in ſola gratia fundatos eſſe oportet. Nec ſane aliter ſibi conſtaret Joannis doctrina: nam experientia demonſtrat, & fateri etiam Papiſtæ coguntur, ſemper in operum reſpectu eſſe trepidandi materiam. Quare nullus ad Dei tribunal tranquillo animo unquam accedet, niſi qui ſtatuet gratuito ſe amari. Sed horum nihil guſtare Papiſtas, non eſt quod quiſpiam miretur, quando nullam miſeri fidem noverunt, niſi dubitatione implicitam. Adde quod hypocriſis tenebras illis obducit, ne ſerio reputent quam formidabile ſit Dei judicium, ubi non adeſt Chriſtus

mediator. Reſurrectionem alii quaſi fabuloſam negligunt: nos autem ut læti & alacres obviam Chriſto prodeamus, in ſola ejus gratia fidem noſtram eſſe defixam oportet.

18. *Timor non eſt.*] Jam à contrariis commendat ejus boni præſtantiam: nos enim aſſidue torqueri dicit, donec amoris in nos ſui remedio, à miſero illo cruciatu Deus liberet. Summa eſt, quum nihil ſit miſerius quam continua inquietudine vexari, hoc nos conſequi agnita Dei erga nos charitate, ut placide extra metum quieſcamus. Unde apparet quam ſingulare ſit Dei beneficium, nos amore ſuo dignari. Porro ex hac doctrina mox exhortationem ducet. ſed priuſquam nos ad officium hortetur, donum iſtud Dei nobis commendat, quod metum nobis fide eximit. Scio totum hunc locum à multis ſecus exponi: ſed ego, quid voluerit Apoſtolus, non quid alii ſentiant, reſpicio. Dicunt illi metum non eſſe in charitate. quia ubi ſponte Deum amamus, non cogimur vi & metu ad ejus obſequium. Ergo ſecundum eos ſervilis timor hic voluntariæ reverentiæ opponitur: unde etiam inter ſervilem & filialem timorem nata eſt diſtinctio. Ego quidem verum eſſe illud fateor, quum liberaliter Deum amamus ut patrem, non cogi nos amplius timore pœnæ: ſed doctrina illa nihil cum præſenti loco commune habet. tantum enim docet Apoſtolus, ubi perſpectus eſt nobis, & fide cognitus Dei amor, conſcientiis noſtris pacem conferri ne amplius tumultuentur. Poteſt tamen quæri, quando timorem pellat perfecta charitas: quia aliquo tantum divini erga nos amoris guſtu præditi, nunquam in ſolidum metu liberamur. Reſpondeo, tametſi non plane excutitur timor: ubi tamen ad Deum confugimus, tanquam ad tranquillum portum, & ab omni naufragii ac tempeſtatum periculo tutum & immunem, metum vere pelli, quia fidei locum cedit. Ergo non ita pellitur timor, quin animos noſtros ſollicitet: ſed ita pellitur, ut non turbet, neque impediat pacem noſtram quam fide obtinemus. *Timor tormentum habet.* Hic quoque Apoſtolus gratiæ de qua loquitur, magnitudinem amplificat. Nam quum miſerrima ſit conditio, aſſiduos pati cruciatus, nihil magis optabile eſt, quam ſedata conſcientia & animo compoſito ſeſe in Dei conſpectum offerre. Quod alii dicunt, timere ſervos, quia pœnam & flagella ſibi ante oculos proponunt, nec obire ſuum officium niſi coactos: nihil ad mentem Apoſtoli, ut dictum eſt. Ita in proximo membro, quum exponunt, non eſſe perfectum in charitate, qui timet: quia non ultro ſe ſubjicit Deo, quin potius libenter ſe emanciparet: contextui minime convenit. Potius enim admonet Apoſtolus, hoc eſſe infidelitatis vitium, quum aliquis timet, hoc eſt, inquietum habet animum: quia amor Dei probe cognitus, animos tranquillat.

19. Nos diligimus eum, quia prior dilexit nos.

20. Si quis dicat, Deum diligo, & proximum ſuum odio habeat, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt: Deum quem non vidit, quomodo poteſt diligere?

21. Et hoc præceptum habemus ab ipſo, ut qui Deum diligit, diligat & fratrem ſuum.

19. *Nos diligimus.*] Verbum ἀγαπῶμεν tam indicativo, quam hortandi modo legi poteſt: prior tamen ſenſus longe melius quadrat. Repetit enim (meo judicio) Apoſtolus ſuperiorem ſententiam, quia Deus nos gratuito amore antevertit, reddere nos illi debitas vices: ut mox ſubſumat, ipſum in hominibus eſſe diligendum, vel teſtandum erga homines quem illi amorem deferimus. Sicui tamen placet hortandi modus, eodem tendet oratio: Quia nos gratis Deus amavit, mutuo nunc eum amemus. Atqui amor ille ſtare nequit, quin fraternum inter nos amorem generet: ideo mentiri eos dicit, qui Deum ſe amare jactant, quum proximos oderint. Sed videtur parum firma eſſe ratio quam ſubjicit: eſt enim comparatio minoris & majoris. Si proximos, inquit, quibuſcum verſamur, non diligimus: multo minus Deum poterimus diligere, qui eſt inviſibilis. Duplex autem exceptio in promptu eſt. nam & amor quo Deum proſequimur, ex fide, non ex aſpectu manat: quemadmodum habetur 1 Petri 1. v. 8. Deinde longe diverſa eſt Dei quam hominum ratio: quia quum in amorem ſui nos Deus pro immenſa ſua bonitate rapiat, ſæpe odio digni ſunt homines. Reſpondeo, Apoſtolum, quod proculdubio inter nos conſtare debet, pro confeſſo hic ſumere, Deum ſe nobis in hominibus offerre, qui inſculptam gerunt ejus imaginem: & officia, quibus ipſe non indiget, ut illis præſtemus exigere: quemadmodum Pſalmo 16. v. 2. legimus, Beneficentia mea ad te non pervenit, Domine. Erga ſanctos qui in terra ſunt, affectus meus. Et certe ejuſdem naturæ ſocietas, tot rerum uſus, mutua communicatio, niſi valde ferrei eſſemus, ad amorem nos allicerent: ſed Joannes nihil aliud voluit, quam fallacem eſſe jactantiam, ſi quis Deum ſe amare dicat, & ejus imaginem, quæ ante oculos eſt, negligat.

21. *Et hoc præceptum.*] Firmius argumentum, ab auctoritate & doctrina Chriſti. Nam ipſe non de nudo Dei amore præcipit: ſed fratres etiam diligere jubet. Quare ſic incipiendum eſt à Deo, ut ſimul fiat tranſitus ad homines.

Cap. V.

Omnis qui credit quod Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo genitus eſt: & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui genitus eſt ab eo.

2. In hoc cognoſcimus quod diligimus filios Dei, ſi Deum diligimus, & præcepta ejus ſervamus.

3. Hæc eſt dilectio Dei, ut præcepta ejus ſervemus: & præcepta ejus gravia non ſunt.

4. Quoniam omne quod ex Deo genitum eſt, vincit mundum. & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra.

5. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quod Jeſus eſt Filius Dei?

1. *Omnis qui credit.*] Alia ratione confirmat res eſſe conjunctas, fidem & fraternum amorem. Nam quum fide nos Deus regeneret, neceſſe eſt amari à nobis ut patrem: atqui amor ille complectitur omnes ejus filios: non poteſt igitur fides à charitate disjungi. Prima ſententia eſt, ex Deo genitos eſſe quicunque credunt quod Jeſus ſit Chriſtus. Ubi iterum vides, unum Chriſtum, fidei ſcopum proponi: quem-

admodum in eo juſtitiam, vitam, quicquid optari
poteſt bonorum, & totum Deum invenit. Quare
hæc vera eſt credendi ratio, quum in ipſum mentes
noſtras dirigimus. Cæterum Credere quod ſit Chri-
ſtus, eſt ab eo ſperare quæcunque de Meſſia pro-
miſſa ſunt. Neque enim inanis ei Chriſti titulus hic
tribuitur: ſed potius munus quod à Patre illi injun-
ctum eſt. Quemadmodum autem in Lege plena re-
rum omnium inſtauratio, juſtitia & felicitas per
Meſſiam promiſſa eſt: ita hodie hoc totum in Euan-
gelio clarius exprimitur. Ergo Jeſus pro Chriſto re-
cipi non poteſt, quin ab eo petatur ſalus: quando in
hunc finem miſſus eſt à Patre, & quotidie nobis of-
fertur. Unde merito Apoſtolus omnes ex Deo geni-
tos eſſe pronunciat, qui vere credunt. Eſt enim fides
longe ſupra humani ingenii captum poſita: ut nos
trahi à Patre cæleſti ad Chriſtum oporteat: quia nun-
quam proprio Marte quiſquam noſtrum conſcende-
ret. Atque hoc eſt, quod idem Apoſtolus Euangelii
ſui cap. 1. v. 13. docet, Non ex ſanguinibus, neque
ex carne eſſe genitos qui credunt in nomen Unige-
1 Cor. 2. niti. & Paulus, Non ſpiritu hujus mundi, ſed Spi-
verſ. 12. ritu qui ex Deo eſt, nos eſſe præditos, ut ſciamus quæ
ab eo nobis donata ſunt. Quia neque oculus vidit,
nec auris audivit, nec ſenſus percepit, quæ diligen-
tibus Deum repoſita ſit merces: ſed ſolus Spiritus ad
arcanum illud pervenit. Deinde quum datus ſit no-
bis Chriſtus in ſanctificationem, & Spiritum rege-
nerationis ſecum ſimul afferat: denique quum nos
inſerat in corpus ſuum: hæc quoque altera ratio eſt,
cur fidem habere nemo poſſit, quin ſit ex Deo geni-
tus. *Diligit eum qui genitus eſt.* Auguſtinus & alii qui-
dam veterum ad Chriſtum hoc traxerunt: ſed falſo.
Nam ſub numero ſingulari omnes fideles Apoſtolus
deſignat: & contextus aperte oſtendit, non aliud eſſe
illi conſilium, niſi ut mutuum in fratres amorem ex
fide, tanquam ex fonte derivet. Eſt autem argumen-
tum ex communi naturæ ordine ſumptum: ſed quod
in hominibus cernitur, ad Deum transfert. Notan-
dum autem eſt, Apoſtolum non ideo de ſolis fideli-
bus ſermonem habere, præteritis extraneis, quod
illi ſoli amandi ſint, horum autem nulla habenda ſit
cura vel ratio: ſed nos hoc velut tirocinio ad omnes
ſine exceptione amandos inſtituit, quum initium fa-
cere à piis jubet.

2. *In hoc cognoſcimus.*] His verbis breviter oſten-
dit quænam vera ſit charitas, nempe quæ ad Deum
refertur. Hactenus docuit nuſquam eſſe verum Dei
amorem, niſi quum proximi etiam amantur, quia hic
perpetuus ſit effectus: nunc autem docet recte & or-
dine amari homines, quum Deus priores obtinet. At-
que hæc definitio neceſſaria eſt. nam ſæpe fit ut ho-
mines amemus extra Deum: ut profanæ & carnales
amicitiæ non alio quam ad privatum commodum,
vel ad alios evanidos reſpectus tendunt. Ergo ſicuti
prius effectum urgebat, ita nunc cauſam urget: vult
enim ſic mutuam coli inter nos charitatem, ut Deus
præferatur. Amori Dei conjungit Legis obſervatio-
nem. & merito: nam quum Deum amemus ut Pa-
trem & Dominum, fieri non poteſt quin conjuncta
ſit reverentia cum amore. Deinde non poteſt à ſeipſo
Deus avelli. Quum itaque fons ſit omnis juſtitiæ &
rectitudinis, qui eum amat, neceſſe eſt ut compoſi-
tos habeat ſuos affectus in obedientiam juſtitiæ. non
eſt igitur otioſa res, amor Dei. Verum ex hoc loco
ſimul colligimus, quænam vera ſit Legis obſerva-
tio: nam ſi metu tantum coacti, Deo obſequimur in
ſervandis ejus mandatis, longe diſtamus à vera obe-
dientia. Ergo hoc primum eſt ut corda ſe Deo addi-
cant in liberalem reverentiam: deinde vita ad Legis
regulam formetur. Hoc ſibi vult Moſes, quum in
Deut. 10. colligenda Legis ſumma dicit, Iſraël, quid petit abs
verſ. 12. te Dominus Deus tuus, niſi ut ipſum diligas, & ei
obedias?

3. *Præcepta gravia non ſunt.*] Hoc additum eſt,
ne difficultas (ut fieri ſolet) ſtudium noſtrum fran-
gat vel minuat. Nam qui alacri animo magnoque
fervore piam ſanctamque vitam aggrediuntur,
poſtea vires ſuas impares experti, pigreſcunt: ergo
Joannes, ut conatus noſtros incitet, mandata Dei
gravia eſſe negat. Verum objici contra poteſt, nos
longe aliud experiri: & Scriptura etiam teſtatur, ju- Actor 15.
gum Legis eſſe importabile. Ratio quoque manifeſta verſ. 1.
eſt: nam quum noſtri abnegatio ſit quaſi ſervandæ
Legis præludium, an facile homini eſſe dicemus ſe-
ipſum negare? Imo quum Lex ſpiritualis ſit (quem-
admodum Paulus docet) nos autem nihil quam caro, Rom. 7.
ingens inter nos & Dei Legem diſſidium eſſe opor- verſ. 14.
tet. Reſpondeo, difficultatem hanc *minime* eſſe ex
natura Legis, ſed ex carnis noſtræ vitio. Quod etiam
Paulus diſerte exprimit: quia poſtquam dixit, *impoſ-
ſibile* fuiſſe Legi, conferre nobis juſtitiam: mox *cul-
pam* in carnem rejicit. Hæc ſolutio, Pauli & *Davidis*
ſententias, quæ in ſpeciem videntur multum pugna-
re, optime conciliat. Paulus Legem facit mortis mi- 2 Cor. 3.
niſtram, nihil quam iram Dei operari pronunciat, verſ. 7.
datam eſſe ut peccatum augeret, vivere ut nos occi- Rom. 4.
dat. David contra, Suavem præ melle, & præ auro verſ. 15.
deſiderabilem ſibi eſſe prædicat. Inter alia ejus elo- Pſal. 19.
gia, hæc ponit, Quod exhilaret corda, ad Dominum verſ. [illegible]
convertat, & vivificet. Sed Paulus Legem cum vi-
tioſa hominis natura confert: inde hoſtilis ille con-
flictus. David autem, qualiter affecti ſint, quos Deus
Spiritu ſuo regenuit, docet. Hinc ſuavitas illa &
oblectatio, cujus nullum guſtum caro percipit. Nec
vero Joannes diſtinctionem hanc omiſit. ne quis
enim generaliter hoc acciperet, *præcepta Dei non eſſe
gravia*, reſtringit ad filios Dei: quo ſignificat, fieri
hoc Spiritus virtute, ut Deo obſequi non ſit nobis
grave nec moleſtum. Nondum tamen videtur pror-
ſus ſoluta quæſtio. nam fideles utcunque Spiritu Dei
regantur, durum tamen cum carne ſua certamen ſuſ-
tinent: & quantumvis ſudent, vix tamen dimidia
ex parte ad officium ſe comparant: imo quaſi *inter*
ſacrum (ut aiunt) & ſaxum conſtituti, fere ſub onere
deficiunt. Videmus ut Paulus ſe captivum teneri ge-
mat, & infelicem exclamet, quia non poteſt libere
Deo ſervire. Reſpondeo, facilem vocari Legem,
quatenus cæleſti virtute præditi, ſuperamus *carnis*
concupiſcentias. Nam utcunque recalcitret *caro*:
ſentiunt tamen fideles, nulla ſe alia re tam *oblectari*,
quam ut Deum ſequantur. Præterea *notandum* eſt,
Joannem non loqui de nuda Lege, quæ nihil præter
mandata continet: ſed *paternam Dei* indulgentiam
conjungere, qua mitigatur *Legis rigor*. Ergo quum
nobis clementer ignoſci à Domino ſcimus, ſi opera
noſtra Legi non ſatisfaciant, id longe nos reddit ad
obſequium promptiores: quemadmodum in Pſ. 130.
v. 4. habetur, Apud te eſt propitiatio, ut timearis.
Hinc ergo facilitas Legis ſervandæ, quod fideles
venia ſublevati, ſicubi deficiunt, animos non de-
ſpondent. Interea admonet Apoſtolus, pugnandum
eſſe ut ſerviamus Domino. totus enim mundus nobis
obſiſtit, ne pergamus quo Deus vocat. Ergo *ille* de-
mum Legem ſervabit, qui mundo fortiter reſiſtet.

4. *Hæc eſt victoria.*] Quia dixerat, omnes qui ex
Deo geniti ſunt, mundi victores eſſe, vincendi quo-
que modum exprimit. Poterat enim adhuc quæri,
unde victoria. ergo in fide conſtituit victoriam
totius mundi. Inſignis locus: quia tametſi duros &
horribiles inſultus aſſidue ingerit Satan: Spiritus
Dei extra periculum nos eſſe pronuncians, exem-
pto metu nos ad fortiter pugnandum animat. Et
plus valet præteritum tempus, quam præſens vel
futurum. *Viciſſe* enim dicit, ut perinde certi ſimus,
acſi jam profligatus eſſet hoſtis. Verum quidem eſt
tota vita durare noſtram militiam, quotidianos
eſſe conflictus, imo ſingulis momentis nova & di-
verſa prælia hinc inde ab hoſte nobis moveri: ſed
quia non armat nos Deus tantum in unum diem,
& fides

& fides etiam unius diei non eſt, ſed perpetuum Spiritus ſancti opus: non aliter jam victoriæ ſumus compotes, quam ſi eſſet debellatum. Neque tamen fiducia hæc torporem inducit, quin ſollicite ſemper ad pugnam ſimus intenti. Sic enim certos eſſe Dominus ſuos jubet, ut tamen ſecuros eſſe nolit: quin potius ideo viciſſe ipſos pronunciat, quo animoſius & magis ſtrenue pugnent. *Mundi* nomen hic late patet: comprehendit enim quicquid adverſum eſt Dei Spiritui. ita naturæ noſtræ pravitas, pars mundi eſt, omnes concupiſcentiæ, omnes Satanæ aſtus, quicquid denique nos à Deo abſtrahit. In tam multiplici hominum copia, gravis belli moles in nos incumbit: ac jam ante congreſſum eſſemus victi, ac centies quotidie vincendi, niſi Deus victoriam nobis promitteret. Sed Deus hac lege ad pugnandum nos hortatur, ut prius victoriam promittat. Cæterum ut hæc promiſſio nos invicta Dei virtute in perpetuum munit, ita ex adverſo in nihilum redigit hominum vires. Neque enim hic Apoſtolus Deum ſuppetias tantum nobis ferre docet, ut ejus ſubſidio adjuti, pares ſimus ad reſiſtendum: ſed victoriam in ſola fide locat. fides autem aliunde quo vincat, accipit. Quare Deo eripiunt quod ſuum eſt, qui propriæ virtuti triumphum canunt.

5. *Quis eſt qui vincit mundum?*] Ratio ſuperioris ſententiæ: ideo ſcilicet nos fide vincere, quia robur à Chriſto mutuamur. quemadmodum & Paulus dicit, Omnia poſſum in eo qui me confirmat. *Phil. 4. verſ. 13.* Is ergo demum Satana & mundo ſuperior erit, nec carni ſuæ ſuccumbet, qui ſibi diffidens, recumbet in ſolam Chriſti virtutem. Nam *fidei* nomine, vivam Chriſti apprehenſionem intelligit, quæ vim ejus & officium ad nos accommodat.

6. Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. & Spiritus eſt qui teſtificatur: quandoquidem Spiritus eſt veritas.

7. Nam tres ſunt qui teſtificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.

8. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres in unum conveniunt.

9. Si teſtimonium hominum recipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo.

6. *Hic eſt qui* &c.] Ut tuto fides noſtra in Chriſto quieſcat, ſolidam umbrarum Legis ſubſtantiam in eo conſtare dicit. Neque enim dubito quin ad veteres Legis ritus alludat in vocibus Aquæ & Sanguinis. Huc porro tendit comparatio: non tantum ut Legem Moſis abolitam eſſe ſciamus Chriſti adventu, ſed ut in ipſo quæramus eorum complementum, quæ olim figurabant ceremoniæ. Tametſi vero plures erant ſpecies, tamen ſub his duabus totam ſanctitatis & juſtitiæ perfectionem Apoſtolus deſignat. Aqua enim abluebantur omnes ſordes, ut homines nonniſi puri & mundi ad Deum accederent. In ſanguine erat expiatio, & plenæ cum Deo reconciliationis pignus: ſed Lex externis tantum ſymbolis adumbravit quod ſolide ac re ipſa à Meſſia præſtandum erat. Apte igitur probat Joannes Jeſum eſſe Chriſtum Domini, olim promiſſum, quia ſecum attulit quo nos omni ex parte ſanctificet. Ac de ſanguine quidem quo Chriſtus Deum placavit, nulla eſt dubitatio: ſed quomodo per aquam venerit, quæri poteſt. nam hoc ad Baptiſmum referri non eſt probabile. Ego certe exiſtimo Joannem hic fructum & effectum exprimere ejus rei quam in hiſtoria Euangelica narrat. Nam quod illic dicit, ex Chriſti latere fluxiſſe aquam & ſanguinem, haud dubie pro miraculo habendum eſt. Scio tale quiddam mortuis naturaliter accidere. verum certo Dei conſilio factum eſt ut Chriſti latus ſanguinis & aquæ fons eſſet: ut ſcirent fideles veram munditiem (cujus figuræ erant veteres Baptiſmi) in eo ſibi conſtare: ut ſcirent etiam completum, quod omnes ſanguinis aſperſiones olim promiſerant. Quare hæc brevis partitio plurimum habet gratiæ, quia ſummatim oſtendit quorſum præcipue tenderent ceremoniæ veteres: nempe ut homines ab inquinamentis purgati, & ſoluti omnibus piaculis, Deum haberent propitium, & illi conſecrarentur: deinde veritatem in Chriſto fuiſſe exhibitam, quia Lex præter viſibiles figuras nihil habebat. Qua de re plura 9. & 10. ad Hebræos capite diximus. *Spiritus eſt qui teſtificatur.* Hoc membro docet quomodo vim illam Chriſti ſentiant fideles: quia ſcilicet Dei Spiritus eos certiores reddat. & ne vacillet eorum fides, addit plenam & ſolidam firmitudinem conſtare Spiritus teſtimonio. Vocatur enim Spiritus, veritas: quia indubia ſit auctoritas ipſius, nobiſque abunde ſufficere debeat.

7. *Tres ſunt in cælo.*] Hoc totum à quibuſdam omiſſum fuit. Hieronymus exiſtimat malitia potius quam errore id fuiſſe factum: & quidem à Latinis duntaxat. Sed quum ne Græci quidem codices inter ſe conſentiant, vix quicquam aſſerere audeo. Quia tamen optime fluit contextus ſi hoc membrum addatur, & video in optimis ac probatiſſimæ fidei codicibus haberi, ego quoque libenter amplector. Senſus autem erit, quod Deus, quo uberius noſtram in Chriſto fidem confirmet, triplici modo teſtatur in eo acquieſcendum eſſe. Nam ſicuti fides noſtra in una Dei eſſentia tres perſonas agnoſcit, ita totidem modis ad Chriſtum vocatur, ut ſe in eo ſiſtat. Quod dicit, *tres* eſſe unum, ad eſſentiam non refertur, ſed ad conſenſum potius. Acſi diceret, Patrem, & æternum Sermonem ejus ac Spiritum, ſymphonia quadam Chriſtum pariter approbare. Itaque nonnulli codices habent *εἰς ἕν*. Verum etiamſi legas *ἕν εἰσι*, ut eſt in aliis exemplaribus: non tamen dubium eſt quin Pater, Sermo, & Spiritus eodem ſenſu dicantur unum eſſe, quo poſtea ſanguis, & aqua, & Spiritus. Sed quum Spiritus, qui unus eſt teſtis, bis citetur: videtur eſſe abſurda repetitio. Reſpondeo, quum varie de Chriſto teſtetur, apte duplicem illi attribui teſtandi locum. Nam è cælis Pater cum æterna ſua Sapientia & Spiritu tanquam pro imperio pronunciat Jeſum eſſe Chriſtum. ergo illic ſola divinitatis majeſtas nobis conſideranda eſt. Quoniam vero Spiritus in cordibus noſtris habitans, arrha, pignus, & ſigillum eſt ad obſignandum illud decretum: hoc modo iterum in terra per gratiam ſuam loquitur. Cæterum quia non omnes forte lectionem hanc recipient, quæ ſequuntur, perinde exponam acſi Apoſtolus in terra hos ſolos nominaſſet teſtes.

8. *Tres ſunt.*] Sententiam illam de aqua & ſanguine ad ſuum inſtitutum accommodat: quod ſcilicet nihil excuſationis habeant qui Chriſtum reſpuunt, quum ſatis firmis ac luculentis teſtimoniis ſe illum eſſe probaverit qui promiſſus olim fuerat. nam ſanguis & aqua, quum pignora ſint & effectus ſalutis per eum allatæ, vere teſtantur à Deo miſſum eſſe. Accedit deinde tertius teſtis Spiritus ſanctus;

qui tamen primas tenet partes, quia alioqui aqua & ſanguis ſine ullo profectu diffluerent. Ipſe enim eſt qui cordibus noſtris aquæ & ſanguinis teſtimonium obſignat: hic eſt qui efficit ſua virtute ut fructus mortis Chriſti ad nos uſque perveniat: imo ut ſanguis in redemptionem noſtram fuſus, penetret uſque in animas noſtras: vel (ut uno verbo omnia dicam) efficit ut Chriſtus cum omnibus ſuis bonis ſit noſter. Ita Paulus ad Romanos 1. v. 4. poſtquam dixit Chriſtum reſurrectionis ſuæ potentia oſtenſum eſſe Filium Dei, continuo poſt addit, Per ſanctificationem Spiritus. Quia quæcunque in Chriſto refulgent divinæ gloriæ ſigna: nihilominus obſcura nobis eſſent, & effugerent conſpectum noſtrum, niſi fidei oculos nobis aperiret Spiritus. Nunc intelligunt lectores cur Spiritum cum aqua & ſanguine Joannes teſtem adduxerit: quia ſcilicet proprium Spiritus officium eſt, Chriſti ſanguine mundare conſcientias noſtras: facere ut allata ab ipſo purgatio in nobis ſit efficax. Qua de re aliquid dictum eſt initio proximæ Epiſtolæ, ubi Petrus eandem fere loquutionem uſurpat: nempe quod Spiritus ſanctus animas noſtras ſanguinis Chriſti aſperſione purget. Cæterum ex his verbis colligere licet, fidem non apprehendere nudum vel inanem Chriſtum: ſed vivificam ſimul ejus virtutem. Quorſum enim prodeſſet miſſum in terram Chriſtum fuiſſe, niſi Deum mortis ſuæ ſacrificio placaſſet? niſi abluendi munus à Patre illi eſſet injunctum? Objici tamen poterit, ſupervacuam eſſe diſtinctionem quæ hic ponitur, quia Chriſtus peccata expiando, nos mundaverit. ergo rem unam Apoſtolus bis nominat. Fateor quidem in expiatione ſimul ablutionem includi: itaque non ſtatui aquæ & ſanguinis diſcrimen, quaſi res ſint disjunctæ: verum ſi quiſque noſtrum infirmitatem ſuam reputet, facile agnoſcet non fruſtra nec temere ſanguinem ab aqua diſcerni. Deinde (ut jam dictum eſt) Apoſtolus ad Legis ritus alludit. Atqui Deus humanæ infirmitatis cauſa non ſacrificia tantum, ſed ablutiones quoque olim inſtituerat. Utriuſque partis veritatem in Chriſto fuiſſe exhibitam, diſtincte exprimere Apoſtolus voluit. Qua ratione paulo ante dixerat, Non in aqua ſolum. Significat enim non modo partem aliquam ſalutis noſtræ in Chriſto inveniri, ſed omnes numeros (ut ita dicam) completos: ita ut nihil alibi ſit amplius quærendum.

9. *Si teſtimonium hominum.*] A minori ad majus ratiocinatur quam ingrati ſint homines, ſi Chriſtum divinitus (ita ut retulit) approbatum repudient. Nam ſi in negotiis humanis, hominum dictis ſtamus, qui mentiri & fallere poſſunt: quam abſurdum erit, Deum minus fidei in ſuo foro (ut ita loquar) ubi ſummus eſt judex, apud nos obtinere? Sola igitur nobis pravitas obſtat ne Chriſtum recipiamus, quando ſuæ virtuti fidem legitima probatione facit. Porro Dei teſtimonium vocat non modo quod Spiritus cordibus noſtris reddit, ſed quod etiam habemus ab aqua & ſanguine. Vis enim illa purgandi & expiandi, non terrena, ſed cœleſtis fuit. Quare non vulgari hominum more æſtimandus eſt Chriſti ſanguis: ſed conſilium Dei potius reſpicere convenit, quo fuit ordinatus ad delenda peccata, & vim illam divinam quæ inde fluxit.

Porro hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo.

10. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſeipſo. qui non credit Deo, mendacem facit eum: quia non credidit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

11. Et hoc eſt teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus eſt.

12. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.

Hoc eſt teſtimonium.] Particula ὅτι, cauſam hic non notat, ſed tantum exegetice capitur. Poſtquam enim admonuit Apoſtolus, Deum multo plus fidei mereri quam homines: nunc ſubjicit, nullam haberi poſſe fidem Deo, niſi credendo in Chriſtum: quia Deus hunc ſolum nobis proponit, & in eo nos ſiſtit. Hinc colligit, nos tuto & tranquillis animis in Chriſtum credere, quoniam auctoritate ſua Deus fidem noſtram aſſerat. Nec dicit Deum extra loqui, ſed unumquemque piorum intus in ſeipſo eum ſentire fidei ſuæ auctorem. unde apparet quantum à fide differat fluxa opinio, quæ aliunde pendet.

10. *Qui non credit.*] Sicut hoc boni habent fideles, quod ſe extra errandi periculum eſſe norunt, quia in Deo ſunt fundati: ita impios extremæ blaſphemiæ reos facit, quia Deum mendacii arguant. Certe nihil Deo pretioſius eſt quam ſua veritas: quare nulla illi atrocior injuria fieri poteſt, quam dum hoc honore ſpoliatur. Ergo ut nos ad credendum incitet, argumentum à contrario ſumit. Nam ſi Deum facere mendacem, horribilis eſt & execranda impietas: quia tunc, quod illi maxime proprium eſt, eripitur: quis non horreat fidem Euangelio derogare, in quo Deus unice verax & fidelis vult haberi? Hoc diligenter notandum eſt. Mirantur aliqui cur tantopere Deus fidem commendet, cur tam ſevere damnetur incredulitas. atqui hic vertitur ſumma Dei gloria. Nam quum præcipuum veritatis ſuæ ſpecimen in Euangelio edere voluerit, nihil illi faciunt reliquum quicunque oblatum illic Chriſtum reſpuunt. Quare ut quempiam in reliquis vitæ partibus demus Angelo eſſe parem: diabolica tamen eſt ejus ſanctitas, quamdiu Chriſtum rejicit. Sicuti quoſdam in Papatu videmus neſcio qua ſanctimoniæ larva multum ſibi placere: quum tamen obſtinatiſſime Euangelio reſiſtant. Ergo teneamus hoc pietatis initium eſſe, doctrinam illam obedienter amplecti, quam adeo ſancte pro teſtimonio aſſeruit.

11. *Quod vitam æternam dedit.*] Nunc propoſito fructu, ad credendum nos invitat. Hæc quidem Deo reverentia debetur, ut quicquid nobis affirmat, protinus ſit extra controverſiam. Sed ubi gratuito vitam nobis offert, ingratitudo minime ferenda eſt, niſi prompta fide tam amabilem ſuavemque doctrinam excipimus. Et certe in hunc finem tendunt Apoſtoli verba, non modo reverenter obediendum eſſe Euangelio, ne Deo ſimus injurii: ſed amandum etiam illud eſſe, quia vitam æternam nobis afferat. Unde etiam colligimus quid maxime in Euangelio quærendum ſit: nempe gratuitum ſalutis donum. nam quod illic Deus ad pœnitentiam & timorem nos hortatur, non debet à Chriſti gratia ſeparari. Atque ut nos prorſus in Chriſto retineat Apoſtolus, iterum repetit contineri in ipſo vitam: acſi diceret, non aliud adipiſcendæ vitæ medium nobis à Deo Patre ſtatui. Ac tria quidem ſummatim hic complexus eſt Apoſtolus: nos ſcilicet omnes morti addictos eſſe, donec Deus gratuita ſua bonitate nos in vitam reſtituat. Aperte enim pronunciat vitam à Deo donari: unde & ipſa nos deſtitui ſequitur, nec meritis poſſe acquiri. Deinde hanc vitam nobis per Euangelium conferri docet, quia illic pateſit Dei bonitas & paternus erga nos amor. Poſtremo non aliter ejus vitæ nos fieri compotes dicit, quam dum fide in Chriſtum inſerimur.

12. *Qui non habet.*] Eſt proximæ ſententiæ confirmatio.

firmatio. Sufficere quidem illud debebat, Deum non alibi quam in Chriſto vitam locaſſe ut inde petatur: verum ne quis alio deflectat, à ſpe vitæ excludit omnes qui eam in Chriſtn non quærunt. Scimus quid ſit babere Chriſtum: nam fide poſſidetur. vita ergo privat nmnes qui alieni ſunt à Chriſti corpore. Sed videtur hoc ratinni minime conſentaneum: nam ſummos viros extitiſſe, & heroicis virtutibus præditos hiſtoriæ narrant, qui tamen à Cbriſtn prorſus erant extranei. Abſurdum autem videtur, tantæ præſtantiæ nihil habere honoris. Reſpondeo, longe nos falli, ſi putamus probari Deo quicquid in oculis noſtris excellit: quin potius (ut eſt apud Lucam) quod altum eſt homitibus, abominario eſt apud Deum. Quia enim abſcondita eſt nobis cordis immundities, externa ſpecie contenti ſumus: atqui Deus ſub bac latentes fœdiſſimas ſordes videt. Itaque non mirum ſi illi fœteant ſpecioſæ virtutes, quæ & ab impuro corde manant, neque in rectum finem tendunt. Porro unde cordis puritas, unde rectum pietatis ſtudium, niſi à Spiritu Chriſti? Nihil ergo laude dignum, niſi in Chriſto. Quanquam alia eſt ratio, quæ omnem dubitatinnem eximit. Hominum enim juſtitia in remiſſinne peccatorum ſita eſt. Hanc ſi tollas, certa Dei maledictio, & mors æterna nos omnes manet. Solus autem Chriſtus eſt qui Patrem nobis conciliat, ſicuti eum ſemel mortis ſuæ ſacrificio placavit. Unde ſequitur, nemini propitium eſſe Deum, niſi in Chriſto: nullam quoque niſi in ipſo juſtitiam eſſe. Si quis Cornelium objiciat, quem Lucas acceptum fuiſſe Deo teſtatur, priuſquam vocatus eſſet ad fidem Euangelii: reſpondeo breviter, ſic interdum agere Deum in nobis, ut ſemen fidei noo primo ſtatim die emergat. Non babuit Cornelius claram & dilucidam Chriſti notitiam: ſed quum aliqun miſericordiæ Dei ſenſu fuerit præditus, eum ſimul de Mediatore aliquid tenere oportuit. Verum quia occultas & mirificas agendi rationes habet Deus, omiſſis quæ nihil proſunt ſpeculationibus, tantum planam viam ſalutis, quam nobis oſtendit, teneamus.

Luc. 16. verſ. 5.

Actor. 10. verſ. 2.

13. Hæc ſcripſi vobis credentibus in nomen Filii Dei: ut ſciatis quod vitam habetis æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei.

14. Atque hæc eſt fiducia quam habemus erga eum, quod ſiquid petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.

15. Si autem novimus quod audit nos, quum quid petierimus: novimus quod habemus petitiones quas poſtulavimus ab eo.

13. *Hæc ſcripſi vobis.*] Quia quotidianos fidei profectus eſſe oportet: ideo ſe iis qui jam crediderunt, ſcribere dicit, ut firmius ac certius credant: atque ita plena vitæ æternæ fiducia fruaotur. Hic ergo doctrinæ uſus eſt, non tantum ut rudes initiet in Chriſto, ſed ut qui jam eruditi ſunt, magis ac magis confirmet. Ideo nos aſſidue incumbere oportet in ſtudium diſcendi, ut fides noſtra toto vitæ curſu augeſcat. Nam & multæ adhuc infidelitatis reliquiæ in nobis ſuperſunt, & adeo imbecilla eſt noſtra fides, ut hoc ipſum quod credimus, nondum ſit ſolide credere, niſi amplior confirmatio accedat. Porro operæpretium eſt notare quænam vera ſit confirmandæ fidei ratio: nempe dum officium & virtus Chriſti explicatur. Dicit enim Apoſtolus ſe bæc ſcripſiſſe: nempe quod non alibi quam in Chriſto quærenda ſit vita æterna: ut qui jam fideles ſunt, credant, hoc eſt, proficiant credendo. Quare pii doctoris officium eſt, ut in fide diſcipulos confirmet, extollere quantum poteſt Chriſti gratiam: ut ea contenti, nihil amplius appetamua Hanc quum obſcurent modis omnibus ac extenuent Papiſtæ: ſatis hoc nno produnt ſe nihil minus curare quam rectam fidei doctrinam. Imo hac cauſa magis fugiendæ ſunt eorum ſcholæ, quam omoes Scyllæ vel Charybdes: quia vix ingredi quiſpiam eas poſſit ſine certo fidei naufragio. Docet præterea hoc loco Apoſtolus, Chriſtum eſſe proprium fidei ſcopum: & fidei, quam habemus in ejus nomen, annexam eſſe ſalutis fiduciam. Hic enim credendi finis, ut Dei filii ſimus ac hæredes.

14. *Hæc eſt fiducia.*] Fidem cujus meminit, à fructu commendat: vel oſtendit in qno præcipue ſita ſit fiducia: nempe quod pii intrepido animo Deum invocare audent. ſicuti & Paulus loquitur ad Epheſ. cap. 3. v. 12. Quod fide acceſſus nobis ad Deum patet cum fiducia. Et ad Rom. 8. v. 15. Quod Spiritus os nobis reſerat, ut clamare non dubitemus, Abba Pater. Et ſane ſi arcemur à Dei acceſſu, nihil nobis miſerius. Rurſum, modn hoc nobis aſylum pareat, in malis omnibus tuhilominus erimus beati. Imn hoc unum felices reddit nnſtras ærumnas, quod certo ſtatuimus Deum fore liberatorem, & paterno ejus erga nos amore freti, ad ipſum confugimus. Teneamus ergo hanc Apoſtoli ſententiam: Invocationem Dei, ſummum fidei noſtræ examen eſſe: Deum autem non rite, neque ex fide invocari, niſi quum certo perſuaſi ſumus non irritas fore noſtras preces. Nam qui ſuſpenſi hæſitant, eos fiducia præditos eſſe negat Apoſtolus. Unde apparet ſepultam ac prope extinctam eſſe fidei doctrinam in Papatu, ubi certitudn omnis tollitur. Multas quidem illic preces murmurant, & de invocando Deo multum garriunt: ſed dubiis ac fluctuantibus aoimis orant, ac orare jubent: imn damnaot hanc fiduciam, quam Apoſtolus neceſſario exigit. *Secundum voluntatem.* Hac particula obiter monere voluit quænam vera ſit precandi regula: nempe ubi vota ſua Deo homines ſubjicinot. Neque enim quum pollicitus eſt Dominus facturum ſe quicquid ſui petierint, effrenam illis licentiam permiſit petendi quicquid in mentem ſubierit: ſed ſimul legem illis præſcripſit rite orandi. Et ſane hoc freno nihil nobis utilius. quia ſi unicuique noſtrum petere liceat quicquid libet, & Deus votis noſtris indulgeat, peſſime nobis coοſultum erit. Nam quid expedint, neſcimus: imo æſtuamus pravis ac noxiis deſideriis. Duplex autem remedium adhibet Deus, ne aliter nremus quam ad vnluntatis ſuæ præſcriptum: quia & ex verbo ſuo nos docet, quidnam petere nos velit: & Spiritum ſuum ducem ac moderatorem nobis præficir, qui cohibeat affectus noſtros, nec vagari extra metas ſinat. Nam quid & qualiter oporteat orare, neſcimus, inquit Paulus: ſed Spiritus infirmitatibus noſtris opem ferens, excitat in nobis gemitus ioenarrabiles. Interea os quoque Domini interrogandum eſt, ut preces noſtras dirigat. Nam Deus in ſuis promiſſinnibus legitimam nrandi ratinnem (ut dictum eſt) nobis ſtatuit.

Rom. 8. verſ. 26.

15. *Si autem novimus.*] Non eſt (ut in ſpeciem videtur) ſuperflua repetitin. nam quod in genere de orationum ſucceſſu pronunciavit Apoſtolus, nunc ſpecialiter affirmat: nihil pios optare vel poſcere à Deo, quod oon impetrent. Quum autem omnia fidelium vota exaudiri dicit, de ſanis modeſtiſque votis loquitur, & quæ ad obedientiæ regulam ſunt compoſita. Neque enim laxis habenis ruunt fideles, aut quidvis ſibi indulgent: ſed quid mandet Deus, ſemper in ſuis precibus reſpiciunt. Eſt igitur hæc generalis doctrinæ applicatio ad ſpecialem & privatum cujuſque uſum, ne dubitent fideles Deum ſe in omnibus ac ſingulis vntis propitinm habere, ut ſedatis animis expectent dum præſtet Dominus quæ precati ſunt; atque ita omni moleſtia & anxietate levati,

Digitized by Google

curas ſuas in Deum exonerent. Neque tamen hæc quies & ſecuritas, precandi ardorem reſtinguere in nobis debet: ut qui certus eſt de felici eventu, ab invocando Deo abſtineat. Fidei enim certitudo ſocordiam minime generat, vel pigritiam. ſed tantum vult Apoſtolus in ſuis quemque neceſſitatibus tranquillum eſſe, ubi ſuos gemitus in Dei ſinum depoſuit.

16. Si quis viderit fratrem ſuum peccantem peccato non ad mortem, petet, & dabit illi vitam. Peccanti dico non ad mortem. eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut quis roget.

17. Omnis injuſtitia peccatum eſt. & eſt peccatum non ad mortem.

18. Novimus quod quiſquis ex Deo genitus eſt, non peccat: ſed qui genitus eſt ex Deo, ſervat ſeipſum, & malignus non tangit eum.

16. *Si quis* &c.] Fructum fidei, cujus meminit Apoſtolus, jam longius extendit: ut pro fratribus etiam valeant preces noſtræ. Magnum illud erat, quod ſimulac premimur, benigne nos Deus ad ſe invitat, nobiſque opem ferre paratus eſt. ſed quod pro aliis quoque rogantes audire ſuſtinet, non parva inde confirmatio fidei noſtræ accedit: ut certo perſuaſi ſimus nos in propria cauſa repulſam minime unquam paſſuros. Interea hortatur Apoſtolus ut ſimus alii de aliorum ſalute mutuo ſolliciti: deinde vult fratrum lapſus nobis eſſe ad orandum incitamenta. Et certe ferrea eſſet iſta durities, nullo miſericordiæ ſenſu tangi, quum animas Chriſti ſanguine redemptas videmus in exitium ire. Oſtendit autem in manu eſſe remedium, quo fratres fratribus ſuccurrant. Vitam, inquit, pereunti reſtituet, qui pro eo orabit. Quanquam verbum Dabit, referri ad Deum poteſt: acſi dictum eſſet, Fratris vitam Deus concedet precibus noſtris. Verum idem ſemper erit ſenſus, eouſque valere fidelium preces, ut fratrem à morte eripiant. Si de homine intelligas, quod det fratri vitam, hyperbolica erit loquutio: nihil tamen continebit abſurdi. Nam quod gratuita Dei bonitate nobis conceſſum eſt, imo quod in gratiam noſtram aliis conceditur, dicimur aliis dare. Tanta utilitas non parum nos ſtimulare debet, ut peccata fratribus noſtris remitti petamus. Quum autem συμπάθειαν nobis commendat Apoſtolus, ſimul admonet quantopere in fratribus damnandis cavenda ſit crudelitas, aut in deſperanda eorum ſalute nimius rigor. *Peccato non ad mortem.* Ne protinus ſpem abjiciamus de eorum ſalute qui peccant, Deum oſtendit non tam graviter ulciſci ſuorum lapſus ut propterea eos abdicet. Unde ſequitur, nobis pro fratribus habendos, quando ipſos Dominus in filiorum numero retinet. Peccata vero ad mortem eſſe negat, non modo in quibus quotidie ſancti delinquunt: ſed etiam ſiquando graviter iram Dei ab ipſis provocari contingat. Quamdiu enim veniæ relinquitur locus, mors prorſus imperium nondum occupat. Neque tamen hic inter veniale & mortale peccatum diſtinguit Apoſtolus, ſicuti poſtea vulgo factum eſt. Prorſus enim inſulſa eſt illa diſtinctio, quæ in Papatu obtinuit. Nullum fere Sorbonici mortale peccatum agnoſcunt, niſi in quibus tam craſſa extat turpitudo, ut manibus palpari queat. Ita in peccatis venialibus cenſent teterrimas fœditates, quæ in animis latent. Omnes denique peccati originalis fructus, modo non erumpant in externum actum, levi aſperſione aquæ benedictæ elui putant. Et quid mirum, quum ne blaſphemas quidem de gratia Dei dubitationes, & quicquid eſt libidinum ac cupiditatum, modo conſenſus non accedat, peccata eſſe cenſeant? Si animus hominis infidelitate percellitur, ſi eum ſollicitat impatientia ut adverſus Deum fremat, quantumvis prodigioſæ cupiditates eum titillent: hoc totum levius eſt Papiſtis, quam ut in peccato deputetur, ſaltem poſt Baptiſmum. Non mirum igitur ſi ex magnis ſceleribus venialia delicta faciunt: ſua enim, non Dei trutina appendunt. Atqui inter fideles indubium hoc axioma eſſe debet, quicquid cum Lege Dei pugnat, peccatum eſſe, & quidem mortale ſua natura. Ubi enim Legis transgreſſio, illic & peccatum & mors. Quis ergo verborum Apoſtoli ſenſus erit? Peccata negat mortifera eſſe, quæ etſi morte digna ſunt, non tamen tam atrociter à Deo puniuntur. Ideo peccata in ſe non æſtimat: ſed judicium de illis ex paterna Dei indulgentia facit, quæ reatum condonat, ubi tamen culpa erat. Denique morti non addicit quos Deus erigendo reſtituit in vitam, quamvis per eos non ſteterit quominus à vita alienati eſſent. *Eſt peccatum ad mortem.* Jam dixi ita vocari peccatum, cui nulla ſpes veniæ reliqua eſt. ſed quæritur quale hoc ſit. Valde enim atrox eſſe oportet, quod Deus tam ſevere ulciſcitur. Ex contextu colligi poteſt, non eſſe partialem (ut vocant) lapſum, nec præcepti unius transgreſſionem: ſed apoſtaſiam, qua penitus homines à Deo ſe alienant. Nam poſtea ſubjicit Apoſtolus, filios Dei non peccare: ut ſcilicet relicto Deo, Satanæ ſe in totum addicant ac mancipent. Talis defectio non mirum eſt ſi mortalis ſit lapſus. Neque enim ſuos Deus unquam ita privat Spiritus gratia, quin aliquam pietatis ſcintillam retineant. Reprobos ergo & exitio devotos eſſe oportet, qui ſic deficiunt ut timorem Dei abjiciant. Si quis quærat an eorum pœnitentiæ præcluſa ſit ſalutis janua: in promptu eſt reſponſio, quum in reprobum ſenſum traditi ſint, & Spiritu ſancto deſtituti, non aliud eos poſſe quam obſtinatis animis ſemper ruere in deterius, & peccata addere peccatis. Porro quum peccatum aut blaſphemia in Spiritum, ejuſmodi defectionem perpetuo ſecum trahat, non dubium eſt quin hic notetur. Sed quæritur iterum, quibuſnam indiciis cognoſcere poſſimus lethalem eſſe hominis caſum. Niſi enim certa ejus rei eſſet cognitio, fruſtra exciperet Apoſtolus, non eſſe pro hoc peccati genere orandum. Licebit ergo interdum ſtatuere, ſitne deploratus qui cecidit, an adhuc locus ſit remedio. Id quidem verum eſſe fateor: & ex præſenti loco ſine controverſia evincitur. ſed quia rariſſime hoc accidit, & Deus immenſas gratiæ ſuæ divitias commendans, nos ſuo exemplo miſericordes eſſe jubet: non temere in quenquam ferendum eſt mortis æternæ judicium: potius nos charitas ad bene ſperandum flectat. Quod ſi deſperata quorundam impietas non ſecus nobis apparet, acſi Dominus eam digito monſtraret, non eſt quod certemus cum juſto Dei judicio, vel clementiores eo eſſe appetamus.

17. *Omnis injuſtitia.*] Varie poteſt hic locus exponi. nam ſi in adverſativam reſolvas, non male conſtabit ſenſus hoc modo, Tametſi omnis injuſtitia peccatum eſt, aliquod tamen eſt peccatum non ad mortem. Æque etiam congrueret diverſus ſenſus, Quia peccatum eſt omnis injuſtitia, inde ſequitur aliquod eſſe peccatum non ad mortem. Alii *omnem injuſtitiam* accipiunt pro Tota: acſi diceret Apoſtolus, peccatum de quo agit, eſſe injuſtitiæ cumulum. Ego tamen primam vel ſecundam expoſitionem libentius amplector: & quia eodem recidunt, liberum relinquo lectoribus judicium, utra ſit aptior.

18. Novi-

18. *Novimus quod quiſquis ex Deo.*] Si filios Dei puros omnino & immunes à peccato eſſe intelligas, ſicut fanatici contendunt, ſecum pugnabit Apoſtolus. nam hoc modo mutuum inter fratres precandi ſtudium tolleret. Ergo *non peccare* dicit qui non prorſus à gratia Dei excidunt. Hinc autem inferre voluit, orandum pro omnibus Dei filiis eſſe: quia ad mortem non peccant. Additur probatio, Quod quiſquis ex Deo genitus eſt, ſeipſum ſervat: hoc eſt, continet ſe in Dei timore: nec ſe ita abripi patitur, ut extincto pietatis ſenſu, diabolo & carni totum ſe permittat. Nam quum dicit *non tangi eum à maligno*, ad lethale vulnus referendum eſt. Neque enim à Satanæ vulneribus intacti manent filii Dei. ſed ita fidei clypeo propulſant ejus ictus, ur minime ad cor ipſum penetrent. Quare nunquam in ipſis extinguitur ſpiritualis vita. Hoc iſtud eſt *non peccare*, quum labuntur quidem fideles infirmitate carnis: ſed ſub onere peccati gemunt, ſibi diſplicent, Deum timere non deſinunt. *Servat ſeipſum.* Quod Dei proprium eſt, ad nos transfert. Nam ſi quiſque noſtrum ſalutis ſuæ ſit cuſtos, miſerum erit præſidium. Itaque Patrem rogat Chriſtus ur nos ſervet, hoc opis noſtræ *Joan. 17. verſ. 12.*
non eſſe ſignificans. Patroni liberi arbitrii, vocem iſtam arripiunt, ut inde probent partim Dei gratia, partim vero propria virtute nos ſervari à peccato. Atqui non animadvertunr non habere à ſeipſis fideles cuſtodiam de qua loquitur Apoſtolus. Nec ſana hic eorum virtutem prædicat, quaſi proprio Marte ſe cuſtodiant: ſed tanrum docet, eos Satanæ reſiſtere, ut ejus telis nunquam letbaliter vulnerentur. ſcimus autem non aliis quam Dei armis inſtructos pugnare. Servanr ergo ſe à peccato fideles, quarenus à Deo ſervantur.

19. Novimus quod ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.

20. Novimus autem quod Filius Dei venit, & dedit nobis intelligentiam, ut cognoſcamus illum verum: & ſumus in ipſo vero, in Filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita æterna.

21. Filioli, cuſtodite vos ab idolis. Amen.

19. *Ex Deo ſumus.*] Ex ſuperiore doctrina ſumit exhortandi materiam. nam quod in commune pronunciavit de omnihus Dei filiis, nunc ad eos quibus ſcribit, accommodat: idque ut eos ſtimulet ad cavendum peccatum,& ad repellendos Satanæ inſulius animet. Ohſervent lectores hanc demum eſſe veram fidem, quæ Dei gratiam nobis (ut ita dicam) applicat. Neque enim alios fideles agnoſcit Apoſtolus, niſi qui ſe in ordinem filiorum Dei aggregaor. Nec vero probabilem conjecturam (ut loquuntur Sopbiſtæ) pro fiducia iogerit. Dicir enim *nos ſcire.* Summa huc tendit, quum ex Deo geniti ſimus, dandam eſſe operam ut à mundo ſegregati, probemus vitæ ſanctitate non fruſtra ad tanrum bonorem non ſuiſſe vocatos. Hæc autem admonitio valde piis omnibus neceſſaria eſt. Quocunque enim vertant oculos, Satan paratas habet illecehras, quibus à Deo abducat. Difficile igitur illis foret rectum gradum tenere, niſi pluris ſua illis eſſet vocatio, quam omnia mundi obſtacula. Ergo ut probe ad certaodum muniti ſimus, duo hæc teneoda ſunt: mundum perverſum eſſe, & à Deo eſſe noſtram vocationem. Sub *mundi* nomioe, non duhium eſt quin totum humanum genus Apoſtolus comprebendat. Quum *in maligno poſitum eſſe* dicit, ſub Satanæ principatu eum locat. Non ergo eſt cur mundum fugere dubitemus, qui contempto Deo, Satanæ in ſervitutem ſe tradit: non eſt cur metuamus ejus diſſidium, quia à Deo alienus eſt. Denique, quando totam naturam occupat corruptio, abnegationi ſui ſtudere dehenr fideles. quando in mundo nibil præter malitiam & pravitatem cernitur, carni & ſanguini valedicant neceſſe eſt, ut Deum ſequantur. Simul tamen addendum eſt alterum illud, Deum eſſe qui ipſos vocavit, ut ejus præſidium omnibus muodi & Satanæ machinis opponant.

20. *Novimus autem quod Filius Dei venit.*] Quia undique impetuntur filii Dei, hac (ut diximus) ratiooe eos ad reſiſtendi conſtantiam animat atque bortatur, quod ſub Dei auſpiciis militant, ac certo tenent ejus Spiritu ſe regi: nunc autem unde notitia illa maxime petenda ſit, admonet. Dicit igitur Deum in Chriſto nobis ita eſſe patefactum, ut jam nulla ſit hæſitandi ratio. Non temere in hanc partem incumbit Apoſtolus: niſi enim ſolide in Deo fundata ſit fides, nunquam firmi in pugna ſtabimus. Hoc conſilio docer Apoſtolus nos Chriſti beneficio conſequutos eſſe certam veri Dei notitiam, ut non fluctuemus incerti. *Verum* Deum intelligit, non veracem, ſed eum qui re vera Deus eſt: ut eum ab idolis omnibus diſcernat. Ita Verus fictitio opponitur. eſt enim ἀληθινὸς, non ἀληθὴς: quemadmodum Joan. 17. v. 3. Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Chriſto autem has partes jure tribuit, ut mentes noſtras in Dei notitiam illuſtret. Nam quum unica ſit inviſibilis Dei imago, quum unicus Patris interpres, quum unus ſit vitæ director, imo vita, lux muodi, & veritas: ſimulatque ab eo diſceſſimus, nos in figmentis noſtris evaneſcere neceſſe eſt. Dicitur autem Chriſtus nobis *intelligentiam dediſſe*, non modo quia in Euangelii doctrioa oſtendit quiſnam ſit verus Deus, & Spiritu quoque ſuo nos illuminat: ſed quia in Chriſto ipſo Deum habemus in carne manifeſtatum, ut inquit Paulus: quandoquidem in eo habitat omnis plenitudo Dei- *Coloſſ. 2. verſ. 3, 9.*
tatis, & abſconditi ſunt omnes ſcientiæ & intelligentiæ theſauri. Ita ſit ut conſpicua quodammodo Dei facies nobis in Chriſto reluceat: non quod nulla fuerit ante Cbriſti adventum, vel dubla Dei cognitio: ſed quia nunc ſe plenius & quaſi ad liquidum patefacit. Atque hoc eſt, quod dicit Paulus 2. ad Cor. 4. v. 6. Deum qui juſſit olim ex tenebris lucem ſplendeſcere in creatione mundi, nunc illuxiſſe cordibus noſtris per fulgorem cognitionis gloriæ ſuæ, in facie Cbriſti. Ac notandum eſt, ſolis electis peculiare eſſe boc donum. Omnibus quidem promiſcue Euangelii ſui facem Chriſtus accendit: ſed non omnibus oculatæ ſunt mentes ad videndum: quin potius velum cæcitatis multis obducit Satan. Lucem ergo Apoſtolus inrelligit, quam intus accendit Cbriſtus in cordibus ſuorum, & quæ ſemel accenſa, nunquam extinguitur, etiamſi in quihuſdam ad tempos ſuffocari interdum contingat. *Sumus in vero.* Hoc verbo admonet quam efficax ſit cognitio illa, cujus meminir: quia ſcilicet per eam ioſerimur in Chriſtum, & unum efficimur cum Deo. Vivam enim radicem habet, ac cordibus penitus infixam: qua ſir ut vivat in nobis Deus, & nos in ipſo. Quoniam ſine copula dicit, *nos in vero eſſe, in Filio ejus*, videtur modum exprimere noſtræ cum Deo unitatis: acſi diceret, nos in Deo eſſe per Chriſtum. *Hic eſt verus Deus.* Tametſi bunc locum eludere Arriani conati ſunt, & illis hodie ſubſcribunt quidam: hic tamen inſigne habemus divinitatis Chriſti elogium. Arriani rransferunt hoc ad Patrem: quaſi Apoſtolus eum rurſus prædicet eſſe verum Deum Atqui nimis frigida eſſet repetitio. Bis jam teſtatus erat verum eſſe Deum, qui nobis in Chriſto innotuit: quorſum mux ſubjiceret, *bic eſt verus Deus?* In Chriſtum vero apposite competit. Poſtquam enim Chriſtum docuit eſſe ducem, cujus manu ad Deum

Digitized by Google

dirigimur: nunc amplificandi cauſa Chriſtum eſſe Deum illum affirmat, ne procul quærendum puremus: idque confirmat epithetum *vitæ æternæ*. De uno certe ac eodem utrumque prædicat, quod verus ſit Deus, ac vita æterna. Omitto quod relativum οὗτος ad proximam perſonam reſtringi ſolet. Hoc dico, Chriſtum proprie vitam æternam vocari: & hunc loquendi morem Joanni eſſe perpetuum, negari non poteſt. Summa eſt, ubi Chriſtum habemus, nos vero & æterno Deo frui, quia non alibi quærendus ſit: deinde nos ita vitæ æternæ fieri participes, quia in Patre abſcondita, nobis in Chriſto offertur. Vitæ quidem origo eſt Pater: ſed fons ex quo haurire licet, Chriſtus eſt.

21. *Cuſtodite vos ab idolis.*] Tametſi diſtincta eſt ſententia, eſt tamen velut appendix ſuperioris doctrinæ. Nam vivifica lux Euangelii non tenebras modo, ſed nebulas quoque omnes diſcutere & fugare ex piorum mentibus debet. Nec idololatriam modo damnat Apoſtolus, ſed præcipit ut à ſimulachris ipſis caveant. quo ſignificat non poſſe integrum ac ſincerum Dei cultum retineri, ſimulac ſimulachra appetere homines incipiunt. Sic enim nobis ingenita eſt ſuperſtitio, ut minima quæque occaſio nos contagione ſua inficiat. Non tam facile ardebit lignum aridum carbone ſubjecto, quam cito idololatria hominum mentes corripit & occupat, dum illis materia objicitur. Quis autem ſimulachra non videt ſcintillas eſſe? Quid ſcintillas dico? Imo potius faces quæ ad totius mundi incendium ſufficiant. Quanquam Apoſtolus non de ſtatuis modo loquitur: ſed aras etiam & quævis ſuperſtitionum inſtrumenta comprehendit. Ridiculi porro ſunt Papiſtæ, qui hoc ad ſtatuas Jovis & Mercurii & ſimilium detorquent: quaſi vero non generaliter doceat Apoſtolus, pietatis eſſe corruptelam, ubi corporea Deo figura affingitur, vel ubi eriguntur ad cultum ſtatuæ & picturæ. Meminerimus ergo in ſpirituali Dei cultu ita ſollicite manendum eſſe, ut quicquid nos ad craſſas & carnales ſuperſtitiones flectere poteſt, procul à nobis arceamus.

IN EPISTOLAM JACOBI

ARGUMENTUM.

HAnc Epiſtolam non ſine certamine olim receptam à multis Eccleſiis fuiſſe, ex Hieronymi Euſebiique teſtimonio notum eſt. Sunt etiam hodie nonnulli qui eam auctoritate dignam non cenſeant. Ego tamen, quia nullam ejus repudiandæ ſatis juſtam cauſam video, libenter eam ſine controverſia amplector. Nam quod videtur capite ſecundo gratuitæ juſtificationis doctrina convelli, facile hoc ſuo loco diluemus. Quod autem parcior in prædicanda Chriſti gratia videtur, quam Apoſtolo conveniat: certe non eſt ab omnibus exigendum, ut idem argumentum tractent. Multum à ſtylo Davidis diſtant Solomonis ſcripta. nam quum hic poſterior formando externo homini, & tradendis politicæ vitæ præceptis magis ſit intentus: illum aſſidue de ſpirituali tum Dei cultu, tum conſcientiæ pace, Deique miſericordia, & gratuita ſalutis promiſſione concionari, notum eſt. atqui non facit hæc diverſitas ut alterum probando, alterum damnemus. Quin etiam inter ipſos Euangeliſtas tantum eſt diſcriminis in illuſtranda Chriſti virtute, ut reliqui tres cum Joanne comparati, vix ſcintillas habeant pleni fulgoris qui in ipſo tam conſpicuus apparet. & tamen omnes peræque exoſculamur. Quare mihi ad Epiſtolam hanc recipiendam ſatis eſt, quod nihil continet Chriſti Apoſtolo indignum: multiplici vero doctrina ſcatet, cujus utilitas ad omnes Chriſtianæ vitæ partes late patet. Sunt enim hic inſignes ſententiæ, de patientia, de invocatione Dei, de cæleſtis doctrinæ præſtantia & fructu, de humilitate, de ſanctis exercitiis, de linguæ continentia, de colenda pace, de reprimendis cupiditatibus, de præſentis vitæ contemptu, & ſimiles: quas ſigillatim ſuis locis excutiemus. Porro de auctore major aliquanto eſt dubitandi ratio. Certum quidem eſt, non eſſe Zebedæi filium, quem Herodes paulo poſt Domini reſurrectionem occidit. Veteres fere conſentiunt, fuiſſe unum ex diſcipulis, cognomine Obliam, & Chriſti conſanguineum, qui Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præ-
Galat. 2. verſ. 9. fuerit. Et eundem eſſe arbitrantur, quem Paulus in Epiſtola ad Galatas, Petro & Joanni annumerat, quos dicit pro columnis habitos. Atqui inter tres columnas numerari unum ex diſcipulis, & ſupra decem Apoſtolos efferri, mihi non eſt probabile. Potius itaque in hanc conjecturam inclino, illum, de quo loquitur Paulus, fuiſſe Alphæi filium. Quanquam non nego alium fuiſſe Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfectum: & quidem ex diſcipulorum collegio. Nam Apoſtolos non oportuit certo loco alligari. Uter autem ex duobus hujus Epiſtolæ ſcriptor fuerit, aſſerere meum non eſt. Fuiſſe certe Obliam illum maximæ apud Judæos auctoritatis, vel inde patet, quod quum à factione impii Pontificis crudeliter necatus eſſet, Joſephus urbis excidium aliqua ex parte ejus morti imputare non dubitat.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM JACOBI.

CAPUT PRIMUM.

JAcobus, Dei ac Domini Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus quæ in diſperſione ſunt, ſalutem.

2. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis:

3. Scientes quod probatio fidei veſtræ, patientiam operatur.

4. Patientia vero opus perfectum habeat, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

1. D*Uodecim tribubus.*] Quum abductæ ſunt decem tribus, captivos Aſſyrius in diverſis ſedibus collocavit. Poſtea, ut in regnorum mutationibus (quales tunc acciderunt) fieri ſolet: veriſimile eſt, huc & illuc eos ſeorſum migraſſe. Judæi vero in omnes fere mundi regiones diſſipati erant. Hos igitur omnes quos alloqui coram non poterat, quia procul diſſiti erant, ſcripto hortatur. Quod autem de Chriſti gratia & fide in ipſum non diſſerit, hæc videtur eſſe ratio, quod orationem ad eos dirigebat, qui jam ab aliis recte inſtituti erant: ut non tam doctrina, quam exhortationum ſtimulis opus haberent.

2. *Omne gaudium.*] Prima exhortatio: ut hilari animo tentationes excipiant, quibus probatur eorum fides. Fuit autem in primis neceſſarium ſublevari eo tempore Judæos, tot ærumnis pene oppreſſos. Sic enim erat infame gentis nomen, ut odio & contemptui eſſent omnibus populis, quocunque venerant. Chriſtianorum vero miſerior adhuc conditio erat, quod ſuos gentiles habebant hoſtes ſibi infeſtiſſimos. Quanquam non ita uni tempori hæc conſolatio propria fuit, quin ſemper utilis ſit fidelibus, quorum vita aſſidua eſt militia ſuper terram. Cæterum ut melius ſciamus quid velit, *tentationes* pro rebus adverſis accipi non dubium eſt: quia ſunt noſtræ erga Deum obedientiæ experimenta. His dum exercentur fideles, eos gaudere jubet. neque id dum in unam duntaxat tentationem incidunt, ſed in plures: neque unius tantum generis, ſed multiplices ac varias. Et certe quum ad mortificandam carnem noſtram valeant: ſicuti in nobis continenter pullulant carnis vitia, ita illas ſubinde repeti neceſſe eſt. Deinde ſicuti diverſis morbis laboramus, ſic diverſa remedia adhiberi illis curandis non mirum eſt. Varie ergo nos Dominus affligit: quia non eodem curari poſſent pharmaco, ambitio, avaritia, æmulatio, gulæ intemperies, nimius mundi amor, & innumeræ libidines quibus ſcatemus. Quum jubet *exiſtimare omne gaudium*, perinde eſt acſi diceret, ita in lucro deputandas eſſe, ut nonniſi gaudendi ſit materia. Denique nihil eſſe in afflictionibus ſignificat, quod gaudium noſtrum obturbet. Atque hoc modo, non tantum præcipit placide & æquo animo ferre res adverſas: ſed cauſam eſſe docet cur gaudeant fideles, dum illis premuntur. Certum quidem eſt, ita comparatos eſſe omnes naturæ noſtræ ſenſus, ut nos dolore & triſtitia afficiat quævis tentatio. Neque vero poteſt quiſquam noſtrum naturam eatenus exuere, ut non doleat ac triſtetur ſimulac ſentit aliquid mali: ſed hoc non obſtat quin aſſurgant filii Dei, directione Spiritus, ſupra carnis dolorem. Hinc fit ut vel in media triſtitia non deſinant tamen lætari.

3. *Scientes quod probatio.*] Nunc videmus cur *tentationes* vocaverit res adverſas: nempe quia fidei noſtræ examinandæ ſerviunt. Eſt autem hic cauſæ redditio, ad confirmandam proximam ſententiam. Poterat enim objici ex adverſo, Qui fieri poteſt, ut quod amarum eſt ſenſu, dulce judicemus? Ab effectu ergo oſtendit, in afflictionibus gaudendum eſſe, quia fructum pariant magni æſtimandum: nempe patientiam. Ergo ſi Deus ſaluti noſtræ conſulit, gaudendi materiam nobis præbet. Eodem utitur argumento Petrus, circa initium prioris Epiſtolæ, Ut probatio fidei veſtræ auro pretioſior ſit in laudem &c. Nam certe ideo & morbos, & inopiam, & exilium, & carcerem, & ignominiam, & mortem horremus, quia putamus mala eſſe: quum autem intelligimus, Dei beneficio verti in ſalutis adjumenta, ingratitudinis eſſet obmurmurare, ac non ſponte nos offerre illi adeo paterne tractandos. Paulus ad Rom. cap. 5. v. 3. Gloriari dicit, pro eo quod Jacobus hic *gaudere*. Gloriamur, inquit, in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam efficit. Quanquam videtur quod mox ſubjicit, Jacobi verbis eſſe contrarium. Probationem enim tertio loco ponit, quaſi patientiæ effectum, quæ hic prior ordine ſtatuitur, tanquam cauſa. Verum prompta eſt ſolutio: quia illic activa eſt verbi ſignificatio, quæ hic paſſiva eſt. Jacobo dicitur probatio efficere patientiam: quia niſi nos Dominus examinaret, ſed relinqueret otioſos, nulla eſſet patientia: quæ nihil eſt aliud quam animi fortitudo in malis perferendis. Paulus vero intelligit, dum patiendo mala vincimus, nos experiri quid Dei auxilium in neceſſitate valeat. nam tunc quaſi in re præſenti nobis

oſtens

Digitized by Google

oſtenditur Dei veritas. Ita fit ut plus ſpei in poſterum concipere audeamus: veritas enim Dei, uſu cognita, plus apud nos fidei obtinet. Ideo Paulus docet ex tali probatione, id eſt, divinæ gratiæ experimento, ſpem naſci: non quod tunc demum ſpes incipiat, ſed quia augeſcit & confirmatur. Uterque vero ſignificat tribulationem eſſe patientiæ materiam. Cæterum non ita naturaliter compoſiti ſunt hominum animi, ut illis patientiam ſecum afferat afflictio. Sed Paulus & Jacobus non tam in hominum naturam, quam in Dei providentiam reſpiciunt: qua fit ut fideles patientiam ex ærumnis diſcant. tametſi impii magis inde ac magis ad inſaniam provocentur: quemadmodum Pharaonis exemplum oſtendit.

4. *Patientia vero opus perfectum.*] Quoniam ſæpe in nobis ſe efferunt generoſi ſpiritus, ac ſtatim concidunt: ideo conſtantiam requirit. Hæc, inquit, vera erit patientia, quæ in finem uſque durabit. Nam *opus* hic pro effectu capitur: nec tantum ut ſimus in uno certamine ſuperiores, ſed ut perſtemus tota vita. Poſſet etiam perfectio iſta ad ſincerum animi affectum referri, ut ſponte ſe homines ac non ſimulate Deo ſubjiciant: ſed quia nomen *operis* additur, malo de conſtantia expooere. Nam multi (ut diximus) qui heroicam initio magoitudioem præ ſe ferunt, paulo poſt fatigantur. Quare ad extremum perſeverare jubet, qui perfecti eſſe volunt ac integri. His autem duobus nominibus ſignificat quod ſtatim exponit, hoc eſt, qui non deficiunt vel fatiſcunt. Nam qui victi patientia, franguntur, eos paulatim mioui, & tandem prorſus deficere neceſſe eſt.

5. Porro ſi quis veſtrum deſtituitur ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, nec exprobrat: & dabitur ei.

6. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. nam qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris qui vento agitur & circumfertur.

7. Non ergo exiſtimet homo ille quod ſit quicquam accepturus à Domino.

8. Vir duplici animo, inſtabilis eſt in omnibus viis ſuis.

5. *Si quis deſtituitur.*] Quoniam ab eo ratio noſtra, adeoque ſe oſua omnes abhorrent, ut nos credamus beatos eſſe in malis: ideo petendum eſſe à Domino præcipit, ut hac ſapientia nos imbuat. Nam *ſapientiæ* nomen, ad circumſtantiam præſentis loci reſtringo: acſi diceret, Si hæc doctrina ingenii veſtri captu altior eſt, petite à Domino ut vos Spiritu ſuo illuminet. nam ut ſola illa conſideratio ad mitigandam quamlibet malorum acerbitatem ſufficit, ſalutare eſſe nobis quod carni moleſtum eſt: ita niſi hoc ſolatii genere ſuſtinemur, neceſſe eſt impatientia vinci. Sic videmus Dominum non ita à nobis exigere quæ ſunt ſupra vires, quin paratus ſit opitulari, modo petamus. quare ſimulatque aliquid præcipit, diſcamus ab eo petere præſtandi facultatem. Quanquam autem hoc loco, Sapere, eſt ſubjicere ſe Deo ad mala toleranda, ubi rite expendimus, ſic eum omnia moderari, ut in ſalutem noſtram cedant: poteſt tamen hæc ſententia generaliter aptari ad omnes rectæ intelligentiæ partes. Verum cur dicit *ſi quis*, quaſi non omnes indigeant? Reſpondeo, deſtitui quidem omnes naturaliter: ſed alios Spiritu prudentiæ donatos eſſe, quo alii carent. Quoniam itaque non omnes eo progreſſi ſunt, ut ſibi in afflictiooe gratulentur, ſed pauci quibus hoc datum eſt: ideo occurrit Jacobus, ac eos admonet, quibus nondum perſuaſum eſt, cruce ſalutem noſtram à Domino promoveri, ut ſe hac ſapientia donari poſtulent. Et tamen non dubium eſt quin omnes admoneat neceſſitas, idem petere. Qui enim aliquouſque profecit, longe adhuc abeſt à meta. Sed aliud eſt, augmentum petere, quam ioitium. quum jubet *à Domino petere*, ſignificat eum eſſe unum qui morbis ooſtris poteſt mederi, & ioopiæ ſubvenire. *Qui dat omnibus ſimpliciter.* Omnes iotelligit qui petunt: nam qui remedia non quærunt ſuæ egeſtati, digni ſuot qui in ea tabeſcant. Magnam tamen vim habet uoiverſalis oratio, qua ſine exceptione unumquemque noſtrum invitat: quare nemo ſe privare debet tanto bono. Huc accedit promiſſio quæ mox annectitur. nam ſicuti hoc mandato demonſtrat quale ſit cujuſque of-
Mat. 7. verſ. 7. Luc. 11. verſ. 9. ficium: ita oon fruſtra facturos quod præcipit, affirmat: ſecundum illud Chriſti, Pulſate, & aperietur. Particula *ſimpliciter*, dandi promptitudinem denotat. Sic ad Rom. cap. 12. v. 8. Paulus à Diaconia ſimplicitatem requirit. Et ſecundæ ad Corinthios octavo & nono, quum de eleemoſynis diſputat, aliquoties repetit eandem vocem. Senſus ergo eſt, Deum ita ad dandum eſſe propenſum ac facilem, ut neminem repudiet vel faſtidioſe differat: nec ſimilem parcis ac tenacibus, qui vel maligoe, quaſi ſemiclusa manu, tenuiter erogant: vel aliquid ex eo quod erant daturi, reſcindunt: vel diu ſecum intus alternant, daturi ſint nec ne. *Nec exprobrat.* Hoc additum eſt, ne quis Deum ſæpius adire metuat. Qui ex hominibus maxime ſunt liberales, tamen ſi identidem quiſpiam juvari ſe poſtulet, priora beneficia commemorant: atque ita excuſant in poſterum. quare hominem mortalem quantumvis largum oos fatigare pudet ſæpius petendo. Jacobus autem nihil in Deo ſimile eſſe admonet: quoniam priora beneficia ſine fine ac modo novis ſubinde cumulare paratus ſit.

6. *Poſtulet autem in fide.*] Primum hic docet quæ legitima ſit orandi ratio. nam ſicuti orare, niſi præeunte verbo, oon poſſumus: ita antequam oremus, credere oos oportet. Precando enim teſtamur, gratiam quam Deus promiſit, nos ab eo ſperare. ita quiſquis fidem non habet promiſſionibus, ſimulate orat. Hinc quoque diſcimus quæ ſit vera fides: nam ſimulac præcepit Jacobus cum fide petere, addit explicationem, *nihil hæſitando*. Ergo fides eſt quæ Dei promiſſionibus freta, nos impetrandi quod petimus, certos reddit: unde ſequitur, cum fiducia & certitudine divini in oos amoris eſſe conjunctam. Verbum διακρίνεσθαι quo utitur, proprie in utramque partem, diſceptantium more, inquirere ſignificat. Vult ergo ſic oobis perſuaſum eſſe quod ſemel Deus promiſit, ut in dubitationem non vocemus, exaudieodi ſimus oec ne. *Qui hæſitat.* Eleganter hac ſimilitudine exprimit qualiter Deus eorum infidelitatem puniat, qui de promiſſis ſuis dubitant. Sua enim ipſi inquietudine intus ſeipſos excruciant: quoniam nulla uſquam eſt animis noſtris tranquillitas, niſi dum recumbunt in Dei veritatem. Tandem concludit indignos eſſe tales qui à Deo quicquam impetrent. Inſignis eſt hic locus ad refelleodum impium illud dogma quod in toto Papatu pro oraculo habetur: nempe dubitanter & incerta ſucceſſus opinione eſſe orandum. Quare principium hoc teneamus, non aliter exaudiri preces noſtras à Domino, niſi quum adeſt impetrandi fiducia. Fieri quidem non poteſt in hac carnis infirmitate quin variis tentationibus agitemur: quæ ſunt veluti machinæ ad labefactandam noſtram fiduciam. ita nemo reperietur qui non ſenſu carnis ſuæ vacillet ac trepidet. Sed oportet ejuſmodi tentationes fide tandem ſuperari. Quemadmodum arbor quæ firmas radices jecit, quatitur quidem venti impulſu, ſed ooo revellitur: quin potius ſuo loco ſtabilis manet.

8. Vir

8. *Vir duplici animo.*] Poteſt hæc ſententia ſeorſum legi, ut generaliter de hypocritis loquatur: mihi tamen magis videtur ſuperioris doctrinæ eſſe clauſula: atque ita erit tacita antitheſis inter Dei ſimplicitatem cujus meminit prius, & duplicem hominis animum. Sicuti enim exporrecta manu nobis Deus largitur: ita viciſſim ſinum cordis noſtri expanſum eſſe decet. Incredulos ergo, qui flexuoſos receſſus habent, dicit eſſe *inſtabiles*, quia nunquam unum & idem conſtitutum habent: ſed nunc turgent carnis confidentia, nunc deſperatione in profundum merguntur.

9. Porro glorietur frater humilis in ſublimitate ſua:

10. Dives autem in humilitate ſua, quia tanquam flos herbæ præteribit.

11. Nam ſol exortus eſt cum æſtu, & exareſcit herba, & flos ejus cecidit, & decor

* vel, opus. aſpectus ejus periit: ſic & dives in ſuis * viis marceſcet.

1 Cor. 7. verſ. 22. 9. *Frater humilis.*] Quemadmodum Paulus quum ſervos hortatur ad tolerandam æquo animo ſortem ſuam, hanc illis conſolationem proponit, quod liberti ſint Dei, manumiſſi ejus gratia è miſerrimo Satanæ ſervitio: ingenuos autem admonet ut ſe Dei ſervos eſſe meminerint. ita hic noſter eodem ſenſu jubet humiles in eo gloriari, quod à Domino adoptati fuerint in filios: divites autem, quod oſtenſa mundi vanitate, in ordinem coacti fuerint. Ita priores vult eſſe contentos humili & abjecta ſua conditione: ſecundos autem ſuperbire vetat. Quum hæc ſumma & incomparabilis ſit dignatio, quod in ſocietatem Angelorum allecti ſimus, imo Chriſti conſortes facti: qui tantum Dei beneficium ſuo pretio æſtimat, reliqua omnia ſuſque deque faciet. Ergo nec paupertas, nec contemptus, nec nuditas, nec fames, nec ſitis, ejus animum ita anxium habebunt, quin ſe hac conſolatione ſuſtentet, Quando mihi quod præcipuum erat, Dominus contulit, aliis minoribus carere æquo animo decet. En quomodo frater abjectus gloriari debeat in ſua ſublimitate: quia ſi gratus eſt Deo, in ſola adoptione ſua ſatis plenam habet conſolationis materiam, ne minus proſpero vitæ ſtatu ultra modum angatur.

10. *Dives in humilitate.*] Speciem pro genere poſuit. pertinet enim hæc admonitio ad omnes qui vel honore, vel nobilitate, vel aliis rebus externis excellunt. Eos in humilitate, vel parvitate ſua gloriari jubet: ut comprimat altos illos ſpiritus, qui ex rebus proſperis inflari ſolent. Porro *humilitatem* appellat, quia regnum Dei patefactum nos in contemptum mundi adducere debet: ut ſciamus omnia quæ prius in magna admiratione erant, vel nihili, vel admodum exilia eſſe. Chriſtus enim, qui non niſi parvulorum magiſter eſt, omnem carnis faſtum ſua doctrina retundit. Ergo ne divites abripiat inane mundi gaudium, aſſueſcant in ſuæ carnalis excellentiæ dejectione gloriari. *Tanquam flos herbæ.* Si quis ad verba Jeſaiæ alludere Jacobum putet, non valde repugno: ſed non concedam teſtimonium Prophetæ ab eo citari, qui non de bonis fortunæ tantum & evanida mundi figura loquitur, ſed de toto homine: nec de corpore magis quam anima. hic autem de opum vel bonorum pompa agitur. Summa autem eſt, ſtultam eſſe & præpoſteram gloriationem in divitiis, quæ momento effluunt. Idem docent Philoſophi: verum ſurdis canitur fabula, donec apertæ ſint aures à Domino, ad audiendam cæleſtis regni æternitatem. Ideo dicit, *frater*, ſignificans non ante locum eſſe huic doctrinæ, quam dum aſciti in ordinem filiorum Dei ſumus. Tametſi recepta eſt lectio ἐν ταῖς πορείαις: tamen Eraſmo aſſentior, potius legendum eſſe πορίαις abſque diphthongo, In opibus, vel Cum opibus: quod poſterius mihi magis placet.

12. Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Deus diligentibus ipſum.

13. Nemo quum tentatur, dicat, A Deo tentor. Deus enim nec tentari malis poteſt; nec quenquam tentat.

14. Sed unuſquiſque tentatur, dum à ſua concupiſcentia abſtrahitur & ineſcatur.

15. Poſtquam autem concupiſcentia concepit, parit peccatum: peccatum vero perfectum, generat mortem.

12. *Beatus vir.*] Poſtquam adhibita conſolatione, temperavit eorum dolorem qui duriter tractantur in hoc mundo, & rurſum humiliavit magnorum ſupercilia: nunc concludit beatos eſſe qui ærumnas & alias tentationes magno animo perferunt, ita ut ſuperiores emergant. Poſſet quidem nomen *tentationis* aliter accipi, nempe pro cupiditatum aculeis qui intus animum pungunt. ſed exiſtimo fortitudinem in perferendis rebus adverſis hic laudari. Ut ſit paradoxum, non eſſe beatos, ut vulgo putantur, quibus ex voto omnia proveniunt: ſed qui in malis non vincuntur. *Quoniam quum probatus.* Rationem reddit ſuperioris ſententiæ: nam corona ſequitur certamen. Ergo ſi ſumma beatitudo eſt, in regno Dei coronari: ſequitur, certamina quibus nos Dominus exercet, adjumenta eſſe noſtræ felicitatis. Ita argumentum eſt à fine, vel ab effectu. unde colligimus, ideo tot malis vexari fideles, ut manifeſta fiat eorum pietas & obedientia: ſicque demum ad recipiendam vitæ coronam præparari. Cæterum perperam ratiocinantur qui inde inferunt, nos coronam pugnando mereri. nam quum eam gratuito nobis Deus deſtinaverit, tantum ad eam recipiendam nos aptat. Nam quod ſubjicit, *promiſſam eſſe* iis qui Deum diligunt: ita loquendo, non aſſerit dilectionem hominis eſſe cauſam (prævenit enim nos Deus ſuo erga nos amore) ſed tantum ſignificat, eos demum approbari Dei electos, qui ipſum diligunt. Interea admonet, victores omnium tentationum fore qui Deum amant: nec alia de cauſa nos animo defici quum tentamur, niſi quia prævalet mundi amor in nobis.

13. *Nemo quum tentatur.*] Hic vero non dubium eſt quin de alio tentationis genere diſſerat. Plus ſatis notum tentationes externas, quarum hactenus facta eſt mentio, nobis à Deo immitti. Hoc ſenſu tentavit Deus Abraham, & quotidie nos tentat: Geneſ. 22. verſ. 1. hoc eſt, experitur quales ſimus objecta patefaciendi animi noſtri occaſione. Sed longe aliud eſt, extra elicere quod in animis latebat, quam animos intus ſollicitare pravis cupiditatibus. De tentationibus ergo internis hic tractat, quæ nihil aliud ſunt quam inordinati appetitus qui nos ad peccandum incitant. Illorum auctorem merito Deum eſſe negat, quoniam de carnis noſtræ corruptione manant. Hæc admonitio valde neceſſaria eſt, quia nihil hominibus eſt magis uſitatum quam malorum, quæ quiſque perpetrat, culpam alio tranſcribere: tunc autem

maxime

maxime videntur ſibi liberari, ſi eam in Deum ipſum derivent. Hoc tergiverſandi artificium à primo homine traditum ſedulo imitamur. Hac de cauſa Jacobus nos ad proprii reatus confeſſionem vocat, ne Deum ſubſtituamus noſtro loco, acſi nos ipſe ad peccandum impelleret. Verum huic ſententiæ videtur reclamare tota Scripturæ doctrina, quæ homines tradit excæcari à Deo, conjici in ſenſum reprobum, *Rom. 1. verſ. 26.* proſtitui in cupiditates fœdas & illicitas. Reſpondeo, hac quoque ratione fortaſſis inductum fuiſſe Jacobum ut negaret à Deo nos tentari, quia impii ad captandum colorem, Scripturæ teſtimoniis ſe armant. Verum duo ſunt hic notanda. nam quum Scriptura excæcationem vel obdurationem cordis tribuit Deo, neque illi initium aſſignat, neque facit mali auctorem, ut culpam ſuſtinere debeat. In his autem duobus ſolum Jacobus inſiſtit. Scriptura reprobos à Domino conjici aſſerit in pravas cupiditates: an quia Dominus cor eorum depravet vel corrumpat? Minime: ideo enim ſubjicitur pravis deſideriis, quia jam corruptum & vitioſum erat. An vero quum excæcat vel indurat Deus, peccati auctor eſt vel miniſter? Imo hoc modo peccata ulciſcitur, juſtamque *Geneſ. 9. verſ. 12.* mercedem impiis rependit, qui Spiritu ſuo regi abnuerunt. Sequitur ergo, neque peccati originem eſſe in Deo, neque illi culpam imputari poſſe quaſi ex malis voluptatem capiat. Summa eſt, fruſtra tergiverſari hominem qui vitiorum ſuorum culpam rejicere in Deum conatur: quia non ex alio fonte proveniat quicquid eſt malorum, quam ex perverſa hominis concupiſcentia. Atque ita ſane res habet, non aliunde nos impelli: ſed cuique pravum affectum eſſe ducem ac impulſorem. Deum vero neminem tentare, inde probat, quia *malis non tentatur*. Nam ideo nos ad peccandum diabolus ſollicitat, quia inſana peccandi cupiditate totus ardet: Deus autem malum non appetit: ergo neque male agendi nobis auctor eſt.

14. *Dum à ſua concupiſcentia.*] Quum interior ſit ad malum motus & incitatio, fruſtra ab externo impulſu excuſationis prætextum quæret peccator. Quanquam notandi ſunt hi duo concupiſcentiæ effectus, quod nos illecebris ineſcat, & quod nos abſtrahit: quorum ſinguli ad reatum ſufficiunt.

15. *Poſtquam concepit.*] Principio *concupiſcentiam* hic appellat, non quemvis appetitum, ſed appetituum omnium fontem. Ab eo docet concipi vitioſos fœtus, qui tandem emergunt in peccata. Videtur tamen improprie, & nequaquam ex Scripturæ uſu, ad externa opera reſtringere *peccati* vocem: quaſi vero non eſſet ipſa concupiſcentia per ſe peccatum: quaſi etiam perverſa deſideria, quæ intus clauſa & ſuppreſſa manent, non totidem eſſent peccata. Verum quum multiplex ſit verbi uſus, nihil eſt abſurdi ſi pro actuali peccato hic ſumitur, quemadmodum & aliis pluribus locis. Ac imperite hoc teſtimonium arripiunt Papiſtæ, dum ex eo probare volunt, non eſſe peccata, vitioſas, imo fœdas, ſceleratas, & pluſquam nefandas cupiditates, modo ne accedat conſenſus. neque enim diſputat Jacobus, quando incipiat naſci peccatum, ita ut peccatum ſit, ac reputetur coram Deo: ſed quando emergat. Sic enim gradatim procedit, mortis æternæ cauſam eſſe conſummationem peccati: peccatum autem oriri ex illicitis deſideriis: jam illicita deſideria radicem habere in concupiſcentia. unde ſequitur, homines in æterno interitu fructum colligere, quem ipſi protulerunt. Perfectum itaque peccatum non intelligo unum aliquod opus perpetratum, ſed curſum peccandi completum: tametſi enim unicuique peccato mors debetur, dicitur tamen ſtipendium eſſe impiæ & ſceleratæ vitæ. Ita refellitur eorum delirium qui ex his verbis colligunt, non eſſe mortale peccatum, donec in exteriorem (ut vocant) actum proruperit. Neque enim hoc tractat Jacobus: ſed tantum in hoc verſatur, ut radicem noſtri exitii in nobis eſſe doceat.

16. Ne erretis, fratres mei dilecti.

17. Omnis donatio bona, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum: apud quem non eſt transmutatio, aut converſionis obumbratio.

18. Is ſua voluntate genuit nos ſermone veritatis, ut eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum.

16. *Ne erretis.*] Argumentum eſt à repugnantibus. nam quum Deus omnis boni auctor ſit, abſurdum eſt cenſeri malorum auctorem. Proprium, inquam, & naturale illi eſt benefacere, à quo bona omnia nobis proveniunt: ergo quicquam mali agere, in ejus naturam non cadit. Sed quia interdum accidit, ut qui præclare alias ſe gerit tota vita, ſimul labatur aliqua in parte: huic dubitationi occurrit, dum negat Deum inſtar hominum eſſe mutabilem. Quod ſi in omnibus & ſemper ſui ſimilis eſt, ex hac conſtantia ſequitur, perpetuum in eo benefaciendi tenorem eſſe. Hæc ratiocinatio longe alia eſt quam Platonis, qui contendit nullas hominibus calamitates à Deo immitti, quia bonus eſt. nam quia æquum eſt puniri à Deo hominum ſcelera, ejus reſpectu, in malis deputare non convenit quas juſte pœnas irrogat. Plato quidem imperite: at Jacobus puniendi jus & officium Deo relinquens, tantum culpam ab eo avertit. Hic locus docet, ita innumeris Dei beneficiis, quæ ex ejus manu quotidie percipimus, affici nos debere, ut nihil cogitemus niſi in ejus gloriam: quæcunque vero aut in mentem nobis veniunt, aut ab aliis ingeruntur, minus conſentanea cum ejus laude, toto pectore exhorreamus. *Pater luminum* vocatur Deus, quaſi omnis & præſtantiæ & bene compoſiti ordinis. Et quum mox ſubjicit nullam eſſe *converſionis obumbrationem*, perſeverat in metaphora, ne Dei ſplendorem metiamur Solis irradiatione quæ nobis apparet.

18. *Is ſua voluntate* &c.] Ejus quam prædicavit divinæ bonitatis præcipuum nunc ſpecimen in medium adducit: nempe quod nos regeneravit in vitam æternam. Hoc inæſtimabile beneficium unuſquiſque fidelium in ſe ſentit: ergo bonitas Dei omnibus experimento comperta, tollere debet contrariam opinionem. Quum Deum volentem, aut ſponte ſua *nos genuiſſe* dicit, ſignificat nulla cauſa fuiſſe inductum. quemadmodum ſæpe voluntas & conſilium Dei hominum meritis opponi ſolent. Quid enim magni eſſet, ſi negaret Deum ad id fuiſſe coactum? Plus ergo quiddam exprimit, quod Deus pro ſuo beneplacito nos genuerit, atque ita ſibi fuerit cauſa. unde ſequitur, naturale eſſe Deo, benefacere. Cæterum hic locus docet, quemadmodum gratuita fuit noſtra electio ante mundum conditum, ita nos mera Dei gratia illuminari in notitiam veritatis: ut vocatio electioni reſpondeat. Docet Scriptura nos gratis *Epheſ. 1. verſ. 4, 5.* adoptatos fuiſſe à Deo, antequam naſceremur: Jacobus autem hic plus quiddam exprimit, Nos jus adoptionis conſequi, quoniam gratis quoque nos vocat Deus. Præterea hinc diſcimus proprium eſſe Dei officium, ſpiritualiter nos gignere. nam quod idem adſcribi interdum videtur Euangelii miniſtris, non aliter valet niſi quia per illos agit Deus: & fit quidem per illos, ut ſolus nihilominus agat. *Geniture* nomen ſignificat nos fieri novos homines, ut priorem naturam exuamus quum efficaciter vocamur à Deo. Addit quomodo nos regeneret Deus, nempe per ſermonem

nem veritatis: ut ſciamus non alia janua poſſe nos ingredi in regnum Dei. *Ut eſſemus primitiæ quædam.* Τινα aut Quædam, ſimilitudinis eſt nota: acſi dixiſſet, nos quodammodo eſſe primitias. Porro id ad paucos fidelium reſtringi non debet, ſed pertinet ad omnes communiter. Nam quum homo inter omnes creaturas excellat, Dominus fideles ſuos ex aliorum grege eligit ac ſegregat ſibi in ſanctam oblationem. Hæc non vulgaris eſt nobilitas, in quam filios ſuos Deus extollit. Quare merito dicuntur eximi tanquam primitiæ, dum in illis inſtauratur Dei imago.

19. Itaque, fratres mei dilecti, ſit omnis homo celer ad audiendum, tardus autem ad loquendum, tardus ad iram.

20. Ira enim hominis juſtitiam Dei non operatut.

21. Quapropter depoſita omni immunditie, & redundantia malitiæ, cum manſuetudine ſuſcipite inſitum ſermonem qui poteſt ſervare animas veſtras.

19. *Sit omnis bomo.*] Si bæc ſit generalis ſententia, longe petita erit illatio: ſed quia de ſermone illo veritatis ſententiam proximæ congruentem mox annectit, non dabito quin hanc exhortationem peculiariter inſtituto accommodet. Ergo propoſita Dei bonitate, oſtendit qualiter ad recipiendum incomparabile iſtud beneficium quo nos afficit, comparatos eſſe deceat. quæ doctrina perquam utilis eſt. Neque enim unius momenti opus eſt ſpiritualis generario: quando ſemper manent quædam veteris bominis reliquiæ, aſſidue nos refingi neceſſe eſt, donec aboleatur caro. Noſtra autem vel ferocia, vel arrogantia, vel ſocordia, magnum eſt impedimentum Deo ne ſuum in nobis opus perficiat. Quare dum Jacobus nos celeres ad audiendum eſſe vult, promptitudinem commendat: acſi diceret, Quando ſe ita liberaliter vobis offert Deus, vos quoque illi dociles præbete: ne illi moram afferat veſtra tarditas. Quoniam autem dum nimium ſapere nobis videmur, non ſuſtinemus placide loquentem audire Deum, ſed noſtra feſtinantia quodammodo abrumpimus ejus ſermonem: ſilentium Apoſtolus nobis imperat. Et certe nemo unquam bonus erit Dei diſcipulus, niſi qui ſilendo eum audiet. Non imperat tamen Pythagoricæ ſcholæ ſilentium, ne ſit fas inquirere quoties diſcere cupimus quod eſt utile cognitu: ſed tantum vult proterviam noſtram corripere, oe ſicuti fieri ſolet, intempeſtive obſtrepamus Deo: & quamdiu ſacrum os habet apertum, illi animos aureſque noſtras aperiamus, non autem occupemus ipſi loqui. *Tardus ad iram.* Iram quoque damnari puto, quatenus audientiam, quam ſibi Deus fieri poſtulat, quaſi tumultuando perturbat vel impedit. neque enim Deus niſi ſedato animo, audiri poteſt. Ideo addit, quamdiu ira regnum habet, non eſſe locum Dei juſtitiæ. Denique, niſi faceſſat contentionis fervor, nunquam Deo præſtabimus illam ſilentii moderationem, de qua nuper loquutus eſt.

21. *Quapropter depoſita.*] Concludit jam qualiter recipiandus ſit ſermo vitæ. Ac primum quidem rite ſuſcipi negat niſi inſeratur, vel radices agat in nobis. Nam hæc loquutio *ſuſcipere inſitum ſermonem*, io hanc aut ſimilem reſolvi debet, Ita ſuſcipite ut vere inſeratur. Alludit enim ad ſemen quod ſæpe in arida loca cadir, nec bumido terræ ſinu excipitur: vel ad ſurculos qui in terram projecti, aut ligno mortuo ſuperjecti, marceſcunr. Præcipit igitur, ut viva fiat inſitio, qua veluti cum corde noſtro coaleſcat. Simul modum hujus receptionis oſtendit, nempe *In manſuetudine.* Quo verbo ſignificat modeſtiam & facilitatem mentis ad diſcendum compoſitæ: qualem Jeſaias deſcribit, quum dicit, Super quem requieſcit Spiritus meus, niſi ſuper bumilem & quietum? Hinc fit ut tam pauci in Dei ſcbola proficiant: quia vix centeſimus quiſque ſpiritus ſui ferociam deponit, ut ſe Deo comiter ſubjiciat: ſed omnes fere elati & refractarii accedunt. Nos vero, ſi cupimus eſſe viva Dei planiatio, ſubigendis in bumilitatem noſtris ingeniis demus operam, ut tanquam agni, nos à Paſtore noſtro regi ſinamus. Sed quia nunquam ita cicurantur bomines, ut pacato mitique ſint animo, niſi ante pravis ſuis affectibus repurgati fuerint: ideo jubet immunditiem & malitiæ redundantiam deponere. Et quoniam ab agricultura ſimilitudinem mutuatur Jacobus, bic ordo tenendus fuit, ut ab berbis vitioſis exſtirpandis inciperet. Quum autem omnes alloquatur, binc colligendum eſt, ingenita naturæ noſtræ eſſe bæc mala, & bærere in nobis omnibus. Imo quum apud fideles verba faciat, nunquam in hac vita nos penitus his mundari oſtendit, verum ſubinde repullulare: ideoque aſſiduam eradicandi curam requirit. Primo quoniam ſacra res eſt Dei ſermo: ut ad eum recipiendum aptemur, exuere ſordes quibus inquinati ſumus, convenit. Sub nomine *malitiæ*, tam bypocriſin & contumaciam, quam perverſas omnes cupiditates comprehendit. Nec contentus ſedem malitiæ aſſigoare in hominis anima, adeo copioſam illic malitiam reſidere docet, ut exundet, vel quaſi in cumulum aſſurgat. Et certe quiſquis ſe bene excuſſerit, immenſum in ſe reperiet malorum chaos. *Qui poteſt ſervare.* Magnificum cæleſtis doctrinæ encomium, quod certam ex ea ſalutem conſequimur. Eſt autem additum, ut ſermonem illum inſtar tbeſauri incomparabilis, & expetere, & amare, & magnificare diſcamus. Eſt ergo acris ad caſtigandam noſtram ignaviam ſtimulus, ſermonem cui ſolemus tam negligenter aures præbere, ſalutis noſtræ eſſe cauſam. Tametſi non in hunc finem, ſervandi vis ſermoni adſcribitur, quaſi aut ſalus in externo vocis ſonitu incluſa foret, aut ſervandi munus Deo ablatum, alio transferretur. nam de ſermone tractat Jacobus qui fide in corda bominum penetravit: & tantum indicat, Deum ſalutis auctorem, Euangelio ſuo eam peragere.

Jeſa. 57. verſ. 15.

22. Eſtote factores ſermonis, & non auditores ſolum, fallentes voſipſos.

23. Nam ſi quis auditor eſt ſermonis, & non factor, hic ſimilis eſt homini conſideranti faciem nativitatis ſuæ in ſpeculo.

24. Conſideravit enim ſeipſum, & abiit, & protinus oblitus eſt qualis ſit.

25. Qui vero intuitus fuerit in Legem perfectam, quæ eſt libertatis, & permanſerit, hic non auditor obliviosſus, ſed factor operis, beatus in opere ſuo erit.

26. Si quis videtur religioſus eſſe inter vos, nec refrenat linguam ſuam, ſed decipit cor ſuum: hujus inanis eſt religio.

27. Religio pura & impolluta coram Deo & Patre, hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in afflictione ipſorum, immaculatum ſervare ſe à mundo.

22. *Eſtote factores.*] Factor hic, non quemadmodum ad Romanos cap. 2. v. 13. eum ſignificat, qui Legi Dei ſatisfacit, omnique ex parte eam implet: ſed qui ſermonem Dei ex animo amplectitur, vitaque teſtatur, ſerio ſe credidiſſe: juxta hanc Chriſti
Luc. 11. verſ. 28. ſententiam, Beati qui audiunt ſermonem Dei, & cuſtodiunt eum. Nam hic à fructibus declarat quænam ſit illa inſitio cujus meminit. Obſervandum præterea eſt, fidem ſimul cum aliis operibus à Jacobo comprehendi, imo eam in primis: ſicuti præcipuum opus eſt quod à nobis Deus exigit. Summa eſt, dandam eſſe operam, ut radices agat in nobis verbum Domini, quo poſtea fructificet.

23. *Similis eſt homini.*] Eſt quidem cæleſtis doctrina, ſpeculum in quo ſe Deus conſpiciendum nobis offert: ſed ita, ut in ejus imaginem transfiguremur, ſicut ait Paulus 2 Corinth. 3. v. 18. Hic autem de externo oculorum conjectu agitur, non de viva & efficaci contemplatione quæ in cor ipſum penetrat. Elegans ſimilitudo, qua breviter ſignificat, nihil prodeſſe quæ auditu modo, non autem interiore cordis affectu percipitur doctrina: quia mox evaneſcit.

25. *In Legem perfectam.*] Poſtquam de inani ſpeculatione loquutus eſt, nunc ad penetrabilem illum intuitum deſcendit qui nos in Dei ſimilitudinem transformat. Quia autem negotium habet cum Judæis, nomen *Legis* familiariter illis notum, pro univerſa Dei doctrina uſurpat. Porro cur *Legem perfectam* vocet ac *libertatis*, non aſſequuti ſunt interpretes: quia antitheſin hic notari non animadvertebant, quæ ex aliis Scripturæ locis colligitur. Quamdiu externa hominis voce prædicatur Lex, non autem digito aut Spiritu Dei inſcribitur in corda, mortua litera eſt, ac velut corpus exanime. mutilam ergo Legem cenſeri, donec corde recipiatur, mirum non eſt. Eadem & ſervitutis ratio. Nam (quemadmodum ad Gal. cap. 4. v. 24. docet Paulus) à Chriſto ſeparata, in ſervitutem generat: & quemadmodum idem ad Rom. 8. v. 13. tradit, nihil quam diffidentia & metu dejicere nos poteſt. Spiritus vero regenerationis, qui eam viſceribus noſtris inſculpit, adoptionis gratiam ſimiliter affert. Perinde ergo hoc valet acſi dixiſſet Jacobus, Ne amplius ſervilis ſit Legis inſtitutio, ſed vos potius in libertatem aſſerat: ne amplius ſit pædagogus tantum, ſed ad perfectionem adducat: eam ſincero cordis affectu à vobis recipi oportet, ut pie ſancteque vivatis. Porro quum hoc eſſe novi Teſtamenti beneficium, ut Lex Dei nos refor-
Jer. 31. verſ. 35. met, ex Jeremiæ teſtimonio & compluribus aliis pateat: ſequitur id non poſſe obtineri donec ad Chriſtum ventum fuerit. Et certe ſolus ipſe eſt Legis finis ac perfectio. Ideo *libertatem* addit Jacobus, velut individuam comitem: quia nunquam regenerat nos Chriſti Spiritus, quin divinæ adoptionis pariter ſit teſtis atque arrhabo, ut metu & trepidatione corda noſtra liberet. *Permanſerit.* Hoc eſt, ſi aus perſtiterit in illa Dei cognitione. Et quum addit, *beatus erit in opere ſuo*, ſignificat in ipſa actione ſitam eſſe beatitudinem, non in auditione frigida.

26. *Videtur religioſus.*] Nunc in iis etiam qui ſe Legis factores eſſe præ ſe ferunt, vitium quo laborant communiter hypocritæ, reprehendit: nempe linguæ proterviam ad detrahendum. Antehac de linguæ continentia aliquid attigit: ſed alio fine. nam tunc jubebat ſilentium nos præſtare Deo, quo eſſemus ad diſcendum melius compoſiti. Jam aliud tractat, Ne maledicendo, linguam exerceant fideles. Porro hoc vitium nominatim oportuit taxari, quum de Legis obſervatione ſermo eſſet. nam qui craſſiora vitia exuerunt, huic morbo ſunt ut plurimum obnoxii. Qui neque adulter erit, neque fur, neque ebrioſus, quin potius externa ſanctimoniæ ſpecie fulgebit, aliorum famam lacerando, ſe jactabit: zeli quidem prætextu, ſed obtrectandi libidine. Proinde hic veros Dei cultores diſcernere voluit ab hypocritis, qui Phariſaico ſupercilio ita turgent, ut laudem captent ex aliorum omnium ſugillatione. *Si quis videtur*, inquit, hoc eſt, alioqui ſpeciem habet ſanctimoniæ, interea autem maledicendo ſe oblectat, hinc convincitur non vere Deum colere. nam quum dicit, Religionem ejus vanam eſſe: non modo ſignificat reliquas virtutes maledicentiæ labe corrumpi, ſed colligit non ſincerum eſſe pietatis ſtudium quod apparet. *Sed cor ſuum decipit.* Mihi non placet Eraſmi verſio, Sinit aberrare. Fontem enim petulantiæ, cui addicti ſunt hypocritæ, deſignat, quod immodico ſui amore cæci, longe ſe meliores eſſe quam ſunt, ſibi perſuadeant. Et certe hinc obtrectandi morbus, quia non conſpicitur pendens à tergo mantica, ut eſt in Æſopi apologo. Bene ergo Jacobus qui effectum corrigere volens, hoc eſt, maledicendi libidinem, cauſam attexuit, quod ſcilicet hypocritæ plus æquo ſibi indulgent. Propenſi enim ad condonandum eſſent, ſi viciſſim agnoſcerent ſe indigere aliorum venia. Blanditiæ ergo quibus ſe fallunt, vitiis ſuis parcendo, tam ſuperciliosos faciunt aliorum cenſores.

27. *Religio pura.*] Quum ea quæ maximi in religione ſunt momenti, prætereat: non definit in univerſum, quid ſit religio: ſed admonet religionem ſine his minime conſtare. Quemadmodum ſi quis vino & crapulæ deditus, ſe temperantem eſſe jactet: alter vero contra excipiat, temperantem eſſe qui vino & epulis ſe non ingurgitat: hujus conſilium non erit, totam temperantiæ naturam exprimere, ſed partem duntaxat unam aſſumet, quæ præſenti cauſæ ſit accommoda. Illi enim [illegible], de quibus diſputat, ut plurimum otioſi ſunt oſtentatores. Ideo Jacobus aliunde æſtimandam eſſe religionem, quam ex ceremoniarum pompa docet. eſſe enim ſeria exercitia in quibus occupare ſe debeant Dei cultores. *Viſitare* in neceſſitate, eſt porrigere manum ad eos allevandos qui premuntur. Quum autem ſint alii quoque complures quibus Dominus ſuccurrere jubet: ſynecdochice de viduis & pupillis meminit. Quare non dubium eſt quin ſub una iſta ſpecie, totam charitatem nobis commendet: acſi diceret, Qui vult haberi religioſus, talem ſe probet ſui abnegatione, & miſericordia in proximos ac beneficentia. Dicit autem, *apud Deum*, ut ſignificet aliter quidem videri hominibus, qui externis larvis ducuntur: ſed quærendum eſſe quid Deo placeat. *Deum & Patrem*, ſic reſolve, Deum qui pater eſt.

CAP. II.

FRatres mei, ne in acceptionibus perſonarum fidem habeatis Domini Jeſu Chriſti *ex opinione.

** vel, gloria.*

2. Si enim ingreſſus fuerit in cœtum veſtrum vir aureos annulos geſtans, veſte indutus ſplendida: ingreſſus autem fuerit & pauper in ſordida veſte:

3. Et reſpexeritis in eum qui veſtem fert ſplendidam, ac ei dixeritis, Tu ſede hic honeſte: & pauperi dixeritis, Tu ſta illic: vel, Sede hic ſub ſcabello pedum meorum:

4. Annon dijudicati eſtis in vobiſipſis, & facti judices malarum cogitationum?

Videtur primo aſpectu reprehenſio hæc dura & abſurda. Eſt enim hoc unum inter officia humanitatis non negligendum, Honore afficere eos qui in mundo excellunt. Deinde ſi acceptio perſonarum

vitioſa eſt, eximendi erunt ſervi ab omni ſubjectione: quia Libertas & Servitus inter Perſonas à Paulo deputantur. (*Epheſ. 5. verſ. 8, 9. Col. 3: 25.*) idem & de Magiſtratibus ſentiendum erit. Sed harum quæſtionum facilis erit ſolutio, ſi non ſeparentur quæ Jacobus conjungit. Neque enim ſimpliciter improbat quod honore proſequantur divites: ſed quod id faciant cum pauperum contumelia. idque melius patebit ex ſequentibus, quum omnia revocabit ad charitatis regulam. Quare meminerimus, eam damnari acceptionem perſonarum, qua ſic extollitur dives ut injuria fiat pauperi. Quod etiam verborum contextus clare oſtendit. Et ſane ambitioſus eſt honos plenuſque vanitatis, qui diviti exhibetur paupere contempto. Nec dubium eſt quin regnet ambitio & vanitas, ubi ſolæ hujus mundi larvæ ſunt in pretio. Tenendum eſt illud (*Pſal. 15. verſ. 4.*) axioma, Cenſeri inter regni Dei hæredes, qui reprobos contemnit, honorat autem timentes Dominum. Hic ergo contrarium vitium damnatur: quum ſcilicet ſolo divitiarum reſpectu, etiam malos honore proſequitur quiſpiam cum bonorum contumelia, ut dictum eſt. Quare ſi ſeorſim legas, Peccat qui diviti aſſurgit: abſurda erit ſententia. Si autem conjunctim, Peccat qui ſolos divites honore dignatur, quum pauperes deſpiciat, imo probroſe tractet: pia & vera doctrina erit.

1. *Ne fidem in acceptionibus.*] Significat perſonarum acceptiones ſic diſcrepare à fide Chriſti, ut ſimul jungi nequeant. idque merito. Fide enim coaleſcimus in unum corpus, in quo Chriſtus primas tenet. Ergo quum ſupereminent mundi pompæ, ut quod Chriſti eſt obruant, fidem parum vigere apparet. Quod poſui, *Ex opinione*, Eraſmum in eo ſequutus ſum. Quanquam reprehendi non poteſt vetus Interpres qui Gloriam tranſtulit. δόξα enim Græcis utrumque ſignificat: & apte ad Chriſtum referri poteſt: idque pro loci circumſtantia. Tantus enim eſt Chriſti ſplendor, ut omnes mundi glorias facile extinguat, ſi quidem oculos noſtros irradiet. unde ſequitur, Chriſtum à nobis parvi fieri quum nos tenet mundanæ gloriæ admiratio. Verum altera quoque expoſitio optime convenit. Nam dum opum vel honorum opinio noſtros oculos perſtringit, veritas ſupprimitur: quæ ſola valere deb.bat. *Sedere honeſte* dixit, pro Seſſione honorifica.

4. *Annon dijudicati eſtis.*] Poteſt tam affirmative quam interrogative legi: ſed eodem prope ſenſu. Culpam enim ex eo amplificat, quod ſibi placeant, vel indulgeant in tanta pravitate. Si interrogative legas, hic erit ſenſus, Annon propria conſcientia vos tenet convictos, ut alio judice non ſit opus? Si affirmationem malis, perinde valebit acſi dixiſſet, Hoc quoque mali accidit, quod non ſentitis vos peccare, nec veſtras cogitationes pravas eſſe ut ſunt, agnoſcitis.

5. Audite, fratres mei dilecti: nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in fide, & hæredes regni, quod promiſit iis qui diligunt eum?
6. Vos autem contemptui habuiſtis pauperem. nonne divites tyrannidem in vos exercent, & iidem trahunt vos ad tribunalia?
7. Et iidem contumelia afficiunt bonum nomen quod invocatum eſt ſuper vos?

5. *Audite, fratres.*] Nunc duplici argumento probat, facere eos præpoſtere quum in divitum gratiam pauperes contemnunt. Prius eſt, indignum eſt dejicere quos Deus extollit; & quos honore dignatur, probroſe tractare: atqui Deus pauperes honorat: ergo pervertit Dei ordinem quiſquis eos rejicit. Alterum ſumptum eſt ab experientia communi. nam quum ut plurimum moleſti ſint bonis & innoxiis divites, valde abſurdum eſt, eorum injuriis tale præmium rependere, ut nobis ſint magis commendati quam pauperes, qui nos juvant magis quam lædunt. Quouſque vero utrumque procedat, diſtincte videbimus. *Elegit pauperes.* Non ſolos quidem: ſed ab illis exordium facere voluit, ut divitum ſuperbiam retunderet. Hoc eſt quod dicit Paulus, (*1 Cor. 1. verſ. 25.*) Non multi nobiles, non multi potentes è ſeculo: ſed quæ infirma erant, Deus elegit, ut fortia pudefaceret. In ſumma, quum Deus gratiam ſuam in divites communiter & pauperes effuderit: hos tamen illis voluit præferre, ut diſcerent magni non ſibi placere: ignobiles vero & obſcuri, totum quod eſſent tribuerent miſericordiæ Dei: utrique ad modeſtiam & humilitatem erudirentur. Vocat autem *divites in fide*, non qui fidei magnitudine abundant, ſed quos Deus variis Spiritus ſui donis locupletavit: quæ fide percipimus. nam certe quum Dominus ſe liberaliter omnibus offert, unuſquiſque pro ſuæ fidei menſura compos ſit donorum ejus. Quare ſi vacui ſumus aut inopes, id fidei noſtræ defectum arguit. Nam ſi modo fidei ſinum extendamus, ſemper paratus eſt Deus implere. *Promiſſum* regnum iis dicit qui Deum diligunt: non quod à dilectione pendeat promiſſio: ſed ut admoneat vocari nos à Deo in ſpem vitæ æternæ, hac conditione & in hunc finem, ut vocati, ipſum diligamus. Ergo finis, non initium hic notatur.

6. *Nonne divites.*] Videtur inſtigare ad vindictam, dum in medium adducit injuſtam dominationem divitum, ut qui ab illis inique tractantur, par pari referant. atqui ubique jubemur, inimicis qui nobis infeſti ſunt, benefacere. Verum aliud eſt Jacobi conſilium. Nam tantum oſtendere vult, ratione carere & judicio qui ſuos carnifices ambitioſe honorant: ac interea injurii ſunt hominibus ſibi amicis, vel ſaltem à quibus nunquam læſi ſunt. Nam hinc melius apparet vanitas, quod nullis beneficiis provocati, ideo tantum mirantur divites, quia divites ſunt: imo quos ſuo damno injuſtos & crudeles ſentiunt, iis ſerviliter blandiuntur. Sunt quidem ex divitibus nonnulli æqui & modeſti, & ab omni injuſtitia abhorrentes: ſed pauci tales reperiuntur. Quod ergo ut plurimum accidere ſolet, & quaſi quotidiano uſu compertum eſt, refert Jacobus. Quia enim homines fere vires ſuas experiuntur nocendo: inde fit ut quo plus quiſque poteſt, eo ſit deterior, & in proximos iniquior. Quo intentius ſibi divites cavere debent, ne quid ex hac contagione, quæ paſſim graſſatur in eorum ordine, contrahant.

7. *Bonum nomen.*] Non dubito quin Dei & Chriſti nomen intelligat. *Invocari* autem dicit ſuper fideles, non in precibus, ut aliquando Scriptura loqui ſolet, ſed ratione profeſſionis. Quemadmodum patris nomen ſuper ſobolem invocari dicitur, Gen. 48. v. 16. Et mariti nomen ſuper uxorem, Jeſaiæ 4. v. 1. Idem ergo eſt acſi dixiſſet, Bonum nomen quo gloriamini, vel cenſeri vultis, honoris cauſa. Quod ſi illi Dei gloriam ſuperbe infamant, quam indigni ſunt quibus honorem impendant Chriſtiani?

(* *Lev. 19. verſ. 18. Mat. 22. verſ. 39. Marc. 12. verſ. 38.*)
8. Si Legem quidem regiam perficitis, juxta Scripturam, * Diliges proximum tuum ſicut teipſum: bene facitis.
9. † Sin perſonam reſpicitis, peccatum committitis, & redarguimini à Lege, veluti transgreſſores.

Rom. 13: 9. Gal. 5: 14. † *Lev. 19: 15. Deut. 1: 17, & 19.*

10. Quiſquis enim totam Legem ſervaverit, offenderit autem in uno, factus eſt omnium reus.

11. Nam qui dixit, Ne mœcheris, dixit etiam, Ne occidas. quod ſi non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es transgreſſor Legis.

Sequitur nunc plenior declaratio. Cauſam enim proximæ reprehenſionis aperte deſignat, quia non ex charitate in divites officioſi eſſent, ſed potius inani captandæ gratiæ ſtudio. Eſt autem proleplis, in qua adverſæ partis excuſationem occupat. Poteraot enim excipere, non eſſe culpandum qui ſe humiliter etiam indignis ſubmittit. Concedit quidem Jacobus id verum eſſe: ſed ab illis falſo prætexi docet: quia tale obſequium non proximis, ſed perſonis exhibeaot. Priore, inquam, membro recta & laude digna eſſe agnoſcit quæcunque charitatis officia in proximos cooferimus. Altero negat ambitioſam perſonarum acceptiooem in eo genere debere cenſeri: quia à Legis regula multum abſit. Hujus autem reſponſionis cardo in nominibus *proximi* & *perſonæ* vertitur: acſi diceret, Si obtenditis facto veſtro charitatis ſpeciem, facile id diluetur. Deus enim proximos jubet diligere, non eligere perſonas. Porro hæc vox *proximi*, totum hominum genus comprehendit. Qui igitur pauculos ſuo arbitrio, aliis præteritis, colendos ſibi propooit, non Dei Legem ſervat, ſed pravo animi ſui ſtudio obſequitur. Nominatim Deus & alienos, & inimicos, & qoicuoque alioqui eſſent contemptibiles, oobis commendat. Huic doctrinæ prorſus contraria eſt perſonarum acceptio. quare merito Jacobus cum charitate pugnare προσωποληψίαν affirmat.

8. *Legem Regiam perficitis.*] Legem pro regula in principio ſeotentiæ ſimpliciter accipio. *Perficere* autem, pro ſincera aoimi integritate, & rotuode (ut aiunt) ſervare. opponit autem partiali quorundam obſervantiæ. *Regia lex* dicitur quidem ut via Regia: plana ſcilicet, recta & æquabilis: quæ ſinuoſis diverticulis vel ambagibus tacite opponitur. Alluſio tamen notanda (meo judicio) eſt ad ſervile obſequium quod præſtabant divitibus, quum poſſent ingenue proximis ſerviendo non liberi tantum, ſed quaſi reges eſſe. Secundo loco, quum eos dicit *redargui à Lege* qui perſonas accipiunt, Lex in propria ſignificatione capitur. Nam quum Dei mandato jubeamur uoiverſos mortales amplecti: quiſquis paucis exceptis, alios omnes rejicit, & interim melioribus præfert maxime indignos, quum Dei vinculum abrumpat, non minus quam ordioem invertat, merito vocandus eſt Legis transgreſſor.

10. *Quiſquis enim totam Legem.*] Hoc tantum ſibi vult, Deum nolle cum exceptione coli, neque ita partiri nobiſcum, ut nobis liceat, ſi quid minus allubeſcit, ex ejus Lege reſecare. Dura primo aſpectu hæc ſententia videtur quibuſdam, quaſi Stoicorum paradoxo, peccata omnia æqualia facientı, ſubſcriberet: ac peræque puniendum eſſe aſſereret, qui una tantum in re deliquit, acſi tota vita oequam & ſceleratus fuiſſet. Sed nihil tale Apoſtolo in mentem veniſſe, ex cootextu liquet. Semper enim cur quidque dicatur, notandum eſt. Proximos negat diligi, quum pars tantum aliqua ambitioſe eligitur, aliis neglectis. Hoc probat, quia non ſit erga Deum obedientia, ubi non eſt æquabile obſequendi ſtudium quod Dei mandato reſpondeat. Ergo ſicuti ſimplex ac integra eſt Dei regula, ita nos integritatem afferre convenit: oe quis noſtrum, quæ conjungit ille, perperam ſeparet. Adſit ergo æquabilitas, ſi velimus rite obedire Deo. Exempli gratia, Si quis Judex decem furta puoiat, unum relinquat impunitum: bioc prodit obliquam animi ſui pravitatem, quod hominibus magis quam ſceleribus infenſus fuerit. nam quod io altero damnat, in altero abſolvit. Tenemus nuoc Jacobi conſilium: oempe, ſi ex Lege Dei reſcindimus quod oobis minus erit commodum; etiamſi in aliis partibus nos præbeamus obſequentes, nos fieri omnium reos, quia totam Legem violamus in uno capite. Quanquam autem hoc dictum ad præſeotis cauſæ circumſtantiam accommodat; ſumptnm eſt tamen ex generali principio, quod Deus regulam vivendi oobis præſcripſerit, quam à nobis lacerari fas noo eſt. Neque enim de aliqua Legis parte hoc dicitur, Hæc eſt via: ambulate in ea: nec mercedem Lex, niſi univerſali obedientiæ promittit. Stulte itaque Scholaſtici, qui partialem (ut vocant) juſtitiam pro meritoria reputant. atqui tam hic locus quam alii complures, clare demooſtraot nullam eſſe juſtitiam niſi in perfecta Legis obſervatiooe.

11. *Nam qui dixit.*] Probatio ſuperioris ſententiæ: quia conſiderandus ſit potius Legiſlator, quam ſingula ſeorſum præcepta. Juſtitia Dei quaſi individuum corpus, Lege continetur. Quiſquis ergo caput unum Legis transgreditur, Dei juſtitiam, quantum in ſe eſt, labefactat. Deinde ut in una parte, ita in ſingulis obedientiam noſtram experiri vult Deus. Quare transgreſſor eſt Legis quiſquis in ullo mandato offendit: ſecundum illud, Maledictus qui non *Deut. 27. verſ. 26.* impleverit omnia. Videmus porro, ut transgreſſor Legis, & omnium reus, idem Jacobo ſignificent.

12. Sic loquimini, & ſic facite, ut per Legem libertatis judicandi.

13. Judicium enim ſine miſericordia ei qui non præſtiterit miſericordiam: & gloriatur miſericordia adverſus judicium.

12. *Sic loquimini.*] Quidam ſic exponunt, quia nimium ſibi blandiebantur, revocari eos ad legitimum tribunal. nam ideo ſe abſolvunt homines ſua opinione, quia ſe divinæ Legis judicio ſubtrahunt. admonebit igitur hoc modo illuc facta omnia & dicta exigenda eſſe, quia Deus ex Lege ſua judicaturus ſit mundum. Quia tamen immodicum terrorem incutere poterat talis denunciatio, corrigi vel mitigari putant duritiem quum addit, *Legem libertatis.* Au-
Gal 3:10. dimus enim quid dicat Paulus, Quicunque ſcilicet ſub Lege ſunt, maledictioni eſſe obnoxios. quare judicium Legis per ſe reatus erit mortis æternæ. Verum ſecundum eos nomine *libertatis*, à Legis rigore nos liberari ſignificat. Hic ſenſus non omoino male quadrat. quanquam ſiquis propius expendat quod mox ſequitur, videbit Jacobum aliud quiddam velle: acſi dixiſſet, Niſi Legis rigorem ſubire vultis, ne ſitis in proximos nimis rigidi. Lex enim libertatis tantuodem valet atque Dei clementia, quæ oos à Legis maledictione liberat. Atque ita uno contextu hæc legenda eruot cum ſequeotibus, ubi de tolerandis infirmitatibus diſſeret. Et ſane contextus hic optime fluit, Quando oemo noſtrum ſubſiſteret coram Deo niſi ſolutus & liber à ſummo rigore Legis, ſic agendum eſſe ne ſeveritate nimia excludamus Dei indulgentiam, qua opus habent omnes ad ultimum.

13. *Judicium enim.*] Applicatio eſt proximæ ſententiæ ad præſens inſtitutum, quæ ſecundam quam attuli expoſitionem prorſus cooſirmat. Docet enim, quoniam ſola Dei miſericordia ſtamus, eam debere nos præſtare eis quos Dominus ipſe oobis commendat. Hæc vero ſingularis eſt humanitatis & beneficentiæ commendatio, quod Deum nobis fore miſericordem pollicetur ſi fratribus tales fuerimus.

Non

Non quod Dei miſericordiam promereatur hæc noſtra qualiſcunque qua proſequimur homines: ſed quos Deus adoptavit, ut illis ſit indulgens ac facilis pater, eos vult imaginem ſuam in terra geſtare ac referre: juxta illud Chriſti, Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis, &c. Notandum ex adverſo, quod nihil durius aut magis horrendum Dei judicio poteſt denunciare. Unde ſequitur pluſquam miſeros eſſe ac perditos quicunque ad veniæ aſylum non confugiunt. *Et gloriatur.* Acſi diceret, Sola eſt Dei miſericordia quæ nos à judicii formidine liberat. *Gloriari* enim accipit, pro victricem aut ſuperiorem eſſe. Judicium enim damnationis toti mundo incumbit, niſi miſericordia ſubveniat. Dura & coacta eſt expoſitio eorum qui perſonam ſub rei nomine deſignari volunt. neque enim proprie gloriatur homo adverſus Dei judicium: ſed ipſa Dei miſericordia quodammodo triumphum agit, & ſola regnum obtinet, quum ceſſat judicii ſeveritas. Quanquam non inficior inde naſci gloriandi fiduciam, dum fideles agnoſcunt iram Dei quodammodo cedere miſericordiæ, ut hac ſublevati, ab illa non opprimantur.

Matth. 5. verſ. 7.

14. Quid prodeſt, fratres mei, ſi fidem dicat aliquis ſe habere, opera autem non habeat? numquid poteſt fides ſalvum facere ipſum?
15. Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu:
16. Dicat autem aliquis veſtrum illis, Abite cum pace, caleſcite & ſaturamini: non
tamen dederitis illis quæ ſunt neceſſaria corpori: quæ utilitas?
17. Sic & fides, ſi opera non habuerit, mortua eſt per ſe.

14. *Quid prodeſt.*] Pergit in commendanda miſericordia. Quoniam autem Deum fore nobis ſeverum & ſimul formidabilem judicem minatus fuerat, niſi humani & miſericordes ſimus erga proximos: contra vero excipiebant hypocritæ, Sufficere nobis fidem, in qua ſita eſt hominum ſalus: nunc in illam inanem jactantiam invehitur. Summa igitur eſt, Fidem ſine charitate nihil conducere, adeoque penitus eſſe mortuam. Sed hic oritur quæſtio, An ſeparari à charitate poſſit fides. Et ſane hujus loci expoſitio, tritam illam apud Sophiſtas diſtinctionem peperit, fidei informis & formatæ. atqui nihil tale Jacobus cogitavit: nam ipſum de falſa profeſſione loqui, ex primis verbis conſtat. Neque enim ſic incipit, Si fidem quis habeat: ſed, Si quis ſe habere dicat. quo certe innuit jactare hypocritas inane Fidei nomen, quod reipſa minime in eos competit. Ergo quod ipſe quoque *fidem* appellat, Conceſſio eſt, ut Rhetores vocant. nam ubi in rem duntaxat inſiſtimus, nihil nocet, imo expedit interdum cauſæ, adverſario verbum concedere quod poſtulat: quia ſtatim re cognita, verbum quoque facile illi excutitur. Jacobus ergo, quia ſatis habebat, falſum illum prætextum quo ſe tegebant hypocritæ, refellere, de verbo controverſiam movere noluit. Meminerimus tamen eum non ex proprio animi ſenſu loqui quoties hic fidem nominat: ſed potius adverſus eos diſputare qui fidem, qua prorſus carent, falſo prætendunt. *Numquid poteſt fides.* Hoc tantundem valet acſi dixiſſet, Nos frigida & nuda Dei notitia ſalutem minime conſequi. quod veriſſimum eſſe omnes fatentur. Ideo enim nobis ſalus ex fide, quia nos Deo conjungit. Hoc autem non aliter fit, quam dum inſerimur in corpus Chriſti, ut ejus Spiritu viventes, ab eo quoque gubernemur. Nihil tale eſt in hoc mortuo fidei ſimulachro. quare non mirum eſt ſi ſalutis effectum Jacobus illi adimit.

15. *Quod ſi frater.*] Exemplum è re præſenti ſumit. hortatur enim, ut dictum eſt, ad charitatis officia. Si quis contra glorietur, fide ſe abſque operibus contentum eſſe: umbratilem hanc fidem orationi comparat quæ hominem famelicum ſaturari jubet, nec tamen cibum quo deſtituitur, ſuppeditat. Quemadmodum ergo pauperem ludibrio habet qui verbis illum amandat, nec quicquam affert opis: ita Deo illudunt qui vitam ſibi fingunt operibus & quovis pietatis officio vacuam.

17. *Mortua eſt per ſe.*] Fidem per ſe mortuam dicit, quæ bonis operibus vacua eſt. unde colligimus ne fidem quidem eſſe: quia ubi mortua eſt, proprie nomen non retinet. Voculam hanc urgent Sophiſtæ, quod fides ergo per ſe aliqua reperiatur: ſed nullo negotio refellitur tam frivola cavillatio, quum ſatis liqueat Apoſtolum ab impoſſibili ratiocinari: ſicuti Paulus Angelum vocat anathema, qui Euangelium ſubvertere tentabat. *Galat. 1. verſ. 8.*

18. Quin dicet quiſpiam, Tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem
tuam ſine * operibus tuis, & ego tibi ex operibus meis oſtendam fidem meam.
19. Tu credis quod Deus unus eſt. bene facis: & dæmones credunt, ac contremiſcunt.

* *alias, ex operibus.*

18. *Quin dicet* &c.] Quod Eraſmus duos hic colloquentes inducit, quorum alter fidem operibus carentem jactet, alter opera abſque fide: ac tandem ambos medio Apoſtoli reſponſo refelli putat: mihi videtur eſſe nimis coactum. Abſurdum eſſe putat, hoc dici in perſona Jacobi, *Tu fidem habes:* qui nullam ſine operibus fidem agnoſcit. Sed multum in eo fallitur, quod ipſe εἰρωνείαν in his verbis non agnoſcit. Proinde ἀλλὰ accipio pro Quin potius: & σὺ, pro Quolibet: ut refellatur ſtulta eorum gloriatio qui fidem ſe habere imaginantur, quum infideles ſe vita prodant. nam Jacobus dicit promptum fore piis omnibus ſancte viventibus, excutere hypocritis talem jactantiam qua inflati ſunt. *Oſtende mihi.* Tametſi magis recepta apud Græcos lectio eſt, Ex operibus: melius tamen vetus Latina convenit, quæ in nonnullis Græcis exemplaribus legitur. itaque eam præferre non dubitavi. Ergo quod fidem ſine operibus oſtendere jubet, ab impoſſibili argumentatur, ut nullam eſſe probet. Ita loquutio eſt εἰρωνική. Quod ſi quis tamen diverſam lectionem ſequi malit, eodem recidet, Oſtende mihi ex operibus fidem. Quia quum res otioſa non ſit, operibus comprobari neceſſe eſt. Senſus ergo eſt, Niſi fructus proferas tuæ fidei, nego te ullam habere. Verum quæri poteſt, an externa vitæ probitas, certa ſit fidei demonſtratio. dicit enim Jacobus, *oſtendam tibi ex operibus.* Reſpondeo, infideles quoque interdum excellere ſpecioſis virtutibus, vel honeſtam vitam procul omni crimine degere: ideoque opera in ſpeciem præclara à fide poſſe ſeparari. Neque vero Jacobus contendit, quiſquis probus appareat, fidem protinus habere. Hoc tantum vult, Fidem ſine bonorum operum teſtimonio fruſtra prædicari, quia ex viva radice bonæ arboris ſemper prodeant fructus.

19. *Credis quod Deus eſt.*] Ex hoc uno verbo abunde conſtat, totam hanc diſputationem de fide non haberi, ſed de vulgari Dei notitia, quæ hominem Deo nihilo plus conjungit, quam Solis aſpectus evehit in cælum. fide autem nos Deo appropinquare certum eſt. Præterea ridiculum erit, ſi quis diabolos habere fidem dicat. atqui eos hac in parte Jacobus hypocritis præfert. *Contremiſcit* diabolus, inquit, ad Dei mentionem: quia judicem ſuum quum agnoſcat,

timore ejus afficitur. Ergo qui Deum agnitum contemnit, aliquanto deterior eſt. *Bene facis* hic poſitum eſt extenuandi cauſa: ac ſi dixiſſet, Hoc ſcilicet magnum eſt, infra diabolos ſubſidere.

20. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quod fides abſque operibus mortua ſit?

21. Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, quum obtulit filium ſuum Iſaac ſuper altare?

22. Vides quod fides cooperata fuerit ejus operibus, & ex operibus fides perfecta fuerit?

23. Atque impleta fuerit Scriptura, quæ dicit, Credidit Abraham Deo, & imputatum illi fuit in juſtitiam, & amicus Dei vocatus eſt?

24. Videtis igitur quod ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide ſolum.

25. Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus juſtificata eſt, quum excepit nuncios & alia via ejecit?

26. Quemadmodum enim corpus ſine anima mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

20. *Vis autem ſcire.*] Tenendus eſt hic quæſtionis ſtatus. neque enim hic diſceptatio eſt de juſtificationis cauſa: ſed tantum quid valeat, & quo loco habenda ſit fidei profeſſio ſine operibus. Perperam igitur faciunt qui hoc teſtimonio probare contendunt, operibus juſtificari hominem: quia nihil tale voluit Jacobus. oam probationes quas ſubjicit, ad hanc ſententiam referendæ ſunt, Quod nulla ſit, vel ſaltem mortua, abſque operibus fides. nemo enim unquam intelliget quid dicatur, nec prudenter de verbis judicabit, niſi qui perſpectum habebit ſcriptoris conſilium.

21. *Nonne Abraham.*] Arripiunt Sophiſtæ vocem Juſtificandi: deinde quaſi victores clamitant, partem juſtitiæ in operibus eſſe poſitam. atqui ſana interpretatio ex circumſtantia præſentis loci petenda erat. Diximus autem Jacobum hic non tractare unde aut quomodo juſtitiam homines conſequantur: & hoc cuivis planum eſt: ſed hoc tantum intendere, bona opera cum fide perpetuo eſſe conjuncta. Ideoque quum pronunciat *Abraham fide juſtificatum*, de approbatione juſtitiæ loquitur. Ergo quum Sophiſtæ Jacobum Paulo opponunt, hallucinantur in ambigua ſignificatione nominis: quia Paulus quum fide juſtificari nos tradit, nihil aliud ſignificat, quam nos obtinere ut juſti coram Deo cenſeamur. Jacobus autem longe alio ſpectat, nempe ut qui fidelem ſe profitetur, fidei ſuæ veritatem operibus demonſtret. Certe Jacobus hic docere non voluit ubi quieſcere debeat ſalutis fiducia: in quo uno inſiſtit Paulus. Ergo ne in paralogiſmum incidamus, qui Sophiſtas fefellit, notanda eſt hæc amphibologia: Juſtificandi verbum, Paulo eſſe gratuitam juſtitiæ imputationem apud Dei tribunal. Jacobo autem eſſe demonſtrationem juſtitiæ ab effectu: idque apud homines: quemadmodum ex ſuperioribus verbis colligere licet, Oſtende mihi fidem tuam &c. Hoc ſenſu fatemur ſine controverſia juſtificari hominem operibus. Quemadmodum ſiquis hominem magni & pretioſi fundi emptione ditatum eſſe dicat, quia ejus divitiæ, quæ prius occultæ in arca clauſa latebant, innotuerint. *Quum fidem* dicit *cooperatam fuiſſe operibus*, & ex illis perfectam: iterum oſtendit, non eſſe hic quæſtionem de ſalutis noſtræ cauſa, ſed utrum opera neceſſario fidem comitentur. nam hoc ſenſu dicitur cooperata fuiſſe operibus, quia otioſa non fuit. Dicitur ex operibus fuiſſe perfecta, non quod inde ſuam perfectionem accipiat, ſed quod vera eſſe inde comprobetur. Nam quod ex his verbis Sophiſtæ putidam ſuam diſtinctionem fidei formatæ & informis eliciunt, longa refutatione non indiget. Formata enim adeoque expolita erat Abrahæ fides ante filii immolationem. Opus autem illud non fuit quaſi extrema manus: quoniam multa deinde ſequuta ſunt quibus fidei ſuæ incrementa monſtravit Abraham. Quare neque fuit illa fidei ejus perfectio, neque tunc primum formam induit. Nihil itaque aliud intelligit Jacobus, quam ejus integritatem inde conſtitiſſe quod præclarum illum obedientiæ fructum edidit.

23. *Impleta fuerit Scriptura.*] Qui opera Abrahæ in juſtitiam fuiſſe imputata, Jacobi teſtimonio probare volunt, Scripturam ab eo male torqueri fateantur neceſſe eſt. nam quocunque ſe vertant, nunquam efficient ut prior ſit effectus ſua cauſa. Citatur locus Moſis ex Geneſeos cap. 15. v. 6. Imputatio juſtitiæ, cujus Moſes illic meminit, plus triginta annis præceſſit opus illud quo Abraham juſtificatum eſſe volunt. Certe quum annis quindecim ante natum Iſaac, fides imputata eſſet Abrahæ in juſtitiam, non potuit hoc fieri per illius immolationem. Nodo inſolubili conſtrictos teneo, quicunque juſtitiam Abrahæ coram Deo imputatam fingunt, quia immolavit filium Iſaac, qui nondum natus erat quum Spiritus ſanctus pronunciabat juſtum fuiſſe Abraham. Itaque neceſſario reſtat ut aliquid poſterius notari dicamus. Quomodo igitur Jacobus id fuiſſe impletum dicit? Nempe oſtendere vult qualis illa fuerit fides quæ juſtificavit Abraham: non otioſa ſcilicet aut evanida, ſed quæ illum Deo reddidit obſequentem: ſicuti etiam ad Hebræos cap. 11. v. 8. habetur. Concluſio quæ mox additur, quia inde pendet, non alium habet ſenſum. Non juſtificatur homo ſola fide, hoc eſt, nuda & inani cognitione Dei. Juſtificatur operibus, hoc eſt, ex fructibus cognoſcitur & approbatur ejus juſtitia.

25. *Similiter & Rahab.*] Videtur abſurde facere qui tam diſpares ſimul copulat. Cur non ex magno potius inſignium Patrum numero aliquos elegit quos Abrahæ adjungeret? Cur illis omnibus prætulit meretricem? Conſulto duas perſonas tam diverſas inter ſe commiſit, quo evidentius monſtraret, nullum unquam, cujuſcunque eſſet vel conditionis, vel gentis, vel ordinis, fuiſſe abſque bonis operibus inter juſtos ac fideles habitum. Patriarcham nominavit longe omnium excellentiſſimum: nunc ſub meretricis perſona comprehendit omnes, qui quum alieni eſſent ab Eccleſia, inſeruntur. Quiſquis ergo juſtus cenſeri cupit, etiam ut inter infimos locum aliquem habeat, bonis operibus ſe talem oſtendat. Quod Jacobus (ſuo more) Rahab operibus fuiſſe juſtificatam prædicat, inde colligunt Sophiſtæ, nos operum meritis juſtitiam conſequi. Nos autem negamus, hic de modo conſequendæ juſtitiæ eſſe certamen. Fatemur quidem requiri ad juſtitiam bona opera: tantum illis vim conferendæ juſtitiæ detrahimus: quia ſtare coram Dei tribunali nequeunt.

Cap. III.

CAP. III.

NOlite plures magiſtri fieri, fratres mei: ſcientes quod majus judicium ſumpturi ſimus.

2. In multis enim labimur omnes. Si quis in ſermone non labitur, hic perfectus eſt vir; ut qui poſſit freno moderari totum etiam corpus.

3. Ecce equis frena in ora injicimus, ut obediant nobis: & totum illorum corpus circumagimus.

4. Ecce etiam naves quum tantæ ſint, & à ſævis ventis pulſentur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunque affectus dirigentis voluerit.

5. Ita & lingua puſillum membrum eſt, & magna jactat.

1. *Plures magiſtri.*] Communis & fere recepta hujus loci interpretatio eſt, quod deterreat à munere docendi appetendo: idque ea ratione quia periculoſum ſit, & gravi Dei judicio obnoxium, ſi quis in eo delinquat. Putant autem dixiſſe, *Ne multi* vel *plures ſitis:* quia aliquos eſſe oportet. Ego vero *Magiſtros* intelligo, non qui publico munere funguntur in Eccleſia: ſed qui jus ſibi cenſorum in alios uſurpant. tales enim reprehenſores, quaſi magiſtri morum haberi volunt. Atque hæc loquutin tam Græcis quam Latinis eſt uſitata, Magiſtros vocare qui ſuperciliose in alios animadvertunt. Quod autem multos fieri vetat, ideo eſt, quia ſe paſſim multi ingerunt. eſt enim hic quaſi ingenitus humano ingenio morbus, ex aliorum reprehenſione famam captare. Duplex autem hac in parte vitium regnat: quod quum pauci dexteritate polleant, omnes promiſcue in magiſterium irrumpunt. Deinde pauci recto ſtudio ducuntur: potius enim hypocriſis & ambitin eos, quam cura fraternæ ſalutis incitat. Notandum eſt enim Jacobum hic non dehortari à fraternis monitionibus quas Spiritus toties & tantopere nobis commendat: ſed immodicam illam cupiditatem damnare quæ ex ambitione naſcitur ac ſuperbia, dum ſe quiſque adverſus proximos effert, dum obloquitur, carpit, mordet, & maligne inquirit quod in ſiniſtram partem rapiat. fieri enim ſolet ut importuni ejuſmodi cenſores, inſectandis aliorum vitiis ſe inſolenter jactent. Ab hac intemperie & arrogantia Jacobus nos revocat. Addit rationem, Quia gravius judicium ſubituri ſint qui in alios ita ſunt ſeveri. Duram enim ſibi legem imponit qui omnium dicta & facta ad ſummum rigorem exigit: nec veniam meretur qui nemini parcere ſuſtinet. Seotentia diligenter notanda, Dei ſeveritatem in ſe provocare qui in fratres nimium ſunt rigidi.

2. *In multis enim labimur.*] Poteſt hoc accipi per conceſſionem dictum. acſi ita dixiſſet, Eſto, tu in fratribus invenis quod culpes: nemo enim immunis eſt à vitiis: imo ſinguli pluribus vitiis laborant. Sed putasne te perfectum eſſe cum maledica & virulenta lingua? Mihi tamen potius videtur Jacobus hoc argumento nos hortari ad manſuetudinem: quia ſimus ipſi quoque multis infirmitatibus circumdati. inique enim facit qui veniam qua opus habet, aliis negat. Sic etiam Paulus, quum lapſos corrigi jubet clementer & in Spiritu lenitatis, ſtatim addit, Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Nihil enim eſt quod magis ad temperandum nimium rigorem valeat, quam infirmitatis noſtræ agnitio. *Si quis in ſermone.* Poſtquam neminem eſſe dixit qui non variis modis peccet: jam oſtendit morbum obloquendi præ aliis peccatis odioſum eſſe. Nam quod dicit *perfectum eſſe* qui lingua non labitur: ſignificat continentiam linguæ, virtutem eſſe eximiam, unamque ex præcipuis. Quare nimis perverſe faciunt qui minima quæque vitia curioſe excutientes, in tam craſſo ſibi indulgent. Proinde eleganter hic perſtringit cenſorum hypocriſin: quia in ſuo examine, quod præcipuum erat maximique momenti omittunt, maledicentiam ſcilicet. nam qui alios caſtigant, zelum præ ſe ferunt perfectæ ſanctitatis. atqui à lingua incipere debebant, ſi vellent perfecti eſſe. Quum autem nullam frenandæ linguæ rationem habeant, quin potius alios mordendo & laceraodo venditent fictam ſanctimoniam: hinc patet maxime omnium eſſe reprehenſibiles, quia primam virtutem negligant. Hæc connexio mentem Apoſtoli nobis planam reddit. Gal. 6.

3. *Ecce equis.*] Duobus iſtis ſimilibus probat magnum veræ perfectionis momentum eſſe in lingua: eamque (ut nuper dixit) in tota vita regnum obtinere. Primum linguam freno comparat: deinde navis gubernaculo. Si equus tam ferox animal, ad ſeſſoris arbitrium circumagitur, quia frenatus eſt, non minus in homine regendo poterit lingua. Ita & de navis gubernaculo habendum eſt quod totam ejus molem una cum ventorum impetu ſuperat. Lingua igitur tametſi puſillum ſit membrum, plurimum tamen in vita hominis moderanda pollet. μεγαλαυχεῖν Græcis jactare ſe ac venditare ſignificat: ſed Jacobus hoc loco non tam oſtentationem taxare voluit, quam dicere, linguam eſſe magnarum rerum effectricem. Poſtremum enim hoc membrum priores ſimilitudines accommodat præſenti inſtituto. Freno autem & gubernaculo conveniret inanis non jactantia. Significat ergo linguam magna vi pollere. *Affectum dirigentis* verti, ubi Eraſmus Impetum tranſtulit: quia ὁρμὴ appetitum ſignificat. Fateor quidem hac voce notari apud Græcos cupiditates, quæ rationi non obtemperant: ſed hic Jacobus ſimpliciter de arbitrio naucleri agit.

Ecce exiguus ignis quantam ſylvam incendit.

6. Et lingua ignis eſt, & mundus iniquitatis. Sic inquam lingua conſtituta eſt in membris noſtris, inquinans totum corpus, & inflammans rotam nativitatis, & inflammatur à gehenna.

Nunc exponit incommoda quæ ex linguæ intemperantia proveniunt: ut ſciamus linguam multum in utramque partem valere. Ideo ſi modeſta ſit ac bene compoſita, eſſe totius vitæ frenum: ſi vero petulans & improba, quaſi uno incendio omnia corripere. *Exiguum ignem* ponit, ut ſignificet non obſtare linguæ ſuam parvitatem quominus vis ejus longe lateque pateat ad nocendum. Quum addit *mundum* eſſe *iniquitatis*, perinde eſt acſi vocaret mare vel abyſſum. Et eleganter linguæ parvitatem cum immenſa mundi magnitudine conjungit, hoc ſenſu, Exilis carunculæ portio, totum iniquitatis mundum in ſe continet.

6. *Sic inquam lingua.*] Exponit quid ſibi voluerit per *mundi* nomen: quia ſcilicet in omnes vitæ partes diffunditur illius contagio. Vel potius oſten-

dit quid per incendii metaphoram intellexerit: nempe quod inquinet totum hominem. Mox tamen redit ad illud incendium, quum dicit *accendi à lingua rotam nativitatis noſtræ*. Ac humanæ quidem vitæ curſum *rotæ* comparat. τροχὸν, quemadmodum prius, pro Natura accipit. Senſus autem eſt, Quum alia vitia vel ætate vel temporis ſucceſſu corrigantur, vel ſaltem non occupent totum hominem, vitium linguæ ſpargi ac graſſari per omnes vitæ partes. Niſi forte *inflammationem* pro violento impulſu accipere quis malit: quia Fervidum vocamus, quod rapitur cum violentia. Et ſic de rotis loquutus eſt Horatius: fervidas enim in certamine curuli appellat ob rapidam celeritatem. Ita ſenſus eſſet, Linguam ſimilem eſſe equis indomitis: quia hominem, ſicuti illi currum, præcipitem ſua protervia rapiat. Quum *à gehenna* dicit *inflammari*, perinde eſt acſi diceret, linguæ intemperantiam eſſe flammam ignis inferni. Quemadmodum enim profani Poëtæ fingunt ſceleratos afflari Furiarum facibus: ita verum eſt, Satanam tentationum flabellis, malorum omnium ignem in mundo accendere. ſed Jacobus ſignificat ignem à Satana immiſſum, à lingua facillime concipi, ut protinus ardeat. Breviter, idoneam eſſe recipiendo, fovendo, & augendo gehennæ igni materiam.

7. Omnis enim natura ferarum & volucrum & ſerpentum & marinorum, à natura humana domatur, & domita eſt:

8. Linguam vero nullus hominum domare poteſt, incoërcibile malum, plena veneno mortifero.

9. Per ipſam benedicimus Deum & Patrem: & per ipſam execramur homines ad ſimilitudinem ejus factos.

10. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non convenit, fratres mei, hæc ita fieri.

11. An fons ex eodem foramine ejicit dulce & amarum?

12. Non poteſt, fratres mei, ficus oleas proferre, aut vitis ficus: ſic nullus fons ſalſam & dulcem gignere aquam.

7. *Omnis enim.*] Confirmatio eſt proximi membri. Nam in lingua Satanam mira quadem efficacia regnare ex eo probat, quod nullis modis in ordinem cogi poteſt: idque adductis comparationibus amplificat. Nullum enim tam ſævum aut violentum animal eſſe dicit, quod non dometur hominum induſtria. Piſces, qui alium quodammodo orbem incolunt: aves, quæ tam mobiles ſunt ac vagæ: adeoque ſerpentes generis humani inimicos, interdum cicurari. Ergo quum lingua cohiberi nequeat, arcanum quendam gehennæ ignem illic ſubeſſe ac latere oportet. Quod de feris belluis, ſerpentibus, aliiſque tradit, non eſt de omnibus intelligendum: ſatis eſt quod ex ferociſſimis beſtiis quaſdam hominum ars ſubegit in obſequium: ſimiliter quod ſerpentes interdum cicurantur. Ideo utroque tempore uſus eſt, præſenti & præterito. Præſens quidem potentiam ſignificat & facultatem: præteritum vero, uſum vel experientiam. merito hinc concludit, plenam eſſe linguam mortifero veneno. Etſi autem hæc omnia primo loco ad circumſtantiam præſentis loci referre convenit, quod nimis præpoſtere in alios magiſterium ſibi uſurpent qui laborant deterrimo vitio: tenenda tamen eſt ſimul doctrina univerſalis, Si vitam recte componere volumus, corrigendæ linguæ ſummam operam eſſe dandam: quia nulla pars hominis eſt nocentior.

9. *Per ipſam benedicimus.*] Hoc mortiferi veneni luculentum eſt ſpecimen, quod prodigioſa levitate ſe ita transfigurat. Nam quum ſimulet Deo ſe benedicere, protinus illum in imagine ſua execratur: nempe dum homines maledicit. nam ſi benedicendus eſt Deus in univerſis operibus ſuis, id præſertim valere in hominibus debet, in quibus peculiariter relucet imago ejus & gloria. Hypocriſis igitur non ferenda eſt, quum eandem linguam vertit homo in Dei laudem, & execrationem hominum. Proinde nulla poteſt eſſe Dei invocatio, & laudes ejus ceſſare neceſſe eſt, ubi regnat maledicentia. Hæc enim impia eſt nominis Dei profanatio, quum lingua in fratres virulenta, ipſum ſub laudis ſpecie uſurpat. Quare ut rite illum laudemus, corrigendum eſt inprimis maledicentiæ adverſus proximos vitium. Interim tenenda quoque eſt particularis doctrina, Virulentiam ſuam detegere auſteros iſtos cenſores, qui poſtquam ſuaviter Deum laudarunt, ſubito evomunt adverſus fratres quicquid fingi poteſt maledictionum. Siquis objiciat, deletam Adæ peccato fuiſſe Dei imaginem in humana natura: fatendum quidem eſt fuiſſe miſere deformatam, ſed ita ut lineamenta adhuc quædam appareant. Juſtitia & rectitudo, bonique appetendi libertas ſublata eſt: ſed manent præclaræ multæ dotes, quibus beſtias præcellimus. Ergo qui Deum vere colit atque honorat, in hominem contumelioſus eſſe verebitur.

11. *An fons.*] Similitudines iſtas adducit, ut oſtendat linguam maledicam portentum quoddam eſſe, alienum à tota natura, & quod ordinem à Deo ubique poſitum evertit. Nam quæ contraria ſunt, Deus ſic diſtinxit, ut res inanimatæ nos à confuſa permiſtione, qualis eſt in lingua duplici, abſterrere debeant.

13. Quis ſapiens & intelligens inter vos? oſtendat ex honeſta converſatione opera ſua in manſuetudine ſapientiæ.

14. Si vero æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde veſtro, ne gloriemini, & mentiamini adverſus veritatem.

15. Non eſt hæc ſapientia de ſurſum veniens: ſed terreſtris, animalis, dæmoniaca.

16. Ubi enim æmulatio & contentio, ibi perturbatio, & omne pravum opus.

17. Quæ autem è ſurſum eſt ſapientia, primum pura eſt, deinde pacata, æqua, comis, plena miſericordiæ & bonorum operum, ſine diſquiſitione, ſine ſimulatione.

18. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.

13. *Quis ſapiens.*] Quoniam maledicendi libido ex ſuperbia fere naſcitur, ſuperbiam autem ut plurimum generat falſa perſuaſio ſapientiæ: ideo de ſapientia hic loquitur. Solenne eſt hypocritis efferre ſe ac jactare, omnes criminando. Qualiter multi olim ex Philoſophis gloriam ex amarulenta omnium ordinum inſectatione captabant. Talem faſtum, quo turgent & excæcati ſunt maledici homines, retundit

Jaco-

Jacobus, quum ſapientiæ opinionem qua ſibi placent, quicquam divinum habere negat: ſed potius eſſe ex diabolo contendit. Senſus eſt igitur, Superciliosi iſti cenſores, qui ſibi large indulgent, præterea nemini parcunt, videntur ſibi præ aliis ſapere: ſed multum falluntur. Nam aliter prorſus ſuos inſtituit Dominus: nempe ut manſueti ſint & humani erga alios. Soli igitur vere coram Deo ſapiunt, qui hanc manſuetudinem conjungunt cum honeſta converſatione: nam qui truces ſunt ac inexorabiles, etiamſi alias multis virtutibus polleant, non tenent juſtam ſapiendi rationem.

14. *Si æmulationem amaram.*] Notat fructus qui ex nimia auſteritate naſcuntur, quæ manſuetudini eſt contraria. Neceſſe eſt enim ut immodicus rigor pravas æmulationes gignat, quæ in contentionem mox erumpant. Improprie quidem loquitur, dum in corde contentiones locat: ſed hoc ad ſenſum nihil aut parum refert. nam fontem iſtorum malorum indicare voluit, pravum cordis affectum. *Æmulationem* dixit *amaram*, quia non regnat, niſi dum animi veneno malignitatis infecti ſunt, ut omnia in amarulentiam convertant. Ergo ut vere gloriemur nos eſſe Dei filios, jubet nos placide & modeſte agere cum fratribus: alioqui mentiri nos pronunciat, dum Chriſtianum nomen jactamus. Cæterum non abs re æmulationi ſociam addidit *contentionem*, quia ex malignitate & invidia, certamina & rixæ ſemper ebulliunt.

15. *Non eſt hæc ſapientia.*] Quia difficulter cedunt hypocritæ, faſtum eorum acriter retundit, negans veram eſſe ſapientiam qua turgent, dum in excutiendis aliorum vitiis nimis ſunt moroſi. Nomen tamen *ſapientiæ* illis concedens, epithetis demonſtrat qualis ſit, nempe terreſtris, animalis, dæmoniaca: quum veram oporteat eſſe cæleſtem, ſpiritualem, divinam: quæ tria illis prioribus directe ſunt oppoſita. Sumit enim pro confeſſo Jacobus, non aliter nos ſapere, quam ſi cælitus à Deo per Spiritum ſimus illuminati. Ergo, quaquaverſum ſe extendat mens hominis, tota ejus perſpicacia erit vanitas: neque id modo, ſed tandem Satanæ præſtigiis implicata, peſſime delirabit. *Anima* hic Spiritui opponitur, ſicut primæ ad Corinthios 2. v. 14. quum dicit Paulus, Animalem hominem non capere quæ ſunt Dei. Nec magis dejici poterat hominis ſuperbia, quam dum ita damnatur quicquid ſapientiæ habet ex ſua ipſius anima, ſine Dei Spiritu: imo dum ab ejus anima ſit tranſitus ad dæmonem. Perinde enim hoc valet acſi diceretur, Homines, dum ſequuntur proprium ſenſum, mox delabi ad Satanæ impoſturas.

16. *Ubi enim æmulatio.*] Argumentum eſt à repugnantibus: nam æmulatio qua incitantur hypocritæ, contrarios ſapientiæ effectus parit. Sapientia enim requirit ſtatum mentis bene compoſitum: æmulatio autem eum perturbat, ut ſecum ipſa quodammodo tumultuetur, & ſine modo in alios efferveat. Alii ἀκαταστασίαν vertunt Inconſtantiam: & interdum hoc ſignificat. Sed quum ſit etiam Seditio & tumultus, nomen Perturbationis aptius præſenti loco viſum eſt. Gravius enim quiddam exprimere Jacobus voluit quam levitatem: nempe quod malignus & obtrectator, quaſi extra ſeipſum eſſet, confuſe & perperam agit omnia. ideo addit *omne opus pravum.*

17. *Quæ autem è ſurſum eſt.*] Nunc effectus cæleſtis Sapientiæ prioribus contrarios enumerat. Primo dicit eſſe *puram*: quo epitheto excluditur hypocriſis & ambitio. Secundo vocat *pacatam*: ut ſignificet alienam eſſe à contentionibus. Tertio vocat *æquam*, vel humanam: ut ſciamus procul diſtare ab immodica auſteritate, quæ nihil in fratribus tolerat. Vocat *comem* ac tractabilem: quo ſignificat abhorrere à ſuperbia & malignitate. Poſtremo *plenam* eſſe miſericordia docet, quum hypocritæ inhumani ſint & inexorabiles. Per *fructus bonos* generaliter omnia officia deſignat, quæ benevoli homines fratribus impendunt: acſi uno verbo dixiſſet, Plenam beneficentiæ. hinc ſequitur mentiri eos qui tetrica auſteritate gloriantur. Tametſi autem quum *puram* vel ſinceram dixerat, ſatis damnaverat hypocriſin: clarius tamen iterum in fine repetit. Unde admonemur, non alia de cauſa eſſe nos ultra modum moroſos, niſi quia nimium nobis parcimus, & connivemus ad propria vitia. Sed hoc abſurdum videri poſſet, quod vult eſſe *ſine dijudicatione.* Neque enim Spiritus Dei, boni & mali tollit diſcrimen: neque ita nos reddit ſocordes, ut judicio deſtituti, vitium pro virtute laudemus. Reſpondeo, Jacobum hic *dijudicationis* verbo nimis anxiam ac ſcrupuloſam inquiſitionem notare, qualem fere in hypocritis cernere licet, qui dum nimis exacte inquirunt in fratrum dicta & facta, nihil non in ſiniſtram partem rapiunt.

18. *Fructus autem juſtitiæ.*] Duplex eſſe ſenſus poteſt: vel quod pacificis ſeminatur fructus, quem poſtea colligant: vel quod ipſi, etiamſi multa in proximis modeſte tolerent, non tamen deſinunt juſtitiam ſerere. Eſt autem anticipatio. Nam qui obtrectandi libidine ad maledicendum feruntur, habent ſemper hunc prætextum, Quid? ergone malum noſtra facilitate fovebimus? Dicit itaque Jacobus, Qui vere ex Deo ſapiunt, ita eſſe æquos, modeſtos, placidos, miſericordes, ut non tamen diſſimulent vitia, neque illis faveant: ſed potius corrigere ſtudeant, modo in pace, hoc eſt, tali moderatione adhibita, ut unitas ſalva maneat. Atque hoc modo teſtatur, minime huc ſpectare quæ hactenus dixit, ut è medio tollantur placidæ reprehenſiones: ſed ne carnifices ſint qui vitiorum medici haberi volunt. Proinde, *facientibus pacem*, eſt ſeptimus caſus, ut vocant Grammatici: ac ſic reſolvi debet oratio, Qui pacis ſtudioſi ſunt, curam nihilominus habent ferendæ juſtitiæ: neque in promovendis & urgendis bonis operibus ignavi ſunt aut inutiles, ſed zelum ſuum temperant pacis condimento: quum hypocritæ cæco & rabioſo impetu omnia perturbent.

CAP. IV.

UNde bella & pugnæ inter vos? nonne hinc, ex voluptatibus veſtris quæ militant in membris veſtris?

2. Concupiſcitis, & non habetis: invidetis & æmulamini, & non poteſtis obtinere: pugnatis & belligeramini. Non habetis, propterea quod non petitis;

3. Petitis & non accipitis: quia male petitis, ut in voluptates veſtras inſumatis.

1. *Unde bella* &c.] Quia de pace tractaverat, & monuerat ſic exterminanda eſſe vitia ut pax foveatur: hac occaſione deſcendit ad contentiones, quibus ſe mutuo vexabant: ac oſtendit, eas ex inordinatis potius cupiditatibus emergere, quam ex ſtudio recti. Nam ſi modum ſibi quiſque imponeret, non incitarent alii alios. Ergo ex eo quod impune graſſantur libidines, effervent conflictus. Unde apparet, majorem inter nos pacem futuram, ſi ab injuria ſinguli abſtinerent. Sed vitia quæ in nobis regnant, ſunt quaſi armati ſatellites, ad pugnas concitandas. *Membra* vocat omnes noſtri partes. *Voluptates* accipit

pro

pro illicitis & libidinoſis deſideriis, quæ niſi cum aliorum injuria ſatiari nequeunt.

2. *Concupiſcitis, & non habetis.*] Videtur ſignificare, inexplebilem eſſe hominis animum, ubi improbis cupiditatibus indulget. ac ſane ita eſt: nam qui ſuos appetitus licenter graſſari ſinit, nullum unquam habebit concupiſcendi modum. Quinetiam ſi mundus illi daretur, cuperet novos ſibi creari mundos. Ita fit, ut homines tormenta accerſant quæ ſuperent omnium carnificum ſævitiam. Nam illud vere ab Horatio dictum eſt, Invidia Siculi non invenere tyranni Majus tormentum. Ubi quidam codices habent φονεύετε, non dubito quin legendum ſit φθονεῖτε, quemadmodum tranſtuli. Occidendi enim verbum nullo modo aptari poteſt ad contextum. *Pugnatis.* Non intelligit bella & pugnas, quibus inter ſe exertis gladiis confligunt homines: ſed quamlibet certaminum contentionem, dum quiſque alus oppreſſis emergere ſtudet. Quod nihil ejuſmodi certaminibus proficiunt, in eo pravitatis ſuæ pœnas dare affirmat. merito enim fruſtratur eos Deus, quem non agnoſcunt bonorum auctorem. nam dum ita illicitis modis contendunt, potius Satanæ auſpiciis ditari appetunt, quam Dei beneficio. Hic fraude, ille violentia, alius calumniis, omnes malis & ſceleratis artibus ad felicitatem nituntur. felices ergo eſſe appetunt: ſed non ex Deo. Quare non mirum, ſi retro aguntur in ſuis ſtudiis, quando nonniſi à ſola Dei benedictione expectandi ſunt proſperi ſucceſſus.

3. *Petitis, & non accipitis.*] Ultra progreditur, Etiamſi petant, repulſa tamen eſſe dignos: quia Deum cuperent ſuarum libidinum miniſtrum facere. Neque enim votis ſuis, quale præcipit ille, temperamentum ſtatuunt: ſed effreni licentia ſe projiciunt ad ea poſtulanda quorum maxime puderet hominem ullum conſcium habere. Ridet alicubi Plinius hanc impudentiam, & merito: quod homines Dei auribus tam improbe abutantur. Quo minus toleranda eſt in Chriſtianis, quibus à cæleſti Magiſtro tradita eſt orandi regula. Et certe nullam apud nos Dei reverentiam, nullum timorem, nullam denique exiſtimationem eſſe conſtat, quum ab eo petere audemus quæ nobis vel conſcientia noſtra negaret. In ſumma, hoc vult Jacobus, frenandas eſſe noſtras cupiditates. Hic porro eſt frenandi modus, ſi Deo ſubjectæ ſint. Deinde quæ moderate cupimus, à Deo ipſo petenda eſſe docet. Quod ſi fiet, à pravis contentionibus, à fraude, à violentia, omnique injuria inter nos abſtinebimus.

4. Adulteri & adulteræ, an neſcitis quod amicitia mundi, inimicitia Dei eſt? qui ergo voluerit amicus eſſe mundi, inimicus Dei conſtituitur.

5. An putatis quod fruſtra dicat Scriptura? an ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in nobis?

6. Quin majorem dat gratiam.

4. *Adulteri.*] Hanc ſententiam conjungo cum ſuperioribus. *Adulteros* enim (meo judicio) metaphorice appellat, qui hujus mundi vanitatibus corrupti, à Deo ſe alienant: acſi degeneres vocaret, aut alio nomine. Scimus quam frequens ſit in Scriptura ſacri conjugii mentio, quod nobiſcum Deus
1 Cor. 11. verſ. 2. contraxit. Nos itaque vult ſimiles eſſe caſtæ virgini, quemadmodum Paulus dicit. Hanc caſtitatem violant ac corrumpunt impuri omnes mundi affectus. Quare non ſine cauſa Jacobus adulterio comparat amorem mundi. Qui ſine tranſlatione ejus verba accipiunt, non ſatis obſervant contextum. Pergit enim adhuc invehi in hominum libidines, quæ eos mundo implicitos à Deo abducunt, quemadmodum ſequitur. *Amicitia mundi.* Amicitiam mundi nominat quum ſe homines mundi corruptelis addicunt & mancipant. Tale enim tantumque eſt mundi cum Deo diſſidium, ut quantum quiſque in mundum inclinat, tantundem à Deo alienetur. ideo toties Scriptura renunciare jubet mundo, ſi velimus Deo ſervire.

5. *An putatis.*] Videtur proxime ſequentem ſententiam, tanquam ex Scriptura adducere. Multum itaque ſe torquent Interpretes: quia nuſquam invenitur in Scriptura tale, aut ſaltem affine teſtimonium. Verum nihil obſtat quominus ad id referatur quod jam dictum eſt, Mundi ſcilicet amicitiam adverſari Deo. Porro jam dictum eſt, doctrinam eſſe quæ paſſim occurrit in Scripturis. Quod autem pronomen omiſit, quod orationem magis perſpicuam reddere poterat, nihil mirum: eſt enim ubique valde conciſus, ut apparet. *An Spiritus.* Quidam de hominis anima iſtud dici putant: ideo affirmative legunt in hunc ſenſum, Quod hominis ſpiritus, ut malignus eſt, ita infectus ſit invidia, ſuoſque affectus ſemper invidiæ permiſceat. Rectius tamen ſentiunt qui referunt ad Dei Spiritum. ille enim eſt qui nobis datus eſt ut habitet in nobis. Ego & de Spiritu Dei accipio, & interrogative lego hanc ſententiam. Probare enim vult, ex quo invident, non regi eos Dei Spiritu: quoniam ipſe aliter fideles inſtituat. idque confirmat proximo membro, quum addit, *majorem potius dare gratiam*: eſt enim argumentum à contrariis. Invidia, malignitatis ſignum eſt: Spiritus autem Dei, donorum affluentia ſe liberalem eſſe oſtendit. Ergo nihil magis repugnat ejus naturæ, quam invidia. In ſumma, negat Jacobus regnare Dei Spiritum ubi vigent pravæ cupiditates quæ nos ad mutuam contentionem irritent: quia proprium Spiritus eſt magis ac magis homines novis ſubinde donis locupletare. Aliis interpretationibus refutandis non immoror. Exponunt quidam, Spiritum adverſus invidiam concupiſcere. Id nimis durum eſt & coactum. Exponunt *dare majorem Dei gratiam* qua domentur concupiſcentiæ, & cogantur in ordinem. Verum ſenſus, quem adduxi, magis genuinus eſt, quod ſcilicet ſua beneficentia nos à maligna æmulatione revocet. Continuativa particula δὲ, adverſativam valet ἀλλὰ, vel ἀλλάγε. Itaque verti Quin.

7. Subjecti igitur eſtote Deo. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.

8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Mundate manus peccatores: purificate corda duplici animo.

9. Affligimini, lugete, & plorate: riſus veſter in luctum vertatur, & gaudium in mœrorem.

10. Humiliamini coram Deo, & eriget vos.

7. *Subjecti igitur.*] Subjectio iſta, quam commendat, humilitatis eſt. Neque enim generaliter hortatur ut pareamus Deo, ſed requirit ſubmiſſionem: quia Spiritus Domini ſuper humiles & quietos requie- Jeſa. 57. verſ. 15.
ſcit. ideo utitur illativa particula. Nam quia Dei Spiritum in gratiis augendis liberalem prædicaverat,

rat, ex eo colligit, debere igitur nos æmulatione poſita ſubjici Deo. Multi codices interpoſitam hanc ſententiam habent: Quapropter dicit, Deus ſuperbis reſiſtit, bumilibus vero dat gratiam. Sed quum in aliis non legatur: ſuſpicatur Eraſmus, à ſtudioſo quopiam annotatam in margine, poſtea in contextum obrepſiſſe. atque id fieri poteſt. quanquam non male quadraret orationis contextui. Nam quod abſurdum eſſe quidam putant, citari tanquam ex Scriptura, quod nonniſi apud Petrum extat, facile diluitur. Quin potius conjicio, ex communi Scripturæ doctrina, hanc quaſi proverbialem ſententiam tunc fuiſſe tritam inter Judæos. Et ſane nihil continet, niſi quod Pſalm. 18. v. 28. habetur, Populum humilem ſervabis Domine, & oculos ſuperborum dejicies: & aliis compluribus locis. *Reſiſtite diabolo.* Oſtendit quorſum conferre deceat noſtram contentionem: quemadmodum Paulus certamen nobis cum carne & ſanguine eſſet negat, ſed nos ad ſpiritualem pugnam acuit. Ergo ubi modeſtiam erga homines, erga Deum ſubmiſſionem docuit, Satanam proponit hoſtem, in quem inſurgere deceat. Promiſſio tamen quam addit de fuga Satanæ, videtur quotidiana experientia refutari. Certum enim eſt, quo quiſque fortius repugnat, eo acrius urgeri. Ludit enim quodammodo Satan ubi non repellitur ſerio conflictu: ſed adverſus renitentes, quicquid habet roboris explicat. Deinde pugnando nunquam fatigatur: ſed uno prælio victus, aliud ſubinde renovat. Reſpondeo, *Fugam* loco profligationis accipi. Et ſane, quamvis continuos inſultus repetat, ſemper tamen excluſus diſcedit.

Epheſ. 6. verſ. 12.

8. *Appropinquate Deo.*] Iterum admonet, non defuturum nobis Dei auxilium, modo locum illi demus. Nam quum *appropinquare* Deo jubet, ut illum propinquum ſentiamus: ſignificat nos ejus gratia deſtitui, quia nos ſubducimus. Deo autem à partibus noſtris ſtante, non eſt cur ſuccumbere metuamus. Cæterum ſiquis ex hoc loco inferat priores in nobis partes ſitas eſſe, Dei gratiam poſtea ſubſequi: nihil tale voluit Apoſtolus. Neque enim ſi hoc facere debemus, protinus ſequitur etiam nos poſſe. Et Spiritus Dei quum nos ad officium hortatur, ſibi aut ſuæ virtuti nihil derogat, quin hoc ipſum quod jubet, impleat idem quoque in nobis. In ſumma, nihil aliud voluit Jacobus hoc loco, quam nobis Deum nunquam deeſſe, niſi quia nos ab ipſo alienamus: quemadmodum ſiquis famelicos ad menſam, & ad fontem ſitientes abduceret. Hoc intereſt, quod greſſus noſtros à Domino & regi & ſuſtineri oportet: quia oos pedes deficiunt. Porro quod cavillantur, ſecundariam & quaſi pediſequam eſſe Dei gratiam noſtræ præparationi, quia Deum appropinquare poſteriore loco Jacobus dicat, frivolum eſt. Scimus enim non eſſe novum, ut priores ſuas gratias novis augeat: hocque modo locupletet magis ac magis, quibus jam multum dederat. *Mundate manus.* Compellat hic omnes à Deo alienatos. Neque vero duo hominum genera deſignat: ſed eoſdem vocat *peccatores*, & *duplices animo*. Neque quoſvis peccatores intelligit: ſed ſceleratos, & vitæ corruptioris. Quemadmodum Joan. 9. v. 3. Deus peccatores non exaudit. Quo ſenſu mulier peccatrix à Luca dicitur: ab eodem & reliquis Euangeliſtis, Hic cum peccatoribus edit ac bibit. Quare non omnes promiſcue ad pœnitentiæ ſpeciem, cujus hic fit mentio, invitat: ſed qui corde ſunt pravo & corrupto, vita autem turpi & flagitioſa, vel certe ſcelerata. ab his exigit cordis puritatem, & munditiem operum. Unde colligimus, quæ vera ſit pœnitentiæ ratio ac natura: ubi ſcilicet non tantum corrigitur vita exterior, ſed initium fit ab animi repurgatione: ſicuti è converſo neceſſe eſt ut interioris reſipiſcentiæ fructus in operum integritate appareant.

Luc. 7. verſ. 36. Marc. 3. verſ. 16.

9. *Affligimini, lugete.*] Mœrorem Cbriſtus denunciat iis qui rident, pro maledictione. Et Jacobus paulo poſt in eandem ſententiam divitibus luctum minabitur. Verum hic agit de ſalutari triſtitia quæ nos ad pœnitentiam adducit. Eos alloquitur qui mente inebriati, Dei judicium non ſentiunt: ita fit ut ſibi in vitiis placeant. Mortiferum hunc torporem ut illis excutiat, admonet ut lugere diſcant, conſcientiæ ſcilicet dolore tacti: ac ſibi adulari & plaudere in propinquo exitio deſinant. *Riſus* ergo pro deliciis capitur, quas ſibi faciunt impii, dum infatuati ſcelerum dulcedine, Dei judicium obliviſcuntur.

Luc. 6. verſ. 25.

10. *Humiliamini.*] Concluſio eſt ſuperiorum. Tunc expoſitam nobis fore Dei gratiam ad nos erigendos, ubi altos illos ſpiritus depoſuiſſe nos viderit. Ideo æmulamur & invidemus, quia cupimus eminere. Hæc præpoſtera eſt ratio. Dei enim proprium eſt erigere abjectos, ac præſertim qui ſponte ſe dejiciunt. Quiſquis ergo firmam altitudinem appetit, propriæ infirmitatis ſenſu dejectus, nihil de ſe humile cogitet. Bene alicubi Auguſtinus, Sicuti arborem, ut ſurſum creſcat, profundas ſubtus radices agere oportet: ita quiſquis in humilitatis radice fixum animum non habet, in ruinam ſuam extollitur.

11. Ne detrahatis invicem, fratres: qui detrahit fratri, aut judicat fratrem ſuum, detrahit Legi, & judicat Legem. ſi autem judicas Legem, non es factor Legis, ſed judex.

12. Unus eſt Legislator, qui poteſt ſervare & perdere. tu quis es qui judicas alterum?

11. *Ne detrahatis.*] Videmus quantum operæ inſumat Jacobus in corrigenda obloquendi libidine. Semper enim ſuperba eſt hypocriſis: atque à natura ſumus hypocritæ, non ſine aliorum contumelia cupide nos efferentes. Alter etiam humano ingenio ingenitus eſt morbus, ut velit quiſque ſuo arbitrio alios omnes vivere. Hanc temeritatem proprie caſtigat Jacobus hoc loco, quod vivendi legem fratribus noſtris audemus imponere. *Detractionem* ergo accipit pro calumniis omnibus, ſiniſtriſque ſermonibus qui ex maligno & perverſo judicio manant. Late patet obloquendi malum. Sed hic in una illa ſpecie, quam dixi, proprie inſiſtit: nempe dum ſuperciliose ſtatuimus de aliorum factis ac dictis, acſi noſtra moroſitas illis pro lege eſſet: dum ſecure damnamus quicquid nobis non arridet. Talem confidentiam hic perſtringi, ex ratione mox addita patet. *Qui detrahit fratri.* Significat tantundem derogari Legi, quantum ſibi quiſque in fratres uſurpat. Detractio igitur adverſus Legem, reverentiæ opponitur quam illi deferri à nobis decebat. Idem fere argumentum tractat Paulus ad Romanos cap. 14. tametſi alia occaſione inductus. Nam quum ſuperſtitio in ciborum delectu quoſdam teneret: quod ſibi non putabant eſſe licitum, in aliis quoque damnabant. Illic ergo admonet, unum eſſe Dominum cujus arbitrio ſtamus ac cadimus omnes, & ad cujus tribunal ſumus omnes ſiſtendi. Unde concludit, eum qui fratres judicat ex ſuo ſenſu, quod Dei proprium eſt, ſibi arrogare. Jacobus autem reprehendit eos qui damnandis fratribus famam ſanctitatis captant. Ideoque ſuam moroſitatem ſtatuunt divinæ Legis loco. Eadem tamen ratione pugnat qua Paulus, nempe temere nos facere, ſi nobis imperium in fratrum vitam arripimus, quum Lex Dei nos omnes ſine exceptione in eundem cogat ordinem. Docemur ergo, non eſſe niſi ex Lege Dei judicandum.

Non es factor Legis, ſed judex.] Sic reſolvi debet oratio: Quum cenſoriam tibi poteſtatem vindices ſupra Legem Dei, jam eximis te à Legis ſubjectione;

ctione. Ergo qui fratrem temere judicat, excutit Dei jugum: quia communi vivendi regulæ ſe non ſubmittit. Eſt igitur argumentum à contrariis: quia Legis obſervatio multum ab bac arrogantia diſſideat, quum bomines ſtultæ ſuæ opinioni Legis vim ac auctoritatem tribuunt. Unde ſequitur, tunc nos Legem obſervare, quum toti à ſola ejus doctrina pendemus, nec aliunde diſcernimus inter bonum & malum: ſicuti etiam omnia hominum facta & dicta
1 Cor. 6. verſ. 2. exigi debent. Si quis objiciat, Sanctos tamen fore mundi judices: facilis eſt reſponſio, Non competere in eos ejuſmodi honorem proprio jure, ſed quatenus ſunt Chriſti membra. quod autem nunc judicant ſecundum Legem, in eo non ſunt exiſtimandi judices: quia Deo tantum ſuo & omnium judici obedienter ſubſcribunt. Quantum ad Deum ſpectat, Legis factor cenſeri non debet: quoniam ejus juſtitia Lege eſt ſuperior. Fluit enim Lex ex æterna immenſaque Dei juſtitia, tanquam ex fonte rivulus.

12. *Unus Legislator*] Quum ſervandi perdendique poteſtatem cum Legislatoris officio conjungit, ſignificat totam Dei majeſtatem ad ſe rapere eos qui ſibi jus ferendæ Legis vendicant. atqui tales ſunt qui ſuum nutum aliis ingerunt pro lege. Meminerimus autem non de externa politia hic agi, in qua locum habent Magiſtratuum edicta aut leges, ſed de ſpirituali animæ regimine, in quo ſolum Dei verbum dominari convenit. Unus ergo Deus eſt qui ſuis legibus conſcientias jure ſubjectas habet: quemadmodum ſolus animæ ſalutem vel interitum habet in manu ſua. Hinc conſtat quid de humanis præceptis ſentiendum ſit, quæ conſcientiis laqueum neceſſitatis injiciunt. Modeſtiam in nobis quidam deſiderant quum Papam vocamus Antichriſtum, qui tyrannidem in animas exercet, ſe Legislatorem faciens Deo æqualem. Atqui ex boc loco longe plus colligimus: Antichriſti ſcilicet membra eſſe qui tales laqueos ſponte induunt: & Chriſto eatenus renunciare dum illi non bominem tantum mortalem, ſed qui ſe adverſus eum extollit, aſſociant. eſt, inquam, prævaricatrix obedientia, & quæ diabolo exhibetur, dum alium admittimus ad regendas animas Legislatorem, quam Deum. *Tu quis es.* Putant quidam admoneri hic ſuorum vitiorum reprehenſores, ut inchoënt à ſeipſis examen: ac dum reputant ſe nibilo eſſe aliis puriores, tam ſeveri eſſe deſinant. Ego ſimpliciter ſuam bominibus conditionem objici puto, ut cogitent quantum abſint ab eo gradu in quem ſe evehunt. Quemadmodum etiam Paulus loquitur, Tu quis es qui alienum ſervum judicas? Rom. 14. verſ. 4.

13. Age nunc, qui dicitis, Hodie & cras eamus in civitatem, & tranſigamus illic annum unum, & mercemur, & lucremur.

14. Qui neſcitis quid cras futurum ſit. quæ enim eſt vita veſtra? vapor eſt ſcilicet ad exiguum tempus apparens, deinde evaneſcens.

15. Quum dicere debeatis, Si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus hoc vel illud.

16. Nunc autem gloriamini in ſuperbiis veſtris: omnis gloriatio talis, mala eſt.

17. Qui ergo novit facere bonum, nec facit, peccati reus eſt.

13. *Age nunc*, &c.] Aliud ſuperbiæ genus bic damnat: nempe quod plerique, quum pendere ex Dei providentia deberent, confidenter ſtatuunt quid facturi ſint: ſuaque conſilia in longum tempus diſponunt: acſi multam annorum ſeriem in manu haberent, quum ne de uno quidem momento certi ſint.
Prov. 16. verſ. 1. Stolidam ejuſmodi jactantiam Solomo quoque lepide ridet, quum dicit, Homines conſtituere animo vias ſuas: interea Dominum gubernare linguam. Eſt autem valde inſanum, quod ne lingua quidem effari poſſumus, exequendum nobis ſumere. Non invehitur Jacobus in loquendi formam, ſed in ſocordiam animi potius, quod bomines propriæ infirmitatis obliti, ſic inſoleſcunt. Nam fieri interdum poteſt ut pii qui de ſe modeſte ſentiunt, & greſſus ſuos Dei nutu regi agnoſcunt, ſe tamen hoc vel illud facturos dicant ſine exceptione. Eſt quidem rectum & utile, quum in futurum tempus aliquid promittimus, aſſueſcere ad bas formulas, Si Domino viſum fuerit: aut, Si Dominus permittet. Verum non injicienda eſt religio, quaſi omittere ſit nefas. Nam paſſim in Scripturis legimus ſanctos Dei ſervos abſque conditione loquutos eſſe de rebus futuris: quum tamen fixum in memoria haberent nihil ſe poſſe niſi Dei permiſſu. Ergo quod ad hanc loquendi conſuetudinem ſpectat, Si Dominus volet, aut dabit: ſedulo ab omnibus piis colenda eſt. Sed Jacobus eorum ſtuporem excitat, qui poſthabito divinæ providentiæ reſpectu, totum anni curſum ſibi ſubjiciunt, quum momentum in poteſtate non babeant: lucrum quod procul abeſt, ſibi promittunt, quum minime teneant quod ante pedes eſt.

14. *Quæ eſt enim vita veſtra?*] Aliis multis rationibus frenare poterat ſtultam hanc deliberandi licentiam. Nam videmus ut Dominus quotidie ſuperbos iſtos fruſtretur, qui magnifice quidvis ſe facturos promittunt. Hoc tamen uno argumento contentus fuit, Quis tibi in craſtinum vitam pollicitus eſt? Facieſne mortuus, quod tam ſecure ſtatuis? Nam cui vitæ brevitas in mentem venit, ejus facile comprimetur audacia, ne ſuas deliberationes nimis in longum protendat. Imo non alia ratione tantopere ſibi indulgent profani homines, niſi quia ſe homines eſſe obliviſcuntur. Similitudine *vaporis*, eleganter indicat pluſquam evanida eſſe conſilia, quæ in ſola vitæ umbra ſubſiſtunt.

15. *Si Dominus voluerit.*] Duplex ponitur conditio, Si tamdiu erimus ſuperſtites: deinde, Si Dominus concedet: quoniam multa intervenire poſſunt quæ evertunt quicquid apud nos ſtatutum erat. Cæci enim nobis ſunt futuri temporis eventus. *Voluntatem* intelligit non quæ in Lege exprimitur, ſed conſilium quo moderatur omnia.

16. *Nunc autem gloriamini.*] Ex his verbis colligere licet, Jacobum plus quiddam reprehendere, quam lubricum ſermonem. *Gloriamini*, inquit, in veſtris jactantiis: nempe quod quum abrogarent Deo ſuum imperium, ſibi nihilominus placebant. Non quod ſe palam Deo præferant qui vel maxime inflati ſunt ſui fiducia: ſed quia inebriati ſenſus ſui vanitate, nibil minus quam Deum reſpiciunt. Et quia ejuſmodi monitiones à profanis hominibus contemptim ſolent excipi: imo ſtatim auditur reſponſum illud, Sibi notius eſſe quicquid affertur, quam ut moneri opus habeat: cognitionem, qua gloriari poterant, in eos retorquet; eo gravius peccare eos pronuncians, quod ignorantia non peccant, ſed contemptu.

Cap. V.

AGedum nunc divites plorate, ululantes ſuper miſeriis veſtris quæ advenient vobis.

2. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenra veſtra à tineis exeſa ſunt.

3. Aurum & argentum veſtrum ærugine corruptum eſt: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & exedet carnes veſtras ſicut ignis. theſaurum congeſſiſtis in extremis diebus.

4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraude averſa eſt à vobis, clamat: & clamores eorum qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.

5. In deliciis vixiſtis ſuper terram: laſciviiſtis, enutriiſtis corda veſtra, ſicut in die mactationis.

6. Condemnaſtis & occidiſtis juſtum, & non reſiſtit vobis.

1. *Agedum nunc.*] Falluntur (meo judicio) qui Jacobum hic exhortari ad pœnitentiam divites putant. Mihi ſimplex magis denunciatio judicii Dei videtur, qua eos terrere voluit abſque ſpe veniæ: nam quæcunque dicit, nonniſi ad deſperationem ſpectant. Quare non ipſos alloquitur ut ad reſipiſcentiam invitet: ſed fideles potius reſpicit, ut audientes infelicem exitum divitum, non invideant eorum fortunæ. Deinde ut injuriarum, quas perferunt, Deum ſcientes fore ultorem, æquo & placido animo eas tolerent. Divites autem non quoſvis compellat, ſed qui deliciis immerſi, & inflati ſuperbia, nihil niſi mundum cogitant: qui, tanquam inexhauſti gurgites, devorant omnia: qui tyrannice alios vexant: quemadmodum ex contextu patebit. *Plorate, ululantes.* Eſt quidem & ſuus pœnitentiæ luctus: ſed qui miſtus conſolatione, non ad ululatum uſque procedit. Significat ergo Jacobus, tam horrendam ac diram fore maledictionis divinæ gravitatem in divites, ut erumpere in ululatum cogantur: acſi uno verbo diceret, Væ vobis. Sed & Prophetica eſt loquendi forma, dum impii, propoſitis in medium pœnis quæ eos manent, quaſi in rem præſentem jam trahuntur. Quum ergo nunc ſibi blandiantur, ac fortunam, in qua ſe beatos putant, ſibi polliceantur æternam fore, pronunciat inſtare illis graviſſimas ærumnas.

2. *Divitiæ veſtræ.*] Poteſt eſſe duplex ſenſus: vel ut ſtultam eorum fiduciam rideat, quia divitiæ in quibus felicitatem ſuam reponunt, ſint pluſquam caducæ, imo quod uno Dei flatu in nihilum redigendæ ſint: vel ut inexplebilem eorum avaritiam reprehendat, quia in hoc tantum opes congerant, ut pereant ſine aliquo uſu. hic poſterior ſenſus melius congruit. Eſt quidem illud verum, inſanos eſſe divites qui in rebus tam evanidis, ut ſunt veſtes, aurum & argentum, & ſimilia, gloriantur: quandoquidem hoc nihil aliud eſt quam ſuam gloriam ærugini ac tineis ſubjicere. Deinde notum eſt illud, Male parta male ſtatim dilabi: quia Dei maledictio omnia abſumit. neque enim æquum eſt, improbos vel eorum hæredes opibus frui, quas violenter quaſi è manu Dei rapuerunt. Sed quia Jacobus hic vitia enumerat, quibus divites calamitatem, de qua meminit, ſibi accerſunt: contextus hoc poſtulat (meo judicio) ut dicamus hic immenſam divitum rapacitatem perſtringi: dum ſupprimunt quicquid undecunque poſſunt ad ſe trahere, ut inutiliter in arca computreſcat. Ita enim fit ut quæ Deus creaverat in hominum uſus, ipſi perdant, quaſi humanæ naturæ hoſtes. Notandum autem eſt, quæ hic recenſet vitia, non competere in ſingulos. Nam alii divitum laute ſibi indulgent: alii in pompas & oſtentationem multa dilapidant: alii genium fraudantes, miſere in ſuis ſordibus victitant. Sciamus ergo alia aliis vitia hic exprobrari: generaliter tamen damnantur omnes qui vel injuſte ſibi divitias accumulant, vel illis perperam abutuntur. Cæterum quod nunc Jacobus dicit, non ſolum extremæ tenacitatis divitibus convenit (qualis eſt Plautinus Euclio) ſed quibuſdam etiam alioqui ſplendidis & lautis, qui malunt apud ſe corrumpi opum acervos, quam in neceſſarios uſus erogare. Tanta eſt enim quorundam malignitas, ut communem aliis ſolem & aërem eſſe ægre ferant.

3. *In teſtimonium vobis erit.*] Hoc expoſitionem quam prius attuli, confirmat. Neque enim Deus aurum deſtinavit ærugini, neque veſtes tineis: quin potius hæc voluit eſſe humanæ vitæ ſubſidia. Quare ipſa ſine uſu conſumptio, teſtis ipſorum inhumanitatis erit. Auri & argenti putredo, quaſi materia erit inflammandæ iræ Domini, ut inſtar ignis eos conſumat. *Theſaurum congeſſiſtis.* Poteſt hæc quoque particula bifariam exponi: vel quod divites, quaſi ſemper victuri eſſent, nunquam ſatiantur, ſed congerere ſatagunt quod uſque ad finem mundi ſatis ſit: vel quod iram ac maledictionem Dei coacervant in extremum diem. hoc ſecundum magis amplector.

4. *Ecce merces.*] Jam in crudelitatem invehitur, quæ individua eſt avaritiæ comes. Speciem vero unam attingit, quæ merito præ aliis odioſa eſſe debet. Nam ſi vir humanus & æquus curam habet jumenti ſui (ut inquit Solomon) hæc prodigioſa ſævi- *Prov. 12.*
tia eſt, quum homo erga hominem, cujus ſudores in *verſ. 10.*
ſuum commodum exſugit, nulla miſericordia tangitur. Ideo Dominus ſevere in Lege vetat ne apud *Deut. 24.*
nos dormiat merces operarii. Adde quod Jacobus *verſ. 15.*
non quoſvis operarios nominat: ſed amplificandi cauſa, agricolas & meſſores. Quid enim indignius, quam eos, qui panem ex ſuo labore nobis ſuppeditant, inedia & fame conficere? & tamen vulgare eſt hoc portentum. Sunt enim permulti ingenio tyrannico, qui ſibi ſolis humanum genus putant vivere. Dicit autem *mercedem clamare*, quia quicquid alienum, fraude vel per injuriam apud ſe retinent homines, vindictam quaſi alto clamore expoſcit. Notandum eſt quod ſubjicit, *clamores* inopum pervenire ad aures Dei: ut ſciamus non impunitas fore injurias. Quare æquo animo ſuſtineant qui ab iniquis premuntur, quia Deum habituri ſint vindicem. Abſtineant quibus eſt poteſtas nocendi, ab injuria, ne Deum in ſe provocent, qui pauperum tutor eſt ac patronus. Qua ratione etiam Dominum *Sabaoth* vocat, potentiam ac vires ejus notans, quo magis formidabile reddat ejus judicium.

5. *In deliciis.*] Deſcendit nunc ad aliud vitium, nempe luxum & delicias. Nam qui ultra mediocritatem abundant, raro ſibi temperant quin ſua abundantia ad immodicas lautitias abutantur. Sunt quidem (ut dixi) nonnulli divites qui in ſua copia eſuriunt. Neque enim ſine cauſa Tantalum finxerunt Poëtæ in menſa bene referta famelicum. Semper tales fuerunt in mundo Tantali: ſed Jacobus (ut dictum eſt) non de ſingulis loquitur. Satis eſt quod vi-

tium hoc videmus communiter regnare inter divites, qood ſint in gulæ ſuæ delicias nimium ſumptuoſi ac ſuperflui. Tametſi autem illis Dominus permittit liberaliter de ſuo vivere, ſemper tamen cavenda eſt profuſio, & colenda frugalitas. Neque enim fruſtra tam aſpere exagitat Dominus per Prophetas, eos qui dormiunt in lectis eburneis, qui pretioſo unguento ſunt delibuti, qui ſuaviter potando ſe oblectant ad cantum citharæ, qui ſunt veluti vaccæ pingues in uberibus paſcuis. Hæc enim omnia eo dicuntur, ut ſciamus modum in deliciis tenendum eſſe, ac diſplicere Deo intemperantiam. *Enutrire corda*, ſignificat ſibi indulgere, non modo ad naturæ ſatietatem, ſed quantum fert cupiditas. Addit ſimilitudinem, *ſicut in die mactationis*: quia ſolebant in ſacrificiis ſolennibus liberalius veſci quam pro quotidiano more. Dicit ergo divites tota vita continuare diem feſtum: quia in continuis voluptatibus ſint demerſi.

9. *Condemnaſtis.*] Sequitur alia inhumanitatis ſpecies: quod divites ſua potentia opprimunt atque evertunt infirmos. Metaphorice dicit, juſtos ab illis occidi & damnari: nam utcunque manu ſua non jugulent, nec fungantur judicum munere: dum tamen auctoritatem, qua pollent, convertunt ad nocendum, dum corrumpunt judicia, dum varias artes excogitant ad perdendos innocentes, hoc eſt vere occidere ac damnare. Quum addit, *juſtum non reſiſtere*, ſignificat creſcere divitibus audaciam: quia omni præſidio deſtituantur quos pervertunt. Interea tamen admonet eo magis paratam promptamque fore vindictam Dei, quum nulla eſt pauperi ab hominibus defenſio. Tametſi autem ideo non reſiſtit juſtus, quia patienter ferre debet injurias: ego tamen ſimul imbecillitatem notari puto: quod ſcilicet non reſiſtat, quia inermis eſt ac deſertus hominum auxilio.

7. Patienter ergo agite, fratres, uſque in adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ſe gerens erga eum, donec recipiat pluviam matutinam & veſpertinam.

8. Patienter ergo agite & vos: confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini propinquus eſt.

9. Ne ingemiſcatis alii in alios, fratres, ne condemnemini. ecce judex ſtat pro foribus.

7. *Patienter ergo.*] Ex hac illatione conſtat, quæ hactenus dicta ſunt in divites, pertinere ad eorum conſolationem qui ad tempus impune videntur eorum injuriis expoſiti. Poſtquam enim calamitatum quæ divitibus imminent, cauſas recenſuit, & unam hanc poſuit inter alias, quod ſuperbe & crudeliter dominati ſint in pauperes: protinus ſubjicit, nos qui injuſte affligimur, habere patientiæ materiam, quia Deus futurus ſit judex. Hoc enim ſibi vult, quum dicit, *uſque in adventum Domini*: non fore ſcilicet perpetuam rerum confuſionem quæ hodie in mundo cernitur, quia Dominus adventu ſuo mundum in ordinem revocaturus ſit: ideoque animos in bonam ſpem colligendos. Neque enim abs re nobis promittitur illo die rerum omnium inſtauratio. Tametſi autem paſſim in Scripturis dies Domini, vocatur quælibet judicii & gratiæ ejus manifeſtatio, quum ſuis ſuccurrit, & impios caſtigat: hunc tamen locum de poſtrema liberatione interpretari malo. *Ecce agricola.* Eandem ſimilitudinem breviter attingit Paulus in ſecunda ad Timoth. cap. 2. v. 6. quum dicit, laborare agricolam oportere, priuſquam fructus colligat: ſed expreſſior eſt Jacobi oratio. Diuturnam enim agricolæ patientiam commemorat: qui poſtquam ſemen terræ mandavit, ſecure vel ſaltem patienter expectat, dum adveniat tempus meſſis: nec moleſte fert quod non ſtatim terra maturum fructum reddat. unde colligit, non debere nos ultra modum anxios eſſe, ſi nunc laborandum ſit ac ferendum, donec appareat tanquam meſſis, dies Domini. *Fructum pretioſum* vocari interpretor, quoniam alimonia eſt, ac vitæ ſuſtinendæ ratio. Significat autem Jacobus, quum agricola vitam ſuam, quæ illi tam pretioſa eſt, in terræ gremio depoſitam latere diu ſinat, votumque fructus colligendi placide ſuſpendat: nos eſſe nimis præcipites ac importunos, niſi æquis animis redemptionis noſtræ diem expectemus. Alias ſimilitudinis partes non opus eſt ſigillatim perſequi. *Pluviam matutinam.* Duobus iſtis epithetis duo tempora notantur: prius, quod paulo poſt ſementem ſequitur: alterum, dum matureſcunt ſegetes. Sic loquuntur Prophetæ, quum pluviæ opportunitatem exprimere volunt, quam promiſit Moſes Deuteron. 28. v. 12. Joël, 2. v. 23. & Oſee, 6. v. 3. Utramque autem commemorat, ut melius exprimat, non frangi longi temporis tædio agricolas, quin ſuſtineant moram.

8. *Confirmate corda veſtra.*] Ne quis objiceret, nimium differri liberationis tempus, occurrit, dicens prope inſtare Dominum, vel (quod idem eſt) ejus adventum appropinquaſſe. Interea jubet corrigere animi mollitiem, quæ nos debilitat ne ſperando perſeveremus. Et certe longum ideo apparet tempus, quia nos teneri nimis ac delicati ſumus. Ergo colligendum eſt robur ad durandum: colligi autem melius non poteſt, quam ex ſpe & quaſi intuitu propinqui adventus Domini.

9. *Ne ingemiſcatis.*] Quia audiuntur multorum querimoniæ, ſe durius tractari quam alios, locus hic à quibuſdam ita exponitur, quaſi jubeat Jacobus unumquemque ſorte ſua contentum, non invidere aliis, neque indigne ferre, ſi tolerabilior ſit aliorum conditio. Sed ego aliter interpretor. Poſtquam enim de infauſto eorum exitu diſſeruit qui bonis & quietis hominibus moleſti ſunt ſua tyrannide: jam fideles hortatur ut inter ſe æqui ſint, & in condonandis offenſis faciles. Hunc eſſe genuinum ſenſum, ex ratione addita colligi poteſt. Nolite, inquit, *alii in alios* queruli eſſe, *ne omnes condemnemini.* Ingemiſcere quidem licet, quoties aliquid nos mali angit: ſed gemitum accuſatorium intelligit, ubi alii de aliis apud Dominum expoſtulant. Futurum autem hoc modo denunciat ut damnentur omnes: quia nemo eſt qui non fratres ſuos offendat, & materiam præbeat ingemiſcendi. Jam ſi conquerantur ſinguli, omnes ſe mutuo accuſabunt: nemo enim tam innocens, qui non aliquos læſerit. Deus communis erit omnium judex. Quid ergo futurum eſt, niſi ut quod quiſque judicium in alios ferri cupit, in ſeipſum admittat: atque ita exaudiantur omnes in mutuam perniciem? Nemo itaque vindictam de aliis expoſcat, niſi qui in caput ſuum volet accerſere. Ac ne temere ad ejuſmodi querelas proſiliant, judicem denunciat ſtare pro foribus. Nam, quæ noſtra eſt propenſio ad profanandum Dei nomen, in leviſſimis quibuſque offenſis provocamus ad ejus judicium. Nullum aptius frenum eſt cohibendæ noſtræ temeritati, quam ſi reputemus non in aërem evaneſcere noſtras imprecationes, quia Dei judicium propinquum ſit.

10. Exem-

10. Exemplum accipite afflictionis, fratres mei, & tolerantiæ, Prophetas qui loquuti ſunt nomine Domini.

11. Ecce, beatos eſſe ducimus eos qui ſuſtinent. Patientiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quod multum ſit miſericors & commiſerans.

10. *Exemplum accipite.*] Solatium quod affert, non illud eſt quod vulgari proverbio dicunt, Miſeros expetere ut qualeſcunque habeant malorum ſocios. Sed eos proponit ſocios, quorum numero aggregari optabile ſit: & quibuſcum ſi communis ſit nobis conditio, noo poteſt miſera eſſe. Nam ſicuti neceſſe eſt extremo mœrore nos affici, ſiquid nobis mali accidat quod nunquam experti ſint filii Dei: ita hæc ſingularis eſt conſolatio, quum ſcimus nos nibil pati ab illis diverſum, imo ad idem jugum cum ipſis ſuſtinendum nos aptari cognoſcimus. Quum

Job. 5. verſ. 1. audiret Job à ſuis amicis, Coovertere ad ſanctos: an aliquem reperies qui tibi ſit ſimilis? erat hæc vox Satanæ, qua præcipitare in deſperationem ipſum volebat. Ex adverſo dum Spiritus per os Jacobi nos vult in bonam ſpem erigere, ſanctos omnes præeuntes oobis oſtendit, qui nobis veluti manum porrigant, ſuoque exemplo nos invitent ad ſubeundas & viocendas afflictiones. Promiſcue quidem ærumnis & rebus adverſis ſubjecta eſt bominum vita: ſed Jacobus noo quoſvis adducit in exemplum, quia nibil juvaret cum multitudine perire: verum Prophetas eligit, quorum felix eſt ſocietas. Nibil eſt aliud quod nos frangat ac exanimet, quam miſeriæ ſenſus. Proiode hæc vera conſolatio eſt, quæ mala vulgo putantur, ſentire oobis eſſe ſalutis adjumenta. Hoc quidem ab intelligentia carnis valde eſt alienum: ſic tamen ſtatuere debent fideles, ſe beatos eſſe quum variis ærumnis probantur à Domino. Hoc ut perſuadeat Jacobus, finem afflictionum in Propbetis conſiderandum eſſe admonet: nam quia in propriis malis dolore, triſtitia, aut quovis alio immoderato affectu præoccupati, judicio caremus, & quaſi tempeſtate jactati, ſub turbido cælo & inter medias procellas nihil ceroimus: ideo neceſſe alio conjicere oculos, ubi cælum quodammodo ſerenum & liquidum eſt. Quum oobis ſanctorum oarrantur afflictiones, nemo eſt qui miſeros, ac non potius beatos fuiſſe fateatur. Recte ergo Jacobus, qui exemplar illud ponit ante oculos, ut eo nos referre diſcamus, quoties tentamur impatientia aut deſperatione. Sumit autem principium illud, beatos ceoſeri in ſuis afflictionibus Prophetas, quia conſtanter eas ſuſtineant. Quum ita ſit, idem fieri judicium debere colligit, dum nos affligimur. Dicit autem, *Propbetas qui loquuti ſunt nomine Domini*: quo ſignificat illos Deo gratos & probatos fuiſſe. Ergo ſi utile illis fuiſſet eximi à miſeriis, proculdubio præſtitiſſet ipſos Deus immunes. Atqui non fecit: ſequitur ergo ſalutares eſſe afflictiones fidelibus. Hoc ſenſu jubet illos aſſumi exemplar afflictionum. ſed oportet patientiam ſimul accedere, quæ verum eſt obedientiæ noſtræ teſtimonium. ideo utramque conjunxit.

11. *Patientiam Job.*] De Prophetis generaliter loquutus eſt. ounc inſigne præ aliis exemplum eligit. Nemo enim (quantum ex hiſtoriis colligi poteſt) tam duris ac tam variis ærumnis unquam fuit obrutus: emerſit tamen ex tam profuoda abyſſo. Quiſquis ergo imitabitur ejus patientiam, non dubium eſt quin manum Dei ſimiliter ſenſurus ſit, quæ tandem eum liberet. Videmus in quem finem ſcriptæ ſint biſtoriæ. Deus ſervum ſuum Job, quia patienter afflictiones ſuas ſuſtinuit, non paſſus eſt opprimi: ergo nullius patientiam fruſtrabitur. Quæritur tamen cur patientiam Job tantopere commendet Apoſtolus, quum tamen cæco impetu abreptus, multa impatieotiæ ſigna edat. Reſpondeo: etiamſi vel interdum carnis infirmitate labaſcat, vel ſecum tumultuetur: ſemper tamen huc redire ut ſe totum Deo permittat, ſeque ipſi frenandum ac regendum offerat. Quare utcunque deſit aliquid ejus patientiæ, oon immerito laudatur. *Finem Domini.* Hoc verbo ſignificat, à fine ſemper æſtimandas eſſe afflictiones. Initio enim videtur procul abeſſe Deus: interea licentioſe graſſatur Satan in hac perturbatione. ſuggerit nobis caro, nos deſertos à Deo eſſe ac proditos. longius ergo extendere intuitum noſtrum oportet, quia prope nibil lucis apparet. Porro finem Domini dixit, quia ejus eſt proſperum ſucceſſum rebus adverſis dare: ſi nos officium noſtrum præſtemus obedienter ſuſtinendo, ipſe partibus ſuis viciſſim minime deerit. Tantum nos in finem ſpes dirigat, Deus ipſe ſe viciſſim pluſquam miſericordem illic oſtendet, quaatumvis rigidus & auſterus videatur quamdiu affligit.

12. Ante omnia vero, fratres mei, ne juretis, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodvis jusjurandum: ſit autem veſtrum Eſt, eſt: non, non: ne in * judicium incidatis.

** vel, ſimulationem.*

13. Affligitur quis inter vos? oret. hilari eſt animo? pſallat.

12. *Ante omnia* &c.] Fuit hoc commune vitium omnibus fere ſeculis, leviter & inconſiderate jurare: namque noſtra eſt malignitas, non reputamus quam atrox ſit crimen, abuti Dei nomine. Verum quia Dominus interim ſevere nominis ſui reverentiam nobis commendat: varia ſubterfugia excogitant homines, ut jurare impune liceat. Fingunt igitur nibil mali eſſe, modo non palam interpoſitum ſit Dei nomen. atque boc vetus commentum fuit. Ita Judæi quum per cælum & terram jurarent, non putabant ſe Dei nomine abuti quod ſubticebant. Atqui dum ingenioſi eſſe homines volunt ut fucum faciant Deo, nihil quam frivolis cavillationibus ſeipſos deludunt. In ejuſmodi vanitatem invectus fuerat Chriſtus, ut habetur Mat. 5. v. 34. Nunc Jacobus Magiſtri ſui decreto ſubſcribens, ab obliquis iſtis formulis abſtinere præcipit: quia Dei oomine aburitur quiſquis fruſtra & ob rem nihili jurat, qualemcunque colorem obtendat ſuis verbis. Summa ergo eſt, nihilo magis eſſe licitum, per cælum aut terram jurare, quam palam per Dei nomen. Ratio à Chriſto exprimitur: quia ubique inſculpta ſit Dei gloria, & ubique refulgeat. Imo non alio ſenſu vel conſilio Cæli aut terræ voces in juramentis homines uſurpant, quam ſi Deum ipſum nominarent: quia ſic loquendo, tantum opificem deſignant à ſuis operibus. Dicit autem, *ante omnia*: quia non leve delictum eſt, nominis Dei profanatio. Quod Anabaptiſtæ bujus loci prætextu juramenta omnia damnant, imperite faciunt. Neque enim Jacobus in univerſum de juramentis diſputat: quemadmodum nec Cbriſtus eo quem citavi loco: ſed uterque cavillationem illam refellit quæ in fraudem Legis inventa fuerat, dum captant bomines jurandi licentiam, non expreſſo Dei nomine. Licentiam dico quæ Legis prohibitioni repugnat. Atque hoc clare ſonant verba, *neque per cælum, neque per terram*: nam ſi de ſubſtantia eſſet quæſtio, quorſum attinebat formulas

iſtas notare? Conſtat itaque tam à Chriſto quam à Jacobo puerilem eorum aſtutiam reprehendi, qui impune jurare ſe putabant, modo circumirent per ambages. Ergo ut teneamus Jacobi mentem, primo loco tenendum eſt Legis præceptum, Non accipies nomen Dei tui fruſtra: unde conſtat juſtam ac legitimam eſſe aliquam nominis Dei uſurpationem. Nunc Jacobus eos damnat qui directe quidem non audent Dei nomine abuti: ſed verborum circuitu effugere conantur abuſum quem Lex damnat. *Sit autem veſtrum Eſt.* Optimum vitio, quod reprehendit, corrigendo remedium affert: ut veritati & conſtantiæ in omnibus ſuis dictis aſſueſcant. Unde enim pravus mos jurandi, niſi quia tanta eſt hominum vanitas, ut ſimpliciter loquentibus non credatur? Nam ſi fidem in verbis ſuis, ut decet, colerent, non opus eſſet tot ſuperfluis juramentis. Quia igitur hominum perfidia vel levitas, fons eſt unde jurandi corruptela oritur: ut poſterius vitium tollat Jacobus, tollendum eſſe prius docet. Nam ſanandi ratio à cauſa incipere debet. Nonnulli codices habent, Sit ſermo veſter, Eſt, eſt: non, non. Genuina tamen lectio eſt ea quam reddidi, atque etiam magis recepta. Quid autem ſignificet, jam expoſui: ut ſcilicet veraces ſimus, firmique in omnibus dictis. Eodem ſenſu teſtatur Paulus 2. ad Cor. 1. v. 18. non fuiſſe deprehenſum in prædicatione ſua Eſt & non: ſed eodem tenore ſe proſequutum eſſe quo cœperat. *Ne in judicium.* Varia eſt lectio propter vocum affinitatem, ὑπόκρισιν καὶ ὑπὸ κρίσιν. Si legas, In judicium, vel in condemnationem, ſenſus erit clarus, Dei ſcilicet nomen non impune ſumptum iri fruſtra. ſed non male quadrabit, In ſimulationem: quia (ſicuti jam dictum eſt) ubi ſimplicitas inter nos viget, præciſa eſt anſa ſupervacuis juramentis. Ergo ſi dictis noſtris omnibus conſtet fides, ſublata erit ſimulatio quæ nos ad temere jurandum provocat.

13. *Affligitur quis.*] Significat nullum eſſe tempus quo non ad ſe Deus nos invitet. Nam afflictiones ad precandum ſtimulare nos debent: *res proſperæ* laudandi Dei materiam ſuppeditant. Atqui ea eſt hominum pravitas, ut lætari nequeant quin Dei obliviſcantur: afflicti vero dejiciant animos & deſperatione opprimantur. Tenenda igitur hæc moderatio, ut lætitia quæ Dei oblivionem inducere ſolet, nos ad prædicandam Dei bonitatem incitet: triſtitia autem nos ad precandum erudiat. Nam *pſallendi* verbum profano vel effreni gaudio oppoſuit, quo exultant qui rebus proſperis ad Deum, ut par erat, non ducuntur.

14. Infirmatur quis inter vos? advocet Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.

15. Et oratio fidei ſervabit ægrotum, & excitabit eum Dominus: & ſi peccata admiſerit, remittentur illi.

14. *Infirmatur quis.*] Quoniam tunc adhuc vigebat donum ſanationis, præcipit ut ægroti confugiant ad hoc remedium. Certum quidem eſt non omnes fuiſſe ſanatos, ſed Dominum huic gratiæ locum dediſſe, quoties & quatenus expedire noverat: nec veriſimile eſt promiſcue adhibitum fuiſſe oleum, ſed tantum ubi certa ſpes erat profectus. Una enim cum virtute dabatur etiam Miniſtris diſcretio, ne ſymbolum abuſu profanarent. Non aliud Jacobi conſilium fuit, quam Dei gratiam, qua tunc frui poterant fideles, commendare, ne contemptu aut negligentia periret ejus utilitas. In hunc finem jubet accerſi Presbyteros. Unctionis vero uſus ad effectum Spiritus ſancti reſtringi debet. Hunc locum magnifice jactant Papiſtæ, dum extremam ſuam unctionem venditare volunt. Quantum autem diſtet eorum corruptela à veteri inſtituto cujus meminit Jacobus, in præſentia exponere ſuperſedeo. Hanc partem lectores ex Inſtitutione diſcant. Hoc tantum dico, male & inſcite torqueri hunc locum, ut extrema unctio ſit & vocetur Sacramentum, cujus in Eccleſia perpetuo uſus manere debeat. Fateor equidem pro Sacramento uſurpatam fuiſſe à Chriſti diſcipulis (neque enim illis aſſentior qui medicamentum fuiſſe putant) ſed quemadmodum veritas hujus ſigni nonniſi ad tempus duravit, ſymbolum dico ſimiliter fuiſſe temporale. Atque hoc planum eſt: nihil abſurdius quam Sacramentum vocare quod inane ſit, nec rem ſignatam vere nobis offerat. Donum ſanationis fuiſſe temporale, fateri omnes coguntur, & res ipſa demonſtrat: ergo ſignum ejus perpetuum eſſe non oportuit. Unde ſequitur non veros eſſe imitatores, ſed ſimias eſſe Apoſtolorum, qui unctionem inter Sacramenta hodie reponunt: niſi effectum ſimul reſtituant, quem ante annos mille & quadringentos Deus mundo abſtulit. Ita nobis certamen non eſt, an unctio fuerit aliquando Sacramentum: ſed an nobis data fuerit ut hodie quoque apud nos ſit in uſu. Hoc poſterius negamus, quia conſtat rem ſignatam pridem deſiiſſe. *Presbyteros Eccleſiæ.* Ego generaliter omnes comprehendo qui regendæ Eccleſiæ præerant. Neque enim ſoli Paſtores Presbyteri vocabantur, ſed qui deligebantur ex plebe quaſi cenſores ad tuendam diſciplinam. Unaquæque enim Eccleſia ſuum quaſi Senatum habebat, ex gravibus & probatæ integritatis viris delectum. Quoniam autem eos potiſſimum eligere moris erat qui præditi erant excellentioribus donis: ideo accerſere Presbyteros jubet, utpote in quibus maxime vis & gratia Spiritus ſancti ſe exerebat. *Orent ſuper eum.* Huc ſpectat ritus orandi ſuper aliquem, ut veluti coram Deo ſiſtatur: quia ubi in rem præſentem ventum eſt, majore affectu concipimus
preces: ſicuti non modo Eliſæus & Paulus, ſed Chriſtus 2 Reg. 4.
ipſe hac ceremonia, precandi ardorem excitarunt, & vers. 32.
commendarunt Dei gratiam. Notandum vero quod Actor. 20.
promiſſionem orationi annectit, ne fide vacua ſit. vers. 10.
Nam qui hæſitat, ſicuti rite non invocat Deum, ita Joan. 11.
indignus eſt qui impetret: ut habuimus capite pri- vers. 41.
mo. Quiſquis ergo exaudiri volet, certo apud ſe ſtatuat non fruſtra ſe orare. Sicuti Jacobus donum illud ſpeciale in medium profert, cujus acceſſio tantum erat externus ritus. Unde colligimus, ne olei quidem legitimum eſſe uſum abſque fide. Atqui quum Papiſtis adeo nulla conſtet certitudo ſuæ unctionis, ut palam ſit dono eos carere, illam adulterinam eſſe patet.

15. *Et ſi peccata* &c.] Non eſt hoc additum duntaxat augendi cauſa, ac ſi dixiſſet, majus aliquid Deum ægroto daturum quam corporis ſanitatem: verum quia morbi ſæpiſſime irrogantur ob peccata, de horum remiſſione loquens, cauſam mali ſublatum iri ſignificat. Et ſane videmus ut David morbo afflictus, dum levationem optat, totus ſit in petenda peccatorum venia. Quorſum hoc, niſi quia dum culpæ ſuæ effectum agnoſcit in pœnis, non aliud remedium eſſe judicat, quam ſi Dominus peccata imputare deſinat? Pleni ſunt hac doctrina Prophetæ, malis levari homines, quum ab iniquitatum reatu ſolvuntur. Ergo hanc demum & morbis noſtris, & aliis calamitatibus ſciamus aptam eſſe medicinam, ſi de placando Deo & obtinenda peccatorum venia ſolliciti, nos diligenter examinemus.

16. Con-

16. Confitemini invicem peccata veſtra, & orate invicem alii pro aliis, ut ſalvemini. Multum valet precatio juſti efficax.

17. Elias homo erat paſſionibus ſimiliter obnoxius ut nos, & precatione precatus eſt ne plueret: & non pluit ſuper terram annos tres & ſex menſes.

18. Et rurſum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra protulit fructum ſuum.

16. *Confitemini invicem.*] In nonnullis codicibus inſeritur illativa particula: neque male quadrat. nam ut non exprimatur, ſubaudienda tamen eſt. Dixerat peccata remitti ægrotis ſuper quos orarent Presbyteri: nunc admonet quam utiliter peccata noſtra fratribus retegamus: quia ſcilicet eorum interceſſione poterimus veniam conſequi. Scio locum hunc à multis exponi de reconciliandis offenſis: nam qui redire in gratiam volunt, eos culpam ſuam agnoſcere prius & fateri neceſſe eſt. Inde enim fit, ut radices agant inimicitiæ, imo augeantur, ac fiant irreconciliabiles: quia unuſquiſque cauſam ſuam pertinaciter defendit. Putant ergo multi Jacobum hanc oſtendere viam fraternæ reconciliationis, ſi mutuo agnoſcant peccata ſua; ſed alio reſpexit, quemadmodum dictum eſt. Mutuam enim precationem cum mutua confeſſione conjungit: quo ſignificat in hoc prodeſſe confeſſionem, ut fratrum precibus juvemur apud Deum. Nam qui neceſſitatis noſtræ conſcii ſunt, ad orandum incitantur, ut nobis ſubveniant: quos vero latent morbi noſtri, ii ad opem nobis ferendam ſunt ſegniores. Mira vero Papiſtarum vel ſtultitia, vel improbitas, qui ſuſurratoriam ſuam confeſſionem hoc teſtimonio aſtruere conantur. Nam ex verbis Jacobi inferre promptum eſſet, ſolos ſacrificos debere confiteri. Quando enim mutua hic vel reciproca (ut craſſius loquar) confeſſio exigitur, non alii certe jubentur confiteri peccata ſua, quam qui viciſſim ad audiendam alterius confeſſionem ſunt idonei: atqui hoc ſoli ſacrifici ſibi vendicant: ergo ad eos ſolos ableganda eſt confeſſio. Sed quum indignæ ſint eorum ineptiæ quibus refutandis occupemur, ſufficiat nobis vera & germana expoſitio quam attuli. Clare enim ſonant verba, non alio fine confeſſionem nobis præcipi, niſi ut qui mala noſtra noverint, ad opem ferendam magis ſint ſolliciti. *Multum valet.* Ne quis putet hoc fieri ſine fructu, dum alii pro nobis orant, utilitatem & effectum orationis prædicat. Nominatim vero dicit *precationem juſti:* quia impios Deus non exaudit, nec ad Deum acceſſus patet, niſi per bonam conſcientiam. Non quod in propria dignitate fundatæ ſint noſtræ preces, ſed quia fide purgatum cor habere oportet, ut nos in conſpectum Dei offeramus. Teſtatur ergo Jacobus, juſtos aut fideles utiliter, nec ſine effectu pro nobis precari. Sed quid ſibi vult quod addit *efficax?* videtur enim hoc eſſe ſuperfluum: nam ſi multum prodeſt oratio, proculdubio eſt efficax. Quod vetus Interpres tranſtulit Aſſiduam, nimis eſt coactum. Jacobus enim Græco participio utitur ἐνεργουμένη, quod tantundem valet atque Operans. Poſſet autem ſic reſolvi oratio, Multum prodeſt, quia eſt efficax: ut ſit argumentum ductum ab illo principio, quod Deus non vult irritas vel otioſas eſſe fidelium preces. inde non immerito colligit, multum valere. Sed ego potius ad præſentem circumſtantiam reſtringo: proprie enim preces noſtræ ἐνεργούμεναι dici poſſunt, dum nobis neceſſitas aliqua objicitur, quæ ſerium orandi affectum exciter. Quotidie oramus pro tota Eccleſia, ut peccata illi Deus remittat: ſed tunc vere in actu eſt oratio, quum ſuccurrere contendimus iis qui laborant. Talis porro efficacia in fratrum precibus eſſe non poteſt, niſi nos laborare ſciant. Ideo hæc cauſæ redditio non eſt generalis: ſed ad priorem ſententiam ſpecialiter aptari debet.

17. *Elias homo erat.*] Innumera hujus rei, quam probare vult, exempla extant in Scripturis: ſed unum elegit præ aliis illuſtre. Magnum enim hoc fuit, quod Deus precibus Eliæ cælum quodammodo ſubjecit, ut ejus votis obſequeretur. Cælum Elias duobus annis & ſeſqui clauſum ſuis precibus tenuit: rurſum aperuit, ut largam pluviam ſubito funderet: hinc ergo mirifica patet orationis virtus. Nota eſt ac celebris hiſtoria quæ legitur 1 Reg. 17. & 18. Tametſi autem diſerte illic non traditur Eliam oraſſe: ſiccitatem tamen & pluviam ejus precibus datam eſſe colligi facile poteſt. Cæterum notanda eſt exempli applicatio. Non dicit Jacobus petendam eſſe ſiccitatem à Domino, quia hanc impetraverit Elias: poſſemus enim inconſiderato zelo temere ac ſtulte æmulari Prophetam. Ergo tenenda eſt orandi regula, ut ea fide. In hoc ergo accommodat exemplum, Quod ſi exauditus fuit Elias, nos quoque rite precando exaudiemur. Nam quum ſit commune orandi præceptum & communis promiſſio: ſequitur, effectum quoque fore communem. Ne quis autem objiceret, longe nos diſtare à gradu Eliæ, eum collocat in noſtro ordine, quum dicit *hominem* fuiſſe mortalem & iiſdem nobiſcum *paſſionibus obnoxium.* Nam ideo minus proficimus ex ſanctorum exemplis, quia ipſos fingimus ſemideos vel heroas, quibus peculiare fuerit cum Deo commercium: ita ex eo quod exauditi ſunt, nihil fiduciæ concipimus. Ut hanc Ethnicam & profanam ſuperſtitionem Jacobus excutiat, ſanctos in carnis infirmitate conſiderandos eſſe admonet: ut diſcamus non eorum meritis, ſed orationis efficaciæ tribuere, quod omnia à Deo impetrarunt. Hinc apparet quam pueriliter nugentur Papiſtæ, qui ad Sanctorum patrocinium confugere docent, quia exauditi fuerint à Domino. Sic enim colligunt, Quia ille obtinuit quod petebat, quamdiu vixit in mundo, nunc optimus erit poſt mortem nobis patronus. Hæc argutia Spiritui ſancto incognita fuit. Nam ex adverſo ratiocinatur Jacobus: quia tantum valuerunt eorum preces, debere nos ſimiliter eorum exemplo hodie orare; idque nos non fruſtra facturos.

19. Fratres mei, ſi quis inter vos erraverit à veritate, & converterit quiſpiam eum:

20. Cognoſcat quod qui converterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſervabit animam à morte, & multitudinem operiet peccatorum.

20. *Cognoſcat.*] Dubito annon potius ſcriptum fuerit γινώσκετε: ita legendum eſſet, Cognoſcite. Utroque tamen modo ſtabit idem ſenſus. commendat enim nobis Jacobus fratrum correctionem ab effectu, ut majore ſtudio in eam intenti ſimus. Nihil præſtantius aut magis optabile, quam animam eripere ex morte æterna: hoc autem facit qui fratrem errantem reducit in viam: ergo tam præclarum opus minime negligendum eſt. Cibum dare eſurienti, & ſitienti potum, videmus quanti Chriſtus æſtimet: atqui multo pretioſior eſt illi animæ ſalus, quam corporis vita. Cavendum ergo ne noſtra ignavia pereant redemptæ à Chriſto animæ, quarum ſalutem quodammodo in manu noſtra ponit Deus. Non quod ſalutem conferamus ipſi: ſed quod Deus miniſterio noſtro liberat ac ſervat quod alioqui videbatur exitio

propinquum. Aliqui codices habent, *animam ejus*, quod de ſenſu nihil mutat. Ego tamen diverſam lectionem ſequi malo, quia plus energiæ habet. *Operiet multitudinem peccatorum.* Alludit potius ad dictum Solomonis, quam pro teſtimonio citet. Solomon dicit, Charitatem tegere peccata, quemadmodum odium ea profert. Nam qui oderunt, libidine ſeſe mutuo infamandi ardent: qui amant, libenter inter ſe condonant multa. charitas ergo peccata ſepelit apud homines. Jacobus hic altius quiddam docet: nempe quod deleantur coram Deo. acſi diceret, Solomon hunc charitatis fructum prædicat, quod tegat peccata: atqui nulla melior aut magis ſalutaris tegendi ratio, quam ubi in totum coram Deo abolentur. Hoc autem fit quum peccator noſtra admonitione reducitur in viam: ergo huc præcipue & magis ſedulo incumbendum eſt.

Prov. 10. verſ. 12.

IN EPISTOLAM JUDÆ

ARGUMENTUM.

TAmetſi de hac quoque Epiſtola diverſis ſententiis inter veteres certatum fuit: quia tamen utilis eſt lectu, nec quicquam à doctrinæ Apoſtolicæ puritate alienum continet, jamque olim apud optimos quoſque auctoritatem obtinuit, eam libenter aliis adnumero. Brevitas porro ipſius longam argumenti tractationem non deſiderat: & tota fere ſumma cum ſecundo proximæ Epiſtolæ capite convenit. Quia enim ſub Chriſtianiſmi titulo obrepſerant impii nebulones, quibus ſumma voluptas erat, leves & infirmos inducere in profanum Dei contemptum: primum oſtendit Judas, non debere ejuſmodi machinis percelli fideles, quibus ſemper impetita fuerit Eccleſia: & tamen ut ſibi ab ejuſmodi peſtibus ſedulo caveant, hortatur. Quo autem magis exoſos reddat ac deteſtabiles, ſevere propinquam Dei vindictam, qualem eorum meretur impietas, illis denunciat. Jam ſi reputemus quid noſtra hac quoque ætate ab exordio renaſcentis Evangelii molitus ſit Satan, & quibus adhuc artibus fidem & Dei timorem ſubvertere ſatagat: quæ Judæ tempori utilis fuit admonitio, noſtro pluſquam neceſſaria eſt. Sed hoc totum ex Epiſtolæ lectione melius diſcetur.

JOAN-

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN EPISTOLAM JUDÆ.

Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, vocatis qui in Deo Patre ſanctificati ſunt, & in Jeſu Chriſto cuſtoditi:

2. Miſericordia vobis, & pax, & dilectio augeatur.

1. *Judas Jeſu Chriſti* &c.] Chriſti ſervum ſe vocat, non qualiter promiſcue nomen hoc in omnes pios competit, ſed Apoſtolatus ſui reſpectu. Peculiariter enim cenſentur Chriſti ſervi, quibus publicum aliquod munus injunxit. Scimus autem quorſum hoc titulo ſe ornare Apoſtoli ſoleant. Jus ac poteſtatem docendi temere ſibi arrogat quiſquis vocatus non eſt: ergo Apoſtolis teſtimonium eſt ſua vocatio, quod non privato ſe arbitrio ingerant. Quanquam hoc ſolum per ſe non ſufficeret, in officio eſſe conſtitutos, niſi fideliter in eo ſe gererent. Et certe utrumque complectitur qui ſe Dei ſervum eſſe prædicat: nempe & ſibi functionis quam exercet, auctorem eſſe Deum, & bona fide ſe exequi quod mandatum eſt. Quia vero hunc titulum plerique mentiuntur, ac ſe falſo jactant eſſe, à quo longiſſime abſunt, ſemper videndum an res ipſa profeſſioni reſpondeat. *Frater Jacobi.* Nomen adſcripſit quod Eccleſiis magis celebre ac notum erat. Etſi enim à nemine mortalium pendet doctrinæ fides & auctoritas: magnum tamen hoc fidei ſubſidium eſt, quum nobis comperta eſt hominis integritas qui doctoris partes ſuſcipit. Adde quod Jacobi auctoritas non quaſi privati cujuſpiam hominis hic obtenditur: ſed quia apud omnes Eccleſias unus ex præcipuis Chriſti Apoſtolis habebatur. Erat autem hic Alphæi filius: quemadmodum alibi dixi. Imo locus hic mihi ſuffragatur contra Euſebium & alios, qui tradunt diſcipulum neſcio quem Obliam cognomine, illum eſſe cujus meminit Lucas Act. 15. v. 13. & 21. v. 18. qui præ Apoſtolis in illa Eccleſia excelluerit. Atqui non dubium eſt quin Judas fratrem ſuum hic nominet, quia inter Apoſtolos fama eminebat. Ergo eum fuiſſe probabile eſt cui præcipuum honorem à reliquis conceſſum narrat Lucas. *Vocatis qui in Deo.* Fideles omnes hoc nomine deſignat, quia Dominus ſibi eos ſegregavit: ſed quia vocatio nihil eſt quam externæ electionis effectus, interdum pro ea capitur. In hoc loco parum refert utrovis modo exponas. Gratiam enim Dei proculdubio commendat, qua ſibi eos in peculium cooptare dignatus eſt. Ac homines non prævenire Deum ſignificat, neque unquam ad eum accedere, donec eos traxerit. Eoſdem dicit *ſanctificatos in Deo Patre:* quod transferre licet, Per Deum Patrem. Ipſam tamen loquendi formam retinui, ut liberum eſſet judicium lectoribus. Poteſt enim & hic eſſe ſenſus, Quod in ſeipſis profani, in Deo ſanctitatem habeant. Porro ſanctificandi modus eſt, quum Spiritu ſuo nos regenerat. Altera lectio, quam ſequutus eſt Vulgaris interpres, paulo durior: ἠγαπημένοις, hoc eſt, dilectis, in Deo Patre. Itaque corruptam eſſe judico: & certe in paucis codicibus reperitur. Addit præterea *cuſtoditos eſſe in Chriſto.* Satanæ enim ſemper eſſemus in mortem expoſiti, adeoque ſingulis momentis nos centies quaſi obviam prædam raperet, niſi tuti eſſemus Chriſti præſidio: quem ideo Pater cuſtodem nobis dedit, ut nihil eorum quæ recepit in fidem ac tutelam ſuam, pereat. Triplex ergo Dei beneficium in omnibus piis hic prædicat Judas: quod eos ſua vocatione fecerit Evangelii participes: quod Spiritu ſuo regenuerit eos in vitæ novitatem: & quod per Chriſti manum eos cuſtodierit, ne à ſalute exciderent.

2. *Miſericordia vobis.*] Idem fere valet Miſericordiæ nomen, quod Gratiæ in ſalutationibus Paulinis. Siquis diſcrimen ſubtilius habere velit, proprie gratia effectus eſt miſericordiæ: quia non alia cauſa Deus nos in amorem complectitur, niſi quia miſerias noſtras reſpicit. *Dilectio* tam Dei erga homines, quam hominum inter ſe poteſt intelligi. Si ad Deum referas, ſenſus erit, Ut in illis augeſcat, & magis in dies ſanciatur in eorum cordibus divini amoris fiducia. Illud tamen alterum non male etiam quadrat, ut Deus accendat & confirmet in ipſis charitatem mutuam.

3. Dilecti, quum omne ſtudium adhiberem ad ſcribendum vobis de communi ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: ad vos hortandos ut certando adjuvetis eam, quæ ſemel tradita eſt ſanctis, fidem.

4. Subingreſſi enim ſunt quidam homines, olim præſcripti in hoc judicium, impii, Dei noſtri gratiam transferentes in laſciviam: & Deum, qui ſolus eſt Herus, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.

3. *Quum omne ſtudium.*] χρείαν ποιούμενος verti, *adhibens ſtudium.* Ad verbum ſonat, Facere diligentiam. Porro ſententiam hanc multi interpretes ita reſolvunt, quod vehemens ſtudium Judam ad ſcribendum compulerit. Quemadmodum dicere ſolemus, eos qui ſerio aliquo affectu ardent, ſibi non

 poſſe

poſſe temperare. Ergo neceſſitas ſecundum eos, in eo fuit, quod deſiderium ſcribendi non patiebatur Judam ſilere. Ego autem potius duo hic membra diſtincta eſſe puto, quod quum alioqui ſatis propenſus & ſedulo intentus ad ſcribendum eſſet, neceſſitas etiam eum coëgerit. Significat ergo ſe libenter quidem & cupide ad eos ſcribere: ſed tamen neceſſitate etiam urgeri ut id faciat: quia ſcilicet (ut in contextu ſequitur) oppugnati ab improbis, ad pugnam inſtruendi erant. Ergo hoc priore loco teſtatur Judas, ſibi tantæ curæ eſſe eorum ſalutem, ut ſcribere ultro optarit, & quidem ſtudioſe. Deinde ut illorum attentionem excitet, rem ſimul ita poſtulaſſe dicit. Acres enim ſtimulos admovet neceſſitas. Niſi præmoniti fuiſſent quantopere ſibi neceſſaria eſſet hæc cohortatio, poterant ad legendum eſſe pigri & reſides. Quum vero ex præſenti eorum neceſſitate ſe ſcribere præfatur, perinde eſt acſi claſſicum caneret excutiendo torpori. *De communi ſalute.* Quidam codices addunt, Veſtra: ſed perperam, meo judicio: nam communem illis ſecum ſalutem facit. Atque hoc doctrinæ quæ proferenda eſt, non parum addit ponderis, quum quis ex proprio ſenſu & experientia loquitur. Futilis enim erit ſermo, ſi de ſalute apud alios diſſeramus, cujus nullum ipſi habeamus guſtum. Practicum ergo (ut ita loquar) doctorem ſe profitetur Judas, quum in ejuſdem ſalutis conſortium, piorum numero ſe aggregat. *Ad vos hortandos* &c. Ad verbum eſt, Exhortans vos: ſed quum finem conſilii ſui notet, ita reſolvi debet oratio. Quod tranſtuli, *fidem certando adjuvare*, tantundem valet atque In retinenda fide eniti, & contrarios Satanæ inſultus fortiter ſuſtinere. Monet enim, ut in fide perſtent, obeunda eſſe varia certamina, ac continuam illis militiam inſtare. *Fidem* dicit *ſemel traditam*, ut ipſam ſciant hac lege ſe eſſe adeptos, ne unquam deficiant vel excidant.

4. *Subingreſſi.*] Tametſi piis ſemper infeſtus eſt Satan, eoſque ſubinde laceſſere non deſinit: eos tamen quibus ſcribit, de præſenti neceſſitate admonet. Nunc, inquit, peculiariter vos aggreditur Satan & laceſſit: ſumenda igitur arma ſunt ad reſiſtendum. Hinc colligimus, prudenter diſpiciendum eſſe bono & fido Paſtori, quid præſens Eccleſiæ uſus poſtulet, ut huc accommodet ſuam doctrinam. Verbum παρεισέδυσαν quo utitur, obliquam & furtivam inſinuationem notat, qua Satanæ miniſtri incautos decipiunt: noctu enim & dormientibus agricolis lolium ſuum ſpargit Satan, ut purum corrumpat Domini ſemen. Ac ſimul docet inteſtinum eſſe hoc malum. Nam hic quoque Satanæ aſtus eſt, ſuſcitare ad nocendum eos qui ex grege ſunt, quo facilius obrepant. *Olim præſcripti.* Judicium vocat vel damnationem, vel reprobum ſenſum quo feruntur ut pietatis doctrinam pervertant: neque enim id quiſquam facere poteſt, niſi ſuo exitio. Porro hæc metaphora inde ſumpta eſt, quod æternum Dei conſilium, quo ordinati ſunt fideles ad ſalutem, Liber vocatur. Quum autem illos morti æternæ addictos audiunt fideles, cavere ſibi debent, ne eodem ſe involvant exitio. Quanquam ſimul occurrere periculo voluit Judas, nequos rei novitas turbaret vel percelleret. Nam ſi illi jam olim deſcripti ſunt, ſequitur nonniſi certo Dei conſilio exerceri Eccleſiam. *Dei noſtri gratiam* &c. Jam qualis fuerit peſtis illa, clarius exprimit. Dicit enim gratia Domini abuſos eſſe, ut ad impuram & profanam peccandi licentiam ſe & alios proſtituerent. Atqui longe in alium finem apparuit Dei gratia, ut ſcilicet abnegata impietate & terrenis deſideriis, ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſeculo. Sciamus ergo nihil eſſe peſtilentius hoc hominum genere, qui ex Chriſti gratia laſciviendi prætextum captant. Quia gratuita Dei miſericordia nos ſalutem conſequi docemus, hujus criminis nos inſimulant Papiſtæ. Sed quid verbis refellere eorum impudentiam attinet, quum nos pœnitentiam, timorem Dei, vitæ novitatem ubique urgeamus: ipſi autem non modo peſſimis exemplis totum mundum corrumpant, ſed etiam impia ſua doctrina veram ſanctitatem, & purum Dei cultum tollant è mundo? Quanquam eos de quibus loquitur Judas, potius exiſtimo Libertinis noſtri temporis fuiſſe ſimiles, ut clarius patebit ex contextu. *Deum, qui ſolus eſt Herus.* Vetuſti quidam codices habent, Chriſtum, qui ſolus eſt Deus ac Herus. Et certe in ſecunda Petri Epiſtola ſolius Chriſti fit mentio, & illic Herus vocatur. *Chriſtum vero abnegari* intelligit, quum ii qui ſanguine illius redempti fuerant, diabolo ſe rurſus mancipantes, incomparabile illud pretium, quantum in ſe eſt, irritum faciunt. Ergo ut nos in ſuo peculio Chriſtus retineat, ideo pro nobis mortuum eſſe & reſurrexiſſe meminerimus, ut dominetur vitæ noſtræ ac morti.

5. Commonefacere autem vos volo, quum iſtud ſemel noveritis, quod Dominus poſtquam ex terra Ægypti populum ſervaverat, poſtea non credentes perdidit.

* vel, initium. 6. Angelos vero qui *principatum ſuum non ſervaverant, ſed reliquerant ſuum domicilium, in judicium magnæ diei vinculis æternis ſub caligine ſervavit.

7. Quemadmodum Sodoma & Gomorrha, & quæ circum erant urbes, quum ſimili modo ſcortatæ eſſent, & abiiſſent poſt carnem alienam, propoſitæ ſunt in exemplar, ignis æterni judicium ſuſtinentes.

5. *Commonefacere.*] Vel modeſtiæ cauſa excuſat, ne videatur tanquam rudes de rebus incognitis docere: vel certe (quod mihi magis placet) majoris vehementiæ cauſa, ſe nihil novum aut illis inauditum afferre profitetur: quo plus fidei & auctoritatis obtineat quod dicturus eſt. Ego, inquit, tantum in memoriam vobis revoco quæ jam ſemel didiciſtis. Quemadmodum vero ſcientiam illis tribuit, ut ad cavendum magis ſint attenti: ita ne ſupervacuum eſſe putent quem erga eos ſuſcipit laborem, illos monitionibus opus habere dicit. Neque enim hic tantum eſt verbi Dei uſus, ut diſcamus quæ nunquam fuimus edocti, ſed etiam ut nos excitet ad ea quæ jam tenemus, ſerio meditanda, nec torpere nos in frigida notitia ſinat. Summa autem eſt, poſtquam à Deo vocati ſumus, non ſecure eſſe gloriandum ejus gratia, ſed potius ſollicite in ejus timore ambulandum. Quia ſi quis Deo in hunc modum illudat, non impune ceſſurus ſit gratiæ ejus contemptus. Hoc tribus exemplis demonſtrat. Primo enim ultionem commemorat quam de incredulis ſumpſit Deus, quos virtute ſua redemptos in populum cooptaverat. Eadem fere comparatio eſt apud Paulum, prioris ad Cor. cap. 10. Summa eſt, quos Deus ſummis beneficiis ornaverat, quos extulerat in eundem honoris gradum quo nos hodie dignatur, poſtea ſevere ultus eſt. Ergo fruſtra Dei gratia ſuperbiunt quicunque ejus vocationi non reſpondent. Nomen *populi* honorifice capitur pro Gente ſancta & electa: acſi diceret, nihil illis profuiſſe quod ſingulari privilegio in fœdus aſſumpti eſſent. Quum *incredulos vocat*, fontem deſignat malorum omnium. Inde enim quæcunque eorum peccata Moſes commemorat, quod ſe Dei verbo regi non ſuſtinebant. Nam ubi fidei ſubjectio, neceſſe eſt ut ſimul in omnibus vitæ partibus conſtet erga Deum obedientia.

6. *An-*

6. *Angelos vero* &c.] Argumentum à majori ad minus. Angelorum enim conditio præſtantior fuit quam noſtra: & tamen eorum defectionem horribili exemplo ultus eſt Deus. Non igitur perfidiæ noſtræ ignoſcit, ſi à gratia, in quam nos vocavit, deſciverimus. Hæc certe pœna quæ cælorum incolis, & tam excellentibus miniſtris Dei inflicta fuit, aſſidue nobis ante oculos verſari debet: nequando in contemptum gratiæ Dei efferamur, unde præcipites ruamus in exitium. Ἀρχὴ hoc loco, tam pro origine quam principatu apte ſumi poteſt. Significat enim Judas, ideo pœnas dediſſe, quia ſpreta Dei bonitate, à prima vocatione exciderint. Et ſtatim ſequitur expoſitio, quum dicit, *reliquiſſe ſuum domicilium*. Nam non ſecus ac fieri ſolet à militibus transfugis, ſtatio in qua collocati erant, ab illis deſerta fuit. Notanda eſt etiam pœnæ atrocitas quam exprimit Apoſtolus. Non modo liberi erant ſpiritus, ſed cæleſtes dominationes: nunc perpetuis vinculis conſtricti tenentur. Non modo fruebantur glorioſa Dei luce, ſed ejus ſplendor in illis refulgebat: ut inde, quaſi per radios, ſe ad omnes mundi partes diffunderet: nunc ſub caligine demerſi ſunt. Porro nobis fingendus non eſt locus quo incluſi ſint diaboli. Simpliciter enim docere voluit Apoſtolus quam miſera ſit eorum conditio, ex quo propter apoſtaſiam ſua dignitate privati ſunt. Nam quocunque pergant, ſecum trahunt ſua vincula, & ſuis tenebris obvoluti manent. Interea in magnum diem, extremum eorum ſupplicium differtur.

7. *Quemadmodum Sodoma & Gomorrha.*] Hoc exemplum magis generale eſt: teſtatur enim Deum; nullo hominum genere excepto, promiſcue pœnam ſumere de omnibus impiis. Et Judas ipſe poſtea commemorat, incendium illud quo perierunt quinque urbes, typum eſſe ignis æterni. Ergo Deus tunc inſigne documentum ſtatuit, quod uſque in finem mundi in timore homines contineret. Unde toties illius fit mentio in Scriptura. Imo quoties memorabile aliquod vel tremendum Dei judicium notare volunt Prophetæ, ſub figura ignis ſulphurei pingentes, ad Sodomæ & Gomorrhæ interitum alludunt. Quare non ſine cauſa Judas propoſito ejuſmodi ſpeculo, terrorem ſeculis omnibus incutit. Quum dicit *vicinas urbes in ſimilem* cum illis *modum ſcortatas eſſe*, hoc non ad Iſraelitas & Angelos, ſed mutuo ad Sodomam & Gomorrham refero. Nec obſtat quod pronomen τούτοις maſculinum eſt: nam ad incolas potius quam ad loca Judas reſpexit. *Abire poſt alienam carnem*, poſuit pro Abripi ad prodigioſas libidines. Scimus enim Sodomitas communi ſcortandi licentia non contentos, magis execranda & præpoſtera fœditate pollutos fuiſſe. Notandum eſt quod eos ſubjicit igni æterno: nam hinc colligimus, formidabile illud ſpectaculum quod deſcribit Moſes, tantum *Gen. 19. verſ. 24.* gravioris pœnæ fuiſſe imaginem.

8. Similiter iſti quoque ſomniis deluſi, carnem quidem contaminant, dominationem vero rejiciunt, & in glorias maledicta congerunt.

9. Atqui Michaël Archangelus, quando judicio diſceptans cum diabolo, diſputabat de corpore Moſis, non auſus fuit judicium inferre contumeliæ: ſed dixit, Increpet te Dominus.

10. Iſti vero quæcunque non noverunt, convitiis inceſſunt: quæcunque vero naturaliter tanquam bruta animalia ſciunt, in iis corrumpuntur.

8. *Similiter iſti* &c.] Similitudo iſta præciſe urgenda non eſt, acſi in omnibus eos quorum meminit, Sodomitis conferret, vel Angelis apoſtatis, vel incredulo populo. Tantum indicat eſſe vaſa iræ ad interitum deſtinata, nec poſſe Dei manum effugere quin aliquando in ipſis quoque tale documentum ſtatuat. Conſilium enim ejus eſt, abſterrere pios quibus ſcribit, ne illorum conſortio ſe involvant. Porro hoc loco incipit illos impoſtores clarius deſcribere. Ac primum dicit eos velut ſomniando polluere carnem ſuam. Quibus verbis ſtupidam impudentiam notat: acſi diceret projectos eſſe ad omnem fœditatem, à qua nequiſſimi etiam abhorrent, niſi ſomnus pudorem adeoque ſenſum tollat. Eſt igitur metaphorica loquutio, qua ſignificat ipſos tam eſſe hebetes, ut ſine ulla verecundia ad omnem turpitudinem ſe proſtituant. Notanda autem eſt antitheſis, quum dicit eos *carnem contaminare*: hoc eſt, quod minus præſtantiæ habet, dehoneſtare, & tamen ſpernere quaſi probroſum, quod in genere humano maxime excellit. Ex hoc ſecundo membro apparet, fuiſſe tumultuoſos homines qui anarchiam quærerent, ut ſoluti legum metu, liberius peccarent. Atque hæc duo ſemper fere conjuncta ſunt: ut qui projecti ſunt ad nequitiam, ſimul omnem ordinem abolitum eſſe cupiant. Porro tametſi hic erat eorum ſcopus, abſque jugo exultare: apparet tamen ex Judæ verbis, proterve eos & contumelioſe de Magiſtratibus loqui ſolitos. Quemadmodum hodie fanatici homines non tantum fremunt ſe cohiberi Magiſtratuum imperio, ſed furioſe adverſus omnem politiam declamitant: jus gladii profanum eſſe dicunt & pietati adverſum: denique ex Eccleſia Dei Reges & omnes Magiſtratus ſupercilioſe abdicant. *Glorias* vocat ordines excellentia præditos, & qui honore ſupereminent.

9. *Atqui Michaël Archangelus.*] Brevius hoc argumentum Petrus & in genere perſtringit, quod Angeli, qui longe præſtant hominibus, non tamen audeant contumelioſum judicium inferre. Porro quia hanc hiſtoriam ex libro apocrypho ſumptam putarunt, inde factum eſt ut minus ponderis haberet Epiſtola. Sed quum Judæi tum multa habuerint ex patrum traditionibus, nihil abſurdi eſſe video, ſi dicamus Judam retuliſſe quod jam à multis ſeculis fuerat per manus traditum. Scio equidem multas ineptias hoc titulo receptas fuiſſe: quemadmodum hodie Papiſtæ quælibet inſulſa monachorum deliria hoc catalogo recenſent. ſed hoc non obſtat quin hiſtorias quaſdam habuerint ſcriptis non proditas. Hoc extra controverſiam eſt, Moſen à Domino ſepultum eſſe, hoc eſt, certo Dei conſilio occultum fuiſſe ejus ſepulchrum. Abſconditi autem ſepulchri cauſa nemini obſcura eſt, ne ſcilicet corpus ejus in ſuperſtitionis materiam abducerent Judæi. Quid ergo mirum ſi Prophetæ corpus divinitus abſconditum, Satan in medium proferre conatus eſt? Angeli autem contra obſtiterunt: ſicuti eorum miniſterium ſemper Deo promptum eſt. Et certe videmus Satanam omnibus fere ſeculis hunc lapidem moviſſe, ut corpora ſervorum Dei, totidem ſtultis hominibus idola eſſent. Quare ob hoc teſtimonium, quamvis in Scriptura non reperiatur, ſuſpecta nobis eſſe hæc Epiſtola non debet. Quod Michaël adverſus Satanam diſceptans ſolus inducitur, novum non eſt. Scimus Angelorum myriadas præſto ſemper eſſe ad Dei obſequium: ſed ipſe ad res gerendas hunc vel illum cum delectu adhibet, prout placuit. Quod à Michaële dictum refert Judas, apud Zachariam quoque *Zach. 3.* habetur, Increpet te Deus: vel, Compeſcat Satan. *verſ. 2.* Eſt autem comparatio majoris & minoris, ut vocant. Non auſus eſt Michaël atrocius maledicere Satanæ (qui tamen reprobus eſt ac damnatus) quam ut illum Deo cohibendum traderet: iſti autem

pote-

poteſtates, quas ſingulari honore ornat Deus, extremis probris inceſſere non dubitant.

10. *Quæcunque non noverunt.*] Significat eos nihil niſi craſſum & quaſi pecuarium ſapere, ideoque non percipere quid honore dignum ſit: tamen accedere hanc inſanam audaciam, ut damnare non vereantur quæ captum eorum ſuperant. Item diverſo vitio laborare, quod quum pecudum more ad ea ferantur quæ ſenſibus corporis ſe ingerunt, in illis nihil ſervent modeſtiæ: ſed ſe penitus ingurgitent, non ſecus ac porcus in luti fœtorem ſe provolvit. Adverbium *naturaliter*, rationi & judicio opponitur. Solus enim naturæ impetus in brutis animalibus regnat: ratio autem hominibus moderari debet, & eorum appetitus frenare.

a Gen. 4. verſ. 12.
b Nu 22. verſ. 23.
c Nu. 16. verſ. 1.
d vel, vobiſcum.

11. Væ illis, quoniam [a] viam Cain ingreſſi ſunt: & [b] deceptione mercedis Balaa meſfuſi ſunt: & [c] contradictione Core perierunt.

12. Hi ſunt in fraternis veſtris conviviis maculæ, [d] inter ſe convivantes, ſecure paſcentes ſeipſos: nubes aqua carentes, quæ à ventis circumaguntur: arbores autumni emarcidæ, infrugiferæ, bis emortuæ, & eradicatæ:

13. Undæ efferatæ maris, deſpumantes ſua ipſorum dedecora: ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt.

11. *Væ illis*, &c.] Mirum eſt cur eos tam dure inſectetur, quum ne adverſus Satanam quidem contumeliæ judicium Angelo permiſſum fuiſſe nuper dixerit. Sed noluit generalem regulam præfigere: tantum Michaëlis exemplo breviter oſtendit quam intolerabilis ſit iſtorum furor, dum petulanter conviciis proſcindunt quod Deus honorat. Licebat certe Michaëli, ultimo anathemate fulminare in Satanam: & videmus quam vehementer inſurgant interdum Prophetæ contra impios: ſed quum Michaël ab extrema ſeveritate (alioqui licita) abſtineat, quam furioſum eſt erga creaturas gloria excellentes nullum modum tenere? Cæterum quum de illis pronunciat, non tam illis malum imprecatur, quam præmonet qualis illos exitus maneat. Idque facit ne quem incautum ſecum in perniciem rapiant. Dicit eos imitatores eſſe *Cain*, qui Deo ingratus, cultum ejus impio & ſcelerato corde pervertens, jus primogenituræ ſibi abdicavit. Dicit inſtar *Balaam* mercede fuiſſe deceptos, quia pietatis doctrinam turpis lucri gratia adulterant. Sed metaphora qua utitur, aliquanto plus exprimit. Dicit enim *effuſos eſſe*: quia ſcilicet inſtar aquæ diffluentis projecta ſit eorum intemperies. Tertio dicit eos imitari *contradictionem Core*: quia ſcilicet bene compoſitum Eccleſiæ ſtatum perturbent.

12. *In fraternis conviviis maculæ.*] Qui legunt, Inter charitates veſtras, non ſatis germanum ſenſum (meo judicio) explicant. Nam ἀγάπαις vocat convivia quæ inter ſe agitabant fideles, fraternæ unitatis teſtandæ cauſa. Tales epulas dehoneſtari dicit ab impuris hominibus, qui diſſolute poſtea ſeipſos paſcunt. Erat enim illic ſumma frugalitas & moderatio. Fas ergo non erat, gurgites illuc admitti, qui poſtea intemperanter abdomen ſuum alibi replerant. Nonnulli codices habent, Convivantes vobiſcum: quæ lectio ſi magis placeat, ſenſus erit, illos non dedecori modo eſſe, ſed graves ac moleſtos, ut qui publicis Eccleſiæ ſumptibus ventrem ſuum intrepide farcirent. Paulo aliter Petrus, qui eos in erroribus deliciari ſcribit, & una cum grege fidelium veſci. acſi diceret, inconſiderate facere eos qui tam noxios ſerpentes alunt: & bis ſtultos, qui profuſæ eorum luxuriæ indulgent. Atque hodie utinam plus judicii in quibuſdam bonis viris foret, qui dum erga improbos nimis benigni eſſe appetunt, magnum toti Eccleſiæ damnum afferunt. *Nubes aqua carentes.* Duas ſimilitudines quæ habentur apud Petrum, in unam colligit, eodem tamen ſenſu. Vanam enim oſtentationem uterque taxat: quia nebulones iſti quum multa promittant, intus tamen aridi ſunt atque inanes. Quemadmodum nubes procellis agitatæ, ſpem pluviæ faciunt, ſed ſtatim evaneſcunt in nihilum. Petrus addit ſicci & vacui fontis ſimilitudinem. Judas autem plures metaphoras in eundem finem congerit: quod *arbores* ſint *emarcidæ*, quemadmodum autumno defluit arborum vigor. poſtea vocat arbores *infrugiferas, eradicatas, & bis emortuas*. Acſi diceret, nihil intus eſſe ſucci, utcunque appareant folia.

13. *Undæ efferatæ maris.*] Quorſum hoc additum ſit, melius ex Petri verbis colligere licet: nempe quod inflati ſuperbia, magniloquo ſtylo verborum ampullas efflant, vel potius deſpumant. Interea adeo nihil afferunt ſpirituale, ut potius homines dejiciant ad brutorum animalium ſtuporem. Tales (ut prius dictum eſt) hodie ſunt fanatici homines qui ſe Libertinos vocant. Dicas mera eos tonitrua ſonare: nam communi ſermone ſpreto, exoticum neſcio quod idioma ſibi fingunt: poſtquam viſi ſunt ſuos diſcipulos ſupra cælum rapere, repente in belluinos errores procidunt. Fingunt enim innocentiæ eſſe ſtatum, ubi nullum diſcrimen eſt turpis & honeſti: fingunt ſpiritualem eſſe vitam, dum extincto metu, ſecure ſibi quiſque indulget: nos fieri deos, quia ſpiritus ex corporibus migrantes Deus abſorbeat. Quo majore ſtudio ac reverentia colenda eſt Scripturæ ſimplicitas, ne argutius quam par eſt philoſophando, non cælo appropinquemus, ſed potius in multiplices labyrinthos mergamur. Ideo *ſtellas erraticas* vocat, quia evanida lucis ſpecie oculos perſtringant.

14. Prius autem etiam de iis vaticinatus eſt ſeptimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis:

15. Ut faciat judicium adverſus omnes, & redarguat ex eis omnes impios de factis omnibus impietatis quæ impie patrarunt, deque omnibus duris quæ loquuti ſunt adverſus Deum peccatores impii.

16. Hi ſunt murmuratores, queruli, juxta concupiſcentias ſuas ambulantes, & os illorum loquitur tumida, admirantes perſonas, utilitatis gratia.

14. *Prius autem* &c.] Vaticinium hoc potius ἄγραφον fuiſſe puto, quam ex apocrypho libro adductum. Fieri enim poteſt ut dictum hoc memorabile veteres commendarint poſteris. Siquis roget, quum paſſim occurrant in Scripturis non abſimiles ſententiæ, cur non ex aliquo Propheta ſcriptum teſtimonium citaverit: ſolutio in promptu eſt, voluiſſe ab ultima vetuſtate repetere quid Spiritus de illis pronunciaverit. atque hoc verba ſonant. *Septimum* enim ab Adam nominatim dicit, ut vaticinii antiquitatem commendet: quod ſcilicet jam priore mundo extiterit. Quod autem prophetiam hanc dixi ex relatu notam fuiſſe Judæis, ſiquis aliter ſenſit, non contendo: ſicut nec de Epiſtola quidem, ſitne Judæ, an alterius cujuſ-

cujuſpiam. tantum in rebus dubiis quod probabile eſt, ſequor. *Ecce venit.* Præteritum loco futuri, more Prophetico. Dicit venturum *in ſanctorum millibus*: ſub quibus verbis tam fideles quam Angelos deſignat. Nam ornabunt utrique Chriſti tribunal, quum ad judicandum orbem deſcendet. Millia dicit,
Dan. 7. vers. 10. quemadmodum & Daniel Angelorum myriadas prædicat: ne impiorum multitudo, quaſi violentum mare, filios Dei abripiat, dum fore cogitant ut ſuos aliquando colligat Dominus: quorum pars in cælo habitans, nunc oculos noſtros fugit, pars ſub ingenti paleæ cumulo obruta latet. Quæ autem reprobis impendet vindicta, electos in metu & ſollicitudine continere debet. Loquitur de factis & dictis, quia iſti corruptores non tantum ſcelerata vita, ſed impuro & perverſo ſermone plurimum nocebant. *Duros* autem vocat ſermones, ob præfractam audaciam, qua elati, ſe petulanter ingerunt.

16. *Hi ſunt murmuratores.*] Qui ſibi in pravis cupiditatibus indulgent, ſimul difficiles ſunt ac moroſi, ut illis nunquam ſatisfiat: hinc fit ut ſemper obmurmurent ac querantur, quantumvis ſe illis benigne probi homines impendant. Magniloquentiam taxat, quod ſeipſos faſtuoſe jactent: ſed interea oſtendit illiberali eſſe ingenio, quia ſerviliter ſe demittant lucri gratia. Ac vulgo hæc inæqualitas perſpicitur in ejuſmodi nebulonibus. ubi nemo eſt qui eorum inſolentiam reprimat, vel nullus eſt reſpectus qui obſtet, intolerabilis eorum eſt ſuperbia: adeo imperioſe quidvis ſibi arrogant. Quos autem metuunt, vel à quibus ſperant aliquid commodi, iis ſordide blandiuntur. *Perſonas* accipit pro externa magnitudine vel potentia.

* vel, *eſtote.* 17. Vos autem, dilecti, memores * eſtis verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti: nempe

† vel, *venturos.* 18. Quod vobis dixerunt, ultimo tempore † futuros deriſores, qui ſecundum concupiſcentias ſuarum impietatum ambularent.

19. Hi ſunt qui ſeipſos ſegregant, animales, Spiritum non habentes.

17. *Vos autem.*] Vetuſtiſſimæ prophetiæ nunc Apoſtolorum monitiones, quarum recens erat memoria, ſubjicit. Verbum μνήσθητε, non multum refert, indicativo an hortandi modo legas: manet enim idem ſenſus, Prædictione quam citat, munitos, non debere percelli. *Tempus ultimum* intelligit, quo renovata Eccleſiæ conditio, fixum ſtatum accepit uſque in finem mundi. Cœpit autem à priore Chriſti adventu. *Deriſores* vocat, more Scripturæ, qui impio & profano Dei contemptu inebriati, in belluinum numinis contemptum proſiliunt: ita ut nulla eos religio contineat amplius in officio: quia nullus hæret futuri judicii metus in eorum animis, nulla ſpes æternæ vitæ. Quemadmodum hodie paſſim Epicureis Dei contemptoribus mundus ſcatet, qui excuſſa prorſus omni reverentia, furioſe totam pietatis doctrinam quaſi fabuloſam ſubſannant.

19. *Qui ſeipſos ſegregant.*] Nonnulli codices Græci participium abſolutum habent. Alii addunt ἑαυτοὺς: ſed eodem fere ſenſu. Intelligit enim eos diſceſſionem facere ab Eccleſia, quoniam diſciplinæ jugum ferre nequeant, ut qui carni addicti, à ſpirituali vita abhorreant. *Anima* hic Spiritui, hoc eſt, renovationis gratiæ opponitur: ideoque vitioſum ingenium ſignificat, quale eſt in hominibus nondum regenitis. Nam in hac degenere natura, quam ab Adam trahimus, nihil niſi craſſum eſt ac terrenum: ut nulla pars noſtri ad Deum aſpiret, donec renovati ſimus ejus Spiritu.

20. Vos autem, dilecti, ſanctiſſimæ veſtræ fidei voſmet ſuperſtruentes, in Spiritu ſancto precantes,

21. Voſmet in charitate ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.

22. Et hos quidem miſeramini, dijudicantes:

23. Illos vero per timorem ſervate, ex incendio rapientes, odio proſequentes etiam maculatam à carne tunicam.

* vel, *eos.* 24. Ei autem qui ſervare poteſt * vos à peccato immunes, & ſtatuere in conſpectu gloriæ ſuæ irreprehenſibiles cum exultatione,

25. Soli ſapienti Deo, Servatori noſtro, gloria & magnificentia, & imperium, & poteſtas, nunc, & in omnia ſecula. Amen.

20. *Vos autem,* &c.] Modum oſtendit quo omnes Satanæ machinas disjicere queant: nempe ſi charitatem habentes fidei annexam, quaſi in cuſtodia excubent uſque ad Chriſti adventum. Verum, ut creber eſt ac denſus in metaphoris, ſuas hic quoque loquendi formas habet, quæ breviter notandæ ſunt. Jubet primo loco ut ſe *fidei ſuperſtruant.* quo ſignificat, retinendum eſſe fidei fundamentum: ſed primam inſtitutionem non ſufficere, niſi aſſidue ad profectum contendant, qui in recta fide jam ſunt fundati. *Sanctiſſimam* appellat eorum *fidem*, ut ſolide in eam recumbant, ejuſque firmitudini innixi, nunquam vacillent. Sed quum tota hominis perfectio in fide conſiſtat, abſurdum eſſe videtur quod ſuperſtruere aliud ædificium jubet, quaſi fides tantum inchoët hominem. Hanc quæſtionem ſolvit Apoſtolus quum ſtatim addit, Ædificari homines ſuper fidem, addita charitate. niſi forſan ita accipere quiſpiam malit, homines fidei ſuperſtrui, quoad in ea proficiunt. Et certe quotidiani fidei progreſſus efficiunt, ut ipſa in juſtum ædificii modum aſſurgat. Hoc modo præciperet Apoſtolus, in fide creſcendum eſſe, inſtandum precibus, & charitate retinendam eſſe vocationem. *In Spiritu ſancto precantes.* Hæc perſeverandi ratio, ſi Dei virtute inſtructi ſimus. Ergo quoties de fidei conſtantia agitur, ad preces confugiendum eſt. Quia autem perfunctorie vulgo oramus, addit, In Spiritu: acſi diceret, Tantam eſſe pigritiam, tantumque frigus carnis noſtræ, ut rite orare nemo queat niſi Spiritu Dei excitatus: ſic ad diffidentiam & trepidationem nos eſſe proclives, ut nemo Deum vocare Patrem auſit, niſi illo eodem Spiritu dictante. nam hinc ſollicitudo, hinc ardor & vehementia, hinc alacritas, hinc fiducia obtinendi, hinc denique gemitus illi inenarrabiles quorum meminit Paulus Rom. 8. v. 26. Ergo non abs re Judas docet neminem poſſe orare ut oportet, niſi directore Spiritu.

21. *Voſmet in charitate ſervate.*] Charitatem velut cuſtodem ac præſidem vitæ noſtræ ſtatuit: non ut eam opponat Dei gratiæ, ſed quia hic rectus vocationis noſtræ curſus eſt, ſi pergimus in charitate.

Quoniam vero multa nos ad defectionem ſollicitant, ut difficile ſit nos ſervare Deo uſque in finem integros: ad ultimum diem fideles revocat. Sola enim ejus expectatio ſuſtinere nos debet, ne unquam animos deſpondeamus: alioqui ſingulis momentis deficere neceſſe erit. Notandum autem quod vitam æternam noo vult ſperati, niſi ex Chriſti miſericordia. Nam ita judex noſter futurus eſt, ut gratuitum redemptionis à ſe partæ beneficium pro judicandi regula habeat.

22. *Hos quidem miſeramini.*] Adjungit alteram exhortationem, qualiter ſe gerere debeant fideles in corrigendis fratribus, ut eos ad Dominum reducant. Varie autem tractandos eſſe admonet: unumquemque ſcilicet pro ſuo ingenio. nam erga manſuetos & dociles clementia utendum eſt. Aliorum major eſt duritia: ergo terrore ſubigendi ſunt. Hæc eſt dijudicatio cujus meminit. Participium διακρινόμενοι, neſcio cur Eraſmus paſſive reddere maluerit, quum ſit ambiguum: activa autem ſignificatio contextui longe melius quadret. Summa ergo eſt, Si volumus errantium ſaluti conſulere, conſiderandam eſſe cujuſque naturam: ut qui mites ſunt ac tractabiles, placide revocentur in viam, tanquam digni miſericordia: ſiquis autem contumax eſt, ſeverius corrigatur. Et quoniam odioſa fere eſt aſperitas, eam neceſſitate excuſat, quod aliter ſervari nequeant qui non ſponte ſequuotur bona conſilia. Porro eleganti metapbora utitur. Nam ubi eſt incendii periculum, violenter rapere non dubitamus quem cupimus habere incolumem: neque enim ſufficeret innuere digito, vel blande manum porrigere. ſic etiam curanda eſt eorum ſalus, qui ad Deum, niſi duriter tracti, non venirent. Longe differt Vetus interpretatio: quæ tamen lectio in multis codicibus Græcis invenitur. Arguite dijudicatos, inquit Vetus interpres. Sed prior ille ſenſus melius congruit: &, meo judicio, verus eſt ac genuinus. Servandi verbum, ad bomines transfertur: non quod auctores ſint ſalutis, ſed miniſtri.

23. *Odio proſequentes.*] Locus hic, qui obſcurus alioqui videtur, nihil habebit difficultatis, metaphora bene explicata. Vult fideles non tantum cavete à vitiorum contactu: ſed nequa ad eos contagio pertingat, quicquid affine eſt ac vicinum, fugiendum eſſe admonet. Quemadmodum ſi de impudicitia ſermo babetur, dicemus tollenda eſſe omnia libidinum irritamenta. Id etiamnum clarius fiet ſi impleatur oratio: nempe ut oderimus non carnem modo, ſed tunicam, quæ ejus contactu infecta ſit. nam particula καὶ, ad amplificationem valet. Malum igitur adeo non permittit indulgentia foveri, ut omnes præparationes, omniaque acceſſoria (ut vocant) potius teſecari jubeat.

24. *Ei autem qui ſervare.*] Claudit Epiſtolam, Dei laude: in qua oſtendit nihil poſſe exhortationes noſtras, nec ſtudia, niſi ex Dei virtute effectus proveniat. Quædam exemplaria habent, Eos. Quam lectionem ſi recipimus, ſenſus erit, Veſtrum quidem eſt conari ut ſalvi fiant: ſed Dei ſolius eſt hoc præſtare. Mihi tamen altera lectio magis placet: in qua etiam eſt alluſio ad ſuperiorem ſententiam. Poſtquam enim fideles hortatus eſt ad ſervandum quod periit: ut intelligant conatus omnes fore irritos, niſi Deus operetur; oe ipſos quidem aliter ſervari poſſe teſtatur, niſi Dei virtute. Quanquam in boc poſteriore membro aliud eſt verbum, φυλάξαι ſcilicet, quod cuſtodiam ſonat: ita ad remotius illud membrum reſpiceret, ubi dixit, Vos ſervate, vel cuſtodite.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum & locorum inſignium quæ his vel EPISTOLIS CATHOLICIS vel JOAN. CALVINI in eaſdem Commentariis continentur.

Prior numerus, paginam; alter, capitis verſiculum indicat: quibus quandoque additur nota columnæ, a. prioris, b. poſterioris. Sed corrigat, quæſumus, ipſe Lector ſuper ipſos Commentarios quarundam paginarum numeros, nempe in ternario D. à pag. 35. uſque ad 48. & benè ſe Index habebit.

A

ABire poſt alienam carnem quid, 105. 7
Ablutiones olim cur inſtitutæ, 75. 6
Abnegare Chriſtum qui dici poſſint, 104. 4
Abnegatio Chriſti multiplex, 59. 1
Abnegatione noſtri, nos in ſacrificium offerimus, 11. 5
Abrahæ filii genuini, qui in Chriſtum credunt, 13. 9
Abrahæ opera in juſtitiam fuiſſe imputata, Jacobi teſtimonio quam male probari poſſit, 90. 21
Abrahæ nomen ex re ipſa impoſitum, 62. 1
Abuſus libertatis, 15. 13. & 43. 19
ἀγαπητοὶ, quid, 93. 16
Accedere ad Deum qua conditione, & in quem finem nos oporteat, 20. 7
quocunque Accedit Deus, præſentiæ ſuæ odore omnia ſanctificat, 37. 18
Acceſſus ad Deum cum bonitatis ejus guſtu conjungitur, 11. 3. & 8. 20
Acceptio perſonarum quæ damnanda, 87. ante 1. verſ.
Accingere ſe ad iter, loquutio unde deducta, 6. 13
Acquieſcere in bonis abſconditis, fidei natura, 31. 1
Adire ſæpius Deum, non metuendum, 82. 5
Admonitionum quis uſus, & quam nobis neceſſarius, 44. 1
Adoleſcentiæ vitia, 57. 13
Adoptio piorum gratuita, 61. 1. unica ſalutis noſtræ cauſa, 62. 1
Adoptionis jus quomodo fide conſequamur, 84. 18
Adventus Chriſti quanta cum attentione fidelibus expectandus, 48. 10
Adventus Chriſti cauſa, 69. 2
Adventus Chriſti fidem dum convellit Satan, Eccleſiæ jugulum recta petit, 45. 4. tempus, proprium ungendo Sancto ſanctorum, 59. 20. id cur nonnulli prævertere cupiant, 45. 8
Adventum ſuum cur Chriſtus differat, ibid. 9
Adventum Chriſti jam ſuo tempore inſtare, quo ſenſu Joannes dixerit, 58. 18
Advocatus noſter apud Patrem Chriſtus, 53. & 54. 1
Advocatus pro nobis apud Deum nemo eſſe poteſt, qui non ſit idem Sacerdos, 54. 1. b
Advocati muneri apud Deum obeundo, nemo præter Chriſtum par eſſe poteſt, ibid. a
Advocati munus Chriſto quomodo Papiſtæ concedant, ibid. a. b
Advocato Sancti omnes qui ſunt, erunt vel fuerunt, opus habent, ibid. a
Ædificii metaphora trita, quum de politico vel ſpirituali regimine agitur, 15. 7
Ægrotis quomodo remittebantur peccata, ſuper quos presbyteri orabant, 100. 14, 15
Ægyptii ineptias ſuas ſibi Divinitus revelatas eſſe mentiebantur, 70. 6
Æmulandus in ſuis factis Chriſtus quomodo ſit, 17. 21
Æmulatio amara ubi & quando regnet, 93. 14. hypocritarum contrarios ſapientiæ effectus parit, 93. 16
Æquabilitas in dilectione proximi ſervanda, 88. 10
Æqui inter ſe fideles ut eſſe debeant, 98. 9
Ærumnæ, exercitia fidelibus utilia in ſalutem, 3. 6
Ærumnis multis premi Chriſtianos prius oportet, quam gloria fruantur, 5. 11. variis quum à Deo fideles probantur, beati, 99. 10
Ætatis non modo ſuæ, ſed & poſteritatis Apoſtoli rationem habuerunt, 36. 14
in Ætates tres, vitæ humanæ partitio, 57. 13. a
Affectus carnis cum judicio Dei quam non conſentiant, 18. 23. a
Afflictiones æquo animo ferendæ, 83. 12. à fine æſtimandæ, 99. 11. noſtræ in Chriſto conſiderandæ, 5. 11. Chriſtianorum cur miſeræ dici non debeant, 99. 10. & 11. piis quam utiles, 81. 3. & 100. 13. unde ſalutares fidelibus eſſe Jacobus colligat, 99. 10
Afflictionum finis in Prophetis conſiderandus, ibid.
in Afflictionibus gloriam intueri volentes in Chriſtum conjiciant oculos neceſſe eſt, 3. 7
ἁγνεία, quid, 106. 12
Agricolæ ſimilitudo expectantis fructum ſementis, quam terræ mandavit, 98. 7
Agrippa homo Lucianicus & impius, 10. 25. a
ἀλλοτριοεπίσκοπος, quis dicatur, 29. 15. b
Amandum opere, non lingua, 66. 17. & 18
Amare Deum nemo poteſt, qui proximum oderit, 73. 19. & 20
Ambulare poſt carnem quid, 41. 10. a
Amicitia mundi quæ dicatur, 94. 4
Amor cum reverentia conjunctus eſſe debet, 20. 7. a.
Amor Dei mirus erga humanum genus, 48. 9. erga nos non alibi quam in Chriſto quærendus, 57. 17. bonorum omnium quibus fruimur, unica cauſa, 70. 9. juſtitiam requirit, 71. 10. b
Amor Dei perfectus, ſermonis ejus legitima obſervatio, 55. 5. b. probe cognitus, animos tranquillat, 73. 18. b
Amoris divini erga nos fructus, 72. 17. a
Amor mundi adulterio comparatur, 94. 4. à nobis rejiciendus, ut in nobis regnet Dei amor, 57. 15
Amor noſter erga proximos non mercenarius, ſed gratuitus eſſe debet, 9. 22. & 66. 16
Amor noſtri, ſimulatione plenus, 9. 22. b
Anabaptiſtarum delirium de fidelium angelica puritate in hoc mundo, 64. 8
ἀναστροφὴν mundo inducere nemo poteſt quin ἀφθαρσίαν induat, 41. 10. b
Angeli apoſtatæ è cælo præcipites acti, nunc perpetuis vinculis conſtricti tenentur, 105. 6
Angelorum defectionem quam horribili exemplo Deus ultus ſit, ibid.
de Angelorum lapſu ſobrie philoſophandum, 40. 4
Angelos de Magiſtratibus contumelioſum ferre judicium cur Petrus neget, 41. 11
Animæ ornatus, 19. 4. puritas à Spiritu Sancto, 9. 22. ſalus quàm pretioſa, 101. 20. hoſtes ſponte admittimus, quum ſedulo à corporis hoſtibus cavcamus, 14. 11
Animam eripit ex morte æterna, qui fratrem errantem reducit in viam, 101. 20
Animarum Epiſcopus & Paſtor Chriſtus, 18. 25
Animas piorum, poſtquam è corporibus migrarant, in carcere cur Petrus collocet, 24. 19
Antichriſtus an unus tantum homo futurus ſit, 58. 18
Antichriſtus ex Pauli deſcriptione agnoſcendus, ibid. Ejus adventum quam ſtolidè Papiſtæ expectent, ib. ſunt membra, qui Papalium legum laqueos ſponte induunt, 96. 12. notæ in Papa manifeſtæ, 58. 18
de Antichriſti regno trita olim ac celebris doctrina, 69. 3
Antichriſtum qualem Papiſtæ imaginati ſint, 58. 18
Antichriſtum venturum, & jam eſſe in mundo, quo ſenſu Joannes dixit, 69. 3
Antichriſti quicunque Chriſtum evertere conantur, 60. 22. a
Antichriſtos multos fore, quo ſenſu Joannes dixerit, 58. 18
Antiquitas impedire nos non debet, quin libere veritatem à mendacio diſcernamus, 68. ante 1
ἀντίτυπον corporis Chriſti, panem myſticum ſacræ Cœnæ Græci ſcriptores quomodo vocent, 24. 21
Apologiæ nomine quo ſenſu Petrus uſus ſit, 22. ante 16
Apoſtaſia peccatum ad mortem, 78. 16. b
Apoſtata unus plus turbarum quam mille extranei, in Eccleſia excitat, 59. 19
Apoſtatæ an fuerint Eccleſiæ membra, ibid.
Apoſtoli quamvis mortui ſint, vivit tamen, ac viget eorum doctrina, 36. 14
per Apoſtolos & Prophetas Deus nobis loquutus, 10. 25. b
Aqua & ſanguis in Lege quid deſignabant, 75. 6
Aquam & ſanguinem è latere Chriſti manaſſe, pro miraculo habendum, ibid.
Aquis Deus uſus ad perdendum mundum, 45. 5
Arbitrio ſuo omnes alios vivere quiſque vult, 95. 11
in Arca conſtruenda, Noe ſedulitas, 24. 20
Architecti à Davide dicuntur, quibus commiſſa eſt gubernandi cura & poteſtas, 13. 7
Arrius hæreticus, 58. 18. b
Aſpectus Chriſti aliter fidelibus, aliter infidelibus futurus, 62. 2. b
Aſpectus Dei an in totum nobis hic adimatur, ibid.
Aſperſionis veteris ritus, 1. 1. b
Audiendi omnes promiſcue non ſunt, 68. 1. b
Auguſtini diſputationes de forma qua ſe videndum Deus exhibiturus eſt, 62. 2. b
Aurum bifariam probatur igni, 3. 7
Auri uſus an prorſus damnandus, 19. 3
Auſteritas manſuetudini contraria, & qui ex ea fructus naſcantur, 93. 14
Auxilium Dei nobis non defuturum ſi locum illi demus, 6. 13. b. & 95. 8

B.

BAbylonis nomine Romam notari, quam male veteres arbitrati ſunt, 33. 13
Babylone ſcripta Petri Epiſtola non Romæ, 34. 13
Balaam ab aſina convictus amentiæ, 42. 14. b
Balaam quo jure, Prophetæ titulo inſigniatur, ibid.
Baptiſmus noſter quo ſenſu Baptiſmo Noe ἀντίτυπος à Petro dicatur, 24. 21
Baptiſmus, quibuſdam literalis tantum, 25. 21. a. præcipua ſui parte ſpiritualis, ibid. cur ſpirituale lavacrum, ibid.
Baptiſmi vis ac rectus uſus, ibid.
in Baptiſmi legitima adminiſtratione Papiſtarum abuſus, ibid.
in Baptiſmo externum ſymbolum an ſufficiat, 24. 21
in Baptiſmo, quid ſignum, quid res, ibid.
Baſilides hæreticus & antichriſtus quidam, 58. 18
Beati qui dici poſſint, 83. 12
Beatitudo filiorum Dei poſt mortem qualis, 40. 4. b
Benedicere pro benè precari, 20. 9
Benedicit Deus alio modo quam homines, 21. 9. b
quum Benefacimus proximis, quid nobis conſiderandum, 27. 10. & 66. 17
Benefacere, Deo naturale, 84. 18
Beneficentia liberaliter & hilari animo colenda, 27. 9
Beneficentiæ externæ commendatio, 66. 17
Beneficium Dei triplex in omnibus piis, 103. 1. b
Beneficia omnia quibus Deus nos afficit, quo tendant, 14. 9
Beneficiorum Dei agnitio, ad ſuſtinenda militiæ ſpiritualis certamina nos comparat, 2. 3
Bonitas Dei incomparabilis erga nos, 14. 9
Boni ſummi definitio Platonica, 36. 4
Bonum omne à Deo eſt, 33. 10
Bonorum paucitas, 24. 19, 21

C.

CÆſar, Rex à Petro dicitur, 15. 13. & 16. 17. b
Canes qui dici poſſint, 44. 22
Canis reverſus ad proprium vomitum, Proverbium, ibid.
Canities non eſt ſapientia, 31. 1
Capillos arte criſpare, vel torquere, mulieres vetantur, 19. 3
Captiones impiorum & impolluras effugiendi modus, 42. 14
in Carcere animas piorum, poſtquam à corporibus migrarant, cur Petrus collocet, 24. 19
Caro pro externo homine, 27. 6. pro tota hominis natura corrupta, 58. 16. pro vita præſenti, 26. 2
Carnis nomen bis poſitum diverſo ſenſu, 25. 1. b
Carnis deſideria quid, & quomodo Sophiſtæ interpretentur, 14. 11
à Carnis deliciis mentes extricandæ niſi velimus in pecudes degenerare, 42. 13
Carpocrates hæreticus, 59. 22
Caſtigationum prima exempla in populo ſuo ſemper Deus edidit, 29. 17
Cathedræ Petri nomen quam ambitioſe Papiſtæ retineant, 34. 13
Catonis locus, 19. 4
Cavillum eorum qui reſurrectionis fidem labefactare conantur, 45. 4
Cauſa noſtra non laborandum, ut de nobis homines bene ſentiant, ſed quærenda Dei gloria, 14. 12
Cauſam ſuam Patri quomodo Chriſtus commendaverit, 18. 23
Cenſorum hypocriſis perſtringitur, 91. 2. b
Ceremoniæ veteres quorſum præcipue tenderent, 75. 6
Cerinthus Antichriſtus quidam, 58. 18. & 59. 22
Cerinthus & Carpocrates Chriſti titulum dabant Filio Dei, ſed purum fingebant hominem, 59. 22
Certamina fidelium adverſus mundum & carnem, 69. 4
ad Certandum adverſus Satanam, duo tenenda, 79. 19
Charitas quomodo dicatur à Salomone tegere peccata, 27. 8. & 102. 20. quomodo ſit fidei acceſſio tantum vel adminiculum, 66. 19. fidei conjuncta, 72. 16. & 73. 1. & 107. 20. vera quæ ſit, 74. 2. ad totum humanum genus ſe extendit, 16. 17. b. inter nos ita coli debet, ut Deus præferatur, 74. 2. unica regula ad quam exigenda eſt vita, 56. 9. præcipuus fructus Spiritus, & certum regenerationis ſymbolum, 65. 14. & 72. 12. quomodo mandatum vetus, 55. 7. quomodo novum, 55. 8. Dei, fratrum amorem in nobis generat, 66. 17
Charitatis commendatio, 27. 8. & 32. 6. & 55. 7, 8. & 56. 9. & 65. 12, 14. & 66. 16. & 67. 23. & 73. 19, 21. & 86. 27. & 103. 2. & 107. 21. fructus eximius, 102. 20. gradus, 16. 17. & 74. 1. officia, 66. 17. & 89. 15. fraternæ, prætérito Dei amore, cur ſæpius fiat mentio, 67. 23. b
Charitati Chriſti an æqualem à nobis Joannes exigat, 66. 16
à Charitate qui alieni ſunt, excutiunt, ac in tenebris errant, 56. 9
Chorus Lacedæmoniorum, 57. 13
Chriſtianiſmi conditio, 17. 21. noſtri principium, 35. 9
Chriſtiani veri qui, 22. 15. & 64. 8, 10. & 66. 16, 19
Chriſtianorum nomen & ſpeciem fruſtra habent, quos bonæ conſcientiæ teſtimonium deficit, 66. 20. nomine abutuntur qui de fide ſua nihil certi habent, 22. ante 16
Chriſtus ad quid miſſus, 63. 5. & 69. 2. & 71. 9
Chriſtus, Deus æternus, 5. 11. & 23. 18. & 50. 1. & 57. 13. & 60. 21. & 69. 2. & 79. 20. anima Legis, 7. 18. fidelium cuſtos, 103. 1. homo, 69. 2. imago Dei, 67. 22. & 79. 20. lapis angularis, 12. 6. quomodo lapis offenſionis, 13. 8. & 68. 1. a. & 69. 2. mediator, 2. 3. & 8. 20. & 11. 5. & 28. 11. & 67. 22. & 73. 17. Patris imago cur dicatur, 60. 21. b. cæleſti gloria ornatus, tribus diſcipulis in monte viſus, 37. 17. fidei ſcopus eſſe probatur, 12. 6. & 73. 1. & 77. 13. Legis & Prophetarum finis, 69. 2. omnium finis ac complementum, 56. 8. quibus ſit exitio, 13. 8. quomodo agnitus Filius Dei, 50. 1. b. quomodo ab initio fuiſſe dicatur, ibid. a. ſemper inviſibilis fuit Dei ſermo, ibid. b. cur Dei inviſibilis imago dicatur, 8. 20. b. non minoris faciendus, quod mundo contemptibilis ſit, 11. 3. negatur, quoties quæ habet propria, illi detrahuntur, 60. 22. a. proprie vita æterna vocatur, 80. 20. cur paſſim contemnitur, 12. 6. a. ut plurimum ex perverſo mundi judicio æſtimatur, ibid. totius mundi judex, 26. 4. paſtor, 18. 25. paſtorum princeps, 31. 4. quomodo ante mundi creationem redemptor deſtinatus, 8. 20. quorum redemptor, 52. 7. mortuis redemptor patefactus, 27. 6. verus Sacerdos, 59. 20. verum ſanctuarium, ibid. Sol juſtitiæ, 38. 19. & 56. 8. Evangelii ſubſtantia, 51. 1. veritas legis, 8. 18. pro toto corpore, 63. 5. quomodo à Papiſtis adoratur, 13. 8. quomodo ſuam cauſam Patri commendarit, 18. 23. peccati expers, 8. 19. & 17. 22. qualis fingitur à Papiſtis, 60. 22. fide recipitur, 71. 14. ubi quærendus, 25. 22. unus piis omnibus ſufficit, 4. 8. & 61. 24. quomodo Spiritu vivificatus, 23. 18. & 25. 21. b

K

Chriſti

Chriſti abnegatio multiplex, 39. 1. & 59. 22. & 59. 1. & 104. 4. adventus in carne, 37. 16. & 65. 7. adventus ad judicium, 45. 4. 8. & 58. 18. & 62. 1. 2. cum gaudio expectandus, 48. 11. in cœlum aſcenſus, 25. 22. cognitio efficax, 35. 8. cognitio vitæ novitatem parit, 63. 6. exhibitio, immenſi Dei amoris erga nos documentum, 71. 9. gloria, 37. 17. & 49. 18. innocentia, 17. 22. manifeſtatio, 8. 20. mortificatio quid, 23. 18. mors, vitæ noſtræ initium, 71. 10. b. mors quibus prodeſt, 52. 7. mors ſub reſurrectione continetur, 25. 21. b. mortis efficacia, 18. 24. & 56. 12. & 76. 8. mortis felix exitus, 23. 18. mortis finis, 18. 24. & 13. 18. & 35. 9. mortis fructus, 18. 24. mortis duplex ſimilitudo, 15. 1. officium ſive proprium munus, 13. 8. b. & 69. 2. officium cur explicandum, 77. 13. prædicationis fructus, 51. 3. regnum æternum, 36. 20. & 49. 18. regnum ſpirituale, 5. 10. reſurrectio, 25. 21. reſurrectio, opus potentiæ Dei, 8. 21. reſurrectio, ſcopus piorum omnium, 2. 3. ſanguis, ſalutis noſtræ pignus, 7. 18. ſanguinis vis, 51. 7. b. & 75. 6. Spiritus, Prophetarum Magiſter, 5. 11. virtus vivifica in pios diffunditur, 23. 19. virtus, 69. 2. utraque natura aſſeritur, *ibid.*
Chriſti & fidelium collatio, 26. 1. afflictiones communes, 5. 11. & 33. 8. 9. conjunctio, 5. 11. diſcrimen, 66. 16
Chriſto vivendum ac moriendum, 39. 1. b
Chriſto ſi nitamur, extra lapſus periculum ſumus, 12. 6. b
Chriſto quomodo pii futuri ſimiles, 62. 2. b
Chriſtum vere tenere quis dici poſſit, 44. 20
inter Chriſtum & nos quid ſimile, quidque diverſum, 25. 1. b
Chriſtum qui non recipiunt, Dei adverſarii ſunt, & ejus verbo reluctantur, 13. 8. b
Chriſtum qui profitentur abſque vitæ novitate, nunquam in ejus doctrina rite inſtituti fuerunt, 37. 8
Ciceronis locus, 26. 4. & 58. 16
Clamores inopum ad aures Dei perveniunt, 97. 4
Claves Papiſticæ quibus rebus conſtent, 52. 7. b
Clerus quid, 31. 3
Cleri nomine Patres abuſi, *ibid.*
Cœlum, pro ea regione aeris quæ inter duplices aquas vacua, 45. 5. quomodo aquis diluvii ſubmerſum, *ib.*
Cœlum & terram incendio purgatum iri quo ſenſu Petrus dixerit, 48. 12
Cogitatio omnis de Deo extra Chriſtum immenſa abyſſus, 8. 20. b
Cognitio Chriſti quam viva res ſit & efficax, 63. 6. Dei, principium vitæ, & primus in pietatem ingreſſus, 36. 3. Dei nulla, ubi non viget Dei charitas, 70. 7
Coli Deus cum exceptione non vult, 88. 10
Comminatio graviſſima, 32. 5
Concilia Papiſtarum qualia, 69. 1
Concilii legitimi uſus, *ibid.*
Conciliorum omnium decreta pro certis oraculis habenda, quo prætextu Papiſtæ urgeant, *ibid.*
Concionari utiliter de Chriſti beneficiis homines nequam & a Chriſto alieni an poſſint, 43. 19
Concordia piis quam neceſſaria, 26. 8
Concupiſcendi nullus modus, ubi appetitus licenter graſſari ſinimus, 94. 2
Concupiſcentia pro fonte omnium appetituum, 84. 15
Concupiſcentia quid, 84. 14
Concupiſcentiæ effectus duo, *ibid.* tres ſpecies, quæ in homine quolibet mundano regnant, 57. 16
Conditio hominum antequam in regnum Dei transferantur, qualis, 14. 9. b
Confeſſio piis omnibus neceſſaria, 72. 15. Deo accepta quæ, 22. 15. ſuſurratoria Papiſtarum quo fundamento nitatur, 101. 16. a. peccatorum qualis a nobis exigatur, & quo fine nobis præcipiatur, 101. 16
ex Confeſſione peccatorum duplex fructus ad nos redit, 53. 5. b
Confitentibus peccata ſua, venia offertur, 53. 9
Conjectura moralis ſive incerta opinio Commentum Scholaſticum, 79. 19. & 82. 6
Conjunctionis noſtræ cum Deo certum ſymbolum, 52. 7. & 67. 24
Conſcientia quanti æſtimanda, 22. 16. Dei quæ dicatur, 17. 19. pura, doctrinæ Euangelii comes, 54. 3. b. inſtar mille teſtium, 67. 21. b. bona commendatur, 16. 18. & 22. 16. & 25. 21. & 52. 7. & 61. 19. 20. mala carnifex peſſimus, 53. 9. & 72. 17. & 73. 18. & 87. 4. ſedata in Dei conſpectum prodire poſſe, quam optandum, 73. 18. b
Conſcientiæ ſola integritas lucem à tenebris diſcernit, 52. 7
Conſcientiæ tranquillitas per Chriſtum, 4. 8. & 48. 14. & 53. 9. & 67. 21
Conſcientiæ malæ inquietudine fides ſubvertitur, 66. 20
In Conſcientia bona ſatis præſidii eſt quicquid malorum accidat, & perferre neceſſe ſit, 23. 17
Conſcientias legibus ſuis ſubjicere ſolus Deus poteſt, 96. 12. b
in Conſilio Dei arcano quid de ſe conſtitutum ſit, omiſſo Chriſto, qui ſcrutantur, inſaniunt, 71. 10. b
Conſilia plusquam evanida, quæ in ſola vitæ umbra ſubſiſtunt, 96. 14
Conſolationes piorum in afflictionibus quali gaudio permiſtæ eſſe debeant, 29. 12
Conſtantia commendatur, 22. *ante* 16. & 36. 11. & 60. 24. & 81. 4. & 100. 12. & 104. 3
Contemptus concordiæ adverſus, 16. 17
Contentio damnatur, 22. 16. & 85. 19. & 93. 14
Contentiones unde oriantur, 93. 1
Contentiones dum in corde Jacobus locat, improprie loquitur, 93. 14
Conviviorum quæ inter ſe olim fideles agitabant, quanta frugalitas, 106. 12
Cor Deo loqui non poteſt abſq; vitæ novitate, 53. 9. b
Cor pro tota anima, 19. 4
à Corde ſuo non accuſari, vel cor habere ſedatum & pacatum, qui dicantur, 67. 21. b
Corda enutrire quid ſit, 98. 5
Corinthios a ſe ſpiritualiter genitos cur Paulus glorietur, 10. 25. b
Cornelius quomodo acceptus Deo antequam vocatus eſſet ad fidem Euangelii, 77. 12. b
Corpora ſervorum Dei, aſtu diaboli numinis loco habita, 105. 9
Corpus à gloriæ ſocietate non excluditur, quatenus eſt animæ annexum, 4. 9. b
Correctio fratrum commendatur, 101. 19. 20
in Corrigendis fratribus quæ moderatio adhibenda, 108. 22
Corruptorum ſecta quam pernicioſa, 43. 18. 19
Creatio ſecunda, 2. 3
Credere quid ſit, 50. *ante* 1
Credere in Chriſtum quid ſit, pauci norunt, 67. 23. b
Credere quod Jeſus ſit Chriſtus, quid ſit, 74. 1
Crucis exercitium cur fidelibus utile, 28. 12
Crudelitas divitum taxatur avaritiæ comes, 97. 4
κτίζειν & κτίσις quid, 15. 13
κτίσις quid, 30. 19
in Cultu corporis anxie occupatos animæ cultum negligere, Catonis dictum, 19. 4
in Cultu Dei ſpirituali quam ſolicite manendum, 86. 21
Cultus quis Deo gratus, 86. 27. & 88. 10
Cultus Dei in Papatu, ſuperſtitionum colluvies, 65. 12
Cupiditas carnis quæ dicatur, 58. 16
Cupiditas oculorum quæ dicatur, *ibid.*
Cupiditates pravæ quæ nos ad contentionem mutuam irritant, ubi vigent, illis Dei ſpiritus non regnat, 94. 5. b
Cupiditatibus terrenis qui ſe mancipat, non poteſt Dei eſſe, 57. 15
Curam noſtram in Deum conjicere quomodo jubeamur, 32. 7
Curioſitas vitanda, 6. 13. & 15. 13. & 29. 15. & 45. 5. & 48. 10. & 54. 3. & 55. 8. & 62. 2. b. & 91. 2. & 93. 17
Cuſtos nobis à Deo datus Chriſtus, 103. 1. b

D.

DÆmones à ſalute excluſi, 51. 2
Damnationem peccati quisquis effugere tentat, bellum cum Deo ſuſcipit, 53. 10
David quomodo lapis reprobatus dictus ſit, 12. 7
David Chriſti perſonam geſſit, *ibid.*
David ad tempus abſque pietate & fide, 64. 9
Defectio multorum a Chriſto, ſcandalum non eſt leve infirmis, 39. 2
Defectionis culpa Euangelio non imputanda, 44. 22
Deliberandi in futurum ſtulta licentia taxatur, 96. 13
Deliciæ nimiæ divitum taxantur, 97. 5
in Deliciis quis modus tenendus, 98. 5
Deſideria carnis, quid & quomodo Sophiſtæ interpretentur, 14. 11
Deus, Patris Chriſti titulo inſigniendus, 2. 3. & 8. 20. b ſine Chriſto fruſtra quæritur, 1. 3. non alius agnoſcendus quam qui in Chriſto agnoſcitur, 60. 22. a. nunquam in ſua eſſentia, ſed ſub ſymbolis Patribus viſus, 62. 2. b. quum Abrahæ Deum ſe vocat, hac nota a diis fictitiis diſcerni vult, 2. 3
Dei majeſtatem extra Chriſtum qui mente concipiunt, idolum habent loco Dei, *ibid.*
Deum objectum eſſe fidei, tritum ſcholarum axioma, 8. 20. b
Diabolus ad Dei mentionem cur contremiſcat, 89. 19. nil niſi Dei creatoris ſui nutu & arbitrio poteſt, 63. 8. non natura, nec creationis origine, ſed defectionis ſuæ vitio malus, 63. 8. quomodo peccare dicatur, 64. 8. ſtatim à creatione mundi apoſtata, *ib.*
Diaboli an credere dicantur, & an habeant fidem, 89. 19. an certo loco incluſi, 105. 6
Diabolorum ſupplicium in diem extremi judicii diſfetti quomodo dicatur, *ibid.*
Diabolis quæ inhæret pravitas, accidentalis eſt, non à natura, 47. 4
Διακρινόμενος, quid, 82. 6
Dies Domini pro qualibet judicii ejus & gratiæ manifeſtatione, quum ſuis ſuccurrit, & impios caſtigat, 98. 7
Dies judicii cur ultimum tempus vocetur, 2. 5
Dies mactationis, pro die quo ſacrificia fiebant, 98. 5
Dies viſitationis quis dicatur, 14. 12
Dies extremi, pro regno Chriſti, 41. 3
Dilectio proximi, res factu difficilis, 9. 22. b
Dilectionis noſtræ erga Chriſtum cauſa, fides, 3. 8
Diligi à Deo aliter non poſſumus quam in Chriſto, 39. 17
Diluvii hiſtoria, teſtis locuples, ſolo Dei imperio gubernari totum naturæ ordinem, 45. 5
Diſcendi ſobrietas quam neceſſaria, 4. 10
Diſcerni veri Prophetæ à falſis qua nota poſſint, 69. 2
Diſcretionis Spirituum quomodo fideles conſequantur, 69. 1
Diſputationes contentioſæ unde oriantur, 22. 16
Divites œconomi Dei, 27. 10. pauci æqui & modeſti, 87. 6. qui ſine cauſa ſpretis pauperibus ambitioſe honorant, taxantur, *ibid.* quo plus poſſunt, eò deteriores, 87. 6. judicii Dei denuntiatione terrentur, 97. 1. omnes an Jacobus taxet, *ibid.*
Divitibus an de ſuo liberaliter vivere concedatur, 98. 5. an nullum honorē deferri Jacobus velit, 87. *ante* 1
Divitum inhumanitas taxatur, 97. 4
vitia taxantur, 97. 2. &c.
Docendi munus in Eccleſia, eximiæ gratiæ Dei diſtributio eſt, 28. 11
Doctores falſi quam fugiendi, 95. 3
Doctrina gratiæ, obnoxia improborū calumniis, 33. 1
Doctrina cœleſtis, ſpeculum in quo ſe Deus nobis conſpiciendum offert, 86. 23
Doctrinæ cœleſtis encomium, *ibid.*
Doctrinæ examen duplex, 69. 1
Doctrinæ fidei commendatio, 56. 12. Prophetarum commendatio, 5. 11. ſanæ laus eximia, 60. 24. b. uſus quis, 77. 13. pars de gratuita peccatorum venia, tota à Papiſtis corrupta, 52. 7. b
à Doctrinæ certitudine ſemper faciendum exordium, 60. 24
Doctrinam quam ſemel amplexi fuerimus etſi malam, nolle deſerere obſtinationis ſignum eſt, 60. 24
Doctrinam Chriſti infideles à vita fidelium æſtimant, 19. 2
Doctrinam pietatis ad vanas ſpeculationes mundus trahit, 54. 3
Dolore affici pios decet, ubi mundum ruere in omne mali genus vident, 41. 8
Dominandi libido in paſtoribus, quæ, 31. *ante* 1
Dominatio præpoſtera paſtorum Eccleſiæ taxatur, *ib.*
Domum unam quomodo ex univerſo fidelium numero Petrus conſtruat, 11. 5. b
Donec particula an in præceptionibus ſemper finem denotet, 40. 19. a
Donorum Dei ſacrilega pollutio, quæ, 28. 11. b
δόξα Græcis tam opinionem quam gloriam ſignificat, 87. 1
Dyſcoli qui à Sorbonicis dicantur, 17. 18

E.

EBion hæreticus, 58. 18
Eccleſia nunquam hic à Pſeudoprophetis immunis futura, 39. 1
Eccleſiæ ædificium nullum ſine Chriſto, 12. 6. a. univerſum corpus, hæreditas eſt Domini, 31. 3. titulus in Papatu falſo uſurpatus, quam multos obſtupefecerit, 68. 1
Electi qui habendi, 1. 1. quamdiu fidei non obediunt, pro filiis Dei non habendi, 70. 6. b
Electos nos eſſe, & non fruſtra vocatos, unde probare poſſimus, 37. 10
in Electos ſuos cur Deus ſeverior, 29. & 30. 17
Electio Dei, ſola Spiritus revelatione cognoſci poteſt, 1. 1
Electionis prima cauſa, Dei præcognitio, *ibid.* effectus, ſanctificatio Spiritus, 1. 1. b. in fidelibus ſignum quod ſit, 1. 1. a. noſtræ certitudinem, omiſſa vocatione, in abſcondita Dei præſcientia quærere quam periculoſum, *ibid.* divinæ ſcopus, pia & ſancta vita, 38. 10
Electionis & vocationis nomina Scriptura nonnunquam confundit, 37. 10. b
Elementa mundi abſumptum iri quomodo intelligi debeat, 48. 10. b
Eliæ precibus cœlum quodammodo ſubjecit Deus, ut ejus votis obſequeretur, 101. 17
Enoch Prophetia non ſcripta, ſed ex relatu tantum nota Judæis, 106. 14
Epicuri trimembris cupiditatum partitio, ex Cicerone, 58. 16
Ἐπιλύσεως, quid, 38. 20
Ἐποπτεύειν, quid, 31. 2
Epiſcopus & Paſtor animarum, Chriſtus, 18. 25
Epiſtola Jacobi non ſine certamine à multis Eccleſiis recepta, & quis author ſit, 80. in Argum.
Epiſtola Judæ cur à pleriſque recepta non fuerit, 102. in Argum. Secunda quæ Petri nomine inſcribitur, an illius ſit, 49. 15
Epiſtolæ prioris Petri ſtatus præcipuus, 2. 3. primæ Joannis commendatio, 49. in Argum.
Epiſtolam ſuam priorem cur proprie Judæis Petrus deſtinet, 1. 1. b
Eraſmus taxatur, 8. 22. & 19. 4. & 25. 1
Euangelium cur ad ſingulorum uſus accommodet, 57. 13. à novitate vindicatur, & ejus antiquitas aſſeritur, 55. 7. Spiritus auſpiciis promulgatum, 5. 12. profitentium tres gradus, 59. 19. b
Euangelii certitudo quam neceſſaria, 50. *ante* 1. in Prophetarum oraculis fundata, 37. 19
Euangelii doctrina, vivum ſpeculum in quo effigiem Dei contemplantes, in eam transfiguramur, 54. 3. b. doctrinam quam male quidam refugiant, 70. 6. b. maximum encomium, 5. 12. finis quis, 55. 5. b. gratiam qui repudiat, ſalutis ſuæ curam nullam habet, 7. 18. hiſtoria unde & à quibus conflata, 37. 16. ſumma, in potentia & adventu Chriſti ſita, *ibid.* ſubſtantia, Chriſtus, 51. 1. veritas duplici teſtimonio probatur, 37. 19. puritatem variis erroribus ſemper inficere conatur Satan, 68. *ante* 1
inter Euangelii prædicationem, & veterem doctrinam, diſcrimen, 5. 12
ab Euangelio ob contentiones & diſſidia multi diſceſſionem faciunt, 68. 1
ab Euangelio deficere qui dicantur, 44. 20
in Euangelio quid potiſſimum quærendum, 76. 11
in Euangelio quis rite profeciſſe dici poſſit, 39. 16. & 46. 20
Eventus futuri temporis nobis cæci ſunt, 96. 15
Euſebius taxatur, 34. 13
Examen Eccleſiæ utile & neceſſarium, 59. 19. b
Exaudire Deus non poteſt, ubi non regnat ejus timor & reverentia, 67. 23
Excæcationem vel indurationem cordis quomodo Scriptura Deo tribuat, 84. 13
in Exemplum quid nobis Chriſtus propoſuerit, diſcernendum, 17. 21

Exhorta-

Exhortationes noſtræ quam nihil poſſint abſque Dei virtute, 108. 21
Expiatio à Chriſto parta quam late pateat, 54. 2

F.

FAcere iuſtitiam, & facere peccatum inter ſe oppoſita, & quid ſignificent, 65. 18
Factores ſermonis Jacobo qui dicantur, 86. 22
Faſtus & ſuperbia damnantur, 58. 16
Felicitas vera æterna eſt, 58. 17
Felicitatem ſuam qui in mundo conſtituunt, quam male ſibi conſulant, ibid.
Feſtinanter quieſcendum eſſe quomodo fidelibus Petrus præcipiat, 48. 12
Feſtinatione nimia, aut ignavia, laboramus fere omnes, 48. 10
Fervidum, quod rapitur cum violentia, 92. 6
Ferulis Dei tergum fideles aptare debent, 39. 17
ut Fidamus vere Deo, quis ſcopus nobis proponendus, 8. 18
Fides aſpectu non metienda, 3. 8. non frigida tantum notitia, ibid. merum Dei donum, 35. 1. à charitate disiungi nequit, 73. 2. operibus comprobari neceſſe habet, 89. 18. ſine bona conſcientia non conſiſtit, 66. 19. abſque doctrina non eſt, 67. 13 b. quomodo cooperata operibus fuiſſe dicatur, 92. 21. aliud quam nudam Dei majeſtatem intuetur, 8. 21. in Deum cur nulla eſſe poſſit, niſi Chriſtus quaſi medius interveniat, 8. 20. b. recta in Chriſtum quæ ſit, 67. 23. non nudum Chriſtum apprehendit, 76. 8. & 9. noſtra, victoria ſola adverſus mundum, 33. 9. auro comparatur, 2. 7. ſub operis nomine comprehenſa, 7. 17. & fraternus amor, res inter ſe conjunctæ, 73. 1. noſtra ut ſtet, in Chriſti adventum reſpicere debet, 62. 2. Papiſtarum dubitatione implicita, 3. 8. & 72. 17. b. ſine bonorum operum teſtimonio, cur fruſtra prædicetur, 87. 18
Fidei certitudo in ſola Chriſti gratia reſidet, 55. 2. ſocordiam aut pigritiam non generat, 78. 15
Fidei confeſſio in prompto nobis eſſe debet, ut eam proferamus quoties opus eſt, 22. ante 16. definitio, 3. 8. fructus, ibid. vera ſocietas quomodo ſit nobiscum Apoſtolis, 35. 1. ſuæ quiſque teſtimonium habet ab operibus, 55. 3. vocabulum hypocritia per conceſſionem Jacobus relinquit, 89. 14. individuæ comites, 37. 5. noſtræ ſtabilitas, à Dei virtute, 2. 5
de Fidei conſtantia quoties agitur, ad preces confugiendum, 107. 20. b
Fidei effectrix cauſa, Dei vocatio, non ingenii noſtri perſpicacia, 34. 3. confirmandæ quænam ſit ratio, 77. 13. informis & formatæ Papiſticæ definitio unde orta, 89. 14. & 92. 21
Fidei aliud ædificium ſuperſtruere, quo ſenſu Judas jubeat, 107. 20
Fidem ſine operibus eſſe mortuam, quo ſenſu Jacobus dixerit, 89. 17. qui ſibi fingunt operibus & quovis pietatis ſtudio vacuam, Deo illudunt, 89. 15. ſe habere qui imaginantur, quum infideles ſe vera prodant, refelluntur, 89. 18. nudam qui obtendunt, nudi à vera intelligentia, 17. 9
Fide ſola non juſtificari hominem, quo ſenſu à Jacobo dictum ſit, 92. 28
Fide & charitate ſic Deo unimur, ut in nobis vere habitet, 71. 12. & 73. 14
Fide quæ nuda eſt tantum Dei notitia, ſalutem non conſequimur, 89. 14
Fideles cur tot malis hic vexentur, 83. 12. quomodo juſti dicantur, & non peccare, 63. 4. quid ſolatii in ſuis miſeriis habeant, 23. 17. qui gaudio exultant, quomodo triſtes eſſe dicantur, 3. 6
Fideles annon caſtiget Deus, quoties alicunde affligi patitur, 23. 18
Fiduciæ natura, 61. 27 b
Figura corporis Deo non affingenda, 87. 21
Filius [illegible], à Patre divelli nequit, 60. 22. b
Filii Dei cur ſimus, 62. 1. cur à Spiritu illuminentur, 61. 17 b. à mundo ludibrio habentur, 61. 1
Filiorum Dei conditio poſt mortem, qualis, 40. 4. b. felicitas ex præſenti ſtatu non æſtimanda, 62. 1
inter Filios Dei qui ſibi nomen arrogare volunt, quales eſſe debeant, 64. 10
Filioli qui dicantur à Joanne, 56. 12
Finem omnium rerum propinquum eſſe quomodo Petrus dixerit, 27. 7
Firmitate ſua ne decidant, fidelibus cavendum, 41. 17
Formulæ quibus uti nos decet, quum in futurum nobis aliquid promittimus, 96. 13
Fortes ſunt pii, non propria, ſed Dei virtute, 69. 4
Fortitudo ſpiritualis ſola optanda, quæ à Chriſto ſolo habetur, 57. 13 b
in Fratribus damnandis quantopere cavenda crudelitas, 78. 16. a
Futurum tempus pro imperativo ſæpe apud Hebræos capitur, 12. 6. b

G.

Fiſteit, pro natura, 92. 6
Gentibus Patria qui Chriſtum advolvunt, ut pro nobis oret, quam abſurdi ſint, 54. 1. b
Genitos ex Deo alios, ex diabolo alios, quo ſenſu Joannes dixerit, 64. 8
ex Gentibus cur ad unum omnes laſciviæ & diſſolutionis Petrus reos faciat, 26. 3
Gignere nos ſpiritualiter, proprium Dei officium, 84. 18
Gladii jus veluti profanum & illicitum nonnulli hodie ludibrio habent, 41. 10. b
Gloriæ fidelium manifeſtatio cur differatur, 62. 2. a
Gloriæ, in plurali pro ordinibus excellentia præditis, & qui honore ſupereminent, 105. 8
Gloriamur in jactamus, 96. 16

Gradus politici ad tuendum univerſi corporis ſtatum pertinent, 32. 5
Gratia Dei pro paterno ejus favore erga nos, 35. 1
Gratia Dei in quem finem nobis apparuerit, 104. 4. b
Gratiæ nomen pro laude, 17. 19
Gratiam Dei in Chriſto cur tantopere Petrus extollat, 1. 3
Gratia Dei fruſtra ſuperbiunt quicunque ejus vocationi non reſpondent, 104. 5. b
ex Gratia Dei qui laſciviendi prætextum capiant, omnium hominum peſtilentiſſimi habendi, 104. 4. b
Gratuito ita peccata Deus remittit, ut miſericordiæ facilitas non ſit illecebra peccandi, 33. 9. b

H.

HÆredibus regni Dei annumerandus, qui reprobos contemnit, & timentes Dominum honorat, 87. ante 1
Hæreditas fidelium in cælo repoſita, 2. 4
Hæretici dicendi, qui Chriſtum negaverunt, 60. 22
Hieronymus taxatur, 34. 13
Hiſtoriæ ſacræ in quem finem ſcriptæ ſint, 69. 22
Homicida, quicunque fratrem odio habet, 65. 15
Homicidii nomen homines abominantur, crimen vero ipſum prope nihil faciunt, ibid.
Homo quomodo per Dei verbum æternus efficiatur, 10. 15. vetus abolendus, ut inſtauretur Imago Dei in nobis, 6. 14
Honoris nomen Hebræis late patens, 16. 17
Horatii locus, 79. 15 & 91. 2
Hoſpitalitas, Petri tempore in uſu communi erat, 27. 9
cum Hoſte ſpirituali ſemper eſt nobis negocium, utcunque nobis moleſti ſint homines, 33. 9
Humiles qui vere dicantur, 32. 5
Humilia in quem finem Petrus nos eſſe coram Deo jubeat, 31. 6
Humilitas, ſola via qua ad Deum pervenitur, 30. 5
Humilitatis commendatio, 91. 10
Humilitate nullus pulchrior aut decentior ornatus, 30. 5
Hypocritæ cur ſibi blandiantur, & Dei judicium contemnant, 67. 20. piis permiſti ſemper in Eccleſia, ut paleæ tritico in area, 69. 19. ſibi blandientes, Dei judicium ſuperbe contemnunt, 67. 20

I.

JAcobus Alphæi filius, unus ex præcipuis Chriſti Apoſtolis apud omnes Eccleſias habitus, 103. 1
Ignavia & feſtinatione nimia laboramus fere omnes, 48. 10
Ignominia carnis quibus glorioſa non eſt, cum mundo excæcati ſunt, 29. 14
Ignorantia ſola peccari, Platonicum dogma, quod falſum eſſe arguitur, 6. 14
Ignorantiæ tempus, quod, ibid.
Illuminamur mera Dei gratia in notitiam veritatis, quemadmodum gratuita fuit noſtra electio ante mundum conditum, 84. 18
Illuminati in Dei notitiam cur ſimus, 6. 14
Illuminati quam ſedulo cavere debeant, ne licentiæ prætextu laſciviis ſe dedant, 43. 18. b
Illuſio periculoſiſſima, 44. 3
Illuſores qui a Petro dicantur, ibid. quam pertimeſcendi, ibid.
Imago Dei in nobis, adoptionis noſtræ eſt ſigillum, 22. 17. b
Imaginis Dei reliquiæ in nobis, 6. 14. & 91. 9
Imitari in Chriſto quid nos deceat, 17. 21
Impedimenta tollenda, ut ſoluti ad Deum contendamus, 6. 13
Impii à Deo non exaudiuntur, 67. 22
Impoſtorum de quibus Judas meminit ingluvies, 106. 12
Impoſtorum principes, qui Chriſtum oppugnant, 60. 22. a
erga Improbos qui nimium benigni ſunt, taxantur, 106. 12. b
Impunitatis ſpes quam nos ſuperbos reddat, 37. 5
Incendium, quo urbes quinque à Deo deletæ ſunt, typus ignis æterni fuit, 105. 7
Incolatus pro præſenti vita, 7. 17
Increduli cur duplici animo eſſe dicantur, 83. 8
Incredulis os obſtruere fideles jubentur, 11. 15
Incredulos Chriſti adventu poſt mortem ſuam benefitio liberatos eſſe, qui commenti ſunt, refutantur, 25. 19. b
Incredulitas, malorum omnium fons, 6. 14. & 104. 5. b
Infantia ſpiritualis, quæ, 10. ante 1
Infernus regnat in conſcientiis quæ pacem cum Deo non habent, 53. 9
Infidelitatem eorum qualiter Deus puniat, qui de promiſſis eius dubitant, 82. 6
Inimicis noſtris bene precandum, 27. 9
Initium in creaturis, differt ab initio in Deo, 64. 5
Initium quam male Papiſtæ rapiant, quia ſuperſtitiones a pueritia imbiberint, 61. 22
Injuriæ exemplo Chriſti, placide ferendæ, 19. 12. æquo animo ferendæ, quum Deus ſit futurus vindex, 18. & 7
Injurias non ulciſci, ſumma magnanimitas coram Deo, 17. 9
Innocentiæ ſumma perfectio in Chriſto, 17. 22
Inquilinos cur Petrus Judæos vocet, ad quos ſcribit, 1. 1. b
Integritas vera quæ ſit, 48. 14
Intelligentiam nobis dediſſe quomodo Chriſtus dicatur, 79. 20. b
Intemperantiæ vitium Deo quam exoſum, 98. 5
Intercedere pro nobis Chriſtum quomodo intelligi debeat, 54. 1. a

Interceſſiones mutuæ ſanctorum approbandæ, ibid. b
Interitus & mors quantum differant, 35. 13
Interpretationem privatam quid Petrus vocet, 41. 20. a
Interpretum lapſus, 12. 6. & 16. 18 b & 23 19. & 55. 8 & 57. 16 & 80. 25
Invidia malignitatis ſignum, 93. 5. b
Invocare Deum Patrem qui dicantur, 7. 17
Invocari Deus quomodo rite poſſit, 77. 14
a quibus poſſit, & velit, 67. 22
Invocatio Dei, ſummum fidei noſtræ exercitium, 77. 14
Job in patientiæ ſigna multa edidit, 99. 11
pro cæteris omnibus, duris ac variis ærumnis oppreſſus, ibid.
Jobi patientia fidelibus imitanda, ibid.
Irreprehenſibiles an quis a Chriſto inveniri poſſit, 48. 14
Judæi in omnes fere mundi regiones diſſipati, 81. 1
quam ſtulte Meſſiam expectent, 58. 18 b
propter pervicaciam Gentibus odioſi, 14. 12
quomodo inexcuſabiles, 13. 8
& Turcæ pro Deo merum idolum colunt, 2. 3. & 60. 22. b
Judæorum elogia, 13. 9
nomen apud exteras nationes infame, 81. 1
Judæos cur ignorantiæ & cæcitatis Paulus damnet, 6. 14
advenas & peregrinos quo ſenſu Petrus vocet, 14. 11
in idololatriæ verſatos quo ſenſu Petrus dixerit, 2. 3. b
Judas, cur fratrem Jacobi ſe nominet, 103. 1
Judex totius mundi, Deus, 4. 4
Judices idonei ut ſimus, diſcretionis Spiritu nos donari oportet, 60. 1. a
Judicandum nonniſi ex Lege Dei, 96. 11
Judicare ex ſuo ſenſu fratres qui audent, taxantur, ibid.
Judicati pro damnati, 27. 6
Judicium Dei, quum à malis impetimur, placide expectandum, 17. 23
ad Judicium Chriſti cur tam pauci animos advertant, 48. 14
Judicium incipere à domo Dei quo ſenſu Petrus dixerit, 30. 17. b
Judicii Dei perpetuus tenor, 40. 4
ad Judicii extremi mentionem non expaveſcunt fideles, 72. 17
à Judicii formidine miſericordia Dei ſola nos liberat, 80. 13
Judicia noſtra ad Dei tribunal revocanda, 65. 15
Juniorum officium, 31. 5
Juramentis ſupervacuis quomodo anſa præcidatur, 100. 12. b
Jurandi mos pravus unde, ibid. a
Jurantes per cœlum & terram Judæi non putabant ſe Dei nomine abuti, 99. 12. a
Jurare ut impune liceat, quam varia ſubterfugia homines excogitent, ibid.
Jurare leviter & inconſiderate, vitium omnibus fere ſeculis commune, ibid.
Jurat quiſquis fruſtra & ob rem nihili, nomine Dei abutitur, ibid.
à Jurgiis & contentionibus cur tantopere abſtinendum, 27. 7
Juſte & pie quomodo vivant, quicunque ex Deo geniti ſunt, 64. 8
Juſtificandi verbum, aliud Jacobo ſignificat, aliud Paulo, 92. 21
Juſtitia quid, 65. ante 12
conſenſum & amicitiam, injuſtitia vero ſeditiones & odia excitat, 21. 18
Juſtitia quænam probetur Deo, 65. ante 12
Juſtitia tota cor ſub fraterna charitate comprehenditur, ibid.
Juſtitia Dei, & meritum hominis, res inter ſe oppoſitæ, 35. 1
Juſtitia fidei gratuita, à vitæ novitate non ſeparanda, 2. 1
hominum in remiſſione peccatorum ſita, 77. 12
inter Juſtitiæ Chriſti primatum, & Satanæ tyrannidem nullum eſt medium, 63. 8
Juſtum vix ſervari quo ſenſu dictum ſit, 30. 18
Juſti qui dicantur, ibid.

L.

LAc rationale quid, 17. 2
Lacedæmoniorum chorus, 97. 13
Lætari homines vix poſſunt, quia Dei obliviſcantur, 100. 13
Lætitia ad prædicandam Dei bonitatem incitare nos debet, ibid.
Lapis angularis quomodo Chriſtus eſſe dicatur, 11. 6. a
Lapis Chriſtus, ab architectis, Sacerdotibus, Presbyteris & Doctoribus rejectus, 12. 7
à Lectione Epiſtolarum Pauli, an nos arcere Petrus voluerit, 40. 16
Lex quando mortua tantum litera ſit, 80. 25
quatenus facilis à Joanne dicatur, 74. 3
ex æterna immutabilique Dei juſtitia fluit, 96. ante 11
libertatis quæ dicatur, 88. 12
regia quæ dicatur, 88. 8
Legis finis ac perfectio, Chriſtus, 81. 25
lectio quid nobis proſit, 8. 19
Legis Dei vera obſervatio, quæ, 55. 5
Legis & omnium, quæ à nobis exigit Deus, ſumma, 6. 14
ferendæ jus qui ſibi vendicant, totam Dei majeſtatem ad ſe rapiunt, 96. 12
Legem in uno qui violat, quomodo ſit omnium reus, 88. 10. b

Legem

Digitized by Google

Legem obſervare quomodo dicamur, 95. ante 12
Legiſlatorem alium quam Deum ad regendas animas quum admittimus, prævaricatur eſt obedientia, 96. 12. b
Liber dictus conſilium Dei, quo ordinati ſunt fideles ad ſalutem, 104. 4. b
Libertas vere Chriſtiana, quæ, 43. 19
Libertas mutua inter Paſtores qualis eſſe debeat, 81. 1
Libertas Chriſtianorum quantum ab effrænis licentia differat, & ejus finis, 16. 16
Libertas & Servitus inter perſonas à Paulo deputantur, 87. ante 1
Libertatis nomen dulce, 43. 19
Libertatis nomen qui falſo obtenderent, ſemper extiterunt, ibid.
Libertatis Evangelicæ abuſus, 15. 13
Libertatem cur Legi velut individuam comitem Jacobus addat, 86. 25
de Libertate filiorum Dei, multa falſo obtendi ſolita, 16. 16
Libertini noſtri temporis, impiis de quibus Judas loquitur ſimiles, 104. 4. b
Libertinorum noſtri ſeculi ſecta qualis, 43. 19. & 106. 13
Liberum arbitrium qui ſtatuere volunt in homine, in quo peccent, 35. 5
Liberi arbitrii vim an extollat Petrus, quum ſubminiſtrandæ virtutis partes nobis aſſignat, ibid.
Lingua magnarum rerum effectrix, 91. 3
Lingua mortifero veneno plena, 92. 7
Lingua in tota vita regnum obtinet, 91. 3
Lingua maledica, portentum alienum à tota natura, 92. 11
Linguæ continentia, una ex præcipuis virtutibus, 91. 2
Linguæ vitia quæ cavenda, 21. 12
ex Linguæ intemperantia incommoda quæ proveniant, 91. ante 6
in Lingua magnum veræ perfectionis momentum ſitum, 91. 3
Lingua qui non delinquit, hic perfectus eſt, 17. 22
in Luce ambulare quis cenſeri poſſit, 52. 7
Lucernæ epitheto Scriptura Dei quam bene inſignitur, 40. 19. b
Lucianicorum quorundam hominum, qui paſſim hodie regnant, impietas, 10. 15
Luciferi viſum poſſe Domino abſque Sermone, quo ſenſu Petrus dixerit, 19. 1

M.

Magiſtratus, Petri ſeculo impii & ſanguinarii, 15. 13. & 43. 11
in Magiſtratuum contemptores Petrus invehitur, 43. 10
& Judas, 105. 8
Magiſtri, pro iis qui ſibi jus cenſorum in alios uſurpant, 91. 1
Mahometus deliria ſua è cælo hauſiſſe mentitur, 70. 6. b
Male parta male dilabuntur, 97. 2
Maledicendi occaſio incredulis præripienda, 26. 15
Maledicendi libido ex ſuperbia naſcitur, 92. 11
Maledicentia ubi regnat, quæ mala ſequi neceſſe ſit, 92. 9
Maledicentiæ morbus unde proveniat, 86. 26
Maledicentiæ, ſtimuli nobis eſſe debent ad recte vivendum, 24. 12
Maledicentiæ infidelium cohibendæ modus, 26. 15
Maledicentiæ communiter obnoxii hypocritæ, 86. 26
Malitiæ ſedem in hominis anima Jacobus aſſignat, 85. 21. b
Malorum quæ perpetramus, culpam alio transcribere nobis uſitatum, 83. 13
Malorum præſentium acerbitate offenſi, deficere pii non debent, 30. ante 18
Mandatum vetus & mandatum novum quid Joannes vocet, 55. 7
Mandata Dei quo ſenſu non eſſe gravia Joannes dicat, 74. 3
per Mandata ſervare, quid Joannes intellexerit, 54. 3. b
Manichæi ex traduce Dei nos ortos eſſe ſomniabant, 34. 4
Manifeſtatio Chriſti æterno Dei conſilio in mundi ſalutem ordinata, 8. 20
Manifeſtatio Chriſti an ad omnes promiſcue pertineat, ibid. b
Manus Dei cur potens à Petro dicatur, 33. 6
Manus Dei dux, 32. 5
Marcion hæreticus, 58. 18
Marcion Chriſtum ſpectrum hominis fuiſſe ſomniabat, 6. 22
Marcus octavo Neronis anno Alexandriæ mortuus, 34. 13
Marcum cur filii nomine Petrus vocet, ibid. b
Mariti cur comiter uxores tractare debeant, 20. 7
Mariti prudentia opus, ſi officium ſuum præſtare velint, ibid.
Mariti multæ uxorum ferendæ ineptiæ, multa devoranda tædia, ibid.
Μεγαλαυχεῖν quid, 86. 27
Media quæ nos Deo reconciliene, non alia quærenda, quam Chriſti nomen, 56. 12. b
Mediæ res non ſunt, ambitio, ſuperbia & luxus affectatio, 19. 3. b
Μεγαλαυχεῖν quid, 91. 3
Mendaces qui à Joanne dicantur, 59. 22
Merces operariis non neganda, 97. 4
Meritum hominis, & juſtitia Dei, res inter ſe oppoſitæ, 35. 1
Merita cujuſque à Deo prævideri Sophiſtæ fingunt, 3. 2
Merita ſua unde eliciant Papiſtæ, ibid. & 64. 9
Meritis noſtris Scriptura propoſitum Dei, in quo fundata eſt noſtra ſalus, opponit, ibid.
Meritis noſtris non fit ut in viam reducamur, 7. 18
Meſſias imaginarius Judæorum, 58. 18
Michael adverſus Satanam diſceptans cur ſolus inducatur, 105. 9
de Michaele Archangelo quæ Judas dicit, unde ſumpta ſint, ibid.
Michaelis verba ad Satanam apud Zachariam quoque habentur, ibid.
per Millia ſanctorum, tam Angeli quam fideles deſignantur, 107. 14
Militandum nobis eſt in hoc mundo, 32. 8
Militandum continue fidelibus, 154. 3
Militia Chriſtiana quid à militia hominum differat, 57. 12. b
Miniſter Dei legitimus quis, 57. 16
Miniſtrorum verbi Dei officium, 28. 11
Miniſterii externi uſus & utilitas, 61. 27
Miniſterio hominum ad nos regenerandos Deus utitur, 10. 25. b
Miſeriæ ſanſus quam nos frangat atque examinet, 99. 10
Miſericordiæ Dei commendatio, 88. 13
Miſericors futurus nobis Deus ſi miſericordiam erga proximos exerceamus, ibid.
Moſes à Domino ſepultus, & ejus ſepulchri abſconditi cauſa, 105. 9
Monachorum quælibet ſtulta deliria quo prætextu ab omnibus recipi Papiſtæ velint, ibid.
Monitiones quomodo temperandæ, 36. 13
Monitiones fraternas Jacobus non damnat, quum in cenſores importunos invehitur, 91. 1
Monitionum uſus utilis & neceſſarius, 36. 12. & 44. 1
Mons Thabor cur ſanctus à Petro dictus, 37. 18
Morbi ſæpiſſime ob peccata irrogantur, 100. 15
Mors Chriſti ſacrificium expiandis peccatis noſtris, 18. 24
Mors Chriſti non excluditur, ſed potius continetur ſub reſurrectione, 25. 21. b
Mortis Chriſti ſacrificio nos tantum à culpa poſt Baptiſmum liberari Sophiſtæ garriunt, pœnam vero ſatisfactionibus redimi, 18. 24
Mortis Chriſti ea vis ſubeſt, ut carnem noſtram mortificet, ibid. b
Mortificatio quo ſenſu crux dicatur, 25. 1
Mortificationem Chriſti in carne noſtra cur portare debeamus, 28. 12. b
Mortuos quomodo Spiritus Chriſti vivificet, 27. 6
Mos antiquus quam male à Papiſtis prætexatur, 8. 18
Motus medius papiſtarum, 64. 9
Mulier imperioſa, importunum animal, 19. 4
Mulieres cur ſuſpicioſæ ac timidæ, 19. 6
Mulieres capillos arte criſpare vel torquere vetantur, 19. 3
Mulieribus cur tanta ſe ornandi cura, 19. 4
Mulieribus impendi honorem debere, quod infirmæ ſint, & quod excellant, quomodo inter ſe conveniant, 20. 7
Mulierum ornatus ſpiritualis in quo conſiſtat, 19. 4
Mulierum cupiditati cohibendæ remedium, ibid.
Mulierum propriæ virtutes, ibid.
Mundati qui à Chriſto ſunt, an quamdiu vivunt, puri ſint à peccato, 31. 9
Munditiem quam conſequimur per Chriſtum, an perpetua in nobis, ibid.
Mundus ex aquis habet originem, 41. 5
Mundi nomen late patens, 71. 4. & 79. 19
Mundi amor damnatur, 57. 15
Mundi interitum fabuloſum eſſe unde quidam colligant, 45. 4. b
Mundi finem cur Deus non accelerat, 45. 9
Mundi ſapientia tota damnatur, quæ ſe Chriſto regendam non ſubmittit, 18. 25
Mundi totius peccata expiari, quo ſenſu Joannes dixerit, 54. 2
Mundi vincendi quis modus, 74. 4
Mundo renunciandum, ſi Deo ſervire velimus, 94. 4
Mundo qui fortiter reſiſtet, Legem ſervabit, 74. 3

N.

Nemo, quum tentatur, dicat, à Deo tentari, 83. 13
Niti Chriſto qui dicantur, 12. 6
Noë cur juſtitiæ præco à Petro dicatur, 40. 5
Noë oraculo monitus, diluvium multis ante habebat præ oculis, 24. 20
Noë familia à diluvii inundatione ſervata, Baptiſmi ſpeciem geſſit, 24. 21
Nomen Dei qui falſo prætendunt, non audiendi, 68. 1
Nomen Chriſti invocari ſuper fideles quomodo dicatur, 87. 7
Nominis Dei juſta aliqua ac legitima uſurpatio, 100. 12
Nominis Dei profanatio, quam grave delictum, 99. 12
Notitia Dei quæ ex Evangelio concipitur, non otioſa, 54. 3
Novitas ſemper odioſa vel ſuſpecta, 8. 18
Novitas vitæ quatenus valeat ad confirmandam fiduciam, 72. 17

O.

Obedientia ſcientiæ conjuncta eſſe debet, 54. 3. b
Obedientia erga Magiſtratus, honeſtæ converſationis pars, 15. 13
Obedientia cur omnibus qui præſunt, debeatur, 15. 14
Obedientia non nos facit filios Dei, quum gratuitum ſit adoptionis donum, 6. 14
Obedientiæ teſtimonium, patientia, 99. 10
Obedientiâ fidei, nos eſſe ex Deo, probandum, 70. 6
Oblatio noſtri generalis inter ſpirituales hoſtias primum locum obtinet, 11. 5
Oblias quis fuerit, & an author ſit epiſtolæ Jacobi nomine inſcriptæ, 80. in Arg.
Obloquendi morbus præ aliis peccatis odioſus, 91. 2
Obloquendi nimia libido taxatur, 95. 11
Obſcuritas Scripturarum unde, 40. 16
Odium quantopere deteſtetur Deus, 65. 15
Odium in reprobis & filiis diaboli principatum obtinet, 65. 12
Odio ſi nos mundus gratis habet, patienter ferendum, ibid.
Odio habendam etiam tunicam à carne maculatam, quo ſenſu Judas dixerit, 108. 23
Offendiculum non eſt, ubi eſt ſtudium charitatis, 56. 9
in Offendiculum quomodo & quibus Chriſtus cedat, 13. 8. b
Officia noſtra quomodo Deo commendentur, 17. 19
Oleum in curandis ægrotis quomodo olim à miniſtris adhibitum, 100. 14
Ope auxilioque proximorum, nemo eſt qui non indigeat, 27. 10
Opera in ſpeciem præclara, à fide ſeparari poſſunt, 89. 18
Opera bona ad juſtitiam neceſſaria, 90. 25
Opera noſtra quamvis mutila & imperfecta, in Chriſto accepta, 11. 5
Opera noſtra bona cenſentur, quæ manant ex gratia Spiritus, quia voluntaria ſunt, 64. 9
Opera noſtra bona un mercedem habeant, & cur, ibid.
in Operum reſpectu ſemper trepidandi materia, 72. 17. b
Operibus quomodo juſtificetur homo, 90. 23
Operibus bonis vis conferendæ juſtitiæ cur non inſit, 90. 25
Opinio ſtulta quantum à fide differat, 76. ante 10
Opinionum varietate fideles offendi non decere, 68. 1
ὀφθαλμοδουλεία timori contraria, 16. 18
Ora Prophetarum & Apoſtolorum, os unius Dei, 10. 15. b
Orandi regula tenenda, 77. 14. & 101. 17
Orandi legitima ratio quæ ſit, 82. 6
Orandi fiducia in operibus noſtris non fundata, 67. 22
Orandi ſuper aliquem ritus quo ſpectet, 100. 14. b
in Orando Deo quale temperamentum adhibendum, 94. 3
Orandum pro omnibus filiis Dei, quia ad mortem non peccant, 29. 18
Oratio qua uti poterit, qui adverſarios ſuos in viam reducere volet, 28. 13
Orationes Papiſtarum fide & certitudine omni vacuæ, 77. 14
Orationis effectus & utilitas, 101. 16
Orationi fides conjungenda, 100. 14. b
in Orationis contextu, quod præponderat, ſubjici debet, 45. 20
Ordo politicus commendatur, 15. 13
Ordinem politicum cur reverenter amplecti & colere deceat, ibid.
Ordinem omnem abolitum cupiunt qui ad nequitiam profecti ſunt, 105. 8
ὀμνύω Græcis quid, 91. 3
Oſculum charitatis, 34. 13. b

P.

Papa Antichriſtus, 58. 18
Papam antichriſtum à nobis vocari quidam moleſte ferunt, 96. 12
Papiſtæ nudum Chriſti nomen adorant, 13. 8
Papiſtæ quomodo Chriſtum virtute ſua ſpolient, 69. 2
Papiſtæ quomodo Chriſtum factitium habeant, 60. 22. b
Papiſtæ pro Dei cultoribus ſe venditant, quum ſuperbe verbum Dei rejiciant, 70. 6
Papiſtæ, fidei doctrinam, quam nihili faciant, 77. 14
Papiſtæ, charitatem ſummum Chriſtianæ vitæ caput, poſtremo loco habent, 9. 22. b
Papiſtæ commenta ſua, Spiritus oracula eſſe jactant, 70. 6. b
ad Paſſionum Chriſti ſocietatem cur Petrus fideles tantum hortatus ſit, 29. 15
Paſtoris boni eſt non ſolum oves aggregare, ſed & lupos abigere, 61. 26
Paſtores veri qui, 31. 2
Paſtores in quem finem intenti eſſe debeant, ibid.
Paſtorum officium, 30. ante 1
Paſtoribus non regnum, ſed curam duntaxat Chriſtus injungit, 31. 3
Pater lucis, & lux cur Deus vocetur, 51. 5
Pater luminum Deus cur dicatur, 84. 16
Patris Chriſti titulo Deus, ut vere cognoſcatur, veſtiendus, 2. 3
Patres quomodo vitæ quæ in Chriſto revelanda erat, participes, 51. 2
Patrum authoritas quam ſtulte à Papiſtis prætexatur, 8. 18

Pati præter meritum, carni indigniſſimum videtur, 17. 21
Pati propter juſtitiam quid ſit, 21. 13
Pati pro juſtæ cauſæ defenſione, quam ob ſua flagitia, longe melius, 23. 17
Patientia vera quæ ſit, 3. 6
Patientia obedientiæ teſtimonium, 99. 10. b
Patientiæ exemplum nobis Chriſtus morte ſua prodidit, 18. ante 24
Patientiæ quantum ſit lucrum, 11. 9
Patientiæ nullam laudem fore, ſi quis juſte plectatur, quo ſenſu Petrus dixerit, 17. 19
Patroni Papiſtarum, idola, 54. 1. b
Paucitate fidelium non abjiciendi animi, 24. 21. & 70. 6
Pauli cur Petrus fecerit mentionem in ſua Epiſtola, 48. 15
Pauperes in eo gloriari debent, quod adoptati ſunt in Dei filios, 83. 9
Pax, quid, 48. 14
Pax tranquilla quando, & à quo nobis præſtetur, 67. 21
Pacifici etiamſi multa in proximis modeſte tolerent, non tamen deſinunt juſtitiam ſerere, 93. 18
Peccantes fideles quomodo à Dei gratia non excidant, 44. 20
Peccare quid ſit, 63. 5
Peccare fideles quo ſenſu Joannes neget, 64. 9
non Peccare quomodo filii Dei dicantur, 79. 18
Peccatum Divinæ legis tranſgreſſio, 63. 4
Peccatum & fides quantum inter ſe diſſideant, 63. 5
Peccatum ad mortem in homine quibus indiciis cognoſci queat, 78. 16. b
per Peccatum perfectum quid intelligi debeat, 84. 15
Peccati nomine quid Joannes intelligat, 53. 8
à Peccato deſiſtendi modus, 26. 2
à Peccato innoxius nemo, 52. 7. b
pro Peccato ad mortem obnoxiis, non orandum, 78. 16. b
Peccata mortalia quæ Sorbonici cenſeant, ibid. a
Peccata non ad mortem quæ ſint, ibid.
Peccata omnia ſua natura mortalia, ibid.
Peccata mundi expiare, ſolius Chriſti eſt, 71. 10. b
Peccata noſtra quomodo Chriſtus tulerit, 18. 24
Peccata noſtra quam utiliter fratribus retegamus & confiteamur, 101. 16
Peccata ſanctorum ad mortem non eſſe, 78. 16
Peccata cur Deus nobis non imputet, 54. 1
Peccata electis quomodo condonet Deus, 40. 4
Pelagii hæreſis, 60. 22. a
Peregrinantur pii omnes in hoc mundo, 7. 17
Peregrinari, pro morari, ut in re nova & inſolita, 26. 4
Perfectio fidelium in charitate ſita, 9. 22
Perfectionis ſtatus monachorum, 65. 12
Perire quum neminem Deus velit, quæritur cur tam multi pereant, 48. 9
Perſequutiones fidelibus cur æquo animo ferendæ, 23. 18
Perſequutiones Chriſti nomine qui ſufferunt, in eo Dei gratiam agnoſcere debent, 29. 16
Perſequutionibus cur fideles Deus exerceat, 28. 12
Perſeverandi in vocatione, unica ratio, 49. 18
Perſeverantia, ac profectus omnes noſtri à ſolo Deo, 35. 5
de Perſeverantia finali dubitandum eſſe, Papiſtica opinio, 2. 5
Perſona, pro externa magnitudine vel potentia, 107. 16
Perſonarum nullam habendam rationem quomodo Jacobus præcipiat, 86. ante 1
Perſonas qui accipiunt, Legis tranſgreſſores dicuntur, 88. 8
Perſpicientia qualis in fidelibus requiratur, 10. 2
Perſtare in fide ſuſcepta quam difficile, 33. 12
Petitiones quorundam, quum Deum orant, quam abſurdæ, 94. 3
Petram ſcandali eſſe, Chriſto accidentale eſt, 13. 8
Petrus gloriæ Chriſti teſtis oculatus, 37. 16
Petrum Romæ fuiſſe, qua conjectura adducti veteres aſſeruerint, 33. 13
Petulantiæ vitium taxatur, 42. 12
Pharao quomodo dicatur in hoc poſitus, ut Deo reſiſtat, 13. 8
φιλαδελφία quid, 35. 5
Philoſophari de rebus divinis extra Chriſtum qui volunt, deſipiunt, 60. 22. b
Philoſophi noſtri ſeculi quales, 45. 7
Philoſophi olim gloriam ex amarulenta omnium ordinum inſectatione captabant, 92. 13
Φυλακή pro ſpecula in qua aguntur vigiliæ, 24. 19
Pii rigidius quam impii ſub crucis diſciplina exercentur, 30. 17
Platonis locus lib. 2. de Repub. 22. 13
Platonis definitio ſummi boni, 34. 4
Plinii locus de hominum impudentia qui Dei auribus tam improbe abutuntur, 94. 3
Pœna reproborum poſt mortem qualis, 40. 4. b
Pœnitentiæ vera ratio ac natura, 95. 8. b
Pontifex abſque ſacrificio nemo, 54. 1. a
Pontifex idoneus quis, ibid.
Populus ex non populo factus, 14. 10
Potei qui vere dici poſſint, 44. 22
Præceptum de diligendis inimicis quam male Sophiſtæ conſilium tantum eſſe aſſerant, 21. 9
Præcones Euangelii à Chriſto delecti, 51. 3
Præcognitio Dei in electis quæ dicatur, 1. 2. a
Præcognitio Dei in electione ſubmovet omnem humanæ dignitatis reſpectum, ibid.
Prædicationis externæ elogium, 10. 25
Præmia olim bonis conſtituta, ut improbis pœnæ, 15. 14
Precandi quænam vera regula, 77. 14. b
Preces fidelium in propria dignitate non fundatæ, 101. 16. a
Preces fidelium pro fratribus quantum valeant, 78. 16
Preces noſtræ quomodo exaudiantur à Domino, 81. 6
Preces Papiſtarum dubitationis plenæ, 77. 14. b. & 82. 6
Precibus nullus locus inter jurgia & lites, 20. 7. b
Presbyteri nomen paſcendi munus in ſe continet, 31. 2
Presbyteri olim in Eccleſia qui dicerentur, 100. 14
Presbyterorum nomine qui vocentur, 31. 1
Presbyteros ad ungendos ægrotos cur accerſi Jacobus præcipiat, 100. 14. b
Presbyteri Papæ in quem finem creentur, 31. 2
Primatum qui ſibi in Eccleſia hodie arrogant, infeſtiſſimi Chriſti hoſtes, 13. 7
Principia duo Manichæorum, 63. 8
Probra quantum acerbitatis in ſe habeant, 29. 14
Probra quæ Euangelii cauſa à piis ſuſtinentur, gloriæ plena, ibid.
Probris qui afficiuntur ob Euangelium, beati, ibid.
Profeciſſe in verbo Domini quando dici poſſimus, 53. 10
in Profectu continuo fideles eſſe debent, quamdiu carne circumdati ſunt, 53. 9. b
Progreſſus quotidiani in fide neceſſarii, 56. 8
Promiſſiones hujus vitæ quam longe extendantur, 21. 12. b
Promiſſum regnum iis qui Deum diligunt, quomodo ſit, 87. 5
Prophetæ Spiritus ſancti impulſu ſunt loquuti, 39. 20. b
Prophetæ quomodo nobis potius quam ſibi miniſtraverint, 5. 12
Prophetarum doctrina Judæis familiaris, 37. 19
Prophetarum doctrina fidelibus in hoc mundo quam neceſſaria, 38. 19. a
Prophetarum doctrinam cur firmiorem Petrus vocet, ibid.
in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis meditandis quam ſeduli eſſe debeamus, 44. 2
in Prophetarum oraculis, Euangelii certitudo fundata, 37. 19
Prophetiam in media idololatria etiam extare cur Deus voluerit, 42. 14. b
Prophetiæ quomodo cum fructu legi poſſint, 39. 20. a
Prophetiæ inſtar ſpeculi ſunt, ad repræſentandam nobis in tribulationibus cœleſtis gloriæ imaginem, 5. 11
Prophetiis cur fides habenda, 39. 20. b
Propitius nobis Deus ſolo Chriſti reſpectu, 57. 12
Propitius nulli Deus, niſi in Chriſto, 77. 12. b
Προσωποληψία charitati contraria, 88. ante 8
Providentiæ Dei commendatio, 32. 7
in Providentia Dei quomodo recumbendum, ibid.
Proximi vocabulo totum hominum genus comprehenditur, 88. ante 8
Proximos non diligit, qui partem tantum unam eligit, aliis neglectis, ibid.
Pſeudoprophetæ in Eccleſia ab initio, 39. 1
Pſeudoprophetæ & falſi doctores, judicium Dei quam non effugere poſſint, exemplis probatur, 40. 4
Pſeudoprophetæ quam non frangere fidelium animos debeant, 39. 1
Pudefieri pro trepidare, 12. 6. b
Pueris Euangelium cur optime quadret, 57. 14
ad Pugnandum ita fideles hortatur Deus, ut prius victoriam promittat, 74. 4
Pulchrum ſuum Plato cognoſci poſſe negat, quin hominem in admirationem ſui rapiat, 54. 3. a
Purgationis per Chriſtum factæ immemores, qui ſe adhuc in ſordibus volutant, 35. 9
Puritas animæ noſtræ in quo ſita ſit, 9. 12. a
Puritatem qui ſibi arrogant, Deum blaſphemant, 53. 10

Q.

QUæſtiones & earum ſolutio. Unde compertum Petro fuerit, eos electos eſſe ad quos ſcribebat? 1. 8
Quomodo nobis nota & aperta quædam eſſe poſſint, quæ Angelos lateant? 5. 12
Quum jactet Paulus ſe pura conſcientia Deum colere uſque à proavis, & Timotheo ad imitationem commendet pietatem aviæ Loidos & matris Eunices, quomodo Petrus dixerit Judæos ſui temporis ex Patrum inſtitutione præter meram vanitatem nihil didiciſſe? 7. 18
Quum ante mundi creationem nondum lapſus eſſet Adam, quomodo deſtinatus fuerit Chriſtus redemptor? 8. 20
An ſimpliciter uſum auri in ornatu corporis Petrus damnet? 19. 3
Reconciliatione nova qui opus fuerit, ſi prius nos Deus amabat, quam ſe pro nobis Chriſtus in mortem offerret? 71. 10. b
Quæſtiones quaslibet quæ nobis objiciuntur, an ſolvere neceſſe ſit? 22. ante 16
Querelæ piorum de proſpero reproborum ſtatu, 30. 17

R.

RAhab meretrix, operibus quomodo juſtificata, 90. 25
Redemptionis noſtræ dies placide expectandus, 98. 7
Redempti à Chriſto in quem finem ſimus, 19. 1. b
Redemptor quibusnam Chriſtus ſit, 52. 7 b
Regeneratio ſic in fidelibus inchoatur, ut ad mortem uſque veteris hominis reliquiæ maneant, 64. 8
Regenerationis finis ut peccatum aboleatur, ibid.
Regiminis genus nullum tam deforme, quin melius ſit ἀναρχία, 15. 14
Regis animum intra ſe quiſque habet, 32. 5
Regia lex quæ dicatur, 88. 8
Regnum Chriſti cur cœlum vocetur, 36. 10
Regni Chriſti æternitas, 49. 18
ſub Regno Chriſti multi tranquillum Eccleſiæ ſtatum ſibi pollicebantur, 39. 8
Religio vere antiqua quæ, 57. 13. a
Remiſſione peccatorum quotidiana ſancti omnes opus habent, 52. 7. b
Reprobi quam pœnam poſt mortem ſuſtineant, 40. 4
Reprobi hominis ſignum, 70. 6. b
ad Reproborum ſcelera cur Deus connivere videatur, 30. 17
Repetitiones duæ in Joannis Epiſtola ſupervacuæ, 57. 14
Reprehenſores fratrum damnantur, 91. 8
Res ſignata à ſigno in Sacramentis non divellenda, 25. 21. a
Reſpicere in homines ut communem eorum vitam ſequamur, nobis nimium proclive, 7. 15
Reſpiciuntur à Domino fideles, ut iis in tempore opem ferat, 21. 12
Reſurrectionis fides niſi fixa manet, pietas funditus diruitur, 45. 4
Reſurrectionis fide ſublata, Chriſtiani omnium miſerrimi, 30. 17
Reſurrectionis ultimæ dubitationem illuſores quidam injicere ſolent, 44. 4
Rigor nimius taxatur, 91. 1
Romani malis artibus potius quam legitima cauſa, Aſia potiti, 15. 18
de Romana Petri ſeſſione, veterum opiniones refutantur, 34. 1 b

S.

SAbellius Chriſtum nihil à Patre differre commentus eſt, 60. 22
Sacerdotium in ſolum Chriſtum competit, 54. 1. b
Sacerdotium ſummum penes Sadducæos, 26. 3. b
in Sacramentis duo conſideranda, 24. 21
in Sacrificium quomodo nos Deo offeramus, 11. 5
Salus noſtra quomodo differatur, 2. 5. & 6. 13. & 45. 9
Salus Patribus & nobis communis & eadem, 4. 10
Salutis obtinendæ modus, 48. 9
Salutis per Euangelium nobis promiſſæ quanta ſit gloria, 4. ante 10
Salutis noſtræ partes omnes in Chriſto ſolo ſitæ, 12. 6
Salutem quomodo Prophetæ tantopere exquiſierint, 4. ante 10
ad Salutem nihil neceſſarium, quod non in Chriſto fides inveniat, 72. 15
Sanationis donum Apoſtolorum tempore vigebat, ſed temporale erat, 100. 14
Sancti omnes advocato opus habent, 54. 1. a
Sancti in carnis infirmitate conſiderandi, 101. 17
Sanctorum mortuorum interceſſiones damnantur, 54. 1. b
Sanctorum nemo, à culpa quæ nos efficit reos coram Deo, immunis, 53. 8. & 79. 18
Sancti quomodo futuri mundi judices, 96. ante 12
Sanctis mortuis munus pro nobis apud Deum intercedendi à Papiſtis impie attributum, 54. 1. a
Sanctificare Deum quid, 22. 14. b
Sanctificare nos quomodo dicatur Deus, 1. 1. 2. b. & 2. 1
Sanctificatio Spiritus, electionis effectus, 1. 1. a
Sanctimonia Papiſtica, 76. 10. b
Sanctitas cujuſvis diabolica, quamdiu Chriſtum rejicit, ibid. a
Sanctitatis ſtudium frigere in nobis non ideo debet, quia nondum apparet noſtra felicitas, 61. 3
Sanguis & aqua in Lege quid deſignabant, 75. 6
Sanguis Chriſti non modo ſalutis noſtræ pignus eſt, ſed vocationis etiam noſtræ cauſa, 7. 18
Sanguinem Chriſti profanare, horrendum ſacrilegium, ibid.
Sapere vere coram Deo qui dici poſſint, 93. 13
Sapimus recte non acumine proprii ſenſus, ſed illuminatione Spiritus, 59. 20. b
Sapiendum in ſolo Deo, 16. 15
Sapientiam ſine dijudicatione eſſe quomodo Jacobus velit, 93. 17
Sapientiæ & ſcientiæ falſa perſuaſio, ſuperbiæ mater, 92. 13
Sapientiæ cœleſtis effectus, 93. 17
Sapientiæ nomen hypocritis quomodo Jacobus concedat, 93. 15
Sara fidelium omnium mater, 19. ante 6
Sara ad quid maritum vocaret Dominum, ibid.
Satanæ Machinas quomodo fideles diſjicere queant, 107. 10
à Satanæ vulneribus an filii Dei intacti maneant, 79. 18
Scelerum impunitas temporalis, ab officio pios avocare non debet, 41. 9
in Schola Dei cur tam pauci proficiant, 85. 22
Scholæ Papiſtarum quam fugiendæ, 77. 13
Scholaſticorum vanæ de abſcondita Dei majeſtate diſputationes, 8. 20. b
Schuenkfeldius hæreticus, 24. 21
Scientia pro ratione prudenter agendi, 35. 5
Scopum quem proponere ſibi Chriſtiani in tota vita debeant, 6. 14

ad Scripturam legendam qua præparatione opus ſit, 10. 20
Scripturæ ſacræ qua ſimplicitate colendæ, 106. 13
Scripturæ luce oculos hominum perſtringi quam impie Papiſtæ fingant, 38. 19. b
Scripturæ, lucernæ nomine cur appellentur, ibid.
à Scripturarum lectione quo prætextu Papiſtæ abſterreant ſimplices, ibid.
Scripturarum obſcuritas unde, 49. 16
Sectæ & ſcandala an nos à pietate & Evangelii doctrina avertere debeant, 68. 1. & ante 1
Sectæ Apoſtolorum tempore exortæ, 58. 12
Sectarum vel hæreſeos nomen ſemper perexoſum fuit inter Dei filios, 19. 1
Securitas carnis, 61. 27. b
Seditioſos homines doctrina Evangelii armari quam male Papiſtæ comminentur, 41. 10. b
Semen quo electos ſuos regenerat Deus, an in electis aliquando prorſus extinguatur, 64. 9
Semen neſcio quod æternum fanatici quidam in electis ſomniant quod ſemper afferant ex matris utero, ibid.
Senum vitia, 57. 18
Senibus Evangelium congruere cur dicat Joannes, ib.
Senſus ſuos omnes quorſum fideles dirigere debeant, 4. 9
Sententia quæ ab aliquo lectore annotata, in contextum obrepſit, 60. 13. b
Sentire recte de Deo an ex veteribus quidam potuerint, quibus tamen ignotus eſſet Chriſtus, ibid.
Sentire idem cur omnes debeamus, 20. 8
Sermo vitæ cur Chriſtus dicatur, 19. 1. b
Sermonis nomen bifariam accipitur, ibid.
Sermo vitæ qualiter recipiendus, 81. 21
per Sermonem veritatis ſolum à Deo regeneramur, 84. 12
pro Sermone Domini quid agnoſcere debeamus, 10. 25
Servare ſe à peccato quomodo fideles dicantur, 79. 18
Serveti mira improbitas, 50. 1. b
Servi titulo cur Apoſtoli ornare ſe ſoleant, 103. 1
Servorum conditio olim quam dura, 17. 19
Servorum officium, 16. 18
Servorum ſubjectio erga Dominos quam late pateat, ibid.
Servis impoſita à Deo conditio, ut Dominis ſerviant licet indignis, ibid.
Servitus nulla miſerior, quam ubi libidines regnant, 43. 19
Seſſio Chriſti ad Patris dexteram quomodo intelligenda, 25. 22. cur eam commendet Petrus, ibid.
Si Domino viſum fuerit, Si Dominus permittet: formulæ addendæ quum de rebus futuris loquimur; & an eas omittere ſit nefas, 96. 15
Signum à re ſignata in Sacramentis, Papiſtæ non diſtinguunt, 25. 21. a
Signum nudum inefficax & abſque fructu in Sacramentis cur nonnunquam appareat. 24. 21. & ibid.
Silentium quale fidelibus Jacobus imperet, 85. 19
Similis Deo eſſe quis dici poſſit, 32. 7. a
Similes Chriſto quomodo fideles futuri, 62. 2. b
Simplicitas qualis in fidelibus requiratur, 22. 2
Simulatio nos ad temere jurandum provocat, 100. 12. b
à Simulachris cavendum, 80. 21
Sobrietas ſpiritualis quæ, 6. 13
Sodomæ excidium, Divinæ ultionis memorabile exemplum, 40. 6
Sodomitarum prodigioſæ libidines, 105. 7
Sodomitas igni æterno Judas ſubjicit, ibid.
Solem & aërem nonnulli proximis etiam invident, 97. 2. b
Σοφίζεσθαι, quid, 37. 16
Sorbonicorum turpis inſcitia, 37. 18
Speculatio inanis damnatur, 86. 23
Spes eſt rerum abſconditarum, 61. 3
Spes quomodo non abjicienda de eorum ſalute qui peccant, 78. 16. a
Spiritus prudentiæ à Deo petendus, 69. 5
Spiritus, pro animis à corporibus ſeparatis, 23. 19. b
Spiritus nomen pro eo qui Spiritus dono præditum ſe jactat ad obeundum Prophetæ munus, 68. 1
Spiritus doctrinæ ſolus idoneus cenſor & approbator, 61. 17
Spiritu orandum, 107. 20. b
Spiritu Dei ſimulac quiſpiam regenitus eſt, an in eo nunquam poſſit extingui Dei amor & pietas, 64. 9
Spiritus metonymice pro doctoribus vel Prophetis, 70. 6. b
Spiritus & Prophetiæ probandæ, 68. 1
Stultos eſſe qui ovibus ſunt ſimiles, quia lupis ſe vorandos exponunt, Proverbium, 32. 7
Subjectio quæ nobis commendetur, 94. 7
Succeſſus proſperi à ſola Dei benedictione expectandi, 94. 2
Superbia ex falſa ſcientiæ perſuaſione naſcitur. 92. 13
Superbia eorum taxatur, qui confidenter ſtatuunt quid facturi ſint, nec in Dei providentiam reſpiciunt, 96. 13
Superſtitio nobis quam ſit ingenita, 80. 21
Sus lota reverſa ad volutabrum cœni, Proverbium, 48. 22
Σωφροσύνη in fidelibus quæ requiratur, 20. 8

T.

Antalum in menſa bene referta famelicum cur Poëtæ finxerunt, 97. 5
Ταπεινόφρονες cur nos Petrus eſſe jubeat, 20. 8
Tarditas noſtra urgenda, 49. 17
Tardus quis dici debeat, 47. 9
Tempus nullum, quo non ad ſe Deus nos invitet, 100. 13
per Tempus ultimum quid Judas intellexerit, 107. 17
Temporis ultimi ſigna, 18. 18. a
Temporum notationem in vaticiniis quærere ſupervacuum, 4. 10
in Tenebris ambulare quis dicatur, 58. 7. a
Tentat periculoſe Satan quum à Chriſti corpore nos ſeparat, 11. 9
Tentari neminem à Deo, unde Jacobus probet, 83. 13
ex Tentatione pios eripere Deus quando & quomodo dicatur, 43. 2
Tentationes internæ & externæ, 83. 13
Tentationum internarum an Deus author ſit, ibid.
Tentationes & ærumnæ æquo animo ferendæ, 81. 2. & 83. 12
Tentationes pro rebus adverſis, 81. 2. quare eo nomine vocet Jacobus res adverſas, ibid.
Tentationes quæ nos à certa in Deum fiducia avocant, fide ſuperandæ, 82. 6
Tentationibus cur ſuccumbamus, aut quomodo earum victores evadamus, 83. 12. b
Theologia Papiſtica anathemate damnanda, 56. 8
Theologica Sorbonica de Angelorum ordine & principatu, 42. 4
Timor, qui ſecuritati opponitur, 7. 17
Timor quando à perfecta charitate pellatur, 73. 18. b
Transgreſſor Legis & omnium reus, idem ſignificat, 88. 11
Triſtitia piorum & impiorum qualis, 3. 6
Triſtitia ad precandum erudire nos debet, 100. 13
Triſtitia ſalutaris quæ nos ad pœnitentiam adducit, 95. 9
Turcæ idolum pro Deo habent, 1. 1
Turcæ, Judæi & Papiſtæ ſub Dei titulo ſomnia ſua adorant, 1. 10. b
Turcæ, & Judæi pro Deo merum idolum habent, 60. 22. b
Tyrannis etiam qui imperium obtinent, honor habendus, 15. 14
Tyrannis nulla tam effrænis, in qua non appareat aliqua æquitatis ſpecies, ibid.

V.

Valentinus hæreticus, 58. 22
Vaſis nomine quodvis organum in Scriptura deſignatur, 20. 7
Vanitatis & luxus morbus in mulieribus taxatur, 19. 3
ad Vanitatem quanta hominum propenſio, 70. 5
Vaticinandi dono impii etiam præditi eſſe poſſunt, 44. 14. b
Vaticinium quod Judas ab Enoch ſe ſumpſiſſe dicit, ἄγραφον potius quam ex apocrypho libro ductum, 106. 14
Veniam, qua opus habet, qui aliis negat, inique facit, 91. 2
Venialia delicta ex magnis ſceleribus Papiſtæ faciunt, 78. 16. a
Verbum Domini eſſe ſolidum & æternum nobis confert, 10. 25
Verbum Dei ubi quærendum, ibid. b
extra Verbum Dei nihil hominibus præter tenebras reliquum, 40. 12
Verbi Dei uſus, 104. 5
Verbo fideles regeniti, 8. 23
Veritas Dei ſimplex, unicum eſt unitatis vinculum, 41. 2
Veritatem in mendacium mutare, quam prodigioſa res ſit, exemplo Balaam docemur, 44. 14. b
Veritate ſua, Deo nihil pretioſius, 76. 10
Veſtire ſe hoc vel illo modo an ſit res indifferens, 19. 3. b
in Veſtitu duo ſpectanda, ibid.
Via regia quæ dicatur, 88. 8
ad Vigilantiam fideles Petrus hortatur, 49. 17
Vindex iniquitatum, Deus, 97. 4
Vindicta omnis prohibetur, 10. 9
Vindicta exemplo Chriſti non appetenda, 17. 23
Vindicta qua reprobis impendet, electos in metu & ſolicitudine continere debet, 102. 14
à Vindicta abſtinere an ſufficiat, 20. 9
Virtus pro honeſta & bene compoſita vita, 37. 5
Virtuti propria qui aliquid tribuunt, Deo quod ſuum eſt eripiunt, 73. 4
Virtutes & præclaræ dotes in hominibus qui à Chriſto extranei ſunt, meræ ſordes ſunt, 77. 12
Viſcera ſua proximo aperire quid ſit, 66. 17
Viſitare fratres in neceſſitate, quid, 86. 27
Vita pro vivendi genere & ratione, 18. 16
Vita fidelium hic abſcondita in Chriſto, 5. 7
Vita æterna ex ſola Chriſti miſericordia ſperanda, 108. 21
Vita in Chriſto nobis exhibita, 50. ante 1
Vita hominis qualis antequam ad Chriſtum converſus ſit, 7. 18
Vita hominis navigationi periculoſæ perſimilis, 30. 18
Vita ſpiritualis in filiis Dei nunquam extinguitur, 79. 18
Vitæ novitas perpetuum Divinæ adoptionis teſtimonium, 61. ante 12
Vita neigo, Pater: ſed fons ex quo haurire eam decet, Chriſtus, 80. 20
Vitæ puritas an Deum nobis conciliet tanquam prior cauſa, 58. 7. a
Vitæ ſpatium quo brevius, eo diligentius ad munus nobis à Deo demandatum exequendum incumbere debemus, 38. 13
In Vitæ ratione ſemper hallucinantur homines, 65. 18
in Vita noſtra quid à nobis præcipue exigat Deus, 9. 22
Vitiorum ſemen incluſum in ſe nemo eſt qui non habeat, 16. 1. b
Vitiorum noſtrorum culpa non alibi quam in nobis ipſis quærenda, 83. 13
Vivendi bene regula, 26. 2
Vivificare nos vere quando Deus dicatur, 36. 8
Vivificandi vim ante mundi creationem cur Deus non exeruit, 51. 5. b
Vivit nemo recte, quin ſimul Deo adhæreat, 12. 7. a
Ululandum eſſe inter lupos, Proverbium, 32. 7
Unctio uo nobis data fuerit ut hodie quoque apud nos ſit in uſu, 100. 14. a
Unctio ægrotorum an pro Sacramento à diſcipulis Chriſti uſurpata fuerit, & an medicamentum eſſet, ibid.
Unctio extrema Papiſtarum quantum diſtet à veteri Eccleſiæ inſtituto ungendi ægrotos, ibid.
Unctionis ægrorum uſus, ibid.
Unctionem dum inter Sacramenta Papiſtæ reponunt, Apoſtolorum ſimiæ ſunt potius quam imitatores, ibid.
Unitatis vinculum, ſimplex Dei veritas, 41. 2
Unitatis inter homines fovendæ vinculum ſtatuit Deus, 37. 10
Vocari à Deo neceſſe eſt, priuſquam ad eum accedamus, 103. 1. b
Vocati à Deo, non ſecure in ejus gratia gloriari, ſed ſolicite in ejus timore ambulare debent, 104. 8
Vocatio ubi efficax, illic certa perſeverantia, 59. 19. b
Vocationis & electionis vocabula in Scriptura nonnunquam confunduntur, 17. 21. b. & 103. 1
Vocationis noſtræ rectus curſus eſt, ſi pergimus in charitate, 107. 21
Vocationis noſtræ finis, 2. 5. & 14. 9
Vocationis noſtræ fundamentum in Chriſto ſitum, 33. 10
Vocationis & electionis noſtræ ſtabilitas an bonis operibus nitatur, 37. 10. b
in Vocationis ſuæ curſu quam ſolicite pergendum, 41. 20
Voluntas fidelium ſic à Dei Spiritu formatur, ut non niſi recta eſſe poſſit, 64. 9
Voluntatem Dei an quis faciat, & quis facere dicatur, 58. 17
Vota omnia fidelium quomodo Joannes exaudiri à Deo dicat, 77. 15
Uxores viris ſuis ſubeſſe debent, 19. 1

F I N I S.

A M S T E L O D A M I,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

by Google